
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
ROMA
8
36 P
4



IN PRIMAM PARTEM D. TH.

DISPVTATIONES THEOLOGICAE

De libro Vitæ, de Omnipotentia, de Trinitate, de Creatione, de Angelis.

QVIBVS

Doctrina Thomistica ex S. Præceptore, ac Principaliorib. eiusd. floridissimæ Scholæ Asseclis, selecta; noua methodo, dilucide, radicitus propugnatur.

AVTHORE

R. P. ANDREA LAO, SEV A CRVCE CATANENSI
Ordinis B Mariæ Virginis de Monte Carmeli, Sacræ Theologiæ Professore; & Olim in Regno Siciliæ Prouinciali, Visitatore, Reformatore, ac Commissario Generali, necnon in Gymnasio Patauino Sacrarum litterarum Interprete publico.

TOMVS SECVNDVS.





GENVÆ,
APVD IOANNEM MARIAM FARRONVM,
M D C. LII.
SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur ex Auctoritate Illustrissimi Magistratus Inquisitorum Sstatus.

Laurentius Oliuerius Cancell.

Eminentissimo, & Reuerendiss. Principi

MARTIO

S. R. E. CARDINALI

GINETTO

Sanctissimi D. N. Vrbani PP. VIII. & SS. D. N. Innocentij PP. X. In Alma Vrbe Vicario, & Totius Carmeliti Ord. Vigilantissimo Protectori.



ARILIS illa dissidentium inter se affectuum imparilitas, quæ melliflui Doctoris ad Eugenium Papam Scripturientis tentauit animum, adhuc tentare non sinit, & meum in hac, quam Tibi Sisto, Opella, obsequiosè audacem, Eminentissime Princeps. Ne Tuæ gremium magnitudinis affectet, (Illi certatim contraria imperare videntur Maiestas, & Amor,) pellit illa, impellit iste, & quò magis suas Amor aliger explicat alas, tantò magis implicat, quæ serena licet ex fronte splendicat, Augusta Maiestas. quid ergo? Num, qui omnium Victor Amor, à Maiestate deuictus? Apage hoc de Amore Elogium, qui, si bellat, debellat; si propugnat, expugnat; si dimicat, micat ad Laureas, promicat ad Victorias. Maiestate igitur tàm dignanter cedente quid ni cedat pudor, triumphet amor, reddatq; has paginas & de Tuæ purpuræ minio pretiosas, & de Tuæ Virtutis insignibus gloriosas. Profectò aduersus hostium inuida prelia Animus nequaquam inuidus, & si gratitudinis auidus, nec potuit, nec debuit, nec sciuit adhibere validius MARTIO Patrocinium in exitu dubio de Triumpho indubius, cùm Triumphale præferant, ni nectãt sertum, Gentilij Flores: Et benè, siquidem ibi triumphus, vbi flos vernat Amoris. Immò si à Sacris Theologiæ decretis, quam à plurimis iam annis profiteor, irritam esse vim Fati, atque ab hominum imperitia vltrò sibi esse necessitatis leges impositas non mihi planè constaret, Theologicas has elucubrationes, quibus ex Tuo patrocinio vitæ diuturnitatem præsagire non dubito, eò natas, genitasque fato, vt Tuo nomini inscriberentur, assererem. Tuæ enim Humanitatis lenitas me non lentiùs, sed violentiùs, longè que arctiùs adstrinxit, cum eò difficilius quis vinculis, quò liberius obligari cupit, absoluitur. Eccur ijs

ego vinculis eximi cupiam, quibus Elianus quantus, quantus est Ordo, Tibi soluendo impar libentissimè deuincitur? quęque auctis in dies benignitatis officijs, ne qua parte laxari queant, humanissimè prohibes? Sordet munus & si opulentia graue, ni grauidum mysterio; An non hæc pagina grauis misterioq; non grauida; cùm sit plena Angelis, onusta Deo? Diuinitas ergo, quæ Vnius essentiæ in Trinitate personæ multiplicibus hęreticorum iaculis impetitur, quem MARTEM expeteret, quàm Dei Vicarij gerentem Vicem, non Dei, quàm animum piè MARTIVM præseferetem? nisi fortasse dicerem, quòd ipsemet Deus, qui sæpè pascitur inter Lilia, Roseos tuos inter flores amauerit deliciari, voluptuosius deliciandus. Euolant Angeli, quippe qui tuomet in animo de virtutum iubare luminoso nobilius, quia diuinius, stelligero cęlo cælum admirabundi suspiciunt; Nec mirum, Iusti anima cælum, cuius sidera virtutes sunt. Et si plus diuinare fas est, dicerem Angelos euolare quasi Tuo Contubernio posthabeant cælum, nec aliò diuertere dubium est, nam diuinis moribus moram ijs suauiter facturus es; immò quis scit? fortè Angelici Mores, vt te Custodem pręficiant Angelum, Angelos impulere. Obsequuntur Angeli, cui eadem Angelorum Imperatrix suamet in prole Angelica officiosè procumbit; idcircò Carmeli arua Virentia, quę illa gratiarum liquoribus irrorauit, roribus fæcundauit, non minus speciosè eius albescere lilio, quàm Tuis erubescere Rosis fęliciter gloriantur.

Vellet hic animus tuarum virtutum insignia, quæ agendo expressisti illustriùs, breuiter adumbrare; sed ad illos sublimes apices humilis calami debilis penna volitare non eualet, attingam tamen, & si semper plura tacebo, quàm eloquar: fortasse meam culpabis audaciam, sed piam quasi temeritatem Tuis in laudibus Tua faciet fęlicem humanitas, prudentię, & veritatis metam minimè prętergressam. immò Tuum iubeat animum, Solem sine Magnitudinis suæ, radiorumq; actura in abaco pulueris, describi radiolo.

Et primò facem præfert, quæ semper pręit Pietas in Deum Virtutum antistita, quam sic à primis vnguiculis in delicijs habuisti, vt Tuam ferè infantiam abstulisse videretur: quæ enim ætatis acerbitas, vbi eadem semper illuxit Pietatis maturitas? Crederem Cęlum Tibi vbera admouisse, vt simul cũ lacte Virgineũ haurires pudorem; Et bene, quòd enim Rosæ cum fęditate commercium? quis placidissimos mores, & ingenitam illam non stupeat mititatem. (Quem .n. Rosa læderet,) quis comitatem in officijs, in benefaciendo propensionem, quibus Tibi iam dudum animos deuinxisti? profectò mirari non habeo quare Barberinas Apes è vestigio sic allexeris, Quò aliò congruentius abirent Apes, quarum mel Vrbanitas est, quàm ad Rosas, quę totæ mellee, totę suaues sunt? Quis insyncera religione propaganda, ac promouenda piè

obsti-

obstinatum non deprædicet animum? In Ecclesiastico Iure admini-strando, ecquis prudentior? subeundo quouis incommodo pro concredito sibi grege perficiendo, ecquis sapientior, & expeditior? Harum Virtutum agmen, quæ Ecclesiasticum Principem candidum faciunt, & purpureum instar Christi, qui candidus, & rubicundus est, si quis velut in speculo velit agnoscere; Totius Romanæ Ditionis ambitum, nec non, & Carmelum inspiciat, tanta prudentia sic moderatum, vt hic feliciori libertate se iactet, qui Tuæ paret humiliùs Purpureę Maiestati. Felix Carmele sub tanto Duce. Spinas, & tribulos terra non pariet, cùm Roseo Vernet Imperio: Tuis debemus laboribus, quòd pacifica tranquillitate nullis hostium turpemur occursibus. Tuę Sapientię, quòd nulla erroris caligo mentem obnubilet. Tuæ Prouidentię, quod imminentia sępè mala incautos non feriant. Quiescimus tuis Sudoribus, otiaq; nostra Tua sollicitudo custodit. Illa Virtus, quę Te Pontificia in Curia toties ad excellentiora munera obeunda gloriosè prouexit, illa nostrę vtilitati, non inutiliter exercetur. Quę adeò in nos tanta est, vt prę cęteris amantissimè foueas, prouidè tuearis, in delicijs humaniter habeas vberrimo Tuę benignitatis fructu depascere; hinc rectè veluti Tuę in nos beneuolentię Monimentum, Theologicum hoc in Volumine idem Tibi vitę Liber dicatur, Qui, vt ait Angelicus, Respectu illorũ scitorum à Deo dici debet, de quibus aliquam specialem notitiam præ alijs habet. Adeant ergo, qualescumque sint Theologici mei flores, Tuisque Rosis pręstent obsequium. Aequum enim est, floribus obsequi Reginę florum, quę tota obsequitur, dum tota fundit odorem. Tot in Religionem collata beneficia, specialis in me humanitas Tua, ne pignus hoc amoris exhibeam, non patiuntur; Ingratum licet videatur, si Tuis colorare Rosis non desines, oculos alliciat Tuos, necessum est. Excipe munus cui reddat affectus vbertatem, si Magnificum Gloriæ, & Virtuti, Tuę, si Humile infantię meę adscribas velim. Viueq; Ælianis potius, quàm Nestoreis annis Æliani ordinis Vigilantissime Pręses. Faxitq; Deus, vt Rosei Tui Flores Sacro Vaticani Vertice consiti, Toti Terrarum orbi mira ad prodigium suauitate redoleant. Genuæ in Conuentu nostro Sanctæ Mariæ de monte Carmeli die Sanctissimæ eius Conceptionis ~~immaculatæ~~ M.DCLI.

Eminentiæ Tuæ.

Addictissimus seruus

F. Andreas Lao Carmelita.

Facultas A. R. P. Mag. Hyeronimi Ari Procuratoris, ac Commissarij Generalis Ordinis B. M. de Monte Carmeli antiquæ Obseruantiæ Regularis.

NOs Frater Hieronymus Ari S. T. Mag. nec non humilis Procurator, & Commissarius Generalis Ordinis B. V. Mariæ de Monte Carmeli antiquæ obseruantiæ regularis Authoritate nostra præsentium tenore Tibi dilecto Nobis in Christo R. admodum Patri Mag. Andreę Lao nostri S. Ordinis professo Sacerdoti licentiam concedimus, quantum ad Nos spectat, vt Secundum à te compositū Theologiæ Tomū ea omnia de quibus à 24. quæstione ad 64. vsque inclusiuè agit prim. part. D. Th. complectentem, & ab aliquo ex Magistris nostris Theologis ad id à nobis deputato reuisum, & approbatum typis mandare possis, ac valeas. In quorum fidem præsentes manu nostra firmatas, nostr oq; sigillo munitas dedimus Romæ, in Conuentu nostro B. Mariæ Transpontinę die 25. Nouembris anno 1651.

Fr. Hieronymus Ari Procur. & Comm. General. Ord. Carmelit.

Reu. Patris Mag Ludouici Malaspina Carmel Genuæ Sac. Theol. Lectoris, ac Regentis, in secundum Theologiæ Tomum R. Adm. P. Mag. Andreæ Lao Carmelitæ Approbatio.

SVb rosarum auspicijs prodeunt in Lucem hæ Theologicæ rosæ ex ingenij florentissimo viridario R. Adm. Patris Mag. Andreæ Lao Carmelitæ vernantes; vt quæ candidatę candore sapientiæ, purpurascant; longè felicius fabulosis illius Veneris, purpureis rosis. Ginetti Purpuræ. Vnde dixerim meritò Authori, *sicut fragmen mali punici, ita gena (rosæ) tuæ, absque eo, quod intrinsecus latet*. Extrinsecus enim venustatem premostrant, odorem vndique spirant; latet intrinsecus sana, & solida doctrina, quà mens D. Thom. propugnatur perpetuò, & explicatur, vt sapienter pateat, quod eminenter latebat. Quare non minus pulchritudine styli sum oblectatus, cùm profunditatem, & claritatem doctrinæ sim admiratus, dum iussu R. Adm. P. M. Hieronymi Ari Procuratoris, & Commissarij Generalis Carmelitarum has attentè prælibaui rosas. Qui vult ergo sapientiæ odore optimè olere, huc accedat, nēpe omnis Doctrinæ Thomisticæ cupidus, nā absit, vt hic spinas reperias; nihil enim nostræ fidei dogmatibus contrarium inueni, immo multa, quibus ipsa tuetur fides non leuiter. In offenso igitur pede percurrat Lector has olfaciendo rosas haud dubius, quod si tantum virum totius Italię plausibus in suggestis dicentem, audierit; inspiciens nunc in Theologico Liceo tam doctè scribentem, ex roseis hisce elucubrationibus serrum nectens, Auctoris capiti imponat, & mecum ipse subscribat, ex vtraque Cęsar. Datum Genuæ in nostro Carmelo die 18. Nouembris. 1651.

Fr. Ludouicus Malaspina Carmel. Regens Genuæ.

Aprobatio Ad. R. P. F. Pauli Hieronimi a Sancto Marcello Carmelitarum Discalceatorū Definitoris Prouincialis Sacræ Theol. Lect. & S. Officij Inquis. Genuæ Consul.

PRodit in Lucem R. Ad. P. Magistri Andreæ Lao Theologici operis Tomus alter, nō minorem Mundo lucem difusurus, quàm prior præstitit, nec inæquali fæcundus sapientia, cùm eamdem prorsus Angelicę pariat doctrinæ veritatem. Quis maturos hosce ingenij fructus non excipiet, quorum dulcedine fuit iam oblectatus? quis nouas laudibus laudes non inseret, dum noua operibus opera author intexit? Mihi sanè non modicæ fuit voluptatis hunc mandante Reuerendiss. Patre Magistro Inquisitore per legere, in quo tam subtilitas in dicendo, quàm claritas in explanando me non parum illexit; multumque reperi quod sapientum in genijs prodesse, nihil quod innocentię, fideiq; orthodoxe obesse possit; Dignumq; arbitror quod communi prodeat vtilitati, illumq; non sine fructum non sine plausu vniuersa lycæa amplectentur. Dat. Genuæ In Conuentu nostro Sanctę Annæ Die 16. Nouembris 1651.

Fr. Paulus Hieronimus à Sancto Marcello.

IMPRIMATVR

F. Prosper Bagarotti Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Magister, Inquisitor Generalis Genuę.

Ad Lectorem.



Iraberis fortè, Amice Lector, hoc Secundum Theologię Volumen sub P. Mag. Andreę Lao Carmelitæ Antiquæ Obseruantiæ Regularis Nomine in lucem prodire; Primum tamen sub P. Andreę à Cruce Carmelitę Excalceati Nomenclatura editus sit; proinde cùm eadem Vtriusque Tomi sit Authoris Persona, ipsissimus stylus, ac inuariata, & indiuidua D. Th. Doctrina; & solùm mutatus Obseruantiæ status appareat; ex nudo facto deduces, sed immeritò, (sicut à Nonnullis inter radios meridianos cęcutientibus, *Lippientibus enim oculis singularis lucerna numerosa est;* callidè hisce diebus obtrectabatur;) Me de Excalceata ad Carmelitanam Antiquam Religionem, ex leuitate, aut alijs friuolis motiuis irrationabiliter rediisse. Deciperis, cùm Veritas in contrarium proclamet. In moralibus enim Circumstantiæ sæpè sępius humani Actus speciem mutant, quas Prudens, ac æquus rerum librator expendere tenetur; vt maturum, rectum, verum, non fucatum, phantasticum, ac temerarium proferat iudicium. Scias ergo, Me inter R. P. Carmelitas ferè viginti annorum spatio vitam traxisse; strictioris postea obseruantiæ desiderio excitatus; petita à R. P. Carmelitarum Priore, sed non expectato Responso, ad R. P. Carmelitas Excalceatos, non mediocri deuotione ex Dei gratiæ largitate, transiui. At Antiqua mea Religio hoc ægrè ferens; apud Sac. Cong. & Eminentissimum totius Carmeliti Cætus Protectorem, Iuridicè, efficaciter, incessanter de talis transitus inualiditate conquæsta est; & post quatuor annos agitatę litis ex parte vtriusque Religionis, post varia hinc inde argumenta, instantias, & defensiones; tandem ob Decretum Sac. Cong. ab Ad R. Mag. Lezzana *lib. de Var. Consul. Consul. XVII.* relatum, (cui Te, ne hìc, vbi de Diuinis speculatiuus est sermo, impertinenter tædio afficiam, suppliciter remitto) Romam pergere adstrictus, ibidem coram Eminentissimo Protectore, 21. Octob. 1651. Instante, ac irreparabiliter sub peccato mortali Apostasiæ, & alijs censuris dicto Sac. Cong. Decreto præcipiente, ad Priorem Vetustissimam, ac benignissimam Religionem iussus sum redire. Et hęc pro æternæ Veritatis Monimento, Te candide Lector admonere, operæ pretium duxi. Vale.



INDEX COPIOSISSIMVS

Quæstionum, & Articulorum D. Thomę.

Disputationes, Dubia, & Quæsita huius Voluminis etiam præcontinens.



* Dub. 1.

ARTI-

ARTI-

Petes

QVAEST. XXXXVI. D. Th.

De principio durationis rerum creatarum.

QVAEST. XXVII. D. Th.

De rerum distinctione in Communi.

QVAEST. XLVIII. D. Th.

De distinctione rerum in speciali.

Disp. 255.

QVAEST. LI. D. Th.

De comparatione Angelorum ad corpora.

ARTICVLVS I.

ARTICVLVS II.

ARTICVLVS III.

QVAEST. LII. D. Th.

De loco Angelorum.

ARTICVLVS I.

ARTICVLVS II.

ARTICVLVS III.

QVAESTIO LIII. D. Th.

De motu Angelorum.

ARTICVLVS I.

Disp.

Petes 5.

Petes 7.

ARTI-

Dub. 2.

Finis Tabulæ.

Errores, qui circa Titulos, ad normam huius Indicis dispunge; cæteros, qui circa materiam irrepserunt, in calce libri correctos reperies.



QVAEST.

QVÆST· XXIV· D· TH·

DE LIBRO VITAE:

ARTICVLVS PRIMVS,

Vtrum liber vitæ sit idem, quod Prædestinatio?

SVMMA ARTICVLI D. TH.



Onclusio. Liber vitæ est idem, quod Prædestinatio secundùm rem. Prob. notitiaP rędestinatorum est idem re cum Prędestinatione, & differens ratione. Sed liber vitæ est notitia Prædestinatorum. Ergo &c. Prędestinatio enim est, qua Deus ordinat Creaturam rationalem in finem vltimum, & liber vitæ est notitia, & firma notitia eorum, qui sunt ordinati.

Arg. 1. Nouum, & vetus Testamentum nõ sunt Prædestinatio. Sed liber vitæ est nouũ, & vetus Testamentum. Ecclef. 24. ergo &c. Resp. ad mi. Librum vitæ dici multipliciter; nam ficuti liber militiæ dici potest primò ille, in quo scribuntur nomina militum; secundò ille, in quo scribitur res militaris; tertiò ille, in quo scribuntur facta præterita militum; ita liber vitæ potest dici ille, in quo scribuntur nomina Electorum ad vitam, seu ij, qui ad vitam eliguntur, & hoc pacto hic accipitur liber vitæ; Secundò potest dici ille, in quo scribitur modus perueniendi ad vitam, & sic nouũ, & vetus Testamentum dicitur liber vitæ; tertiò potest dici liber vitæ vis illa diuina, qua fiet vt vnicuiq; opera sua bona, vel mala iam præterita in memoriam reducantur, & ex hoc patet responsio ad 2. argumentum.

Arg. 2. vis diuina non est prædestinatis, sed magis pertinet ad attributum potentiæ. Sed liber vitæ est vis diuina ex Aug. 10. de Ciuit. Dei ergo. Resp. vt suprà ad 1.

Arg. 3. Si Prædestinatio esset liber vitæ, Reprobatio esset liber mortis, Reprobatio enim Prædestinationi opponitur. Sed non datur liber mortis. Ergo &c. Resp. neg. sequelam: & ad probat. dicimus, quia ad inuicem contrariantur, sequi oppositum; quia non est consuetum scribi eos, qui repudiantur, sed tantùm eos, qui eliguntur, & propterea Reprobationi non respondet liber mortis, sicut Prædestinationi liber vitæ.

DISPVTATIO CXXXXVII.

An liber vitæ sit formaliter idem, ac Prædestinatio.

1

Liber dupliciter accipitur materialiter, & formaliter.

A*Duertendum est, quod liber apud nos, accipi potest primò veluti materialiter; secundò veluti formaliter: primo modo dicit illud materiale quidquid sit, in quo aliqua scribuntur, & huic correspondet in re nostra Diuinus intellectus; secundò dicit ipsam scripturam, quæ est veluti forma constituens, ac distinguens libros, vndè alij dicuntur libri Theologici, alij Philosophici &c. & huic correspondet diuina notitia; quia hic maximè sermo est de diuina notitia formaliter, hinc in articulo, liber dicitur esse notitia Dei &c.*

Sicut scriptura est signũ &c.

Notat præterea S. Doctor, quod sicut scriptura alicuius libri est signum eorum, quæ per scripturam significantur: ita notitia, quam habet Deus in mente sua omnium Prædestinatorum dicitur respectu sui intellectus signum: hoc autem signum non est ad placitum, sicut scriptura, sed naturale, quatenus cognitio diuina repræsentat intellectui Diuino tale obiectum; His prænotatis sit.

ità Prędestinatio in mente Dei.

2

Prima Concl.

Prima Conclusio. Datur liber vitæ. Probatur ex authoritate scripturæ, nam Exod. 12. dicitur: Dele me de libro tuo, quem scripsisti. *& Deus respondet,* Qui peccauerit mihi delebo eum de libro vitæ, *Psalm.* 138. in libro tuo omnes scribentur.

2. Concl. liber vitę est quid increatum.

Secunda Conclusio. Liber vitæ non est aliquid creatum, sed increatum. Prob. à D. Th. q. 7. art. 1. de verit. liber vitæ dicitur illa conscriptio per quam principalis Author vitæ æternæ, qui est Deus, dirigitur ad vitam illam conferendam. Deus autem non dirigitur ab aliquo creato, cum sit regula à nullo extrinseco directa: vndè liber vitæ, secundùm quod de eo loquimur aliquid increatum dicit. *Qua ratione deindè ibidem ad scipsum probat, scientiam, quam anima Christi habet de omnibus saluandis, non posse dici librum vitæ,* quia, *inquit,* ex hac cognitione non dirigitur Deus, sed ex cognitione increata, quæ est ipse.

3

3. Concl. dicitur in diuinis per metaphorã, nõ per proprietatem.

Tertia Conclusio. Liber vitæ in Diuinis dicitur per metaphoram, non per proprietatem. ita S. Th. hic. Sequitur ex 2. Conclusione de libro vitæ, quod sit aliquid increatum. Nihil autem increatum dici potest propriè liber, qui secundùm propriam vocis significationem importat aliquid materiale, & creatum. Metaphora verò consistit in hoc, quod sicut liber materialis dicitur, qui continet figuras, seu characteres, quibus significantur res in illo scriptæ, & quæ per illum cognoscuntur, ita in Diuinis illa perfectio dici potest liber vitæ, in qua continentur similitudines cuiuslibet vitæ in particulari, & omnium particularium viuentium, per quas cognosci possunt.

Sicut intellectus possibilis dicitur metaphorice, tabula, ita &c.

Sicut .n. intellectus possibilis ab Arist. 3. de Ani. tex. 14. *antequam actu intelligat, dictus metaphoricè est:* Tabula, in qua nihil est scriptum actu; *ita intellectus actu intelligens dici pariter potest per metaphoram, tabula scripta, & liber scriptus: hæc autem perfectio in diuinis nihil est aliud, nisi ipsa formalis notitia, ac repræsentatio vitæ omnium viuentium, nimirum per æternam gloriæ vitam, quæ est perfectissima, ac simpliciter vita, quæ per Dei prædestinationem habetur.*

4

Cõcl. liber vitę à Prędestinatione differt secundùm a-tionem. quia prędestinatio est cognitio directa, liber vitę quasi reflexa.

Quarta Conclusio. quæ directò correspondet quæsito articuli. Liber vitæ à Prædestinatione differt secundùm rationem. *Et S. Th. hic ad 4. & probat, quia liber vitæ, vt patet ex scripturis,* importat notitiam *prędestinationis. quoniam verò prædestinatio secundùm D. Th. ex probatis suprà q. 23. art. 1. est non solum ex parte voluntatis efficax, & absoluta quorumdam electio ad gloriam, sed etiam, immò principaliùs ex parte diuini intellectus, & practica notitia mediorum efficacium, & infallibilium, per quæ dirigi debent ad gloriam, qui ad illam electi sunt, liber vitæ non erit formalis ista directa, & practica notitia, sed alia quasi reflexa, & speculatiua notitia, tùm electionis, tùm etiam prædictæ notitiæ practicæ, quia libri reflexa notitia, Deus, vt ait S. Th. de ver. q. 7. a. 1. ad 14.* cognoscit se *cognoscere: neq; .n. in libro suo Deus haberet prædestinatos perfectè descriptos, nisi videret non solum puram finis electionem factam puram finis electionem factam per suam liberam voluntatem de omnibus, & singulis prædestinatis, sed etiam mediorum gratiæ præparationem, ac imperium factum per infinitam intellectus sui sapientiam,* quibus, *vt ait August. de bono perseu.* 14. certissimè liberantur, quicumq; liberantur. *Cum igitur hi diuini actus differant solùm secundùm rationem cum fundamento in re, liber vitæ, & prædestinatio distinguuntur sola ratione ratiocinata.*

5

Obiectio.

Arguitur in Deo non solum est scientia prædestinatorum, sed etiam reproborum; ergo non solum est ponendus

in

in Deo liber vitæ propter prædestinatos ad vitam æternam, sed etiam liber mortis propter reprobos ad æternā mortem damnatos.

Resp.neg.consеq.

Resp. neg. conseq quia non est consuetum conscribi eos, qui repudiantur, sed eos, qui eliguntur, v.g. si conscribendi sunt milites, conscribuntur quidam electi, non vel qui omnes, qui non eliguntur; quæ congruentia satis esse debet ad saluandum modum loquendi scripturæ, vbi nunquam fit mentio diuini libri mortis, hoc est, priuationis vitæ, sed semper libri vitæ.

Liber mortis sufficienter habetur per librum vitæ.

Adde, librum mortis, hoc est priuationis vitæ, sufficiēter haberi per ipsum librum vitæ, nam, vt docet Alensis 1. q. 23. membro 2. sicut luce cognoscuntur tenebræ, non tamen ibi videntur: sic in libro vitæ cognoscetur mors, non tamen ibi videbitur, vel legetur, quia non cognoscetur ibi mors per essentiam, sed per priuationem; & ita non potest dici per se, nec proprie liber mortis, sed vitæ. *Præterea in Deo, qui est fons vitæ, imò est ipsa vita, & nullam in se mortis rationem habet, nulla congrua ratione cogitari potest liber mortis.*

6 Instabis.

Dices: apud nos solent etiam conscribi ij, qui sunt puniēdi, rebellis alijs, ergo stando in metaphora sumpta à rebus nostris, posset in Deo poni liber mortis.

Resp. descriptionem puniendorum, esse solùm ad tempus.

Resp. ex D. Th. loco cit. de ver. talem descriptionem puniendorum apud nos esse solum ad tempus, & quasi per accidens, vt constet scripto de pœna infligenda, donec perficiatur, & posteà deleatur talium Reorum memoria; at verò propriè, & per se, & primariò homines in libris conscribuntur ad perpetuam illorum memoriam conseruandam, & his similis est liber vitæ in Deo. Addi potest, quod quamuis apud nos, aliqui ex professo, & per se in libris ad perpetuam in futurum infamiam conscriberentur, tamen in Deo alia est ratio, illud enim fieri potest, & solet apud nos ad terrorem, & aliorum exempla, & vt à malis auertantur operibus, vel ad alios similes fines, qui cessant in ordine ad Deum; atq; adeò in ipso solùm est liber vitæ, non verò mortis, licet ipse omnes damnatos, ac reprobos perfectissimè norit, vt supradictum est.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum liber vitæ sit solùm respectu vitæ Prædestinatorum.

SVMMA ARTICVLI D. TH.

Conclusio. Liber vitæ propriè respicit tantùm vitam prædestinatorum. Prob. id, ad quod aliquis eligitur, debet habere duas conditiones, scilicet, quod naturaliter non competat ei, qui ad id eligitur; & quod habeat rationem finis; non enim eligitur aliquis ad id, quod competit ei, secundùm suam naturam, nec ad id, quod non habet rationem finis: homo enim non eligitur ad esse sensibile, vel visibile, nec miles ad deferendum arma tantùm, sed ad pugnam. Sed vita gloriæ respectu Prædestinatorum habet has duas conditiones, cum sit suprà naturam ipsorum electorum, & sit eorum finis: ergo respectù eius tantùm est liber vitæ.

Arg. 1. liber vitæ, cum sit notitia vitæ, maximè debet esse respectu vitæ, per quam omnis vita cognoscitur, sed talis est vita Dei, ergo. Resp. neg. ma. quia liber vitæ est notitia electorum in vitam: electio enim non est respectu vitæ naturalis, sed supernaturalis, respectu eius, qui eligitur; at vita Dei est Deo naturalis, etiam vt gloriosa, propterea respectù Dei non est liber vitæ, cum Deus ad suam vitam non eligatur.

Arg. 2. si notitia vitæ gloriæ dicitur liber vitæ; ergo etiam notitia vitæ naturalis dicitur liber vitæ, quia sicut vita gloriæ est à Deo, ita & vita naturalis. Resp. neg. conseq. quamuis enim vtraque vita sit à Deo, tamen vita naturalis non est suprà naturam ipsius hominis, sicut vita gloriæ.

Arg. 3. multi eliguntur ad gratiam, qui non eliguntur ad vitam gloriæ *Ioa. 6* sed liber vitæ est cōscriptio diuinæ electionis, ergo. Resp. d st. mi. est conscriptio diuinæ electionis ad quodcumq; nego mi. ad id, quod habet rationem finis, concedo: & quia gratia non habet rationem finis, nisi in quantùm ad gloriā ordinatur, propterea respectu eorum, qui tantùm ad gratiam eliguntur, non est liber vitæ.

DISPVTATIO CIII.

Cur liber vitæ sit solùm respectu vitæ gloriæ Prædestinatorum.

Conclusio. Liber vitæ simpliciter, & absolutè, & prout de eo hic est sermo, est solùm in ordine ad vitam gloriæ; nam gloriæ competunt conditiones absolutè, & simpliciter dictæ: Primò enim electio non est ad id quod competit alicui secundum suam naturam, idest, quod est alicui vitā naturale, vt absolutè ad naturæ principia consequatur; & sic non dicitur animal eligi ad habendum sensum, & hominem eligi ad habendas manus &c. non est autem necessarium, vt id ad quod aliquis eligitur, sit aliquid supernaturale, vt constat in exemplo militum, qui eliguntur ad pugnandum, sed satis est si modo dicto, non sit aliquid necessario consequens ad principia naturalia, & maximè si sit supernaturale, vt est in casu nostro patriæ gloria, & sic hanc primam habet conditionem. 7 Concl. est affirm. Ratio, quia gloriæ competunt conditiones absolutæ.

Alia conditio est, vt id, ad quod aliquid simpliciter eligitur, habeat rationem finis, & terminus alicuius, non autem medij simpliciter ad aliud, sic miles non eligitur, vt armetur, vel vt habeat equum &c. sed vt pugnet, seu ad pugnam, & quamuis pugna ordinetur ad victoriam, tamen conscriptio militum, vt sic est ad pugnandum, siuè sequatur, siuè non sequatur victoria; In serie autem nostra supernaturali gloria se habet, vt finis, omnia autem auxilia supernaturalia, & gratia ipsa sanctificans sunt media ad gloriam, & ad alia, vt ordinentur ad gloriam, & sic concluditur. Vndè propriè liber vitæ respicit vitam gloriæ. *Ex quo etiam sequitur, quod in libro vitæ simpliciter sunt solùm scripti prædestinati ad gloriam.* 8 Id ad quod aliquod eligitur debet habere rationē finis.

Dices. Notitia diuina, quam habet Deus de omnibus rebus naturalibus, & maximè habentibus vitam, cur non dicatur liber vitæ? item cur saltem notitia diuina de vita gratiæ Sanctorum, cur non dicatur liber vitæ, sicuti dicitur de vita gloriæ? 9 Instabis.

Resp. solutionē patere ex Conclusionis doctrina, cū n. ad vitā naturalē, & ea, quæ illā ex se consequuntur non sit propriè electio, vt dictu est, hinc notitia illius nō est propriè liber vitæ, licet omnia sint vita in Deo: Quod si aliquis velit comparare harū creaturarum Donum Creationis in ordine ad illas, quas Deus nō creauit, sed reliquit in suo nihilo, & sic hoc donum vocare electionem aliquam, & intellectionem horū diuinā vocare librū vitæ, latè sumpto vocabulo, parum refert, & illa appellat S. Th. q. 7. de ver. a. 3. Resp. notitia vitæ naturalis non est propriè electio.

Item quia vita gratiæ nō habet rationē finis in hac nostra serie, sed medij ad finē: hinc ad vitā gratiæ non dicitur aliquis eligi, nisi in quantū vita gratiæ ordinatur ad gloriā: *eligitur. n. ad gratiā propter gloriā: & quia gratia dupliciter potest ad gloriā ordinari: primò secundùm præsentē Iustitiā tantùm in mente diuina; secundò formaliter, & absolutè, hinc qui habent gratiā sanctificātē, sed tamen nō sunt in ea morituri, dicuntur electi secundùm quid, idest tantùm secundùm præsentē Iustitiā: quia secundùm præsentē Iustitiam dicunt ordinē ad gloriā,* & similiter nō dicuntur simpliciter scripti in libro vitæ, sed secundùm quid: *scilicet se-* 10 Vita gratiæ non habet rationem finis, sed medij in hac nostra serie.

cet secundùm præsentē Iustitiā tātùm habent ordinē ad gloriā, nō autē finaliter, quod requireretur, vt dici possent simpliciter scripti in libro vitę: sed propriè de hac re art. seq.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum aliquis deleatur de libro vitæ.

SVMMA ARTICVLI D. TH.

COnclusio. Qui sunt scripti in libro vitæ simpliciter non possunt inde deleri; possunt verò scripti secundùm quid, scilicet secundùm gratiam tantùm. 1. Pars. prob. Qui ordinantur in vitam æternam ordinatione, quæ non potest deficere, non possunt deleri de libro vitæ; sed qui sunt scripti in libro vitæ simpliciter, scilicet ex prædestinatione, ordinantur in vitam æternam, ordinatione, quę non posset deficere, ergo.

2. Pars prob. Qui ordinantur in vitam ęternam per id, à quo possunt deficere, & non consequi ipsam, possunt deleri de libro vitę: sed qui sunt scripti in libro vitę tantū secundùm quid, ordinantur in vitam ęternam per id, à quo possunt deficere, scilicet per gratiā, à qua per peccatum mortale excidere possunt; ergo.

Arg. 1. à pręscientia, & prædestinatione Dei non potest aliquis subtrahi, iuxta August. 20. de Ciuit. Dei, cap. 15. liber vitæ est pręscientia Dei. ergo. Resp. ad mi. aliquid deleri de libro vitę potest dupliciter intelligi; vno modo, vt deletio, & mutatio referatur ad ipsam pręscientiam, & sic nihil potest deleri de libro vitę: alio modo, vt referatur ad librum vitę ex parte rerum scitarum, & sic ab eo possunt aliqua deleri, vt dictum est.

Arg. 2. à libro ęterno, & immutabili non potest aliquid deleri; sed liber vitę est ęternus, & immutabilis; ergo. Resp. dist. ma. à libro ęterno, & immutabili nō possunt aliqua deleri secundum esse, quod habent in eo, Conc. ma secundum esse, quod habent in se ipsis, nego: & sic res sunt mutabiles, & deleri possunt de libro vitæ.

Arg. 3. nullus potest de nouo scribi in libro vitæ; ergo nec ab eo potest deleri, quia deletio, scripturę opponitur. Resp. neg. absolutè ma: nam eo modo, quo aliquis dicitur deleri de libro vitę, dicitur etiam de nouo scribi; qui enim de nouo incipit per gratiam ordinari in vitam ęternam, de nouo scribi dicitur in libro vitę, & qui à gratia deficit dicitur de nouo deleri, quorum tamen nihil est nouum respectu diuinę scientię.

DISPVTATIO CIL.

An aliquis posit deleri de libro vitę?

11 Ex doctrina preced. art. colligitur declaratio huius disp.

EX *Doctrina superioris Articuli pendet huius solutio, quomodo scilicet possit aliquis deleri de libro vitæ cùm habeatur psal. 67.* deleantur de libro viuentium, *& consequenter videatur possibile, aliquem deleri de libro vitæ. Vt etiam colligi potest ex c. 31. exodi, vbi Moyses ait Domino:* Aut dimitte noxam populi huius, aut dele me de libro tuo: *cui Dominus respondit: Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo. Item Apoc. 12. dicitur.* Non delebo eum de libro meo.

S. Tho. ponit primo in hoc art. quorūdam responsionē.

Ponit ergo primo S. Doctor quorundam responsionem, qui dicunt, aliquos deleri de libro vitę secundùm opinionem, & notitiam nostram, quia scilicet innotescat nobis aliquos, qui priùs per gratiam, & bona opera apparebant conscripti, posteà verò per peccatum in hac vita, vel certè in alia vita per reuelationem, innotescat excidisse à gratia, & gloria, & sic esse deletos de libro vitę; & quamuis hæc responsio admitti posset, tamen nō satisfacit S. Th. qui putat, hanc deletionem intelligi posse etiam sine ordine ad Opinionem, & notitiam nostram.

12 Aliquis dicitur scribi in libro vitę ex eo, quod ordinatur ad gloriam.

Propterea ex Doctrina precedentis artic. docet quod aliquis dicitur scribi in libro vitę ex eo, quod ordinatur ad gloriam, potest autem aliquis ad gloriā ordinari, primò absolutè, & simpliciter, seu ex prædestinatione diuina, & hęc Ordinatio nunquam deficit: *& qui ità sunt scripti in libro vitæ non possunt deleri absolutè de tali libro; secundò secundùm quid, seu secundùm pręsentem Iustitiam per gratiam Sanctificantem, quamdiù enim ipsa durat, homo habet Ius, & ordinem ad gloriam, & hæc ordinatio potest deficere totaliter per peccatum mortale. Hi ergo, qui sunt scripti in libro vitæ solùm secundùm præsentem Iustitiam, seu secundùm quid quasi ordinari ad vitā æternam nō in se ipsa actu habendam, sed vt in causa tantùm, quæ est gratia, possunt deleri de libro vitæ, & delentur per peccatum.*

13 Deletio de libro vitę non refertur ad notitiam Dei; sed ad rem scitam.

Quia verò liber vitæ est notitia Dei increata, ne quis existimaret hanc deletionem fieri, quia notitia Dei mutetur: ita vt nunc cognoscat, quod priùs non cognoscebat, quod esset contrà dicta q. 14 art. 15. subdit. Vt deletio non referatur ad notitiam Dei, quasi Deus aliquid præsciat, & postea nesciat, sed ad rē scitā, quia scilicet Deus scit aliquē priùs ordinari in vitā ęternam, & posteà non ordinari, cum deficit à gratia. *quasi dicat, dicitur aliquis deleri de libro vitæ modo dicto, quia cum secundùm præsentem Iustitiam, & in ordine ad hoc tempus, præuisus fuerit à Deo ordinatus ad gloriam, ratione gratiæ, tamen in ordine ad aliud tempus, quo est in peccato, pręuisus fuit, vt nō ordinatus ad gloriam, & quidem si peccatum est finale, preuideatur vt absolute deletus de libro vitæ, in quo secundùm quid erat conscriptus: si verò peccatū non est finale, solùm præuidetur, vt deletus secundùm quid, seu in ordine ad tale tempus, non autem simpliciter, sed potiùs simpliciter est scriptus in libro vitę indelebiliter, absolutè, & simpliciter.*

Quę objicit D. Th. contrà prędicta.

Contra prędicta tria obijcit S. Doctor Primum argumentum petit, quomodo possit aliquid deleri à pręscientia diuina, cum tamen ipsa sit immutabilis: & responsio patet ex modo dictis. & idem argumentum ponitur 2. loco, & simili modo respondetur: quod scilicet, licèt res in Deo sint immutabiliter; *quia Deus nunquam mutatur, nec à sua cognitione, nec à sua voluntate,* tamen in se ipsis mutabiles sunt: *Tertiū argumentum petit, quomodo possit aliquis de nouo scribi in libro vitæ, scilicet vel secundùm opinionem, & notitiam hominum, vel secundùm præsentem Iustitiam, sicuti dictum est de deletione, quamuis hæc mutatio non sit noua in ordine ad notitiam ęternam.*

QVAESTIO XXV. D. TH.

De Diuina Potentia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in Deo sit Potentia.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COnclusio. In Deo nullo modo est potentia passiua, sed tantùm actiua. Prob. vtraq; pars. vnumquodque secundum quod est actu, & perfectum, secundùm hoc est principium

cipium actiuum alicuius, quod principium est potentia actiua. Et vnumquodque patitur secundùm quod est defficiens & imperfectum, & ita quod est potentia passiua non potest esse perfectum; sed Deus est actus purus, & vniuersaliter perfectus. ergo &c.

Arg. 1. sicut se habet materia prima, quæ est prima potentia ad actum, ita Deus, qui est primus actus ad potentiam; sed materia secundùm se considerata est absq; omni actu. ergo Deus, qui est primus actus nullam habet potentiam. Resp. dist. ma. sicut se habet materia prima ad actum, sic se habet Deus ad potentiam, quæ distinguitur contra actum, & non fundatur in eo, Conc. ma. & neg. mi. sic se habet Deus ad potentiam, quæ fundatur in actu, neg ma.

Arg. 2. si in Deo esset potentia, aliquid esset in Deo, vel extra Deum, quod esset meliùs ipsa Dei potentia, ex Arist. 9. met. t. 9. sed consequens est falsum. ergo. Resp. neg. seq. ad Arist. quod quando actus secundus, seu operatio est aliud à potentia, tunc oportet, quòd actus sit nobilior potentia; actio verò Dei non est aliud ab eius potentia, & essentia; & sic patet disparitas.

Arg. 3. Potentia est principium operationis; sed in Deo non est principium alicuius operationis, quia operatio diuina est eius essentia; ergo. Resp. dist. ant. in creatis potentia est principium operationis, ac termini distincti, Conc. ma. at hoc non est de essentia potentiæ, sed sufficit vt sit principium termini distincti, quamuis identificetur cum operatione, & sic est potentia in Deo in ordine ad creaturas producendas.

DISPVTATIO CL.

An in Deo sit proprijssima, ac perfectissima potentia.

14 Concl. affirm. est de fide. Prob. quia in Deo est principium effectiuũ rerum.

Certissima fidei veritas est, in Deo esse proprijssimè, ac perfectissimè potentiam, non quidem passiuam, vt probatum est in primo tomo q. 3. de simplicitate, sed actiuam, ad quam significandam, inquit S. Th. 1. dist. 40. q. 1. art. 1. nomen potentiæ primò impositum fuit, vt Auicenna dicit; *non autem esse actiuam actionum immanentium in ipsomet Deo, cuiusmodi sunt actiones intelligendi, & volendi, vt ostendi ibidē q. 4. sed solum actiuam omnium simpliciter effectuum, qui sunt extrà Deum, & essentialiter petunt procedere à Deo, prima causa immediatè in omnes influente, & consequenter potente influere, scilicet per intrinsecam sui agendi virtutem, & potentiam. Atq; in hoc sensu, arbitror dictum esse hic ad tertium.* Potentia in rebus creatis non solum est principium actionis, sed etiam effectus. In Deo saluatur ratio potentiæ quantùm ad hoc, quod est principium effectus; non autem quantùm ad hoc, quod est principium actionis, quæ est diuina essentia. *modo superest quærendū, an hæc potentia Dei in actu Dei libero consistat.*

15 Potentia Dei actiua simpliciter non consistit in actu libero diuinę voluntatis. Ratio, quia Deus ex natura sua habet, nō liberè posse producere creaturam.

Conclusio. Non est simpliciter dicendum, potentiam, Dei actiuam, & exequutiuam consistere in actu libero diuinæ voluntatis. ità Gonzalez hic disp. 78. Concl. 2. & sumitur ex D. Th. infra art. 5. ad 1. non ideò Deus potest, quia vult, sed quià talis est in sui natura.

Hinc ità argumentor, Deus ex natura sua habet posse producere Creaturas, quod, *inquit S. Th.* est naturale; *ità vt quamuis actu producere conueniat illi liberè, non necessariò, tamen posse producere conuenit illi necessariò, non liberè: alioqui nihil posset producere, nisi ea, quæ producere liberè voluit, & si nihil liberè producere voluisset, nihil posset producere: & in priori signo, in quo intelligimus voluntatem Dei indeterminatam, & liberam in actu primo, absq; vlla determinata volitione libera in actu secundo, & actualiter terminata ad vnum creatum obiectum potiùs, quàm ad aliud, intelligeremus naturam diuinam in se ipsa perfectè constitutam, quoad omnia sua intrinseca; realis potentiæ Dei actiua ad extra; quæ omnia sunt manifesta absurda; ergo diuina potentia non est dicenda simpliciter ipsamet volitio Dei libera in actu secundo.*

16 Oppos. sent.

Oppositam sententiam tenet Molina hic disp. 2. Concl. 2. videlicet potentiam Dei actiuam, & exequutiuam in actu diuinæ voluntatis libero consistere. pro qua.

1. Obiectio.

Arg. 1. Ex illo ad Ephes. 1. Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ, *& Psalm. 142.* Omnia quæcumque voluit Dominus fecit, *& Aug. in libro de speculo cap. 7.* Voluntas tua opus est, cui velle est posse; qui omnia, quæ ex nihilo creasti, sola voluntate fecisti. *Resp. his authoritatibus verè nihil aliud haberi nisi Deum operari ad extrà per summam libertatem, ità vt nullum operandi impedimentum, nullam indigentiam habeat. Illud enim,* velle est posse; *& illud,* sola voluntate: *non possunt excludere alia operandi principia; alioqui non solùm excluderetur potentia exequutiua, sed etiam contrà omnes, scientia practica, quæ etiam est causa rerum vt suprà qu. 14. art. 8. Excludunt. ergo omne extrinsecum impedimentum, & omnem intrinsecam operandi indigentiam.*

Resp. colligi, Deum operari ad extrà per summam libertatem.

17 2. Obiectio.

Arg. 2. Dato illo actu diuinæ voluntatis, & seclusa per impossibile in Deo quacumque alia virtute exequutrice, sequerentur res creatæ, ergo superfluè constitueretur in Deo aliquid aliud, quod rationem principij rerum immediatè sortiatur.

Resp. neg. Antec. præsupponi enim debet saltim ipsa voluntas, in actu primo libera, & quæ sit potentia exequutiua, cùm enim volitio libera in actu secundo quoad terminationem nihil addat in Deo, si hæc esset potentia, nihil realè, & intrinsecum esset in Deo, quod haberet rationem potentiæ, & immediatè principij realiter exequutiui, quod non videtur, conuenienter dici posse.

Resp. voluntatem deberi presupponi in actu primo.

DVBIVM VNICVM.

An potentia Dei exequutiua ab eius intellectu, ac voluntate formaliter distinguatur?

18 *Conclusio habet duas partes.*

Conclusio. potentia Dei exequutiua ab eius intellectu, & voluntate, tanquàm potentia adæquatè distincta, vel attributum adæquatè diuersum non distinguitur: Benè tamen distinguitur ratione, tanquàm principium inadæquatum intrà potentiam intellectiuam. Prima pars sumitur ex D.Thom. qui ità affirmat de Deo hic ad 4. & de Angelis opusc. 11. art. 3. quem sequuntur Caiet., Nazar., Gonza. hic disp. 78.

19 *1. Pars prob. quia potentia exequutiua, nō ponitur distincta ab imperatiua, nisi propter imperfectionem.*

Fundamentum huius primę partis potest esse, quia potentia exequutiua à volitiua, & directiua, seu imperatiua non ponitur distincta, nisi propter aliquam imperfectionem, quæ in potentia exequutiua reperitur. Potentia enim exequens à dirigente, & imperante distincta, habet se, vt instrumentum voluntati obediens, quandoquidem de se non est potentia cognoscens, aut volens, sed exequens, vt naturalis potentia subiecta, & regulata per potentiam imperantem; ideoque eius directioni subijcitur, & habet se, vt illi obediens, ac eius instrumentum; si enim non obediret, cæco operaretur modo, & non vt rationalis potentia, sed secundùm totam suam vim, vt virtus naturalis; sic ergo potentia exequutiua, quando à directiua, seu imperatiua distinguitur, solùm concurrit, & deseruit, vt instrumentum obediens, & exequens præcepta potentię intellectiuæ in ijs, quæ ad ipsam potentiam directiuam spectant, quatenus per se potentia intellectiua non potest exequi, quæ ad se pertinent, vndè tenetur per alteram potentiam operari.

20 *Aliquãdo vna potentia alteri*

Aliquando enim vna potentia alteri imperat, non vt purè exequenti, sed etiam vt proprias suas operationes

imperatæ, non vt purè exequenti, sed vt operanti, &c.

tiones operanti, licet quia dependentiam, & coordinationem cum alijs habent potentijs, ab eis moueri, ac dirigi possent; iste enim intellectus voluntatem, & voluntas intellectum mouent; istæ tamen potentiæ motæ suas etiam habent actiones, nec sunt alterius potentiæ operantis, & dirigentis merè facultates, ac potentiæ exequutiuæ. Nos autem hic loquimur de potentia purè exequutiua eorum, quæ ad potentiam dirigentem pertinent; itá vt potentia exequutiua aliã non habeat operationem, quàm id exequi, quod ab altera potentia imperatur, vel ordinatur, & hanc potentiam exequutiuam asserimus, nunquam distingui ab exequente, vel imperante, nisi propter aliquam imperfectionem vtriusque, nempè tam ex parte potentiæ imperantis, quàm ex parte potentię exequentis.

21 *Ex parte etiam potentiæ imperantis admittitur imperfectio, quia in se non habet sufficientem efficatiam.*

Ex parte quidem ipsius potentię imperantis admittitur imperfectio, quia in se sufficientem non habet efficaciam, vt res exequutioni mandetur; nec res ipsæ ad extra ei obediunt, vel subijciuntur, ideò indigent aliquo à se distincto, quo tanquàm instrumento res illę sibi subijciantur, & exequutionem habeant; sicut quia homo propria manu non habet scindendi lignum virtutem, serra indiget ad hoc, vt scindat, & quia suę imaginationi, ac voluntati, nec organa proprij corporis, nec corpora extrà se subijciuntur, propterea indiget virtute motiua, quę organa moueat, & corpora extrà se impellat. ex parte etiam ipsius virtutis exequutiuæ sequitur imperfectio, quia non est virtus se mouens, & agens, etiam in sua linea, & ordine, sed est potentia purè obediens, & mota, & gerit se per modum instrumenti respectu potentiæ dirigentis, & imperantis. potentiæ autem, quæ per se solùm, & principaliter sunt instrumenta, & mota, imperfectionem essentialiter important, ac proindè non possunt secundùm hunc conceptum in Deum transferri, vt ab alijs distinctæ quia ex ipsa distinctione prædictam contrahunt imperfectionem. his prejectis.

22 *Ex doctrina prædicta formatur Ratio, si in Deo daretur fundamentum distinctionis inter has potentias requireretur, &c.*

Prob. Concl. si in Deo daretur fundamentum distinctionis adæquate inter potentiam merè exequutiuam, & potentiam intellectiuam dirigentem, seù imperantem, haberemus fundamentum ponendi in Deo potentiam per modum instrumenti, & operantem tantùm, vt obedientem; hoc autem imperfectionem potentialitatis importat, vtpotè cùm habeat se, vt purè mota, si se habet, vt distincta per rationem, siquidem erit per rationem mota, & instrumentalis, & potentialis. Rursus ex parte ipsius potentiæ imperantis poneremus in Deo efficaciam minus plenam, & perfectam, & cui non plene subijciantur res ad extrà, & ità indiget compleri quoad hanc efficaciam ab alia potentia, quæ illi res ad extrà subijciat, & sic exequatur, Dei autem voluntati, & imperio perfectissime creaturę subiectæ sunt, multo magis, quam illa potentia exequutiua, si in Deo daretur; hæc enim esset diuina, & sic non operaretur ex subiectione ad intellectum imperantem; creatura enim ex plenissima subiectione ad Deum imperatur: ergo immediatè voluntas, seù Dei intellectus imperans immediatè agit in creatura, ac proindè in Deo non datur potentia exequutiua, siquidem non datur in Deo potentia subiecta, & ex subiectione operans; etiam per intellectum, nisi ficte; exequutiua autem potentia si ab imperante distinguatur, hoc ipso operatur ex subiectione ad imperantem, & supponit rem ad extrà, non plenè subijci efficacia imperantis secundùm se, quia indiget medio, quo exequatur, & faciat sibi subijci id, quod vult, & imperat.

23 *Voluntas ad mouendum intellectum, non indiget alio instrumento.*

Vndè videmus, quod voluntas ad mouendum intellectum, vel appetitum non indiget aliquo instrumento, vel potentia media talem motionem exequente, sed per se immediatè vna potentia mouet, & determinat aliam, siuè id fiat per aliquam sympathiam, vt multi putant; siuè per aliquam actionem, & impressionem vnius potentiæ in aliam, sed quidquid de hoc fit, tamen vna ex his potentijs mouet aliam per se ipsam, & non medio alio instrumento, quia de se perfectam efficaciam habet circà aliam, & alia perfecte ei subordinatur, vel coordinatur. Si ergo creaturæ perfectissimè Deo subordinantur, multo magis, quàm noster intellectus, vel appetitus voluntati, & voluntas, vel intellectus imperans habent plenissimam efficaciam de se, vtique sine media potentia exequentur, & mouebunt, sed immediatè per se ipsas.

Dices. Non obstante hoc, adhuc requiritur distincta potentia, non propter defectum efficaciæ, vel subordinationis, sed propter actionis necessitatem, quia videlicet ad exequendum, & operandum ad extrà, requiritur actio transiens; intellectus autem, & voluntas solùm habent actiones immanenter, & sic requiritur diuersum principium, & potentia. 24 *Instabis.*

Resp. non implicare, actionẽ immanentẽ habere vim trãseuntis: tum quia est eminentior; tum quia illam dirigit.

Sed hæc replica in nostra sententia locum non habet. actio enim immanens non repugnat, quòd habeat vim transeuntis, tum propter eminentiam super transeuntem, quia altior, & perfectior illa est; tùm quia de se est directiua transeuntis, & coordinatur illi, vt subordinat illam sibi; vndè de se petit habere vim mouendi, & tangendi aliquid extrà se, idest imprimendi in aliam potentiam, quam dirigit, & subordinat sibi; si enim potentiæ immanentes ex natura sua coordinatur, aut subordinantur, natura quoquè non debet deficere in necessarijs, vt videlicet possit agere, & imprimere in id, quod sibi subordinatur, quia aliter non potest commodè dirigere, & mouere illam, & si habeat plenam, & perfectam efficaciam dirigendi, & subordinandi, habebit quoque vim exequendi talem motum, quod est illam actionem virtualiter esse transeuntem, seù imprimentem in aliud. Sed esto non fiat hoc per actionem transeuntem, saltem fit per sympathiam, videmus enim, quod intellectus mouet voluntatem, & voluntas intellectum, & appetitum, & ipsam vim motiuam etiam mouet, & dirigit, vt obediat ei. Si hæc motio fit per aliquam impressionem actionis transeuntis, habemus intentum, quòd actio immanens virtualiter est transiens, vel saltem ipsamet potentia, quæ immanenter operatur, etiam transeunter mouet per se ipsam; & sic poterit etiam agere in exteriores res, si ipsa potentia sit perfectè efficax, & res exteriores plene ei subijciantur, sicut potentiæ interiores.

25 *Sympathia inter intellectũ, & voluntatem fundatur in colligatione potẽtiarum.*

Si fit per sympathiam sine actione media transeunte, multo magis habemus intentum, quia hæc sympathia fundatur in colligatione, & subordinatione potentiarum ità perfecta, & in tali subiectione vnius ad aliud, quod superiore potentia operante, aut volente, inferior statim ei patet, & operatur. ergo quod hæc sympathia non intercedat, & ista obedientia erit ex defectu subiectionis, & subordinationis vnius ad aliud, & ex defectu efficaciæ in superiori respectu inferioris. Creaturæ autem multo magis subijciuntur, & subordinantur Deo, quàm appetitus noster voluntati, & potentia motiua appetitui, & Deus pleniorem efficaciam de se habet in illas; ergo similiter per se ipsam diuina voluntas, & scientia habebunt exequutionem in illas sine alia media potentia exequutiua. Et eadem ratione Angeli, quia sunt perfecti Spiritus, & ex natura sua ordinati ad regenda, & mouenda corpora, ex se habent sufficientem efficaciam, & corpora sufficientem subiectionem, vt ab illis moueantur sine alia potentia exequutiua intermedia.

26 *2. Pars Concl. prob. quia est diuersa connotatio dandi esse effectui, ac cognoscendi effectum.*

Secunda pars nostræ cõclusionis ex argumentis infrà pro sententia Durãdi probata manebit: cõstat .n. ad distinguendũ in ipsa potentia intelligendi, vel volendi rationẽ principij emittentis, & producentis creaturas ad extrà, sufficientissimum fundamẽtum intercedere, ad distinguendum formalitatem, & rationẽ principij producentis, licet non rationem potentiæ motæ, & obedientis, seù subiectæ dirigenti, sicut exigit potentia exequutiua, quando est distincta in ratione potentię ab imperante, & dirigente. Itaque respectũ effectus ad extra, diuersa connotatio, & sufficiens fundamentum est ad distinguendum principium dandi esse effectui ad extra, aut intelligendi ipsum ad intra; principium actus purè immanentis, aut virtualiter transeuntis, attingentis tam Deum, quàm creaturas, & impossibilia, aut solùm res creatas possibiles, dando illis

illis esse, denique principium speculandi, aut practicandi cum efficacia ponendi in re, vel solùm volendi, & inclinandi in talem rem per modum ; id enim est causa producendi, non ipsum producere. Et sicut sapientia, & ars, & prouidentia distinguuntur inter eandem potentiam intellectiuam, vt rationes adęquatæ eiusdem intelligibilitatis,& virtutis intellectiuæ, & similiter in voluntate sunt diuersa attributa eiusdem potentię ; sic vis productiua in intellectu practico, vel in voluntate distingui potest, vt inadęquata ratio eiusdem potentię, non vt potentia distincta,& mota à voluntate. Importare autem potentiam exequutiuam rationem principij productiui erga creaturas ; & sic distingui secundùm rationem ab intellectu,vt est principium intelligendi, vel volútate, vt est principium volendi, S. Th. affirmat hic art. 1. ad 4. & q. 1. de potentia a. 1. ad 9.

27 *Oppos. sent.* Oppositam sententiam docet Molina, & Durandus in 1. dist. 38. q. 1. distingui in Deo attributum potentiæ exequentis ab intellectu, & voluntate, sicut in nobis distinguitur realiter potentia motiua exequutiua à cognoscitiua dirigente, & voluntate inclinante ; sic in Deo distinguuntur ista attributa ratione, non realiter.

Fundamentũ Durandi. Fundamentum Durandi vnicum est, quia in Deo datur fundamentum ad distinguendum ratione attributum potentiæ à voluntate,& intellectu,non minus, quàm alia attributa ; ergo non est negandum, distingui.Conseq.est certa. Antec. prob. tùm quia intellectus respicit, & attingit tàm rem increatam,quæ est Deus,quàm creatam, possibilia,& impossibilia; voluntas etiam attingit Deum, & creaturas, & voluntate inefficaci etiam impossibilia ; potentia autem exequutiua solùm rem creatam possibilem attingit; ergo habent sufficiens fundamentum, vt distinguantur ratione ; tùm quia intellectus, & voluntas secundùm suas proprias rationes dicunt actus immanentes; ille quidem cognoscendo, & dirigendo, ista liberè volendo ; exequutiua autem potentia dicit actionem trãseuntem,& non est formaliter volitio,sed ex volitione deriuatur ; hęc enim causalis est vera, Deus creat, quia vult, & à fortiori, quia cognoscit : ergo distinguitur à voluntate,& intellectu ratione : tùm deniq; quia voluntas,& omnipotentia considerantur in Deo per connotationem ad potentias,quæ sunt in nobis ; in nobis autem distinguitur voluntas à potentia exequutiua,seu motiua : ergo est in Deo per considerationem nostram:fauet huic sententiæ D. Th. hic art. 1. ad 4. ad primam solut.

28 *Fundamentũ Molinæ.* Molina hic art. 1. disp. 2. tenet, potentiam, seu principium operandi in Deo non esse intellectum, & voluntatem diuinam immediate, vt sunt potentia intelligẽdi,& volendi,sed ipsum actum liberum Dei, quo Deus determinatè vult, hoc esse in tali, vel tali tempore,esse immediatum principium creaturarum. Nam iste actus est efficax respectu obiecti sic voliti, & quacumque alia potentia exclusa, ex se est sufficienter efficax, vt res fiant, *quia hoc factum est, quod ipse voluisti*, Iudith. 9. & Ps. 142. *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit, & voluntati eius non est, qui resistat* ; ergo posita voluntare efficaci, nihil aliud requiritur,vt res fiat. Et sic meliùs intelligitur, quomodo Deus immutabili actu res omnes immutat, quando,& quomodo vult, solùm quia vult, sine hoc, quod interoedat alia actio, in qua hoc non ità commodè intelligitur.

29 *Resp.ad 1. fundamentum.* Resp. hæc argumenta probare secundam partem nostræ Conclusionis, scilicet distinctionem rationis in potentia exequutiua per modum inadequatæ rationis,& formalitatis principij operandi intra eandẽ potentiam intellectus, & voluntatis, non per modũ potentię adæquate distinctæ,& subordinatæ efficacię voluntatis.

Resp.ad 2.actũ voluntatis esse efficacem in suo genere. Argumenta verò Molinę probant, actum volitionis diuinę esse efficacem in suo genere, per modum, scilicet mouentis, & inclinantis ad operandum, & illa efficacia attingit effectum,vt actus mouens mediante imperio,& mediante ipso dicere intellectus, quo immediatè tangitur effectus. Non tamen probat, ipsum esse principium,& exequendi facultatem, sed vel esse ipsam exequutionem in actu, vel motionem actualem inclinantem intellectum, vt dicat imperatiuè,& dicendo operetur. Et sic Deus immutabiliter operatur, ea quia vult, non volitione illa,vt facultate,& principio,sed vt actione, vel mouente, & inclinante intellectum,vel actu exequente.

Petes 1. *Ex his duabus facultatibus, voluntatis, & intellectus, per quam proximè exercetur ipsa productio, & emissio creaturarum?* 30 *Petes 1.*

Respondet Vasq. hic disp. 102. cap.3. censere, voluntatem esse immediatum principium, quia appetitus est,qui immediate mouet,intellectus autem solùm excitat,& dirigit appetitum. In cap. autem 4. non vult,quod intellectus imperium sit ipsa potentia exequens,tùm quia existimat, talem actum imperij non dari, tùm quia si datur,est actus liber,qui posset abesse à Deo ; ergo non est ipsa potentia, seu principium exequendi ob eandem rationem, qua diximus, hanc potentiam non esse ipsam volitionem liberam. *Sententia Vazquez.*

Nihilominus, in hoc, quòd ipsa potentia non sit actus imperij, vt actus liber est formaliter, libenter cum Vasquez conuenio : est enim eadem ratio,ac de volitione libera voluntatis. Existimo tamen, actionem immediatè tangentem,& producentem creaturas, esse actum intellectus practicum, quo imperat Deus,& ad imperium efficax sequitur effectus ; iste autem actus imperij præsupponit antecedenter actum voluntatis, & elicitiuè est actus intellectus, voluntatis autem solùm est,vt inclinantis,& mouentis. Quarè facultas, seù principium exequendi pertinet ad vim ipsam intellectiuam,quatenus practica, & imperatiua, ad quam concurrit ars, & factiua, & prouidentia, vt præparatiua, & idæa vt exemplar, & ab his procedit imperium efficax, vt actus,sua efficacia non solùm dirigens,sed etiam efficiens in tempore id,quod imperat ; & sic talis actus non est facultas ipsa, seù virtus, sed talis virtutis actio, & exequutio. Quem actum imperij dari ostendimus supra q.23.a.1.agendo de actu, in quo consistit prædestinatio, & dicimus voluntatem non immediatè operari ad extra, nisi medio imperio ordinatiuo, & efficaci respectũ effectus faciendi. *Resp potentiã exequutiuam non esse actum imperij : vt actus liber est formaliter.*

Sic ergo ex opposito fundamento Vasq.oppositum inferimus,nempè quia datur talis actus imperij ab intellectu elicitus,& ex motione voluntatis præsupposita originatus, vt possit operatio ipsa ordinatè fieri ; & quia efficax est efficacia à voluntate orta, & antecedenti,vsque ad effectum ponendum se extendit. Certè D. Th. opusc. 11. affirmat, Angelos mouere Cælos actu intellectus, scilicet ipsa conceptione efficaci,qua practicè intelligunt. Et scriptura indicat, Deum per actum intellectus operari,quia *ipse dixit, & facta sunt,ipse mandauit,& creata sunt*. Ps. 148. Dicere autem est actus intellectus, & mandare est actus imperij. & *portat omnia verbo virtutis suæ* ad Hæbr. 1. &, *Verbo Domini Cœli firmati sunt*. Ps. 32. 31 *Actus imperij originatur ex efficacia voluntatis. ideò se extendit ad effectum.*

Bene video,non ità stricte istà loca probare,Deum operari per intellectum,quod debeat necessario intelligi de immediata elicientia,& productione:posset enim dici,quòd loquuntur de productione mediata, quia ad ipsum dicere intellectus sequitur immediatè efficacia voluntatis,sicut etiam aliquando insinuat Scriptura, quòd ipsa volitione Deus operatur, vt Ps. 134. *Omnia quæcumque voluit,Dominus fecit;* Iudith. 9. *Et illud factum est, quod ipse voluisti*, ad Ephes. 1. *Qui operatur omnia, secundùm consilium voluntatis suæ* ; & tamen nos exponimus ista loca de efficientia mediata, licèt reuera non aliud significent, quàm quòd omnia fiunt ad nutum diuinæ voluntatis, siuè hoc immediatè per voluntatem fiat, siue non, cur ergo non idem dicemus,quando Scriptura significat,quod verbo Dei, & ipso dicere eius res fiant? *Ista loca strictè nõ probant Deum operari per intellectũ &c.*

Quarè dicimus, quod Scriptura tam volitioni, quàm dictioni, seù imperio Dei attribuit rerum productionem, quia re vera ad vtrumque pertinet,quoad efficaciam, ad voluntatem ; quoad ordinationem, & dispositionem, ad vim practicam intellectus. Sed quod *Scriptura tam Dei volitioni, quàm imperio attribuit reru productionẽ.*

quod nam ex his sit immediatius productioni, & eliciat effectuum exequutionem Scriptura non determinat, sed hoc relinquitur disputationi Theologicæ, iuxta naturam ipsam voluntatis in mouendo, & imperij in ordinando, & intimando hanc efficaciã, quod videtur immediatius, & propinquius effectui, quia ipsa efficacia non peruenit, neque coniungitur alijs potentijs, vel agentibus, nisi vt manifestata, & ordinata per intimationem talis efficaciç, & hoc facit intellectus.

32 *Petes 2.*

Petes 2. *An per actionem transeuntem aliquid de nouo resultet in agente præter relationem ad effectum, vel passum?*

Vasq. sententia, & argumenta.

Vasquez in hac disput. 102. cap. 5. contra. Caiet. affirmat per actionem transeuntem nihil nouum resultare in agente præter relationem ad effectum, vel passum, tum quia Arist. dicit 5. Met. cap. 15. *relationes secundi generis esse tãtùm potentias, & actiones:* non ergo aliquid nouum præter actionem in ipso agente resultat; tum quia aliàs agens, in quantum agit, moueretur recipiendo illud absolutum, quod de nouo consurgit, quod negat Arist. 3. Phys. cap. 3. tum quia non potest explicari, quid sit illud absolutum in agente, in quo fundetur talis relatio.

Reijcitur, nam Relatio non potest de nouo fundari, sine noua mutatione, aut conceptu.

Sed hæc leuia sunt, nec quidquam probant. Certè nec ipse Vasquez explicare potest, quomodo relatio illa fundetur de nouo in agente, si in ipso nihil est de nouo, nam in ipsa potentia immediatè fundari non potest, cùm de se sit indifferens ad agendum, vel nõ agendum, & non semper in ea est relatio ad effectũ. Et sic non sufficit, poni ipsum effectum in rerum natura, vt consurgat relatio in potentia, sicut posita de nouo albedine, consurgit in alia albedine similitudo; quia albedo determinata est de se ad similitudinem cum alia albedine; & sic sufficit, ipsam albedinem poni, vt terminum; potentia verò non est determinata ad effectum, sed indifferens ad agendum, vel non agendum; indiget ergo in se determinari, vt consurgat relatio. Ergo quando est talis relatio, aliquid pro fundamento habet præter nudam indifferentiã potentiæ, scilicet modum aliquem, quo determinatur, & transit illa potentia de potentia ad actum, de otio ad operationem, & sic manet determinata, quandiù agit, qui modus, aut determinatio non est actio pro motu, seu actio effecta, & consummata; hæc enim cum termino, seu effectu identificatur, sed est inchoatio actionis, seu agentis determinatio, & actualitas in agendo.

Albedo de se determinata est ad similitudinẽ cum alia albedinem.

33 *Ad 1. testim. & 2. Arist. Resp. quod Nouitas actionis mutat agens pro vt est exiẽs de otio in actum.*

Et ad testimonium primum Arist. dicitur, quòd relatiua secundi generis sunt potentiæ, & actiones; sed non potentiæ nudæ, & in statu indifferentiæ ad agere, vel non agere, sed determinatæ, & actuatæ, vt ab illis actio egrediatur. Ad secundum dicimus non sequi, quòd agens inquantùm agit, moueatur, sed solùm inquantùm agit, mouet; sed si ipsum agens sit in potentia, & indifferens ad agendum, prout sic etiam indiget mutari, & transire de otio in actum; & sic nouitas actionis facit aliquam mutationem in agente, non vt agens, sed prout est exiens de otio in actum, vt inquit S. Th. 2. cont. Gen. c. 35. & in 2. dist. 1. q. 1. art. 5. ad 11. Nec tamen etiam agens, prout sic in potentia mouetur illamet actione, prout est motus, & prout est actio effecta, sic enim non est in agente, sed in passo, vbi est terminus motus, sed mutatur, & actuatur illa actione, prout est actualitas agentis, & determinatio quædam eius, seu transitus de otio in actum, de potentialitate in actualitatem, & de tali potentialitate in actum, mouetur ab alio agente, à quo excitatur, vel applicatur ad agendum, scilicet à Deo, qui vltimò determinat agentia creata, quæ sunt in potentia, & mouet illa ad actum; & sic non mouentur, inquantum agunt, sed vt sunt in potentia ad agendum, & prout sunt in potentia, non mouentur illamet actione sua, vt motus est, & est in passo, sed illa actualitate, & determinatione, quæ ex applicatione, seu motione superioris causæ determinantis oritur, & in ipso agente inchoat operationem, quatenus remouet à se realiter otium, & effluxum effectus inchoat, & constituit agens in statu non quiescendi; & ille status est modus aliquis in agente, qui inchoatiuè est actio, & facit formaliter transire agens de potentia ad actum, cùm applicatio, & motio Dei id faciat efficienter; & sic potiùs est mutatio quædam metaphysica, idest communis omni agenti, tam physico, quàm Spirituali; quàm motus physicus, qui solùm est in passo; & de hoc solùm negat Philosophus, moueri agens, vt agens, non de illa priori, quæ est mutatio agentis, vt in potentia est.

Ad 3. testimonium Arist. constat ex dictis, quid sit illud nouum, &c.

Ad tertium constat ex dictis, quid sit illud nouũ, quod fit in agente, scilicet modus, seu status operandi, quo determinatur, & manet in actu, & non in pura potentia, & otio, quæ determinatio, & modus prouenit à potentia, vt mota, & excitata, seu applicata à Deo; sic enim reducitur in actum secundum, & denominatur actù operans actualitate intrinseca sibi, dum actù operatur; cùm antea esset in potentia tantum, & statu otij, & quietis non agendo; & cùm in se intrinsecè esset non agens, in se intrinsecè debet mutari, vt agens sit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Potentia Dei sit infinita.

SVMMA ARTICVLI. D. TH.

Conclusio. Deus habet potentiam infinitam. Prob. Agens, cuius forma, quæ est sibi principium agendi, est infinita, habet potentiam infinitam; sed Deus est agens, cuius forma, quę est sibi principium agendi, est infinita; ergo &c. Ma. prob. quia quantò agens perfectius habet formam, qua agit, tãto maior est eius potentia in agendo; sicut quantò aliquid est magis calidum, tantò maiorem habet potentiam ad calefaciendum, & haberet vtique infinitam potentiam ad calefaciendum, si eius calor esset infinitus.

Arg. 1. Omne infinitum est imperfectum 3. Phys. t. 63. sed Potentia Dei non est imperfecta; ergo. Resp. dist. Ma. infinitum materiale est imperfectum, conced. ma. infinitũ formale, nego. Potentia enim diuina non est infinita infinitate materiali, sed infinitate formali; ideò est infinita, & maximè perfecta.

Arg 2. Habens potentiam infinitam potest producere effectum infinitum, aliàs esset frustra; sed Deus non potest producere effectum infinitum, quia effectus infinitus est impossibilis; ergo. Resp. dist. Ma. Agens vniuocum infinitum, si daretur produceret effectum infinitum, conced. quia potentia agentis vniuoci, tota manifestari debet in suo effectu, Agens ęquiuocum, neg. cum effectus agentis æquiuoci, semper sit speciei inferioris, Deus autem est agens ęquiuocum, non vniuocum.

Arg. 3. Qui habet potentiam infinitam, mouet in instanti; Arist. enim ait 3. Phys. t. 29. quod si potentia alicuius corporis esset infinita; moueret in instanti; sed Deus mouet creaturam Spiritualem per tempus, & corporalem per tempus, & locum, vt dicit Aug. 8. super Gen. c. 20. ergo. Resp dist. Ma. si agens esset corporeum, vt ait Arist. conced. Ma. nam si aliqua virtus infinita esset in corpore, esset agens vniuocum; si Agens est incorporeum, cum non sit vniuocum, sed ęquiuocum, moueret in instanti, sicut est Deus, nego Ma.



DIS-

DISPVTATIO CLI.

In quo formaliter consistat infinitas diuinæ potentiæ, & quomodo efficaciter probari possit.

34 Sententia Vasquez, quę quatuor in hoc art. obseruat, contra D. Th.

VAsquez in hoc art & infrà quæst. 45. art. 5. multa dicit D. Thomæ doctrinæ contraria; hic tamen solùm illum refutabimus in his, quæ ad istum articulum pertinent, vt ordo lucidus doctrinæ sanctissimi præceptoris in omnibus à nobis obseruetur, inquit ergo P. Vasq. quatuor in hoc art. Primum est ratio, quam hic affert S. Thom. ex infinitate essentiæ Dei, non probat absolutè, & simpliciter, potentiam Dei esse infinitam in suo genere, si ex parte obiecti non repugnat. Secundum est, probari potest infinitas diuinæ virtutis ex hoc, quod potest semper nouas rerum species in infinitum producere. Tertium est, infinitas potentiæ Dei probatur, velociùs, & velociùs in infinitum corpus mouere. Quartum est, potentia Dei est infinita in genere potentiæ, quia in productione singularium, terminum non habet, sed potest plura, & plura in infinitum, non solùm discursu temporis, sed etiam simul producere. Probatur, nam eiusmodi potentia terminum non habet; ergo est infinita.

35 1. Concl. infinitas diuinæ potētię requirit infinitatē simpliciter, quia identificatur cum essentia.

Oppositum tamen eius, quod docet P. Vasq. in his quatuor dictis, certum est, & commune apud omnes alios Doctores, & D. Thomæ Commentatores. Pro maius declaratione, & veritatis resolutione, primò Dico: infinitas diuinæ potentiæ ex suo proprio conceptu formali requirit infinitatem simpliciter in genere entis; & etiam in proprio genere virtutis operatiuæ ad extrà, & vtraque infinitas probatur optimè ex diuinæ essentiæ infinitate. Hæc Conclusio, quòad omnes eius partes demonstratur ratione D. Th. in art. nam quòd sit infinita simpliciter in genere entis, efficaciter probatur ex eo, quod essentia Dei, cum qua identificatur, est infinita simpliciter in genere entis. Quòd autem sit infinita etiam in proprio genere in ratione potentiæ per ordinem ab obiectum, etiã probatur euidenter ex eo, quod potentia Dei fundatur super eius actualitate, & quantitas potentiæ consequitur quantitatem actus. quantò enim aliquod agens est perfectiùs in forma, quæ est ratio agendi, tantò maior est potentia actiua eius, vt patet in exemplo calefactiui adducto in littera, ergo.

Reiicitur Vasquez nam Ratio S. Th. benè concludit.

Hinc patet, quod ratio S. Th. concludit, non solùm infinitatem simpliciter in genere entis (vt vult P. Vasq.) verùm etiam infinitatem in proprio genere virtutis operatiuæ ad extrà. Neque verò oportuit in particulari in hoc articulo explicare modum, siuè rationem infinitatis per ordinem ad obiectum, nam ob singulares, quas habet difficultates, per plures articulos erat diligenter examinanda, ad quæ si Vasquez respicere voluisset, à censura facilè abstinuisset, vt benè hic notat Nazar.

36 2. Concl. infinitas diuinę potentiæ non rectè probatur quòd semper potest nouas rerũ species producere.

Secundò dico, infinitas intensiua diuinæ potentiæ (quã hic præcipuè intendit probare S. Th.) non rectè probatur ex hoc, quòd potest semper nouas rerum species producere. Pro intelligentia huius conclusionis notanda est doctrina S. Thom. de potentia qu. 1. art. 2. vbi sic ait. Sciendum, quod quamuis potentia habeat infinitatem ex essentia, tamen ex hoc ipso, quod comparatur ad ea, quorum est principium, recipit quendam modum infinitatis; quem essentia non habet, nam in obiectis potentiæ, quędam multitudo inuenitur, in actione etiam inuenitur quædam intensio secundùm efficaciam agendi; & sic potest potentię actiuæ attribui quædam infinitas secundùm conformitatem ad infinitatem quantitatis continuæ, & discretæ, discretę quidem secundùm quod quantitas potentię attenditur secundùm multa, vel pauca obiecta; & hęc vocatur quantitas extensiua; continuę verò secundùm, quod quantitas potentię attenditur in hoc, quòd remissè, vel intensè operatur; & hęc vocatur quantitas intensiua. Prima autem quantitas conuenit potentię respectũ obiectorum; secunda verò respectũ actionis; istorum enim duorum actiua potentia est principiũ. Vtroque autem modo diuina potentia est infinita; nam nunquam tot effectus facit, quin plures facere possit; neque vnquam ità intensè operatur, quin intensiùs operari possit. Intensio autem in operatione diuina non est attendenda, secundùm quod operatio est in operante, quia sic semper est infinita, cùm operatio sit diuina essentia; sed attendenda est secundùm quod attingit effectum; sic enim à Deo mouentur, quędam efficaciùs, quędam minùs efficaciter. *Ex quibus constat, quod infinitas extensiua potentiæ Dei consistit in hoc, quod data qualibet creatura, possit Deus aliam, & aliam producere absque termino; intensiua autem infinitas in hoc sita est, quòd data qualibet creatura, possit Deus aliam in specie perfectiorem, & aliam, & aliam sine termino producere. Quo supposito, demonstratur conclusio; nam ratio, quam approbat P. Vasq. non consistit in hoc, quod data qualibet creatura; possit Deus aliam maioris perfectionis producere, & sic in infinitum: sed in hoc, quòd data qualibet, possit aliam, & aliam ergo eius ratio non probat infinitatem intensiuam diuinæ potentiæ per ordinem ad obiectum, sed solùm extensiuam infinitatem.*

37 Infinitas diuinæ potentię extensiua cōsistit in hoc, quod possit aliam, & aliã producere: intensiua vero; quod data vna possit perfectiorē producere.

Cōfirm. quia si Deus sēper de nouo produceret imperfectiores, nō ex hoc argueretur eius infinitas intēsiua.

Confirm. & explicatur. posset Deus, si vellet, nouas rerum species semper producere, non quidem perfectiores his, quæ modo sunt, sed imperfectiores; ergo præcisè ex hoc, quòd possit semper nouas rerum species producere, non rectè colligitur infinitas suę potentiæ intensiua per ordinem ad obiectum, nisi aliquid aliud addatur. Conseq. est nota ex dictis; Antec. verò prob. nam sicut potest Deus semper perfectiores species producere his, quæ modo sunt, ità etiam poterit alias minùs, & minùs perfectas.

38 3. Concl. infinitas diuinæ potentiæ non probatur rectiùs ex hoc, quod possit velociùs, & velociùs in infinitum, corpus mouere.

Tertiò dico, infinitas diuinæ potentiæ non probatur rectè, & exactè ex hoc, quòd actu eam virtutem habet, qua potest velociùs, & velociùs in infinitum, corpus mouere. Prob. 1. quia vt rectè argumentatur Suarez, ex hoc, quod est posse mouere corpus velociùs, & velociùs in infinitum, solùm colligitur infinitas quædam secundùm quid, nempè in effectu satis limitato, & imperfecto; ergo per hanc viam non probatur rectè, & exactè infinitas diuinę potentiæ. Conseq. patet; quia eiusmodi infinitas, est infinitas simpliciter intensiuè, & extensiuè. Antec. verò prob. nam Angelus inferior naturaliter habet virtutem ad mouendum corpus velociter; ergo Angelus ille superior potest illud mouere velociùs, & alius Angelus iste superior, poterit velociùs; & sic in infinitum: cum enim non detur terminus in perfectione Angeli creabilis, neque etiam dabitur terminus in virtute mouendi velociùs, & sic etiam virtuti creabili conuenire potest iste modus infinitatis, ex quo Vasq. probare nititur diuinę potentię infinitatem.

39 4. Concl. non benè prob. diuinæ potentię infinitas, quia in singulariũ productione, terminũ non habet.

Quartò dico, non benè probatur infinitas diuinæ potentię, quia in singularium productione terminum nõ habet, sed potest plura in infinitum, non solùm discursu temporis, sed etiam simul producere. Hęc Conclusio intelligitur à nobis, sicut ab authore contrariæ sententiæ de infinitate singularium eiusdem speciei; nam quid censendum sit de infinita multitudine distinctarum specierum, dictum est à nobis conclusione secunda. Similiter aduertendum est in præsenti, nos omninò præscindere ab illa quæstione, vtrum Deus simul, vel successiuè possit producere infinitum numerum rerum actu existentium in propria earum duratione; nam quidquid sit de hoc, asserimus in præsenti, non benè probari infinitatem diuinæ omnipotentiæ ex productione infinitorum suppositorum, aut indiuiduorum eiusdem speciei, siuè talis productio fiat simul, siuè successiuè. Prob. Concl. primò, quia eiusmodi infinitas, si dabilis esset, posset effici à causa finita superioris ordinis habente infinitatem secundùm quid; nam si motus cœli in infinitum duraret, Cœlum mediante illo, causaret infinita supposita, & indiuidua eiusdem speciei, & similiter actu, si actù possent separari omnes partes continui, posset alicuius Angeli superioris virtute effici ista separatio.

Secundò prob. Concl. quia ex eo, quòd potentia Dei possent produci infinita eiusdem rationis indiuidua, solùm colligitur, eiusmodi potentiam habere quandã infinitatem extensiuam, vt ex verbis D. Th supra relatis apertè constat; ergo per hoc medium non benè probatur diuinæ potentiæ infinitas, quæ non solùm est infinitas extensiua, sed etiam intensiua.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Deus sit Omnipotens.

SVMMA ARTICVLI D. Th.


CONclusio. Deus est omnipotens. Prob. ille, cuius potentia se extendit ad omnia possibilia absolutè, est omnipotens, sed potentia Dei se extendit ad omnia possibilia absolutè, quia est potentia, quę fundatur super esse infinitum, & vnicuique potentiæ actiuę correspondet possibile proportionatum; ergo. Ma. prob. & declaratur, quia aliquid potest dici possibile dupliciter: vno modo per respectum ad aliquam potētiam, sicut quod subditur humanę potentię, dicitur possibile homini, & ille, cuius potentia se extendit ad possibilia tantùm non dicitur omnipotens. Alio modo dicitur possibile omne id, quod non implicat contradictionem; & ille, cuius potentia se extendit ad possibilia absolutè dicitur omnipotens.

Arg. 1. Quod est omnipotens, potest moueri, & pati, quia moueri, & pati est omnium posse, sed Deus non potest moueri, & pati; ergo. Resp. neg. Ma. & ad prob. moueri, & pati spectare ad potentiam passiuam, non ad actiuam: Deus verò dicitur Omnipotens per modum potentię actiuę.

Arg. 2. Qui est omnipotens, potest peccare, quia peccare est aliquid agere; Deus non potest peccare; ergo. Resp. neg. Ma. & ad prob. quòd posse peccare est posse deficere à perfecta actione, quod Dei Omnipotentię repugnat.

Arg. 3. Qui non habet maiorem potentiam, quàm sit ea, qua miseretur, & parcit, non est omnipotens, quia multa alia opera sunt admirabiliora, vt creare; sed Deus non habet maiorem potentiam illa, quam ostendit, dum miseretur, & parcit, vt in Collecta, ergo. Resp. neg. Mi. & ad prob. Deum ostendere suam omnipotentiam, maximè parcendo tripliciter contingit; primò quia peccatis parcere est superioris. 2. quia hominibus parcendo; perducit eos ad participationem infiniti boni. 3. quia misericordia est fundamentum omniū diuinorum operum.

Arg. 4. Si omnia sunt possibilia potentię, secundùm quam indicādum videtur aliquid possibile, vel impossibile, nihil erit impossibile, ac proindè omnia erunt possibilia, & non necessaria. Resp. dist. ly possibile, & impossibile, vel absolutè possunt considerari secundum se, vel per comparationem ad potentiam creatam; si primo modo considerentur, id, quod est possibile secundùm se, vel impossibile respectū cuiuscumque potentię, erit possibile, vel impossibile: Secundo modo, id quod est impossibile respectu potentiæ creatæ, potest esse possibile respectu diuinę.



DISPVTATIO CLII.

Vnde sumatur Creaturarum possibilitas.

Petes 1.

PEtes 1. An possibilitas absoluta, & Logica, ratione cuius aliquid sit obiectum omnipotentiæ, in hac habitudine terminorum consistat.

Resp. affirm. quia possibile dicitur ex eo, quod prædicatum non repugnat subiecto.

Resp. affirmatiuè ità D. Th. hic art 3. Dicitur, *inquit*, aliquid possibile, vel impossibile absolutè ex habitudine terminorum. Possibile quidem, quia prædicatum non repugnat subiecto, vt Sortem sedere: Impossibile autem absolutè, quia prædicatum repugnat subiecto, vt hominem esse asinum. *Idem est autem, prædicatum aliquod repugnare subiecto, atque implicare contradictionem, quod tali subiectum possit esse cum tali prędicato, & implicatio contradictionis est, aliquid simul esse, & non esse, quæ est prima radix, & origo impossibilitatis, eo quod tanquàm primum principium in metaphysica habetur ipso lumine naturali notum.* Impossibile est, idem simul esse, & non esse, *quod principium est ità per se notum quod si negetur, nullo modo probari potest, sed ex ipsis terminis notum est, quia quod ponitur per esse, tollitur per non esse, & sic simul esse, & non esse est poni, & tolli simul, quod ex ipsis terminis apparet impossibile.*

Si predicatū repugnat subiecto opponitur ei, & sed ditur impossibile.

Si autem prędicatum repugnat subiecto, opponitur ei, & destruit illud; & sic impossibile est poni, quia si ponitur, erit, & si repugnat, non erit, quia repugnans destruit id, cui repugnat, alioquin non repugnaret, si simul illo esset; igitur rectè dicit D. Th. totam rationem, & originem impossibilitatis nasci ex repugnantia terminorum, ita quod vnus terminus destruat alterum, seù illi repugnet, & possibilitatem nasci ex opposito, seù ex non repugnantia terminorum; vbi enim termini non repugnant, simul esse possunt, hoc enim est non repugnare; hæc est autem possibilitas, esse posse: ergo vbi non est repugnantia terminorum, est possibilitas, quia esse possunt.

41 Cōfirm. quia omne, quod est possibile; aut est possibile, vt sit, aut vt non sit.

Confirm. ex D. Th. q. 1. de potent. art. 3. quia omne, quod est possibile, aut est possibile, vt sit, vel vt non sit; omnes enim actio directè, & per se ponit aliquid in esse, quia producit illud; ex consequenti autem potest ponere in non esse, inquantum destruit aliquid, & corrumpit; & sic cum omnis terminus actionis, aut sit esse producendo, aut ex consequenti non esse corrumpendo, fit, quod omne possibile, aut est possibile esse, tanquàm terminus per se generationis, & productionis, aut possibile non esse, tanquàm terminus corruptionis, & destitionis, qui ex consequenti sequitur ad actionem.

Sequitur doctrina præcedentis confirmationis.

Si autem prędicatum repugnat subiecto, ita quòd eius positio inuoluat implicationem, quod simul sit affirmatio, & negatio, neque principaliter, neque ex consequenti potest esse terminus alicuius: ergo non est factibile, nec subiectibile alicui agenti, quod est non esse possibile.

Non est principalis terminus, quia hoc est aliquod esse, & simul non est ob repugnantiam prędicati, tollitur hoc esse per non esse. Nec est terminus ex consequenti, quia non esse tollitur per ipsum esse; & sic nec est terminus actionis principaliter, neque ex consequenti; ergo nullo modo, & sic est impossibilis. Ergo è conuerso ratio possibilis sumitur ex eo, quod non repugnet prędicatum subiecto, sed determinatè habeat esse, vel non esse, non vtrumque simul quod est, non implicare contradictionē; Sic enim potest esse terminus alicuius actionis; ergo alicuius potentię, ergo est possibile.

Petes 2.

Petes 2. An ista habitudo sit participata per necessariam consequentiam ex essentia diuina, vt imitabili, seù idæis diuinis, antecedenter ad potentiam Dei, vt exequutiuam, & vt attributum?

Resp. affirm. Prob. 1. ex D. Th. nam Omnipotentia, vt est attributū

Resp. affirm. ità D. Th. in hoc art. 3. vbi inquit, quòd Esse diuinum, super quod fundatur ratio diuinæ potentiæ, est esse infinitum, non limitatum ad aliquod genus entis, sed præhabens in se totius esse perfectionem; vnde quidquid potest habere ratio-

nem entis, continetur sub possibilibus absolutis, respectu quorum Deus dicitur Omnipotens. Vbi apertè loquitur D. Th. de eo, quod se habet antecedenter ad conceptum omnipotentiæ; & attributum est, quia loquitur de esse diuino, super quod fundatur ratio diuinæ potentiæ; essentia autem, vt fundans diuinam potentiam, non est attributum potentiæ, sed antecedenter se habens, vtpotè fundamentum potentiæ, & radicaliter potentia, non formaliter. Et quia hoc esse diuinum continet, seu prehabet in se perfectionem totius esse, quidquid potest habere rationem entis, habet possibilitatem absolutam. Quæ causalis necessariam consequentiam importat; nam si ex hoc continetur aliquid sub ratione possibilis, quia essentia Dei præhabet in se perfectionem totius esse, manifestè sequitur ipsa possibilitas, seu ratio entis possibilis necessariò ex illa continentia Dei, quia hæc ante omnem liberam actionem, continet omnem entis perfectionem.

43 Prob. 2. ex alio loco D. Th. vbi ostendit. Possibile deriuari ex idæarum ordinatione.

Et ad hoc deseruit secundus locus D. Th. in q. 2. verit. a. 6. vbi inquit, quòd, Idæa diuina ad ea, quæ aliquo tempore extitura sunt, determinatur ex proposito diuinæ voluntatis ad ea producenda, non autem ad ea, quæ nec sunt, nec erunt, nec fuerunt, quæ vtique sunt parè possibilia. Et de his subdit solut. ad 4. quòd Ideæ, quæ non sunt determinatæ ad producendum de facto, non sunt ordinatæ ad hoc, vt secundùm eas aliquid fiat, sed ad hoc, quòd secundùm eas aliquid fieri possit: ergo ex ordinatione idearum, antecedenter ad determinationem voluntatis, aliquid fieri potest; hoc autem est esse possibile, quia possibile est, quod fieri potest; ergo ista possibilitas deriuatur ex idearum ordinatione; Sed id, quod antecedit liberam voluntatis diuinæ determinationem, solùm per necessariam consequentiam habetur, quia ante liberam Dei operationem, non datur causalitas libera; ergo per deriuationem, & consequentiam necessariam, creaturæ possibilitas participatur à Deo, quia antecedenter ad omnem liberam determinationem.

44 Idea est principium generationis, & cognitionis, & quomodo.

Vndè optimè dicit ipse D. Th. in hac 1. q. 15. a. 4. quòd Idæa secundùm opinionem Platonis, & erat principium generationis, & principium cognitionis, & ad vtrumque se habet idea in Deo. Dicitur autem principium generationis, quatenus per influxum, & actualem actionem efficit; principium autem cognitionis, quatenus est principium veritatis, circa quam versatur cognitio. Et secundùm quod est principium generationis, vocatur à D. Th. exemplar in actu, quatenus non solum formaliter, sed etiam effectiuè procedit: vtrumque enim genus causæ pertinet ad ideam, vt exemplar in exercitio practicum est. Vt autem est principium cognoscendi, vocatur ratio, quia sic consideratur solùm secundùm id, quod formale, & specificatiuum est, & hoc pertinet ad rationem rei, seu quidditatis.

45 Prob. 2. pars huius conclusionis. quia omnia prædicata essentialia, eorumque connexio &c.

Et fundamentum huius secundæ partis conclusionis sumitur ex dictis, quia omnia prædicata essentialia, eorumque connexio, & constructio, (quòd totum pertinet ad quiditatem, & veritatem intrinsecam rei,) conuenit illi ex diuinæ essentiæ participatione, siquidem vnaquæque realis entitas, & quiditas creata habet suos limites, & terminos, distinctionemque ab alia ex diuersa imitabilitate, & primi entis participatione: vnaquæque enim res, secundùm speciem, & quiditatem suam habet diuersam nobilitatem, & perfectionem, & diuersam imitationem Dei, quæ perfectio maior, & nobilitas ex maiori participatione, & accessu ad Deum desumitur; ergo essentialia prædicata, & connexio, & constructio eorum ex participatione Dei desumitur. Sed hoc ipso, quòd alicui conuenit aliquod prædicatum verum, & reale ex participatione, & deriuatione primi entis, continetur sub ratione entis creabilis, & factibilis, & capacis ad existendum, siquidem in hoc distinguitur intrinsecè, & essentialiter verum, & reale ab ente ficto, & chimerico, quod illud est capax existentiæ, & factibilitatis, non istud. ergo ipsa possibilitas, seu capacitas existendi, sicut & ipsa realitas, & veritas, est ex deriuatione, & participatione diuina, ex qua reliqua omnia prædicata, & eorum connexio conuenit alicui: nam etiam possibilitas ipsa & capacitas necessariò realitati, & veritati entis connectitur, quia per hoc distinguitur ab ente ficto, & chimerico.

46 Possibilitas participatur à Deo, per necessariam consequētiam. quia antecedit omnem actum liberum Dei.

Quod verò per necessariam consequentiam participetur à Deo ista possibilitas, constat; tum quia antecedit omnem actum liberum Dei, & est independens ab illo: siuè enim Deus velit producere, siuè non velit producere aliquam entitatem, semper manet res illa possibilis, & connexio prædicatorum essentialium vera, & distinctio realis entitatis à ficta, constans; ergo sicut habet per participationem à Deo, & independenter à libera voluntate, per necessariam participationem habebit: tum etiam, quia Deum præhabere in se omnem perfectionem entis est necessarium; ergo & tale ens esse possibile, cuius perfectionem continet. Antec. constat, quia diuina essentia est infinitæ perfectionis; ergo nulla perfectio sibi deesse potest, semotis omnibus imperfectionibus; ergo præhabere omnem entis perfectionem, necessarium est. Conseq. verò prob. quia si aliqua perfectio creata esset impossibilis, hoc ipso non esset perfectio, quia quod est impossibile, non est ens: ergo neque perfectio, si non esset perfectio, neque contineretur in Deo, quia non continet nisi perfectiones; ergo tam necessariò perfectio aliqua creata est possibilis, quàm necessariò illa perfectio continetur in Deo, & omnis perfectio continetur necessariò, ergo omnis perfectio necessariò est possibilis.

47 Participatio possibilitatis in creaturis est ex ideis diuinis, quatenùs habent vim causæ formalis extrinsecæ.

Hæc autem necessaria consequentia, seu participatio possibilitatis in creaturis, quòd fit ex diuinis ideis, quatenus habent vim, seu virtutem causæ formalis extrinsecæ, & non efficientis, patet: nam quod attinet ad efficientiam, manifestum est, non influere possibilitatem; quia omnis efficientia supponit rem, quam efficit, esse factibilem, ergo & possibilem; repugnat ergo, quod per efficientiam, & influxum factibilitas, seu possibilitas constituatur. Efficientia siquidem, & effluxus actualis à causa efficiente, ponit existentiam in termino, quia efficere est extra causas ponere, & reddere in actu id, quod est in potentia; possibilitas autē antecedit existentiam, & detinet rem intra causas, & non actu subijcit actioni agentis, quæ extra causas ponit; ergo non potest conuenire possibilitas rebus per aliquam causalitatem, & effluxum actualem agentis.

Formalis ratio idæarum non exercetur actū erga possibilitaté, sed continet in virtute regulā omnis entitatis.

Quòd verò attinet ad formalem rationem idearum, illa non exercetur actu erga possibilitatem, sed continet in virtute regulam, & mensuram omnis entitatis, & veritatis creatæ, ità quòd omnis creatura habet suam determinatam speciem, seu quiditatem, & suā veritatem per conformitatem ad ideas, vt latè ostendimus q. 16. supr. tom. 1. vbi specialiter videri potest, quomodo veritates creatæ dicantur æternæ per ordinem ad ideas diuinas, penes quas formantur, & regulantur, & determinantur in suis quiditatibus, & speciebus. Idem autem est reddere rem veram transcendentaliter, & entitatiuè, ac reddere illam non fictam, seu realem: esse autem realem obiectiuè, est esse possibilem realitate considerata ante productionem, & existentiam. Ergo si in rebus veritas, & formatio quiditatis sumitur per ordinem ad ideas, etiam ante productionem actualem, quia veritas non dependet ab existentia: similiter & possibilitas ad esse, inde sumetur, quia hæc sequitur realitatem, & realitas rei veritatem supponit, & distinguitur à re ficta, & non reali.

49 Idæa diuina est summa, ac prima regula totius veritatis creatæ, ac proindè ex hoc res dicuntur possibiles.

Est autem idea diuina summa, & prima regula totius veritatis creatæ, ergo per hoc res redduntur absolutè possibiles, quia id, quod excogitat Deus, & format, vt imitabile à se, est quod vnicuique rei congruum, & conueniens est, nec sibi repugnans: ergo est possibile, quia illud est possibile rei, quod non est illi repugnans. Antecedenter autem ad ideas diuinas nihil intelligitur, vt determinatè, & distinctè formabile, nec rebus sua distributa sua prædicata,

que

quæ eis sint debita, vel conuenientia; hoc enim fit à Deo, solùm autem per artem formabiles sunt. Antecedenter verò ad artem, & intellectum diuinum solum radicaliter intelliguntur formabiles, & possibiles, quatenus sic in infinito esse Dei, omnis ratio entis, & perfectio radicaliter intelligitur esse contenta, ad eius enim essentiæ participationem res sunt factibiles.

49 Vt res dicantur formabiles, & ideatæ, ac contentæ in virtute idæarum, non requiritur aliqua causalitas.

Neque ad hoc, vt res dicantur formabiles, & ideatæ, ac contenta in virtute idearum, tanquam in regula, & mensura eorum, quæ sibi conuenire possunt, requiritur aliqua causalitas per modum actionis transeuntis, sed sufficit ipsa formatio rerum in mente diuina per modum actus immanentis, per quem res dicuntur formatæ, & contentæ in virtute idearum diuinarum, & sicut per actum necessarium intellectus diuini antecedenter ad omnem actum liberum voluntatis eas format intra se; ita per necessariam consequentiam ipsæ dicuntur formatæ, & contentæ in virtute idearum, vt ab ipsis factibiles; ergo habent possibilitatem logicam, hoc est non repugnantiam suorum prædicatorum, & connexionem, atque conuenientiam eorum per hoc solùm, quòd sint formata, & regulatæ intra Deum: ibi enim habet vnaquæque res suam distinctionem, & limitationem iuxta formationem diuinæ ideæ, & habet sua prædicata determinata, quæ sibi conueniunt, & alia, quæ repugnant: ex conuenientia autem, vel repugnantia prædicati ad subiectum oritur possibilitas, vel impossibilitas logica, quæ est ex habitudine terminorum.

50 Non potest intelligi, quòd prædicata repugnent, nisi res intelligantur distinctæ.

Non potest autem intelligi, quòd ista prædicata conueniant, seù non repugnent, alia autem repugnent, nisi intelligantur res inter se distinctæ, & formatæ, & mensuratæ, vnaquæque iuxta id, quod sibi debetur, vel conuenire potest; hoc autem non intelligitur, nisi per ideas diuinas, non ante illas, quia illæ sunt prima mensura, & regula, vndè vnicuique rei tribuitur id, quod sibi debitum est, & conuenire potest. Ergo antecedenter ad ideas non discernitur, quodnam prædicatū sit repugnans, vel non repugnans, debitum, vel indebitum, & consequenter neque ratio possibilitatis, vel impossibilitatis. Per ideas verò statim habetur, non formando res ad extra, sed intra conceptum Dei per actum immanentem, qui sufficit ad continendum in sua virtute, & in ratione formæ exemplaris, & mensurantis, atque specificantis res omnes ideabiles, non producendo, sed continendo, & mensurando intra se, & vnicuique rei intra actum immanentem, dando, quod sibi conuenit, & non quod repugnat, quod est habere possibilitatem participatam à mensuratione idearum Dei. Inde verò respiciuntur tales res à potentia exequutiua, inquantùm exequutiua, quod est denominatiuè esse possibiles, & comparatiuè ad potentiam exequentem, quæ physicè debet influere, & producere in esse; & sic per ordinem ad illam dicuntur res physicè possibiles, postquam absolutè, & logicè sunt possibiles ex participatione formæ mensurantis, & formantis, id est ab ideis. An verò hæc possibilitas absoluta dicat aliquid præter denominationem extrinsecam, statim dicemus.

51 Petes 3.

Petes 3. An ista possibilitas actu inueniatur tantùm in potentia Creatoris, & in essentia diuina, vt imitabili; in ipsis verò creaturis non inueniatur actu, sed tantùm in potentia obiectiua?

Resp. affir. ex D. Th.

Resp. affirm. ità D. Th. hic quæst. 9. art. 2. vbi inquit: Omnes creaturæ antequàm essent, non erant possibiles esse per aliquam potentiam creatam, cùm nullum creatum sit æternum, sed per solam potentiam diuinam, inquantùm Deus poterat eas in esse producere. *Ergo possibilitas actu non est aliquid repertum extra Deum, sed solùm in potentia Creatoris cum connotatione ad res, vt obiectiuè possibiles. Ad idem facit, quod docet S. Th. q. 16. supra art. 7.* Quòd veritates creatæ non sunt æternæ actu, & positiuè, nisi in intellectu æterno; in se autem solùm obiectiuè.

Prob. quia res non dicuntur possibiles per hoc, quod sint extrà causas.

Fundamentum est, quia res non dicuntur possibiles per hoc, quod sint extra causas; sic enim non sunt solùm producibiles, sed producta: dicuntur ergo possibiles per hoc, quod sunt intra causas, & in potentia vt sint; ergo possibilitas non debet conuenire actu extra Deum, sed solùm intra Deum, vt intra causam contineri; in se verò solùm obiectiuè, & in potentia dici possunt res producibiles, seu possibiles; ergo actu esse possibiles, est actu contineri intra causas, & non actu extrà causas aliquid habere. Contineri autem intra causas est ipsa potentia, & actualitas causæ continens; ratione enim eius dicuntur res contineri. Possibilitas ergo rerum non habet actu aliquid, nisi ipsam potentiam causæ, vt continentur.

52 Confir. quia nihil extra Deum datur in actu ab æterno.

Confirm. ratione insinuata à D. Th. quia nihil extra Deum datur in actu ab æterno; creat enim Deus res ex puro nihilo in tempore; ergo possibilitas rerum non est actu aliquid extra Deum; in tempore autem non incipit esse actu, quia possibilitas non est facta in tempore; in quocumque enim tempore fieret, antea erat verum dicere, quod erat possibile fieri, cum possibilitas sit prædicatum essentiale, & necessariò connexum, & independens à tempore. Quod autem fit in tempore, non est possibilitas, sed existentia, cùm fiat per veram actionem. Ergo possibilitas non est actu, nisi intra Deum, & in potentia Dei.

53 Corollarium possibilitas rei potest sumi, vel pro statu, vel pro entitate rei possibilis.

Ex his sequitur, quomodo verum sit, quod diximus tomo superiori de creaturarum possibilitate. Potest enim sumi possibilitas pro statu, vel pro entitate rei possibilis. Pro statu contraponitur futuritioni, vel præteritioni, aut præsentiæ rei; & sic non est aliud, quàm negatio existendi pro quacumque duratione, & temporis differentia. Pro entitate possibilis dicit duo, scil. non repugnantiam prædicatorum, seu terminorum inter se, inquantum aliquid non inuoluit contradictionem, seu repugnantiam conueniendi prædicata, & tunc non inuoluit repugnantiam, quando dicit rationem entis participati à Deo, quia implicatio contradictionis; seù repugnantia esse, & non esse simul, & hæc non habet rationem entis, sed est entis destructio, & sic non est à Deo. Et secundo, includit denominationem extrinsecam ortam ex omnipotentia, quæ est attributum: quod enim sub potentia continetur, est possibile, sicut visibile denominatur à potentia visiua, & visum à visione; sed tamen possibile fundamentaliter, seù obiectiuè, seu possibile absolutum, & logicum antecedit hanc possibilitatem denominatiuam, quia potentia exequutiua non tendit, nec denominat, vt contentum sub se, nisi supponendo, quòd aliquid non sit repugnans, seu impossibile.

54 Instabis.

Dices. Etiam possibilitas illa absoluta, seu fundamentalis non est aliud, quàm denominatio extrinseca, quatenus res dicitur cognita, & formata ab ideis; ergo in creatura non ponit hæc possibilitas logica aliquid intrinsecum, sed denominationem extrinsecam, sicut respectu potentiæ exequutiuæ.

Resp. ab idæa duo deriuari in creaturam.

Resp. ab idea duo deriuari in creaturam, scil. esse cognitum, seù formatum à cognitione, & esse mensuratum in sua quiditate, & veritate, quod est specificari ab ideis, vt exemplaribus. Primo modo res solùm extrinsecè denominantur ab ideis, scil. in esse cogniti, sicut possibiles à potentia. Secundo modo aliquid præter denominationem extrinsecam habetur, scil. ipsa prædicatorum essentialium commensuratio, & connexio, seù constructio, ità quòd non sit ibi aliquid repugnans, & illa non repugnantia non est sola denominatio extrinseca, licèt non nisi intra intellectum formantem res, & intra causam inueniatur talis connexio.

DVBIVM VNICVM.

An inter Deum, & creaturas detur relatio realis, quomodo ex destructione possibilitatis creatæ sequatur Omnipotentiæ destructio. Et quomodo omnipotentia dicatur posse in non ens.

Conclusio habet plures partes.

CONCLVSIO. Dei ad creaturas ex parte Dei, nulla datur relatio realis, neque prædicamentali, neque transcendentalis, sed solùm rationis, vt perpetuò affirmant

affirmat D. Th. & videri potest qu. 7. de potentia a. 10. & in hac 1. par. q. 12. art. 7. vbi id expresse affirmat; sed tamen si alicuius creaturæ possibilitas destrueretur, ità vt ex possibili redderetur impossibilis, seu implicans, destrueretur potentia, & essentia Dei.

1. Pars de negatione relationis realis ex eo patet; quia omnis respectus realis non solum importat connexionē sed etiam dependentiam.

Primam partem de negatione relationis realis ex eo confirmamus, quia omnis respectus realis non solùm importat connexionem cum alio, ad quod terminatur; sed etiam dependentiam, vel æqualitatem, aut ordinem cum illo. Quod autem ità est superius ad aliquid, quod est extra totum ordinem eius, nec illi æquale, aut inferius vel dependens ab illo est absolutum ab eo, & nõ ordinatum ad ipsum, sed è contra alterum ordinatum, & dependens à se, licet connexio detur inter vtrunque sicut manifeste patet in relationibus tertij generis inter mensuram, & mensuratum, quæ non sunt relationes mutuæ, sed solùm ex parte mensurati datur respectus, & ordo realis ad mensuram, non è conuerso, eo quod mensuratum perficitur & regulatur per mensuram, non verò mensura per mensuratum; & sic obiectum visibile non refertur realiter ad visum, sed bene visus ad visibile. Cùm ergo Deus sit suprema regula, & perfectio omnium creaturarum, ex cuius participatione, & imitatione omnis creatura est, non verò ex creaturis perficitur, nulla relatione reali ordinatur ad creaturam, sed creatura ad ipsum, in se autem absolutissimus est ab omni creatura.

56 *2. Pars quod si possibilitas creaturarum tolleretur, Deus mutaretur, patet ex hoc, quod aliqua veritas, licet sit nobilior, ac firmior: exigit minorē veritatem ad sui firmitatem.*

Secunda verò pars nostræ conclusionis, quòd sit talis connexio inter Deum, & creaturarum possibilitatem, quòd si possibilitas illa tolleretur, & in impossibilitatem verteretur, mutaretur, & destrueretur Omnipotentia. Breuiter nunc explicatur ex opposito principio ad sententiam Vasquez. quia bene stat, aliquam veritatem esse firmiorem, & principaliorē altera, & tamen necessariò exigi minorem veritatem ad illam, non ratione sui, sed ratione consequutionis, & continentiæ in altera. Quia enim est veritas superior, & altior, continet sub se alias veritates, quę ab illa dependent, & consequuntur; & hoc ipso sunt veritates participatæ, & minores, quia dependentes, & consequutæ; & ideo quia minores sunt, ab illis superior veritas non dependet, si secundùm se consideretur, habet tamen necessariam connexionem cū consequutione illarum a se, quod non tam est habere immediatam connexionem cum illis, quàm de se postulare ex propria, & essentiali sua ratione habere vim, ex qua tales inferiores veritates consequantur, ità quòd si non consequerentur, non maneret illa veritas ita superior, & contentiua earum.

Connexio ergo illa est cum suaui contentiua, & inferiorum veritatum consequutione, non cum ipsis veritatibus secundùm se, & ratione sui; sed tamen, quia non stat, illam consequutionem, & vim contentiuam dari, nisi ipsæ res contentæ dentur, ideo ex destructione possibilitatis talium rerum, sequitur mediatè destructio illius vis, seù potentiæ contentiuæ. Vnde fit, quòd talis possibilitatis destructio nõ potest intelligi, nisi incipiat ab ipsamet potentia, possibilitas enim illa non est aliquid in se actu extra potentiam causæ, vnde in se non potest destrui, sed solùm intra causam, intra causam autem non destruitur, nisi quia vis causæ in ordine ad illam amittatur, ita vt non sit ab ipsa causa participabilis. Sic ergo ex illarum destructione intra causam, rectè sequitur ipsius causæ destructio. Argumento autem Vasquez proceditur, ac si creaturarum possibilitas destrueretur in se, tanquàm aliquid extra causas, & redderetur in se implicatoria: & sic ex tali destructione rei in se, Dei destructio sequeretur. Non est autem sic, sed possibilitas illa, cùm sit intra causam, non stat, nec intelligi potest destructio eius, nisi intra causam, & ex tali destructione, rectè sequitur destructio causę. Et hæc est ratio, quasi à priori.

57 *Confirm. quia licet veritas principiorum sit maior quàm veritas conclusionum: hac tamē destructa, arguitur destructio illius.*

Ad hanc autem rationem, seu explicationem additur alia, non minoris ponderis, quæ confirmat præcedentem. Veritas conclusionis, quæ deducitur ex principijs per se notis, minùs certa, & firma est, quàm veritas ipsorum principiorum, constat enim, quòd veritas conclusionis est propter præmissas, & deriuata ex præmissis, & propter quod vnumquodque tale, & illud magis, quo axiomate vtitur Philosophus, probans hoc 1. Post. quod dicimus, in 1. Poster. quòd præmissæ, seu principia sunt certiora conclusionibus; & res ipsa est satis omnibus nota: sed sic est, vt non obstante, quod veritas principiorum est maior veritate conclusionum, tamen ex destructione, & negatione veritatis consequentis, sequitur destructio antecedentis, si consequens per necessariam consequentiam infertur ex antecedenti; ergo bene stat. Veritatem maiorē ità esse connexam cum minori, quod tamen ex destructione minoris destruatur maior, non propter dependentiam maioris veritatis à minori, sed propter consequentiam, seu consequutionem vnius ex alia; quæ consequutio intima est veritati maiori, & ex visceribus eius essentialiter deducitur.

Minor certa est, & tanquàm principium in dialectica omnibus notum, quod à destructione consequentis, sequitur destructio antecedentis, quia in bona consequentia non stat, antecedens esse verum, & consequens falsum: ergo non stat destrui, seu negari consequens, quod est esse falsum, & non destrui, seu negari antecedens. Totus hic discursus demonstratiuus est, cùm innitatur maiori, & minori, quæ sunt prima principia in Logica, & per bonam consequentiam ex illis colligatur. Vndè manet omnino euersum fundamentum Vasq. quod videlicet nõ potest maior veritas destrui ex destructione minoris, alioquin æquales essent, cùm totum oppositum sit euidens.

58 *Applicatur precedens doctrina Deo, ac creaturarum possibilitati.*

Applicemus hoc Deo, & creaturarum possibilitati. Ex diuina omnipotentia, tanquàm ex principio, seu antecedenti certiori, & firmiori, sequitur per bonam consequentiam creaturarum possibilitas, quia hæc est bona, & necessaria consequentia: Deus habet potentiam creatiuam, ergo potest aliqua creare; ergo illa aliqua possunt creari, seu possibilia sunt creari. Hæc consequentia est bona, & necessaria, nec instari potest, vt pote ab actiua ad passiuam, quæ inter se, aut sunt idem, aut essentialiter inseparabilia, & connexa, & vbi est essentialis connexio, est legitima consequentia.

In bona consequentia ex destructione consequentis sequitur destructio Antecedentis.

Sed in bona conseq. ex destructione consequentis sequitur destructio antecedentis, quantumcumque antecedens sit maior, & firmior veritas, scil. veritas principij, vt ostensum est, quia est principium per se notum in Logica; ergo in hac consequentia ex destructione possibilitatis creaturæ, quæ est consequens, sequitur destructio omnipotentiæ creatiuæ, quæ est antecedens; & sic datur connexio inter potentiam Dei, & creaturæ possibilitatem; quam si destruatur, hæc destruitur, & negatur illa. Et idem est, destrui possibilitatem omnium creaturarum, vel vnius tantùm, quia Deus si non habet connexionem cum possibilitate vnius creaturæ, neque cum omnibus, nec minus ex potentia creatiua Dei, infertur per bonam consequentiam possibilitas vnius, quàm omnium. Hic discursus si non est demonstratio, nescio quæ demōstrationes in scientijs inueniri possunt. Rationes vero Vasq. demonstrationes non esse statim constabit.

59 *Opposita sent.*

Opposita sententia est Vasquez disp. 104. cap. 6. nu. 26. & cum eo multi, qui hoc valde magnificant, putantque Deum non postulare illam creaturam esse possibilem, vt ipse sit, eo quod magis necessarium est, Deum esse, quàm creaturam aliquam esse possibilem, siquidem ex esse Dei deriuatur, quod creatura sit possibilis, & quod contradictionem non implicet, vt inquit S. Th. hic art. 3. non vero è conuerso, quia creatura non implicat, Deus est.

1. Obiectio.

Absolutiùs ergo, & independentiùs est esse diuinum, quàm possibilitas creaturæ; & sic firmior, & maior est veritas diuini esse, quàm possibilitatis creaturæ. Sed maior, & firmior veritas non habet connexionem necessariam cum minori, aliàs æquales in necessitate essent, nec ista esset minor illa, siquidem non staret, hanc tolli, quin illa tolleretur; ergo ex destructione possibilitatis

sibilitatis

sibilitatis creaturæ, non destruitur omnipotentia, & essentia Dei.

Resp. Licèt veritas diuina sit firmior creata; ex huius destructione, illius arguitur destructio.

Resp. Non esse dubium, quòd veritas diuina sit firmior, & perfectior veritate creata. Negamus tamen, quòd ex destructione veritatis minùs firmæ, & minùs perfectæ non destruatur firmior, & principalior, quando per necessariam consequentiam infertur ex illa, & quando destructio minoris veritatis non potest fieri in se, sed in causa sua, & incipiendo à destructione causæ, sicut explicatum est. Nec per hoc sequitur, quod maior veritas dependeat à minori, & diuina à creata, aut sint æquales inter se; quia hæc destructio non sequitur ex eo, quod tollatur aliquis influxus, aut constitutio inferioris veritatis in maiorem, sed ex eo, quòd tollatur ipsa continentia maioris veritatis super inferiorem, & consequentia, quæ deducitur ex ipsa maiori in inferiorem. Si autem tollitur talis consequutio, & continentia superioris veritatis, quid mirum, quod ipsa superior veritas, & virtus destruatur. Itaque non ex destructione veritatis minoris, & inferioris secundùm se consideratæ tollitur veritas maior, & firmior, sed ex destructione veritatis illius, vt consequutæ per necessariã consequentiã ex maiori, & vt contentæ in illa, quia in se destrui non potest extrà causas, sed vt intra causas, in quibus continetur res, vt possibilis, seù in potentia. Et quia destructio veritatis creatæ incipere debet ex ipsa causa, & radice, in qua continetur, & tali destructione benè sequitur causæ destructio; nec tamen dependet veritas superior ab inferiori, sed è contrà, nec illi æqualis est secundùm se, sed consequutio, & continentia intrà ipsam causam sibi æqualis est, quia sibi intima.

Ex eo quod tollitur consequutio, & continẽtia superioris veritatis, ipsa superior veritas destruitur.

60
2. Obiectio.

Arg. 2. Non colligitur per locum intrinsecum, quòd si Simia non esset possibilis, Deus non esset existens; ergo ex destructione possibilitatis illius, non sequitur destructio existentiæ Dei. Antec. prob. non sequitur per locum intrinsecum, Simia non est possibilis, ergo homo non est possibilis: multo ergo minùs sequitur: Simia non est possibilis, ergo Deus non est possibilis, quia Deus magis necessarium ens est, quàm homo, idem autem est in Deo esse actu, & possibilem esse.

Resp. ex impossibilitate Simię per locum intrinsecum, non sequitur impossibilitas hominis.

Resp neg. Antec. ad prob. dicitur, quòd ex impossibilitate Simiæ immediatè, & formaliter per locum intrinsecum non sequitur impossibilitas hominis, quia hæc duo disparitatè se habent, non vt continẽs, & contentum, inferens, & illatum. Sequitur tamen impossibilitas, & destructio Dei, quia licet sit maior, & firmior veritas, tamen est continens, & inferens minorem, & radix, seù principium eius, nec destruitur veritas illata, & contenta in illa, nisi destruendo ipsam radicem, & principium eius, & consequutionem ex tali causa, atque adeo non esse eandem disparitatem, sicut impossibilitas Simiæ, & hominis, sed consequenter, & illatiuè. Et tamen mediatè ex impossibilitate Simiæ sequitur impossibilitas hominis, quia sequitur imminutio, seù destructio omnipotentiæ Dei, qua sublata, etiam possibilitas hominis destruitur, mediatè, & materialiter.

61
3. Obiectio.

Arg. 3. Posito, quod hominem esse implicaret contradictionem, quod est destrui eius possibilitatẽ, adhuc Deus maneret omnipotens: ergo non ex eo destrueretur Omnipotentia. Conseq. est manifesta. Antec. patet: adhuc posset Deus in omne, quod contradictionem non implicat, licet non posset in hominem, qui tunc contradictionem implicaret; ergo adhuc maneret omnipotens, quia omnipotentia tantùm hoc exigit, vt possit in omne, quod contradictionem non implicat. Quarè ex eo, quòd Deus non posset producere hominem, si ille implicaret contradictionem, nihil adimitur de eius perfectione, & omnipotentia, quia non posse producere id, quod contradictionem implicat, non est perfectio, neque virtus.

Resp. Omnipotentiam esse, quæ potest in omne, quod non implicat contradictionem absolutè, & simpliciter; non ex suppositione.

Resp. neg. Antec. ad prob. dicitur, omnipotentiam esse, quæ potest in omne, quod non implicat contradictionem absolutè, & simpliciter, non ex suppositione, & secundùm quid; si autem possibilitas hominis tolleretur, & redderetur implicans, reliqua quæ manebant possibilia, non constituerent omnipotentiam, nisi ex suppositione, quòd illa sunt omnia, & per accidens, non simpliciter, & secundùm infinitatem, quàm de se postulat omnipotentia, aliàs si solùm musca maneret possibilis, æquè diceretur Deus omnipotens, atque modo, quia posset in omne possibile, & sola musca esset possibilis, sed tunc est omne possibile per accidens, & ex suppositione; quòd aliorum possibilitas sit destructa. Est simile in vbiquitate, seù immensitate: si enim solùm esset granum milij in toto vniuerso diceretur illud esse vbique, quia non esset aliud vbi, & illud esse omne vbi, vt notat S. Th. suprà qu. 8 art. 4. sed illud esset vbique per accidens, & ex suppositione, non simpliciter, nec vbique infinitum, sicut si daretur corpus infinitum, aut sicut est Deus. Sic si solùm musca esset possibilis, & reliqua implicarent contradictionem, qui posset producere muscam, esset omnipotens per accidens, & ex suppositione, quia est illud solùm possibile, non simpliciter, quia non est infinitum possibile. Itaque ad omnipotentiam pertinent, posse in omne possibile, non quomodocumque sumatur ly, *omne possibile*, sed etiam conseruando possibilitatem cuiuscumque, ne destruatur: nam si non conseruat illam, nec continet, hoc ipso frangitur, & imminuitur omnipotentia.

62
4. Obiectio.

Arg 4. Magis falsum est dicere, Deum non esse, quam creaturam non esse possibilem: vnum enim potest esse magis falsum, quàm aliud, vt docet Arist. 4. met. sicut magis falsum est, quod duo sint mille, quàm quod sint quatuor. Si autem esset necessaria, & mutua connexio, & relatio inter veritatem diuinam, & possibilitatem creaturarum, æquè falsum esset vnum, atque aliud. Ex his infert Vasq nullam esse relationem, siue secundùm esse, siue transcendentalem, aut secundùm dici inter Deum, & creaturas, quia nulla est connexio Dei ad illas, neque dependentia, ergo neque relatio, quia hæc connexionem dicit inter extrema, & ordinem.

Resp. sicut ad 1 eadem enim est ratio de maiori, ac minori veritate; ac de maiori, vel minori falsitate.

Resp. Sicut ad primum, eadem enim est ratio de maiori, & minori veritate, atque de maiori, & minori falsitate. Non enim æque est falsum vnum, atque aliud, sed tamen si redditur vnum falsum, quod infertur, vt cum alio connectitur, quatenus sic connexum, destruitur etiam id, quod maius est, ex vi consequentię, non ex vi ęqualitatis cum alio secundùm se, imo ex destructione consequentis sequitur destructio antecedentis, licet minor falsitas sit destructio vnius, quàm alteriùs, propter consequentiæ cõnexionem, non propter connexionem dependentiæ.

63
Petes.

Petes. *Quomodo Omnipotentia dicatur posse in non ens?*

Resp. non ens dici illud quòd caret essentia vera, & non est, nisi ens fictum, & quod contradictionem implicat, non verò non ens pro negatione existentiæ.

D. Th. in præsenti art. 3. assignat pro obiecto Omnipotentię omne possibile absolutum, seù quòd ex terminorum habitudine non repugnat, nec implicat: illud autem dicit non implicare, quod entis rationem participat. Quod vero rationem entis participare non potest, à ratione possibilis excludit. Idem habet 2. contr. Gen. cap 22. ratione 2. Cùm autem ens dupliciter sumatur, scil. pro entitate, vt explicat essentiam tantùm, quod dicitur ens essentia iter; vel pro entitate, vt existente, quod dicitur ens participa iter, idest existens: conueniunt interpretes S. Th. Caiet. hic, & Ferrar. dicto loco cont. Gen. quod S. Th. quando dicit, quod ea, quæ in se habent rationem non entis, non sunt possibilia, nec pertinent ad omnipotentiam, loquitur de eo, quod est non ens, quantùm ad essentiam, ità vt caret essentia vera, & propria, & solùm est ens fictum, aut contradictionem implicans, non autem de non ente pro negatione existentię, cùm potiùs constet, Deum operari res ex nihilo, idest ex nullo præsupposito, seù existente; & sic potest in res non existentes, producendo illas ex nihilo, tanquàm ex termino, *à quo*, & rursus potest res existentes reducere in nihilum per suspensionem concursus, & ità ipsum nihil existentiæ potest etiam tenere se ex parte termini, *ad quem*, omnipotentiæ diuinæ, saltem vt terminus consequenter se habens, sicut

sicut corruptio vnius est terminus consequens ad generationem alterius, qua ratione etiam ipsum nō ens pertinere ad omnipotentiam Dei, quatenus potest anihilare creaturam, quod vtique pertinet ad existentiæ desitionem, affirmat D. Th. q. 1. de potent. art. 3. & ità in omnibus locis solùm subtrahit ab omnipotentiæ obiecto non ens, idest, id quod implicationem inuoluit, & nullam veræ essentiæ rationem participat, quod est esse non ens essentialiter. Quam doctrinam etiam acceptat Vasq. hic disp. 104. art. 5. num. 17. & 18.

64 *Sententia Vasquez. duo asserit.*

Cæterùm addit ipse Vasq. quòd omnipotentia etiam aliquo modo dici potest, quòd versatur circa non ens, etiam sumptum essentialiter eo modo, quo versatur visus circa tenebras, non quidem exercendo actum visionis circa illas, sed potiùs habendo negationem actus, tanquàm in proprio subiecto; & sic est priuatio visionis; eodem modo omnipotentia Dei habet negationem actus producendi circa non ens essentialiter, seù circa id, quod est impossibile, seù implicans contradictionem; at verò non ens sumptū pro existentia, est directè contentum sub omnipotentia, quia omnipotentia ità respicit, tanquàm obiectum proprium, rem esse, sicut rem non esse; quia per subtractionem concursus facit rem non esse, & ideò non ens non continetur sub omnipotentia, sicut tenebræ sub potentia visiua, quia tenebræ non sunt obiectum propriè visus, sed directè oppositæ obiecto visus, quod immerito negat Caiet.

Reijcitur primum dictum, quia circà id, quod implicat: nullo modo diuina Omnipotentia versatur.

Sed tamen in vtroque dicto deficit Vasq. in primo enim fatemur, quod circa ea, quæ implicant contradictionem, est in Deo negatio actus, imo & negatio potentiæ, quia non solùm non producit, sed nec producere potest tale non ens. Sed negamus, hoc sufficere, vt possit dici, quod aliquo modo omnipotentia versatur circa illud, sicut visus circa tenebras, vel auditus circa silentium. Istæ enim potentię versantur circa istas priuationes, non solùm per meram actus negationem, sic enim etiam dici posset, quod visus versatur circà Angelum, vel circa sonum, quia habet negationem videndi illa, quod tamen non sufficit, vt dicatur visus aliquo modo attingere Angelum, sicut attingit tenebras, sed dicitur versari circa tenebras, quia se habent priuatiuè, & opposito modo ad lucem; & ità aliquo modo de illis iudicat (iudicio imperfecto, quod magis dicit aduertentiā) non cognoscendo illas in se, sed sub oppositione ad lucem, & ità habet aliquem actum circa illas, quatenus aduertit, & percipit, non esse lucem.

Licèt, quæ sunt opposita, contineantur stant sub eadem potentia: secùs est de disparatis.

Vndè quatenus opponitur luci, etiam sub obiecto proprio visus continetur ex illa regula communi; quod oppositorum eadem est ratio. Quæ vero non vt opposita se habent, sed vt disparata, nullo modo attinguntur à visu, etiam si habeat circa illam negationem actus videndi. Vnde Philos. 2. de anim. tex. 96. & apertiùs t. 103. affirmat, visum esse etiam de tenebris, & iudicare illas, & D. Th. idem docet super illa loca, eo quod potentia cognoscitiua est oppositorum, & iudicat de vtroque, vel iudicio perfecto, vt potentiæ interiores, vel imperfecto, vt exteriores, quæ initium præbent iudicio interiorum. At vero potentia factiua rerum non versatur vllo modo circa ea, quę implicant contradictionem, quia cùm non procedat cognoscendo, & iudicando, non exercet actum circà res, seù circa obiecta, attingendo illa intra se, & prout in apprehensione, sed solùm prout ad extra. Ad extra autem nullo modo sunt attingibilia ea, quæ contradictionem implicant, quia nec possunt fieri in esse, quia implicant, nec annihilari in non esse, quia sic supponerent esse, *à quo* deciderent, neque attinguntur, vt terminus, *à quo*, quia impossibilia non sunt terminus, *à quo* possibilium.

65 *Deus enim nō facit Angelum ex implicatione Angeli.*

Nec enim Deus facit Angelum ex implicatione Angeli. Quarè nullo modo attingit potentia exequutiua sua opposita, sicut potentia cognoscitiua, sicut ignis non attingit aquam, vt frigidam ex parte termini, *ad quem*; neque homo rem inanimatam, sed hæc se habent ad eorum potentias productiuas, sicut aliquid disparatum, licet habeant negationem actionis productiuæ circa illa, sed hoc non sufficit, vt dicatur aliquo modo ea attingere, quin potiùs ex hoc magis se retrahit ab attingendo illa, quia negationem producendi illa habet. Potentia verò cognoscitiua, quia non producit ad extra, sed intra se attingit indicando, seù decernendo ea, quæ attingit, oportet quod si attingit vnum, etiam oppositum attingat, etiam ex parte obiecti attracti, quasi ex parte termini, *ad quem*, quatenus ad discretionem, vel iudicium de altero conducit.

66 *Reijcitur 2. dictum Vasq. quia subtractio concursus non est facere, sed oppositum actioni.*

Et hinc patet, in secundo dicto defecisse Vasq. in eo, quod dicit non ens, respici ab omnipotentia, vt obiectum proprium factum ab ipsa, quia facit, rem non esse per subtractionem concursus. Sed tamen subtractio concursus non est facere, sed oppositum actioni, scil. non facere: ergo sicut non facere, seù subtrahere concursum non continetur sub omnipotentia, vt actio, sed vt oppositum actioni, ità non factum, seù non ens, quod est terminus, seù obiectum suspensionis concursus, non cōtinetur, vt obiectum proprium sub omnipotentia, sed vt oppositum obiecto omnipotentiæ. Itaque illud est propriè obiectum omnipotentiæ, quod est propriè obiectum actionis eius. Actionis autem non est propriè obiectum non ens, seù non factum, sed ens existens, & factum.

Non existens, seù nihil, propriè non continetur sub Omnipotentia, sed consequenter.

Non existens ergo, seù nihil, & non factum non continetur propriè sub omnipotentia, sed cōsequenter, quatenus per non actionem, & subtractionem concursus resultat; & ità docet S. Th. q. 1. de potent. art. 3. non autem est obiectum directè factum ab omnipotentia, sed oppositum obiecto, quod directè fit, & illud est directe obiectum, quod directè est factibile, non quod resultat, & consequitur ex non facere. Et sic rectè dixit Caiet. in hoc art. 3. quod non ens continetur sub omnipotentia, sicut obiectū oppositum, idest non ens sumptum pro non existente, quod non implicat contradictionem, & sub non implicantibus contradictionem includitur. Nec meminit, quoàd hoc illius similitudinis de visu erga tenebras dicendo, quòd sunt proprium obiectum visus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Deus possit facere, quòd præterita non fuerint?

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Præterita non fuisse non subiacet diuinę potentię. Prob. ea, quæ implicant contradictionem non subiacent diuinę potentiæ; Præterita non fuisse implicat contradictionem; ergo. Prob. mi. quia sicut contradictionem implicat dicere, quòd Sortes sedet, & non sedet; ita quòd sederit, & non sederit; dicere autem, quòd sederit, est dicere, quòd sit præteritū, dicere verò, quòd non sederit, est dicere, quòd non fuerit.

Arg. 1. Qui potest facere ea, quæ sunt impossibilia per accidens, potest facere, quòd præterita nō fuerint; cum præterita nō fuisse, sit tantum impossibile per accidens, accidit enim, Sortem currere: Sed Deus potest facere impossibilia per accidens, vt cæcum illuminare, &c. ergo. Resp. dist. Ma. rem præteritam non fuisse, est tantùm impossibilè per accidens; si consideretur res secundum se, cōced. vt præterita, neg. quia est impossibile absolutè.

Arg. 2. Quidquid Deus potuit facere, potest etiam modò facere, cùm Dei potentia nunquam minuatur: Sed Deus potuit facere, quod antequàm Sortes curreret, non curreret,

reret, ergo. Resp. dist. Ma. omnia potest modo facere, dummodo semper illa subiaceant diuinæ potentiæ, conc. Ma. vt sunt preterita antequam fierent, secùs verò si contradictionem implicant, vt est, preterita, vt præterita non fuisse.

Arg. 3. Qui potest reparare charitatem amissam, potest & reparare virginitatem: charitas enim est maior virtus, quàm sit virginitas; sed Deus potest reparare charitatem; ergo &c. ergo etiam Deus potest facere, quòd præterita non fuerit. Resp. dist. Ma. Deus potest reparare charitatem, faciendo, vt ille qui peccauit, non peccauerit, neg. Ma. tollendo culpam, & conferendo charitatem, conced. Sed hoc non est facere, preteritum non fuisse.

DISPVTATIO CLIII.

Vtrum possit Deus facere modò, quod præterita non fuerint.

67
Concl. neg. siuè præteritum sumatur formaliter, siuè denominatiuè.

VNica Conclusio. Siuè præteritum sumatur formaliter, idest pro ipsa præteritione, siuè denominatiuè, idest pro re, quæ præterijt, contradictionem implicat facere, quod præteritum non fuerit præteritum. Prima pars est manifesta, quia hæc propositio, præteritum fuit preteritum, si ly Præteritum, *sumatur formaliter in vtroque extremo, est identica sed implicat reddere falsam propositionem identicam affirmatiuam; ergo implicat verificari eius contradictoriam, scilicet præteritum non fuit præteritum.*

Pro 2. parte 1. prob. Conclusio.

Pro secunda verò parte probatur etiam conclusio manifestè. primò ratione D.Th. in art. quæ est demonstratio; sicut enim contradictionem implicat dicere, quòd Sortes Sedet, & non sedet, ità quòd sederit, & non sederit; dicere autem quòd sederit, est dicere, quòd sit præteritum; dicere autèm, quod non sederit, est dicere, quod non fuerit. Vndè præterita non fuisse, contradictionem implicat.

2. Probatur. 2. pars.

Secundò prob. nam demus, quòd faciat Deus modò, vt Adam non fuerit, nunc interrogo, vel postquàm id fecit, scit se fecisse, vel non. Si des hoc secundum; ergo aliquid fecit, quod ignorat, se fecisse: si vero des primum; ergo postquàm fecit, scit se fecisse, vt Adam, qui erat, non fuerit; ergo postquàm fecit, scit Adam fuisse, antequàm ipse faceret, vt non fuerit, ac proindè postquàm factum est, vt non fuerit, verum est, illum fuisse; fuit ergo, & non fuit, quod contradictionem implicat.

68
Oppos. sent.

Oppositam sententiam tenet Porret. super Boetium de Trinit., quem refert, & sequitur Altisiodoren. in summa lib. 1. cap. 6. & Greg. in 1. d. 42. qu. 1. art. 2. & Cord. lib. 1. qu. 55. dub. vlt pro quo.

1, Obiectio.

Arg. 1. Quia non minùs potest modò Deus, quàm potuerit ab æterno; sed ab æterno potuit facere, quòd Adam non fuerit, & etiam id potest modò.

Resp. Deum habere modò eandem potétiam, quàm habuit ex æternitate.

Resp. Concessa maiori, neganda est Conseq. Deus .n. in seipso eandem potentiam habet modo, quàm habuit ex æternitate, si potentia Dei referatur ad rem ipsam secundùm se, antequàm ponatur fuisse, vel non fuisse, si verò referatur ad tempus nostrum secundùm differentias præsentis, & futuri, posito semel, rem fuisse, non potest facere, quòd non fuerit, quia esset facere duo contradictoria simul vera. Ad hoc autem nunquam etiam ex æternitate habuit Deus potentiam.

69
2. Obiectio.

Arg. 2. Si Deus non potest facere, vt præterita non fuerint, neque posse facere, vt quæ contingenter sunt euentura, non eueniant: sed consequens non est concedendum, quia aliàs necessariò illa faceret, & non liberè; ergo. sequel. prob. Deus ab æternitate sciuit, quæ nam contingenter sunt euentura; si ergo non posset efficere, vt de quocumque eorum non præcesserit in ipso scientia, non posset efficere, vt illud non eueniret.

Responsio Molinę Reijcitur. nõ quia Deus voluit Petrũ pœnitere, ideò pœnitet.

Resp. neg. Conseq. & ad eius probationem negatur sequela, ad cuius prob. Molina hic respondet negando Conseq & reddit rationem, quia scientia Dei non præcedit futuritionem rerum, sed potius è contrà. Vndè inquit, quòd si Deus, vel homo per suum liberum arbitrium facturi essent contrarium eius, quod Deus scit futurum, non esset ea scientia in Deo ex æternitate, sed esset scientia de contrario futuro: nec enim, quia Deus scit eo modo esse futurum, ideò euenit eo modo, sed è contrario, quia eo modo erat euenturum, Deus id sciuit. Sed hæc sententia iam satis suprà expugnata est, & prætereà breuiter modò impugnatur; nam idemmet argumentum militat de voluntate Dei respectù nostrorum futurorum meritorum, & tamen falsum est dicere, quòd non ideò, quia voluit Deus, Petrum pœnitere, ideò pœnitet, sed potiùs è contrà, quia ipse pœnitet, ideò vult Deus, quòd pœniteat.

Respond. ad Obiect. neg. conseq.

Vndè aliter respondetur, videlicèt negando similiter illam consequentiam, quia scientia Dei, quàmuis sit causa rerum, non tamen imponit rebus scitis necessitatem absolutam, sed solùm quandam necessitatem consequentiæ, quæ nullatenus impedit liberi arbitrij libertatem.

70
3. Obiectio.

Arg. 3. Multa ex his, quæ à Deo fuerunt reuelata, potuerunt non esse post reuelationem factam; ergo Deus post reuelationem factam, efficere potest, quòd non præcesserit talis reuelatio. Antecedens est certum, quia Christus post factam reuelationem de sua morte, potuit non mori, nam liberè posuit animam suam. Conseq. verò prob. quia aliàs reuelatio diuina posset reddi falsa, & Deus posset homines fallere.

Resp. multa reuelata potuerunt non esse, quæ subsunt diuinæ reuelationi, possibilitate rei.

Resp. dist. Antec. Potuerunt non esse, prout subsunt diuinæ reuelationi, possibilitate rei, conc. Anteced. possibilitate dicti, prout subsunt diuinæ reuelationi, neg. Antec. hæc autem necessitas solùm est secundùm quid, quæ non tollit libertatem. Vndè neganda est Conseq. & ad eius prob. neg. Antec. posset enim falli, si posset reuelatum aliter se habere possibilitate dicti, non autem posset falli per hoc, quod possit aliter se habere possibilitate rei, quia hoc ipsum cadit sub illa scientia Dei, scit enim Deus se contingenter futurum. Vndè necesse est, quòd contingenter sit, ac proindè, quod possit aliter fieri: at verò Deus non possit falli satis est, quòd scitum in ratione sciti habeat quandam dicti necessitatem, seù necessitatem consequentiæ, vt ait S. Th. suprà qu. 14. art. 13. ad 2 & 3.

71
4. Obiectio.

Arg. 4. Esse præteritum est quintum prædicabile comparatione Adæ; ergo diuina potentia poterit ab eo separari. Patet Conseq. ex definitione quinti prædicabilis.

Resp. conced. Antec. & dist. consequens.

Resp. conc. Antec. at distinguendo consequens; absolutè sine ordine ad aliquod determinatum tempus, conc. Conseq. positò quòd semel Adam relatus est ad tempus præteritum, in quo iam extitit, neg. Conseq. Vt enim aliquid sit quintum prædicabile, sufficit, quòd absolutè possit separari; non autem sequitur, quòd possit separari, facta suppositione, quòd ei competit, sicut supposito, quòd Petrus sedet in ista hora, non potest ab eo separari sessio in ista hora, quia aliàs sederet, & non sederet in ista hora.

5. Obiectio.

Arg. 5. Augustinus lib. 2. contrà Faustum cap. 4. ait, tam non possunt futura non fieri, quàm non fuisse facta præterita; at constat, Deum efficere posse, vt quòd futurum est, non fiat; ergo potest efficere, quòd præteritum non fuerit.

Resp. ibi Aug. loqui de futuro formaliter.

Resp. August. ibi loqui de futuro sumpto non materialiter pro re, quæ est futura, sed formaliter secundùm esse futurum; illud vero non minus implicat contradictionem, non esse futurum, quàm præteritum non esse præteritum. At verò de præterito sumpto materialiter, seù denominatiuè dicimus, implicare contradictionem, quòd non fuerit præteritum nempè de Adamo, in quo latum est discrimen inter præteritum, & futurum.



ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Deus possit facere, quæ non fecit.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio. Deus potest alia facere præter ea, quæ fecit, simpliciter loquendo. Prob. qui facit res propter finem ipsis rebus improportionatum, & super excedentem, non habet potentiam limitatam ad aliquem determinatum ordinem; tota enim ratio ordinis, quam sapiens rebus à se factis, imponit, sumitur à fine; sed Deus facit res propter finem improportionatum rebus, qui est ipsa sua bonitas; ergo sapientia, & potentia Dei non limitatur ad hunc ordinem rerum, sed multa alia, imò infinita facere potest.

Arg. 1. Deus non præsciuit, neq; præordinauit se facturum, nisi ea quę facit, ergo non potest facere nisi ea, quę facit, quia Deus non potest facere, nisi quę præsciuit, & præordinauit, se facturum. Resp. neg. Conseq. & ad prob. ly, Nisi, vel cadit super diuinam potentiam, ita vt Deus non habet potentiam faciendi nisi ea, quę pręsciuit, se velle facere, & hic sensus est falsus. Vel cadit super actum Diuinę potentię, & est sensus, quòd Deus non potest actu facere, nisi ea, quę pręsciuit facturum, & sensus est verus.

Arg. 2. Deus non debet facere, nec iustum est, vt faciat, quę non facit; ergo Deus non potest facere, nisi ea, quę facit; quia Deus non potest facere, nisi quod iustum est fieri. Resp neg. Conseq. & ad prob. Deus non potest, nisi illud, quod modò iustum est fieri, neg. nisi ea, quę modò iusta sunt, vel ea, quę si fierent, iusta, & conuenientia essent, conced. Sed nihil contra intentum.

Arg. 3. Rebus à Deo factis, non est bonum, aut conueniens, aliter esse, quàm sint; ergo Deus non potest facere, nisi ea, quę facit, cum Deus non possit facere nisi quòd bonum, & conueniens est rebus factis. Resp. neg. Conseq. & ad prob. Diuinam potentiam non esse ad hunc rerum cursum limitatam, ac proindè potest alias res facere, & alium cursum eis imponere, qui esset eis conueniens.

DISPVTATIO CLIV.

Quid sint in Deo potentia ordinata, ordinaria, & absoluta?

72 Variæ opiniones referuntur de potentia ordinaria, & ordinata.

MVlti pro eodem accipiunt potentiam ordinatam, & ordinariam, quia ordinatam potentiam vocant, quę aliquo ordine legis præfigitur, & ordinatur, & quę sub lege est, & ordinaria etiam est. Quarè absoluta potentia, est quæ lege absoluitur lata à Deo, vt si modo decerneret, aliquem damnatum ex inferno eripere, id faceret secundùm absolutam potentiam, non secundùm ordinatam, seù ordinariam. & antiqui Theologi solùm ordinatam potentiam videntur agnoscere, & appellare, & contraponere absolutæ, non autem potentiam ordinariam, vt patet apud D Thom. hoc art. 5. ad 1. & 3. cont. Gent. cap. 98. & apud Scotum in 1. dist. 44. qu. 1. eò quòd omnis potentia ordinaria, etiam est ordinata per sapientiam diuinam, licèt non omnis ordinata sit ordinaria, quia etiam extraordinaria ordinata est, & recta; & sic sub ipsa ordinata comprehendunt ordinariam.

73 Concl. potentia ordinata distinguitur ab ordinaria secundùm diuersos respectus. Ordinata potentia dicitur illa, quę subijcitur ordini, ac regulæ: ordinaria vero, quę communi lege operatur.

Nihilominùs tamen rectè distinguitur potentia; vt ordinata, & ordinaria secundum diuersos respectus. Absoluta verò potest dici, vel secundum quòd absoluitur ab vno respectu, vel ab alio, vel ab omni, si secundum se consideretur; licèt in re nunquam possit potentia in exercitio absolui ab omni respectu. Explico singula. Ordinata potentia dicitur illa, quæ subijcitur ordini, & regulæ sapientiæ dirigentis, & opponitur ei, quòd ordinatum non est, siuè purè negatiuè per absentiam regulæ, siuè priuatiuè per carentiam eius regulationis, quæ debetur. Regula autem, & ordo, qua ordinatur potentia exequutiua, & sapientia, & prudentia, seù consilium, quo voluntas rectificatur, & exequutio disponitur. Ordinaria potentia dicitur, quæ communi modo, & lege operatur, & contraponitur speciali legi, vel priuilegio, vel extraordinariæ dispositioni de re, non inordinationi. Nam etiamsi dispositio extraordinaria sit, & tamen ordinata per sapientiam, quia sapientia, & prudentia diuersos ordines, & dispositiones habeat, & ipsum dispensare, & specialia priuilegia facere secundùm sapientiam Dei, ordinatum est. Absoluta potentia est ipsa vis exequutiua considerata secundum se absque his respectibus, vel legis communis, vel ordinationis, & dispositionis specialis, & potest præscindere ab vno, vel ab alio respectu, ab isto, vel illo ordine legis, & ordinationis sapientiæ, vel considerari sine vllo ex his respectibus, sed nudè secundum se tantum.

74 Potētia ordinata operatur secūdùm aliquem ordinē diuinæ sapientiæ.

His suppositis dicimus, quòd potentia ordinata est illa, quæ operatur secundùm aliquem ordinem, & dispositionem, seù regulam diuinæ sapientiæ, siuè ordinariam, siuè extraordinariam, & specialem: cùm enim sapientia diuina infinitos rerum ordines habeat, secundum quos potest de rebus tractare, & disponere, licèt vnum relinquat, & alium assumat, secundùm quemcumque operetur, ordinatè facit, & per regulas rectas, & prudentes; & sic ordinata erit potentia, quæ id exequitur. Vndè si modo Deus crearet nouum Mundum, nouam stellam, aut aliquem ex Inferno eriperet, aut quodcumque miraculum faceret, nihilominùs secundum ordinatam potentiam faceret, quia hæc omnia regulata sunt per sapientiam diuinam.

Ordinaria vero dicit potētiam operantem, etiam secundùm leges communes.

Secundò addo, quòd ordinaria potentia dicit non solùm potentiam ordinatam secundùm sapientiam diuinam, sed operantem secundùm leges communes, & cursum communem rerum, non secundùm aliquid speciale, & extraordinarium respectù illius legis communis. Si verò facit aliquid extra has leges communes, vt miraculum, licèt faciat ordinatè, & secundùm rationis dispositionem, rectam tamen non facit modo ordinario, & secundùm potentiam ordinariam, sed specialem; & sic absoluitur à modo ordinario, recidit tamen in alium ordinem sapientiæ diuinæ, à quo dicitur ordinata illa potentia, licèt non ordinaria, idest modo communi, & ordinario operans.

75 Absoluta verò dicitur, quæ absoluitur ab his respectibus.

Denique potentia absoluta dicitur, quæ absoluitur ab his respectibus, seù legibus, & secundùm se solùm consideratur. Et quidem in re potest absolui à modo ordinario operandi, & non vt potentia ordinaria, vt cum facit miraculum, non tamen potest in re esse absoluta ab omni ordine sapientiæ diuinæ, sed si relinquit vnum ordinem, assumit alium; & sic semper operatur in re, vt ordinata, quia nunquam potest Deus aliquid in exercitio facere, nisi secundùm sapientiæ suæ dispositionem. Potest tamen secundùm nostram considerationem intelligi potentia exequutiua secundùm se, vt infinitæ virtutis est sine aliquo ordine ad regulas diuinæ sapientiæ, sed hoc solùm fit per intellectum; in re enim non potest ab omni isto ordine præscindere, dicitur tamen posse aliquid facere secundùm potentiam absolutam, idest non ordinario modo operantem, sed absolutam à legibus communibus, sed secundùm aliquem ordinem sapientiæ, ad quod tamen non requiritur vis infinita.

ARTI-

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum, an Deus possit meliora facere ea, quæ facit.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

PRima Conclusio. Deus non potest facere aliquam vnam rem meliorem, quam fecerit, bonitate essentiali. Prob. sicut se habet additio vnitatis in numeris, sic se habet additio differentiæ substantialis in definitionibus; sed additio vnitatis non facit numerum meliorem, sed potius variat speciem numeri; ergo additio differentiæ substantialis non facit rem substantialiter meliorem, sed mutat eius naturam. 2. Concl. Deus potest facere rem aliquam meliorem accidentaliter, quàm fecerit. 3. Concl. Deus quacumque re facta potest facere meliorem. Vtraque prob. quia Dei potentia non coarctatur ad hunc numerum, & ad has perfectionis differentias.

Arg. 1. Ea, quę sunt facta potentissimè, ac sapientissimè, non possunt meliùs fieri, quàm facta fuerint; sed Deus omnia, quæ facit, sapientissimè, ac potentissimè facit; ergo. Resp. dist. ly melius, vel est nomen, & significat rem, & sic neg.Ma. quia Dei potentia, & sapientia, cùm non sit exhausta, semper alias res meliores facere potest: vel ly melius est aduerbium, & significat modum, vel ex parte Dei, & Deus ex parte sua non potest facere res meliori sapientia &c. vel ex parte rerum, & tùm potest.

Arg. 2. si Deus potuit facere res meliores, quàm fecerit, fuisset inuidus, non faciendo eas meliores, sicut si Pater potuit, & voluit generare Filiũ sibi ęqualẽ, fuisset inuidus nisi generasset, iuxta Aug. l. 7. cõt. Maxim. c. 7. Resp.neg. parit.quia de ratione filij est, quod Patri sit æqualis, de ratione autẽ creaturæ non est, quòd sit melior, quàm modò sit à Deo facta.

Arg. 3. Id, quod est maximè, ac valde bonum, non potest fieri melius, quia maximo nihil est maius: sed vniuersa, quę Deus facit, sunt valde bona, ergo. Resp. dist. Ma. illud, quod est maximè, ac valdè bonũ non potest fieri melius secundum substantiam, conced. potest tamen accidentaliter melius fieri, & etiam fieri alia, & meliora.

Arg. 4. Christus habet Spiritum, non ad mensuram. Beatitudo creata est summum bonum. B. Virgo est exaltata super choros Angelorum: ergo saltem hæc tria non possunt fieri meliora. Resp. conced. totum, quia hæc tria habent quandam dignitatem infinitam, humanitas Christi, vt verbo vnita; Beatitudo, quia fruitur Deo: B. Virgo, quia est mater Dei.

DISPVTATIO CLV.

An, & quomodo Deus semper faciat, quod melius est.

76 Status quæstionis secundum aliorum opiniones refertur.

CIrcà responsionem ad tertium, non leuis controuersia suborta est inter aliquos Doctores nostri temporis, an scilicet Deus in creatione, conseruatione, & gubernatione vniuersi, prout iam factum est, ità fecerit id, quòd meliùs, & optimum est, vt melius aliquid fieri non potuerit, & ità fecerit optimum, vt licèt liberè libertate physica id factum sit à Deo, non tamen liberè libertate morali, sed cum necessitate morali ad id faciendum, vndè oritur alia vniuersalior quæstio, an scilicet Deus in operibus ad extrà necessariò necessitate morali semper faciat id, quod optimum in se est, ità vt aliter facere non possit moraliter. Sententiam affirmatiuam tradit Granado tom. 2. in 1. partem quæst. 18. tract. 2. disput. 3. quem sequitur, & fusissimè probat Ruitius de volunt. disput. 9. & 10. Ne autem videantur hi auctores sine vlla distinctione, aut limitatione id asserere, aliqua primum aduertenda proponunt, & primò quidem aduertit Granado, se non loqui de physica libertate, vt dictum est: nam secundùm fidem certam est, Deum ad extrà liberè operari quidquid operatur. 77 Opinio Granadi, & Reijcit.

Secundò se non loqui in ijs rebus, in quibus datur processus in infinitum, & absolutè non datur melius, nec optimum, vt est multitudo indiuiduorum possibilium, aut specierum; aut longitudo temporis, cùm enim sint possibilia indiuidua, & species rerum finitæ in infinitum, & tempus prius, & prius in infinitum, non potest in his quæri, an semper Deus velit, quod melius est, quia dato quocumque numero potest facere maiorem, & maiorem, & quia non datur infinitum actu possibile, nunquam Deus poterit omnia facere, & consequenter non datur melius, & optimum; sed quæstio intelligi debet in illis rebus, in quibus comparatis ad inuicem potest dari melius, & deterius, nec dabitur in infinitum, vt sunt, inquit extrema contradictionis v. g. Incarnatio, non incarnatio; prædestinatio, non prædestinatio; existentia mundi, non existentia, &c. Granadus nõ loquitur de physica libertate.

Demum addit hic Auctor, nec esse quæstionem de rebus creatis inter se prorsùs æqualibus, vt essent plures mundi eiusdem naturæ, & perfectionis omnino cum hoc mundo, tunc enim nec meliùs, nec deterius esset facere potius hunc mundum, quàm alium, sed Deus pro suo beneplacito facere posset, quod vellet. Itaque videtur tota controuersia ad hoc punctum reduci, an scilicet, si comparetur hæc rerum vniuersitas creata à Deo cum quacumque alia vniuersitate possibili, non quidem solo numero differente ab ista, sed etiam specie, aut genere, hæc sit melior, & optima, quàm quæuis alia. Item an comparata hæc vniuersitas cum hoc ordine, & serie accidentali rerum, cum omni alio ordine, & serie, quàm potuisset habere, qualis esset, si Adam non peccasset, si Christus Dominus non fuisset incarnatus, vel alia ratione id fuisset, & sic de similibus; an, inquam, hæc vniuersitas cum hac serie, & ordine rerum sit optima, & melior omni alia serie possibili, & intelligibili, non solùm à nobis, sed ab ipso Deo, & posito, quòd vtroque modo sit optima, & melior, an Deus necessitatem moralem habuerit ad hoc faciendum, & impossibilitatem moralem ad oppositum, & ad omnes alias rerum series, & eadem difficultas est de quibusdam rebus particularibus, vt vidimus. Addit Granado non esse quæstionẽ de rebus inter se prorsus æqualibus.

Præterea Ruitius aduertit, dum quærit, an Deus semper velit melius, & optimum, se non loqui de quadam bonitate, veluti extrinseca, proueniente in rebus à diuina volitione, quæ cum optima in se semper sit, & nunquam defectuosa, potest extrinsecè denominare rem volitam optimam, quo sensu dicere possumus, quod eo ipso, quòd Deus vult aliquid, illud est optimum, quatenus optima voluntate est volitum, sicuti etiam in rebus moralibus dicimus, quod meliùs est facere id, quod Superior imperat, etiam si id minimum sit, quàm facere aliud maius nolente Superiore, hoc enim pacto semper id, quòd Deus vult, est optimum: sed sermo est in hac controuersia de rebus ipsis comparatis ad inuicem in bonitate, & melioritate, antecedenter ad terminationem voluntatis diuinæ liberæ, posito, quòd vna res sit alia melior in se, seù maiorem bonitatem, & conuenientiam, & appetibilitatem habeat, sicuti magna virtus, & scientia est melior, quàm parua, &c. 78 Ruitius verò aduertit, se non loqui de quadam bonitate veluti extrinseca.

Limitatio 2. eiusdem Ruitij.

Item ex eodem Doctore colligitur disp. illa 9. sect. 1. Concl. 2. sensum quæstionis non esse, an posito quòd Deus efficaciter velit aliquem finem, velit etiam media efficacia ad illum finem consequendum, quæ ipse vocat optima, etiam si aliqua materialiter, aliqua media efficacia essent alijs similiter efficacibus perfectiora; nam certum est, hoc pacto semper Deum velle optimum, qua in re multa ibi habet, quæ parum videatur facere ad difficultatem.

3. Limitatio eiusdem Ruitij.

Postea sectione 2. magis distinctè, quàm Granadus explicat, in quibus rebus datur processus in infinitum in melioritate, atque adeò non posse Deum velle optimum, quia non datur; dari autem talem processum docet in vniuersitatibus rerum possibilibus specie, vel genere differentibus ab hac nostra, imò etiam solo numero differentibus, quam esse communissimam sententiam constat ex auctoribus multis ab ipso ibi citatis nu. 10. ita num. 11. concedit melius, & melius fuisse creare mundum prius, & priùs.

4. Limitatio eiusdem.

Demum sect. 3. ponit tres conclusiones. In prima docet, Deum liberrimè posse in genere rerum creatarum eligere illud obiectum, quod ex se minùs bonum esset, relicto obiecto meliori, & optimo, & explicat exemplo, quia non solum potuit Deus nullum creare mundum; sed etiam ex suppositione creationis mundi, & permissionis peccati Adæ, potuit prætermisso Incarnationis remedio, aliam inuenire rationem minùs accomodatam suæ gloriæ, & hominum saluti, & insuper permittere omnium hominum damnationem; & addit, has possibilitates negari non posse sine temeritate.

5. Limitatio eiusdem.

Vndè in secunda Conclusione docet. Absolutè loquendo, non fuisse necessarium, Deum eligere magis bonum, & magis conueniens, nec fuit simpliciter impossibile, Deum eligere minus bonum, & minus conueniens, vt ipse ibi probat. In tertia vero conclusione, in qua accedit ad opinionem Granadi, ait, Deum semper, atque, iniquit infallibiliter velle illud bonum, quod in ordine ad vniuersitatem rerum est simpliciter optimum, si tale optimum detur, ità vt quàmuis electio talis optimi sit physicè, & absolutè libera, tamen sit infallibilis, & moraliter necessaria, & explicat his exẽplis, nempè Incarnationis, productionis humani generis, & animalium, & Angelorum, aliquorum prædestinationis, permissionis peccatorum, & his similium. Itaque secundùm hunc Doctorem Deus fuit necessitatus moraliter ad creandos homines, & Angelos, & animalia, ad permittendum peccatum Adæ, & Incarnationem volendam, ad prædestinandos aliquos, & similia, tanquàm ad optima, posita hac rerum vniuersitate, in quo non video, quo pacto hæc vltima Conclusio cohæreat cum prima, si enim Deus non solùm liberè, sed etiam liberrimè voluit Mysterium Incarnationis, vt habetur in prima, quo pacto dici potest, quòd fuit necessitatus moraliter ad illud volendum, vt habatur in vltima, sed quidquid sit de hoc modo loquendi, videtur hic Auctor, duas primas conclusiones omninò intelligere de sola libertate physica, vltimam verò de morali.

79 Conclusio, ac vera sententia proponitur.

Contraria verò sententia, quæ sequentibus dubijs continetur, est communissima inter Doctores, eamque sequitur Suar. p. p. to. 1. l. 3. c. 9. in fine, vbi citat seipsum alijs in locis. Vasq. hic disp. 107. c. 2. & 3. & 3. p. disp. 1. c. 3. Ericicius p. 1. to. 2. disp. 20. c. 5. Alarcon p. 1. to. 3. c. 7. vbi citat Salas, Azorium, & Gilbum; & denique eam optimè probat, & defendit Io. de Lugo de Incarnat. disp. 2. c. 1. Idem communiter sentiunt alij S. Th. interpretes hoc loco, quia absolutè docent, Deum potuisse facere alium mundum meliorem isto, vel etiam istum meliorem, vt communis sententia est, vt suo loco probatur, Deum ex mera libertate, & benignitate, & absque vlla necessitate absolutè loquendo, tale mysteriũ decreuisse, & potuisse nõ decernere, quarè quoad hoc, rectè mihi videtur dixisse Alarcõ loc. cit. cõtrariã sententiã vix alicuius auctoris præsidio munitam inuenire, & Ericicius loco item cit. nostram sententiam esse communem sententiam omniũ Theologorum, præsens autem disputatio in hæc dubia diuiditur.

Dub. 1. An Deus absolutè nihil faciat ad extra ex necessitate. Vbi quomodo Deus faciat id, quod melius est, & optimum.

Dub. 2. Quomodo Deus semper faciat id, quod melius est.

Dub. 3. In quo respondetur obiectionibus in contrarium.

DVBIVM I.

An Deus absolutè nihil faciat ad extra ex necessitate.

80 *Concl. Deus ità ad extrà operatur, vt nulla necessitate sit compulsus.*

CONCL. Deus ità operatur ad extra, vt nullã prorsus operationem ad extra faciat absolutè, aliqua necessitate compulsus, nec physica, nec morali, dixi absolutè, & simpliciter, quia facta aliqua suppositione, multa Deus facit necessariò necessitate etiam physica, v. gr. posito, quòd Deus velit efficaciter aliquem finem, necessario ponere debet media efficacia ad illum, imo posito, quòd aliquid decreuit ab æterno, vt faciat suo tempore, necessariò illud facit, & similia, & hoc propter infinitam suæ voluntatis efficaciam, & immutabilitatẽ eiusdem; hoc ergo pacto non intelligitur conclusio; sed absolutè, & simpliciter, & antecedenter ad quoduis decretum.

Prob. petendo quid contrarij intelligant nomine necessitatis moralis.

Hæc conclusio adeo communis est, & certa, positis ijs, quæ secundùm fidem, & communem Doctorum sensum dicta sunt de libertate voluntatis diuinæ q. 18. supra, vt valde suspicor, quæstionem esse de nomine contra auctores supra cit. contrarium afferentes, & quidem quòd Deus physicam libertatem habeat in talibus operibus, omnes conueniunt, solùm controuersia est de morali. Peto ergo quid intelligant per moralem necessitatem, non enim potest intelligi, fieri per moralem necessitatem à Deo id, quod fit de lege ordinaria, iuxtà exigentiam creaturæ, vt aliqui videntur inuenire; nam hoc pacto saltem ea, quæ Deus facit per potentiam, & legem extraordinariam, etiamsi optima sint, non facerent cum hac necessitate morali, nec rectè lex ordinaria dicitur esse necessitas moralis in Deo; nam Deus sæpè miraculose de facto facit, & consequenter etiam moraliter potest facere contra id, quod lex ordinaria posceret, at verò quando aliquis necessariò necessitate morali est prędeterminatus ad aliquid faciendum, semper illud facit, & non potest moraliter facere, quod nullo modo dici potest de Deo circa ea, quę facit de lege ordinaria.

81 *Doctores cum dicunt, Deum de lege ordinaria necessariò facere hoc, & non posse facere illud, non ponunt in Deo necessitatem.*

Quare cùm Doctores dicunt communiter, Deum de lege ordinaria necessario facere hoc, vel illud, & non posse de lege ordinaria facere aliud non intendunt ponere in Deo aliquam necessitatem absolutam, siue physicam, siue moralem, sed solùm conditionatam, & sensus est, posito quòd Deus velit operari secundum exigentiam talis, vel talis rei, ad quod tamen nulla necessitate compellitur, necesse est, vt ita faciat, & non aliter, hæc autem est necessitas, etiam physica, & reperitur etiam in serie rerum supernaturalium, posito aliquo ordine, & modo inter ipsas, & demum si hoc pacto hęc necessitas explicaretur, nulla esset hęc quęstio, in qua quęrimus, an Deus absolutè, & simpliciter necessitetur ad aliquod extra se faciendum, nam manifestè sequitur in hoc sensu, Deum nulla necessitate physica, aut morali fuisse necessitatum ad creandum mundum, & posito, quod creare voluisset, ad creandum hunc potius, quàm alium, & posito, quod voluerit hunc creare, ad creandas tot species rerum, quàm alias, quàmuis posito, quod decreuit facere hæc, vel illa, non possit amplius aliud facere propter suæ voluntatis immutabilitatem.

82 *Si per necessitatem moralẽ intelligãt Auth. contrarij condecentiam ad diuinam potẽtiam, sapientiam, &c.*

Si vero per necessitatẽ moralem, intelligant quandam condecentiam, & conuenientiam ad diuinã potentiã, sapientiam, & bonitatẽ, ita vt Deus dicatur facere cum morali necessitate id, quod suam decet bonitatem, & sapientiam, tunc propositio duplicem sensum habere potest, primo mere affirmatiuum, vt sẽsus sit, quicquid decet, & conuenit diuinæ bonitati, &

sapientiæ

propositio habet duplicem sensum.

sapientiæ Deus necessitatur facere necessitate morali absolutè, & simpliciter, & hic sensus est falsus, nam multa sunt possibilia, quæ si faceret Deus, faceret eōdecenter, & sapienter, & iustè; & tamen ea non facit, vt supponitur ex articulo superiori, & ex quæst. 21. de Iustitia Dei, alioqui etiam sequeretur, quod quidquid Deus facit, etiam vbi non datur melius, & optimum, faceret eum morali necessitate, quia quidquid facit, est condecens suæ bonitati. Alius sensus est negatiuus, vt sensus sit, Deus nihil facit, aut potest facere, quod non deceat suam sapientiam, & bonitatem, & hic sensus est verus, sed non facit ad rem; nam primò hæc necessitas non solùm est moralis, sed physica, implicat enim contradictionem, Deum imprudēter, & insipienter agere, & consequenter aliquid facere, quod ipsum deduceat, imò nihil tale est possibile, & propterea Deus non habet potentiam ad peccandū. Nos autem hic quærimus, an Deus habeat necessitatem moralem absolutè ad faciendum aliquid extra se ex illis rebus, quæ sunt possibiles, quæ non repugnant scientiæ, & bonitati Dei.

83 *Necessitas moralis, cum qua coniuncta est moralis infallibilitas, potest intelligi in Deo proportionaliter, vt in nobis*

Demum necessitas moralis, cum qua coniuncta est moralis infallibilitas, posset intelligi in Deo proportionaliter, vt in nobis, quibus in multis, solet cōtingere, nam in nobis tunc dicitur esse moralis infallibilitas, & necessitas ad aliquid faciendum, coniuncta cum physica potentia ad illud omittendum, quando res, de qua agitur, in se considerata, non est absolutè extrà latitudinem effectus liberi, vt sic, in ordine ad nostram voluntatem; sed tàm vehemens est impulsus in voluntate, siuè ab extrinseco, siuè ab vtroque, & voluntas tantam difficultatem habeat ad illud omittendum, vt nisi non aliundè adiuuetur, non sit vllo pacto secundùm communem modum operādi hominum, & propter suam finitatem omissura, quæ vehementia, & difficultas interdum potest esse tanta, vt etiam physicam libertatem impediat. sed quando non est tanta, sed infra hanc magna est, dicitur impotentia moralis, & secūdùm similem rationem potest esse impotentia ad faciendum aliquid, & necessitas ad omittendum; in hoc ergo sensu reuera debet sumi hæc necessitas moralis in Deo, si deberet poni. sed hoc pacto impossibile est poni in Deo, in ordine ad res creatas, & ad operationes ad extra, ergo &c. assumptum prob. nam si talis necessitas ad operandum absolutè poneretur in Deo, non posset aliunde oriri, nisi ex magno aliquo excessu bonitatis in obiecto, rapiente diuinam voluntatem, & ex maxima inclinatione eiusdem voluntatis in illud; neque enim aliud fingi potest in Deo; sed quàmuis Deus infinitam habeat propensionem ad benefaciendum, & communicandam suam bonitatem creaturis, tamen quia ipse in se beatissimus, & fælicissimus est absque illis, nec vllum prorsus augmentū fœlicitatis, aut beatitudinis illi aduenit ex earū productione, vt q. 19. de voluntate dictum est; hinc à nulla creatura ità rapi potest, vt necessariò, etiam ficta hac necessitate morali, rapiatur, nisi ipse hanc sibi necessitatem imponat ex aliquo libero suo decreto; tunc autem non solùm moralis, sed physica etiam necessitas est, vt dixi paulo ante.

84 *Corollarium. Deus absolutè loquendo, nulla necessitate creauit mundum.*

Ex his facile inferri potest, Deum absolutè loquēdo, nulla prorsus necessitate creasse mundum, nulla item necessitate permisisse peccatum Adæ, & lapsum hominum; nulla necessitate compulsum voluisse hominem reparare, posito quòd voluerit; nulla item necessitate elegisse tale medium, & sic de similibus. Item facere quiuis deducere potest, nullam esse in Deo moralem necessitatē sine physica necessitate; & reuera vbi non est in Deo physica necessitas, non videō, in quo rectō sēsu possit poni necessitas moralis.

Prob. nulla necessitate morali aliquid, Deū ad extra voluisse: nam sequeretur absurdum.

Sed vlteriùs directè probo positam conclusionem, si Deus aliqua necessitate morali aliquid voluit ad extra, maximè est inde, quod in sua serie, vel ordine est optimum; hoc enim est fundamentum contrariæ sententiæ, propterea enim affirmant, Deum necessariò hoc, vel illud fecisse, quia fuit optimum, & in quibus non datur optimum, saltem moraliter, Deum nullam habuisse necessitatem ad producendum potius hoc, quàm aliud, sed ex eo principio sequitur absurdum, ergo illud est falsum. Mi. prob. quia sequeretur in tota serie rerum possibilium in nullo ordine, aut natura Deum cognoscere aliquid optimum, præter ea, quæ facta sunt, hic ergo duo ostendenda sunt. Primum, quod hoc sequatur. Secundum quod sit absurdum. Quod autem inde sequatur facile probari potest: nam si Deus aliquid aliud possibile optimū cognosceret prēter ea, quę facta sunt, iam illud necessariò produxisset, nam Deus necessariò producere debet id, quod optimum est, si datur tale optimū.

85 *Ex contraria sent. sequeretur quod si præter res factas, daretur aliquid aliud optimum cum suo ordine, illud etiam necessariò Deº fecisset.*

Si ergo præter res factas datur aliquid aliud optimum in suo ordine, illud etiam Deus necessario fecisset, sicuti necessariò fecit alia optima, quæ de facto fecit, alioquin non ex eo, quod aliquid est optimum, habetur quod Deus necessariò illud facit; quod esset destruere fundamenta contrariæ doctrinę. quod autē illud sit absurdum, facile probatur; nam etiam intellectus noster, licet imperfectissimus, potest multa possibilia cognoscere, quæ si essent absolutè loquendo, optima essent, saltem in alia serie rerum, & in alia mundi vniuersitate, v. g. si aliqua persona diuina assumeret tunc naturam angelicam, imò si omnes personæ diuinæ naturam aliquam, seu aliquas assumerent, si aliquis, vel aliqui homines crearentur, qui per gratiam essent immortales, & perseuerarent in tali statu vsque ad finem viæ; si Deus crearet aliquam creaturam spiritualem, quæ saltem per gratiam, esset etiā physicè impeccabilis circa visionem beatam, & similia, & certè videtur, nimis coarctari sapientia diuina, & fœcunditas diuinæ naturæ, asserendo, quod Deus ex omnibus, & infinitis rebus possibilibus prēter ea, quæ facta sunt nihil prorsus videat, quod in aliqua serie, vel ordine esset optimum eo modo, quo de facto dicitur esse optimum permissio peccati, prędestinatio, æterna damnatio pro aliquibus, & similia, certè id videtur gratis, & sine vllo fundamento dictū. neque dici potest, Deum non necessitari ad facienda omnia optima, sed posito, quod velit operari, non posse facere, nisi aliquod optimum, & necessitari ad faciendum aliquod; nam ex hoc sequeretur, nullum determinatum optimū fieri à Deo necessariò, quod tamen est contra aduersarios.

86 *Prob. 2 quia Deus neque necessitate morali compulsus potuit facere optimum ad extra, aut posset.*

Secundò idem prob. vnico argumen. quod tamen implicitè compræhendit ferè innumera argumenta similia hoc pacto; si Deus necessitate morali compulsus, absolutè aliquid ad extra facit, aut fecit, maximè ea, quæ censentur optima, in quibus datur optimum, vel melius sine processu in infinitum, vt fatētur aduersarij; sed nihil tale Deus fecit cum tali necessitate, ergo, &c. Min. prob. asserendo aliquid, prout quisque maluerit, & possunt afferi ferè infinita, nempè maximè esset Mysterium Incarnationis; prędestinatio hominum, aut Angelorum, electio Beatæ Virginis in matrem, permissio peccati Adæ, existentia mundi, reparatio generis humani, dona gratiæ hominibus, & Angelis, Beatitudo supernaturalis creaturarum rationalium, inflictio æternæ pœnæ morientibus in mortali, & infinita alia, quæ reducta ad propositiones contradictionis aiunt aduersarij, melius esse vnam partem, quàm aliam; & sic Deum ex morali necessitate eligere vnam partem, & aliam relinquere propterea, quia illa melior est, & optima; posito ergo aliquo ex prędictis, aut similibus ostendendum est, Deum tale aliquid nulla prorsus necessitate compulsum, absolutè loquendo, elegisse, sed non potuisse absolutè eligere aliud, quod communiter solet probari in ipso Incarnationis mysterio, quod Deus ex maxima sua benignitate, & bonitate elegit sine vlla necessitate, & potuisset omittere, etiam si voluisset humano generi iam lapso subuenire, id. n. potuit alijs modis, licèt fuerit tale mysterium necessarium, posito, quod Deus voluerit subuenire homini modo optimo, sed tunc talis necessitas non solùm fuisset moralis, sed physica, posito quod nō fuerit possibilis alius modus melior, vt nunc suppono.

87 *Confirm. quia Deus nulla necessitate moral*

Sed ego omnibus prędictis exemplis omissis, aliud pono ob oculos, quod magis ostendit debilitatē prędictæ sententię, nempe permissionem peccati Iudæ,

compulsus permittere peccatum Iudæ.

vel peccati Adæ;tum sic argumentor permittere peccatum Iudę, & non permittere peccatum Iudæ sunt contradictoria,& non datur processus vllus in infinitum,tunc peto, an fuerit meliùs permissio peccati, an vero non permissio,absolutè loquēdo, vel etiā quauis suppositione,si nō fuit melior permissio peccati, ergo cùm Deus elegerit permissionem peccati, non elegit id,quod melius erat,etiam vbi non datur processus in infinitum,& inter terminos contradictorios, si fuit melius permittere tale peccatū, quis dicat,Deum ex necessitate morali fuisse compulsum,ità vt moraliter facere aliter non potuerit, ad permittendum peccatū Iudæ,vel Adæ,vel Angelorum, neque re vera ostendi potest vllum caput talis necessitatis moralis in Deo, nec meo iudicio rationabiliter fingi, neq; .n. valet, si quis dicat,Deum fuisse ad id compulsum,nō absolutè.

88 *Sequeretur ex oppos. sent. non solu necessitate morali.sed etiā physica: Deum permisisse peccata occidentium Christū.*

Sed posito,quod decreuerit,Christum Dominū mori iniusta morte,sic .n.debuit permittere peccata occidentium,inter quæ,& ad quæ reducitur peccatum Iudæ; si .n.hoc dicatur,tunc non solùm necessitate morali,sed etiā physica, debebat Deus permittere peccata,facta illa suppositione, quod autē permiserit peccatum potius huius,quàm alterius, nulla fingi potest moralis necessitas,similiter si dicat,Deum fuisse ad id necessitatum, posito quod voluerit ostendere, tali determinato modo maximā Christi Domini patientiā, & benignitatem, & similia; tunc peto,vel posito tali determinato modo ostēsionis,habuit Deus aliud medium ad illam exequendam,vel non habuit,si nō habuit,ergo posito hoc determinato fine, fuit necessitas etiam physica in Deo ad tale medium;si habuit,ergo nec vlla necessitas moralis fuit ad talem modum exequutionis, & simile, quod dici potest de permissione peccati Adæ,& innumeris alijs exemplis, quæ aliorū ingenio, & iudicio relinquo,argumenta vero pro cōtraria opinione ponam infra.Demum alij communiter idem confirmant,quia alioquin inutiles,& superfluæ essent orationes ad petendum aliquid a Deo,nam quod petimus,vel est meliùs,quàm suum oppositum, vel non; si primum, illud Deus faciet ex necessitate morali,& certe,si secundū,certū est,quod Deus illud non faciet,quia non est meliùs, & sic de similibus.

DVBIVM II.

Quomodo Deus faciat id, quod melius est,& optimum?

89 *Concl. Deus de facto non semper facit, quod est optimum.*

Concl. Deus de facto non facit semper optimum, aut melius,si consideretur operatio diuina precisè in ordine ad indiuidua substantialia, quæ Deus operatur,aut circa,quæ operatur,siuè se ipso solo,siuè cum concursu aliarū causarū,hæc, & sequentes cōclusiones differunt in hoc à priori, quia ibi consideratur modus, quo Deus operatur, an scilicet cum aliqua necessitate,aut sine vlla,quidquid sit illud, quod operatur; nunc verò nō consideratur modus,sed res operata,an semper sit optima,aut melior,quam opposita; & quidem in hac conclusione nemo est,qui contrariū rectè sentire possit,vt probari potest in infinitis exemplis,& ex vniuersali doctrina tradita q. 19. a. 9. vbi

90 *Prob. quia Deus vult aliqua mala propter aliqua bona. mala n. respectu alicuius sunt mala.*

ostensum est,Deum velle aliqua mala propter aliqua bona,quæ mala, si sunt mala, respectū alicuius sunt mala, & sic non semper Deus vult, & facit id, quod melius est respectū illius particularis immediate,circa quod operatur, v. g. meliùs esset peccatori non peccare,quàm peccare, & habere gratiam efficacem ad non peccandum, quàm carere, & tamen Deus sæpè denegat; meliùs esset damnatis, non esse damnatos, quam esse.melius fuisset Iudæ non esse natum, quàm tradidisse Christum,melius esset Beatis habere eundē gradum gloriæ, quem de facto habent, sine peccatis in vita commissis,quàm cum illis; meliùs esset singulis indiuiduis corruptibilibus non corrumpi, quàm corrumpi;meliùs est homini,ità à Deo adiuuari,vt nō patiatur detrimentum animæ suæ, quàm illud pati, etiamsi totum mundū lucretur,& infinita similia,quę tamen non fiunt,quare in his Deus non semper facit id,quod meliùs est, licet sæpissime etiam fiat, ratio autem huius rei est, quia ratio vniuersalis prouidentiæ circa vniuersum,prout nunc est, & bonum ipsius, exigit talem modum gubernationis.

91 *2. Concl. Deus nulla facta suppositione, non fecit in omnibus id, quod melius est.*

Altera Conclusio quamuis Deus, vt Auctor huius mūdi,& in multis circa hoc vniuersū fecerit id,quod melius, & optimum,tamen nulla facta suppositione, non fecit in omnibus id, quod melius est, & optimū absolute,& absolutè, ita vt simpliciter poterat meliùs facere,aut alio modo optimo facere. Hæc Conclusio est ipsa S. Th. doctrina hoc art. & quidem, quod in multis Deus fecerit de facto id,quod absolutè melius est,aut optimum facilè constare potest exemplis,nam melius fuit creari mundum,quàm non creari, meliùs aliquos prędestinasse,quàm nullum,&c.Item Incarnatio Verbi,maternitas Beatæ Virginis,& visio beata in suo quæq; ordine optimum quid est,vt ipse S. Th. fatetur ad 3.in quo facilè conueniunt Aduersarij.

92 *Prob 1. quia hoc Vniuersū, quamuis sit optimum,non ità est optimū, vt non potuerit fieri meliùs accidentaliter.*

Alia verò pars conclusionis, in qua est difficultas prob.quia hoc vniuersum,prout de facto est,quamuis sit optimum modo explicando infra, tamen non ità optimum est,vt non potuerit fieri meliùs accidentaliter,vt etiam fieri aliud vniuersum melius hoc,tàm accidentaliter, quàm substantialiter, vt expresè habet S. Th. in fine corp.& ad 3 & alibi, & tamen Deus non fecit hoc melius; igitur absolute non fecit optimum, neque quod melius est, neque videtur esse sufficiens ea responsio, si dicatur, quod in accidentali, vel essentiali melioritate mundorum datur processus in infinitum; in his autem Deus non fecit melius, nec optimum, quia non datur; non valet, inquam; primò quia hoc pacto reddunt valde debilem probationem suam, in qua maximè fundantur, sumptam ex auctoritate Patrum asserentium, Deum facere semper optimum, & quod melius: nam Patres loquentes de hoc mundo, prout de facto est,fuit, & erit, vsurpant illum loquendi modum, quod scil. Deus hunc mundum optimum fecit; si ergo aduersarij fatentur,hunc mundum,nec meliorem, nec optimum dici posse propter processum illum in infinitum, iam discordant à Patribus, vel certè tenentur explicare modos, illos loquendi Patrum, & sic nihil ex illis colligere possunt.

93 *2. Prob. quia etiam in iis rebus, in quibus nullus datur processus in infinitum. Deus non fecit id, quod est optimum.*

Secundò,quia etiam in his rebus,in quibus secundùm vnam considerationem datur processus in infinitum,secundùm aliam potest res reduci ad terminos contradictorios, in quibus nullus datur processus, & vna pars est melior alia,& tamen Deus non fecit id, quod melius est simpliciter, quare etiam hoc pacto eorum doctrina falsa est, v. g. inter existentiam alterius mundi melioris isto, & non existētiam eiusdem, non datur medium, nam existere alium mundum meliorem isto, & non existere sunt contradictoria, & certum est, existentiam talis mundi absolutè, & simpliciter esse meliorem,quàm non existentia, & tamen Deus non fecit id,quod melius erat,non enim creauit illum mundum meliorem; sicuti ergo ipsi dicunt,quod existētia huius mundi est melior, quam non existentia,nec datur in hoc processus, & propterea Deum fecisse existentiam; ita dico pariter, quod existentia alterius mundi melioris isto est melior, quàm non existentia, & tamen Deus non fecit id, quod melius est inter hæc contradictoria,cùm non, igitur semper facit melius, etiam inter terminos cōtradictorios, & idem argumentum fieri potest in infinitis rebus optimis absolutè,quas Deus potuisset facere, & non fecit, v. g. existentia Angeli A. possibilis melioris, quam sit Supremus Angelus de facto, est melior absolute, quam non eius existentia, nec in hoc datur processus in infinitum, & tamen Deus talem Angelum non fecit. Item existentia Incarnationis omnium personarum diuinarum, & non existentia opponuntur contradictoriè, & existentia est melior,quam non existentia, & tamen Deus illud non fecit,non solùm stante hoc mundo,sed etiam in nullo alio modo possibili,& sic de similibus,quare excludere ab hac difficultate res,in quibus processus in infinitum,est inane effugium.

94 *Existentia alterius mundi est melior, quàm nō existentia,Deus tamen cum nō creauit.*

95 *3. Prob quia absolutè loquēdo melius non*

Tertio idem probari potest ex ipsismet exemplis, quæ adducunt aduersarij ad ostendendū, quod Deus sēper faciat id,quod melius est,vbi nō datur processus in

fuit Adam non peccare, quàm peccare.

in infinitum, exceptis illis suprapositis, in quibus verè datur optimum, vt est vnio hypostatica. Incipio ergo ab ipso peccato Adæ, & dico, melius fuisset, Adam non peccare, quàm peccare absolutè, & simpliciter loquendo, & tamen Deus noluit efficaciter primum, sed permisit secundum. Antec. prob. quia absolutè loquendo melius est bonum, quàm malum; virtus, quàm vitium, nec hoc vllo pacto negari potest absolute quidem illud esse melius, non autem posito bono, quod Deus ex illo peccato erat eliciturus, quo posito, melius fuit permittere peccatum; Sed contra primum est, Deum non semper facere id, quod melius est absolutè, maxime cùm talia bona per accidens consequantur ad peccatum, vt facilè colligitur ex dictis q. 19. art. 9. secundò, quia vel ad talia bona, & ad manifestandam in illis gloriam suã, fuit omnino necessaria permissio talis peccati, vel non fuit necessaria; si non fuit necessaria, igitur poterat manifestare talem gloriam suam per talia bona, etiam si non permisisset peccatum, quare melius fuisset non permittere, sed alio meliori modo possibili talia bona conferre.

96 *Responsio, Diluitur 1. quia Deus potuit maiora alia bona facere, sine permissione peccati; absolutè loquendo.*

Si Dices, fuisse omnino necessarium, iam sequitur primò Deum non necessitate morali tantum, sed etiam physica permisisse peccatum, facta illa suppositione, & tunc sequeretur, Deum ideo illud peccatum permisisse, non quia id esset absolute melius, sed quia erat omnino necessarium posito tali fine; deinde non video, quæ nam sint hæc bona tam magna, ad quæ fuerit necessaria permissio peccati, ità vt Deus non potuerit maiora alia bona sine permissione peccati inducere in mundum; nam Incarnatio potuit eligi sine permissione peccati, & similiter maternitas B. Virginis, & prædestinatio, & gloria æterna, & similia maxime bona, quod si aliqua bona sint, quæ necessariò supponant peccatum, vt patientia Martyrum, & Victoria, ostensio iustitiæ diuinæ, & similia, ea non talia sunt, vt Deus non potuerit, vel æqualia, vel maiora beneficia conferre hominibus sine peccato; sicuti de facto status gloriæ in Beatis erit absolutè melior, quàm status viæ, & tamen ibi non est peccatum, & quamuis Deus nunquam exercuisset, aut exerceret iustitiam suam punitiuam, tamen potest eam perfectissime manifestare hominibus, & Angelis, absque vllo ipsius exercitio actuali, & exaltare maximè misericordiam suam, & alia attributa, impediendo peccata, sicut exaltauit in B. Virgine; eam præseruando a peccatis; non igitur dici potest absolutè, & rigorosè meliorem fuisse peccati Adæ permissionem, quàm non permissionem, sed solùm secundùm quid, & posito tali ordine rerum, vt infrà.

97 *2. Diluitur, quia absolutè loquendo, melius absolutè fuisset plures ex hominibus esse prædestinatos, quàm non esse.*

Idem exemplifico in hoc alio casu, meliùs absolutè fuisset plures ex hominibus esse prædestinatos, quàm non esse, sicuti fuit in Angelis, & tamen Deus non elegit primum, sed secundum, ergo &c. Ant. prob quia quamuis Deus, vt supremus Dominus, & infinitè sapiens optimo consilio omnia operetur ex parte sui, & nemo sit, qui possit illi rectè dicere; cur ità facis? atque adeò etiam in tali, & tanto numero prædestinatorum hominum sapientissimè operetur, tamen si ex eadem sua potentia, & sapientia decreuisset, maiorem esse numerum hominum prædestinatorum, quàm reproborum, non video, nec vlla videtur afferri posse ratio, cur absolutè, & simpliciter hoc non fuisset melius, & magis manifestatio suæ gloriæ, nam in numero prædestinatorum dari potest processus in infinitum, & sic maior numerus esset semper melior cæteris pluribus, vt ex ipsis principijs aduersariorum constat, nec video, cur etiam absolutè non esset optimum, si ex meritis Christi omnes homines essent prædestinati: item si totus mundus post Christi prædicationem esset christianus vsq; ad diem iudicij, si inter christianos esset perpetua pax, & tranquillitas in Ecclesia, quod sæpe Ecclesia petit, persuadens sibi id absolutè, & simpliciter esse melius, quàm contrarium; & multa alia similia afferri possunt, quæ absolutè videntur meliora, quàm sua opposita, & tamen Deus non decreuit illa facere, & saltem videtur prorsus sine vlla ratione dici, quod Deus nõ potuisset illa facere nisi potentia physica: at verò moraliter fuisse necessitatem ad contraria, vel facienda, vel permittenda.

Tertia Conclusio. facta aliqua suppositione, quæ semper necessariò facienda est in ordine ad operationes ad extra, dici potest de facto Deum fecisse id, quod melius, imo & optimum est, non quidem materialiter, & physicè, sed vt multi loquuntur, & moraliter, & formaliter in ordine ad finem manifestandi gloriam suam per communicationem suæ bonitatis, & ostensionem suorum attributorum, & hoc non in omni sensu, sed in aliquo mox explicando. 98 *3. Concl. facta aliqua suppositione in ordine ad operationes ad extrà. Deus de facto fecit id, quod melius est.*

Pro intelligentia conclusionis constituendum est, tanquàm certissimum, & omnino demonstrabile: quod in operationibus ad extra, & posito quod Deus velit extra se aliquid producere, quod tamen liberrimè, & physicè, & moraliter, vt constat ex dictis, necesse est, vt ipse sibi determinet, & præfigat nostro modo intelligendi terminum, & gradum, & velvti finem communicandi suam bonitatem, & attributa ad ostensionẽ gloriæ suæ, & suarum perfectionũ, sine qua posita determinatione impossibile est, vt aliquid operetur, & ea posita, postea determinat media, non solùm sufficientia, sed efficacia ad assequendum talem finem, & tantam gloriam suam in extrinseca participatione, & communicatione creaturarum.

Et quia Deus eundem finem, & terminum assequi posset per varia media, & varias dispositiones creaturarum suarum, & diuersos modos prouidentiæ suę in se perfectiores, vel imperfectiores materialiter, & physicè, omnes tamen efficaces ad talem finem, &c, etiam liberè omni modo se determinat ad talem determinatum modum prouidentiæ suæ iuxtà suum beneplacitum; posita ergò illo priori determinatione dicitur Deus infallibiliter, & necessariò facere id, quod melius, seù optimum est ad talem finem consequendum; quatenus ponit media efficacia ad illud, & quibus nihil desit ad talem finem efficaciter consequendum, & nihil in illis sit indecens, aut repugnans suæ sapientiæ, & bonitati, aut repræhensibile; dici autem solet rectè optimum illud, cui nihil deest ad suum finem efficaciter consequendum; hoc autem habet Deus propter infinitam suam sapientiã, & efficaciam suæ voluntatis, cui nihil resistere potest, quia suum finem assequatur; hoc ergo pacto in vniversum dicitur, Deus semper facere ad extra id, quod melius, & optimum est, non autem absolutè, & simpliciter, & omni modo possibili. 99 *Deus liberè se determinauit ad varios modos Prouidentiæ suæ ad extrà.*

Veritas prædictæ doctrinæ videtur demonstrari posse hoc pacto, quia posita veritate infinitæ omnipotentię, bonitatis, & sapientiæ diuinæ, & fœcunditate diuinæ naturæ, &c. certum est, Deum posse cõmunicare bonitatem suam, & ostendere in tali communicatione gloriam suam finite in infinitum sine vllo termino, quare impossibile est, & implicat in terminis, vt Deus volendo operari ad extra, dicat, volo communicare bonitatem meam, quantùm possum, & quærere gloriam meam extrinsecam, & ostendere infinitas diuitias bonitatis, & maiestatis meæ, quantùm possum, seu meliori modo, quo possum absolute, quia hoc quantùm possum, in Deo non datur, & implicat, vt omnes hoc loco supponimus, neque potest Deus in incertum velle operari, quasi dicat, nunc incipio, postea videbo, quid alterius sum facturus, & quo perueniam, hoc enim implicat in Deo perfectissime, & vnico actu suæ voluntatis operante, necessariò ergo, vt operetur, debet se determinare ad communicandum suam bonitatem, & ostendendum gloriam suam, & manifestandam in creaturis (quibus tamen nullo modo indiget) in aliquo certo, & determinato gradu, & termino a se præfinito, & determinato, vltra quem non vlterius operetur; hoc autem non est necesse, vt sit melius, & optimum absolute, quia tale melius, & optimum in hac re non datur, nec existimo, in hac re posse quidquam in contrarium responderi. 100 *Prob. 3. Concl. Quia posita veritate infinitæ omnipotentiæ; Deus potuit communicare hanc bonitatẽ, & ostẽdere gloriam suam.*

Confirm. exemplis particularibus, v. g. posito, quod Deus velit communicare bonitatem suam & osten- 101 *Confirm. quia posita commu-*

...nicatione visionis beatificæ, necessariò sequitur determinatus gradus talis visionis.

extendere suam gloriam per eleuationem creaturæ rationalis, vel intellectiuæ ad visionem beatam, necesse est, vt determinet vltimum gradum talis visionis, & veluti terminum, vltra quem non fiat eleuatio, siuè intensiuè, siue extensiuè, & sic tales creaturas, & tot postea eleuet ad talem, vel talem gradum; posita verò tali determinatione, necessario dat talibus creaturis media efficacia, atque adeò optima ad talem finem consequendum. Similiter posito, quod velit creare mundum corporeum, necesse est, vt determinet maximam quantitatem molis, quam velit, postea vero tot corpora producit, quæ illam impleant, & sic de similibus, sic ergo negari non potest, vniuersaliter loquendo in sensu prędicto, semper Deum facere optimum, & melius, dum operatur ad extra, nec posse aliter facere, non solùm moraliter, sed etiam physicè; sed hæc necessitas non est absoluta, sed conditionata fundata in mera libertate suæ voluntatis, per quam se determinat liberè, absolutè ad hoc, vel illud volendum, & in immutabilitate suæ voluntatis, non autem in tali, vel tali bonitate obiecti, quæ necessitat vllo modo diuinam voluntatem.

Asserimus etiã Deum in multis rebus particularibus fecisse optimum, sicuti in Incarnatione &c.

102 Non nego tamen, quod in multis etiam rebus particularibus, dicitur, Deum fecisse optimum in alijs sensibus, vt infra, sicuti in Incarnatione fecit optimum, quia in suo genere non datur melius, &c. Sed dico vniuersaliter verissimum esse in aliquo vero sensu, quod Deus semper facit optimum, non tamen quia ex parte obiecti non potuerit facere melius, & melius, v. g. mundum meliorem, & meliorem, &c. & propterea S. Doct. docuit, quod, *vniuersum positis istis rebus non potest esse melius, propter decentissimum ordinem attributum à Deo*, qui ordo præsupponit determinatum modum, & mensuram communicandę suę bonitatis modo dicto; non autem quia absolutè non potuerit hoc vniuersum melius efficere, aut aliud vniuersum melius, & melius, cum hoc, vel alio etiam decentissimo ordine, iuxtà rerum talis vniuersi exigentiam, & conditionem, hoc enim omnino potuit.

Nota. pro solutione argumẽtorum in seq. dub.

Pro solutione argumentorum aduertendum est, omnia argumenta ad duo capita reduci posse. Primum pertinet ad probandum, quod Deus de facto in omnibus suis operibus fecerit optimum, & id, quod melius est. Secundum pertinet ad probandum, quod hæc fecerit Deus cum necessitate morali explicata, quia contrarij Doctores solent confundere hęc duo capita, ideo respondebo ad argumenta, prout ab ipsis proponi solent, & quidem multa obijcit Granado, & fere innumera Ruiz ex Patribus, & Scripturis, & rationibus congerit loco cit. ad quæ longum esset, & minime necessarium in particulari respondere, solùm ego efferam, quid in communi dici possit, & aliqua magis difficilia loca examinabo.

DVBIVM. III.

In quo respondetur obiectionibus in contrarium.

103 *1. Obiectio.*

Arg. 1. Sancti Patres non solùm contra Manichæos, Marcionistas, & alios hæreticos, sed etiam absolute sæpe docent, hunc mundum esse optimum, & Deum in hoc mundo fecisse, & facere, quod melius, & optimum est; ergo contraria sententia repugnat doctrinæ Patrum.

Resp. 1. Patres reuera non mouisse hanc quæstionem in hoc rigoroso sensu.

Resp. 1. Patres re vera non mouisse hanc quæstionem in eo rigoroso sensu, in quo nunc mouetur à recentioribus Theologis, sed alio modo, vt infrà; non enim existimarunt, Deum tota sua infinita sapientia non potuisse cognoscere aliud vniuersum in multis melius isto, aut istum non potuisse in multis meliorare; nam etiam secundùm aduersarios, vt expresse fatetur Ruiz. loco cit. sect. 2. num. 10. in bonitate mundi creati, aut creabilis datur processus in infinitum, & consequenter secundùm ipsum non datur absolutè optimum, aut melius, & consequenter non potest dici, quòd Deus de facto fecerit optimum, aut melius, quod etiam habet Granado loco cit. sec. 1. n. 2 quarè etiam ipsi tenentur explicare Sanctos Patres, quando eo modo loquuntur, & sic secundùm omnes aliquo modo explicandi sunt.

Resp. 2. hunc mundum dici optimum, non absolutè, sed positis istis rebus pertinentibus ad mundi integritatẽ, & ordinem.

104 Potest ergo 2. responderi cum S. Th. hic ad 3. hunc modum dici optimum, & non posse fieri melius in ordine ad Deum, & diuinam prouidentiam, quia non absolutè, sed positis istis rebus pertinentibus ad mundi integritatem, & ornatum, quæ de facto fuere à Deo creatæ, & dispositæ, *habet decentissimum ordinem his rebus à Deo attributum, in quo consistit bonum vniuersi*, & vt habetur in 1. dist. 44. q. 1. art. 2 in corp. *quia in vniuerso nihil est inordinatum*. Itaque non solùm hoc vniuersum dicitur optimum propter perfectissimam, & conuenientissimam partium dispositionem, & subordinationem ad inuicem, & ad suum finem, sed etiam quidquid Deus facit, aut permittit, dicitur esse melius in ordine ad diuinam prouidentiam, & optimum, quia sine vllo defectu, aut imperfectione, aut deficientia ordinatur à Deo ad efficaciter consequendum finem gloriæ suę secundùm mensuram, quam ipse sibi præfixit, iuxtà eam, quæ dicta sunt supra in tertia Concl. & infra, quam perfectissimè, & infallibiliter assequitur per talem prouidentiam, & dispositionem, & hoc totum intellexit S. Doct. pauculis illis verbis, & sic explicauit locum quendam S. Augustini, vt etiam facit loco cit. in 1. ad 1. & sine dubio in hoc sensu omnes intelligimus id, quod dicitur, Deum in ordine ad se, & ad finem vniuersi semper facere, quod optimum, seù melius est, non autem quia Deus infinita sua sapientia non potuerit aliud vniuersum melius isto, aut hoc vniuersum meliùs facere per maiorem suæ bonitatis communicationem, & maiorem ostensionem suæ gloriæ cum alio etiam decentissimo ordine proportionato ad talem determinatum finem; hoc enim nulla ratione denegari potest infinitæ omnipotentię, bonitati, & sapientiæ diuinæ.

Item dicitur optimum, quidquid Deus facit, & permittit ad consequẽdum finem gloriæ suæ.

Hoc etiam vniuersũ consideratum quoad suas partes integrales, & species rerum, dici optimum.

Potest etiam hoc vniuersum consideratum tantùm quoàd suas partes integrales, & species rerum dici optimum, quia componitur, & constat, vel absolutè ex omni genere, & gradu entis possibilis, vel saltem ex præcipuis gradibus sufficientibus ad constituendam perfectam pulchritudinem conuenientem vniuersitati rerum, licèt posset dari alia vniuersitas perfectior, sicuti in scriptura sacra multæ res dicuntur pulchræ, imo & pulcherrimę, quia habẽt integrè, quod requiritur ad absolutam pulchritudinem, etiam si alia alijs pulchriora sint, ità cum hoc vniuersum habeat partes, & species sufficientes ad constituendã debitam vniuersi pulchritudinem, & omnes etiam species ipsius habeant suas debitas proprietates, & perfectiones secundùm naturam debitas, imo etiam aliquæ habeant ornamenta, etiam supernaturalia; potest dici pulchrum, & pulcherrimum, & optimũ. sicuti etiam multi dicuntur perfectè Sancti, & Sanctissimi, quia nihil illis deest requisitum absolutè ad perfectam Sanctitatem, quamuìs vnus alio sanctior esse possit: & sicuti in patria omnes erunt perfectè Beati, quia nihil cuique deerit ad perfectam beatitudinem, etiamsi vnus alio beatior sit. sæpè enim in hoc sensu communiter vsurpamus nomen optimi; hæc ergo vniuersalis doctrina facilè applicari poterit ad aliqua particularia loca, quæ citari possent.

105 *2. Obiectio.*

Arg. 2. in particulari S. Thomam infra q. 47. art. 3. ad. 2. cum enim in secundo argumento proposuisset, quòd natura facit, quod melius est, multò magis Deus, & cùm melius sit, plures esse mundos, quàm vnum, cur tamen Deus vnum mundum, non plures fecerit? videtur respondere, Deum non fecisse plures mundos, sed vnum, quia pluralitas mundi non est melior, nisi materialiter, & solùm secundùm numerum, atque adeò non attenditur à Deo agente, cùm non habeat finem, seù terminum, & semper remanere possit eadem difficultas, cur scil. factis duobus mundis, non fecerit plures, & sic in infinitum. sed ex hoc textu non video, quid aliud sequitur, nisi quod in his, in quibus datur processus in infinitum, non dici possit, quod Deus faciat id, quod melius est, maximè cum ibi S. Doct. loquatur de mundis solo numero

Resp. in his, in quibus datur processus in in...

finitum Deum non fecisse optimum.

numero inter se differentibus; sic enim duo essent quid melius, quàm vnus solùm materialiter, quare ex eo loco potius colligitur, quòd absolutè loquendo, & nulla facta suppositione Deus non semper facit id, quod melius est, cum ibi expresè concedat S. Doct. quod plures mundi essent saltē materialiter quid melius, quā vnus tātū, cū autē dicitur, quod natura facit, quod melius est; & sumitur ex Arist. 8. Phys. tex. 56. & 2. de Cœlo t. 34. & 2. de generat. t. 59. & consequēter Deus auctor naturæ, qui talem determinationē in natura posuit, intelligendum est in ordine ad finē à Deo intētum in hoc vniuerso, vt supra dictum est, seu in ordine ad perfectionem vniuersi, & suarum partium, nisi fortè per accidens impediatur in hoc mundo inferiori, quantùm ad indiuidua corruptibilia, & generabilia; Sic enim interdum generantur monstra, &c. nihil autem habet ibi S. Doct. an Deus absolutè semper faciat, quod melius est, vt volunt aduersarij, sed de hoc expresè egerat hoc præsenti loco.

106 *Soluitur, ac explicatur alius locus D. Th. nam optimi agētis est producere optimū totum.*

Multò minus videtur ad rem facere alius locus eiusdem S. Th. eadem qu. 47. a. 2. ad 1. vbi habet, *quòd optimi agentis est producere totum effectum suum optimum*, quasi dicat, non est necesse, vt in aliquo opere composito ex multis partibus, quælibet pars sit optima simpliciter, vt nulla sit alia melior, sed satis est, si totum sit optimum, quamuis habeat partes meliores, & deteriores, vt constat in animali, vt ibi exemplificat S. Doct. ex quo concludit, quòd licèt non quælibet pars huius mundi sit optima, vna enim est melior alia, tamen totum est optimum simpliciter, quia scil. in hoc vniuerso nihil datur melius ipso toto, & nihil illi deest ad perfectionem vniuersi, nec aliud ibi habet S. Doct. si autem ab eo petatur, quo sensu hoc vniuersum dicatur optimum? petenda est responsio ex præsenti art. 3. nec est opus mendicare loca extranea S. Th. vbi habetur locus, in quo ex professo de aliqua re disputat, & se ipsum manifestè declarat, nam omnia loca per vltimum regulari debent, multò minùs habetur ibi, quòd Deus ex aliqua necessitate morali fecerit hoc vniuersum, licèt optimum.

107 *3. Obiectio.*

Arg. ex alio loco S. Th. 1. cont. Gen. c. 75. præsertim ratione secunda, vbi ex eo, quod Deus seipsū, & essentiam suam per seipsum amat per comparationem ad nos, qui ea, qua propter se amamus, volumus esse optima, & semper meliora, & multiplicari, quantùm possibile est, infert, quod cum essentia diuina secundùm se non sit multiplicabilis, & augmentabilis, *secundùm suam similitudinem, quæ à multis participatur, vult Deus rerum multitudinem ex hoc, quod suam essentiam vult, & amat.* Item ratione tertia ex eo, quòd qui amat aliquid propter seipsum, amat consequenter omnia, in quibus illud inuenitur; infert, cùm Deus suum esse secundum se, & propter seipsum amat, omne autem aliud esse sit quædam sui esse secundùm similitudinem participatio, *quod ex hoc ipso, quod Deus vult, & amet se, vult, & amat alia*; & similia habet toto illo capite, ex quo duo colligunt Contrarij. Primum, quod Deus ex necessitate morali velit alia extra se. Secundum, quod semper velit optimum, quod potest, & melius sed reuera etiam hic locus est valde extortus, & non benè intellectus; nam S. Doct. eo loco nihil prorsus probare intendit, nisi omninò illud ipsum, de quo agit, q. 19. supra a. 2. vt fusè ibi explicauimus, nempè Deum congruentissimè, & secundùm inclinationē suæ naturę posse velle, & de facto velle omnia creata eo ipso, quòd vult se ipsum, alioquin ex illo discursu male intellecto potius inferetur necessitas physica, quàm sola moralis, solùm ergo vult S. Th. quod omnia creata amantur à Deo propter seipsum, & ex eo, quod ipse amet seipsum, & non alio modo amet omnia creata, & conuenientissime hoc modo amet, nec ibi fit vlla mentio huius optimi, de quo disputamus, nec necessitatis.

Resp. hæc loca D. Th. solùm probare congruentissimè velle omnia creata, eò ipso, quòd seipsum vult.

108 *Confirm. hæc doctrina ex alijs locis D. Th. vbi, videtur esse falsum duo ex necessitate velle alia à se.*

Confirm. 1. quia in fine capitis dicit, probari prædicta ex eo loco Sacræ Scripturæ. *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti*; ex quibus verbis nihil colligitur ad rem pro aduersarijs. Confirm. 2. quia eodem lib. 1. contr. Gen. c. 81. manifestè explicat, & destruit, quod aduersarij intendunt hoc loc. cit. & seqq. capitibus inferre, ait enim initio: *Si autē diuina voluntas est diuinæ bonitatis, & diuini esse ex necessitate*: quasi dicat, si diuina voluntas necessariò amat suam bonitatem, & suum esse, *posset alicui videri* (vt ex parte saltem videtur aduersarijs) *quod etiam aliorum ex necessitate est, cùm omnia alia velit volendo suam bonitatem, vt supra probatum est*, nempe cap. illo 75. cit. ab ipsis, quod tamen ostendit esse falsum, & repetit doctrinam traditam eadem q. 19. a. 3. Quod autem etiam excludat moralem necessitatem quamcumque patet ex illis verbis in fin. nu. 1. nempè: *Cùm igitur diuina bonitas sine alijs esse possit, quin imò, nec per alia ei aliquid accrescat nulla inest, necessitas, vt alia velit ex hoc, quòd vult suam bonitatem.* at necessitas moralis est aliqua necessitas, maximè vbi est tanta, vt contrarium moraliter sit impossibile omninò, si ergo impossibile fuit moraliter, Mundum non fieri à Deo, non potest dici absolutè Deum sine vlla necessitate mundum fecisse, vt toto illo cap. probat S. Doct. sicuti non potest dici, quod homo in natura corrupta grauiter tentatus, & destitutus auxilio gratiæ sine vlla necessitate peccat, cùm impossibile sit moraliter nō peccare, licèt physicè sit possibile, & sic de omnibus similibus, & certè S. Doct. huius moralis necessitatis, quæ si est, maximè est in Deo, debuisset facere aliquam mentionem, vbi ex professo agit de necessitate in ordine ad creationem. Legi etiam potest S. Doct. q. 24. de verit. a. 4. circa fin. corp. quare hæc necessitas nullum habet fundamentum S. Th.

109 *Instabis.*

Dices. Qui perfectè amat Deum, necessariò vult illi obedientiam, & alia bona extrinseca pertinentia ad eius gloriam, & honorem, & qui magis amat, magis hæc vult, & plura, & qui perfectissimè amat, vult hęc quantum potest; ergo cum Deus amet seipsum perfectissimè, necessario aliquo modo vult sibi etiam hęc bona extrinseca creaturarum ad suam gloriam, & honorem.

Resp. esse disparem rationē nam qui amat Deum, vult Deo placere, ei autem magis placet, qui eius honorem, & obsequium quærit:

Resp. paritatem ex nostro amore ad amorem Dei valde deficere, in re præsertim nostra; nam qui amat Deum, vult ex hoc illi placere, & qui magis amat, magis placere, magis autem placet, quo magis eius gloriam, & obsequium, & honorem quærit, & perfectè placet Deo, qui perfectè implet, quantum potest circa Dei obsequium, & gloriam, & quia omnis creata virtus est finita, & habet maximum, hinc est, vt multi ament Deum, quantum possunt, & operentur propter eius gloriam, quantum possunt. At Deus infinitè amando se, infinitè sibi ipse complacet, & placet, & volendo creaturas, non magis placet sibi ipsi, nec melior, nec beatior est, quàm non volendo, sed semper æquè beatus, nec habet vllum terminum in ordine ad creaturas, quare etiam si infinitè amet se, nullo modo sequitur, quod ex necessitate, velit alia à se, nec vllam rem, nec plura, nec omnia, vt benè concludit S. Th. quæst. 24. de verit. cit.

110 *4. Obiectio.*

Arg. 4. Deus habet infinitam bonitatem, cùm ergo bonum sit diffusiuum sui, sequitur, quod habeat infinitam propensionem ad sui communicationem, ergo saltem habet moralem necessitatem ad id infallibiliter faciendum, Resp. neg. hanc vltimam Conseq. sicuti negaretur physica necessitas ex illo antecedēti, & ratio est, quia illa infinita inclinatio in Deo oritur ex eo, quod quidquid est in Deo est infinitū ens, nec potest aliter esse, & ex alia parte, vt cōparata ad creaturas, respicit illas, vt aliquid, à quo nullo modo dependet, & sine quibus perfectissima est in seipsa, ità vt nihil illi perfectionis, aut fœlicitatis accrescet ex illarum productione; quare illa infinita Dei bonitas, & inclinatio ad creaturas, comparatur finitæ bonitati creatæ in ordine ad communicandam se ipsam alijs extra se in agentibus liberis, quæ non habent talem necessitatem moralem absolutè ad benefaciendum alijs, maximè si ex tali beneficio nihil illis perfectionis, aut fœlicitatis accrescat; imo etiam si aliquid non necessarium accresceret; sic dites non habent necessitatem

Resp. infinitam inclinationem in Deo, oriri ex eo, quòd Deus est infinitum ens.

necessitatem ad subueniendum pauperi, sed liberè, physicè, & moraliter id facit; multò magis Deus liberè benè facit creaturis, etiam moraliter, absolutè loquendo.

5. Obiectio. Arg. 5. Infallibilitas cum morali necessitate in multis tribuitur Deo, neque indè sequitur aliquid absurdi, ergo neque absurdum erit, si illi tribuatur in ordine ad quoduis optimum, vbi datur tale optimũ. Antec. prob. quia infallibile est, & necessariũ moraliter, vt si homo moriatur in peccato mortali, damnetur; si in gratia saluetur; item necesse est, Angelos semel creatos durare æterno tempore, & sic de alijs rebus incorruptibilibus, & similibus, neque ex his sequitur aliquid diuinæ libertati repugnans, ergo &c.

Pro solutione Nota. Pro cuius solutione recolendum est, quod alibi dixi, quod sc. infallibile dici potest illud, quod nunquam, vel ordinariè non fallit, nec deficit, licèt possit etiam moraliter fallere. Secundò, quòd ità non fallit, vt nõ possit absolutè fallere, & si non possit etiam metaphysicè, dicitur infallibile metaphysicè, si solùm moraliter, dicitur infallibile moraliter.

Resp. Deum extra se, absolutè loquendo, nihil facere infallibiliter. Dico ergo primo modo, Deum multa facere infallibiliter, vt in exemplis positis, & multis similibus, quæ de lege ordinaria facit; at secundo modo dico Deum absolutè loquendo nihil extra se facere infallibiliter, nisi ex suppositione sui decreti, & tunc coniungitur infallibilitas moralis, & physica, exceptis ijs rebus, quæ implicant cõtradictionem; sic enim Deus non potest peccare, non potest facere hominem irrationalem, &c. Dico ergo ad exempla posita, illas res esse infallibiles, & necessarias, posito decreto diuino de non dispensando illi legi ordinariæ, quam de facto Deus seruat iuxta exigentiam rerum; cæterùm Deus absolutè potuisset dispensare, dummodo nihil iniustum, aut indecens sibi faceret; hoc enim, nec moraliter, nec physicè potest; sicuti de lege ordinaria necesse est omnibus hominibus semel mori; potuisset tamen Deus facilè huic legi dispensare, etiam post peccatum, & sic de similibus, quarè absolutè nulla est necessitas in Deo, in ordine ad res ad extra, nisi ex suppositione, modo sępè dicto, de facto autem scimus, Deum voluisse in hoc vniuerso decentissimũ ordinem rerum, & sic voluisse optimum modo sæpè explicato.

QVÆSTIO XXVI. D. TH.

De Diuina Beatitudine.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Beatitudo Deo competat.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio. Beatitudo maximè Deo competit. Prob. Cui excellentissimè conuenit esse perfectum, & intelligentem, maximè conuenit Beatitudo, cùm Beatitudo nihil aliud sit, quàm bonum intellectualis naturæ; sed Deo maximè conuenit esse perfectum, & intelligentem; ergo Deo maximè competit, esse Beatum.

Arg. 1. In eo, cui competit Beatitudo, est aggregatio omnium bonorum, iuxta Boet. 4. de consol. Sed in Deo non habet locum aliqua bonorum aggregatio, sicut nec compositio, ergo. Resp. dist. Mi. In Deo non habet locum aggregatio bonorum per modum cõpositionis conced. mi. sed per modum simplicitatis, neg. Mi.

Arg. 2. ex Philos. 1. Ethic c. 9. Beatitudo est præmium virtutis; sed Deo non conuenit præmium; ergo. Resp. dist. Ma. Beatitudo est præmium virtutis per se neg. Ma. per accidens: concedo: Beatitudini enim, seu fœlicitati per se non conuenit esse præmiũ virtutis, nisi inquantùm aliquis eam acquirit, sicut esse terminum generationis non conuenit per se enti, sed hoc ei accidit, inquantùm aliquis acquirit esse per generationem; in eo autem, cui per se conuenit esse, non est terminus generationis, sic est Beatitudo.

DISPVTATIO CLVI.

An Beatitudo Deo competat.

P*Rima Conclusio est de fide. Beatitudo maximè Deo competit. Vndè antonomasticè, & absolutè dicitur Beatus à Paulo* 1. *ad Thimot.* 6. quem, *hoc est Iesum Christum*, suis temporibus ostendet beatus, & solus potens, rex regũ, &c. *Ratio euidentissima deducitur ex natura beatitudinis, & ex perfectionibus, quas esse in Deo fides docet. Est enim beatitudo*, status quidam omnium bonorum aggregatione perfectus. *ergo ille proprijssimè, & maximè beatus est, qui omnia bona perfectissimo modo habet, ità vt nullo bono careat, aut carere possit, nullius indigentiam habet, nihil desideret, & hanc suam perfectissimam bonitatem semper comprahendat, & amet cum summa satietate, absque vllo desiderio, ac fastidio. Huiusmodi autem esse Deum, nullus est, qui natura, ac fidei lumine Deum agnoscat, & non fateatur. Enim verò si fidei credimus, Angelos, & homines esse beatos ex eo, quod finito modo vident, & amant diuinum bonum ipsis extrinsecum, quantò magis credendum est, beatum esse Deum, qui hoc ipsum bonum per summam identificationem, independentiam, & necessitatem ex intrinseca natura, & essentia sua possidet, & comprahendit, atque amat modo prorsus infinito. In Deo etiam, vt dicitur hic ad* 1. *est omnium bonorum aggregatio*, non per modum compositionis, *qui imperfectionem includit*, sed per modum simplicitatis, *qui est perfectissimus habendi modus*. 112 2. Concl. affirm. prob. quia Deus omnia bona perfectissimo modo habet. ità vt nullo modo careat.

Secunda Conclusio. Beatitudo Dei increata non habet rationem præmij virtutis, sicut habet Beatitudo creaturarum; sed maximè naturaliter, & essentialiter Deo competit. ita hic ad 1. *& patet, quia Deus, vt dictum est, non est Beatus dependenter ab aliquo extrinseco, sed in seipso, & per seipsum, & ex seipso; ergo non potest mereri beatitudinem. Ergo hæc non potest esse præmium virtutis: Vndè Deus est sibi sua beatitudo, vt ex instituto probat S. Th.* 1. *cont. Gen. c.* 101. *beatitudini igitur, vt sic, accidit esse præmium, inquantum scil. acquiritur per meritum: sicut enti vt sic, accidit esse terminum generationis, inquantum scil. acquiritur per dependentiam ab aliquo agente. Sed sicut esse diuinum, quia illimitatum, & independens est, esse non potest terminus generationis; ita diuina beatitudo, cùm sit pariter illimitata, atque independens, habere nequit rationem præmij acquisiti per meritum.* 113 2. Concl. Beatitudo Dei increata non habet rationẽ pręmij virtutis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Deus dicatur Beatus secundùm intellectum.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COnclusio. Deo, & alijs Beatis attribuenda est, Beatitudo secundùm intellectũ. Prob. perfectissimum bonum naturæ intellectualis est ei attribuendum secundùm perfectissimam eius operationem; sed Beatitudo est perfectissimum bonum naturæ intellectualis, & ipsum intelligere est perfectissima eiusdẽ operatio, quia secundùm operationẽ intelle-

intellectualem, ipsa natura intellectualis capit quodammodo omnia: ergo &c. Deus autem est naturę intellectualis; ergo.

Arg. Bonum dicitur de Deo secundum essentiam, vt Boet. dicit; sed Beatitudo est, summum bonum, ergo dicitur de Deo secūdùm essentiam, & non secundùm intellectū. Resp. neg. vltimam partem Conseq. quòd non sit Beatus secundùm intellectum; est enim Deus Beatus secundùm essentiam, idest essentialiter Beatus; Ratio autem, qua Beatus dicitur, est ipse intellectus, vndè Deus est Beatus secundùm essentiam ratione intellectus.

Arg. 2. Quod habet rationem finis, est obiectum voluntatis; sed Beatitudo habet rationem finis, ergo. Resp. conced. quòd Beatitudo sit obiectum voluntatis, ex hoc enim non sequitur, quòd Deus non sit Beatus secundum intellectum; & ratio est, quia obiectum potentiæ debet preintelligi actui ipsius potentiæ; prius enim est visibile, deindè actus videndi, ideò cùm Beatitudo sit actus voluntatis, debet præintelligi actui ipsius voluntatis. Vndè secundùm modum intelligendi prius est Beatitudo diuina, quàm actus voluntatis in ea quiescens; & hoc non potest esse, nisi actus intellectus. Vndè in actu intellectus attenditur Beatitudo.

DISPVTATIO CLVII.

Vtrum Deus dicatur beatus secundùm intellectum.

Explicatur titulus.

INtelligenda quæstio est de beatitudine formali, nam de obiectiua agitur art. sequenti, & de illa est proportionaliter philosophnadum, sicut de formali creaturarum beatitudine, vt hic in fin. corp. docet S. Th. de qua ex instituto disputatur 1. 2. q. 3. a. 4. Vndè supponi, ac peti debent, vt fusius probata, quæ hoc loco breuissimè tanguntur, vt benè notat hic Caiet.

114 1. Concl. affirm.

Prima Conclusio affirmatiua, cuius sensus secundùm Caiet. & Siluestrum in comentarijs huius articuli est hic formalis beatitudo, seù ratio, qua Deus constituitur formaliter beatus, est solùm operatio intellectus, non autem voluntatis, aut ratio substantiæ, aut potentię, aut aliquod aliud prædicatum ex ijs, quæ formaliter sunt in Deo, siuè essentiale, siuè attributale, siuè relatiuum. Quòd beatitudo Dei, sicut & aliorum beatorum, consistere debeat in aliqua operatione, probatur 1. 2. q. 3. a. 2. ex communissima opinione, quam ipsemet Philosophus expressè docuit, ac probauit 1. Ethic. c. 7. & 8. & 12. met. tex. 51. Et sæpè alibi · quia nomine beatitudinis formalis intelligi debet medium aliquod, quo formaliter apprahendimus, & consequimur, seù possidemus obiectum beatitudinis, quę consequutio operationem aliquam manifestè importat. & quidem intellectualis substantia, siuè creata, siuè increata, si concipiatur absque illa operatione, concipitur otiosa, & imperfecta, & veluti dormiens, quam beatam nemo dixerit, etiam si reliqua omnia bona in se habere fingatur, tunc enim esset beata, non formaliter, sed materialiter, hoc est, si circa sua bona non tenderet per actum intellectionis, aut amoris, aut delectationis, aut alterius operationis, aut compararetur ad illa bona, ac si ea verè in se non haberet, nemo enim beatum in diuitijs suis, quantumuis magnis, vocaret eum, qui illas ità habet, vt non intelligat, nec amet, nec fruatur. Vndè Sapienter S. Th. art. præced. cum docuisset; Beatitudinem esse summum bonum intellectualis naturæ, *vt explicaret formale beatitudinis complementū, ità immediatè subdit,* cuius est suam sufficientiam cognoscere in bono, quod habet.

Quod debeat beatitudo in operatione consistere, probatur. quia nomine beatitudinis formalis, intelligi debet mediū aliquod, quo formaliter apprehendimus obiectum.

115 Quod hæc operatio sit intellectus, & non voluntatis. prob. nam facta comparatione inter actum intellectus, & volūtatis, ille est, qui percipit, non hic.

Quòd autem hæc operatio sit intellectus, non voluntatis, quæ duo tantum operationum genera in Deo agnoscimus, breuiter probauit S. Th. illis verbis. Perfectissimum in qualibet intellectuali natura est intellectualis operatio, secundùm quam capit quodammodo omnia. *Vbi accipienda est perfectio formaliter in ratione perceptionis, & possessionis obiecti beatifici, vt patet ex illa limitatione addita;* secundùm, quam capit omnia, *non materialiter in ratione rei. Quod aduerto ad vitandam illam quæstionem inter Thomistas, & Scotistas, & alios, cuius tractatio hoc loco esset impertinens, an intellectus perfectior sit voluntate. Vis igitur optimæ rationis vberius explicata 1. 2. q. 3. a. 4. & infrà q. 18. est hæc. Beatitudo formalis secundùm omnes consistere debet in illa operatione, qua Beatus in natura sua intellectuali formaliter capit, seu percipit, & possidet obiectum beatificum: omnes enim concipimus, illum esse beatum, qui iam consequitur, & habet, quod desiderauit; at facta comparatione inter actum voluntatis, & actum intellectus, hic ex natura sua est adeptio, & obiecti perceptio, non ille, & ratio est, quia cognitio, cùm sit tendentia, & actualis tendentia, & apprehensio obiecti, continet quodammodo in se obiectum, & est quasi ipsum obiectum, nimirum in esse intentionali, & repræsentatiuo; & ideò sicut ipsa est præsens, ità facit ipsa per se obiectum præsens intelligenti præsentialiter obiectiuè; ergo per cognitionem possidetur obiectum in ratione obiecti; vndè cognitio ab omnibus vocatur appræhensio, & perceptio. Quod non solum conuenit cognitioni intuitiuæ de re præsenti, qualis est diuina, de qua nunc loquimur, sed etiam abstractiuè de re absente, qua concipimus quidem rem absentem, quæ verè absens est, tamen adhuc facimus rem illam nobis præsentem, nempè per præsentem actualem repræsentationem rei absentis, in quo cognitio etiam abstractiua de re absenti differt à desiderio, quia hoc fertur in rem absentem, etiam ex modo operandi, cùm per illud expressè velimus, obiectum absens fieri nobis præsens: cognitio verò ferri quidèm potest in obiectum cognitum, vt absens, sed factum præsens, & obiectiuè possessum ex modo operandi, nimirum per præsentem expressam appræhensionem, & similitudinem.*

116 Intellectus formaliter possidet obiectum.

117 Actus voluntatis cum sit inclinatio, nō facit ex natura sua obiectum præsens voluntati.

Actus verò voluntatis, cùm nihil aliud sit, nisi affectus, & inclinatio in obiectum, non facit ex natura sua obiectum præsens voluntati, sed potius voluntatem præsentem obiecto: voluntas enim non trahit obiectum ad se, sicut intellectus, sed trahitur ab obiecto, & quasi exit ad amatum, *vt loquitur hic Caiet. in 2. quæst. quamobrem amor obiecti non est consequutio, & possessio actiua obiecti, sed potiùs passiua, nimirum per affectum. Vndè amor, vt amor, indifferenter, & æquè fertur in rem absentem per desiderium, & in rem præsentem per delectationem. Et quando fertur in rem præsentem, præsentialitas non prouenit formaliter ab ipsa dilectione, & delectatione, sed præsupponitur facta prius, vel ab intellectu, vt cùm Beatus delectatur de Deo clarè viso, vel à potentijs exequutiuis, vt cùm auarus delectatur de pecunia realiter acquisita.*

118 Delectatio aduenit voluntati ex hoc, quod finis est præsens.

Vndè optimè S. Th. 1. 2. q. 3. a. 4. ante med. corp. negat hanc causalem. Ex hoc aliquid fit præsens, quia voluntas delectatur in ipso *& concedit aliam oppositam:* Delectatio aduenit voluntati ex hoc, quod finis est præsens; *præsentia enim, & possessio boni delectabilis præcedit delectationem, tanquam obiectum præcedit actum; quia delectatio est de bono iam adepto, & aliundè possesso; Ergo præsupponit priorem adeptionem, & possessionem intellectiuam; ergo delectatio de Deo non est formaliter ipsa Dei possessio, sed hæc est visio Dei: ergo in visione, non in delectatione consistit formalis beatitudo, tàm in nobis, quàm in Deo, in quo etiam intellectus est intentionalis consequutio, & possessio, & ipsa formaliter intētionalitas præsentialitas obiecti, & voluntas est inclinatio, & affectus in obiectū ex alia formali ratione præsuppositum intentionaliter præsens; quoniam hæ sunt essentiales rationes intellectus, & voluntatis, prout analogicè abstrahunt ab esse creato, & increato.*

119 Formatur vis rationis D. Th.

Hinc percipi potest vis rationis S. Th. ad 2. cui ex dictis est al quid addendum. Beatitudo, *inquit*, cùm sit bonum, est obiectum voluntatis, obiectum autem præintelligitur actui potentiæ. *deinde ità supplendum, sed obiectum voluntatis est bonum iam perceptum, & possessum per intellectum, in qua perceptione, & possessione sita est formalis beatitudo; ergo*, secundùm modum intel igendi, priùs est beatitudo diuina, quàm actus voluntatis in ea requiescentis. Et hoc, *scilicet actus diuinæ beatitudinis*, non potest esse, nisi actus intellectus. Vnde in actu intellectus attenditur beatitudo.

120 2. Conclusio. Deus est beatus secundùm essentiam, nã beatitudo Dei nullo modo differt ab esse diuino.

Secunda Conclusio. Deus est Beatus secundùm suam essentiam: non autem beatitudo ei conuenit secundùm rationem essentiæ, sed magis secundùm rationem intellectus. *Mihi videtur S. Th. sumere essentiam pro esse; quia paulò ante circa finem corp. præmiserat*. In Deo non est aliud esse, & intelligere secundùm rem, sed tantùm secundùm intelligentiæ rationem; *ergo cum statim docet, Deum esse Beatum*, secundùm suam essentiam, *solum intendit, beatitudinem diuinam re ipsa nullo modo differre ab esse diuino: quod nullam habet difficultatem, quia Beatitudo Dei est intelligere Dei, sed intelligere Dei est idem secundùm rem cum esse Dei, ergo etiam beatitudo Dei; deindè addit, quod si esse, & intelligere in Deo considerentur, & distinguantur secundùm rationem nostram, Deus non est beatus formaliter per formalitatem essendi, sed per formalitatem intelligendi, quod ex dictis probatum remanet.*

121 Deus est formaliter beatus per gradũ constitutiuũ essentiæ, quę est intellectualitas à se, vel &c.

Verùm si loqui volumus formaliùs de essentia Dei, prout distinguitur ratione ab attributis, & relationibus, Deus etiam dici debet secundùm essentiam, imò secundùm vltimum, & perfectissimum gradum constitutiuum essentiæ, vt expressè docet Suarez in met. disp. 30. sect. 14. num. 18. quia est Beatus formaliter per actum intelligendi, vt in prima Concl. ostensum est, actus autem intelligendi est perfectissima, & vltima ratio constitutiua essentię diuinæ in esse naturæ, vt supra qu. 14. art. 4. t. 1. Vnde ipsemet Gentilis Philos. 7. Polit. cap. 1. circa med. loquens de Deo, ait, fœlicem esse, atque beatum, non per aliquid externorum, sed per seipsum, qui talis est secundùm naturam.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Deus sit beatitudo cuiuslibet Beati.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

CONclusio. Ex parte obiecti solus Deus est Beatitudinis obiectum, ex parte actus, Beatitudo creaturarum creatarum est aliquid creatum; ex parte verò ipsius Dei etiam ex parte actus est aliquid increatum. 1. Pars prob. quia ex hoc solùm aliquis est Beatus, quia Deum videt, ex Aug. lib. 5. Confess. c. 4. 2. Pars patet, quia actus, quo creaturæ sunt Beatę, est aliquid creatum. 3. Pars liquet, quia actus, quo Deus est Beatus, est ipsemet.

Arg. 1. Summum bonum est Beatitudo cuiuslibet Beati; solus Deus est summum bonum; ergo; Resp. dist. Ma. Beatitudo est summum bonum simpliciter, quantùm ad obiectum, conc. Ma. quantùm ad actum in creaturis, nego; non enim est summum bonum simpliciter, sed in genere bonorum participabilium à creatura, quantùm ad actum.

Arg. 2. Esse vltimum finem creaturæ rationalis conuenit soli Deo; sed Beatitudo est vltimus finis creaturæ rationalis; ergo. Resp. dist. Ma. esse vltimum finem, cuius creaturæ rationalis conuenit soli Deo, conced. Ma. esse vltimum finem, quo, nego; hic autem non est Deus, sed actus; nam finis cuius, est res ipsa; finis, quo, est vsus rei.

DISPVTATIO CLVIII.

An Deus sit beatitudo cuiuslibet beati.

PONit S. Th. *duas conclusiones, quæ communissimè recipiuntur, & si quam habent difficultatem, & controuersiam, alibi ex instituto tractatur.*

122 1. Concl. solus Deus est Beatitudo obiectiua creaturæ intellectualis, quia solus Deus est bonum vltimũ, & perfectissimum.

Prima Conclusio. Solus Deus est Beatitudo obiectiua creaturæ intellectualis; ac proindè est summum bonum simpliciter, & finis vnius, & vltimus, vt res. *Ità in corp. & ad 1. & 2. & est certum de fide ex illo Ioan.* 17. Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum. *Et fusè prob. à S. Th. 1. 2. qu. 2. per octo articulos, eiusque ratio vniuersalis, & optima in articulo octauo est, quia solus Deus est bonum vltimum, & omnium perfectissimum continens in se omnem rationem veri boni:* Obiectum autem voluntatis est vniuersale bonum, sicut obiectum intellectus est vniuersale verum. *ergo voluntatis appetitus non potest totaliter quietari, nisi in solo Deo, quia qualibet res creata non continet, nisi bonitatem limitatam. Vndè August. lib. 1. confessionum c.* 1. Fecisti nos Domino ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. *& lib. 5. c. 4. init.* Beatus, qui te scit, etiam si illa omnia nesciat, qui vero & te, & illa nouit, non propter illa beatior, sed propter te solùm beatus est: *ergo solus Deus esse potest obiectum creatæ beatitudinis*.

123 Nomine Beatitudinis omnes intelligimus bonum perfectum, quod totaliter quietat.

Enim verò Beatitudinis nomine, quæ est vltimus finis, omnes intelligimus, bonum perfectum, quod totaliter quietat appetitum, alioquin non esset vltimus finis, si adhuc restaret aliquid appetendum. *Et ideò Aug. lib. 13. de Trinit. c. 5. fin. ità definit*, Beatus non est, nisi qui habet omnia, quæ vult, & nihil vult malé. *Et Greg. Nyssen. lib. de Beatitudinibus circa princip.* Beatitudo comprehensio quædam est omnium bonorum, à qua nihil abest eorum, quæ pertinent ad bonorum desiderium, atque cupiditatem. *Et Boet. 3. de Consolat. Prosa 2. circa princip. beatitudinem definit, esse statum omnium bonorum cõgregatione perfectum. Et ab ipsomet naturali Philos. 1. Ethic. c. 7. post princip. fœlicitas definitur;* Bonum perfectissimum, & sufficiens, *hoc est, vt ipsemet explicat*, quod semper per se, nunquam ob aliud expetendum est; *ità vt cum habetur, nullius vlterioris boni desiderium relinquat*.

124 2. Concl. Beatitudo formalis est quid creatum in creaturis beatis.

Secunda Conclusio. Beatitudo ex parte actus intelligentis, *quæ vulgo dicitur beatitudo formalis*, est quid creatum in creaturis beatis: in Deo autem est, etiam secundùm hoc, aliquid increatum: *ac proinde*, in creaturis est summum bonum, non simpliciter, sed in genere bonorum participabilium à creatura; & est finis, non cuius, sed quo. *Ita in corp. & ad 1. & 2. Hæc conclusio quantùm ad id, quod dicitur de beatitudine Dei, esse scil. aliquid increatum, quod est huius loci proprium, est apud omnes, prorsus indubitata. Quantùm verò ad id, quod dicitur de beatitudine creaturarum, inuoluit aliquas quæstiones, vt, an creaturæ de facto beatificentur, vel saltem de possibili beatificari possint, per ipsam increatam Dei beatitudinem, ipsis vnitam; sicut natura humana in Christo per vnionem hypostaticam subsistit in subsistentia increata Verbi: an, posito, quòd beatitudo creaturarum, sit creatus, & vitalis actus visionis essentiæ diuinæ, hic actus de facto producatur, vel saltem produci possit à solo Deo. Sed hæc manifestè pertinent ad initium 1. 2. vbi ex instituto agitur de beatitudine creaturarum; non ad hunc locum, vbi solum agitur de beatitudine Dei.*



ART.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum in Dei beatitudine omnis beatitudo includatur.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Quidquid est desiderabile in quacumque Beatitudine, siuè vera, siuè ficta, totum eminentiùs in diuina Beatitudine præexistit. Prob. à sufficienti diuisione. Fœlicitas enim est triplex, scil. Contemplatiua, Actiua, & Terrena. Deus de fœlicitate contemplatiua, habet continuam, & certissimam consolationem sui, & omnium aliorum. De actiua habet gubernationem totius vniuersi: Terrena autem fœlicitas in quinque consistit, scil. in voluptate, in diuitijs, in Potestate, in Dignitate, & in Fama; Deus autem habet loco voluptatis gaudium de se, & de omnibus alijs. Pro diuitijs, habet omnimodam sufficientiam, quàm diuitię promittunt. Pro Potestate Omnipotentiam. Pro dignitate habet omne regimen; & pro fama habet admirationem totius creaturæ.

Arg. 1. Beatitudines falsæ non possunt concludi in Dei beatitudine, sed quædam inueniuntur falsæ beatitudines; ergo. Resp. dist. Ma. Beatitudo falsa non potest includi in Deo, vt falsa est, conced. Ma. quia vt sic non est beatitudo, sed deficit à vera beatitudine: vt in ea est aliqua similitudo veræ beatitudinis, neg. Ma. quia in hoc sensu comprehenditur sub diuina beatitudine.

Arg. 2. Beatitudines, quę consistunt in rebus corporalibus, non possunt in Dei beatitudine includi, cum sit Spiritus, sed quædam consistunt in rebus corporalibus, vt in voluptatibus, diuitijs, &c. ergo. Resp. dist. Ma. non possunt in Deo includi corporaliter, conced. Ma. spiritualiter verò, neg. quia sunt in Deo secundùm modum ipsius Dei.

DISPVTATIO CLIX.

An in Dei beatitudine omnis beatitudo includatur.

125 Concl. est affirm. omnis beatitudo terrena in Dei beatitudine cōtinetur seclusis imperfectionibus.

Respondet D. Th. quod quidquid est desiderabile in quacumque beatitudine, vel vera, vel falsa, totum eminentiùs in diuina beatitudine præexistit. *Falsam beatitudinem vocat, vt ex subsequentibus constat, beatitudinem terrenam, quam cum Boetio ait, consistere in quinque rerum generibus, in voluptate, in diuitijs, in potestate, in dignitate, in fama. Vult igitur, vt se explicat ad 1. esse in diuina beatitudine, quod est in beatitudine falsa, non vt formaliter falsa, hoc est,* secundùm, quod deficit à ratione veræ beatitudinis; *sed vt habet aliquam similitudinem cum vera beatitudine. Vndè, inquit in corp. diuina beatitudo pro voluptate, seù delectatione,* habet gaudium de se, & de omnibus alijs, *& vt addit 1. con. Gen. cap. vltim. num. 7.* habet excellentissimam delectationem de se, & vniuersale gaudium de omnibus bonis, absque contrarij admixtione: pro diuitijs habet omnimodam sufficientiam in seipso omnium bonorum, quàm diuitiæ promittunt, pro potestate omnipotentiam; pro dignitate, omnium entium primatum, & regimen; pro fama admirationem omnis intellectus, ipsumque cognoscentis.

126 In perfectione beatitudinis diuinæ, omnis beatitudo creata comprehenditur.

Hæc conclusio in genere probata est. Nam Dei Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Ergo diuina beatitudo adeò perfecta cogitari debet, vt nulla omninò perfectio sit, aut esse possit in omnibus creatis beatudinibus, quę non actù sit in illa absque vlla imperfectione. Deindè facillimè demonstratur in particulari, discurrendo per quamcumque creatam beatitudinem, quia semper illi correspondet aliquid infinitè excellentius ex parte beatitudinis increatæ, nam præter terrenas, & falsas beatitudines, de quibus dictum est, duæ alię veræ beatitudines considerari possunt in creaturis, nempè contemplatiua, & actiua, quæ perfectissimo modo sunt in Deo, qui, vt dicitur hic, & loc. cit. cont. Gen. de contemplatiua fœlicitate habet continuam, & certissimam contemplationem sui, & omnium aliorum: de actiua verò, non vnius hominis, aut domus, aut ciuitatis, aut regni, sed totius vniuersi gubernationem.



QVÆST. XXVII. D. TH.

De processione diuinarum personarum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum sit processio in diuinis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COnclusio. In Deo ponitur processio ad intra, quæ est secundùm emanationem intelligibilem. Prob. ex differentia, quę reperitur inter emanationem intelligibilem, quæ est processio ad intra, & alias processiones, quæ fiunt per actiones transeuntes. Nam processiones ad extra inueniuntur etiam in creaturis corporalibus, vt patet. Processio autem ad intra, quæ est secundùm emanationem intelligibilem, est propria supremis, & nobilissimis creaturis, quæ sunt substantiæ spirituales, & immateriales: Deo autem attribuenda est illa Processio, quæ est secundùm similitudinem, quæ inuenitur in nobilissimis creaturis, ergo.

Arg 1. In eo, in quo est Processio, est aliquid mobile, vel extraneum, quia processio significat motum ad extra; sed in Deo nihil est mobile, vel extra; ergo. Resp. dist. Ma. quæ est vera de actione, seu processione ad extra; non autem est vera de processione ad intra, qualis est, quæ ponitur in Deo.

Arg. 2. Omne procedens debet esse diuersum ab eo, à quo procedit; sed in Deo nihil est diuersum; ergo. Resp. dist. Ma. Procedens secundum actionem transeuntem debet esse diuersum ab eo, à quo procedit, conc. Ma. si autem procedat secundum actionem immanentem, vt est processio in Deo, non est necessarium esse diuersum.

Arg. 3. In primo principio nulla est processio, quia ab alio procedere, videtur rationi primi principij repugnare, Deus est primum principium; ergo. Resp. neg. Ma. ad prob. ab alio procedere, tanquam extraneum rationi primi principij repugnat, conc. & hoc modo non ponitur processio in Deo. Procedere ab alio, tanquàm intimum, ac intrinsecum ei, à quo procedit, neg. & hoc secundo modo ponitur processio in Deo.

DISPVTATIO CLX.

An in diuinis sit processio.

127 Sensus difficultatis ventilatur.

S*Ensus difficultatis est, vtrum in Deo, & intra Deum sit productio alicuius rei ab alia, seu emanatio vnius ab alia, quæ tota intra ipsum Deum perficiatur, atque adeo pertineat ad esse diuinum, & propterea dici soleat productio ad intra, ad differentiam alterius productionis, qua Deus producit creaturas, quæ non sunt ipse Deus, neque aliquid intrinsecè pertineat ad constitutionem diuini esse, & propterea dicitur productio ad extra, quamuis creaturæ alio modo sint intra Deum, seu in Deo, quia non sunt extra Dei immensitatem: illo ergo primo modo intelligitur hæc difficultas, in qua duo quæri possunt; primum, an reuera detur talis aliqua processio, & productio in Deo: secundum, an res producta, sicuti & producens sit Deus, atque adeò hæc productio sit ad intra.*

128 Prima concl. certum secũdum fidem.

Prima Conclusio: Certum est secundùm fidem, in Deo esse processionem duarum personarum, nempe Verbi, seu filij, & Spiritus Sancti, quod est contra Iudæos, & aliquos Hæreticos, qui negant veram pluralitatem personarum in Deo, & consequenter processionem vnius ab alia, quales fuere olim Arriani dicentes, filium Dei esse creaturam, atque adeo eius productionem esse ad extra; & Sabellianos, qui vnam Dei personam dicebant esse Patrem, filium, & Spiritum Sanctum, in ordine ad varios effectus ad extra, quos hic breuiter confutat D. Th. Nostra autem conclusio habetur in Sacris litteris; nam de seipso Christus Dominus dicit Io: 7. Ego ex Deo processi.

Confirm. ex alijs locis Sac. Scripturæ.

Confirm. ex alijs locis, in quibus Christus dicitur filius Dei, aut Patris; nam filius à Patre procedere debet. Hùc spectat locus ille Eccl. 24. vbi filius Dei, qui dicitur Dei sapientia, sic de se loquitur. Ego exore altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam: & *Prouerb. 8. dicitur de eadem*: nondum erant abyssi, & Ego iam concepta eram, & *simila. Item de Spiritu Sancto habetur Io: 15.* Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, & *simila.*

129 2. Conclusio. filius, & Spiritus Sanctus, quæ sunt personę procedẽtes, & productæ sunt etiã verus Deus.

Secunda Conclusio. Filius, & Spiritus Sanctus, quę sunt personæ procedentes, & productæ, sunt etiam verus Deus, sicut & persona Patris producens, atque adeo earum productio est ad intra, primo illo modo explicato, quod erat secundo loco probandum; hæc etiam Conclusio est de fide. Et quidem de Filio Dei habetur, prima Io: 5. vt simus in vero filio eius, hic est verus Deus. *ad Rom. 9.* In quibus Christus secundùm carnem, qui est super omnia, Deus benedictus in sæcula: *ad Titum 2.* expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi, *quod autem hic Christus, qui dicitur Deus, sit filius Dei, tota scriptura noui testamenti testatur. Vndè Io: 1. dicitur.* In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. & *postea subditur* & Verbum caro factum est. *Item de Spiritu Sancto Actorum 5. dicitur*: Cur tentauit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, non es mentitus hominibus, sed Deo. & *1. Io: 5.* Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum sunt. *Ex quibus demum constat, has tres esse personas in Deo, Patrem, Verbum, seu Filium, & Spiritum Sanctum, quarum prima est improducta, alię duę productæ per productionem ad intra, quę communi vocabulo dicitur processio. Plura in confirmationem huius veritatis ex nouo, & veteri testamento, ex Concilijs, & PP. item hæreticorum errores, & confutationes legi possunt apud Vasquez hic disp. 109. & 110. Suarez toto lib. 2 de Trinit. & fusius apud Valen. hic disp. 2. q. 1. pun. 1. & fusissimè apud Bellarm. lib. 1. de Christo Domino, & multa habet etiam D. Th. 4. C. 9. à c. 20. vsquè ad 27: quæ omnia, quia certa sunt, apud Catholicos non est opus afferre.*

130 Fides Catholica docet, Patrem, filium, & Spiritum Sanctum esse vnum Deum.

Pręterea *certissimò fides Catholica docet*, Patrem, Filium, & *Spiritum Sanctum esse vnum Deum vnius naturę, & substantiæ singularis, & indiuiduę tres tamen personas inter se realiter distinctas, in quo maximè consistit profunditas, & altitudo huius Mysterij, Primum quidem docet, quia omninò pluralitas Deorum est impossibilis, vt etiam ratione naturali demonstrari potest. Secundum verò, quia non potest eadem res secundum idem à seipsa produci, & procedere; quarè necesse est, vt si est processio in diuinis, id quod producitur, distinguatur realiter à producente, non ratione naturæ, quia vnus est tantùm Deus, igitur ratione personæ, nam id, quod procedit, non potest in Deo esse accidens, sed aliquid per se subsistens, atque adeò persona, atque adeò sunt tres in Deo personæ, & vna natura, seu vnus Deus.*

Arg.

131 Obiectio.

Arg. Deus est primum principium, ergo non potest habere alud principium sui; si ergo Filius est Deus, non habebit principium, neque Patrem, à quo producatur; nam omne producens est principium rei producte. Resp. ex D. Th. ad 3. Deum non posse habere aliud principium extra se, idest quòd sit principium omnium, quæ sunt in Deo, licèt intra se possit habere principium aliquarum personarum, sicuti si artifex esset primu principium rei artificiatę, eius scientia esset etiam primum principium einsdem rei, licèt ipsa esset producta ab intellectu artificis, & haberet principium in ipso artifice.

Resp. Deum non posse habere aliud principiū extrà se.

132 Instabis.

Instabis. etiam Filius est primum principium, ergo non potest habere alud principium. Resp. esse primum principium rerum creatarum, non tamen omnium, quę sunt in Deo. Vrgebis. Pater est principium filij, & principium rerum creatarum; ergo solus Pater est primum principium simpliciter earumdem rerum creatarum. Sicuti licèt Cælum sit principium rerum inferiorum, quia tamen Deus est principium, & causa Cœli, ideò solus Deus est primum principium absolutè rerum inferiorum, quia primum principium non debet esse principiatum. Resp. Patrem non esse alud principium rerum creatarum à Filio, & Spiritu Sancto. Sed esse idem indiuiduum principium, propter vnam trium personarū naturam diuinam, sapientiam, voluntatem, & omnipotentiam; atque ità sicuti Pater, ita Filius, & Spiritus S. sunt simpliciter primum principium creaturarum, propter vnam numero rationem principiandi; vndè constat disparitas ad exemplum propositum, nam alia est ratio principiandi hęc inferiora in Cęlo, quę est creata, & alia in Deo, quę est increata; vndè vlteriùs sequitur, quòd licèt Pater sit principium Filij, tamen quia illi communicat suam eandem rationem principiandi creaturas, ideò Filius est etiam primum principium creaturarum simul cum Patre, & Spiritu Sancto, in quo est eadem ratio.

Resp. Filium non esse principium omnium rerum creatarum, quæ sunt in Deo.

Similiter circa responsionem ad 2. aduertendum est, Filium non dici diuersum à Patre, quia illud vocabulum importat diuersitatem naturæ, aut qualitatum, cùm tamen in Patre, & Filio sit eadem in indiuiduo natura diuina cum eisdem proprietatibus naturalibus; id ergo, quod ab alio procedit, satis est, si sit distinctum, non autem diuersum, propriè loquendo.

Filius non est diuersus à Patre.

133 Instabis 2.

Dices. In vno ligno continuo vna pars ignificata potest ignificare aliam, & tamen tunc ignis productus non distinguitur realiter ab igne producente, cùm sit vnus ignis continuus, ergo neque necesse est, vt Filius productus distinguatur realiter à Patre producente.

Respond. neg. conseq. quia continuitas inuoluit distinctionem realem.

Resp. neg. Conseq. & ratio disparitatis est, quia continuitas inuoluit distinctionem realem, saltem potentialem, & illa pars producta potest realiter distingui à producente, licèt actu faciat vnum continuum, quod nihil refert: at verò in Deo, si non est actu distinctio realis, est etiam impossibilis, quia in ipso non potest esse potentia ad intra sine actu, cùm Deus sit summa & pura actualitas; si ergo productio requirit distinctionem, necesse est, vt in Deo sit actualis distinctio; cætera suis locis soluentur hæc verò disp. sequentibus dubijs declaratur.

Dub. 1. An diuina processio dici rectè possit actio, & passio?

Dub. 2. An dictio formaliter sit intellectio?

Dub. 3. Quisnam sit terminus, à quo, actionis immanentis diuinarum processionum? Vbi, quid sit in diuinis, vnam personam procedere de substantia alterius?

Dub. 4. An essentia personæ producentis sit immediatum principium diuinarum processionum? Vbi, An intellectus personæ producentis sit immediatum principium alicuius diuinæ processionis?

Dub. 5. An verò voluntas? Vbi etiam Durando satis fit.

DVBIVM I.

An diuina processio dici rectè possit actio, & passio.

134 *Prima Concl. Diuina processio absolutè, & simpliciter dici potest actio. Prob. ex communi vsu loquentiū Theologorum.*

PRima conclusio. Diuina processio absolutè, & simpliciter dici potest actio. Hæc conclusio, quia est de significato cuiusdam nominis, non potest aliundè probari, quàm ex communi vsu loquentium Theologorum, qui ferè omnes diuinarum personarum processionem vocant simpliciter, ex absolute actionem. Quamuis Molina hic disp. 1. in fine contendat, processionem in diuinis non esse actionem, sed emanationem. Nihilominus S. Th. hic ait: *Omnis processio est secundùm aliquam actionem:* sed processionem in diuinis omnes propriè vsurpamus, authore ipsomet Christo dicente de seipso Ioan. 8. *Ego ex Deo processi:* & de Spiritu Sancto Ioan. 15. *Qui à Patre procedit*, ergo & actionem: & pauló post, *secundùm actionem, quę manet in ipso agente, attenditur processio quędam ad intrà.* Et clariùs art. 3. initio corp. *In diuinis non est processio, nisi secundùm actionem, quæ non tendit in aliquid extrinsecum, sed manet in ipso agente.* Et paucis interiectis, *Processio Verbi attenditur secundum actionem intelligibilem.* Rursus art. 9. initio corp. *Processiones in diuinis accipi non possunt, nisi secundùm actiones, quæ in agente manent.* & ad 2. *Processiones diuinas secundùm aliquas actiones necesse est accipere.* Clarissimè quæst. 28. art. 4. loquens de duabus diuinis processionibus, circà medium corp. ait, *Vna accipitur secundùm actionem voluntatis, quæ est processio amoris.* & qu. 41. art. 1. ad 2. apertè conceditur, *in diuinis actio personalis producentis personam.*

135 *Eadem voce vtuntur reliqui omnes Doctores.*

Eadem voce vtuntur reliqui omnes Doctores, & veteres, & recentiores. Inter quos Henricus in summa art. 54. qu. 3. ad 10. docet, generare, & spirare esse actum, *qui*, inquit, *propriè est actio*, & AEgid. 1. d. 10. qu. 1. ante medium corp. *Origo*, inquit, *actionem quandam importat:* ideó ex actione diuina, *oportet* nos accipere pluralitatem personarum. Optimum huius vsus ratione tradit S. Th. infrà qu. 41. art. 1. ad 2. quia & si *actio secundùm primam nominis impositionem importat originem motus*, hoc est motum per respectum ad principium, à quo incipit, & originatur; docente Philosopho de actione, & passione 3. Phys. 19. *Vtraque sunt motus*, & tit. 22. *Neque actio cum passione idem propriè est*, sed *cui insunt hæc motus*; tamen sicut deinde factum est, vt creatio, siuè origo, qua creaturæ procedunt à Deo, essentialiter ab ipso distinctæ, sed sine subiecto, & cōsequenter sine motu, qui 3. Phys. t. 6. definitur. *Actus eius, quod potentia existit, quatenus huiusmodi.* & t. 16. *Actus mobilis, quatenus mobile existit*, diceretur actio, actionis nomine vniuersaliùs, & abstractiùs vsurpato.

136 *Sicut .n. creatio dicitur actio sine motu, & subiecto, ità purissima origo personarum potest dici actio.*

Ita etiam congruenter fieri potuit, vt verissima, ac purissima origo, quia scilicet ab vna persona procedit realiter alia, sed sine motu, & subiecto, & sine essentiæ diuersitate, appelleretur actio cum maiori vniuersalitate, & abstractione, nimirum prout actionis nomen importat meram originem, secundùm quam vnus producit alium, etiamsi non producat ex subiecto, & actio physicè generatiua, neque ex nihilo termini producti, vt actio creatiua, sed ex ipsamet substantia personæ producentis per communicationem eiusdem numero naturæ: & quidem actio, si pręcisè attendere velimus rem tali nomine expressè significatam, nihil aliud exprimere videtur, nisi vim quandam, seù formalitatem, seù rationem producendi vltimatam, atque completam. Certum est autem, totum istum conceptum reperiri in diuinis processionibus, per quas fide constat, vnam personam in actu secundo completo, ac perfecto oriri ab alia; ergo in illis ipsa origo, siuè actio reperiatur necesse est.

137 *Quidquid requiritur ad rationem actionis, quod sit accidens &c. nō sunt de ratione actionis vt sic, sed creata.*

Quicquid verò prætereà ad rationem actionis requiritur, vt quód sit Accidens de Prædicamento actionis, quód sit cum motu, quód sit eductio, siuè ex aliquo præsupposito subiecto, quod sit ex negatione termini, ad quem, quód sit finita, temporalis, creata, media inter producens, & productum, quod emanat ab aliquo principio, quod sit causalitas causę tendentis ad effectum, quod sit via ad terminum præexistentem, vel habentem diuersam naturam à principio actiuo, aliaque similia, quæ in creatis tantùm

tùm actionibus inueniuntur, non videntur expressè importari nomine actionis: sicut nec eædem imperfectiones importantur nominibus substantiæ, vitæ, relationis, alijsque quampluribus, quæ omnes propriè tribuimus Deo cum perfectione, & creaturis cum imperfectione, & ideo Cyril. lib. 1. Thesauri cap. 6. circà finem cùm concessisset, *actiuam esse generationem Patris*, subdit limitando, & separando diuinam processionem à reliquis actionibus, *sed sicut actiua est, & sic naturalis, & substantialis, & inseparabilis ab hypostasi; cum generare, inseparabile sit hypostasi Patris*.

138 *Confirm. & explicatur exemplo aliarũ vocum, v. g. generationis, &c.*

Confirm. & explicatur exemplo aliarum vocum. Primò generationis, quàm vocem ex Scriptura, & Sanctis omnes proprijssimè vsurpamus de Verbi processione. Generatio autem procul dubio est quædam actio. Secundo productionis, quæ est etiam quædam actio producentis aliud distinctum. Tertio ipsiusmet processionis, quam vocem à Christo acceptam, vt dixi, iam vt propriam in hac materia omnes frequentissimè vsurpamus. Quod quidem nomen, vt docet S. Th. de potentia qu. 10. art. 1. initio corp., & explicat Durand. 1. d. 13. qu. 1. art. 1. videtur primario fuisse impositum ad significandum motum localem progressiuum animalium, quo mouent seipsa ordinatè ab vno loco, per medium in extremum.

139 *Nomen, processio translatum est ad significandum omnẽ localem motũ. & vniuersaliùs, quamlibet emanationem.*

Et sic dicitur processio, inquit Durand. *quasi propter virtutem incessio*. Inde translatum est ad significandum omnem localem motum, & mutationem: *Sicut dicimus*, inquit S. Th. *quòd corpus procedit ab albedine in nigredinem, & de parua quantitate ad magnam, & de non esse in esse, & è conuerso*. Postremò vniuersaliùs exercendum est ad significandam quamlibet emanationem, secundùm quàm aliquid est ab alio; vel tanquàm à causa, vel tanquàm à principio, *Sicut dicimus*, inquit S. Th. *quod radius procedit à Sole, & omnis operatio ab operante, & etiam operatum*. & in hac vniuersalissima, & præcisissima acceptione processionem Deo tribuimus. Enim verò in rerum diuinarum denominationibus valdè notãda est regula à S. Th. tradita, ibid. ad 9. nimirum, *Diuina, quia comprehendi non possunt à nobis, conuenientiùs à nobis significari per nomina communia, quæ indefinitè aliquid significant, quàm per nomina specialia, quæ definitas rerum species exprimunt. Vndè hoc nomen, qui est, conuenientissimum Dei nomen dicitur esse, vt patet Exodi* 3. & ratio est, quia nomina communia exprimunt conceptus quosdam analogos communes Deo, & creaturis, & non creaturis proprios, qui semper aliquam imperfectionem includunt.

140 *Nomina processionis, actionis, &c. quia non dicunt imperfectionem de diuinis possunt vsurpari.*

Igitur nomina processionis, actionis, productionis, emanationis, & id genus alia, quia vniuersalia sunt, & nullã exprimunt imperfectionẽ, sed accipiuntur, prout important formam, seù virtutẽ, vt loquitur Duran. suprà, & sæpe etiã Ioannes Theologus in Cõc. Florent. sess. 18. *Solos respectus, à quo aliud, & quod ab alio*, qui in diuinis reperiuntur, de diuinis vsurpari rectè possunt. Huiusmodi sunt illa, de quibus ait Bessarion in quadam declaratione orationis dogmaticæ, quæ habetur post Concil. Florent. ante decretum Eugenij; *Doctores sæpissimè dicunt, Spiritum Sanctum mitti, profluere, prodire, emanare, scaturire, oriri, & huiusmodi*. Quæ omnia, quia generalia sunt, dici etiam possunt de processione Filij.

141 *1. Obiectio.*

Arg. 1. Ex Molina; quia S. Th. hic in fine corp concludit, processionem in diuinis non esse accipiendam *per actionem alicuius causæ in exteriorem effectum, sed secundùm emanationem intelligibilem*: & non dixit, secundùm actionem intelligibilem; ergo opponit emanationem actioni, & significat, processionem non esse actionem, sed emanationem.

Resp. emanationem non opponi actioni simpliciter, & vniuersaliter, sed actioni alicuius causæ.

Resp. Emanationem non poni actioni simpliciter, & vniuersaliter, sed actioni alicuius causæ, transeuntis in exteriorem effectum: vndè pauló ante hanc emanationem intelligibilé vocauerat actionem; nam volens explicare, *quòd secundum actionem, quæ manet in ipso agente, attenditur processio quædam ad intrà*, ità subdit, *Hoc maximè patet in intellectu, cuius actio scil. intelligere, manet in intelligente*. Et infrà art. 3. *processio verbi attenditur secundùm actionem intelligibilem*. Negandum tamen non est, diuinam processionem ad intra, quæ est per communicationem eiusdem numero naturæ, & per nihil medium inter personam producentem, & personam productam, multò puriùs, ac simpliciùs significari nomine emanationis, quam actionis. Vndè Nos, qui existimamus, proprias passiones ab essẽtia, & relationes à fundamento, saltem ipsasmet actiones non fieri media aliqua actione, sed seipsis immediatè resultare, seu pullulare à suis principijs, nolumus dicere, eas produci, siue agi, sed emanare, quæ magis communis, & abstracta vox est, ac proinde iuxtà regulam supradictam, multò aptior ad diuinas processiones exprimendas. & ideò sapien. 7. de increatę sapientię processione dicitur, *emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera* & Ioan. 16. & 17. *exiui*: Eccles. 24. *Prodiui*. Michææ 5. *Egressus*.

142 *2. Obiectio.*

Arg. 2. Necessarium est ad rationem actionis, vt per eam producatur verus effectus, distinctus essentialiter à producente. At vero in diuinis, licet detur productio ad intra rei distinctæ à producente, quod satis est ad rationem emanationis, & productionis; illa tamen res non distinguitur essentialiter à producente; ergo non dabitur illa actio, sed solùm productio, & emanatio, quæ latiùs patet, quàm actio; omnis quippe actio, productio est, & emanatio, sed non è contrario.

Resp. actionem formaliter, vt actio, respicere agens à quo emanat, & originatur in passu.

Resp. ex S. Th. infrà q. 41. art. 1. ad 2. hæc omnia rectè dici de actione per se sumpta. *Secundùm primam nominis impositionem, secundùm quàm importat originem motus, sicut enim motus, prout est in mobili ab aliquo, dicitur passio; ità origo ipsius motus, secundùm quod incipit ab alio, & terminatur in id, quod mouetur, vocatur actio*. Quod significauit Philos. 3. Phys. 22. Actionem definiens, Actum, & motum, *huius in hoc*, nimirum agentis in passo; & Passionem, Actum, & motum *huius in hoc*, nempè passi ab agente. Actio enim, vt actio formaliter, primariò, ac directè respicit agens, à quo originatur, & emanat in passum; Passio verò, vt passio formaliter, primario, ac directè respicit passum, in quo recipitur ab agente. At verò quoniam actio motum verè non exprimit, vt ex se patet, vsus deindè obtinuit, vt in latiori significatione sumeretur: & ità, inquit S. Th. *semoto motu, actio nihil aliud importat, quàm ordinem originis, secundùm quod à causa aliqua, vel principio, procedit in id, quod est à principio. Vndè, cùm in diuinis non sit motus, actio personalis producentis personam, nihil aliud est, quàm habitudo principij ad personam, quæ est à principio*.

143 *3. Obiectio.*

Arg. 3. Vbi non est agens, ibi actio esse nequit: sicut enim sapientia v. g. est intrinsecè in Deo, denominat sapientem; ita, si intra Deum esset aliqua actio, deberet intrinsecè denominare Deum agentem; ergo si ita non denominat, signum est, non esse ibi actionem.

Resp. Deus nõ dicitur agens in ordine ad diuinas personas, quia nomine agentis intelligimus causam effectiuam.

Resp. hanc denominationem Dei agentis in ordine ad diuinas personas productas, esse minùs in vsu apud Theologos, quia nomine agentis, communiter significamus, & intelligimus causam effectiuam respectù alicuius effectus, quæ ratio causæ in diuinis processionibus non reperitur, vt inferiùs adnotatur, sed solùm reperitur ratio principij respectu termini producti. Quamquàm S. Th. locis, & verbis cit. suprà in princip. huius dubij admittere videtur prædictam denominationem agentis, dum non semel dicit: *Processionem diuinam ad intra esse secundùm actionem, quæ manet in ipso agente*. saltem Cyril. supra vocat *generationem actiuam*. Quem loquendi modum posteriores omnes Theologi retinuerunt vsque ad hanc diem, vocantes etiam pariter Patrem æternum, Principium actiuum. Igitur ex eo, quòd diuina processio sit actio, non est necessarium, illa denominari Patrem, causam agentem, vel simpliciter agentem, sed satis est denominari, Principium agens, vel potiùs actiuum.

Arg.

144
4. Obiectio.

Arg. 4. Vbi est actio, & vera productio vnius ab alio, ibi necessariò esse debet, saltem esse receptum, siue acceptum ab alio; ergo esse potentiale quia quod actu producitur, non potest non intelligi prodire à potentia producentis; ergo etiam esse dependens, & participatum, quia nomine entis dependentis, & participati, nil aliud significatur, quàm esse, quod non habetur ex se, sed est ab alio habitum, & communicatum. Hæc autem omnia pugnare videntur cum diuinis personis, quæ sunt essentialiter Deus, cuius esse purissimum, à nullo planè est, sed à se, & ex propria sua essentia, ac proindè non est potentiale; sed omninò actuale, atque independens, & imparticipatum; ergo concipi non potest in diuinis ratio actionis, & productionis.

Resp. habere originem ab aliquo, quod sit in essentia diuersum, derogare dignitati diuinę.

Resp. cum S. Th. de potentia qu. 10. art. 1. ad 6. *quod habere originem ab aliquo, quod sit in essentia diuersum, derogat dignitati diuinæ, hoc enim est proprium creaturæ: sed habere originem ab aliquo coessentiali, magis ad perfectionem diuinam pertinet.* nimirum non ex parte acceptionis formaliter, quia, vt idem postea explicat ad 7. *Accipere, inquantùm huiusmodi, perfectionem non dicit,* alioqui Pater, qui à reliquis duabus personis nihil accipit, esset minùs perfectus, quàm aliæ, quæ ab ipso accipiunt; sed ex parte rei acceptæ, quæ in casu nostro est plenitudo diuinitatis. Cui responsioni consonat, quod dicitur hic ad 3. *Quòd procedere à principio, vt extraneum, & diuersum, repugnat rationi primi principij; sed procedere, vt intimum, & absque diuersitate, per modum intelligibilem, includitur in ratione primi principij,* in cuius scil. natura includuntur intellectus, & voluntas, quibus positis, inquit responsione cit. ad. 6. necesse est poni verbi, & Amoris processionem.

145
Ex eo, quod productum sit intimum producenti, & habeat eandē naturam, non incongruit habere esse ab alio.

Vbi acutè aduertendum est, S. Thomam, ad hoc; vt diuinæ personæ productæ habeant quidem esse ab alio, & tamen absque vlla imperfectione, in duobus facere vim. Primò, quòd productum habeat eandem prorsus naturam cum producente. Secundo, quod productum sit *intimum* producenti, hoc est, vt ego quidem explico, vt id, in quo productum distinguitur à producente, esto non sit de quidditatiuo, seu constitutiuo conceptu ipsius essentię, tamen sit essentialiter identificatum ex natura rei cum essentia vt tam essentia respectu personalitatis, quàm personalitas respectù essentię perat essentialiter actualē identificationē. Dico igitur, nullā esse imperfectionē in vna persona diuina, quòd habeat esse productū, & receptum ab alia; quoniam in hac productione accipitur natura diuina, omnino eadem, quę est in producente: & præterea additur personalis quædam subsistantia, prorsus intima illi naturæ, scilicet per omnimodam actualem, & essentialem connexionem, atque identificationem cum illa ex natura rei.

146
Ex eo, quod esse diuinum sit acceptum in filio: non propterea est potentiale.

Declarato hoc antec. nego primam Conseq. quòd hoc esse receptum, siue acceptū per actionem, & productionem sit esse potentiale; hoc enim nomine non solùm intelligimus ens, quod actu producitur, & consequenter potest produci simpliciter à suo producente, sed etiam quod ita producitur, & potest produci, vt posit simpliciter non produci, & non esse; tunc enim proprie intelligitur ens nō purum actuale, sed compositum ex actualitate, & potentialitate. Persona verò diuina producta, etiam considerata præcisè ratione suę personalitatis, per quam realiter distinguitur à persona producente, ita producitur, vt non posit non produci, sed producatur, & habeat esse actu per summam necessitatem ex duplici capite.

147
Producitur .n. filius necessariò à Patre ex duplici capite.

Primùm, quia ipsamet natura essentialiter exigit illam personalitatem. Secundum, quia personalitas etiam ex eo, quod diuina est, & infinitæ perfectionis essentialiter, exigit esse actuale, & actualiter produci, & identificari cum perfectissima Deitatis natura. Quo fit, vt nullum esse diuinum productum; si concipiatur rectè secundùm quod postulat fundamentum rei, quæ concipitur, concipi posit sub non esse, sed concipiendum est sub actualitate essendi quamuis hoc esse actuale sit per veram actionem, & productionem acceptum ab alio: vt docet Scotus 1. d. 2. q. 7. §. *Tenendo* ad. 3. Neque enim sicut in rebus creatis, ita etiam in diuinis, res ideò accipit esse actuale ab alio, quia per essentiam suam non petit esse actu, & potest simpliciter non esse, vndè vt actu sit, indiget opera alterius agentis: sed contra potius, quia per essentiam suam petit esse actu, & non potest simpliciter non actualiter esse, vndè actu producitur, non ex indigentia rei productæ, sed ex perfectissima necessitate essentiali, tam rei productæ, quam producentis.

148
Persona producta in diuinis, concipienda est posse produci, non per ordinē ad negationem essendi; sed per ordinem ad actiuā potentiā?

Quarè persona producta in diuinis dicenda, & concipienda est, posse produci, non per ordinem ad negationem essendi, sub qua esse posit, sed solùm per ordinem ad actiuam, seu productiuam potentiā sui principij, quod realiter producit cum reali potentia producendi. Ex quo patet, negandas etiam esse reliquas omnes consequentias: hoc enim esse ab alio, non est per dependentiam, quoniam non accipitur ex libertate dantis, & indigentia siue subiectione, atque imperfectione accipientis, sed solùm ex summa necessitate, siue essentiali exigentia, tam accipientis, quàm dantis: & accipiens vt ratiocinatur S. Th. de potentia q. 1. art. 1. ad 13. *receptioni non præexistit, sed semper est in recepisse, & non sic non accipitur, quasi prius non habens, & posteà accipiens; sed quia hoc ipsum, quod est, habet ab alio; vndè non sequitur, quòd sit indigens.* Neque est esse ab alio per participationem, quia accipitur totum esse diuinum, & totaliter, quantùm scil. accipi simpliciter potest.

149
Non valet conseq. hoc esse est acceptū ab alio ergo est potentiale.

Non igitur valet ista Conseq. Hoc esse est simpliciter acceptum ab alio, ergo est esse potentiale dependens participatum. Si enim sit acceptum, non imperfecto modo, sed perfecto, vt explicatum est, erit esse purissimum actuale, independens, atque imparticipatum. Similiter non valet, vt subtiliter adnotauit Scotus l. d. 2. q. 7. §. *Tenendo*. Persona diuina est ens necessarium, non quod significat esse ens ex se: ergo non est ens ab alio, quia illud *ex se*, intelligendum est, inquit Scotus, *Formaliter non productiuè*.

150
Non sunt opposita, nec incōpossibilia esse ex se formaliter, & esse ab alio productiuè, siuè originaliter.

Non sunt autem opposita, & incompossibilia, esse ex se formaliter, & esse ab alio productiue, siuè originaliter, hoc est, exigere ex necessitate essentiæ, ac formæ suæ esse ab alio productiuè: In quo personæ Filij, & Spiritus Sancti distinguuntur à persona Patris, quæ est ens necessarium, & ex se, tam formaliter, quam productiuè, & distinguerentur à creaturis, etiamsi illæ necessario producerentur à Deo; tum quia hoc non haberent creaturæ ex necessitate propria entitatis, sicut de facto habent diuinæ personę productæ, sed solùm ex necessitate naturę producentis; tum quia esto id haberent, etiam creaturæ ex necessitate propriæ formæ, tamen adhuc nō essent necessariæ, inquit Scotus, *tanta necessitate, quanta est nunc Filius necessarius*; qui habet eandem omninò naturam cum producente, & consequenter eandem summam necessitatem essendi formaliter; creatura autem cùm habeat naturam longè imperfectiorem natura Dei producentis, haberet etiam longe minorem necessitatem essendi formaliter; *stat ergo de Filio*, vt benè concludit Scotus, *quod sit à se formaliter necessarius, & nomen ab alio producente, cum quo habet eandem entitatem necessariam*. Et eadem est ratio de Spiritu S. qui non est minus persona producta, & diuina, quàm Filius.

151
2. Concl. diuina processio rectè dici nō potest passio, nam procedens se habet ad processionem, vt terminus, non vt subiectum.

Secundo Conclusio. Diuina processio rectè dici non potest passio. Ita S. Th. infra qu. 41. art. 1. ad 3. & reliqui omnes. Et sumitur ex Cyril. lib 1. Thesauri cap. 6. circa finem, vbi cum concessisset, *aliquam esse generationem Patris*, subdit; *Quamquam absque passione Deus generat.* Ratio est, quia passio ex propria vocis significatione, nimis explicitè importat ordinem ad passum, seu passiuum, quod est subiectum. Ratio autem subiecti, seu materiæ contradicit purissimæ, atque actuissimæ Dei naturæ. Nam vt docet S. Th. de potent. qu. 10. art. 1. ad 3.

In

In processione, quæ importat originis ordinem, procedens se habet ad processionem, vt terminus, non vt subiectum. In quo nomen processionis differt à nomine actionis, quia actio solùm importat expressum, & directum ordinem ad agens, siuè actiuum. Ratio autem agendi, siuè actiui nullam inuoluit imperfectionem: Vndè creatio, in qua non reperitur imperfectio subiecti, non dicitur passio, quàmuis dicatur actio. ex quo sequitur, quod notauit S. Th. infrà qu. 41. art. 1. ad 3. quod non omnis actio infert ex se passionem, sed solùm illa, quæ importat originem motus. Cur autem actio sumi potuerit, vt præscindens à motu, & subiecto, non autem passio, reddenda est ratio ex dictis, quibus constat, Passionem importare explicitum, & directum ordinem ad subiectum. Actionem verò non nisi implicitum, & indirectum; nam passio est actus patientis ab agente, actio est actus agentis in patiente. Faciliùs autem præscindi possunt nomina ab ordine, quem implicitè, & indirectè important, quàm ab ordine, quem important explicitè, & directè.

Nō omnis actio infert passionem, sed illa, quæ dicit originem cum motu.

152 *Non est damnandus omninò, qui diceret, processionē diuinam esse passionem terminatiuè.*

Verùm non omninò damnarem, qui diceret, processionem diuinam esse passionem, non absolutè, & simpliciter absque vllo addito, sed passionem terminatiuè; sicut enim ex communi vsu iam in scholis vocamus generationem passiuam, & spirationem passiuam, nimirum non subiectiuè, sed terminatiuè, quia persona producta est quidam terminus, qui verè, ac realiter producitur, generatur, spiratur, quæ sunt passiuæ verborum significationes; ità eadem limitatione vocare licebit Passionem terminatiuè. Vndè S. Th. suprà ait: *Procedens se habet ad processionem, vt terminus*: Similiter Scotus suprà ad 2. *Filius est terminus potentiæ productiuæ, quæ abstrahit à ratione potentiæ effectiuæ*: non est autem terminus, nisi qui passiuè producitur, siuè ad quem passiuè terminatur productio, & potentia principij productiui. Igitur ista passiua processio vocari potest passio secundùm quid, nempè terminatiuè: ad eum modum, quo in Physicis forma, quæ verè non est mobilis, hoc est subiectum motus, sed terminus, vocare solemus mobilem terminatiuè, & materiam generabilem subiectiuè, quæ tamen non est verè generabilis, hoc est terminus generationis, sed subiectum.

DVBIVM. II.

An dictio formaliter sit intellectio.

153 *Conclusio. Intellectio apud D. Th non est informatio, sed perceptio obiecti. Dictio verò est operatio expressiua. 1. pars prob.*

INtellectio apud D. Thom. non est sola informatio actus, vel qualitatis repræsentatiuæ, licèt illa interueniat, aut requiratur ad nostram intellectionem, sed formaliter esse operationem ipsam, etiam prout vitalis egressio est ab intelligente, qua operatione percipit, vel apprehendit obiectum. Dictionem verò, seù loquutionem esse ipsam operationem, vt formatiuam, & expressiuam verbi, seù rei intellectæ in verbo. Prima pars de ipso intelligere in doctrina S. Th. negari non potest, nusquam enim intellectionem, seù intelligere constituit in informatione verbi, seù qualitatis repræsentatiuæ, licèt benè in informatione obiecti, seù rei intellectæ, mediante operatione, & apprehensione ipsius, perpetuoque distinguit intelligere à verbo. Et fuit magna allucinatio in aliquibus Authoribus, non distinguere apud D. Th. informationem obiecti, seù rei intellectæ, quæ in ipso verbo repræsentatur ab informatione illius qualitatis repræsentatiuæ!

154 *Secundùm D. Th. intelligere ad quatuor potest habere ordinem; ad rem, quæ intelligitur ad speciem: ad suum intelligere; & ad conceptionem intellectus.*

Loquendo autem de ipso intelligere formaliter, vt distinguitur à verbo, seù à similitudine expressa; dicit D. Th. 4. contr. Gen. cap. 11. quòd, *significat ipsum intelligere apprahensionem eius, quòd intelligitur per intellectum*. Non dicit informationem qualitatis repræsentatiuæ, sed apprehensionem eius, quod intelligitur significare, & qu. 8. de potent. art. 1. *Intelligens*, inquit, *ad quatuor potest habere ordinem scil. ad rem, quę intelligitur, ad speciem intelligibilem, qua fit intellectus in actu ad suum intelligere, & ad conceptionem intellectus, quæ quidem conceptio à tribus prædictis, differt, &c.* Et ponens differentiam ab intelligere, dicit: *differre autem ab actione intellectus, quia prædicta conceptio consideratur, vt terminus actionis, & quasi quoddam per ipsam constitutum; intellectus enim format rei definitionem, vel etiam propositionem. Hæc autem conceptio intellectus propriè verbum dicitur: hoc enim est, quod verbo exteriori significatur: vox enim exterior neque significat ipsum intellectum, neque speciem intelligibilem, neque actum intellectus, sed intellectus conceptionem*. Et infrà: *Oritur quidem huiusmodi conceptio ab intellectu per suum actum; est verò similitudo rei intellectæ*. Et infrà *Huiusmodi verbum est intrinsecum ab esse ipsius intellectus, non enim est de essentia, sed est quasi passio ipsius, non tamen est extrinsecum ab ipso intelligere, cùm ipsum intelligere compleri non possit sine verbo prædicto*.

Sic D. Th. explicat verbum, & intelligere, vbi nihil minùs dicit D. Th. quàm quod intelligere sit ipsa informatio verbi, seù qualitatis repræsentantis, sed quòd per ipsum intelligere formatur verbum, seù intentio, & similitudo rei intellectæ, & illud ipsum, quod vocat intelligere, vocat actum, seù actionem intellectus. Et similiter in opusc. 13. dicit, *Intelligere esse operationem intellectus*, & in hoc distinguit intelligere a verbo. Et addit, quod *Verbum internum comparatur ad intellectum, non sicut quo intellectus intelligit, sed sicut in quo intelligit, quia in ipso sic expressum, & formato videt naturam rei intellectæ*. Et idem habet opusc. 14. dicens, quod formato obiecto per verbum intelligit, & quòd ad ipsum terminatur intelligere. Sed intellectus videt, seù intelligit obiectum in verbo inhærente sibi, & informante se, ergo intelligere non est inhærentia ipsa, seù informatio verbi, aut qualitatis repræsentantis, sed operatio apprehendens in verbo rem expressam, & repræsentatam. Postremò intellectus apud D. Th. format verbum intelligendo, vt suprà deduximus, & affirmat expresè 4. contr. Gen. cap. 11. *Intellectus*, inquit, *intelligendo concipit, & format intentionem, siuè rationem intellectam, quę est interius verbum*. Et 1. contr. Gen. cap. 53. *Intellectus formando huiusmodi intentionem rem intelligit*. Ergo intelligere non consistit in informatione illius similitudinis expressæ, sed magis in ipsa formatione eius iam intelligit, videlicet per ipsam operationem, qua dicit habitudinem ad rem intellectam, appræhendendo illam.

155 *Perpetua sententia D. Th. est: quod intelligere no est repræsentatio Verbi; sed quòd per ipsum intelligere producatur Verbum.*

De 2. autem parte conclusionis, quòd *dicere* est ipsa operatio, vt expressiua verbi, videri potest S. Th. tum opusc. 14. vbi inquit: *Ad ipsum verbum, in quo quidditas rei recipitur, imo quia est quidditatis similitudo, terminatur intelligere; sic enim habet rationem obiecti intellectus: vt verò est per intellectum expressum, ei coniungitur dicere; & sic idem ipsum verbum est effectus actus intellectus, qui est formatiuus obiecti, & ipsius dicere*. Sed ex professo idem tractat S. Th. illo ipso loco, quem pro se afferunt contrarij hac 1. p. qu. 34. art. 1. ad 3. vbi inquit: *Dicere, & intelligere differre, quia intelligere importat solam habitudinem intelligentis ad rem intellectam, in qua nulla ratio originis importatur* (scil. ad rem intellectam, quæ non originatur ab intellectu) *sed solùm informatio quædam in intellectu nostro, prout intellectus noster fit in actu per formam rei intellectæ. sed dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum; nihil enim est aliud dicere, quàm proferre verbum, sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo prolato manifestatur intelligenti*.

156 *2. Pars Concl Prob. nam intelligere solum dicit habitudinem intelligendi ad rē intellectam dicere verò ad Verbum conceptum.*

Vbi pondero, quòd quando D. Th. loquitur de ipso intelligente, nullam mentionem facit de informatione conceptus, vel qualitatis repræsentantis, aut de habitudine ad ipsam, sed de habitudine, & informatione rei intellectæ, quæ vtique non informat inhærendo, aut entitatiuè se vniendo, sed per vnionem appræhensiuam, quatenus intellectus apprehendendo rem, informatur illa, vndè, & vulgo noticiam accipere, informari animum dicimus. Quando verò loquitur D. Th. de ipso dicere, in eo, in quo distinguitur ab intelligere dicit, quod dicere importat habitudinem ad verbum, & mediante verbo, ad rem

157 *D. Th. quando loquitur de ipso intelligente nullam facit mentionem de informatione conceptus.*

ad rem intellectam, quæ verbo manifestatur, vbi ipsam habitudinem dicendi per ordinem ad verbum, & ad qualitatem manifestatiuam explicat, sicut ipsum intel'igere, non per habitudinem ad verbum,

158 *Quando verò tractat de habitudine dictionis, eam ordinat ad verbũ loquutum.*

sed ad rem intellectam explicauerat. Et hanc habitudinem dictionis ad verbum non ponit in hoc, quod intellectus informetur verbo, seu conceptu loquuto, sed quod proferat illud. Quod autem non solùm res dicta proferatur, & dicatur, sed etiam verbũ ipsum, quod quis loquitur paulò ante dixerat D. Th. eodem loco. *Dicit*, inquit, *non solùm verbum, sed etiã res, quæ verbo intelligitur, vel significatur*. Et idem pluribus alijs locis docet. Et certè in hoc nulla potest esse dubitatio, quòd verbum ipsum verè, & propriè dicatur, & sit loquutum, quia est prolatum, & expressum, sicut loquimur verbum vocale proferendo, & exprimendo ipsum ore.

159 *Quãdo aliquis profert verba non significatiua; talis verè loquitur, & Verba profert, solùm enim inquiremus de significato illius verbi.*

Constat enim, quod etiam quando non intelligimus significationem verborum, aut etiam cùm quis profert verba non significatiua, dicimus verè, & propriè, quòd talis loquitur, & verba profert, nam tunc interroganti, quid loquitur ille, dicimus nos ignorare, quid loquatur, nescimus, quid loquitur, supponimus ergo, quod loquitur, & verbum profert; sed non intelligimus significationem verbi. Quarè nullus dubitat, quòd verbum ipsum dicatur, & loquutione proferatur, supposito, quod percipit ipsum loqui, & inquirit de significato verbi locuti; imò quia per se notum supponitur, nos dicere, & loqui verba, non respondemus interroganti, & quærenti quid loquitur, & nos loqui verba; hoc enim ita per se notum supponitur, quòd nemo de hoc interogare præsumitur, sed solùm de eo, quod significatur per verba sic prolata, & dicta: sed supponendo semper, quòd verba ipsa dicuntur, & loquutione proferuntur: Nam, vt dicit Aug. tract. 1. in Ioan *Assiduè dicendo, nomina verborum, quasi viluerunt verba*. Et sicut ore dicimus verba, quæ sunt voces, & soni quidam ore animalis formati, ita intellectu dicimus verba, quæ sunt qualitates expressiuæ. Et ad hoc, quod verba sint locuta, & dicta, tanquam de aliquo per se noto, non inquirimus, nec dubitamus, sed solùm significationem, & res verbo prolato significatas, curamus scire, & intelligere, sicut in conuiuio verè apponuntur mensæ, & mappæ, & scutellæ, & vasa, sed non curatur de illis, sed de cibo, aut potu in illis illato, quia ista sunt, quę comeduntur, aut bibuntur; Et sic sententia Vasq. pro hac parte, quatenus negat, verbũ à nobis dici, sed res per verbum, nec distinctionem, aut locutionem consistere in prolatione verbi, sed in informatione, aut manifestatione eius, reijcienda omninò est.

160 *Si Verbum mẽtis aliquid manifestat cognitioni; igitur, cognitio aliud est à Verbo.*

Quod verò de informatione verbi, seu qualitatis repræsentatiuę dicunt Suarez, & Vasq. quod in ipsa consistat intelligere formaliter, non in operatione, seu actu intellectus, vt distinguitur ab informatione verbi, & tendit in ipsam rem verbo repræsentatam, ex doctrina S. Th. relata reijcitur. Nam constat, intellectum videre rem, & cognoscere, vt repræsentatam in verbo, seu conceptu, non quia ly *repræsentata* dicat aliquid ex parte obiecti cogniti, sed ex parte medij, quo intellectui præsens fit, & ipse conceptus repræsentat, & manifestat rem, non potentiæ nudę, sed potentię cognoscenti, seu ipsi cognitioni potentiæ, sed non repræsentat cognitioni verbum, & qualitas illa, nisi vt informans, & inhęrens ipsi potentiæ, cui manifestat; siquidem accidens est, nec existere potest, nisi inhærendo, nec manifestare, nisi existendo; ergo si ipsi cognitioni manifestat, cognitio formaliter aliud est à verbo, & inhærente, & informante.

161 *Confirm. quia intelligere est ipsa actualis vita: vita autem actualiter non explicatur per pati; sed per agere.*

Confirm. quia intelligere, vt intelligere est actus vitalis, seu actualis vita intelligentis, sicut sentire est actualis vita sentientis, & quicumque alius motus vitalis est actualis vita viuentis, sed formalis ratio vitalitatis non explicatur in ipso actu, & in ipso viuente per pati, & informari, sed per agere, & à se emittere, quia vitalitas formaliter consistit in se mouere: hoc autem, quod est informare, & potentiam informari à qualitate est commune viuenti, & non viuenti: nam etiam non viuens informatur à qualitatibus suis; ergo si intelligere formaliter est viuere, & vita actualis, non potest consistere in eo, quod est pati, & informari potentiam à qualitate, sed in eo, quod agere, & operari, vt est actiuè à potentia, non vt in genere causæ formalis actuat, licèt etiam ista informatio requiratur, quia cùm sit actus immanens, in ipsa potentia inhærere debet; Sed tamen non quatenus inhæret, & informat actus, sed quatenus egreditur, & denominat operantem, vitaliter constituit intellectionem; aut saltem si actus, & operatio, vt informans, & inhærens, & intelligere, non ex informatione qualitatis repræsentatiuæ, quæ est terminus, & verbum, sed ex coniunctione & informatione ipsius operationis, & actus egredientis, vitaliter à potentia denominatur intelligere.

Vndè sequitur, quòd etiam daretur, quòd ad repręsentandum obiectum potentię, sufficit informatio qualitatis repræsentatiuæ, etiam si talis qualitas, & similitudo non procedat ab ipsa potentia viuente, 162 *Vt aliquis dicatur intelligens; non sufficit informatio, & inhærentia actus: sed requiritur egressio actus. Intelligere, vt intelligere formaliter, neque est productio verbi; nec informatio potẽtiæ: sed apprehensio obiecti.*

tamen vt aliquis dicatur intelligens, & intellectio ipsa, seu intelligere conueniat subiecto, non sufficit informatio, & inhærentia actus, vel conceptus, sed requiritur processio, & egressio actus ab operante: quia intelligere formalissimè est actus vitalis, & actus viuentis, & viuens est; vitalitas autem non conuenit actui pro ea parte præcisè, qua inhæret in viuente, quia hoc passiuum est, & passiuum, vt passiuum non est vitale, sed pro ea parte, qua actiuè est à viuente, quia de ratione viuentis formalissimè est, vt moueat se, non vt patiatur, ergo cùm intelligere sit viuere, formalissimè erit mouere se, non pati, & informari per qualitatem, licèt per ipsam operationem dicatur informari ab obiecto, quatenus appræhendit illud, & fit vnum cum eo. Quarè diximus cum D. Thom. pręsertim in hoc loco cit. qu. 34. infra, quòd intelligere neque est actio intellectus, vt est productio verbi, neque est informatio, quia informatur, & patitur ab ipsa qualitate verbi per inhærentiam eius, sed est ipsamet operatio, vt appræhendens, & attingens obiectum repræsentatum in verbo. Itaque operatio intellectus, & versatur circa verbum, producendo illud, seu formando, & exprimendo, & hoc est dicere, seù loqui verbum; quia, vt dicit S Th. nihil aliud est dicere, quàm proferre verbum; & secundò versatur circa obiectum, quod repræsentatur in verbo, & circa hoc non versatur producendo, quia intellectus non immutat, neque tangit rem cognitam in vi intellectionis; sed versatur appræhendendo obiectum, & trahendo ad se, seu faciendo illud vnum sibi, ita vt intelligere sit esse ipsummet obiectum appræhensiuè. Et hoc est intelligere, scil. ipsa operatio vitalis, & appræhendens; Significat enim intelligere appræhendere obiectum, vt ex D. Th. diximus supra 4. cont. Gen. cap. 11. Et quia prout appręhendens, & intelligens, nihil producit, aut facit in re intellecta, ideò dicitur à D. Th. quod respectũ rei intellectę nõ importat ordinẽ originis hoc, quod est intelligere. Dicitur autẽ importare ordinem, seu habitudinem, non informationis à qualitate repręsentatiua (Hoc nusquam dixit S. Th.) Sed informationis rei intellectę, quę nõ est informatio causæ formalis intrinsecæ, sed formalis obiectiuæ, quæ solùm informat specificando, & tanquàm terminus intellectus fit vnum appræhensiuè cum ipso intelligere, seu vnum obiectiuè, & hoc fieri vnum, vocatur informatio, scil. informatio obiectiua.

163 *1. Obiectio.*

Nec fundamenta Vasq. & Suarez aliquid probant contra hoc, nam præcipuum est, quia intelligere est quoddam pati, secundùm Philos. & non importat ordinem originis, sed informationis secundùm D. Th. Sed hoc iam satis à nobis expositum est ex ipsis verbis Aritt. & D. Th. quòd intelligere, & sentire dicuntur pati, antecedenter, & præsuppositiue, non for-

maliter, quia ad intelligendum, & sentiendum præsupponitur, quod intellectus, & sensus recipiant species, quod est pati ab obiectis. Et intelligere importat informationem ab ipso obiecto, quia ad hoc ordinatur intelligere, vt appræhendat obiectum, & fiat vnum cum ipso obiectiue, & appræhensiue, non informatione entitatiua.

164 *2. Obiectio.*

Arg 2., quia si intellectio esset productio illius qualitatis, quæ est verbum, sicut dicitur producere qualitatem, diceretur, illum intelligere: non intelligimus autem, nisi obiectum, non qualitatem illam: ergo neque productio eius est intellectio. Et præsertim, quia intellectio est repręsentatio, & manifestatio actualis alicuius rei, & tunc intelligit obiectum, quando sibi manifestatur, & repræsentatur, & tantò perfectiùs intelligit, quanto magis manifestatur; hæc autem repræsentatio multo meliùs fit in ipsa qualitate producta, quàm in eius productione, quia ibi solùm est in fieri, & tendentia: ergo per informationem ipsius qualitatis fiet hæc manifestatio, & intellectio.

Confirmatur.

Confirm. quia Arist. 3. de Anim. c. 7. docet, quòd *Intelligere est actus perfectè*, actio autem, vt actio, & productio est via, & transitus de potentia ad actum, quæ est actus imperfectus; ergo in actione, & productione consistit intelligere. Neque consistit in operatione, quæ sit qualitas, & productiua alterius qualitatis, quæ sit verbum; Sic enim essent duæ qualitates repræsentatiuæ per modum expressionis; nam actus ille, qui est qualitas etiam similitudo est, cùm dicat Aug. 15. de Trinit. c. 16. *Cogitatio nostra perueniens ad id, quod scimus, & inde formata, verbum nostrum verum est*, & Ansel. in Monol. c. 3. dicit: *Imaginem nasci in cognitione, imò ipsam cognitionem sui esse imaginem.*

165 *Ad 1. Resp. intellectio, vt est operatio intellectus secundùm diuersam formalitatem est intelligere, & producere Verbum.*

Resp. quod intellectio, quæ est operatio intellectus, non secundùm eandem formalitatem est intelligere, & producere verbum, sed sub diuersa, vt ex D. Th. supra diximus, licét vtramque simul exerceat, quia intelligendo dicit, & dicendo intelligit. Itaque illa operatio intellectus, quam dicimus intellectionem, & intelligere, duo respicit, scil. rem intellectam, seu repræsentatam sibi, & verbum, in quo sibi fit repræsentatio. Secundùm habitudinem ad rem intellectam, non est productio, neque dicit habitudinem originis, vt dicit S. Th. infra qu. 34. sed solùm dicit appræhensionem obiecti, & facit illud vnũ sibi appræhensiuè.

Secunda habitudo est ad verbum immediatè, dicendo, & proferendo illud, quod est procedere, & sic est dictio, & productio, & importat habitudinem originis, vt idem D. Th dicit, & propter hoc verbum dicitur notionaliter, & processiuè, seu relatiuè in diuinis; non absolutè. Quare ad argumentum dicitur, quod intellectio formaliter non est productio verbi, quatenus intellectio; Sic enim solùm respicit obiectum intellectum, sed quatenus dictio, vndè nõ sequitur, quod vt productio intelligat verbum, sed quod dicat illud; & hoc verum est.

166 *Ad 2. Resp. intellectionem non esse formaliter repræsentationem; sed apprehensionẽ obiecti.*

Ad secundum dicitur, quòd intellectio formaliter non est repræsentatio, aut manifestatio, & appræhensio rei repræsentatæ, scil. ab ipsa similitudine, in qua manifestatur res repræsentata, cognitio fit ab ipso cognoscente, qui percipit illam repræsentationem; vndè si repræsentatio fit ipsæ cognitioni, cognitio non est repræsentatio formaliter. Et fatemur, hanc repræsentationem meliùs fieri à re repræsentante, quàm à productione ipsius, sed productio, vt productio, non est intellectio. Ad Confirm. Resp. quòd intellectio non consistit in actione, vt est productio, & via ad verbum, sed in actu ipso secundo, vt est appræhensio, & attingentia obiecti in verbo repræsentato, & formato. Et hæc non est actus imperfecti, sed perfecti, quia non est via, & tendentia ad producendum obiectum, sed est ratio obiecti ad se, & vnitio cũ illo; & sic nõ est fieri, sed est actualitas vltima intelligentis; & sic intelligere est actus, vt est ad obiectum, non vt ad verbum producendum; sic enim est dictio; licet etiam vt intellectio attingat verbum, vt in quo continetur obiectum.

Ad confirm. Resp. intellectionem nõ esse productionem, & viam ad Verbum: Sed ipsum actum apprehensionis

167 *Qualitas, quæ est actus secundus, est eminẽter productio in vim actualitatis suæ.*

Quod vero dicitur, qualitatem non esse productionem, dico qualitatem, quæ est actus secundus, esse eminenter productionem in vi actualitatis suæ, quia ad intelligendum in actu 2. ordinatur formatio, & prolatio verbi, quæ est productio. Nec sequitur, quod sint duę qualitates repręsentatiuæ, quia intellectio formaliter non repræsentat, & appræhendit, & percipit rem repræsentatam, vt supra diximus. Verbum autem est qualitas repręsentans, in qua intellectus contemplatur rem intellectam, & simul, dum format, & dicit, illud intelligit in eo, sicut si videndo fieret calor, simul videretur, & produceretur.

Cognitio nostra dicitur similitudo, non formalis; sed causalis.

Illi autem Patres, cùm dicunt cognitionem nostrã esse similitudinem, posset vno verbo ex D. Th. dici inf. q. 34. a. 1. ad 2. quòd cum dicitur, quod verbum est notitia, non accipitur notitia pro actu intellectus cognoscentis, sed pro eo, quod intellectus concipit cognoscendo. Itaque cognitio aliquando sumitur pro ipso termino, in quo fit cognitio, quia ibi terminatur, aliquando pro actu ad illum terminato. Specialiter Aug. in illo loco non dicit, cognitionem esse verbum, sed potius *cogitatio est cognitio fluctuans, & nõdum fixa, quæ quando perueniens ad id, quod scimus, & indè formata est, verbum dicitur;* Sed ly, *formata*, aliud dicitur ab ipsa cogitatione, scil. id, quod per illam formatum est, quod verbum est. Anselmus autem dicit, similitudinem nasci in ipsa cognitione, quæ vtique similitudo nata, verbum est, cognitionem autem esse similitudinem non formaliter, sed effectiuè; quia similitudinis huius productio est.

DVBIVM III.

Quisnam sit terminus, à quo actionis immanentis diuinarum processionum? Vbi quid sit in diuinis, vnam personam procedere de substantia alterius?

168 *Cõcl. terminus quasi à quo diuinarum personarum, non est ex nihilo, sed ex aliquo, quia nomine termini à quo intelligit id, vnde incipit actio. &c.*

VNica Conclusio. Terminus, quasi à quo diuinarum processionum, vndè procedunt tantùm personæ, quæ producuntur, non est ex nihilo, sed ex aliquo, quod non est aliud, nisi substantia personæ producentis, de qua, siuè ex qua substantia procedit alia persona. Dico, *quasi à quo*; quia per terminum, qui propriè dicitur, à quo, Philosophi communiter intelligunt non solum terminum quacumque ratione præsuppositum actioni; vndè incipit actio, qui procul dubio requiritur in casu nostro, cùm diuina natura priùs saltem origine, esse præintelligatur, & vere sit in persona producente; Sed intelligunt etiã terminum oppositum termino ad quem, & incompossibilem cum illo, & ideo deperdatur adueniente termino, ad quem; vt cum ex frigido fit calidum, vel ex tenebroso luminosum.

169 *Ratio termini à quo cum incompossibilitate termini ad quem, non habet locum in diuinis.*

Quæ propria ratio termini à quo non habet locũ in processionibus diuinis, vt dictum est, & docet S. Th. 1. d. 5. q. 3. a. vnico dicens, *in generatione diuina non est terminus, à quo;* Sicut nec locum haberet in creatione, si fieret ab ęterno, v. g. crearentur ab æterno Sol, & aer, consequenter ab ęterno aerem illuminaret, talis creatio non procederet de non esse simpliciter, quia hoc non esse, nunquam simpliciter existeret, quia semper, & in tota æternitate supponitur existere illius contradictorium, ac proinde illud non esse simpliciter, dici non posset præcedere esse, neque prioritate durationis, neque prioritate naturæ; sed solùm procederet de nihilo, hoc est, vt explicat S. Th. 1. d. 5. q. 2. a. 2. med. corp. *de non esse ex parte sui*, siuè ex se, & ex natura sua, habendo esse distinctum dependens ab alio, quæ negatio antecedit quidem terminum, ad quem, nempè esse Solis, & aeris, tamen illi non opponitur, nec illo adueniente deperditur; quia & si prius natura sit, rem non habere esse ex se, quàm habere ab alio, tamen hoc esse

ab

ab alio cohæret cùm illa negatione essendi à se; res enim tunc maximè apparet non esse ex se,cùm accipit esse ab alio. Similiter illuminatio educeret quidem lumen ab aere per physicam actionem à materia prima dependentem; sed non ex negatione luminis simpliciter,sed luminis conuenientis aeri ex se; cum qua negatione staret, nunquam omninò esse simpliciter tenebrosum,sed habere semper in tota æternitate lumen à Sole.

Essentia nullo modo vt essentia procedit.

Dico præterea in conclusione,*Vndè procedunt tantùm personæ*: vt excludeтem essentiam à personalitatibus præcisam,quæ nullo modo procedit, neque terminatiuè,quia non producitur; neque subiectiuè, quia essentiam diuinam,vt 1. d.5.q.2.§. *Ideo tenendo*, verissimè testatur Scotus: *Omnes Doctores antiqui à tempore Augustini,vsque ad illud,non sunt ausi nominare materiam,nec quasi materiam*: quia scil. materia secundùm suum essentialem, & explicitum conceptum importat imperfectionem potentiæ passiuæ, & carentiæ termini ad quem, seu perfectionis: essentia verò diuina neque reipsa est, neque cum fundamento in re concipi rectè potest cū huiusmodi imperfectionibus.

170 *Conclusio sic explicata est de fide. Confirmatur ex Augustino.*

Conclusio igitur sic explicata tenetur ab omnibus certa de fide: quia Concil. Nicæn. in confessione fidei credit: *Filium Dei de Patre natum vnigenitum, idest*, inquit, *de substantia Patris*. Et postea, *anathematizzari eos,qui dicunt,quia ex nullis extantibus factus est*. Idemque docet in epistola, & in formula fidei, vbi quod superiùs dixerat, *De substantia Patris*; dicitur, *Ex substantia Patris*: & explicatum est, non esse aliud, quàm, *non ex alia, quàm Patris substantia,& essentia genitum*. Toletanum quoque primum in assertione fidei fatetur, *Filium Dei de Patris esse natura*. Et Toletanum II. *Filium de substantia Patris natum*. & posteà exponens Patris, & Filij cōsubstantialitatem, subdit: *Nec enim de nihilo, neque de alia aliqua substantia, sed de Patris vtero idest, de substantia eius, idem Filius genitus,vel natus esse credendum est*: respiciens, & interpretans pro hac conclusione illud Ps. 109. *ex vtero ante Luciferum genui te*. Vndè August. lib. 1. contra Maximin. multò post medium ait: *Audi authoritatem, Synodicæ lectionis,quia in Arimino Patres nostri inter cætera, & hoc dixerunt; Si quis ex nihilo Filium dicit, & non ex Deo Patre, anathema sit*. Ex qua consubstantialitate,quæ etiam conuenit Spiritui S. sequitur, idem dicendum de processione Spiritus S. & ideò rectè idem Aug. lib. 3. contrà Maximin. c. 14. initio: *Si de substantia Patris est Filius,de substantia Patris est etiam Spiritus*. & infra: *Non est à seipso Spiritus S. Sed ab illo,de quo procedit*. Quod non obscurè significauit ipsemet Filius Dei,de Spiritu Sancto dicens Io. 16. *Ille de meo accipiet*. Vndè addit, *Propterea se dixisse,De meo accipiet,quia*, inquit, *Omnia quæcumque habet Pater,mea sunt*: Significans, quòd sicut Pater habet,vt de substantia procedat Spiritus S. ità etiam idem habeat Filius.

171 *Ratio Theologica.quia sicut persona producens est prior origine persona producta; ità præintelligitur habere prius naturā diuinam.*

Fundamentum Theologicum vniuersale est, quia persona procedens habet eandem naturæ substantiā cum persona producente; ergo sicut hęc prior est origine,ità præintelligitur habere priùs naturam diuinam, quàm propterea communicat personę procedenti, & non ab ea accipit. Sed hæc prioritas est originis,& ideò communiter dicitur prioritas,à quo: ergo illa natura precedit aliqua ratione diuinas origines, & processiones, tanquàm earum terminus à quo. Neque dici potest cum posterioribus quibusdā Arrianis,quorum sententiam refert Aug. lib. 3. contra Maximin. Arianorum Episcopum c.14. aliquantò post principium, illis verbis, *Vos nec Filium de Patris substantia genitum vultis,& tamen cùm nec ex nihilo, nec ex aliqua materia,sed ex Patre esse conceditis*. Sic enim apertè conceditur, quod impiè negatur. nam quod non est ex aliqua materia, vt quæ naturaliter generantur,non ex nihilo, vt quæ à solo Deo creantur; *non ex aliqua re alia, sed ex Deo, nisi ex Dei substantia esse non potest*,& consequenter, non potest non, *hoc esse, quod Deus est, de quo est*; hoc est, inquit Aug. *Deus de Deo*. Sed vt hoc distinctiùs intelligatur, videndum est, cuius generis habitudo importetur in hoc termino à quo, cùm dicitur: Vna persona procedere de substantia alterius; & ideò sic.

Petes. *Quid sit in Diuinis,vnam personam procedere de substantia alterius?* *Petes.*

172 *Resp. ly, de substantia, non significat aliquam habitudinem originis ad substantiā. &c.*

Resp. Cùm dicitur, Filius procedere de substantia Patris,& Spiritus Sanctus de substantia Patris, & Spiritus Sanctus de substantia Patris, & Filij per particulam,*De*, non significatur aliqua habitudo originis ad substantiam, & essentiam absolutam, quatenus mente præcisam à personalitate,neque primò in genere principij productiui,& quasi actiui; neque secundo in genere principij materialis: neque tertiò in genere principij formalis, sed solùm significatur quartò habitudo originis personæ procedentis ad substantiam, & essentiam absolutam, quatenus contractam ad personalitatem personæ producentis, vt ad principium, quasi actiuum, & consubstantiale in eadem essentia. Hæc conclusio vnum supponit,quod apud omnes indubitatum esse debet, per illud, *De*, significari aliquam habitudinem originis in aliquo genere causæ, vel quasi causæ, siuè effectiuæ, siue materialis, siuè formalis: tribuitur enim soli personæ procedenti, quæ expressè dicitur procedere, hec est originari de substantia; ergo per illud, *De*, manifestè significatur processionis, & originis habitudo ad substantiam. Hoc supposito,facilè erit probare conclusionem per singulas partes.

163 *1. Pars prob. quia persona producta, nec realiter, nec mentaliter procedit ab essentia.*

Prima pars est apud omnes certa, quia persona producta,nec realiter procedit,nec mentaliter rectè concipi potest procedere ab essentia,vt præcisa à personalitatibus: quoniam essentia, & persona non habent inter se realem distinctionem, & oppositionem, necessariam inter producens,& productum; alioqui persona producta dici non posset hic Deus, à quo producta esse supponitur, sicut de facto ob hanc rationem Filius dici non potest Pater. Confirm. 1. Si per prædictam locutionem significaretur habitudo originis productiuæ ad essentiam secundùm se, tàm dici posset,Filiùs procedit de substantia Patris,quā de substantia Spiritus Sancti, imò de substantia sua, &, Pater procedit de substantia Filij,vel Spiritus Sancti; quia essentia secundùm se omnino eadem est in Patre, Filio, & Spiritu S. ergo si propositio verificatur precisè per habitudinem ad essentiam, nihil prorsus referre debet,si in propositione addatur, & exprimatur,in qua persona sit illa essentia, siuè in Patre, siuè in Filio,siuè in Spiritu S.

174 *Confirm. quia si ly,de,importaret habitudinem originis in simili locutione filius etiam procederet de substantia Spiritus S.*

Confirm. 2. quia Concil. Lateranen.relatum cap. *Damnamus* de Summa Trinitate ex eo, quòd *vna quædam summa res,videlicet substantia,essentia,seu natura diuina,veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus S.& id,quod est Pater,est Filius,& Spiritus S.idem omninò* definit,quòd *illa res non est generans,neque genita,nec procedens; sed est Pater,qui generat, & Filius, qui gignitur,& Spiritus Sanctus,qui procedit,& distinctiones sint in personis,vnitas in natura*. Igitur cùm dicitur vna persona procedere de substantia alterius, non licèt replicare de substantia secundùm se generante,aut spirante.

175 *2. Pars 3. essentiam diuinam non habere rationem subiecti, vel quasi materiæ, constat ex D.Th.*

Secunda pars est S.Th.de Potent.qu.10.art.1.ad 3. his verbis. *In processione,quæ importat originem ordinis,procedens se habet ad processionem,vt terminus,non vt subiectum*. Scoti 1.d 5.qu.2.§. *Ideo tenendo*. Expressè negantis,essentiā diuinā habere rationē materię,vel quasi materię,& potētię passiuę; *et ideo*,inquit, *generationi, vt est in diuinis, non assignatur materia, nec quasi materia, sed tantùm terminus*. Et sequuntur alij communiter contrà Henricum in summa art. 54. qu. 3. ad 5. littera R. dicentem, quòd *in generatione Filij, & spiratione Spiritus Sancti, ipsa diuina essentia est quasi subiectum generationis, & vt aliquid in potentia, licèt necessariò semper coniuncta actui*. Et ad 12. *De alio*, inquit, *notat circumstantiam principij, quasi materialis circà essentiam, de* qua,

qua producitur persona. Durandum 1. d. 5. qu. 2. nu. 8. probantem, quod in prædicta propositione, *illa præpositio De, dicit circumstantiam materiæ, vel quasi materiæ*. Referunt etiam aliqui, esse contrà S. Th. 1. d. 5. qu. 2. art. 1. sed non benè, vt patet legenti.

Prob. 1. 2. pars ex D. Aug.

Prob. 1. ex Aug. lib. 7. de Trinit. cap. 6. circà med. illis verbis, *non sic Trinitatem dicimus tres personas, vel substantias, vnam essentiam, & vnum Deũ, tanquàm ex vna materia tria quædam subsistant*; & paulo post, *Tres personas eiusdem essentiæ, vel vnam essentiam dicimus; Tres autem personas ex eadem essentia non diximus*; quia scil. sic essentia, vt quædam personalitatum materia significaretur, sicut cùm dicimus, vt ibidem exemplificat Aug. Tres statuas ex eodem auro; significamus autem esse materiam statuarum.

176 *Prob. 2. quia materia, vt materia debet concipi per id, per quod distinguitur à forma.*

Secundò ratione à priori, quia materia, vt materia debet concipi per id, per quod distinguitur à forma, alioqui non poterit aliquid dici habere rationem materiæ, potiùs quàm formæ oppositæ, sed habebit rationem communem intrinsecæ partis, seù substantiæ; sub quo communi conceptu, ne quasi materiâ quidem dici, aut concipi potest potiùs, quàm forma. Proprium autem materię est, itâ inesse, seu esse in aliquo toto, vt sustineat, seu recipiat in se aliam compartem, siue aliud comprincipium, cum quo coniungitur ad constituendum aliquod tertiũ. Quod in casu nostro non reperitur, quoniam essentia ad personalitatem, seu relationem comparatur, tanquam intime identificata in re cum illa, & non tanquàm substentans illam, aut recipiens, aut componens cum illa aliquod tertium: quia primus conceptus essentialiter includit imperfectionem in personalitate, quæ substentari concipitur, secundus verò in essentia, quæ concipitur, vt aliquid potentiale, & perfectibile, cum oppositione, ac distinctione, & si natura diuina essentialiter petit concipi, vt actualiter identificata personis; inde manifeste sequitur, illam non posse rectè concipi, vt recipientem personas, quod enim concipitur recipere in se aliud, euidenter concipitur, vt distinctum à termino recepto, & vt non habens illum sibi essentialiter semper vnitum; alioqui idem posset concipi recipere seipsum, quod nemo non iudicat absurdum. Tertius demum compositionis conceptus ponit apertã imperfectionem in ipsa persona, quæ simplicissima cùm sit, concipitur, vt aliquod tertium ex duobus vnitis cõpositum, quam creationis compositionem rectè fieri nõ posse cum fundamento in re concepta, probaui supra tom. 1. q. 3.

177 *1. Obiectio.*

Ex dictis haud facilè est respondere ad ea, quæ in contrarium affert Duran. supra pro quo Arg. 1. nam in diuinis, *substantia Patris secundùm nostrum modum intelligendi præexistit Filio generando, & inexistit Filio Genito*.

Resp. non posse, concipi essentiam diuinam præexistẽtem sine vlla personalitate.

Resp. partim hoc falsum esse, loquendo de nostro modo intelligendi cum fundamento in re ex parte ipsius Dei, & non solùm ex parte creaturarum, contra naturam, & essentiam obiecti, quod concipitur; cùm probatum sit, non posse bene concipi essentiam diuinam præexistentem sine vlla personalitate, aut cum vna personalitate Patris, & non cum alia Filij, seu Spiritus Sancti; & consequenter Filium generandum, & non genitum, in quo essentia *inexistit* quidem, tamen sine vlla imperfectione inhærentiæ, distinctionis, receptionis, compositionis, sed cum maxima simplicitate per summam, atque essentialem identificationem: partim non concludit intentum de conditione materiæ, etiam si verum esset, nam præexistere, & inexistere in toto producto, conuenit non solùm materiæ, sed etiam termino formali productionis, cùm forma etiam insit intrinsecè composito, & prius natura sit fieri, & esse formam, quam ex illa constitui compositum; esto igitur essentia diuina inexistat, & præexistat Filio, in quantum Filius verè producitur; essentia verò neque producitur, neque comproducitur, sed tantùm communicatur; tamen hinc non sequitur, illam esse quasi materiam potiùs, quàm quasi formam.

178 *2. Obiectio.*

Arg. 2. *Filius constituitur ex essentia, & proprietate relatiua; ergo oportet, quòd alterum istorum se habeat, quasi in ratione materię, & alterum quasi in ratione actus. Sed essentia intelligitur, quasi substare relationi, & non è conuerso; ergo essentia magis videtur se habere in ratione materiæ.*

Resp. Durandum loqui ex parte obiecti cogniti; concipiendo in obiecto, al quid Deo repugnans.

Resp. hanc rationem clarè ostendere, Durandum loqui, quo modo etiam loquitur Henricus, non secundùm rem, nec secundùm nostrum modum cognoscendi imperfectum imperfectione tenente se solùm ex parte cognoscentis, sed etiam tenente se ex parte obiecti cogniti, ita vt tali modo cognoscatur aliquid obiectiuè repugnans Deo, ac proindè cognoscens procedat cum fundamento habito, non ex parte Dei, cui contradicit id, quod concipitur, sed ex parte creaturarum imperfectarum, ad quarum similitudinem concipit aliquam imperfectionem in Deo. Itaque Filius neque re ipsa est, neque absque obiectiua sui imperfectione concipi potest; vt constitutus, seu compositus ex essentia, & personalitate. Quod apertissimè apparet, cùm dicitur essentia intelligi substare relationi, tanquam actui, tunc enim intelligitur distinctio in ipsa essentia, & relatione; & imperfectio essendi in personalitate, quæ vt sit, indiget substẽtante; & in eadẽ essentia intelligitur passiua quædam actuabilitatis potentia. Enim verò diuina essentia absoluta, & in genere suo intrinsecè perfectissima, verè non determinatur per personalitatem, sicut dicitur in creaturis materia determinari per formam; sed solùm terminatur, tanquàm natura per subsistentiam personalem, seu terminum substantialem, non habentem rationem formę, sed puri termini cum ipsa essentia essentialiter, & simplicissimè identificati, & ideò absque vlla distinctione, compositione, potentialitate, & consequenter materialitate.

179 *3. Obiectio.*

Arg. 3. quia *essentia diuina recipit in se formam, per quam constituitur genitum, scil. proprietatem relatiuam; ergo ipsa est quasi subiectum, & materia, de qua est generatio*.

Respond.

Resp. iam ostensum esse pugnare cum essentia diuina conceptum recipientis, & constituentis.

3. Pars de habitudine originis ad essentiã in genere principij formalis prob. non dari.

Tertia pars de habitudine originis ad essentiam in genere principij formalis prob. quia esto persona, secundùm rationis considerationem imperfectam comparari possit ad essentiam, tanquam ad suum principium formale, intrinsecè constitutiuũ; ac veluti specificatiuum, vt multis Theologis placet, inquantùm in ipsa persona essentia concipitur, vt infinita, & essentialis perfectio illius, in quo sensu ipsemet S. Th. infra q. 41. art. 3. ad 2. essentiam diuinam vocat, *principium formale*, tamen id non sufficit, vt possimus dicere, vnam personam esse, seu procedere de substantia alterius in genere principij formalis. Quod euidenter suadeo 1. quia tunc etiam liceret dicere, Pater est de substantia diuina, contra S. Th. supra ad 3. communissimè receptum, negantem istam propositionem, *Tres personæ sunt de essentia diuina*: quia inquit, *non ponitur aliquid, respectu cuius possit importari distinctio per præpositionem significata*: si enim, vt dictum est initio conclusionis, præpositio De, siue, *Ex*, importet habitudinem originis, distinctionem quòque importet, necesse est, qua aliquo modo ex natura rei distinguantur originans, & originatum; cùm implicet, idem originari à se ipso in quocumque genere causæ.

180 *Sunt enim diuersę hę propositiones. Persona diuina est de essentia diuina; & hęc: aliquis Angelus est de natura intellectuali.*

Hæc autem distinctio non est inter personas, & essentiam, In quo differt hęc propositio, quam cum S. Th, negamus, *Persona diuina est de essentia diuina*, ab ista alia, quam idem S. Th. ibid. ad 2. benè concedit, *Angelus aliquis est de natura intellectuali*; quia in hac secunda non deest necessaria distinctio, sicut deest in prima, cùm persona huius, vel illius Angeli, non sit omnino idem cum eius natura, sicut sunt personæ diuinæ cum essentia; & ideo secunda verificatur per habitudinem originis ad naturam angelicam in genere principij formalis, vt ibi docet S. Th. secundò, esto addatur aliquid, quo significatur distinctio, vt si dicatur, *Filius est de substantia diuina Patris*;

ad

ad hoc non sufficit præcisus respectus principij, formalis, quia cum significando eandem distinctionem, liceret pariter asserere, Filius est de substantia Spiritus Sancti, & ipsemet Pater de substantia Filij, vel Spiritus S. Vnde non solùm de Filio respectù Patris, & de Spiritu S. respectù Patris, & Filij, vt cum Augustino extendit Albert. 1. d. 27. art. 9 & concedit Henric. quodl. 6. q. 1. initio corp. & ad 1. Sed etiam de Patre respectu Filij, & de Patre, ac Filio respectu Spiritus S. possemus confiteri, *Deum de Deo*: quod nullus Catholicus concedet.

181 *4. Pars de principio actiuo, & consubstantiali, probatur ex reiectione aliorum modorum dicendi.*

Quarta deinde pars de principio actiuo, & consubstantiali, est Magistri 1. d. 5. littera L. quem sequitur, & benè explicat Scotus q. 2. §. *Ideo tenendo.* versiculo, *secundo dico.* prob. 1. de principio actiuo. ex confutatione aliorum modorum dicendi, nam reiecta habitudine ad essentiam præcisa, in quocumque genere principij, & ad essentiam contractam in genere principij materialis, & formalis, non potest remanere aliud, nisi vt importetur habitudo originis, in genere principij actiui, quam habitudinem persona habet, vt quod, substantia habet, vt quo: quia vt docet Ioannes Theologus in Concil. florent. sess. 18. multò post med. *Pater generatiuum principium est, & suppositum quoddam significat; diuina verò substantia, quæ cum Patre realiter idem sunt, non quidem generat, sed est principium, quo generatio fit.* Hanc vero principij habitudinem habent solùm Filius ad substantiam Patris, & Spiritus S. ad substantiam Patris, & Filij; non autem Pater ad substantiam Filij, neque Pater, & Filius ad substantiam Spiritus Sancti: & ideo procedere, & esse de substantia alterius, & esse Deum de Deo, conuenire non potest, nisi Filio respectù Patris, & Spiritui Sancto respectù Patris, & Filij.

182 *2. Prob. de principio consubstantiali ex differentia, quam maximè habet particula, De, à particula, Ex.*

Secundò de principio consubstantiali prob. ex differentia, quam maximè habet particula, *De*, à particula, *Ex*, vt notat S. Th. infrà q. 41. art. 3. ad 2. quoniam, *De*, significat originem vnius ab alio, & præterea consubstantialitatem, siue in genere principij actiui, vt cùm dicitur Filius de substantia Patris; siue in genere principij materialis, vt cum dicitur, Cultellus est de ferro, siue in genere principij formalis, vt cùm dicitur, Gabriel est de natura intellectuali. Particula verò, *Ex*, significat solum originem: & non necessariò consubstantialitatem. *possumus enim dicere*, inquit S. Th. *quod creatura est ex Deo, essentia, non tamen quòd sit ex essentia Dei*, & multo minùs de essentia Dei, procedit enim creatura ex Deo, non autem de Deo. *Vndè non dicitur, quod Domus sit de ædificatore, cùm non sit causa consubstantialis*, sed dicitur esse ex ædificatore. Quam differentiam perspicuè, & eleganter tradidit Aug. lib. de natura boni aduersus Manichæos c. 27. dicens, *Ex ipso, non hoc significat, quod, De ipso. Quod enim De ipso est, potest dici Ex ipso; non autem omne, quod ex ipso est, rectè dicitur De ipso. Ex ipso enim Cœlum, & terra, quia ipse fecit ea, non autem De ipso, quia non de substantia sua: sicut aliquis homo si gignat filium, & faciat domum, ex ipso filius, ex ipso domus; sed filius de ipso, domus de terra, & ligno*, quam distinctionem sequitur S. Th. 1. d. 5. q. 2. art. 1. init. corp.

Vna persona vt dicatur procedere de substantia alterius, non sufficit sola consubstantialitas personarum.

Igitur vt vna persona verè dicatur esse, seu procedere de substantia alterius personæ, non sufficit sola consubstantialitas personarum; quamuis eam sufficere dicat Suarez lib. 6. c. 6. n. 6. neque etiam substantialitas cum distinctione: sed præter hæc duo est necessaria habitudo principij actiui ad alteram personam, de cuius substantia esse altera dicitur: *ita quod,* vt optimè exponit Scotus supra, *Totalis intellectus huius Sermonis, Filius est de substantia Patris, est iste, Filius est originatus à Patre, vt consubstantialis ei. Et isto modo exponit Magister authoritates, non præcisè per substantialitatem, nec per originem præcisè, sed per vtrumque.*

Loquitur D. Aug de esse idē per substantiam, non per personalitatem.

Cùm enim dicit August. de fide, & symbolo c. 3. *Deus cum Verbum genuit, id, quod est ipse genuit:* sensus est, inquit Magister supra: *Pater genuit Filium qui est hoc, quod Pater*, quia scil. vna prorsus essentia sunt Pater, & Filius. Quod ipsemet Aug. declarauit lib. 2. cont. Maximin. aliquanto ante med. dicens, *Hoc genuit Pater, quod est*, quod statim probans, subdit: *alioquin non est verus filius, si quod est pater, non est filius; quia veri filij hoc sunt per substantiam, quod parentes:* loquitur igitur Aug. de esse idem *per substantiam*, non per personalitatem. Vndè postea lib. 3 c. 14. multo post princip. loquens de Filio, clarissimè ità exposuit, *Non est aliud, quam est ille, de quo est, hoc est, vnius, eiusdemque naturæ, vel vnius eiusdemq; substantiæ.*

183 *1. Instabis.*

Dices 1. contra tertiam, & quartam conclusionis partem, videri apertè S. Th. infrà q. 41. art. 3. ad 2. vbi non probat expositionem Magistri dicentis *Quod cùm dicitur, Filius genitus de essentia Patris, designat habitudinem principij, quasi actiui.* & posteà ipse ex propria sententia docet, designari *principium formale.*

Resp. S. Th solùm docere, expositionem Magistri, non esse sufficientem.

Resp. S. Thom. si attentè consideretur, non docere, expositionem Magistri esse falsam, sed solùm non esse sufficientem, *Sed hoc*, inquit, *non videtur sufficere ad sensum huiusmodi locutionis.* Vndè ipse postea non reijcit habitudinem illam principij quasi actiui, quàm expressè admiserat priùs in solut. ad 1. dicens; *Cùm Filius dicitur natus de Patre, hæc præpositio, De, significat principium generans substantiale, non autem principium materiale*; sed solùm contendit, addendam esse consubstantialitatem, quam etiam Magister, vel expressè admittit, vel supponit, vel saltem non negat.

Deindè addit, denotari principium formale, non vt excludat actiuū, sed vt explicet consubstantialitatem.

Deindè addit, denotari principium formale, non vt excludat actiuum, sed vt explicet consubstantialitatem, quæ cùm esse possit, vt ipsemet distinguit, in triplici genere principij, siuè actiui, siuè materialis, siuè formalis, rectè docet, per illam propositionem importari cōsubstantialitatem in tertio genere principij formalis, cùm quo benè stat, illam eandem personæ producentis substantiam, de qua esse alia persona dicitur, importari etiam, vt principium, quasi actiuum personę procedentis, verissimè enim docuit, & probauit Scotus suprà, quod in prædicta propositione *per ly, De, non notatur tantùm efficientia, vel origo; tunc enim creaturæ essent de substantia Dei; nec notatur tantùm consubstantialitas, quia tunc Pater esset de substantia Filij, sed notatur simul originatio, & consubstantialitas:* quam statim explicat iuxtà S. Thom. in genere principij formalis, dicens, consubstantialitatem consistere in hoc, *quòd Filius habet eandem substantiam, & quasi formam cùm Patre.*

Aliud est, substantiā Patris esse principiū quasi actiuum in Filij generatione: aliud illam esse principium consubstantiale actiuū in genere consubstantialitatis.

Aliud igitur est, substantiam Patris esse principium quasi actiuum in Filij generatione, quod nemo potest negare: aliud, illam esse principium consubstantiale actiuum in genere consubstantialitatis. Primum non negat S. Th. sed secundùm; quia consubstantialitas propria diuinarum processionum, & personarum, cùm sit in eadem numero natura manente in producto, & producente, non potest explicari per principium actiuum; *sicut*, in humanis inquit S. Th. *Filius dicitur esse de Patre*, neque per principium materiale, sed per principium formale, forma nimirùm subsistente, tanquam purissimo actu, non adueniente alteri, sed cum omnibus prorsus identificato.

184 *1. Instabis.*

Dices 2. ex Driedone lib. 3. de Regulis, & Dogmatibus Sacræ Scripturæ tract. 2. cap 1. non longè a fine, contendente, differentiam illam Augustini inter, *Ex*, & *De*, à Theologis communissimè receptam, *non per omnem locum seruari in sacris litteris. Nam & Matth. 1. legitur. Quod enim in ea natum est, de Spiritu S. est. Item in symbolo Qui conceptus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine.* Christus autem non est natus, nec conceptus, nec incarnatus ex Virgine, aut in Virgine de substantia Spiritus Sancti, sed solùm operatione, & efficientia Spiritus Sancti.

Resp. non esse facilè recedendum à communi regula loquē di; præsertim in re tāti momēti.

Resp. Non esse facilè recedendum à communi regula loquendi, præsertim in re tanti momenti. Dicendum igitur, his etiam locutionibus, non solùm significari Christum, vt hominem, siuè secundùm humanam naturam, esse factum opera, & efficientia Spiritus Sancti, sed etiam vt Deum habere eandem essentiæ, consubstantialitatem cùm Spiritu Sancto.

Etenim

Etenim cùm solus Christus inter omnes creaturas, ità sit creatura ex Deo, vt sit etiam Deus de Deo, ipse solus, qui secundùm quod est creatura, formatus est ex peculiari concursu effectiuo Spiritus Sācti, dici potuit esse de Spiritu Sancto; quia, & si vt Deus nō procedat à Spiritu Sancto, tamen ab illo procedit, vt homo, & illi consubstantialis est, vt Deus. Ergo eo modo rectè dicitur Christus creatus de Spiritu S. quo non diceretur v. g. Adamus creatus de Deo. Quāquam quod attinet ad textum Matthæi, vbi Latinus habet, *Inuenta est in vtero habens de Spiritu Sancto*, & paulò post, *quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est*, Græcus habet, vt obseruauit Ambrosius lib. 2. de Spiritu Sancto cap. 5. circà fin. *ex Spiritu Sancto*.

185 *3. Instabit.*

Dices 3. Cum Suarez suprà, *Patres cùm dicunt, vnam personam producere aliam de sua substantia, non aliud explicare intendunt præter consubstantialitatem, vt egregiè dixit Ioannes Theologus in Concil. Florent. sess. 18. & sumitur ex Hilario lib. 8. de Trinit. satis à principio.*

Resp. ly, De, importare simul consubstātialitatem, & processionem.

Resp. Si his verbis Suarez ità vult per illud, *De*, importari solam consubstantialitatem, vt nolit importari simul processionem, quod non credo, quia importari aliquam originis habitudinem, est nimis clarum, vt supra notaui, non possumus illum sequi: neque Ioannes, & Hilarius citati ità docent consubstātialitatem, vt aliquid dicant, quo indicent, excludi processionem. Imo eam Ioannes circà med. illius sessionis, vbi hac de re agit, apertè concludit illis verbis, *Qui ex Patre dicit, Patris etiam essentiam intelligere debet. Præpositio autem, Ex, processionem à principio consubstantiali significat.*

DVBIVM IV.

An essentia personæ producentis sit immediatum principium diuinarum processionum? Vbi, An intellectus personæ producentis sit immediatum principium alicuius diuinæ processionis?

186 *Processio, qualis sit, vt cognoscatur, petit, vt eius immediatum principium explicetur.*

HAnc difficultatem de immediato diuinarū processionum principio, tangit in hoc art. S. Th. in fine corp. ità concludens: *Non ergo accipienda est processio, secundùm quod est per actionem alicuius causæ in exteriorem effectum, vt calor à calefaciente in calefactum; sed secundùm emanationem intelligibilem.* Et quidem processio, vt ipsa in se, qualis sit, cognoscatur, petit vt eius immediatum principium explicetur: est enim quædam actio; omnis autem actio est vltimata quædam ratio, qua agens agit; ergo postulat in agente formalem aliquam virtutem, ac potentiam agendi; implicat enim agens actu agere, & non posse actu agere. Hanc verò potentiam vocamus principium processionum, quod potest esse vel immediatum, & proximum, vel mediatum, & remotum.

187 *Quatuor rationes formales mentaliter distingui possunt in persona potente producere.*

Et quoniam non quicquid est in eo, quod denominatur agere vt quod, & quasi materialiter, est formale, siuè vt quo, agendi principium, sicut Petrus v. g. est qui discurrit, non tamen per materiam, aut potentiam aliquam materialem, sed vt quo proximè, & immediatè per potentiam discursiuam, vt quo remotè, & mediatè per essentialem differentiam rationalitatis, ideò in diuina persona potente producere, quæ producit vt quod, quatuor omninò rationes formales mentaliter distingui debent, quæ videri possunt principia formalia, quibus persona producit. Primò personalitas; Secundò natura; Tertiò intellectus; Quartò voluntas.

De personalitate, &c.

De personalitate nemo ferè contendit, esse aliquod formale agendi principium; est enim personalitas purè relatiua, quæ vt formaliter relatio, non habet afferre aliquem effectum, sed tantùm referre ad aliquem terminum; vt formaliter personalitas nō potest habere aliud munus, nisi formaliter constituēdi personā. Vndè de facto tertia persona Spiritus S. habet suam relatiuā personalitatem distinctam realiter à persona Patris, & à persona Filij; & tamen nihil omninò producit.

188 *De natura omnes cōuenimus esse aliquod producēdi principium saltem remotum.*

De natura, omnes conuenimus, esse aliquod producendi principium, saltem remotum: quæcumque enim alia virtus pro principio, quo agendi, assignata fuerit, illa procul dubio esse debet radicata in natura, tanquàm virtus ipsius, vt scil. ipsa natura agat mediante tali sua virtute, immediatè agente. Solùm controuersia est de principio immediato, an hoc sit natura, an potius intellectus, & voluntas, de quibus constat in creaturis esse immediata, & formalia agendi principia. Quod multum refert ad penetrandam quidditatem diuinæ processionis, quæ si habet pro suo immediato principio naturam, illa neque erit intellectio, neque volitio, sed quædam alia naturalis processio innominata; si intellectum, erit intellectio; si voluntatem, erit volitio. Vt distinctiùs procedam, tribus Conclusionibus dicam prius de natura, tum de intellectu, postremò de voluntate.

189 *1. Concl. Processio diuina si actiuè sumatur, non habet principium à quo sit; sed solùm in quo sit.*

Prima Conclusio. Processio diuina si actiuè sumatur, vt est actio personæ producentis, non habet principium, à quo fit; sed solùm principium, in quo fit, seù cuius fit. ac proindè processio ità sumpta, est quidem actio manens in suo principio, vt non tamen est actio manans à suo principio. Ab hac conclusione exorsus sum, vt explicarem, in quo sensu de processione hic disputemus, inquirendo illius principium, à quo realiter emanet, nimirum de processione passiuè accepta, quæ secundùm omnes est in persona producta, & magis propriè significatur nomine processionis simpliciter absque vllo addito; sicut enim procedens importat solam personam, quasi passiuè productam, ità processio si nihil addatur, & importare debet solam originem quasi passiuam eiusdē personę producentis: & in hoc sensu deinceps absolutè loquemur.

190 *Prob. quia in persona simplicissima, & perfectissima, non potest excogitari alia distinctio in re ipsa.*

Fundamentum huius conclusionis breuiter sumitur ex infra probandis, quod processio actiua, siue actio personæ producentis non est in producto, sed in producente. Quo posito sic argumentor, in quauis persona diuina, quę perfectissima & simul simplicissima est, neque, est, nec cogitari rectè potest alia distinctio in re ipsa. Sed si processio actiua existens tantùm in persona producente, haberet in ea aliquod principium, à quo verè, & realiter emanaret, vel emanare conciperetur, inter processionem, & principium, deberet realiter esse, & concipi distinctio in vna, eadem que persona; ergo processio actiua non potest habere principium, à quo fit. Min. patet, quia ex essentiali terminorum ratione, atque, adeò etiam in diuinis, sicut inter producens, & productum, non potest non esse, & non concipi oppositio, & distinctio ex natura rei; ità etiam vniuersaliùs inter id, quòd ab alio emanat, & id, à quo emanat illud; quoniam alioqui semper vrget eadem implicantiæ ratio, vt idē respectu sui ipsius sub eadem originis, siue emanationis ratione sit prius, & posterius, sit dans esse, & accipiens esse. In sensu huius primæ conclusionis dixit S. Th. de Verit. q. 4. art. 2. ad. 7. quod propter identitatem perfectionum in quauis diuina persona, *non est in diuinis processus, vt operationis ab operante.*

191 *2. Concl. diuinę processiones nō sunt immediatè ab essentia, sed ab intellectu, & voluntate.*

Secunda Conclusio. Diuinæ processiones non sunt immediatè ab essentia, seu ex fœcunditate naturæ diuinę, inquantum natura est, sed ab intellectu, & voluntate secundùm, quod ratione distinguūtur, & cōsequēter, processiones actiuæ personarū producentium non sunt actiones naturę formaliter præscindendo eam ab intellectu secundùm modum concipiendi & voluntate. Ità planè omnes, & Patres, & scholastici, vno excepto Durand. 1. d. 6. q. 2.

Prob. 1. quia, vt infrà constabit, Scripturam, & Patres omnes tradiderūt diuinas processiones per intellectum, & voluntatem.

Prob. Concl. primò, quia in sequenti quæsito, & dubio cum omnibus scholasticis probabimus, Scripturam, & Patres omnes valdè expressè tradidisse diuinas, processiones per intellectum, & voluntatem. Ergo temere dicitur, Intellectum, & Voluntatem impertinenter ad illas se habere. Secundò Durandi sententia circà mysteriū diuinarū processionum, ex se profundissimum, ac difficillimum, adeo implicat, vt illud reddat inintelligibile, & euidenter impossibile; & incredibile; cùm non possit rationabiliter explicare nonnulla, quæ de illis Fides docet, v. g. Fide credimus, duas tantùm esse processiones in diuinis, alteram Filij, alteram Spiritus Sancti: hunc autem

pro-

Qualibet processio simpliciter est infinita, & necessaria communicans totam absolutã perfectionem.

processionum numerum sententia Durandi nullo modo tueri potest. Enim vero quęuis vna diuina processio simpliciter est infinita, & necessaria, communicans tantùm, quantùm communicari potest, hoc est totam absolutam perfectionem sui principij. Ergo si hoc principium non est aliud, nisi ipsa natura, vt sic, eius fœcunditatem adequatè explebit vna processio, per quam secundùm Durand. non communicatur formaliter, & per se ex vi formali processionis, quę ponitur merè naturalis, nisi natura, vt formaliter natura. Quod si vna processio prædictam fœcunditatem non expleuit, & propterea additur alia processio, non poterit vlla congrua ratio assignari, cur hęc secunda expleuit, & non possint alię processiones introduci post secundam, sicut introducta est secunda post primã; nulla enim prorsus ratio fingi potest excludens tertiam, quę secundam pariter non excludat, cùm secunda sit omnino similis primę, ab eodem scil. principio, sub eadem prorsus formalitate considerato.

192 *Confirm. si vera esset sententia Durandi; sequeretur quod per intellectum procederet tertia, & quarta persona.*

Confirm. quia si aliquis assereret, per intellectum eadem ratione procedere duas personas, vt duo verba, duos Filios, non posset intelligibiliter vitare aliarum ęquè similium personarum processionem per eundem intellectum. Nam si secunda non procedit alio formali modo, quàm prima, hoc est per intellectum, vt intellectum formaliter; ergo eodem modo procedere deberet tertia, & sic de quarta, & alijs in infinitum. Et idem, si diceremus, per voluntatem procedere eodem modo duas personas. Ergò cùm Durandus velit, primam personam per naturam producere secundam, & secundam per eandem naturam producere tertiam, cur similiter hęc tertia post secundam, non producet aliam quartam personam per eandem naturam habentem fœcunditatem infinitam, sicut secunda post primam eodem modo, eadem ratione produxit tertiam. Docet quoque Fides, processionem Filij prioritate originis esse priorem processione Spiritus Sancti, & propterea Filium esse, & numerari secundam personam, tertiam verò Spiritum Sanctum & Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, non autem procedere Filium à Patre, & Spiritu Sancto. At verò si ambæ personæ procedũt eodem formali modo, immediatè ab ipsa natura diuina, vt præcisa ab intellectu, & voluntate, & vt suprà dicebat Durand. eodem modo procederent, etiam si per impossibile illa natura non esset intelligens, & volens, nulla prorsus apparet ratio, cur altera sit prior, altera posterior, & quæ necessitas fuerit, ob quam Spiritus Sanctus processerit à Filio, & non Filius à Spiritu Sancto, & consequenter, Filius non sit tertia persona, Spiritus Sanctus secunda.

193 *Confirm. 2. Si processionis diuinę principium immediatum, & formale, respectu vnius, & alterius personę procedentis esset essentia nõ saluaretur, quod vna generaretur, sed nõ altera.*

Prætereà fide constat, Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio: & ex duabus personis procedentibus, vnam generari, & esse Filium, non autem aliam. Hæc autem nulla ratione percipi, & credi posse videntur, si processionis diuinæ principium immediatum, & formale, tam respectũ vnius, quàm respectũ alterius personæ procedentis, est prorsus idem, & eodem formali, atque indiuisibili modo se habens; tunc enim nulla esset ratio, cur ambæ personæ procedentes, non procederent à solo Patre immediatè, & omninò simul simultate originis; quia in Patre est sufficiens virtus ad immediatam productionem vtriusque personæ, nec ordine originis processio Spiritus Sancti præsupponere deberet processionem Filij, quoniã in ea sententia Spiritus Sanctus non originaretur per volitionem, quæ ex natura sua præsupponit intellectionem, sed ex præcedente alia natura, siuè essentia, qua nihil aliud fingi potest aliqua ratione prius. Prætereà in ea persona, quæ dicitur genita, & Filius, id profectò, seclusis intelligendi, & volendi rationibus, quæ ad hoc dicuntur nihil cooperari, non aliunde haberetur, nisi quia procedendo immediatè ex ipsa indiuisibili, ac simplicissima natura sui principij, eam naturam accipit ex vi formali suæ processionis. Sed hoc totum, & eadem omnino ratione, non minus haberet alia persona, procedens immediatè ex eodem principio, & eodem formali modo; ergo hæc etiam non minus esse, ac dici deberet genita, & Filius. Verè igitur ista opinio præcipuas huius Sanctissimi mysterij veritates grauissimè perturbat, & confundit; & ideò videtur à fidelium mentibus penitus reijcienda. Demum vt sapientissimè obseruauit Suar. suprà nu. suo 10. Durand. in ipsa sua opinione minus rectè procedit, loquendo de essentia Dei, vt præcisa ab intellectu; quia, inquit Suarez, *essentia diuina in suo essentiali, & quasi specifico esse constituitur per suum intelligere.* Si igitur diuinę processiones sunt immediatè ab essentia, erunt maximè immediatè ab intellectu, qui nostro modo intelligendi in ipsorum terminorum natura fundato, est gradus illius essentiæ vltimò constitutiuus.

Arg. 1. Ex Durand. 1. in n.4. *Hilarium lib. de Synodis, vbi dicit, quod omnibus creaturis substantiam Dei voluntatis attulit, Filio verò natura dedit. & Aug. 15. de Trinit. dicentem, Verbum, per quod omnia facta sunt esse Filium Dei natura.* 194 *1. Obiectio.*

Resp. Similes propositiones non solùm in Hilario, & Aug. sed passim in cæteris Patribus legi. Vndè ipsemet Hilarius eodem lib. de Synodis Canon. 5. & lib. 12. de Trinit. aliquanto ante finem, Filium Dei vocat, *sapientiam genitam*. Sapientia autem non gigni potest à natura, vt præcisa ab intellectu. Idem etiam Aug. eodem lib. 15. de Trinit. cap.14. clarissimè ait, *Verbum Dei de scientia Patris natum est.* ergo cùm vocat *Filium Dei natura*, per naturam nõ potest intelligere aliquid à scientia, & intellectu Dei præcisum, & cap. 20. init. vbi leguntur verba, quæ Durand. citat, ipsemet ità exponit, *Filium Dei esse natura, hoc est, de substantia Patris genitum:* nimirũ in sensu explic. dub. pręced. maximè cũ in sẽtẽtia nostra, intellectus, & intellectio sint de cõceptu essẽtiali, ac formali naturę; Vndè in hac Dei natura idem Aug. c. 6. & c. 13. & sępè aliqui sapientiam includit, & propterea docet, Filiũ Dei esse *sapientiã de sapientia:* à qua tamẽ sapiẽtia vult Durand. in processione Verbi, naturã Dei Patris præscindere. Pręterea si sensum Durandi spectassent Patres, non solùm docere debuissent, *Filium procedere à Patre natura, non voluntate:* sed etiam, imo potiori ratione loquentes de Verbo, quod multo magis pertinet ad intellectũ, quã ad voluntatẽ, addendũ fuisse, procedere natura, non intellectu, nec volũtate, quod tamen in nullo legitur. Illud igitur sępè Patres docuerũt in alijs sensibus. Vel primo, quia vt docet S Th. infrà q. 3. art. 2. ad 2. processio Filij est generatio à voluntate nullo modo procedens, sed ab intellectu per modum naturę, cùm ex vi talis processionis communicetur ipsa natura diuina. Vel secũdò, quia Verbũ, quamuis ex Patris intellectu, ac sapientia genitũ, tamen est Filius naturalis per essentiam, non adoptiuus per gratiã, & liberã Patris voluntatẽ. Vel potiùs tertiò; quia processiones diuinę, siuè ab intellectu, siuè à voluntate immediatè principientur, non sunt voluntarię ex libera producentis voluntate, sed necessarię necessitate naturali; inquãtùm non possunt simpliciter non esse, neque aliter esse, quàm sunt ex ipsa natura sui principij, quodcumque illud sit.

Resp. Patres nomine naturę comprehendere, non excludere intellectum; cùm intellectus sit formaliter ipsa natura, vt supra qu. 14. art. 1.

Arg. 2. Ex eodem Durand. nu. suo 10. generatio Filij, & spiratio Spiritus Sancti, sunt radicaliter ex fęcunditate naturę. Hanc autem fœcunditatem habet natura ex sua infinitate, & non ex eo, quòd sit intelligens, aut volens. 195 *2. Obiectio.*

Resp. Fœcunditatẽ quasi remotã, & radicalẽ haberi ex infinitate; proximã verò, & quasi formalẽ haberi ex intellectione, & volitione; per quos actus vitales habet necessario fieri vitalis cõmunicatio illius perfectissimę naturę, viuentis tantùm vita intellectiua.

Resp. Fœcunditatẽ quasi remotam, haberi ex infinitate proximam verò, & quasi formalem, ex intellectione.

Arg 3. ex n.11. *Secundum idem proportionaliter cõuenit fœcunditas creaturis, & Deo, sed fœcunditas aliquid producendi competit creaturis, nõ ex hoc, quod sunt intelligentes, & volentes, sed per aliquid aliud priùs, & communiùs, nempe naturã, seu formam, in qua intellectus, & voluntas radicantur. Vndè, & virtus generandi inuenitur in rebus inanimatis, carentibus intellectu, vt in brutis, & vbi inuenitur in rebus habentibus* 195 *3. Obiectio.*

bus intellectum, vt in homine, *hoc non est per intelligere, & velle, aut per aliquid ad hoc pertinens. Ergo similiter est in Deo.*

Resp. Inconuenienter Durandum, in hoc comparare Deum cum creaturis; quoniam nulla creatura potest suā substantiam communicare.

Resp. Inconuenienter Durandū in hoc comparare Deū cùm creaturis; .n. vero posset eodē modo argumentari aliquis Arianus, scil. nō dari in Deo processionē ad intrà personæ cōsubstātialis, quia nulla creatura potest suam substantiā communicare, etiā per immediatā actionem ipsius naturæ, sicut ponit Durād. Disparitas igitur manifesta est, quoniā creatura, vt creatura non potest ista perfecte generare, vt producat aliud sibi cōsubstantiale in eadē numero natura: & propterea non potest generare, vt viuens intellectuale per actu immanentes, sed necessario generat per actionē transeuntē in naturā externā à se diuersam; ad quam productionem habent se omnino per accidens intellectus, & voluntas. At in diuinis est perfectissima generatio per communicatione eiusdē numero naturę, & ideo fieri debet perfectissimo modo, & longe diuerso à modo imperfecto generationis creaturæ, nimirum per actiones immanentes, & nobilissimas intellectionis, & volitionis.

197 *Petes.*

Petes. *An intellectus personæ producentis sit immediatum principium alicuius diuinæ processionis?*

Resp. processionem Filij Dei esse immediatè per actionē intellectus.

Resp. Prima processio Filij Dei est immediatè per actionē intellectus Patris, *scil. intelligere*, vt exponit S.Th. hic post med.corp. qui in fine de hac conclusione explicitè tantùm loquens, dixit: *sic fides Catholica processionem ponit in diuinis:* & ideo ab Arrubal. disp. 47 n.4. meritò dicitur, *conclusio certa secundùm fidem*, à qua præter Durād. de quo suprà, verè nullus Theologus dissentit, vt ostendā dub. seq. Inter alios, vt præcipuos tantùm afferam, eā expresse docuerunt S.Th. tum in hoc art 1. & 2. loquens iuxtà hanc conclusionem de sola processione Filij; tum art. 3. 4. & 5. loquens etiā de processione Spiritus Sancti: & in multis alijs locis, quæ Thomistæ, & interpretes omnes sequuntur. Item Alens. 1.p.qu.42.memb.2. & qu.43 membr.3.art.1. & 4. Magnus Albertus 1.d.10.art.3 & d.27.art.7. & in summa 1.p.tract.7. qu.30. memb.2. Bonauent. 1.d.2.qu.4. & d.27.art.2.qu.1. AEgid.1.d.5. part. 2.qu.1.fin.corp. & d.10.1.p.qu.1. & 2. & part. 2. qu.3.circà fin.corp.propos.2. & ad 1. & d.27.p.2.qu.1. 2. & 3. Henric. quodlib.6. qu.1. & in summa art. 54. qu. 9. & 10. & art. 60. qu. 1. Riccard. 1. d. 2. art.2. qu. 2. & d. 27. art. 2. qu. 1. & 2. Scotus d. 2. qu. 7. & d. 27. qu. 1. & 2. & quodlib. 2. qu.1. & 2. Scotistæ, & reliqui omnes.

198 *Prob. 1. hæc veritas ex Sac. Scrip. in qua Filius Dei appellatur Verbum &c.*

Hęc veritas creditur potissimū authoritate Scripturæ, in qua, & si disertis verbis non dicatur, Filius Dei procedere per intellectum Patris, tamen ea de Filio Dei dicuntur, quæ cōmodè, ac probabiliter intelligi nequeunt, & a Sanctis omnibus non intelligūtur absque illius processione ab intellectu paterno. Nam sæpè vocatur Verbum, & Io: 1. & 1. Io. cap.1. & 5. & Apocalypsis 19. vbi euidenter constat, esse propriijssimam denominationem; tum quia Ioannes initio sui Euangelij intendens ex instituto docere naturam, & diuinitatem Filij Dei, illum quater, & absolutè, ac simpliciter appellat Verbum: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Et Verbum caro factum est.* manifestè indicans, Filium Dei, vel nullum aliud simpliciter habere nomen, vel saltem nullum aliud magis proprium, præter nomen Verbum; tum quia maxima vocis proprietas apertiùs significatur verbis Apocalypsis 19. *Habens nomen scriptum, quod nemo nouit, nisi ipse; & vestitus erat veste aspersa sanguine, & vocatur nomen eius Verbum Dei.* Vnde S. Th. infrà qu. 34. art. 1. ad 1. testatur, *quòd Ariani ex eo, quod posuerunt, Filium alium à Patre esse in diuersitate substantiæ, conati sunt, cùm Filius Dei, Verbum dicitur, astruere, non esse propriè dictum; ne sub ratione Verbi procedentis, cogerentur fateri; Filium Dei non esse extra substantiam Patris. Nam Verbum interius sic à dicente procedit, quòd in ipso manet.* & ideò 1. d. 27. qu. 2. art. 1. initio corp. grauissimè scripsit, *Absque omni dubio confitendum est, Deum esse Verbum, & propriè Verbum dici.*

Hoc igitur propriijssimo Filij Dei nomine satis declaratur eius processio per intellectionem; quoniam Verbum in se mere spirituali, atque intellectuali nō esse potest aliud, nisi mentale, quod spiritualiter dicitur, hoc est ab intellectu producitur. Atque ob hanc personalis, & subsistentis Verbi consubstantialis incomprænhensibilem processionem ab intellectu Patris, de qua scriptum est Isaiæ 53. *Generationem eius quis enarrabit?* De hoc nomine dixit Ioannes suprà: *Quod nemo nouit, nisi ipse.* Et Ecclesiast. 1. dicitur, *Fons sapientiæ, Verbum Dei:* quod scilicet ex infinita Patris sapientia emanauit. 199 *Verbum enim in re spirituali, atque intellectuali, non potest esse aliud nisi per intellectum.*

200 *Ratio.*

Neque refert, quòd in allatis Ioannis verbis, vbi Latinus noster interpres vertit Verbum, multi veteres, & graues Authores vertant sermonem, seù rationem, vt Tertullianus aduersus Hermogenem cap. 18. & 20. & 45 & aduersus Praxeam cap.7. & 8.12. 12. 15. 20. 21. & sæpiùs infrà. Cyprian. lib.2. aduersus Iudęos cap.3. & 5. Ambros. lib. de fide contrà Arianos cap. 2. circà med. Hieron. in cap. 11. Isaiæ circà princip. August. tract.108. in Ioannem ante med. *In quibusdam*, inquit, *codicibus scriptum est. In principio erat sermo:* & alij, nam & ratio manifestè ad intellectum pertinet; & sermo Dei, apud ipsummet Deum alius esse non potest, nisi intellectiuus, prolatus ab intellectu Dei Patris spiritualiter, & intellectualiter dicentis, & loquentis intrà seipsum. Quamquam Aug. lib.83 qq. q.63. ait: *In principio erat Verbum, quod Græcè locis dicitur, Latinè, & rationem, & Verbum significat. Sed hoc loco melius Verbum interpretamur, vt significetur non solùm ad Patrem respectus, sed ad illa etiam, quæ per Verbum facta sunt:* Verbum autem, vt formaliter Verbum, non potest alium magis formalem, & immediatum respectum habere ad Patrem, nisi vt ad spiritualiter loquentem per suum intellectum. *Diluitur, nam Ratio, & sermo ad intellectum pertinēt, sicut, & Verbum.*

D V B I V M. V.

An voluntas personæ producentis sit immediatum principium alicuius diuinæ processionis? Vbi etiam Durando satis fit.

201 *Conclusio. secunda Spiritus Sancti processio est immediatè per actionem voluntatis.*

Conclusio. Secunda Spiritus Sancti processio est immediatè per actionem voluntatis, quæ propriè dici potest velle, sicut suprà initio quæsiti dubij præced. actio intellectus, per quam procedit Verbū, dicta est intelligere. Hæc non minùs certa, & communis est, quam superioris quæsiti conclusio. Eam expresse docuerunt S.Th. infrà art.3. & 5. Alens. 1.p. qu.43. memb.3.art.1. & 4. Albert. 1.d.10. art. 4. 6. & 7. & in summa 1.p.tract.7.qu.31.memb.2. Bonauēt. 1.d.6 qu.2. & d.10.per totam, præsertim art. 1. qu.2 AEgid.1.d.10. 1 p.q 1. & 2. & p.2.dist.q.3.circà finem. corp.propos.2. & ad 1. Henric. quodlib.6.q.1. & in sūma art.43.q.9. & 10. & art.60.q.1. Riccard. 1.d.2. art. 2.qu.2. & d.10.art.1.qu.1. Scot.d.2.q.7. & d.10.q.1. & quodlib. 2. q.2. & Thomistæ, & Scotistæ, alijq; omnes, præter Durand. 1.d.6. q.2. à quo in n. suo 5. tam hæc, quàm præcedentis quæsiti conclusio, quæ est verissima, atque omnium communissima sententia, temerè dicitur *imaginatio quorundam non bona*. Nam, eum ipso nemo verè sentit.

202 *Prob. 1. ex Sac. Script. & Patribus, à quibus Spiritus Sāctus vocatur ex proprietate personæ, charitas.*

Prob. breuiter conclusio; primò ex Scriptura, & Patribus, à quibus Spiritus Sāctus ex Proprietate personæ suæ vocatur charitas, & Amor, & Dilectio. Et propterea ad Rom. 5. dicitur: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum.* Et ibid Spiritus Sanctus dicitur *Dominus dirigens corda nostra in charitate Dei.* Charitas autem, & Amor, & Dilectio ad voluntatem pertinent. Hanc ob causam Toletanum XI. in confessione Fidei fatetur, quòd *Spiritus Sancti charitas Patris, & Filij esse agnoscitur.* Et Aug. lib.9. de Trinit. cap. vlt. circà princip. ait: *Sicut Dei Verbum, Filium esse nullus Christianus dubitat, ita charitatem esse Spiritum Sanctum:* item deindè sępè Amorem vocat, qui nullum aliud principium magis immediatum habet, quā voluntatem. Et lib.15.c.17. initio. *Spiritus Sancti communem, quam inuicem se diligunt*

diligunt Pater, & Filius nobis insinuat charitatem. Et statim docet, quòd Spiritus Sanctus *propriè charitas nuncupanda est: Sicut inquit, Factum est, vt propriè Dei Verbum, etiam Dei sapientia diceretur*. Vnde cap. seq. 18. circa finem, ità concludit. *Dilectio igitur, quæ ex Deo est, & Deus est, propriè Spiritus Sanctus est*. Dilectio autem ex voluntate oritur. Vnde cap. 20. circa med. *Voluntas Dei si, & propriè dicenda est aliqua in Trinitate persona, magis hoc nomen Spiritui Sancto competit: Nam quid est aliud charitas, quàm voluntas?* Anselmus quoque in Monol. à cap. 48. sæpissimè Spiritum Sanctum amorem vocat. Clariùs c. 55. paulò post princip. ait: *Pater pariter, & Filius spirant suum amorem*. Amor autem à voluntate spiratur.

203 *2. Prob. ratione, quia Deus producit personas vitaliter per vitam intellectualem, quæ non habet alias actiones nisi intellectiuam, et volitiuam.*

Secundò ratione significata à S. Th. infra art. 5. Deus essentialiter viuens, quando producit personas essentialiter viuentes, debet producere, vt formaliter, ac perfectè viuens, & vitali modo: alium enim producendi modum imperfectum, & proprium rerum omninò materialium, & inanimatarum, Deo tribuere nefas est. Neque enim alia res quocumque modo genita, dicitur propriè Filius, sed solum per vitalem generationem; Et eadem ratione esse debet vitalis processio Spiritus Sancti. In Deo autem non est alia vita, nisi intellectiua; nã vegetatiua, & sensitiua manifestè importat materiæ, & quantitatis imperfectiones, à perfectissima Dei natura prorsus alienas. Sed vita intellectiua non habet alias actiones, per quas possit vitaliter communicari, nisi intellectionem, & volitionem: Ergo in Deo est processio per intellectionem, nempè Verbi; & per volitionem, nempè Amoris. Sicut igitur, quia in Angelis, & homine est vita intellectiua imperfecta, fit per intelligere, & velle communicatio accidentalis, & imperfecta, terminata nimirum ad aliquem terminum accidentalem: ita, quia in diuinis est perfecta vita intellectiua, debet fieri communicatio substantialis, & perfecta, per intelligere productiuum Verbi subsistentis & per amorẽ, productiuum amoris subsistentis, ac personalis.

304 *Instantia.*

Diluitur. quia si esset à natura, non esset formaliter vitalis, quia non esset vegetatiua, &c.

Quòd si processio esset immediatè à natura, præscindendo ab intellectu, & voluntate, vt vult Durand. illa sanè non esset formaliter vitalis, quia nec esset vegetatio, nec sensatio, nec intellectio, nec volitio, præter quas nullam aliam processionem agnoscimus formaliter vitalem; sed esset emanatio quædam simpliciter naturalis, simillima emanationibus, quibus qualibet creatura, quantùmuis imperfecta producit aliquod in seipsa, vel in extrinseco aliquo subiecto: eiusque immediatum principium, vndè oriretur, esset quidem vita radicalis, & veluti habitualis; non autem formalis, & actualis. Ergo Durandi opinio non ponit in diuina processione omnem perfectionem, quæ cogitari in ea potest: cum omnes intelligamus multò maiorem perfectionem esse in processione formaliter vitali, quàm in merè naturali, & non vitali; & in principio substantiali, formaliter, & actualiter viuente, quàm viuente tantùm radicaliter, & habitualiter, & quasi potentialiter.

Confirm. quia non ponendo idem immediatum principiũ respectũ vtriusque processionis; aperitur nobis via reddendi rationem, de multis huius mysterij difficultatibus.

Confirm. maximè Concl. quia non ponendo idem immediatum principium respectũ vtriusque processionis, sed intellectum respectũ processionis Filij; & Voluntatem respectũ processionis Spiritus Sancti, aperimus nobis viam reddendi aliquam rationem de multis huius mysterijs difficultatibus, quas in opinione Duradi esse omnino insolubiles superiori dub. demonstrauimus. Possumus igitur asserere primò, duas tantùm in diuinis esse processiones, quia ponimus in Deo modum se communicandi, determinatum ad intellectionem, & ad volitionem; qui duo modi sunt in se valde diuersi; quàmuis enim in Deo, ob infinitatem naturę sint identificati, tamen sunt virtualiter distincti. Cùm igitur in Deo non sit, nisi vnicum intelligere, & hoc in Patre, vt est prior origine, habuerit pro termino adęquato Filium, idem intelligere, nec in Patre, nec in Filio, nec in Spiritu Sancto poterit alium Filium, aut terminum producere; quia, illa virtus productiua per intellectionem,

Nam possumus, primò asserere, duas tantùm esse processiones in Deo.

iam est completa, & totaliter expleta in Patre. Similiter non est, nisi vnum amare, cuius adæquatus, & completus terminus non est nisi vnum spiratum esse, qui est Spiritus Sanctus. Ità verò philosophari non potest Durand. quia per ipsum fœcunditas naturæ non fuit adæquata, & expleta per vnicam processionem naturalem, sed admittitur alia eadem prorsus ratione naturalis: qua admissa, difficillimum est euitare tertiam, & alias in infinitum.

Secundò processionem Filij esse origine priorem processione Spiritus Sancti, quia ex natura, & formalitate terminorum secundùm se, prius est intelligere, quam velle; & velle, vnde procedit Spiritus Sanctus præsupponit intelligere, vnde procedit Filius. Et ideo Filium esse secundam personam, Spiritum Sanctum tertiam: Et consequenter Spiritum Sanctũ procedere à Patre, & Filio; Filium autem à Spiritu Sancto procedere non posse; quia in illo posteriori originis, in quo spiratur Spiritus Sanctus per voluntatem, iam præsupponitur genitus Filius per intellectum; ergo & si possit intelligi productio Spiritus Sancti à Filio, intelligi tamen non potest productio Filij à Spiritu S. Tertiò processionem per intellectum esse generationem, non autem processionem per voluntatem, quia intellectus est vltima differentia essentialis constitutiua diuinæ essentiæ; voluntas verò nõ est nisi quædã proprietas extra intrinsecum, & quidditatiuum conceptum illius essentię.

205 *Secundò. processionem filij Dei esse origine priorẽ processione Spiritus S.*

Responsiones ad obiectiones Durandi.

206 *1. Obiectio.*

Arg. 1. ex Durando supra numero suo 6. Si personæ producuntur per actus intellectus, & voluntatis, *vel isti actus sunt ipsæ productiones personarum, vel sunt principia productionum: Sicut calor ignis dicitur produci ab igne per calefacere, tanquàm per productionem, & per calorem, tanquàm per principium productionis*. Non primum primò; *quia productiones personarum secundùm omnes sunt actus notionales, non essentiales*; hoc est non sunt communes omnibus tribus personis, sed proprij vnius personæ, vel duarum tantùm; sicut generare est proprium Patris: generari proprium Filij; spirare proprium Patris, & Filij; Spirari proprium Spiritus Sancti. *Sed intelligere, & velle sunt actus essentiales, non notionales; ergo non sunt ipsæ productiones*.

Sequitur eadẽ 1. obiectio.

Secundò intelligere, & velle sunt etiam in Filio, & Spiritu Sancto. Ergo si intelligere est producere Filium, & velle est producere Spiritum Sanctum, Filio etiam conueniet producere Filium, & Spiritui Sancto producere Filium, & Spiritum Sanctum. Tertiò, *Productiones personarum differunt realiter*; quoniam identificantur cum personis productis, realiter distinctis. *Sed intelligere, & velle in Deo non differunt aliquo modo realiter, nec absolutè, nec relatiuè*, hoc est, nec si sumantur absolute secundùm se, nec si sumantur relatiuè, vt identificata cum personalitatibus relatiuis. *Ergo non sunt productiones*. Non secundum, de principijs productionum, quia ex 9. Metaph. 16. actus immanentes sunt infœcundi; ergo non possunt esse principia actiua processionum.

Resp. totum ferè hoc argumẽtum potest retorqueri contra Authorẽ. Intelligere, & velle posse considerari dupliciter, vel secundum esse absolutum; vel respectiuũ.

Resp. Totum ferè hoc argumentum posse retorqueri contra Authorem suum, qui vult, Processiones immediatè, & totaliter oriri à natura: quoniam natura etiam in diuinis, non est notionalis, sed essentialis, & communis, & identificata cum omnibus personis. Cur igitur per hanc naturam, siuè essentiam Pater solus, & non Filius, & Spiritus Sanctus generant Filium? Et cur Pater, & Filius, & non Spiritus Sanctus producunt Spiritum Sanctum? Et quidquid attulerit Durand. pro sua natura, afferri pariter à nobis poterit pro nostra intellectione, & volitione. Dicendum igitur, tàm pro Durando, quàm pro nobis, Actus diuinos intelligendi, & volendi, diuerso modo conceptos dici posse, & principia productionum, scilicet passiuarum, & ipsas actiuas productiones. Quarè ad primum primi membri, distinguendo minorem, dico, intelligere, & velle considerari posse dupliciter, vel per se, & secundum

dum esse absolutum, & sic sunt actus essentiales & communes, & ipsemet Deus, & non productiones, siuè actus notionales: & nihil aliud dicunt, nisi puram tendentiam ad obiectum, nulla considerata relatione ad aliquem terminum productum.

207 *Vel secundùm esse respectiuũ, & sic sunt act9 notionales, & propriè.*

Vel secundum esse respectiuum, ita vt præter tendentiam in obiectum, considerentur etiam cum habitudine ad aliquem terminum productum; & sic sunt actus notionales, & proprij, & ipsæmet productiones, & processiones. Actus enim notionalis est essentialiter ipsemet actus essentialis, sed vt modificatus, & quasi contractus per relationem. Sicut ipsa substantia, seu natura diuina, quæ etiam secundùm omnes est principium personarum productiuum, saltem remotum, potest considerari, & vt absolutum, qua ratione est communis omnibus personis, & consequenter nullius personæ est productiua; &, vt relatiua per substantialem relationem personæ producentis, & productæ: & vt sic non est in omnibus personis, sed in solo Patre est, vt productiua Filij, & in solis Patre, & Filio est, vt productiua Spiritus Sancti.

Intelligere prout est in Patre, præter rationem intelligendi; includit paternitatem, & sic est dictio.

Intelligere igitur, vt est in Patre, præter rationem intelligendi communem, includit paternitatem, & sic est dictio, & productio, quasi actiua Filij, & proprium Patris, & notionale. Vt autem est in Filio includit filiationem, & respectum processionis ab alio, & sic etiam est notionale, sed proprium Filij. Similiter volitio, vt est in Patre, & Filio, includit relationem spirationis actiuæ, & est notionalis: vt est in Spiritu S. includit processionem, quasi passiuam, eiusque respectum, & est propria Spiritus Sancti, & notionalis.

208 *Ad 2. Resp. ideò in Patre, aliquid commune esse generatiuum; quia est prius origine. &c.*

Ad 2. Resp. idem prorsus argumentum fieri posse contra Durand. ipsum de essentia, quam vtiquè ponit in Patre solo principium generandi, & in Patre, & Filio, non in Spiritu S. principium spirandi, & tamen eadem prorsus essentia est communis omnibus personis. Ergo dicendum, tàm de principio productionis, quàm de ipsa productione, ideò in Patre v.g. aliquid commune esse generatiuum, & non in alijs personis; quia illud commune Pater habet à se prius origine, & non per aliquam productionem, aliæ vero personæ habent per productionem, & communicationem ab ipso Patre, ac proinde post expletam adæquate fœcunditatem, seu virtutem illius communis, quod non potest nisi semel prodire in actum communicationis, & productionis: qui actus esse prius debet in persona, quæ est prior origine, quàm in alia persona producta.

209 *Ad 3. Resp. eosdem actus secundùm esse absolutum esse indistinctos: secus secundùm relatiuum.*

Ad 3. nego simpliciter min. & dico, eosdem actus secundùm esse absolutum, esse indistinctos, secundùm esse respectiuum esse distinctos, sicut distinctæ sunt ipsæmet personæ, quamuis habeant vnam communem essentiam. Igitur intelligere, & velle, prout sumuntur per habitudinem ad obiecta, sunt quid vnũ, atque idem, omninò indistinctum in tribus personis distinctis, sicut omnes sunt vnus indistinctus Deus: Sed prout sumuntur per habitudinem ad personas productas, secundùm quam intelligere quasi passiuũ, est ipsamet processio Filij, & velle quasi passiuum, est ipsamet processio Spiritus S. includunt ipsasmet Filij, & Spiritus Sancti personalitates, per quas realiter inter se distinguuntur: quia sub hac respectiua ratione, non tam sunt intelligere, & velle, quàm generari, & spirari, quæ certissimè distinguuntur.

Ad vlt. Resp. hanc infœcunditatem esse quoad externa: non quoad interna.

Denique ad id, quod vltimo loco dicebatur contra secundùm membrum de infœcunditate actuum immanentium Resp. hanc infœcunditatem esse, quoad externa, non quoad interna: nam per immanentes actus, & si non producatur aliquid extra subiectum, in quo manent, cùm v.g. vt loco cit. exẽplificat Philosoph. *nihil præter visionem, aliud à visu fiat opus, à quibusdam verò fiat aliud, vt ab ædificatiua fit domus præter ædificationem* tamen producitur aliquis intrinsecus terminus, in eodem subiecto manens simul cum actione; qui in intellectu vocatus est verbum, in volunrate non habuit peculiare nomen, sed nomine ipsius actus, dictus est amor, vel dilectio, vt fusè, & optimè explicat S.Th. infra q. 37. art. 1.

Arg. 2. ex eodem Durando n. suo 12. *Qualis est ordo rei inter differentia realiter, talis est ordo rationis inter differentia secundùm rationem. Sed vbi natura intellectus, & voluntatis differunt realiter, productio est realiter vi naturæ, non intellectus, vel voluntatis: Ergo sic est in Deo, in quo ista sunt differentia solùm secundùm rationem.* 210 *Obiectio.*

Resp. comparationem inter generationem naturalem vegetatiuam hominis; & intellectiuã Dei, esse valdè improportionatã.

Resp. Si hoc argumento intendatur comparatio inter substantialem generationem hominis intelligentis, & volentis, quæ fit vi naturæ vegetatiuæ hominis, non vi intellectus, & voluntatis, & substantialem Dei generationem eam comparationem minus rectam esse, probatum est superiori dub. in resp. ad 3. obiectionem si vero intendatur comparatio, quæ sola esset ad rem, inter intellectum, & voluntatem creaturæ, in qua hęc distinguuntur secundùm rem, & intellectum, ac voluntatem Dei, in quo hæc distinguuntur secundùm rationem, & sane admittenda est, remotis proprijs creaturarum imperfectionibus. Sicut enim ex creato intellectu, & voluntate procedunt verbum, & amor; ita etiam ex intellectu, & voluntate Dei, & sicut ibi ordine reali præcedit verbi processio, sequitur amoris processio; ita hic ordine rationis, tametsi ibi sit imperfecta processio in natura distincta accidentali, per potentiam accidentalem distinctam ab actu, & natura substantiali intellectiua: hic autem fit perfectissima processio consubstantialis in eadem numero natura, per purissimum, & substantialem actum, omnino identificatum cum substantia, & essentia eius, à quo est processio.

Arg. 3. ex eodem in n. 16 *Quælibet persona diuina producitur ex necessitate immutabilitatis, & virtute determinata ad vnum. Ergo per modum naturæ; Ergo non per voluntatem, & modo voluntario.* Vltimam conseq. probat, *quia agens per voluntatem, & modo voluntario, habet in potestate sua agere, vel non agere, & est indifferens ad opposita, & non determinatum ad vnum.* 211 *3. Obiectio.*

Resp. agere per naturam posse dupliciter considerari: vel pro agere necessario: vel pro agere per naturam.

Resp. dist. 1. Conseq. Nam agere per modũ naturę sumi potest, vel pro agere necessario, quo modo agit natura distinguitur ab intellectu, & volũtate, & agere volũtariè. Primo modo, conc. Cõseq. sed non est ad rẽ, quia de illo nunc non disputamus. Neque .n. opponuntur agere necessariò, & agere per voluntatem simpliciter, quę duo in processione Spiritus Sancti reperiri non defendimus. Secundo igitur modo, de quo solo præsens est controuersia, neg. Conseq. primam, & secundam etiam, simpliciter loquendo; quia, vt suppono ex propria materia, non sunt idem voluntarium, & liberum, omne liberum est voluntarium, non contra omne voluntarium est liberum, vt patet in primis voluntatis motibus, & sine deliberatione, vt in pueris, & stultis; & in amore beatifico. qui actus sunt maximè voluntarij, & tamen minimè liberi. Potest igitur de Deo Patre, & Filio dici, quod producant Spiritum S. immediatè per voluntatem, & modo maxime voluntario, & nihilominus ex immutabilitatis necessitate producant, & virtute determinata ad vnum, & ita producant, vt non habeant in potestate sua producere, vel non producere.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum aliqua processio in diuinis generatio dici possit.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio. Processio Verbi in diuinis dicitur Generatio. Prob. Processio viuentis à viuente coniuncto, secundùm similitudinem in eadem natura, est generatio. Patet ex definitione generationis propriæ viuentium; Sed processio Verbi in diuinis est huiusmodi, ergo. Minoris prob.

quoad

quoad singulas eius partes; Et quòd Verbum procedat, vt viuens à viuente: Quia Verbum procedit per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ. Quòd sit à principio coniuncto, quia Verbum procedit, vt intimum ei, à quo procedit. Quòd procedit, vt simile, manifestatur, quia Verbum est similitudo rei intellectæ. Quòd tandem in eadem natura, quia in Deo idem est intelligere, & esse.

Arg. 1. Generatio est mutatio alicuius de non esse ad esse, est corruptioni opposita, & eius subiectum est materia; sed nihil horum competit in diuinis; ergo. Resp. ad Ma. illa omnia conuenire Generationi communi, tàm viuentibus, quàm non viuentibus, quæ in Deo non reperitur; conueniunt tamen diuinæ generationi ea, quę competunt generationi, quæ est viuentibus propria.

Arg. 2. Processio, quę est secundùm modum intelligendi, non dicitur generatio, vt patet in nobis; Sed in Deo est processio secundùm modum intelligendi, vt dictum est art. præced. ergo. Resp. dist. Ma. Processio, quæ est, &c. in nobis non est Generatio, conced. nam intelligere in nobis non est ipsamet substantia intellectus nostri, sed est accidens; At ipsum intelligere diuinum est ipsamet substantia intelligentis; & in hoc sensu neg. Ma.

Arg. 3. Processio eius, cuius esse est per se subsistens, non potest esse generatio, quia esse genitum est acceptum; esse verò subsistens non est receptum; sed diuinum esse est per se subsistens; ergo. Resp. neg. Ma. ad prob. Aliud est dicere, habere esse receptum, aliud habere esse acceptum: esse enim receptum non est subsistens, sed accidens; esse verò subsistens potest esse per generationem acceptum, alioquin non posset dici, quòd tota substantia rei creatę sit accepta à Deo.

DISPVTATIO CLXI.

An processio Verbi diuini sit verè, & propriè generatio? Vbi An dicenda sit vniuoca, vel æquiuoca?

212 Nota. generationem sumi dupliciter: & vt est communis viuētibus, & non viuentibus; & prout solis viuētibus conuenit.

PRO *decisione notandum est, supponendo distinctionem, quam adducit D. Th. in corp. huius art. scil. quòd generatio sumitur dupliciter, primò modo latè, & communiter, vt definitur ab Arist. 5. Phys. t. 7. quod sit mutatio de non esse ad esse; & hæc conuenit omnibus generalibus, & corruptibilibus, de qua intelliguntur verba illa Arist. 2. de Generat. t. 51.* Generatio est eorum, quę possunt esse, & non esse: *alia est generatio propriè sumpta, quæ tantùm conuenit viuentibus, cuius diffinitio est (inquit D. Th.)* Origo viuentis à viuente, à principio coniuncto in similitudine naturæ: *quam diffinitionem, vt optimè notauit Torres, collegit D. Th. ex Arist. 8. Ethic. c. 12. & 7. Met. t. 28. & 2 de ani. c. 4. & alibi, cuius particulas exprimit D. Thomas in littera.*

213 Prima Concl. affirm. est de fide colligitur ex Sac. Scrip.

Prima Concl. Processio Verbi diuini est vera, & propria generatio. Hæc est de fide, & prob. 1. Authoritate Sacræ Scripturæ, & Ps. 2. Ego hodie genui te. *Vbi sermo est ad litteram de generatione æterna Verbi, vt patet ex D.* Paulo *ad Heb. c. 1. licèt etiam possit ad litteram intelligi de Resurrectione Christi Domini, vt constat ex illo Actorum 13. constat enim ex quolibet sensu litterali posse colligi efficax argumentum ad probandas res fidei, vt optimè D. Th p. p. 1. art. 10. & etiam prob. ex illo Ps. 109.* Ex vtero ante Luciferum genui te; *quod communiter à Sanctis intelligitur de æterna Verbi generatione, præcipuè à D. Aug. 1. de Trinit. c. 12. & pluribus locis Sacræ Scripturæ, in quibus Verbum diuinum appellatur Vnigenitus Filius, & eius processio generatio, Io. 1. Io. 3. Math. 3. Io. 5. in fine.*

214 2. Conclusio Processio Verbi diuini non est generatio, prout est propria non viuētibus: sed prout conuenit viuentibus.

Secunda Conclusio. Processio Verbi Diuini *non est generatio communiter dicta, nec sumpta spiritualiter, prout est propria non viuentibus, sed prout conuenit viuentibus. Prima pars constat lumine naturali, quia in Deo* neque est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio. *2. Pars prob. quia generatio propria non viuentibus, sumpta secundùm differētiam propriam, qua distinguitur à generatione viuentium, habet hanc imperfectionem, quòd procedens per eam ex vi ipsius, est non viuens, & inanimatum, & præterea dicit mutationem. 3. Pars prob. tùm à sufficienti enumeratione, tùm etiam, quia definitio generationis conuenit generationi Verbi diuini, quod prob. quia in primis Verbum diuinum procedit à Patre. Io. 8.* Ego ex Deo processi. *Secundò tanquam viuens à viuente Io. 5.* Sicut Pater habet vitam à semetipso sic dedit Filio vitam habere in semetipso. *Tertiò, quia est à principio coniuncto Io. etiam 1.* Vnigenitus, qui est in sinu Patris. *Et Ps. 109.* Ex vtero ante Luciferum. *Quartò, quòd est simile in natura, Paul. ad Heb. 1.* Qui cùm sit splendor Patris, & figura substantiæ eius. *Et ad Colossen. 3.* Qui imago inuisibilis Dei. *Ergo. Pars negatiua*

215 Prob. 1.

prob. 1. quia generatio absolutè, & in communi sumpta includit rationem mutationis; sed hæc repugnat diuinæ personæ; ergo. Prob. Ma. ex Arist. 5. Phys. c. 1. & 1. de generat. c. 4. vbi definit generationem. Quòd sit mutatio de non esse ad esse.

Dices. Processio Verbi diuini non includit generationem communiter dictam; sed est generatio, quæ conuenit viuentibus. Sed contra. In generatione viuentium essentialiter clauditur generatio communiter dicta; ergo vtraque repugnat Deo. Prob. Antec. quia generatio communiter dicta est genus ad generationem viuentium, & non viuentium; sed genus includitur intrinsecè in speciebus; ergo. Instabis.

Confirm. 1. quia, quod est genitum incipit esse; ergo. Prob. Antec. quia sicut se habet generatio ad esse, ità omne, quod corrumpitur, desinit esse, ergo omne, quod 1. Confirm.
generatur, incipit esse. Confirm. 2. quia omne illud, 2. Confirm.
cuius esse est sua duratio, si habet principium sui esse, & maximè per generationem, habet etiam suæ durationis principium: Sed in secunda persona diuina idem est esse, quod sua duratio; ergo si habet principium sui esse per generationem, habet etiam principium suæ durationis, ac per consequens non erit æterna.

216 Resp. generationem viuentium dupliciter posse considerari. primò formalissimè secundò materialiter.

Resp. ergo notando, quòd generatio viuentium dupliciter potest considerari: primò formalissimè, prout est communicatio naturæ viuentis præcisè; Secundò cum aliquo addito, materialiter scil. vt est communicatio naturæ viuentis corruptibilibus; vndè potest comparari, & ad generationem increatam Verbi secundum primam rationem, & ad generationem non viuentium corruptibilium secundum vltimam. Quarè generatio propria viuentium duplicem habet rationem generationis sibi superiorem, prima est, in qua conuenit vniuocè cum generatione non viuentium, & hæc formaliter tantùm importat mutationem de non esse ad esse, abstrahendo ab hoc, quòd illud esse sit viuum. Alia ratio est, in qua conuenit cum generatione viuentis immaterialis, & incorruptibilis, & hæc tantum formaliter dicit originem, aut processionem viuentis à viuente, &c. cuius nulla alia datur de facto, præter generationē Verbi diuini, & hæc ratio cōmunis est analogicè ad istas duas rationes generationis, quæ per prius dicitur de generatione æterna, minùs præcipuè viuentiū corruptibilium, sicut Paternitas analogū quoddā est ad paternitatē creatā, et increatā, iuxta illud Pauli ad Ephes. 3 A quo omnis Paternitas in Coelo, & in terra nominatur. *Istæ autē duæ rationes non sunt essentialiter subordinatæ, sed disparatæ: vndè generatio cōmuniter dicta habet tantùm rationem generis respectu viuentium corruptibilium, & non viuentium; respectu verò viuentium absolutè, abstrahendo à creato, & increato, non se habet, vt genus, sed potiùs accidentaliter, cùm sit aliqua generatio viuentium,*

vtpotè Verbi diuini, in qua non includitur, ex quo patet Ad argumentum.

Ad 1. Cōfirm. Resp.

Ad 1. Confirm eodem modo Resp. quòd procedit de generatione, quæ est species mutationis, & inter terminos oppositos, scil. priuationem, & formam; vnde falsum est Antec. cuius probatio tantùm tenet in iis, quæ de potentia transeunt ad actum vitæ. Ad 2. Confirm. Resp. non esse inconueniens concedere, quòd sicut Filius Dei habet principium sui esse originis, sic eius duratio, seu æternitas habet principium originis, quia sicut esse Filij est ex genitum à Patre, ita eius duratio: verum quia ly principium, ex vi vocis intelligitur semper de principio temporis, si construatur cum duratione, ideò absolutè non est concedendum, quod Filius Dei habuerit principium durationis, nisi cum addito, scil. originis.

Ad 2. Cōfirm. Resp. absolutè non esse cōcedendum, ... habere principium durationis.

217

3. Obiectio.

Arg. 2. Generatio non est perfectio simpliciter simplex; ergo nulla processio Verbi diuini est generatio. Patet Conseq. quia in Deo tantùm sunt ponendæ formaliter perfectiones simpliciter simplices. Antec. prob. tum quia processioni Spiritus Sancti non est melius esse generationem, quàm non esse generationem, vt patet; tum etiam, quia iam aliqua perfectio deesset processioni Spiritus Sancti ex iis, quæ conueniunt processioni Filij.

Confirm.

Confirm. quia generatio, quantumuis propriè sumatur, includit in sua vltima ratione imperfectionem, ergo non est formaliter in Deo. Patet Conseq. quia in Deo non est ponendum id, quod est imperfectum; ablata autem tali imperfectione à generatione, non remanet generatio, cum sit de ratione eius. Prob. Antec quia generatio supponit necessariò subiectum, aliàs non distinguitur à creatione.

218

Resp. non sequi aliquā perfectionem deesse Spiritui S.

Ad hoc arg. omissa solutione quorundam, qui concesso Antec. negant Conseq. quia in Deo, inquiunt, non solùm sunt formaliter perfectiones simpliciter simplices, quæ nullam imperfectionem includunt in vltimo suo gradu, licèt aliàs non simpliciter simplices. Resp. non sequi ex eo, quòd generatio Verbi diuini sit perfectio, aliquam perfectionem deesse processioni Spiritus Sancti.

Ad Confirm. Resp. generationem, quæ abstrahit à viuentibus corruptibilibus: non præsupponere subiectum.

Ad Confirm. Resp. quòd licèt prima ratio generationis communiter dictæ, præsupponat subiectum, cùm dicat mutationem de non esse ad esse: at secunda ratio, quæ abstrahit à viuentibus corruptibilibus, cum non dicat mutationem, non præsupponit subiectum. Distinguitur autem generatio vt sic, à creatione, quatenus creatio est productio termini sub ratione producibilis ex nihilo: generatio verò, quatenus est productiua termini sub ratione generabilis.

Arg. 3. Genitum semper differt à generante in natura saltem numerica: Sed hæc distinctio repugnat diuinis personis, ergo prob. ma. quia genitum debet esse simile generanti, vt patet ex definitione generationis; Sed similitudo supponit distinctionem inter extrema, saltem numericam, aliàs esset identitas; ergo. Resp. falsam esse Ma. in diuinis, & ad prob. dico sufficere distinctionem in personis, licèt sit identitas in natura.

219

4. Obiectio.

Resp. Verbum procedere, vt simile intelligenti.

Arg. 4. Verbum ex vi suæ processionis non procedit simile intelligenti, sed rei intellectæ; ergo Verbum diuinum ex vi suæ processionis non procedit simile generanti; ergo talis Verbi diuini processio non est generatio. Resp. Verbum ex vi suæ processionis, procedere simile intelligenti constituto in actu primo per speciem obiecti, cum qua est vnū, iuxta illud Arist. Intellectus in actu est intelligibile in actu. Et sic falsum est Antec. argumenti, maximè quia in casu argumenti, cum obiectum cognitionis diuinæ sit ipsemet intelligens, eo ipso, quòd Verbum assimilatur rei intellectæ, assimilatur etiam intelligenti: videndus tamen est pro nunc Zumel his quæ. vnica ad 2.

220

5. Obiectio.

Arg. vltimò ex D. Basil. in lib. de Spiritu S. qui alio titulo solet citari lib. 5. contra Eunom. c. 13. vbi dicit hæc verba: Nec Filius, nec generatio Deitatis proprium est, sed ex similitudine humana adductum. Ergo saltem ex D. Basil. non est vocanda generatio simpliciter, & propriè, sed metaphoricè.

Resp. D. Basilium non negare nomen, & rationem generationis propriè dici de processione Verbi, & per prius, quam de generatione creaturarum, sed loquitur de generatione, filiatione, & de emissione Spiritus ex ore, prout in creaturis materialiter, & imperfectè reperiuntur, & quatenus à nobis assumuntur in exemplum ad explicandum aliter procedere in diuinis Filium à Patre, quam Spiritus S. à Patre, & Filio, & ista ita materialiter, & imperfectè sumpta non sunt propriè in Deo, sed translatiuè.

Resp. D. Basilium non negare processionem verbi, dici generationem.

221

Petes.

Petes. Vtrum generatio Verbi diuini dicenda sit vniuoca, vel æquiuoca?

Ratio dubitandi.

Ratio dubitandi est ex vtraque parte, & primò, quia videtur, quòd dici debeat vniuoca simpliciter, quandoquidem de fide sit, quòd Filius est eiusdem naturæ cum Patre. Quòd autem sit æquiuoca, id suadere videtur, quia Pater generans, & Filius genitus sunt diuersarum rationum, cùm paternitas, & filiatio, quibus constituuntur, sint diuersarum rationum: neque est eadem ratio de generatione creata; quia cùm paternitas, & filiatio non sint proprietates personales constitutiuæ generantis, & geniti, diuersitas rationis illarum non tollit vniuocationem simpliciter ab huiusmodi generatione.

Opinio Durandi.

222

Durandus in 1. dist. 4. quæst. 1. ad finem solut. 2. asserit generationem diuinam, nec simpliciter esse vniuocam, nec simpliciter esse æquiuocam; sed esse quodammodo vniuocam, imò plusquam vniuocam, inquantùm eadem numero essentia est in generante, & genito; & esse quodammodo æquiuocam, quantùm ad proprietates personales generantis, & geniti; scil. paternitas, & filiatio. Idem tenet Gabr. in 1. dist. 9. quæst. 2. concl. 1. quamuis reddat aliam rationem, asserit enim, non esse simpliciter vniuocam, quia existimat, terminum formalem illius non esse diuinam essentiam, sed potius ipsam personam Filij, quæ non est omnino eiusdē rationis cum essentia, quæ est principium formale generandi; sed similiter asserit, non esse simpliciter æquiuocam, quia aliquid idem realiter manet in vtroque, scil. diuina essentia, his positis.

Resp. Quæsito. Generatio verbi diuini est vniuoca, quia habet idem principium, & terminum cum aliis.

Resp. Quæsito. Generatio Verbi diuini est simpliciter vniuoca; ità tenet Scotus in 1. dist. 7. quæst. vnica. Prob. quia ratio, propter quam aliqua actio dicitur simpliciter vniuoca est, quia terminus formalis, & principium formale eiusdem sunt eiusdem rationis; Sed hæc reperitur in generatione diuina, ergo: Prob. Ma. quia ex ipso Gabr. ibid. calefactio ab igne est vniuoca propter rationem assignatam, etiam si ipsa supposita sint diuersæ rationis, & è contra reductio aquæ in pristinam frigiditatem est æquiuoca, etiam si idem sit suppositum agens, & patiens; quia principium agendi est diuersum: Mi. verò supponitur probanda infra loquendo de processione Spiritus S. an sit generatio.

Cōfirm. quia Generatio Christi Domini ex virgine est vniuoca.

Confirmat. quia Generatio Christi Domini ex Virgine est simpliciter vniuoca, quia conueniunt in natura specifica humana, & tamen maximè distant in proprietatibus personalibus. Resp. ergo argumento, quòd diuersitas rationis inter paternitatem, & filiationem non obstat omnimodæ vniuocationi generationis diuinæ, quia neque filiatio est terminus formalis generationis, nec paternitas est principium formale illius, sed vtrumque habet diuina essentia diuersimodè considerata.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum sit in diuinis alia processio à generatione Verbi.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

CONclusio. In diuinis præter processionem Verbi, quæ est secundùm actionē intelligibilem, ponitur processio Amoris, quæ est secundùm actionem voluntatis. Prob. Quot sunt actiones immanentes in diuinis, tot processiones in Deo sunt ponendæ. Sed præter actionem immanentem, quæ est secundùm intellectum, datur alia actio, quæ est secundùm voluntatem, ergo. Ma. patet; quia secundùm quamlibet actionem

nem immanentem est ponenda processio in Deo.

Arg. 1. si in diuinis esset alia processio à processione Verbi, esset processus in infinitum in diuinis processionibus, scil. tertia, quarta, &c. sed hoc est inconueniens, ergo. Resp. neg. seq. & ad prob. rationabiliter ponitur secunda processio in diuinis, & non alia, quia duæ solùm ibi sunt operationes immanentes, scil. intellectus, & voluntatis, & non alia.

Arg. 2. Vnius naturæ est tantùm vnus modus communicandi seipsam, quia actiones sumunt vnitatem, & pluralitatem à terminis; sed natura diuina est tantùm vna, ergo. Resp. neg. Ma. in Natura, quæ identificat sibi omnia, quæ sunt in ea, qualis est natura diuina, quæ cùm sit infinita, omnia, quæ sunt in Deo, sunt ipsemet Deus: in naturis autem creatis, multæ sunt ipsæ naturæ, vt potè quæ sunt finitæ; & ideò vnico tantùm modo communicari possunt.

Arg. 3. In Deo intellectus, qui est principium processionis verbi; & voluntas, quæ est principium processionis Spiritus Sanctis sunt vnum, & idem; sed processiones, quarum principia non distinguuntur, nec ipsæ distinguuntur, ergo. Resp. dist. Ma. sunt idem secundùm rem, conc. Ma. sunt idem secundùm rationem, neg. quia de ratione processionis, quæ est per voluntatem, est quòd prę supponat processionem, quæ est per intellectum; nihil enim potest amari, nisi sit priùs cognitum; & hæc distinctio sufficit ad hoc, vt processiones diuinæ distinguantur.

DISPVTATIO CLXII.

Vtrum sit in diuinis alia processio à generatione Verbi.

223
Conclu. affirm. Prob. quia in natura intellectuali sunt duę operationes ad intra.

RESpondet D. Th. præter Verbi generationem dari in diuinis aliam processionem ad intra, quæ est processio Spiritus Sancti, quod etiam Catholica fides docet; explicat autem D. Th. id hoc modo. Processio in diuinis attenditur solùm secundùm operationem ad intra, in natura verò intellectuali duæ sunt operationes ad intra, altera per intellectum, altera per voluntatem, cum autem processio Verbi sit per intellectum, restat, vt altera processio in diuinis sit per voluntatem, quæ est processio amoris.

224
1. Obiectio: Durandi.

Sed contra hanc D. Th. doctrinam, & explicationem opinatus est Durand. in 1. dist. 6. q. 2. Arimin. dis. 10. q. vn. in responsione ad rationem primam principalem, & dist. 13. q. vn. qui docent, has diuinas processiones non esse per intellectum, & voluntatem, sed immediatè ex ipsa fœcunditate naturę diuinæ priùs ratione, quàm intelligatur vlla intellectio, & volitio. Præcipuum huius opinionis fundamentũ est, quia operationes, per quas procedunt personæ, in Deo non debent esse communes omnibus personis, quia alioqui sequeretur, quod sicuti omnes personæ intelligunt seipsas, & amant, ita omnes generarent Filium, & spirarent Spiritum Sanctum quod esset absurdum.

2. Obiectio eiusdem.

Secundò, quia intellectio, & amor, & quilibet actus harum potentiarum debet supponere personas constitutas, vt constat in omnibus creaturis intelligentibus, ita ergo erit in Deo.

Confirm.

Confirm. quia hac ratione facilius intelligitur, qua ratione generare sit proprium Patris, & spirare sit Patris, & Filij: & alia similia faciliùs explicantur. Demum arguit Durandus ex eo, quia Patres dicunt, Deũ natura, seu naturaliter producere Filium: ergo per operationem naturalem, quæ distinguitur ab operatione intelligendi, hæc enim non dicitur natura operatio, sed intellectus; & ita concludit Durand. oriri immediatè ex fœcunditate diuinæ naturæ, vt sit hoc modo communicabilis ad intra ante omnem operationem intelligendi, & volendi.

225
Censura Opinionis Durandi.

Sed hæc Durandi opinio existimatur à Valen. hic q. 1. pu. 3. temeraria, & à Suar. lib. 1. de Trinit. cap. 5. errori proxima, & à Molina hic art. 5. periculosa in fide, & errorea, quod etiam Bannes, & alij docent: quare dicendum est cum communi, & vera sententia processiones ad intra esse quidem in Deo ex naturæ diuinæ fœcunditate, non tamen immediatè, sed per operationes intellectus, & voluntatis, quæ veritas fundatur præcipuè in scripturis, & Patribus Patres enim hoc modo explicant has diuinas processiones, vt vidimus ex D. Th. Ita Aug. Chrys. Cyril. Basil. Thodor. Damasc. Ansem Iren. Greg. Hilarius, & alij, quos referunt authores cit. Et in scripturis Filius Dei vocatur Verbum, & sapientia Patris, quæ pertinent ad intellectum, & Spiritus Sanctus communiter dici solet amor increatus, quos modos loquendi retorquere in sensus metaphoricos, & figuratos est omninò absurdum.

Cõfirm. Censura ratione.

Confirm. ratione: quia si vtraque processio esset immediatè ex fœcunditate diuinæ naturæ, non posset assignari congruens ratio, cur vna esset generatio, altera non esset, cur vna sit origine prior alia, cur duæ, & non plures, cur Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, & non à solo Patre procedat, & cur etiam hę operationes non supponant personas constitutas, quæ tamen congruentius explicantur, si ponamus has processiones esse per intellectum, & voluntatem, vt dicemus infra.

226
Ad 1. Resp. Patris propriã operationem. non posse cõsistere in fœcunditate naturæ.

Ad rationes ergo pro Durando. Ad 1. Resp. eandem vim habere contra eius Doctrinam, nam si generatio debet esse propria Patris operatio, non erit immediatè per fœcunditatem naturæ, quæ est communis omnibus personis, neque posset assignari ratio, cur etiam Persona Patris, seu eius Personalitas non procederet immediatè ex fœcunditate naturæ diuinæ; & ita essent tres processiones in Deo ad intra iuxtà numerum personarum. Item neque explicari posset, quænam essent hæ operationes in Deo, nisi multa gratis, & sine fundamento fingerentur contra Patrum, & Scripturæ modos loquendi, propter quam causam ea opinio habita est digna censura, & D. Th. rectè conclusernt supra art. 1. in fine corp. quòd suo illo modo fides catholica processionem ponit in diuinis.

Actus intelligendi, licèt sit vnus in personis diuinis: diuerso tamen modo refertur ad illas.

Secundò ergo ad solutionem argumenti in forma supponendum est cum D. Th. & communi DD. sententia, quòd licèt in Deo non sit nisi vnicus, & simplicissimus actus intelligendi vndequaque perfectus, & communis omnibus personis, diuerso tamen modo refertur ad personas diuinas, vt enim refertur ad Patrem non habet esse acceptum, aut productum, aut communicatum ab alio, sed per ipsum denominatur Pater, sapientia ingenita, & improducta, & sic non solùm dicitur intellectio essentialis, sed etiam notionalis, quia vt sic notificat solùm Patrem, & constituit principium generans. Vndè dici solet, quod intellectio diuina, vt connotat Patris personam, sit notionalis, & identificatur cum eius Paternitate, & est productiua Verbi, & est ipsa generatio actiua; vt autem refertur ad Filium, sic habet esse acceptum, & productum ab alio, Sc. Patre, & est ipse Filius, cum cuius filiatione identificatur, & ideò hic dicitur sapientia genita, non autem generans & est ipsa generatio passiua, vt autem refertur ad Spiritum Sanctum sic habet esse communicatum illi à Patre, & Filio, & denominat Spiritũ Sanctum sapientem sapientia sibi communicata per spirationem, & ita retinet in Filio, & Spiritu Sancto nomen intellectionis essentialis, & vt sic non est productiua alterius Verbi, iam enim habet suum terminum adequatum, productum ab ipso Patre generante, quod est ipse Filius.

228
Si Possem intelligere per intellectioné ab alio communicatam, hæc non esset productiua Verbi.

Quòd si ergo possem intelligere per intellectionem mihi ab alio communicatam, non esset necesse, vt hæc intellectio, quatenus est in me, esset productiua alicuius verbi per me, sed satis esset productiua verbi, vt refertur ad eam personam, à qua mihi communicatur; quod autem dixi de intellectione, proportionaliter intelligendum est de actu amoris, qui quamuis in Deo sit vnicus; &

& simplicissimus, vt tamen refertur ad Patrem, & Filium, dicitur amor notionalis, & habet rationem operationis productiuæ, vt verò refertur ad Spiritum Sanctum habet esse producti, & spirati. Quarè ad rationem dubitandi in forma

229 Ad 1. Resp. in forma.

Resp. operationes, per quas procedunt personæ in Deo, non debere esse communes omnibus personis, si accipiantur notionaliter, & vt sunt productiuæ, licèt possint esse communes, si sumantur essentialiter, quæ omnia dicimus consequenter ad principia fidei, & Patrum locutiones, licèt hæc demonstrare non possimus, quòd in tota hac materia, vbique est aduertendum; quarè non sequitur in re nostra, quòd omnes personæ generent, vel spirent, etiam si omnes eadem essentiali intellectione intelligant, & essentiali amore ament.

Ad 2. Resp. disparem esse rationē inter Deum, & creaturas.

Ad 2. instantiam, quæ etiam, vt vidimus, est contra ipsum Duran. Resp. disparem esse rationem inter Deum, & creaturas, quoad rem nostram, nam in creaturis intelligere, & velle sunt accidentia, & ità necessariò supponunt personam intelligentem, at in Deo non sunt ita, atque adeò non solùm non necessariò supponunt omnes personas, sed possunt dare, seù communicare esse aliquibus personis.

230 Ad Confirm. Resp. in his rebus, non quid faciliùs; sed quid veriùs, esse considerandum.

Ad aliā Confirm. Resp. 1. vniuersaliter in his rebus non esse considerandum, quid faciliùs dicatur, sed quid verius, & conformius Ecclesiæ doctrinę. Deindè nego faciliùs illa explicari in sententia Durandi, sed longè difficiliùs, & præterea cùm absurditate, vt constat.

Ad vltimam demum Confirm. Resp. Patres dicere Deū natura, seù naturaliter producere Filium; primò quia Filius Dei, de quo loquimur, non est filius per gratiā, sicuti nos, & ità dicitur per naturam: Secundò, quia non producitur liberè, sed per modum naturæ: Tertiò, quia producitur in similitudinem naturæ: vndè rectiùs à nobis concluditur, quòd licèt hæ processiones sint in Deo ex fœcunditate naturæ diuinæ, tanquàm ex prima radice, non tamen exercentur, nisi per intellectum, & voluntatem immediatè.

231 2. Obiectio.

Arg. 2. Intellectus, voluntas, & natura diuina in Deo sunt idem prorsus indiuisibiliter, ergo quidquid procedit per vnum, potest dici, quod per aliud procedat, & sic personæ procederent ex natura.

Respond. neg. conseq.

Resp. neg. Conseq. in verò sensu formali, quem denotat ille modus loquendi, & ratio est, quia quàmuis in Deo omnia sint vnum, excepta distinctione personali, distinguuntur tamen virtualiter, & æquiualent pluribus perfectionibus distinctis, sicuti ergo in nobis non potest dici, quod homo intelligit, inquantum animal, aut sentit, inquantum rationalis, etiamsi animal, & rationale sola ratione distinguantur, & sic de multis alijs similibus.

Nō potest dici, quod Spiritus S. procedat per intellectum.

Ità multò minùs dici poterit, quòd Spiritus Sanctus procedat per intellectum, & Filius per voluntatem, verum tamen est, quòd hæ propositiones non sunt falsæ. Filius procedit per eam rem, quæ est voluntas; non tamen vt voluntas; & Spiritus Sanctus per eam rem, quæ est intellectus, non tamen intellectus; sicuti similiter respondemus in multis alijs casibus naturalibus; vndè etiam constat quod docet D. Th. ad 3. quòd scil. licèt intellectus, & voluntas non distinguantur in Deo, nisi ratione, tamen processiones vtriusque debent habere ordinem inter se, vt prius sit origine intellectum, quàm amatum; nihil enim amari potest, nisi præsupposita cognitione, & ità prior sit origine Filius, quam Spiritus Sanctus.

232 3. Obiectio.

Arg. 3. In creaturis intellectualibus præter operationes intellectus, & voluntatis, multę aliæ operationes, sunt etiā ad intra ergo non rectè concludit D. Th. quòd in Deo non sunt, nisi duæ processiones, & altera per intellectum, & altera per voluntatem ex eo, quia in natura intellectuali non sunt, nisi duę emanationes ad intra. Antec. prob. quia sunt in homine, & in Angelo emanationes suarum potentiarum, & proprietatum, item substantię emanatio, memoriæ operatio, & motus localis.

233 Resp. in creatura intellectuali, vt talis est: duæ tantùm ad intra sunt emanationes.

Resp. rectissimè à D. Th. illud concludi, nam in creatura intellectuali, vt talis est, non sunt, nisi duæ emanationes ad intra, quę sunt proprię ipsius, & in suo conceptu abstracto nullam dicunt imperfectionem, & sunt operationes vitales; omnes enim aliæ inuoluunt imperfectionem, quæ non potest esse in Deo, vt patet consideranti singula; nam emanatio proprietatum, & passionum supponit distinctionem realem inter substantias, & passiones, atque adeò compositionem ex substantia, & accidente, neque hęc emanatio est operatio vitæ, sed naturę, & communis alijs rebus, & similiter emanatio subsistentiæ à natura; & motus localis, qui repugnat immensitati, & immutabilitati diuinę.

234 Memoria, si accipiatur pro conseruatione specierum, nō est in Deo.

Ad illud de memoria dico, dupliciter solere accipi à Philosophis memoriam. Primò, pro potentia specierum conseruatiua, & talis memoria non est in Deo, cuius species est sua essentia. Secundò pro ipso intellectu, quatenus recordatur prętieritorum, & sic non distinguitur ab intellectu, nisi ratione talis actus, qui tamen non est, nisi intellectio, & hoc pacto aliqui DD. etiam admittunt hunc modum loquendi, quòd Filius procedat à memoria fœcunda Patris, scil. ab eius intellectu, nam in Deo non potest memoria ab intellectu vlla ratione distingui, quia Deus semper vnico simplicissimo actu omnia intelligit, neque respectu ipsius propriè est aliquid prętieritum, cuius propriè recordetur, sic ergo vera est doctrina D. Th. quòd in creatura rationali, vt sic, duę sunt emanationes ad intra, scil. dicentes perfectionem, & vitales, & sic etiam constat, quòd D. Th. docet ad 1. quòd scil. in processionibus diuinis non datur processus in infinitum ex eo, quia in natura intellectuali non est vlterior processio, nisi per intellectum, & voluntatem.

235 4. Obiectio.

Arg. 4. D. Th. qu. 4. de ver. art. 2. ad 7. docet, quòd voluntas non habet aliquid procedens à se ipsa, quòd in ea sit per modum operati, seù termini producti, sed solùm per modum operationis; at verò intellectus aliquid habet, quod in eo sit per modum operationis, vt est intellectio, & per modum operati, & est Verbum, igitur per voluntatem nihil procedit in Deo per modū termini producti, & consequenter non datur persona Spiritus Sancti.

Resp. Amor in diuinis, non habet propriū vocabulū ad exprimendū terminum.

Resp. Ex eodem D. Th. hac 1. p. qu. 37. art. 1. in corp. D. Thom. eo loco solùm loqui quoad nomina, & vocabula, quòd scil. in operatione amoris non sit aliquis terminus, & impressio amantis, quæ habeat proprium, & distinctum vocabulum ab ipso amore, quo significatur per modum rei operatæ, sicuti est in operatione intellectus Verbum procedens ab intellectione, sed solùm quòd significetur per modum operationis, nempè dilectio, seù amor, atque adeò non eodem modo dicitur personaliter amor in diuinis, sicuti Verbum, hoc enim dicitur, tanquàm ex proprio, & distincto vocabulo, ille verò vocabulo communi, Spiritus.

236 5. Obiectio.

Arg. vlt. D. Th. hic in corp. docet, quòd per processionem amoris, seù per amorem amatum est in amante, quod sępè etiam alibi docet, cùm tamen videatur contrarium, quòd scil. amans per amorē sit in re amata, iuxtà commune illud dictum ex D. Bern. anima veriùs est vbi amat, quàm vbi animat, & illud Christi Domini Mattei 6. Vbi est thesaurus tuus, ibi est, & cor tuum.

Resp. amatum esse in amante non per sui similitudinem.

Resp. vtrumque rectè dici; diuerso tamen modo, dicitur enim res amata esse in amante, non per sui similitudinem immediatè, sicuti est res intellecta in intelligere per sui speciem, sed per impressionem, & impulsum amoris in rem amatam, vt docet D. Th. 4. contr. Gen. cap. 19. in fine, & alibi, dicitur autem amans esse in re amata, veluti in quodam loco, & termino suæ inclinationis, & affectionis, vbi veluti quiescat.

DVBIVM VNICVM.

An in diuinis sit alia processio per voluntatem? Vbi an per voluntatem producatur terminus.

237 *Proportio inter intellectū, & voluntatē.*

PRo decisione notandum est, quod sicut in intellectu diuino tria constituimus, primò intellectionem; secundò dictionem; tertiò verbum, & duo priora sunt actiones intellectus, tertium verò terminus intrinsecus, ità in voluntate alia tria reperiuntur, scil. dilectio, spiratio actiua, & impulsus, siuè amor productus; & duo priora sunt actiones voluntatis, tertium est terminus intrinsecus productus; his positis, sit.

Concl. affirm. est de fide. Prob. etiam ratione.

Concl. Præter generatione verbi datur in diuinis alia processio per voluntatem. Hæc est de fide; & Prob. 1. Spiritus Sanctus procedit à Patre, vt habetur

quia sicut in nobis est duplex processio, ita &c.

tur Io: 15. sed Spiritus Sanctus est distinctus à Filio, Io: 14. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*; ergo in Deo est alia processio à processione Verbi. Prob. 2. quia in symbolo Missę dicitur, qui à Patre, Filioque procedit; cum ergo processio Filij sit à solo Patre, sequitur, quod processio Spiritus S. sit alia à processione Filij. Prob. 3. in symbolo Athanasij dicitur: *Spiritus S. à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*: & tandem definita est ab omnibus ferè Concilijs. Prob. denique ratione D. Th. exemplo, & ratione naturali, quia sicut in nobis est duplex processio, vna per intellectum, qua producitur Verbum, & alia per voluntatem, qua producitur amor seu impulsus; ità etiam in Deo erit hæc duplex processio.

238 *1. Obiectio.*

Arg. 1. Vnica natura nequit pluribus modis communicari, sed tantùm habet vnum modum, quo communicetur, vt potest inductiuè probari; ergo in diuinis non possunt esse plures processiones, quàm vna, cùm quæuis processio sit communicatio naturæ diuinæ. Dices, Anteced. esse falsum, quia animalia imperfecta producuntur generatione, & putrefactione. Sed contrà, quia idem agens ex propria virtute non potest pluribus modis communicare suam naturam, sed tantùm habet vnicum, & determinatũ modum: Vndè si animalia illa à proprijs causis producerentur, tantùm possent per generationem propagari; ergo in diuinis idem suppositum, nempe Pater, nequit duobus modis suam naturam communicare.

239 *Resp. 1. Anteced esse verum in natura finita, & creata.*

Resp. Cùm D. Th. hic ad 2. Antec. esse verum in natura creata, & infinita, quæ communicatur per actionem ad extrà; non tamen in natura diuina, quæ cùm communicetur ad intra, duobus modis potest communicari, scil. per intellectum, & voluntatem. Cuius ratio est, quia natura diuina propter suam simplicitatem, & infinitatem non patitur secum extranea, sed reddit idem secum omnia, quæ in ipso sunt ad intra, *Quidquid enim est in Deo, est ipsemet Deus*; vnde cùm Spiritus S. ad intra procedat per voluntatem, etiam communicatur illi natura diuina.

Resp. 2. Processionem tantum per intellectu esse naturæ comunicatiuam.

Vel 2. Resp. concedendo Antec. etiam in natura diuina, neg. tamen Conseq. quia non vtraque processio est ex propria ratione communicatiua diuinę naturæ, sed tantùm processio per intellectum, quæ sola est generatio: quod autem per processioné voluntatis communicetur etiam diuina natura tertiæ personæ, id non ex vi processionis prouenit, sed quia diuina natura non est capax accidentis, nec alienæ substantiæ, sed identificat sibi omnia, quæ sunt in ipsa, vt latiùs art. seq. dub. vnico.

240 *2. Obiectio.*

Arg. 2. Quia actio communicatiua naturæ diuinæ requirit infinitam perfectionem, ergo debet habere omnem actionis perfectionem, secundùm quã potest esse processio, & communicatio naturæ diuinæ, ergo semel data vna processione Filij, videlicet per intellectum, nequit esse alia per voluntatem. Patet hęc vltima Conseq. quia tota perfectio processionis, & communicationis naturę exhausta videtur in prima processione infinita, atque adeo secunda actio, scil. voluntatis, non erit processio communicatiua naturæ, cùm desit illi perfectio requisita ad talem communicationem.

Resp. quod licet tota perfectio communicatiua naturę, vni processioni conueniat; adhuc & alteri.

Resp. concesso Antec. & prima Conseq. neg. secundum: ad cuius prob. Resp. quod licet tota perfectio actionis communicatiuæ naturæ requiratur ad vnam processionem, non sequitur, quòd deficiat perfectio actionis communicatæ alteri processioni, sed habent eandem infinitã perfectionem ab eadem essentia prouenientem. Cuius ratio est, quia quod prima processio exigat omnem perfectionem actionis communicatiuæ naturæ non est ex eo, quòd omnis perfectio actionis, & processionis exhausta sit in illa; sed prouenit ex vnitate essentiæ, & perfectionis, simplicissima, & infinita, ratione cuius quæuis processio in Deo requirit tantam perfectionem sicut duæ simul.

241 *3. Obiectio.*

Arg. 3. Quia per processionem per intellectum communicatur natura diuina, inquantùm communicabilis est ad intra, aliàs illa esset imperfecta naturæ communicatio, siquidem non communicaretur, quantùm potest communicari; ergo nequit esse vltra communicatio per voluntatem.

Resp. per primam processionem comunicari totam naturam, non verò omnem modum naturę.

Resp. quod per primam processionem communicatur natura diuina, quantùm communicabilis est ex parte rei communicatę, scil. naturæ, & perfectionis, non tamen ex parte modi, quo communicatur, quia tantùm communicatur per intellectum, qui est modus ipsius processionis, & cum modo filiationis, qui est modus ipsius naturæ communicatæ, non tamen communicatur per voluntatem, aut spirationem, sed hoc fit alia processione. Instabis, ergo quęuis processio est imperfecta, & finita in ratione processionis, Prob. quia communicare naturam per voluntatem est perfectio, quę non reperitur in communicatione per intellectum, aliàs illa processio in sua specifica ratione non esset perfecta, & similiter dicendum de processione per intellectum. Resp. non esse necessarium, quòd quæuis processio seorsum, vt sit infinitè perfecta importet secundùm se modum proprium, secundùm quem per aliam communicatur natura diuina, sed sufficit, quod quælibet importet omnem perfectionem alterius, & quantùm ad rem, & quantum ad modum; quia perfectio, quæ est in secunda processione, scil. esse per voluntatem, est esse per intellectum in prima, cùm non sit distincta à perfectione ipsius naturæ communicatę, sed tantùm differunt in modo significandi.

242 *4. Obiectio.*

Arg. 4. Per voluntatem creatam nihil producitur, quod sit terminus dilectionis, ergo nec per diuinam. Conseq. patet ex paritate rationis. Antec. prob. quinque medijs. Primum est ex D. Th. de verit. qu. 4. art. 2. ad 7. vbi expressè asserit, per voluntatem creatam nihil produci, sicut per intellectum. Secundum, quia appetitus sensitiuus, & naturalis, dum feruntur in sua obiecta, nihil reale producunt intra se, ergo neque appetitus intellectiuus. Tertium, quia voluntas, nec per actum desiderij, nec fruitionis, nec electionis producit aliquem terminum extra se; ergo nec per actum amoris.

Pro solutione huius Obiect. sequens agitatur difficultas.

Quartum, quia voluntas, si propter aliquam rationem indiget tali termino producto, maximè vt inclinetur in bonum particulare connaturaliter, & firmiter, cum ipsa de se tantùm sit inclinata in bonum sub ratione communi, sed ad hoc satis est habitus amoris, & amicitiæ, ergo. Quintum, quia videtur superfluus ille terminus, non enim ponitur, vt obiectum, in quo res immediatè fit volita, quia obiectum voluntatis non est intra, sed extrà ipsam; nec vt amatum sit in amante ratione illius termini producti, vt hic insinuat D. Th. quia potius amans est in amato, iuxtà illud Matth. 5. *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum*; nec deseruit ad hoc, vt trahat voluntatem in rem amatam, quia ille terminus, impulsus, seu affectio iam præsupponit actum amoris, vt eius causam; ergo circà solut. huius arg. est dubium incidens tenoris seq.

243 *Petes.*

Petes. *An per voluntatem creatam producatur aliquis terminus.*

Nota, quod cũ voluntas sit potentia appetitiua, eius actio ex propria actione est motio.

Pro cuius decisione Nota 1. quòd cum voluntas sit potentia appetitiua, eius actio ex propria ratione est motio quædam impulsiua, nam quando amat voluntas aliquam rem extra seipsam, se mouet, & impellit in rem amatam, iuxtà illud August. *Amor meus pondus meum*. Nota 2 quod sicut eadem operatio intellectus creati habet duplicem rationem, scil. loquutionis intellectualis; secundùm quam exprimit verbum, & contemplationis, quæ ipso verbo intrinsecè terminatur, ità similiter operatio voluntatis habet hanc geminam rationem, est enim motio affectiua, seu impulsiua, quæ appellatur spiratio, qua voluntas se mouet in rem amatam, est enim dilectio, qua voluntas, quasi passiuè mouetur in eandem rem, quam diligit.

Conclusio affirm. circa rationẽ variant Thomistę.

Respondetur 1. Voluntas ex propria ratione habet producere intra se per actum dilectionis aliquem terminum distinctum ab ipsa operatione. hæc est D. Th. Capreol. in 1. dist. 10. Ferrar. 4. cont. Gen. cap. 19. & communis inter discipulos D. Th. in assignanda

Primus dicendi modus reijcitur.

gnanda tamen ratione huius conclusionis, variant Thomistæ: nam Molina qu. 27. art. 3. disp. 2. asserit, id esse necessarium, quia implicat, dari actionẽ, quin per eam aliquid producatur; hæc tamen ratio est inefficax, quia per actiones sensuum externorum, & quasdam intellectiones, & per actus voluntatis distinctos à dilectione nihil distinctum producitur ab ipso actu. Vndè secundò alij ità explicant; quia sicut qui impellit sagittam, imprimit ei vim impulsiuam, cuius virtute mouetur ad terminum, ità actio voluntatis, prout est motio impulsiua, seù spiratio ipsa, imprimit quandam vim in voluntate, cuius virtute voluntas, quasi passiuè mouetur in rem amatam per dilectionem. Iste tamen modus dicendi displicet in eo, quod asserit, impulsum istum esse principium dilectionis, & amoris; sicut impetus est principium motus sagittæ; quoniam certè impulsus iste si compararetur ad spirationem, est effectus illius, si verò ad dilectionem est terminus intrinsecus, & nullo modo principium eius, quod est affectus intellectionis; & taliter est terminus intrinsecus intellectionis, vt nullo modo possit esse principium eius, quod si D. Th. 4. contr. Gen. cap. 19. videatur dicere, impulsum illum habere rationem principij in ordine ad dilectionem, quoniam, ait, se habere, sicut leuitas in igne respectù motus sursum, intelligenda est, vt ibi dicit Ferrarar. quod habeat rationem principij, non quidem respectù dilectionis, quoniam respectù huius est verè terminus, sed respectù aliorum motiuum voluntatis, quia per illum mouetur voluntas in desiderium rei amatæ, cum abest, & in fruitionem eius, quando præsens est.

Secundus etiã reijcitur.

Tertius etiã reijcitur.

Tertius modus dicendi est aliorum, qui dicunt, produci in nobis hunc impulsum, vt in ea, quæ semel amauimus, feramur: deindè vehementiùs per illud ponendus in nobis productum, mouemur. Cæterùm neque iste verus est, quia sicut nec verbum mentis manet ex vno actu pro alio, sed tandiù durat, quandiù ipsa actualis intellectio, ex eo præcisè, quia est intrinsecus, & formalis terminus illius; ità impulsus iste nequit relinqui transacto actu dilectionis.

244 *Instantia.*

Vrgebis cum Capreol. experientia constat, quòd transacta dilectione actuali, manemus specialiter affecti ad rem, quam dilexeramus, ratione cuius, excitamur facilè, & reddimus ad eius amorem, ergo impulsus iste non cessat cessante actu voluntatis, sed manet quasi habitualiter in illa.

Præcluditur.

Resp. quod licet primus amor sit causa alterius vehementioris amoris, id non est ratione alicuius ponderis producti per modum termini relicti permanenter, sed ratione alicuius dispositionis, aut habitus, quem produxit voluntas in se ipsa per priorem actum, sicut cæteræ potentiæ reales producunt suis actibus in seipsis habitus, aut dispositiones.

245 *2. Conclus. Vera Ratio, est, quod hic impulsus voluntatis est terminus vltimus intrinsecus.*

Secunda Concl. Hic impulsus voluntatis est terminus vltimus intrinsecus dilectionis, qui nullam habet virtutem actiuam respectù ipsius dilectionis, sed est vltimum complemẽtum eius determinans ipsam voluntatem ad rem amatam, tanquàm quoddam voluntatis pondus; ità quòd cùm voluntas rem aliquam diligit, format in se quandam vim amoris, quę ipsam voluntatem, quasi violenter detinet in affectu rei amatæ, ità vt voluntas videatur per illam vim determinata ad talem rem, & quasi non posset cessare ab actuali illius amore.

Nota 1. hunc impulsum posse dupliciter considerari.

Pro conclusione nota 1. quod iste impulsus potest dupliciter considerari: primo in ordine ad actualem amorem, seu dilectione, quam complet, & ita nullo modo habet rationem principij eius, sed tantùm termini intrinseci: secundo modo in ordine ad quietem, qua voluntas per fruitionem, & delectationem quiescit in re amata, si præsens est, aut per desideriù, quando est absens, & respectu huius habet rationem principij actiui, sicut grauitas est quodammodo principium effectiuum, quo lapis mouetur ad suum centrum, & quiescit in illo.

Nota 2. Non esse formaliter idem, quod actus sit intensus, ac impetuosus.

Nota 2. non esse formaliter idem, quod actus voluntatis sit intensus, & quod sit impetuosus; optimè enim saluari potest intensio sine impetu; vt patet in operationibus intensis aliarum potentiarum; intensio enim consistit tantùm in actione potentiæ, & vehementi applicatione eius ad suum actum; vndè actus voluntatis est intentus effectiuè ab ipsa voluntate, à qua elicitur formaliter verò à seipso, & à sua attentione, quæ non illi aliquid superadditum, at verò quòd actus sit impetuosus; habet quidem actiuè à voluntate spirante illum impulsum; formaliter verò ab ipso impulsu, & impetu producto, quo formaliter, & intrinsecè terminatur, sicut linea dicitur formaliter, & intrinsecè terminata à puncto.

247 *3. Concl. hic impulsus non se habet, vt obiectum terminatiuum voluntatis, vt diligat res ad extrà.*

Tertia Conclusio. Hic impulsus voluntatis non habet rationem obiecti terminatiui, in quo, tanquàm in obiecto immediato, & proximo diligat res ad extra, sicut verbum est obiectum *quo* intellectionis; ita Ferrara. 4. cont. Gen. c. 19. Torres, & Moderni. Prob. 1. quia obiectum voluntatis est ad extra, in quo differt ab obiecto intellectus, quod est intra, ex Arist. 6. Metaph. t. 8. ergo non est necessarium, vt habeat rationem obiecti. Confirm. quia ille impulsus non est similitudo rei amatæ. Prob. 2. quia ille impulsus non ponitur, vt rapiat, & trahat obiectum ad voluntatem, & vt voluntas quiescat intra se diligendi in illo obiectum, sed potius ponitur, vt illam impellat ad obiectum ipsum, quod est extra, & quiescat in illo, vt in se bonum est, iuxta illud, *trahit sua quemque voluptas*, ergo non habet talis impulsus rationem obiecti.

248 *1. Euasio.*

Sed contra Conclusionem hanc insurgunt aliqui, primò, quia actio voluntatis est immanens, ergo eius obiectum immediatum nequit esse res extra ipsam, aliàs transiret actio extra voluntatem, & non esset immanens; ergo debet habere obiectum intrinsecum. Ergo talis terminus habet rationem obiecti. Cõfirm. quia bonum vt existit in rebus, non est obiectum proportionatum actioni voluntatis, ergo necessarium est constituere obiectum ad intra proportionatum; maximè quòd actus amoris respicit bonum, vt abstrahit à præsenti, & futuro, existenti, & non existenti; sed bonum, quod est ad extra non habet hanc abstractionem; ergo.

Præcluditur. quia nõ est de ratione actionis immanentis ferri ad obiectum ad intra.

Resp. ad argum. non esse de ratione actionis immanentis, quod immediatè terminetur ad obiectum existens intra ipsam potentiam, sed tantùm, quod non habeat aliquod operatum ad extra; visio enim est actio immanens, & tamen non habet ad intra terminum intrinsecum immediatum sed terminatur immediatè ad ipsum coloratum. Ad Conf. Resp. quòd licèt bonitas, quæ est in re ad extra, non sit sufficienter proportionata actui voluntatis, neque abstrahat à præsenti, & futuro, existenti, & non existenti, vtrumque tamen habet, prout proponitur voluntati ab intellectu.

249 *2. Euasio.*

Secundò insurgunt, quia sicut formalis ratio verbi consistit in intelligi, ita huius impulsus in amari, ergo sicut verbum habet rationem obiecti cogniti; ità impulsus iste habet rationem obiecti amati, saltem vt *quo*. Conseq. patet, & Antec. prob. quia eius esse non consistit in amare, ergo in amari. Patet hæc Conseq. quia quidquid pertinet per se ad dilectionem actualem, eius ratio debet in aliquo ex illis cõsistere. Antec. prob. quia non est ipsa actualis dilectio, nec principium effectiuum illius, ergo non consistit eius esse in amare. Confirm. quia Spiritus Sanctus est simul terminus intrinsecus amoris diuini, & obiectum amatum; ergo etiam in nobis iste impulsus habet rationem vtriusque.

Præcluditur. quia ratio formalis huius impulsus cõsistit in amore.

Resp. tamen ad Argum. neg. Antec. quidquid in contrarium dicat Ferrara; & ad prob. quod ratio formalis huius impulsus consistit in amare, non quidem formaliter, sed reductiuè, quatenus scil. est terminus intrinsecus complens ipsum actualem amorem, sicut punctus reducitur ad speciem lineæ. Ad Confirm. quòd Spiritus Sanctus non est dilectus ex eo præcisè, quod sit, vt à nobis concipitur terminus per dilectionem productus, sed ex eo, quòd cum Patre, & Filio est vna, & eadem bonitas, quæ est immediatum obiectum amoris diuini; vnde est dispar ratio in nobis.

250 *Ad 4. Obiect.*

His positis restat respondere argumento quarto huius

huius dub. Resp. neg. Antecedens. & ad 1. medium.

huius dubij, occasione cuius subortum est hoc: Resp. ergo neg. Antec. & ad 1. prob. quòd D. Th. mutauit sententiam in hac 1. p. vel secundo, quòd ibi tantùm intendit voluntatem nō producere aliquid, quod sit eius obiectum, sicut intellectus; ad secundum medium, quod appetitus naturalis satis determinatus est ad suum obiectum, nec eget impulsu, seu pondere superaddito: cuius ratio est quia graue, v. g. non mouet propriè se actiuè; sed solùm in illo est passiua motio sui, quatenus scil. à generante mouetur. Amor autem elicitus, & intellectiuus nō est in se determinatus, de amore verò appetitus sensitiui quidam affirmant, & melius, aliqui verò negant, & dicunt sola voluntate produci talem impulsum; quod ita explicāt, quia voluntas in natura rationali est primum mouens, cuius imperio, & motioni subduntur cæteræ potentiæ, sicut motui primi mobilis cæteri orbes cælestes; vnde sicut motus primi mobilis est velocior, & impetuosior cæteris motibus aliarum potentiarum, atque adeo fuit conueniens, vt terminaretur intrinsece eius actio, quo formaliter redderetur impetuosior. Verùm hæc ratio optima congruentia est, vt producatur talis impetus in voluntate, nō verò probat, quod in sola illa, & non in appetitu sensitiuo producatur.

Ad 2. medium. Resp. Amorem elicitum, & intellectiuum, non esse in se determinatum.

Ad 3 medium. Resp. per alios actus voluntatis, excepto actu amoris non produci terminum.

Ad tertium medium, quòd per alios actus voluntatis, excepto actu amoris, non producitur aliquis terminus: cuius ratio est, quia impulsus productus per amorem, qui est primus actus sufficienter, imo & efficaciter determinat volūtatem ad alios actus desiderij, & fruitionis; sicut grauitas lapidem ad motum in centrum, & quietem in illo; & sic non opus est ponere nouum impulsum; cuius satis probabile argumentum est, quod voluntas tantùm desiderat obiectum absens, & tantùm fruitur illo præsenti, quantùm amat ipsum; ergo per amorem determinatur voluntas ad illos actus.

251 *Instabis. Resp.*

Quæres 1. Vtrum impulsus iste producatur solùm per amorem amicitiæ, an per amorem etiam concupiscentiæ? Nam cùm amor concupiscentiæ sequatur ex amore amicitiæ, satis videtur, si constituatur in amore amicitiæ. Resp. in vtroque actu debere poni. Cuius ratio est, amor concupiscentiæ habet obiectum formaliter distinctum ab amore amicitiæ, ergo per impulsum vnius non manet voluntas satis determinata ad obiectum alterius.

Quæres 2. Vtrum solùm producatur iste impulsus per actum dilectionis, an etiam producatur per actū tristitiæ, & odij? Videtur enim, quòd non, quia cùm odium sit fuga, & auersio ab obiecto, non poterit esse productio inclinationis in illud. Resp. tamen, idem dicendum esse de actu odij, quod de actu dilectionis dictum est, producitur .n. actu odij aliquid, quo volūtas detinetur in auersione ab obiecto odio habito.

Ad 4. medium Resp. voluntatem in se, tantùm inclinare in bonum sub ratione communi.

Ad quartum medium resp. quòd voluntas in se tantùm inclinatur in bonum sub ratione communi, & licet per actum amoris inclinetur in aliquod bonū speciale, tamen per hūc impulsum inclinatur in illud speciale bonum connaturaliter, & firmiter, quia ab illo determinatur actus, & affigitur tali bono: & licet hoc etiam fiat per habitum, tamen aliter, quàm per hunc impulsum. Cuius ratio est, quia impulsus ille inclinat, & determinat per modum cuiusdam impetus naturalis, præueniendo quodammodo dilectionē; taliter enim detinemur hoc impulsu in dilectione rei amatæ, vt sæpè videamur, non posse cessare ab actuali amore, vt in nobis experimur: at verò habitus inclinat secundùm electionem liberam voluntatis, *habitibus enim vtimur, cùm volumus*.

Ad 5 medium. Resp. hic terminus ponitur, vt compleat amorem; & ratione eius detineatur in affectu rei amatæ.

Ad quintum medium resp. 1. quòd nō ponitur iste terminus, vt sit obiectum quo, vt dictum est, nec vt trahat voluntatē ipsam effectiuè, sed vt terminet, & compleat amorē; & ratione eius detineatur in affectu rei amatæ. Resp. 2. ex D. Th. quòd ponitur, vt res amata sit in amante; sicut ponitur verbum, vt res intellecta sit in intelligente; Et ad id, quod obijcitur, Resp. vtrumque esse verum secundùm diuersas rationes, scil. quod amans est in re amata, & è conuerso, amans non est in re amata, vt in termino, in quo quiescit. Et rursus res amata est in amante, non quidem per identitatem, & essentiam, vt forma est in materia; nec per sui similitudinem, vt obiectum est in intellectu, sed per inclinationem; secundùm quam voluntas inclinatur in illam, sicut locus sursum est quodāmodo in igne, ratione leuitatis, per quam inclinatur ad illum, vt notat D. Th. cont. Gen. c. 19. & 1. 2 q. 28. art. 1. & 2. alijs modis explicat, quomodo amatum sit in amante, inquit enim, quod per amorem est amatum in amante tripliciter: primo antecedenter: secundo formaliter: tertio consequenter; antecedenter quidem est amatū in amante secundùm similitudinē aliquā, quia amor inter duos præsupponit similitudinē, & cōuenientiā inter ipsos in natura, vel in moribus, formaliter vero secūdùm nexū quēdā, qui est ipse amor, affectio, seu impulsus; ratione cuius amatū ita sit vnū cum amante, vt ab eo reputetur, quasi alter ipse, à quo non ità facile potest separari.

Ex quo oritur tertius modus vnionis cōsequenter, scil. ad amorē; nam ex eo, quod est ità amatū vnitum amanti secundùm affectum, fit vt nouo modo vniatur illi, scil. secundùm duos affectus amoris, qui sunt actus appetitiuæ potētiæ, & appræhēsiuæ; quā ex amore inclinatur amans, vt frequēter cogitet de re amata, & habeat quandā complacentiā, quæ consistit in actu appetitus, quo amans ita se habet circa rem amatā, vt circa se ipsū: & hinc est, quod vtroque modo loquamur de re, quam vnicè diligimus, nam dicimus, nos habere cor in illa, & habere illam in corde.

253 *Ex eo, quod amatum est vnitum amanti secundum affectum, sequitur, quod nouo modo illi vniatur.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrū processio amoris in diuinis sit generatio?

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

Conclusio. Processio Amoris in diuinis nō debet dici generatio. Prob ex differētia, quæ est inter intellectū, & voluntatē. Nam intellectus fit in actu per hoc, quòd res intellecta secūdùm suā similitudinē est in intellectu, & propterea de ratione eius, quod procedit secundū intellectū, est similitudo, vt scil. procedat, vt simile, & in tātùm hęc processio dicitur, inquantùm omne generans generat sibi simile. Voluntas autē fit in actu, non secūdùm similitudinē voliti, sed secundùm inclinationē in ipsum volitū. Vndè processio, quæ est secūdùm voluntatē, non est secundùm rationem similitudinis, sed secūdùm rationē impellētem ac proindè id, quod procedit in diuinis, vt amor, nō dicitur genitus, aut filius; sed impulsus, prout aliquis ex amore dicitur impelli ad aliquid faciendum.

Arg. 1. Id, quod procedit in diuinis per modum amoris, procedit in similitudinē naturæ, aliàs procederet, vt extraneū; ergo processio amoris est generatio. Resp. neg. Antec. & ad prob. neg. seq. quia stat, quòd ex vi processionis amoris nō procedat aliquid, vt simile; sed vt Spiritus, & tamen, quòd procedens per talē processionē sit eiusdē naturæ in Deo, quia diuina natura identificat sibi omnes diuinas realitates.

Arg. 2. De ratione processionis amoris est similitudo Eccl. 13. *Omne animal diligit sibi simile*; ergo processio amoris dicitur Generatio. Resp. dist. est similitudo formaliter, nego, causaliter, conc. inquantum similitudo est principium amoris; propterea non potest dici, quòd amor sit genitus.

Arg. 3. Nullum aliud speciale nomen in diuinis reperitur, preter nomen generationis; ergo processio amoris dicitur generatio, quia nihil est in genere, quin non sit in aliqua eius specie. Resp. neg. Antec. Nam præter nomen

men generationis in diuinis, datur aliud speciale nomen, quo nominamus ipsam processionem amoris; & hoc est nomen spirationis. Processio enim amoris dicitur spiratio, quia est processio Spiritus.

DISPVTATIO CLXIII.

Vtrum processio amoris in diuinis sit generatio?

254 Concl. neg. est de fide.

HAEC est vna ex difficultatibus, quæ in hac materia disputabiles esse solent, non quidem quoad rē ipsam, sed solùm quoad rationem, & modum explicationis, nam quoad rem ipsam certum est secundum fidē, Spiritum S. in Trinitate non esse Filium, neque consequenter natum, aut genitum, atque adeò eius processionem non esse natiuitatem, aut generationem, sed alterius denominationis, & rationis. constat enim ex sacris litteris, Filium in diuinis esse vnum, & vnigenitum, vt habetur Io. 1 & 3. & ex vtroque Symbolo fidei, & in Symbolo Athan. & habetur in Concil. Tolet. primo, & secundo, & est certa, & communis PP. & DD. sententia.

255 Difficultas consistit in assignanda disparitate, cur Verbi processio sit generatio, non autē, Spiritus S. productio.

Quarè difficultas est solum in assignanda disparitate, & ratione, cur processio Verbi in diuinis dici debeat, & verè sit generatio, non autem processio Spiritus Sancti, & licèt aliqui DD. & PP. in hoc conueniant, vt videre est apud Suarez lib. 11. de Trinit. c. 5 quod scil. non possit à nobis in hac vita perfectè assignari ratio huius disparitatis; tamen non erit inutile conari aliquo modo explicare hanc catholicam veritatem, vt fecit D. Th. & alij contra ea, quæ naturali ratione obijci possent; sicuti facimus in alijs fidei mysterijs, vt etiam ex philosophicis principijs appareat, saltem rationabiliter credibilis.

256 Vrget difficultas, quia Spiritus S. processioni videtur cōuenire definitio generationis.

Ratio ergo dubitandi in hac re est satis manifesta, quia videtur processioni Spiritus Sancti definitio generationis conuenire, nempe quod sit processio, seu origo viuentis à viuente principio coniuncto in similitudinē naturæ, est enim Spiritus S. perfectissimè viuens, vt Deus à viuente Patre, & Filio, principio coniuncto, non enim ex nihilo est productus, sed ex ipsa substantia Patris, & Filij; & demùm in similitudinem naturæ, est enim Deus eadem natura diuina, qua Pater, & Filius, propter quam causam, vt refert D. Th q. 10. de potentia art. 2. Macedonianus Hæreticus existimauit, Spiritum S. esse creaturam, quia si esset Deus, necessariò deberet esse genitus, & Filius; In hac ergo re explicanda varij solent esse modi, de quibus legi potest Vasq. disp. 115. & Suar. lib. 11. de Trinitat. c. 5. & alij communiter hoc loco. In quibus proponendis, & confutandis non existimo longiùs immorandum, sed potiùs in veritate simpliciter explicanda, & confirmanda, maximè secundum doctrinam D. Th. à quo si non in alijs Theologicis rebus, multò minùs in hac materia dissentire tutum est.

257 Varij modi assignantur disparitatis quare debet dici Verbi processio, generatio, non vero Spiritus S.

Radix autem, & origo omnium modorum explicandi, qui huc vsque inuenti sunt, aut inueniri possunt, fuit ex diuersitate, & disparitate, siue vna, siue pluribus, quasi ex fide habemus, esse inter Filium, & Spiritum S. vt hoc pacto ex aliquo nobis noto per fidem possemus deuenire in hoc, quod est nobis ignotum, cur scil. processio Spiritus Sancti non sit generatio? Primò ergo per fidē habemus, quòd Spiritus Sancti non sit generatio. Primò ergo per fidem habemus, quòd Spiritus S. procedat a duabus personis, Patre scil. & Filio, at vero Filius ex vna tantùm, nempe Patre; Vndè aliquis potuit existimare, hanc esse rationem, cur Spiritus S. non esset Filius, quia Filius non solet in nobis procedere à duabus personis, nisi alter sit Pater, altera Mater, quod tamen non est in Deo. Item secundò ex fide habemus, quòd processio Spiritus S. non sit prima in Deo, sed origine secunda, supponens aliam priorem, & consequenter fortè ex hoc non erit generatio, quia generatio debet esse prima processio. Tertiò ex fide habemus, quòd Spiritus S. nō potest aliā personam diuinam producere, sicuti potest Filius, & consequenter posset aliquis existimare, ex hoc non esse Filium, quia non procedit in similitudinem naturę fecundæ, sicuti Filius, quamuis procedat in similitudinem essentię diuinæ. Quartò demùm habemus, Filium procedere per intellectum, & Spiritum S. per voluntatem, atque adeò posset aliquis existimare, quòd processio Filij sit in similitudinem naturæ, & generatio, quia est per intellectū; at vero processionem Spiritus S. non esse generationem, quia est per voluntatem. Ex his ergo, & similibus considerationibus ortum habuere varij modi explicandi, inter quos hi sunt probabiliores, & iam communiter recepti, quibus dicitur quòd processio Spiritus S. non sit generatio, quia non conuenit illi vltima particula definitionis, scil. in similitudinem naturæ, *in quo varij etiā solent esse explicandi modi, quos mutuò referunt, & confutant Authores cit.*

Filius procedit per intellectum, non verò Spiritus S. ideo &c.

258 Prima Concl. Verbi processio est generatio, quia formaliter procedit vt similis. Prob. quia omne intelligens intelligit per similitudinem rei intellectæ præhabitam.

Dico ergo primò secundùm mentem D. Th. Verbum in diuinis verè dici Filium, & eius processionem verè esse generationem, quia ex vi suæ productionis formaliter, & directè procedit, vt simile in natura suo producenti, nempe Patri, similitudine perfectissima, quæ est similitudo naturalis, atque adeò procedit etiam, vt imago naturalis sui producentis, & sic dicitur procedere à Patre per modum naturæ. Hæc Concl. à D. Th. hoc art. & q. 10. de verit. art. 2. ad 11. ratione 2. & 4. cont. Gen. cap. 11. 19. & 23. in fine; & Opusc. 2. p. p. c. 38. & sequ. & 1. dist. 13. q. 1. art 3. & alibi. Præcipuum autem fundamentum, & radix huius veritatis ex mente, & discursu D. Th. quem postea eius discipul., & multi alij sequuti sunt, ex eo sumitur, quia iuxtā communem doctrinam Philosophorum, & Theologorū, omne intelligens ad hoc, vt exeat in actu intelligēdi, debet præhabere in se similitudinem rei intelligendæ, quæ dicitur species impressa; hæc autem est necessaria ad intelligendum eo ferè modo, quo est necessaria forma naturalis, quæ est principium, vt quo operationis naturalis, & cui assimilatur effectus; vndè sequitur, vt intelligens per talem speciem reddatur fecundus ad exprimendam in se vitaliter similitudinem rei intellectæ, quæ dicitur Verbum, quod non solum est similitudo expressa rei intellectæ, sed etiā ipsius intelligentis, inquantùm informatur specie impressa eiusdem rei intellectæ.

259 Si obiectum cognitum est ipsummet intelligens, tum intelligens producit sibi simile, & vt est intelliges, & vt est res intellecta.

Vndè si obiectum cognitum sit ipsummet intelligens, vt cùm aliquis intelligit seipsum, tunc intelligens producit sibi simile vtroque modo, et inquantùm est intelligens, & inquantùm est res intellecta; intellectio ergo, et productiua est, & dictio, ex sua ratione generica, & vniuersalissima habet producere simile intelligenti, & rei intellectę aliquo modo, & tantò perfectiùs id habebit, quātò ipsa intellectio erit perfectior, vt rectè aduertit S. Th. supra art 1. ad 2. Et quamuis intellectioni, inquantùm intra hoc genus contrahitur ad species intellectionum creatarū, repugnet esse assimilatiuam perfectè in natura rei intellectæ, aut intelligenti, sed solum sit assimilatiua diminutè, quòd proprio vocabulo dicitur intentionaliter, non tamen repugnabit intrà idem genus commune contrahi ad hanc vltimam differentiam, quòd sit assimilatiua perfectissimo modo, nempe etiam realiter, & in natura; nihil enim hæc differentia inuoluit impossibile intrà hoc genus, imò est tale aliquid, quale est genus, magis tamen determinans eius vniuersalitatem, & potentialitatem, & talem dicimus, esse diuinam intellectionem in Patre, neque aliquid obstare poterit ex parte intelligentis, cùm sit perfectissimum, & infinitum, actuatū per speciem perfectissimam infinitam, & infinitè fecundam, quæ est eius essentia, neque item ex parte intellectionis, quæ ex suo genere est assimilatiua: poterit ergo ex sua perfectissima differētia esse perfectissimè assimilatiua, nempe in natura, rectè igitur explicatur hoc Mysteriū modo dicto posita semper doctrina fidei, quòd Verbi processio sit generatio.

260 2. Concl. Spiritus Sanctus non est filius, quia eius processio formaliter non est assimilatiua.

Dico 2. Spiritus S. nō est Filius, neq; eius processio est generatio, quia vt processio est per voluntatē, et dilectionē nō habet ex sua ratione formaliter, vt sit assimilatiua, seu productiua similis amanti, & amato in natura; sed si id in Deo habet, solùm habet ex quadam conditione identica, & materiali, quia quidquid est in Deo, est Deus, atque adeò quidquid in Deo procedit ad intrà, est etiam Deus. Hæc Conclusio ponitur etiam à D. Th. locis cit. & infra qu. 30. art. 2. ad 2. & 1. dist. 13. qu. 1. art. 3. ad 3. & probatur ex ipso à contrario discursu: nam volens, & amans, inquantùm sic, immediatè non prærequirit in se similitudinē rei amatæ, neque per ipsam constituitur, nisi inquantùm talis res est intellecta; vndè similitudo est potiùs principiū

amoris

De ratione amantis non est exprimere similitudinẽ rei amatæ: sed potiùs ferri in rem amatam.

amoris, quàm eius terminus, vt habet D. Th. hic ad 2. Igitur de ratione amantis, & volentis inquantùm sic, non est exprimere in se similitudinem rei amatæ, sed potiùs ferri, seù impelli, & veluti moueri in rem amatam, & quia nihil ex rebus nobis notis magis mobile est, & impetuosum, quàm Spiritus, siuè sumatur pro vento, siuè pro quauis alia agilissima, & subtilissima substantia, hinc est, vt amori approprietur nomen Spiritus; cùm ergo non sit de ratione amoris, & volitionis vt sic, assimilare, seù producere simile rei amatæ, hinc est, vt volitio intrà tale genus non possit formaliter, tanquàm per propriam differentiam contrahi ad esse productiuum similis in natura, aut etiam intentionaliter, sed si illud habet in Deo, erit ex pura identitate, & veluti materialiter, quia talem impetum in rem amatam, atq; adeò spiritum, necesse est in Deo esse ipsum Deum, non autem quia volitio, quæ in suo genere non est assimilatiua, fit ex propria differentia intrà tale genus in Deo assimilatiua, sicuti constat de cognitione.

261
Explicatur definitio generationis viuẽtis, scil. quod sit assimilatiua ex vi suæ processionis.

Sic ergo ex D. Th. colligendus est sensus definitionis generationis suprà positæ, quòd scil. generatio sit processio viuentis à viuente principio coniuncto in similitudinem naturæ, scil. ex vi suæ processionis formaliter, & directè, quæ vltimæ particulæ non sunt addendæ, quasi aliquid nouum, & deficiens ab illa definitione, vt aliqui calumniantur; sed ad meram explicationem sensus definitionis, cuius particulæ accipiendæ sunt in sensu formali, & directo, vt solet in alijs definitionibus, & sic cõtinentur implicitè in illis verbis definitionis, generatio n. est talis processio, ex vi cuius formaliter, & directè aliquid producatur in similitudinem naturæ. Quia verò Spiritus S. nõ habet hoc ex vi suæ processionis, sed materialiter, & identicè hinc est, vt eius productio non sit generatio; vnde etiã est, vt quàmuis sit similis, seù idem in natura, Patri, & Filio, quia tamen non habet ex vi processionis suæ formaliter procedere, vt similem; hinc est, vt neque etiam sit imago propriè dicta, ad quam requiritur, vt ex vi suæ productionis formaliter sit ad repræsentandum alterum, vt D. Th. qu. 35. art. 2.

262
Prædicta doctrina authoritate S. Th. fulcitur.

Antequàm verò ea, quæ objici solent soluamus, præmittenda duxi aliqua verba D. Th. ex loc. cit. vt constet, hanc sententiam esse D. Th. aliqui enim, vt liberiùs prædictam doctrinam impugnent, eam dicunt esse communem Thomistarum, non autem D. Th. quasi Thomistæ non à D. Th. eam acceperint. Primò ergo prÿter ea, quæ D. Th. docet hoc art. quæ satis clara sunt, & suprà art. 3. sic habet infrà qu. 35. art. 2. in fin. corp. Et ideò aliter dicendum est, quòd sicut Spiritus S. quàmuis sua processine accipiat naturam Patris, sicut & Filius, non tamen dicitur natus, ità licèt accipiat speciem similem Patri, non dicitur imago, quia Filius procedit, vt verbum, de cuius ratione est similitudo speciei ad id, à quo procedit, non autem de ratione amoris, qui est Spiritus S. inquantùm est amor diuinus, & qu. 10 de verit. art. 2. ad 11. sic habet. Sicut natura producit aliquid in similitudinẽ sui, ità, & intellectus, tàm intra, quàm extra, intrà quidem, sicut verbũ est similitudo rei intellectę, & intellectus intelligentis se ipsum; extra autẽ, sicut forma intellectiua inducitur in artificiatum, voluntas autem non producit suam similitudinem, nec intus, nec extrà.

263
Per processionem amoris non producitur aliquid, vt recipiens formam eius, à quo procedit.

Et ex hoc D. Th probat id, de quo quærimus, & ibid. ad 22. sic habet: Dicendum, quòd processio Spiritus S. est processio amoris, per processionem autẽ amoris non producitur aliquid, vt recipiens formã eius, à quo procedit, siuè naturam, & ideò processio amoris non habet rationem generationis, vel natiuitatis, sed quòd Spiritus Sanctus naturam, & formam Dei Patris recipiat sua processione, hoc habet, inquãtùm est amor Dei (quod nos dicimus identicè, & materialiter) in quo non est aliquid, quòd non sit de natura ipsius; & per hoc patet responsio ad 23. Et in 1. dist. 13. qu. 1. art. 3. ad 3. sic habet: Respondeo, quòd processio amoris, inquantùm huiusmodi, non habet, quod per ipsam natura aliqua communicetur, sed hoc habet, inquantùm est in diuinis, vbi non potest esse aliquid imperfectum, & ideò Spiritus S. secundùm rationem processionis, cõmuniter loquendo, non habet, quod communicetur sibi natura, & ideò talis processio non potest dici generatio. Atque hæc, & similia communia sunt apud D. Th. qui sępè etiã approbat aliorum rationes, pro hac veritate, sed omnes ab hac confirmari debent. Vndè etiam originẽ habuit ea opinio recentiorum quorundam, qui putant processionem Verbi diuini esse generationẽ, quia per illã communicatur Filio intelligere, quod putant esse differentiã essentialem diuinę naturę: at verò Spiritui S. cõmunicatur velle, quod non est de essentia naturæ diuinę.

Proponũtur argumẽta in contrariũ, & soluuntur.

264 1. Obiectio.

Arg. 1. De natura intellectionis in genere nõ est producere simile, nisi solùm intentionaliter, ergo intellectio intra genus intellectionis, & veluti per se non poterit contrahi ad esse assimilatiuum realiter, & in natura, sed ad summum perfectissimo modo intentionaliter: ergo si in Deo contrahitur ad esse assimilatiuum realiter, id erit, veluti per accidens, & materialiter, seù identicè, sicuti diximus de volitione diuina.

Resp. Intellectionem, vt sic, esse assimilatiuam, abstrahendo ab esse reali, vel intentionali.

Resp. dist. Antec. si enim loquamur de intellectione, prout abstrahit à creata, & increata, neg. Antec. sic n. habet esse assimilatiui in genere abstrahentis à reali, & intentionali, si verò contrahatur ad esse creatum, tunc concedo, quòd habet esse assimilatiui solùm intentionaliter, & ità neg. conseq. sicuti ergo sapientia, iustitia, misericordia, & alia, quæ dicuntur perfectiones simpliciter simplices, & reperiuntur formaliter in Deo in suo conceptu cõmunissimo abstrahunt ab esse accidentis, & ab alijs imperfectionibus, quas inuoluunt in creaturis; ità esse assimilatiuum, quod est de essentia intellectionis, in suo conceptu vniuersalissimo abstrahit ab imperfectionibus, quas dicit in creaturis, & ità in Deo potest per se contrahi, & intrà suum genus per propriam differentiã formalem ad esse assimilatiuum realiter. certè hunc discursum non possunt aduersarij infringere, neque nos id gratis dicimus, qui philosophamur posita fidei veritate, & congruenter ad multa alia similia.

265 Instabis.

Ex quo facilis solutio est ad aliam instantiam in eodẽ fundatã, quòd scil. nos in diuinis philosophari debemus ex ijs, quæ nobis nota sunt in creaturis; at nobis notum est vniuersalissimè, intellectionem in creaturis non esse assimilatiuam, nisi intentionaliter, ergo neque alio modo erit in Deo, nisi fortè materialiter, & identicè.

Resp. Intellectionẽ esse assimilatiuã est, nõ dicere imperfectionem, sed perfectionem.

Resp. Nos quidẽ philosophari eo modo sublatis tamen imperfectionibus, alioqui neq; sapiẽtia, neq. amor &c. quæ in creaturis sunt accidẽtia, erunt in Deo, nisi fortè ęquiuocè, idest eminẽter, nõ formaliter, eodẽ modo imperfectio est in creaturis, quòd intellectio sit solùm assimilatiua intẽtionaliter, quòd autẽ sit assimilatiua præcisè, abstrahit ab hac imperfectione, & ità poterit contrahi ad esse assimilatiuũ, etiã realiter, & in natura propter infinitã naturę diuinę fecunditatẽ, & perfectionẽ. neq; verò nostra fides huic discursui innititur, sed posita fidei veritate, nos hoc discursu ostendimus, nihil rationaliter obijci posse, quod non soluatur, vt facimus in similibus.

266 2. Obiectio.

Arg. 2. Intellectio in Deo non est assimilatiua in natura, & realiter ex sua ratione generica, vt certum est, sed solùm inquantùm diuina; sed etiam Dei amor, inquantùm diuinus habet producere simile in natura, vt videmus etiam ex D. Th. ergo est eadem ratio vtriusque.

Resp. Ly inquantùm, diuina, diuersimode contrahit intellectionem, ac volitionem in Deo.

Resp. dist. in minore particulã illã, inquãtùm diuinus, eodẽ modo sicut intellectio, neg. alio modo longè diuerso, conc. Pro quo sciendũ est, quòd esse diuinũ, seù esse increatũ, & similia, sunt veluti differẽtię trãscẽdentales, & communes omnibus attributis, & rationibus diuinis, quę sunt in Deo ad intrà; omnes n. sunt diuinæ, increatæ, infinitæ, &c. ad rẽ ergo nostrã dico, quod hæc differẽtia communis intellectioni, & volitioni diuinę indicat, & infert respectù intellectionis peculiarẽ quandã differentiã ipsius intra genus intellectionis, per quã distinguitur, nõ solùm ab omni intellectione creata, sed etiã à cęteris attributis, quod est esse assimilatiuũ in natura intelligẽti. At verò esse diuinũ in volitione nõ infert, neq; indicat talẽ peculiarẽ differentiã volitionis increatę intra genus volitionis, nã volitio, vt volitio non est assimilatiua; solùm ergo restat, vt quoniã in Deo etiã per volitionem aliquid procedit ad intra, hoc autẽ nõ potest re ipsa esse, nisi habẽs naturã diuinã, & cõsequẽter Deus, restat, inquã, vt volitio diuina, inquãtùm diuina sit assimilatiua, cõsiderata solùm identicè, & materialiter, quare diuerso modo

 intelle-

intellectio, vt diuina, est assimilatiua, & volitio item, vt diuina, qui modus diuersus sufficit, vt vidimus ex D. Th. vt altera processio sit generatio, altera non sit.

267 Volitio diuina, vt diuina, est assimilatiua materialiter, & identice, non tamen per se.

Quares volitio diuina, vt diuina, est ne per se assimilatiua? Resp. esse per se materialiter, & identice, non tamen per se, seu ratione sua differentiae formaliter intra genus volitionis; nam, vt dixi, esse diuinum non est particularis differentia intellectionis intra talem generis, sed quid commune omnibus rationibus diuinis.

268 3. Obiectio.

Arg. 3. Volitio diuina ex nostro modo cōcipiendi debet habere aliquam propriam differētiam intra genus volitionis, per quam distinguatur non solum ab omni volitione creata, sed etiam à perfectionibus rebus diuinis; poterit ergo dici, quòd ratione huius suae differentiae conueniat illi esse assimilatiuam in natura, et sic erit formaliter generatio.

Resp. talem differentiam desumi per ordinem ad principium amãs, & obiectum amatū.

Resp. verum esse Antec. talem autem differentiam desumi per ordinem ad principium amans, & obiectū amatum; sicut solet sumi specificatio in aliis operationibus, maximè vitalibus, quatenus ergo amor diuinus est amor Dei, vt amantis, & eiusdem vt amati, sic intra genus amoris, & volitionis intelligitur volitio diuina habere suam vltimam differentiam; nego tamen Consequ. suppositam, sicut enim volitio, vt volitio, non est vllo modo assimilatiua, ita neque talis volitio ratione sua vltimae differentia erit formaliter assimilatiua, sed solùm identicè, quia diuina est, contrarium autem constat de intellectione, vt supra vidimus. Vrgebis. In creaturis voluntas, neque identicè est assimilatiua, ergo neque erit in Deo. Resp. neg. Consequ. quia in nobis non est absurdum ponere aliquam imperfectionem, absurdum autem esset ponere in Deo, sicuti esset, si volitio diuina esset productiua, & nullo modo esset assimilatiua producentis, sic enim terminus productus per illam nullo modo esset Deus.

269 Instabis.

Instabis rursus. Volitio diuina ratione suae vltimae differentiae formaliter est productiua, praesertim in Deo, ergo debet assignari terminus per illam formaliter, vt sic, productus, hic autem non potest esse, nisi Deus, & persona diuina; ergo volitio diuina ex sua vltima differentia formaliter accepta intra genus volitionis est assimilatiua, siue productiua similis in natura.

Resp. terminus voluntatis diuinae materialiter, & identicè est persona diuina, Verbum verò formaliter.

Resp. ex D. Th. supra locis cit. & praeterea in 3. dist. 10. q. 1. art. 1. ad 2. disting. M. non potest esse, nisi Deus, & persona diuina, inquantùm dicit naturam diuinam, nego, inquantùm dicit amorem increatum, qui est quoddam attributum ratione distinctum à natura, conc. & sic neg. Consequ. terminus itaque productus, qui correspondet volitioni diuinae, vt talis volitio est formaliter intra genus volitionis, est amor increatus, inquantùm amor ratione distinctus à natura diuina, quia tamen talis amor in Deo non est, nisi ipse Deus, hinc est, vt terminus productus per volitionem materialiter, & identicè consideratus sit persona diuina, etiam inquantùm habens naturam diuinam, & non solùm, vt praecisè est amor increatus, quo pacto est terminus sua productionis formaliter accepta intra genus volitionis. Ex quo apparet disparitas inter amorem, qui est terminus volitionis, & Verbum, quod est terminus intellectionis; nam Verbum diuinum formaliter, & ex vi suae productionis ratione sua vltimae differentiae est species, & similitudo expressa cognoscentis perfectissima, & naturalis; & cōsequenter ex vi eiusdem processionis formaliter procedit, vt simile in natura producenti, eo ipso, quòd procedit, vt Verbum, & sic est Filius, non item amor.

270 4. Obiectio.

Arg. 4. Sicut animal vt sic, licèt praescindat ab esse rationali, tamen potest contrahi per aliquam differentiam propriam intra tale genus ad esse rationale, vt cōstat in homine, & sic vniuersaliter de aliis generibus, quae per proprias differentias contrahi possunt ad aliquod esse particulare, à quo ratione sui praecisè praescindunt; ità dici poterit, quòd licèt volitio in genere praescindat ab esse assimilatiuo, & in creaturis non sit assimilatiua, in Deo tamen contrahi possit per propriam differentiam ad esse assimilatiuum, etiam perfectè, & realiter, & ita etiam ipsa erit formaliter assimilatiua, sicuti & intellectio.

Resp. volitionem praesupponere similitudinem cognitam; ac proinde ipsa non exprimit similitudinē.

Resp. neg. id congruenter dici posse, neque ad principia naturalia. Primò quidem, quia ex fide habemus, Processionem Spiritus Sancti, quae est per voluntatem, non esse generationem, & consequenter dicendum est, quòd talis processio non est sua ratione formali assimilatiua, aut imaginis productiua, vt rectè toties D. Th. concludit. Secundò, quia ideo ex principiis philosophicis nos habemus voluntatem non esse assimilatiuam, quia supponit in volente expressam similitudinem rei amatae, inquantum praesupponitur cognita. Vndè eius munus non est exprimere eandem similitudinem, sed solùm esse quendam impetum, & affectum in rem amatam; vndè similitudo expressa est potius principium amoris, quàm terminus; Vnde est, vt voluntas non constituantur in actu primo completo per aliquam similitudinem in ipsa impressam, sicut intellectus. Hae autem rationes vniuersales etiam valent in volitione diuina ratione sua vltimae differentiae, & consequenter secundùm principia nobis nota dici debet, quod volitio, vt volitio, non solùm praescindit ab esse assimilatiuo, sed omninò est extra genus volitionis, vt sic, esse assimilatiuum, quod non accidit in exemplis supra positis, non enim est extra genus animalis esse rationale, & sic de aliis; licèt animal, vt sic, praescindat à rationali, quae omnia congruè dicuntur, posita veritate fidei, quòd processio Spiritus S. non sit generatio.

271 Esse assimilatiuum est omnino extra genus volitionis

274 5. Obiectio.

Arg. 5. Spiritus S. verè, & formaliter est Deus non minus, quàm Pater, & Filius, neque solùm formaliter est amor, esse autem Deum non habet à se, idest sine vllo principio; quidquid enim habet persona producta, habet à suo producente; ergo Spiritus S. habet etiam à suo producente, vt sit formaliter Deus; hoc autem non potest habere, nisi per suam productionem; ergo ex vi suae productionis habet, vt sit formaliter, non solùm amor, sed etiam Deus, & sic eius productio erit generatio.

Resp. Spiritū S. ex vi suae processionis materialiter acceptae, non formaliter procedit vt Deus.

Resp. dist. vltimum Consequ. ex vi suae productionis formaliter accepta habet, vt sit formaliter Deus, neg. ex vi eiusdem materialiter accepta, concedo. Itaque Spiritus S. ex vi suae productionis formaliter accepta habet, vt sit formaliter amor increatus, ex vi autem eiusdem materialiter, & identicè accepta habet, vt sit formaliter Deus, qui termini rectè sunt distinguendi.

273 6. Obiectio.

Arg. vlt. Omne agens ex vi actionis suae directè, & formaliter producit sibi simile, quantùm potest, vt constat ex communi axiomate philosophico, ergo etiam Pater, & Filius in productione Spiritus Sancti, respectu cuius sunt veluti quoddam agens ex vi talis productionis directè, & formaliter producunt sibi simile, & consequenter generant. Resp. illud axioma esse verum secundùm Philosophos in quodam sensu abstractissimo, scil. aliquo modo sibi simile, siuè in natura, siuè in aliquo accidente, & proprietate, nihil enim potest aliquid producere, quod nullo modo habeat in se, & hoc pacto Pater, & Filius per spirationem producunt simile, non quidem in natura, formaliter loquendo, sed in attributo amoris, & quidem increati, quod non sufficit ad generationem.

Resp. illud axioma esse verum secundùm Philosophos.

274 Quaeres.

Quaeres. An processio Filij, & Spiritus S. distinguatur solo numero, an etiam specie, nam si dicatur primū, vtraque erit essentialiter generatio: Si secundum, videtur inconueniens, cùm Filius, & Spiritus S. qui sunt earum termini, non differant specie, sed sunt vnus, & idem Deus.

Resp. processionem filij, & Spiritus S. differre veluti specie.

Resp. ex D. Th. q. 10. cit. de potent. à 2. ad 12. differre, veluti specie, quamuis enim omnes personae conueniant in eadem natura diuina, etiam indiuiduali; differunt tamen per relationes inter se, veluti specie diuersas indiuiduali, in ordine ad quas relationes, hae processiones habent etiam suam differentiam, veluti specificam. Quòd si dicas, ergo Filius, & Spiritus S. differunt specie, distinguendum est cum D. Th. ibidem in natura; nego, in proprietatibus personalibus, concedo: & quia differre specie absolutè, communiter significat illud primum, ideò absolutè neganda est illa propositio, & solùm cōcedenda cū illo addito, atq; ex his colligi potest solutio ad similia argumēta, & facilè etiam erit, vel aliorum circa hoc sententias impugnare, vel ad bonum sensum trahere, quod breuitatis causa praetereo, cū radicitus de eadem re dub. seq. differendum sit.

DV-

DVBIVM VNICVM.

Vtrum processio Spiritus Sancti sit generatio?

275 *Prima Concl. neg. est de fide.*

DE fide est, processionem Spiritus Sancti non esse generationem. Hæc est expresse definita in Symbolis Apostolorum, Missæ, & Athanasij, in Concil. Toletan. 1. in confessione fidei; & in Concil. Toletan. 11. vbi dicitur. *Spiritum S. esse à Patre, & à Filio, nō genitum, nec creatum, sed ab vtroq; procedentem*; & infra: *Spiritus S. nec genitus, nec ingenitus creditur, ne aut si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus, aut si genitum, duos Filios prædicare demonstremur:* habetur etiam expressa in Sacra Scriptura, ex qua constat, Christum Dominum esse vnigenitum Io. 1. & 3. Vbi Verbum diuinum dicitur vnigenitum à Patre.

276 *1. Euasio ex ae Scrip.*

Dices: quia Salamon Prouerb. 4. dicitur: *Vnigenitus matris suæ*, cum tamen plures alios fratres ex illa matre habuerit, vt patet 2. Regem 12. & 1. Paralipomenon. 3. ergo nomen *Vnigenitus* in Sacra Scriptura non excludit, quòd alij sint etiam geniti; sed sumitur interdum pro vnicè dilecto. Resp. quod Salomon dicitur *Vnigenitus*, Dauidis Patris sui ex illa matre, scil. Bersabete, ex qua nullos alios filios habuit, nam alter, qui natus fuerat ex adulterio, mortuus est intra octauum diem: reliqui verò Filij, quod Scriptura dicit, habuisse Dauidem de Bersabee, non fuerunt naturales, sed adoptiui, quos scil. generauit Vrias, vt dicit Abulen. 1. p. q. 4. & ibi Lyranus, & Galatin. lib. 12. de arcanis c. 1. Resp. 2. quod Salomon dicitur ibi *Vnigenitus*, non generatione, sed amore; quæ loquutio est metaphorica, quasi diceret, inter cæteros magis dilectus; quod nequit verificari de Filio Dei, qui non diligitur plus, quàm Spiritus S.

Resp. Salomonem dici Vnigenitum, non generatione, sed amore.

277 *2. Euasio ex Sac. Scrip.*

Dices 2. quia Ecclesiast. 24. ad Colossen. 1. ad Hebr. 1. & Apocal. 1. dicitur: *Christus Primogenitus Patris*, non ergo est solus genitus à Patre. Resp. 1. quod dicitur *Primogenitus*, per ordinem ad creaturas, quæ dicuntur secundogenitæ, quia post ipsum Verbum sunt productæ, vt constat ex primo, & secundo loco adductis. Resp. 2. quod nomen *Primogenitus* in Sacra Scriptura non semper significat eum, qui est primus inter alios fratres, sed eum, qui Vnigenitus est, vt patet Matt. 1. & Luc. 2. vbi dicitur de B. Virgine, quod *peperit Filium suum primogenitum*.

Resp. Christū dici Primogenitum per ordinem ad creaturas.

278 *2. Concl. nulla potest assignari ratio demōstratiua etiam supposita fide qua ostendatur Spiritum S. non esse genitum.*

Secunda Concl. Nulla potest assignari ratio demōstratiua, etiam supposita fide, qua ostenditur, Spiritum Sanctum non esse genitum. Hoc volunt D. Aug. 15. de Trinitat. c. 28. & lib. 3. contra Maximin. c. 14. tom. 6. Damasc. 1. fidei orthodoxæ c. 10. Basil. 3 contra Eunom. ad finem, Athanas. lib. de Spiritu S. ad Serapionem circa med. Nazianz. orat. 5. de Theologia paulo post initium, vbi insanos vocat eos, qui hanc rem explicare aggrediuntur, D. Ambrof. lib. de Spiritu S. qui omnes contra Arrianos, Macedonianos, & Eumenianos vexantes Catholicos, & inquirentes, an Pater, & Filius habeant se in diuinis, vt Pater, & Mater, & Spiritus S. vt filius vtriusque? An vero Pater solus procederet Filium, & Spiritum Sanctum? itant Filius, & Spiritus S. essent fratres, & æque geniti à Patre? an vero Pater solus produxisset Filium, & solus Filius Spiritum S. ita vt Spiritus S. esset Filius solius Verbi, & nepos Patris? vnanimi fatentur voce, distinguere inter generationem vnius, & processionem alterius, nescire: non valere: non sufficere. Vnde plures ex Doctoribus Scholasticis similiter non audent in re tam difficili, certum aliquid statuere, sed dicunt cum Magistro in 1. dist. 3 inter generationem Verbi, & processionem Spiritus Sancti, dum hic viuimus, distinguere nescimus: & Greg. ibid q. vnica in initio dicit, hoc discrimen in hac vita per tales, quales nos sumus, explicari reputo impossibile, eodem modo loquitur Marsil. in 1. dist. 6. art 2. circa med & in fine: ex quibus liquet, non posse à nobis demonstrari, etiam fide supposita, veritatem primę conclusionis.

278 *Tertia Concl.*

Tertia Concl. Supposita fide potest assignari ratio, qua probabiliter ostendatur differentia inter processionem Filij, & Spiritus Sancti, & pium, ac religiosum est, hanc rationem inuestigare, vt argumentis Hæreticorum fiat satis. Hæc vltima pars est contra quosdam asserentes, non esse à nobis in hac vita inuestigandam rationem, ob quam processio Spiritus Sancti non sit generatio, & est conformis D. August. Athan. Bonauent. D. Th. & alijs, qui ad fidelium confessionē, & solatium varios modos dicendi inuenerunt, quos congerunt moderni Thomistæ hoc loco: nos autem breuitati studentes, solùm duas rationes D. Th. adducemus, easque explicabimus.

potest supposita fide, assignari probabiliter ratio, cur verbi processio sit generatio, non verò Spiritus Sancti.

280 *Prima. Ratio D. Th quia Verbum diuinum ex vi suæ processionis, procedit, vt simile.*

Prima ratio D. Th. est, quia Verbum diuinum ex vi suæ processionis, procedit simile in eadem natura; at vero Spiritus S. non procedit similis ex vi suæ processionis, sed procedit per modum amoris, & impulsus: vnde prior processio est generatio, nō vero posterior: hanc rationem ex D. August. 15. de Trinit. & vltimo desumpsit D. Anselm. in monolog. c. 56. & ex vtroque D. Th. 4. contr. Gen. cap. 11. & Henricus 1. p. summæ art. 6. Gabriel. 1. dist. 13. q. 1. art. 1. licet statim art. 3. dub. 1. dicat, eam non videri sibi sufficientem; Scotus 1. dist. 10. q. vnic. ad 1. estque communis inter Theologos.

In processione Verbi duo cōsiderāda sunt: quòd sit diuina, & quòd sit per intellectū.

Pro intelligentia huius rationis Nota 1. In processione Verbi diuini duas considerandas esse rationes: altera est, quòd sit processio diuina, in qua conuenit cum processione Spiritus Sancti: altera est, quòd sit per intellectum, in qua differt à processione Spiritus Sancti, quæ est per voluntatem: istæ autem duæ rationes non se habent, vt generica, & specifica, sed vtraque pertinet formaliter ad rationem specificam cuiusque processionis; quàmuis altera, scil quod sit diuina, sit ratio superior, in qua conuenit vtraque processio, & est exemplum in humanis; processio .n. Verbi creati habet, & quod sit processio intellectualis, & quod sit humana, & vtraque ratio pertinet formaliter, & ad specificam rationem huius processionis, quàmuis quod sit humana processio, sit quid cōmune, & pertineat etiam ad processionē amoris, quę fit per voluntatem. Ex quo colligitur, quod vt persona diuina procedat similis suo principio in eadem natura ex vi suæ processionis, necessarium est, vt hęc similitudo non solùm proueniat ex altera harum rationum tantùm, sed ex vtraque simul: quoniam ratio specifica huius processionis non consistit in altera tantùm ratione, sed simul in vtraque: & hoc contingit solùm in processione Verbi diuini, quæ quatenus est per intellectum, habet, quòd sit productio rei similis suo principio; quatenus vero est diuina, est productio similis in natura substantiali, atque adeò vtraque ratio per se, & formaliter concurrit, & Verbum sit simile secundùm substantiam suo principio; in processione tamen Spiritus Sancti, quamuis si attendamus solùm ad hoc, quod est processio diuina, Spiritus S. habet ex vi illius, quod sit similis, tamen si consideretur, vt est processio per voluntatem præcise, nihil cōducit ad hoc, quod Spiritus Sāctus sit similis: quoniam vt sic, tantùm procedit, vt inclinatio, & affectio.

Vt persona diuina procedat, vt similis suo principio: hęc similitudo ex vtraque ratione prouenire debet.

281 *Quæres.*

Quæres, cùm Spiritus S. procedat similis ex vi suę processionis, saltem vt est diuina processio, quid retulerit, quòd non procedat similis ex vi eiusdem processionis, quatenus est per voluntatem, vt non dicatur Filius, & eius processio sit vera generatio?

Resp. Ferrar. reijcitur. quia Spiritus S. processio, vt diuina, producit simile.

Resp. 1. cum Ferrara 4. cont. Gen. c. 11. multum referre, quia scil. quod Spiritus S. procedat similis in natura, non conuenit illi formaliter ex vi suæ processionis, sed quasi materialiter, eo quod terminus intrinsecus diuinæ voluntatis nō potest esse aliquid, quod non sit Deus; verum quidquid sit de hac solutione, tamen non potest sustineri in hoc modo dicendi, quia vere in processione Spiritus Sancti formaliter clauditur illa ratio communis vtrique processioni, scil. quod sit diuina processio, & ita Spiritus S. habet, quod sit similis suo principio ex illa ratione, quæ formaliter includitur in eius processione, & quidem, quod hæc ratio non includatur materialiter tantùm in processione Spiritus Sancti, ex eo patet; quia sequeretur, quod etiam materialiter clauderetur

tur in processione Verbi. Conseq. autem est falsum ergo. Patet sequel. quia eadem ratione vtraq; processio est diuina. Mi. autem prob. quia Verbum habet, quòd sit simile substantialiter suo principio ex eo solùm, quòd eius processio est diuina; ergo si ista ratio materialiter tantùm conuenit processioni Verbi, & Verbum non procedit formaliter ex vi suæ processionis simile secundùm substantiam suo principio, & ex consequenti, neque eius processio esset formaliter generatio, nec Verbum esset Filius.

282
Vera Resp. Spiritus Sancti processionem non habere, vt talis est in specie, producere simile ideò &c.

Resp. 2. Rationem esse, quia quælibet processio habet, quod sit talis in specie, non ex ratione communi præcisè, quam includit, etiam formaliter, sed ex ratione particulari, & specifica; quarè processio Spiritus S. non potest appellari generatio, cùm similitudo non conueniat illi ex ratione specifica; & vltima, licèt conueniat ex ratione communi, sicut nec processio Verbi dicitur generatio ex sola illa ratione communi, sed ex speciali ratione specifica, scil. quia est processio diuina per intellectum, nec his duabus processionibus, quatenus conuenit in illa ratione communi, scil, quod vtraque est diuina, correspondet per se primo aliquis terminus vnicus, ratione cuius vtraque possit dici generatio, quia si aliquis maximè Deus, vt Deus, hoc autem est falsum, quia Deus, vt Deus à nullo procedit.

283
Primũ Corollarium.

Ex ijs sequitur 1. quod ad explicandum, quæ ex his processionibus sit generatio, nõ est attẽdenda sola illa ratio communis, scil. vt est diuina processio; quia sic vtraque esset generatio, aut nulla: nec sola ratio peculiaris inadæquata, scil. vt est per intellectum, aut voluntatem: sed ratio vltima specifica completa ex vtraque ratione, v. g. processio Verbi, prout est processio diuina per intellectum, processio Spiritus Sancti, prout est processio diuina, per voluntatem.

2. Corollarium

Sequitur 2. quod processio Spiritus S. nullo modo est generatio, patet; quia non est generatio considerata secundùm rationem communem, scil. prout est diuina, quia vt diximus modo in secunda solut. argumenti, processioni vt sic, non respondet aliquis terminus procedens, qui sit genitus, aut spiratus; neque etiam secundùm rationem specificam, quia nõ est assimilatiua. Tertio sequitur, quòd Spiritus S. ex vi suæ processionis formaliter loquendo, nõ procedat similis, quàmuis re vera sit similis.

284
2. Ratio D. Th. validior. proqua. Nota. 2. intellectionem fieri secundùm rationẽ similitudinis.

Hic modus dicendi assignatus in hoc primo notabili est communis, & satis probabiliter ostendit differentiam inter vtramque processionem: verùm restat alius modus explicandi rationem D. Th. quæ quanto subtilior, ità fortè verior. Pro quo Nota 2. fuisse omnium antiquorum sententiam absque vlla controuersia, intellectionem fieri secundùm modũ similitudinis, vt patet ex 1. de anim. t. 25. ob quam rationem, vt ibi refert Arist. plures ex illis existimauerunt, animam constare ex rerum omnium particulis, v. g. Cæli, ignis, aeris, &c. quandoquidem anima cognoscit omnia, & nihil possit cognosci, nisi à suo simili. Dicitur autem cognitio fieri secundùm modum similitudinis, vel quia fit effectiuè ab specie, quæ est rei similitudo: vel quia fit ab intellectu solo habente similitudinem obiecti cogniti: vel quia ante cognitionem cognoscens est vnum cum re cognita, vnde cognitio nihil aliud est, quàm assimilatio quędam actualis intelligentis cum re intellecta.

285
Ex hoc oriuntur tria maxima discrimina inter intellectum; & voluntatem. Primũ assignatur.

Nota 3. ex hoc oriri tria maxima discrimina inter intellectum & voluntatem: primum est, quòd intellectus, vt exeat in actum secundum intelligendi, constituitur in actu primo per similitudinem obiecti, voluntas vero constituitur per inclinationẽ quandam potentialem, quam ipsa habet in bonum, & nullo modo per similitudinem aliquam illius Bono; ratio est, quam supra ex Arist. assignauimus, quòd scil. intellectus cognoscit res in seipsa, & sic eget earum similitudinibus, vt eas ad se trahat, at voluntas diligit rem ad extra, & in ipsam fertur, sic non opus est aliqua eius similitudine, vt illam ad se trahat.

2. Discrimen. intellectio est productio similitudinis rei cognitæ; secus volitio.

Secundum discrimen, quod ex primo originatur, est inter ipsas actiones intellectus, & voluntatis, quòd intellectio ex propria ratione est productio similitudinis rei cognitæ, & ipsius cognoscentis constituti in actu primo ad intelligendum per formam, quę est similitudo impressa obiecti; actus veró voluntatis, qui est volitio, seu dilectio, non est ex sua natura productio similis, sed productio impulsus cuiusdam, seu inclinationis in rem amatam: cuius ratio est, quia cum omne agens agat sibi simile, vbi actus primus fuerit similitudo obiecti, etiam terminus productus erit similitudo illius: vbi veró actus primus non est similitudo, sed inclinatio, actus secundus non erit productio similitudinis, sed inclinationis.

3. Discrimen: actualis intellectio potest habere rationẽ intellectionis; secus volitio.

Tertium discrimen, quod infertur ex duobus est, quòd actus intellectus, seu intellectualis processio potest habere rationem generationis, non veró actus voluntatis. Ratio est quia cùm generatio ex propria ratione sit productio rei similis suo principio, illa sola processio poterit habere rationem generationis, quæ ex propria ratione formali fuerit productio rei similis suo principio, quia potest intra proprios limites ita crescere in perfectione, vt sit productio termini similis substantialiter.

286
Primum Arg. cõtra hanc doctrinam.

Sed contra hanc doctrinam sunt duo vàlida argumenta. Primum est, quia processio intellectualis ex propria ratione formali solùm habet, quod sit productiua similis suo principio in esse intellectuali, & in forma, qua constituitur in actu primo ad intelligendum, quę est similitudo obiecti, & non in natura specifica ipsius intelligentis; ergo quantumcumque crescat perfectio intellectualis processionis, semper erit ex propria ratione assimilatiua Verbi in esse intellectuali, & non in esse substantiali, & specifico; ergo nunquam poterit habere rationem generationis. Prima Conseq. patet, quia differentia inferior non destruit, imò perficit rationem superiorem; secunda vero Conseq. prob. quia de ratione generationis non est quæcumque similitudo inter generans, & genitum, sed similitudo in natura, saltem specifica, & substantiali.

287
Respondebis.

Dices, eandem essentiam, & naturam diuinam, quæ est natura producentis Verbũ, habere rationem obiecti, & speciei, & ita satis esse, quod Verbum intellectuale diuinum procedat simile obiecto, vt processio illius quatenus est per intellectum, habeat, quòd sit productio similis in natura producentis.

Impugnatur. quia aliàs processio verbi esset productiua similis quia diuina.

Sed contra 1. quia iam ex hoc sequitur, quod processio verbi diuini sit productiua similis in natura, ex eo quòd diuina est, & non ex propria ratione processionis intellectualis. Et secundo, quia inde non sequitur, quòd procedat Verbum simile naturæ diuinæ in esse substantiali, & quatenus habet modum naturę, sed tantùm in esse intelligibili, & quatenus habet rationem obiecti.

288
2. Argumentũ

Secundum argum. est; quia quod processio verbi diuini sit productiua similis in natura specifica eo modo, quo necessarium est ad generationem, aut cõuenit illi secundùm cõmunem rationem processionis intellectualis quatenus, scil. absolutè est processio per intellectum; aut secundum rationem particularem, id est quatenus est processio per talem intellectum, scil. diuinum. Si primum sequitur, quòd omnis processio verbi intellectualis sit generatio. Si secundum, sequitur, quòd processio Spiritus Sancti etiam generatio, quia quatenus est per talem voluntatem, scil. diuinam, est processio similis in natura.

Respondebis.

Dices, processioni verbi diuini, inquantum est per intellectum, absolutè conuenire, quòd sit productio similis in natura substantiali, non quidem positiuè, sed per non repugnantiam, & ideò non esse necessarium, quòd conueniat cuicumque inferiori; sicut non est necesse, vt ea, quæ per non repugnantiam conueniunt gradibus superioribus, conueniant omnibus sub illis contentis:

Impugnatur. quia etiã processioni Spiritus S. quatenus est per voluntatem, non repugnat, quod sit processio similis.

productioni autem Spiritus Sancti non conuenit secundùm rationem communem processioni per voluntatem, etiam per non repugnantiam esse productiuam similis in natura. Arg. quia etiam processioni Spiritus Sancti, quatenus est per voluntatem, nõ repugnat, quod sit processio similis in natura; ergo. Prob. Antec. quia si illi repugnaret, quatenus est processio per voluntatem

tem

rem absolutè, etiam deberet repugnare secundùm rationem particularem, scil. quatenus est per voluntatem diuinam, quia quod repugnat rationi superiori, etiam repugnat inferiori; sed Conseq. est falsum, vt patet, ergo.

289 *Pro solutione Nota 1. dupliciter posse aliquem gradum communem contrahi.*

Pro solutione notandum est ex Caiet. p. p. q. 35. art. 2. dupliciter posse gradum aliquem communem contrahi: primò, per differentias indiuiduantes ipsius intrà propriam latitudinem, vt color per albedinè, & nigredinem per disgregatiuum, & congregatiuum visus. Secundo per differentias extraneas illi, vt si diuidatur color per differentias subiecti, cui inhęret, vt si dicas colorem alium hominis, alium parietis; & ex hoc possumus intelligere vtramque processionem intellectus, & voluntatis. consideratam vero secundùm rationem communem dicitur posse contrahi vno modo accidentaliter, & extranee, vt cùm diuiditur per naturas, in quibus reperitur, vt si dicas, processionem intellectus, & voluntatis, aliam esse naturæ humanæ, aliam Angelicæ, aliam diuinę: secundo modo per se, & per differentias, seu modos intraneos, vt cùm diuisio fit per diuersos modos formales ipsarum processionum, & quamuis isti modi radicaliter proueniant ex ipsis naturis, sicuti etiam differentiæ proprię coloris ab ipso subiecto, vt statim dicemus.

290 *Nota 2. quod gradus intellectus, vt sic, cùm sit assimilatiuus per quãcumque differentiam assimilatiuam cõtrahatur: semper per se contrahitur, non per accidens.*

Nota 2. ex hoc inferri discrimen inter processionem intellectus, & voluntatis: quod processio intellectus ex propria ratione formali habet; quod sit cautatiua similis in natura, & ideo quando contrahitur iste gradus per hoc, quod est communicare eandem numero naturam, nõ contrahitur per accidens, quasi per differentiam omnino illi extraneam, sed tanquam per differentiam suæ latitudinis, & quæ nõ extrahit ipsum extra proprios limites ad aliud genus; quia cùm ex propria ratione attingat similitudinem, non erit omnino illi extraneum eleuari, vt attingat identitatem; at vero processionem per voluntatem, non ex propria ratione esse communicatiuam similis in natura; aliàs etiam in nobis id haberet, sed tantùm est productiua termini habentis rationem impulsus, ideo quantùmcumque euehatur in altiorem gradum, si contrahatur differentijs per se, aut modo aliquo determinatiuo illius rationis cõmunis intrà propriam latitudinem processionis per voluntatem, nunquam ad hoc perueniet, vt sit cõmunicatiua eiusdem, imò nec similis substantię, quia tales differentiæ semper manent intrà limites amoris, & appetitus: sed solùm ad hoc, vt sit productiua perfectissimi amoris, cuius perfectio stat in hoc, vt sit perfectissimi obiecti, & à præstantissimo principio, & nobilissimo modo productus, qualis erit amor à Deo Spiratus, & habens Deum pro obiecto; differentijs vero extrinsecis sumptis ex parte subiecti poterit esse communicatiua naturæ, vt contingit in processione Spiritus Sancti, qua illis communicatur Deitas, ex eo pręcise, quod est processio diuina; sicut calor, nec secundùm rationem communem, nec differentijs proprię latitudinis habet, quod sit productiuus carnis, seu lactis, nec estimatiua discursus, sed ratione alicuius intrinseci adiuncti, scil. ratione differentiarum ex parte subiecti.

291 *Ad 1. Arg. Resp. in natura intellectuali imperfecta: processio est assimilatiua intẽtionaliter: secùs in infinitè perfecta.*

Resp. ergo ad 1. in illis, qui participant naturam intellectualem imperfectè, & cum potentialitate ad intelligibilia, quorum specie indigent ad cognoscendum, processus intellectualis tantùm est assimilatiua termini conuenientis ipsi intelligenti constituto in actu primo per speciem accidentalem, quæ est imago obiecti; at verò in eo, qui perfectissimo, & infinito modo participat talem naturã intellectus, constituitur in actu primo per naturam ipsius substantialem, vt patet in Deo. Vndè ipsa processio intellectualis in communi vt sic, abstrahit ab hoc, vt sit productiua similis in natura specifica gerente vicem speciei, vel in specie intelligibili accidentali, & sic falsum est Antec. argumenti, & optima solutio ibidem assignata. Ad cuius primam impugnationem

292 *Producere simile in natura, intellectus*

Resp. id non prouenire ex eo, prout diuina est, sed ratione alicuius differentiæ propriæ latitudinis, vt in solutione secundi latiùs dicemus, & ad secundam *diuinus, habet ex vi differentiæ propriæ.*

Resp. 1. quòd quia in Deo esse intelligibile formalissime est ipsa essentia, & natura Dei, eo ipso, quod Verbum diuinum ex vi suæ processionis procedit simile Patri in esse intelligibili, procedit etiam simile in esse entitatiuo substantiali, & naturalissimo: secùs autem est de verbo nostro, quod quidem in nobis solùm procedit simile principio in esse intelligibili, non vero in esse entitatiuo, & substantiali, tum quia intelligere in nobis non est nostra substantia; sed accidens superadditum; tum etiam quia imperfectè participamus intellectualitatem. Resp. 2. quod vnio naturæ diuinæ per modum obiecti cum intellectu diuino, tantum habet rationem conditionis requisitæ, vt communicetur eadem natura verbo per modum naturæ, & sic talis vnio non obstat quominùs Verbum assimiletur illi non solùm vt habenti rationem obiecti, sed etiam vt habenti rationem naturæ, quia talis vnio per modum obiecti pertinet ad modum, quo natura diuina communicatur.

293 *Ad 2. Arg. Resp. intellectus, secundùm rationem communem habet, quòd sit assimilatiuus: vt est in Deo habet producere simile formaliter: non materialiter, est autem productiuus similis in natura, secundùm differentiam specificam.*

Ad secundum Argum. quod petit, an processio verbi diuini habeat, quod sit communicatiua eiusdẽ numero naturę secundùm communem rationem processionis per intellectum, an verò secundùm specificam, an tandem secundùm quod est in Deo. Resp. quòd secundùm communem rationem non habet, nisi quod sit assimilatiua abstrahendo ab assimilatione in natura, vel accidenti; licèt possimus dicere, quòd vt sic conuenit illi radicaliter esse productiuam similis in natura substantiali, quandoquidem genus sit radix differentiarum, quia verè radicaliter verificantur de illo ea omnia, quæ de suis inferioribus dicuntur. Rursus secundùm quòd est in natura diuina, productiua quidem, est similis in eadem natura; verùm hoc non est per se, & formaliter, sed extraneè, & quasi per accidens, quia scil. est in tali materia; est ergo productiua similis in eadem natura secundùm rationem specificam, & formalem contentam intrà propriam speciem, & latitudinem processionis intellectualis, quia scil. est processio summè, & infinitè perfecta per intellectum, & inde est productiua similis summè perfecti; cęteræ autem processiones in nobis, & in Angelis non habent hoc, quia sunt accidentia nam generatio etiam in nobis est accidens, & tamen est productiua similis in natura, & substantia, quia non attingit eum gradum perfectissimum in sua specie: Itaque processio. Verbi diuini non est generatio ex eo formaliter, & præcisè, quod est per intellectum; neque ex eo, quod est in Deo, quia esse in Deo tantùm est conditio ex parte subiecti, sed habet, quod sit generatio ex differentia per se intra latitudinem ta is processionis, quia scil. est summè perfecta in sua specie.

294 *Euasio.*

Sed vt ista elucidentur. Arg. contra illa, quia processio Verbi diuini ex eo est assimilatiua in eadẽ natura, quia est infinitè, & summè perfecta; sed nõ habet, quod sit summè, & infinite perfecta, nisi ex eo, quod est diuina; ergo de primo ad vltimum ex eo, quòd est diuina, habet assimilari in eadem natura, ac per consequens esse generationem. Confirm. quia illa processio nõ solùm est communicatiua naturæ, sed eiusdem numero naturæ; hoc autem nequit habere, nisi est diuina; ergo: tandem totum hoc reducitur ad obiectum, seu materiam, in qua exercetur talis processio, & non ad rationem formalem, & specificam processionis per intellectum. Cõseq. patet cum Ma. & Mi. prob. quia ratio formalissima, ob quam vna numero natura potest esse in tribus, est, quia est diuina.

295 *Resp. Intellectione diuinã esse assimilatiuam in natura: licèt radicaliter proueniat, quia diuina formaliter tamen: quia intellectio.*

Resp. Negari non posse, quòd summa illa, & infinita perfectio, quam habet processio intellectualis Dei intrà propriam speciem, prouenit radicaliter ex ipsa natura diuina, & hinc est, quod extra Deum non est reperibilis alia processio per intellectum, quę sit assimilatiua in natura, cum quo tamen bene stat, processionem Verbi diuini esse assimilatiuam in eadẽ numero natura, licet radicaliter proueniat ex diuina natura. formalissime tamen non prouenire, nisi ex eo, quod eius processio est summe perfecta intrà propriam

propriam speciem talis processionis. Vndè si extra Deum esset reperibilis talis processio summè perfecta, esset quidem assimilatiua in eadem natura; processio verò per voluntatem, etiam infinite perfecta, si extra Deum esset, tantùm valeret producere amorem quendam perfectissimum, non tamen similem naturæ producenti, nec secundùm rationem communem, nec specificam. Ad impugnat. verò solutionis ibid. assignatæ, quæ optima est, Resp. processioni Spiritus S. solùm secundùm communem rationem repugnare, quòd sit communicatiua similis ratione alicuius differentiæ per se, & propriæ latitudinis, licèt non repugnet ratione alicuius accidentis, scil. materiæ, in qua exerceretur, seù ratione differentiæ intrinsecæ sumptæ ex parte subiecti, & hæc de prima ratione D. Thomæ.

296 2. Ratio D. Th. quia cum intelligere sit ipsa natura Dei, verbum procedit per modum naturæ, nam licèt omnia, quæ sunt in Deo, sint ipse Deus: hoc illi nō cōuenit formaliter, & quasi specificè.

Secunda ratio D. Th. quia Verbum diuinum procedit per modum naturæ; Spiritus vero S. nequaquam. Ratio est, quia intelligere est ipsa natura Dei, non autem velle: hanc adduxit D. Th. qu. 27. art. 2. & qu. 34. art. 2. ad 1. ex D. Aug. 5. de Trinit. cap. 14. vbi dicit, quod Verbum diuinum ideo est Filius, quia procedit, vt natus, hoc est per modum naturæ, & Spiritus S. non est Filius, quia non procedit, vt natus, sed vt datus, idest non procedit per modum naturæ, sed voluntatis, & hoc modo intellecta ratio D. Augustini, non est petitio principij, vt voluit Gregorius Arimin. in 1. dist. 13. quæst. vnica, pro qua.

Nota 1. Nota 1. quod licet omnia, quę sunt in Deo, sint ipsamet natura, & substantia Dei, & inter omnia hoc formaliùs conueniat intellectualitati, quæ vtramque rationem intellectiui, & volitiui compræhendit, nihilominus intelligere diuinum est formalius, & intimius ipsi essentiæ, quàm velle diuinum, quia per se loquendo intelligere præsupponitur ad velle. Item quia velle habet se per modum tendentiæ in aliud, intelligere verò consistit in quadam informatione per ordinem ad seipsum, nam intelligens informatur specie obiecti, quod ad se trahit, & ideo intelligere constituit certum gradum essendi, sicut viuere; velle autem potiùs designat quid consequens ad esse.

Nota 2. Nota 2. ex hoc colligi, quod velle diuinum non est ita formaliter ipsa Dei natura, sicut intelligere, sed præsupponit eam, vt radicem, ex qua oritur; sicut enim formalissime loquendo esse actum purū est ratio æternitatis; æternitas autem immutabilitatis, & non è cōtra; ità ratio intellectiui est ratio volitiui, & non è cōtrà, ac proinde intellectualitas est prior, intimior, & naturalior Deo, quàm ratio volitiui. Vnde intellectualitas etiam formalissime sumpta, est ipsa natura, & substantia Dei. Cùm igitur Verbum diuinum procedat per ipsum intelligere, Spiritus autem Sanctus per velle, hinc est, quod Verbum procedat potiùs secundùm naturam Dei, & per modum naturæ, quàm Spiritus Sanctus.

297 Instabis. Instabis. Intellectualitas, quæ est ipsa natura, & essentia Dei vtramque rationem compræhendit, intellectiui scil. & volitiui; ergo vtraque persona procedit per determinationem naturæ, & per modum naturę.

Resp. verbum procedere per determinationem immediatam naturæ. Respond. esse disparem rationem, quia Verbum procedit per determinationem immediatam naturæ; nam cùm intellectus sit prima potentia naturæ intellectualis, immediate determinatur ab ipsa natura. Quod autem procedit per voluntatem, non procedit ex immediata determinatione naturæ, quia determinatur à forma immediate per intellectum apprahensa. vnde non procedit per modū naturæ, sed inclinationis; nam vt Caiet. ait hic q. 27. art 3. obiectum apprehensum non determinat voluntatem ad producendum aliquem effectum similem ipsi obiecto apprahenso, sed vt producat inclinationem, & propensionem in ipso, vt habet esse in re, v. g. sanitas apprahensa mouet voluntatem, vt inclinetur in ipsam sanitatem secundum esse reale, & possibile.

298 Nota 3. verbo diuino communicari naturā, ex vi suæ processionis formaliter. Nota 3. ex dictis inferri, verbo diuino communicari ex vi suæ processionis formaliter, & per se primò ipsam naturam diuinam per modum naturæ, & secundum omnem suam totalitatem; Spiritui verò S. non communicari per se primò talem naturam secundùm omnem eius totalitatem, nec per modum naturæ, sed secundum peculiarem eius rationē, scil. prout est infinita inclinatio. Cuius ratio etiam est, quia essentia diuina Patris, quatenus habet modum naturæ, & secundùm omnem suam totalitatem, habet, quod sit proprium, & proximum principium *quo*, verbi diuini, scil. quatenus habet rationem speciei intelligibilis; constat enim, intelligibilitatem esse proprijssimè, & formalissimè ipsam naturam Dei; proximum vero principium *quo* productionis Spiritus Sancti non est natura diuina Patris, & Filij secundùm rationē naturæ, sed præcise secundùm quod est infinita inclinatio constituens voluntatem vtriusque in actu primo ad spirandum, vnde Spiritui S. non communicatur natura diuina per modum naturæ ex vi sui principij proximi, & formalis; sed per modum infinitæ inclinationis, & ex consequenti non communicatur illi natura Dei totaliter per se primo ex vi suæ processionis.

299 Nota 4. quòd licèt Spiritui S. non communicetur natura diuina per se primò ex vi suæ processionis: communicatur tamen; quasi secundario. Nota 4. quod licet non communicetur Spiritui S. natura diuina secundùm omnē rationem per se primo ex vi suæ processionis, secundario tamen illi cōmunicatur. Verùm tamen id non prouenit ex formali ratione processionis, sed ex formali identitate, quam habet infinita Dei inclinatio cum ipsa diuinitate, & est exemplum in vnione hypostatica, quæ per se primo, & ex formali sui vnione non terminatur ad naturam diuinam, sed ad verbi personalitatem, sed quoniam personalitas verbi est formaliter idem cū natura diuina, eo ipso quod vnio hypostatica primario terminatur ad personalitatem verbi, terminatur secundario, & mediate ad ipsam naturam Dei: sed quoniam propria ratio cuiuscumque actionis sumitur ex termino primario, & immediato, ideo ratio talis vnionis non attenditur prout ad naturam diuinam terminatur, sed prout ad personalitatem verbi. Ita in præsenti dicendū est, quod quia terminus formalis primarius, qui per processionem communicatur Spiritui Sancto non est natura diuina secundùm rationem naturæ, sed prout est diuinus amor, & inclinatio, id circo non est communicatiua talis processio naturę per modum naturæ, & ex consequenti non est generatio, quamuis secundario per eandem processionem tota ipsa natura diuina communicetur Spiritui Sancto, quare non solùm est diuinus amor, sed simpliciter est Deus.

300 Instabis. Sed contra hoc est argum. sequitur, quod Spiritus S. formaliter, vt est Spiritus S. non sit diuina persona. Consequens videtur absurdum, cùm fides absolutè doceat, Spiritum S. esse tertiam Trinitatis personam, quod non materialiter, sed formaliter est intelligendum. Sequela prob. quia ratio formalis diuinæ personę consistit in hoc, quod sit subsistens in natura diuina, at Spiritus S formaliter, vt est terminus primarius, & formalis suæ processionis, non est subsistens in natura diuina, sed tantùm est diuinus amor, ergo. Patet Mi. quia dictum est, quòd Spiritus S. nō cōmunicatur formaliter per se primo ex vi suæ processionis natura diuina, secundùm rationem naturę, sed solùm per modum amoris; ergo Spiritus S. ex vi suæ processionis non procedit vt subsistens in natura diuina.

Respond. Resp. 1. quòd ad rationem personę absolutè loquendo non requiritur, quod communicetur illi per se primò natura per modum naturæ, hoc enim solùm requiritur ad personam, quæ est Filius; sed sufficit, vt communicetur illi natura, siue per se primo, siuè per se secundò, & quomodocumque; ad rationē enim personę sat est, quod re vera subsistat in natura quomodocumque illi communicata, & Spiritus S. verè est persona diuina, quia ex vi suæ processionis subsistit in natura diuina illi communicata per modum impulsus.

Resp. 2. attendendo ad formalissimam processionem Spiritus S. ex Resp. 2. argumentum conuincere, quod attendendo ad formalissimam rationē Spiritus Sancti, & processionis eius concedendum est, quod ex vi suæ processionis non procedit, vt persona diuina, in quo distinguitur à Filio, & eius processione; cum hoc tamen fatendum est, quod non solùm materialiter,

...ua, non procedit, vt persona diuina primariò.

terialiter, sed formaliter est persona diuina, & procedit formaliter, vt persona: Ratio est, quia quòd natura diuina communicetur Spiritui Sācto secundariò, secundùm totam rationem naturæ, prouenit, nō ex idētitate materiali, sed ex identitate formali, quæ reperitur inter diuinū amorem, & ipsam Dei naturam; quamuis facta comparatione eū verbo, potest dici, aliquo modo materialiter procedere, vt personam. Et in hoc sensu loquuti sumus in hac disp. nu. 269. & 274. vbi diximus Spiritum S. non procedere formaliter, vt personam diuinam; neq, vt Deum; sed solùm materialiter; & potest rursus adduci exemplū suprà allatum de Incarnatione Verbi, licèt enim vnio hypostatica nō terminetur immediatè ad ipsam naturam diuinam, sed ad personalitatem Verbi, nihilominus homo non solùm dicitur formaliter Verbū, sed etiā Deus, & è contra, hæc enim propositio, *Deus est homo*, vera est formaliter, quamuis hęc altera: *Verbum est homo*, sit formalior.

301 *Corollarium hęc propositio.* Spiritus S. ex vi suę processionis procedit, vt persona diuina, *est neganda.*

Ex quo sequitur, quòd ista propositio: Spiritus Sancti ex vi suæ processionis procedit, vt persona diuina, est absolutè neganda, quoniam propter suam formalitatem denotat, quòd Spiritus Sanctus per se primo procedit in ratione diuinæ personę, hæc autē propositio, Spiritus S. ex vi suæ processionis procedit psona diuina, possit absolutè negari, quoniā videtur reddere eundē sensum formalē, securiùs tamē debet distingui per se primò, nego, per se secundo, conced. Ex his duabus rationibus D. Thom. prior est communior, & melior, maximè explicata iuxta secundū modum dicendi, cui plura ex dictis circa secundam rationem D. Th. plurimum iuuant. Sed restat, nonnulla alia argumenta soluere, quæ communiter solent fieri contra dicta; idcirco.

302 *1. Obiectio.*

Arg. 1. Isti processioni conuenit definitio generationis viuentium, vt constabit discurrenti per omnes particulas, ergo est generatio. Confirm. nam essentia diuina est terminus formalis vtriusque processionis, Verbi, & Spiritus Sancti, ergo vtraque est generatio, vel neutra. Patet Conseq. quia actionis specificatio est à termino formali.

Resp. Spiritus S. processioni secundum rationē formalē specificam, non conuenit vltima particula, &c.

Resp. si processio Spiritus Sancti consideretur secundùm suam rationem formalem specificam, secūdum quam distinguitur à processione Verbi diuini, non conuenit illi vltima particula definitionis generationis, scil. in similitudinem naturæ, benè tamen conuenit, si consideretur talis processio, vt est diuina, hoc tamen non sufficit, vt dicatur generatio, quia illa definitio non conuenit illi secundùm propriam rationem formalem, sed ratione alicuius adiuncti. Ad Confirm. Resp. quòd specificatio actionis non est à termino formali vtcumque in genere entis, sed ab illo taliter participato; aliàs enim generatio, & creatio hominis non essent actiones specie distinctæ; vndè licèt terminus formalis vtriusque processionis sit idem in ratione entis, scil. natura diuina, tamen quia modus illam communicandi, est distinctus, ideo & actiones, secundùm quas cōmunicatur, sunt distinctæ, diuersitas enim in modo producendi terminum formalem redundat in ipsum terminum.

303 *2. Obiectio.*

Arg. 2. Spiritus S. ex vi suæ processionis procedit, vt Deus, ergo procedit, vt similis. Patet Conseq. quia in diuinitate assimilantur, & antec. prob. 1. quia talis processio Spiritus Sancti intrinsece, & formaliter est communicatio diuinæ naturę atque adeo per illam formalissimè producitur Deus. Secundo, quia non procedit ex vi suę processionis, vt creatura, nec vt non Deus, ergo vt Deus. Et tertiò, quia ex vi suæ processionis procedit, vt persona subsistens in natura diuina.

Respondebis.

Instabis, quod quia natura diuina non procedit per processionem Spiritus Sancti, sed solùm procedit ipsa persona, ideò Spiritus S. ex vi suę processiones nō procedit, vt Deus, sed procedit Spiritus S. vt talis.

Impugnatur.

Contra. Verbum diuinum ex vi suæ processionis procedit, vt Deus, & tamen per processionē Verbi non procedit natura diuina; ergo solutio est insufficiens. Ma. patet, quia Verbum ex vi suæ processionis procedit simile in substantia, ergo procedit, vt Deus, quia in diuinitate est similis. Confirm. quia licèt anima rationalis præsupponeretur ad generationem Petri, verè ex vi generationis non solùm producitur persona Petri, sed etiam homo rationalis, ergo licèt natura diuina ordine rationis præsupponatur ad generationem Verbi, non sequitur, quod non procedat, vt Deus.

304 *Resp. licèt Filius procedat, vt similis; non est necesse, vt formaliter, procedat, vt Deus. Spiritus S. verò, neq; per se, neq; per accidens, procedit vt Deus.*

Resp. solutionem ibi assignatam esse optimam, & ad impugnationem Resp. neg. Ma. ad cuius prob. dicitur, quòd vt ista propositio, Filius procedit, vt similis, sit vera, non est necesse, quòd hæc altera, Filius procedit, vt Deus, sit vera, sed sufficit quòd ex vi processionis communicetur illi natura diuina per modum naturæ, & procedat, vt persona diuina, aut vt Deus Verbum. Ad Confirm. neg. Conseq. & ratio discriminis est, quoniam Deitas, quæ præsupponitur ad generationem Verbi, & processionem Spiritus Sancti est forma totalis; anima verò est forma partialis; vndè exemplum esset simile, si ad generationem Petri præsupponeretur humanitas, sed tunc non esset concedendum, quòd produceretur Petrus vt homo, sed vt Petrus. Pro huius tamen exacta intelligentia. Nota, falsò aliquos existimasse, Spiritum S. procedere, vt Deus, saltem per accidens ad eum modum, quod dicit Arist. quod cum ex animali fit equus, non fit animal per se, sed tantùm per accidens. Ratio autem huius falsitatis est, quia natura diuina, nec per se, nec per accidens producitur ad Spiritus Sancti productionem, & ita Spiritus S. nec per se, nec per accidēs producitur, vt Deus; simile verò adductū ex Arist. nō est ad propositū, quoniā ad productionem equi producitur animal, & illud animal, quod erat sub termino à quo, nō manet in termino ad quē, & in processione Spiritus S. idem Deus numero, qui præintelligitur in Patre, & Filio, manet in Spiritu S.

Hæc propositio Spiritus S. procedit, vt Deus Spiritus est vera.

Ex quo colligitur, quòd hęc propositio, *Spiritus S. procedit vt Deus*, est falsa, hęc autē altera, *procedit Deus*, in rigore dialecticorū videtur falsa, quia æquipollet alteri, Spiritus S. procedit vt Deus, licèt absolutè cōcedatur cōmuniter à Theologis, qui sumunt illā in sensu quasi materiali, ità quod ly, *Deus*, supponat pro persona subsistente in natura diuina, hæc deniq; propositio, *Spiritus S. procedit, vt Deus Spiritus*, est absolutè vera, quia particula, *vt*, facit, quod illud cōplexū, *Deus amor*, sumatur, quasi copulatum, & quòd posterior pars eius, scil. *amor*, sit formalis determinatio prioris partis, ità vt nō valeat ista Cōseq. *Spiritus S. procedit, vt Deus amor*, ergo *procedit vt Deus, & procedit, vt amor*. Arguitur enim à copulato ad diuisum, & idem dicendum de Verbo diuino.

Arg. 3. Tertia persona diuina ex vi suę processionis, seu Spiritus procedit, vt Spiritus S., sed vt Spiritus S. est Deus, & vt Deus est similis Patri, & Filio; ergo de primo ad vltimum procedit vt similis. 305 *3. Obiectio.*

Resp. Spiritus S. processionem posse dupliciter considerari: vel secundùm rationem intrinsecam; vel extrinsecam.

Resp. Notādo, processionem Spiritus S. posse dupliciter cōsiderari: primò secūdū rationē formalem processionis per voluntatē, & secūdùm differētiā intrinsecam proprię latitudinis; secūdo modo secundùm differentiā extrinsecā sumptā ex parte naturę diuinę, ratione cuius formaliter identificat sibi omnia, quę sūt in Deo, & quidē si hoc secūdo modo cōsideretur ex propria ratione est productiua similis personę diuinę, si vero priori modo, terminus, à quo nostro modo intelligēdi specificatur, tantū habet, vt sit infinita inclinatio, & impulsus abstrahendo ab hoc, quod sit Deus, seu creatura per se subsistēs, vel nō subsistēs. Quo posito Resp. argumēto, dist. mi. Spiritus S., vt Spiritus S. est Deus, per se primo ex vi suę processionis secundū rationē propriā, & intrinsecā, neg. Mi. sed solū vt sic, est infinita quædā inclinatio, secūdariò verò, & ratione adiuncti, hoc est, quia illa infinita inclinatio est diuina, concedo; neg. tamen Conseq. scil. quòd ex vi processionis secundùm rationem formalem producatur, vt similis.

Arg. 4. Spiritus S. ex vi suę processionis includit velle essētiale, sicut Verbū intelligere essētiale; ergo ex vi suę processionis includit ipsū esse, & naturā Dei, sicut Verbū diuinum, ergo ex vi suę processionis est similis, 306 *4. Obiectio.*

similis. Patet prima Cõseq. quia nõ minùs velle diuinũ est ipsum esse diuinũ, quàm intelligere diuinum: secunda verò Conseq. patet, quia eodem argumento vsus est D.Th. vt probaret, Verbum diuinum procedere secundùm rationem similitudinis. Confirm. quia quantò perfectior est actio amandi, tãtò amatum est magis intimum in amante, & magis vnum cum eo, sed processio Spiritus Sãcti, quæ est per modum amoris, est infinitæ perfectionis, ergo procedit infinitè intimum, & infinitè vnum ex vi suæ processionis cum eo, à quo procedit.

Resp. Spiritum S. includere essentiã Dei per modum inclinationis; non per modum similitudinis.

Resp. conced. Antec. & dist. Conseq. includit naturam, & essentiam Dei per modum inclinationis, cõced. per modũ similitudinis, seu naturæ, sicut Verbum, neg. & ratio disparitatis est, quia intelligere est formalissimè ipsa natura, & essentia Dei, velle autem est inclinatio consequens ipsam naturam: vndè Verbum includens ex vi suæ processionis ipsum intelligere, includit naturam per modum naturæ; at Spiritus S. includens ipsum velle, includit ipsam per modum inclinationis, quod non est includere per modũ naturę, & essentiæ totalis, sed per modum cõsequentis ad essentiam, cum inclinatio non sit prima natura rei, sed supponat eam, vt etiam dicemus in solutione quinti argumenti. Ad Confirm. Resp. quòd quantò actio amandi est perfectior, tãtò amatum est magis intimum amanti, & magis vnum cũ eo secundùm affectum, & inclinationem, non verò secundùm similitudinem, aut identitatẽ; quia amor cùm non sit per modum assimilationis, sed inclinationis, non habet ex vi suæ processionis, sicut intellectio, vt quantò perfectiùs procedit, tanto sit magis vnum cum principio, à quo procedit in similitudine, nisi solùm secundùm affectum.

307 *Instabis.*

Vrgebis. Processio per voluntatem est assimilatio aliquo modo, saltim inquãtùm omne agens agit sibi simile; ergo si fuerit processio summè, & infinitè perfecta per voluntatem, erit assimilatio summè perfecta, & sic in eadem natura. Resp. cum Ferrara 4. cont. Gen. c. 19. quod voluntas de se tantùm est similis amori secundùm quandã proportionẽ, qua quælibet habitus, aut potẽtia potest dici similis suis actibus, & hinc est, quòd quantumcumque crescat perfectio per volũtatẽ nunquã perueniet ad hoc, quod sit productiua similis vniuocè, nisi extrahatur à propria specie, & adhæreat alicui subiecto, ex quo id habeat, sed tamen hoc non esset habere ex proprijs, sed ex alienis.

Resp. voluntatem esse similẽ amori secundùm quandam proportionem.

308 *§. Obiectio.*

Arg. 5. Amor productus in voluntate creata procedit similis suo principio; ergo etiam in diuina. Prob. Antec. quia amor procedit similis voluntati cõstitutæ in actu primo amandi; ergo. Prob. Antec. amor productus est inclinatio in obiectum volitũ, sed voluntas constituitur in actu primo amandi per inclinationem in idem obiectum, ergo: atque adeo processio per voluntatẽ erit secundùm rationẽ similitudinis, nec ad hoc est necessarium, quòd ille impulsus productus sit similis obiecto volito, sed sat est, sit similis suo principio productiuo.

Confirm. 1.

Confirm. 1. Omne agens intẽdit assimilare sibi suum effectũ in eo, quod est illi ratio agendi, inquãtùm potest, vt patet 1. de Generat. t. 51. vnde actio ex propria ratione, est productio rei similis in forma, per quam agens agit, ergo volũtas conatur sibi assimilare illi terminum in forma, per quã proximè est cõstituta in actu primo ad amandũ, ergo illa spiratio ex propria ratione est productiua similis. Cõfirm. 2. quia Spiritus S. est etiã terminus dilectionis, ergo ex vi processionis procedit, vt amor; sed amor ex propria ratione importat assimilationẽ amantis cũ re amata, ergo. Prob. Mi. quia proprium est amoris transformare amantem in rem amatam.

309 *Resp. 1. Amorem procedere vt similẽ suo principio similitudine analoga.*

Resp. 1. Amor productus procedit similis suo principio similitudine quadã analoga, seu æquiuoca, quę reperitur in omnibus potentijs, & actibus respectũ obiectorũ: in hoc .n. proportionantur, vt sicut potẽtia inclinatur in obiectũ, ita similiter actus; illa tamen cõuenientia non sufficit ad rationẽ generationis, processio .n. motus, qui in probabili sententia est effectiuè causatus à grauitate, non habet rationẽ generationis, cùm nõ sit productiua similis suo principio, & tamen sicut grauitas est inclinatio, & tendentia in locũ naturalẽ, ita ipse motus est tendentia, & inclinatio in eundẽ: differunt tamen, quia grauitas est inclinatio per modũ actus primi; ipse verò modũ actus secũdi: itá in pręsenti, licèt voluntas sit inclinatio quædã potentialis in obiectũ, & amor productus sit actualis inclinatio in idẽ obiectũ, nõ indè sequitur, quod sit productio similis vniuocè; sed secundùm proportionẽ: atq; adeo quantumuis crescat perfectio talis processionis, semper erit productiua similis intrà proprios limites similitudinis proportionalis.

310 *Resp. 2. Not. appetitiuum non constituere ex propria ratione gradum naturæ, sicut intellectiuum.*

Resp. 2. Dato absolutè, quòd volũtas sit productiua similis, sicut intellectus; notandum esse primo, quod hoc interest inter intellectiuũ, & appetitiuũ, quòd appetitiuũ non constituit ex propria ratione aliquẽ gradum naturæ in genere entis, sicut intellectiuũ, sed solùm potentiam, aut inclinationem consequentẽ ad gradũ iam constitutũ per aliã rationem priorem, quod expresse fatetur D.Th. p.p.q. 78. art. 1. ad 2. quod consonat ijs, quæ dixerat antea q. 19. art. 8. vbi docuit, Deum nostro modo intelligendi in re fundato, non esse causam rerũ eodẽ modo per intellectũ, & voluntatẽ; quoniam per intellectũ est causa, tanquã per suum esse, in quo cõtinetur effect⁹; per voluntatẽ verò est causa, tanquã per inclinationẽ ad faciendum id, quod intellectu conceptum est.

311 *Species intelligibilis, qua informatur intellectus: non præsupponit aliã formam; at inclinatio nõ habet rationem formæ primæ.*

Nota 2. hoc esse discrimen inter intellectũ, & voluntatẽ, quod species intelligibilis, quæ est intellectui ratio agendi, non præsupponit aliã formam, ad quã cõsequatur, sed est prima in suo ordine; sed inclinatio potẽtialis, quæ est voluntati ratio agẽdi, nõ habet rationẽ formæ primæ, sed secundùm se præsupponit naturã ad quã consequitur, & ipsam bonitatẽ obiecti, & vt exeat in actum secundũ, supponit formam obiecti appræhensam, & ipsam speciẽ, quæ fuit principiũ appræhensionis. Nota 3. ex hoc sequi, quod ea, quæ assimilantur per intellectũ, assimilantur in eo, quod habet rationẽ primę formę, & quasi naturæ: ea verò, quæ per voluntatem, tantùm assimilantur per modum inclinationis, & in aliquo, quod consequitur naturã, & habet rationẽ secundæ formæ intellectualis. Ex quo rursus sequitur, quòd assimilatio per intellectũ potest sortiri rationẽ generationis, quia tãtùm potest crescere in perfectione intra proprios limites, quòd sit assimilatio in prima forma habente rationẽ naturę, assimilatio verò per voluntatẽ non potest id habere, quia quantumuis crescat, nunquam est assimilatio in eo, quod habet rationem primæ formæ, & naturæ, sed in inclinatione, quę primam formam, seu naturam consequitur.

312 *Resp ad obiect. licèt voluntas, & intellectus producant simile: terminans voluntatis nõ est similis in eo, quod habet rationẽ primæ formæ.*

Quibus positis Resp. argumento, conced. intellectum, & voluntatem in hoc conuenire, quòd vtrumque producit simile principio in eo, quod fuit ratio agendi, sed differunt in modo talis similitudinis, qui terminus intellectionis est similis in eo, quod habet rationem primæ formæ, & quasi naturæ. Terminus verò voluntatis est similis in eo, quod habet rationem inclinationis, ex quibus duabus processionibus prior potest sortiri rationem generationis, non vero posterior; quia tantùm potest crescere prima in perfectione, vt species qua intellectus constituitur in actu, sit ipsa natura intelligentis, vt habet rationem naturę, vt patet in Deo, in quo essentia secundùm gradum intelligibilitatis, qui est formalissimè ipsa Dei natura, habet rationem speciei. Instabis. etiam inclinatio, per quam constituitur voluntas diuina in actu primo, est formaliter ipsa Dei natura. Resp. non esse naturam per modũ naturæ, sed inclinationis, quæ consequenter se habet ad naturam. Ad Confirm. huius argumenti quinti patet ex dictis.

313 *6. Obiectio.*

Arg. 6. quia si Spiritus S. ex vi suæ processionis nõ procedit, vt similis suo principio, ergo procedit, vt nõ similis. Cõseq. est falsum, nam absurdũ est dicere, quod in Deo procedat aliquid, quod nõ sit simile ipsi Deo. Et Conseq. prob. quia non est dare medium

inter

inter simile, & non simile, & etiam tenet consequentia per locum dialecticum, variato prædicato penès finitum, & infinitum. Resp. Spiritum S. ex vi suæ processionis secundùm rationem formalem, & ratione differētiæ propriæ, nec procedere, vt similem, nec vt non similem, in natura, sicut homo ex vi suæ generationis, nec est albus, nec non albus; illa autem maxima dialectica fallit in propositionibus reduplicatiuis, quoniam in illis variatur appellatio inter arguendum.

Resp. Spiritū S. ex vi suæ processionis nec procedere, vt similē; nec vt non similē.

314 *7. Obiectio.*

Arg. 7. & vltimò, processio diuina sua natura est diuinæ essentiæ communicatio, qua persona producens communicat eam productæ: ergo persona producens ex vi diuinæ productionis communicat essentiam personæ procedenti; sed Pater, & Filius spirant Spiritum S. ergo ex vi spirationis recipit Spiritus Sanctus naturam diuinam. Confirm. quia quòd Spiritus Sanctus procedit similis de facto, vel conuenit processioni illius per se, vel secundùm suam rationem formalem, vel tantùm accidentaliter: non secundum, aliàs enim per accidens esset, Spiritum S. esse Deum; ergo primum: tunc sic, ergo esse productiuam similis conuenit illi ex ratione generica, vel specifica, atque adeò ex propria vi, & ratione erit cōmunicatiua naturæ: Patet vltima Conseq. quia nihil conuenit per se, & essentialiter, nisi ratione illorū graduum.

Resp. Processionem diuinam esse communicationem diuinæ essentiæ: abstrahendo, vel per modū inclinationis, vel naturæ.

Resp. concl. Ma. processio enim diuina verè est cōmunicatio diuinæ essentiæ, abstrahendo ab hoc, vt fit communicatio per modum naturæ, vel inclinationis ex propria ratione specifica, vel ratione adiuncti. Vndè concedimus etiam Conseq. scilicet, Patrem, & Filium communicare Spiritui S. naturam diuinam ex vi suæ processionis, per modum quidem inclinationis, non tamen per modū naturę, vel ex vi suę processionis, includendo vtramque differentiam, scil. propriam, & ex adiuncto. Ad Confirm. Resp. quòd processioni Spiritus S. non conuenit per se, & formaliter, quòd sit productiua similis in natura, si ly *formaliter, & per se*, solùm importet ea, quæ illi conueniunt secundùm propriam latitudinem; si verò ly *formaliter*, importet formalem identitatem, quam ipsa processio, & volitas diuina habet cum essentia, & natura diuina, vt sic, formaliter habet, quòd sit productiua similis in natura: atque adeò non sequitur, quòd conueniat illi per accidens, quia licet conueniat extra differentiam propriæ latitudinis, tamen non est simpliciter, & omnino extra rationem formalem illius processionis, si ratio formalis sumatur secundo modo.

315 *Instabis.*

Instabis, quòd per se conuenit alicui, aut conuenit ratione generis, aut ratione differentiæ; secùs autem conuenit accidentaliter, ergo.

Resp. quòd sicut incarnationi conuenit per se secundò, vnire diuinitatem humanitati: ità processioni Spiritus S. esse productiuam similis.

Resp. quòd sicut Incarnationi non conuenit accidentaliter, sed per se, saltim secundo vnire diuinitatē humanitati, licet id non habeat ex propria vi, & ratione alicuius differentiæ propriæ, sed ex eo, quòd diuinitas est idem formaliter cum personalitate Verbi, & illi per se vnita & consecratio terminatur etiam per se secundo ad animam Christi, non quidem ex vi propria, & ratione differentiæ formalis, sed ex eo, quòd anima Christi est per se vnita corpori, vnde etiā anima est per se in Sacramento, & non per accidens. Ità similiter processioni Spiritus Sancti conuenit per se esse productiuum similis in natura, non quidē ratione differentiæ intrinsecę, sed ratione extrinsecæ sumptæ ex adiuncto, quod sufficit. Cuius ratio est, quia differentiæ intrinsecæ, & propriæ illius processionis per se conuenit, & non per accidens, quòd sit formaliter idem cum natura diuina. Quod alio exemplo potest declarari: Si enim calori per se conueniret subordinari formæ substantiali viuentis, per se produceret carnem; & tamen hoc non conueniret tunc calori ratione differentiæ intrinsecæ propriæ speciei precisè sumptæ; sed vel ratione extrinsecæ præcisè, vel ratione intrinsecæ, vel per se subordinatę subiecto, à quo sortitur aliam differentiam extrinsecam.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum sint plures processiones in diuinis, quàm duæ.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Duæ tantum sunt processiones in diuinis. Prob. quot sunt actiones immanētes in diuinis, tot sunt processiones; Quia processiones in diuinis non possunt accipi, nisi secundùm actiones, quæ manent in agente; sed duæ tantùm sunt actiones immanentes in Deo, scil. intelligere, & velle; ergo. Mi. prob. nam alia actio immānens est ipsum sentire; sentire verò est extra naturam intellectualem, & non est totaliter remotum à genere actionum, quæ sunt ad extra.

Arg. 1. Sicut Deo attribuitur intellectus, & voluntas, ita attribuitur potentia, ergo ponenda est alia Processio. Resp neg. Conseq. quia Potentia non est principium actionis manentis in agente, sed in aliud, propterea potentia est principium actionis ad extra.

Arg. 2. Bonitas maximè videtur esse principium processionis, quia bonum est diffusiuum sui; ergo. Resp. neg. Antec. quia bonum non pertinet ad operationem, sed ad essentiam, & propterea secundùm bonitatem non ponitur in Deo alia processio præter processionem Verbi, & Amoris.

Arg. 3. In Nobis sunt plures processiones, quàm Duæ; nam in Nobis ex vno Verbo procedit aliud; ergo etiam in Deo, cùm eius virtus sit fæcundior. Resp. neg. Conseq. quia fæcunditas diuinę virtutis consistit in hoc, vt vnico actu omnia simul intelligat, & omnia simul velit; Vndè in Deo non est processio Verbi ex Verbo; nec Amoris ex Amore.

DISPVTATIO CLXIV.

An sint plures processiones in diuinis, quàm duę.

316 *Concl neg. de fide. Prob quia duę tantùm sunt personę productę processio .n passiuè sumpta identificatur cum persona procedente.*

Conclusio negatiua est de fide, sicuti de fide est, duas tantùm esse personas productas, seu procedentes, vt arguit S. Th hic in argumento, Sed contra, *Persona enim procedens constituitur intrinsecè in ratione talis person e per relationem procedentis; & processio passiuè sumpta identificatur adæquatè cum persona procedente; nihil enim aliud sunt processiones, nisi ipsæ personæ in produci, seu producere, ergo sicut personæ in producto esse realiter distinguuntur, ita etiam in produci, cùm oppositio relatiua ex qua in diuinis nascitur distinctio, tam sit inter personas in producto esse quàm in produci. Has duas processiones in diuinis expressè habemus in Scriptura; Nam secunda persona de seipsa ait Io. 8.* Ego ex Deo processi, & veni, *& eandem tertiam Spiritus Sancti personam vocat Io 15.* Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, *et præter has duas diuinas processiones, nullam alterius diuinæ personæ processionem legimus in Scriptura; Ergo non est temerè introducenda tertia processio. Vndè Concil. Constantinopolit. 1. in Symbolo, quo in missa vtitur Ecclesia, duarum tantùm processionum meminit, credens,* in vnum Filium Dei ex Patre natum, & in Spiritum S. ex Patre, *& vt deinde Romana Ecclesia add dit,* Filioque procedentē.

H e duæ processiones expressè habentur in scriptura.

317 *Prob quia processiones in diuinis accipi non possunt, nisi*

Rationem fundamentalem traditam in corp. huius art. explico hunc in modum. Posita fide diuinarum processionum simpliciter, hoc est, quòd simpliciter detur processio intra ipsum Deum, quod naturali lumine non probatur,

secundùm actionem, quæ in agente maneat.

batur, sed sola fide creditur, certum est, quòd processiones in diuinis accipi non possunt, nisi secundum actiones, quæ in agente manent. Quæ propositio sic non probatur, quia benè docuit Syluester p. p. Conflati qu. 27. art. 8. initio, eius ratio est euidens; *loquimur enim de processione diuina, quâ procedit persona diuina, quæ sit verè, & realiter Deus de Deo. Quâ ratione cogitari non potest, procedere aliquid per actionem transeuntem extra Deum, quo modo procedit creatura, cùm in vna simplicissima Dei natura fingi nequeat aliquis Deus extra Deum.* Sic enim, *vt probat S. Th. 4. contra Gen. c. 26. n. 2.* procedens non esset consentiale suo principio. *ergo processio diuina accipienda necessariò est per actionem in ipso Deo immanentem, qua procedat Deus intra ipsum Deum.* Huiusmodi autem actiones in natura intellectuali; & diuina, non sunt nisi duæ, scil. intelligere, & velle. *Neque maior ratio est, vt sit in Deo processio per actionem intelligendi potiùs, quàm per actionem volendi, vel è contra. Neque ex his duabus actionibus intelligi potest vna eiusdem rationis processio; ergo in diuinis processiones duæ sunt, & non plures, quia vt suppletur loco cit. cont. Gen.* possibile non est, quòd in Deo sit, nisi vna processio secundo intellectum, eo quod suum intelligere est vnum, & simplex, & perfectum. Similiter oportet, processionem amoris esse vnam tantùm, quia etiam diuinum velle est vnum tantùm, & simplex, *vt etiam ratiocinantur idem S. Th. de Potent. q. 9. art. 9. paulò post princip. corp. Henric. quodlib. 6. q. 1. littera X. Riccardus 1. d. 2. a. 2. qu. 2. corp. & alij passim.*

318 1. Obiectio.

Arg. 1. In Patre actio productiua Filij non differt realiter ab actione productiua Spiritus Sancti; ergo nec processiones passiuæ quibus producitur Filius, & Spiritus S. & quæ correspondent illis actionibus, erunt realiter distinctæ; sicut enim intelligitur in duabus personis, Patre, & Filio vna spiratio actiua Spiritus Sancti, ita poterit intelligi vna passiua processio Filij, & Spiritus Sancti à Patre.

Resp. esse disparem rationem, quia processiones passiuè sumptæ identificantur cum personis productis: quę sunt duæ: secùs est actio generandi, & spirandi in Patre.

Resp. nullam esse Conseq. & ratio disparitatis, quæ communiter affertur, est, quia processiones identificantur cum personis productis, quę sunt realiter distinctæ inter se, quia constituuntur per oppositiones relatiuas, actio autē generandi, & actio spirandi in Patre, sunt in vna persona simplicissima sine vlla oppositione relatiua ad se ipsam. Neque vrget exemplum adductum de spiratione, quia actio spirandi in Patre, & Filio est vna, eademque formaliter actio, nimirum voluntatis, vt formaliter voluntas est existens in duabus personis realiter distinctis; sed processiones passiuæ Filij, & Spiritus Sancti sunt diuersarum formalitatū, illa intellectus, vt est formaliter intellectus, hæc voluntatis, vt est formaliter voluntas. Neque etiam vrget correspondentia actionum cum passionibus, quam videmus in creatis, vbi tot sunt actiones, quot passiones; quia in his actio non differt realiter à passione; sed in diuinis actio, qua producitur persona, & processio passiua, quâ procedit, differunt realiter, sicut ipsæ personæ. In casu igitur nostro realis distinctio inter personas, & processiones quasi passiuas, non oritur ex processione quasi actiua, sed ex oppositione relatiua, quam vna persona habet cum alia. Quę quidem vera simpliciter sunt, sed non plenè satisfaciunt propositæ difficultati; quia præcisè stat vis in eo, quod sicut processio actiua intelligendi, & volendi est formaliter vna, & in vna persona Patris generantis, & spirantis absque vlla oppositione relatiua in ipso Patre, quatenus generante, & spirante; ità pariter huic correspondeat processio passiua intelligendi, & volendi; quæ sit vna formaliter, & in vna persona genita, & spirata, absque vlla oppositione relatiua intrà ipsammet personam, quatenùs genitam, & spiratam.

In creatis actio, & passio realiter fortè non differt, secùs est in diuinis.

319 Intellectus, & voluntas; ità virtualiter distinguuntur, vt ex proprijs meritis debet prius ordine originis procedere terminus intellectus; quàm voluntatis.

Ideò addendum cum S. Th. suprà art. 3. ad 3. intellectum, & voluntatem, etiam in Deo, saltem virtualiter ità distingui, vt ex proprijs rationibus non possit ab illis procedere aliquid, nisi ordine quodam originis præcedat processio Verbi per intellectum, & deindè sequatur processio amoris per voluntatem: ità vt ad amoris processionem non solùm concurrat ipsa voluntas, sed etiam Verbum in intellectu præconceptum; quia inquit S. Th. nihil potest voluntate amari, nisi sit in intellectu conceptum; & de ratione amoris est, quod non procedat, nisi à conceptione intellectus. *Quòd in intellectu, & voluntate Dei est magis clarum, quàm in intellectu, & voluntate creaturæ; quoniam in Deo præcedit processio Verbi perfectissimi, habentis eandem omninò naturam, quam habet persona producens, ac proindè eandem voluntatem fœcundam. Quo fit, vt in posteriori origine neque esse, neque intelligi possit processio amoris à persona productiua Verbi, & non etiam ab ipsamet producta Verbi persona; cum in creaturis Verbum imperfectum, ac proindè non habens in se realiter naturam principij sui, non possit ad productionem amoris hoc modo concurrere, sed solùm præcisè in pura intelligendi ratione, secundùm diuersas opiniones, nempè, vel coefficiendo cum voluntate, vel, quod probabiliùs, & communiùs est, proponendo, ac repræsentando obiectum, seu bonum, cuius amorem producit voluntas.*

320 In diuinis est vnum producens simul per intellectū, & voluntatē, sed duo producta.

Disparitas igitur cum in diuinis esse possit vnum producens, quod sit simul generans per intellectum, & spirans per voluntatem, non autem vnum productum, quod sit simul genitum per intellectum, & spiratum per voluntatem, est, quia in producente ita sunt duæ processiones actiuæ, vt inter eos nulla sit passiua processio vnius ad alia, & consequenter nulla oppositio, nulla distinctio: sed in producto ita sunt duæ passiuæ processiones, vt processio amoris sit à processione Verbi, seu, quod idem est, vt amor procedens non solùm procedat à Patre, vndè procedit Filius Verbum, sed etiam ab ipsomet Filio Verbo: cum qua processione, & relatiua oppositione inter amorem procedentem, & Verbum producens, stare non potest identificatio Amoris, ac Verbi, seu passiuæ processionis amoris, & processionis passiuæ Verbi.

321 2. Obiectio.

Arg. 2. Vnica processio est simpliciter infinita; ergo exhaurit totam producendi virtutem, quæ est in Deo; ergo non possunt dari duæ processiones.

Resp. vnā processionē sumptam identice, ratione essentiæ, esse simpliciter infinitā, non vero formaliter; sed in proprio genere.

Resp. vnam processionem sumptam identicè, ratione essentiæ simpliciter infinitæ, esse simpliciter infinitam: Sumptam verò formaliter, quatenus est præcisè processio Verbi per intellectum, & processio amoris per voluntatem, non esse infinitam nisi in sua propria ratione, nimirum, vel generationis passiuæ, vel passiuæ spirationis. Sub qua proprietate, ac formalitate, vna processio non potest exhaurire totam virtutem, & actionem Dei producentis. Quam solutionem sic magis explico: Actio illa Dei simplicissima, quâ Filius, & Spiritus S. producuntur, habet virtutem actionis intellectus, & simul actionis voluntatis, ita vt non minus possit facere propter hanc identificationem, quàm si esset in illas duas actiones à parte rei distincta. Adæquatus igitur terminus illius actionis diuinæ, simpliciter sumptæ, est Filius, & Spiritus S. sumptæ verò formaliter, & præcisè solùm, vt intellectionis est Filius, & solùm vt volitionis, & Spiritus S. Præterea sicut in vna simplicissima actione distinguimus ratione duas actiones, alteram intellectus, alteram voluntatis; ita etiam possumus distinguere simplicissimam infinitatem illius actionis in duas infinitates, alteram in genere intelligendi, alteram in genere volendi, & dicere, Filij productionem requirere infinitatem in primo genere, productionē Spiritus Sancti requirere infinitatem in secundo genere, non autem infinitatem absolutè, & simpliciter in omni genere; quapropter si per impossibile actio diuina esset reipsa infinita in genere intellectionis, non in genere volitionis: adhuc produceretur Filius, & non Spiritus Sanctus.

322 Adæquatus terminus actionis diuinæ, vt sic: est filius, & Spiritus S. sumptæ verò, vt intellectionis, est tātùm filius.

323 3. Obiectio.

Arg. 3. in nobis procedant plura verba, & plures amores; ergo multò magis in Deo, in quo est multo maior fœcunditatis virtus.

Resp. esse disparem rationem, quia Deus infinito, ac simplicissimo actu omnia intelligit.

Respondet optimè S. Th. hic ad 3. Disparitatem esse, quia Deus ob virtutem intelligendi, & volendi, simpliciter infinitam, vno simplicissimo, ac perfectissimo actu, intelligendo, & volendo seipsum, omnia alia simul intelligit, & vult; vt clariùs docet 4. contr. Gen. cap. 26. num. 2. Vndè oritur, vt vnius intellectionis diuinæ vnicum sit, & infinitum, atque adæquatum Verbum, &

vnius

vnius volitionis vnicus Amor infinitus, & adæquatus. Et in hoc, inquit S. Th. hic ad 3. eius perfecta fæcunditas manifestatur. At vero creaturæ, sicut ob imperfectionem nunc intelligunt, & volunt hoc, & postea aliud obiectum, ità ob eandem imperfectionem producunt successiuè plura verba, & plures amores.

Creaturę vero, nunc volũt hoc, postea aliud obiectũ.

Quod de Verbo diuina Sapientissimè docuit Athanas. de Decretis Nicenæ Synodi, paulò ante med. cùm Eusebium, & Arium dicentes, Multa verba profert Deus, vocat stultos, quia Deum ita inducunt loquentem, quasi qui priora verba posterioribus mutet; & quasi vnum ex Deo Verbum non sufficiat, quod vniuersam mundi, ex voluntate Patris creationem, curamque, & prouidentiam sustineat. Si enim Deus multa verba loquitur, hoc ipsum indicio est, in omnibus eius verbis esse quandam imbecillitatem, ac proinde singula quæque ab eo repudiari, & aliud semper nouum requiri. Contra autem, si vno Verbo vtatur, & reuera vtitur, id & eius potestatem, & Verbi ex eo nati perfectionem declarat. Et eadem ratio est de vnitate diuini amoris.

324 An vbi est vnicum simplicissimum intelligere; ibi sit vnicum verbum?

Hæc ratio, qua probatur, non posse in diuinis plures processiones eiusdem rationis, v. g. duas generationes, vel duas spirationes, immeritò dicitur à Scoto, vt refert, & sequitur Rada controuers. 9. art. 2 post tertiam conclusionem, consequentia enthymemata, hoc est fundata in hoc falso principio, Vbi non potest esse, nisi vnicum intelligere, ibi non potest esse, nisi vnicum dicere, & vnicum Verbum. Volunt igitur, hoc principium esse verum in creaturis, in quibus, omne intelligere, seu omnis intellectio exprimitur per dicere, seu per dictionem, & est intrinsecus dictionis terminus, sicut calor calefactionis, & ideò si est vnum intelligere, est vnicum dicere, per quod producitur. Falsum verò in diuinis, in quibus non omne intelligere est per aliquod dicere; nam intelligere paternum, inquiunt, est notitia improducta, præcedens natura dicere paternum. In formali autem consequentia ex vnitate prioris, non infertur vnitas posterioris; quia cum pluritate posterioris, stat vnitas in priori; v. g. cum pluralitate actuum intelligendi, volendi, &c. stat vnitas intellectus, & voluntatis, &c. & cum pluralitate creabilium, & generabilium stat vnitas Dei creantis omnia, & Solis omnia sublunaria generantis.

Opinio Scoti negatiua refertur, & eius 1. fundamentum.

325 2 Fundamentum.

Præterea ità arguit secundò Rada, Non est bona, & formalis consequentia, est vnica essentia, ergo vnica productione communicatur, ergo similiter non est hæc formalis consequentia, & vnicum intelligere, ergo vnicum dicere.

Per hæc autem nihil minuitur vis optimæ rationis, quæ non solùm est S. Thomæ; sed etiam S. Athanasij, vt supra. Primò igitur diminutè refertur principium, in quo fundatur illa consequentia enthymematica; quod quidem ex verbis S. Thomæ relatis supra paulò post princip. disput. ita est integrè assumendum: Vbi est vnicum, & simplicissimum, & perfectissimum intelligere, ibi non potest esse, nisi vnicum dicere, & vnicum verbum. Hoc principium, vt vel ex ipsis terminis patet, nullo modo habere potest locum in creaturis, sed in solo Deo, cuius duntaxat increatus intellectus est purissimum, & actualissimum intelligere, vnicum, & simplicissimum, & perfectionis omninò infinitæ.

Vera Doctrina D. Th. adstruitur. nam in Deo tãtùm hoc principiũ locum habere potest.

Euidens autem est, quòd si hic intellectus dicit verbum, non potest non dicere simplicissimo, ac perfectissimo modo; quo sanè modo non ageret, si pluribus dictionibus plura verba proferret; hinc enim manifestè sequeretur, vt arguit Athanasius supra, in omnibus eius verbis esse quandam imbecillitatem. Contra verò si vno verbo vtatur, id & eius potentiam, & Verbi ex eo nati perfectionem declarat. Explicata, ac probata veritate principij; ad eius impugnationem nego, quòd intelligere paternum præcedat natura dicere paternum; nam dicere in Deo non est aliquis actus, ne mentaliter quidem, distinctus ab intelligere, neque est aliqua intelligendi actio ab intellectu Patris in ipso Patre procedens, sed est ipsemet intellectus paternus, inquantùm formaliter est vltima, ac formalis, & distincta actualitas producendi verbum, esto etiam ponatur cum Scotistis dicere paternum distinctum ab intelligere paterno, tanquàm quid posterius à suo priori, adhuc per formalem consequentiam ex vnitate talis prioris, nimirum perfectissimè loquentis per summam necessitatem naturæ, infertur necessariò vnitas posterioris dictionis, & verbi.

Intellectus n. creatus dicit Verbum; sed non simplicissimo, ac perfectissimo modo.

Quarè cum dicitur pluralitas posterioris stare cum vnitate prioris, id falsum est, quando prius agit perfectissimo, & naturalissimo modo, quantùm potest absque vllo prorsus impedimento, quo modo se habet intellectus Dei Patris dicendo, siue exprimendo Verbum suum: & non se habet Deus liberè creando: nec Sol generando ex necessitate naturæ, sed modo imperfecto per dependentiam à motu suo, à subiecto extrinseco, eiusque dispositionibus, & præsentia, & similibus, vndè prouenit pluralitas in posterioribus effectibus. Similiter ex imperfectione intellectus creati, & creatæ voluntatis oritur, vt indè per plures dictiones plura verba, & per plures spirationes proueniant plures amores.

326 Quando prius agit perfectissimo modo pluralitas posterioris non potest stare cum vnitate prioris. Ad 1. Resp.

Ad secundum Radæ negatur illa similitudo, quæ solùm vim haberet contra opinionem Durandi de immediata processione diuinarum personarum ab essentia præscindente ab intellectu, & voluntate: Tunc enim sicut non valeret, est vna essentia, ergo vna processio ab essentia; ità pariter non valeret, est vnus intellectus, ergo vna dictio vnius Verbi. Itaque in contraria sententia, quæ est etiam arguentis, disparitas manifesta est, quia de facto ab essentia, vt præcisa ab intellectu, nihil procedit, & si procederet talis processio non posset esse, nisi vnica, & vnius formalis rationis. At verò à diuino intellectu quatenus formaliter intellectu, immediatè procedit Verbum, quod propterea non potest esse, nisi vnicũ expressum per vnicam dictionem. Et idem de Amore immediatè procedente à voluntate.

327 Ad 2. Resp. nõ valere, est vnus intellectus; ergo vna dictio vnius verbi.

Confirm. vlteriùs ratione ducente ad impossibile, quam latè explicat Rada supra, & expressè sumitur ex Basil. loco supra citato, quia in diuinis, si essent dictiones, vel spirationes plures, quàm vna, esse deberent actu infinitæ, quod est absurdum. Sequela patet; quia nulla prorsus maior ratio in casu nostro cogitari probabiliter potest, quod vnum infinitum principium, quod per primam productionem non est exhaustum, siuè adæquatum, & propterea processit ad secundam productionem eiusdem rationis, cum prima; sit exhaustum per secundam productionem, vel per tertiam, vel per quamlibet aliam productionum multitudinem finitam.

328 Confirm. ratione ducente ad impossibile.

Hanc rationem non obscurè tangit, etiam August. lib. 3. contr. Maximin. cap. 12. fine, nam cùm ille diceret, potentiam Filio futurum Patrem, si Pater, & non Filius generasset, ita probat August. absurdum esse, Filium quoque generare; immoderata enim esset diuina generatio, si genitus filius nepotem gigneret Patri, quia & ipse nepos, nisi auo suo pronepotem gigneret, secundùm vestram mirabilem sapientiam impotens diceretur. Similiter etiam ille, si nepotem non gigneret auo suo, & pronepotem proauo suo, non à vobis appellaretur omnipotens: nec impleretur generationis series, si semper alter ex altero nasceretur; nec eam perficeret vllus, si non sufficeret vnus omnipotens.

Hęc ratio traditur à D. Augustino.

QVAEST.

QVÆST. XXVIII. D. TH.

De relationibus diuinis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in Deo sint aliquæ relationes reales.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Relationes quædam sunt in diuinis realiter. Prob. Relationes, quæ sunt inter ea, quæ ad inuicem secundùm suã naturam ordinantur, & ad inuicem habent oppositionem, sunt reales, sed relationes diuinæ, sunt huiusmodi, ergo. Ma. prob. quia hoc distinguunt ea, quæ ad inuicem ordinantur secundùm suam naturam ab ijs, quę ordinantur ex opere intellectus conferentis, & comparantis vnum ad alterum; quod illi respectus sunt reales, vt generans ad genitũ; isti verò rationis, vt species ad genus. Mi. prob. quia processiones in diuinis sunt penes hoc, quod aliquid procedit à principio eiusdẽ naturæ.

Arg. 1. Ea, quæ sunt realiter in Deo possunt prædicari de Deo; sed relationes non possunt prædicari de Deo teste Boet. in lib. de Trin. ergo. Resp. dist. Ma. quæ sunt in Deo absoluta, possunt prædicari de Deo, conc. Ma. quæ sunt in Deo relatiua, nego; relatiua enim prædicantur de personis.

Arg. 2. Relatio eiusdẽ ad seipsum non est realis, cùm omnis relatio realis exigat duo extrema; sed relationes, quæ sunt in Deo, sunt eiusdem ad seipsum, ergo. Resp. dist. Ma. Relatio, quæ est eiusdem ad seipsum simpliciter non est realis, conc. Ma. Relatio, quæ est inter ea, quæ numero distinguuntur, non est realis, neg. diuinæ .n. personæ distinguuntur numero, propterea inter ipsas est relatio realis.

Arg. 3. Relatio principij in diuinis non est realis, quia in Deo ratio principij creaturarũ non est realis: sed relatio Paternitatis est relatio principij; ergo. Resp. dist. Ma. Relatio principij ad creaturas in diuinis, non est realis, conced. Ma. Relatio principij ad personas procedentes, neg. cùm relatio realis sit inter ea, quæ ad inuicem habent naturalem ordinem, qui reperitur inter personas; non verò inter Deum, & creaturas.

Arg. 4. Relationes, quæ consequuntur opus intellectus non sunt reales, sed rationis: sed Paternitas, & Filiatio Verbi consequuntur in diuinis opus intellectus; ergo. Resp. dist. Ma. Relationes, quæ consequuntur opus intellectus, in rebus intellectis, sicut opus, quo intellectus coniungit simul hominem cum albedine, dum dicit, homo est albus; & consequitur relatio subiecti, & prędicati, est rationis, conced. Ma. quę consequuntur opus intellectus, in ipso intellectu, neg. intellectus .n. intelligendo format Verbum, & huiusmodi relationes intellectus, & Verbi, quod procedit, est realis, & sic sunt diuinæ relationes.

DISPVTATIO CLXV.

Vtrum in Deo sint aliquę relationes reales.

329 Concl. affirm. Prob 1. quia datur in Deo productio distinctarum personarum.

Respondet D. Th. affirmatiuè, quam sententiam in 1. dist. 26. q. 2. art. 2. dicit esse certam apud omnes Catholicos, & quæst. 8. de Potent. art. 1. dicit esse de fide, vt communiter etiam fatentur Doctores, & citantur pro ea aliqua Concilia a Suar. lib. 5. de Trin. cap. 1. & Vasq. hic disp. 114. & alijs, rationem veluti connaturalem affert D. Th. hic, quia datur in Deo ad intra vera processio, & productio distinctarum personarum, quæ sunt eiusdem ordinis diuini, & increati inter se; ergo debet inter has personas dari relatio producentis, & producti, sunt producens, & productum in creaturis dicant relationem realem ad inuicem. Quòd vero Deus, vt creator non dicat relationem ad creaturas a se productas ex eo est, quia Deus non est eiusdem ordinis cum creaturis, & talis relatio diceret in Deo imperfectionem, vt communiter traditur in Philosophia.

330 Prob. 2. quia certum est dari distinctionem personarum in diuinis; hęc autem nõ potest esse per aliquid absolutum.

Probat secundo eandem veritatem D. Th. quæst. cit. de Potent. quia certum est secundum fidem, in Deo esse tres personas realiter inter se distinctas, licèt vnius essentiæ, & naturæ, hæc autem distinctio non potest esse formaliter per aliquod absolutum, quia absoluta sunt communia omnibus personis, sicuti & natura, ergo debet esse secundum aliquam relationem, & quia hæc distinctio est realis, erit etiam talis relatio realis, alioqui Pater, & Filius sola ratione distinguerentur, quod esset hæresis Sabelliana. Demum alij confirmant, quia ex sacris litteris habemus, hæc nomina in diuinis, nempè Patris, & Filij, quæ accipienda sunt in vero sensu; vt sic autem important ordinem, & relationem vnius ad alium, qui ordo non potest esse solius rationis, vt constat ex absurdis, quæ sequerentur; erit ergo realis, & sic dabitur relatio realis in Deo inter personas.

331 Differentia propria prædicam. relationis, est esse, ad nam esse in, cõuenit alijs.

Secundo rectè etiam docet D. Th. quod differentia propria huius prædicamenti est esse, ad, nam esse, in, conuenit etiam alijs prædicamentis. Item docet, quod hoc esse, ad, in relatione interdum est in rebus ipsis, & tunc est reale, interdùm verò tantum in ratione, nunquam tamen docuit, neque ex eo sequitur, quod esse, ad, in relatione reali nullam dicat perfectionem, sed potiùs contrarium expressè ex ipso inferri potest, cùm dicat esse, ad, in relatione reali esse à parte rei, & nõ solùm in ratione, & consequenter esse reale, & sic dicere aliquam perfectionem, sed de his pauca hæc sufficiant.

Propriè relationes diuinę, nec sunt prędicamentales; nec trascendentales.

Similiter hic aliqui quærere solent, an relationes diuinæ secundum esse, ad, sint prædicamentales, an transcendentales, quæ in re puto dicendum propriè neutrũ esse; primum quidem, quia nil increatum ponitur in prædicamento, vt communior est opinio, maximè cùm relationes diuinæ sint essentialiter substantiales. Secundum, quia non dicunt, vllam dependentiam à suis terminis, neque habent causas, quarè diuinæ relationes præscindunt ab omnibus imperfectionibus, quas habent relationes creatæ, dicunt tamen esse, ad, suo modo, in quo sunt similes nostris relationibus.

332 In Responsionibus ad duo priora argumenta explicat D. Th. duos text. ex Boet.

Demùm in responsionibus ad duo priora argumenta explicat D. Th. duos textus ex Boetio, qui videntur esse contrarij doctrinæ positæ, & quidem responsio ad secundum facilior est, quòd scilicet Boetius voluerit, relationem Patris ad Filium esse relationem identitatis, non quidem sicuti eiusdem ad seipsum, quæ est relatio rationis, sed sicuti eorum, quæ sunt eadem in essentia, aut natura, vt duorum hominum, quæ est relatio realis. Sed responsio ad primum difficilis est; dicit enim Boet. quod quæ prædicantur de Deo, & in nobis, pertinent ad aliquod prædicamentum, præter relationes, & dicuntur de Deo substantialiter, licèt in nobis dicantur accidentaliter, v. g. Deus est magnus, & immensus per substantiam, est sapiens, & intelligens per substantiam, &c. at verò subdit, ad aliquid vero, *idest relatio,* omnino non potest prędicari de Deo, *quasi dicat neque substantialiter, neque vllo modo prædicatur relatio de Deo. Vndè videtur inferri,*

quòd

quòd non sit in Deo relatio, nam si esset, prædicaretur de ipso aliquo saltem modo.

333 Boetius considerauit relationem solùm secundùm esse, ad.

Responsio autem D. Th. hæc est, quòd Boetius considerauerit relationem solùm secundùm esse, ad non autem secundùm esse, in, eo autem pacto dicatur, non prædicari omnino de Deo, quia non prædicatur, vt inexistens in illo, sed vt ad aliud inferens, vt explicat D. Th. art. seq. ità vt particula illa, omninò, non significet, quòd nullo modo prædicetur, sed quòd non prædicetur omni modo, quo potest relatio secundùm se prędicari de Deo Vrgebis. hoc pacto, neque omnino relatio prædicatur de nobis. Resp. verum quidem esse, neque Boetium voluisse ostendere differentiam inter relationes nostras, & diuinas quòad hoc, sed inter relationes, & alias perfectiones, quæ prædicantur de Deo essentialiter, & vt inexistentes in ipso, cùm relatio secundùm esse, ad, non prædicetur vt inexistens, sed vt referens ad aliud, licèt re vera implicitè dicat, esse inexistens.

Boetius ostẽdit differentiã inter relationem, & cæteras perfectiones diuinas.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum relatio in Deo sit idem, quò d sua essentia.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COnclusio, relatio realiter existens in Deo, est eadem diuinæ essentiæ secundùm rem; distincta verò secundùm rationẽ. 1. Pars. prob. illud, quod in creaturis habet esse accidentale, in Deo translatum habet esse substantiale; quia nihil est in Deo, vt accidens in subiecto: sed relatio in creaturis habet esse substantiale; ergo. 2. Pars prob. quia relatione importatur respectus ad suum oppositum, qui non importatur nomine essentię.

Arg. 1. relatio non dicitur in Deo secundùm substantiam, Aug. 5. de Trin. ergo. Resp. dist. Antec. relatio non dicitur in Deo secundum substantiam, idest secundùm modum prædicandi substantiæ, quia substantia, est res absoluta, conced. Antec. relatio verò nõ importat habitudinẽ ad alterum, secundùm substantiam, idest secundùm modum esendi substantię, neg. Antec. relatio enim in Deo habet ese substantiæ.

Arg. 2. Omnis res, quę relatiuè dicitur, est etiam aliquid, excepto relatiuo, Aug. 7. de Trinit. ergo. Resp. dist. Antec. in Nobis est aliquid aliud realiter distinctum, concedo; In Deo verò non est alia res, sed vna, & eadem, quæ non perfectè exprimitur nomine relationis.

Arg. 3. relationi conuenit esse ad aliud, imo eius esse est aliud se habere; hoc autem repugnat perfectioni diuini esse, cùm sit per se subsistens, & absolutisimum; ergo. Resp. neg. seq. quia si essentia diuina nullam perfectionem contineret, nisi id, quod contineret nomine relatiuũ, verum esset, quòd eius esse esset imperfectum, vt pote solùm ad aliquid aliud se habens; sed quia diuinæ essentię perfectio est maior, quàm quòd significatione alicuius nominis compręhendi possit; non sequitur, quòd si nomen relatiuum, vel quomodocumque aliud nomen dictum de Deo non significat aliquid perfectum, quod diuina essentia habeat esse imperfectum, quia diuina essentia compręhendit omnium generum Perfectiones.

DISPVTATIO CLXVI.

An relatio in Deo sit idem cum sua essentiæ.

334 Concl. non distinguitur realiter; sed ratione. 1. pars prob. nam si distingueretur realiter, deberet illi assistere.

PRima Conclus. D. Thom. est, relationem in diuinis non distingui realiter ab essentia. Secunda, distingui tamen ratione. Primam hoc modo declarat, & probat; si distingueretur realiter, deberet esse illi assistens, sicuti vestis corpori, non enim posset in illa esse, vt accidens in subiecto, aut vt forma in materia, maximè si consideretur secundùm esse, ad, secundùm quod præcisè, & explicitè non dicit ordinem ad subiectum, hoc autem esset incidere in opinionem Gilberti Porretani ab eodem retractatam, & damnatam in Concil. Remensi.

335 2. Pars prob. quia essentia diuina vt sic, non dicitur ad aliud.

Secunda Conclusionem sic probat, quia essentia diuina vt sic, non dicitur ad aliud, nihil enim illi opponitur, ad quod dicatur relatiuè; at verò relatio secundùm propriam rationem dicitur ad aliud, & sic distinguitur ratione ab essentia; quod verò ex occasione hic docet D. Thom. quòd relatio in creaturis considerata præcisè secundùm esse, ad, est assistens, non est sensus, quòd re vera esse, in, & esse, ad, in relatione distinguantur realiter, & quod esse, ad, non sit re ipsa inherens, sed extrinsecè assistens rei relatæ, id enim esset omninò falsum, & vix intelligibile; sed quòd relatio secundùm esse, ad, præcisè, & explicitè vt sic, non consideretur in ordine ad subiectum, sed ad terminum, tanquàm aliquid non inhærens, sed veluti assistens subiecto, quod D. Thom. attulit ad ostendẽdum vndè deceptus fuerit Porretanus ad dicendum, quòd relationes diuinæ sunt extrinsecus assistentes in Deo. Non est hic disputandũ an in creaturis, distinguatur realiter à fundamento. *Circa hunc art. nullo modo est disputandum, an relatio in creaturis distinguatur realiter, an ratione à suo proximo fundamento, nihil enim id refert ad rem nostram; quamuis enim distingueretur realiter, non tamen sequeretur eodem modo distingui in Deo, sicutè nec sapientia, aut iustitia aut alia, quę in nobis realiter distinguuntur, debent ex hoc in Deo distingui realiter. Similiter circa errorem Porretani nihil ferè est addendum. Legi potest Suar, lib. 4. de Trinit. cap. 2. & Vasq. disp. 120. Solùm ergo restat aliquid dicendum circa opinionem Durandi, & Scoti de hac re.*

336 Opinio Durãdi.

Nam Durand. existimauit, relationem distingui realiter ab essentia diuina, non tamen ea perfecta distinctione, qualis esse solet inter rem, & rem, aut formam, & subiectum, sed ea minori, & diminuta, qualis esse solet inter modum, & rem, cuius est modus, cui videtur accedere Scotus, qui licèt hanc distinctionem relationis ab essentia non appellet realem, appellat tamen formalem à parte rei, sicuti loquitur de cæteris attributis diuinis, sed quantùm spectat ad Scotum, aliqui recentiores non immeritò aduertunt, fortè ipsum nõ existimasse suam illam distinctionem formalem esse maiorem, quàm sit apud D. Th. distinctio rationis ratiocinatæ, idest rationis obiectiua, circa quam mens nostra ratiocinatur; nam ipse Scotus in 1. dist. 2. quæst. 7. §. Sed hic restat. *Suam illam distinctionem formalem dicit esse virtualem, non actualem, & dicit esse distinctionem rationis.* 337 Opinio Scoti circà distinctionem ex natura rei, *Cæterùm Scoti sententia, prout primo modo à multis suæ Scholæ defenditur, difficilè impugnatur, qua sub illo nomine distinctionis formalis, & non realis, ita se tegunt, & protegunt, vt intelligi non possit quid subsit significationis illi vocabulo formalis distinctionis, necesse tamen est re vera, si aliquid intelligibile dicunt, eos coincidere cum opinione Durandi, & ita eodem modo, iisdemque argumentis impugnari debent, & solent. Videantur ea, quæ diximus tom. 1. quæst. 6. vbi hanc distinctionem impugnauimus.*

338 Dicẽdum est. Relationem, nulla ratione, distingui ab essentia actũ à parte rei;

Dicendum ergo est cum communiori, & vera sententia, relationem nulla prorsus ratione distingui ab essentia actu à parte rei, atque adeò realiter sumpto latissimè hoc nomine realis distinctionis pro quacumque actuali, & nemine cogitante, sed sola ratione cum fundamento tamen in re, atque adeò re ipsa virtualiter.

aliàs in Patre, v. g. daretur multiplicitas.

liter. Ita hic D. Th. & vniuersaliter de omni attributo diuino in ordine ad essentiam supra quæst. 3. quæ est de simplicitate Dei. Quod prob. 1. quia si Paternitas v. g. distingueretur actu, & nemine cogitante ab essentia diuina in Patre, esset in illo nemine cogitante, & actu multiplicitas, & pluralitas rationum realium inter se actu distinctarum constituentium vnam personam, nam vtraque ratio ex illis esset ratio realis, & actu ab alia distincta, ergo Pater à parte rei esset compositus ex pluribus rationibus realibus inter se actu distinctis quocumque demùm nomine appelletur hæc distinctio, dummodo sit in re ipsa actualiter, & consequenter non esset in Deo summa simplicitas, quod tamen esse videtur contra fidem, Deum enim esse summè simplicem, definitum est in Concil. Lateran. cap. firmiter de Summa Trinit. & est communis sententia Patrum, quos citat Suar. lib. 4. de Trinit. cap. 4. & sup. Tract. 1. de Deo lib. 1. cap. 11. & in Metaph. disp. 30. sect. 6. Vasq. hic disput. 116. Valent. disput. 2. quæst. 13. pun. 1. & alij communiter in quæst. 3. huius primæ partis.

339
Aliorum Ratio cõfutatur.

Confirm. ab aliquibus ex eodem Concil. C. damnamus, vbi negatur, essentiam diuinã esse quartã rem in diuinis, ex quo videtur inferri, essentiam non esse actu distinctam à relationibus, & ex Florent. sess. 18. & 19. vbi dicitur relationes sola ratione distingui ab essentia, & cum ea esse idem realiter, & quamuis, vt benè aduertit: Molin. hic disp. 2. illa non fuerit definitio Ecclesiæ; alioqui res in terminis esset de fide: sed disputatio facta à quodam doctissimo viro Ioanne agente partes Latinorum circa processionem Spiritus Sancti: non potest tamen negari, argumentum esse magni momenti; videtur enim Concil. talem disputationem integram approbasse; atque hoc argumentum ex diuina simplicitate est in hac re præcipuum.

340
Prob. 2. si relatio à parte rei esset distincta ab essentia, deberet esse aliqua entitas realis, quæ non esset Deus.

Huic addi solet secundum argumentum hac ferè ratione. Si relatio esset à parte rei actu distincta ab essentia, ipsa vt distinguitur ab essentia, deberet esse aliqua entitas realis, quæ non esset ipsa natura, & essentia diuina latè sumpto vocabulo entitatis; neque enim posset esse ratio aliqua formalis, veluti formalis quædam abstracta, sine vlla prorsus realitate, & entitate sibi identificata, alioqui esset minus intelligibilis, quàm ideæ, seu formæ abstractæ Platonicorum, illa ergo entitas, seu realitas relationis, prout nemine cogitante est quid distinctum ab essentia diuina, vel est Deus, vel creatura, vel à se, vel ab alio, &c. certè prima dici deberent, & consequenter talis entitas deberet habere essentiam Deitatis, atque adeò, vel non distingueretur realiter ab essentia Dei, vel essent in Deo plures essentiæ diuinæ. Item hac ratione argumentari possumus. Illa entitas, vel esset accidens, vel substantia; si secundum, vel esset corporea, vel incorporea, &c. certè dicendum esset, quòd esset incorporea, completa, per se subsistens, intelligens, increata, & à se, & consequenter Deus. Ex quibus argumentis æquè colligitur, nullum attributum diuinum distingui realiter ab essentia diuina, sed omnia identificari in vna simplicissima entitate ipsius, ratione tamen distingui posse, & à parte rei dici posse distingui virtualiter.

Item illa entitas, vel esset accidens, vel substantia: & vtrumque militat contra Scotum.

Instabis.

Instabis. Qua ratione Trinitas Personarum non obstat diuinæ simplicitati, obstaret autem si relatio distingueretur ab essentia, vt prolaximus.

Resp. illud esse quia tres illæ relationes cõstitutæ: sunt vna simplicissima entitas cum essentia Dei.

Resp. illud esse, quia tres illæ relationes constitutiuæ, & distinctiuæ trium Personarum, sunt vna simplicissima entitas essentiæ diuinæ, à qua non distinguuntur, nisi ratione, & ita cum illa non faciunt veram compositionem, sicuti sequitur, quòd facerent in sententia Scoti, & Durandi.

Neque item vna relatio facit compositionem cum alia, à qua distinguitur realiter, sicuti vna persona non componit aliam, neque ex alia componitur. Neque demum dici potest, quòd tres personæ componant vnum Deum, sicuti dici non potest, quòd Pater sit pars Dei, aut pars Trinitatis, vt rectè docet D. Th. infra quæst. 30. art. 1. ad 4. hæc, inquam, non dicuntur propter summam identitatem personarum cum vna indiuidua, & indiuisibili entitate essentiæ diuinæ singularis.

Pater non est seipsa, minùs quid filio, & Spiritu S. etiã simul acceptis

Vnde etiam sequitur, vt Pater non sit re ipsa minus quid Filio, & Spiritu Sancto etiam simul acceptis, sicuti deberet esse, si esset verè pars, sed tanta sit quælibet Trinitatis Persona, quanta omnes, quod est peculiarissimum in hoc supremo, & ineffabili Mysterio, solùm ergo dici potest, quòd tres personæ componant vnum numerum mathematicè, & abstractè, seu, vt loquitur D. Th. simpliciter, & absolutè acceptum, & hoc modo dici potest, quòd tres personæ sunt plures numero, quam vna, id enim nullam inuoluit imperfectionem, sic ergo cathol. ca fides docet, non obstare simplicissimæ vnitati naturæ diuinæ Trinitatem personarum, sed esse vnum Deum, & tres Personas.

342
Petes 1. An attributa ità ratione distinguãtur ab essentia, vt nõ possint ad inuicem prædicari?

Ad solut. autem argumentorum pro Scoto, & Durando sciendum est circa distinctionem rationis diuinorum attributorum, quæ dicuntur essentialia, & absoluta, vt sunt intellectus, voluntas, sapientia, iustitia, &c. esse hanc diuersitatem inter Doctores, aliqui enim putant, ita ratione distingui ab essentia, & inter se, quando reuera distinguuntur, vt vnum non possit de alio formaliter prædicari, si significetur nominibus abstractis, v. g. licèt intellectus sit idem realiter, ac voluntas in Deo, & essentia diuina idem, ac intellectus, & voluntas, in sensu autem formali, & prout ratione à nobis distinguuntur, non sit verum dicere, intellectus est voluntas, aut essentia diuina est intellectus; sicuti in nobis, licèt rationalitas, & animalitas sint idem realiter, in sensu tamen formali hæ propositiones sunt falsæ, rationalitas est animalitas, vel è contra, & consequenter multò magis dicunt hi auctores, esse veram eandem doctrinam, si comparemus essentiam cum attributis relatiuis, & personalibus. Neque enim dici poterit essentia diuina est Paternitas in sensu formali, vel è contra; & hanc sententiam defendit Vasq. hic disp. 119. & 121.

Aliqui existimant non posse in sensu formali.

343
Alij verò non solùm in sensu reali; sed etiam in sensu formali esse veras.

Alij verò existimant nõ solùm in sẽsu reali propositiones esse veras in Deo intellect⁹ est voluntas, & essentia Dei est eius iustitia, sed etiã aliquo modo in sẽsu formali; putant enim, vnum attributum absolutum esse de essentia alterius aliquo modo, & omnia esse de essentia diuinæ essentiæ, & essentiam diuinam esse de essentia singulorum aliquo item modo, quod hac ratione explicatur. Sapientia diuina, v. g. etiam formaliter accepta potest considerari primò secundùm id, quod dicit explicitè, & sic dicit perfectionem increatam, per quã Deus cognoscit omne cognoscibile, & secundum hunc conceptum explicitum, & veluti sibi inadæquatum distinguitur ratione à voluntate, &c. quia tamen talis sapientia ratione suæ vltimæ differentiæ essentialiter est increata, & à se; hinc formaliter, & essentialiter est ipsa essentia diuinæ naturæ, & omnium perfectionũ essentialium ipsius, & sic de cæteris, quam opinionem defendit Suar. tract. 1. de Deo lib. 1. à cap. 11. & in Met. disp. 30. sect. 5.

344
Hæ duæ opiniones consiliantur prænotando: diuinã essentiam, licèt sit vna simplicissima entitas: continere plures perfectiones.

Sed existimo, reuera has opiniones conciliari posse, & debere hoc modo, si dicamus, essentiam diuinam, licèt sit vna simplicissima entitas, & ratio, constituere tamen perfectiones virtualiter plures aptas significari diuersis nominibus, quæ pluralitas perfectionum non fit per conceptus formales omninò inter se contradistinctos, sicuti distinguuntur in nobis essentia, & existentia, posito quòd sint idem realiter, & rationalitas, & animalitas, aliquo tamen modo, nempè per maiorem, & maiorem expressionem eiusdem simplicissimæ perfectionis, propter æquiualentiam ad multas similes perfectiones, quæ sunt in creaturis; & vt ita dicamus essentiam diuinam in se, non solùm esse vnam simplicissimam entitatem, sed etiam vnam simplicissimam formalitatem, & essentiam, & sic includere essentialiter omnia attributa absoluta; æquiualere tamen similibus perfectionibus, quæ reperiuntur in nobis actu diuisæ, vel certè diuisim communicabiles creaturis.

Diuinæ perfectiones, sunt actu distinguibiles per intellectum nostrum inadæquatè concipientem.

Et hoc pacto tales perfectiones esse virtualiter inter se distinctas, & actu distinguibiles per intellectum nostrum concipientem vnam simplicissimam formalitatem essentiæ diuinæ inadæquatè, nunc sub vna, nunc sub alia ratione explicitè, v. g. cùm concipimus sapientiam diuinam, concipimus re ipsa ipsam essentiam

Dei,

Dei, non tamen adequatè sub omni perfectione, quam formaliter continet, sed sub quadam determinata, quæ est cognitio increata veritatis, & sic dicitur sapientia diuina, quæ sapientia ratione sua vltimæ differentiæ, quæcumque illa sit, secundum quam est increata, & à se formaliter est totum id, quod formaliter est essentia, sed à nobis non ita attingitur, neque exprimitur sub adæquato suo conceptu formali, sed secundùm quod vt sic exprimitur à nobis, & eo nomine significatur,

Et hoc modo in sensu formali inadæquato distinguuntur attributa.

distinguitur ratione à cæteris essentiæ attributis. Et hoc mode in sensu formali inadæquato distinguuntur attributa, & fundare possunt diuersas, & oppositas propositiones, & quoad hoc vera est opinio Vasq. neque contradicit Suarez. Quòad primum autem vera est opinio Suarij, neque contra illam aliquid probant argumenta Vasquez; hoc autem modo explicare hanc distinctionem, multo congruentius est simplicitati diuinæ essentię formaliter acceptæ, neque ad verificandas propositiones, quæ videntur contrarium probare, maior distinctio requiritur.

345 Comparatis essentia cum relatiuis. Essentia est de essentia relatiuorũ in Deo.

Atque hęc quidem de attributis absolutis comparatis ad inuicem, & cum essentia diuina; nam si comparemus eandem essentiam cum attributis relatiuis, v. g. Paternitate, Filiatione, &c. existimo, verum esse, quod docet Suar. lib. 4. de Trin. à cap. 5. & Arrubal hic disp. 111. & alij, scil. diuinam quidem essentiam esse de essentia Paternitatis, si Paternitas, vt est in se formaliter, & adequatè concipiatur, eo prorsus modo, quo dictum est de attributis absolutis ad inuicem, & cum essentia, non tamen è contra Paternitatem esse de essentia naturæ, & essentiæ diuinæ, sed propriè appellari attributum Personale; quam sententiam non obscurè indicat D. Th. infra q. 33. art 3. ad 1. vbi docet in Deo communia, idest absoluta includi in conceptu propriorum, idest personalitatum, & relationum, non verò è contra.

346 In sensu identico, tàm est idem relatio naturæ, quàm natura relationi.

Non potest autem D. Th. loqui solùm in conceptu identico, quia hoc pacto tam est idem natura relationi, quàm relatio naturæ, sed in conceptu formali, & ratio huius rei est, quia Paternitas increata ratione sua vltimę differentię est formaliter à se, & consequenter implicitè dicit formaliter quidquid dicit formaliter ipsa natura diuina, quatenus est à se, licèt explicitè secundu id quod dicit, vt Paternitas distinguatur ratione, & virtualiter ab ipsa essentia, quę est ratio communis, cur omnia attributa absoluta includant se inuicem essentialiter, & tamen ratione distingui possint.

At verò è contra cogimur dicere, Paternitatem vt sic, non esse de essentia, & conceptu formali essentiæ diuinæ, quia quidquid est de conceptu formali, & essentiali diuinæ essentiæ prædicatur æquè de omnibus personis diuinis, cùm integra natura diuina secundùm omnia sua prædicata essentialia sit in singulis, vt certum est, alioqui vna Persona non esset perfectè Deus, at verò Paternitas non prædicatur de Filio, neque Filius est Pater; ergo Paternitas vt sic, non est de conceptu essentiali naturæ diuinæ: solùm ergo retinet nomen, & rationem attributi Personalis. Lege D. Th. in 1. dist. 33. q. 1. art. 1 in fine corp.

397 Petes. 1.

Quæres. 1. cur ex eo, quòd relatio sit a se ratione suę vltimę differentię, sequitur quòd formaliter, cùm adęquatè concipiatur, contineat omnem naturę diuinę perfectionem; at vero cùm natura diuina sit ens à se, non sequitur quòd essentialiter contineat relationem.

Resp. id esse, quia essentia diuina, vt essentia, est ad se, nõ ad aliud

Resp. id esse, quia essentia diuina, vt essentia, est ad se, non autem ad aliud, & ita licèt sit a se, non potest tamen formaliter continere, nisi ea prędicata quę non sunt ad aliud, alioqui ipsa non esset totaliter ad se: & sic relatio non potest esse de eius essentia, at verò è contra non repugnat id, quod ratione vltimæ suæ differentiæ est ad aliud, habere aliquod prædicatum absolutum, contractum tamen per illam differentiam ad esse ad aliud; sicut relatio creata est ens, quod est aliquid absolutum, & relatio increata habet esse, in, quod vt sic non est ad aliud, & ita patet differentia inter vtramque; quòd autem essentia diuina, vt sic totaliter sit ad se, constat tum ex communi doctrina, tum maximè ex argumento supra facto, alioqui omnes personę formaliter ad inuicem prædicarentur.

348 Petes. 2.

Quæres 2. An Deus, & Beati, qui Deum vident intuitiuè distinguens hęc attributa diuina in Deo.

Resp. Beatos nõ distinguere hęc attributa, ab essentia, nam hæc distinctio fit à nobis ex imperfectione intelligendi.

Respond. Deum, & Beatos non distinguere actu, seu in actu exercito hęc attributa; cognoscunt enim Deum, sicuti est in se, & non aliter, excepta autem distinctione reali inter oppositas relationes, nulla alia est actualis distinctio in Deo; vndè ipsi cognoscunt, Deum esse vnam simplicissimam rem in Trinitate Personarum. Item hęc actualis distinctio fit à nobis per imperfectam, & inadæquatam expressionem vnius entitatis essentię diuinę; at verò Beati, & Deus totaliter vident Deum ex parte obiecti increati, nihil enim Dei non vident, cognoscunt tamen Deus, & Beati virtualem distinctionem attributorum per ordinem ad tria. Primò ad intellectum nostrum imperfectè cognoscentem, & sic vident, esse à nobis distinguibilia. Secundò per ordinem ad creaturas, inquantum creaturæ sunt quędam participationes essentię diuinę, quam tamen nulla creatura potest adequatè participare, & sic est quędam virtualis distinctio in essentia diuina, & hoc pacto Deus virtualiter distinguit in sua essentia plures ideas, vt clarè colligi potest ex D. Thom. supra q. 15. art. 2. prȩsertim in fine corp. 3. in ordine ad processiones Personarum ad intra; videt enim Deus, Filium procedere per intellectum, non per voluntatem, licèt simul videat, intellectum, & voluntatem non distingui actualiter, sed solùm virtualiter. Et Confirmatur ex eo, quia cùm nos distinguimus in Deo attributa, id facimus cum fundamento in re, vt omnes fateri debent, quod fundamentum necesse est, vt Deus cognoscat, quod est cognoscere virtualem attributorum distinctionem.

349 Petes. 3.

Quæres 3. Si omnia attributa absoluta sunt de essentia naturę diuinę, cur dicuntur attributa, & proprietates, & non potiùs prędicata essentialia in primo modo dicendi per se?

Resp. id esse, quia nos imponimus nomina diuinis, cum Analogia ad res nostras.

Resp. id esse, quia nos imponimus nomina rebus diuinis cum quadam Analogia ad res nostras, in nobis autem ea, quę significant actus secundos, vel potentias, quæ sunt operationum principia significantur nomine proprietatis, vel accidentis, & ita similia in Deo appellamus proprietates, & attributa, & operationes; per essentiam verò diuinam, vt ab his distinguitur à nobis, intelligimus similia prędicata, qualia in nobis esse solent essentialia, vt esse ens, substantiam spiritualem, intellectiuam, à se; reliqua verò significamus per modum proprietatis, addito illo vocabulo essentialis, ex recto tamen discursu propter simplicitatis infinitatem essentię diuinę, inferimus omnes has proprietates absolutas esse aliquo modo de essentia naturę diuinę, si secundùm se adequatè consideretur.

350 Petes. 4.

Quæres vlt. Cùm relationes sint in natura diuina, & non sint de conceptu formali, seu essentiali ipsius, quomodo prædicabuntur de ipsa essentialiter, an accidentaliter.

Resp. Relationes nominibus abstractis significatas nõ prędicari de natura, nisi identicè.

Resp. relationes nominibus abstractis significatas non prædicari de natura, nisi identicè, & sic dici potest, natura diuina est Paternitas, vel è contra, non autem in sensu formali, modo tamen supra explicato. Nomine verò concreto potest dici natura diuina est relata ad Filium per Paternitatem, & sic de alijs, & talis prędicatio in Deo dicitur prędicatio attributi Personalis de natura, quę non est accidentalis, quia in Deo nullum est accidens, neque essentialis, quia propria non sunt de conceptu communium, sed est substantialis, attributi scil. substantialis personalis modo quodam particulari, cuius rei in creatis non habemus perfectum exemplum, sicuti etiam in multis alijs deficiunt exempla creaturarum, sed hæc intelligenda sunt de essentia non sumpta transcendentaliter, sed per modum naturæ.

351 1. Obiectio.

Arg. 1. Verè, & nemine cogitante aliqua conueniunt vni attributo, & prędicantur de illo, & non de alio, & aliqua conueniunt essentię, & non attributis,

I & è con-

& e contra, ergo hæc nemine cogitante inter se distinguuntur: Antec. prob. nam hę propositiones sunt verę independenter ab omni intellectu, quòd Filius procedit per intellectum, & non per voluntatem formaliter; è contrà verò Spiritus Sanctus. Item quòd essentia sit communis tribus personis, non verò relatio, quod Deus per iustitiam punit, & per misericordiam liberat, & multa similia.

Resp. Attributa nemine cogitante distinguuntur virtualiter non actualiter.

Resp. conc. Antec. in sensu formali inadæquatè, distinguo tamen Conseq. ergo illa attributa nemine cogitante actu distinguuntur, nego; virtualiter tantùm, concedo, & vniuersaliter dico ad omnes similes propositiones sufficere virtualem distinctionem à parte rei, sicuti etiam in nobis similis distinctio sufficit, vt dicatur homo intelligere, vt rationalis, & non vt animal, et è contra sentire vt animal, & non vt rationalis, &c. neque repugnat etiam in creaturis de eadem re realiter accepta verificari duas propositiones, quę videntur contradictoriæ, secundùm diuersas tamen rationes, solùm virtualiter distinctas, quia revera tunc eo ipso non sunt veræ contradictoriæ, non enim affirmant, & negant idem de eodem secundùm eandem rationem, sed diuersas virtualiter, & ita homo conuenit, & non conuenit cum Brutis secundum diuersas rationes, &c.

352 2. Obiectio.

Arg. 2. Natura diuina re ipsa communicatur Filio, & reipsa non communicatur Paternitas, quæ remanet distincta realiter à Filio; ergo saltem hæc realiter distinguuntur.

Resp. sufficere distinctionem virtualem, vt cõmunicetur filio natura, & non Paternitas.

Resp. etiam in hoc neg. Conseq. sufficit enim distinctio virtualis, nam communicari natura Filio re ipsa nil aliud est, nisi ex vi generationis Filij, terminari naturam diuinam relatione personali Filij, at verò terminari personalitatem non potest conuenire naturæ diuinæ ratione alterius personalitatis, sed præcisè ratione naturę, & ita potest rectè intelligi, quomodo stant identitate reali naturæ, & personalitatis communicetur Filio natura, vt natura, & non vt personalitas Patris, & idem contingeret in nobis, si nostra personalitas esset idem realiter cum natura; tunc enim si assumeretur à Deo natura nostra terminaretur per substantiam increatam, vt natura, & non vt persona, quod tamen aliundè est impossibile; ex materia de Incarnatione; ex simili ratione oritur, vt de facto Verbum terminauerit naturam humanam ratione suæ substantiæ, & personalitatis, non autem ratione naturæ diuinę, quia natura vt sic, non est terminatiua hypostaticè, sicuti est Personalitas; quarè ad hæc etiam sufficit distinctio virtualis, & rationis cum fundamento in re, & sic verum est, Patrem communicare Filio naturam suam, adæquatè quidem secundùm omnia alia, non tamen secundùm relationem propriam Paternitatis, quia vt sic est incommunicabilis.

353 Propter hanc virtualem distinctionem de vna simplicissima entitate formantur diuersæ propositiones.

Similis responsio est ad alias similes propositiones, quæ de vna simplicissima diuina entitate diuersæ formari possunt propter virtualem hanc distinctionem attributorum, & perfectionum; vt siquis dicat: hæc propositio est vera. Pater generat: hæc verò est falsa. Essentia generat: sicuti ergo ex eo, quòd Filius non generat, distinguitur realiter à Patre, ita & essentia.

Respondeo enim sufficere etiam ad illas propositiones virtualem distinctionem, neque vllo pacto verum esse, Filium distingui realiter à Patre, quia non generat, sed quia est terminus productus per generationem Paternam; producens autem, & productum debent distingui realiter, & simile iudicium esse debet de alijs similibus.

354 3. Obiectio.

Ex his non erit difficile soluere similia argumenta, quę fieri solent ad probandam cum Scoto, quòd possit videri in Deo vna perfectio, non visa alia, posset enim aliquis primò argumentari hoc pacto ex prædictis; Possunt aliqua tribui vni perfectioni diuinæ, quę non tribuuntur alteri, saltem propter virtualem distinctionem, vt constat ex positis exemplis, ergo potest similiter dici, quòd videri possit, & terminare visionem creatam vna perfectio, & non alia.

Resp. neg. cõseq. quia in prædictis exemplis significatur aliquod munus particulare cuius attributi.

Resp. enim neg. Conseq. & ratio est, quia in prædictis exemplis significamus ex modo nostro concipiendi aliquod munus, quod veluti exerceat natura diuina, nunc ratione vnius, nunc ratione alterius perfectionis suæ, quod potest explicari rectè sine vlla actuali distinctione, sed cum sola virtuali, at in casu nostro videri intuitiuè naturam diuinam, non est ipsam exercere intrinsecè aliquod munus, sed nostrum intellectum ferri circa illam intuitiua, & quidditatiua cognitione, quę cognitio ex essentia sua non potest esse nisi cognita essentia rei; cùm ergo essentia diuina, & quælibet eius perfectio sit essentialiter entitas simplicissima talis, vt aliquo modo omnia, quæ sunt in ipsa, sint de eius essentia, sequitur implicare, videri posse, nisi vel totam, vel nihil ipsius, sicuti in creatis sufficit distinctio virtualis, vt possit homo sentire, inquantùm animal, & intelligere, inquantum rationalis, implicat tamen intuitiuè, & quidditatiuè intelligi hominem; nisi vtrumque intelligatur.

355 4. Obiectio.

Similiter solui potest aliud commune argumentum pro Scoto sumptum ex materia de Incarnatione, quòd scil. possibile fuit, vt vna persona terminaret naturam humanam; etiam si neque natura diuina vt sic, terminauerit, neque alia persona; ergo pariter fieri poterit, vt vna Persona terminet visionem beatam, alia non terminante, vel vt videatur natura non visis personis.

Resp. terminare naturam est, exercere aliquod munus ex parte Dei terminantis.

Resp. enim neg. Conseq. propter similem casum, quia terminare naturam est exercere aliquod munus ex parte ipsius Dei terminantis; est enim intrinsecè perficere, & constituere vnam personam ex natura, & personalitate increata constitutam, terminando naturam assumptam, quod natura diuina vt sic, non potest pręstare, cùm non sit hypostaticè terminatiua, potest tamen persona, & quia in Deo vna persona ab alia realiter distinguitur, ideò potest vna persona id pręstare, alia non pręstante, at verò videri Deum, non est ipsum intrinsecè exercere aliquod munus, sed solùm esse obiectum visionis nostræ, quæ ex natura, & essentia visionis intuitiuè, & quidditatiuè habet, vt non tendat in aliquod obiectum, nisi visa eius essentia, & quid est de conceptu eius intrinseco essentiali; tale autem est aliquo modo in Deo quidquid est Dei.

356 5. Obiectio.

Demùm si obijcias: Quæcumque duo distinguuntur realiter, potest intuitiuè vnum videri, non viso alio, etiam si vnum dicat relationem essentialem ad aliud; & ità potest aliquis habere intuitiuam cognitionem alicuius speciei intelligibilis, etiam si non videat intuitiuè eius obiectum, & sic de multis alijs; sed personę diuinæ inter se distinguuntur realiter; ergo poterit vna intuitiuè videri non visa alia; etiam si vna dicat relationem ad aliam.

Resp. dist. ma. & conced. pro vt accidit in creaturis, secus in Deo.

Resp. enim disting. Ma. si illa duo ita distinguantur realiter, vt non sint essentialiter identificata vni naturę communi, & singulari, sicuti communiter accidit in creaturis, conced. aliter verò, vt est in Deo, nego; & hoc est Deum, licèt sit trinus in personis; essentialiter tamen esse entitatem summę, & infinitę simplicitatis. Cętera argumenta, quę fieri solent ad hoc probandum ex eo capite, quòd scil. ad Beatitudinem sufficeret visio essentiæ, etiam si non viderentur personę, vel visio vnius personæ tantùm, & consequenter quòd non sit necessarium videre quidquid est in Deo formaliter, non faciunt ad rem hoc loco, id enim, quod diximus, implicat ex ipsa natura visionis quidditatiuę, & infinita simplicitate talis obiecti, quidquid sit an beatitudo consisteret in vno, aut non in alio, imo etiam si videre Deum non esset beatitudo, adhuc prædicta doctrina esset vera; vtrum tamen si per impossibile videretur essentia diuina, & non personæ, & similia, esset ille intellectus perfectè beatus, pertinet ad alium locum tom. 1. q. 12. a. 6.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum relationes, quæ sunt in Deo realiter ab inuicem distinguantur.

SVMMA ARTICVLI. D.Th.

COncl. in Deo est realis distinctio nõ secũdùm rẽ absolutã; sed secũdũ relatiuã.

Prob.

Prob. in Deo ponuntur relationes reales, quæ intrinsecè includunt realem distinctionē inter extrema relata; nam relationes reales sunt inter duo opposita; Ergo in Deo datur realis distinctio, non secundùm rem absolutam; cum eius essentia sit summa vnitas, ac simplicitas; sed secundum rem relatiuam? ac proinde relationes diuinę realiter distinguuntur.

Arg. 1. Quæcumque vni, & eidem sunt eadem, sibi inuicem etiam sunt eadem. Sed omnis relatio in Deo existens, est eadem diuinæ essentię. ergo. Resp. dist. ma. Quæcumque &c. re, & ratione: sunt eadem inter se, conced. si verò aliqua sint eadem vni tertio tantùm secundùm rem, vt sunt relationes respectû essentiæ, neg. ma.

Arg. 2. Bonitas, & sapientia, & cætera attributa in Deo distinguuntur ab essentia diuina, solùm secundum nominis rationem: propterea ab inuicem tantùm secundùm rationem distinguuntur. ergo, & relationes. Resp. neg. conseq. quia absoluta in Deo non important in suis conceptibus aliquam oppositionem, sicut relatiua. ideò &c.

Arg. 3. Omnis distinctio in diuinis est secundùm originem. Sed vna relatio nō oritur ab alia. ergo. Resp. ad mi. quod licèt relationes propriè loquendo, non oriantur, nec procedant ab inuicem, tamen desumuntur, secundùm processionem vnius ab alio.

DISPVTATIO CLXVII.

Vtrum relationes, quæ sunt in Deo realiter ab inuicem distinguantur. Vbi An dicant perfectionem.

357 Difficultas.

PRæcipuum argumentum ad probandum, quòd relationes distinguantur realiter, seu actu à parte rei ab essentia, illud esse solet, quia distinguuntur realiter inter se; quæ enim realiter inter se distinguuntur, non possunt esse idem realiter vni tertio, cùm ex principio philosophico habeamus, quòd quæ sunt eadem inter se; sunt eadem vni tertio, quia ergo hęc res peculiarem habet difficultatem in hoc mysterio Trinitatis, & vnitatis diuinę, ideò peculiariter de ea agit hic D. Th. his positis.

358 Concl. affirm. de fide Prob. quia absoluta in diuinis sunt communia.

Conclusio affirmat D. Th. est de fide, scil. relationes inter se oppositas realiter, & actu distingui ab inuicem, quales sunt Paternitas, & Filiatio, Spiratio actiua, & passiua. & ratio est, quia personę diuinæ distinguuntur realiter per proprietates, quæ sunt realiter Personarum, aut personales, nam absoluta in diuinis sunt communia, & consequenter non distinguunt personas, quo posito rationem veluti materialem affert D. Th. quia relatio realis in sui conceptu dicit oppositionem realē ad aliud, quia nihil refertur realiter ad seipsum, vt ex Philosophia constat; ergo relationes oppositæ debent esse realiter inter se distinctæ; contra quam fidei veritatem duo obijci solent; Primum ex illo principio Philosophico iam cit. Secundum ex eo, quòd si Paternitas distingueretur realiter à filiatione, aliqua perfectio esset in Patre, quæ non esset in Filio, & è contra, quod videtur repugnare summę perfectioni diuinarum Personarum, & earundem ęqualitati.

359 1. Instantia. 2. Instantia.

Ad 1. Resp. Notan. dupliciter argumētari D. Th. ex illo principio *quæ sunt eadē vni tertio &c.*

Circa primum multa habet Suar. lib. 4. de Trin. cap. 3. Vasq. hic disp. 123. Valent. hic pun. 4. & alij communiter, apud quos legi possunt variæ Doctorum solutiones, quibus omissis. Nota, D. Thom. dupliciter argumentari ex illo principio; primò quidem hic ad 1. arg. Quę sunt eadem vni tertiò, sunt eadem inter se, sed relationes diuinę, sunt idem essentię diuinę, ergo & inter se. Secundò verò qu. 8. de Potent. art. 2. ad 10. & in 1. dist. 33. qu. 1. art. 1. ad 2. ad probandum directè, quòd relatio, & essentia non sunt idem realiter, hoc pacto; quotcumque duo sunt idem inter se, vbi est vnum, est etiam, & aliud; sed Paternitas, & essentia sunt idem, ergo vbi est essentia est Paternitas; sed in Filio est essentia, & tamen non est Paternitas; ergo &c. & ad vtrumque argumentum respondet D. Thom. disting. Ma. quando illa duo sunt idem re, & ratione, conced. aliter negatur.

Essentia, & Relationes non sunt idem re, & ratione; sed tantùm re.

Quia ergo Paternitas, & essentia non sunt idem re, & ratione, sed solùm re, ideò quamuis Paternitas, & Filiatio identificentur essentię, non tamen necessariò sequitur, vt sint idem realiter inter se; neque vnquam aliter hoc arg. soluit D. Thom. imo confirmat suam solutionem ex Arist. 3. Phys. & ex eius exemplo, quòd scil. actio, & passio identificentur motui, & tamen non identificentur inter se, quia passio vt sic dicit relationem ad passum; actio verò ad agens, quę relationes, aut saltem earum termini non identificantur ad inuicem.

360 D. Th. considerauit illud axioma vniuersalissimè, prout in Deo, & creaturis potest habere veritatem.

Circà quàm D. Th. responsionem varij varia dicunt. Mihi videtur dicendum, D. Thom. considerasse illud axioma vniuersalissimè, prout tàm in Deo, quàm in creaturis habere potest veritatem, et ità rectè respondisse, tunc esse verum, quando duo sunt idem vni tertiò, tàm re, quàm ratione, neque verò attulisse illud exemplum, quia existimauerit posse reperire simile prorsus exemplum in creaturis, quale est in Deo; id enim alienissimum est ab eius mente, & constat ex eodem loco cit. in 1. Sed vt ostenderet, quòd etiam in creaturis illud axioma interdum admitti debet cum aliqua distinctione, quarè neque mirum est, si in Deo admittatur etiam cum distinctione posita; distinctio autem, quæ communiter addi solet in illo exemplo motus est, quod actio, & passio sunt idem vni tertiò, nempè motui secundùm id, quod dicunt in recto, non autem secundùm id, quod dicunt in obliquo, ad quod sufficit, si ratione inter se distinguantur. Cæterum ipsum exemplum in hoc deficit, quia vel relatio, quam dicit actio, vt actio ad agens, & passio, vt passio ad passum distinguitur realiter ab ipsa entitate actionis, & motus, vel sola ratione: si primum, tunc actio, & passio solùm acceptæ pro fundamento relationis identificabuntur cum motu; & vt sic etiam inter se, si verò secundum, tunc etiam ipsæ relationes identificabuntur inter se: vndè constat, in creaturis impossibile esse, reperire simile prorsus exemplum; semper enim in ipsis, quæ sunt eadem vni tertio singulari, & determinato secundum id, secundum quod sunt eadem illi, sunt etiam eadem inter se, vt ergo integrum argumentum à capite resumamus, si quis ità argumentetur.

Actio, & passio sunt eadē eidem motui, secundùm id quod dicunt in recto.

361 Quæ sunt eadem vni tertio realiter, sunt eadem inter se; distinguēda est propositio.

Quæ sunt eadem vni tertio realiter, sunt etiam eadem realiter inter se, &c. distinguenda est hæc Ma. Si vniuersaliter accipiatur, vt præscindit à Deo, & creaturis, quæ sunt eadem vni tertio realiter, & ratione, conced. aliter nego, quod nos facimus propter Mysterium hoc relationum diuinarum; & quamuis id probare non possimus argumento naturali, re vera non tenemur, sicuti neque in similibus rebus, sed pertinet ad aduersarios ostendere, eam doctrinam esse falsam. Si ergo vlterius vrgeant hoc pacto, quæ sunt eadem vni tertio singulari indiuisibili, & à parte rei existenti, etiam si solùm sint eadem realiter; & non ratione, sunt tamen realiter eadem inter se, vt constat inductione in omni re creata, sed relationes diuinæ secundùm totum id, quod sunt, sunt idem realiter vni essentiæ diuinæ, singulari existenti, & indiuisibili, ergo sunt idem realiter inter se, concedenda est Ma, in creaturis, negando in Deo.

362 Assignanda est disparitas, ne videatur, hoc mysteriū repugnare prin-

Sed restat huius rei assignanda disparitas, si potest, ne videatur hoc Mysterium repugnare principio euidenter noto lumine naturæ: & quidem communis responsio esse solet, ideò in Deo non valere illud axioma, quia Paternitas v. g. quamuis identificetur cum essen-

cipio euidenter noto.

essentia diuina, cum qua etiam identificatur Filiatio, tamen nō identificatur illi adæquatè, sed inadæquatè, quia scilic. identificatur cum illa solùm secundùm quod habet rationem, & conceptum essentiæ, non autem cum omni eo, cum quo ipsa identificatur; at verò in creaturis si aliquid identificatur cum alio indiuisibili, & singulari, semper identificatur cum illo adæquatè, & consequenter cum omni eo, quod cum illo identificatur. Quæ responsio licèt vera sit, non tamen videtur sufficiens ad argumentum, sed potius relinquere difficultatem intactam, nam secundum hanc responsionem ideò Paternitas non identificatur cum Filiatione, quia non identificatur cum essentia adæquatè, id est non identificatur cum omni eo, cum quo essentia identificatur, nempe cum Filiatione; atque adeò à primo ad vltimum ideò non identificatur cum Filiatione, quia non identificatur cum Filiatione, & hoc ipsum quærimus; præsertim cùm talis distinctio in creaturis non possit habere locum.

363 Tūc illud axioma est verū; quandò res particularis, & indiuisibilis; cui plures rationes identificantur non æquiualet naturæ vniuersali.

Mihi ergo dicendum videtur, tunc illud axioma esse verum, quando res particularis, & indiuisibilis, cui plures rationes identificantur, non æquiualet naturæ vniuersali; si autem æquiualeat naturæ vniuersali non esse verum, hoc autem est proprium naturæ diuinæ, vt quamuis sit vna singularis, & simplicissima, prædicetur tamen de pluribus personis realiter distinctis, quod nos fide tenemus, & hoc propter infinitam ipsius fœcunditatem, quod tamen de nulla creatura dici potest, & ità quamuis ea natura sit singularis, æquiualet tamen naturæ vniuersali; ex quo principio multæ consequentiæ, & solutiones multorū argumentorum colliguntur. Sicuti enim in creaturis, quamuis rationalitas identificetur cum animalitate, & similiter cum eadem animalitate identificetur hinnibilitas, non tamen sequitur, quòd rationalitas, & hinnibilitas identificentur ad inuicem, & sic de omnibus differentijs oppositis respectu suorum generum, quia animalitas, cui identificantur, accipitur vt ratio generica, & vniuersalis, non autem vt aliqua singularis existens, eodem modo quantùm ad hoc, quia natura diuina æquiualet propter suam infinitam fœcunditatem naturæ vniuersali; ideò non valet, Paternitas, & Filiatio identificantur essentiæ, & vni naturæ diuinæ, licèt singulari, ergo identificantur ad inuicem, atque hæc videtur esse manifesta disparitas inter Deum, & creaturas, & quamuis lumen naturæ, ad hoc pertingere se ipso non possit, nihil tamen potest obijcere, quod destruat veritatem positam.

364 Ex prædicta doctrina ostēdi potest fallacia multorum argumētorū.

Ex eadem solutione ostendi potest fallacia multorum argumentorum, quæ ex præceptis logicis sumi solent, si quis enim de eodem homine singulari dicat, hic homo est Petrus, hic idem homo est Paulus, valet Consequ. ergo Petrus est Paulus, at verò in Deo non valet, si quis dicat, hic Deus est Pater, hic idem Deus est Filius; ergo Filius est Pater: & ratio est, quia particula illa, hic homo, simpliciter significat hominem singularem, qui non æquiualeat naturæ vniuersali, & sic fit verus syllogismus expositorius; at verò particula illa, hic Deus, licèt significet naturam singularem, hæc tamen est æquiualens vniuersali, & ita syllogismus est falsus, sicuti si quis diceret, homo est Petrus, homo est Paulus, vel Petrus est homo, Paulus est homo; ergo Petrus est Paulus, falsa esset consequentia, propterea quia particula illa, homo, non accipitur, vt terminus particularis, sed vniuersalis, vel indefinitus.

365 Aliquando, hic Deus, sumi potest pro natura diuina: aliquando pro persona determinata.

Vbi aduertendum est, quòd illa particula, hic Deus, aliquando potest supponere pro natura diuina singulari præscindendo à personis, & sic dico, quòd æquiualet termino vniuersali, vt in exemplo positum est; aliquando supponere potest pro persona determinata, vt cum dicimus, hic Deus est genitus; tunc enim supponit pro persona Filij, & in hoc sensu si quis diceret, hic Deus est Filius, & hic idem Deus est Pater, falsa esset hæc secunda propositio, nam Pater non est Filius, sicuti si quis diceret, hic homo est Petrus, & de eodem postea diceret, hic homo est Paulus; falsum diceret, vt ergo valerent in Deo ea argumentio, deberent ita formari; omne id, quòd est Deus, est Pater, sed Filius est Deus; ergo Filius est Pater, vel similibus modis, & tunc falsa est Maior. Similis responsio est ad hoc argum. hæc essentia diuina est Paternitas; hæc Filiatio est hæc essentia diuina, ergo hæc Filiatio est hæc Paternitas, falsa enim esset Conseq. neque argum. est in forma, quia ille terminus, essentia diuina, licèt sit rei singularis, est tamen rei æquiualentis vniuersali, & ita non est verus syllogismus expositorius, sed laborat eodem vitio, quo hic alius, aliquod animal est homo, Equus est aliquod animal; ergo Equus est homo: vndè D.Thom. loco cit. in 1. & loco cit. de Potent. ad 6. ait in illis syllogismis committi fallaciam accidentis, atque hæc circa primum caput difficultatis.

366 Petes. Respond.

Petes. An relationes dicant Perfectionem.

Resp. duplici via; & vtramque esse Thomistam? Prima est quæ sequitur in hac disp. secunda, quæ erit rigidior Thomistica, & vera proponitur infra dub. 3. & secundùm illam doctrinam; iam patet solutio omnibus argumentis huius quæsiti.

Relationes diuinæ dicunt perfectionē.

Circà secundum caput, certissimum esse debet contrà Caiet. hic artic. 2. & Bañes ibid. dub. 1. conclus. 2. relationes diuinas formaliter acceptas dicere aliquam perfectionem, de qua re plura habet Suar. lib. 3. de Trinit. cap. 9. & re vera cum relationes constituunt formaliter personas, & illas distinguant, vt habet D.Thom. tota quæst. 40. infrà, & sæpè alibi, sequeretur, quòd Trinitas personarum nulla esset perfectio in Deo, si formæ constituentes illam nullam dicerent perfectionem, quod nulla ratione videtur intelligibile, hac ergo veritate posita vim habet hæc secunda difficultas, quòd scilicet si rationes distinguantur realiter ad inuicem, sequeretur, quod aliqua perfectio esset in Patre, nempe Paternitas, quæ non esset in Filio.

Pro quo sciendum est, quòd dupliciter intelligi potest aliqua perfectio increata esse in vna persona diuina, & non in alia; primo nullo prorsus modo, sicuti in homine est rationalitas, quæ nullo prorsus modo est in Equo, & hoc pacto propter summam diuinæ essentiæ vnitatem, in qua omnes Personæ sunt vnum, & vnus Deus singularis, implicat esse omnino aliquid in vna persona, quod non sit in alia, & sic Paternitas, & ipse pater totus est in Filio, & totus Filius in Patre, & Pater, & Filius est in Spiritu Sancto propter naturæ identitatem, quo pacto Christus Dominus Ioann. 14. dixit: Ego in Patre, & Pater in me est, qui modus essendi in alio, dici solet, tanquam subsistentis in subsistente, & communiter vocatur à Theologis per circumincessionem, de qua plura Suar. lib. 4. de Trinit. cap. 16. & D.Thom. infra qu. 42. art. 5. Secundò potest dici esse vna perfectio in vna Persona, & non in alia, tanquam perfectio scilicet denominans, & actuans vnam Personam, atque adeò vt quid pertinens ad eiusdem constitutionem, & non alterius, & hoc pacto Paternitas non est in Filio, sed in solo Patre, & Filiatio in solo Filio, & sic de alijs, ad quod sufficit distinctio rationis inter essentiam, & relationes, vt docet D.Th. locis cit. in 1. & de Potent.

367 Pater non cōmunicat Filio Paternitatem, sed naturam; Paternitatis autem perfectio est in filio aliquo modo.

Hoc posito circa modos argumentandi in hac re attendendæ sunt aliquæ propositiones; si quis enim dicat: Pater non dat, aut communicat Filio esse Patrem sine vlla distinctione, concedenda est propositio, & habetur in Florentino in litteris Vnionis ijs verbis: Omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater Vnigenito suo gignendo dedit, præter esse Patrem, & eodem modo concedenda est ea propositio: Filius non est Pater, & è conuerso. Si quis verò dicat, Pater non communicat Filio Paternitatem, aliqui distinguunt, non communicat Paternitatem formaliter, & sub conceptu Paternitatis, conced. non communicat Paternitatem sub conceptu essentiæ diuinæ, cui ipsa identificatur, atque adeò non communicat rem, quæ est Paternitas, negatur. Sed hæc doctrina licèt vera sit, & sumi potest ex D. Thom. 1. dist. 33. quæst. 1. art.

1. ad

1. ad 2. tamen quia illæ propositiones simpliciter prolatæ accipi solent in sensu formali, Paternitas autem, vt sic, non communicatur Filio; hinc puto, etiam illam propositionem concedi posse sine vlla distinctione, scilicet Pater non communicat Filio Paternitatem, sed naturam suam; nisi fortè aliquid aliud subsit in argumento, quod peculiariter exigat illam distinctionem, cùm verò infertur, in quo tota est difficultas; ergo aliqua perfectio est in Patre, quæ non est in Filio, disting. quæ nullo modo est in Filio, nego; id enim manifestè obstaret diuinæ simplicitati: quæ non est in Filio, vt perfectio pertinens ad ipsius Filij constitutionem, & distinctionem, atque adeò vt denominans ipsum Filium, conc. quod non solùm non est impossibile, sed omninò necessarium ad verificandam Trinitatem Personarum in vna simplicissima natura diuina.

368
1. Instabis.
Respondetur.

Dices 1. Potest dici, quòd Paternitas aliquo modo etiam formaliter sit in Filio, & sic de alijs similibus? Respond. maximè, cum eadem distinctione, vt scilicet subsistens in subsistente, sicuti ipse Pater formaliter est in Filio per circuminsessionem, non tamen vt perfectio formaliter denominans, & constituens ipsum Filium.

Instabis 2. Resp. quidquid est in Filio formaliter, pertinet ad eius constitutionem.

Dices 2. Quidquid est in Filio formaliter, est per communicationem à Patre, si ergo aliquo modo est paternitas formaliter in Filio, sequitur, quòd Pater communicat Filio, etiam paternitatem formaliter. Respond. dist. Anteced. quidquid est in Filio formaliter, vt quid formaliter pertinens ad eius constitutionem, & denominationem, concedo: quidquid est formaliter solùm vt subsistens in subsistente, & propter identitatem cum essentia, nego quod sit per eiusdem communicationem formaliter, sed sufficit, quòd sit per communicationem essentiæ, in qua omnia identificantur.

Instabis 3.
Respondetur.

Dices 3. Si Filius non habet formaliter Paternitatem, saltem vt quid pertinens ad eius constitutionem, & denominationem, vt concedimus, sequitur quòd careat tali perfectione hoc modo considerata, scilicet vt constitutiua sui, qua tamen non caret Pater. Respond. carere tali modo, & necessarium esse, vt careat tali modo, licèt non omni modo.

369
Instabis 4. Resp. habere Paternitatem per circuminsessionem non est maior perfectio in vno, quàm in alio.

Dices vltimò; ergo Pater est Filio perfectior, aut imperfectior, omnino neganda est sequela, quia habere Paternitatem, vt constitutiuam, & denominatiuam sui, aut habere illa vt subsistentem in subsistente, & per circuminsessionem, non est maior, aut minor perfectio, sed prorsus æqualis propter identitatem talium relationum ad vnam infinitam, & simplicissimam naturam diuinam, & sic Pater non est maior, aut minor, aut perfectior, vel imperfectior Filio; & idem dicendum est de Spiritu Sancto, sed omnes tres personæ coæquales sibi sunt. Aliqui ad hoc arg. scilicet si Paternitas diceret perfectionem, & distingueretur realiter à Filiatione, sequeretur quod aliqua perfectio esset in Patre, quæ non esset in Filio, & sic Pater esset Filio perfectior. Respond. distinguendo aliqua perfectio esset in Patre, quæ non esset in Filio æquiualenter, neg. formaliter, conced. nam, inquiunt, Filiatio est tantæ perfectionis, quantæ est Paternitas, & sic vna perfectio est æquiualenter in alio; sed mihi videtur magis ad mentem D. Thom. & magis doctrinalis esse prima responsio, vndè habet veritatem hæc secunda, quæ etiam potest vtcumque afferri, vbi opus erit.

370
1. Obiectio.

Arg. 1. Pro Caiet. si relatio etiam secundùm esse, ad, præcisè esset aliqua perfectio, alicuius esset perfectio, & consequenter diceret ordinem ad ipsum, & sic includeret esse, in, & non solùm esse, ad. Respond. hoc argumentum esse soluendum eodem modo à quouis. Nam relatio secundùm esse, ad, habet referre vnam personam ad aliam, & sic dicit ordinem ad personam, quæ refertur, & consequenter dicit esse, in. Dico ergo, relationem secundùm esse, ad, dicere ordinem rationis ad id, cuius est perfectio ex nostro modo concipiendi, sicut sapientia diuina dicit ordinem rationis ad intellectum diuinum, & consequenter concedo, quòd dicit esse, in, implicitè, & in confuso, quòd non est aliud, nisi ipsa essentia diuina; neque possibile est intelligere, quòd esse, ad, in relatione diuina sit aliqua ratio totaliter contradistincta ab esse, in, sicuti in nostris relationibus, quæ sunt accidentia, esse ad, non est aliqua ratio totaliter contradistincta à ratione accidentis, cuius essentia est esse in subiecto.

Resp. Relationem secundū esse, ad, dicere ordinem ad id, cuius est perfectio, .i. ad fundamentum.

371
2. Obiectio. Perfectio simpliciter simplex, melior, est ipsa, quàm non ipsa.

Arg. 2. Si relatio diuina formaliter esset aliqua perfectio, vel esset perfectio simpliciter simplex, vel perfectio quomodolibet. Neutrum autem videtur dici posse. Pro qua re sciendum est, quòd ea perfectio dicitur simpliciter simplex à Theologis, quæ in suo conceptu formali absolutissimo, & præcisissimo nullam inuoluit imperfectionem, propterea potest formaliter dici de Deo, sicuti est intellectus, voluntas, sapientia, bonitas, & similia, & solet ex D. Anselmo optimè explicari his terminis, quando scilicet absolutè, & simpliciter melior est ipsa, quàm non ipsa; vbi per illam particulam, quàm non ipsa, non debet intelligi mera negatio ipsius, cùm enim melius sit esse, quàm non esse, de quauis perfectione dici potest, quòd melior est ipsa, quàm negatio ipsius, sed debet intelligi, etiam si talis negatio coniungatur cum quouis alio prædicato positiuo, vt sensus sit, quòd perfectio simpliciter simplex est illa, quæ melior est ipsa, quàm quæuis alia, quæ caret ipsa, aut non est ipsa, & sic melius est illam habere, seu melior est res habens illam, quàm carere illa, seu carens illa, etiam si habeat quamcumque aliam perfectionem, v. g. rationalitas est aliqua perfectio, sed non simpliciter simplex, quia melior est Angelus, & Deus, qui carent rationalitate, quàm homo, qui habet illam, & idem dici potest de corporeitate, & alijs perfectionibus, quæ in suo conceptu aliquam imperfectionem inuoluunt. At verò esse sapientem est perfectio simpliciter simplex, quia melius est esse sapientem, quàm esse quamcumque aliam rem, cum qua coniuncta sit negatio sapientiæ necessariò, & sic sapientia dicitur melior ipsa, quàm non ipsa, atque hæ perfectiones dicuntur esse formaliter in Deo; aliæ verò eminenter tantùm.

372
Resp. Paternitatem in Deo dicere perfectionem simpliciter simplicem, in actu signato conceptam, non in exercito.

Ad arg. ergo dico cum Valen. hic punct. 1. Vasq. 112. cap. 4. relationem Paternitatis in Deo esse perfectionem simpliciter simplicem, nisi fortè sit quæstio de nomine, præstat tamen omninò affirmatiuè respondere, cum ipsa sit formaliter in Deo, & sit perfectio, vt supponimus. Sed pro solutione sciendum est, quòd relatio diuina potest comparari ad duo, primò ad ipsam naturam, quàm terminat, & vltimò complet, & velut informat. Secundò ad ipsam personam constitutam per ipsam relationem, aut per ipsam denominatam; si secundò modo consideretur non est necesse, vt sit melior ipsa, quàm non ipsa, ad hoc vt sit perfectio simpliciter simplex. Neque enim melius est in Deo esse Patrem, quàm esse Filium, qui non est Pater: Si verò primo modo consideretur, vt considerari debet, dico, quòd melior est ipsa, quàm non ipsa, melius enim est, esse has relationes in Deo, quàm non esse. Cùm ergo dicitur, quòd perfectio simpliciter simplex est illa, quæ in quolibet melior est ipsa, quàm non ipsa, debet intelligi, si loquamur de relatiuis perfectionibus in ordine ad naturam singularem, & indiuiduam, non verò in ordine ad Personam, & hoc ex peculiari ratione relationis, quæ necessariò inuoluit oppositionem, & Personarum distinctionem.

373
3. Obiectio.

Arg. 3. Natura diuina etiam vt ratione præscindit à relationibus est infinitæ simpliciter perfectionis, qua aliud quid maius excogitari non possit, ergo etiam si non haberet has relationes, non esset quid deterius, & consequenter nihil melius est, ipsas habere, quàm non habere, & sic vel non erunt perfectiones, vel certè non simpliciter simplices. Respond. Anteced. naturam diuinam; vt sic, esse infinitæ simpliciter perfectionis in ratione entis absoluti non autem relatiui, quare adhuc potest concipi perfectior, non

Resp. naturam diuinā secūdū se dicere omnē perfectionē absolutā, nō relatiuam.

secundùm

perfectionem absolutam, nō relatiuam.

secundum esse naturæ, sed secundum esse personæ, & rei vltimo terminatæ, quod habet per relationes personales, seu secundum esse relatiuum. Adde præterea, relationem diuinam ratione suæ vltimæ differentiæ esse perfectionem infinitam in ratione entis relatiui.

374
4. Obiectio.

Arg. 4. D. Th. supra art. 2. ad 3. docet, quod si in perfectione diuina nihil plus contineretur, quàm quod significat nomen relatiuum, sequeretur, quod esse eius esset imperfectum, ergo relatio formaliter dicit imperfectionem, vel certè non dicit perfectionem simpliciter simplicem. Resp. neg. Conseq. alioqui etiam sequeretur, quod sapientia in Deo diceret imperfectionem, aut non esset perfectio simpliciter simplex. Nam D. Th. eodem ferè modo loquitur de sapientia. Solum ergo voluit ibi D. Th. significare, vt legenti patet, quod nos nostris nominibus non significamus adæquatè totum id, quod est essentia, sed inadæquatè, nunc sub vna, nunc sub alia ratione formali explicita, & sic si nihil aliud esset in Deo, nisi quod nos significamus explicitè nomine sapientię, aut nomine relationis, esse diuinum, esset imperfectum, quod nihil facit ad rem nostram.

Resp. neg. cōsequentiam.

375
5. Obiectio.

Arg. vlt. D. Th. infra quæst. 42. art. 4. ad 2. docet, quòd in diuinis dignitas est quid absolutum, & ad essentiam pertinet, & consequenter, quod Paternitas *non sit dignitas, nisi ratione essentiæ diuinæ, & eodem modo Filiatio, & quia est eadem essentia in Patre, & Filio, ideo est eadem dignitas, quæ in Patre est Paternitas, & in Filio Filiatio; vndè videtur sequi, quod relatio, vt ratione distinguitur ab essentia, & secundum esse, ad, non sit perfectio. Resp. neg. prorsus hanc Conseq. Neque D. Th. loquitur ibi de quauis perfectione in eo sensu, in quo hic vsurpatur à nobis, nempè pro eo, quòd non est nihil, sed est aliqua vera relatio realis, qualem dicimus esse relationem diuinam, & secundum esse, ad, sed de ea perfectione, quæ possit dici dignitas, & sic docet,* Paternitatem *non esse dignitatem, nisi inquantum essentialiter dicit ipsam essentiam diuinam; & propterea* Patrem *non esse Filio digniorem, neque in diuinis dignius quid esse dare, quàm accipere, sed prorsus eandem dignitatem propter perfectissimam vnitatem essentiæ dantis, & recipientis. Ex quibus demum constat, qua ratione relationes diuinæ distinguantur realiter ad inuicem, licèt identificentur cum vna essentia diuina, neque ex hoc sequitur absurdum; vt autem præsens disputatio radicitùs percipiatur, & quæ hucusque dicta sunt de perfectione relatiua. Quamuis probabiliter dicta sint; meo tamen videri, secundum legitimam, ac puriorem D. Th. doctrinam non sunt omninò admittenda: tum quia, vt infrà dub. 3. ostendemus, totam, ac totalem perfectionem, quam dicunt relationes, exprimunt, quia essentiam includunt; ac proindè secundùm veram D. Thom. sententiam, perfectionem, quam dicunt relationes, est omnino absoluta; siquidem eam dicunt, quia ens perfectissimum, & diuinum; nempè diuina essentia, est de essentia earum; imò est essentia earum: tum quia omnis perfectio rei sumitur ab esse, scilicet ab existentia, cum existentia sit ipsa actualitas vltima explens, ac terminans actualiter quidditatiuè rei, ac formales conceptus: cùm ergo in Deo non dentur tres existentię relatiuę, vt infra dub. 4. planè sequitur diuinas relationes secundum esse ad relatiuum, licèt dicant perfectionem; non dicunt perfectionem relatiuam; quia non dicunt hanc perfectionem prout exercitè respiciunt formaliter terminum; sed prout sunt formæ hypostaticæ respicientes fundamentum; & includentes essentialiter diuinam essentiam; sed de hic fusius infrà dub. 3.*

Resp. Relationem diuinam secundum D. Th. dicere perfectionē adhuc secúdum esse, ad.

Quę hucusq; dicta sunt, sunt probabilia, sed non omnino thomisticę dicta sunt.

Dub. 1. An relationes sint de conceptu essentiæ, & è conuerso?

Dub. 2. In quo soluuntur argumenta in contrarium.

Dub. 3. Vtrum tres relationes dicant tres perfectiones, existentias, & alia similia attributa multiplicent? Vbi An substantia multiplicetur in relationibus?

Dub. 4. An Bonitas, Veritas, Infinitas; Sanctitas multiplicentur in Deo? Vbi vtrum subsistentia multiplicentur in personis?

DVBIVM I.

An relationes sint de conceptu essentię, & è conuerso?

IN relatione reali duo includuntur, seu duplici formalitate, aut consideratione explicantur, & per ordinem ad subiectum, quod dicitur, *In*, relationis, eo quod relationes, quæ sunt accidentia, inhærent subiecto, illudque afficiunt. Vndè omne, quod relationi conuenit ex parte subiecti, siuè cui inhæret, siue in quo subsistit, vocatur *In* relationis, & secundo consideratur relatio realis per ordinem ad terminum, & sub hac consideratione appellatur *Ad*. Et in relationibus realibus, quæ à parte rei inueniuntur, relatio secundùm vtramque formalitatem realis est, & realitatem dicit, non solùm relationes diuinæ, quæ realissimę, & substantiales sunt, sed etiam creatæ. 376

376
Duæ formalitates, considerātur in relatione, & esse, in, per ordinem ad subiectum: & esse, ad, per ordinem ad terminum.

Cum ergo conceptus relationis vtramque formalitatem *In*, & *Ad* realiter includat, & relatio diuina loco *In*, quod in nostris relationibus est inhęrens, habeat esse diuinum subsistens, & identificatum cum ipsa essentia, quia essentię diuinæ hoc ipso, quod est actus purus, nihil potest realiter aduenire, tanquam distinctum à se; restat controuersia præsens, an relationes, non solùm secundùm conceptum *In*, qui est conceptus earum, vt subsistentes sunt, sed etiam secundùm conceptum *Ad*, quo respiciunt terminum, non solùm realiter identificentur cum essentia, sed etiam in suo formali conceptu, & in ratione essentiali ingrediantur. Nam relationes identificari realiter, & modaliter cum essentia diuina, constat ex supradictis contra Gilbertum, & Durandum, quia non distinguuntur ab illa; ergo identificantur cum illa.

377
Difficultas est. An essentia sit de cōceptu relationum, & è contra: secundum esse, ad.

Vnde in Concil. Lateran. in cap. *Damnamus* dicitur, quod *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sunt omninò idem, & vna substantia.* Nunc vlteriùs procedimus, & inquirimus, an hæc relatio, quæ non distinguitur, sed est idem, & vnum cum illa substantia diuina, ingrediatur etiam in conceptum formalem, & essentialem talis substantiæ, & rursus ipsa substantia diuina ingreditur essentialem, & formalem conceptum ipsius relationis; licet hoc secundum faciliùs intelligatur, quia essentia diuina se habet, vt quid intrinsecum, & quasi commune omnibus, quæ in Deo sunt; siuè attributis, siue relationibus, sicut animal est de intrinseco conceptu hominis, & aliarum specierum. Primum vero difficiliùs se habet, quod relationes sint de conceptu ipsius essentiæ, cum potius illam præsupponant secundùm suum formalem conceptum, sicut attributa, & proprietates supponunt naturam, & sicut terminus substantię supponit substantiam, sicut species hominis supponit genus animalis, non constituit, nec in eius formalem conceptum ingreditur.

376
Quærimus. An relatio secundùm esse, ad. *sit de cōceptu essentiæ.*

Propter hoc diuisi sunt Authores, presertim moderni in hac parte. Quidam vtrumque negant, scilicet, nec essentiam esse de conceptu formali, & essentiali relationum, neque relationes de conceptu, & essentiali ratione essentiæ, sed habere se, sicut diuersas lineas attributorum, & rationum, quę in Deo sunt, & vnum non est de conceptu formali alterius, licet realiter identificentur, sicut iustitia non est de conceptu sapientię, vel è contra, nec voluntas de conceptu intellectus. Ita docet P. Vasq. hic disp. 121. cap. 2. & 4. quem sequitur Alarcon tract. 5. de Trinit. disput. 2. cap. 11. & 13. citatque Beccanum, Turrianum, Gillium, & alios.

379
Prima sentent.

Alij tenent, essentiam quidem esse de conceptu formali relationum, sed relationes non esse de

2. Sententia.

conceptu

conceptu essentiæ. Pro hac secunda parte præter Vasquez, & alios cit. stat etiam Suar. lib. 4. de Trinitat. cap. 5. Arrubal. disput. 101. cap. 3. Granad. tract. 5. disput. 4. sect. 3. & alij. Pro prima verò parte, scil. quòd essentia sit de cõceptu relationum, stat idem Suar. Arrub. Granad. Canarien. Bellarm. & alij, quos citat, & sequitur Ruiz hic disput. 13. quęst. 1. & seqq. Eos etiam citat Alarc. vbi supra cap. 13. N. PP. Salmantic. hic.

380 *Tertia sententia Thomistica adstruitur, ac defenditur.*

Tandem alij dicunt, tàm essentiam esse de conceptu relationum, quam relationes de conceptu essentiæ. Pro qua sententia citat Suar. vbi supra aliquos modernos expositores D. Thom. & re vera aliquorum est Thomistarum, docetúrque à Caiet. hic quæst. 27. art. 2. circa 3. è Bañes quęst. 28. artic. 2. dub. 3. circa 6. argum. Nauarret. tom. 3. controu. 18. estque omnium aliorum, qui tenent, non posse videri in Deo essentiam sine personis, quia pertinent personæ ad essentiam diuinitatis. Ferrar. tamen 2. contr. Gent. cap. 9. ponit distinctionem inter attributa, & relationes, quòd attributa docet esse de conceptu deitatis, si secundùm se concipiatur, quia perfectionem important, relationes autem non sunt de ratione deitatis, etiã si secundùm se concipiatur, quia perfectionem in suo conceptu non important.

381 *Nota 1. Essentiam posse dupliciter considerari: vel quasi transcẽdentaliter ad omnes conceptus diuinos: vel pro conceptu specifico diuinæ naturæ.*

Pro huius tamen resolutione aduertendum est, diuinam essentiam dupliciter posse concipi. Vno modo conceptu quasi transcendentali, prout præcisè dicit rationem entis increati, & actus puri, qui transcendentalis dicitur, non quia est communis Deo, & creaturis, sed solùm omnibus perfectionibus diuinis, & omnis rei diuinę, sicut ens creatum transcendentaliter se habet ad substantiam, & accidens, & ad omnes perfectiones creatas, quia in omnibus imbibitur, non solùm ratio entis vt sic, sed ratio entis creati: Sic ratio entis increati intimè imbibitur in omni perfectione, & attributo, quod diuinum est, & in omni eo, quod intra Deum est, siuè sit natura, siuè attributum, siuè persona, siuè operatio. Alio modo sumitur diuina essentia pro conceptu specifico, & proprio, prout significat rationem diuinæ naturæ sub eo conceptu, & linea, qua distinguitur à conceptu, & linea attributorum, quæ se habent per modum proprietatis, & à conceptu personarum, seu relationum, quæ se habent, vt termini subsistentes; & sic attributa, & personæ ex suo proprio conceptu supponunt naturam in linea, & conceptu naturę. Et hanc distinctionẽ alij aliter ponunt dicentes, quòd aliud est, personas, & attributa esse de essentia diuinitatis, seu essentialiter ad eam pertinere; aliud personas esse de conceptu diuinitatis, vtique de conceptu proprio, & specifico, qui est conceptus diuinitatis, vt naturæ.

382 *Aliter transcendit transcẽdentale creatũ sunt quasi inferiora: aliter transcendẽtale diuinum suas perfectiones.*

Secundo est aduertendum, quód aliter transcendentale creatum imbibitur intimè in omnibus, ad quos transcendit, aliter diuinum: transcendentale enim creatum ingreditur conceptus formales suorum inferiorum, non vt pertinentium ad suam perfectionem, & constitutionem, quia ille conceptus transcendentalis est analogus, & communis; nec in illa sua abstractione, & analogia constituitur per analogata, nec connectitur cum illis, sed inferiora, connexionem essentialem habent ad ipsum. Cæterum diuina entitas non est transcendentalis ad omnes perfectiones diuinas, tanquam quid analogum, & commune, sed vt entitas omnino singularis, & indiuidua, seu hæc. Vnde non potest ad omnes illas perfectiones transcendere, easque in se imbibere, nisi quia ad suam essentiam singularem pertinent, & ei essentialiter conueniunt; aliàs non appareret, quomodo res singularis in eis imbibatur transcendentaliter, nisi etiam essentialiter, id est propter aliquam essentialem connexionem cum talibus perfectionibus, sicut res transcendentalis vniuersalis non imbibitur in inferioribus, nisi propter essentialem connexionem, quam res inferiores habent cum illo superiori, ita quando transcendentale est quid singulare, non imbibitur in his, in quibus transcendit, nisi ad inuicem sit reciproca connexio essentialis, quatenus hoc singulare petit ex sua intrinseca, & essentiali ratione omnes illas perfectiones.

383 *Ratio est, quia essẽtia est actus purus, nullam inuoluens potentialitatẽ in suo conceptu.*

Et hoc ideò est in Deo, quia essentia sua est actus purus ex suo proprio, & essentiali conceptu, vnde ex vi talis cõceptus nullam habet potentialitatem, nec ad aliquam perfectionem, & actualitatem est in potentia; ergo omnem perfectionem ex vi essentialis conceptus habet in actu, siquidem nulla caret, & sic essentialiter connectitur cum omni eo, quod sibi potest conuenire, alioquin si essentialiter non connecteretur, & tamen posset illi conuenire, ex vi essentialis conceptus, careret illo, & esset in potentia ad illud. Sic ergo si actui puro conuenit aliquod attributum, vel persona, seu relatio, & ex vi, & ratione actus puri in suo essentiali conceptu, non connectitur cum illis, ergo ex vi essentialis conceptus est in potentia ad illa, & caret illis, siquidem ex vi essentialis conceptus non habet actu illa, & tamen potest habere, vt sibi identificata, sed ex vi connexionis.

384 *Prima Concl. si essentia sumatur, quasi specificę; relationes nõ sunt de suo conceptu.*

His suppositis, duabus conclusionibus Resp. Prima est, si diuinitas, seu diuina essentia sumatur in vi conceptus naturæ, secundùm, quod ly *natura* dicit conceptum specificum, & proprium condistinctum à proprietatibus, operationibus, & personalitatibus sic neque attributa, neque relationes sunt de conceptu formali naturæ diuinæ, neque è conuerso conceptus naturę est de formali conceptu relationum, & attributorum.

385 *2. Concl. si diuina essentia consideratur sub conceptu entis increati sic est de conceptu personarum, & è contrà.*

Secunda Concl. Si essentia diuina sumatur in vi conceptus entis increati, vt sic, seu actus puri, qui est conceptus transcendentalis ad omne, quod in Deo est, & increatum esse habet, sic non solùm diuina essentia est de conceptu essentiali personarum, & relationum, atque attributorum, sed etiam attributa, & relationes sunt de essentiali ratione, & connexione cum ipsa essentia diuina, aliter tamen, & aliter; nam essentia est de conceptu relationum, tanquam intrinsecum constitutiuum, seu tanquam entitas; relationes autem sunt de cõceptu, seu de essentiali ratione essentię diuinæ, tanquam modi, seu termini ipsius essentiæ diuinæ, nõ vt cõstitutiuũ nã ex hic modus infra neg. nec quælibet relatio est adæquata intrinseca, & essẽtialis diuinæ essẽtię, sed inadequatè, tota autẽ collectio relationũ adæquatè.

386 *Esse aliquid dum prædicatur de Deo: vel consideratur secundùm modum significandi; vel secundùm rem significata.*

Per istas duas conclusiones conciliantur varia loca D. Thom. in hac parte, quę videntur contraria, & aperitur mens eius; Ad quam penetrandam prę oculis habendum est, distingui in doctrina D. Thom. esse aliquid, seu prędicari essentialiter de Deo, aut includi in eius substantia ex parte modi significandi, vel ex parte rei significatæ. Ex parte modi significandi non omnia, quę sunt in Deo, & sunt ipsa substantia Dei, significantur per modum substantię, & essentiæ, sed vt modus, seu proprietas essentiæ; ex parte autem rei significatæ quidquid est Deus; essentialiter est Deus, & si ipsi Deo conuenit aliquod prædicatum, verbi gratia, quod sit Pater, aut Filius, quod sit iustus, aut sapiens essentialiter illi conuenit, & de eo prædicatur. Sumitur hæc doctrina ex ipso D. Thom. quæst. 8. de potent. artic. 2. ad 4. vbi inquit, quod *relationes diuinæ licèt significent id, quod est diuina essentia; non tamen per modum essentiæ, quia non per modum inexistentis, sed se habentis ad aliud.* Et ad 5. inquit, quod *licèt relatio sit substantia diuina; non tamen significat per modum substantiæ, & ideò non dicuntur secundùm substantiam, quia dici secundùm substantiam, pertinet ad modum significandi.* Et idem docet in hac quæst. 28. artic. 2. ad 1. Iuxta hanc ergo distinctionem, & eam, quam posuimus in his duabus conclusionibus intelligi potest mens Sancti Thomę. Nam loquendo de relationibus, & attributis, & essentia ex parte rei significatæ, & secundum

cundùm quod essentia sumitur pro entitate diuina, quasi modo transcendentali, semper docet relationes essentialiter conuenire essentiæ, .i. identicè, & è conuerso, facereque prædicationem per se. Nam infra quæst. 39. artic. 6. ad 2. affirmat, quod *sicut ista propositio est per se. Pater est Deus, ita & ista, Deus est Pater, & nullo modo per accidens.*

387 *Quãdo dicitur; Essentia diuina est Pater: est prædicatio per se, non in quarto modo, neque in secundo: sed in primo.*

Et hoc collegit D. Thom. ex eo, quòd cùm dicitur Deus, vel essentia diuina est Pater, est prædicatio per identitatem, non sicut inferioris de superiore. Vbi S. Doctor prædicationem illam per identitatem etiam essentialem esse docuit, seu per se, non autem est per se in quarto modo, neque in secundo, sed in primo. Non in quarto modo per se, quia quartus modus per se est perseitas operationis, non prædicationis, in istis autem propositionibus nulla significatur operatio. Non per se in secundo modo, quia ista perseitas est proprietatis, quę comparatur ad subiectum accidentaliter, seu vt accidens, licèt necessariò illi contextum; in illa autem propositione, essentia diuina est Pater, ly *Pater*, non comparatur, vt accidens ad subiectum, nec vt attributum, & proprietas, sed vt persona: non ergo est connexio, & perseitas in secundo modo, & sic solùm debet esse in primo, qui est connexionis essentialis. Vnde & D. Thom. dicit, quod ita est per se, sicut ista, Pater est Deus, vbi ly *Deus* non prædicatur, vt proprietas Patris, sed vt natura, & sic non est in secundo modo per se; nec paternitas est proprietas naturæ, sed subsistentia. Vndè si prędicatur per se ratione identitatis, non in secundo modo, vt proprietas, sed vt essentialiter conueniens in primo modo per se prædicatur, quæ omnia intelliguntur de essentia transcendentaliter.

388 *D. Th. docet in perfectione diuini esse, contineri verbum, & principium.*

Deindè ipse D. Thom. supra quæst. 27. artic. 2. ad 3. docet, quòd *In ipsa perfectione diuini esse continetur verbum, & principium verbi, sicut quæcumque ad eius perfectionem pertinent, sicut supra dictum est.* Vbi loquitur de continentia in esse diuino, quatenus esse diuinum imbibitur in omni, quod diuinum est; sic enim modo quasi transcendentali se habet. Et in hac quæst. artic. 2. dicit, quod *Relatio realiter existens in Deo, habet esse essentiæ diuinæ, idem omninò existens.* Alijs autem locis, quæ postea in solutione argumentorum subijciemus, docet non includi proprietates, seu relationes in conceptu essentiæ, vel quia ex modo significandi non includuntur, vel quia sumitur conceptus essentiæ pro conceptu proprio, & formali specifico essentiæ, vt natura est, condistinguiturque formaliter à conceptu attributorum, & relationum.

389 *Fauent prædictis conclusionibus Sanct. P.P. loquutiones.*

Fauent etiam loquutiones Sanctorum Patrum, licèt non minus adducantur pro vna parte, quàm pro alia. Quia aliquando Patres attendentes ad nostrum modum intelligendi, qui proprietates, seu attributa, quasi accidentia, seu accidentia ad Dei substantiam intelligimus, & relationes, vt ad aliud, non ad se, vt substantiam explicamus, dicunt substantialiter ista non nominari, seu substantiam non explicare. Nã vt rectè admonuit N. Cyrill. l. 11. Thesauri: *Non omnia, quæ in Deo sunt, & de Deo dicuntur, substantiam significant. Reliquum est igitur, & rectè, modoque dicendi accidentia esse dicamus, quoniam modo accidentium ea intelligimus. Sapienter quidem dicitur, nihil accidere substantiæ Dei, quoniam in se ipsa perfecta est; nostro autem proprio modo intelligimus, & loquimur; ex his, quæ in nobis sunt, quasi per exempla maiora, idest diuina intelligentes.* Vbi planè Cyril. mentem nobis Sanctorum aperuit, quam D. Thom. scholasticis terminis postea delineauit, scilicet ex modo nostro significandi, non vt substantiam, seu essentiam Dei ea significari; ex parte autem rei significatæ esse ipsam substantiam Dei, nec essentialiter, & intrinsecè posse aliud esse, quàm Deus, nec Deus aliud, quàm ipsa.

Expenditur S. Cirillus N. pro præsenti doctrina.

390 *Secundùm D. Bernardum, Deus Paternitate est Pater: ac proindè Paternitas Deus est.*

Optima sunt verba Bernardi serm. 80. in cantica, vbi loquens contra Gilbertum: *Recedant,* inquit, *nonnulli non dialectici, sed hæretici, qui magnitudinem, qua magnus est Deus, & item bonitatem, qua bonus, sed & sapientiam, qua sapiens, & iustitiam, qua iustus est, postremò diuinitatem, qua Deus est, Deum non esse impijssimè disputant. Sed si Deus non est, quid est?* Et infra. *Absit, vt assentiat Catholica Ecclesia, esse videlicet substantiam, vel aliquam omninò rem, qua Deus sit, & quæ non sit Deus.* Sed Deus paternitate est Pater: ergo paternitas Deus est. Dicunt, Paternitas Deus est realiter, non essentialiter. Vrgeo consequentiam Bernardi: Si essentialiter Deus non est, quid essentialiter? Nam essentialiter aliquid est: & illud aliqui, si Deus non est essentialiter, nihil essentialiter est. Vndè tandem August. lib. 7. de Trinit. cap. 6. *Cùm dicimus,* inquit, *personam Patris, non aliud dicimus, quàm substantiam Patris.* Si non aliud dicimus, ergo essentialiter substantia illa est. Similiter pro alia parte, scilicet, quòd ipse Deus, se essentia diuina essentialiter, & intrinsecè sit relatio, seu persona, sunt optima verba Sancti Athanasij oratione contra Gregales Sabellij: *Vniuersa plenitudo, & integritas Deitatis est Pater, & Filius:* quasi dicat, ex plenitudine ipsius Deitatis, prout actus purus est, & omnia imbibit, quæ Dei sunt, esse Patrem, & Filium, quatenus amborum vna forma est, vt ipse Athanas. inquit. Et Cyril in lib. 2. Thesauri cap. 1. *Non potest,* inquit, *perfecta esse deitas, nisi Filium habeat, & fructum ex se proferat.* Quòd si collectiuè Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus pertinent ad plenitudinem, & integritatem Deitatis; ergo & ad essentialem conceptum, quia integritas, & plenitudo essentialis diuinitati est.

391 *Secundùm D. Cirillum ad plenitudinem Deitatis pertinet tota collectio personarũ.*

Quod si ad plenitudinem pertinet tota collectio personarum; ergo & quælibet diuisiuè: nam quælibet persona tantùm ponderat, quantùm tota collectio. Vndè dixit Concil. Tolet. 11. in confessione fidei. *Singulariter vnaquæque persona est plenus Deus.* Sine qualibet ergo persona Deus non est plenus Deus; Ergo si essentialiter Deus est plenus, essentialiter Deus est persona. Nec potest dici, quòd diuina essentia metaphysicè considerata, intelligitur respectu personarum, vt species respectu indiuiduorum, indiuidua autem non sunt de conceptu speciei: nam contra est, quod species non habet pro plenitudine, & integritate suæ essentiæ indiuidua; deitas autem habet pro plenitudine, & integritate deitatis ipsas personas, vt dicit Athanas. & plenitudo deitatis est essentialis deitati.

Constat etiam secundùm Patres: sub nomine naturæ, non includi perfectiones, & proprietates;

Postremò constat, Patres sub nomine naturæ, & non deitatis, vel essentiæ, quasi transcendentaliter sumptæ negare personas, seu relationes ad naturam Dei pertinere, sicut Damasc. lib. 3. de fide cap. 6. *Characteristicę,* inquit, *hypostases, non naturæ sunt.* Et Anselm. in Monolog. cap. 14. *Si quid,* inquit, *de summa natura dicitur relatiuè, non est eius significatum.* Quod intelligitur sub formalitate, & expressione conceptus naturæ; id enim intenditur in ly *significatum*: qua etiam ratione de attributis dixit Damasc. lib. 1. de fide cap. 4. *Si bonum, si quid tale dixeris, non naturam Dei dicis; Sed quæ iuxta naturam sunt.* Vbi ly *naturam dicis*, idem est, ac formaliter explicas. Alioquin identicè, & realiter negari non potest, quòd relatio, & persona sit natura diuina, definiente Concil. Lateranẽ. in cap. *Damnamus*, quòd quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura diuina.

392 *Fundamentum Primæ Cõcl. est, quia conceptus formalis naturæ, distinguitur formali cõceptu attributorũ, & relationum.*

Fundamentum vtriusque conclusionis sumitur ex dictis. Nam primæ fundamentum est, quia formalis conceptus naturæ distinguitur à formali conceptu attributorum, & relationum, & præsupponitur natura ex ipsa formali ratione, & modo significandi ad personalitates, ergo repugnat, quòd persona sit de formali conceptu naturæ, vel è contra. Conseq. patet; quia esse vnum de formali conceptu alterius, nihil aliud est, quàm ingredi, & pertinere ad illud, quod formale est in conceptu proprio, & specifico talis rei. Illud autem est formale in conceptu naturæ, vel cuiuscumque attributi, quod exprimitur

primitur in tali conceptu tanquàm forma propria, seu formalis ratio illius attributi, vel naturæ: quod enim commune est alijs attributis, vel naturæ, non est formale, & proprium talis conceptus, sed commune, & præsuppositum; forma autem est quæ distinguit; & ideo illud dicitur formale, seu formaliter pertinere ad conceptum cuiuscumque attributi, vel naturæ, in quo distinguitur ab alio attributo; vel à formalitate ipsius naturæ, aut à formali conceptu relationis, seu personæ, & hoc est, quod formaliter in eo conceptu exprimitur; sicut conceptus sapientiæ formaliter distinguitur à conceptu iustitiæ, vel misericordiæ, &c. Antec. verò manifestè constat, quia conceptus naturæ, & personæ, seu attributorum ita se habent, quod natura consideratur sub conceptu naturæ, & fundamentum, & radix attributorum, & operationum, & vt quid præsuppositum ad personam, quia intelligitur vt aliquid terminabile per personalitatem, tanquàm per terminum; ergo explicat conceptum sub aliqua formali ratione distinctum à conceptu personæ, & attributorum: Ergo persona, & relatio non potest ingredi, neque pertinere ad formalem conceptum talis naturæ. Repugnat enim sub ea formalitate ingredi conceptum, sub quo ab illo distinguitur. Distinguitur autem secundùm formalē conceptum ab illo; ergo sub illa ratione non est de conceptu eius.

393 Fũdamentũ secundę cõclusionis habet duas partes. Prima est, quòd essētia diuina sub amplo, & quasi transcendētali conceptu entitatis diuinæ, essentialiter in relationibus imbibitur, tanquàm intrinsecũ, & entitatiuum prædicatum earum. Secunda, quòd relationes etiã includantur essentialiter, seu connectantur essentialiter ipsi essentię. Prima pars constat, quia relationes illæ essentialiter sunt entia increata; ergo essentialiter sunt essentia diuina, & deitas. Patet Cõseq. quia essentia diuina, seu Deitas, est ipsa ratio actus puri, & esse diuini, seu entis increati; ergo quod est essentialiter ens increatũ, est essentialiter esse diuinũ; ergo Deus, seu Deitas ipsa est essentialiter Paternitas, quæ omnia intelligenda sunt iuxtà sensum infra explicandum quęst. 9. artic. 1. nam relationes expressè, & formaliter, absolutè non sunt entia. Sed entia cum addito .i. relatiua; quamuis ratione essentię transcendentaliter inclusæ, sint entia increata, vt ibi q. 29. in disp. dicemus. Antec. constat, quia relatio illa essentialiter est aliquod ens, & essentialiter est ens non creatum; ergo essentialiter est ens increatum. Vndè est firmissima illa Conseq. quam facit P. Suar. vbi supra lib. 4. de Trinitat. cap. 7: Paternitas est Deus; ergo essentialiter Deus; ergo in suo essentiali conceptu includit Deitatem. Prima Conseq. patet; quia id, quod est Deus, non potest esse Deus accidentaliter, tanquàm accidens à se distinctum, nec tanquàm prædicatum à se distinctum, cùm non sit aliquid per compositionem, & per modum actus, & potentiæ, sed per summam identitatem actus puri; ergo per connexionem necessariam, & immutabilem, & tanquam omninò idem; ergo tanquam essentialiter connexum. Secunda vero Conseq. etiam est manifesta, quia quod est essentialiter tale, in suo essentiali conceptu illud includit; ergo si essentialiter Pater est Deus, in suo essentiali conceptu Pater includit Deitatem.

Fundamentũ 2. concl. duas habet partes. prima est, quod essentia transcendentaliter sit de conceptu relationũ prob. quia Relationes sunt entia increata &c.

394 Et hinc sumitur secunda partis probatio; quia quidquid cõuenit Deo realiter, & in se, essentialiter illi conuenit; ita vt hęc est legitima Conseq. Deus est iustus, aut sapiens; ergo essentialiter est sapiens, & iustus, Deus est Pater; ergo essentialiter est Pater, quia quidquid Deus est essentialiter, & intrinsecè est, & essentialiter illi conuenit, Sed Deo conuenit formaliter, & à parte rei esse Patrem, & Filium, non minùs, quàm esse iustum, aut æternum, ita quod hæc est secundum fidem, Deus est Pater, Deus est Filius; dicitur enim Io. 1. *Deus erat Verbum*, seu Pater essentialiter Deo conuenit. Min. est de fide, & Conseq. est in *darij*. Ma. prob. Quidquid Deo conuenit in se, & formaliter increatum, & diuinum est, & actus purus, quia, vt probauimus, essentia, seu esse diuinum est essentiale Patri, & relationibus, & attributis; sed omne esse diuinum, & increatum est essentiale ipsi Deo, seu essentię diuinæ, inquantum ens diuinum, seu esse diuinum est; ergo Paternitas relationes, quæ essentialiter sunt entia diuina, & esse diuinum essentialiter cõueniunt diuinitati, quia omne esse diuinum est essentiale essentiæ diuinæ.

2. Pars 5. quòd relationes sint de conceptu essentiæ prob. quia Deo conuenit formaliter, & realiter esse Patrem: ac proindè essentialiter.

395 Confirm. quia Deo essentialiter conuenit, esse actum purum; ergo essentialiter conuenit quidquid actus purus ex suo conceptu essentiali habet; sed ex essentiali conceptu actus puri conuenit ei ad nihil esse in potentia, sed omnem perfectionem sibi conuenire, & omne, quod in ipso est; ergo ex vi sui essentialis conceptus est quidquid est; Sed essentia diuina, seu Deus actu est Pater, & Filius, & ad eius perfectionem pertinet hoc mysterium, quod scilicet sit trinus in personis, & non vnam tantùm personam habeat, nec solum genus absolutum, sed etiam relatiuum; ergo essentialiter est ipsa relatio, & ipsæ personæ. Sed tamen cùm includat tres personas correlatiuè oppositas, licet essentialiter essentia sit persona, non tamen est adæquatè quælibet persona, quia ita est hæc persona, quod etiam est alia; sicut ens, licet transcendentaliter includat accidens, & substantiam, non tamen adæquatè alterum, sed adæquatè vtrumque, tùm quia essentia diuina non est explicitè totum significatum formale, & in recto ipsius personæ, sed tantùm in obliquo, vt infrà q. 29. art. 1. in disp. ostendemus, vndè benè sequitur, essentiam explicitè non esse omnes personas, neq; personas explicitè essentiam.

Confirm. quia Deo essentialiter conuenit esse actu purũ.

Pro quo notandum est: diuinam essentiam, vt dixi, dupliciter considerari posse: Et vt est quædam natura specialis, constituens primum gradum essendi omninò à se, tàm re, quàm ratione; quasi specificè; vel vt est quasi quoddam ens transcendens per omnes diuinitatis perfectiones, siuè essentiales, siuè attributales, siuè personales: Et quamuis vt transcendens, omnem personam dicat, ac comprehendat; quia vt ens transcendentale diuinum pro ratione formali, dicit totum genus, & omnes lineas diuinitatis; ac proinde etiã personã trãscendit; nihilominùs quia vt transcendēs, trãscendit, & imbibitur etiam in differentijs specificis, vt ita loquar, & proprijs cuiuscumque lineæ diuinæ: propterea stat cum tali transcendentia adhuc personarum pluralitas; siquidem essentia cum tali transcendentia transcendit oppositiones, quæ multiplicant personas in esse relatiuo diuino: Vndè essentia per modum transcendentis non est adæquatè hæc persona; sed hæc, & alia; cum alia sit etiam diuina: proptereà diximus; quod per modum transcendentis non est vna persona; sed plures: quia stat cum infinita transcendentia entis diuini, sua quasi analogia, & pluralitas per oppositionem; cum transcendentia, non confundat; sed solum peruadat, ac imbibatur implicitè in differentijs.

Essentia diuina explicitè non est adæquatè qualibet persona.

396 Vndè patet Authores, qui primam partem huius conclusionis concedunt, vt Suarez, & alij, & negant secundam, inconsequenter loqui, quia per euidentem consequentiam deducitur, quod si persona essentialiter est Deus, & esse diuinum necessario sequitur essentiam diuinam, seu deitatem essentialiter esse personam, quia essentialiter est omne esse diuinum, imò est, quasi identica, esse diuinum est esse diuinum, loquimur enim de essentia per modum transcendentis, & præscindendo ab hoc, quod sit significatum formale directum, vel formale quasi materiale personarum. de hoc enim fusius infra q. 29. art. 1. in disp.

Oppositi authores, qui concedunt p. partē: tenentur concedere 2.

397 Respondent tamen oppositi Authores, qui primam partem huius conclusionis negant, quod licèt à parte rei quælibet relatio sit diuina, & quodlibet attributum sit essentialiter Deus, & non creatura, tamen sub illo statu præcisionis, quo conside-

Euasio.

K ratur

ratur secundùm se, nec est diuinum, neque creatum, quia neutrum explicat, sed tantùm suam formalem rationem exprimit; sicut homo secundùm se, nec est albus, nec est non albus, sed abstrahit, & magis ad rem, homo, vel animal sub illo præciso conceptu, nec est quid productum, neque improductum, licet in re essentialiter quid creatum, & productum sit; & Spiritus Sanctus sub formalitate processionis, neque procedit, vt creatura, nec vt Deus in quarto modo per se, licet in re, & in primo modo per se sit essentialiter Deus. Eodem modo relationes sub illo conceptu non includunt essentialiter naturam per modum naturæ, licet in re essentialiter natura diuina sint, & Deus sint.

398 *Præcluditur, quia conceptus præcisiuus formalis, vltimus, & specificus; licet præscindat: tamen nõ negat cætera prædicata, essentialia intrinseca.*

Cæterùm hæc responsio maximè indicat, quàm in retortum, & in vertiginem agatur opposita sententia vi argumenti oppressa. Etenim licet trita philosophia sit, quòd res aliqua sub aliqua præcisione considerata, alia prædicata non explicat, quàm quæ in illa præcisione explicantur, & ad illam per se conducunt; tamen etiam in omni philosophia est certum, quod quando inquirimus, an illud prædicatum essentialiter includatur, & pertineat ad aliquam rem, non procedimus cum præcisione, sed simpliciter, & ea, quæ intrinsece cum tali re connexa sunt explicamus, v. g. animal sub præcisa, & formali ratione animalis non explicat rationem corporis, vel substantiæ, aut creaturæ, tamen si inquiramus, an essentialiter includatur substantia in animali, ita quòd essentialiter prædicetur de animali, & similiter ens creatum, quis poterit dubitare, quod hæc sit essentialis prædicatio. *Animal est substantia, est creatura, est corpus?* quia ad hoc, vt sit prædicatio essentialis, sufficit essentialis, seu intrinseca extremorum connexio. Cum ergo in hac secunda conclusione non procedamus sub præcisione, & appellatione formalis conceptus: id enim pertinet ad primam conclusionem, sed simpliciter, an essentialiter in re prædicetur, & connectatur essentia cum personis, & personæ cum essentia, ita vt istæ prædicationes in re sint per se in primo modo, Deus est Pater, Pater est Deus, sicut si inquiramus, an corpus, & substantia prædicentur in re essentialiter de animali, & tunc etiam inquirimus, an Paternitas sit prædicatum essentiale Deitatis, & Deitas essentiale prædicatum paternitatis, itaut essentialiter sint connexa, quod oportet valde notare ad prædicationem factam de aliquo sub præcisione aliqua, & appellatione: Diximus in re; nam si loquamur formaliter, & cum præcisione: est sua disparitas. nam esse animal, esse corpus: sunt significata in recta linea prædicamentali respectu hominis: Essentia vero diuina est natura non est significatum formale ipsius personæ, licet sit vt transcendentalis. vt infra q. 29. art. 1.

Anima, quod sit substantia, creatura, corpus, ante sit prædicatio essentialis.

DVBIVM II.

In quo soluuntur argumenta in contrarium.

399 *1. Obiectio.*

ARg. 1. authoritatibus, tùm SS. PP. tùm D. Th. qui plane videntur sentire, nec relationes, nec attributa esse de substantia diuinitatis, nec ad eius essentiam pertinere. Authoritates ex Patribus sunt Aug. in 7. de Trinit. cap. 2. & 4. & super Psalm 98. dicit, *Patrem alio esse Patrem, alio Deum, quia quod est, ad se dicitur, Pater autem ad Filium dicitur.* Et similiter docet, Verbum non eo esse sapientiam, quo Verbum, & idem est de essentia. Item in 5. de Trinit. cap. 6. docet, relationes dici de Deo, non secundùm substantiam, nec secundùm accidens, sed vt ad aliquid. Ergo de conceptu relationis non est substantia diuina, neque de conceptu substantiæ relationes. Item Nazianz. orat. 44. loquens de personis: *Neque substantiam*, inquit, *secernunt, verùm circa substantiam secernuntur.* Athanasius dial. 2. de Trinit. contra Anomæum inquit, *Generationem non quiddam essentiale*; ergo non pertinet ad essentiam Dei. Isid. 7. & Hymol. cap. 1. *Deum non esse essentialiter, quod relatiuè ad quamcunque personam est.* Damasc. lib. 3. de fide cap. 6. *Characteristica, hypostases, non naturæ sunt.* Cyril. Alexandr. 2. Thesauri cap. 3. docet extrinsece se habere ad essentiam relationem, qua distinguitur persona. Anselm. in Monolog. c. 14. *Si quid de summa natura dicitur relatiuè, non est eius significatum.*

Confirm. ex D. Thom. qui in 1. distinct. 34. quæst. 1. artic. 1. ad 4. expresse dicit, quod *De intellectu personæ oportet, esse aliquam rationem, scilicet relationem, quæ non est de intellectu essentiæ.* Et in 1. ad Anibal. distinct. 33. quæst. vnica artic. 4. docet, quod *Proprietas ad essentiam se habet disparatè, ad personam autem se habet per modum formæ.* Quomodo ergo est de conceptu essentiæ, & essentialiter prædicatur de illa, si disparatè se habet? Adhuc vrgentiùs in quæst. 8. de Potentia artic. 2. ad 6. dicit, *hanc prædicationem non esse per se: essentia est paternitas*: ergo non est de conceptu essentiæ formaliter. Item in hac parte primâ quæst. 39. artic. 3. ad 1. inquit, *quòd communia absolutè includuntur in intellectu propriorum, sed non e conuerso. In intellectu enim personæ Patris intelligitur Deus, sed non conuertitur.* Quid clariùs potuit D. Th dicere contra secundam partem nostræ secundæ conclusionis? *Confirm.*

Resp. ad 1. authoritatem Aug. quòd illam expresse sibi obijcit D. Thom. quæst. 8. de Potent. artic. in arg. 14. & respondet S. D. ad 14. *Dicendum, quòd Deus dicitur non eo Deus, quo Pater propter diuersum modum significandi diuinitatis, & paternitatis, vt expositum est.* Exposuerat autem solut. ad 4., quòd relationes diuinæ, licet significent id, quod est diuina essentia, non tamen per modum essentiæ, quia non per modum inexistentiæ, sed per modum se habentis ad aliud. Quarè cùm dicit Aug alio esse Patrem, alio Deum, intelligitur de alio ex parte modi significandi, non ex parte rei significatæ. Ex hac enim parte dicit August. 7. de Trinit. cap. 6. quod *cùm dicimus personam Patris, non aliud dicimus, quàm substantiam Patris.* Secundum locum August. eodem modo interpretatur D. Thom. loco citato ad 13. & in hac quæst. artic. 2. ad 1. vtrobique enim illum sibi obiecit, & soluit dicendo, quod relatiua non dicuntur de Deo substantialiter, seu quoad substantiam ex parte modi significandi, quia non modo substantiæ significantur, vt per se, & ad se, sed modo relatiuo, vt ad alterum. Ex parte tamen rei significatę substantia sunt. Eodem sensu accipe, quoties apud aliquos PP. audieris, attributa Dei non significare substantiam, sed aliquid circa substantiam, vt apud Damasc. lib. 1. de fide c. 4. Basilium lib. 1. contra Eunomium, Nazianz. orat. 38. & 42. Iustinum q. 3. Gentil. & alios: intelliguntur enim non significare substantiam in modo significandi, non in ipsa re significata. 400 *Resp. ad Auth. D. Aug. quòd licèt Relationes diuinæ significent id, quod est diuina essentia: non tamen per modum essentiæ.*

Ad locum Nazianz. in arg. allatum, dicimus extrà rem adduci: sensus enim eius est planus, quod personæ substantiam non secernunt, idest non diuidunt substantiam, sed circà ipsam secernuntur, quia inter se distinguuntur, non ab ipsa substantia. Explicauit enim Theologus vim illius nominis substantiæ, quę tunc temporis controuertebatur, an significaret hypostasim; & sic multiplicaretur in Deo, an naturam, & sic non diuideretur. Et ità in æquiuocatione huius nominis valde tunc laboratum est, propter Arrianorum dolositatem illos simplices decipientium, vt plures substantias in Deo concedendo, ipsi diuersas naturas inferrent. Vndè Nazianz. rectè dixit, substantiam non secerni per personas, quia nomen naturæ est, nec illa per personas diuiditur. Sed hoc quid ad præsentem controuersiam? Ad locum Athanasij dicitur, generationem non esse aliquid essentiale, quia est notionale: distinguimus 401 *Ad Naz. Resp. sensũ eius esse planum 5. Personas non secernere substãtiam. 1. non diuidere substãtiam.*

enim

enim notionalia ab essentialibus, non quia essentiali connexione de essentia non prædicentur, sed quia conceptu relatiuo dicuntur, & sunt propria personarum; cùm essentialia sint absoluta, & communia. Eadem est explicatio Isidori, scilicet Deum non esse essentialiter, quòd relatiuè est, quia relatiuum est notionale, non essentiale; & sic distinguit essentialiter esse contrà notionaliter esse; non tamen negat, essentialiter conuenire notionalibus, seu relatiuis id, quod esse diuini est.

402 *Ad D. Damasc. Resp. hypostases non esse naturas sub conceptu naturæ.*

Ad Damascen. dicimus, quòd hypostases non sunt naturæ sub conceptu naturæ proprio, & specifico, & secundùm modum significandi, quatenus natura significatur modo communicabili, hypostases modo incommunicabili; non tamen negat, esse naturam, sumpta natura pro essentia, seu esse diuino, modo quasi transcendentali se habendo ad omnia, quæ in Deo sunt. Et sic sensus est, quòd characteristica in Deo, seu notionalia non sunt naturæ, id est non sub conceptu naturæ, sed ad hypostasim, seu ad personam pertinent. Ad Cyril. dicitur, relationem extrinsecè se habere ad essentiam, tum ex parte modi significandi, quia non per modum essentiæ, sed extra illum significatur; tum quoad conceptum proprium, & specificum essentiæ in ratione naturæ, cui conceptui formaliter, & quoad sui expressionem extrinsecè se habet relatio, licèt in ratione conceptus transcendentalis, & entitatis increatæ intrinsecè illam in se includat.

Ad D. Cirillū Resp. relationes extrinsecè se habere ad essentiam.

403 *Ad Confirm. Resp. D. Th. in primo loco: loqui de relatione ex parte modi significādi; cum dicit, quod relatio contraponitur essentiæ.*

Ad Confirm. ex varijs locis D. Th. Resp. in primo loco, cum dicit, relationem esse de intellectu personę, non de intellectu essentiæ, loqui de relatione ex parte modi significandi, non ex parte rei significatę, & iterum loqui de essentia pro conceptu naturę proprio, & specifico, vt natura est condistincta ab attributis, nec de conceptu essentiæ pro omni esse diuino, & actu puro. Et hinc etiam apparet, quòd quando D. Thom. in aliquo ex his locis docet, relationem contraponi essentiæ, quod plus sonat, quàm distingui rationem ab illa: nam attributa distinguuntur, & non contraponuntur: dicit enim ly *contraponi* esse oppositum; & sic videtur dicere, quòd inquantùm contraponitur non est de conceptu eius. Sed Resp. quòd ly *contraponi* est ex parte modi significādi opponi, non ex parte rei significatæ; & sic solùm sequitur, quod ex modo significandi, scil. substantia, vt ad se; relatio, vt non ad se, sed ad aliud contraponuntur, in ly *ad se*, & non *ad se* absolutè dici, & non absolutè, licèt ex parte rei significatę non contraponantur. Vel secundò, relatio non est de cōceptu essentię, tanquam prædicatum adæquatum, & conuertibile cum ipsa, & vt constitutiuum essentialis rationis. Non tamen negat, esse de conceptu essentiæ, tanquam quid inadęquatum illi, siquidem essentia ita includit in se vnam relationem, vt non excludat aliam: debet enim habere corellatiuum.

404 *Nō repugnat, in vno conceptu essentiali, dari vnum prędicatum magis amplum de se, vt animal: aliud minùs amplum, vt rationale.*

Nec repugnat, in vno conceptu essentiali dari vnū prędicatum magis amplum de se, vt animal, aliud minùs amplum, illique inadæquatum, scil. rationale, licèt in hoc non teneat exemplum, quia animal, vt est in homine singularizatum, & determinatum, adęquatur rationali; vt autem abstrahit, & genericè sumitur, non adæquatur illi. Essentia autem diuina in se singularis existens communis est tribus personis. Vndè habet priuilegium rei vniuersalis abstractæ, v. g. generis, ita vt essentialiter connectatur cum personis, seu relationibus, nec tamen conuertibiliter; sicut si daretur animal abstractum à parte rei, vt posuit Plato, identificaret sibi differentias specificas, nec tamen conuertibiliter, & adęquatè cum qualibet earum se haberet. Denique relatio non ingreditur conceptum essentiæ, vt prædicatum constituens, sed vt terminans; & sic essentialiter illi conuenit, tanquam modus, & terminus eius. Sic autem intelligimus S. Thomam, quia ipse sic explicat in eodem loco, qui citatur dist. 34. hoc eodem exemplo de vniuersali respectu inferiorum, licèt cum differentia dicta. Et sic ponit, non esse relationem de intellectu essentię, quod nullo modo ab ipsa differt, quod est non esse de intellectu eius per adæquationem, & per modum prędicati constitutiui, non modificatiuis, cùm alijs locis suprà relatis explicauerit essentialiter, & per se relationes prædicandi de Deo.

405 *Ad 2. locum D. Th. Resp. hanc propositionem: Essentia est Paternitas; non esse per se: intelligi ex parte modi significādi.*

Ad secundum locum ex qu. 8. de Potent. S. Thom. dicit, hanc propositionem non esse per se *Essentia est paternitas*, ex parte modi significandi, non ex parte rei significatæ: nam expresè concedit in hac 1. p. qu. 39. art. 6. ad 2. quòd *tam ista est per se. Pater est Deus, quàm ista; Deus est Pater*. Non est etiam per se, sumendo essentiam pro conceptu formali essentiæ, seu naturę, vt distinguitur à conceptu formali attributorum, & personarum, sub hac præcisione, & formalitate non est per se, quia non conducit, aut pertinet ad illam formalitatem, seu pręcisionem conceptus, licèt illi rei conceptæ per se connectatur, & de illa essentialiter prędicetur. Vndè D. Thom. in illo eodem loco dicit, quòd *nec etiam essentia prædicatur per se de paternitate*; cùm tamen relatio non habeat aliam essentiam, quàm diuinam; & sic constat, quod parificat semper D. Thom. has propositiones: Deus est Pater, & Pater est Deus, vel essentia diuina, quia vtramque facit per se in hac q. 39. vtramque non per se, in qu. 8. de Potent. quod est euidens signum, locutum fuisse D. Thom. sub diuersis considerationibus, in qu. 39. ex parte rei significatę; in qu. 8. de Potent. ex parte modi significandi, vel etiam secundùm pręcisionem; & formalitatem proprij conceptus, quod satis indicat ibi S. Doct. dum dicit *per se prædicari aliquid de aliquo, quod prædicatur de eo secundùm propriam rationem*, hoc est sub formalitate proprij conceptus.

406 *Ad 3. locum D. Th. Resp. ibi negasse, propria esse de conceptu communium: loquendo de conceptu cum præcisione.*

Ad tertium locum Resp. quòd ibi negat D. Th. propria esse de conceptu communium, loquendo de conceptu sub formalitate, & præcisione eius, quod est commune, & eius quod est proprium; non de conceptu absolutè, & secundùm realitatem, & essentiam, vt est in se. Et patet hoc, quia loquitur de communibus, & proprijs secundùm ordinem intellectus nostri, qui vtique non ponit ordinem, idest priùs, & posteriùs in istis conceptibus, nisi quatenus vnum quodq; intelligit secundùm propriam formalitatem, & præcisionem, accipiendo naturam sub conceptu naturæ, & attributum sub conceptu proprietatis, & relationem sub conceptu terminantis, &c. sic enim ea, quæ sunt priora sunt de conceptu posteriorum, & communium, quia essentialiter illa præsupponunt secundùm suos formales conceptus, sed non è conuerso, posteriora non supponunt priora; & sic non sunt de conceptu illorum.

407 *Attendendo ad ordinem intellectus nostri; cōmunia sunt de conceptu propriorum, nō è contrà; loquē do adequatè potest cōcedi.*

Qua etiam ratione in ipsis prædicatis absolutis potest id reperiri, quia voluntas essentialiter supponit intellectum, seu intellectiuam naturam, non è conuersò, & æternitas supponit immutabilitatem, non è conuersò. Itaque attendendo ad ordinem intellectus nostri, & loquendo sub hac formalitate, quatenus ponit ordinem in istis conceptibus, communia sunt de intellectu propriorum, non è conuersò: Et sic idem est dicere, quod intelligitur in conceptu personæ Patris Deus, ac dicere, quod præintelligitur, seu præsupponitur ad conceptum Patris, sicut animal ad conceptum hominis. Et hoc deducitur ex illis verbis S. Th. in init. illius solut. ad 1. quòd communia absolutè dicta secundùm ordinem intellectus nostri, sunt priora, quàm propria. Si ergo secūdùm ordinem intellectus nostri procedit etiā inclusio in intellectu propriorum, & secundùm illum ordinem, & prioritatem, id est, præsuppositiuè includuntur, non è conuerso. Potest etiam dici, quod communia includuntur, & sunt de intellectu propriorum, non solùm præsuppositiuè, sed etiam formaliter, quia absoluta, & communia sunt constitutiua propriorum; & similiter propria non sunt de intellectu communium, sicut persona Patris non intelligitur in conceptu Dei, scil. adæquatè, & conuertibiliter cum ipso, aut tanquàm constitutiue naturæ Dei, bene tamen inadequatè, & tanquam modus, seu terminus diuinæ essentiæ, vt explicatum est.

408 2. Obiectio.

Arg. 2. Ex P. Suar. ratione, quæ ipsi videtur euidens. Quidquid est de essentia Dei, est de essentia singularum personarũ, illisque communicatur, quin potiùs vna persona opponitur, & communicatur alteri; ergo non sunt de essentia Dei. Ma. prob. tum quia singulæ personæ sunt verus Deus, ergo quidquid essentialiter conuenit, & prædicatur de Deo, cõuenit personis; tum quia in Concil. Lateran. c. *Damnamus*, & Florent. dicitur, Patrem communicasse Filio totam essentiam, non vero hoc, quod est esse Patrem, ergo Paternitas non potest pertinere ad cõceptum, & constitutionem essentiæ, quia sine paternitate inuenitur, & communicatur tota essentia. Mi. autem est manifesta, quia vna persona, & vna relatio non est alia, ergo non est de conceptu, & essentia alterius, si quidem ei opponitur.

409 1. Confirm.

Confirm. 1. In illo priori originis, quo Pater intelligitur constitutus, & potens generare, & nondum intelligitur Filius generatus, intelligitur tota, & integra, & perfecta diuinitas, & tamen non omnes relationes sunt de essentia, & conceptu diuinitatis, etiã inadequate. Conseq. est certa, quia tunc nondum intelligitur Filius, & intelligitur essentia plene, & perfectè; ergo filiatio non intrat constitutionem, & plenitudinem illius essentiæ. Antec. vero prob. quia in illo priori intelligitur in Patre totum, quod potest communicare Filio ex vi generationis; communicat autem totam essentiam plenam, & perfectam; ergo tota essentia pro illo priori plene constituta, & essentialiter intelligitur, nec tamen intelligitur tunc filiatio.

410 2. Confirm.

Confirm. 2. Quia essentia est vna, & simplex, nec in ratione essentiæ vllam distinctionem admittit, relationes autem distinctionem admittunt; similiter essentia est absoluta, & constituitur absoluto; ergo relationes non possunt pertinere ad constitutiuum essentiæ; ergo neque de eius essentiali conceptu esse. Et in hoc fundatur argumentum, quod communiter solet fieri, quia tota essentia communicatur Filio, & non communicatur paternitas; ergo paternitas non est de conceptu, & essentia, constitutione essentiæ.

3. Confirm.

Denique, quia si relationes essent de conceptu essentiæ, non posset vnum præscindere ab alio, sicut conceptus hominis non præscindit à rationali, quia est de essentiali ratione hominis; at conceptus essentiæ præscindit a relatione, & è contrà; ergo vnum non est de conceptu alterius, aliàs omnia essent in Deo formaliter idem, & non solùm identice, si vnum esset de formali, & essentiali conceptu alterius.

411 *Resp. dist. illã propositionem: quidquid est de essentia, tãquàm quid: conuenit personis essentialiter conced. tanquàm modus, & ad aliquid. nego.*

Resp. arg. illud, quod Suarez videtur euidens, est plane sophisticum, & peccare mutando *quid* in *ad aliquid*, quod S. Th. vocat fallaciam accidentis in diuinis. Igitur distinguenda est Ma. Quidquid est de essentia Dei, est de essentia singularum personarum, disting. quidquid est de essentia Dei, tanquàm quid, seù per modum quidditatis, conc. hoc enim commune est omnibus personis: quidquid est de essentia Dei, tanquàm modus, tanquàm ad aliquid, quod est modus inadæquatus (quælibet enim relatio non adæquat totam essentiam, cum debeat in illa dare locum suo correlatiuo) nego. Et sicut est sophisticum argumentum, quod formant Hæretici. Quidquid entitatiue, seù realiter est Deus, aut essentia Dei, est in qualibet persona, v. g. in Patre. sed filiatio est realiter, seù entitatiue essentia Dei; ergo filiatio est Pater, in quo sophismate euidenter mutatur *quid* in *ad aliquid*. & Ma. neganda est absolutè, aut distinguẽda Quidquid entitatiue est essentia diuina per modũ quidditatis, est in Patre, verum est; quidquid est essentia diuina per modum relationis, seu ad aliquid, nego. Prorsus idem peccatum inuenies in arg. Suarez, solum mutando illum terminum, *entitatiuè*, & *realiter* in illum terminum *essentialiter*, & dicendo: Quidquid est essentialiter Deus, seù de essentia Dei, est in qualibet persona, v.g. in Patre, filiatio est essentialiter Deus, seù Dei essentia, ergo est in Patre.

412 *Sicut hæc est bona conseq.*

Posse autem loco illius termini entitatiue poni ly *essentialiter*; & hæc vtrumque sophisma eodem pede claudicare constat, quia Deus quidquid est, essentialiter est: sicut enim ipse Suar. concedit suprà cap. 7. quod ista est bona Conseq. Pater est Deus; ergo est essentialiter Deus: similiter ergo ista erit bona: Deus est Pater, ergo essentialiter est Pater: quidquid est enim Deus est, essentialiter est, nullum enim prædicatum Deo conuenit accidentaliter, sed per intimam, & essentialissimam connexionem, siquidem ex vi sui essentialis, & formalis conceptus, qui est actus purus, habet sibi annexum, quidquid sibi conuenit; ergo idem est, conuenire Deo aliquid in re, & conuenire essentialiter, quia connexio diuina cum suis prædicatis est summa, & sic essentialissima, & hoc arg. sic soluit S. Th. & in eisdem fere terminis proponit 8. de Potent. art. 2. arg. 6. & 7. *Pater est Deus: ergo est essentialiter Deus: ità hæc Deus est Pater ergo essentialiter est Pater.*

413 *Instabis.*

Instabis. Implicat, quòd aliquid sit essentialiter connexum alicui, & ingrediatur conceptum eius essentialem; & tamen sit ei inadæquatum, sicut si modus vnionis ingreditur constitutionem hominis, tanquàm modus, implicat, quod non sit illi adæquatus, & inueniatur vbicumq; inuenitur homo: ergo hoc, quod dicimus de essentiali adæquato, vel inadæquato, est merum commentum ad eludendam vim argumenti.

Resp. neg. Anteo quando in essentia aliqua ob sui amplitudinem, & eminentiam, non vno solùm modo, sed pluribus petit terminari. Et de hoc non possumus exemplum omninò quadrans inuenire in rebus creatis, sed inueniremus simile, si genera, & species, vt posuit Plato, essent à parte rei subsistentia: tunc enim essentialiter identificarent sibi inferiora sua, si quidem essentialiter essent vniuersalia, petерentque inferiora, & inadæquate essent cum quolibet inferiori diuisiuè sumpto. Essentia autem diuina habet vim termini communis respectù personarum, licet singularis, & subsistens forma sit; vnde admittit illam rationem connexionis essentialis inadæquatè, vel adæquate, vt dictum est, quod in rebus creatis non est videre. Et hoc totum nascitur ex illo fundamento, quod Deus quidquid realiter est, essentialiter est, constat autem, quod essentia diuina realiter, & entitatiue est Pater, & non est adæquate Pater, idest solùm Pater, quia etiam est Filius, ergo est inadæquatè, ergo etiam est essentialiter inadequatè, quia hæc est diuinitatis vis, vt idem sit in ea esse realiter tale, & essentialiter tale, id est per summam connexionem. *Resp. neg. Antec. quando essentia aliqua ob sui amplitudinem, non vno solùm modo sed pluribus petit terminari.*

414 *Ad 1 Confirm. Resp. quòd in illo priori originis intelligitur tota essẽtia diuina tota: sed non totaliter.*

Ad 1. Confirm. Resp. quod in illo priori originis intelligitur à nobis tota essentia diuina, sed non totaliter, quia non explicatur pro illo signo omne, quod pertinet ad essentiam diuinam, etiam tanquam modificatiuum, & terminatiuum eius inadæquatè; quia enim illa prioritas non est prioritas rei, sed intelligentiæ, & rationis, ibi tunc est essentia cum omni eo, quod pertinet ad se, etiam notionaliter, & relatiue. Sed quia nos per nostram intelligentiã diuidimus id, quod ibi est; concipimus id, quod est essentię, quantùm ad absoluta, & quantùm ad id, quod communicabile est per generationem, non quantùm ad relatiua, & modificatiua essentię, quod est non totaliter exprimere quę ad essentiam pertinent, licet tota essentia exprimatur. Et licet pro illo priori Pater intelligatur compræhendere se, & totum, quod est in Deo, non tamen hoc conuincit, quod pro illo priori intelligatur persona filij, vt producta, licet intelligatur obiectiuè à Patre attacta, & cognita, siquidem ex cognitione sui, & creaturarum procedit, ergo prius intelligitur cognosci, vt obiectum, quàm exprimi, & procedere, vt genitum, quia ex cognitione Patris generatur.

415 *Ad 2. Confirm. Resp quòd essentia vna existens admittet distinctionem in relatiuis: licèt nõ in absolutis.*

Ad 2. Confirm. Resp. quòd essentia vna existens non admittit distinctionem in absolutis, bene tamen in relatiuis. Vnde quoad absoluta non constituitur relatione sub formalitate, & præcisione absoluti. Sed absolutum vt est ratio non sistens in ratione absoluti, sed complectens etiam genus relatiuum ob sui eminentiam, sic etiam ex relatiuo constituitur, quia pertinet ad illam essentiam, vt est actus purus, & ambiens omnem perfectionem, & rationem diuinam, etiam essentialiter continere relationem, quia

si realiter

si realiter continet, etiam essentialiter, & ab intrinseco. Et sic essentia, vt dicit præcisè conceptum naturæ, condistinguitur à relatione, nec per eam constituitur in tali cōceptu, quia relatio pertinet ad munus, & conceptum personæ, non naturæ, vt autem dicit rationem, quasi transcendentalem actus puri, & entis increati, sic vtrumque genus includit, & absolutum, & relatiuum, relationesque essentialiter includit, vt terminos, & modificatiua quædā essentiæ.

416 *Vrgebis.* Vrgebis, commune argum. quòd communicatur tota essentia, & non paternitas. Resp. disting. communicatur essentia sub conceptu absoluto, & sub præcisa ratione essentiæ, concedo; sub omni modo, & inclusione talis essentiæ, nego, quia non sub modo paternitatis. Item communicatur tota essentia, sed non totaliter, id est, non sub omni modo incluso in tali essentia pertinente ad eius terminationem, & subsistentiam. Et sic relatio non est de conceptu essentiæ, vt constituens rationem absolutam, & quidditatiuā; est tamen de conceptu essentiæ, vt modificatiuum, & terminatiuum eius. Ad id, quòd vltimò proponitur. Resp. quòd id, quod est essentiale, & intrinsecum alicui, potest ab eo præscindere, si inadæquato, & imperfecto conceptu concipiatur, non si perfecto, & adæquato, sicut qui concipit hominem sub conceptu generis proximi, v.g. animalis, & differentiæ vltimæ, scil. rationalis, essentiam hominis concipit, licèt non explicet gradus superiores, vt corpus, substantiam, &c. Et tamen quis neget, hos gradus esse homini essentiales; nec tamen ab illis præscindit essentia hominis præcisione exclusiua, quasi illos non includat, aut in potentia ad eos sit, sed præcisione non expressiua, seu per non explicationem, quia licèt ibi includantur, non tamen ibi explicantur.

Resp. essentiam communicari sub conceptu præcisiuo essentiæ: non verò sub omni, & amplo modo essentiæ.

417 Duplex enim est præcisio, alia per non inclusionē, quando aliquid ità segregatur ab alio, quòd solùm remanet in potentia ad illud: alia per solam non expressionem, quando aliquid actu quidē includit aliud, sed non explicat illud, qua ratione transcendentia præscindunt ab inferioribus, & actus purus, seu diuina essentia à suis attributis, & rationibus, quas includit, nunquam ab illis sic præscindit, quòd remaneat in potentia, sed potest sic explicare vnum, quòd non aliud, licèt omnia essentialiter includat: quia non plenè, & totaliter explicatur totum, quod pertinet ad essentiam. Cùm verò dicitur, quod sic omnia erunt in Deo formaliter idem, & non solùm identicè. Resp. omnia esse formaliter idem, si ly *formaliter* sit idem, quod essentialiter, seu in primo modo per se: non enim aliter sunt idem. Sed non omnia sunt formaliter idem formalitate præcisionis, & appellationis, sicut nec in quarto modo per se.

Præcisio duplex est, alia per nō inclusionem: alia per solam non expressionem.

418 *3. Obiectio.* Arg. 3. Ex P. Vasq. hic disp. 121. cap. 2. Relatio concipitur, aduenire essentiæ; ergo non includere illam formaliter; aliàs si includeret, quomodo ei adueniret. Et præsertim quia relatio ità concipitur aduenire essentiæ, vt determinet eam: id autem, quod determinatur, non continetur in conceptu determinantis, vel è contrà. Nec obstat exemplum de ente, quod determinatur per modos contrahentes, & tamen in illis includitur. Contrà enim est, quia ens non significat aliquam rationem communem, quæ determinatur per particulares, sed solùm nomen est commune; in præsenti autem essentia realiter, & verè communis est personis. Confirm. 1. Si essentia includeretur in conceptu relationis, hæc est vera, Paternitas est essentia, vnde sequeretur, quod paternitate Deus intelligeret, & paternitate esset sapiens, & similiter filiatione, seu verbo, quia essentia est paternitas, & essentia est sapiens, & intelligens. Non conceditur autem à Theologis, Deum esse sapientem sapientia genita. Confirm. 2. Si relatio includeret essentiam, sequeretur, quòd relatio non constituit personam. Conseq. non admittimus; ergo sequela. Prob. quia persona non est aliud, quàm essentia determinata per ipsam relationem, si ergo relatio includit essentiam, iam relatio est persona, ergo non est id, quo constituitur persona, siquidem persona non constituitur persona, tanquàm forma, sed est res constituta.

1. Confirm. *2. Confirm.*

419 Resp. Quòd relatio intelligitur aduenire essentiæ, non vt aliquid extrinsecum, & totaliter præcisum ab ipsa, quasi essentia maneat in potentia, & non habeat in se actu ipsam relationem, cùm essentia sit actus purus, & ad nihil in potentia: dicitur ergo aduenire, & determinare essentiam, non sicut differentia determinat genus, ad quod comparatur, tanquàm actus ad potentiam, sed vt aliquid magis explicitum, id quod est minùs explicitum, & magis in confuso significatum. Essentia quippe diuina sub hoc nomine significata solùm significat esse diuinum in tota sua amplitudine, & vt in confuso includit omnem perfectionem, cùm verò explicatur relatio, determinatur, & explicatur id, quod determinatam quandā perfectionem, aut rationem explicat in Deo, quæ priori conceptu essentiæ non explicabatur, licèt ibi includebatur; non vero additur aliquid, quod in essentia, vel natura actu, & essentiali connexione non includeretur. Itaque determinatio ista, & relationis aduentus non fit per additionem vnius ad aliud, quia in Deo est impossibilis omnis compositio, etiam per intellectum nostrum: cùm repugnet summæ simplicitati, & actui puro, & consequenter est impossibilis omnis additio, seu accumulatio vnius ad aliud, sed ratione actus puri, quidquid diuinum est, actu includit. Fit ergo aduentus, & determinatio relationis ad essentiam per nouam explicationem eius, quod antea non exprimebatur in conceptu illius rei, licèt includebatur, non per additionem, aut vnius cum alio compositionem. Quod vero dicitur, ens solo nomine esse commune, est dicere, quod ens non est analogum, sed purè æquiuocum, quod est falsum ex D. Thom.

Resp. Relationem nō aduenire essentiæ, vt aliquid extrinsecum: cū essentia sit actus purus: sed aduenit, vt aliquid magis explicitum.

420 Ad 1. Confirm. Resp. veram esse illam propositionem, Paternitas est essentia; sed non conceduntur aliæ propositiones, Paternitate Deus est sapiens, aut filiatione, vel verbo, quia ex modo significandi fit ibi formalis significatio, & applicatio paternitatis sub proprio, & formali conceptu relatiuo, sub quo distinguitur ab absoluto. Et sub conceptu relatiuo constituit Deum relatum, seu Patrem, non sapientem, qui est conceptus perfectionis absolutæ. Vnde cùm significatur aliquid sub formalitate, & præcisione proprij conceptus, non potest concedi, quod sub illa formalitate, & præcisione tribuat effectum formalem, qui pertinet ad alteram præcisionem, seu formalitatē. Et licet essentia diuina in re sit totum hoc, & identicè illa re, quæ est paternitas, sit sapiens, & illa re, quæ est sapientia sit Pater; tamen quia in illa essentia propter suam eminentiam plures rationes, & perfectiones distinguuntur, & significantur nostro modo intelligendi; ideo ex modo significandi aliquem terminum sub aliqua formalitate, & præcisione, non concedimus aliquas propositiones, licet sint circà eandem rem, quæ essentialiter est omnia illa, & intrinseca, ob diuersum modum significandi. Non enim dicimus, quod per voluntatem procedit Filius, sed per intellectum, & Spiritus S. per voluntatem, & tamen voluntas, & intellectus in Deo sunt omninò vnum, & idem essentialiter. Certe non potest negare Vasq. quòd Deitas sit de conceptu intrinseco, & essentiali Dei, quia per Deitatem essentialiter constituitur, & tamen in doctrina fidei Deus generat, & Deitas non generat propter diuersum modum significandi terminorum; ergo non mirum, quod licèt paternitas sit de essentiali conceptu diuinæ essentiæ, & sapientiæ, &c. tamen paternitate non sit sapiens, sed essentia Deus propter diuersum modum significandi, & diuersam formalitatem, & præcisionem, qua explicatur vnum, & aliud.

Ad 1. Confirm. Resp. hanc esse veram propositionem Paternitas est essentia: sed non conceduntur aliæ Paternitate Deus est sapiens, filiatione, vel Verbo.

421 Ad 2. Cōfirm. Resp. illud argum. esse planè sophisticum, & instari manifestè in exemplo allato de Deo, & Deitate. Nam deitate constituitur Deus, tanquàm forma, & tamen Deitas ipsa est Deus, etiam in concreto; nam quidquid in Deo est, Deus est, & dicere, quòd diuinitas non sit Deus, impijssimum est, vt Bernard. Serm. 80. in Cantica dicit contra Gilbertum. Similiter relatione constituitur persona, & ipsa relatio est persona, & est essentia, & est Deus, nec tamen

Ad 2. Confirm. Resp. instari posse manifestè nam licèt Deitas sit Deus: Deus non cōstituitur Deo, sed Deitate.

tamen persona constituitur persona, sed personalitate, & relatione, sicut nec Deus constituitur Deo, sed Deitate, vt forma, licèt etiam ipsa Deitas Deus sit; quia in diuinis abstracta prædicantur de concretis, & è contra, quòd ista non differant, nisi secundùm modum significandi; non ex parte rei significatæ. Sic ergo ad Arg. in forma dicimus negando seq. ad prob. Persona non est aliud, quàm essentia determinata per relationem, distinguo, nihil aliud est, quàm essentia sub conceptu communi, & quasi transcendentali essentiæ, nego; sub conceptu essentiæ, vt est natura terminabilis per personalitates relatiuas, transeat. Ad Conseq. ergo si relatio includit essentiam, iam relatio erit persona, disting. si relatio includit essentiam sub conceptu naturæ terminabilis à personalitate, erit persona, conc. si includit solùm sub communi, & transcendentali conceptu entis increati, quod est commune omni rei diuinæ, sequitur, quòd sit persona, neg. sed sufficit, quòd sit personalitas, seu forma terminans, & constituens personam, quæ quidem identicè, & realiter persona est, sed ex modo significandi, solùm significatur, vt forma, seu terminus personæ, non vt persona ipsa constituta; sicut Deitas significatur, vt forma constituens Deum, ex modo significandi, licet ex parte rei significatæ Deus sit.

422 *In Forma Resp. Personã esse essentiam tantùm: sub conceptu essẽtiæ transcendentalis: neg. sub conceptu essentiæ, vt est natura terminabilis à tribus personis; transeat.*

Vndè cùm infertur, quòd relatio erit persona, si includit essentiam, quia persona non constituitur persona, distinguo; erit persona, si includit essentiam cum tali modo significandi, quòd significetur per modum constituti ex essentia, vt natura, & relatione, vt termino, conced. si cum tali modo significandi, quòd significetur per modum formæ, seu termini constituentis, & includentis essentiam modo cõmuni, & quasi transcendentali tantùm, nego; sic enim est essentia per modum formæ personam constituentis, non per modum personæ constitutæ. Et quia essentia diuina omnibus istis modis significari potest, in concreto, & in abstracto, vt forma constituens, & vt res constituta, quia omnia ista Deus sunt, cùm intrà Deum sint, fit quòd ex inclusione essentiæ in relatione quomodocumque, non sequitur, quòd sit persona; nisi etiam ex modo significandi, significetur vt constitutum, non vt forma constituens. Si autem includat essentiam, & significetur, vt forma; non sequitur, quòd sit persona, sed personalitas.

Relatio est persona, si includit essentiam cum tali modo significandi: quòd significetur per modũ constituti.

Ex his manet etiam soluta quædam inconueniẽtia, quę tanquam sophismata objici possunt contra nostram sententiam. Nam primo sequitur, quòd posset filiatio esse de conceptu paternitatis, si est de conceptu essentiæ: nam essentia est de conceptu Patris, filiatio est de conceptu essentiæ: ergo filiatio est de conceptu Patris. Secundò sequitur, quòd essentia posset concipi conceptu relatiuo. Conseq. est absurdum; ergo, & nostra sententia. Seq. Prob. quia essentia potest concipi eo conceptu, quo constituitur, & est de eius essentia, sed per se constituitur relatione; ergo potest concipi conceptu relatiuo. Mi. patet; quia conceptus relatiuus est incommunicabilis, conceptus verò essentiæ est communicabilis; & ideo essentia non generat, nec generatur; quia relatiuè non se habet.

423 *4. Obiectio ex multis inconuenientibus. Primum.*

Secundum.

Tertio sequitur, quòd aliquid sit de conceptu essentiæ in Patre, quod non est de conceptu essentiæ in Filio. Conseq. est absurdum; ergo. Mi. patet, quia aliàs non esset eadem essentia in Patre, & Filio, siquidem aliquid haberet de conceptu essentiali in vno, quod non in altero: & seq. prob. quia paternitas est de conceptus essentię non adęquatè, prout in omnibus personis, aliàs paternitas communicaretur Filio, quod est Hęreticum: solùm ergo est de conceptu essentię inadęquatè sumptę, scil: prout in Patre: non ergo est de conceptu essentię, prout in Filio: aliquid ergo est de conceptu essentię in Patre, quod non est de eius conceptu, prout in Filio. Quartò, sequitur illud vulgare inconueniens, quòd Pater non communicaret Filio totam essentiã, quia non communicaret totum, quod est de conceptu essentię, scil. relationem? Hęc, & alia similia sophismata ex dictis soluuntur.

Tertium.

Quartum.

Ad 1. dicitur, peccare illud sophisma, sicut & illud vulgare. Pater est hęc essentia diuina: hęc essentia diuina est Filius: ergo Pater est Filius. Conseq. non valet, etiam loquendo realiter, & identicè, quia mutatur quid in aliquid, quę est fallacia accidentis: ita enim Pater est hęc essentia, & hęc essentia est Pater, quod non adęquatè est Pater, sed etiam Filius: vndè non sequitur ex identificatione Patris cũ essentia, quòd identificetur cum omni alia relatione essentię; idem peccatum est in eadem Conseq. addito ly *essentialiter*, quia in diuinis perinde se habet, quòd Pater sit Deus realiter, & quòd sit essentialiter, vel essentia, & Deus sit Pater essentialiter; quidquid enim Deus est, essentialiter est.

424 *Ad 1. Inconueniens Resp. peccare illud sophisma, sicut hoc, Pater est hæc essentia diuina: hæc essentia diuina est filius, ergo.*

Ad 2. distinguitur sequela: sequitur, quòd essentia possit concipi conceptu relatiuo sub præciso, & explicito conceptu essentiæ, & ex modo significandi essentiam, nego; sub alio conceptu explicante modum, & terminationem personalem essentiæ, transeat: sed hoc non erit sub conceptu essentiæ, nec vt significatur illo nomine essentiæ. Et ad prob. quòd essentia potest concipi eo conceptu, quo constituitur, disting. si adæquatè concipiatur, & explicetur, conc. si inadæquatè, neg. nec enim in conceptu inadæquato, & pręciso oportet explicare omne, quo constituitur in se, sed omne, quo constituitur sub illa pręcisione, & explicatione. Essentia autem explicat omne, quod est essentię constitutiuum, sub ratione *quid*, sed non omne constitutiuum sub ratione *ad aliquid*, seu sub ratione modi, quia non explicat omne, quod est modificatiuum talis essentię, & hoc modificatiuum etiam essentialiter est Deus, seu essentia diuina, quia non habet aliam essentiam, & essentia diuina ob suæ perfectionis illimitationẽ, etiam talem modum essentialiter includit, quia omne esse diuinum essentialiter includit; sed non sub omni conceptu explicat totum, quod essentialiter includit, & sic prout explicatur sub conceptu essentię, in quo præscindit à modificatiuo, non explicatur conceptu relatiuo, & incommunicabili, licèt relatiuam rationem ibi includat.

425 *Ad 2. Resp. essentiam non posse concipi conceptu relatiuo, sub conceptu præciso, & explicito essentiæ.*

Ad 3. Resp. dist. sequel. aliquid est de conceptu essentiæ, prout in Patre, quod non est de conceptu essentiæ, prout in Filio, disting. quantùm ad modificationem essentiæ, transeat; quantùm ad constitutiua essentiæ, nego; id est quantùm *ad aliquid*, sed non quantùm, *ad quid*. Et sic cùm infertur, quòd erit alterius rationis essentia in Patre, quàm in Filio, distinguo, alterius rationis, quantùm ad constitutiua essentiæ, & quantùm ad quid, nego; alterius rationis, quantùm ad modificatiuum, & quantùm ad aliquid, transeat; opponitur enim vna relatio alteri, & sic quoad hoc est alterius rationis. Vndè non potest sequi, quòd aliquid sit de conceptu essentię in vna persona, quod non sit in alia simpliciter loquendo, sed solùm quoad modificationem inadęquatam, & relatiuam. Ad 4. iam suprà responsum est, quod Pater communicat totam essentiam Filio, sed non totaliter, & sub omni modificatione, idest totã, quantùm ad quid, sed non quantùm ad aliquid.

426 *Ad 3. Resp. aliquid est de conceptu essentiæ prout est in Patre, quod quãtũ ad aliquid, non est de conceptu essentiæ, vt in Filio.*

Ad 4. Resp.

DVBIVM III.

An tres relationes dicant tres perfectiones, existentias, & alia similia attributa multiplicent? Vbi. An existentia multiplicetur in relationibus?

427 PRobabiliùs iudico secundùm mentẽ (quæ est alia via magis Thomist. quã alia in disp. prob.) S. Th. relationes, etiã secũdùm se, & in linea, & formalitate relationis perfectionẽ dicere; sed non explicare illã per ordinem ad terminum, sed per ordinem ad subiectum, & fundamentum. Et consequenter non multiplicari istas perfectiones in tribus relationibus, seu personis, quia non multiplicatur fundamentum; sed eadem perfectione, etiam vt relatiua est gaudere. Prima pars Conclus. desumitur in primis ex D. Th. suprà

Probabiliùs est secundùm D. Th. Relationes formaliter, dicere perfectionem: sed illam explicare in ordine ad subiectum.

upra. q. 27. art. 2. ad 3. vbi inquit, quod. *In ipsa perfectione diuini esse continetur, & verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi, sicut & quæcumque ad eius perfectionem pertinent*; sed Verbum, & principium verbi sunt personæ, & relationes vt distinctæ; ergo si continentur in perfectione diuini esse, sicut quæcumque ad eius perfectionem pertinent, vtique Verbum, & principium verbi ad perfectionem pertinent. & q. 8. de Potent. art. 1. ad 1. inquit, quod *Diuina essentia, quia comprehendit omnium generum perfectiones, nihil prohibet, relationem in ea inueniri*. Quę ratio nihil valet, si relatio non dicat perfectionem. Item inf. q. 29. art. 3. dicit S. Th. quòd *Persona significat id, quod perfectissimum est in tota natura, scil. subsistens in natura rationali. Vndè cùm omne illud, quod est perfectionis Deo sit attribuendum, eo quòd eius essentia cōtinet in se omnem perfectionem, conueniens est; vt hoc nomen* persona, *de Deo dicatur*. In art. autem 4. immediatò dicit, quòd *Persona in diuinis significans relationem, secundùm quod facit distinctionem, & significat illam, vt subsistentem*.

Persona significat id, quod perfectissimum est in tota natura. Secundū D. Th.

Relatio igitur vt subsistens, & vt personalis perfectionē dicit, quod est in ordine ad subiectum.

Relatio ergo vt subsistens, & vt personalis, quod vtique conuenit relationi diuinę secundùm se, & in linea, & formalitate relationis, licet non sub exercitio ad terminum, sed vt fundata est in suo fundamento, perfectionem dicit; siquidem nomen personæ, vt dicit S. Th. est nomen perfectionis, ideoque attribuitur Deo, vt persona relatiua est, & relatione constituta. Videndus est etiam S. D. q. 9. de Potent. art. 3. vbi distinguit in persona naturam, & modum, quo existit natura. Et quidem natura est dignissima, scil. intellectualis; modus autem existendi, quem importat persona est dignissimus, scil. vt sit per se existens, & cùm omne, quod est dignissimum in creaturis sit Deo attribuendum, consequens est, vt nomen personæ attribuatur Deo. Igitur D. Th. ex eo, quod modus subsistendi dicit perfectionem, attribuit illum Deo; sed relatio, prout distinguitur nostro modo intelligendi à natura est formaliter modus iste per se existendi, & incommunicabilis subsistentiæ, quia ipsa est quæ formaliter constituit personam in ratione personæ subsistentis incommunicabiliter, & distinctæ ab alijs personis; ergo relatio intra lineam relationis in Deo perfectionem importat hoc ipso, quod modum personalitatis importat.

428 *Ex alio loco D. Th. habetur, quod Relatio, vt distinguit personas, non dicit imperfectionem in diuinis: dicit ergo perfectionem. idem ex alijs locis constat.*

Denique in 4. contr. Gent. c. 14. circa 9. & 10. argumentum fatetur D. Th. quòd relatio in creaturis habet esse dependens, nō solùm à substantia, sed etiam ab alijs accidentibus, ideoque imperfectissimum, & postremum, sed in diuinis relatio non habet esse dependens, neque imperfectum. Ex quo colligit, quod *Ex imperfectione, quæ in relationibus creatis esse videtur, non sequitur, quòd personę diuinæ sint imperfectę*, quæ relationibus distinguuntur, *sed sequitur, quòd personarum diuinarum minima sit distinctio*. Si ergo ex relatione etiam vt distinguente personas, non sequitur imperfectio in diuinis; relatio ergo perfectionem debet importare in vi conceptus sui, etiam quatenus relatio distincta, seu distinguens est. Quòd verò hanc perfectionem non explicet per ordinem ad terminum, & sub exercicio *Ad*, vt ly *Ad* tangit terminum, sed vt tangitur, & nascitur ex fundamento, sumitur ex ipso D. Th. in 1. dist. 26. q. 2. art. 2. ad 3. & 4. vbi dicit, quòd *Quamuis relationi ex hoc, quòd ad alterum dicitur, non debeatur, quòd sit res quędam: est tamen res aliqua, secundùm quod habet fundamentum in eo, quod refertur; & ex hoc vlteriùs habet, inquantùm diuina, quòd sit hypostasis, vel substantia; & ideò facit realem hypostasum distinctionem*. Et clariùs in 1. ad Anibald. eadem dist. 26. q. 2. art. 1. *sciendum*, inquit, *quòd relatio dupliciter potest considerari. Vno modo quantùm ad id, ad quod dicitur, ex quo non habet, quod ponat aliquid, quamuis etiam ex hoc non habeat, quod nihil sit: sunt enim aliqui respectus, qui sunt aliquid secundùm rem; quidam verò, qui nihil, quod in alijs generibus non inuenitur. Alio modo quantùm ad id, in quo est; & sic quando habet causam in subiecto realiter inest, & ipse respectus est realis*: & idem ferè tradit in hac q. 28. art 1.

429 *Prob. Relationē dicere perfectionē in ordine ad subiectum, non vero ad terminum: quia respectū termini nō explicat realitatem; sed solam respicientiam, & contra positionem.*

Et ratio huius manifesta est; quia illud *Ad*, quod in se reale est, & in se perfectio est respectu termini, non ponit nisi respicientiam, & contra ipsum est: ergo non explicat, prout sic, realitatem, quæ fit, sed ad quam realitatem fit; nec respicientia ponit quidquam in termino, nisi esse respectum, nec à termino accipit perfectionem, sed solùm correspondentiam, & correlationem, nec comparatur ad ipsum, vt perfectibile ad perfectionem, sed vt purus terminus. In se ergo realitatem habere potest ratione fundamenti, quia ex ipso habet esse, & actualitatem; omnis autem perfectio dicitur ratione alicuius esse, vel actualitatis, & omnis realitas aliquam existentiam respicit, per terminum autem non habet esse, neque existentiam, seu actualitatem, sed tantùm terminationem, ex ipso ergo non non habet realitatem, sed ad ipsum. Et ita fundamentum est causa realitatis, terminus autem conditio, seu id, circa quod exercetur realis oppositio, quia sine termino realis respicientia, & oppositio non esset. Vndè D. Th. dicit q. 8. de Potent. art. 1. ad 3. quòd *Id, quod est proprium relationis, scil. opponi, & distingui, realiter in diuinis inuenitur*. Quarè non negat D. Th. nec vllus eius discipulus negare potest, quòd relatio, vt relatio, & vt exercet *Ad*, & vt tangit terminum realis sit, & oppositio, atque distinctio eius sit realis, sed dicimus, quòd realitatem hanc, & esse, & actualitatem, & consequenter perfectionem habet ratione fundamenti, & in illo ponit id, quod est. Respectù verò termini exercet hanc realitatem, quam ex fundamento habet, non ponendo eam in illo, sed contrà ponendo illi, aut respiciendo, & hoc non est explicare eam per ordinem ad terminum, quasi in eo ponendo, aut ab eo habendo realitatem.

430 *Perfectionem Relationis nō multiplicar. Prob. 1. ex D. Th. docente: quamcumque perfectionem, quæ est in Patre: pertinere ad dignitatem Filij.*

Quoad secundam verò partem conclusionis, quod perfectio, quam dicit relatio, & quam ex fundamento haurit, & secundùm quam respicit oppositum correlatiuum, non multiplicetur. Sumitur in primis ex S. Th. hic qu. 40. art. 4. ad 2. vbi dicit: *sicut eadem essentia, quę in Patre, est paternitas, in Filio est filiatio, ita eadem dignitas, quę in Patre est paternitas, in Filio est filiatio. Vndè dicitur, quòd quidquid dignitatis habet Pater, habet Filius, nec sequitur, paternitatem habet Pater, ergo paternitatem habet filius, mutatur enim quid in ad aliquid: eadem enim est essentia, & dignitas Patris, & Filij; sed in Patre est secundùm relationem dantis, in Filio secundùm relationem accipientis*. Vnde fit argumentum: quęcumque perfectio, etiam relatiua, quæ est in Patre, pertinet ad dignitatem eius; nam esse Patrem, seu principium personarum, dignitas eius est, & hoc est quid relatiuum; sed dicit S. Th. quod eadem est dignitas paternitatis, & filiationis; ergo eadem perfectio relatiua. Item in q. 8. de Potent. art. 1. ad 11. dicit S. Th. quòd *Nullo modo concedendum est, quòd aliud sit esse relationis in diuinis, & aliud essentiæ. Ratio autem non significat esse, sed esse quid, idest quid aliquid est. Vndè duę rationes rei non demonstrant duplex esse eius*. Si ergo esse relationis in Deo nullo modo cōcedendum est, quod sit aliud ab esse essentię, licet sit alia ratio relationis, & essentiæ, & omnis perfectio, & bonitas secundùm D. Th. 1. p. q. 5. art. 2. sumitur ex ordine ad esse, oportet quod secundùm D. Th. perfectio, & esse relationis, etiam vt relatiuum, non multiplicetur.

431 *2. Prob. ex D. Th. asserente, Perfectionem relatiuam reguları penes esse, seu actualitatem: esse autem relatiuum est tantùm vnum.*

Denique videndus est S. D. in 1. dist. 33. q. 1. art. 1. ad 2. vbi inquit, quod, *Sicut in Filio est esse essentię, est esse paternitatis, quia in diuinis non est, nisi vnum esse*. Vbi manifestum est, quod condistinguendo esse essentiæ ab esse paternitatis, non potest accipi esse paternitatis, nisi pro esse relatiuo. dicit autem S. D. quod sicut est in Filio esse essentiæ, ita est esse paternitatis; ergo illud met esse relatiuum, quod est Patris, est Filij, & non solùm esse absolutum, quod est essentiæ. Et reddit rationem,

nem, quia est tantùm vnum esse; ergo sentit, quòd esse relatiuum est tantùm vnum, & non multiplicatur, etiam vt distinguitur ab esse essentiæ. Perfectio autem relatiua regulatur penes esse, seu actualitatem relatiuam, sicut perfectio absoluta penes esse, & actualitatem essentiæ; ergo sentit D. Th. non multiplicari perfectionem relatiuam in Deo, licèt multiplicetur respectus, & relatio distinguatur. Nam postquam D. Th. dixit, quod esse paternitatis est in Filio, quia est tantùm vnum esse, subdit, quòd *Paternitas habet rationem paternitatis, quæ est alia à ratione essentiæ: vndè secundum suam rationem potest respectus, esse in Patre, & non in Filio, scil. distinguere Patrem a Filio.* Ecce quomodo officium distinguendi secundùm rationem respectus, & relationis, fatetur D. Th. esse in relationibus diuinis, non distinguendo, nec multiplicando esse ipsius relationis, seu paternitatis, vt distinguitur ab esse essentiæ; ergo pari forma perfectio relatiua non multiplicabitur, licèt relatio secundùm oppositionem multiplicetur realiter.

432 Rationem huius ex ipsis visceribus naturæ relationis videtur reddidisse S. Th. cùm ait q. 8. de Potent. art. 1. ad 12. quòd *Cùm relatio sit accidens in creaturis, esse suum est inesse; vndè esse suum non est ad aliud se habere.* Quæ ratio fortiùs currit in diuinis, quia si in creaturis esse relationis est inesse, in diuinis est subsistere, vndè esse suum nõ est ad aliud, siquidem in se subsistit, & ad se est illud esse, prout subsistens. Sed tota ratio multiplicandi relationes, seu respectus est oppositio, & correspondentia ad suum correlatiuum: ergo si ipsum esse relationis solùm est per ordinem ad subiectum, quando est accidens inhærens, vel per ordinem ad se, si est subsistens, manifestè deducitur, quod tale esse in vi oppositionis relatiuæ multiplicari non potest: ergo si in Deo ex nullo alio principio potest multiplicari aliquid, quàm ex oppositione relatiua, vbi illa cessat, cessat multiplicatio; quod non est in creatis, in quibus cùm relatio addat esse accidentale supra ipsum subiectum, seu fundamentum, potest multiplicari relatio ex diuerso esse limitato, quod habet quælibet relatio, etiam ex parte sui fundamenti, & in ordine ad subiectum, non multiplicata oppositione correlatiua. Nam etiam relationes disparatæ, & non correlatiuę multiplicantur in aliquo subiecto, & non per oppositionem correlatiuam inter se, quod in Deo non contingit, quia si relationes aliquę non opponuntur, hoc ipso identificantur, vt patet in paternitate, & spiratione actiua. Si ergo ex parte fundamenti, & esse, quod ex illo relationes habent, non datur aliqua oppositio in relatione diuina cum suo fundamento, ex hac parte multiplicari non possunt, quia deest multiplicationis principium, quod est oppositio. Ergo si tota perfectio relationis, etiam vt relatiua ex fundamento, & subiecto desumitur, repugnat multiplicari in ratione perfectionis, licèt in ratione respectus oppositi, & distinguentis multiplicentur.

Prob. 3 ratione quia si in creaturis, esse relationis est inesse; in Deo est esse subsistens: at ratio multiplicandi relationem est respectus ad terminum, ideò &c.

433 Confirm. nam benè stat relationem in Deo distingui, & opponi cum alia sibi correlatiua in ratione respectus oppositi, & tamen in ratione entitatis relatiuæ, & aliarum perfectionum, etiam relatiuarum identificari cum alijs relationibus, quibus non opponitur, vt patet in spiratione actiua, quę opponitur Spiritui S. procedenti, non autem opponitur, sed identificatur etiam, quoad rem relatiuam, & esse relatiuum cum paternitate, & filiatione, quibus nõ opponitur; ergo si ipsæ relationes personales non opponuntur in perfectione relatiua, prout hausta, & imbibita a fundamento, in quo oppositionem non habent, sed solùm prout opposita termino, seu correlatiuo, non est mirum, quod in ipsa perfectione, prout relatiua, identificentur, & vnum sint, licet relationes in officio distinguendi, & opponendi correlatiuè sint plures.

Confirm. Nam benè stat: Relationem in Deo distingui ab alia, in ratione respectus oppositi: identificari verò in ratione entitatis relatiuæ.

434 Dices etiam relatio ex termino non habet realitatem, & tamen multiplicat illam, licèt terminus non præbeat illam: cur ergo non multiplicabit perfectionem, licèt ex termino non habeat illam, sed ex fundamento?

Euasio.

Resp. quod licèt ex termino non habeat relatio realitatem, quoad esse, vt ex D. Th. in 1. ad Anib. dist. 26. supra vidimus, tamen circa illum habet oppositionem realem, & consequenter distinctionem realem, quæ formaliter sequitur ex oppositione, vt ex ipso D. Th. q. 8. de potent. artic. 1. ad 3. supra etiam retulimus. At ipsa perfectio relatiua, neque habet realitatem ex termino, neque oppositionem. Non realitatem, quia hanc ex fundamento sortitur, quia ab illo habet existentiam, & illud respicit, vt perfectibile suum, & radicem, à qua oritur, quod non habet in termino. Non oppositionem, quia perfectio relationis non conuenit, neque exercetur per ordinem ad terminum, sed ad fundamentum, ratione cuius habetur: terminus enim non comparatur, vt perfectibile, vel perfectiuum respectu relationis, sed vt aliquid merè contrapositum, & correlatiuum, quod respicit, non quod perficit, quia nihil in termino ponit, nec terminus in relatione, sed solùm contraponuntur, & se respiciunt; fundamentum autem perficitur à relatione, quia in eo ponitur, & perficit relationem, quia ab eo oritur. Vbi ergo relatio non habet esse inhærens subiecto, & limitatum, atque distinctum à fundamento, & aliàs ei non opponitur, non potest multiplicare perfectionem, quamlibet ex illo in realitate sua. Relationes autem diuinæ in fundamento non opponuntur, quia fundamentum est aliquid absolutum; nec enim fundatur super alia relatione. Absoluta autem in Deo, nec opponuntur, nec multiplicantur, ergo nec perfectiones ex fundamento relationibus conuenientes multiplicantur.

Præcluditur. nam, licèt ex termino nõ habeat relatio realitatem, habet tamen oppositionem realem; & exercitium realitatis, quã habet ex fundamẽto.

435 Quod si his adiunxeris doctrinam S. Th. supra q. 5. art. 3. ad 3. quòd non est inconueniens, quod alicui enti sub aliqua consideratione, vel formalitate non conueniat bonitas, licet in re conueniat, quia bonitas sequitur ad ens, non quomodocumque, sed sub ea ratione, qua explicat esse, & actualitatem, qua potest allicere, & mouere voluntatem, sicut mathematica sub ea abstractione bonitatem non explicant, quam tamen in re habent in ratione quantitatis naturalis; videbis quomodo intelligi possit, quod relatio habens in se perfectionem ex suo fundamento, si tamen ab eo non distinguitur, sicut relationes diuinæ, non distinctam, neque multiplicatam perfectionem habeant ex ipso. Ex comparatione autem relationis ad terminum, sortitur quidem oppositionem, & distinctionem in respiciendo, sed non in perfectione, & actualitate, quia hanc non exercet sub formalitate ad terminum, licet in se, & in re perfectionem habeat, sed vnicam, non multiplicatam, quia comparatione ad subiectũ illam habet. Ratio autem P. Vasq. probantis ex eo perfectionem relationum esse vnam, quia integrant, & constituunt eandem perfectionem Dei, parum vrget, quia non benè sequitur ex hoc, quòd saltem inadęquatam bonitatem non habeant, quia ipsum integrare bonitatem, perfectio, & bonitas est; sicut etiam attributa Dei eandem indiuisibilem Dei bonitatem integrant, & tamen vnumquodque in sua linea, & formalitate perfectum est, vt etiam contra ipsum Vasq. probabile esse sentit Alarc. tract. 5. disp. 4. c. 4. nu. 10.

Ex doct. D. Th. habetur: non esse inconueniens, quòd alicui enti, sub vna formalitate non conueniat bonitas: licèt in re conueniat.

436 Ex his habes intellectam propositionem S. Th. hic art. 1. quæ multis obscura visa est, scil. quod solùm in his, quę sunt ad aliquid, inuenitur secundũ propriam rationem, aliquid secundùm rationem, & non realiter, quod in alijs generibus non est inuenire. Quod difficultatem habet eo, quòd si loquitur D. Th. de relatione prædicamentali, seu de ipso prædicamento, constat falsum esse, quia prædicamentum relationis non nisi ex realibus relationibus constat, nec in illo relationes rationis dari possunt. Si autem loquitur de relatione, prout abstrahit à reali, & rationis, quid mirum, quod in ea possit inueniri relatio non realis? Sed hoc etiam in alijs generibus inuenitur; quantitas enim, vt abstrahit

Instabis cõtra D. Th. circa ea, quæ dicit de prædicamento ad aliquid.

straliit à reali,& imaginaria, etiam quantitatem rationis admittit; & locus, vt abstrahit à vero, vel imaginario, &c.

437 *Resp D. Thom. nunquã dixisse, quòd in prædicamento relationis sit relatio rationis: sed quod relatio, ex illa parte, qua exercetur ad terminum, nec ponere, nec excludere realitatem.*

Resp. D. Thom. nunquam dixisse, quòd in prædicamento relationis inuenitur relatio rationis, vt aliqui non attendentes ad verba S. Thom. malè referunt, sed solùm dicit, quòd *in his, quæ sunt ad aliquid inuenitur aliquid rationis*; & sensus est, quòd relatio ex illa parte, qua exercetur ad terminum, & tangit illum, non ponit realitatem, nec excludit, aut tollit eam, vt S. Thom. se declarauit in 1. ad Anib. distinct. 26. supra relata. Et ideò pro ea parte præcisè considerata relatio, & non attendendo ad fundamentum, non repugnat dari relationes rationis; & sic loquitur de relatione non adęquatè considerata, & secundùm omne, quod includit, tàm ex parte subiecti, & fundamenti, quàm termini, siuè prout est in prędicamento, siuè prout abstrahit à reali, & rationis; sed de relatione præcisè, & inadęquata considerata sub illa præcisa formalitate, qua exercetur ad alterum. Quod non contingit in alijs generibus, in quibus si aliquid rationis, & imaginarium inuenitur, non est ex ipso conceptu, aut formalitate talis generis, quæ de se locum det entitati non reali, sed quia nos aliquas negationes, & meras fictiones ad instar entium realium effingimus, sicut montem aureum, chimæram, lineam infinitam, & similia, non quia ipse mons, aut aurum, aut linea de se in aliquo conceptu realitatem non explicent, sed quia illa, quæ nihil sunt, ad instar istorum, quę realia sunt, imaginamur. Relationem verò per hoc præcisè, quòd inadæquatè consideremus, id est pro ea parte solùm, quæ consideratur ad terminum, reddere possumus non realem, tollendo id, quod est ex parte fundamenti, vndè tota eius realitas desumitur.

438 *Petes.*

Petes. *An existentia multiplicetur in relationibus?*

Sensus difficultatis aperitur.

Ex fundamentis iactis facilè poterit formari iudicium de aliquibus prędicatis, quę aut transcendentia sunt, aut illis annexa, & similia, an multiplicentur ad multiplicationem realium relationum in Deo. Et occurrit primò existentia, quæ licet inter transcendentalia non numeretur, cùm in creaturis prędicatum contingens sit, tamen quia omne ens reale est capax illius, & si est extra causas, habet illam, meritò de illa agimus, sicut de transcendentalibus, quoad hoc punctum, an multiplicetur in diuinis. Et supponimus, vt certum in Deo dari existentiam absolutam vnam, quam malè aliqui cum subsistentia confundentes, negauerunt dari in Deo, sicut negant plerique dari vnam subsistentiam absolutam, sed solùm tres relatiuas. Sed de subsistentia quidquid sit, an concedenda, vel neganda sit essentialiter in Deo, tamen de existentia nullo modo negari potest sine errore, cùm nomine existentiæ intelligamus esse, quo aliquid est extra nihil, & extra puram possibilitatem in actu. Et sic se habet, vt vltimum in ratione actus entitatiui, quia vltimum, quod intendit agens est esse, id est ponere rem actu in se extra causas, vel extra nihil. Deus autem secundùm essentiam suam absolutam est ens à se, ita quòd se ipso caret omni potentialitate, & est extra nihil; & sic existere in Deo non est prædicatum cōtingens, sed intrinsecum, & essentiale, ergo conuenit essentię secundùm absolutam rationem considaratę, quę est ens à se, & essentia existens essentialiter, & ratione sui. Et sic dicitur ipsum esse, tanquàm nomen proprium Dei. Exod. 4. *Ego sum, qui sum; Qui est, misit me ad vos.*

Datur in Deo præter subsistẽtiam absolutã existentia absoluta, cũ Deus secundùm suã essentiam absolutam, sit ens à se, & extra nihil.

439 *Quærimus. An præter istam existentiã absolutam, dentur relatiuæ?*

Difficultas ergo est, an præter existentiam istam absolutam, qua essentia diuina est ens à se, quęlibet relatio, sicut est entitas realis distincta ab alia relatione, sit etiam distincta existentia relatiua; ità vt sicut sunt tres entitates reales, ita sint tres existentię relatiuæ? In quo multi Authores, qui tenent, existentiam non esse aliud, quàm ens actu, & extra nihil, nec nisi per rationem distingui essentiam ab existentia, tenet etiam multiplicari existentias relatiuas, quia multiplicantur tres entitates reales, & actuales.

Opinio Suarez refertur, quæ est affirmatiua.

2. Est sententia P. Suarez 1. tom. 3. p. disput. 8. sect. 4. ad 1. disput. 11. sect. 2. disput. 36 sect. 1. & lib. 8. de Trinit. cap. 5. & lib. 5. cap. 2. adiunctis his, quæ docet disputat. 31. methaph. sect. 4. de indistinctione essentiæ, & existentiæ. Quam sententiam plures ex recentioribus sequuntur. Et M. Medina 3. parte quæst. 3. artic. 2. concedit tres existẽtias relatiuas ex alio fundamento, quia existimat, non distingui existentiam à subsistentia, & sic multiplicatis subsistentijs relatiuis, necesse est, multiplicari existentias. Sed tamen modo supponimus, existentiam non esse idem, quod subsistentiam, sed diuersos effectus formales habere: existentia enim ponit rem extra causas, seu extra nihil, subsistentia terminat, & complet naturam, vt sit per se, & non in alio, & si sit subsistentia completa, & suppositalis, facit incommunicabilem naturam. Similiter existentia inuenitur, tàm in substantia, quàm in accidente, tàm in substantijs completis, quàm incompletis, subsistentia solùm in substantijs completis, seu per se existentibus; ergo non sunt idem.

440 *Sententia Thomistica negatiua refertur, ac præfertur.*

Contrariam sententiam tenent communiter illi Authores, qui distinguunt essentiam ab existentia, & per existentiam totius sentiunt existere partes, & quidquid est in composito, etiam tenent in Deo non distingui tres relatiuas existentias, sed vnica essentię diuinæ existentia omnia diuina existere. Et hoc sequuntur Thomistæ, qui sentiunt existentiam distingui ab eo, cuius est existentia, nec multiplicari existentiam iuxta quamcumque entitatum distinctionem. Et prætereà ex Authoribus, qui tenent existentiam non distingui ab entitate actuali, adhuc in diuinis negant iuxtà tres entitates relatiuas debere multiplicari existentias relatiuas, sed solùm habere vnum esse. Quod sentit Vasq. hic disputat. 126. cap. 2. & 3. Ruiz disputat. 25. sect. 3. & 4. Granad. tract. 5 disp. 1. sect. 3. qui adducunt plures ex Thomistis.

441 *Prob. 1. auth. D. Th. variis in locis asserente: in diuinis nullo modo est esse, nisi essentia, sicut nec intelligere, nisi intellectus.*

Hæc secunda sententia est planè D. Thom. qui in quæst. 8. de Potent. artic. 1. ad inquit *In diuinis nullo modo est esse, nisi essentia, sicut nec intelligere, nisi intellectus*. Et infra. *Nullo modo concedendum est, quòd aliud sit esse relationis in diuinis, & aliud essentiæ; ratio autem non significat esse, sed esse quid, idest, quid aliquid est.* Vbi distinguit S. Thom. de esse, quod est existere, & de essentia, seu quidditate, quæ est ratio, seu quid, & existentiam dicit, non esse aliam in relationibus, quàm in essentia; Sumit enim esse, prout distinguitur à quidditate, seu essentia, quæ est ratio. Et in quæst. 9. de Potent. artic. 5. ad 19. sic ait: *Nullo modo concedendum est, quòd in diuinis sit, nisi vnum esse, cùm esse semper ad essentiam pertineat, & præcipuè in Deo, cuius esse est sua essentia, Relationes autem, quæ distinguunt supposita in diuinis, non adducunt aliud esse super esse essentiæ, quia non faciunt compositionem cum essentia, vt dictum est.* Et concludit: *Diuersitas ergo secundum esse, sequitur pluralitatem suppositum, sicut & diuersitas essentiæ in rebus creatis: neutrum autem in diuinis.* Quo loco apertissimè loquitur D Thom. excludens distincta esse à relationibus distinguẽtibus supposita in diuinis, & vnum tantum esse cōcedens. Et 3. parte quæst. 17. artic. 2. ad 3. cum proposuisset argumentum, quòd in Trinitate, quamuis sint tres personę, est tamen vnum esse propter vnitatem naturæ. Respondet, quod *quia persona diuina est idem, cum natura in personis diuinis, non est aliud esse personæ præter esse naturæ; & ideò tres personæ non habent, nisi vnum esse. Esset autem triplex esse, si in eis esset aliud esse personæ, & aliud esse naturæ.* Sed si daretur in personis aliud esse ab esse naturæ, illud esse personale esset relatiuum; ergo si negat personis triplex esse, quod haberent, si distingueretur earum esse ab esse naturæ, negat eis triplex esse relatiuum.

443 *Euasio.*

Nec potest hic responderi (quod aliqui dicunt) D. Thom. sumere ly *esse* pro subsistere, & hoc subsistere intendit, quod sit vnum in natura.

Præluditur. quia D. Th dicit: quod tres personæ nō habent nisi vnū esse.

Contra enim est, quia D. Thom. dicit, quod tres personæ non habent, nisi vnum esse; Si autem sumeret esse pro subsistere, falsa esset illa exclusiua, quia tres personæ, & si sunt vnum in vna substantia absoluta, tamen verè sunt plures subsistentiæ relatiuæ; ergo sumit esse pro essentia, vt distinguitur à subsistentia. Et prætereà falsa esset illa conditionalis, quando dicit, quod esset triplex esse in personis; si in eis esset aliud esse personæ, & naturæ: faceret enim hunc sensum, quod esset triplex subsistere in personis, si esset aliud esse personæ, idest subsistere personæ, & naturæ, siquidem sumit esse pro subsistere: hoc autem omninò falsum est, quod esset triplex subsistere personarum, si distingueretur esse personæ, & naturæ: nec enim illam Conseq. hoc habet, loquendo de subsistentia, cùm modo sit triplex subsistentia relatiua, etiamsi idem sit esse naturæ, & personæ; Subsistere autem absolutum non ex hoc esset triplex; quia esse personæ distingueretur ab esse naturæ.

443 *Fundamentum præsentis doctrinæ duplex est.*

Fundamentum huius sumitur ex duplici principio. Primum est generale ex ipso conceptu existentiæ secundùm se, etiam, vt communis est creatæ, & increatæ, licet applicetur maiori vi existentiæ diuinæ. Secundum est specialiter ex conceptu relationis, vt opponitur, vt distinguitur à suo correlatiuo, sub quo conceptu non possunt multiplicare existentiam, quia hæc non opponitur, sed includitur in relatione, quæ opponitur.

Primum est, quia existentia in rebus creatis sequitur ad suum fieri, & productionem diuinis, sequitur entitatem, vt est à se.

Primum principium explicatur sic: Quia existentia, seu esse non consequitur ad entitatem rei secùndùm se, aut quomodocumque consideratam, sed in rebus creatis sequitur ad entitatem iuxta suum fieri, & produci; in diuinis autem sequitur entitatem, vt est à se, non vt sit ab alio; quia existentia habet pro effectu formali ponere rem extra causas, & extra nihil; & sic consequitur ad entitatem non absolutè, sed sub illa formalitate, qua egreditur à causis, scilicet sub ipso produci, vel sub ipso improduci, & esse à se. Vnde ad probandum vnam existentiam, vel plures, non debemus attendere ad vnitatem, ve pluralitatem entitatum secundùm se, sed prout ordinatur in vno fieri, & in vno produci, vel pluribus, & in vno esse à se, & increato, vel in pluribus. Et hæc est ratio, quarè in creaturis esse existentiæ sit proprium suppositi, & in vno supposito solùm sit vnum esse: vt sæpius docet D. Thom. quia in creaturis id, quod directè, & per se producitur, est ipsum suppositum, seu ipsum totum: partes enim non producuntur per se, sed comproducuntur. Vndè per seipsum suppositum habet esse; partes vero ex illo, aut in illo participant esse, & existunt. In Deo autem est è conuerso, quia id, quod primò, & per se existit, est ipsa essentia, quæ est ipsum esse, quia est ens à se, ità quod esse est prędicatum essentiale in Deo, atque adeo priùs conuenit ipsi essentię, quæ tali prędicato constituitur, quàm supposito, quod constitutam essentiam supponit, & terminat.

444 *Nam illæ plures existentiæ relatiuæ, etiam vt plures, non possunt esse existentiæ creatæ: nec increatæ: aliàs essent tria increata.*

Ex quibus conficitur arg. ad non multiplicandum existentias relatiuas, quia illæ plures existentię relatiuæ, etiam vt plures, vel sunt existentiæ creatæ, vel increatæ. Creatæ esse non possunt, alias personę essent entitates creatæ, inquantum plures, & inquantum relatiuę, Si creatas existentias haberent, quod est hæreticum, & repugnat Deo, quod aliquid intra ipsum existat per existentiam creatam: increatæ autem existentiæ si multiplicantur: ergo erunt tria esse increata relatiua; & sic erunt tres increati substantiuè (in hoc enim sensu loquitur illa sententia, cùm ponit tres existentias, & non solùm tres existentes) quod est contra illud Symboli Athanasij: *Non tres increati, nec tres immensi, sed vnus increatus.* Vnde P. Suarez lib. 3. de Trinitat. cap. 12. nu. 3. non audet concedere in diuinis tria increata, sed vnum, quia esse increatum conuenit ratione naturæ, & substantię, quę consistit in ipso esse à se, & est suum esse per essentiam, Sic ergo non debet concedi triplex esse increatum, nec triplex existentia increata relatiua, quia ly *relatiuum* non diminuit de ratione increati; & ratio est, quia existentia hoc ipso, quod increata est, est seipsum esse à se, & ipsa essentia diuina; ergo est prędicatum essentiale Dei, & non relatiuum, seu notionale: ergo repugnat multiplicari existentiam increatam, prout relatiuam, & multiplicari in ratione increatę existentiæ, nisi multiplicetur in ratione ipsius esse à se, atque adeo in ratione actus puri.

445 *Secundùm est, quod relationis existentia, licèt dici possit relatiua entitatiuè, quia existētia relationis est; non tamen oppositiuè.*

Secundum principium explicatur sic, quia vt S. Thom. quæst. 8. de Potent. artic. 1. ad 12. *Esse, seu existentia, quæ conuenit relationi, nunquam est relatiua, vt ad terminum, sed est ad se, vel ad subiectum.* Et in hoc contingit magna deceptio oppositę sententię, & profunditas mira rationis D. Thom. qui relationis existentiam dicit non esse ad aliquid, ità quod licet dici possit relatiua entitatiuè, quia existentia relationis est, non tamen oppositiuè; cuius rationem breuissimè reddidit S. Thom. citato loco dicens, quod *cum relatio sit accidens in creaturis, esse suum est inesse; vndè esse suum non est ad aliquid se habere*; Quod est dicere, existentiam conuenire relationi per ordinem ad subiectum, non per oppositionem ad terminum, quia existentia eius est in subiecto, sicut accidens inhęrens, terminus autem non est subiectum relationis, in quo ponitur, sed est id, cui contraponitur. Quare existentia licet sit relationis, & hæc ratione dici possit relatiua, non tamen est relatiuè opposita, ita quod licet conueniat ipsi *Ad*, relationis (quod reale est) nō tamen constituit in eo *Ad*, sed, *In*, existentiā nec ipsa induit oppositionem *Ad*, quia non se habet ergà terminum, sed positionem *In*, quia se habet erga subiectum. Si ergo existentia relationis non opponitur, nec tendit ad terminum, sed inhęret subiecto, existentia relationis non tangitur principio distinctionis, quæ est oppositio relatiua, sed principijs vnitatis, quæ est fundamentum, & subiectum. Vnde cùm in diuinis relatio non sit inhærens, vt accidens, sed subsistens, & à se, multò magis existentia eius non est relatiua per modum *Ad*, nec per modum oppositionis; & sic non distinguitur, nec multiplicatur, quia non opponitur correlatiuè, licet afficiat, & constituat relationem in ipsa entitate subsistenti, & sic cùm careat oppositione, licet multiplicetur realitas relatiua, & in ratione *Ad*, non multiplicatur existentia, quę ipsi *Ad* conuenit, vt inhærenti, vel subsistenti, quia intra ipsum *Ad* vt reale, imbibitur *In*.

446 *Confirm. quia relationes in Deo habent sibi identificatam ipsam essentiā diuinam; quæ est ipsummet esse per essentiam.*

Confirm. & explicatur, quia relationes in Deo habent sibi identificatam ipsam essentiam, quæ est ipsummet esse per essentiam; ergo ex tali identificatione sibi intrinseca, existentes redduntur esse illo perfectissimo, & increato, quod est actus purus, & illud esse, quo per identificationem redduntur relationes existentes, & in se positæ in actu, non multiplicatur, quantumcumque relatio correlatiuè, & oppositiuè multiplicetur, quia hoc est Mysterium Trinitatis, quod essentia, quantumcumque intrinsecè, & essentialiter in relationibus imbibita, & ipsis multiplicatis non multiplicetur; ergo verè, & propriè intrinsecè redduntur relationes existentes, & in actu positæ, etiam per existentiam non multiplicatam, sed vnam essentiam, & sibi identificatam. Ad quid ergo necesse est superaddi tres existentias in illis tribus realitatibus, quæ per vnam non multiplicatā, sed sibi idētificatā supponūtur existentes? Aut quem effectum formalē faciunt tales existentię in relationibus, quæ existētes supponūtur in vi suæ intimæ essētiæ, & esse sibi idētificati?

447 *Confirm. 2. quia illæ tres existentiæ: vel*

Et vrgetur hoc, quia quando esse illud essentiæ ita imbibitur, & identificatur relationibus, vt reddat illas existentes, sed tamen relationes ipsæ non possunt eam diuidere, & multiplicare oppositione

esient etiam puritatis: & sic essent superflua: vel non: & sic.

sitione sua, inquiro, existentiæ illæ diuisæ, & multiplicatæ, quę vltra hoc esse identificatum resultant, sunt ne existentiæ eiusdem rationis, puritatis, & actualitatis, ac ipsa existentia communis, & essentialis, an non? Si sunt eiusdem actualitatis, & puritatis, sunt ipsummet esse actus puri essentiale, & repugnabit eodem modo multiplicari, atque ipsum esse secundùm se. Si non sunt, ergo non sunt existentiæ increatæ, & diuinæ, sed inferiores, quia aliquid minus de actualitate habent, quàm ipsum esse Dei. Vbi autem est minus, seu diminutio, creatũ est, non diuinum. Existentiæ autem creatæ exulare debent à Deo, & ab eius personis.

448 *Obiectio.*

Vnde soluitur fundamentum contrarium, quod solùm innititur multiplicationi entitatum realium in Deo, quæ sine multiplicatione existentię stare non potest, cùm existentia non sit aliud, quàm entitas in actu, illæ relationes, erunt plures existentiæ. Nec est intelligibile, quod multiplicentur relationes in ratione *Ad*, & illa realitas, vt multiplicata, sit nihil; ergo vt multiplicata est extra nihil; ergo multiplicatur existentia, sicut multiplicatur ly *extra nihil*; esse autem extra nihil, effectus formalis est existentiæ.

Resp. at realitates multiplicari, sed nõ actualitates, quibus illę entitates actuales dicuntur, quia vt aliquid sit actualitas; sufficit, quòd sit capax existẽtiæ.

Resp. realitates multiplicari, sed non actualitates, quibus illæ entitates actuales dicuntur, quia vt aliquid sit realitas, sufficit quod sit capax existendi in actu per propriam, vel adiunctam, & identificatam actualitatem: quomodocumque enim aliquid existat in actu, aut sit capax existendi, hoc ipso non est nihil, sed reale ens, quia nihil neque est actu ens, neque capacitatem habet existendi, neque existit ratione sui, nec per aliquid sibi adiunctum, sed omninò repugnat existentiæ. Quod autem existit, vel per se, & per propriam existentiam, vel per adiunctam, & identificatam, realitas est. Vnde potest multiplicari realitas, non multiplicata existentia, dummodo omnes realitates sub illa existentia sint, & cum illa identificentur, vel ei subordinentur.

449 *Instabis.*

Et cum instatur, quód existentia est ens actu, concedimus; & multiplicentur plures entitates in actu, distinguo, multiplicantur ex parte oppositionis correlatiuè, concedo; ex parte actualitatis, nego; Sed sic multiplicatæ afficiuntur eadem actualitate comprehendente omnes, & per eandem actualitatem sibi identificatam, & communicatam omnes afficiuntur, sicut eadem diuinitate omnes tres relationes sunt diuinæ, & increatę intrinsecè, etiam in ipso *Ad*.

Resp. multiplicari plures entitates in actu ex parte oppositionis correlatiuè; nõ verò ex parte actualitatis.

Nec est incõueniens eadem forma, aut termino, vel existentia affici plures partes, aut entitates, quæ in vnum ordinantur, aut aliàs identificantur, sicut eadem subsistentia omnes partes compositi terminantur, & eadem forma informantur plures partes in homine, & eadem existentia existunt. Et sic multiplicari potest effectus formalis inadæquatus, & partialis, vna existente forma adæquata, quæ omnes illas partes, & inadęquatos effectus complectitur, sicut eadem anima indiuisibilis, & spiritualis tam multos effectus in esse animati, & vitalitatis præbet, vt in carne sentire, in oculis videre, &c. Sic ab eodem esse diuinitatis, & essentia est à se, & absolutè, & relationes existunt etiam vt multiplicatæ per communicationem tamen, & identificationem eiusdem esse.

450 *Instabis 2.*

Et ad vltimam instantiam, quód si sunt tres realitates, sunt tria extra nihil, & multiplicatur ipsum extra nihil, concedimus. Ad Conseq. ergo multiplicatur existentia, nego. Et ad prob. quod esse extra nihil, est effectus formalis existentię, concedo; sed multiplicato hoc effectu formali, scilicet esse extra nihil, multiplicatur forma, distinguo; si multiplicatur effectus formalis adæquatus, multiplicatur forma, conc si multiplicatur effectus inadęquatus tantum, nego. Esse autem extra nihil in tribus relationibus, est effectus formalis inadequatus ipsius esse diuini, non adęquatus. Nam esse diuinum complectitur genus relatiuum, & absolutum, & ab eodem esse, vtrumque genus constituitur in actu

Resp. quòd si multiplicatur effectus formalis adæquatus, multiplicatur forma: esse autem extra nihil in tribus relationibus, est effectus formalis inadæquatus.

puro. Vndè sumendo solùm relationes, seu genus relatiuum in Deo, non habet omnem effectum adæquatum illius formæ, quę est existentia diuina.

Et sic licèt multiplicetur effectus ille formalis, qui est esse extra nihil in relationibus, quatenus sunt tres reales entitates, non tamen est necesse, multiplicari formam, quia illi effectus inadæquati sunt respectu ipsius, sicut etiam ab eadem actione possunt plures effectus inadæquati procedere. Et sic non inferunt multiplicationem formæ, seu existentiæ, sed identificationem eiusdem formæ cum illis tribus relationibus, quia talis perfectionis, & infinitatis est, vt omnes illas realitates complectatur. Quæ diximus de existentia, dicendum est de duratione, quia duratio est ipsamet existentia, prout non discontinuata. In quacumque tamen sententia non est multiplicanda æternitas, etiam dato, quód multiplicetur existentia, vel duratio, quia æternitas non dicit durationem tantùm, sed vniformitatem durationis per modum mensuræ immutabilis. Hæc autem vniformitas eadem est in omnibus illis durationibus, quia eadem est immutabilitas.

Nec Duratio nec æternitas multiplicantur in Deo.

DVBIVM IV.

An Bonitas, Veritas, Infinitas, Sanctitas multiplicentur in Deo. Vbi vtrum subsistentia multiplicentur in personis.

DE veritate dico primò. Non multiplicatur veritas in tres tribus personis, ità vt sint tres veritates, nec formales, nec transcendentales. De veritate formali, quæ est veritas in cognoscendo, aut in dicendo non est controuersia, quia talis veritas consistit in notitia, seu actu intellectus intelligente, & manifestante, seu dicente. Actus autem intelligendi idem est in omnibus personis, quia eadẽ natura intellectiua, idemque intellectus, & intelligere eis conuenit, sicut Pater, & Filius eodem amore producunt Spiritum Sanctum. Locutio autem, & dictio, si sit ad extra, est reuelatio, qua aliquid reuelatur creaturæ. Et hæc fit indiuisè à tribus personis, & sic est vna veritas in dicendo ad extra. Locutio autem, seu dictio ad intra solùm est vna, quia solus Pater loquitur notionaliter producendo Verbum. Aliæ personę non loquuntur notionaliter, sed intelligunt essentialiter, & sic eadem est veritas in cognoscendo, & in dicendo in tribus personis.

451 *De Veritate. Veritas formalis nõ multiplicatur: quia actus intelligendi est idem in omnibus personis.*

De veritate autẽ transcendentali, quæ non est intellectio actiua, sed intelligibilitas passiua, seu entitas, vt cognoscibilis, est maior difficultas, & multi censent multiplicari hanc veritatem in tribus personis, quia est transcendens, & sicut sunt tres entitates relatiuæ, ita & tres veritates transcendentales, & sic Pater, vt est distinctum suppositum à Filio, cognoscibilis est, quia veritas transcendens, cognoscibilitas est. Ita Vasq. hic disp. 121. cap. 7. & Suar. 3. de Trinit. cap. 81. quos sequitur Alarcon. tract. 5. disp. 5. c 5. num. 5. Ruiz. autem negat esse tres veritates in personis disp. 27. cap. 5. quia existimat, veritatem non esse transcendentalem; & sic non multiplicari realiter.

452 *An veritas transcendentalis multiplicetur.*

Vazquez, & alij affirmant.

Vasq. mouetur ex eo, quód putat, veritatem, quæ est passio entis, esse denominationem extrinsecam prouenieute ex intellectu verè cognoscente, & hæc denominatio multiplicatur in tribus relationibus. Suar. quia existimat, veritatem non sequi naturam, aut suppositum, sed quamcumque entitatẽ, hoc ipso, quod ficta non est, sed realis. Sic enim est vera. Sunt autem tres relationes, tres entitates veræ, & non fictæ. Et de ipso Filio Dei dicitur 1. Io. vlt. *Vt simus in vero Filio eius, hic est verus Deus*; ergo duplici ratione datur veritas in Filio, scil. ratione filiationis, & ratione deitatis. Adde, quod in Deo sunt quinque notiones, quibus designantur personæ, & innotescunt, seu significantur diuersimodè

Fundamentũ Vazquez.

modo, vt docet S. Thom. infra q. 32. art. 2 & 3. ergo fundant diuersam cognoscibilitatem, quia notio cognoscibilitas est, qua aliquid innotescit.

453 *Sententia D. Th. negatiua præfertur, quia secundùm Aug non est plus veritatis in vna persona; quàm in tribus.*

Cæterùm D. Th. absolutè censet, quod veritas in tribus personis est vna tantùm, nec veritas personaliter dicitur in diuinis, vt patet in q. 1. de verit. art. 7. ad quod adducit illud Aug. 8. de Trinit. cap. 1. *Trium personarum est vna veritas*. Quòd licèt possit exponi de veritate essentiali, non relatiua; tamen cùm ibi Aug. ostendat, quod non est plus veritatis in vna persona, vel duabus, quàm in tribus, videtur etiam comprehendere relatiuas veritates si essent, quia aliàs illis non numeratis non posset ferre iudicium de veritate personarum, quomodo nō sit plus veritatis in vna persona, quàm in tribus, si plures veritates in tribus sunt, quam in vna. In præfato autem art. absolutè docet D. Th. quod veritas, si propriè accipiatur, in diuinis essentialiter dicitur, sed solùm metaphoricè appropriari solet veritas Filio, quatenus est summa imitatio sui principij, scilicet Patris. Si ergo veritas propriè sumpta in Deo essentialiter dicitur, non notionaliter, veritas propriè non multiplicatur, etiam si multiplicentur entitates relatiuæ.

454 *Ratio est quia in Deo non est veritas deriuabilis ab intellectu: sed ibi est vna, & summa veritas: sicut vnum intelligere.*

Et ratio huius est, quia veritas transcendentalis ex D. Th. est adæquatio quædam, & commensuratio, seu imitatio rei cum suo principio, quod est in intellectu, seu cum suo originali. Et quia in Deo non est entitas deriuabilis ab intellectu, vel intellectione Dei; sed idem omnino cum intelligere diuino est ibi summa, & vnica veritas; sicut vnum intelligere cum omni entitate diuina. Sed relationes diuinæ, quantumcunque multiplicentur, non habent diuersam adæquationem, & commensurationem cum intellectu diuino, quia vnico, & eodem modo identificantur illi; ergo eandem veritatem, quia eandem adæquationem, & commensurationē habent, scil. per identitatem.

455 *2. Ratio. nam illud est fundamentum veritatis, in quo veritas habet firmitatem, & certitudinem à parte rei; hoc autem esse firmum cō uenit relationibus ex essentia.*

Item fundamentum veritatis huius, siuè sit adæquatio cum intellectu, siue sit ratio entitatis, non istæ, aut aliquid aliud, est vnum, & idē in tribus relationibus: ergo & veritas eadem. Antec. prob. quia illud est fundamentum veritatis, in quo veritas habet firmitatem, & certitudinem à parte rei; ita sit ens ratum, & fixum, non fictum; Et benè fundatum in essendo. At totum fundamentum, tota firmitas, & connexio veritatis, & necessitas eius conuenit relationibus ex essentia, & ex immutabilitate, & indefectibilitate summa, quæ vtique est ipsum esse actus puri, quo est à se, & independenter a quolibet alio, & immutabile in essendo: Ergo tota ratio veritatis transcendentalis sumitur, & fundatur in essentia: ergo non est multiplicanda veritas magis, quàm essentia ipsa, licet multiplicetur relatio realis personarum. Et sic personas esse veras, non fictas, considerari debet, non solùm ratione relationis, vt multiplicatę, & oppositæ alteri, sed ratione ipsius realis esse, quod habent, & firmitatis in essendo; in tantùm enim receditur ab esse ficto, inquantùm habetur esse à parte rei, & intantum est ens reale, vt distinguitur ab ente rationis, & ficto, inquantùm est capax existentię, seu esse realis. Per ipsum ergo esse, quod habent personæ, sunt non fictæ sed veræ personæ, imo & ipsa oppositio relationum, inquantùm est existens, est realis, & verè, & non ficta, sed esse, seu existentia non multiplicatur in relationibus diuinis, etiam si dicatur existentia relatiua: ergo neque veritas personarum multiplicantur, quatenus dicuntur veræ, & non fictæ, etiam in ipsa realitate relationum.

356 *3. Ratio, quia veritas personarum vel sumitur pro intelligibilitate passiua hæc autem nō multiplicatur.*

Denique veritas personarum: vel sumitur pro cognoscibilitate, seu intelligibilitate passiua qua in se cognosci possunt; vel pro realitate, qua distinguuntur ab ente ficto, & à relationibus rationis; vel pro commensuratione, & adæquatione cum suo originali, & cum iudicio vero, quod est in intellectu. Primum non multiplicatur in personis, loquendo de intelligibilitate propria fundata in ipsa entitate rei, non de extranea, qua sunt intelligibiles ad modum alterius: hæc enim non est propria veritas rei, sed aliena, illi tamen accomodata, & de hac non loquimur. Propria autem intelligibilitas, seu veritas multiplicari non potest, quia intelligibilitas sequitur entitatem ratione immaterialitatis, quam habet, quia sic proportionata est intellectui, immaterialitas autem non multiplicatur in relationibus, sed est vna, quia pertinet ad spiritualitatem, & carentiam materiæ, seu potentialitatis, quod conuenit Deo ratione actus puri, & ex tali immaterialitate probauit D. Th. Deum esse intelligibilem, & intelligentem supra q. 14. art. 1. Et talis perfectio nō multiplicatur in Deo.

Secundum, scil. realitas vt distinguitur ab ente ficto, multiplicatur quidem in diuinis relationibus, sed sub eodem esse, & firmitate, quod est esse actus puri & immutabilitas eius. Realitates autem non dicuntur veræ, secundùm quod verum distinguitur à ficto, nisi per ordinem ad esse, quo existunt à parte rei, vel capaces sunt existendi, ergo non multiplicato hoc esse, nec immutabilitate eius, non multiplicatur veritas, & firmitas, vt excludit fictionem.

Vel sumitur pro vt distinguitur ab esse ficto: & hæc multiplicatur per vnum esse.

Tertium, scil. commensuratio, & adæquatio cum originali, vel cum iudicio, & mensura intellectus, non multiplicatur in relationibus, quia veritas in illis est increata, & prima, non enim creata esse potest. veritas autem prima, & increata non est mensurata per aliā regulā, sed est ipsa omniū regula, & sic quia Deus est suus intellectus, & suū intelligere, nō habet veritatē per imitationē, & adæquationem cū alio, sed per se est summa, & prima veritas. Aut ergo veritas, quæ multiplicatur in relationibus, est veritas prima & increata, aut secunda, & creata, seu mensurata. Creatam ponere in personis nefas est. Increatam, & primam multiplicare, impossibile: nec ipse Suar. id concedit, sed negat illā c. 8. n. 5 quia veritas prima est suprema, & hæc est essentialis in Deo; vnde solum concedendæ sunt, inquit, tres, veritates cum addito, id est relatiuæ. Quia verò esse tres relatiuas diminuunt aliquid de suprema veritate. Si .n. sunt tres veritates relatiuæ, vel sunt increatæ, & sic sunt supremæ. Et erit vna sola veritas prima, & suprema; vel sūt creatę, & hoc non potest cogitari, Debet ergo esse vna absoluta.

Vel sumitur vt est adæquatio cum originali. & hęc nō multiplicatur, quia est increata, & prima.

457 *Ad fundamentu oppos. sent. Resp. cognoscibilitatē propriam, quā ex se fundant, esse vnam: quia fundatur in eadem immaterialitate.*

Ad fundamenta opposita patet ex dictis. Ad id, quod dicitur de cognoscibilitate personarum, dicimus, quod cognoscibilitas propria, quam ex se fundant est qua possunt cognosci in se, esse vnam, quia fundatur in eadem immaterialitate, quæ est radix intelligibilitatis. Vndè repugnat videri in se vnam personam sine alia, aut essentiam sine personis, quia cognoscibilitas omnium est vna. Si vero loquamur, non de cognoscibilitate propria, quia in se sunt intelligibiles, sed de aliena, & per connotatiuos conceptus, illa non est veritas propria personarum, sed a nobis formata, & de tali non loquimur. Ad id, quod dicit Vasq. quod veritas, quæ est passio entis, est solùm denominatio extrinseca à iudicio intellectus proueniens responsum est supra tom. 1. q. 16. & ostensum est, hoc esse falsum.

458 *Personæ sunt tres realitates veræ; & non fictæ, non tamē tres veritates.*

Ad motiua Suarez. Resp. Ad illud de realitate, qua entitas dicitur vera, idest non ficta, iam responsum est, quòd sunt quidem tres realitates, veræ, & non fictæ; nō autē tres veritates absolutæ, quia fundamentum, & firmitas talis veritatis, vt opponitur fictioni, seu enti rationis, vnum est, scil. esse reale, & actuale, per quod recedit ab ente ficto, quod non est capax existentiæ actualis, & similiter immutabilitas eius, & hoc est vnum in relationibus diuinis. Ad locum illum 1. Ioan. vlt. dicitur, illum nullo modo posse aptari sententiæ Suarez; quia cùm dicit, *Vt simus in vero Filio eius, hic est verus Deus*, ibi non distinguuntur duę veritates, altera filiationis, altera Deitatis, quia in nulla sententia veritas essentialis, quę est diuinitatis, & filiationis, quæ est personalis, distinguuntur, sicut inter essentiam diuinam, & personam nulla est distinctio realis.

459 *Vna est verā-*

Difficultas est, an veritas paternitatis, & filiationis

tas Paternitatis; filiationis, ac Deitatis. vndè illæ notiones non postulant tres veritates, nec plures entitates.

nis sint distinctæ, non veritas Dei, seu Deitatis, & filiationis. Ex illo autem loco, in quo dicitur esse verum Deum, & verum Filium, quomodo colligi possit, esse distinctas veritates paternitatem, & filiationem, omnino non video: sed dicimus omninò Deum esse verum Deum, & verum Patrem, & verum Filium eadem veritate, quæ omnia illa amplectitur, sicut eodem esse, & diuinitate existunt. Ad vltimum Resp. illas notiones non postulare plures veritates, imo neque plus entitates postulant, quia non omnes sunt oppositæ, sicut spiratio actiua, & paternitas sunt duæ notiones, non tamen duæ entitates, etiam relatiuę, quia non sunt oppositę. Dicimus ergo, quod notiones sunt quædam notæ, seu designationes, quibus personas, aut ea, quæ ad personas pertinent, dignoscimus. Et possunt dari plures sub eodem esse, & entitate, & veritate; sicut è conuerso sunt plura attributa, absoluta, quibus essentiam varijs conceptibus significamus, nec tamen illę plures veritates, aut plura esse habent, sed idem.

460 *De Bonitate. Bonitas in relationibus diuinis non multiplicatur, nam Bonitas cōuenit rei secundū perfectionem: in Deo autem nō dantur tres perfectiones.*

Dico secundò: Bonitas in relationibus diuinis non multiplicatur, etiam relatiuè. Hæc Conclusio difficultatem non habet ex supra dictis; ostendimus enim, in Deo non posse dari plures perfectiones, nec plura esse, etiam relatiuè, quia in perfectione, & esse non opponuntur relationes. Bonitas autem conuenit alicui, secundùm quod perfectum, & ratione perfectionis, & esse; ergo si non sunt plures perfectiones, neque plures bonitates. Ad hæc, bonitas si multiplicaretur in relationibus, deberet multiplicari, vt increata, & summa bonitas, nam vt creata non est ad rem. Summa autem, & increata bonitas implicat multiplicari, tum quia est summa perfectio; & sic omnem perfectionem includit; vnde dicit actum purum, & non solùm genus relatiuum, sed etiam absolutum includit, hoc autem repugnat multiplicari: tum quia bonitas increata, & diuina est vltimus finis, ergo si multiplicatur, erunt plures vltimi fines, quia plures bonitates, increatæ, hoc autem repugnat, ergo,

461 *Omnia transcendentalia, quæ cōueniunt enti ratione alicuius perfectionis, multiplicari non possunt; quia hoc ipso, quod perfectio est, diuina, & increata, & summa est.*

Quare omnia transcendentalia, quæ conueniunt enti, ratione alicuius perfectionis, multiplicari non possunt; quia hoc ipso, quod perfectio est, diuina, & increata, & summa perfectio est, & sub hac ratione repugnat multiplicari. Ex quo sequitur, realitatem, entitatem, vnitatem, aliquid, seu res, & ens, multiplicari posse, quia hæc de suo conceptu perfectionem non dicunt in suo formali conceptu, sed res, ens, & aliquid solùm important communissimam rationem entis, prout dicit conceptum pertinentem ad quid, seu ad positiuum datum à parte rei, quidquid illud sit, siue perfectum, siue imperfectum, potentiale, vel actuale, sufficit quòd sit capax existendi in re siue per propriam, siue per alienam existentiam: nam hoc ipso est res, prout opponitur nihilo seu enti ficto. Et sub hoc conceptu multiplicari potest in Deo, sed existere per idem esse. Vnum autem dicit indiuisionem, & per multiplicationem entitatis multiplicatur; & sic dicimus tres personas, & dicendo tres, multiplicamus vnitatem. Vndè dicit D. Th. supra q. 6. art. 3. ad 1. quod vnum non importat rationem perfectionis, sed indiuisionis; & sic per hoc, quod multiplicetur vnitas ex vi talis conceptus, non multiplicatur perfectio, sed solùm tollitur indiuisio. Multiplicatio ergo relatiua cùm sit multiplicatio realitatis, vt oppositę, sub qua oppositione non explicatur perfectio, nec quid relatio sit, sed ad quid sit, non multiplicat perfectionem: licet diuidat realitatem sub ratione. *Ad.*

462 *De infinitate.*

Dico 3. Non est multiplicanda infinitas, etiam relatiua in personis. Pro intelligentia huius conclusionis aduertendum est, quod P. Suar. lib. 3. de Trinit. c. 12. n. 7. Duplicem infinitatem distinguit.

Opinio Suarez refertur.

Aliam simpliciter in genere entis, aliam propriam in vnoquoque genere, sicut de quolibet attributo secundùm proprium genus dicimus esse infinitum in suo genere, sicut dicimus sapientiam esse infinitam in suo genere, & iustitiam in suo, &c. Ergo similiter relationes in suo genere infinitatem habebunt, & eo modo multiplicabitur infinitas, quo perfectio, quia infinitas ad quantitatem pertinet perfectionis.

Fundamentū Suarez.

Et sic qui concedunt, multiplicari perfectiones relatiuas, vrgentur multiplicare infinitates, quia perfectiones illæ multiplicatę finitæ non sunt, cùm non sint creatæ; ergo infinitæ in suo proprio genere; sicut etiam dicimus, verbum procedere, vt terminum intellectionis infinitæ, Spiritum S. amoris infiniti. Sed ponit instantiam Suarez de ipsa existentia, quam multiplicat in relationibus, quia vel sunt creatę, vel increatæ. Primum non potest poni in Deo. Secundum ponit plures existentias increatas, quod est absurdum. Et respondet, quod creatum, & increatum conuenit supposito ratione naturæ, sicut esse generabile, vel corruptibile. Vndè non multiplicatur ratio increati in diuinis, sed solùm conuenit ratione naturę.

463 *Sententia Thomistica negatiua præfertur: quia infinitas est quantitas perfectionis, ac proindè nō potest multiplicari immultiplicata perfectione.*

Cęterùm nostra Concl. sequitur ex oppositis principijs supra stabilitis, quia infinitas est quantitas perfectionis, ergo non multiplicata perfectione non multiplicatur infinitas: supra autem ostendimus perfectiones etiam relatiuas non multiplicari, quia in eis non opponuntur relationes, multò minus opponuntur in infinitate. Quod vero vnumquodque attributum infinitum sit, verissimum est, sed tamen non multiplicatur in eis infinitas, sed eadem infinitate omnia in suo genere infinita sunt. Idem ergo dicemus de relationibus, quia & si opponuntur in ipso *Ad*, vt correlatiuo, tamen in infinitate suę perfectionis non opponuntur; ergo non multiplicatur: & ita in hoc, in quo non opponuntur, æquiparantur relationes attributis. Specialiter autem vrget hic illud magnum inconueniens, quia si multiplicaretur infinitas relatiua, non posset vna persona habere omnem perfectionem alterius, nec formaliter, nec eminenter; & sic aliqua perfectio esset in vna, quæ non esset in altera.

464 *Neque infinitas relatiua est multiplicabilis quia entitas relationis Patris, non est formaliter relatio filij*

Non esset formaliter, quia entitas relationis Patris non est formaliter relatio Filij, sed illi opponitur, & ab ea distinguitur: ergo infinitas Patris relatiua non est formaliter infinitas relatiua Filij; aliàs esset eadem, & vna formaliter perfectio, atque adeo non multiplicaretur. Non esset eminenter in vna, quod in altera. quia continentia eminentialis, est, quando vna forma est eminentior altera, & excedit illam; si autem sit omnino ęqualis, non potest eminenter continere, quia non potest esse eminentior illa. Sed si vtraque habet suam infinitatem relatiuam separatam ab alia, vtraque infinitas relatiua ęqualis est, & eiusdem omnino perfectionis infinitæ in ratione relatiuæ; ergo non potest eminenter continere, vt non benè concedit P. Suar. vbi supra c. 11. sed vel nullo modo continet perfectionem alterius infinitam, à qua distinguitur, vel contine formaliter, quod repugnat, & ponderatum est, cum formaliter opponantur. Ex multiplicatione ergo infinitatis, sequitur, perfectionem vnius non esse in alia.

465 *Euasio.*

A qua consequentia non se expediunt, qui perfectiones relatiuas docent multiplicari. Vndè tandem aliqui concedunt, aliquam perfectionem relatiuam esse in vna relatione, quę non est in altera.

Excluditur. quia ex hoc sequeretur neutram esse infinitam in genere relatiuo;

Sed ex hoc sequitur, neutram esse infinitam in genere relatiuo, quia tunc aliqua perfectio est infinita in aliquo genere, quando nulla perfectio illius generis illi deest; sed in hac re latione Patris non est omnis perfectio generis relatiui, quia aliqua perfectio sibi deest, scil. perfectio, & infinitas relatiua Filij, ergo neutra est infinita in genere relatiuo. Nisi forte dicatur, vnamquamque esse infinitam in sua specie. v.g. specie filiationi, vel paternitatis tantùm, licet cōueniant in genere relatiuo, sicut sapientia est infinita in specie sapiētię, nō in specie prudētię, licet vtraq; sit in genere intellectiuo. Sed exemplū nō quadrat, quia sapientia nō habet distinctā infinitatē à prudētia, sed vtraq; in genere intelligibili infinita

nita

ita est, & solū per rationē distinguitur illa infinitas. At in personis diuinis multiplicatio est realis; & sic perfectio infinita, quæ est in vna relatione, non erit in alia; & sic quidquid sit, an in sua specie paternitatis, vel filiationis remaneant infinitæ, in genere tamen relatiuo, infinitæ non erunt, sicut sapientia, & prudentia sunt infinitæ in genere intellectionis. Spiritus S. vt infinitus in genere amoris; non diuidit eas in infinitate, sed in oppositione relatiua solùm.

466 *De Sāctitate.*

Sanctitas personalis, & relatiua, non multiplicatur.

Dico 4. Sanctitas personalis, & relatiua non multiplicatur in personis diuinis, sed Sanctitas pertinet ad attributum essentiale, sicut bonitas; & sic conuenit ratione naturæ. Aliqui existimant, multiplicari Sanctitates relatiuas; tùm quia sanctificatio pertinet ad ipsa principia operandi, quæ rectificari debent per Sanctitatem; principium autem operandi non solùm est principium, *quo*, sed etiam principium, *quod*, scilicet persona, vel suppositum, & cùm ista principia multiplicantur in diuinis, etiam Sanctitates personales multiplicabuntur. Tum quia Verbum diuinum ratione suæ relatiuæ personę Sanctificauit humanitatem assumptam, Sanctitate personali, preter illam, quam habuit formam accidentalem ex gratia, vt dici solet 3. p. q. 7. Ergo non solùm pertinet ratio sanctitatis ad naturam, sed etiā ad personas.

Aliorū opinio, ac fundamenta referuntur.

467 *Prob. nostra Concl. quia personales relationes non opponuntur in sāctitate; sicut nec in perfectione.*

Ceterùm de hoc pertinet tractare ad prædictum locum 3. p. Nunc breuiter dico, quod quidquid sit, an detur sanctitas personalis preter attributalem, qua voluntas, seu operatio videtur rectificari; tamen non inuenio, personales relationes opponi in sanctitate, sicut nec in perfectione, & in esse actuali: pertinet autem sanctitas etiam si sit personalis, ad puritatem, & rectitudinem operantis, & sic maximè sequitur perfectionem, non oppositionem relationis personalis. In perfectione autem non opponuntur relationes, licet illam includant, ergo neque in sanctitate opponuntur, & sic sanctitas non multiplicatur, licet conueniat personis, & in eis includatur, easque reddat personalitas rectas, & sanctas: sicut esse constituit eas existentes, nec tamen multiplicatur, quia ex parte fundamenti se tenet, non ex parte attingentiæ ad terminum, & correlationis, certius tamen videtur, quòd sanctitas purè est attributalis, quia in Deo dicit indefectibilitatem, & puritatem intellectualem, & moralem, seu in intellectu, & voluntate. Ratio autem intellectiui pertinet ad naturam diuinam sub conceptu naturæ, & moralitas pertinet ad attributa voluntatis, scilicet ad virtutes, vt misericordia, iustitia, &c. Ergo rectitudo, tàm ex parte intellectus dirigentis, quàm moralitatis regulatæ in voluntate ad rationem naturæ, vel attributi pertinet, & hoc est de conceptu Sanctitatis. Vnde gratia, quæ in nobis facit animam sanctam supernaturaliter, tanquàm participatio diuinę sanctitatis, est participatio, & consortium diuinæ naturæ, iuxta illud 1. Petri 1. *Vt per hęc efficiamini diuinæ consortes naturæ*; ergo sanctitas in Deo ad naturam pertinet, & attributa.

468 *Sanctitas n. est purè attributalis in Deo; quia dicit in eo indefectibilitatem, & puritatē intellectualem, & moralem.*

469 *Ad 1 dubitationē. Resp. sanctificationē pertinere ad principia, quę rectificari debent per modū perfectionis.*

Rationes vero dubitandi non mouent. Ad primam enim dicitur, quod sanctificatio pertinet ad principia, quæ rectificari debent per modum perfectionis, & moralitatis eorum, non per modum distinctionis, & oppositionis: non enim pertinet ad sanctitatem distinguere operationes, aut relationes opponere inter se, sed omni malitiæ, & defectui, & impuritati morali opponere. Hoc autem est commune personis, non particulare alicui, quia hoc habent ex plenitudine actionis, seu actualitatis voluntarię, & intellectualis, vnde rectitudo omnis dimanat.

Ad 2. Resp. Verbum sanctificasse humanitatem ratione sanctitatis personalis tanquam per modum.

Ad secundam dicitur, quòd Verbum sanctificauit humanitatem ratione personalis Sanctitatis, distinguo, ità quod ly *personalis* dicat rationem formalem Sanctitatis, nego; ità quod dicat modum, seu terminum talis sanctitatis, concedo. Hic autē terminus, seu modus includit ipsam sanctitatem identice, eamque modificat, tanquam subsistentia, & principium, *quod* illius. Vndè communicata humanitati subsistentia mediatè, communicatur sanctitas, vt in tali subsistentia modificata: sicut in sententia D. Th. communicatur humanitati existētia diuina, vt modificata personalitati Verbi, non absolutè;

Petes *Vtrum subsistentia multiplicentur in personis?* 470 *Petes.*

Resp. affirm. pro quo nota: dupliciter sumi subsistentiam, vel pro existentia per se: vel pro termino naturæ incommunicabilis.

Resp. affirmatiuè, subsistentia sumitur pro termino complente, & personante naturam; & sic inueniuntur plures subsistentiæ attributę personis, & simpliciter fatemur plures esse in Deo subsistētias, vt patet in epistola Sophronij, quæ lecta, & recepta est in VI. Synodo actione 6. vbi sæpius nominantur tres subsistentiæ in Deo. Cùm ergo pluralitatem in subsistentijs teneamus, videndum est quomodo id stare possit cum vnitate ipsius existentiæ per se. Et dico, subsistentiam duo posse importare. Primò existentiam per se, vt opponitur enti in alio, seu accidenti inhærenti, & parti substantiali non subsistenti. Secundo sumitur pro termino vltimo incommunicabili, vt expresse docet S. Th. inf. q. 29 art. 3. ad 4. Dicit enim de se terminum pertinentem ad suppositum, seu hypostasim, quia subsistens est quasi sub alio sistens; & sic dicit terminum vltimi sub alijs positi, & quod habet rationem vltimi, terminū importat respectu eorum, quę super ipsum ponuntur, vt non communicentur alteri termino.

471 *Subsistentia sumpta secundo modo multiplicatur: non verò sumpta primo modo.*

Primo ergo modo non multiplicatur subsistentia in diuinis, quia non est aliud, quàm existentia per se, seu independens ab alio, cui inhæreat, aut insit. Et sic datur subsistentia absoluta in Deo. Secundò verò modo non datur subsistentia absoluta, & dantur tres relatiuæ, quia incommunibilitas necessariò requirit oppositionem cum vlteriori termino: Sublata enim oppositione, omnia sunt vnum, & consequenter se communicant, & identificant. Ergo sub hoc conceptu subsistentia relatiua debet multiplicari, quia debet oppositionē dicere, & sub oppositione exercere rationē termini, sed de his fusiùs infra.

ARTICVLVS QARTVS.

Vtrum in Deo sint tantùm quatuor relationes reales, scilicet Paternitas, *Filiatio,* Spiratio, *&* Procesio.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Concl. In Deo sunt tantùm quatuor Relationes reales, quæ sunt Paternitas, Filiatio, Spiratio, & Procesio. Prob. quia duæ tantùm sunt Processiones in Deo vt supra diximus q. preced. secundùm autem quamlibet, processionem in Deo oportet accipere duas relationes, quarū vna sit procedentis ad id, à quo procedit, & altera principij processiones ad id, quod procedit, Vndè Relatio principij generationis dicitur paternitas, eo quòd talis generatio sit viuentis a viuente. Relatio procedentis per generationem ad principium generationis, dicitur Filiatio. Relatio principij processionis, quæ est per voluntatem, cum careat nomine, nominatur nomine actionis, & dicitur spiratio. Relatio tandem eius quod procedit, dicitur processio.

Arg. 1. Relatio intelligentis ad rem intellectam, & volentis ad volitum est realis; ergo &c. Resp. dist. Antec. est realis in his, in quibus res intellecta, & volita est aliud ab intellectu, & voluntate, quod non contingit in Deo, in quo Verbum non est simpliciter res intellecta, sed conceptus expressus intellectus; quia res intellecta, vt sic, non procedit

ab

ab intellectu, sicut Verbum.

Arg. 2. relationes intelligibiles multiplicantur in infinitum, vt dicit Auicenna; sed relationes in Deo accipiuntur secundùm processionem intelligibilem; ergo. Resp. dist. Antec. in nobis multiplicantur in infinitum, qui omnia non vnico actu intelligibus; conc. Antec. in Deo verò negatur, nam Deus omnia vnico actu intelligit.

Arg. 3. æqualitas, similitudo, & identitas sunt relationes reales. Sed in Deo sunt similitudo, æqualitas, & identitas, ergo. Resp. de respectibus realibus dictum est supra q. 15. art. 2. ad 4. æqualitas verò, & similitudo in Deo non sunt relationes reales, vt infra q. 44. art. 4. ad 3.

Arg. 4. Phil. dicit 3. Phys. t. 21. quod eadem est via ab Athenis ad Thebas, quæ est à Thebis ad Athenas; ergo eadem est relatio Filij ad Patrem; ac Patris ad Filium. Resp. neg. Conseq. quia via ab Athenis ad Thebas est medium absolutum, & non specificatur ab extremis, ideò non variatur. Relatio verò est via respectiua, & variando terminos, variatur.

DISPVTATIO CLXVIII.

An in Patre, & Filio detur relatio spirationis actiuæ ad Spiritum Sanctum.

472\. Concl. affirm. est omnium Theologorũ.

Concl. affirmatiua est omnium Theologorum nemine excepto; Prob. ex S. Th. supra art. 1. paulò ante finem corp. Cum aliquid procedit à principio eiusdem naturæ, necesse est, quòd ambo, scil. procedens, & id, à quo procedit, in eodem ordine conueniant, & sic oportet, quòd habeant reales respectus adinuicem: *vt patet inductione in omnibus, tum creatis, tum increatis, vt in Patre æterno, eiusque Filio. Sed Spiritus S. vt omnes diuina fide credimus, realiter procedit à Patre, & Filio in eadem Dei natura ergo Pater, & Filius debent referri ad Spiritum Sanctum.*

473 Ratio conc. est quia procedens ab aliquo principio ab eo debet distingui.

474 Confirm. quia ideo in Patre, & Filio datur mutua relatio realis, quia Filius realiter procedit à Patre; Spiritus S. autẽ realiter procedit à Patre, & Filio.

Confirm. quia in Patre, & Filio ideò datur mutua relatio realis, quia Filius realiter procedit à Patre per generationem, quæ petit in terminis duas oppositas relationes paternitatis, & filiationis: sed Spiritus S. procedit realiter à Patre, & Filio non per generationem; sed per aliam diuersæ rationis processionem; ergo hæc etiam, eadem omnino ratione, petit, in terminis duas alias oppositas relationes, diuersæ rationis à paternitate, & filiatione, sicut diuersæ origines seu processiones, sunt generatio, & spiratio, in quibus istæ diuinæ relationes, quasi fundari intelliguntur, quas duas alias relationes, vocamus, spirationis passiuæ in Spiritu S. & spirationis actiuæ in Patre, & Filio. Præterea si Spiritus S. realiter ad Patrẽ, & Filiu, refertur, quia ab illis realiter procedit; non est ratio, cur etiam Pater, & Filius, quia sunt vnum principium, à quo realiter procedit Spiritus S. non referantur ad illum. Imo, quod prudenter obseruauit Suar. lib. 5. de Trinit. c. 4. n. 7. sine sine isto respectu relinqueretur Spiritus S. quasi extraneus, non conueniens in mutuo ordine cum alijs diuinis personis, à quibus realiter procedit, vt consubstantialis illi, non minus ac consubstantialis est Filius Patri, inter quos propterea est mutuus ordo. Cuius mutui ordinis carentia, non parum præiudicaret perfectioni Spiritus S. & perfectæ connexioni, & æqualitati diuinarum personarum.

475 Non potest Pater per paternitatẽ referri ad Spiritum S. quia relationes Spiritus Sancti, & Filij, non sunt vnius rationis.

Non potest autem Pater per paternitatem referri ad Spiritum S. vt dicebat Præpositiuus, quem refert, & impugnat S. Th. infrà q. 32. art. 2. post medium corp. quia relationes Spiritus Sancti, & Filij non sunt vnius rationis, sed diuersæ quasi secundùm speciem; ergo non potest illis in Patre correspondere vna relatio paternitatis. Probat Conseq. euidenti principio philosophico, quia eùm ratio specifica relatiui consistat in hoc, quod ad aliud se habet, necesse est dicere, quòd duæ relationes non sunt diuersæ secundùm speciem, si ex opposito vna relatio eis correspondeat.

Quod etiã exemplo ostendit: Oportet enim aliam speciem relationes esse Domini, & Patris, secundùm diuersitatem filiationis, & seruitutis. Vndè secundùm duas relationes Filij, & Spiritus S. quibus referuntur ad Patrem, oportet intelligi duas relationes in Patre, quibus referatur ad Filium, & Spiritum S. *Neque est simile, quod vt simile Præpositiuus asserebat de Creatore, & creaturis. Tum quia, inquit S. Th.* omnes creaturę sub vna specie relationis referuntur ad Deum, vt sunt creaturæ ipsius; *quia scil. creatio, in qua proximè fundatur relatio creaturæ, non est diuersæ rationis in hac, vel illa creatura.* Filius autem & Spiritus non secundùm relationes vnius rationis referuntur ad Patrem.

476 Confirm. 2. quia esto creaturę per diuersas species relationis ad Creatorẽ realiter referãtur: Creator verò solum ratione ad creatur. refertur.

Tum quia esse creaturę per diuersas species relationis ad Creatorem realiter referantur, tamen Creator non refertur realiter ad creaturas, sed tantùm relatione rationis, quæ ad correlationes specie diuersas, esse etiam debet multiplex specie secundum rationem.

477 Pater ad Spiritum S. referri non potest per filiationẽ; nec filius per paternitatem: vterque ergo referri debet per quandam aliam diuersę rationis relationem.

Sed Pater ad Spiritum S. & Filium refertur relatione reali, vt ab ipsomet Præpositiuo conceditur; ergo non per solam, & formalẽ paternitatẽ quæ est relatio realis vnius rationis. Et ideò si ponuntur in creaturis ad Deum relationes reales diuersæ rationis, non potest noster intellectus cum fundamento in re affigere Deo eandem rationis relationem. Si enim creatura v. g. per aliam relationem refertur ad Deum, quia facta est à Deo, & per aliam quia est serua Dei, intellectus duas pariter specie quasi diuersas relationes rationis ad creaturam Deo tribuat, necesse est, nimirum & Creatoris, & Domini. Atque idem argumentum fieri potest de Patre, & Spiritu S. Quibus duobus correlatiuis diuersæ rationis non potest in Filio correspondere vna filiationis relatio eiusdem rationis. Adde, quod Pater, & Filius referri debent ad Spiritum S. per vnam, & eandam relationem, quia sunt vnicum Spiritus S. principium per vnicam Spirationem.

Sed Pater ad Spiritum S. referri non potest per filiationem, neque filius per paternitatem, ergo vterque referri debet per quamdam aliam diuersæ rationis relationem, oppositam correlationi Spiritus Sancti. Sicut igitur est in Deo Patre duplex processio, siue origo actiua, altera per intellectum, qua generat Filium; altera per voluntatem, qua spirat Spiritum S. ita etiam duplex in eo relatio debet intelligi, altera paternitatis ad Filium, altera ad Spiritum S. quæ, vt docet S. Th. hic in fine corp. proprium non habuit, sed nomine originis dicta est spiratio; siue relatiuo Spiritus Sancti, dicta est processio, vel, vt hodiè communiùs in Scholis loquimur, relatio spirationis actiua, & relatio spirationis passiuæ. Sed in Filio est eadem spiratio actiua, quæ est in Patre; ergo in illo etiam esse debet eadem relatio spirationis actiuæ præter aliam passiuæ generationis relationem ad Patrem generantem, quæ proprio nomine dicitur filiatio.

1\. Obiectio.

Arg. 1. In Patre, & Matre ad Filium sunt relationes ratione diuersæ; & tamen in Filio ad Patrem, & Matrem est vnius rationis filiatio; ergo pariter poterit Pater æternus vnica relatione referri ad Filium, & Spiritum S. habentes ad illum diuersas relationes.

Resp. esse disparem rationem quia filius, & Spiritus S. non sunt partiales termini alicuius totalis processionis; vt neque in Patre

Resp. Si in Patre, & Matre sunt diuersæ specie relationes, ex eo quod diuersis specie concursibus, nempe Pater effectiuo tantum, Mater materiali tantùm, in Filij generationem influant, ponendæ etiam consequenter in Filio sunt diuersæ specie relationes; ergo eadem ratione, cùm Filius, & Spiritus S. à Patre procedant per processiones diuersæ rationis, poni debent in Patre relationes eodem modo diuersæ. Quamquam etiam si poneretur in filio creato vna relatio,

&

sunt duo partialia principia.

& in parentibus duplex specie, adhuc in Patre æterno duplex specie relatio ponenda esset, quia Pater, & Mater integrant vnum totale principium generationis, & vnius speciei filij, & consequenter duæ relationes in parentibus essent diuersaru rationum partialium, quibus correspondere potest vnicus totalis relatio filiationis, sicut ipsis principijs diuersarum rationum partialium respondet vnus numero effectus totalis, & eiusdem rationis. At Filius, & Spiritus S. non sunt partiales termini alicuius totalis processionis, neque in Patre sunt duo partialia principia, aut duæ partiales productiones, ex quibus coalescat vna aliqua totalis producendi potentia, aut productio; sed qualibet eius potentia, & productio est integra, & completa in suo genere, & cuilibet correspondet integer terminus personæ distinctæ, & in se omninò completæ.

479 2. Obiectio.

Arg. 2. Relatio spirationis actiuæ intelligitur aduenire Patri, & Filio, iam constitutis in suo esse personali Patris, & Filij, hoc est generantis, & geniti, quæ actio, & passio est suppositorum, & personarum; ergo talis relatio non potest esse realis; alioquin esset accidens reale, quod diuinis personis repugnat; ergo est relatio rationis, sicut relatio Creatoris non potest esse realis, quia adueniret post integram diuinarum personarum constitutionem.

Resp. Relationem spirationis actiuæ: licet non constituat Patrẽ, & filium in esse personali; constituere tamen in esse principij spiratiui substantialis.

Resp. concesso Antec. nego. 1. & 2. Conseq. & ad prob. neg. ex illa reali relatione, quæ ita identificatur personis, vt tamen cum fundamento in re intelligatur aduenire personis in esse personali totaliter constitutis quoad essentialem conceptum personæ, sequi, quòd in Deo sit accidens aliquod reale. Quamuis enim relatio spirationis non constituat Patrem & Filium in esse personali, neque in esse principij spiratiui substantialis, tamen constituit in formali, & substantiali esse correlatiui substantialis respectu Spiritus Sancti, cuius substantialis personalitas, quæ est relatio spirationis passiuæ, postulat ex natura rei in suo principio productiuo consubstantiali, & eiusdem ordinis, aliam similem substantialem correlationem, quæ est relatio spiratoris. Sicut enim in humanis, quia relatio termini producti est accidens, debet illi ex opposito correspondere alia mutua relatio accidentalis in principio producente; ita in diuinis, quia relatio termini producti est substantialis, si ponenda est ex opposito alia mutua relatio in principio producente, illa pariter substantialis esse debet. Neque verò omne, quod intelligitur simpliciter, & quomodocumque aduenire alteri, est accidens. Enim ipsæ relationes personales, quæ etiam intelliguntur aduenire essentiæ, non sunt accidentia, quoniam intelliguntur aduenire non accidentaliter, sed substantialiter, hoc est vt formaliter constitutiuæ alicuius esse, non accidentalis, sed substantialis, nimirum esse personæ.

480 Forma in physicis aduenit materiæ: in metaphysicis generi; & non sunt accidentia:

Forma etiam in physicis aduenit materiæ, & in metaphysicis differentia aduenit generi, & tamen non sunt accidentia, quia ita adueniunt, vt seipsis formaliter constituant esse substantiale compositi substantialis, & speciei in prædicamento substantiæ. Præterea quod est exemplum casui nostro magis accomodatum, in diuinis actus in se spirandi, posteriùs ratione intelligitur aduenire Patri, & Filio, constitutis in esse personali, & in esse principij spiratiui; & tamen ille non est accidens, quia intelligitur aduenire, vt substantialis actus, necessarius scil. ad productionem tertiæ Spiritus Sancti personæ, quæ est perfectissima substantia in eadem omninò diuina natura cum Patre, & Filio. Relatio igitur spiratoris non debet concipi aduenire vt accidens, sed vt essentialiter substantia; quia ita aduenit, vt ipsa formaliter constituat in diuinis correlatiuum mutuum substantiale ad substantialem correlationem spirationis passiuæ, constitutiuam substantialis personæ Spiritus Sancti eiusdem naturæ, & ordinis. Quarè non est simile, quod affertur de Creatoris relatione; quoniam hæc est ad terminum diuersissimi ordinis, nimirum creaturam, & aduenire Deo post substantialem constitutionem omnium personarum, & totius Sanctissimæ Trinitatis, & ideò si aduenire conciperetur, & esset quid reale, non posset non concipi aduenire, vt accidens reale. Relatio verò est necessaria ad rectam, & integram constitutionem Trinitatis intrà ipsum Deum: & ideò concipi debet aduenire intra Deum, vt aliquid formaliter, & essentialiter substantiale, & nullo ratione accidentale, ne metaphysica quidem: præsens verò disputatio in hæc dubia diuiditur.

481 Ita Relatio spiratoris nõ debet cõcipi aduenire, vt accidens: sed vt essentialiter substantia.

Dub. 1. Quomodo relatio spirationis actiuæ distinguatur à paternitate, & filiatione.

Dub. 2. An intra Deum sint plures, quàm quatuor reales relationes.

DVBIVM I.

Quomodo relatio spirationis actiua distinguatur à paternitate, & filiatione.

Prima Concl. Nullo modo distinguitur actu in re ante opus intellectus. Ita S. Th. infra q. 32. art. 3. ad 3. & clariùs q. 40. art. 1. ad 1 fine, & 1. d. 27. q. 1. art. 1. circa finem corp. & Thomistæ, & interpretes omnes. AEgid. 1. d. 27. q. 1. Riccardus d. 28. art. 1. q. 1. corp. & d. 33. art. 1. q. 2. ad 3. Nec bene dicitur à quibusdam, sibi contrarius antea in d. 13. art. 1. q. 3. corp. vbi ad rem præsentem scripsit tantùm, *quòd spiratio* Spiritus Sancti realiter distincta est à generatione Filij: ibi enim apertè loquitur de spiratione passiua, & generatione passiua, quæ processiones identificantur adæquatè cum terminis productis, realiter distinctis. Nunc autem quærimus de actiuis, non de passiuis processionibus. Aureol. 1. d. 13. q. vnica art. 4. propos. 2. vbi inter spirationem, & generationem negat omnem distinctionem, & realem, & rationis Argent. d. 27 q. vnica art. 2. Carthusian. q. 1. in contrarium referens Albertum & Bonauent. & alios quosdam dicentes: *Quòd generare, & spirare realiter distinguantur*. Nimirum non spectata in seipsis, sed respectu terminorum, qui sunt Filius, & Spiritus S. realiter distincti: alioquin Albert. p. p. summæ q. 39. memb. 2. art. 1. littera D. loquens vniuersaliter de notionibus, proprietatibus, & relationibus respectu illius personæ, in qua sunt, ait, *Hæ differunt, non secundùm esse, sed secundùm rationem intelligendi, siue secundùm rationem supponendi, & attribuendi, vt antiqui dixerunt*. & litera F. ad 2. in fine admittit hoc Antec. *Quidquid est in Patre, est Pater; & quicquid est in Filio, est Filius; & sic communis spiratio est Pater, & communis spiratio est* Filius: & negat tantùm, indè sequi: *Ergo Pater est Filius*. Et Bonauent. 1. d. 33. art. vnico q. 1. 2. 3. & 4. loquens de omnibus proprietatibus, & relationibus; & notionibus, quæ in vna quaque persona sunt, nullam in eis à persona distinctionem agnoscit, nisi solius rationis, & modi significandi. Idem sentiunt Ocham. 1. d. 27. q. 1. difficult. 1. de Paternitate, & spiratione dicens, *Quòd non differunt realiter*; & quamuis addat, *quòd non sunt idem formaliter*, tamẽ per hoc non intelligit actualem distinctionem, sed fundamentalem tantùm; ratione cuius, vt ibidem explicat, *aliquid verificatur de aliquo termino, & non de alio*. Gabriel. ibid. art. 2. Arimin. art. 2. ad 2. contra 2. Conclusionem, Marsil. q. 30. art. 4. dub. 2. & recentiores omne.

482 *Prima Concl. nullo modo distinguitur actu ante opus intellectus. Prob. 1. Auth. D. Th.*

483 *Generare, & spirare realiter distinguuntur in ordine ad terminos.*

D. Bonauen. nullam aliam in hoc distinctionem agnouit, nisi rationis tantùm.

Prima Ratio, quia si duæ relationes ponuntur distinctæ realiter inter se in eodem supposito, non est maior ratio, cur non ponendæ etiam sint distinctæ realiter ab absoluta essentia eiusdem suppositi; cùm multò minùs in essentiali entis ratione discrepent duæ relationes inter se comparatæ absque vlla oppositione, quàm comparatæ cum alia re absoluta diuersi generis. Nunc autem realem distinctionem relationum ab essentia, tametsi eam consequenter admittat Durandus; quod est falsum. Sic enim nimis omnino in seipsis diuisæ, & compositæ ponuntur duæ personæ, Patris, & Filij, quarum tamen vnitas, ac simplicitas maximè extollitur ab omnibus

484 *Prima Ratio Concl. quia si duæ relationes ponuntur distinctæ inter se in eodem supposito: non est maior ratio, cur non ponantur distinctæ realiter ab absoluta essentia eiusdem suppositi.*

bus Concilijs, & Patribus; Nam in Patre re ipſa dicitur alia eſſe eſſentia, alia Paternitas, alia ſpiratio. Similiter in Filio, alia eſſentia, alia filiatio, alia ſpiratio. Quamobrem tertia perſona Spiritus Sancti eſſet magis vna, & magis ſimplex; quia in ea non eſſent, niſi duo tantùm realiter diſtincta, nimirum eſſentia, & proceſſio. Vtrumque autem abſurdum eſt, nempe & in Patre, ac Filio eſſe tantam diſtinctarum rerum multiplicitatem; & in Spiritu Sancto maiorem eſſe ſimplicitatem, quàm in Patre, & Filio.

485 *2. Ratio, quia eſſentia, & attributa ideò à relationibus non diſtinguuntur realiter; quia non habent oppoſitionem. Paternitas enim, & ſpiratio actiua neque habent oppoſitionem.*

Secunda ratio; quia in bona Theologia certum valde eſt, relationes in re non diſtingui à Deitate; & in ipſa natura diuina perfectiones attributalis, neque inter ſe, neque ab eſſentia à parte rei diſtingui. Hoc autem nulla alia probabiliori ratione, fundata potiſſimum in Patrum dictis perſuaderi poteſt, niſi quia Dei eſſentia, attributa, relationes ſunt infinitæ perfectionis, & eſſentia, atq; attributa, neque inter ſe, neque cum relationibus vllam habent oppoſitionem; neque relationes cum illis: ex qua ſola oppoſitione, quam inter ſe habent relationes, naſcitur realis earum diſtinctio inter ſe, quamuis ſingulæ in ſuo genere infinitam perfectionem habeant: ſed inter Dei paternitatem, & ſpirationem; item filiationem, & ſpirationem nulla, eſt oppoſitio, quamobrem & illæ coherent in vna perſona Patris, & hæ in vna perſona Filij: ergo nulla etiam à parte rei poteſt eſſe diſtinctio.

486 *Euaſio Durandi.*

Dices cum Durando ſuprà num. ſuo 33. hanc rationem non habere vim, *quia licèt omnia oppoſita ſint diſtincta, tamen non omnia diſtincta ſunt oppoſita.* Quod, quia negatur in diuinis, in illis etiam probari poteſt; nam paternitas, & filiatio in Deo diſtinguntur realiter à relatione paſſiua ſpirationis, cui non opponuntur, cùm hæc relatio non ſit correlatio ad illas, ſed tantùm ad relationem ſpirationis actiuæ.

Præcluditur. Quia Paternitas, & filiatio ſunt oppoſitæ relationi ſpirationis paſſiuæ non correlatiuè: ſed quaſi principatiuè.

Reſp. quod infrà clarius explicabitur, paternitatem, & filiationem eſſe relationes ſimpliciter oppoſitas relationi ſpirationis paſſiuæ, tamen non oppoſitas correlatiuè, ſicut illi oppoſita eſt relatio ſpirationis actiuæ; ſed oppoſitas, vt ita dicam, principiatiuè, ſiue in ratione principij actiui ſpiratiui, quod ſuo loco inferius probabitur, & declarabitur, conſtituitur, vt quod ex eſſentia, & relationibus paternitatis, & filiationis. Et ideò Florent. quaſi explicans axioma illud Boetij, *ſola relatio multiplicat Trinitatem*, preter relationem addidit proceſſionem, quo relatio induit rationem oppoſitionis, quæ ad diſtinctionem in diuinis omnino eſt neceſſaria, dicens, *ſola relatio apud omnes, tam Græcos, quàm latinos Doctores, diuina proceſſione perſonas multiplicat*. Igitur ſi præciſa per rationem à Patre, & Filio relatione ſpirationis actiuæ, adhuc Pater, & Filius ſunt principium, à quo procedit Spiritus Sanctus, paternitas, & filiatio erunt relationes oppoſitæ Spiritui Santi non in ratione correlationis, ſeu tanquam correlatiuo, ſed in ratione principij producentis, ſeu tanquàm termino producto: ſicut etiam in rebus creatis non ſolùm opponuntur correlatiuè, Pater, & Filius, ſed etiam effectiue generans, & genitum; cùm non minus impoſſibile ſit, idem referri realiter ad ſeipſum, quam idem eſſe effectiuum principium ſui ipſius.

487 *3. Ratio. Si ſpiratio actiua differret realiter à Paternitate: ſequeretur eodem modo differre, ac ab ſpiratione paſſiua.*

Tertia ratio, ſi ſpiratio actiua differret realiter à paternitate, & filiatione, ſequeretur non magis differre ſpirationem actiuam à paſſiua, quàm à paternitate, & filiatione: quia vtrobique eſt eadem realis diſtinctio. Neque refert, ſpirationem actiuam non pertinere ad illud ſuppoſitum, ad quod pertinet ſpiratio paſſiua, ſed ad alia duo ſuppoſita Patris, & Filij; tum quia adhuc cum iſta differentia ſequitur idem inconueniens, nempe inter ſpiratorem, & ſpiratum non eſſe maiorem diſtinctionem, quàm inter ſpiratorem, & Patrem, ſpiratorem & Filium: ſiquidem in diuinis plura ſuppoſita non plus diſtinguuntur, quàm realiter; & hoc modo ita diſtinguuntur, vt cum tali diſtinctione habeant omnimodam conuenientiam, & vnitatem in eadem numero natura, ratione cuius verificatur ſimpliciter, ac propriè illud. 1. Io: 5. *Hi tres vnum ſunt*. Sed etiam ſpiratio actiua, & paternitas, ſeu filiatio, eadem realis diſtinctionis ſpecie differunt, & eandem prorſus vnitatem habent in natura; ergo vera ſimpliciter eſt Conſeq. initio facta. Conſeq. vero abſurdum eſt; patet, quoniam nullus fidelis rectè ſentiens de Trinitate perſonarum, & de diuinæ, naturæ, & vniuſcuiuſque perſonæ vnitate, dubitare poteſt, quin multo maior diſtinctio ſit inter vnam, & aliam perſonam, quàm inter plures diuinas perfectiones, ſeu reales rationes in eadem vna, ac ſimpliciſſima perſona exiſtentes, & conuenientes: cùm in Sacris Scripturis, Concilijs, & Patribus illa abſolutè, & ſimpliciter dicatur Trinitas: hæc verò abſolutè, & ſimpliciter vnitas.

488 *4. Ratio. Quia in diuinis nulla eſt diſtinctio, præſertim realis, quorum vnum non procedit ab alio.*

Quarta ratio, quia in diuinis nulla eſt diſtinctio, præſertim realis inter ea, quorum vnum non procedit ab alio, vt adnoratur ex Concil. Florent. in qua, inquit, proceſſionis, ſeu principij habitudine, *hæc, duo conſiderantur, A quo aliquid, & Ad quod aliquid:* ſi enim deeſt proceſſio, neceſſe eſt deeſſe relationem, & quamlibet aliam oppoſitionem, ſine quibus diuina, ac perfectiſſima infinitas, quæ eſt de intrinſeco, & eſſentiali conceptu cuiuslibet entis diuini, ſiue abſoluti, ſiue relatiui ſtare non poteſt cum diſtinctione à parte rei, quæ manifeſtè importat aliquam finitatem, ac limitationem inter res diſtinctas, quæ eo ipſo, quòd diſtinctæ ſunt, ita ſe habent, vt vna in ſua reali intrinſeca entitate non ſit alia, & conſequenter, vt vnius perfectio careat perfectione alterius, ac proinde vt limitata ſit ad tantam determinatam perfectionem, non ad maiorem,

489 *Ex Boetio omnis pluralitas in diuinis non poteſt prouenire, niſi ex ſola relatione cum proceſſione.*

Quapropter ſenſus illius axiomatis Boetij: *ſola relatio multiplicat Trinitatem*, eſſe debet hic, omnis realis multiplicatio, ſeu pluralitas in diuinis, quæ de facto eſt, nec ſimpliciter poteſt eſſe alia, niſi Trinitas perſonarum inter ſe, non poteſt aliunde prouenire, niſi ex ſola relatione, quæ in diuinis eſſe non poteſt, niſi cum proceſſione vnius ab alio: quem ſenſum clariùs habet Anſelmus de Proceſſione Spiritus Sancti c. 3. aliquanto poſt princip. tradens idem axioma, non ſub nomine Trinitatis, ſed ſimpliciter, & vniuerſaliùs ſub nomine pluralitatis, illis verbis: *Pluralitas ſequitur relationem*. Ex hac verò vnica radice diſtinctionis inter terminos diuinos, nimirum proceſſione, euidenter ſequitur, Nullo modo in re diſtingui ſpirationem actiuam à paternitate, & filiatione; cùm ſpiratio comparata paternitati, aut filiationi, neque ſit id *à quo*, neque id, *ad quod*; quoniam neque à ſpiratione procedunt paternitas, & filiatio; neque contra, à paternitate, & filiatione ſpiratio procedit: alioqui preter duas proceſſiones, Filij à Patre; & Spiritus Sancti à Patre, & Filio, daretur intrà Deum alia tertia proceſſio relationis ſpiratoris, quod nemo dixerit.

490 *2. Concluſio. Relatio ſpirationis actiuæ, & Paternitas: ſicut etiam eadem ſpiratio, & filiatio diſtinguuntur inter ſe ratione ratiocinata.*

Secunda Concluſio. Relatio ſpirationis actiuæ, & paternitas, ſicut etiam eadem ſpiratio, & filiatio, diſtinguuntur inter ſe ratione ratiocinata. Hoc probat Capreol. 1. diſt. 13. quæſt. vnica artic. 2. concl. 2. cum S. Thom. contra quem poſteà refert Aureolum, eiuſque argumenta ſoluit. Quanquàm Aureol. 1. diſt. 13. quæſt. vnica artic. 4. propoſit. 2. vbi hac de re agit, non tam negat, poſſe duobus actibus concipi iſtas relationes, ſeu proceſſiones, de quibus ipſe tantùm loquitur; altero ſpirationem, altero paternitatem, ſeu filiationem; quod alij vocant diſtingui ratione ratiocinata: quàm poſſe concipi ſpirationem non concepta, ſaltem implicitè, paternitate, ſeu filiatione: & è contra. Quo modo diſcurrit de eſſentia, & relationibus, & exemplo ipſemet vtitur, & propoſi-

positionem suam declarat in fine illius. Hanc autem qualemcumque distinctionem Aureolus non vult vocare simpliciter distinctionem rationis: & quidem merito; quamuis enim sint duo distincti actus, tamen illis non correspondent ex parte obiecti duę distinctæ res, neque in esse reali, neque in esse obiectiuo, sed à singulis actibus, & ab vtroque semper concipitur eadem res, & idem obiectum.

491. *Probatur, quia spiratio vt formaliter spiratio, respicit terminum, realiter distinctum ab eo, quem respicit Paternitas.*

Ratio Conclusionis euidens est, quia spiratio, vt formaliter Spiratio, respicit terminum realiter distinctum ab eo, quem respicit paternitas vt paternitas, & filiatio vt filiatio: respicit enim Spiritum Santum qui realiter distinguitur à Filio, quem respicit paternitas, & à Patre, quem respicit filiatio. Præterea paternitas est propria Patris, quem formaliter constituit in esse primę personæ; filiatio est propria Filij, quem formaliter constituit in esse secundæ personæ. Spiratio verò Patri, & Filio communis est, nullamque personam constituit. Item spiratio nec opponitur paternitati, cui opponitur filiatio, nec opponitur filiationi, cui opponitur paternitas: & relationi spirationis passiuæ opponitur correlatiuè, quo modo illi non opponuntur paternitas, & filiatio, vt tales formaliter sunt: Deus quoque, vt Pater, non vt spirator, & principium Filij: & Deus vt Filius, non vt Spirator, producitur à Patre per generationem; quo modo filiatio passiuè terminat aliquam processionem, nullam verò processionem passiuè terminat relatio spirationis actiuæ. Quæ omnia sufficientissimum præbent fundamentum ad plures relationes ratione distinguendas: adeò vt faueant potius distinctioni reali impugnatæ Conclus. 1. quàm tollant rationis ratiocinatæ distinctionem, quam nunc probamus.

492 *Nota hanc distinctionem rationis esse æque perfectam ex parte vtriusque extremi*

In qua aduerto, hanc rationis distinctionem esse æque perfectam ex parte vtriusque extremi; cùm adductę rationes ęqualiter probent, relationem spirationis actiuæ distingui à paternitate, seu filiatione; & è contrario Paternitatem, seu filiationem distingui à relatione spirationis actiuę: nec propterea inter istas relationes prædicto modo comparatas, posse considerari discrimen illud, quod multi ponunt inter essentiam, & relationem, asserentes de conceptu essentiæ non esse relationem, sed de conceptu relationis esse essentiam, ac proinde essentiam ratione perfectam, hoc est non solùm quoad modum concipiendi implicitum, & explicitum, sed etiam quoad rem ipsam obiectam, seu conceptam, distingui à relatione; multò autem minus ratione distingui relationem ab essentia, nimirum non secundùm aliud esse reale obiectiuum, sed dumtaxat secundùm modum explicitum concipiendi idem esse obiectiuum; quod simul implicitè concipitur sub ratione essentiæ, & explicitè sub ratione relationis.

493 *3. Conclusio, habet duas partes. secunda pars cōstat.*

Tertia Conclusio. Ità in re identificatur spiratio cum paternitate, seu filiatione, vt tamen nec spiratio sit de intrinseca, & essentiali ratione paternitatis, seu filiationis; nec paternitas, seu filiatio de intrinseca, & essentiali ratione spirationes. Hæc est sine dubio intentio Capreoli contra Aureol. supra, & quidem secunda pars de spiratione non includente paternitatem, est omnium, quia si in suo essentiali conceptu includeret paternitatem, aut filiationem, non posset idem essentialis conceptus spirationis conuenire communiter Patris, & Filio, quia sunt vnicum spirandi principium per vnicam spirationem, & tamen neque Pater est Filius, neque Filius est Pater.

494 *Prima Pars habet aduersarios, qui apertè cōtradicunt D. Th.*

Prima verò pars pręter Aureol. aduersarios habet aliquos recentiores, qui minus coherenter concedentes secundam partem, negant primam, eo quod putent, paternitatem, & filiationem intrinsece compleri per spirationem actiuam: & propterea sicut dicunt, essentiam includi in relationibus, non relationes in essentia, ita volunt, spirationem includi in paternitate, & filiatione, non paternitatem, aut filiationem in spiratione. Verùm expresse contradicunt S. Th. qui infra qu. 30. art. 2. ad. 1. distinctè numerans quatuor diuinas relationes, spirationem, paternitatem, filiationem, processionem, de spiratione ait, *Licèt sit relatio, non tamen dicitur proprietas, quia non conuenit vni tantum personæ, neque relatio personalis, idest constituens personam: sed hæ tres relationes, paternitas, filiatio, & processio dicuntur proprietates personales, quasi personas constituentes; nam paternitas est persona Patris, filiatio persona Filij, processio persona Spiritus Santi procedentis.*

495 *D. Th. clarissimè distinguit spirationem actiuam à Paternitate, & filiatione: munus autem cōstituendi personam; nullo modo concedi debet spirationis.*

Qui dicit, Personam constitui, non per spirationem, sed per paternitatem, & per filiationem, clarissimè distinguit non solùm spirationem à paternitate, & filiatione, sed has etiam pariter à spiratione, & munus constituendi personam, nullo modo tribuit spirationi, sed soli paternitati, vt contradistinctę à spiratione, & soli filiationi, vt ab eadem spiratione contradistinctæ, sicut etiam soli processioni: illa enim particula aduersatiua, *sed hę tres*, &c. expressè excludit aliam quartam relationem immediatè ante nominatam. Et post hanc exclusam cùm dicitur, *Nam paternitas est persona Patris*, &c. non potest rationabiliter intelligi inclusa spiratio in paternitate, ita vt persona Patris, non sit sola relatio ad Filium, quam omnes vocamus paternitatem, sed sit simul etiam relatio ad Spiritum Santum quæ dicitur spiratio. Præterea q. 40. art. 3. ante med. corp. ità docet, *remoto per intellectum à Patre, quòd sit ingenitus, vel spirans, remanet hypostasis, vel persona Patris*. Ergo spirare, seu relatio spiratoris non complet intrinsecè, & essentialiter personalitatem, seu personam Patris. Neque valet instantia de ingenito, quod eodem modo, quo spiratio excluditur a S. Th. ratione personæ Patris; & tamen inquiunt, *nullus dubitare potest de essentia paternitatis, esse totum illud reale, quod affertur per innascibilitatem*. Enim vero S. Th. non sumit ingenitum positiuè pro hoc reali, sed negatiuè pro non genito, seu non producto.

490 *Spiratio actiua nō potest esse constitutiua, quia aduenit personæ: sicut Albedo aduenit Sortė.*

Nam vt docuerat superiùs q. 33. art. 4. fine corp. *Non esse ab alio pertinet ad proprietatem innascibilitatis, quam significat hoc nomen, ingenitus*. & deinde apertissimè ad 1. narrata sententia quorundam dicentium, *quòd innascibilitas, quam significat hoc nomen, ingenitus, secundùm quod est proprietas Patris, non dicitur tantùm negatiuè, sed importat vel vtrumque simul, scil. quòd Pater à nullo est, & quod est principium aliorum; vel importat vniuersalem authoritatem, vel etiam fontalem plenitudinem* ità eam confutat. *Sed hoc non videtur verum, quia sic innascibilitas non esset alia proprietas à paternitate, & spiratione; & ideò dicendum est secundùm Aug. in 5. de Trinit. quòd Ingenitus negationem generationis passiuè importat*, similiter 1. d. 33. qu. 1. art. 3. corp. ait *secundùm intellectum proprietates non personales, vt innascibilitas, & communis spiratio sunt in personis, sicut illud, quod aduenit post esse constitutum: sicut Albedo est in Sorte*. Si spiratio ex natura sua talis est, vt cum à personis Patris, & Filij, per intellectum distinguitur, debeat intellectus priùs concipere personas constitutas & posteriùs spirationem, quasi illius aduenientem; ergo dici non potest spiratio inclusa intrinsecè in conceptu essentiali paternitatis, & filiationis, & simul cum illis constituere, & complere personas Patris, & Filij. & ideo Capreol. Thomisticæ Doctrinæ fidelissimus sectator, 1. dist. 13. quæst. vnica artic. 2. ad 2. Aureoli contra secundam Concl. *spiratio*, inquit, *non concurrit ad constitutionem diuinæ personæ*.

497 *Prob. hęc pars. ratione. quia Pater per spirationem actiuā*

Argumento præterea ad hominem, quia aduersarij rectè fatentur; Patrem in ratione formali Patris, & generantis Filium, non constitui per spirationem actiuam; ergo neque in ratione formali

personæ.

non cōstituitur in esse Patris, ergo neque in esse personæ.

personæ. Conseq. quam negant, videtur manifesta: tum quia sicut Deus, vt formaliter procedens est integra persona Spiritus Sancti; & vt formaliter filius, & genitus, est integra persona Filij, ita Pater, vt formaliter Pater, & generans, est integra persona Patris. Tum à priori, quia actio, cùm sit vltimus actus, & vltimata perfectio rerum existentiū, præsupponit ex natura sua rem perfectè constitutam in suo esse personali; vndè omnes pronunciamus, Actiones esse suppositorum, vtique completorum, & totaliter terminatorum in esse substantiali: sed generatio diuina est perfectissima quædam actio, ad quam non concurrit Pater, nisi vt Pater, constitutus per paternitatem; non vt spirator constitutus per spirationem, ergo præsupponit Patrem perfectissimè constitutum in esse personali per solam paternitatem, non per spirationem saltem ex primo Antec. concesso, quod Pater in ratione formali Patris, non constituitur per spirationem, euidenter sequitur, quod nunc directè tantùm intendimus in prima parte conclusionis, Paternitatem in sua formali ratione non includere formaliter in suo proprio esse respectiuo, spirationem.

498 *Prob. 2. quia spiratio secundùm Aduersarios, neque implicitè, neque explicitè includit paternitatē, ergo qui concipit paternitatē, concipit aliquid aliud, quod non est spiratio.*

Hoc ipsum rursus probari efficaciter potest ex alia parte, quæ conceditur, nempe quòd spiratio neque explicitè, neque etiam implicitè, claudit in se quidditatiuè paternitatem, aut filiationem, Nunc sic arguo. Si spiratio præcisè concepta, nulla ratione includit paternitatem; ergo qui concipit paternitatem, non concipit solum spirationem; ergo cōcipit aliquid aliud, quod non est spiratio; alioqui nihil prorsus aliud conciperet, nisi solam spirationem. Qua argumentatione probari potest, quod est euidentissimum, ens non posse ratione præscindere saltem implicitè à substantia, quia vicissim substantia, quod omnes concedimus, non potest ratione saltem implicitè, & præscindere ab ente, cùm & ipsa substantia & quidquid in ea realiter inest, & conceptibile est, sit ens. Eadem proportionali ratione; si paternitas ipsa, & quicquid omnino in ea concipi potest, non est nisi spiratio; ergo spiratio intrinsecè, & essentialiter claudit, saltem implicitè quidquid omnino est paternitas, & clauditur in paternitate. Quod si spiratio, vt conceditur, omni ratione perfectè præscindit à paternitate, est prorsus inintelligibile, ipsam paternitatem, vel in ipsa, non esse aliquid, quod non sit spiratio; & consequenter vel paternitas, vel aliqua alia realis ratio inclusa in paternitate, erit pariter perfectè præcisa à spiratione. Addidi prædictam disiunctiuam, quia possunt duo termini aliquando inuicem comparari, sicut includens, & inclusum, vt v. g. homo, & animal, & tunc licèt animal præscindat ab homine, & homo non præscindat ab animali, tamen in homine est aliquid, quod ab animali præscindit nimirum rationale. Sic igitur si paternitas includit spirationem, & non est sola spiratio, habere debet in se aliquid, ratione cuius præscindat à spiratione, sicut spiratio præscindit ab illa.

499 *Prob. 3. quia Paternitas, vt formaliter Paternitas, terminatur ad Filiū, eique opponitur. Opposita verò prædicata conueniunt spirationi.*

Denique eandem primam conclusionis partem absolutè probo ex muneribus supra in ratione huius secundę conclusionis positis conuenientibus paternitati secundùm reale, & formale, ac proprium suum esse respectiuum, pręscindendò ab omni nostræ mentis operatione, quę non possent conuenire illi, si in suo esse intrinseco quidditatiuè clauderet spirationem. Dicitur enim paternitas, vt formaliter paternitas terminari ad filium, eique opponi, & esse propria vnius personę non communis pluribus personis, & complere principium producendi per intellectum, & consequenter pertinere ad primam processionem diuinam, non ad secundam. Opposita verò prædicata conueniunt spirationi, vt spiratio formaliter est, quę terminatur non ad Filium genitum, sed ad alium terminum spiratum, & non genitum; non opponitur Filio, sed soli Spiritui S. est communis pluribus personis; non complet principium producendi per intellectum, sed pertinet ad principium producendi per voluntatem, ac proinde ad secundam processionem, diuinam, non ad primam. Pręterea filiatio passiuè terminat aliquam diuinam processionem, spiratio verè actiua, de qua loquimur, nullius processionis est terminus passiuus, seu productus: ergo nec paternitas, vt paternitas, nec filiatio; vt filiatio, in suo formali esse respectiuo includit essentialiter spirationem, sicut nec spiratio paternitatem, aut filiationem.

Conseq. patet ad hominem, quia nulla alia affertur ratio, cur spiratio, ne implicitè quidem, includat paternitatem, aut filiationem, nisi quia, inquiunt, si quidditatiuè clauderet paternitatem, non posset conuenire Filio; si quidditatiuè clauderet filiationem, non posset conuenire Patri; ergo pari, eaque optima ratione licebit nobis arguere, paternitatem, seu filiationem non includere spirationem, quia si paternitas includeret spirationem, non posset conuenire soli Patri; si filiatio includeret spirationem, non posset conuenire soli Filio; sicut enim spiratio est communis Patri, & Filio; ita paternitas est propria solius Patris, & Filiatio propria est solius Filij, ergo quemadmodum si spiratio clauderet paternitatem propriam solius Patris, non posset conuenire Patri, & Filio; ita si paternitas clauderet spirationem communem Patri, & Filio, non posset conuenire Patri tantùm, & non Filio. Ergo si primum est satis ad excludendam paternitatem, & filiationem ab intrinseco conceptu spirationis; secundum pariter sufficere debet ad excludendam eodem modo spirationem ab intrinseco conceptu paternitatis, & filiationis; & sane si hęc non sufficiant, vt duo, quę sunt idem in re, distinguantur ratione, ita vt alterum nec explicitè, nec implicitè claudatur in conceptu alterius, nullus prorsus casus fingi potest, siue increatus, siue creatus, in quo contingere queat, vt ratione perfectè hoc est, cum omnimoda mentali exclusione alterius altero distinguantur duo, quę sunt vnum in re. 500 *Conseq. patet quia ideò per Aduersarios; spiratio nō includit Paternitatem; quia nō posset conuenire filio.*

Oppositam sententiam primę Concl. tenet Durandus. 1. dist. 13. qu. 2. quę meritò ab omnibus scholasticis censetur temeraria. 501 *Oppos. sent.*

Arg. 1. quæ ex Durando sibi obijcit, & soluit Capreol. 1. d. 13. q. vnica art. 2. contra 1. Concl. Primò, relationes penes terminos distinguuntur; sed paternitas, & spiratio, sicut etiam filiatio, & spiratio terminantur ad personas realiter distinctas, nempe ad Filium, & Spiritum S. ad Patrem, & Spiritum S. ergo realiter distinguuntur. 502 *1. Obiectio.*

Respondet Capreol. ad 1. *Quòd relationes penes terminos distinguuntur in esse relationis, non autem in esse rei: nec in diuinis, nisi fiat opposita relatiuè, vel vna originetur ab alia.* Sed contra, quia relatio realis, etiam vt relatio, est res quædam, vel ens quoddā reale constituens vnū ex realibus prædicamentis; ergo relationes si distinguūtur in esse relationis, in esse etiā rei distinguantur necesse est; puto autē, Capreolū velle tantùm, quòd relationes in esse relationis penes terminos distinguantur, hoc est nominentur distinctæ, & plures simpliciter relationes, vt mox dicam in sequenti dub. propter extrinsecam distinctionem realem terminorum, quos explicitè important extra se in esse relationis, siue secundùm esse *Ad*. non autem propter realem distinctionem, quā causatam aliqua ratione à terminis, intrinsecè in seipsis habeant illæ relationes, non sub conceptu explicito relationis, sed sub implicito, tanquàm res quædam sunt, siuè secundùm esse *In*. Neganda igitur simpliciter est Ma. in sensu, quo sumitur ab aduersarijs, scilicet, quòd relationes in seipsis distinctæ sunt, quia respiciunt distinctos realiter terminos. *Resp. neg. ma. quæ licèt verificetur in creatis; non verò in diuinis, in quibus ad distinctionem realem exigitur oppositio.*

Quamuis enim in creaturis, ita contingat propter earum finitatem, quod etiam negatur a nonnullis realiter identificantibus omnes creatas relationes, quæ in eodem fundamento sunt; tamen in diuinis, propter relationum infinitatem id non potest contingere, nisi obstet aliqua oppositio; quæ duplex est 503 *Oppositio in diuinis duplex est, vel correlationis: vel originis, qua vna persona ab alia procedit.*

est, vt acutè distinxit Capreol. supra, vel correlationis, ex eo, quod vna diuina relatio ad aliam purè terminetur, vt relatio spirationis actiuæ ad relationem passiuę spirationis, & e contra, vel originis ex eo, quod, inquit Capreol. *vna originetur ab alia*, quo modo filiatio opponitur paternitati, & spiratio passiua opponitur paternitati, & filiationi, vt tetigi supra in secunda ratione primæ Conclusionis. Neutra vero oppositio cernitur inter paternitatem, & spirationem, & inter filiationem, & spirationem. Qua duplici oppositione, quam in diuinis relationibus Capreol. admittit, non obscurè significat dari in illis aliquas correlationes ita oppositas, & consequenter realiter distinctas; vt tamen vna non originetur ab alia: quæ aliæ esse nequeunt, nisi relatio spirationis actiuæ, & relatio spirationis passiuæ, nam de reliquis certum est, vnam originari ab alia, vt filiationem à paternitate, & spirationem passiuam à paternitate, & filiatione. Totam hanc doctrinam

504 sequitur Zumel infra q. 32. art. 2. disp. 1. ad 5.

2. *Obiectio.*

Arg. 2. nam impossibile est, duas passiones distinctas realiter, quales sunt spirari, & generari, profluere ab eadem actione, & vna secundùm rem, quę

Respondetur:

sit generare, & spirare. Resp. quod, vt ait Capreol. ad 2. *non oportet esse tantam differentiam inter actiones; sicut inter passiones*, saltem in diuinis, *quia ibi*, inquit, *vna passio procedit ab alia*, vt spirari à generari, *non tamen vna actio ab alia*; vt spirare non procedit a generare, aut e contra; & nec actio procedit à passione, vt spirare à generari, aut e contra.

505

3. *Obiectio.*

Arg. 3. *Sicut se habet generare ad generari, ita spirare ad spirari. permutata proportione, sicut se habet generare ad spirare, ita generari ad spirari. Sed generare, & spirare non differunt realiter, vt ibi dicunt. Ergo nec generari, & spirari, cuius oppositum dicunt.*

1. Resp: neg. antec. in diuinis in generare, & generari identificantur.

Respondet dupliciter, & optime Capreol. ad 3. Primo neg. Antec. in diuinis: vbi generare, & generari, sicut identificantur in essentia, ex eo, quod illi non opponútur, ita identificantur in illa re relatiua, quæ dicitur communis spiratio, cui similiter non opponuntur. Spirare vero, & spirari, licet identificentur in essentia absoluta, tamen non identificantur in aliqua alia re relatiua, cùm spirari procedat à reliquis duabus rebus relatiuis, hoc est à generare, & generari, siue à paternitate, & filiatione; à quibus tamen non procedit spirare; sicut etiam à contrario, nec generare, aut generari procedunt à spi-

506 rare. Secundo neg. Conseq. quia, inquit Capreol.

2 Resp. quia argumentũ trãsmutata proportione nõ tenet, nisi in quantitatibus.

argumentum transmutata proportione, non semper tenet, nisi in quantitatibus. Idque demonstrat hoc simillimo exemplo, vbi permutatis terminis falsum concluditur. *Sicut se habet generans ad genitum, sic spirans ad spiratum; ergo à transmutata proportione, sicut se habet spiratus ad genitum, ita spirans ad generantem. Sed spiratus, & genitus realiter distinguuntur*, itaut sint duæ diuinæ personæ realiter distinctę, *Ergo & generans, & spirans: quod est falsum, cum idem Pater sit generans, & spirans.*

507

4. *Obiectio.*

Arg. 4. Quæcumque vni, & eidem sunt eadem inter se sunt eadem: sed generare, & generari nullo modo sunt inter se realiter idem. Ergo nec generare erit idem in Patre cum spirare; nec in Filio generari erit idem cum spirare.

Resp. ma. esse veram de duobus comparatis ad vnum tertium singulare finitum; non autem ad infinitum.

Resp. Ma. esse veram de duobus comparatis ad vnum tertium singulare finitum; non autem ad infinitum, quod duobus illis non opponitur. Cuiusmodi tertium in diuinis est spirare, quod est prorsus illimitatum in suo genere relatiuo, & non oppositum generare, & generari, quæ tamen sunt inter se opposita; & ideo distincta. Fallaciam argumẽti confirmat Capreol. ad 4. *quia si valeret, probaret, quod sicut in diuinis non est eadem persona generans, & genita, ita nec generans, nec spirans, quod est erroneum; Similiter nec genita, & spirans, & sic in diuinis essent quatuor personæ.* Verùm Durandus respondere facile posset, id non sequi: quia licet vnum spirare, sit in vtraque persona, propter quod tàm spirans dicitur persona generans, quam persona genita; tamen istæ duæ personæ non sunt vnum in illo vno spirare, quia illud spirare per Durandũ realiter distinguitur, & à persona generante, & à persona genita: sicut si vna albedo esset in niue, & in lacte, adhuc nix, & lac distinguerentur realiter ab illa vna albedine: at in nostra sententia non solùm in Patre, & Filio est vnum spirare, sed etiam nullo modo in re distinctum a Patre, & Filio: & ideò non in sententia Durandi, sed in nostra videtur sequi ex illo logico principio, quod Pater, & Filius omninò identificati in vno tertio, non possent inter se realiter distingui.

Arg. 5. *Generari, & spirari sunt duæ relationes disparatæ, specie, vel quasi specie realiter differentes; ergo relationes disparatæ, quæ eis correspondent, scil. generare, & spirare, specie, vel quasi specie differunt, & ità realiter differunt, cùm sint relationes rei, non rationis.*

508

Resp. Generari, et spirari esse quidem disparata in ratione relationis; esse verò opposita in ratione principij.

Resp. distinguendo in Antec. illud, *Disparatæ*. Generari, & spirari sunt quidem disparata in ratione relationis, non sunt disparata, sed opposita in ratione principij, vt supra in ratione secundæ conclusionis. At generare, & spirare sunt omninò disparata, & in ratione relationis, & in ratione principij, & ex hac antecedentis declaratione constat, falsam esse Conseq. quia cùm generari, & spirari aliqua ratione opponantur, non possunt esse idem in re. Contra vero, cùm generare, & spirare nulla ratione opponátur, possunt in re omnino identificari propter summam eorum infinitatem, non obstante, quod alterũ sit specie, vel quasi specie diuersum ab alio: sicut relatiuum est non solum quasi specie, sed etiam quasi genere diuersum ab absoluto; & tamen in diuinis vnum reipsa sunt. Quemadmodum etiam in rebus creatis, non obstante eadem diuersitate, multi in re non distinguunt relationem a fundamento, potentiam ab anima, existentiam ab essentia, figuram à quantitate, actionem à passione, differentiam indiuiduantem à natura specifica, & differentiam specificam à natura generica, & id genus alia. In diuinis igitur valet, Distinguuntur relationes realiter, ergo specie, vel quasi specie, sed non valet e conuerso, Distinguuntur relationes specie, vel quasi specie; ergo realiter, vt infrà qu. 32. art. 2. dub. vnic.

509

In creatis etiã multi non distinguunt relationem à fundamento, &c.

Dixi, *quasi specie*, cum communissimo loquendi modo Theologorum, quia diuinæ relationes, quamuis proprie non sint species, cum non sint compositæ ex genere, & differentia, & identificatæ omninò sint cum eadem numero essentia, ac natura, propter quod Cyril. Dialogorum de Trinit. lib. 3. multò post med. in §. *Iam amice*, confitetur, *vnam Deitatis naturam in tribus subsistentijs eiusdem speciei*. Et sæpè Patres explicant tres diuinas personas, tanquàm tria indiuidua eiusdem speciei, tamen in seipsis intrinsecè habent diuersas quasdam rationes quidditatiuas, quibus diuerso modo, & ordine distinctos realiter terminos correlationis respiciunt: ad eum modum, quo creaturę specie differentes habent diuersas quidditates, & proprietates. In hoc sensu Tertull. aduersus Praxeam cap. 2. fine, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum docet esse, *Tres non statu, & gradu; nec substantia, sed forma, nec potestate, sed specie.*

Et sæpè Patres explicant tres diuinas personas, tanquam tria indiuidua.

510

6. *Obiectio.*

Arg. 6. Impossibile est, esse eandem relationem producentis, & producti: vt in humanis alia relatio est Petri producti ad Patrem suum, alia eiusdem Petri, vt producentis ad Filium suum: sed Filius Dei est productus a Patre, & producens Spiritum S. ergo in illo relatio filiationis ad Patrem esse non potest eadem cum relatione spirationis ad Spiritum Sanctum.

Resp. neg. ma. intellectam de identitate in esse rei.

Resp. neg. simpliciter maiorem intellectam de identitate in esse rei, nam de identitate in esse relationis mox dicam dub. seq. & significatum breuiter est supra ad 1. Est autem diuersa ratio de relationibus humanis, quæ & finitæ sunt, & fiunt à fundamẽtis per distinctas actiones positis terminis, & fundatur in distinctis re fundamentis, v. g. filiatio in potẽtia passiua, paternitas in potentia actiua. At verò

diuina

diuina spirationis actiuæ relatio est infinita, & non opposita filiationi; item per nullam actionem productam, & demum quasi fundatur in diuinitate fœcunda, quæ à parte rei non distinguitur à diuino intellectu, in quo quasi fundatur alia filiationis relatio, quæ est Verbi producti.

551 *7. Obiectio.*

Arg. 7. Generare potest esse in Patre sine spirare, quia dato etiam, quod Pater, & Filius non spirent, adhuc Filius generaretur, & Pater generaret. Ergo generare, & spirare non sunt omnino idẽ in re: alioqui Pater produceret Filium per spirare, & sic Filius esset Spiritus S.

Resp. falsum esse antec. nam in diuinis, non minùs necessarium est, spirare Spiritum S. quàm generare Verbum.

Resp. falsum simplieiter esse Antec. quia in diuinis non minus necessarium est spirare Spiritum Sanctum, quàm generare Verbum. Ex hypothesi autẽ illa impossibili, nihil aliud per se sequitur, nisi non fore tunc eandem generationem, quæ nunc in re ipsa, quia tunc realitas generationis, si consideraretur in ratione rei, & entis, est etiam adæquatè realitas spirationis, tunc autem remaneret, veluti diminuta quædam realitas, ac proinde esset alia realitas ab ea, quæ nunc est. Vndè nulla deduci potest de facto distinctio ex natura rei. Neque ex generationis, & spirationis reali identitate potest Duran. rectè deducere, Filium produci per spirare, sed solùm per illam in se indistinctam actionem, inquantùm est generare, non inquantùm est spirare, sicut quamuis, quod non negat Duran. idem re ipsa in Deo sint essentia, intellectus, & voluntas, tamen Filius Dei procedit per intellectum, non per voluntatem; & Spiritus S. per voluntatem, non per intellectum; vel, vt sentit ipsemet Durandus, vterque procedit per essentiam immediatè, non per intellectum, aut volũtatem, sicut etiam in communissima, & verissima sententia non distinguente personalitatem ab essentia, Verbum assumpsit humanitatem ad suam propriam personalitatem immediatè, non ad communem essentiam.

512 *8. Obiectio.*

Arg. 8. Vnùm absolutum, quantumuis infinitum, vt est diuina essentia, non potest identificari cum duobus absolutis, inter se realiter distinctis, etiam infinitis: Ergo nec vna relatio cum duabus relationibus realiter distinctis. Sed Dei paternitas, & filiatio sunt relationes realiter distinctæ, ergo non potest cum illis identificari relatio spirationis actiuæ, quantumuis infinita.

553 *Resp. esse disparem rationẽ, quia absoluta, quę habent perfectionem, infinitam non habent oppositionem.*

Resp: admisso Antec. neg. Conseq. & paritatem. Disparitas est, quoniam absoluta, quæ habent perfectionem infinitam simplieiter, non possunt habere inter se formalem oppositionem, ac distinctionẽ, quia absolutum, vt formaliter absolutum, est totum ad se, siuè in se: relatiuum verò, vt formaliter relatiuum, totum est ad aliud, in quo conceptu essentialiter importatur oppositio cum alio, & distinctio ab alio. Hinc oritur, vt sit impossibile, dari duo absoluta realiter diuersa, & cum illis identificari aliud tertium absolutum: tunc enim illa absoluta, si essent diuersa, non haberent infinitatẽ simpliciter, vt supponitur. At verò relationes, quoniam ex proprio essentiali conceptu relationis in genere, afferunt oppositionem, etiam cum summa infinitate, identificantem secum quidquid non est oppositũ; possunt habere inter se relatiuam oppositionem. Igitur si cum alia tertia relatione non opponantur, erunt distinctæ inter se, indistinctę ab illa tertia. Quod reperitur in casu nostro: Omnis enim diuina relatio, atque adeo relatio spirationis actiuę est omnino infinita in suo genere, pręterea eadem relatio non est opposita paternitati, & filiatio, vt concedit ipse Durandus n. suo 33. ergo ab his distincta esse non potest.

514 *9. Obiectio.*

Arg. 9. Relatio spirationis actiuæ in Patre est à se, & incommunicata; in Filio est communicata à Patre: Ergo non potest esse simpliciter vna, saltem non potest esse eadem cum paternitate, quæ à nullo est communicata; nec cum filiatione, quæ per verã generationem est producta, quomodo certum est, non esse productam spirationem actiuam.

1. Resp. secundum aliquos: Spiratio est quid resultans in Patre, & Filio post productione Spiritus S. ideo non est prior origine &c.

Resp. 1. neg. simpliciter Antec. Relatio enim spirandi, secundùm multos probabiliter, hac de re sentienties, quos sequitur Suar. lib. 5. de Trinit. c. 6. num. 9. & cap. 8. num. 7. & seqq. est intelligenda, vt resultans in Patre, & Filio in eodem signo rationis, posita productione Spiritus Sancti; ideoque non est prius origine in Patre, quàm in Filio, nec communicata Filio à Patre, nisi solùm, quasi radicaliter, quatenus communicatur virtus spirandi. Hæc autẽ resultantia nullam inuoluit imperfectionem, neque in ipsa re concepta, neque etiam in ipso concipiente; quia non est concipienda, tanquàm aliquis fluxus, siue exitus, vel tanquam aliquid ab alio immediate; sed solùm tanquàm vnum conueniens propter productionem alterius, tanquàm propter puram rationem conueniendi. Sicut enim absque vlla imperfectione concipimus, vnum attributum esse rationem alterius, v. g. immutabilitatem esse rationẽ æternitatis; ita etiam, originẽ Spiritus S. esse rationem talis respectus actiuæ spirationis, non contra.

515 *2. Resp. nõ esse absurdum: admittere in eminentissima essẽtia, vnum quid communicatũ vni personæ, & non alteri.*

Secundo etiam si verum esset Antec. vt alijs placet, negari potest Conseq. cùm non sit nouum in diuinis ob eminentissimam diuinæ entitatis perfectionem, & plenitudinem simplieiter infinitam, dari à parte rei vnum quid simplicissimum, communicatum in vna persona, non communicatum in alia; sicut diuina essentia communicata est Filio, & Spiritui S. non autem Patri: Item vnum, quod secũdùm vnam rationem est improductum secundùm aliam productum; sicut idem Deus, nihil omnino distinctus à Patre, Filio, & Spiritu S. vt Deus, neque est productus neque producens; vt Pater, est producens Filium, & nullo modo productus; vt Pater, & Filius, est producens Spiritum S. vt Filius, est productus per generationem; vt Spiritus S., est productus per processionem alterius rationis, & nullo modo producens. Igitur ex hoc, quod relatio spirandi sit communicata, vel incommunicata, producta, vel improducta, non sequitur, illam non esse identificatam cum paternitate improducta, & incommunicata, & cum filiatione producta, sed infra de hac re nostram sententiam aperiemus.

516 *10. Obiectio.*

Arg. 10. Actiua spiratio, vt à parte rei est idem cũ essentia, identificet sibi Patrem, & Filium propter summam essentiæ infinitatem in tota latitudine entis; tamen si concipiatur, vt distincta secundùm rationem ab essentia, tunc saltem dici non poterit, identificare sibi paternitatem, & filiationem: quia, vt sic præcisa ab essentia, non haberet essentię infinitatem simpliciter in omni genere. Resp. eandem identificationem, tunc etiam esse concipiendam; quoniam illa relatio, & si careret infinitate in genere entis absoluti, tamen, quia adhuc sub illa præcisione concipitur, vt diuina relatio illud deberet habere omnem infinitatem pertinentem ad proprium genus entis relatiui, propter essentiã tunc inclusam. Ergo tunc etiam postulat cõcipi, vt identificans secũ omnem aliã relatiuam perfectionem, cum qua nõ dicit oppositionẽ relatiuam; cuiusmodi sunt paternitas, & filiatio, non autem spiratio passiua.

Resp. diuinam relationem habere in illo priori infinitatẽ quasi relatiuã.

DVBIVM II.

An intrà Deum sint plures, quàm quatuor reales relationes.

517 *Prima Concl. neg. quia in Deo non sunt nisi duæ tãtùm processiones.*

PRima Concl. negatiua de relationibus fundatis in actione, & passione, probata sufficienter remanet ex dictis, & potissimũ intenditur a S.Th. hic. Cuius ratio est, quia intrà perfectissimam Dei naturam nulla alia actio, & passio, seu processio considerari potest, nisi intellectus, & voluntatis. Actio .n. & passio per intellectum, quæ sunt generatio actiua, & generatio passiua, fundant duas relationes, alterã paternitatis in principio generante, alteram filiationis in termino genito. Actio vero, & passio per voluntatem, fundant duas alias relationes, alteram in principio amante, ac spirante, alteram in termino amato, ac spirato; Ergo non plures, quàm quatuor sunt relationes diuinæ.

Secunda

518 *2. Concl. nō esse in Deo huius generis relationes mensuræ, & mensurabilis. nam in Deo est idē intellectus, et res intellecta.*

Secunda Concl. Non est in Deo realis aliqua relatio fundata in mensura, & mensurabili: cuiusmodi esset relatio intelligentis ad rem intellectam, & voluntatis ad rem volitam. Ita omnes, vno excepto Baccono N. celeberrimo 1. d. 31. q. vnica art. 4. Idque S.Th. hic ad 1. optimè probat, quia in Deo est idem omninò intellectus, & intellectum, quia intelligendo se, intelligit omnia alia: & eadem ratione, idem omninò sunt in Deo volūtas, & volitū, quia nulla alia ratione vult alia à se, nisi volendo bonitatē suā. Sed relatio ejusdem ad idem non est realis, nā relationis realis totū esse est esse ordinē vnius ad aliud realiter, & non aliud secundùm rationem, & conceptum nostrum dumtaxat; Ergo prædictæ relationes in Deo non possunt esse reales. Neque est eadem ratio de relatione Dei intelligentis ad rem intellectam, quæ est relatio rationis, & de relatione Dei dicentis ad Verbum suum dictum, quæ est relatio realis, vt aduertit ibid. S.Th. *quia*, inquit, *Verbum intelligitur*, vt procedens per actionem intelligibilem, non autē, vt res intellecta, quæ scilicet habet puram rationem obiecti, non autem termini realiter producti, quam rationem habet Verbum.

519 *3. Concl. has relationes, cōtra Aureol. fundatę in vnitate.*

Tertia Concl. Relationes fundatæ in vnitate, cuiusmodi sunt relationes similitudinis, & æqualitatis, & identitatis, non possunt in Deo esse reales; sunt autem relationes rationis. Hoc vltimum omnes concedūt, vno excepto Aureol. 1. d. 31. q. vnica art. 3. proposit. 2. & 3. qua asserit, *quòd æqualitas & similitudo in diuinis personis, nullam habitudinem ponunt, nec realem, nec rationis; sed vnitatem absolutam, & indistinctionem quantitatis, & magnitudinis virtualis, ac quantitatis essentialis*: & maximè fundatur in eo, quia *personas esse similes, importat quòd habent vnam indiuisibilem naturam, & ipsas esse æquales, significat, quòd habeat vnam magnitudinem indiuisam. Idem autem non conformatur, aut commensuratur sibi, nec secundùm rem, nec secundùm rationem; nullus quidem dicitur sibi similis, aut æqualis*.

520 *Ratio est: quia si nulus possit ad se referri per æqualitatē realiter; benè potest per concept⁹ distinctos*

Sed hoc, vt contra Aureol. benè notat Capreol. 1. d. 31. q. vnica art. 2. soluens illius argumenta contra secundam partem tertiæ Conclusionis, partim est falsum, quoniam & nullus ad seipsum possit realiter referri per æqualitatem, & similitudinem, tamen ita potest mentaliter referri; cùm ad rationis relationē non sit necessaria distinctio rerum, quæ referuntur, sed satis sit distinctio conceptuum, quibus idem bis sumitur. Et idem, vt stat sub vno conceptu, refertur ad se ipsum, vt stat sub alio conceptu; sic enim non refertur omnino idem ad idem, sed referuntur duo aliquo modo distincta, hoc est non realiter, sed obiectiuè, & conceptibiliter, inquantùm objiciuntur duobus conceptibus realiter distinctis, partim non est ad rem, quia in casu nostro ponitur relatio rationis inter res realiter distinctas, scil. tres diuinas personas, quæ sunt extrema, quæ mentaliter referuntur, tametsi fundamentum, siuè id, in quo per rationem comparantur, vnum & idem omninò sit, nempè natura, & virtualis magnitudo. Qua vnitate proximi fundamenti motus Riccardus 1. d. 19. artic. 5 q. 3. hanc æqualitatis relationem vult esse vnam numero in tribus personis.

Alij dicūt tres relationes propter Trinitatē personarū. certè plures sunt.

Alij dicunt, esse tres relationes, propter Trinitatem personarum. Certè plures sunt, quia cùm ea, quæ sunt realiter plura referuntur inuicem per rationem, & non est ex parte vnius fundamenti maior ratio, vt referatur hoc ad illud, quàm illud ad hoc; tunc ratio tam potest referre hoc ad illud per vnam relationem, quàm illud ad hoc per aliam relationem, v.g. tàm potest referre Patrem ad Filiū, concipiendo Patrem, vt subiectum, quod refertur esse æqualem, & similem Filio, vt termino, ad quem refertur, & è contra, referre Filium ad Patrem, cōcipiendo Filium ęqualem, & similem Patri; in qua alia comparatione Filius est subiectum, Pater est terminus. Vnde euidenter sequitur, istas relationes esse plures, quàm tres, nimirum sex, quia hoc modo singulę personę possunt bis comparari, vt æquales, vel vt similes, ad aliquas duas personas.

521 *Prima pars cōcl. 3. quod æqualitas, & similitudo diuinarū personarum non sunt reales relationes est D.Th.*

Prima verò Concl. pars, quòd æqualitas, & similitudo diuinarū personarū non sint reales relationes, est S.Th. hic ad 4. & infra q. 42. art. 1. ad 4. & 1. d. 31. q. 1. art. 1. & Magistri apud ipsum, & omnium Thomistarum, & interpretum, & aliorum communissima, exceptis Scoto 1. d. 31. q. 1. & quodl. 6. art. 2. & omnibus Scotistis, Mairono 1. d. 31. q. 1. art. 2. Baccono q. vnica art. 2. de relatione identitatis, licèt art. 3. contendat contra Scotum, non esse in Deo realem relationem æqualitatis distinctam à reali identitatis relatione. Contrarium quoque non obscurè docere videtur Bonauent. 1. d. 31. art. 1. q. 1. & 2. Item Ocham. 1. d. 31. q. vnica, Gabriel. ibid. art. 2. & 3. vbi ponunt quidem in Deo reales relationes, identitatis, similitudinis, æqualitatis, tamen nullo modo distinctas ab essentia, & relationibus originis. In quo discrepant à Scoto, qui cit. quodl. §. *Secundò contradicit*, & §. *Deo ergo*, vult esse relationes distinctas ex natura rei, & posteriores essentia, relationibus originis, & ipsis etiam personis constitutis; quia, inquit, *secundùm æqualitatem essentia non refertur, neque Paternitas; sed refertur Pater habens essentiam, & paternitatem ad Filium*. Imò citata d. 31. §. *ad secundum potest* concedit, *quòd quot sunt perfectiones in Deo simpliciter, tot sunt etiam magnitudines, & tot æqualitates*: licèt addat, *quòd omnes sunt vna res*.

Alij contrariū opinantur.

Discrepant etiam ab alijs, quia hi Nominales volunt realem relationem æqualitatis, & similitudinis nihil esse aliud præter duo extrema, quorum vnum sit tantùm, & tale, quantùm, & quale est aliud. Quod totum sine dubio reperitur in diuinis; tamen generalem sententiam falsam esse, & contra Philosophum, ac S. Thomam suppono, vt significatum est.

522 *Ratio S. Thom. quia essentia est vna, & eadem numero: & idem ad seipsum non refertur aliqua relatione reali*

Ratio S.Thomæ in secundo, & tertio loco cit. sub obscura est, & ideò à quibusdā minus recepta: sed si benè penetretur, & explicetur; apparebit efficax; *quia*, inquit, *essentia est vna, & eadem numero; & idē ad se ipsum, non refertur aliqua relatione reali*; Duo supponit; alterum apud omnes indubitatum, relationes similitudinis, æqualitatis, identitatis conuenire diuinis personæ ratione vnius, atque eiusdem omninò naturæ, & essentialis magnitudinis, in quo singulæ, & omnes nullam in re distinctionem habent. *Ex hoc*, inquit q. 42. art. 1 ad 4. *personæ sunt sibi inuicem æquales, quòd sunt vnius magnitudinis, & essentiæ*. Et 1. d. 31. q. 1. art. 1. initio Corp. *Aequalitas est relatio in diuinis, fundata supra vnitatem essentiæ, prout significatur nomine quantitatis virtualis, vt cùm dicitur magnitudo, vel æternitas, vel potentia*, & eadem est ratio de identitate, & similitudine.

523 *Nam ipsæ Relationes æqualitatis &c. referunt primò ipsum fundamētum, vndè immediatè oriuntur.*

Alterum non tàm certum, quòd huiusmodi relationes æqualitatis, similitudinis, & identitatis essentialis, ex propria ratione sua referunt primò, & immediatè ipsum fundamentum, vndè immediatè oriuntur, & in quo immediatè recipiuntur ac subiectantur, siuè esse intelliguntur, vt rectè notauit Caiet. infra q. 42. art. 5. *Ad euidentiam*, initio. Ideò enim duæ substantiæ sunt similes, & æquales, quia illarum qualitates, & quantitates sunt similes, & æquales, & ideò duo indiuidua habent relationem identitatis in natura specifica, quia spæcificæ illorū naturæ habent identitatem.

524 *Ex quo sequitur, quod huiusmodi relationes exigunt distinctionem realem inter fundamenta.*

Ex hoc secundo supposito sequitur, quòd huius generis relationes postulant distinctionem realem inter proxima fundamenta, quia eadem fundamenta, sunt proxima extrema illarum. Omnis autem relatio, cùm à parte rei sit realis ordo vnius ad aliud, postulat distinctionem à parte rei inter vnum terminum, & alium terminum, siuè inter duo extrema, sed fundamentum æqualitatis, similitudinis, siuè essentialis identitatis inter diuinas personas, non est aliud, quàm ipsa earū essentia, quæ vna prorsus, & eadem numero est in omnibus. Nam vt rectè dicit Bañes qu. 42. artic. 1. *personæ non sunt æquales in relationibus, sed potiùs oppositæ*. ergo istæ relationes inter diuinas personas non possunt esse reales.

525 *Explicatur exemplo aptissimo. Si per im*

Explicatur ratio exemplo aptissimo. Si vna numero albedo, vel quantitas, essent in duobus parietibus, relatio similitudinis albi, vel æqualitatis in quan-

possibile, vna numero albedo esset in duobus parietibus, non esset similitudinis relatio realis inter illos.

quantitate, non posset inter illos esse realis, vt docent Capreol. 1. d. 31. q. vnica art. 2. respondens ad 6. Scoti in fine, Caietanus infr. q. 42. art. 1. §. *Ad euidentiam*, in fine & alij omnes Authores nostræ sententiæ, vno excepto Torres q. 42. art. 1. in 3. p. commentarij, ad 1. quia terminus primo, & immediatè similis, qui per similitudinem proxime refertur ad alıud, est ipsa albedo, siue paries, vt formaliter albus; hęc enim relatio similitudinis in albedine exercetur inter duo alba, quę sunt duo solùm materialiter in esse Corporis: Similiter æqualitas requirit duo æqualia, vt formaliter æqualia; duę vero ęqualitates non possunt esse in vna quantitate; æquale enim, vt formaliter æquale, conuenit propriè quanto, sicut simile, vt formaliter simile, conuenit propriè quali; ergo vbi est vna qualitas, vna quantitas, ibi esse non potest realis ordo vnius qualis ad aliud formaliter quale, neç vnius quanti ad aliud formaliter quantum.

526 *Ità in diuinis nulla relatio cogitari potest fundata in naturæ vnitate.*

Ità in diuinis nulla relatio realis cogitari potest fundata in vnitate naturę, quia tres personę in illa ita sunt vnum, vt nullam omninò in illa distinctionē habeant, quoniam teste Ioanne, *Hi tres vnum sunt*; ergo ratione illius non potest inter diuinas personas intercedere realis ordo, qui essentialiter postulat vnum, & aliud: quamuis enim diuinæ personæ inter se comparatæ, sint plures res, distinctæ realiter; tamen comparatæ cum natura, sunt simpliciter, & absolutè vnum, siuè vna res simplicissima absque vlla prorsus distinctione in re; ergo impossibile est, eas inuicem realiter referri, & consequenter opponi, ac distingui ratione naturæ.

527 *Confirm. quia tales relationes æqualitatis, v. g. non potest esse vna tantùm, nec tres, nec plures*

Confirm. & explicatur magis ratio, petendo. Quot reales relationes, v. g. æqualitatis essent in diuinis personis? Non vna tantùm, quæ sit in Patre, Filio, & Spiritu S. Sicut vna relatio spirationis actiuæ dicitur esse in Patre, & Filio: Quoniam æqualitas Patris terminatur ad Filium, & ex opposito æqualitas Filij terminaretur ad Patrem. Implicat autem idem, quatenus idem, esse subiectum, & terminum eiusdē numero relationis: sic enim realiter referetur idem ad seipsum. Vnde relatio spirationis, quia est in Patre, & Filio, non est in Patre ad Filium, nec in Filio ad Patrem; sed in Patre, & Filio est ad Spiritum Sanctum in quo propterea non est, sed est opposita, a'ia correlatiua spirationis passiuæ ad Patrem, & Filium. Si verò sunt plures, non possunt esse tres tātùm, iuxta ternarium numerum personarum: quia si in Patre est vna æqualitatis relatio ad Filium, cur non alia ad Spiritum Sanctum neque enim dici potest vna, quę respiciat Filium, & Spiritum Sanctum non vt Filium, & vt Spiritum Sanctum, sed vt Deū; quoniam illo in ipso Patre respiceret pariter Deū, cùm idem omninò Deus, qui est in Filio, & Spiritu S. sit etiam in Patre.

528 *Sequeretur, quod essent sex relationes, duæ in Patre &c.*

Sicut igitur duæ æqualitatis relationes deberent esse in Patre, altera ad Filium, altera ad Spiritum Sāctum. Ita quoque duæ in Filio, ad Patrem, & ad Spiritum Sanctum, & duæ in Spiritu S ad Patrem, & ad Filium; ergo essent sex; & quoniam diuinæ relationes identificantur cum essentia, & essentia identificatur cum singulis personis, sequeretur in vnaquaque persona esse sex ęqualitatis relationes, distinctas saltem, vt relationes, propter distinctionem terminorum, vt dictum est dub. præced. de relatione spirationis actiuæ, quæ vt relatio, ponit in numero cum paternitate, & filiatione. Tanta autem turba relationum eiusdem rationis in singulis personis, & ex seipsa inconueniens apparet, & mirum affert cōfusionem: quæ enim ex illis sex erit in Patre, quæ facit Patrem æqualem Filio, potiùs quàm Spiritui Sancto?

529 *Confirm. quia ista relatio similitudinis in Patre, & filio, non terminaretur ad filiū, vt filium.*

Demùm ista relatio æqualitatis, vel essentialis similitudinis, vel identitatis, quæ est in Patre, v. g. ad Filium, non terminatur ad Filium, vt Filium, quia Pater, & Filius in paternitate, & filiatione pręcisè, sunt potius distincti, & oppositi, ac dissimiles; ergo terminatur ad Filium, vt Deum; sicut paries albus per similitudinem non terminatur ad alium parietem album, vt parietem, sed vt album. Eadem ratione ipsemet Pater non referretur, vt Pater, sed vt Deus, quia vt Deus, & non vt pater est idem cum Filio, eique essentialiter similis, & æqualis. Sed idē omninò Deus sunt Pater, Filius, & Spiritus S. ergo per prædictas relationes Deus, vt Deus referretur realiter ad eundem Deum, vt Deum; quod est manifestum inconueniens; ergo neque plures, neque vna, sed nullæ simpliciter sunt huiusmodi relationes.

530 *4. Conclusio. Relationes fundatæ in numero nō possunt in Deo esse reales*

Quarta Concl. Relationes fundatæ in numero, quales sunt relationis distinctionis, & oppositionis, non possunt in Deo esse reales. Ita S. Th. infra qu. 42 art. 1. ad 4. & 1. d. 31. q. 1. art. 1. & reliqui omnes tertiæ conclusiones Authores. Ratio S. Th est, quia hæ relationes deberent fundari in ipsis relationibus originis, ex quibus personæ diuinæ habent formaliter, vt inuicem distinguantur, & relatiuè opponātur. Hoc autem esse impossibile, probat S. Th. *quia relatio non refertur ad aliam relationem per relationem mediam; quia sic esset in infinitum procedere.*

531 *Prob. quia relatio non refertur ad aliā relationē per relationē mediā quia sic esset in infinitum procedere.*

Quę ratio efficax est tantùm in relationibus eiusdem rationis, v. g. duæ relationes æqualitatis, similitudinis, distinctionis, non possunt media alia relatione fieri æquales, similes, distinctæ; sic enim euidenter sequeretur prædictus processus in infinitum. At verò hoc absurdum, vt benè notat Valent. p. p. de Trinit. q. Sua. c. 6. Puncto 1. ad 4. §. *Nec sanè*. Quicquid in contrarium dicat Vasq. disp. 116. num. 10. non sequeretur, si relationes diuersę rationis, cuiusmodi sunt paternitas, & filiatio, fundarent alias relationes alterius rationis, quales sunt relationes oppositionis, distinctionis, dissimilitudinis, præsertim in sententia nostra, qui volumus, relationes fundamento aduenire per quandam simplicem resultantiam; nam in alia sententia, quam probabilem existimo, de relationibus aduenientibus fundamento per actionem realem, mediam inter fundamentum, & relationem, illud absurdum difficilimè vitari potest in quacumque relatione fundante aliam relationem; quoniam si paternitas, & filiatio fundarent oppositionem, inter paternitatem, & oppositionem, esset relatio producentis, & producti; & hęc rursus fundaret aliquam oppositionem; & hæc aliam producti relationem, & sic in infinitum. Quod absurdum habet locum in relationibus creatis, nam in diuinis faciliùs dici posset, relationes oppositionis, & distinctionis in relationibus originis fundari per resultantiam absque vlla productione, & distinctione ex natura rei; sicut diximus, fundari relationē spirationis actiuæ in paternitate, & filiatione.

532 *Potest etiam probari hæc cōclusio ex infinita relatione diuinarum personarum.*

Et ideo, omisso hoc absurdo infinitę multiplicationis relationum, idem aliter probo ex infinita perfectione diuinarum relationum, idem aliter probo ex infinita perfectione diuinarum relationum. Esto enim in creaturis vna relatio fundare possit aliam relationem, v. g. paternitas in humanis fundare relationem distinctionis à filiatione, tamen idem in diuinis, saltem ob infinitam relationum perfectionē, non potest concipi rationabiliter, & cum fundamēto in re. Etenim relatio diuina ex eo, quod est infinita, debet in suo conceptu includere omnem rationem respectiuam, quam simpliciter habere potest ad suum terminum, referendo scil. ad illū sub omni ratione spectante ad intrinsecam illius constitutionem. Sed paternitas non potest respicere Filium, vt filium, nisi Filius sit ab ipsa realiter distinctus, eique realiter oppositus; ergo talis in se esse debet, saltem ob suam summam infinitatem in suo genere relatiuo, vt concipi debeat, se ipsa formaliter non solùm facere Patrem Filij, sed etiam oppositum, & distinctum à Filio: ac proinde habeat se ipsa formaliter respicere Filium, & vt filium, & vt oppositum, & vt distinctum. Et quidem aliter concipere relationes oppositionis, & distinctionis, nempè vt ratione distinctas à paternitate, per quas ipsa diuina paternitas relatio adhuc realiter referatur ad eundem suū proprium terminum, scil. Filium, est concipere paternitatem, vt in se intrinsecè limitatam in esse relatiuo paternitatis.

Paternitas nō potest respicere filium; nisi vt à se distinctum, ac sibi oppositum.

Quamuis

533 *Paternitas in suo genere Relationis includere debet perfectionem relatiuæ distinctionis.*

Quamuis enim paternitas in suo genere paternitatis includere non debeat filiationem, cui opponitur, & à qua realiter distinguitur; tamen includere debet perfectionem relatiuę distinctionis, & oppositionis; quoniam ipsa in se, & quoad intrinsecam suã entitatem respectiuam præcisè considerata, debet esse distincta realiter à Filio, & realiter opposita filiationi; ergo imperfectè concipitur in esse relatiuo paternitatis, nisi concipiatur, vt in sua formalitate respectiua includens conceptum relatiuum oppositionis, & distinctionis; imò etiam conuenientię in ratione communi, & quasi generica relationis, & personę, si hęc conuenientia ponatur in creaturis, vt relatio realis. Nam quidquid sit de creaturis, eo ipso, quod diuina relatio est ad aliam correlationẽ, vt relatio est, quę vt sic, habet eum illa conuenientiam in esse relationis, debet, saltem propter eius infinitatẽ quasi relatiuam, intelligi, vt in suo cõceptu includens hanc relatiuã, ac realem conuenientiam. Atque idem dicendum de quocumque alia relatione, seu relatiua denominatione, quę diuinis personis conueniat propter ipsas relatiuas personalitates: vt in Filio, esse Imaginem, esse Verbum: in singulis personis, esse intimè presentem, & in alijs inexistentem.

534 *Huiusmodi Relatiuæ perfectiones sunt identificatæ cũ qualibet relatione originis.*

Sępè dixi, huiusmodi quasi relatiuas perfectiones esse identificatas cũ qualibet relatione originis, *saltẽ propter illius infinitatem*, quia non videtur improbabile, esse identificatas propter essentialem rationẽ relationis, vt sic, v.g. paternitatis, siuè increatæ, siuè creatę. Esto enim Petrus à Paulo distinguantur per relationem realem distinctionis, illis superadditam, & inter calidum, & frigidum sit realis relatio oppositionis; tamen hę relationes intelligi possunt non superadditę Patri, & Filio, sed in illis essentialiter inclusę; ita vt se ipsis formaliter, & non per aliam mediam relationem, inuicem realiter opponantur, & distinguantur. Disparitas est, quia Petrus, & Paulus; frigidum, & calidum sunt entia absoluta, ergo ab ipsis formaliter non possunt oriri formales denominationes relatiuæ, sed tantùm fundamentales, seu materiales. At verò Pater, & Filius formaliter, etiam in humanis, sunt entia formaliter respectiua; ergo omnis formalis denominatio relatiua, in ipsis essentialiter inclusa, vt esse oppositum, esse distinctũ, potest ab ipsis oriri formaliter, tanquam à proprijs formis relatiuis, ita vt in paternitate, quæ est simplex quædam, ac pura forma relatiua, intelligatur essentialiter imbibita, non quæuis oppositio, aut distinctio, sed oppositio, aut distinctio formaliter respectiua.

535 *Sicut anima est forma absoluta, non solùm vt Anima, sed etiam, vt intellectiua: ita Paternitas est forma relatiua, non solùm, vt paternitas, sed etiam vt oppositio.*

Sicut enim anima humana, v. g. est forma absoluta, non solùm vt anima, sed etiam vt intellectiua, vt sensitiua, vt vegetatiua; ita paternitas est forma respectiua ad Filium, non solùm vt paternitas sed vt oppositio, vt distinctio. Atque hoc significare videtur Caiet. infrà qu. 42. art. 1. §. *Ad euidentiam*; dum nulla facta infinitatis mentione, vniuersaliter ita docet paulò post principium: *Quælibet duo correlatiua realibus relationibus oppositionis opponuntur ad inuicem, sed sunt illamet correlatiua: se ipsa enim paternitas opponitur relatiuè filiationi*. Addit præterea; quod sequitur Ruiz. disp. 103. sect. 4. nu. 11. Quod si in diuinis essent distinctæ realiter magnitudines, ac proinde distincta realiter æqualitatis fũdamenta, vt sunt in creaturis, *æqualitas Filij ad Patrem esset ipsa filiatio, & Patris ad Filium esset paternitas*. Quod quidem nimium videtur, quia conceptus æqualitatis relatiuæ, non est intrinsecè imbibitus in conceptu paternitatis, aut filiationis, cùm de facto in diuinis personis nulla detur realis relatio æqualitatis, ne identificata quidem cum paternitate, & filiatione. Et quamuis illa æqualitas nõ esset opposita paternitati, & filiationi, tamen hoc arguit tantùm illius identificationem cum paternitate, & filiatione, sed non arguit, illam non esse formaliter aliud, nisi ipsam paternitatem, & filiationem, alioqui ipsa pariter relatio spirationis actiuæ, non opposita Patri, & Filio, sed ipsis identificata, non esset formaliter in Patre, & in Filio; quod repugnat dictis in disp.

536 *Vltima Concl. Reales relationes intra ipsum Deum sunt quatuor, nec plures, nec pauciores. Prob. ex superioribus conclusionibus.*

Vltima Concl. reales relationes intra ipsum Deũ quatuor omnino sunt, nec pauciores, nec plures, ne ratione quidem ratiocinata distinctæ à quatuor. Hoc sequitur ex superioribus dictis; probatum enim est in disput. dari quartam relationem originis. Deindè in hoc dub. 3. Concl. 1. has relationes fundatas in actione, & passione, non posse esse plures, aut pauciores, quàm quatuor. Postea in seqq. Conclusionibus, non posse ex Deo habere locum reales relationes fundatas in mensura, & mensurabili, nec in quantitate, siue in vnitate, & numero. Sed omnes reales relationes his tribus generibus comprehenduntur à Philos. 5. Metaph. tom. 20. ergo quatuor sunt intra Deum reales relationes, nec plures, nec pauciores. Confirm. quoniam quæuis alia relatio, quæ non sit originis, nec constitueret personam, sicut paternitas, filiatio, processio, nec terminaret aliquam personalem relationem, sicut terminat spiratio; ergo proprijssimè, ac verissimè esset relatio accidentalis; sicut omnes creatæ relationes, ex eo, quod adueniant extra omnem conceptum personalem.

537 *1. Obiectio.*

Arg. 1. Ex Aureolo supra probante, equalitatem, & similitudinem non esse relationes rationis. Primò termini æqualitatis, aut similitudinis sunt personæ realiter distinctæ, nec sunt vnus, & idem terminus bis sumptus, Pater enim non est æqualis sibi, sed Filio; nec etiam est similis sibi: similiter nec essentia est æqualis, aut similis essentiæ. Igitur æqualitas, & similitudo in diuinis non sunt relationes rationis per modum, quo idem refertur ad seipsum, qui modus postulat, vt idem terminus bis sumatur, vt docet Philos. 5. Met. t. 20. circà finem.

Resp. Relationes æqualitatis, & similitudinis in diuinis, esse relationes rationis.

Resp. relationes ęqualitatis, & similitudinis in diuinis esse relationes rationis per modum, quo idem refertur ad seipsum: & consequenter in illis bis sumi eundem terminum, non quidem remotum, qui in casu nostro sunt Pater, & Filius, sed proximum, qui est ipsum fundamentum, quod primò, & immediatè refertur, vt supra probaui in hoc dub. Dicitur enim Pater in sua magnitudine virtuali æqualis Filio in eadẽ omnino virtuali magnitudine. Item Pater in sua Deitatis forma, ac natura similis Filio in eadem omnino natura, seu forma.

538 *2. Obiectio.*

Arg. 2. Ex eodem, si æqualitas, & similitudo essent relationes rationis, illæ essent in potentia in diuinis personis, & in actum reducerentur per intellectum. Hoc autem, inquit, *est impossibile. Nullum enim complebile per intellectum est in diuinis; alioquin essentia diuina esset quoad aliquid incompleta, & in potentia expectans per intellectum compleri, & reduci ad actum. quod omnino poni non potest.*

Resp. non sequi tale absurdum; quia tales respectus rationis, non intelliguntur inexistentes diuinæ personę, sed potius assistentes.

Resp. non sequi hoc absurdum ex rationis relationibus, quæ Deo per intellectum extrinsecùs assignuntur, *quia*, vt benè respondet Capreol. suprà, *tales respectus non intelliguntur in existentes diuinæ personæ, sed potius assistentes*; hoc est, non sunt verè in personis; sed tantùm sunt obiectiuè in intellectu, qui personas cum illis respectibus concipit sine fundamẽto in re. Cum igitur huiusmodi relationes non sit actu in diuinis personis, nec hæ erunt in potentia ad illas, vt per illas in re actuentur.

3. Obiectio.

Arg. 3. Diuinæ personæ essent verissime æquales, ac similes, sicut nunc sunt, etiam si nullus intellectus, nec creatus, nec increatus negotiaretur circà illas. Resp. Tunc diuinas personas futuras æquales, ac similes negatiuè, ratione vnitatis in eadem numero magnitudine, ac natura: non autem positiuè, ratione alicuius respectus, aut alterius prædicati positiui, quod possit intelligi esse superadditum illi magnitudini, ac naturæ. Non igitur omnis denominatio similis, & æqualis inter diuinas personas, sumitur ab aliqua reali relatione, vel à relatione rationis, cùm ante omne opus intellectus, personæ verè sint, ac denominentur aliqua ratione similis, & æquales; sed aliqua denomina-

minatio sumi potest à perfecta vnitate eiusdem naturę in singulis personis: quæ vnitas, cum sit negatio diuisionis in essentia, existit aliquo modo à parte rei, sicut ex Philosophia supponimus existere cęteras omnes negationes: vndè deriuatur denominatio negatiua, quoad rem formaliter, & immediatè significatam, tametsi positiua, quoad voces significantes, cuiusmodi etiam sunt cæcitas, nuditas, tenebræ, &c.

539 *Seclusa operatione intellect⁹, personæ sunt similes, & æquales fundamentaliter, seu similes negatiuè .i. vnæ.*

Atque hæc responsio in re est eadem cum responsione Capreoli supra ad argumenta Aureoli in fine, Caietani, & aliorum Thomistarum dicentium, seclusa operatione intellectus, personas esse similes, & æquales tantùm fundamentaliter, hoc est, per id, quod est fundamentum relationis, & non formaliter relatio. Quam responsionem impugnat Torres infra q.42.art.1. in 3. p. Commentarij ad 3 quia, inquit, *concedit effectum formalem sine causa formali.* Sed fallitur, quia Thomistæ non concedunt, personas sine relatione esse similes relatiuè, ac positiuè; sed tantùm esse similes negatiuè, hoc est, ex eo, quod sunt vnum, seu non distinctæ in natura: & hanc veritatem in natura, quam ego vocaui similitudinem in natura, ipsi vocant fundamentum similitudinis positiuæ, ac relatiuæ. Addit Torres, quod prius se dixisse ait Molina ibid.d.2.ad 4. & tenet etiam Medina, quem refert, & impugnat Zumel.ibid.disp.1. ad 2. seclusa operatione intellectus, personas esset formaliter positiuè, ac relatiuè similes à relatione rationis, quam volunt esse in re absque operatione intellectus, tametsi eum ordine ad intellectum. Sed non sunt audiendi, quia recedunt à communissima reliquorum omnium sententia, & notissimo Logicæ principio, quod ens rationis non est actu, nisi obiectiuè in intellectu actu concipiente: aliter ens rationis cum ente reali planè confunditur.

540 *4. Obiectio.*

Arg. 4. ex Scoto (cuius argumenta, probantia relationes æqualitatis, & similitudinis in diuinis personis esse reales, refert, & soluit Capreol. 1. d 31. qu.1. art. 2.) Si istæ habitudines non sint reales in Deo, hoc non est propter aliud, nisi quia fundamentum est vnum, & idem in tribus personis. Sed manifestum est, quod hoc non impedit, quia idem est fũdamentum relationum originis in diuinis, scil essentia, & nihilominus sunt reales: ergo nec idem fundamentum impediet, quin æqualitas, & similitudo sint relationes reales,

Responsio Capreoli quod relationes originis fundantur in communicatione naturæ, et acceptatione eiusdem.

Respondet Capreol.ad 2. Scoti, *quòd relationes originis non fundantur in diuina essentia præcisè, sed fundantur in communicatione, & acceptatione diuinæ naturæ; scil generare & generari, spirare & spirari, quæ realiter distinguuntur, non sicut duo absoluta, sed relatiuè solùm.* Hinc vero oritur ingens difficultas, quam benè vrget Rada Controuersia 26.art.3. conclusione 7.ratione quarta, quia generare & generari, spirare & spirari distinguuntur relatiuè per ipsas relationes paternitatis, & filiationis, item spirationis actiuę, & passiuæ; ergo si illi actus notionales sunt fundamentum relationum originis, idem sunt fundamentum, & res supra illud fundata: quod euidenter apparet inintelligibile. Et dicere cum Capreol. *quòd licèt paternitas, & filiatio fundentur in diuinis super generare & generari, quę sunt duæ res relatiuæ, non tamen se habent per modum relationum, sed per modum actionum, vel actuum notionalium;* non euacuat difficultatem, sed potius eam auget, asserendo quasi manifestam contradictionis implicantiam: quoniam generare & generari non possunt se habere per modum actuum notionalium, nisi inuicem distincta realiter sint: sed in diuinis plura distingui realiter non possunt, nisi per modum relatiuorum; ergo dicere, duo ibi esse distincta per modum actuum notionalium non per modum relatiuorum, videtur aperta contradictio.

541 *Instatur.*

Alia Resp. Capreoli.

Tandem addit Capreolus, quod in diuinis, *fundamenta relationum non sunt aliud à relationibus, nec distinguuntur, nisi relatiuè;* & ideò, inquit, *non oportet fundamenta prius natura distingui, quam relationes distinguantur, sed ipsę relationes distinguunt sua fundamenta.* Verùm pro Scoto posset aliquis instare, accommodando eandem responsionem relationibus æqualitatum; quod scilicèt illæ etiam distinguant sua fundamenta; nimirum vt ipsa essentia, inquantùm stat sub vna æqualitate Patris ad Filium, sit aliud realiter fundamentum ab ipsa, inquantùm stat sub alia ęqualitate realiter distincta Filij ad Patrem. Ideo ad tollendam hanc instantiam, addendum est, id non posse dici de alijs relationibus, sicut dicitur de relationibus originis: quia cum hæ sint relationes personales, habent in sua perfectissima ratione relatiua duplex munus, & constituendi personas, & referendi personas; quæ duo munera, distincta conspicimus in creaturis, prouenientia à duabus formis realiter distinctis, altera absoluta, altera relatiua. Ex quibus rationibus, seu muneribus, prius ratione ratiocinata cum fundamento in re est constituere, ac distinguere personam, seu relatio secundùm rationem, ac munus constituendi, ac distinguendi; posteriùs referre personam, seu relatio secundùm rationem, & munus referendi.

Instatur.

542 *Satisfit, quia Relationes originis, cum sint personales, habent duplex munus; referendi personas; ac constituendi.*

Hac distinctione præsupposita, cogitare vtcumque possumus in tanta mysterij altitudine, has originis relationes fundari non in essentia, nudè, ac præcisè accepta, vt bene dicebat Capreol. sed in essentia constituta, ac realiter distincta in esse personali per relationem, non vt formaliter relatio est, siue vt exercens munus referendi; sic enim relatio, est fundata potiùs, quàm fundans; sed vt formaliter suppositalitas est, sub qua formali, ac præcisa ratione intelligitur habere aliud munus constituendi, ac distinguendi vnam personam ab alia. Atque hoc ipsum in re esse existimo, quod vltimo loco paulò obscuriùs respondit Capreolus, idque optime confirmat ex S. Th. inf.q.40 art.2. ad 4. docente, *Quòd relatio præsupponit distinctionem suppositorum, quando est accidens.* hoc est, quando est imperfecte pura, ac simplex conceptus referentiæ. *Sed si relatio sit subsistens,* quemadmodum est perfectissima relatio personalis in diuinis, *non præsupponit, sed secum fert distinctionem:* quia scilicet eadem, vt est formaliter subsistentia personalis constituit, ac distinguit personas, & fundamenta earundem relationum, vt formaliter, ac præcise referentium, siue exercentium munus referendi.

Defenditur doctrina Capreoli primæ Resp. 5. has originis relationes fundari non in essentia nudè accepta: sed constituta in esse personali per relationem.

543 *Scotus de suis relationibus æqualitatis &c. non potest eodẽ modo philosophari.*

At verò Scotus de suis relationibus ęqualitatis, similitudinis, identitatis, quæ nulla ratione personales sunt, non potest rationabiliter eodem modo philosophari: quia cùm illæ sint extra, & post omnem personę conceptum, non habent rationem constituendi, ac distinguendi personas, sed solam rationẽ referendi personas, præsuppositas aliundè perfectè constitutas in esse personali, ergo cùm non fundentur in personis, sed in essentia, quia sunt relationes fundatæ in vnitate, non in numero, fundari non possunt in essentia, vt per ipsas, aut per alias priores rationes aliquo modo distinctas; ergo fundarentur in essentia præcisè, ac nude accepta, vt est simplicissima vna atque eadem in tribus personis. Sed fundamentum relationis est id, quod primò, & immediatè refertur; ergo essent relationes eiusdem ad seipsum, quę ab omnibus censentur relationes non reales, sed rationis.

544 *5. Obiectio.*

Arg. 5. quia Aug.6. de Trinit. cap.vltimo loquens de Filio Dei, circa principium ait, *In qua imagine est prima æqualitas, & prima similitudo.* Sed non esset prima, nisi esset realis, nulla enim similitudo rationis est prima, cùm eius reale sit prius ente rationis.

Resp. æqualitatem, dici primam, quãtùm ad vnitatem, quã importat

Resp. cum Capreol. ad 3. Scoti, diuinam æqualitatem, ac similitudinem dici primam, *non quantum ad respectum rationis, quem importat; sed quantum ad vnitatem essentiæ, quam importat in suo intellectu: vnitas autem illa, est essentia diuina, quæ est primum ens.* Quod autem August. loquatur de æqualitate, ac similitudine, non positiua, vt relatio, sed negatiua, vt vnitas est, patet, quia declarans, quomodo illa sit *prima æqualitas, & prima similitudo,* ità immediatè subiungit, *nulla in re dissidens,*

diffidens, & nullo modo inæqualis, & nulla ex parte dissimilis; sed ad identidem respondens ei, cuius imago est.

545 *6 Obiectio.*

Arg. 6. æqualitas in est Filio ex vi suæ productionis, docente Aug. lib. 3. contra Maximin. *Quod ideo non est in Pater maior Filio, quia æqualē genuit,* ergo ęqualitas est realis in Filio: quia nullum ens rationis inesse potest Filio ex vi suæ productionis, quæ est realissima. Resp. cum eodem Capr. ad 4. Scoti, conced. Antec. & Conseq. de ęqualitate, *quantùm ad vnitatem essentialem, non autem quantum, ad respectum rationis consequentem illam vnitatem,* nec quantum ad aliquem realem respectum, vnitati illi superadditum, Adde, ex vi generationis posse aliquod ens rationis Filio inesse, non formaliter, sed fundamentaliter.

Resp. neg. cōseq.

546 *7 Obiectio.*

Arg. 7. sicut se habet magnitudo dimensiua ad æqualitatem proportionalem sibi, sic magnitudo virtualis ad æqualitatem sibi correspondentem; sed illa ęqualitas est relatio realis; ergo & hęc. Sed inter diuinas personas est magnitudo virtualis; ergo relatio correspondens illi magnitudini, erit pariter realis. Resp. disting. Mi. concessa simpliciter Ma. Aequalitas magnitudinis corporalis est relatio realis, si vna magnitudo comparetur ad aliam magnitudinem realiter distinctam, si vero comparetur ad se ipsam, est relatio rationis, sic etiam dicendum de magnitudine spirituali: Sed inter diuinas personas est vna prorsus magnitudo spiritualis; ergo eius æqualitas non potest esse relatio realis, sed rationis tantùm.

Resp. si vna magnitudo cōparetur ad aliam realiter distinctam, relatio est realis.

547 *8. Obiectio.*

Arg. 8. Aequalitas est perfectio simpliciter simplex; ergo est in Deo. Sed non esset perfectio simpliciter simplex, si esset relatio rationis, aut negatio; ergo esse debet relatio realis. Anteced. probat Scotus ex Aug. 2. de Quantitate animæ cap. 9. fine, ita docente, *Inęqualitati æqualitatem iure præponis: nec quisquam omninò est, vt opinor, humano sensu prędictus, cui non id videatur.* Et ideo in Præfatione Missæ de Trinitate ex Gregorio canit Ecclesia, *Et in maiestate adoretur ęqualitas.*

Resp. æqualitatem plurium suppositorum in vna, eademque omninò magnitudine essentiali, esse perfectionem simpliciter simplicem, non quòad relationem rationis, quæ est ens omnino imperfectissimum, nec quòad relationem realem, quæ, vt probatum est, inuoluit imperfectionem, duarum magnitudinum realiter distinctarum, & propterea habere non potest locum in Deo; sed vel quoad ipsam negationem diuisionis in magnitudine essentiali, quæ negatio videtur in recto importari nomine æqualitatis, vel saltem quoad ipsam magnitudinem essentialem existentem prorsus indiuisibiliter in pluribus personis, atque hęc est illa ęqualitas, quam adorare iubemur, & de eadem æqualitate S. Th. 1. d. 31. q. 1 art. 11. ad 1. intelligit, quod sibi in illo argumento obiecerat, nempè, *Arius damnatus est, quia æqualitatem personarum negauit.*

Resp. æqualitatem plurii suppositorū in vna, eademque magnitudine essētiali, esse perfectionem.

548 *9. Obiectio.*

Arg. 9. ex fundamento N. Celeberremi Baceoni contra 2. Concl. huius dubij *Cùm Deus scit seipsū, ibi sunt fundamentales rationes propriè pertinentes ad relationem mensurę, scil. scientia, & scibile; & ex natura rei, quia ex natura rei, Deus scit se ipsum: & formales rationes mensurę, & mensurati sunt ibi, quia nec scientia excedit scibile, nec è cōtrario, sed tanta est scientia ibi, quantum est scibile, & è conuerso. igitur.*

Resp. 1. hæc omnia non sufficere, sed preterea esse necessarium, vt mensuratum sit realiter aliud à mensurante, quia esse relationis est essentialiter esse vnius ad aliud, siue aliud secundùm rationem, si est relatio rationis; siuè aliud secundùm rem, si relatio est realis. Quæ conditio deficit in diuinis, vbi scientia, & scibile sunt vnum, & idem secundùm rem. Secundo insufficientes explicari rationes formales mēsuræ, & mensurati per hoc simpliciter, *quia nec sciētia excedit scibile, nec è contrario, sed tanta est scientia, quantum est scibile, & è conuerso:* hac enim explicatione tàm probaretur relatio scientiæ ad scibile, & vniuersaliter mensurati ad mensuram, quàm è contra, relatio scibilis ad scientiā, & vniuersaliter mensuræ ad mensuratum. Quam mutuam correlationem in hoc tertio relatiuorum genere omnes negamus cum Philos. 5. met. t. 10. ex eo, quòd in ratione, ac perfectione repręsentabilitatis, non est inter hæc mutua dependentia; sed mensuratum dependat à mensura, v. g. scientia à scibili, quæ non est vera, si non conformetur obiecto; mensura verò non dependet a mensurato, v. g. scibile à scientia; vt Deus in se verus est, etiam si nostra de illo scientia falsa esset. Hanc autem imperfectionē mensurati, & dependentis diuinæ scientię tribuere, nefas est; ergo ex hoc etiam alio capite non potest in Deo scientia referri realiter ad scibile.

Resp. esse relationis, esse essentialiter vnius ad aliud, siuè aliud, secūdum rationem; siuè aliud, secūdum rem.

QVÆST. XXIX. D. TH.

De significato huius nominis Persona.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Diffinitione Personæ.

Vtrum. s. Persona competenter diffiniatur à Boetio. in lib. de duabus actionis, dicente Persona est Rationalis naturæ indiuidua substantia.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Diffinitio Personæ, qua dicitur, quod persona est Rationalis naturæ indiuidua substantia est conueniens. Prob. Diffinitio, quæ explicat naturam diffiniti, & ipsum distinguit à quocumque alio, est conueniens. Sed diffinitio personæ suprapposita est huiusmodi. ergo mi. prob. nam per ly indiuidua, conuenit cum indiuiduo accidentis, & cum hypostasi, quæ est indiuiduum substantiæ non intellectualis, per ly indiuidua substantia distinguitur persona ab indiuidua accidentis; per ly, Rationalis natura, distinguitur ab hypostasi, quæ est indiuiduum substantiale, quòd reperitur etiam extra naturam intellectualem.

Arg. 1 singulare non est diffinibile. Persona est quid singulare. ergo. Resp. disting. ma. hoc, vel illud singulare diffiniri non potest, conced. ma. id verò, quod pertinet ad rationem communem singularitatis, diffiniri non potest, nego: & sic Philos. diffinit in Prædic. substantiam primam; & Boet. Personam.

Arg. 2. ly, Substantia, in diffinitione personæ: aut sumitur pro substantia prima, aut pro secunda: si pro prima, superfluit ly indiuidua, quia prima substantia est indiuidua; si pro secunda, secunda substantia non est indiuidua Resp. ly substantia, accipitur, pro vt diuiditur in primam, & secundam, & per hoc, quòd dicitur indiuidua, substantia trahitur ad primam.

Arg. 3. Diffinitio rei, in qua ponitur nomen intentionis, non est conueniens: non enim homo diffinitur, quòd sit species animalis. Sed nomen Personæ est nomen rei. ergo

ergo superfluit, ly indiuidua. Resp. dist. ma. nomen intentionis non debet poni in definitione rei, tanquam aliquod essentiale, concedo ma. loco propriæ differentię, nego: sicut aliquando in definitione rei, ponuntur accidentia loco differentiæ innominatę, vt si quis definiret ignem, quod sit corpus simplex, calidum, & siccum.

Arg. 4. Persona reperitur in rebus immobilibus .s. in Deo, & in Angelis. ergo in eius definitione non debet poni natura, quæ est principiũ motus. Resp. neg. conseq. Natura enim sumitur multipliciter, vt dicitur in metaphin. definitione personæ non sumitur, vt est principium motus &c. sed prout significat essentiam Dei.

Arg. 5. huiusmodi definitio conuenit Animæ separatæ: est enim Anima separata rationalis naturę indiuidua substãtia, & tamen non est natura. Resp. quod Anima, cum sit pars speciei, quamuis sit separata, semper retinet naturam vnibilitatis ad corpus, ac proinde non potest dici indiuidua, hypostasis, aut substantia prima.

DISPVTATIO CLXIX.

An rectè diffiniatur Persona à Boetio generaliter sumpta. Vbi, quid sit eius significatum: An dentur subsistentia absoluta, & relatiuæ.

549
Concl. affirm.

Concl. est affirm. Persona rectè definitur à Boetio per hoc, quòd sit rationalis naturæ indiuidua substantia. *Ita S. Th. hic, & communiter Theologi. Prob. Persona duo dicit. vnum quidem in quo conuenit cum primis substantijs non habentibus rationem personæ, per quod distinguitur ab accidentibus: nempè quòd tàm persona, quàm quæuis prima substantia, habent esse indiuidua completa, quia sunt substantiæ completæ; non indiuiduata ab aliquo extrinseco: Accidentia verò indiuiduantur ab aliquo extrinseco, .s. à subiecto; cum sint entis entia, & propterea indigent sustentante.*

Explicatur definitio personæ.

550
Per quod persona differt à suppositis.

Secundum verò, per quod persona differt ab omnibus primis substantijs, non habentibus rationem personæ, est. Quod prædictæ substantiæ afferant naturam substantialem, non verò rationalem; persona verò naturam rationalem, ac substantialem importat. Et propterea proprium illius est per se agere, cum dominio actus: siquidem sola rationalis natura, potest hunc agendi modum habere. Videatur D. Th. quæst. 9. de potent. artic. 2.

551
1. Euasio.

Dices 1. sicut accidentia, v. g. albedo indiuiduatur à subiecto, tanquam ab aliquo extrinseco: ita etiam substantia, vt homo, aut leo, indiuiduatur à quantitate. Sed Contra est 1. quia, hic, substantia, *non sumitur pro substantia creata; sed prout præscindit à creata, & increata; & sic sumpta substantia non indiuiduatur ab aliquo extrinseco; cum tamen omnia accidentia secundùm rationem communissimam accidentium; indiuiduantur ab aliquo extrinseco. Secundò impugnatur prædicta Euasio: quia adhuc substantiæ materiales, quæ dicuntur indiuiduari à quantitate, non habent indiuiduari ab illa, vt habita, aut secundùm suum esse formale sumpta; sed vt præhabita, & præcontenta in materia. Materia enim adhuc sic sumpta, est quid intrinsecum respectu huius indiuidui.*

Præcluditur. quia, substantia, hic, præscindit a creata, & increata.

552
2. Euasio.

Dices 2. si ly substantia, *esset genus in definitione personæ: persona esset species; & sic condiuideretur contra alias substantiæ species, quod est falsum.*

Resp. neg. seq. quia cum diuiditur substnatia in primam, & secundam; non est diuisio generis in species; cum nihil continetur in secunda substantia, quod non sit in prima; sed est diuisio generis secundùm diuersos modos essendi: nam secunda substantia significat naturam secundùm se absolutam, prima verò significat eam, vt indiuidualiter subsistentem. Vnde magis est diuisio analogi, quàm generis. Sic ergo persona continetur quidem in genere substantiæ, licèt non vt species, sed vt specialem modum existendi determinans.

Præcluditur. diuisio substãtiæ in primã, & secondam; est quasi analogi in analogata.

553
3. Euasio.
Præcluditur.

Dices 3. Essentiæ diuinæ conuenit tota hæc definitio, & tamen non est persona. ergo. Resp. neg. ma. nam ly indiuiduum *in definitione personæ sumitur pro eo, quod non prędicatur de pluribus. & secundùm hoc essentia diuina non est indiuidua substantia secundùm prædicationem, cùm prædicetur de pluribus personis; licèt sit indiuidua secundùm rem.*

554
4. Euasio.

Dices 4. humana natura in Christo Domino est rationalis naturæ indiuidua substantia, siquidem non est accidens, nec vniuersale, neque aliquid irrationalis naturæ & tamen non est persona, alioqui esset in Christo duplex persona.

Præcluditur.

Resp. neg. Antec. cùm substantia indiuidua *sit quoddam completum per se existens, humana verò natura in Christo, cùm sit assumpta in personam diuinam, non potest dici substantia indiuidua; i. completa incommunicabilis, cum non sit subsistens.*

555
5. Euasio.

Dices 5. Persona potissimè dicit substantiam incommunicabilem alteri, vt supposito; & propterea persona non est assumptibilis, sed natura: hoc autem non explicatur in definitione personæ. ergo.

Resp. nomine substantiæ in hac definitione, intelligi substantiã cõpletam.

Resp. neg. mi. nam eo ipso, quòd in definitione personæ, nomine substantiæ *intelligatur substantia completa; & nomine* substantiæ indiuiduæ *intelligatur substantia, quæ de pluribus non prædicetur; oportet, vt significetur substantia indiuidua subsistens incommunicabiliter: nam sola ista habet esse substantiam completam, & indiuiduam, quæ de pluribus non prædicetur.*

556
Petes 1.

Petes 1. An ratio personæ inueniatur in diuinis formaliter.

Resp. affirm. quia persona est quid perfectissimum in natura.

Resp. secundùm fidem affirmatiuè. Prob. Persona denotat id, quod est perfectissimum in tota natura, .s. subsistens in rationali natura. Ergo debet reperiri formaliter in Deo; quia eius natura debet formaliter continere omnem excogitabilem perfectionem; cum sit pelagus formaliter immensus totalis, et omnigenæ perfectionis.

557
1. Effugium.

Dices 1. natura specifica est perfectior, quàm persona: hæc est modus, natura enim specifica superat in perfectione omnes suos modos. Ergo.

Euertitur. quia Antec. D. Th. intelligitur de integra personalitate.

Resp. illud Antecedens Rationis D. Th. non intelligi de personalitate collata cum ipsa natura specifica, quia secundùm hanc considerationem certum est, personalitatem non adæquare perfectionem eiusdem naturę; sed de integra persona, vt coalescit ex personalitate, & ex prædicta natura. Quoniam sic accepta est perfectissimum quid in tota natura; non ratione solius personalitatis superadditæ; sed ratione naturæ, prout est cõpleta personalitate, quæ sic habet perfectiorem modum essendi; quàm natura sine complemento personalitatis: vel dicendum est D. Th. non conferre personam cum natura; sed cum alijs suppositis aliarum naturarum materialium.

558
2. Effugium.

Dices 2. si persona esset quid perfectissimum in natura, distinctio in diuinis, cum sit ex persona, fieret in eo, quod est perfectissimum quod est inconueniens, quia alia esset perfectio in Patre; alia in filio &c.

Euertitur. nam distinctio in personis sumitur ab incommunicabilitate.

Resp. neg. sequelam. nam in personis diuinis, cùm reperiatur subsistentia incommunicabilis; & ratio diuinæ naturæ, vt habet rationem transcendentis: distinctio in personis sumitur ab incommunicabilitate relatiua; perfectio verò ab ipsa natura, quæ per modum transcẽdentis, omnes personas peruadit.

559
3. Effugium.

Dices 3. Si semel datur in Deo ratio personæ, non poterunt non admitti in Deo tres substantiæ: sicutì tres personæ. Cum quælibet persona sit substantia. et multiplicato definito, multiplicatur genus, seu quasi genus definiti: sicut multiplicato homine, qui definitur per animal rationale, debet multiplicari animal:

1. Confirm.

Confirm. 1. sequeretur in diuinis dandas esse tres substantias indiuiduas, & tres primas substantias. Siquidem quæuis persona est substantia indiuidua.

N 2 Confirm.

2. Confirm.

Confirm. 2. sumpta substantia, prout distinguitur contra accidens, non multiplicatur in diuinis, ex Aug. lib. 1. de Trin. cap. 3. ergo nec in Deo reperitur ratio personæ; si quidem hac multiplicata, non potest non multiplicari prædicta ratio substantiæ.

560
Euertitur, quia, ex vi sermonis in diuinis sunt tres substantiæ.

Resp. ex vi, rigore, & proprietate sermonis non inconuenit concedere in diuinis tres substantias. ità D. Th. q. 9. de potent. art. 2. quia hypostasis græcè, idem est, quod latinè substantia. ità sicuti admittimus tres personas esse tres hypostases; etiam ex vi, & proprietate sermonis, possumus dicere esse tres substantias. Cæterum propter nominis æquiuocationem non debent in Deo admitti, nisi cum addito, determinante nomen substantiæ ad suppositum; quia apud latinos nomen substantiæ iam est determinatum ad significandam essentiam, seu naturam substantialem.

561
Ad 1. Cõfirm. Resp. suppositum pro formali, dicere incõmunicabilitatem; indiuiduum verò naturam singularem.

Ad 1. Confirm. Resp. neg. seq. quia hoc est discrimen inter hoc nomen suppositum, *&* indiuiduum; *Quod suppositum, saltem pro formali, dicit suppositalitatem, siuè hoc, quod est esse per se incommunicabiliter: indiuiduum vero dicit de formali, hanc naturam singularem: Cumque ratio essendi per se incommunicabiliter multiplicetur in diuinis. Ratio verè naturæ, & essentiæ singularis non multiplicetur, sed sit vna, & eadem in omnibus suppositis diuinis. propterea licèt possint, et debeant admitti in Deo tres hypostases, & personæ, non tria indiuidua sumpto nomine* indiuidui *in hoc sensu, & in hac confirmatione intento.*

Ad 2. Cõfirm. Resp. D. Aug. sumpsisse substantiam pro essentia.

Ad 2. Confirm. Resp. neg. Antec. & ad testimoniũ Aug. dicimus, ipsum in eo sensu negari tres substantias in diuinis, in quo Arriani eas admittebant: nempè sumpta substantia pro essentia, seu natura. Cæterum cum ipsæ personalitates sint formaliter entia per se, & non in alio: possumus dicere, quod sint tres substantiæ relatiuæ, prout ly substantia distinguitur ab accidente; & prout ly à se, excludit esse ab alio tanquam à causa.

562
4. Effugium.

Dices 4. Ratiocinatio, *sicut & naturæ rationalis dicunt intelligere, & vim habere ad intelligendum per discursum, quod quidem inuoluit imperfectionem.*

Eneruatur, quia idem est in definitione &c. *rationalis natura* ac intellectualis.

Resp. ex D. Th. hic, particulam illam rationalis naturæ *in definitione personæ positam, significare idẽ, ac intellectualis naturæ. Adde quod illa particula,* rationalis naturæ, *sumi etiam potest pro natura rationali, siuè formaliter, siuè eminenter tali. Vndè Dionys. cap. 15. cel. hierarch. ait, Deum, & Angelos esse rationales, idest esse rationales modo eminenti.*

563
Petes 2.

Petes 2. Quod sit directum, & formale significatum huius nominis, *Persona diuina*. aliquid absolutum, vel relatiuum?

Resp. esse aliquid relatiuũ. Probatur.

Resp. esse aliquid relatiuum. ità D. Th. in 1. dist. 23. q. 1. art. 3. Prob. persona diuina dicit ex se substantiã per se subsistentem incommunicabiliter, tanquam significatum directum, & formale eiusdem, quamuis prædictum significatum dicat in obliquo diuinam naturam; vt id, in quo subsistit; ergo eius significatum formale, ac directum, est aliquid relatiuum. quia ratio substantiæ incommunicabiliter subsistentis est ratio formaliter relatiua: siquidem absoluta sunt communia, non incommunicabilia.

Confirmatur, nã per significatum formale; vna persona in Deo ab alia persona distinguatur.

Confirm. quia significatum formale, & directum cuiusuis personæ diuinæ in particulari, dicit id, per quod vna persona distinguitur ab alia: hoc autem debet esse aliquid relatiuum, & ad lineam relatiuam pertinens, quandoquidem personæ diuinæ in absolutis non distinguuntur, sed sunt idem.

564
Instabis.

Dices. Significatum formale, & directum potentiæ generatiuæ in diuinis est aliquid absolutum: & nihilominus dicit aliquid substantiale in Patre, quod est incommunicabile filio, ac Spiritui Sancto; & per quod Pater ab vtroque distinguitur: ergo incommunicabilitas personæ non significat aliquid relatiuum.

Resp. incommunicabilitatem tantùm in obliquo importari à potentia generatiua.

Resp. neg. conseq. & ratio disparitatis est; nam incommunicabilitas non importatur in recto, sed tantùm in obliquo à potentia generatiua. & per hanc potentiam non in recto, sed in obliquo adducitur distinctio Patris ab alijs personis: Cæterum esse incommunicabile, vt subsistens, affertur in recto à persona diuina; sicut à persona, vt sic; propterea eius formale, ac directum significatum est aliquid relatiuum.

565
Petes 3.

Petes 3. An hoc relatiuum directè, ac formaliter significatum a persona, sit relatiuum exprimens ordinem ad suum correlatiuum; an vero dicat relationem, vt incommunicabiliter subsistentem in natura diuina?

Respondetur.

Resp. significatum formale non esse aliquid relatiuũ exprimens ordinem ad suum correlatiuum: Sed relatiuum dicens expresè substantiam, non per modum essentiæ; sed per modum hypostasis subsistentis in natura diuina, materiale verò significatum esse ipsummet relatiuum, prout dicit ordinem ad suum correlatiuum.

1. Pars prob.

1. Pars prob. Relatio constituens personam in diuinis, est per se subsistens incommunicabiliter; & ideò est ipsa personalitas constituens per simplicitatem personam Dei, & ipsa persona per simplicitatem constituta. ergo hoc nomen persona diuina *significabit directè, & formaliter rationem, vt incommunicabiliter subsistentem, sicut, quia Deitas constituens Deum, est ipsa Deitas, & ipse Deus sic per simplicitatem constitutus: & hoc nomen Deus significat Deitatem, vt subsistentem sua subsistentia communicabili.*

Quia persona formaliter dicit incommunicabilitatem.

566
2. Pars prob. quia munus personæ non saluatur per relationem, nisi respiciatur terminus.

2. Pars prob. illud est significatum directum materiale alicuius nominis, quod non significatur expresè per illud, benè tamen implicitè, & virtualiter; quatenus id, quod directè, & formaliter significatur, non saluatur extra illud. Sed munus illud relatiuum directè, & formaliter significatum per hoc nomen persona diuina, *scilicet subsistere incommunicabiliter in natura diuina, non saluatur, nisi in eadem relatione, vt dicente ordinem ad suum correlatiuum. vt patet. ergo.*

Confirmatur, ex paritate rationis.

Confirm. nam licèt homo significet directè, & formaliter animal rationale, nihilominùs, quia prædictum significatum non saluatur extra aliquod habens cor, & cerebrum, & huiusmodi partes, sine quibus non potest esse corpus animatum anima rationali, idcircò de materiali significat ista. ergo à pari, quia hoc nomen persona diuina, quòad suum significatum directum, & formale non saluatur, nisi in relatiuo sub conceptu expresse relatiui, seu respiciendi suum correlatiuum; ergo eius significatum materiale erit prædictum relatiuum secundum hoc expressum munus respiciendi suum correlatiuum.

567
Instabis.

Dices si hoc, nomen persona, *directè, & formaliter dicit aliquid relatiuum: eadem ratione persona Patris diuini posset dici persona filij. quia Pater dicitur filij Pater, ex eo quod eius significatum est aliquid relatiuum.*

Resp. personã diuinam directè non significare quid relatiuum, cũ actuali respectu ad terminum.

Resp. neg. seq. quia etsi hoc nomen persona diuina significet directè, & formaliter quid relatiuum: non tamen sub expresso munere respiciendi suum correlatiuum, sed sub munere explicito formæ hypostaticæ, seu subsistentis incommunicabiliter. Et ideò non est necesse personam Patris diuinam, vt hoc nomine significatur, dici personam filij, quia hoc est proprium relatiui, vt significati per modum relatiui. & hic conceptus, licèt sit relatiuus, quia expresè non est ad aliud, sed expresè respicit subiectum, dicitur hoc munus, quodammodo absolutum, & in ordine ad se, non per exclusionem muneris relatiui exerciti; quia ex parte rei significatæ, & implicitè prædictum ordinem ad terminum dicit.

568
Petes.

Petes 4. An hoc nomen, *Persona diuina,* significet diuinam essentiam indirectè, & in obliquo?

Resp. affirm. [illegible]

Resp. affirmatiuè. Prob. natura rationalis significatur in obliquo ab hoc nomine, persona vt sic, *teste D. Th. hic. ergo, eadem ratione persona diuina significabit in obliquo propriam naturam ab eo importatam.*

Confirm. quia ad multiplicationem personarum in diuinis substantiuè sumptarum, requiritur indispensabiliter multiplicatio sui significati in recto sumpti, siuè illud sit formale, siuè materiale. ergo cùm ad multiplicationem prædictam, non requiratur multiplicatio [illegible] naturæ in eisdem personis, [illegible] quens erit, naturam diuinam solum in obliquo [illegible] na diuina significari.

D[illegible]

569 Euasio.

Dices. Natura diuina prædicatur in recto de persona; vt si dicamus, Persona diuina est Deitas, siuè Deus: *ergo prædicta natura affertur ab eadem persona in recto.*

Confirm.

Confirm. animal rationale importatur in recto, & formaliter ab homine: quia de eo, in recto, & formaliter prædicatur: ergo eadem ratione importabitur Deitas à persona diuina in recto, si semel sic de illa prædicatur.

Præcluditur. quia Deitas in abstracto, solùm identicè prædicatur de persona.

Resp. neg. conseq. quia Deitas in abstracto sumpta solùm identicè prædicatur de persona diuina in recto, nõ autem in sensu formalissimo: at sumpta in concreto non prædicatur in recto de persona diuina. quia in recto importatur tanquam significatum directum, & formale illius; sed quia quidquid est in persona diuina, siuè in recto, siuè in obliquo pertineat ad eius significatum, siuè non pertineat ad illud, potest in recto prædicari in concreto de illa: sicut de persona humana potest eodem modo prædicari omne illud, cui prædicta persona subest; Ad Confirm. *licèt ad eius significatum non pertineat; aut licet in obliquo tantùm sit significatum illius: ex eo, quod ad talem prædicationem non est necesse, vt attendatur ad prædictum significatum; sed sufficit, quod res illa sumatur in concreto, & sit in eadem persona, & propterea de ea prædicatur, quòd sit alba, aut nigra &c. quamuis hæc accidentia ad significatum personæ humanæ non spectent. per quod patet ad Confirm.*

570 Petes 5.

Petes 5. An Personæ diuinæ dicant tres subsistentias relatiuas?

Resp. affirm. quia persona secundùm id, quod addit supra essentiam est principiũ quod notionale.

Resp. affirm. ex Concil. & Patribus 6. Synodo Generali act. 9. ex Concil. Nicæno 1. lib. 2. §. in libris Ioh. Concil. Nicæno 2. in exemplari Theodori Patriarchæ Hyerosolimitani: ex Florent. sub Eug. IV. sess. vlt. &c. Prob. ratione Persona diuina v.g. persona Patris secundùm id quod addit supra essentiam, est principiũ quod, actionis notionalis, v. g. generandi: ita vt, licèt actio agendi, vt quo *proueniat illi ab essentia: esse vero id* quod *generat, proueniat illi ex vi suæ lineæ: seu ex illo, quod addit supra essentiam, vt patet: sed in ratione principij,* quod *constituitur per propriam personalitatem tanquam per formam: ergo propria personalitas secundùm id, quod addit supra essentiam, dicit subsistentiam incommunicabilem, si quidem esse principiũ,* quod *solùm conuenit rebus subsistentibus, quia subsistentes sunt: & esse principium, quod, incommunicabile in ratione principij notionalis, dicit etiam subsistens incommunicabile quatenus tale: hoc autem principium quod, multiplicatur in personis; ergo & subsistentiæ relatiuæ.*

571 Confir. quia incommunicabilitas debet fundari in aliquo positiuo.

Confirm. incommunicabilitas, quæ conuenit personalitati diuinæ quatenus dicit negationem communicabilitatis, debet fundari in aliquo positiuo, vt ex se constat: hoc autem positiuum nihil aliud potest esse, nisi subsistentia, quæ sit talis conditionis, vt petat prædictã negationem: siquidem ea præcisa ratione non potest aliquid communicari alteri, vt supposito per se subsistenti, nisi id, quod dicit prædictam carentiam communicabilitatis, habeat propriam subsistentiam; & propterea nequit esse in alio, sed solùm potest esse in se, & per se. ergo &c.

572 Oppos. sent. 1. Obiectio.

Oppositam sententiam tenet Scotus 3. dist. 1. q. & alij. pro qua Arg. 1. adducendo plura loca D. Th. in contrarium, in quibus videtur asserere relationes facere personas subsistentes ratione essentiæ. ergo.

Respondetur. dist. Antecedens.

Resp. dist. Antec. ratione essentiæ, *tanquam à radice, à qua hoc relationibus radicaliter proueniat: conced. ratione* essentiæ, *formaliter; neg. quia relationes formaliter habent constituere personas ex vi sua, & ex propria linea; sicut intellectus paternus habeat ex diuina essentia, tanquam à radice producere filium; formaliter verò hoc habet ex vi sua, & ex propria linea, quia intellectus est.*

573 2. Obiectio.

Arg. 2. essentia diuina est per seipsam subsistens, ergo non subsistit in personis. tùm quia subsistentia personalis adhoc tantùm datur; tùm quia alias diuina essentia esset per se, per propriam subsistentiam; & in alio per subsistentiam relatiuam .s. in personis.

1. Cõfirmatio.

Confirm. 1. ex eo, quod misericordia Dei est infinita, & similiter omnipotentia, ideircò non datur in diuinis, nisi vnica misericordia, vnicaque omnipotentia. ergo cum in diuinis detur vnica subsistentia absoluta, non debet dari multiplex relatiua.

2. Confirm.

Confirm. 2. Ad rationem personæ diuinæ tantùm desideratur natura, & subsistentia diuina, nec non et incommunicabilitas: ergo hoc ipso, quòd detur natura diuina, & subsistentia absoluta, & addatur ratione relationum sola incommunicabilitas, dabuntur omnia, quæ requiruntur ad rationem personæ.

Resp. subsistẽtiam diuinam requiri, vt natura subsistat incommunicabiliter.

Resp. neg. conseq. & ad 1. probationem. dico, subsistentiam relatiuam non requiri adhoc, vt natura diuina, vtcumque subsistat; sed adhoc vt subsistat incommunicabiliter: nam forma constitutiua personæ debet esse talis conditionis, vt multiplicetur ad personæ multiplicationem; cùm ad pluralitatem concreti substantiui, vt est hoc nomen persona, requiratur pluralitas suppositi, & formæ significatæ per tale nomen. ad 2. prob. neg. seq. quia cùm personæ diuinæ non sint realiter distinctæ ab essentia; sed cum illa sint realiter identificatæ; essentia diuina, vt est in ipsis, non est in alio; sed dicitur esse ipsæ personas diuinas, ratione identificationis, quam habet cum illis, per quod patet ad 2. Confirm.

Ad 1. & 2. Cõfirm. Resp.

Ad 1. Confir. Resp. neg. Cõseq. & ratio disparitatis est, quod linea misericordiæ diuinæ v.g. est linea atoma: propterea eo ipso, quòd datur misericordia infinita, non est multiplicabilis in hac linea: linea verò subsistentiæ diuinæ est subalterna, sicut linea attributi, & relationis. propterea est multiplicabilis. Ad 2. patet ex dictis.

574 2. Obiectio.

Arg. 2. non minùs conuenit personis existere, quàm subsistere; sed non multiplicantur existentiæ relatiuæ, vt supra dictum est. ergo.

Resp. subsistẽtiæ multiplicatio non derogat diuinæ simplicitati, sicut derogaret existentiæ multiplicatio.

Resp. neg. conseq. quia subsistentia diuina non derogat diuinæ simplicitati, & vnitati; cùm non constituat essentiam, sed personas; quæ non sunt tres essentiæ; & tamen exigunt subsistere incommunicabiliter; quod constitutiuè necessariò præstant subsistentiæ relatiuæ: Existentiæ verò multiplicatio derogat diuinæ vnitati, cum sit pluralitas actualitatis realis absolutæ: nec est necessariò, & essentialiter requisita ad constitutionem personæ.

575 Petes 6.

Petes 6. An præter subsistentias relatiuas, detur etiam in Deo subsistentia absoluta.

Resp. affirm. Prob. 1. quia subsistentia absoluta dicit dicit infinitam perfectionem.

Resp. affirm. ità communiter Thomistæ vt suprà visum est, vndè ad vberiorem doctrinam; Prob. 1. habere subsistentiam absolutam, & in ordine ad se dicit modum essendi adeò perfectum, vt sit independens à relationibus personalibus tanquam à sustentantibus, & quæ existens, vt quod, *ac tandem principium* quod *operandi per se, & ratione sui, & non solùm ratione proprietatum personalium: hæc omnia satis perfectionem afferunt: ergo &c.*

Confirm. quia diuina essentia intrà propriã lineam est ab- absoluta.

Confirm. diuina essentia intrà propriam lineam est infinita, ergo intrà eandem erit subsistens, tum quia natura creata, & substantialis subsistit non intrà propriam lineam, sed ratione suppositi, quia finita: tum quia est suum esse formaliter, ac proinde erit suum subsistere; id enim ex D. Th. habet ex se propriam existentiam, quod est per se subsistens: tum quia, si diuina essentia est suum esse, erit quoque suum operari, cùm operari sequatur ad esse; ac proinde erit subsistens, nam vt docent philosophi ac Theologi operationes sunt subsistentium.

157 1. Euasio contra rationem.

Respondebis ad Rationem, subsistentiam absolutam non esse perfectionem simpliciter simplicem, quia nõ est melior quauis alia perfectione incompossibili cum ipso; s. cum incommunicabilitate; nam natura, quæ est per se subsistens, nequit recipi in alio.

2 Euasio cõtra Confirm.

Ad conf. Respondebis, ad hoc vt natura diuina sit infinita, nõ desideratur quòd sit subsistẽs incommunicabiliter. Satis .n. est, vt nõ ab alio tanquã à causa. Sicut natura creata, quia est ab alio, est finita, & limitata. Adde 1. quod sicut, quia infinita, nõ est ipsa personalitas formaliter; sed satis est, vt sit radix personalitatis; ità quia infinita, non est necesse, vt sit subsistens, sed satis est, vt sit radix subsistentiæ relatiuæ. Adde 2. satis esse ad infinitatem diuinæ esse, esse suum esse subsistens, non formaliter, sed per identificationem cum personis.

Resp.

Resp ad 1. hoc quod esse per se, non pugnare cum hoc, quod est esse in alio incommunicabiliter

Resp ad effugium contra rationem. hoc quod est esse in se, & per se; non pugnare cum hoc, quod est esse in aliquo afferente propriam subsistentiam, si propria subsistentia afferatur ex meritis eius, quod in illo dicitur subsistere. nam hoc ipso res illa, à qua, tanquam à prima radice oritur, subsistere vltimum, dicitur esse in se, & per se: siquidem ex vi sua affert saltim radicaliter, id; per quod est per se: vt est diuina essentia, quæ est radix personalitatum; & hic modus essendi in alio, non pugnat, cum modo essendi per se. Adde ad rationem propriam subsistentię nō requiri omnimodam incommunicabilitatem Nam ad hoc, vt aliqua natura sit subsistens, vt operetur, sufficit vt quod; *& alteri incommunicabilis, tanquam alieno supposito, siuè realiter, siuè ex natura rei ab ea distincto. quòd non accidit in casu nostro.*

Ad 2. Resp. & nō esse ab alio tanquā à causa tantùm, non sufficit ad primam lineam diuinam.

Ad effugium contra Confirmat. Respond non esse ab alio tanquam à causa, licèt sufficiat ad generalem rationem lineæ diuinæ; non autem ad primam, & fontanalem lineam diuinitatis: sed requiritur, vt non sit ab alio tanquam à ratione à priori, alioqui non esset prima linea, etiam virtualiter prima diuinitatis. at proindè exiget, vt non sit ab alio tanquam à sustentante, vel tanquam à ratione virtualiter distincta, à qua sustentetur, & à qua sit in se, & per se: sed sicut ex vi propriæ lineæ habet, vt sit per se existens absque distinctione virtuali, ita absque distinctione virtuali exigit, vt sit per se subsistens.

Personalitates cùm sint relatiuæ pertinēt ad lineam diuersam ab essentia: nō sic subsistētia absoluta.

Ad id quod primo loco additur in dicto effugio contra Confirmat. Resp esse disparem rationem, quia personalitates, cùm sint relatiuæ, pertinent ex genere suo ad lineam diuersam à linea naturæ, quæ est linea absoluta. Subsistentia verò absoluta, quia absoluta, spectat ad lineam absolutam; ac proinde debet formaliter ad infinitatem naturæ specificæ pertinere: vnde ei non sufficit identificari cum personalitatibus: sed debet habere suam subsistentiam absolutam; alioqui non esset prima linea essendi, cum omni independentia ab alio, vt virtualiter distincto. per quod patet ad id, quod 2. loco addebatur in dicto effugio.

578 Prob. 2. Cōcl. quia in diuinis datur vnicum esse absolutum absque multiplicatione plurium existentiarum

Prob. 2. Concl. in diuinis datur tantùm vnicum esse absolutum, absq; multiplicatione plurium existentiarum, adhuc virtuali distinctarum, vt suprà quæst. præced. dictum est, ergo prædictum esse intra propriam lineam essendi non solùm existit, vt quo, *sed etiam, vt* quod. *quia in substantijs id existit, vt* quod, *cui conuenit per se primò existentia, tanquam quid sibi proprium, & communicatum ab alio per priùs existente per talem existentiam, vt constat inductiuè in omnibus substantijs creatis.*

Confirm. nam in creaturis id existit, vt *quod* cui competit, vt *quod*, esse ab alio.

Confirmat. nam in creaturis id existit, vt quod, *estque subsistens; cui competit, vt* quod *esse ab alio, tanquam à causa efficienti: & quia in creaturis, in via D. Thom., solùm suppositum fit, vt* quod; *propterea ipsum solummodo existit, vt* quod: *ità in diuinis; id habet ex vi suæ lineæ existere, vt* quod, *cui competit non esse ab alio, siuè tanquam à causa efficienti, siuè tanquam à ratione à priori. Quia cum existere Dei, sit existere à se; sicuti creaturæ existere est ab alio: quod potissimè in diuinis non habet esse ab alio, neque tanquam à causa, neque tanquam à ratione à ratione priori, id profectò existit, vt* quod: *ergo cùm solummodò esse Dei, quod est formaliter sua essentia, sit omninò à se; idest non ab alio tanquam à causa, vel à ratione à priori: proindè ipsum esse Dei erit illud, quòd in prima linea essendi, existit, vt* quod.

576 Oppos. sent.

Oppositam sententiam tenet Vasquez hic disputat. 125. cap. 3. Arrubal hic disputat. 109. Ruiz. *disputat. 4. sect. 5. Lorca 3. p disp 14. Araujo to. 2. metaph. lib. 7. q. 2 art. 3. num 11.*

1. Obiectio.

Resp. sicut nomen substantiæ, aliquando sumitur pro essentiæ aliquando pro persona apud Patres: ita & subsistentia.

Arg. 1. ex pluribus testimonijs Conciliorum, SS. PP. ac D. Th., solùm subsistentias relatiuas admittentibus. Resp. sicut nomen substantię aliquando apud Patres sumitur pro essentia, aliquando pro subsistentijs relatiuis: ità ly subsistentia, aliquando sumitur apud Patres pro subsistentijs relatiuis, aliquando verò pro absoluta: cum hoc tamen discrimine: nam cùm nomina ista desumantur ex ijs, quæ reperiuntur in creaturis; & priùs significent ea, quæ in illis inueniuntur, & deinde transferantur ad significanda diuina; hinc est, quod cum nomen substantię apud creaturas significet essentiam; & nomen subsistentiæ, *significet subsistentiam incommunicabilem: ideò in diuinis nomen* subsistentiæ *absolutè, & simpliciter dictum, potuit sumi ad significandam essentiam; & nomen* subsistentiæ, *pro subsistentijs relatiuis.*

2. Obiectio.

Arg. 2. id, quod per se subsistit per se primò in natura humana, est principium, quod, *generandi filium: sed Deitas non est principium, quid generandi in diuinis: ergo &c.*

Resp. in creatis propter limitationem subsistentia non est communicabilis, secùs in diuinis.

Respond. neg. consequent. & ratio disparitatis est: nam in creatis ratione limitationis, & finitatis potest esse sufficiens distinctio in absolutis inter generans, & genitum: vndè, vt detur principium, quod *generationis in creatis, sufficit natura fœcunda subsistens: nam eo ipso subsistentia ratione suę limitationis non est communicabilis: in diuinis verò non potest reperiri distinctio realis inter generans, & genitum; nisi medijs subsistentijs relatiuis, quæ sunt rationes incommunicabiliter subsistendi.*

580 3. Obiectio

Arg. 3. Si natura diuina non posset concipi, nisi vt subsistens, cùm talis subsistentia absoluta esset de eius essentia; ergo non posset concipi nisi in concreto, .s. vt hic Deus; *non in abstracto, vt* Deitas; *quia id, quod in suo conceptu essentiali includit, quòd subsistat, non potest concipi, nisi vt concretum; quod est omninò falsum.*

Resp. natura diuina adæquatè est semper subsistēs: secùs inadæquatè.

Respond. neg. conseq. & ad prob. dicendum est, quòd etsi natura diuina adequatè concepta quòad omnia, quę ad suam lineam spectant, non possint concipi nisi vt subsistens; benè tamen si inadæquatè concipiatur ex defectu nostri modi concipiendi, absque eo, quòd expressè concipiatur, vt subsistens: licèt res illa concepta sit in se absque distinctione virtuali, vt subsistens.

581 1. Obiectio.

Arg. 4. Subsistens per talem subsistentiam absolutam est et persona, quia persona nihil aliud dicit, nisi subsistens in natura intellectuali. ac proindè personæ diuinæ erunt quatuor, quod est hæreticum.

Resp. neg. conseq.

Resp. neg seq. quia Deus per talem subsistentiam subsistit communicabiliter, & de ratione personæ est, quòd dicat subsistens incommunicabiliter in natura intellectuali.

1. Effugium.

Instabis. 1. sequi naturam diuinam esse, & non esse communicabilem suppositis relatiuis: esse, vt supponitur; non esse, quia non posset communicari eo modo, quo superius communicatur inferiori, quia cōmunicatio ipsa est rationis: sed communicatio de qua loquimur, debet esse realis: neq; est communicatio, qua natura communicatur proprio supposito quia per hanc natura communicatur, vt quo, *natura verò diuina, cùm esset subsistens, communicaretur, vt* quod:

Præcluditur. quia natura vtroque modo cōmunicatur. 1. vt superior; & vt essentia.

Resp. neg. seq. & ad prob. dicimus vtroq; modo communicari: nā cum subsistentia absoluta sit communicabilis cōmunitate rei simul cum ipsa natura diuina tribus suppositis quodammodo communicatur illis, quo natura superior communicatur suis inferioribus: seu eo modo, quo natura suis suppositis communicatur, quæ cōmunicatio semper est realis: 1. realiter diuina natura est in tribus personis: & licèt natura creata propter sui limitationem, cùm non sit suū esse, *neq; suum* operari, *solùm proprio supposito cōmunicetur; vt* quo, *secùs diuina, propter oppositam rationem, cōmunicatur, vt* quod:

582 2. Effugium.

Instabis. 2. sequeretur: prædictam naturam per hanc subsistentiam absolutam; pendere, & non pendere à suppositis: non penderet, quia esset per se subsistens: penderet, quia esset alteri communicabilis, vt supposito: & haberet esse ab illo.

Præcluditur. quia natura subsistens absolutè, non pendet ab alio vt à sustentante.

Resp neg. prædictam naturam subsistentem subsistētia absoluta, pendere ab alio, tanquam à sustentante. etiam si subsistat per subsistentiam relatiuam; quia ab hac non habet per se existere: cùm hoc habeat essentialiter à se, cum sit primum, ac fontanale esse, omninò independens ab alio tanquam à causa, & à ratione à priori: ac proindè à subsistentia relatiua solùm habet subsistere incōmunicabiliter: nō verò fulciri, ac sustētari; ita, vt ea deficiente, deficiat, vel corruat talis natura.

Instabis.

3. Effugium.

Instabis. 3. ipsum fieri rei, non habet fieri per aliud fieri; & figura. quia est essentialiter talis, nequit figurari ab alia figura: ergo subsistentia absoluta cum sit essentialiter subsistentia: nequit subsistere per aliam subsistentiam.

Præcluditur. quia vna actio potest fieri ab a ia diuersę rationis.

Resp. benè posse vnam actionem fieri per aliam diuersæ rationis: & ideo actio creata elicita à creatura fit à Deo, medijs actionibus intellectus, & voluntatis diuinæ, item linea, licèt sit vnio partium superficiei, potest per aliam vnionem vniri substantiæ. ità licèt subsistentia absoluta sit essentialiter ipsum subsistere absolutum, potest reddi subsistens per subsistentiam alterius rationis; scil. per relatiuam.

583 4. Effugium.

Instabis 4. diuina essentia, vt dixi. tom. 1. q. 12 art. 2. non potest reddi intelligibilis, aut intellecta quidditatiuè, & clarè ab aliqua specie creata impressa, vel expressa: quia talis essentia habet essentialiter, quot sit suum esse intelligibile, & suum esse intellectum: ergo à pari &c.

Resp. essentia diuina habet tantùm vnum modum intelligibilitatis; secùs est subsistentia, vt sic.

Resp. neg. Conseq. & Ratio disparitatis est clara; quia essentia diuina, clarè, & quidditatiuè intelligibilis, tantùm potest habere vnicum modum, quo sit intelligibilis, & intellecta, nempè modum intelligibilitatis, qui sit actus purus, & suum esse absque distinctione virtuali. hoc autem neque creaturis, neque alijs diuinis perfectionibus, vt ex se patet, conuenire potest: cæterum ratio ipsa subsistentiæ sicut est quasi subalterna; ac proinde vltrà subsistere absolutum; i. per se existere; reperitur alia ratio subsistendi incommunicabiliter; à qua illa ratio subsistendi absolutè; redditur subsistens incommunicabiliter.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Persona *sit idem, quod Hypostasis, subsistentia, & Essentia.*

SVMMA ARTICVLI D. Th.

PRima Conclusio. Essentia in rebus compositis realiter distinguitur ab alijs supradictis scil. ab hypostasi, à re naturæ, subsistentia, & persona. Prob. quia nomen essentię nō includit principia indiuiduantia, quæ tamen omnia alia prædicta includunt. 2. Cōcl. Persona non distinguitur realiter ab hypostasi, subsistentia, & re naturæ, in natura rationali. Prob. nam hypostasis dicit substantiam prout supponitur accidētibus; subsistentia verò est ipsa substantia, prout in se existit, & non in alio. Res tandem naturæ, est ipsa substantia prout supponitur alicui naturæ communi, vt hic homo, sed idem significat hoc nomen persona in genere rationalium substantiarum. ergo.

Arg. 1. Hypostasis, & Persona significant eandem rem secundùm Græcos: ergo sunt idem. Resp. dist. Antec. hypostasis secundùm proprium significatum est idem, quòd persona, nego. nam hypostasis secundùm proprium significatum, significat indiuiduū substantiæ in quacumque natura. Si verò sumatur quoad vsum loquendi, concedo: quia significat indiuiduū naturæ rationalis.

Arg. 2. Dicimus in Deo esse tres subsistentias, non verò tres personas; ergo non sunt idem. Resp. neg. conseq. quia cùm ly Hypostasis, ex propria significatione significat primam substantiam. Noluerunt. Nostri dicere tres Hypostases; ne aliquis crederet, Nos dicere in diuinis tres substantias.

Arg. 3. Quod significat id, quod est compositum ex materia, & forma, est idem, quod persona, & Hypostasis, & indiuiduum substantiæ: omnia enim significant compositum ex materia, & forma, sed essentia, siuè natura hæc significat cōpositū ex materia, & forma, vt Boet. dicit in compend. præd. ergo. Resp. dist. ma. significant compositum ex materia, & forma in communi, vt significat essentia, nego: ex hac materia, & ex hac forma, concedo: & neg. mi.

Arg. 4. Subsistentia conuenit generibus, & speciebus, vt dicit Boet. lib. de duab. naturis; ergo. Resp. dist. Anteced. conuenit speciebus, vt separatis à singularibus, nego: pro quanto aliquod ipsorum indiuiduum subsistit, concedo: & in hoc sensu loquutus est Boetius.

Arg. 5. Forma dicitur subsistentia, & materia hypostasis, vt Boet. dicit comp. præd. sed nec materia, nec forma sunt Persona: ergo. Resp. dist. ma. forma dicitur subsistentia, & materia ratio subsistendi: conced. & sic forma non est formaliter subsistentia, nec materia hypostasis.

DISPVTATIO CLXX.

Quid sit persona, hypostasis, subsistentia, & substantia.

584 Omnes hę rationes pertinent ad singulare in genere substantiæ.

EST ergo notandum apud omnes pro certo, & comperto haberi, rationem personæ, hypostasis, suppositi, subsistentię, & primæ substantiæ, ad singulare in genere substantiæ pertinere. Vndè, & definitio Boetij de persona per indiuiduationem procedit, dum inquit, quòd Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. *Et definitio Richardi de S. Victore lib. 1. de Trinit. cap 18. & 23. cuius mentionem fecit S. Thom, hic qu. 29. art. 3. ad 4. vbi definiuit personam diuinam, quòd* est diuinæ naturæ incommunicabilis existentia. *Vbi quod Boetius vocauit indiuiduam, Richardus vocauit incommunicabilem, quia non potest indiuiduatio intelligi sine aliqua incommunicabilitate, siquidem vniuersalitas communicabilitatem dicit, & sic eius oppositum, quod est singulare, seu indiuiduum, aliquam incommunicabilitatem debet habere, & id, quod perfectè, & completè indiuiduum est, sicut suppositum, vel persona, completè incommunicabile est, vt iam explicamus.*

Quod Boetius vocauit indiduam, Richardus vocauit incommunicabilem.

585 Indiuiduum substantiæ, & accidentis differunt: quia hoc nō est incōmunicabile, sicut illud.

Ex hoc ergo principio, & præsupposito apud omnes certo, quod suppositum, vel subsistens pertinet ad rationem singularis, sed indiuidui, vlterius nascitur differentia valde consideranda inter singulare accidentis, & substantiæ, quòd indiuiduum quidem accidentis habet singularizare, & determinare prædicata quidditatiua superiora, tanquam vltima determinatio, & infimus gradus in serie predicatorum, quia indiuiduatio est id, quod omnibus gradibus subijcitur in hac serie. Sed tamen quia per se non potest existere, sed indiget alteri inhærere, cuius adminiculo, & beneficio sustentetur, ideò non potest tale accidens, etiam prout indiuiduum, esse omnino incommunicabile, sed indiget alicui subiecto communicari, vt ibi sustentetur. At verò singulare substantię non solùm dicit rationem infimi gradus in serie, & linea prędicatorum, & graduum constituentium, sed etiam dicit rationem existentis per se, & in se, sine indigentia adminiculi alterius, in quo sustentetur. Vndè non debet vlteriùs communicari alteri, tanquam termino, vel subiecto, sed sistere in se, & pręter hoc prębere accidentibus, & formis adiacentibus vltimam subiecti rationem, cui inhęreant, & sic debet sub illis poni, & sub illis esse, tanquam subiectum, & sustentatiuum eorum.

586 Subsistentia significat in se sistere communicationē.

Et quia hęc duo officia, seu munera facit, scil. in se sistere communicationem, quatenus non communicatur alteri, nec vlteriori subiecto applicatur, sed in se tanquàm in vltimo sistit, & sub alijs formis poni, tanquam

& non alteri communicari.

quàm subiectum earum, resultauit hoc nomen subsistentia, quasi sub alijs sistentia, ità quod singulare, seu indiuiduum, quod in se sistit communicationem, & esse, ne ultra communicetur; & sub alijs ponitur, & subijcitur, vt alia sibi communicent, dicitur subsistens, & suppositum, & res naturę, & prima substantia, & hypostasis, & si in natura rationali, dicitur persona. Omnia tamen ista idem significant, & eosdem effectus faciunt, scil. illos duos, quod est non communicari alij subiecto, seu termino, & recipere in se aliarum formarum communicationē idem sunt. Et ideò materia dicitur in rebus compositis principiū indiuiduationis substantialis, quia est vltimum subiectum omnium formarum, vltra quod alteri subiecto non communicantur. In rebus autem spiritualibus forma, vt incommunicabilis, est principiū indiuiduationis.

Non communicari alij subiecto; & recipere aliarū formarum communicationem idem sunt.

567 Nomina cōmunia conuenientia singulari, sunt indiuiduū, particulare. &c. specia ia vero substātia, subsistentia, suppositum &c.

Sic ergo distinguenda sunt nomina omni singulari conuenientia, siue sit accidens, siue substantia, siue pars, siue totum, à nominibus peculiaribus substantię, quę non est pars, sed totum. Nomina communia sunt singulare, Particulare, Indiuiduum: hęc enim etiam accidenti adaptantur, sicut hęc albedo, hęc quantitas, &c. & adaptantur etiam parti, vt hęc manus, hic oculus, ista auris. Et humanitas Christi singularis, & indiuidua est, sed non suppositum. Nomina verò specialia significantia indiuiduum, quod in genere substantię est totum, & completum, seu terminatum, non verò pars, & consequenter non est communicabile, sed incommunicabile, quia hoc ipso quod est terminatum, & clausum in se, incommunicabile est, significatur nominibus designantibus subiectum, fundamentum, & vltimum, seu terminatum in substantia, vt subsistens, suppositum, prima substantia, &c. quę supra numerata sunt.

684 Nomina significātia singulare completum, important incommunicabilitatem.

Et quòd ista nomina significantia singulare, completum, & totale in genere substantiæ, important incommunicabilitatem, tam obuium est apud Authores, vt mirandum sit posse aliquem de hoc dubitare, nisi qui ab eorum libris aspectum auertat. Ità affirmat S. Thom. hic art. 3 ad 4. & ad id adducit definitionem Richardi de persona, vbi explicatur incommunicabilitas, licèt in definitione Boetij non explicetur. Et Scotus 1. dist. 23 qu. 1. hanc definitionem Richardi multum commendat, & prefert eam definitioni Boetij, quia vtitur nomine incommunicabilis potiùs, quàm indiuiduæ. Eademque definitione Richardi de incōmunicabilitate vsus est Ioannes Theologus contra Marcum Ephesium in Concil. Florent. sess. 19. Videatur Suar. lib. 1. de Trinit. cap. 1 Vasq. supra hanc quæst. 29. art. 1. in commentario articuli Caiet. super eandem qu. art. 1. Torres ibi, & communiter omnes Interpretes S. Thom. super eundem locum explicantes, & defendentes definitionem Boetij, quam mox explicabimus.

585 Prob. Auth. SS.PP. & Thelogorum.

Prob. ratione. quia singulare substantiæ significat aliquid completum; & in se clausum.

Et ratio facta id probat, quia singulare substantiæ significat aliquid completum, & totum, atque adeò in se clausum, & non communicabile alteri. Vndè in vsu communi non vocamus partes, personas, aut supposita, sicut oculum, aut manum non dicimus esse personam, quia partes communicabiles sunt, non persona, & idem est de anima separata, quia & si sit subsistens, id est per se existens, non tamen persona, & suppositum, quia communicabilis, & vnibilis est, vt forma, seu pars.

590 Petes.

Quęres, quam communicabilitatem excludat suppositum, seu persona, quando dicitur incommunicabilis? Nam si reddit naturam incommunicabilem, sequitur subsistentias relatiuas in Deo non esse personas, quia natura diuina per personam Patris incommunicabilis, non est personę Filij.

Difficultas.

Resp. Persona excludit triplicē communicabilitatem; vniuersalis ad inferiora; Partis ad totum: assumptibilis ad aliquid dignius.

Resp. ex D. Th. in 3. ad Anibald. dist. 5. q. vnica art. 2. in fine, quòd persona, seu indiuiduum in substantia excludit triplicem communicabilitatem. Primò, vniuersalis ad inferiora, quia indiuiduum (præsertim designatum, non loquendo de indiuiduo vago) non potest esse vniuersale, nec habere inferiora. Secundo, partis ad totum, quia est completa, & terminata substantia. Tertiò, assumptibilis ad aliquid dignius, seu terminabilis vlteriori termino: quia & si natura possit assumi, tamen persona assumi non potest. Hinc dicitur ad instantiam de personis diuinis, quę relinquunt naturam communicabilem, & tamen sunt personæ. dicimus enim, quòd relinquunt naturam communicabilem, vt naturam; non vt personatam, nam ipsa persona Patris non est communicabilis: sufficit autem ad rationem personæ, quòd ipsa persona, seu natura, vt personata non sit communicabilis, licet vt natura communicabilis sit. Et hoc ideò fit in diuinis, non in personis creatis, quia personalitates diuinę sunt relatiuæ, non absolutæ. De ratione autem relatiui est, quod habeat correlatiuum, licèt distinctum a se, inquantum oppositum sibi, non tamen distinctum à natura, quia non oppositum illi. Vndè quia correlatiuum terminum habet intra eandem naturam, non potest quælibet relatio esse terminus adequatus naturę, sed inadæquatus, quia debet dare consortium alteri correlatiue.

591 Persona verò diuinæ relinquit naturam communicabilem, vt naturam: non vt personatam.

Ratio personę relatiuę est terminus inadæquatus naturæ

Vndè ratio personæ relatiuæ, non est reddere naturam incommunicabilem, quatenus natura est, sed ipsam personam relatiuam reddit incommunicabilem, & naturam, quatenus personata est, non absolute, quia inadæquatus terminus eius est, vt pote relatiuus. Terminus autem, seu personalitas creata, quæ absoluta est, adæquata est. Vndè reddit naturam absolutè incommunicabilem; & sic quando assumpta est natura humana à Verbo, creata personalitas impedita est. Quarè nomen suppositi, & personę, & alia, quę primam substantiam designant, incommunicabilitatem in ipsa re, seu substantia singulari important.

592 Nomen hypostasis, licet modo substantiam, modo personalitatē significabat: pro sola personalitate deputatur à SS. Patribus.

De nomine hypostasis, & substantię, maior apud antiquos controuersia fuit, vt docet S. Th. hic art. 2. 2. & art. 3. ad 3. videtur enim directè correspondere nomini hypostasis hoc nomen substantia, eo quod apud Grecos hoc nomen vsia, significat essentiam, seu quidditatem, aut naturam, & hypostasis dicitur quasi substa, seu sub essentia; & idem significare videtur substantia, quia est quasi sub alia stans, & videtur explicare officium substandi. Ex alia verò parte opponitur accidenti, & significat id, quod intimum, & substantiale est in aliquo, ad differentiam accidentium, quę exterioritatem faciunt.

Vndè factum est, quòd plures hoc nomine hypostasis, seu substantię olim deciperentur, quia plures attendentes ad rationem substandi, & non ad rationem vsię, seu essentię, simpliciter admittebant tres hypostases, vel tres substantias. Deindè verò in vi significationis vsię, & substantialitatis cogebantur fateri tres essentias in Deo, & hoc erat hereticum. Postmodum vsu Catholicorum Patrum, & Doctorum tàm in Concilijs, quàm extrà, lis ista composita est, vt nomen hypostasis personalitatibus, seu substantijs deputetur: nomine substantiæ, vsię, seu essentię, quia visum est in nomine substantię magis debere attendi ad contrapositionem cùm accidentibus exterioribus, quàm ad officium substandi, seu substentandi accidentia, in nomine verò hypostasis ipsum sub esse, seu substare magis explicari.

593 Explicatur iterum Definitio personæ tradita à Boetio.

Ex his explicari potest definitio personę supra tradita à Boetio, quòd Persona est rationalis naturę indiuidua substantia. Dicitur indiuidua substantia, hoc est prima substantia, ita vt ly substantia, significet conceptum substantię, vt de se communem ad primam, & secundam substantiam, & per ly indiuiduā trahitur ad standum pro prima substantia, vt docet S. Thom. hic art. 1. ad 2. & qu. 30. art. 1. ad 1. dicit, quòd substantia in definitione personę non significat essentiam, sed suppositum. Et ita indiuidua substantia significat substantiam singularem completam, & quę est totum, & consequenter, quę incommunicabiliter, seu totaliter subsistit.

594 Non quodlibet suppositū est persona; sed in genere intellectuali.

Dicitur autem rationalis naturæ, quia non quodlibet suppositum est persona, sed in genere intellectuali. Et hoc ideò; quia vt S. Thom. aduertit hic art. 3. ad 2. & 1. dist. 23 qu. 1. art. 1. in fine corp. idem adducit ex Boet. lib. de duabus naturis, nomen personæ primò impositum est à personando, quia in tragœdijs, seu

Cemœ-

Comœdijs recitatores, qui famosos viros repræsentabant, quandam sibi laruam imponebant; & sic repræsentabant, seu personabant illorum dicta, & gesta; sic repręsentantes dicebantur personę, seu alicuius dignioris viri personam gerere, Indè tractum est nomen ad significandum dignitatem aliquam eorum, qui personę dicuntur. Et quia inter omnes substantias, quæ intellectuales sunt digniores sunt, ad eorum dignitatem explicandam, personę dicti sunt.

595 1. Obiectio. Scoti contra definitionem Personę.

Ex duplici tamen parte hæc definitio impugnata est à Scoto à Richardo de S. Victore, à Laurentio Valla: Scotus, & Richardus obijciunt contra illam particulam indiuidua. *Valla contra illam particulam* substantia. *Obijcit Scotus vbi supra, quia definitio illa conuenit animę rationali separatæ, & tamen non est persona; ergo non est bona. Ma. prob. quia anima separata est substantia, vt de se liquet: est indiuidua, quia est singularis: est rationalis naturę, quia est intellectiua.*

2. Obiectio Richardi.

Obijcit Richardus, quia illa definitio competit Deitati, seu diuinę naturæ, & huic Deo: nam diuinitas est substantia. & est indiuidua, quia singularis, & est rationalis naturæ, quia intellectiua, & tamen non est persona, sed tribus personis communis: ergo.

3. Obiectio Vallæ.

Obijcit Valla lib. 6. Elegant. c. 34. quia vna, & eadem res, seu substantia plures dicitur gerere personas, quia plures repræsentat, aut vice earum fungitur. Persona ergo ad qualitatē spectat, seu ad officium, non ad substantiam, & ita incongruè definitur per substantiam.

Error Sabellij.

Et hinc factum est, quòd Sabellius non multum curaret Deo attribuere plures personas, licèt solùm fateretur vnum suppositum, vnumque subsistens, quia plures sustinebat personas, seu plurium munere fungebatur eadem Dei subsistentia apud ipsum. Vndè & plures antiquorum, vt refert S. Gregorius Nazianz. orat. 21. in Athanas. circa fin. recusabant solùm concedere Deo plures personas; ne in Sabellij errorem viderentur declinare, qui plurium munerum, seu officiorum exercitio fungi eundem Deum dicebat, & sic plures sustinere personas. Existimabant ergo personam, qualitatem, seu repræsentationem importare, non substantiam.

596 Ad 1. Scoti Resp. nomine indiuidui substantię, intelligi substantiā primam.

Ad Scotum Resp. quòd Boetius nomine indiuiduę substantię intellexit substantiam primam, quę cęteris omnibus substat, seu sub alijs omnibus est: Et ita ly indiuidua, *venit intelligendum indiuiduum completum, seu totale, quod est indiuiduum simpliciter in genere substantiæ, vt S. Th. explicat in 1. dist. 23. q. 1. art. 2, & in hac q. 23. art. 3. ad 4. & q. 30. art. 1. ad. 1. Et sic intelligendo ly* indiuiduum, *pro indiuiduo completo, & terminato, seu, quod idem est, incommunicabili, non conuenit animæ separatæ definitio personæ, quia non est indiuiduum completum, & incommunicabiliter subsistens, sed vnibilis, & communicabilis, vt forma.*

597 Ad 2. Richardi Resp. hic Deus, est quid singulare per se existēs, sed non terminatum.

Ad Richardum dicimus eodem modo, quòd Deitas, seu hic Deus, est aliquid singulare, & per se, imò à se existens, & ipsamet essentialis existentia, sed tamen non est singulare terminatum, & incommunicabile intrà se, & ita non est indiuiduum per modum suppositi, & primę substantię, sed per modum essentię, & naturę, atque adeo non conuenit ei definitio personę traditę à Boetio, qui sumit indiuiduam substantiam pro indiuidua completè, & totaliter, seu per modum suppositi. Quod amplius declarauit Riccard. loco indiuiduæ, ponens incommunicabilem, & San. Thom. hic art. 3. ad 4. ad lucit.

598 Ad. 3. Vallæ. Resp. nomen non debet accipi, secundū hoc, à quo imponitur; sed secundum id, ad quod significandum instituitur.

Ad Vallam Resp. ipsum in hoc pessimè sentire, quòd persona solam qualitatem significet, seu repræsentationem, & officium. Nam, vt rectè obseruat S. Th. loco cit. in 1. dist. 23. q. 1. art. 1. ad 1. iudicium de nomine non debet esse secundùm hoc, à quo imponitur, sed secundùm id, ad quod significandum instituitur. Vndè licèt nomen personæ sit impositum à repręsentatione, tamen est impositum ad significandam substantiam completam in natura intellectuali subsistentem, & hoc Deo conuenit. Quapropter grauiter in hoc reprehenditur Valla quòd dixerit, non magis in Deo esse personam, quàm in Brutis animantibus, ex hac purè grammaticali ęquiuocatione deceptus, cum expressè fides doceat, & Ecclesia definiat in Deo esse tres personas, & vnam essentiam in c. Firmiter, *&c.* Damnamus de summa Trinit. *& in Concil. Florent. & alijs multis locis. Nec latuit Boetium hoc, in quo à Valla reprehenditur, quòd scil. persona non à substantia, sed à repræsentatione, seu munere, & officio imponatur, cùm hoc ipsum dicat Boet. in lib. de duabus naturis paulo ante med. quòd* Nomen personæ impositum est a personando, quia in Comœdijs recitatores ad repręsentandum aliquem, cuius gesta recitabant, larua quadam faciem velabant, & sic recitationē suam personabant.

599 Ethymologia nominis personę, est impositum est à personando in Comędijs: sed significat ipsos homines substantialiter.

Id ergo est, à quo nomen ethymologiā habet, sed non ad id significandum est impositum, sed ad significandos ipsos homines substantialiter in se, & hoc modo frequens est vsus huius vocis in iure ciuili, cum agitur de actione, seu iniuria personarum, & in Scriptura, vt cum dicitur Sapien. 6. Non subtrahet personam cuiusquam Deus, *vbi nomen personæ ad omnes extenditur, & Deuter. 10.* Deus qui personam non accipit, nec munera; *Act. 10.* Non est personarum acceptator Deus. *Et in Patribus hæc vox* persona, *pro substantiali subsistentia sumitur, & in Deo verè ponitur, vt constat ex symbolo Athanasij;* alia est persona Patris, alia Filij, &c.

Et Nazianz. vbi supra eandem vocem Athanasium approbasse refert. Et vbi habetur in symbolo, neque confundentes personas, *Grecè dicitur prosopon quę vox, vt D. Th. docet in 1. dist. 23. q. 1. art. 1. in fine corp. deriuatur, sicut persona à facie laruata, qua repræsentabantur personæ in Comœdijs. Eadem voce vtuntur Tertullianus contra Praxeam, Hilarius lib. de Synodis, Hieronym. epist. 57. Aug. lib. 4. de Trin. 1. 8. & 9. Leo Papa serm. 2. de Pentecoste, Damasus in confessione fidei ad Paulinum, Concil. Toletanum 11. in confessione fidei, Lateranense in c.* firmiter *& cap.* Damnamus, *vbi supra.*

600 De fide est dari Personas in Deo; nec sine ipsis stat mysterium Trinitatis.

Concluditur ergo, de fide esse, dari in Deo personas, nec sine ipsis stare mysterium Trinitatis, eisque rectè adaptari definitionem Boetij, quia sunt supposita, seu primę substantię in natura intellectuali diuina. Solum aduertendum est, ne nimis scrupulo vocum hæreamus, cùm dicitur subsistentia, suppositum, hypostasis, quòd totum sonat aliquid substans, & subiectum, sustentans formas superuenientes, quę accidentalia sunt, quod tamen in Deo non inuenitur, quia accidentium capax non est, non ob hoc significatum istorum nominum deesse Deo.

Suppositum nō est in Deo quoad munus sustentādi accidentia.

Dicimus enim ex D. Th. in hac q. 29. art. 3. ad 3. & in 1. dist. 23. q. 1. art. 2. ad ult. quòd hypostasis, & suppositum non sunt in Deo, quantùm ad munus sustentandi accidentia, à quo nomen illud impositum, & originatum est, sed quantùm ad rem significatam scil. completum subsistens in natura rationali. Et ob id Ricchard. in sua dist. loco indiuiduæ substantiæ, posuit incommunicabilem existentiam ad designandum substantiam in Deo, non vt substantem alijs, sed vt existentem in se, & per se incommunicabiliter, & completè.

601 Quomodo distinguantur in creatis hypostasis, subsistētia &c.

Distinguuntur autem ista nomina hypostasis, subsistentia, suppositum, res, naturę, etiam in creatis non ex parte rei significatæ, nec tamen sunt synonima, quia habent originem ex diuersis principijs, & possunt in vsum, significationemque illorum venire, si aliquis velit sic applicare, & vbi illis pro significatione talium formalitatum, seu munerum, scil. substandi, aut per se existendi, & sic non habent vsum synonymum, licèt eandem rem significent.

DVBIVM VNICVM.

An personalitas in communi sit aliquid positiuum; & quid personalitas diuina, & an importet immediatè relationem, vel essentiam.

602 *Personalitas in natura rationali, importat id, quod dicit subsistentia, præter in Christo Domino.*

P*Ersonalitas cùm sit id quo formaliter constituitur persona, nihil aliud importat in natura rationali, quàm* subsistentia, & suppositalitas in quacumque substantia. Est enim terminus, seu complementum sub-

tantię, qua redditur vltimò completa, & terminata, ficut quantitas terminatur superficie, linea, punctis. Et quidquid illud sit, constat terminum hunc, seu subsistentiam non pertinere ad prędicatum cōstitutiuum naturæ, sed constitutę terminatiuum. Constat hoc manifestè; nam in Christo Domino est integra humana natura in ratione naturę; nam est verè, & integrè homo, non esset autem, si aliquod constitutiuum prędicatum illi deesset: variaretur enim essentia; & tamen suppositalitatem, seu substantiam creatam non habet; ergo non pertinet subsistentia ad constitutionem naturæ, sed ad determinationem naturę constitutę.

603 *Petes 1. Quid importet indiuidua substantia in definitione personę.*

Quid autem sit hoc, quod præter naturam importat subsistentia, & suppositalitas, aut personalitas, an sit aliquid reale, an aliquid rationis, an modus, vel quid tandem sit, diximus tom. 1. q. 4. Ex hoc enim dependet scire, quid significet, & pro quo supponat ly *indiuidua substantia* in definitione personę. Nam quidam nomine *indiuidua* intelligunt relationē rationis, scil. subijcibilitatem ad prædicata superiora, quod tribuitur Durando in 1. dist. 23 q. 1. num. 24.

Alij sumunt ly indiuidua, logicè.

Alij sumunt, ly *indiuidua* logicè, non physicè. Indiuiduum autem logicè sumptum contraponitur vniuersali logicè sumpto. Vniuersale autem logicum dicit relationem ad inferiora per modum superioris, & prædicabilis. Indiuiduum ergo logicum dicet relationem per modum inferioris, & subijcibilis; & sic in definitione personæ indiuidua substantia est substantia, vt subijcibilis prædicatis superioribus. Alij dicunt non sumi ly *indiuidua* logicè pro secunda intentione, seu pro relatione rationis, sed pro prima intentione, seu pro eo, quod habet in re indiuiduum substantiale. Et dicunt, quod in re non addit supra naturam aliquid positiuum, sed aliquid negatiuum, scilicet incommunicabilitatem, seu negationem communicationis, non solùm per modū vniuersalis, ad inferiora, sed per modum partis incompletæ ad totum; debet tamen connotare aliquid positiuum, supra quod fundetur ista negatio, sicut in diuinis connotat relationem, in qua fundatur ista negatio incommunicabilitatis. Et hæc est opinio Scoti in 1. dist. 25. quæst. 1.

Alij sumunt pro prima intentione, non positiuè, sed negatiuè.

604 *Vera sententia Thomistarum, ly indiuidua importare aliquid positiuum*

Alij dicunt ly *indiuidua*, in definitione personæ, atque adeò ipsam personalitatem, seu suppositalitatem importare aliquid positiuum superadditum ipsi naturæ, illamque terminans, & complens, quę est communior sententia, & inter Thomistas fundatissima; reuera enim persona, seu suppositum est aliquid positiuum verè, & realiter inuentum à parte rei. Non potest autem aliquid à parte rei repertum formaliter, & per se primò constitui ente rationis, quod est negatio, aut intentione secunda, quę solùm conuenit rei in esse cognito, siquidem conuenit esse personam à parte rei, & Christo conuenit à parte rei non habere personam creatam, non solùm in esse cognito. Vndè S. Th. hic q. seq. art. 4. dicet, nomen personæ non esse nomen intentionis, sed rei. Et idem affirmat in 1. dist. 23. & dist. 25. benè verum est, quod in aliquo constituto reali inuenitur aliquando aliqua negatio, seu priuatio, vel aliquid rationis includi, tanquàm connotatum, seu modum, supponendo tamen formam realiter; seu à parte rei constituentem. Et sic cùm persona à parte rei constituatur; aliquid reale assignari debet pro formali constituente, licet fundet illam negationē communicabilitatis, & illam secundam intentionē subijcibilitatis. Non potest autem illud formale cōstituens suppositum, seu personam esse natura sub conceptu naturæ, cùm sit tota, & integra natura quoad prędicata constitutiua in humanitate Christi, & non sit persona creata; ergo aliquid positiuum, & reale est id, quod persona addit super naturam.

603 *Ratio est, quia, cùm persona sit aliquid verū, & reale ens, non potest constitui per ens rationis.*

606 *An verò illa positiua realitas sit modus. Resp. affirm. est modus substantialis terminans*

An verò illa positiua realitas sit modus, seu aliquid solùm modaliter distinctum à natura, an aliquid distinctum, tanquàm res à re ostendimus suprà loc. cit. tom. 1. ex mente D. Th. & Caiet. & aliorum Thomistarum, & ex ratione, esse modum substantialem superadditum naturæ, reductiuèque pertinentem ad prędicamentum substantiæ, tanquàm modus terminans, & complementum naturę, sicut punctus est reductiuè in prædicamēto quantitatis, vt terminus lineæ, & modus intensionis, & remissionis reductiuè in prædicamēto qualitatis pro formis intensionis capacibus. Vndè dicit S. Th. hic art. 1. ad 3. quod *Indiuiduum ponitur in definitione personæ ad designandum modum subsistendi, qui competit substantijs particularibus*. Competit autem substantijs particularibus indiuiduari per se, non sicut accidentia, quę indiuiduantur per aliud, in quo sunt, scil. per subiectum, vt dixerat in corp. art.. Et partes indiuiduantur, non per subiectum, in quo sunt, sed per totum, quod componunt.

607 *Petes 2.*

Quæres, *quē effectu faciat modus iste, seu realitas, quā addit personalitas, seu suppositalitas super naturā?*

Resp. duos esse effectus formales præstare, scil. facere per se existere: & reddere naturam incommunicabilem.

Resp. duos effectus formales præstare, quorum vnus aliquando separatur ab alio, si totaliter, & adequatè nō sit completum indiuiduum; est enim modus existendi per se, & est modus existendi incommunicabiliter alteri supposito, quatenus habet statum totius, vt distinguitur à parte, quæ communicabiliter se habet ad totum. Et anima rationalis separata licet per se existat, non tamen vt totum incommunicabile, & sic non est persona; id autem, quod est persona, & suppositum incommunicabiliter se habet, & tanquam quodam totū in se clausum, & completum. Et vocatur subsistentia, quatenus per se existit, hypostasis vero, seu suppositū, quatenus alijs accidentibus, aut prædicatis supponitur, & sustentat ea, vt docet S. Th. in hac q. 29. art. 2. in corp. & similiter declarat istos duos effectus modi subsistentiæ, seu suppositalitatis completæ in alijs locis. Dicit enim in q. 9. de Potent art. 1. quòd *persona significat naturam cum quodam modo existendi, qui modus est esse per se existens*. Idemque habet in 1. dist. 25. q. 1. art. 1. ad 2. At verò in hac q. 30. art. 4 ad 2. dicit, quod *licèt persona sit incommunicabilis, tamen ipse modus existendi incommunicabiliter potest esse communis multis*.

608 *Suppositalitas adæquatè sumpta; & facit per se existere; & reddit naturam incommunicabilem.*

Quare subsistentia, seu suppositalitas adæquatè sumpta hos duos effectus importat, scil. facere, per se existere, & vltimò complectum, & incommunicabile reddere subiectum; quia iste secundus effectus necessariò petit, & supponit primum: nec enim potest incommunicabile esse, quod per se non existit, sed in alio, licet aliquando inueniatur aliquid inadæquatè habere istum modum subsistendi, solùm quoad primum effectum existendi per se, non quoad secundum existendi incommunicabiliter, vt anima separata per se existit, & non est suppositum, seu persona, quia communicabilis est. Ex eo autē, quòd existit per se, sequitur quòd possit sustentare accidentia in esse, & substare alijs cōtinendo in esse, etiam, si incommunicabile suppositum non sit, sicut anima sustentat sua accidentia, quia per se existit, licet non sit suppositum.

609 *Petes 3. Quid ratio personæ formaliter importet in Deo.*

His autem explicatis circa rationem personę, seu suppositalitatis, & subsistentiæ in communi, restat videre, quid in Deo personalitas, seu ratio personæ formaliter, & directè importet relationem, an essentiam? Loquendo de subsistentia, seu modo personalitatis non solùm inadæquatè, & quoad effectum existendi per se, adæquatè, & quoad effectum etiam incommunicabilitatis.

610 *Resp. importare relationē, vt subsistentē, i. essentiam in obliquo; & relationem in recto.*

In hoc ergo puncto manifestissima est sententia D. Th. hic a. 2. vbi concludit S. D. quòd *Persona diuina significat relationem, vt subsistentem*, & hoc est significare relationem per modum substantiæ, quę est hypostasis subsistens in natura diuina, licet subsistens in natura diuina non sit aliud, quàm natura diuina, & secundùm hoc verum est, quòd hoc nomen *persona* significat relationem in recto, & essentiam in obliquo, non tamen relationem, inquantum est relatio, sed inquantùm significatur per modum hypostasis. Hoc est, non inquantum exercetur relatio circa terminum, sed vt tenet se ex parte respicientis, seu subiecti, vel ipsa potius relatio subiecto non indiget, quia subsistens est.

Ratio

611 *Ratio est quia sola relatio in diuinis incommunicabilitatẽ fundat.*

Ratio est, quia sola relatio in diuinis incommunicabilitatẽ fũdare potest ad suum correlatiuum, eo quòd cùm ipso oppositionem habet, reliqua præter relatiuas oppositiones, vnum sunt in Deo. Similiter est terminus substantialis, ipsamque naturam diuinam substantialiter reddit terminatam, quia relatio illa, accidens non est, nec etiam est natura, aut prædicatum constitutiuum, & essentiale naturæ, cum tota natura secundùm conceptum naturæ communicetur Filio, non communicata relatione Patris; ergo est terminus, seu modus naturæ substantialiter, quia præter accidens, & prædicata naturæ, seu quidditatem naturæ, aliud non restat. Et hoc ipsum ex suis visceribus exigit relatio, quando non est accidentale aliquid, sed substantiale, quia talis substantia non importat substantiam pro essentia, quia substantia pro essentia communicatur personis, & est vna in tribus, non autem relatio; sed importat substantiam pro existentia per se, siquidem non est accidens, & conuenit illi terminatio, quia incommunicabilis ad vlteriorem terminum, & cùm sit incommunicabilitas substantialis, est terminatio substantialis; sistit enim in substantia, quidquid substantialiter incommunicabilitatem ponit: Ergo habet relatio subsistens quidquid requiritur, vt sit terminus substantialis incommunicabiliter respectu eius, cui opponitur.

612 *Corrolarium Tres Relationes in diuinis sunt tres personalitates.*

Ex quo colligitur, tres relationes personales, seu proprietates, scil. paternitatem, filiationem, & spirationem passiuam, quæ incommunicabiles, & oppositæ sunt, esse tres subsistẽtias, & tres personalitates: sunt enim constitutiuæ trium personarum distinctarum in esse personali: sunt ergo tres personalitates, nam personalitas est forma constituta personæ in esse, & ratione personali: Sunt ergo in Deo tres personalitates, sicut sunt tres personæ. Personalitas autem, seu suppositalitas est subsistentia in natura rationali, ergo si sunt tres personalitates, sunt tres subsistentiæ.

613 *Nomen subsistentię non est nomen absolutę perfectionis; sed terminationis naturę*

Nec nomen subsistentiæ est nomen absolutæ perfectionis, sed terminationis naturæ, quæ terminatio in Deo relatiua est. Licèt .n. subsistentia videatur inuoluere existentiã, quia subsistentia dicitur existẽtia per se, & subsistens per se existens, tamen nõ est subsistentia ipsa existentia directè, sed modus eius, idest perseitas existentiæ: per se autem dicit modũ, quo habetur illa existentia, scil. non in alio, nec dependentem ab alio, vt à subiecto sustentante, sed sustentantem in se ipso, seu terminatam in se, & incommunicabilem, si completa, & totalis sit. Quarè subsistentia modum dicit terminationis, atque adeò magis ad incommunicabilitatem pertinet, quia vbi est incommunicabilitas est terminatio, & perseitas: Cùm ergo relationes faciant incommunicabilitatẽ substantialem, quia oppositionem dicunt substantialem, consequenter subsistentias multiplicant, quantùm ad modos perseitatis, & terminationis, licet neque existentiam, neque substantiam multiplicent, quæ sunt modificata per modum, & perseitatẽ subsistendi.

614 *Patres; subsistentias plurali nomine significant.*

Et Patres communiter subsistentias plurali nomine significant, præsertim post sedatam antiquam litem de differentia hypostasis, & vsiæ, & tandem hypostasis pro subsistentia, seu supposito, vsia pro essentia, sicut & substantia pro essentia communiter acceptata est. Vndè in epist. Agathonis Papæ in VI. Synodo, actione 4. dicitur, *esse in Deo trium subsistentiarum, seu personarum vnam substantiam*, vel vt antiqua editio habet *vnam subsistentiam*, & in epistola Sophronij, quæ in eadem Synodo actione 6. recitata, & acceptata fuit sæpius plures subsistentię Deo ascribuntur. Et Martinus I. in Concil. Lateren. consult. 5. canone 1. explicauit, *Deum esse vnũ in tribus subsistentijs*. Quare rectè Iustinianus Imperator in edicto fidei ad Ioannem II. dixit: *Omnes Sancti PP. consonanter nos docent, aliud esse naturam, seu substantiam, & formam; aliud subsistentiam, siuè personam*. Subsistentia ergo personaliter, & complecte sumpta multiplicatur in Deo, licet aliqui id negauerint, sed malè. An verò præter personales, & completas subsistentias relatiuas, detur aliqua absoluta in Deo communicabilis tribus personis dicemus infra.

Idem asserit Iustinianus imperator.

615 *1. Obiectio.*

Arg. 1. relatio non potest constituere in Deo omnes personas, præsertim primam personam Patris, quia debet persona præsupponi generationi, seu origini, cùm ab illa prodeat generatio, vt à principio generante. Relatio autem paternitatis supponit originem, & generationem, quia super illam fundatur; ergo ante relationem est persona, sicut ante originem. Resp. ad hoc arg. infra agendo de constitutiuo personę Patris. Et summa solutionis est, quòd relatio non indiget fundamento ad existendũ, sed ad respiciendũ: in se .n. subsistens est sine alio fundamento. Ad respiciendum autem subsequitur generationem, ad subsistendum verò præcedit.

Resp. Relationem non indigere fundamẽto ad existendũ, sed ad respiciendum.

616 *2. Obiectio ostendens personã constitui formaliter per incommunicabilitatem.*

Arg. 2. quia persona debet constitui formaliter per incommunicabilitatem, vel per relationem, vt exercitam ad terminum, non vt subsistentem: ergo male constituitur per aliquid positiuum, vel per relationem, vt subsistentem. Anteo. prob. tùm quia persona intantùm constituitur relatione, inquantùm est opposita, est autem opposita, prout exercens respectum ad alterum, non prout in se subsistens, aut, vt hypostasis; ergo vt relatio exercita constituit personam. Vel si non constituit, vt exercens respicientiam; sed vt subsistens; ergo ratione ipsius *In* constituit, non ratione ipsius *Ad*, quia subsistentia cõuenit relationi diuinę prout correspondet inhęrentię increatæ, inhęrentia autem pertinet ad ipsum *In*, in relatione creata: ergo, & subsistentia in diuinis. *In* autem magis pertinet ad esse, & ad absolutum concretum essentię, quàm ad relatiuum.

Eadem obiectio ampliatur.

Tum quia illud formaliter constituit personam, quod formaliter constituit indiuiduum, cùm in definitione personæ ponatur *indiuidua substantia*. Formale autem constitutiuum indiuidui est incommunicabilitas, vel relatio sub ieibilitatis: videmus enim, quòd per incommunicabilitatem primò, & per se differt prima substantia à secunda, seu ab vniuersali: Videmus etiam, quòd in diuersis naturis per diuersa principia fit indiuiduatio, sicut in substantia corporea per materiam signatam, & diuisam quantitate, in Angelis per irreceptibilitatem formæ, in Deo per relationes: formale vero in omnibus istis est esse incommunicabilem inferioribus, quia non habent illa, & subijcibilem superioribus, quia prædicantur de illa; ergo id formaliter erit persona.

617 *Resp. Nomen Persona, non est nomen intentionis, sed rei ac proindè negatio fundatur in positiuo.*

Resp. quòd, vt docet S.Th. q. 30. art. 4. persona in communi non solùm dicit, aut de formali incõmunicabilitatem pro negatione, aut intentionem rationis, quæ est relatio subijcibilitatis, quia hoc nomen *persona* neque est nomen negationis, neque intentionis, sed nomen rei. Nihil autem absurdiùs, quàm dicere personas esse nihil, & ens rationis, aut non ens, cùm oculis, & sensibus apertè videamus aliquid esse personam, non tanquàm carentiam aliquã, sicut cæcitatem, sed vt aliquid integrum, & plenum.

Et præterea ista negatio debet esse fundata in aliquo positiuo, aliàs esset purum nihil, & non fundatur immediatè in natura, siquidem potius naturæ cõmunicabilis est de se, & sine illa inuenitur in Christo; fũdatur ergo in aliquo superaddito naturæ positiuo, illud ergo, & nõ pura negatio erit formale cõstitutiuum personæ, licèt negatio incommunicabilitatis comitetur. Negamus ergo antecedens argumẽti.

616 *Ad 1. prob. Resp. Relationem, non vt est opposita reduplicatiuè; sed specificatiuè; cõstituere personam.*

Ad 1. prob. dicitur, quod relatio constituit personam, prout opposita distinguo, prout opposita specificatiuè, & secundùm se, concedo; prout opposita reduplicatiuè, & in exercitio, nego. Itaq; forma de se dicens oppositionem, & sumpta, vt tangit subiectum, constituit personam, quia sic subsistit, nõ autem ratione exercitij oppositionis, vt tangit terminũ. Ipsa quippe oppositio, quę erga terminũ exercetur, ipsamet in subiecto subsistit, & vt tenet se ex parte subiecti, etiã opposita, & distincta est à suo correlatiuo, sed nũ cõsideratur ibi eius exercitiũ in oppo-

positione ad terminũ, sed in affectione, seu adhesione ad subiectũ. Remanet autẽ distinctio in illa forma relatiua, hoc ipso, quod in se habet oppositionẽ, siue consideretur, vt afficiens subiectum, vel subsistens, siue vt exercens illam erga terminum. Et ad instantiam, quod subsistere conuenit ratione *In*, distinguo, subsistere vt dicit conceptum incommunicabilis, nego; & sic pertinet ad personam, & relationem; subsistere, vt dicit per se existere præcisè, transeat; & sic etiam conuenit subsistentiæ absolutæ. Contraponitur autem inhærentiæ accidentis, non solùm ratione existentiæ, quia inhærentia est in alio, sed etiam ratione incommunicabilitatis, quia inhęrentia est communicabilis.

619 *Ad 2. prob. Re p Personã, & indiuiduũ non dicere solã subjecibilitatẽ.*

Ad 2. prob. constat ex dictis, personam, & indiuiduum non dicere solam subijcibilitatem rationis ad superiora, aut negationem incommunicabilitatis, sed etiam fundamentum eius positiuum. Nec prima substantia differt à secunda sola negatione communicabilitatis, sed etiam positiua differentia indiuiduationis, à qua abstrahit, & subsistentiæ, qua terminatur; imo potius prima substantia non solùm opponitur vniuersali, seu secundæ substantiæ, sed etiam parti, quia completa substantia est; vnde eius constitutio per solam negationem, aut contrapositionem ad vniuersale non fit. Ad 2. verò prob. dicitur, quòd formale indiuidui, non est sola subijcibilitas, aut negatio, sed etiam positiua illa differentia, qua singulare contrahit speciem, & redditur singulare verum, & reale, & illa terminatio, qua redditur subsistens adæquatè, & totaliter, vndè nascitur incommunicabilitas; quod est subsistere suppositaliter, seu personaliter.

Ad 3 prob formale in diuiduum est aliquid positiuum

620 *3. Obiectio.*

An nomen personæ sit commune?

Arg. 3. Persona potest accipi, vt communis ad tres personas communitate prædicationis, vt S. Th. docet q. seq. art. 4. si autem esset aliquid reale, vel illud esset primò diuersum in quolibet indiuiduo; & sic nõ daretur vnus conceptus communis essentialiter prædicabilis de tribus personis: vel non esset primo diuersum in quolibet indiuiduo, sed in aliquo conuenirent, & illud cùm sit reale, erit prædicatum essentiale personæ, & consequenter se habebit, vt genus, vel species respectu personæ, quod repugnat, quia sic persona haberet aliud genus, aut speciem, quàm natura, & haberet sua constitutiua, & seriem prædicatorum seorsum, quod est duo prędicamenta ponere in indiuiduis substantialibus, alterum naturæ, alterum personæ.

621 *Opinio Vasquez. & Suarez Refutatur.*

Resp. valdè inter se pugnare in hac parte Vasquez, & Suarez; ille enim contendit personam, seu subsistentiam non esse conceptum communem ad personas diuinas, qui ab ipsis abstrahat, & de eis quidditatiuè prædicetur. Ita docet hic disp. 130. c. 2. & disp. 158. c. 7. Suarez verò lib. 1. de Trinit. c. 3. sentit dari conceptum communem personæ ad personas diuinas, illumque esse vniuocum, non tamen vniuersale generis, aut speciei, sed quasi transcendens, quem sequitur Ruiz disp. 35. sect. 1. num. 8. Valent. & alij. Alarcon tract. 5. disp. 4. c. 2. distinguit de persona in communi, quando prædicatur de personis particularibus sub hoc nomine persona vt dicendo hęc persona est persona, vel sub alijs nominibus, vt Filius est persona, Pater est persona, &c. Et primã dicit esse prędicationẽ essentialẽ, nec id negari a Vasq., eamq; esse mẽtem S. Th. q. seq. art. 4. & Thomistarũ, qui docent, personã esse communẽ per modũ vniuersalis quiditatiuè de tribus personis, vt suprà diximus. Addit tamẽ hanc prędicationẽ non esse proprie vniuocam, non analogã, sed quasi analogam, sentiens in hoc cum Ruiz vbi supra sect. 3. secundam verò prędicationem dicit etiam esse essentialem, & non denominatiuã, seu accidentalẽ, in quo contra Vasq. se sentire dicit, non tamen esse vniuocam prędicationem, sed quasi analogam.

622 *Resp. Nomen Personæ esse cõmune Communitate rationis, sicut indiuiduum vagũ.*

Nos resolutionem huius habemus apud D. Th. q. 30. art. 4. vbi inquit, quod persona est nomen commune communitate rationis, non sicut genus, aut species, sed sicut indiuiduum vagum, vt aliquis homo. Aduertit tamen Caiet. in commentario illius art. & benè; quòd cùm dicitur, Pater est persona, licet ly *persona* comparatiuè ad naturam Patris, & ad Deum se habeat, vt modus, & vt indiuiduum vagum, tamen respectũ illius subiecti, scil. respectũ Patris, essentialis prędicatio est. Tum ratione communi, quia modus subsistendi, essentialis est singularibus substantię; tum ratione speciali, quia persona diuina significat relationem, & hęc prędicatur essentialiter de paternitate. Sed hęc 2. ratio non multum viget, quia relatio prædicat ipsum genus relatiuũ, quod de relationibus paternitatis, & filiationis prædicatur, quasi de specie diuersis, magisque prædicat naturã, seu formalem quiditatem relationis, quàm modum singularitatis, vel personæ.

Quapropter reijcienda est futilis illa distinctio de prædicatione personæ vt sic de tribus personis sub nomine personarũ, vel sub nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Quid. n. magis inter est nomine Patris nominare subiectũ illius propositionis, quã nomine primæ personæ, vel huius personę? sicut idẽ est dicere Petrum, vel hunc hominem designato Petro: Petrus enim, & hic homo ęquipollent, & pro eodẽ supponunt, & quidquid essentialiter prędicatur de hoc homine, essentialiter dicitur de Petro. Ergo si persona essentialiter dicitur de hac persona sub nomine personę, vt dicendo. Hæc persona est persona, prima persona est persona, etiam essentialis prędicatio erit, Pater est persona. Filius est persona, quia Pater essentialiter pro eodem supponit, atque prima persona, vel hęc persona. Et hoc solùm est variare nomina dicendo; Patrem, vel primam personam; quoad rem enim idem sunt. 623 *Reijcitur illa distinctio; de prædicatione personæ, vt sic, de tribus personis: vel sub nomine Patris &c.*

De prędicatione vero ipsa, an sit vniuoca, vel analoga, vniuersalis, vel particularis; essentialis, vel accidentalis, dicimus directè, & proprie nullam horum esse, sed reductiuè pertinere ad speciem, seu ad vniuersale vniuocum, aliquid tamen participare de transcendentali, & modo analogo, & simpliciter essentialem esse. Hoc totum includitur in illa resolutione D. Th. quod non prędicatur, tanquàm genus, vel species, sed vt indiuiduum vagum. Et pro eius explicatione aduerte, quòd persona, seu subsistentia non est per se in prędicamento, sed reductiuè, vt complementum, & terminus eius; sicq; prędicatio eius est reductiuè vniuersalis de illo prędicamenti. Similiter singulare, seu indiuiduum pertinet ad seriem prędicamenti per se, vt subijcibile, non vt prędicabile, nisi tantùm de vno. Si ergo ipsa ratio singularitatis accipiatur in communi, extrahitur à recta serie, & linea sui prędicamenti, seu à loco, quem in illo sortitur, & sic non mirum, quòd non prędicetur, vt genus, vel species, aut sicut commune, & vniuersale directè, sed reductiuè. 624 *Prędicatio autem hęc solùm reductiuè pertinet ad vniuocam, non verò propriè, & per se*

625 *Prob. quia modus iste personalitatis non pertinet directè ad prædicamentum, nec illud per se cõstituit.*

Ex hoc ergo probatur, hanc prędicationem, qua indiuiduum, vel persona prędicatur de hac, vel illa persona, non esse directè, & per se prędicationem generis, vel speciei, aut vniuocam, vel vniuersalem, sed solùm reductiuè, quia iste modus indiuiduationis, & personalitatis non pertinet directè ad prædicamentum, nec illud per se constituit; ergo nõ potest, nisi reductiuè importare rationem communem, & vniuersalem, non vero per se; sicut etiam differentiæ possunt concipi in communi, vt rationale in communi ad hoc, & illud rationale, & sensitiuum ad hoc, vel illud sensitiuum. Nec tamen habent rationem generis, aut speciei, quę per alias differentias contrahatur, sic enim esset abire in infinitum, cùm illæ differentiæ cõtrahentes rursus cõtrahentur per alias, & illæ aliæ per alias; & sic in infinitum, sed quælibet differentia est conceptus simplex, qui non resoluitur in genus, & differentiam. Indiuiduatio autem differentia quædam est, & personalitas, seu subsistentia est terminatio huius indiuiduationis, & ad lineam indiuiduationis pertinet. Non ergo erit per se vniuersale, aut vniuocum, tanquàm genus, vel species abstrahens à differentijs, & cõtrahibilis per illas: hoc. n. eodẽ modo repugnat in indiuiduatione, sicut in alijs differentijs, quia & ipsa indiuiduatio differentia quædam indiuidualis est.

Petr.

626 *Petes 4.*

Resp. esse commune ad modũ transcendentis; sed non perfectè analogum.

Petes. Quomodo ergo concipiatur conceptu cõmuni, & quid est reductiuè esse vniuersale, esse genus, aut speciẽ?

Resp. esse communem ad modum transcendentis, sed non perfecte analogum, neque perfecte vniuersale vniuocum; dupliciter enim aliquid concipitur conceptu communi. Vno modo per totalem separationem ab inferioribus, & ab eorum differentijs, sicut genera, & species prędscindunt à differentijs, quibus contrahuntur ad sua inferiora. Alio modo concipitur aliquid conceptu communi, non per totalem separationem, & pręcisionem ab inferioribus, sed includendo, & retinendo illa actu, non tamen exprimendo, & explicando omnia, quę ibi in illo obiecto sunt, quia talis conceptus non omnia potest complecti, aut non vult, sed considerat rem aliquam sub aliqua confusione, & non sub omnimoda expressione. Et sumitur iste modus pręscindendi penes confusum, & explicitum, non penes diuersarum rerũ, seu obiectorum separationẽ, & cõstat tum ex his, quę accidunt in sensu, tum in intellectu. In sensu quidem: nam videmus aliquando aliquid à longe sub quadam confusione, & non discernendo omnia distinctè: cùm verò accedit propè, distinguimus, & discernimus eandem rem; & quando in confuso cognoscebamus, res illa non in abstracto, & in potentia continebat id, quod postea cùm expressione cognoscitur, sed totum illud in actu ibi habebatur, sed non omni modo, & distinctè exprimebatur attingendo, & complectendo sigillatim omnia, quæ ibi sunt.

Iste modus pręscindendi sumitur penes confusum, & explicitum cõceptam: non penes diuersos.

627 *Transcendentia non possunt pręscindere ab inferioribus.*

Similiter transcendentia non possunt pręscindere ab inferioribus, remanendo in potentia ad inferiora, siquidem etiam includuntur in illis, & ità nunquam possunt perfectè ab illis segregari, sed solùm dicitur præcisio, quia est confusa cognitio omnium in illa ratione communissima entis, quę postea explicatur, & exprimitur in inferioribus singula cognoscendo. Et attributa diuina, cùm sint actus purus, vnum non est in potentia ad aliud, sed actu est vnumquodque, quia tamen conceptus noster non valet totum, quod est in illo obiecto penetrare, separat vnum attributum ab alio, idest exprimit vnius formalitatem tantùm, relinquendo alteram ibi actu inclusam, sed in confuso attactam, & sic ab actuali explicatione præcisam, non ab actuali inclusione.

628 *Personalitas non concipitur per conceptum totaliter pręcisum ab inferioribus, & qui maneat in potentia.*

Igitur singulare, seu indiuiduum, seu differentia indiuidualis, & similiter persona, seu subsistentia, quæ est incommunicabilis terminatio indiuidui, non concipitur in communi per conceptum totaliter præcisum ab inferioribus, & qui maneat in potentia, vt per additionem differentiæ inferioris contrahatur, sed solùm per conceptum ipsiusmet singularis, seu singularitatis in confuso, qui tamen determinatur per expressionem ipsius singularis, vt designati: & determinati, sicut dicit D.Th. hic qu.30. art.4. quòd *Indiuiduum in communi, seu indiuiduum vagum dicit modum singularitatis, scil. quòd sit subsistens distinctum ab alijs, sed in nomine singularis designati significatur determinatum distinguens: vt in nomine Socratis hæc caro, & hæc os.* Conceptus ergo singularis in communi, & in particulari est penes confusum, & determinatum, scil. repræsentare rationem singularis subsistentis, sed nondum explicitè designare, ità quòd in conceptu singularis in communi includitur actu hoc, & illud singulare, sed nondum explicatur designatè, sicut quod videtur à longè, videtur in confuso, sed nondum explicitè determinatur, licet actu includat illud. Et hoc ob duplicem rationem, tum quia indiuiduatio, seu singularitas habet se, vt differentia vltima: conceptus autem differentiæ non contrahitur per aliam differentiam, nec est resolubilis in duos conceptus, alterum genericum, alterum differẽtiale, ne sit processus in infinitum, vt diximus. Non potest ergo singularis abstrahere ab hac, & illa singularitate, quasi conceptus contrahibilis per additionem differentiarum, sed vt conceptus magis confusus, vel magis expressus eiusdem simplicis differentiæ. Tum quia quando concipitur singularitas in communi, non restat alia principia indiuiduationis ad designandum, & contrahendum illud singulare, & ad singularizandum ampliùs; ergo iam in illo conceptu singularitatis includebatur actu hoc singulare, quia principia indiuiduationis eius ibi includebantur, sed nondum designatio exprimebatur. Quare conceptus ille communis se habet, vt transcendens, seu per modum conceptus differentiæ, qui non est resolubilis in duos conceptus, alterum genericum, alterum differentialem, sed eodem conceptu concipitur in communi penes conceptum confusum, & in particulari penes magis determinatum, & explicitum.

629 *Conceptus ille communis se habet per modum transcendentis.*

630 *Petes 5.*

Resp. neg. quia analogum attributionis requirit inæqualitatem in participantibus illud.

Quæres, *An sit analogum?*

Resp. Non esse, quia analogum requirit inæqualitatem in participantibus illud, ità vt in vno sit simpliciter, in alio secundum quid, in vno per attributionem, & denominationem, in alio essentialiter. Singulare autem, seu singularitas in communi, non respicit inferiora, scil. hoc, & illud singulare designatum, vt inæqualia, quia omnia singularia æqualia sunt, non solùm in natura, sed etiã in singularitate, non vnum secundùm quid, & aliud simpliciter. Habet tamẽ modũ analogi proportionalitatis, quãtùm ad hoc, quod est includi in inferioribus, & per modũ transcẽdentis se habere ad omnes modos inferiores: sed quia illa inferiora nõ sunt inæqualia, nõ peruenit ad rationẽ analogi attributionis. Quod autẽ diximus de singularitate, eodẽ modo dicimus de persona, quę est terminatio singularitatis, & à fortiori dicimus de personis diuinis, quia personæ diuinæ sunt omnino ęquales, & ità licet persona diuina in cõmuni includatur intime in ipsa determinatione, & differẽtia inferiori, quia tamẽ inæqualitatẽ non habent, nec ipsa ratio communis inæqualitatem facit, analogum attributionis non est.

631 *Instabis.*

Resp. illas personas esse primò diuersas in esse, sed in oppositione.

Nec obstat, quòd illę personæ determinatæ, seu singularia sint primo diuersa, quia sunt primo diuersa, vt omninò æqualia in esse, & solùm in oppositione correlatiua primo diuersa, & ità ratio communis inæqualitatem non causat, quod est nõ esse analogum, sicut ens respectu Petri, Pauli, seu duorum indiuiduorum eiusdem speciei nõ est analogum in esse, quia inferiora in esse sunt omnino æqualia; & ideo iste conceptus communis singularitatis habet aliquid de analogo, inquantùm se habet, tanquàm transcendens, & aliquid de vniuoco, vt dicit inferiorum æqualitatem, & ità reductiuè est vniuersale vniuocum, non simpliciter.

Persona in cõmuni est conceptus essentialis.

Quòd verò sit conceptus essentialis persona in communi, & indiuiduum in communi respectu huius, & illius, ex dictis manet probatum, quia est prædicatum quidditatiuum persona in communi, respectu huius, & illius personæ, siquidem est formale constitutiuum eius, & prædicatum intrinsece, & necessario connexum: nec enim potest definiri, aut concipi constituta hęc persona, & hoc singulare, nisi includendo personam in communi.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum nomen personæ sit ponendum in diuinis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Nomen Personæ est ponendum in diuinis. Prob. Persona significat, quod subsistit in natura rationali, quod profectò est in tota natura perfectissimum; diuina essentia continet omnem perfectionem, ergo nomen personæ est ponendum in diuinis.

Arg. 1. Quod ponitur in diuinis, debet esse nobis expressum in Sacra Scriptura, ex Dion. cap. 1. de diu. nom. sed nomen personę non

non exprimitur in Sac. Scrip. ergo. Resp. dist. ma. expressum in scriptura, vel secundùm nomen, vel secundùm id quod per nomen significatur; conced. ma. Res .n. quæ per nomen personæ significatur, est expressa in Scripturis.

Arg. 2. Nomen Personæ videtur traductum ex his personis, quæ in Comœdijs, tragœdijsque homines repræsentant. ergo. Resp. significatum huius nominis personæ esse duplex, scil. illud à quo nomen personæ est impositum, & illud, ad quod est impositum: licèt enim traductum fuerit ab his, qui aliquid in Comœdijs repræsentabant; fuit autem impositum ad significãdum eos, qui in Comœdijs repræsentabantur, v. g. Reges, & magnates, & personas dignas, & quia maximè dignitatis est, subsistere in natura diuina, ideò nomen personæ excellentissimo modo conuenit Deo.

Arg. 3. Hypostasis significat id, quod subijcitur accidentibus, ergo. Resp. nomen hypostasis, licèt quoàd id, à quo nomen imponitur, significet, substare accidentibus; quoàd id verò, ad quod nomen est impositum, significat rem subsistentem, & hoc modo, est in Deo.

Arg. 4. Deus non discurrit, ergo non est rationalis substantia in Deo non est materia; ergo non potest dici indiuiduus: substantia est, quæ substat accidentibus, ergo. Resp. Rationalis substantia, potest significare quamcumque naturam intellectualem, idem ly indiuidua, potest significare incommunicabilitatem: item ly substantia, potest significare id, quod per se existit, & in hoc sensus Deus est rationalis naturæ indiuidua substantia.

DISPVTATIO CLXXI.

Vtrum nomen personæ sit ponendum in diuinis?

632 Prima Concl. Nomen Personæ non conuenit Deo quantùm ad id, à quo impositum est, patet ex dictis sup. disp.

PRima Conclus. *Nomen personæ non conuenit Deo quantùm ad id, à quo impositum est nomen. Ità hic ad 2. quod S. Thom. optimè probat ex huius vocis ethymologia, quam tradit Boetius lib. de duabus naturis circà prin. col 3. dicens*, Nomen personę traductũ ex his, quę in comœdijs, Tragœdijsq; ad significandum eos, quorum intereſt, homines repręsentabant; Persona verò dicta est à personando, & à sono, quia concauitate ipsa, *nimirum illius confictæ faciei, seu laruæ, qua prædicti Comœdi, seu Tragœdi vultum obtegunt, vt alios repræsentent*, Maior necesse est voluatur sonus: *ad cuius magnitudinem exprimendam, producimus mediam personæ syllabam, quæ alioqui breuis esse deberet, quia sonus, à quo deriuatur: primam syllabam breuem habet.*

633 Ipsa larua dicitur persona, quia impositum est huiusmodi nomen à personando.

Hinc factum est primò, vt ipsamet larua diceretur persona, vndè personati dicuntur, qui huiusmodi personis tecti sunt. Factum est secundò, vt persona diceretur etiam ipsamet externa hominis, etiam non personalis facies, siuè alterius rei corporeæ apparentia. In quo sensu Patres Niceni Concil. lib. 2. c. Cum sit copiosa, *per Leontium Episcopum ità respondent*, Cùm persona audimus, *quòd nomen immediatè ante Deo tribuerant*, ne suspicemur, quod est diuinum, habere humanam effigiem. *Quam significationem statim probant ex illo Matth.* 16. Faciem Cœli diiudicare nostis. *Grecè enim legitur prosopon, & teste Boetio in fine columnæ cit.* Idem est prosopon esse, quod personam. *Et antea dixerat*, Greci quoque has personas prosopa vocant ab eo, quod personantur in facie, atque ante oculos obtegant vultum. *Probare etiam possumus, quia quod Marci* 12. *dicitur*, Nec enim vides in faciem hominum, *Matth.* 22. *dicitur*, Non enim respicis personam hominum.

634 Hinc factum est, vt illustriores homines, vocarentur personæ: vt persona Papæ, &c.

Factum est tertiò, vt illustriores quidam homines, seu notiores, quorum, *inquit Boet. suprà*, certa, pro sui forma esset agnitio, *vocarentur persona, vt persona Papæ, Regis, &c.* Quia enim, *inquit S. Thom. ad 2.* in Comędijs, & Tragędijs repręsentabantur aliqui homines famosi, impositum est hoc nomen, Persona, ad significandum aliquos dignitatem habentes. Vnde consueuerunt dici personę in Ecclesijs, quę habent aliquam dignitatem. Propter quod quidam difiniunt personam, dicentes, quòd persona est hypostasis proprietate distincta, ad dignitatem pertinente.

Factum est etiam, vt quęlibet hominũ qualitas, seu status, diceretur persona.

Factum est quartò, vt vniuersaliùs quelibet hominum qualitas, seu conditio, seu status diceretur persona, in quo sensu interrogantibus de aliquo, quænam persona sit? Respondere solemus, magnam, paruam, doctam, pauperem, coniugatam, &c. Et sumere videtur scriptura, cum docet, Deum non esse acceptatorem personarum, *vt Actorum* 16. *ad Rom.* 2. *ad Ephes.* 6. *Deuter.* 10 *& cum personarum acceptionem nobis prohibet, vt Iacob.* 2 *Deuter.* 1. *Certum est autem secundum omnes, illas ethymologias, & acceptiones, quæ inuoluunt aliquam corporeitatem, & imperfectionem, nomen personæ non posse de Deo dici. Quemadmodum etiam, vt dicitur hic ad* 3. Nomen hypostasis non competit Deo, quantùm ad id, à quo impositum est nomen; cùm non substet accidentibus: *nam ex Boetio suprà*, hypostases Gręci vocant, quę subsunt accidentibus.

635 2. Concl. nomen persona, quantùm ad id, ad quod significandũ imponitur; maximè Deo cõuenit.

Secunda Concl. Nomen personæ quantùm ad id, ad quod significandum imponitur maximè Deo conuenit. Ità S. Thom. hic ad 2. quod expressit Magnus Albertus 1. dist. 25. art. 1. corp. illis verbis, si inspiciatur proprietas rei, quę est persona, persona magis proprio est in diuinis, quàm in creaturis. *Prima ratio S. Thom. in corp. hæc est*, Persona significat id, quod est perfectissimum in tota natura, scil. subsistens in rationali natura; *ergo maximè tribuendum Deo perfectissimo. In Antecedente persona neque sumitur pro personalitate, vt Caietanus hic rectè omnes negant, quia perfectior est ipsa natura rationalis, quàm naturæ rationalis personalitas, neque sumitur pro natura rationali, simul cum personalitate, vt aliqui volunt, quia prædicto Anteced. non intendit S. Thom. probare de Deo naturam simul, & personalitatem, sed solam personalitatem, supposita natura.*

636 1. Ratio, quia sumitur pro natura rationali habente omnem substantialẽ perfectionem.

Sumitur igitur pro natura rationali habente omnem substantialem perfectionem, siuè omne substantiale complementum, quod in tota illa natura esse potest. Sed personalitas, siuè esse formaliter personam, quod vt in eodem Anteced. declaratur, non est aliud, nisi incommunicabiliter, & vltimatò subsistere in substantiali, ac rationali natura; ergo hoc personaliter subsistere non potest deesse Deo: alioquin ille non esset in tota sua natura quidquid perfectissimum, hoc est, habens omnes perfectiones pertinentes ad esse substãtiale illius Atque hæc est mens Caiet. hic §. ad horum *si benè perpendatur.*

637 2. Ratio sumitur ex solutionibus argumentorum.

Secunda ratio sumi potest ex solutionibus argumentorum, præcipuè quarti: quoniam personæ definitio Deo maximè conuenit, qui est substantia omnium nobilissima, & essentialiter vnica, ac proindè maximè singularis, & indiuidua. Illi quoque maximè, & infinitè supra omnes intelligentes creaturas, competit ratio, & intellectus ex qu. 14. *Demùm competit perfectissima ratio subsistendi incommunicabiliter, in qua pariter infinitè superat omnes subsistentes, quoniam non solùm ex propria natura infinitè subsistit; sed subsistentia essentialiter identificata cum natura, ac proindè subsistentia omnino inseparabili à natura.*

Diuina natura non potest separata propria persona-

Vndè prouenit, vt eius natura non possit separata propria personalitate communicari alteri supposito, à quo sustentetur, ac dependeat in subsistendo, vt de factò natura humana Christi communicata est suppo-

sito

litate cõmunicari alteri supposito.

sito Verbi: imò nec hanc dependentiam habere possit retenta propria personalitate. etiam in sententia probabili putantium, naturam creatam posse sumi, etiam cùm propria personalitate concomitanter, non formaliter; quia in persona diuina habente personalitatem simpliciter infinitam in genere personalitatis, proportionatam scilicet diuinæ naturę simpliciter infinitæ in genere naturæ, continentur eminenter omnes creatæ, & creabiles personalitates; quę deriuantur à personalitate diuina, cuius sunt essentiales participationes: ergo nulla alia indigere, à nulla alia pendere, ac terminari potest: ergo est maximè incommunicabilis; ergo res significata per hoc nomen, Persona, Deo maximè conuenit, hoc est priùs, veriùs, propriùs, atque perfectiùs.

638 3. Concl. Nomen personę quantùm ad modū significandi; non conuenit Deo, sed creaturę. Ratio, quia impositum est à creaturis finitis.

Tertia Concl. nomen personę, quantùm ad modum significandi, non competit Deo, sed creatis; hoc in particulari, notauit S. Thom. hic in fine corp. cùm enim probasset, personę nomini de Deo dici, ità limitauit: Non tamen eodem modo, quo dicitur de creaturis, sed excellentiori modo; *& in vniuersali probatum est suprà qu. 13. art. 6. Et ratio breuiter in præsenti materia est, quia cùm nomen personę priùs à nobis impositum sit creaturis finitis, & compositis, ex nostro modo concipiendi, ac significandi habuit, vt non modo infinito, ac simplici, quo modo persona conuenit Deo, sed contrario modo finito, & composito significaretur; ità vt persona ex modo significandi, & concipiendi idem sit, quod habens personalitatem finitam; quę modo conuenit solis creaturis: quoniam verò imperfectio huiusmodi non se tenet ex parte rei significatę, sed ex parte concipientis, & ipsiusmet vocis significantis, potuit nomen personæ, quoad rem significatam Deo propriè tribui. Ad prædictum modum significandi, non ad rem significatam, vt malè interpretantur Transyluani Hæretici apud Bellarm. in lib. 2. de Christo cap. 2. respexit Aug. cùm dixit lib. 5. de Trinit cap. 9 fine,* Cùm quæritur, *quid tres? magna prorsus inopia humanum laborat eloquium. Dictum est tamen, Tres personæ, non vt illud diceretur, sed ne taceretur, quia scil. nullum nomen à viatoribus impositū, quantumuis propriè significet res diuinas, potest eas perfectè significare secundum id, quod in se ipsæ sunt.*

639 Confirm. ex D. August.

Quem sensum ipsemet Aug. deindè exposuit lib. 7. cap. 4. paulò post princip. Cùm quæritur, quid tria? vel quid tres? conferimus nos ad inueniendum aliquod speciale, vel generale nomen, quo complectatur hæc tria, neque occurrit animo, quia excedit supereminentia diuinitatis, vsitati eloquij facultatem. Veriùs enim cogitari Deus, quàm dicitur, & veriùs est, quàm cogitatur. *Imò aliquantò post med. capitis tam de Græcis dicentibus, tres hypostases, seu substantias, & vnam vsiam, seu essentiam, quam de latinis dicentibus tres personas, & vnam essentiam, vel substantiam*, Fatemur, *inquit*, loquendi necessitate, partita hæc vocabula, cùm opus esset copiosa disputatione aduersum insidias, vel errores Hæreticorum.

640 Nefas igitur est de Deo negare nomen personę.

Nefas igitur est de Deo negare nomen personæ, quòd, teste Riccardo, Ecclesia Catholica ex inspiratione Spiritus Sancti admittit in Deo, vt ex multis Concilijs, & Patribus ostendit Molina hic disp. 1. &. Quod attinet. *Enim verò, vt docet S. Thom. de potent. qu 9. art. 4. aliquantò post princip. corporis*, Non absque ratione, ex propria significatione nominis sumpta, Sancti Patres diuinitùs inspirati, hoc nomen, *nempè persona*, inuenerunt ad confusionem veræ fidei exprimendam.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum hoc nomen, Persona, *significet relationem.*

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Persona in diuinis significat personam, vt subsistentem, Prob. quia cum omnis distinctio in diuinis sit per relationes originis, omne distinctum in diuinis, erit distinctum per relationes originis. Et cùm Relationes in Deo non sint sicut accidens in subiecto inhærentes, sed idem cùm diuina essentia, & cùm eo, quod in natura subsistit; propterea, sicut diuina essentia, & diuinum suppositum est subsistens; vt potè, quæ non est aliud à subsistente in diuina natura, sed nomen personę significat subsistens in diuina natura; ergo &c.

Arg. 1. ex Aug. 7. de Trinit. cap. 6. Persona Patris dicitur ad se, & non ad Filium; ergo. Resp. illud, quod dicitur ad se, & non ad aliud, licèt non significet relationem per modum relationis, potest tamen significare relationem per modum substantiæ, & sic persona in diuinis, significat relationem.

Arg. 2. Per nomen personæ respondetur ad interrogationem factam per quid, ex Aug. 7. de Trinit. cap. 9. ergo. Resp. neg. conseq. quia, quid, non solùm quærit de substantia, sed etiam de composito, vt si quæratur, quid natat in mari? Respondetur, Piscis.

Arg. 3. Definitio personæ est, quod sit rationalis &c. ergo nomen personæ significat substantiam. Resp. neg. conseq. nam per indiuiduam substantiam in Deo, intelligitur diuina relatio, quam significat nomen personæ, per modum subsistentis.

Arg. 4 Nomen personæ in creaturis significat absolutum; ergo si in Deo significat relationem, dicitur æquiuocè de Deo, & creaturis. Resp. neg. seq. quia licèt non dicatur in Deo, & creaturis secundùm eandem rationem, non tamen sequitur quod dicatur æquiuocè, quia communis ratio personæ reperitur in Deo, & creaturis, sed quia diuersimodè reperitur, ideò dicitur Analogicè.

DISPVTATIO CLXXII.

Vtrum hoc nomen, *Persona*, communis creatę, & increatę, significet relationem.

641 Aliorum opiniones referuntur.

Quamplurimi, ac diuersi, saltem verborum diuersitate, præsertim apud Antiquos, sunt dicendi modi de significatione huius nominis, Persona, *quos refert hic S. Thom. & fusiùs 1. d. 23. quæst. 1. art. 3. & de potent. quæst. 9. art. 4. Omnis autem controuersia, ac difficultas orta videtur ex duobus, vt sapienter adnotatur hic initio corp. Primò,* Quod persona in diuinis pluraliter de tribus prędicatur, preter naturam essentialium nominum, quę sunt absoluta.

Nomen personæ vt sic, an sit absolutum?

Secundò, quòd nomen personæ, non ad aliquid dicitur, sicut nomina, quę relationem significant: *ac proindè est nomen absolutum, & commune tribus personis; sicut nomen Deus, sapiens, & similia. Quæ duo in speciè pugnare videtur: Quod enim in diuinis est pluraliter dictum, ac multiplicatum; ergo non est absolutum, sed relatiuum. Quòd verò est commune, ergo non est relatiuum, sed absolutum. Sed quoniam lis est de nomine, non de re, eam breuiter componam nonnullis conclusionibus distinctè, & clarè propositis,*

642 Prima Concl. Nomē personę pro vt cōuenit Deo, & creaturis est quid analogū.

Prima Conclus. Nomen personæ simpliciter, prout commune est Deo, creaturis, nimirum communitate non vniuoca, sed analogia, cùm nihil vniuocè de Deo dici possit, & de creaturis, *vt docet S. Thom in fine huius art. quàmuis sit absolutum, quoad vocem, tamen quoad significationem, neque importat aliquid*

absolu-

absolutum, neque relatiuum. Hoc indicat S. Thom. circa medium corp. illis verbis, Aliud est quærere de significatione huius nominis, Persona in communi; & aliud de significatione personę diuinę. Persona in communi significat substantiam indiuiduam rationalis naturæ, & post nonnulla Persona diuina significat relationem: Si persona ex eo, quòd sit talis, nempè diuina, habet significare relationem, ergo id non habet persona, vt simpliciter persona.

642
Prob. 2. quia persona, vt diuina, significat relatiuũ.

Præterea si persona, vt diuina non significat absolutum, sed relatiuum; ergo persona, vt persona non potest significare absolutum, quia nullum nomen commune, applicatum particulari amittit significationem, quam ex se habet. Probo igitur primam partem conclusionis, nempè ipsam vocem personæ esse absolutam, quia audito nomine personæ simpliciter, non intelligimus aliquid aliud distinctum à persona, sicut audito nomine Patris intelligimus Filium, & audito nomine Filij intelligimus Patrem; ergo non est nomen relatiuum, ergo est absolutum, quia non potest esse aliquod singulare nomen, quod neque sit absolutum, neque relatiuum, sicut in rebus ipsis nulla particularis, ac determinata res cogitari potest, quæ neque sit absoluta, neque relatiua.

643
Persona secũdùm D. Th. habet aliquid commune cũ nominibus absolutis.

Iuxtà hunc discursum, S. Thom. de potent. qu. 9. art. 4. initio corp. loquens de nomine personę ait, Hoc habet commune cum nominibus absolutis, quod de qualibet persona prędicatur, nec secundùm nomen ad aliud refertur. Et in hoc art. ad 1. Aug. dicentem lib. 7. de Trinit. cap. 6. paulò post princip. Neque in hac Trinitate; cùm dicimus personam Patris, aliud dicimus, quàm substantiam Patris. Ad se, quippe dicitur persona, non ad Filium, vel Spiritum Sanctum, sicut ad se dicitur Deus, & magnus, & bonus, & iustus, & si quid aliud huiusmodi: ità exponit, Persona dicitur ad se, non ad alterum, quia significat relationem, non per modum relationis, sed per modum substantiæ, quæ est hypostasis: quia scil. vt magis explicat 1. dist. 23. qu. vnica art. 3. ad 1. Augustinus attendit significationem personę, quantùm ad modum significandi, & non quantùm ad id, quod significatur: & ideo quàmuis significetur relatio, quia tamen significatur per modum substantię, ideo dixit, quod significat substantiam.

In hoc loquendi modo non spectari à D. Th. rem significatam; sed modum significandi.

In quo loquendi modo non spectari à SS. August. & Thom. rem significatam, sed modum significandi vocis, patet ex causali, quam ideò S. Th. facit paulò post ad 3. dicens, Persona, quia significat relationem, non per modum relationis, ideo non refertur secundùm nomen ad aliud. Significari igitur per modum substantiæ, & non per modum relationis, est significare quidem relationem, tamen non voce relatiua, sicut dicitur, v. g. Pater, sed voce absoluta, quo modo significatur substantia, sicut dicitur v. g. Deus. Quatuor enim modos significandi in diuinis distinguit cit. artic. 3. fine. Primò significandi absolutum per modum absoluti, vt Deus. Secundò, relationem per modum relationis, vt Pater. Tertiò, absolutum per modum relationis, vt potentia generandi. Quartò, relatiuum per modum absoluti, vt persona.

644
Prob. 2. pars Conclus. quoniã persona significat quid cõmune personę createę, & increatę.

Prob. secundam partem conclusionis, quòd scil. res significata, neque sit absoluta, neque relatiua; quoniam persona significat quid commune personæ creatæ, quæ est absoluta, & personæ diuinæ, quæ est relatiua; ergo neque potest significare quid absolutum, neque quid relatiuum; quia tunc absolutum significatum non posset conuenire relatiuo, neque significatum relatiuum conuenire posset absoluto. Quod intelligendum est de significatione explicita, alioqui cùm persona analogicè conueniat Deo, & creaturis, & analogum non perfectè præscindat à suis inferioribus analogatis, persona significabit implicitè vtrum analogatum, & absolutum creatum, & relatiuum diuinum; sicut ens implicitè in se continet, ac significat substantiam, & accidens, absolutum, & relatiuum, licèt nomen entis, quoad vocem sit quid absolutum, sicut dictum est de nomine personæ.

De hac implicita significatione intelligo S. Thomam de potent. quæst. 9. art. 4. initio dicentem: Videtur, quòd vtraque significatio, & relatiui, & absoluti, pertineat ad personam. Deindè multis explicat, ac docet, hanc significationem præscindentem, qua nomine personæ communis Deo, & creaturis, significatur substantia indiuidua naturæ rationalis, esse formalem; significationem verò talis personæ, vel diuinæ, vel humanę, esse materialem. Vbi nullum latet mysterium, nisi in modo loquendi. Terminos enim ipse ità explicat: sciendum, quod aliquid significatur dupliciter; vno modo formaliter, alio modo materialiter. Formaliter quidem significatur per nomen, id ad quod significandum est principaliter impositum, quod est prima ratio nominis. Materialiter vero significatur per nomen, illud in quo talis ratio saluatur. Vndè colligit, quòd nomen personæ communiter sumptum, significet formaliter aliquid subsistens in natura aliqua rationali, siuè diuina, siuè creata, quia hæc est propria ratio nominis absolutè probati, materialiter verò significet subsistentiam absolutam in creatura, & subsistentiam relatiuam in Deo, quia in his particularibus saluatur, & inest propria illa ratio nominis absolutè prolati.

Implicitè persona, vt sic, vtrumq; significat, scil. absolutũ, & relatiuum.

645
2. Conclusio. Nomẽ personę in communi significat duo distincta; nempe personalitatem; & naturam.

2. Conclusio. Nomen personæ in communi, significat duo distincta, saltem ratione ratiocinata, nempè personalitatem, & naturam rationalem; Quod manifestum est ex communi omnium conceptione, qua nomine personalitatis intelligimus aliquid abstractum à natura, & nomine personæ intelligimus aliquid aliud concretum, & quasi compositum ex natura, & personalitate. Quod nam autem ex his duobus sit, quòd formaliter, & magis principaliter significetur nomine personę, dico breuiter, esse personalitatem, non naturam. Eadem enim omnino ratio est de persona, quæ audientibus, multò magis explicitè imprimit personalitatis conceptum, vt formaliter afficientis, & præsupponentis naturam, quasi subiectum.

646
Subsistere, &c. tribuũtur personę nõ propter naturam; sed propter personalitatẽ.

Vndè ea, quæ propriè tribuuntur personæ, vt perfectè subsistere, esse vltimum complementum substantiale, esse terminum, esse incommunicabile alteri, à quo substantialiter proficiatur, addere aliquid suprà naturam, esse completum principij operandi, & similia, non tribuuntur personæ propter naturam, sed propter personalitatem; adeò vt sicut Philosophus similibus rationibus motus, in Prædicamentis capite de substantia post med. dixit, nil aliud significat album, quàm qualitatem; ità nos dicere possimus, nihil aliud significat persona, nisi personalitatem, seu modum, ac rationem perfectè subsistendi. Quamuis enim verè significet, & naturam, & personalitatem, & ex his secundùm proprias rationes, re ipsa consideratis, quid multò principaliùs sit natura, quàm personalitas, nihilominùs intentio sapientum, qui hoc nomen adinuenerunt, & omnibus vsurpandum proposuerunt, non fuit significare naturam, quàm alijs vocibus significarunt, sed solùm fuit significare personalitatem, quam voluerunt significare in abstracto sine natura, sed in concreto in natura, & cùm natura, vt perfectiùs demonstrarent propriam, & adæquatam rationem ipsiusmet personalitatis, quæ ex sua formalitate habet non posse esse in re, nisi actu vnitã naturæ, siuè per omnimodam identificationem, vt in Deo, siuè per realem modificationem, vt in creatura. Itaque non spectata materialiter re significata, vt res quædam est, sed spectata formaliter, vt significata per nomen, iuxtà intentionem significantium, & nominantium hominum, & imponentium nominibus significationem, personalitas dici debet nomine personæ significari in recto formaliter, & primariò; natura verò in obliquo, & materialiter, & secundariò.

Persona significat personalitate non in abstracto; sed in concreto.

647
3. Cõcl. Persona diuina, in recto significat relationẽ; in obliquo verò essentiam.

3. Conclus. Persona diuina, seù nomen personę applicatum diuinis, significat in recto, & principaliùs, & formaliter diuinam relationem; in obliquo, & minùs principaliter, & materialiter diuinam naturam. Hęc sine dubio est mens S. Thom. hic post medium corp. ità concludentis, Persona igitur diuina significat

significat relationem,vt subsistentem: *& paulò post,* Persona significat relationem in recto, & essentiam in obliquo. *Et infra qu. 34. a. 3. ad 1.* In nomine personę includitur etiam natura obliquè. *Et benè probat ex definitione personæ,* Nam persona est rationalis naturę indiuidua substantia. *Significatum autem in recto est significatum formale, & principalius.*

D.Th. non est sibi cōtrarius: sed in vno loco tractat de relatione, vt est forma hypostatica; in alio; vt exercet respectū.

Neque aduersatur alijs dictis in quæst.9.de Potent. art. 4. cum circa finem corp. ait; Persona diuina materiali significatione significat relationem, vel relatiuum. *Nam immediatè ante iuxta hanc conclusionem dixerat,* Persona diuina, formali significatione significat distinctum subsistens in natura diuina: Et quia hoc non potest esse, nisi relatio,vel relatiuū, ideo materiali significatione significat ralationem, vel relatiuum. *Vbi acutè aduertendum est, significationem relationis per totum hoc nomen,* Persona diuina, *vocari materialem,non quòd non formaliter significetur simpliciter relatio, vt asserit hæc tertia conclusio; sed solùm quia non significatur relatio, vt relatio est, seu secundùm explicitum conceptum relationis, sicut significatur hoc nomine, v. g. Pater, sed vt subsistentia est, quia sub isto explicito conceptu relatio diuina habet, vt sit personalitas diuina: quælibet enim persona, vt formaliter, & explicitè persona, habet vt sit aliquid subsistens in natura intellectuali, siuè creata, siuè increata. & hoc tantùm complet formalem conceptum cuiuslibet personæ, vt est persona. Quod autem tota hęc ratio formalis in diuinis reperiatur in ente relatiuo, in creaturis verò reperiatur in ente absoluto, vocatur à S. Th. significatum materiale; non quidem respectū personæ diuinæ, vt formaliter diuina est, in quo sensu loquitur hæc conclusio, sed respectū personæ diuinæ, vt formaliter persona est,iuxta explicationem terminorum supra ab ipso traditam.*

648 Persona enim formaliter, vt persona est aliquid subsistēs.

649 Prob. Concl. quia diuina personalitas supra naturā, addit puram relationem.

Hæc Conclusio apertè sequitur ex præcedenti, posita certissima veritate, superiùs non semel inculcata, & inferius iterum inculcanda, quòd diuina personalitas nihil addat supra naturam absolutam, nisi puram relationem. Quo posito sic argumentor: Personę significatum in recto, & formale, ac primarium, est personalitas, non natura,vt probatum est Conclusione præced. sed personalitas in diuinis nihil est aliud, nisi relatio; ergo personæ diuinę,vt formaliter diuinę, significatum in recto, & formale, ac primarium est relatio diuina, non diuina natura.

Confirm.quia quæ tribuimus personis vt propria,illis conueniunt propter relationem.

Confirm. quia quæ diuinis personis, vt earum propria, omnes tribuimus, illi conueniunt propter relationem, non propter naturam: vt constitui in esse personali, distingui realiter, numerari, multiplicari, opponi. Hæc enim Patres expressè, ac passim ad relationes diuinarum personarum referunt, non ad naturam. Maximè omnium fauent Cyril. lib. 2. Thesauri c. 3. aliquanto post princip. illis verbis, Cùm non composita, sed simplex natura Deitatis sit, nunquam in plures personas distingueretur, nisi quędam inueniretur differentia, non secundùm essentiam, sed secundùm relationem, & quasi extrinsecùs intellecta, per quam vtriusque persona, *hoc est Patris, & Filij,* in propria hypostasi constituitur. *Et Boet. & Anselm. & omnes Theologi illo axiomate, sola relatio multiplicat Trinitatem. Et, quod idem est,in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationum oppositio.*

650 4. Conclus. in diuinis persona significat relationé per modum substantiæ.

Quarto Concl. In diuinis persona significat in recto relationem per modum substantię, non quę est essentia, sed quæ est hypostasis. Alioqui si relatio sumatur, vt relatio est, seu per modum relationis, persona significat in recto essentiam, siue substantiam, & in obliquo relationem. Ita loquitur S. Th. hic circa finem corp. & ad 1. & de Poten. q. 9. art. 4. circa finem corporis. Quod paulò obscuriùs dictum, idem S. Th. in vtroque loco ita explicat. Persona diuina significat relationem, vt subsistentem. Et hoc est, significare relationem per modum substantiæ, quę est hypostasis subsistens in natura diuina; licet subsistens in natura diuina, non sit aliud, quàm natura diuina.

Quam explicationem ergo quidem ita declaro: Persona diuina significat in recto, & formaliter, ac principaliter personalitatem diuinam. Personalitas autem diuina potest considerari inquantùm est relatio, subsistens in natura diuina, seu relatiua subsistentia naturæ diuinæ; & sub isto conceptu manifestum est, relationem importari in recto, naturam in obliquo; & sumi relationem,non vt relationem simpliciter, sed vt relationem subsistentem, siue relationem non per modum relationis sed per modum substantiæ, hoc est, relationem, non secundum esse exercitum explicitum. Ad aliud, *seu terminum realiter distinctum. sed secundùm explicitū esse in,vel quasi in subiecto, quod est ipsa natura, quę constituitur in esse personæ formaliter per relationem.*

Explicatur doctrina D.Th. de esse relatiuo,vel in actu exercito, vel in actu significato.

Dub. 1. An pręter tres subsistentias relatiuas detur in Deo subsistentia absoluta.

Dub. 2. In quo soluuntur argumenta.

DVBIVM. I.

An præter tres subsistentias relatiuas detur in Deo subsistentia absoluta.

NE quęstio ista solùm reddatur de nomine, an videlicet illud, quod tribus relatiuis personis, & subsistentijs commune est in Deo, sit vocandum subsistentia, an non, supponimus, circa ipsam rem significatam nomine subsistentię quatuor considerari, seu inueniri. Primum est singularitas, quia res in vniuersali non subsistunt, sed secundę substantię medijs primis subsistunt,& substant. Secundum est incommunicabilitas, vt in supposito, seu persona, quę est totaliter, & completè subsistens, vbi inuenitur, sic naturam subsistere in supposito. quòd vlteriori termino, inquantùm sic suppositata, & terminata, communicabilis non est. Tertium est modus existendi per se, qui etiam solet vocari subsistentia, distinguiturque ab ipsa suppositalitate, vt incommunicabili, sicut videmus in anima rationali, quę est per se subsistens separata à corpore, nec tamen est suppositum,aut persona incommunicabilis, sed est forma vnibilis. Quartum est ipsum concretum naturę per modum habentis ipsam, quod est explicare naturam,non solùm per modum principij, *quo*,& per modum formę, qua aliquid constituitur, vt deitas, humanitas, sed etiam per modum *quod*, seu habentis naturam, vt Deus, homo; nam homo sumptus in cōmuni, & sine suppositis etiam est in concreto habens humanitatem.

651 *Nota 1. quatuor importare rem significatam nomine subsistentiæ.*

Primum,est singularitas. Secundùm, incōmunicabilitas, Tertium, est subsistentia. Quartum,ipsū concretum naturæ.

Igitur apud omnes primo certum est, quòd remotis subsistentijs relatiuis, & considerata forma Deitatis secundùm se, est aliquid singulare, quia non est aliquid vniuersale,sed habent vnitatem singularem à parte rei, siquidem à parte rei est vnus Deus in tribus personis, vt docet fides. Vnitatem ergo singularem à tribus personis non habet,sed ex se vnus Deus singularis est: sicut ex se, & non à personis singulare, & determinatum esse habet. Secundo certum est, quod illa natura secundum se est existens existentia independenti ab omni alio extra se, imo est ipsum esse à se, & per se, cùm sit actus purus, de cuius formalissimo conceptu est existentia, & esse à se.

652 *2. Nota. Forma Deitatis, secundum se est aliquid singulare.*

Tertio est certum, naturam diuinam, seu hunc Deum secundùm se,& remotis personalitatibus relatiuis non esse suppositum, seu personam incommunicabilem, aliàs essent quatuor personę, imo essentia ipsa si esset persona incommunicabilis, non communicaretur tribus relatiuis personis, sed esset opposita illis: & sic ipsæ personę relatiuæ non essent Deus, nec diuinæ, quod est hæreticum. Vndè rectè Eymericus 2. parte directorij q. 2. art. 7. & 12. erroris damnat assertum illud, quod attribuitur Raymundo Lullio, nempè quòd hic Deus, seu Deitas, sit quodnam suppositum, vel persona communis tribus personis, & D. Th. hic qu. 30. art. 4. infert pro magno inconuenienti, quod in Deo sit vna persona trium personarum,sicut vna essentia:

3. Nota. Hic Deus, remotis personalitatibus, non est suppositum.

P &c quæst.

& quæst. 40. artic. 3. docet, quòd remotis proprietatibus personalibus, non remanet hypostasis, seu persona in diuina natura.

653 *Explicatur status Quæstionis: An remotis personalitatibus essentia sit principiũ* quo; *an verò* quod.

His ergo, tanquàm certis, stantibus remanet difficultas, an id, quod accipitur remotis personalitatibus in Deo, seu id, quod est commune tribus personalitatibus ex vi sui formalis conceptus deitatis, & essentiæ non solùm sit essentia significata per modum naturæ, & formæ, seu vt principium *quo* ipsius Dei, sed etiam sit essentia significata per modum, *quod*, & vt concretum subsistens quantum ad rationem per se existendi, ità vt hæc perfectio per se existendi non sit solùm radicaliter in essentia, & formaliter per subsequentem conceptum relationis, conueniat, sed formaliter in ipso conceptu deitatis includatur, ità quod hoc sufficiat, vt subsistens formaliter dicatur hic Deus, & hæc Deitas licèt non sit subsistens incommunicabiliter, sicut suppositum, & persona. Sicut etiam datur subsistens, quòd non sit persona, scilicèt anima rationalis, quia communicabilis est, licèt sit valde dissimile exemplum, quia anima non subsistit complетè, quia forma incompleta est, & indiget componere, vt pars cùm materia, & compositum resultet, & suppositum reddatur. At vero diuina natura non ex ratione formæ incompletæ, aut partis componentis communicabiliter subsistit, sed ex summa perfectione, quia includit intrà se formaliter genus relatiuum, quod sine pluribus relationibus stare non potest, & earum oppositione inter se debet vltimam terminationem sortiri, ipsis autem relationibus debet ipsa essentia identificari, atque adeò respectu illarum incommunicabilis esse non debet, sed per illas incommunicabilitatem sortiri, his prænotatis sit.

An sicut Anima rationalis est subsistens, & non est persona; ità sit, hic Deus.

654 *Conclus. datur in hoc Deo, cõmuni tribus personis subsistentia absoluta.*

Concl. datur in hoc Deo communi tribus personis singularitas, & subsistentia absoluta, quæ tamen communicabilis est tribus personis relatiuis, sunt plura loca, vbi id apertissimè docet S. Doct. vocans ipsam essentiam diuinam secundùm se, & remotis tribus personalitatibus subsistentem. Ità docet in 1. dist. 21. quæst. 2. art. 2. vbi inquit, quod *Iste terminus*, Deus, *prædicat naturam diuinam de tribus personis, quæ etiam in se est habens esse subsistens, nulla intellecta personarum distinctione*. Et in 4. contr. Gent. cap. 14. ad 5. inquit: *Essentia diuina, & si subsistens sit, non tamen potest à relatione separari: huiusmodi autem relationes non sunt accidentia in Deo, sed res subsistentes: Deo enim nihil accidere potest, vt supra ostensum est: sunt ergo plures res subsistentes, si relationes considerentur, est autem vna res subsistens, si consideretur essentia. Et propter hoc dicimus, vnum Deum esse, quia est vna essentia subsistens, & plures personas propter distinctionem subsistentium relationum*. Et concludit: *Non ergo dicenda est vna persona propter vnitatem essentiæ subsistentis, sed plures propter relationes*. Et in 3. dist. 6. quæst. 2. art. 1. ad 2. sic inquit: *Aliud est de Deo, & de omnibus alijs rebus, quia in Deo ipsa essentia subsistens est. Vndè sibi secundùm se debetur esse, immo ipsa est suum esse subsistens*. Quæ loca manifestè tribuunt diuinæ essentiæ subsistentiam, etiam independenter a tribus personalitatibus.

Prob. 1. Auth. D. Th. qui tribuit huic Deo, esse subsistens.

655 *Cõfirm. ex eodem S. Doct. asserente, diuinam essentiã secundùm se esse subsistens.*

Luculenter etiam rem hanc prosequitur D. S. in quæst. 9. de potent. art. 5. ad 13. sic inquiens: *In rebus creatis principia indiuiduantia duo habent, quorum vnum est, quòd sunt principium subsistendi, natura enim communis de se non subsistit, nisi in singularibus, aliud est, quòd per principia indiuiduantia supposita naturæ communis ad inuicem distinguuntur; in diuinis autem proprietates personales hoc solùm habent, quòd supposita diuinæ naturæ ad inuicem distinguuntur, non autem sunt principium subsistendi diuinæ essentiæ; ipsa enim diuina essentia est secundùm se subsistens, sed è conuerso proprietates personales habent, quòd subsistant ab essentia; ex eo enim paternitas habet, quòd sit res subsistens, quia essentia diuina, cui est idem secundùm rem, est res subsistens*; Et concludit; *Licèt autem diuina essentia secundùm seipsam, vt ità dicam, indiuiduetur quantùm ad hoc, quod est per se subsistere, tamen ipsa vna existente secundum numerum, sunt plura supposita in diuinis subsistentia secundùm numerum*. Ità D. Thom. qui locus manifestissimus est.

Occurrit autem Vasq. omnibus istis locis vnico verbo dicens disput. cit. cap. 1 quòd congerunt aliqui, innumera loca S. Thom. pro hac sententia, quę consulto prætermitto, quia ille vbique loquitur de actu existendi, quem appellat existentiam, seu esse. Addo, quod si hæc loca D. Thom. probant de subsistentia; vt distinguitur ab existentia, aut probant, in Deo esse personam absolutam, aut nihil probant. Patet hoc, nam quando D. Thom loquutus est de substantia propriè, & rigorosè dixit, quod in Deo datur substantia abstractis personalitatibus, illa erit persona; ergo quando negat, vnam esse personam absolutam in Deo, & ponit, diuinam essentiam subsistere, loquitur, non de subsistentia rigorosè, sed pro existentia. Mi. prob. expresso testimonio D. Th. in 3. p. qu. 3. art. 3. ad 1. vbi inquit, *Quidquid eorum, quæ attribuuntur Deo in abstracto secundùm se consideretur, alijs circumscriptis, erit aliquid subsistens, & per consequens persona cùm sit in natura intellectiua. Sicut igitur nunc positis in Deo proprietatibus personalibus, dicimus tres personas; ità exclusis per intellectum proprietatibus personalibus remanebit in consideratione nostra diuina natura, vt subsistens, & vt persona*. Qui locus satis manifestus est, & vrgentior cæteris, quia est ex summa Theologiæ, vndè postremam D. Th. determinationem accipimus.

656 *Euasio. Vasq.*

657 *Reiicitur nam expressè D. Th docet: diuinam essentiam esse suum esse subsistens.*

Ad Vasq. Resp. responsionem illam ità generalè minus accuratam esse pro tot locis D. Th. in quibus ità expresse loquitur de natura diuina subsistente independenter à relationibus, vt mirum sit velle Vasq. nobis obstrudere existentiam pro subsistentia in tam claris, & expressis verbis D. Th. nam expressè dicit, quòd diuina essentia est suum esse subsistens, vel habet esse subsistens; vbi si ly *subsistens* est idem, quod existens, sensus erit, quod Deus est suum esse existens, vel existentia existens, quod certè est inutilis repetitio. Præterea docet, quòd relationes sunt tres res subsistentes; & essentia est vna res subsistens, quod principium subsistendi ipsis relationibus est essentia; ipsæ verò relationes sunt principia distinguendi supposita. Quod non potest accomodari existentiæ, cum loquatur de eo, quod proprium est relationis, vt relatio est, & vt constituit suppositum, existentia autem non constituit in relatione suppositum, nec specialiter pertinet ad relationes, & personas, sed ad attributa, & ad operationes, & ad omnia, quæ in Deo sunt.

Item D. Thom. docet. Relationes esse tres res subsistẽtes; & essentiã esse vnam rem subsistentem.

Ad existẽtiam non pertinet cõstituere relationes subsistentes, sed existentes.

Nec ad existentiam pertinet constituere relationis subsistentes, sed existentes, seu extrà nihil, quomodo ergo de existentia loquitur, quando dicit, quod ex essẽtia redditur subsistẽtes relationes! Quomodo etiam dicit, quod licet essentia sit subsistens, non tamen est vna persona, sicut tres relationes, si essentiam subsistentem acciperet pro existente? ex eo enim præcisè, quod existens sit, nulla inuoluitur dubitatio, quod persona esse possit, magis quàm de quocumque attributo, quod etiam existens est. Sensus ergo est, quod D. Th. loquitur de subsistentia, vt distinguitur contra existentiam: de hac .n. dubitatio esse poterat, an sit persona, si est subsistens, quod de existentia non poterat dubitari. Ac deniq; intollerabile inconueniens est dicere, quod D. Th. qui tam formaliter, & ad normam scholasticę regulæ loquitur, ità abusiuè, & impropriè loquatur, vt subsistentiam sumat pro existentia, præsertim cùm S. Th. declarare velit, non solùm quod essentia sit existens, sed modum proprium talis existentię, nempè quod sit per se, quod est propriè subsistentia.

658 *D. Thom. in 3. part. loquitur de consideratione*

Ad id, quod additur ex loco 3. p. dicimus, S. Th. ibi loqui de consideratione naturę diuinę circũscriptis personalitatibus negatiuè, quia loquitur de ea præcisione, qua remaneret diuina essẽtia, sicut Iudęi illã intelli-

... diuinæ naturæ, circumscriptis personalitatibus, negatiuè.

intelligunt, & qui non habent fidem Trinitatis, vt dicit ibi solut. ad 2. & idem affirmat in 3. dist. 5. q. 2. art. 3. vbi eandem prorsus tractat difficultatem. Nō autem loquitur de essentia diuina considerata solùm præcisiuè, & secundùm id, quod habet ex se, cùm in alijs innumeris locis affirmat naturam sic consideratam, esse subsistentem.

659 *Confir. ex eodē loco D. Th. nostra doctrina.*

Imò si perspicaciter consideretur D. Th. mens in illo loco 3. p. potius ex illo confirmatur sententia dicta, quòd in Deum secundùm se datur subsistentia absoluta, tùm quia nō solùm de essentia, sed de quocumque attributo, & de quacumque re, quæ attribuitur Deo, dicit quod est subsistens, & suppositum, & persona, quia in Deo idem est *quo est*, & *quod est*. Et tamen constat, quòd attributa significata, vt propriæ quædam passiones, vt misericordia, iustitia, immensitas, potentia &c. non significantur, vt personæ incommunicabiles, & totaliter completæ, licèt sint subsistentes communicabiliter, vt *quid*. Non ergo sumit ibi personam pro subsistente incommunicabili; sed pro subsistente rationalis naturæ, siuè communicabiliter se habet, siuè non: dicit enim ibi D. Th. quod *Quidquid attribuitur Deo, est subsistens, & per consequens persona, quia est intellectualis naturæ*. Solùm ergo sumit personam pro subsistente naturæ intellectualis, & non amplius.

660 *Circumscriptis personalitatib. maneret natura diuina, vt subsistens, à proinde modò habet talē subsistentiam.*

Tum etiam, quia D. Th. loquitur de subsistentia diuinæ naturæ, qualiter maneret, si circumscriberētur personalitates relatiuę. Et dicit, quòd illis circumscriptis (scil. negatiuè) maneret natura diuina, vt subsistens, & persona, quia videlicet tunc non haberet relationes, quibus incommunicabilis remaneret, nec oppositionem inter se haberent tres personæ distinctæ; & sic per se ipsam esset incommunicabilis, & assumere posset ad se naturam humanam. Ergo modo illa natura habet tres personalitates, & talem subsistentiam, quæ tunc remotis illis esset persona, & pro illo casu, quo tollerentur personalitates, vocatur à D. Th. persona: ergo pro nunc subsistentiam veram, & propriam habet, non solùm existentiam, quia illam modò habet, quæ tunc esset persona, siquidem ipsa natura modo per seipsam est *quo*, & *quod*, vt ibi dicit solut. ad 1. & ex hoc habet esse subsistens: Modò ergo habet esse subsistens, quod tunc (scil. remotis relationibus) esset persona.

661 *Fundamentū ex ratione, quia diuina natura ex se, independenter à relationibus est actus purus, ac suum esse.*

Quòd esse diuinum, & diuina essentia ex sua absoluta ratione, & perfectione sit subsistens, & independens in ratione existendi per se à relationibus, probatur, quia diuina natura ex se, & independenter à relationibus est actus purus, & constituitur per ipsū esse, tanquam per prædicatum essentiale, & intrinsecum; ergo habet per se, esse independens, seu absolutum ab omni existentia in alio, siuè tanquam pars in toto, siuè tanquam accidens in subiecto. Patet Conseq. quia natura diuina nunquam potest concipi, vt pars, & multò minus, vt accidens, nec esse illius vt partiale, aut dependens à relationibus vt per illas, & ratione illarum esse naturæ reddatur perfectū, & independens, & per se, sed totam perfectionem existentiæ, & substantiæ habet à se, & ex prædicatis essentialibus, & quidditatiuis. Ergo si ex se, & ex vi generis absoluti, antequam intelligatur genus relatiuum in Deo, habet esse perfectissimum, & infinitū, & in actu puro, & indepēdenter à relationibus, quia habet illud, tanquàm prædicatum essentiale, & omne essentiale est anterius ad notionalia, & relatiua: consequenter illud esse absolutum antecedenter ad omnem conceptum relatiuum, est esse non in alio, nec tanquam pars, nec tanquàm accidens, quia vtrumque est conceptus imperfecti esse, & repugnat cum esse per modum actus puri, & perfectissimi, & à se.

662 *Antec. prob. quia per hoc diuinum esse à creato secernitur; quod illud est actus pur.; hoc vero potē...*

Antec. autem supra positum est per se notum, scilicet, quod diuina essentia per seipsam sit actus purus, & ipsum esse, cùm per hoc discernatur esse diuinum à creato, quod diuinum est ipsum esse à se, & omni carens potentialitate; nec est aliud diuina essentia, quàm ipsum esse, nec per alium conceptū, sed per seipsam essentialiter, & intrinsece est esse actus puri: nec enim per relationes essentia diuina habet esse, sed per ipsam relationes esse habent. Ex hac autem Conseq. quæ omninò indubitata est, sequitur alia non minoris certitudinis; ergo essentia diuina ex vi sui formalissimi conceptus, & antè conceptum relatiuum est subsistens. Patet ista Cōseq. quia conceptus, qui ex vi sua petit, & habet existentiam cum exclusione omnis modi imperfecti existendi in alio, siuè tanquam pars, siuè tanquàm accidens, ex eodem conceptu habet modum existēdi perfectè, & per se; & tanquàm *quod*, qui est modus subsistentiæ, quatenus subsistentia dicit modum existendi per se exclusiuum modi existendi in alio.

...tiale, ac compositum.

Conceptus, qui ex vi sua petit formaliter existentiam, cum exclusione omnis modi imperfecti existendi in alio, includit subsistentiam.

Nam impossibile est, illum conceptum, qui includit esse cum tanta perfectione, quòd excludit omnem modum existendi in alio, non includere modū existendi per se, quia modus existendi in alio excluditur à modo existendi per se, sed cōceptus essentiæ ante relationes includit esse, quia est actus purus, & excludit omnem modum existētiæ in alio; ergo idemmet conceptus includit modum existendi per se, & subsistendi. subsistere enim est esse per se.

663 *Euasio.*

Dices: Conceptum illum essentiæ non includere modum existendi per se formaliter, sed solùm radicaliter, & pro alio posteriori conceptu formaliter: pro illo autem conceptu nondum formaliter explicatur, neque modus existendi in alio, neque per se, sed formaliter, & quasi in quarto modo per se neutrum explicat pro illo signo, licèt radicaliter iam includat modum existendi per se, & radicaliter excludat modum existendi in alio: sed formaliter illū modum subsistendi habebit per conceptum relationum: nam relationes etiam ad Dei perfectionem pertinent; & sic non est inconueniens, quod sub aliqua præcisione nondum intelligatur essentia cùm ista perfectione modi existendi per se, sed solùm cùm conceptu ipsius esse, & essentiæ.

Explicatur magis Euasio.

Explicatur autem modus iste subsistendi in alio conceptu, sicut explicatur modus personalitatis incommunicabilis, & sicut in conceptu naturæ, & intellectualitatis diuinę nondum intelligitur actus volendi, licet sit perfectio intellectualitatis, sed sufficit, quod radicaliter contineatur in ipso intelligere. Et hac solutione eneruat opposita sententia omnia argumenta, quæ ex perfectione diuinę essentiæ deducuntur: fatetur enim subsistentiam pertinere ad perfectionem, sed negat debere formaliter explicari hanc perfectionem in omni conceptu, & præcisione, sed sufficit radicaliter contineri in conceptu essentiæ, explicari vero formaliter in conceptu posteriori personæ.

664 *Præcluditur. quia in formali conceptu essentiæ Dei non solùm radicaliter; sed etiam formaliter explicatur actus puri; ac proinde esse per se*

Sed contra hanc solutionem instauro argumentum, & confirmo (est enim in hoc totus cardo, & punctus difficultatis) quia in formali conceptu essētiæ non solùm radicaliter, sed formaliter explicatur ipsa existentia, & ipsum esse actus puri; ergo etiam explicatur modus essendi per se, qui est subsistentia. Prob. Conseq. quia in illo conceptu explicatur esse, seu existentia, vt essentiale prædicatum diuinitatis; ergo explicatur modus essentialiter conueniendi, quia conuenit in primo modo per se, & explicatur modus singularitatis, quia ille conceptus diuinæ essentiæ non est communis, sed indiuidualis, & singularis; ergo etiam explicat modum non existendi in alio, sed subsistendi per se, qui inter modos per se à Philosopho enumeratos est tertius. Patet hæc Cōseq. quia existētia in singulari cōceptu, seu cū modo singularitatis, & cū connexione essentiali, & per se, cum ipsa diuinitate, imo, quæ est ipsa diuinitas, ex vi talis cōceptus, & sine additione alterius habet summam independentiam ab alio conceptu posteriori, nec per illum explicatur aliqua eius maior indepēdentia, vt exerceatur, quia hoc ipso, quòd existentia per se, & essentialiter conuenit essentiæ, indepēdens redditur ab omni alio, vt conueniat, & exerceatur in ipsa essentia, & similiter explicatur in illo conceptu, non solùm radicaliter, sed etiam formaliter, quod ille conceptus sit actus purus, & infinitum esse.

Ergo non dep...

Ergo non dependet ab alio conceptu posteriori

det nō alio conceptu posteriori vt sit subsistens

vt formaliter sit subsistens,& explicetur modus subsistentiæ; Nam modus subsistentiæ, vt dicit hoc, quod est existere per se, non explicat alium conceptum,quàm modum singularitatis cum independētia ab alio in inexistendo,& in exercēdo ipsum esse; nam iste modus est modus existendi, non in alio, sed per se,hoc autem habetur formaliter per formalem conceptum ipsius esse,vt independentis,vt autē illud esse formaliter explicetur, vt independens,non debet expectare vlteriorem conceptum, sed sufficit essentialis connexio,& per se cum essentia, seu potius,quod ipsum esse sit essentia.

665 *Instabis.*

Instabis in ipsa personalitate,vt relatiua,& incommunicabili: nam etiam hæc pertinet ad existendi perfectionem,nec tamen conuenit ex vi conceptus essentialis,sed ex vi relatiui.

Resp. esse disparem rationem, quia essētia ex relationibus nō habet perseitatem,sed distinctionem.

Resp. esse disparem rationem, & valdè notandā differentiam, quia essentia ex relationibus non habet perseitatem,& independentiam in esse, sed distinctionem, & oppositionem incommunicabilitatis relatiuam. Non autem est conditio, aut prærequisitum ad habendum esse per se, & independenter ipsa relatio, & eius incommunicabilitas. Vndè ex incommunicabilitate non ponitur ratio existendi,nec eius perfectio,aut independentia crescit; sed ipse modus habendi existentiam per se, & non in alio pertinet ad modum perfectionis, & independētiæ intimæ ipsius existentiæ, quia non potest intelligi,vt plena, & perfecta, si est in alio. Et si est summe independens,& perfecta,non potest intelligi, nisi vt per se,nec indiget termino incommunicabili, vt per se sit,sed ipsa summa independentia,& essentialis connexio existentiæ cum essentia reddit illam per se,quia ad per se formaliter sufficit,non per aliud,nec in alio: esse autem cum summa independentia, summo modo,& formalissimè, excludit omne, quod est per aliud,vel in alio, quia illi sunt modi dependentiæ,& inferioritatis in esse: per se autem, & sine dependentia ab alio subiecto,vel composito,aut termino pertinet ad perfectionem ipsius esse, quia pertinet ad exclusionem modi imperfecti, qui est in alio.

666 *Confirm. quia Relatiua incōmunicabilitas; tantùm pertinet ad multiplicationē suppositorum.*

Relatiua autem incommunicabilitas,& distinctio non pertinet ad exclusionem imperfectionis, seu modi imperfecti existendi, qui est in alio, vel per aliud, sed ad multiplicationem suppositorum, & personarum. Multiplicatio autem personarum pertinet quidem ad fæcunditatem,& abundantiam perfectionis in ipsa deitate, sed non ad primum fundamentum perfectionis,quæ est per exclusionem imperfectionis,& ideo magis intimè pertinet modus perseitatis in existendo,quod est subsistere, quàm modus incommunicabilitatis,suppositi,seu personę, quod est sic relatiuè terminari. Et ideo subsistentia pertinet formaliter,& non radicaliter solùm ad primarium fundamentum essentiæ diuinæ,& ad ipsam intimam rationem existentiæ, vt summe independentis in esse,& vt actus purus est, quia esse per se directè,& formaliter non solùm radicaliter excludit imperfectionem existendi in alio, & per aliud; esse vero incommunicabiliter in pluribus relationibus pertinet ad puram rationem terminandi,& multiplicandi personas,in quibus est ipsa natura,quod pertinet ad abundantiam, & fœcunditatem. Prius est autem in re perfecta excludere omnem modum imperfectionis,quàm extendere,& multiplicare fæcunditatem.

667 *1. Corrolariū. Esse,seu existere à se, nō correspondet diuinæ essentiæ, vt est principium quo essendi sed vt est principium quod subsistens.*

Vndè deducuntur tria valdè notanda, quæ magis explicant vim solidam huius doctrinæ D.Th. Primū est,quod esse,seu existentia, vt sæpius dicit D. Th. est propria suppositi,seu subsistentis, quod adeò verum est,quod esse diuinum,quod est in Deo prædicatum essentiale, & conuenit ipsi naturæ diuinæ quidditatiuè,necessariò supponit rationem subsistendi in ipsa essentia, nec conueniret illi,nisi subsisteret. Itaque cùm natura,seu essentia diuina sit id, quo Deus est, & id,quod est per seipsum, & ab intrinseco; tamen ipsum esse, seu ipsa existentia, à se non correspondet diuinæ essentiæ,quatenus consideratur, vt principium quo essendi, sed quatenus consideratur, vt principium, quod subsistens. Et in doctrina S. Th. est solida consequentia,cui conuenit esse simpliciter, presupponitur conuenire subsistere, seu esse principium, quod,& habens modum per se existendi, atq; ita subsistentia non potest esse conceptus consequutus,& posterior ipso esse,sed antecedens, & præsuppositus,& sic si conceptui diuinę essentiæ conuenit formaliter,& non radicaliter ipsum esse, seu existētia, neque subsistentia conuenit radicaliter, & pro alio posteriori conceptu, sed antecedenter,& prærequisite, atque adeo à fortiori conuenit formaliter.

Ratio est,quia esse est prædicatum essentiale diuinitatis,non quomodocumque, sed vt perfectum, & independens, & in actu puro, ita quòd istæ conditiones perfecti,& independentis esse,non radicaliter solùm, sed formaliter habeantur,& concomitentur ipsum esse, quia formaliter, & non radicaliter est actus purus; inter istos autem duos conceptus, scil. formæ, vt quo,aliquid est,& formæ vt quod, est perfectius, & independentius, & formalius est habere esse, vt quod, quàm vt quo, siquidem esse, vt quo, ordinatur ad esse, vt quod: hoc enim simpliciter est. Vnde,vt esse intelligatur simpliciter,& perfectè, atq; independenter debet conuenire alicui,vt quod, & nō præcise respondere conceptui formæ,vt quo; vera est igitur hæc propositio,quòd esse,seu existentia,vt perfecta sit,& simpliciter,quā independēter dicatur aliquid esse,debet supponi,quòd se habeat, tanquam esse, quod,non vt ratio habendi,vt quo. Et sic modus subsistendi,seu habendi se,vt quod, præcedere,& prærequiri debet,vt aliquid habeat esse simpliciter, & perfectè, ita vt sit id, quod est, non id, quo est tantùm. 668 *Ratio est,quia esse est prædicatum essentiale diuinitatis; vt perfectum, independens, & in actu puro.*

Esse autem subsistenter,& esse vt, quod, idem est, quia id,quod est,vt quod, est per se,& non in alio; id autem, quod tantùm se habet, vt principium quo, existendi, ex vi talis conceptus, non excludit esse in alio,vel tanquam pars componens, vel tanquam accidens inhærens, quia omnia ista habent esse vt quo. Incipit autem discerni id,quod simplicit est ab eo,quod imperfectè est per hoc, quod est habere esse,vt quod. Cùm ergo in formali conceptu essentiæ diuinæ intret esse simpliciter, & perfectum, & quod est actus purus,in illo conceptu præsupponitur modus ipse, & ratio habendi, vt quod, seu subsistendi. *Esse subsistens, & esse vt quod idem est.*

Secundum,quod colligimus est in diuinis relationes terminantes,& incōmunicabiles, quod pertinet ad rationem personæ, non esse medium, & prętequisitum ad habendum esse, sicut in rebus creatis suppositum præcedit ipsum esse, nec dicitur aliquid simpliciter esse,& existere,nisi suppositum,quod dat perseitatem, & completum modum existendi ipsi substantię. Et hoc ideò,quia existere simpliciter, & perfectè,non inuenitur in rebus creatis, nisi tanquā prędicatum contingens,& dependens, ac deriuatum ab agente. Vndè cùm agens non producat rem in facto esse,& vt quod produciū, nisi ipsum suppositū, ideò huic etiam communicat per se, & directè, non dicitur aliquid esse,nisi præsupponatur terminatiuè suppositatum. At verò in Deo cùm ipsum esse sit à se, & independens, ac simpliciter, & perfectissimè existens,non dependent à terminatione relatiua, & suppositali,quod illud esse habeat perfectum modū essendi,& tanquam,quod,quia ex se est ipsum esse perfectissimum,atque adeò cum modo perfectissimo,qui est per se. Relatiuæ ergo terminationes, & personales modi consequuntur in Deo ad ipsum esse,non præcedunt,scil. ex abundantia, & fœcunditate ipsius infiniti esse, quatenus continet non solùm genus absolutum perfectionum, sed etiam relatiuum, & sic oportet, quòd essentia identificetur ipsis,eisque det esse per summam identificationem, ipsæ verò relationes inter se opponantur, & distinguantur,quod est incommunicabiliter se habere. Vnde hoc ex consequenti se habet in diuina substantia,& ex abundantia ipsius esse,non vt prerequisitum, vt esse diuinū sit esse independens ex se,& vt quod. 669 *2. Corrolarium. in diuinis, Relationes non sunt quid prærequisitum ad habēdum esse, sicut in creatis. quia existere perfectè non inuenitur in creatis.*

Tertium,

670
3. Corrolarium nō sunt in Deo quatuor subsistentię distinctæ; licèt detur absoluta, quia identificatur cum relatiuis.

Tertium, quod colligimus est, nō esse in Deo quatuor distinctas subsistentias, licet detur subsistentia absoluta, quia identificatur cum tribus relatiuis, nec opponitur illis; & sic non facit numerum cum illis, sicut essentia, & relationes non sunt quatuor res, sed tres res, & vna summa res, quæ identificatur cum illis; quod prouenit ex appellatione illius termini numeralis *quatuor*, qui appellat supra distinctionē, & rationem formalem distinguendi, quæ est oppositio, & vbi nulla est oppositio, nulla est numeratio. Subsistentia autem diuina, sicut & essentia nullo modo opponitur tribus subsistentijs, & sic non facit numerum cum illis, Secus est de relationibus, quæ sunt quatuor, licèt non quatuor personæ, quia sunt quatuor oppositæ terminationes, & inde denominatur numerus relationum, licèt spiratio actiua, quę spirationi passiuæ opponitur, identificetur cum paternitate, & filiatione; & sic non est ex omni parte incommunicabilis, sed solùm spirationi passiuæ, & hoc sufficit, vt relatiuè multiplicetur ratione terminationis diuersæ.

DVBIVM II.

In quo soluuntur argumenta.

671
1. Obiectio ex Patribus: desumpta contendit: subsistentiam esse idē, quòd hypostasis.

ARg. 1. ex Vasq. subsistentia secundùm communem vsum loquendi Ecclesiæ, & SS. PP. est idem, quòd hypostasis, sed in Deo, vt communi tribus personis, non datur vna hypostasis absoluta; ergo neque subsistentia. Mi. est D. Th. infra q. 40. art. 3. vbi docet, quod remotis proprietatibus personalibus non remanet intellectus hypostasis: hypostasis enim significat aliquid distinctum in diuinis, cùm sit substantia indiuidua; & sic idem est conceptus hypostasis, atque personæ, & sicut non datur in Deo vna persona, sic neque datur vna hypostasis. Ma. autem prob. ex communi vsu Patrum, nam in epistola Agathonis Papæ, quæ habetur in VI. Synodo actione 4. indiscriminatim hypostasis vocatur persona, ita vt correspondet hypostasis personalitati, seu subsistentiæ. Et Martinus I. in Concil. Lateran. consul. 5. canone 1. explicat, quomodo sit vnitas in Trinitate dicens, quòd *est Deus in tribus subsistentijs, quasi Græcè dicatur hypostasibus*. Et in edicto fidei Iustiniani Imperatoris ad Ioannem II. dicitur, quod *Omnes SS. PP. consonanter nos docent, aliud esse naturam, siuè substantiam, & formam, aliud subsistentiā, siuè personam*. Semper ergo sumitur subsistentia ex parte hypostasis, siuè personę, non ex parte essentię, siuè substantiæ, quæ tribus personis communis est. Idem docet Damasc. lib. de decretis primę institut. c. 2. *Vnusque homo est hypostasis, idest res per se existens*. Et clarius S. Athanas. serm. in Euangelium de Sanctissima Deipara: *Hypostasis*, inquit, *sua interpretatione significat id, quod subsistit*. Sic ergo cùm non debeamus in alia significatione accipere subsistentiam, quàm in ea, quæ est in vsu Patrum, & Cōciliorum, & Ecclesiæ, præsertim post compositam litem, quæ olim in Ecclesia Orientali fuit de hoc nomine hypostasis, non possumus nos ad libitum vti nomine subsistentiæ, & eam ponere absolutam in Deo, cùm non ponamus hypostasim, nec personam absolutam.

672
Resp: dist. ma. si subsistentia sumatur pro subsistere incōmunicabili, cōced. secùs verò pro eo, quòd est præcisè per se existere.

Resp. neg. Ma. vel potius distin. si subsistentia sumatur pro subsistere incommunicabili, & terminato, sic est idem, quòd persona, seu hypostasis, & sic sunt solùm tres subsistentiæ relatiuæ in Deo. Si sumatur subsistere pro eo, quod est præcisè existere per se, seu existere, vt *quod*, & independenter, vt contraponitur ei, quod est existere in alio, seu per aliud; Sic non dicunt Patres, quòd subsistentia est idem, quod hypostasis, quin potius oppositum insinuant, præsertim Hieronym. Hilar. Aug. & D. Th. Nam S. Hieron. in epist. 57. ad Damasum, hypostasim non dicit esse idem, quòd subsistentiam, sed idem, quod substantiam, seu vsiam in iuxtà sæcularium literarum eloquentia. *Tota*, inquit, *sæcularium litterarum schola nihil aliud hypostasim, nisi vsiam nouit*. Et certe interpretatio Græca illi e Latino correspondens, magis substantiā sonat, quam subsistentiam; dicitur sub essentia, quasi sub-vsia, vel sub essentia, quod directè est substantia. Et sic D. Thom. in hac q. 29. artic. 2. ad 2. & artic. 3. ad 3. docet, quòd substantia secundùm propriam significationem correspondet hypostasi.

673
Secundùm D. Hieronymū in hoc nomine hypostasis, iuxtà Arrianos, venenum latere. D. Hieronymus Hilarius, & Augustinus fatentur in Deo subsistentiam absolutam.

Et quia nomine substantiæ nos significamus essentiam, contendebant olim Arriani sub hoc vocabulo hypostasis, tres substantias, seu vsias, & essentias in Deo introducere; propter quod dicit Hieron. ibid. *sub hoc nomine hypostasis venenum latere*, quia videlicèt rectè significabatur substantia, & non ità clarè subsistentia. Loquendo verò de subsistentia, vt a nobis accipitur subdit Hieron. loco cit. *vna est Dei, & sola natura, quæ verè est: id enim, quod subsistit, non aliundè habet, sed suum est*. Vbi ly *natura quæ verè est*, idem est, ac natura, quæ perfecte est, quæ simpliciter dicitur esse, & non in alio esse. Et cùm addit *; id, quod subsistit, non aliundè habet*, ly *non aliundè*, intelligitur, non ex alio conceptu, sed ex proprio talis naturæ.

674
Omnis res ad seipsam subsistit, quantò magis Deus ex Aug.

Fatetur ergo in Deo absolutam subsistentiam; seu in esse naturæ, quidquid sit de significatione hypostasis, quę tunc ambigua erat, nec sumebatur etiam ab illis antiquis pro subsistentia, quę esset esse per se, sed pro subsistentia, vel persona. Et dicebant Catholici, vt ibi refert Hieron. *Si hypostasis est subsistētia, non sunt tres hypostases; si persona subsistens, sunt tres hypostases*. De subsistentia verò non personali, sed pro per se existente, & vt *quod*, non fuit controuersia, sed asserta fuit à Patribus, vt patet in Hieronym. cit. Idem dicitur ex Hilario 7. de Trinit. circà finem, vbi loquens de Patre, & Filio, dicit *in esse sibi inuicem, vt subsistentis naturæ habeant perfectam vnitatem*, vel, vt a ij legunt, *subsistentis naturæ*: idem enim sensus est, quod sit natura subsistentis vnitas, vel subsistentię naturę: si enim natura est subsistens, datur subsistentia naturę. Et subijcit Hilar. de natura diuina, *ità esse, ac subsistere, vt in subsistente insit, ità verò inesse, vt & ipsa subsistat*. Item Aug. 7. de Trinit cap. 4. *Omnis res ad seipsam subsistit, quanto magis Deus*, quæ propositio affirmatiua non tollit, quod etiam relatione subsistat, sed affirmat, quod etiam absolutè, vt omnino dictum Agathonis Papæ in epist. quæ habetur in 6. Synodo act. 4. vbi dicit, *tres personas esse vnum Deum, non trium nominum subsistentium, sed trium subsistentiarum, seu personarum vnam subsistentiam*. Sic enim habet antiqua lectio; noua verò, quę habetur in Concilijs Colonię 1606. legit, *trium personarum vnā subsistentiam*, sed non præiudicat hæc lectio priori, quare enim cōdemnabimus antiquam lectionem tot annorum vsu firmatam? De sensu D. Thom. iam satis diximus.

Vnde PP. quādo negant in Deo subsistentiam vnam; loquuntur de personali; non de absoluta.

Quare constat, Patres si aliquādo videantur negare in Deo subsistentiam vnam loqui de subsistentia personali, & completa, non de subsistētia cōmunicabili personis. Nomen autem hypostasis postea ex communi vsu Ecclesię pro personali supposito, seu subsistentia completa sumptum est, & in hoc sensu loquuntur authoritates adductę à Vasq. sicq; substantię nomen pro vsia, seu essentia, hypostasis pro persona in Ecclesia relictum est. Quod verò quidam respondent ad nostras authoritates, sumere Patres aliquando subsistentiam pro substantia, vel subsistere pro existere; & sic vnum in Deo fatentur, omnino futile est; cur enim Patres non loquentur etiam propriè sumendo subsistentiam, & subsistere pro per se existere, quod non est solum existere, scil. per se, nec est substantia solùm, sed cum modo, scil. per se, licèt communicabiliter? hoc enim negare Patribus, est negare eis proprietatem loquutionis, & ad impropria diuertere.

675
2. Obiectio.

Arg. 2. pro sententia Vasq. quia essentia diuina secundùm se, & pręcisis relationibus potest quidem considerari, vt existens, quia est actus purus, & non

non est in statu puræ possibilitatis, sed tamen illa essentia sic considerata, non potest considerari, vt per se, sed vt communicabilis tribus personis, in quibus esse dicatur: ergo prout sic, non concipitur cum modo existendi per se, atque adeo neque cum subsistentia absoluta, cuius munus est constituere ens per se. Conseq. prob. quia illa natura ex vi talis conceptus sic præcisi, consideratur, vt terminabilis alio termino, scil. relatione; ergo nondum per se.

Replica.

Nec sufficit dicere, quod consideratur per se secundùm, quod ly *per se* opponitur huic, quod est esse in alio, vt in subiecto, non ei, quod est esse in alio, vt in supposito, vel, vt alij dicunt, est per se communicabiliter, non incommunicabiliter.

Instatur. 1.

Contra hoc enim est, tùm quia hoc non sufficit ad rationem subsistentiæ, aliàs humanitas in Christo diceretur habere subsistentiam creatam, quod est hæreticum. Et seq. patet, quia illa natura humana excludit hoc, quod est esse in alio, vt in subiecto: nec enim est accidens, sed non excludit esse in alio, vt in supposito, quia terminata non est, nec incommunicabilis; ergo non sufficit habere existentiam, non in alio, vt dicatur habere subsistentiam: tùm etiam, in quia hoc consistit implicatio, quòd dicatur aliquid habere subsistentiam, & tamen maneat communicabile.

676
2. Instatur.

Nam id, quod est communicabile alteri, habet esse, vt *quo*, non vt *quod*, nec habet existentiam, aut subsistentiam perfectè, & completè, sed incompletè, sicut anima rationalis, quæ subsistit communicabiliter, sed hoc ideò est, quia subsistit partialiter, seu vt pars ordinata ad totum. Nos autem non concedimus diuinæ naturæ subsistentiam partialem, & incompletam, sed perfectissimam; ergo implicamus in dictis, ex vna parte ponendo in diuina essentia subsistentiam absolutam, eamque perfectam, & non partialem, nec incompletam, ex alia dicendo esse communicabilem; cùm in ipsis visceribus communicabilis subsistentiæ imbibatur esse imperfectam, & partialem incompletam.

1. Confirm. huius 2. obiectionis.

Confirm. amplius ista ratio, quia vel essentia diuina, quando afficitur personalibus relationibus, redditur per illas subsistens: vel non: si non redditur subsistens, ergo relationes illæ subsistentiæ non sunt, quod negauimus supra, & verè negandum est, cùm sint personalitates. Conseq. patet, quia si subsistentiæ essent, redderent naturam, quam afficiunt subsistentem: Si ergo subsistentem non reddunt, subsistentiæ non sunt: si verò reddunt subsistentem naturam, ergo afficiunt ipsam subsistentiam absolutã, ipsamque subsistentem reddunt, siquidem naturam afficiunt secundum omnia, quæ habet, & consequẽter subsistentiam ipsam absolutam afficiunt. Subsistentia autem non potest affici vlteriori subsistentia, nisi sit in se incompleta, & imperfecta, seu partialis, quia subsistere per aliam subsistentiam, est reddi subsistentem per illam, & sic non existere per se, sed ab vlteriori termino dependere, cui communicari potest, quod est contra rationem cuiuscumque formæ, quæ non potest per aliam similem formari, nisi in se imperfecta sit, sicut vna figura non potest vlteriùs figurari, vna actio alia actione produci, vna vnio alia vnione vniri, vna species impressa, vel expressa alia specie reddi intelligibilis, & repræsentatiua.

677
2. Confirm.

Confirm. 2. quia ista absoluta subsistentia habet se, vt attributum respectu essentiæ; ergo potest concipi essentia cum præcisione à tali attributo, sicut à quolibet alio. Facta ergo ta i præcisione, illa essentia manet ens increatum, & actus purus, & consequenter, vt existentia, & esse ipsum à se, & tamen non concipitur subsistens; ergo potest dari conceptus essentiæ, & ipsius esse in Deo sine subsistentia: & tamen ille conceptus est de re perfectissima, scil. de esse diuino. Sicut ergo tale esse potest concipi sine subsistentia sua absoluta, ita quòd subsistentiam habeat per aliquod attributum, cur non poterit eadem essentia, & idemmet esse concipi, vt perfectum, & tamen, quod non hebeat ex vi illius formalis conceptus subsistentiam, sed ex relationibus, sicut in nostra sententia habet ex attributo adiuncto, sine quo concipi potest. Et idem argumentum fit de conceptu naturæ diuinæ, quæ concipi potest, vt principiũ, *quo*, & in ratione naturæ, & non concipi, vt *quod*, & tunc concipitur, vt est ipsũ esse, & nondum vt subsistens; ergo subsistentia subsequi potest ad conceptũ perfectum ipsius esse, & consequenter non repugnat illi conuenire per relationes.

678
Res. ad 1. obiec. essentiam diuinam in suo formali conceptu, habere esse; nõ solùm vt opponitur nihilo, sed etiam esse imperfecto.

Resp. ad principale argum. essentiam diuinam ex suo formali conceptu non solum habere esse, prout opponitur statui possibilitatis, & ipsi nihilo præcisè, sed etiam vt opponitur esse imperfecto, & dependẽti, seu habenti illud, vt in alio, siue vt accidens subiecto, siue vt pars toti, sed per se habet esse, vt *quod* communicabile tamen suppositis relatiuis, vt terminantibus, & incommunicabilem reddentibus naturam sic personatam. Sed tamen non est communicabilis essentia diuina relationibus, vt per illas fortiatur esse simpliciter, quasi per seipsam solùm essẽtia insit relationibus, terminata autem per relationes non solùm insit, sed simpliciter fit, & habeat per se esse. Non sic est, sed natura diuina à se habens purum, & infinitum, atque independens esse, communicat illud relationibus vt fiat, & ab ipsis solùm accipit terminationem, & distinctionem suppositalem, in quibus vna sit. Cuius signum est, quia natura sic communicata non multiplicatur, nec in se, nec in suo esse, sed idem esse retinet in tribus personis. Non ergo communicat illis esse solùm, vt *quo*, sed etiam vt *quod*, quia retinet vnitatem suam in illis tribus personis, & vnum esse. Ex quo patet ad probationes, seu replicas, quæ fiunt contra hoc.

679
Ad. 1. Instantiam. Resp. hoc sufficere ad rationem independentis existentiæ, & perfectissimæ.

Ad primam dicimus sufficere hoc ad rationem subsistentiæ, quando sufficit ad rationem independentis existentiæ, & perfectissimæ, quæ nõ potest cõcipi sine exclusione modi essẽdi in alio, & per aliud. Et ad instantiã de humanitate Christi dicimus, ipsam omni carere subsistentia, quia non excludit omnem rationem existendi in alio: licèt enim excludat existentiam in alio, vt accidens in subiecto, non tamen existentiam in alio, vt forma, & pars in supposito; solùm enim explicatur nomine humanitatis principium, quo homo constituitur, vt forma totali, & natura. Vndè neque ex se dicit esse simpliciter, & per se, sicut id, quod est; sed sicut id, quo aliquid est, mediante autem supposito existit, vt *quod*, & sic non habet ex se esse omninò independens à supposito, imò in sententia S. Thom. nullum esse habet, nisi mediante supposito: natura autem diuina independenter à supposito, est ipsum esse ex se omnino independens, & perfectum, & per se; & sic ex sui conceptus, nec habet esse in alio, vt in subiecto, nec dependenter ab alio, vt à supposito, licèt cõmunicetur supposito, non vt dependens ab illo in esse, sed vt ipsi communicans esse ex se, & per se.

680
Ad. 2. Instantiam. Resp. non implicare, quod aliquid habeat subsistentiam, & sit communicabile.

Ad secundam replicam dicitur, non implicare, quod aliquid habeat subsistentiam, & sit communicabile, non solùm sicut anima rationalis, quæ subsistit, vt forma incompleta, & informatiua materiæ, sed etiam vt forma perfecta, & in se habens esse perfectissimum, & independens: dupliciter enim potest aliqua forma, seu esse communicari: Vno modo ob indigẽtiam sui, & ordinem ad aliquid perfectius, ad quod de se ordinantur; alio modo ex abundantia sui, & perfectissima fœcunditate, & infinitate, quia bonum de se est communicatiuũ, sicut subsistentia, & existentia diuina communicantur humanitati, & essentia diuina in ratione formæ intelligibilis intellectui creato, non ex indigentia sui, sed ex abundantia perfectionis suæ, non accipiendo ab illis esse, sed dando illis perfectionem.

Communicabilitas partis, imperfecti, &c. tollit subsistentiã; non verò, quæ in se habet omnẽ perfectionẽ.

Dicimus ergo, quòd si natura diuina esset communicabilis personis, vt imperfectum perfectiori, vt pars toti, & forma, seu principium *quo* præcisè ipsi composito, & subsistenti, bene probaret argumentũ esse impossibile, quod esset communicabilis, sic & quod esset subsistens. Si autem est communicabilis personis, vt habens in se omnem perfectionem, & eam illis communicans per identificationem, talis communicabilitas non tollit subsistentiam in eo, quod

quod communiter, sed solùm, quod existentia illa non habeat oppositionem, & incommunicabilitaté cum eo, cui communicatur. Argumentum vero procedit in his, quæ communicantur, tanquàm res imperfectè, & ordinatæ ad vlterius esse, seu ab aliquo, in quo, vel per quod habent esse.

681 *Ad 1. Confirm. Resp. naturā diuinam ex se esse subsistenté communicabiliter; per relationem verò terminatiuè, & incommunicabiliter.*

Ad 1. Confirm. Resp. essentiam diuinam per relationes reddi subsistentem terminatiuè, & incommunicabiliter, non quia ipsa essentia in ratione naturæ non maneat communicabilis alteri personæ relatiuæ, cùm sit communicabilis tribus personis, & non possit habere vnum terminum relatiuum, nisi habeat alium correlatiuum; sed quia essentia diuina, vt personata, & illo termino relatiuo affecta, non sit alteri communicabilis, sed opposita. Redditur ergo natura ex se absolutè, & communicabiliter subsistens, relatiuè verò, & incommunicabiliter per relatiuam subsistentiam, non absolutè subsistens, & quantùm ad independentiam in esse, seu modum essendi, & existendi per se, & non in alio, & vt *quod*, hoc enim ex se habet, sed communicatur relatiuæ subsistentiæ, vt termino distinguenti, & incommunicabilitatem facienti inter terminos relatiuos, quia oppositionem habet inter illos. Et quando dicitur, quod subsistentia, seu natura subsistens non potest affici alia subsistentia, distinguo, alia eiusdem ordinis, & lineæ, & secundùm eosdem effectus formales, concedo; alia diuersæ rationis, & lineæ, & secundum diuersos effectus formales, nego.

Subsistentia absoluta reddit diuinū esse per se; non facit tamen oppositionem.

Subsistentia autem absoluta habet in sua linea, & ratione reddere diuinum esse per se, & non in alio existens, non tamen oppositionem facere, & distinctionem, & incommunicabilitatem, quia hoc pertinet ad lineam relatiuam. Et licèt subsistentia absoluta respectu creatæ subsistentiæ sufficientem distinctionem, & incommunicabilitatem habeat non tamen intra diuinam naturam habet incommunicabilitatem, nisi mediante oppositione, quæ solùm pertinet ad lineam relatiuam. Neque ob hoc ipsa

682 *Instabis.*

subsistentia absoluta est incompleta, & imperfecta, quia vlteriori subsistentia, scil. relatiua terminari potest; quia hoc solùm habet locum, quando subsistentia ex tali terminatione perficitur in esse; Si

Respondetur.

autem ex tali terminatione non acquirit esse, sed solùm distinctionem, & incommunicabilitatem, & oppositionem in esse, quod in se præhabet plene, & perfectè, vtpotè actus purus, non quód vlteriùs acquirit, talis vlterior terminatio non supponit imperfectionem in subsistentia communicabili, sed solùm, quod non habet incommunicabilitatem, & oppositionem.

Subsistentia absoluta est perfecta; licèt sit cōmunicabilis.

Vndè constat, quód subsistentia absoluta & perfecta, licèt sit communicabilis, quia incommunicabilitas solùm addit terminationem, & distinctioné, quę ex oppositione relatiua dimanat, non actualitatem, & esse; & absoluta subsistentia omnem perfectionem subsistentiæ habet, non omnem terminationem. Exempla autem, quę in arg. adducuntur de figura, & actione, & specie, non vrgent, quia ibi sunt formæ eiusdem prorsus lineæ, & ordinis, & sic posita vna, datur incapacitas ad alteram.

Ad 2. Confirm. Resp. subsistentiam absolutā non se habere, vt attributū; sed vt modum independentię.

Ad 2. Conf. Resp. subsistentiam absolutam non se habere, vt attributum, sed vt modus independentiæ, & perseitatis in ipso esse diuino, secundum quod tale esse est actus purus, & à se, & in suo perfectissimo conceptu excludit omnem modum existendi in alio, vel per aliud. Et hęc exclusio non fit per attributum superadditum, sed per ipsummet cóceptum perfecti esse, & actus puri, præsertim quia attributa se habent, vt proprietates, quæ consequuntur naturā, tanquàm perfectiones superadditę, aut principia operandi. Hæc autem subsistentia absoluta pertinet ad ipsum esse, quatenus perfectum est in ipsa linea existendi, & essendi, ita quód sicut ipsum esse ratione sui est independens, est perfectum, est non in alio, nec tamen independentia, perfectio, aut exclusio essendi in alio sunt attributa, sed eiusdem conceptus explicationes, & modi; ità subsistentia absoluta, quę in his consistit, attributum nó est, sed eiusdem conceptus diuini est modus, & explicatio. Fatemur tamen quod ex nostro modo diuerso significádi, & nō ratione diuersæ rei significatæ, potest ille conceptus essentię, seu esse diuini significari in concreto, & in abstracto, per modum formę, seu principij, *quod*, & modum principij, *quo*.

683 *Essentia diuina significatur qua Deus est in abstracto, & qua est Deus in cōcreto.*

Sed hoc totum non est per modum attributi, seu per modum distinctæ rei significatæ, sed per modū diuersæ significationis eiusdem prorsus rei, quód scil. idem esse, seu essentia diuina significatur, vt diuinitas, qua est Deus in abstracto, & vt id, quod est Deus, & habens esse diuinum in concreto, quod non addit diuersam rationem ex parte rei significatæ, sed diuersum modum significandi ex parte nostra, quatenus sub modo abstracto, & concreto idem significamus. Et sic patet ad argum. de distinctione conceptus naturę, vt *quo*, & vt *quod* sunt enim diuersi conceptus ex parte modi significandi, non rei significatæ; vt autem aliquid sit attributum, debet dicere aliquam rationem nostro modo concipiendi, diuersam ex parte rei significatæ, quia concipitur, vt proprietas superaddita naturæ.

684 *3. Obiectio.*

Arg. 3. Essentia diuina semotis personalitatibus non potest concipi, vt principium operandi *quod*; ergo neque vt subsistans. Patet Conseq. quia subsistentia reddit naturam, quę subsistit, tāquam principium, *quod* in essendo; ergo & in operando: nam operatio sequitur esse, & esse vt *quod*, operatio vt *quód*. Antec. verò prob. quia essentia diuina semotis personis relatiuis non generat, neque generatur, vt definitur in ca. *Damnamus de Summa Trinit.* neque creat res ad extra, quia personæ creantes sunt Pater, & Filius, & Spiritus S. Vndè de Filio dicitur, quod *Omnia per ipsum facta sunt*; non ergo Deitas sub conceptu præcisò à personalitatibus operatur, vt *quod*, & consequenter neque existit, vt *quod*.

1. Confirm.

Confirm. 1. à simili, quia sicut Deus significatur in concreto, vt habens Deitatem, ita hic spirator, vt habens vim spirandi, sed ly *spirator* non affert propter hoc subsistentiam seorsum à subsistentia relatiua, sed subsistit in subsistentia Patris, & Filij, ergo neque hic Deus.

2. Confirm.

Confirm. 2. nam D. Th. 3. p. q. 2. art. 2. probat, naturam humanam debere vniri in persona, & non in natura, quia non datur medium inter naturam, & personam; & sic si vnio non est facta in natura diuina, quod est facta in persona. At si datur subsistentia absoluta, hæc ratio est inefficax, quia potest fieri vnio; nec in persona, nec in natura, sed in illa absoluta subsistentia: ergo vel ratio D. Thom. qua probat veritatem Catholicam, est vana, vel debet negari subsistentia absoluta. Et in 1. dist. 26. qu. 1. art. 2. dicit, quod *Remota relatione non manet subsistens relationis*. Et sic concludit ad 4. quód *Remota relatione, neque Pater est quis, neque Filius est quis*. Si autem natura diuina secundùm se esset subsistens, vtique subsisteret relationi, non autem relatio primo, & per se subsisteret, sed adueniret subsistenti.

685 *Resp. diuinam essentiā, præintellectum personis, operari vt quod essentialiter.*

Resp. neg. Antec. Et ad prob. dicitur diuinam essentiam præintellectam personis, non generare, nec operari, vt *quod* notionaliter, sed operari, vt *quód* essentialiter, sicut intelligit, amat, creat, prouidet, &c. quia ad istas actiones non requiruntur per se personę relatiuæ, sed hic Deus, vt subsistens operatur, & vnus, concomitanter autem, vt Trinus. Non est autem necesse ad hoc, vt hic Deus sit subsistens, quód operetur, vt *quod*, etiam notionaliter, sufficit quód operetur essentialiter, nam ad operationem notionalem requiritur non solùm virtus operandi, nec solum principium, *quod* quomodocumque, sed oppositum correlatiue suo termino procedenti, siquidem debet producere aliquid distinctum ad intra, nec potest distinctum esse, nisi per oppositionem relatiuam.

686 *Ad 1. Confirm. Resp. ly hic spirator, non importat esse absolutum Dei,*

Ad 1 Conf. Resp. non esse simile, quia ly, *hic spirator*, non importat ipsam naturam, & esse absolutum Dei, sed potentiam, seu principium spirandi, quod pertinet ad actionem notionalem; vndè non potest subsistere, nisi notionaliter, non absolutè. Subsistentia

sed actionē notionalem. tia autem notionalis non datur, nisi sit persona, & sic ly *spirator*, non potest per se habere subsistentiam seorsum à Patre, & Filio, quia non est persona relatiua per se, & consequenter neque subsistentia relatiua. At ipsa natura, & esse per se, & ratione sui dicitur esse independens, & non in alio: & sic potest subsistere subsistentia non relatiua, neque notionali, sed absoluta, licèt communicabili, vt dictum est.

687 *Ad 2. Confirm. Resp. explicādo sensum D. Th. quò ad vtrūq; locum.* Ad 2. Confirm. Resp. D. Th. non facere illam Conseq. sed hanc; Natura humana vnita est Verbo secundùm fidem Catholicam, sed non est vnita Verbo in natura; ergo in persona, quia in Verbo non est aliud, quam personalitas, & natura; & ita si in natura ei non vnitur, debet vniri in persona. Quarè D. Th. nō procedit absolutè ex negatione vnionis in natura diuina, quod vnio debeat fieri in persona, sed supponendo ex fide, vnionem factam Verbo, discurrit, sed probat euidenter, quod non est facta in natura Verbi, & facta in persona, quia in Verbo non sunt nisi, ista duo, personalitas, & natura. Nec dicit S. Th. non dari medium inter naturam abstractè sumptā, seu vt quo, & persona, & quando id diceret, & intelligeretur de medio secundùm rem, & tanquam quid distinctum: nam subsistentia absoluta non distinguitur à relatione. Ad secundum locum resp. quod remota relatione, non remanet subsistens relationis id est, subsistens suppositaliter, & per modum hypostasis, vt ibi dicit: Ratio .n. hypostasis dicat incōmunicabilitatem, sicut persona; sine relatione autē non datur incommunicabilitas, & remota relatione, Pater non est quis, nec Filius, quia tunc non manet persona Patris, aut Filij, quę relatione cōstituitur, sed manet hic Deus, & ille erit quis, tanquam subsistens subsistentia absoluta, non quis tanquàm persona, & vt Pater.

QVÆST. XXX. D. TH.

De pluralitate diuinarum Personarum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum sit ponere plures personas in Deo.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. In diuinis sunt plures personæ. Prob. in diuinis sunt plures relationes est, vt dictū. ergo in diuinis sunt plures personæ. Prob. conseq. quia persona in diuinis significat relationem, vt subsistentem in natura diuina, vnde persona idē est, quod relatio, & sic cum sint plures relationes, sunt plures personæ.

Arg. 1. Vbicumque ponuntur plures personæ, ponuntur etiam plures substantiæ. Quia persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. Sed in diuinis non est ponere plures substantias. ergo. Resp. neg. ma. ad prob. dicendum, quod substantia nō ponitur in diffinitione personæ, prout significat essentiam, sed pro significat suppositum, & est sensus, quod persona est suppositum rationalis naturæ.

Arg. 2. Pluralitas proprietatum absolutarum non facit distinctionem personarū, nec in Deo, nec in nobis. ergo multò minùs videtur, vt hoc possit pluralitas relationum, cū proprietates absolutæ sint magis intrinsecè. Resp. neg. conseq. Ex ijs .n., quæ habent multiplicare personas, siuè in diuinis, siuè in creatis, duo necessariò debent habere. Primum est, vt realiter ab inuicem distinguantur: Alterum est, vt subsistant per se: Proprietates enim absolutæ, cum sint ipse Deus, per se subsistunt, sed ad inuicem realiter non distinguuntur; sicut relationes.

Arg. 3. in Deo nullus est numerus iuxtà Boet. ergo in Deo nulla est pluralitas. Resp. neg. Antec. & ad Boet. negauisse pluralitatē absolutorum, quæ dicit compositionem; non verò relatiuorum; quæ cum prædicentur non per modum inhærentis; sed per modū ad alterum se habentis, nullam dicunt compositionem.

Arg. 4. Vbi est numerus, ibi est totum, & pars: sed in Deo non est totum, & pars, cum sit simplex. ergo. Resp. dist. ma. quæ si intelligatur de numero absoluto, est vera; sed per hoc non sequitur, quod in Deo si totum, & pars; nisi secundùm acceptationem intellectus nostri. Si verò ipsa Maior intelligatur de numero, qui est in rebus, est vera quidem in creaturis; non verò in diuinis, quia vna persona diuina non est pars trium personarum; eo quod tantus sit Pater, quanta est tota Trinitas.

DISPVTATIO CLXXIII.

An in diuinis sint tres res; An tres vnitates, An tria entia: An tres veritates. Vbi an detur in diuinis numerus transcendentalis.

Petes 1. An in diuinis concedendæ sint tres res, seu tres vnitates, quę realiter distinguantur. 688 *Petes 1.*

Resp. affirm. in Deo absolutè, & simpliciter loquendo, dantur tres res realiter distinctæ, nec non tres vnitates, quæ realiter etiam distinguantur. Quò ad vtramque partem hæc assertio habetur in Concil. Rhemensi sub Calisto Papa 2. & est D. Th. 1. dist. 25. q. 1. art. 4. Resp. affir. habet duas partes.

689 *Prob. 1. pars. Nomen rei, absolutè, & simpliciter loquendo, significat realitatem ratam, & firmam, extra animam, vt communiter loquuntur metaphysici, nempè significat id, quod nō habet esse beneficio intellectus, sicut ens rationis. Sed hoc ipso, quod absolutè, & simpliciter loquendo, in diuinis dantur tres personæ realiter distinctæ dantur tres realitates ratæ, & firmæ. ergo.* 1. Pars prob. quia nomen rei, significat realitatem firmam, ac ratā.

Confirm. nam res habet se per modum transcendentis tàm respectū diuinæ essentiæ, quàm respectū relationum personalium; quia tàm in diuina essentia, quàm in relationibus personalibus, includitur imprescindibiliter, quid sint realitas rata, ac firma; cùm non sint nihil, nec entia rationis. ergo res multiplicatur ad multiplicationem relationum personalium: nam in diuinis, quod est commune communitate rationis; vt est res, personalitas, &c. debet multiplicari iuxtà multiplicationem eorum, in quibus transcenditur. Confirm. quia res se habet per modum transcendētis, &c.

690 *2. Pars prob. quia in diuinis absolutè loquendo datur pluralitas personarum, nec non numerus transcendentalis, vt infra. Ergo eodem modo dabuntur plures vnitates realiter distincta iuxta pluralitatem, & numerum personarum; quia numerus, & multitudo realis, absolutè, & simpliciter talis, debet constitui similibus vnitatibus.* 2. Pars prob. quia in diuinis datur numerus transcēdentalis.

Confirm. quia vnitas absolutè, & simpliciter loquendo tantùm dicit realitatem indiuisam in se, & diuisam ab alia: sed quælibet ex diuinis personis dicit entitatem indiuisam in se, & distinctam ab alia: ergo. Confirmatur

691 *Dices: Nomen rei iuxta Auicennam, quem refert, & sequitur D. Th. 1. dist. 25 q. 1. art 4. sumitur à quidditate: Sed in diuinis tantùm est vna quidditas: ergo.* Euasio.

Resp: dist. Antec. nomen rei sumitur à quidditate absoluta, quia quidditas est eadem, ac essentia, neg. Sumitur à ratione formali, quæ est quoddammodò quidditas, licèt non propriè, & absolutè vocari potest, concedo. nam per Præcluditur. quia nomen rei sumitur à quidditate absoluta.

per quidditatem non solum intelligitur natura absoluta; sed ratio, vel intentio cuiuscumque, scil. ratio, vel intentio substantiæ, vel accidentis, vel relationis &c. quamuis hoc non possit simpliciter concedi; cùm quidditas sit tantùm propriè substantiarum.

692 Petes 2. An absolutè, & simpliciter loquendo, sint admittēda in Deo tria entiā, an verò solū adiectiuè.

Resp. absolutè nō esse admittenda, sed solùm adiectiuè.

Resp. si absolutè, simpliciter, ac propriè loquamur non sunt admittenda in diuina tria entia, sed tantùm adiectiuè. ità D. Th. 1. dist. 25. q. 1. art. 4. Capreolus, Nazzar. Bannez. & alij, quos referunt, ac sequuntur N. PP. Salmaticenses. tract. 6. disp. 1. dub. 1. Prob. Ad multiplicationem nominis substantiui requiritur multiplicatio, tùm suppositi, tùm etiam formæ formaliter significatæ per illud. cùm tamen ad multiplicationem termini adiectiui, satis sit multiplicatio suppositorū; sed forma formaliter significata per hoc nomen, ens, absolutè, & simpliciter nō multiplicatur in diuinis, benè tamē supposita: cum forma formaliter significata per hoc nomen ens, sit ipsum esse, seu ipsa existentia: nam sicut nomen, ens, sumitur ab esse; ita formaliter significata est ipsum esse: tùm etiam, quia sicut hoc nomen homo, *absolutè, & simpliciter dictum imponitur ad significandum id, cum quo conuertuntur omnes passiones hominis: sic hoc nomen* ens, *ad denotandum illud* ens, *cum quo omnes passiones entis haberent conuerti. Constat autē, quòd omnes passiones entis non conuertūtur cum ente, nisi, vt significat ens, vt in aliqua differētia temporis existens: & propterea, licèt vnum, & res habeant conuerti cum quauis formalitate, non tamen bonum, verum, & aliquid: vt de bono diximus tom. 1. q. 6. & de vero ibid. q. 16.*

693 Cum addito, possumus dicere, tria entia relatiua in Deo.

Diximus in assertione, quid ens absolutè, & simpliciter sumptum non purificatur in diuinis. quia si non sumatur absolutè, & simpliciter, sed cum addito, vt si dicatur ens relatiuum, secundùm, quam rationem non dicit ens, vt est principium essendi; sed saltim ens, vt distinguitur contra nihil: tunc poterit plurificari: quo pacto nos sumpsimus, quoties diximus relationes diuinas dicere propriam entitatem.

694 1. Euasio.

Dices. 1. Cum Suarez, Molina, Vasquez, quos refert, ac sequitur Ruitius hic disp. 26. sect. 2. contrarium sentientibus. Ens absolutè, & simpliciter sumptum esse superius ad personas, ergo multiplicatis inferioribus multiplicabuntur entia.

Eneruatur.

Resp. dist. Ant. ens participialiter sumptum est superius ad personas, seu vt dicit principium essendi, neg. vt distinguitur contra nihil; conced. sed vt sic non est simpliciter ens, sed cum addito, nempè ens, pro vt est idem, ac realitas, vel pro vt distinguitur contra nihil.

695 2. Euasio.

Dices 2. significatum formale huius nominis ens, *non est existentia; sed entitas: hæc autem multiplicatur in personis, sicut & persona ipsa: & ideò vna persona est entitas realiter distincta ab alia.*

Præcluditur.

Resp. neg. mi. quia ens, vel tantùm significat esse, quod est ipsa entitas participaliter sumpta; vel entitatem, seu essentiam, vt est principium essendi: & ideò absolutè, & simpliciter personæ non distinguuntur, vt entitas, & entitas; sed vt res, & res.

3. Euasio.

Dices 3. Relationes diuinæ, vt distincta ab essētia, nō sunt purum nihil; itē res dicitur pluraliter in diuinis, quia est transcendens. Ens .n. est transcendens: ergo.

Præcluditur. quia personæ dicunt aliquā realitatem.

Respond. ad 1. propositionem. diuinas personas secundùm id, quod addunt supra essentiam, dicere realitatem aliquam, prout realitas distinguitur contra nihil; propriè verò, & simpliciter, non addunt entitatē. Ad 2. dicimus ens, vt est principium essendi, non esse transcendens transcendentia rationis: nec res, & ens sic sumptum omninò conuertuntur, vt dictum est.

696 Petes 3. An absolutè, & simpliciter in diuinis sint tres essentiæ, vel tres quidditates, seu tria aliquid?

Resp. in diuinis propriè nō esse tres essentias:

Resp. in diuinis propriè, ac simpliciter loquendo, non esse tres essentias, seu quidditates; nec etiam tria aliquid, *prout ly* aliquid *sumitur pro vna ex quinque affectionibus entis. ita D. Th. 1. dist. 25. q. 1. art. 4. quem communiter sequuntur omnes Theologi. Prob. essentia propriè, & absolutè sumpta significat quidditatem, prout est principium, aut quasi principium essendi teste Basil. epist. 37. constat autem essentiam in hac significatione sumptam non multiplicari in diuinis, siquidem omnia diuina existunt per vnicam, & eandem indiuisibilem existentiam diuinæ essentiæ, vt supra dictum est.*

Nec etiam tria aliquid.

2. Pars prob. Quia ly aliquid *sicut vna ex quinque affectionibus entis, si propriè sumatur, significat non realitatem quamcumque, sed realitatem absolutam. ita D. Th q. 2. de potent. art. 2. siquidem distinguitur contra* ad aliquid, *& conuenit diuinis relationibus ratione essentiæ, & non ratione sui: ergo &c.*

697 Confirm. nam aliquid significat aliud quid

Confirm. nam ex D Th. de verit. q. 1. art. 1. ly aliquid *propriè sumptū significat id, quod est* aliud quid. *ergo tum in diuinis licèt sit alius, & alius; non tamen multiplicetur* aliud quid. *vna enim persona non est* aliud quid *ab alia; licèt omnes illæ sint vnum* aliquid, *& vnum* aliud quid *ab omnibus creaturis: inde est vt ly* aliquid *nequeat multiplicari in diuinis.*

Euasio.

Dices quælibet ex diuinis personis est aliquod suppositum, & dicit aliquam realitatem: ergo quælibet ex illis erit aliquid *ex vi suæ lineæ.*

Resp. Persona est aliquod suppositum, & quomodo.

Resp. neg. conseq quia cum dicitur de persona diuina est aliquod suppositum, non sumitur ly aliquod, *vt est vna ex quinque affectionibus entis; sed vt est signum modificatiuum, vel determinatiuum suppositi. tùm quia ly* aliquid *propriè sumptum non significat realitatem quamcumque: sed realitatem absolutam ita D Th loc. cit. qui proprias nominum metaphysicorum, & Theologorum significationes ex antiquitatis, ac Patrum visceribus, sicut & alia desumpsit.*

698 Petes 4. An sint concedendæ in Deo tres veritates realiter distinctæ, & tria vera substantiuè?

Resp. non esse in Deo tres veritates realiter distinctas, nec tria vera substantiue.

Resp. neg. Non sunt in Deo concedendæ tres veritates realiter distinctæ, nec tria vera substantiuè, & eodem modo distincta. ità D. Th. 1. dist. 19 q. 5. art. 5. ad 1. Prob. in diuinis non datur nisi vnica magnitudo, & perfectio in tribus personis; ne omnes illæ simul sumptæ dicerent maiorem perfectionem, quàm singulæ ex ipsis, si dicerent relatiuam, ac propriam perfectionem: ergo nec etiam dabuntur in illis plures veritates realiter distinctæ: ne personæ simul sint aliquid verius, quàm solus v. g. Pater, aut solus filius. Siquidem id, quod est verius alio, est perfectius illo: ex eo, quod veritas dicit rationem perfectiuam, & maior veritas maiorem perfectionem intellectus; & propterea verum dicitur perfectiuum intellectus, sicut bonum perfectiuum voluntatis, eo modo tamen à nobis explicato. tom. 1. q. 16. Veritas .n. definitur per esse ac proinde illud specialiter inuoluit, ac respicit, & non generali ratione, qua quælibet realitas habet vtrumque illud inuoluere, ac respicere.

699 Opposit. sent. 1. Obiectio.

Opposit. Sent. tenet Suar. lib. 3 de Trin. c. 8 Vasq. disp 122. c. 7. pro qua. Arg. 1 ex illo Io: 5. Vt simul in vero filio eius. Hic est verus Deus; *ergo filius est verus, vt filius ratione filiationis; & vt Deus ratione Deitatis.*

Respond. neg. conseq.

Resp. neg. conseq. nam sicut ex hoc, quid de Filio dicatur: quòd sit filius perfectus, & Deus perfectus; sequitur, quod sit perfectus non ratione filiationis, sed ratione essentiæ: ità licèt verus sit filius, ac verus Deus, solùm sequitur esse verū nō à filiatione, sed ab essentia, si verum sumatur propriè, vt dicit vnam ex affectionibus entis; nam si sumatur, vt distinguitur contra ens fictum, tunc est vera conseq. sed nō est cōtra cōclusionem.

700 2. Obiectio.

Arg. 2. Ex D. Th. q. 1. de Verit. a. 7. vbi postquam dixit: Veritatem propriam sumi essentialiter, & non personaliter; addit veritatem metaphoricè acceptam dici personaliter: sed veritas metaphorica est veritas in essendo, & obiectiua: ergo.

Resp. neg. mi. explicando quid sit veritas metaphorica.

Resp. neg. Mi. nam veritas metaphorica ex D. Th. nō est veritas in essendo: sed veritas similitudinaria, quæ aliqualem similitudinem habet cū absolutè, ac propriè veritate transcendentali: & hæc similitudinaria nō illa in essendo cōuenit personis: similitudo .n. & metaphora stat in hoc; quod sicut veritas in essendo, quæ est in creaturis dicit similitudinem, & conformitatem cum diuino intellectu, à quo procedit: ita filius ex vi suæ processionis habet summam similitudinem cum suo principio, nempe cum intellectu Dei, ac eius intelligere. videatur D. Th supra q. 16. art. 5. ad 2.

Q Arg. 3.

701
3. Obiectio.

Arg. 3. hæ sunt distinctæ veritates Filius genitus est à Patre; *& quod* Spiritus S. procedat ab vtroque. *ergo ratio veritatis plurificabitur in diuinis realiter, si de veritate obiectiua sit sermo: si quidem hoc ipso, quòd prædictæ veritates sunt inter se distinctæ debeant realiter distingui, quia sunt veritates relatiuæ, saltem radicaliter inter se oppositæ. Antecedens prob. quia si per impossibile Spiritus S. non procederet à Patre, & filio, nihilominus verè filius esset genitus; & si Spiritus S. implicaret; Pater nihilominus haberet veram rationem Patris.*

Resp. concedendo Antec. de veritate concretiuè sumpta.

Resp dist. Antec. & conced illud de veritate concretiuè, & adiectiuè sumpta; illud verò neg de veritate substantiuè, aut in abstracto sumpta. quia cũ vna sit, & eadem veritas diuinæ essentiæ, imbibita tamen per modum transcendentis in diuersis realitatibus; solum materialiter, & concretiuè, non verò formaliter, & in abstracto, est ibi multiplex veritas: & ratio est, quòd ratio veri non fundatur in realitate qualicumque, sed in realitate, vt est principium, aut quasi principium essendi: & ideò quantumuis aliqua ratio dicat realitatem; si non dixerit realitatem, quæ sit principium essendi; non erit proximè capax veritatis, seu conformitatis ad intellectum, nisi actuetur per aliam realitatem, quæ est principium essendi participaliter.

Ad prob. Resp si Spiritus S. per impossibile implicaret, non procederet ab vtroq;

Ad prob. Anteced. Resp quod si semel implicaret processio Spiritus S. tunc propositio illa: Spiritus S. procedit ab vtroque, *non esset vera: non quia ex parte obiecti deesset illi veritas obiectiua, à qua formaliter Spiritus S. & eius processio habent conformitatem cum diuino intellectu; sed quia hæc eadem veritas obiectiua, à qua omnia diuina dicuntur vera, & conformia diuino intellectui, non communicaretur, nec intimè imbiberetur per modum transcendentis in Spiritu S. aut eius processione: & ideò, nec communicaret eis, quòd essent proximè, & formaliter vera, & quid conforme cum diuino intellectu. Sicut in eadem implicatione, tunc Spiritus S & eius processio non existerent; non quidem ex defectu existentiæ, quia existunt per existentiam propriam diuinæ essentiæ, & ab ea eis communicatam; sed quia in eo euentu prædicta existentia eis non communicaretur.*

Dices. alio Pater est Pater, *& generat filium & alio filius est filius, & spirat Spiritum S. sed illo, quo Pater est Pater, hæc est vera ex parte rerum:* Pater generat filium; *eo autem, quo filius est filius, hæc est vera:* Filius est genitus à Patre. *ergo si loquamur ex parte rerum, & obiectiuè dabuntur plures veritates in diuinis.*

Resp. ex D. Thoma.

Resp. S. Doctorem. hac forma prædictæ obiectioni respondere quæst. 1. de veritate art. 5. ad 19. Dicendum, *quod quamuis alio Pater sit* Pater, & alio filius sit filius; quia hoc est paternitate, illud filiatione; tamen idem est: quo Pater est, & quo filius est: quia vtrumque est per essentiam diuinam, quæ vna est: Ratio autem veritatis non fundatur super rationem Paternitatis, & filiationis, inquantùm huiusmodi, sed super rationem entitatis: Paternitas autem, & filiatio sunt vna essentia, & ideò vna est veritas vtriusque.

S. Doctor negat relationibus veritates obiectiuas.

Vbi, vt vides, Angelicus Præceptor negat Paternitatis, ac filiationis proprias veritates obiectiuas, licèt eis non neget; sed potiùs concedat proprias realitates constitutiuas personarum; quia ad hoc satis est realitas, quæ non sit ipsum esse intra proprias lineas, aut principium essendi: cùm tamen ad fundandam propriam veritatem non sit satis quælibet realitas; sed realitas, quæ sit entitas creaturarum dicit saltem id, quod est principium essendi: & in diuinis id, quod simul est principium essendi, & suum esse.

703
4. Obiectio.

Arg. 4 Relationes *diuinæ habent suam propriam immaterialitatem, & depurationem à materialitate, & potentialitate, quia ex propria linea superant in immaterialitate entia creata. ergo habent ex propria linea intelligibilitatem, ac veritatem; tùm intelligibilitas sequatur ad veritatem.*

Resp. conced. Antec. de immaterialitate, quæ non cõstituit peculiarem gradum essendi.

Resp. dist. Antec. & conced. illud de immaterialitate, quæ non constituit peculiarem gradum essendi; sed reducitur ad gradum immaterialitatis diuinæ essentiæ: neg. verò de immaterialitate constituente peculiarem gradum essendi: ad quem sequitur propria veritas, ac transcendentalis intelligibilitas: distincta ab alijs immaterialitatibus, & intelligibilitatibus: sicuti enim intelligibilitas diuinarum relationum non constituit, nec spectat ad obiectum omnino primarium beatitudinis; sed quasi ad secundarium; vt dixi tom. 1. qu. 14. art. 2. ea ratione, quia non habent immaterialitatem omninò à se, quæ sit ipsissimum esse primum intellectuale, & immateriale, sed quasi emanaret ab essentia; & supponunt essentiam constitutam in sua quasi specie, & gradu essendi: ità non habent immaterialitatem, quę sit ipsa veritas transcendentalis, cum hæc sit de primario conceptu essendi; non de secundario. propterea creaturæ possibiles, quæ dicunt entitatem possibilem, quæ in genere causæ formalis, sit principium essendi, sunt veræ; licet non sint bonæ, nisi dicant existentiam in aliqua temporis differentia futuram.

Quomodò intelligibilitas sequatur immaterialitaté.

Adde. ad quamuis immaterialitatem sequitur intelligibilitas, vel proximè, vel remotè: quatenùs vel ratione sui infert intelligibilitatem; vel ratione sui petit imbibere aliquid per modum transcendentis, à quo subsequatur intelligibilitas, vt in diuinis relationibus petentibus imbibere diuinam essentiam per modum transcendentis, constat.

704
Instabis.

Dices. in creaturis personalitas fundat veritatem. quia in creaturis quæuis formalitas affert propriam cõformitatem obiectiuam cum intellectu. ergo & in diuinis, ex paritate rationis.

Resp. neg. cõseq. nam in creaturis personalitas est principium essendi.

Resp. neg. conseq. & ratio disparitatis est. nam in creaturis personalitas est quodammodo principium essendi, ex eo, quod existentia aduenit post ipsam. & personalitas determinat quodammodo ad prædictam existentiam. Cæterum relationes diuinæ dicunt realitatem, quæ ex vi suæ lineæ non est principium essendi, quia supponunt existentiam diuinæ essentiæ, per quam existunt: & ideò ex vi suæ lineæ cum præcisione sumptæ, nõ habent proximè, & immediatè fundare veritatẽ.

705
Petes 5.

Petes 5. An vbi reperitur pluralitas in diuinis, reperiatur etiam numerus transcendentalis.

Resp. affirm. prob. ex sacr. scrip. Cõcilijs, & Patribus.

Resp. dari in diuinis numerum transcendentalem personarum, & omnium aliarum rerum, quę in diuinis multiplicantur. ita communiter Theologi contra Magistrum. Prob. 1. de hoc mysterio, & de his, quæ in illo reperiuntur debemus loqui iuxta id, quod ex scriptura, Concilijs, *& Patribus habemus: sed ex omnibus istis habemus dari in personis diuinis numerũ transcẽdentalem propriè sumptum: ergo ita sentiendum est. mi. prob. ex scrip. dicitur 1. Ioa. vlt.* Tres sunt, qui testimonium dant in Cęlo, Pater, Verbum, & Spiritus S., & hi tres vnum sunt. *Vbi per nomen illud numerale* tres *significatur personarum ternarius: verba. n. scripturæ sunt in proprio sensu intelligenda, quando ex eis non sequitur aliquod absurdum, vt communiter cum Augustino asserunt Theologi. Ex Concil. Toletano XI. in confessione veræ fidei dicitur:* in relatione personarum numerus cernitur: *Constant. III. act. 11. & alijs. Ex Patribus. Bernardus lib. 5. de consid. c. 7.* Quid sibi vult iste, vt ita loquar, absque numero numerus? Si tria, quomodo non numerus? Si vnum, vbi numerus? Sed habeo, inquis, quid numerem, & quid non numerem; substantia vna est; personæ tres sunt. *Et D. Th. hic art. 3. & q. 9 de potent. art. 5.*

Cõfirm. quia imperfectiones non sunt de numero transcendentali, vt sic.

Confirm quia & si dentur aliquæ imperfectiones in numero transcendentali creato, vt quòd ibi sit aliqua cõpositio partiũ respectu totius numeri, quod sit in eo maius, aut minus, vel quòd sit multitudo numerata per vnum. attamen istæ imperfectiones non afferuntur à prædicto numero secundùm rationẽ generalem numeri, vt est analogicè communis numero creato, & increato, sed ob specialem rationem numeri creati: ergo non est, cur numerus, qui in scriptura Patribus, & Concilijs tribuitur Deo, non intelligatur in sensu proprio. nam ideò ratio sapientiæ, quæ iuxta scripturam, & Patres tribuitur Deo, attribuitur illi in sensu proprio; quia licèt in creaturis dicat limitationẽ ratione limitationis earum, non tamen id competit ei

secundum

e cundùm rationem generalem suę analogiæ secundùm quam est communis Deo, & creaturis.

706 Prob. 2. nam in diuinis, quęuis persona affert suã propriam vnitatẽ.

Prob. 2. Concl. in diuinis quæuis persona affert suam propriam vnitatem propriè sumptam; ergo ab omnibus illis constituetur seclusis imperfectionibus, numerus transcendentalis propriè sumptus. Quia vnitates ex se sunt constitutiuę numeri, sicut & pluralitatis, & multitudinis: ergo vnitates ab imperfectionibus liberæ: liberum ab imperfectionibus constituent numerũ: sicut quia vnitates ex se pluralitatis, ac multitudinis sunt constitutiuę, ideircò vnitates omnem imperfectionem excludentes, constituunt pluralitatem, & multitudinem ab omnibus imperfectionibus liberam.

Instabis 1.

Dices 1. Ex Concil. Toletano XI. in confessione fidei sic habetur. hæc ergo S. Trinitas quę vnus, & verus est Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero: ergo.

Resp. explicãdo mentem Concil. Tolet.

Resp. Concilium Toletanum solùm voluisse negare numerum ex parte essentiæ, admittere tamen illum ex parte personarum: & propterea inquit; quòd nec recedit à numero: Si quidem in personis reperitur numerus: nec capitur numero: ex eo, quod in essentia diuina sunt prorsus vnum, & idem.

707 instabis 2.

Dices. 2. sequi ex nostra conclusione, dari in diuinis compositionem. Siquidem numerus componitur ex vnitatibus.

Resp. compositionem reperiri in numero abstracto, non verò in numero subsistentium personarum.

Resp. neg. seq. ad prob. dicendum, quòd etsi in numero absoluto, & abstracto semper inueniatur compositio; non autem in numero personarum, seu relationum subsistentium. nam ad numeri compositionem duo requiruntur. Primum. quod constet ex rebus distinctis ex parte obiecti. Secundum est, vt hęc distincta sint vnibilia, vel vnione ordinis, vel numerabilitatis: vt dist. tom. 1. q. 3 siquidem compositio est plurium distinctorum vnio. ac proinde vna ex illis rebus, & vnitatibus, debet comparari per modum formæ, & alia per modum materiæ: quare, si aliquis numerus importet plures res, & vnitates, quatenus inter se distincta, & opposita sunt; non verò in eisdem rebus, aut vnitatibus fuerit aliqua formalitas, aut munus secundùm quod sint vnibiles, & comparentur per modum materię, & formæ: sed tantùm sunt distinctæ per modum oppositionis, vt sunt personæ: tunc tales vnitates non sunt ordinatę ad componendum; sed tantùm ad distinctionẽ per oppositionem; inquantùm vna non est alteri vnibilis; sed potius vna ab altera refugit; quatenus ab ea per oppositionem distinguntur.

708 Instabis 3.

Dices 3. sequi ex conclusione, inueniri in diuinis rationem totius, & partis, quod cùm diuina simplicitate pugnat.

Respond.

Resp. neg. sequelã. quia vbi non est compositio, nequit ratio totius, & partium dari. & licèt in numero abstracto, & absoluto, in quo datur compositio, debeat admitti ratio totius, & partium; non tamen in numero trium diuinarum personarum, in quo compositio non est admittenda.

Instabis 4.

Dices. 4. Personas diuinas esse mensuratas ab aliqua mensura, quod tamen repugnat earum immensitati: seq. prob. quia, quod continetur sub aliquo numero determinato, mensuratur ab illo: eo quod numerus est mensura rerum mensuratarum. tùm etiam, quia numerus est multitudo mensurata per vnum.

Resp. nomine numeri, vel intelligi numerum numerãtem; vel res numeratas.

Resp. neq. seq. & ad duplicem prob. dicendum est, nomine numeri, vel intelligitur numerus numerans, vt duo, vel tria, abstractus ab omni materia, sub quo continetur quodammodo numerus numeratus trium personarum; & concedimus: sicuti concedimus æternitatem quodammodo mensurari tempore imaginario: quia vtrumque est mensura extrinseca: vel intelliguntur vnitates importata ab ipso numero, qui est in rebus: & tunc illa maxima, Numerus est multitudo mensurata per vnũ: non intelligitur de numero, in quo singulæ vnitates sunt tantæ perfectionis; quantę sunt totus numerus, & è conuerso: vt est diuina essentia per modum trascendẽtis, in personis: sed intelligitur, de numero numerante abstracto, & absoluto: idest de vnitatibus multiplicatis, & distinctis, ac vnibilibus ex parte rei conceptię. sed adhuc restant tres difficultates contra prędictam doctrinam.

Prima Difficultas. Si in numero diuinarum relationum non admittitur compositio; ergo neque in creatis numerus binarius. v. g. Paternitatis, & filiationis erit compositus; quia etiam constat ex relationibus; quatenus inter se habent in esse relationum esse oppositas, ac distinctas. 709 1. Difficultas.

Resp. esse disparem rationem inter diuinas, & creatas relationes.

Resp. neq. seq. & ad prob. esse disparem rationem inter diuinas, & creatas relationes. nam illę sunt infinitę intrà suas lineas; & ideò vltra oppositionem, quam dicunt; non possunt dicere aliam rationem formalem, ratione cuius sint vnibiles; ita vt altera se habeat per modum materiæ, & altera per modum formę: quia tunc essent incompletę, & finitæ: vt per se patet: secus verò in creatis: & ideò licèt quatenus pręcisè oppositæ, non dicant numerum compositum attamen, quia ratione suæ finitatis, & limitationis non repugnat eis, vt distinguantur numericè per ordinem ad subiecta: & non per ordinem ad correlatiuum, cui opponuntur, nec quòd faciant vnum per accidens; idcircò quatenus sunt numericè distinctæ, possunt constituere numerum compositum compositione per accidens, & non per se.

Secunda Difficultas. Si numerus abstractus abstractione formali per nos dicit compositionem, signum erit illas inueniri in omni numero numerato, qui est in rebus: Confirm. nam si sapientia v. g. abstracta abstractione formali ab hac, vel illa sapientia non posset non dicere compositionem metaphysicam, tunc non posset reperiri in Deo: ergo à pari. 710 2. Difficultas.

Confirm.

Resp. numerus abstractus ratione suæ formalis abstractionis nõ potest pręscindere à compositione.

Resp. neg. seq. quia numerus abstractus ratione suę formalis abstractionis non potest pręscindere ab omni compositione? quia semper constat ex vnitatibus, quæ sunt vnibiles: tamen est capax, vt ratione alicuius peculiaris materiæ, ratione cuius contrahitur, impediatur à pręcicta imperfectione; si quidem sicut tali formę, vt abstractę, accrescit status abstractionis; ità, ei vt abstractæ deficit peculiaris modus contrahibilis à tali materia, scil. à numero diuino sine talibus imperfectionibus: Vndè prædicta ratio numeri est talis conditionis, vt licèt quatenus est abstracta ratione formali, dicat compositionem; nihilominùs, quia hoc conuenit ei ratione status abstractionis; non quidem formaliter, & immediatè sed per modum remouentis prohibens, idest remouentis illam specialem materiam, seu rationem materialem, quę impeditura erat prædictam compositionem; idcircò est de numero earum rerum, quæ possunt in diuinis reperire: quia ad hoc satis est, vt sit capax essendi in tali materia; quæ impediat prædictam compositionem.

Ad Confirm. Resp.

Ad Confirm. Resp. esse disparem rationem, quia sapientia, adhuc quatenus abstracta abstractione formali; ex vi suę lineę, & ex meritis suę rationis formalis, pręscindit à compositione metaphysica; quia formaliter tantùm dicit, esse cognitionẽ rerum peraltissimas causas; & similiter ratione specialis materię, nempè diuinę: debet carere omni compositione: secùs est de numero formaliter abstracto, vt dictum est.

Tertia difficultas. Numerus trium personarum repertus in diuinis reuera est vnicus terminus, ac proindè habet vnicam ternarij essentiam; ergo cum prędictus ternarius non sit vnitus per simplicitatem: siquidem hoc pugnat cum pluralitate vnitatum, quas importat; consequens erit, vt sit vnicum per compositionem: cùm omne, quod est vnum quid, debeat esse vnum alterum ex his duobus modis, nempè, vel per simplicitatem, vel per compositionem. 711 3. Difficultas.

Resp. numerũ ternarium diuinarum personarum habere vnicam essentiam.

Resp. conced. numerum ternarium diuinarum personarum habere vnicam essentiam numeri ternarij, atque adeò non esse vnum per accidens, cùm vnitates ab eo importatæ, non existant per diuersas existentias, item quòd tales vnitas sit per se: & tandem, quòd non sit vna per simplicitatem: cùm certum sit importare plures vnitates realiter inter se distinctas. Negamus tamen, indè sequi, prædictum essentiam esse vnam per compositionem; quia non importat vnitates, vt vnibiles, sed solùm vt distinctas per oppositionem quarum vna non se habet per modum materiæ, & altera per modum formę: quod desiderabatur ad rationem compositionis, vt supradictum est.

DVBIVM VNICVM.

An in tribus diuinis personis sint tres subsistentiæ relatiuæ.

712 *Prima Concl. affirm. de fide definita in 5. synodo generali.*

PRima Concl. affirmatiua de subsistentijs in concreto acceptis, hoc est de tribus subsistentibus, merito censetur ab omnibus certa secundum fidé, non minùs, ac certum est, tres in Deo esse personas, earumque personalitates esse relatiuas. hinc enim posito principio naturaliter noto, quod persona nihil est aliud, quàm rationalis natura perfectè subsistens; per euidentem consequentiam sequitur, in Deo tres esse relatiue subsistentes. Habemus etiam magis expressas, ac directas Ecclesiæ definitiones. Quinta Synodus generalis, quæ est secunda Costantinopolitana in Confessione, seu Collat. 8. Can. 1. ita habet, *Si quis non confitetur vnam Deitatem in tribus subsistentijs, siuè personis adorandam, anathema sit.* Illa disiunctiua, *siuè personis*, probabiliter innuit, nomen subsistentiæ sumi in concreto, sicut concretum est nomen personæ.

713 *Sexta quoque synodus, quæ est tertia Constantinopolitana, idem confirmat, ac statuit.*

Sexta quoque Synodus, quę est tertia Constantinopolitana in epist. 2. Agathonis Papæ, & Romanæ Synodi, quæ est instructio Legatorum colum. 3. in professione Fidei, docet, esse credendam, *Trinitatē in vnitate, & vnitatem in Trinitate: vnitatem quidem essentiæ, Trinitatem verò personarum, siuè subsistentiarum. Non trium nominum subsistentiam, sed trium subsistentiarum vnam substantiam.* Sic enim legunt nouissimi, & emēdatiores Codices; & ita esse legendum, & non, *vnam subsistantiam*, ipsemet contextus clarissime indicat, vt patet legenti antecedentia, & subsequentia. Quæ epistola recipitur ab eadem sexta Synodo act. 17. Col. 4. & act. 10. in quadam fidei Confessione quorundam Episcoporū, credimus, *Trinitatē secundum subsistentias, siuè personas.* Item act. 11. Sophronius. *Credimus*, inquit, *Trinitatem pro tribus subsistentijs.* Et post pauca verba, *Sancta Trinitas numerabilis personalibus facta est subsistentijs. Diuiditur namque numerabilibus subsistentijs, & numeratur personalibus alteritatibus;* & post nonnulla iterum, *subsistentiæ tres pronuntiantur.* &, *Sabellianorum ista est prauitas, in vnam subsistentiam tres confundere subsistentias*, & rursus, *Impium est orthodoxis, & à veritate prorsus proiectū est, tàm singularitas secundùm subsistētiam, quàm ternalitas in naturis.*

714 *2. Conclus. In tribus diuinis personis sunt tres subsistentiæ realiter distinctæ.*

2. Concl. In tribus diuinis personis sunt tres subsistentiæ realiter distinctę, non solùm in concreto, sed etiam in abstracto, itaut tres diuinæ personę sint tres subsistentes non solùm per vnam communem subsistentiam absolutam, sed etiam per tres relatiuas subsistentias, quarum vnaquæque sit propria alicuius determinatæ personæ, & non alterius: & sicut sunt tres personales relationes ratione distinctæ ab essentia, & realiter distinctæ inter se, ita etiā tres personales subsistentię. Ita Genebrad. lib. 2. de Trinit. aliquanto post principium § *Adhibenda.* Ex ijs etiam, qui admittunt quartam subsistentiam, idem sentiunt omnes pro illa supra cit. Et Caiet. qu. 39. art. 4. §. *ad euidentiam*, & 3. p. quæst. 2. art. 2 circa finem; & distinctiùs, ac fusiùs q. 3. art. 2. §. *Ad hanc quæstionem.* Et art. 3. in respons. ad 1. & 2. probant tres subsistentias relatiuas personales, & vnam subsistentiam absolutam essentialem. Et significant Scotus 3. d. 1. q. 2. immediate ante §. *ad argumenta principalia*, & alibi multis in locis. Palud. 3. d. 1. q. 2. Colum. 15. immediatè ante §. *Ad argumenta ergo tertiæ opinionis.* Et alibi Hæruęus quoque 1. d. 2. q. 4. in fine corp. obiter, sed expresse admittit tres substantias relatiuas. Et N. PP. Salmaticenses hic, quas tamen negant multi Authores, vt Albertus dicens, omnes contrarias authoritates posse exponi de subsistentijs in concreto, iuxtà 1. Concl. Durand. Argent. Capreol. Hispalen. Marsil. Ferrarien.

715 *Prob. 1. Auth. D. Th. pluribus in locis, in quibus asserit in diuinis tres subsistentias, sicut tres personas.*

At vero S. Th. qui sine dubio est pro subsistentia absoluta, quam propterea omnes ferè Thomistæ amplexati sunt, licèt de relatiuis subsistentijs dissentiāt, videtur etiam pro subsistentijs relatiuis; quamuis magnam occasionem dederit nonnullis Thomistis opinandi contrarium, vt patet ex eius dictis. Is igitur supra q. 29. art. 2. ad 2. ait, *Sicut nos dicimus in diuinis pluraliter tres personas, & tres subsistentias, ità Græci dicunt tres hypostases.* Sed diuinæ hypostases, & personæ sunt plures realiter distinctæ; ergo & subsistentię. Et infra q. 40. art. 3. post med. corp. *Proprietates personales non sic intelliguntur aduenire hypostasibus diuinis, sicut forma subiecto præexistenti: sed ferunt secum sua supposita, inquantùm sunt ipsæ personæ subsistentes.* Certe non ferrent secum sua supposita, si nullam secum ferrent subsistentiam, sine qua suppositū est in intelligibile; *quia natura*, inquit S. Th. 3. p. q. 2 art. 2. circa med. Corp. *dicit suppositū; secundùm, quod est subsistens.* Vbi cùm in fine corp. dixisset, quod *Verbum habet naturam humanam sibi vnitam in persona, non in natura*: statim ad 1. docet, quod *natura humana sic vnita Verbo, & Verbum in ea subsistat.* Ergo à Verbi persona, non à natura, habet humanitas Christi, vt subsistat; ergo in Verbi persona est propria aliqua personalis subsistentia, & non solùm communis subsistentia naturæ, alioquin formalis terminus vnionis, quo humanitas subsistit, esset natura.

Si alibi contrarium doceat D. Th. intelligendus est de subsistentia absoluta.

Quarè cùm alibi contrarium significat, est explicandus de subsistentia absoluta. Et ideo cùm infrà q. 40. art. 2 ad 2. dixisset, *quòd personæ diuinæ non distinguuntur in esse, in quo subsistunt;* immediate subiungit, *Neque in aliquo absoluto; sed solùm secundum id, quod ad aliquid dicuntur*: significans, quod in personis sit aliud proprium esse relatiuum, in quo relatiuè subsistant. De absoluto igitur subsistere, quod est propriè, ac simpliciter subsistere, dixit D. Th. de Potent. q. 2. art. 1. *Diuina natura, non accipit esse per supposita*; quia per suum perfectissimum esse essentiale, per se, & in se subsistens, est in omnibus suis suppositis. Et q. 8 art. 3. ad 7. *Relatio, inquantū est relatio non habet, quod subsistat, vel subsistere faciat, sed inquantum est essentia diuina.* Et q. 9. art. 5. ad 13. *In diuinis proprietates personales non sunt principium subsistendi diuinæ essentiæ; sed è conuerso, habent, quòd subsistant ab essentia.*

716 *De eadem subsistentia absoluta intelligendus est Augustinus.*

De eadem subsistētia absoluta, & essentiali, quæ est propria substantiæ simpliciter dictę, intelligi potest August. lib. 7. de Trinit. c. 4. fine, dum probat, quòd *hoc est, Deo esse; quod subsistere*; quia, inquit, *si aliud est Deo esse, aliud subsistere, relatiuè ergo subsistit.* Quod consequens absurdum esse, docet ex eo, quod *iam substantia, quàm ab eo, quod est subsistere, substantiam dicimus, nō erit substantia, quia relatiuum erit. Absurdum est enim, vt substantia relatiuè dicatur. Omnis enim res, ad seipsam subsistit, quantò magis Deus.* Quibus verbis satis apertè nullum subsistere relatiuum, sed absolutum tantùm videtur in Deo agnoscere. Et sanè aduersarij, qui Deo negant omne subsistere ad se, coguntur dicere, Augustinum negasse omnes subsistentias relatiuas, quod de viro in Concilijs versatissimo, non est credibile. Vult igitur, nullum subsistere dici relatiuè, sed tantum absolutè, nam relatio etiam diuina, quatenus præcisa ab essentia ex se, & ex proprijs, non tàm est substantia simpliciter dicta, quàm substantia talis, nempe relatiua, quæ est modus, seu terminus substantialis potiùs, quàm substantia; sed esse perfectissimum, & absolutè dictum subsistentię habet, quatenus in re ipsa identificatur cum essentia. Idemque dicendum de subsistere, quia ipsomet Aug. docente ibid. *Sicut ab eo, quod est esse, appellatur essentia: ita ab eo, quod est subsistere, substantiam dicimus.*

Prob. 2. Concl. Authoritate Conciliorum, & PP.

Prima probatio sumi potest ex auctoritate Conciliorum, & Patrum supra in Concl. prima, quæ mihi videtur valde vrgens. Enim verò Concilia, & Patres frequentissimè docent, & grauissimè in ipsiusmet fidei professionibus confitentur, in Deo esse tres subsistentias.

717 *Euasio.*

Neq; satisfaciūt aduersarij explicātes de tribus subsistētijs in cōcreto. Quia aliquando explicari vere nō possunt

possunt, nisi in abstracto, vt Sophronius, à quo creditur, *S. Trinitas numerabilis personalibus subsistentijs*. *Praeluditur. quia non est credibile, personas subsistentes, vocari personales subsistetias* Nimis certè durum, & non est prudenter credibile, Personas subsistentes vocari personales subsistentias, quia subsistentia personalis non est tota ipsa persona subsistens, sed est formalis ratio constitutiua personæ, vt subsistentis; sicut relatio personalis est formalis ratio constitutiua personæ, vt relatæ, & non est ipsa persona relata aliundè, quàm ex personali relatione; ergo nec subsistentia personalis benè dicitur ipsa persona subsistens aliundè, quàm ex subsistentia propria personæ, nimirum ex subsistentia communi naturæ. Quis enim quæso Deum communem tribus personis, vel absolutam naturę diuinę existentiã, sapientiam, &c. vocauerit Deitatem personalem, existentiam, ac sapientiam personalem? hæc enim denominatio personalis semper apud Patres, aliosque omnes Catholicos Doctores in hac materia de Trinitate sumitur pro re aliqua propria vnius personę, & non alterius; ideò enim relatio spiratoris non dicitur personalis, sicut dicuntur personales reliquæ tres relationes, quoniã illa non est vni tantum personæ propria, sicut aliæ, sed duabus personis, hoc est, Patri & Filio communis.

718 *Si in Deo nulla alia subsistentia esset nisi communis; non licuisset Patribus eam vocare subsistentias personales.* Ergo si nulla alia in Deo subsistentia est nisi communis, non licuisset Sophronio eam vocare subsistẽtias personales, præsertim cùm dicat, his subsistentijs numerari tres personas; ergo non est vna subsistentia in tribus; sic enim non personę numerarentur subsistentijs, sed contra potius, subsistentiæ numerarentur personis, ita vt, ideò essent tres subsistentię, quia sunt tres personę, & non ideò essent tres personę, quia sunt tres subsistentiæ. Sicut igitur si esset vna albedo in tribus hominibus, dici non posset Trinitas hominum numerabilis facta humanis albedinibus; ita si vna tantum subsistentia esset in tribus diuinis personis, nulla ratione à Sophronio dici potuisset, *Sancta Trinitas numerabilis facta personalibus subsistentijs*. Eodem prorsus modo discurrere licèt ex alijs similibus verbis Theodori in Concil. Nicæno secundo, *Trinitas diuisa est numerarijs subsistentijs, & numerata personalibus alteritatibus*. Sicut enim ex hoc secundo membro certum est, nõ esse vnam alteritatem in tribus personis; ita pariter certum esse debet, non posse esse vnam numerariam subsistentiam in tribus personis. Et sanè mirabile est dicere, Trinitatem, seu tres diuinas personas diuidi numerarijs subsistentijs, & tamen interpretari subsistentias in concreto pro personis subsistentibus. Quis enim ferat istum sensum, qui ex hac interpretatione efficitur, Tres personę diuiduntur personis subsistentibus? Et cum dicantur personæ diuidi numerarijs subsistentijs, & non diuidi subsistentię numerarijs personis, fatendum omninò videtur, Personas esse tres propter tres subsistentias, & non subsistentias esse tres propter personas.

719 *Prob. 2. ratione quia in Deo sunt tres personalitates relatiuæ distinctæ realiter; ergo tres subsistẽtiæ.* Probatio secunda principalis sumitur ex ratione fundata in essentiali conceptu personalitatis. In Deo sunt tres personalitates relatiuę distinæ realiter quia sunt tres personæ, & persona est vox concreta substantiua, quæ non multiplicatur, nisi multiplicata forma, quam formaliter, & expressè significat; ergo sunt eodem modo tres subsistentiæ. Conseq. patet ex eo, quòd de essentiali ratione personalitatis est subsistentia incõmunicabilitatis; itaut quamuis non omnis subsistentia simpliciter, sit personalitas, tamen nulla personalitas sit, quæ etiam, vt personalitas reduplicatiuè, non imbibit omnino inseparabiliter, & essentialiter conceptum subsistentię. Hanc enim ob causam homo, & quæuis alia creata natura intellectualis per personalitatem habet subsistere; & natura humana Christi, quia caret personalitate creata, caret etiam creata subsistentia: Atque ita videtur personalitas, vt personalitas, esse subsistẽtia, tametsi non omnis subsistentia sit personalitas, quemadmodum omnis substantia, etiam reduplicata secundùm vltimam suam propriam, ac formalem differentiam, est ens, siuè entitas, quàmuis non omne ens, siuè entitas, sit substantia; & quemadmodum ipsamet personalitas, vt sic, est modus, seu forma, seu terminus; quàmuis non omnis modus, seu forma, seu terminus, sit personalitas.

720 *Euasio.* Dices cum aduersarijs, subsistentiam omnem diuinam haberi ab essentia, incommunicabilitatem vero subsistendi haberi à relationibus personalibus: formale enim constitutiuum personalitatis non esse subsistentiam, sed esse in diuinis rationem relationis suppositi, qua absoluta naturę subsistentia reddatur incommunicabilis, & quia hæ relationes personales sunt tres, ideò tres etiam esse incommunicabilitates subsistendi, & in hoc sensu dici tres personalitates, & tres subsistentias, non simpliciter, sed quatenus incommunicabiles.

Impugnatur 1 Contra verò est 1. quia personalitas est vltimus naturæ rationalis terminus; non qualiscumque, sed in se intrinsecè substãtialis, se ipso formaliter faciens, vt esse substantiale naturæ sit per se, & in se omninò completum, ac terminatum in genere substantiæ; quòd non potest intelligi prouenire à puro conceptu relationis, vt relatio simpliciter est, nisi & illa in se intrinsecè sit ipsa ratio subsistendi incommunicabiliter. *2. Praeluditur. Si relationes personales ex se non tribuerent incõmunicabilitatem sibi Deus, esset persona.* Secundò si relationes personales, vt præcisè ab essentia, non tribuerent incommunicabilitatem per propriam rationem relatiuam subsistendi, sequeretur, hunc Deum subsistentem, esse verè, ac propriè personam; quia incommunicabilitati personæ repugnat solùm communicari alijs subsistentijs, quibus vlteriùs terminetur in eodem genere substantię, qualem incommunicabilitatem de facto habet secundùm aduersarios natura diuina à personalitatibus præcisa. Non repugnat autem communicari alijs formis non subsistentibus, sicut de facto personis Patris, & Filij aduenire intelligitur, & realiter communicatur spirandi relatio, non se subsistens, & sicut persona Verbi communicatur naturę humanę Christi, non aliundè subsistenti; ergo si relationes non essent ex proprio conceptu subsistentes, posset hic Deus, quantumuis esset persona, illis tanquam formis communicari ad identificandum sibi illas, & inter se distinctas, & incommunicabiles.

721 *3. Praeluditur. quia suppositũ substantiale significat propriè sub alio positum.* Tertio eandem responsionem impugno ex nomine, ac ratione suppositi. Nam suppositum substantiale significat propriè sub alio positum, seu a teri suppositum substantialiter, hoc est, in ratione subsistendi. Sed natura diuina est verè, ac propriè in tribus diuinis suppositis; ergo per tres distinctas rationes subsistendi; ergo si illa natura rationem formalem suppositi habet à solis relationibus personalibus, hæ in abstracto conceptæ includere in se debent rationem subsistendi: alioquin intelligi non possent, vt rationes sub natura positę, nimirũ substantialiter, ad hoc vt per illas natura subsistat incõmunicabiliter. Ergo non possunt includere puram incõmunicabilitatem præcisè ab omni ratione subsistendi; sic .n. potius relatio incõmunicabilis supponitaretur in natura, & illi inexisteret, quàm naturam in relatione, vel in aliqua alia suppositi ratione, & natura ipsa esset suppositum substantiale relationũ omnium, nõ autem relationes essent supposita substantialia naturæ; quoniam omnes relationes subsisterent simpliciter ratione naturæ, natura verò nullo modo subsisteret ratione relationũ: quemadmodũ de facto, quia relatio spirandi non affert aliquam subsistendi rationem, ideò non est relatio personalis, nec ingreditur rationem alicuius diuini suppositi, suppositantis substantialiter naturam, sed identificatur cum suppositis Patris, & Filij.

722 *4. Praeluditur. quia, sicut subsistentia absoluta non diuiditur in duas rationes ... quæ diuidenda est relatiua.* Quarto argumentor à contrario, subsistẽtia communicabilis, quam aduersarij etiam admittunt, non est subsistentia per vnam rationem, & communicabilis per aliam rationem, sed se ipsa formaliter, & prorsus indiuisibiliter est subsistentia talis, quæ in ipsa intrinseca subsistentiæ ratione includit communicabilitatem; sicut includit esse absolutum, & infinitum cum nullo habens oppositionem, vnde prouenit, vt sit communicabilis; ergo pari ratione subsistentia incommunicabilis, quæ secundùm omnes spectat ad essentiam suppositi, non debet in duos cõceptus

ceptus ita diuidi,& per vnum habeat rationem subsistentię, prærtertim communicabilis supposito, quæ communicabilitas directè contradicit subsistentię suppositali, & per alium habeat rationem incommunicabilitatis puræ, & præcise à qualibet subsistẽtia. Sed debet esse subsistentia talis, nimirum relatiua,& opposita,quæ in ipsamet subsistendi ratione includat intrinsece incommunicabilitatem,sicut includit rationem respectiui, & oppositi. Ita enim videtur concipienda subsistentia incommunicabilis, quæ constituit suppositũ, quemadmodum concipitur diuina paternitas, v. g. quod sit relatio incommunicabilis,aut relatio personę, vel subsistentia relatiua: neque enim per aliud est relatio,& per aliud est incommunicabilis, aut personalis; vel per aliud est subsistentia, & per aliud relatiua. Sic igitur incõmunicabilitas propria supposito,cùm sit incommunicabilitas substantialis,se ipsa formaliter vltimo terminans naturam in ratione substantiali, quæ alia esse nõ potest,nisi ratio subsistendi, concipienda est, vt subsistentia talis, quę ex sua formalitate sit vltimus,& incommunicabilis terminus naturæ. Aliter non video,quo modo vitari possit sententia Caiet. art. præced. affirmantis, Deitatem secundùm se esse semipersonam; nam integra persona est subsistens incommunicabiliter, & integra personalitas, seu suppositalitas,est subsistentia incommunicabilis. Sed per te omnis subsistentia est tantùm in Deitate, & in relationibus personalibus est sola incõmunicabilitas; ergo non quicquid pertinet ad essentialem conceptum suppositalitatis habetur extra naturam; sed subsistentia,quæ si non est tota suppositalitas; certè est illius pars, eaque pręcipua habetur intrinsecè inclusa in essentia naturæ; ergo hęc est proprijssimè,si non totum,saltem semi suppositum.

Aliter sequeretur,quod hic Deus,esset semi persona, quod est falsum.

723 *Præcluditur. 5. quia ex opposita suasione,sequerentur plura absurda.*

Quinto hæc sententia diuidens quodammodo rationẽ suppositi,& partim ponens in natura, partim in relatione personali,minime cohærere videtur cũ multis,quę omnes credimus,atque sentimus. Dicimus primo,naturam humanam Christi non habere propriam personalitatem,ac subsistentiam, sed subsistere subsistẽtia Verbi, non Patris, aut Spiritus Sancti: quoniam Incarnatio facta est, nõ secundùm naturam communem Patri, Filio, & Spiritui Sancti, sed secundùm propriam Verbi personam,seu personalem subsistentiam, ad quam immediatè, & formaliter terminatur vnio hypostatica. Hoc autem minùs intelligibile fit,si ponatur in diuinis vna tantum absoluta, & communis subsistentia naturæ: tunc enim Christi humanitas non subsisteret simpliciter,nec in esse sustentaretur subsistentia propria vnius personę: sed omnium personarum communi, solam quidem, & pręcisam incommunicabilitatem subsistendi haberet à Verbo: ipsum vero subsistere non plus haberet à Verbo, quam à Patre, & Spiritu S. Ipsa quoque vnio hypostatica terminata formaliter ad subsistentiam incommunicabilem, non minus terminaretur ad id, quod est commune toti Trinitati, quàm ad id, quod est vni tantum personę proprium. Quæ in materia de Incarnatione reijciuntur, tanquam absurda, multum aliena ab ijs, quæ Concilia, & Patres docent. Dicimus secundò, productionem personæ terminari formaliter ad rem subsistẽtem, definiente Florent. in literis vnionis, Filium esse principium subsistentiæ Spiritus S. sicut & Patrem. Quod absolutè dicere nequeunt Aduersarij: sed solùm esse principium relationis, siue incommunicabilitatis Spiritus Sancti. Tertio dicimus, oppositionem relatiuam in diuinis esse inter res ex se, & ex proprio conceptu subsistentes. At per aduersarios esset inter res ex communi essentia naturæ, absque vlla oppositione simpliciter subsistentes vnica subsistentia.

Primò non cohæret cum his, quę dicimus de Christi personalitate.

Secundò, non subsisteret pro ductionẽ personę terminari formaliter ad rem subsistentẽ

Tertiò,sequeretur &c.

Quartò, non possemus dicere, naturam diuinã esse in tribus subsistẽtijs.

Quarto, naturam diuinam esse in tribus subsistentijs, seu subsistentibus: sed dicendum esset in contraria sententia, tres relationes esse in vna Dei subsistentia, & in vno subsistente Deo. Saltem posita vna tantùm subsistentia, multo magis propriè diceretur, in Deo esse vnum subsistens affectum tribus relationibus incommunicabilibus,quàm in Deo esse tres subsistentes, siue tres subsistentias. Et nihilominus hic secundum loquendi modum semper vsurpatur à Concilijs, & Patribus superiùs adductis, primus vero nunquam. Quintò dicimus, esse in diuinis tria habentia Deitatem. Sed Aduersarij dicere tantùm propriè possunt, esse vnum habens Deitatem; sicut in Christo est vnum habens naturam diuinam, & humanam, propter vnicam subsistentiam. Quę omnia huius Mysterij doctrinam à Sanctis traditam non mediocriter perturbant, quapropter prudentissimè monuit Suar. lib. 3. de Trinit. c. 4. n. 10. minùs inconueniens esse negare subsistentiam absolutam, & fateri tres subsistentias relatinas, quàm illam tueri, has verò reijcere.

Quintò. non possemus dicere, esse in diuinis tria habentia Deitatem.

724 *1. Obiectio habet duas partes.*

Arg. 1. Posita subsistentia absoluta, & essentiali, aliæ subsistentiæ videntur primò superfluæ, quia per illam natura diuina sufficientissimè subsistit. Omnis autem subsistentia est propter naturã eùm sit terminus, & substantiale complementum naturæ. Secundo impossibiles, quia repugnat subsistentiæ, esse in alio; ergo etiam terminari, & subsistere per aliam subsistentiam.

Resp.ad 1 partem, necessitatem introducẽdi subsistentiã absolutam; esse perfectionẽ diuinæ naturę.

Resp. necessitatem introducendi subsistentiam absolutam, esse naturæ diuinæ absolutæ, quatenus absolutæ perfectionem, quæ esse debet infinita, si non simpliciter in omni genere entis, saltem in genere entis absoluti. Necessitatem verò, præter hanc absolutam subsistentiam, introducendi subsistentias relatiuas, esse peculiarem conditionem diuinarum personalitatum,quæ non possunt esse,nisi relationes. Cùm igitur Deus Filius v. g. debeat subsistere, non solùm ad se absolutè, vt Deus,verùm etiam subsistere relatiuè ad aliud, vt persona Filij ad Patrem, debuit præter subsistere absolutum, quo illa natura intelligitur perfecta in ratione naturæ absolutę,habere aliud subsistere relatiuum, quo eadem natura intelligeretur perfici, seu potius terminari, & constitui in ratione personæ relatiuæ. Quarè ad primũ de superfluitate dico, naturam diuinam per subsistentiam absolutam sufficientissimè subsistere in ratione naturæ, & essentiæ, siuè in proprio genere entis absoluti; non autem in ratione personæ, & in alio genere entis relatiui, ad quod ipsa essentialiter non spectat. Et est manifesta instantia de quauis simplicissima persona diuina, in qua distinguimus ratione ratiocinata vnam realem entitatem absolutam, quam tribuimus naturæ; & aliam realem entitatem respectiuam, quam tribuimus personalitati. Ita prorsus ratione distinguimus duplicem subsistentiam, alteram absolutam naturæ, alteram respectiuam personalitatis.

Ad 2. partem. Resp. subsistentiam personalẽ esse interminabilem; & incommunicabilẽ

Ad secundùm de impossibilitate dico, subsistentiam personalem esse interminabilem; & incommunicabilem; quia ratio personæ est essentialiter, vt sit vltimus terminus in genere substantię. Subsistentiam verò essentialem, esse adhuc communicabilem, ac terminabilem per vlteriorem subsistentiam personalem: nimirum non per aliquam compositionem, sed per summam identitatem.Propter quam identitatem subsistentiæ absolutę cum tribus relatiuis, Suar. loc. suprà cit. & Bañes suprà qu. 29. art. 3. §. Præterea in fine,quod ad bonum loquendi modum pertinet, nolunt posse rectè dici, in diuinis esse quartam subsistentiam, aut quatuor subsistentes. Quemadmodum ob eandem identitatem naturę diuinæ absolutæ cum tribus relatiuis personis, non dicuntur in diuinis esse quatuor res, aut substantię; sed solùm dicuntur esse tria, quę sunt vnum. Negandum igitur est illud anteced. huius, secundi argumenti, subsistentiæ repugnat esse in alio, si intelligatur vniuersaliter de quacumque subsistentia; seù de subsistentia, quę non est superaddita existentię, sed est ipsamet substantialis existentia perfectissima.

725 *2. Obiectio.*

Arg. 2. Subsistentia est perfectio simpliciter simplex, quia melius est subsistere in se, & per se, quàm existere in alio. Huius autem generis perfectiones non multiplicantur in diuinis, vt sapientias,

Resp. Nos solùm multiplicare tantùm subsistentias relatiuas, & incommunicabiles.

tias, voluntas, &c. Resp. Nos non multiplicare subsistentias quascumque, sed relatiuas, & incommunicabiles, atque oppositas: quæ licet sub vna ratione, nempe per comparationem ad essentiam, cum qua identificantur, dici possint perfectiones simpliciter simplices; tamen sub alia ratione, nempe vnius subsistentiæ ad aliam subsistentiam à se realiter distinctam, sibique oppositam, non esse perfectionem simpliciter simplicem. Illæ igitur perfectiones non multiplicantur in diuinis, quæ sub omni ratione sunt perfectiones simpliciter simplices, quia scil. sunt absolutæ, cum nullo habentes oppositionem. Multiplicari verò debent aliæ perfectiones, quæ non sunt omninò simpliciter simplices propter oppositionem, ac realem distinctionem.

726 *3. Obiectio.*

Arg. 3. subsistentia relatiua, si datur in diuinis, tribuere debet seipsa immediatè, & formaliter esse per se incommunicabiliter. Assignari autem non potest id, cui tale esse tribuat. Nam vel tribuit primò naturæ diuinæ simpliciter, ità vt hęc immediatè intelligatur quasi affici, & subsistentia absoluta, & subsistentia relatiua. Vel secundò, naturæ diuinæ subsistenti per absoluta, subsistentiam, siue huic Deo, vt sic. Vel tertiò, constituto ex subsistentia absoluta, & relatiua, siuè personæ. Non primum, quod Suar. supra in 3. p. sect. 4. colum. 7. probabile dicit, sed simpliciter reijcit; quia subsistentia absoluta, cùm sit ipsamet existentia absoluta, esse debet de essentia essentiæ diuinæ. Ergo si subsistentia relatiua, est quidem veluti modus terminans integram naturam, & essentiam diuinam, terminabit etiam, & subsistere faciet immediatè ipsam subsistentiam absolutam. Omne enim subsistere, distinctum saltem ratione ab esse, datur per ordinem ad esse, vt illud terminet, vel etiam sustentet, si imperfectum est. Sed esse naturæ diuinæ est subsistere; ergo relatiua subsistentia distincta secundùm rationem à natura, afficiens immediatè illam, non potest non eodem modo afficere illius subsistere. Non secundum, quod tanquam omninò impossibile impugnat Suar. supra, quia subsistentia est essentialis ratio essendi per se. Ergo non potest intelligi adhuc terminari alia subsistentia, hoc est, per aliud accipere, vt per se sit: tunc enim esset per se, & non esset per se, sed per aliud, quæ est implicantia. Sicut ob eandem rationem implicat vnum suppositū per aliud suppositum supponi, & vnam existentiam per aliam existentiam existere.

727 *Sequitur eadē tertia obiectio.*

Non tertium, quod sequitur Suar. supra, motus precipuè ex eo, quod subsistentia absoluta, & ipsa tota diuina essentia sit de quidditate subsistentiæ relatiuæ, & personalitatis, ac relationis, ità vt hæc ab illa, ne ratione quidem præscindi perfectè possit; esto enim fundamentum firmum sit, tamen certū esse debet, etiam in illa opinione, Personalitatem ita essentialiter includere naturam communem, & absolutam subsistentiam, vt illi superaddat aliquam proprietatem personalem, & relatiuam subsistentiā: alioqui si personalitas nihil prorsus adderet naturæ, ne per rationem quidem, iam nulla ratione distinguerentur inter se personalitas relatiua, & natura absoluta, quod ex terminis ipsis apparet falsum. Hoc igitur additum, quatenus additum formaliter, non potest intelligi superaddi sibi ipsi, sed potius rei, quam inseparabiliter includit, & supra quam aliquid addit: ergo in illa etiam opinione subsistentia relatiua debet intelligi, vt subsistentia, & terminus naturæ, & absolutæ subsistentiæ, non autem vt terminus constituti ex vtraque subsistentia. Quemadmodum in simili opinione philosophica de ente, & differentijs entis, qua ipsimet aduersarij vtuntur in explicanda alia prædicta opinione Theologica. Perseitas v. g. non præscindens ab ente, intelligitur, vt differentia entis, ab ipsa præcisi: non autem vt differentia substantiæ per ipsam constitutæ.

728 *Resp. ad 2. membrum, alijs reiectis: subsistentiam absolutā,*

Resp. benè reiectis primò, & tertiò membro, non remanere, nisi secundùm sufficienter probatum in impugnatione primi membri. Implicantia verò allata contra secundum membrum non videtur multum vrgere; quia subsistentia absoluta, non est omnis simpliciter ratio essendi per se quocumque modo, sed tantùm in suo genere absoluto: sicut natura diuina secundum essentiam suam considerata, & præcisa à relationibus, non est omnis simpliciter entitas, & substantialitas, sed tantùm absoluta. Hinc autem sequitur solùm, subsistentiam absolutam, quæ in diuinis est essentialis, & communicabilis, non posse terminari alia subsistentia absoluta, & eiusdem generis; & non posset accipere esse per se absolute, seu subsistere absolutè, & essentialiter, & communicabiliter; sicut non potest suppositum, & existens incommunicabiliter, assumi ab alio supposito, etiam diuino, dante esse per se incommunicabiliter. Verùm non sequitur, non posse terminari alia subsistentia relatiua, & diuersi generis, eaque fieri per se existens relatiuè, & subsistens personaliter, atque incommunicabiliter. Quæ quidem terminatio non est concipienda modo imperfecto per modum cōpositionis, & cuiusdam sustentationis naturæ terminatæ, vt accidit in rebus creatis; sed solùm per modum cuiusdam puræ, ac simplicis affectionis, seu determinationis, cùm summa identificatione, & reali atque intima inclusione, & quasi penetratione à parte rei.

nō esse omnem simpliciter rationem essendi per se.

729 *4. Obiectio.*

Arg. 4. Quia omnis subsistentia secundùm proprium, ac formalem subsistentiæ conceptum est essentialiter modus, seu ratio per se existendi: sed quod ita existit per se, repugnat existere in alio, vel per aliud, ergo existit incommunicabiliter, & vltimò terminatum in ratione existendi. Sed in Deo est subsistentia absoluta essentialis; ergo cum illa repugnant aliæ subsistentiæ, quibus ipsa communicetur, & in quibus sit, vt existat per se, tunc .n. Deus existeret per se, & non existeret per se, sed in alio, & per aliud; item esset incommunicabilis, & nihilominus communicatur, ac proinde esset communicabilis: quæ sunt manifestæ contradictiones.

Resp. Subsistētiam absolutā nullo modo pugnare cum relatiua.

Resp. hoc esse potissimum fundamentum quorundam recentiorum, contendentium subsistentiā absolutam pugnare cùm subsistentijs relatiuis, & consequenter, cùm ex maiorum nostrorum authoritate, certum sit, has dari, illam esse negandam, sed facilè soluitur, quia totum nititur particula illa, *per se*, vno indistincto, & confuso modo accepta: verum distinguenda est; duobus enim modis potest dici aliquid existere per se. Vno modo, vt illud, *per se*, excludat alium sustentantem; & hac ratione existentiam Dei absolutam, præcisam à personalitatibus, esse per se existentiam, ac proindè esse aliquo pacto propriè subsistentiam, tenentur fateri omnes rectè concipientes diuini esse perfectionem. Alio modo, vt illud, *per se*, excludat etiam alium purè terminatum; & sic nego, quòd existere per se, sit de ratione cuiuscunque subsistentię, sed subsistentię personalis, qualis non est subsistentia absoluta diuinę naturę. Quod autem hęc duplex ratio existendi per se reperiatur tantùm in Deo, non in creaturis, oritur ex perfectione, & infinita diuini esse fœcunditate, & ex imperfectione esse creati. Quarè de essentia suppositi, vt suppositum est, pręscindendo ab increato, & creato, non est sustentare esse naturę, quod supponit imperfectionem naturę, quam Deo tribuere nefas est, sed solùm terminare esse naturę, in quo purę terminationis conceptu nulla inuoluitur imperfectio, & ideò tribui potest etiam Deo.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum in Deo sint plures personæ, quàm tres.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Necesse est ponere tantùm tres personas in diuinis. Prob. Quot sunt relationes subsistentes ab inuicem realiter distinctæ in diuinis, tot sunt personæ: rela-

relationes .n. subsistentes, & realiter ab inuicem distinctæ, sunt ipsemet personæ in diuinis: sed tres tantùm sunt personæ ad inuicem distinctæ in diuinis; quæ non possunt ad eandem personam pertinere, scil. Paternitas, Filiatio, ac processio; ergo.

Arg. 1. In diuinis pluralitas personarum est secundùm pluralitatem relationum; sed quatuor relationes sunt in Deo; ergo. Resp. dist. ma. quot sunt relationes personales in Deo, tot sunt personæ: concedo ma. & quia sunt tantùm tres relationes personales, scil. paternitas, filiatio, ac processio (spiratio n. est communis duabus personis, quas iam constitutas sequitur) propterea tantùm sunt tres personæ.

Arg. 2. In *Deo* considerantur tria, scil. natura diuina, intellectus, & voluntas, sed processio, quæ est per voluntatem differt à processione per modū naturæ in *Deo*; ergo, & quæ est per intellectum, debet differre à processione per modum naturę. Resp. neg. conseq. quia quod procedit à voluntate non procedit vt simile: processio verò per modum intellectus, fit per similitudinem: Verbum enim est similitudo rei intellectæ; propterea non est alius modus à modo procedendi secundùm naturā; cùm id, quod procedit per modum naturę, procedit vt simile.

Arg. 3. Quod est infinitæ, excellentiæ, & perfectionis, habet infinitas operationes: sicut quia homo est excellentior alijs animalibus, habet suprà alia animalia, intelligere, & velle: sed Deus habet infinitam excellentiam, & perfectionem: ergo Resp. neg. ma. & ad prob. neg. paritatem, quia homo est perfectior alijs animalibus per modum compositionis: Deus verò per modum simplicitatis.

Arg. 4. Ea, quæ sunt æqualis bonitatis, si vnum eorum communicat seipsum, producendo personam, etiam aliud se communicabit producendo similiter personam, sed Filius, & Spiritus Sanctus, sunt æqualis bonitatis cum Patre; ergo. Resp dist. ma. *Ea quæ &c.* ita vt alia sit bonitas vnius ipsorū; & alia bonitas alterius; conced. ma. si verò eadem sit eorum bonitas, vt est in diuinis, non erit necessarium, quia verò Spiritus Sāctus habet bonitatem, cùm tali relatione, scil. processionis, quòd sibi repugnat ratio principij, propterea non se communicat alteri personæ.

Arg. 5. Omne, quod continetur sub determinato numero, est mensuratum, sed diuinæ personæ sunt immensæ, & immensurabiles; ergo. Resp. dist. ma. *Omne quod continetur, &c.* sub numero prout est in apprehensione nostra: conc. ma. quia vt sic, mensuratur per vnum: sub numero, pro vt est in diuinis, & sic non competit sibi ratio mensuræ: quia eadem est magnitudo trium personarum, idem .n. non mensuratur per idē.

DISPVTATIO CLXXIV.

An, & quot sint personæ in diuinis? Vbi: An relatio actiuæ spirationis constituat personam.

730
1. Cōcl. affirm. est de fide ex art. præced.

D Ocet D. Thom. art. 1. In Deo esse plures Personas, quod ex fide certum est, & facilè colligitur ex dictis; ad primum verò aduertit, quòd licèt Persona definiatur esse rationalis naturæ indiuidua substantia; non tamen consuetum est dici, esse in Deo tres substātias indiuiduas, sed tres personas, quia vocabulum illud, substantia, habet aliquam æquiuocationē, & accipi cōmuniter solet pro natura, & essentia; vndè benè notat Bañes qu. sup. art. 3. quòd illo modo loquendi extra scandalum inter doctos vti quis posset, sed melius est non vti absolutè, sed vbi opus erit cùm distinctione.

In Deo non sunt tres essentiæ, nec tres naturæ.

Vndè multò minùs dicēdum est, in Deo esse tres essentias, aut tres naturas absolutè, neq; .n. habet tres essentias indiuiduas, quia in Deo vna numero, & singularis natura est in tribus personis; vndè consequēter nomina, quæ significant essentiā, non multiplicantur in Deo, vt esse Deum. At verò è contra nomina significātia suppositum, & personā multiplicantur, & quia persona est res per se subsistens, propterea ad secundum cōcedit D. Th dici posse, in Deo esse plures res subsistētes.

731
2. Concl. in Deo sunt tantùm tres personæ.

Art. 2. Probat D. Thom. esse in Deo tres personas, & non plures, quod est de fide, lege pot est Suar. lib. 1. de Trinit. cap. 10. & ratio est manifesta; quia Pater, & Filius duæ sunt personæ propter vnam processionem vnius ab alia per generationem. Tertia verò persona est Spiritus Sanctus propter aliam processionem, neque aliæ sunt in Deo processiones, & origines, vnde multiplicari debeant personæ; sicuti autem Pater constituitur persona per relationem paternitatis, & Filius per relationem filiationis, & Spiritus Sāctus per relationem spirationis passiuæ, quæ dicitur processio; ità vnica hoc loco esse potest difficultas, an etiam relatio spirationis actiuę constituat aliquam personam, quæ dicatur spirator, qua in re tria quæri possunt.

732
Petes 1. An relatio spirationis actiuæ cōstituat.

Primum, an re vera detur in Patre, & Filio talis relatio realis spirationis actiua ad Spiritum Sanctum. Dico in Patre, & Filio, quia certum, est, eam, si datur in illis, dari; neque enim Spiritus Sanctus procedit ab alia persona, quàm à Patre, & Filio, & consequenter hæc relatio si datur, in Patre, & Filio erit. Supponimus enim nunc, Spiritum Sanctum ab vtraque persona procedere. Secundum, an posito, quòd detur talis relatio, distinguatur realiter à relatione paternitatis, & filiationis. Tertiò, an in Patre, & Filio constituat quartam aliquam rationem personæ, saltem ratione distinctam à Patre, & Filio, vt sic.

Petes 2.

Petes 3.

Resp. ad 1. spirationem actiuam esse realem.

Circa primum communis est Theologorum sententia cum D. Thom. qu. 28. art. 4. & sæpè alibi, relationem spirationis actiuæ in Patre, & Filio verè esse relationem realem; quàmuis Gregorius in 1. dist. 26. contrarium docuerit, res tamen omnino certa est; & ratio est, quia Pater, & Filius sunt reale principium, ex quo Spiritus Sanctus procedit, qui est eiusdem ordinis, & naturæ cum Patre, & Filio; sicuti ergo in ipso est realis relatio ad Patrem, & Filium, vt certum ex fide est, ità & in Patre, & Filio erit relatio realis ad ipsum, & ità est mutua relatio realis in diuinis inter personas procedentes, & à quibus procedunt, quæ est ratio vniuersalis, cur in Deo ponantur relationes ad intrà, vt suprà ex D. Thom. vidimus.

733
An hæc relatio spirationis actiuæ sit necessaria &c.

Vtrum autem hæc relatio, vt sic formaliter considerata, sit necessaria ad distinctionem realem Patris, & Filij à Spiritu S. an verò sufficiat ad hanc distinctionem relatio ipsa Patris, & Filij per oppositionem originis dicemus infrà cùm D. Thom. licèt enim oppositio originis, & relatiua sint realiter eadem res, ratione tamen distinguuntur. Nam origo significatur per modum actionis, & via ad terminum, quod est producere, & produci; relatio autem per modum formæ ad terminum iam productum, vel ipsius termini producti ad personam producentem.

Inter personas diuinas est oppositio originis, & relationis.

Vnde inter personas diuinas est oppositio originis, & oppositio relatiua, seu relationis, originis quidem quatenus vna persona intelligitur procedere ab alia; relationis verò, quatenus intelligitur referri ad aliā quæst. Nunc supponi potest, Patrem, & Filium primò distingui à Spiritu S. per oppositionem originis connotantem relationem ipsam Patris, & Filij, nempe Paternitatem, & Filiationem, etiam priusquam intelligatur relatio spirationis actiuæ. Vndè est, interdum Patres huius relationis spirationis actiuæ in

Patre,

Patre, & Filio non meminerint explicitè, tum propter rationem dictam, tum etiam quia non constituit personas, sed supponit constitutas, quod necessariò sequitur ex illo primo capite.

734 Resp. ad 2. spirationis actiuæ relationem distingui virtualiter à filiatione, & Paternitate.

Circa secundum communis etiam Doctrina est cum D. Th. hoc loco contra Duran. in 1. dist. 13. q. 2. scil. relationem spirationis actiuæ ità esse formaliter in Patre, & Filio, vt non distinguatur realiter in Patre à Paternitate, & in Filio, à Filiatione; sed solùm ratione seù virtualiter; quemodo eadem Paternitas, & Filiatio distinguitur à cæteris perfectionibus communibus Patri, & Filio; quod autem distinguantur ratione Paternitas, & spiratio, non est dubium; nam Paternitas est ad Filium, spiratio est ad Spiritum Sanctum.

Sola ratione distingui probatur.

Et idem dici potest de eadem relatione spirationis, & Filiationis; quòd autem sola ratione distinguantur, prob. quia relatio actiua spirationis in Patre nullam habet oppositionem ad Paternitatem, scil. neque oppositionem originis, neque relatiuam; originis quidem, quia Pater non producit in se hanc relationem, sicuti neque producit essentiam suam, aut alias perfectiones, quas habet: relatiuam verò, quia relatio spirationis non est ad Paternitatem, aut Patrem, sed ad Spiritum S. & idem dici potest de relatione filiationis; ipsa enim non opponitur relationi spirationis actiuæ, quæ est in Filio, neque oppositione originis, neque oppositione relatiua; quid autem sit opponi oppositione originis, & relatiua, quæ sola oppositio est in diuinis, colligi potest ex dictis.

735 Vrgebis.

Vrgebis. distinguitur ne saltem relatio spirationis actiuæ, quæ est in Patre, & identificatur cum Paternitate à relatione eiusdem spirationis, quæ est in Filio, & identificatur cum filiatione? Respond. relationem spirationis actiuæ in Patre, & Filio esse prorsus indiuisibiliter eandem, & nullo prorsus modo distinctam vnam ab alia. Imò neque esse vnam, & aliam, sed prorsus eandem, vt fatetur D. Th. infra q. 36. art. 4. sicuti est vna essentia, & vnus intellectus in Patre, & Filio, licèt in Patre identificetur cum paternitate, & in Filio cum filiatione.

Resp. hanc relationem in Patre, & Filio esse eandem.

Quia Pater omnia, quæ habet cōmunicat Filio.

Quarè sicuti supra circa hanc identitatem diximus de essentia, dicendum est nunc de relatione; & ratio est, quia Pater omnia, quæ habet, prorsus eadem numero communicat Filio, excepta Paternitate; habet autem hanc potentiam spirandi, & relationem spirationis; quarè necesse est, vt hæc omnia sint prorsus eadem in Patre, & Filio, excepta Paternitate, & Filiatione illi opposita. Cùm ergo relatio spirationis non opponatur Paternitati; impossibile est, vt Paternitas distinguatur realiter à relatione spirationis actiuæ, quæ est in Filio, licèt hæc identificetur in Filio cum Filiatione, sicut identificatur essentia diuina, quæ est eadem prorsus in Patre, & Filio.

736 Resp. ad 3. Non cōstituere personam realiter distinctam.

Circa tertiam difficultatem sequitur omninò ex dictis, hanc relationem spirationis actiuæ non posse constituere Personam realiter distinctam à Patre, & Filio, cùm ipsa non distinguatur realiter à Paternitate, & Filiatione; cùm enim Pater constituatur persona per Paternitatem, sic deberet constitui alia Persona realiter distincta per hanc relationem spirationis, hæc deberet realiter distingui à Paternitate; & idem dici debet de relatione eadem comparata ad relationem Filiationis, per quàm constituitur Persona Filij.

Neq; constituit quartam personam distinctā à Patre, & Filio.

Solùm ergo restaret considerandum; an hæc relatio spirationis constituat quartam personam ratione distinctam à Patre, & Filio, quod nunc est supponendum. nullo modo constituere; infra enim ostendemus, Patrem, & Filium ità constitui vltimò in ratione Personæ per Paternitatem, & Filiationem, vt vlteriùs nulla ratione constitui possint in ratione Personæ. Vndè est, vt hæc relatio spirationis non soleat appellari relatio, seu proprietas personalis, id est constituens Personam, licèt possit dici relatio Personæ, vel Personarum, quia verè talium Personarum relatio est, licèt non constituens Personas.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum termini numerales ponant aliquid in diuinis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Termini numerales in diuinis significant illa, de quibus prædicantur, addendo tantùm negationem. Prob. Termini numerales transcendentales significant rem, de qua prędicuntur, addendo indiuisionem; sicut vnum significat ens indiuisum; sed termini numerales qui in Deo ponuntur, sunt transcendentales; non prędicamentales; quia hi cum inueniantur in rebus materialibus, tantùm secundùm metaphoram sunt in Deo. ergo. &c.

Arg. 1. quod significat diuinam essentiam, ponit aliquid in diuinis. Sed termini numerales significant diuinam essentiam; cùm vnitas in diuinis significet essentiam, & termini numerales sint repetita vnitas. ergo Resp. dist. Ma. si loquamur de vnitate secundùm significatum, quod ei competit ex hoc quod alteri adiungatur in diuinis; cum vnū sit transcendens; potest stare pro essentia, & pro persona; & sic prout significat essentiam ponit aliquid in diuinis: si verò vnitas accipiatur secundùm proprium significatū, pro vt dicit indiuisionem; sic nihil ponit in diuinis, nisi indiuisionem vt dictum est.

Arg. 2. Termini numerales ponunt aliquid in creatis. ergo multò magis in diuinis. quidquid enim dicitur de Deo, & creaturis, eminentius conuenit Deo, quàm creaturis. Resp. dist. Ant. *termino numerales* &c. prædicamentales conced. ant. quia vt tales sunt de prædicaméto quantitatis; transcendentales neg Ant. quia isti nihil addunt eis, de quibus dicuntur, nisi indiuisionem.

Arg. 3. si termini numerales non ponunt aliquid in diuinis, sed inducuntur ad remouendum tantùm, vt per pluralitatem remoueatur vnitas; & per vnitatem pluralitas: sequitur, quod sit circulatio in ratione, vt patet. Resp. neg. seq. quia in Deo nec vnitas ponitur ad remouendam pluralitatem; nec pluralitas vnitatem; sed tam vnitas, quàm multitudo ponuntur ad remouendum ab his, quæ dicuntur, diuisionem; quæ est prior secundùm rationem quàm sit vnum; vt diximus q. 11. art. 4.

DISPVTATIO CLXXV.

Vtrū termini numerales ponant aliquid in diuinis.

Termini numerales, vt exponit Syluester p. p. conflati q. 30. art. 4. dicuntur termini, quibus numeramus, vt vnum, duo, tria, *plura: multa. Et sensus est, an cùm de rebus diuinis dicitur, Deus est vnus, persona Patris est vna; Pater & Filius sunt duæ personæ; Pater, Filius, & Spiritus S. sunt tres personę, vel plures, seu multæ personæ; isti termini suprà res ipsas. de quibus dicuntur, addant aliquid, vel positiuum reale, siuè absolutum, siuè respectiuum, vel positiuum rationis, vel potius negatiuum, & quid sit illud, quod negetur per hoc negatiuum Vbi verè nulla alia latet difficultas, & controuersia, nisi illa metaphysica, de qua disputaui tom. 1. quæst. 11. Quibus scilicet illud sit, quòd vnitas, & multitudo addunt suprà ens, & entia. Vera* 737 Explicantur termini numerales.

R *igitur*

igitur est, & multis probata sententia S. Th. in hoc art. *quod* illi termini numerales in diuinis super illa, de quibus dicuntur, nihil addunt, nisi negationem: vt cum dicimus, essentia est vna, vnum significat essentiam indiuisam; cùm dicimus, Persona est vna, significat personam indiuisam; cùm dicimus, Personæ sunt plures, significantur illæ personæ, & indiuisio circa vnamquamque earum; quia de ratione multitudinis est, quod ex vnitatibus constet. *Sed de his fusiùs tom. p. q. 11. art. 1.*

738 De ratione multitudinis est diuisio.

Sed ex eodem addendum, vt fusiùs explicat de Potēt. q. 9. art. 7. post med. corp. esse de ratione multitudinis non solùm esse plura, quorum quodlibet sit vnum, & indiuisum in se, sed multò magis, tanquam vltimum, & formale eius constitutiuum, esse diuisionem, quam quodlibet vnum habet ab alio vno; ita vt non pluralitas entium simpliciter, aut pluralitas entium vnorum, siuè vnitatum, sed solùm diuisio inter se plurium entium vnorum, siuè plurium vnitatum, compleat essentialem multitudinis conceptum. Quæuis multitudo, *inquit S. Th.* addit supra res, quæ dicuntur multæ, quod vnaquæque earum sit vna, & quod vna earum non sit altera, in quo consistit ratio distinctionis. Et sic cùm vnum addat supra ens vnam negationem, secundùm quod aliquid est indiuisum in se, multitudo addit duas negationes, prout scil. aliquid est in se indiuisum, & prout est ab alio diuisum; quod quidē diuidi, est, vnum eorum non esse alterum. *Idemq; docet alijs locis, & clarè explicat Durand. 1. d. 24. q. 1. num. 10.*

739 Cū magister ab pluralitate excludit singularitatem, non excludit vnitatem.

Hinc facilè est iudicare, quàm verè dixerit Magister lib. 1. senten. d. 2. §. Hilarius. *Et fusiùs d. 24. Cuius sententiam refert S. Th. hic in ipso corp. & postea circa finem ad verum sensum trahere nititur, sed alij Scholastici ferè omnes, tàm antiqui, quàm noui reijciunt, quod vt ait d. 24. litera D.* Cum dicimus, plures esse personas, singularitatem, atque solitudinem excludimus quasi diceretur, sine solitudine, ac singularitate personas confitemur. *v. g. vt magis explicat litera E.* Tres personæ sunt Pater, & Filius, & Spiritus S. idest, nec tantùm Pater, nec tantùm Filius, nec tātùm Pater, & Filius in Deitate sunt, sed etiam Spiritus S. & non alius ab his. *Si enim verum est, quòd hic dicitur in fine corp.* De ratione multitudinis est, quod ex vnitatibus constet; *& quod ex hoc deducitur in responsione ad 3.* Multitudo non remouet vnitatem, sed remouet diuisionem circa vnumquodque eorum, ex quibus constat multitudo; *certum est, non potuisse formaliter in rigore philosophico dicere Magistrum, multitudinis nominibus excludi singularitatem, & solitudinem; siuè vnitatem, vt communiter alij interpretantur. Sed cùm Magister non vtatur nomine vnitatis, sed tantùm nominibus singularitatis, & similitudinis, non cogimur his intelligere vnitatem formaliter, sed potius identitatem, quam ab vnitate differre ostendi in metaphysica: ita vt nihil aliud voluerit Mag. nisi per terminos multitudinis applicatos rebus diuinis, excludi singularitatem, & solitudinem, hoc est, identitatem inter vnam, & aliam rem diuinā. Quod quidem, & verum est, & phylosophicè dictu, quia multitudo formaliter consistit in diuisione, quæ nihil est aliud, quàm quædam negatio, qua hoc vnum non est aliud vnum; siuè, non est idem cum alio vno.*

740 Vnitas nō excluditur à Scholasticis, sed includitur in multitudine.

In quo sensu non negatur vnitas à multitudine, quod solum Magistro obijciebatur; sed potius vnitas inclusa supponitur in multitudine, quod Scholastici clariùs expresserunt, & Magister verè nunquam negauit; sed vti voluit nominibus singularitatis, & solitudinis, vt se conformaret modo loquendi quorundam Patrum, quos ibi affert. Nam Hilarius lib. 4 de Trinit. aliquā to ante medium docet, quòd Deus Genesis 1. dicendo, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, sustulit singularis intelligentia professione consortij. *Et paulò post de illo,* Faciamus, *ait*, conuenit non solitario. *Et iterum* Non solitarium tantùm esse significat. *Et lib. 7. colum. 3.* Non solitarium significat, ego, & Pater vnum sumus. Illud, sumus, non patitur singularem. *Et multo post med. libri:* Nec singularem Deum, Dei patitur natiuitas.

Item August. lib. 7. de Trin. c. 4. circa finem ait, Quibus nominibus, *hoc est, substantiarum, siuè personarum*, non diuersitatem intelligi voluit, sed singularitatem noluit; *vt benè addunt emendatiores Codices Plantiniani, & refert ipsemet Mag. d. 24 litt. E fin.*, vt non solùm ibi vnitas intelligatur ex eo, quod dicitur vna essentia, sed & Trinitas ex eo, quod dicuntur tres substantiæ, vel personæ. *Sicut essentia vnitatem explicat per negationem diuersitatis in natura, ita personarum Trinitatem per negationem singularitatis in personis.* 741 Confirmatur ex D. August.

742 Numerus cōuenit Deo, sumptus transcendentaliter, nō quantitatiuè.

Docuit quoque S. Th. in hoc art. terminos numerales propriè prædicari de rebus diuinis, quia, inquit, Sumuntur à multitudine, secundùm quod est transcendens, non à numero, qui est species quantitatis, quia sic de Deo non dicerentur, nisi metaphoricè, sicut & aliæ proprietates corporalium, sicut latitudo, longitudo, & similia. *Hanc loquendi proprietatē significauit Athanas. contra Gregales Sabellij colum. 2. circa fin. cùm de Deo Patre, & Filio dixerit,* verè duos esse. *Et Aug. serm. 38 de Tempore, qui in appendice est sermo 30. de Trin. & Columba paulò post med. loquens de Patre, Filio, & Spiritu S.* Sed hæc tria verè etiam tria sunt ineffabiliter, quæ tria, & essentialiter, *hoc est quidditatiuè, ac propriè*, tria habent ia proprietates suas.

743 SS. Patres tribuunt absolutè numerum diuinis personis.

Et ideò passim Patres numerum, & multitudinem absolutè tribuunt diuinis personis, nunquam addentes aliquid, quo sermonis improprietatem, ac metaphoram significent. Inter quos magis fuerunt Hormisda epist. 1. aduersus Nestorium, & Eutychetem cap. 2. post mediū, Admittit numerum ratio personarum. *Et Athanas. Dial. 1. de Trinit. paulò post med.* Hypostasis numerum admittit. *Et paucis interiectis,* Quicquid numeri multiplicationem admittit, omnino proprietatem habet, & quod proprietatē habet, numerū admittit.

Quomodo loquendum sit de vnitate, & numero in diuinis.

Quoniam verò numerus in diuinis est esse ntialiter commistus vnitati, inquantùm tres diuinæ personæ essētialiter sunt vnus Deus, sicut à contrario vnus Deus essentialiter identificat sibi tres personas, quod significat Athanas. in Symbolo non vocans simpliciter vnitatem, & Trinitatem, sed his addens, Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate; *ideò nonnulli prudenter monent, cum tribuimus Deo vnitatem, aut numerum, semper esse addendum aliquid, quo significemus vnitatem cadere supra naturam, numerum verò supra personas.*

744 D. August. eleganter expressit hanc Mysterij profunditatem.

Quam profunditatem huius mysterij potissimam eleganter expressit Aug. tract. 39. in Ioannem, aliquanto ante med. illis verbis, Est ibi aliquid ineffabile, quod verbis explicari non possit, vt & numerus sit, & numerus non sit. Videte enim, si non quasi apparet numerus, Pater, & Filius, & Spiritus S. Trinitas. Si tres, quid tres? Definit numerus. Ita Deus, nec recedit à numero, nec capitur numero: quia tres sunt. tanquàm est numerus: si quæ, Qui tres? non est numerus. Vbi cogitare cæperis, incipis numerare, Vbi numeraueris, quid numeraueris, non potes respondere. *His simila deinde scripserunt Bernard. Tolet. XI. & Boet.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum hoc nomen Persona possit esse commune tribus personis.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

Conclusio. Nomen personæ est commune non solùm tribus personis in diuinis; sed etiam in humanis communitate rationis, non sicut genus, vel species; sed sicut indiuidunm vagum. Prob. Nomen significans ea, quæ subsistunt in aliqua natura, & commune illis; non sicut species; nec sicut genus, sed vt indiuiduum vagum, sed non

non Persona significat plura subsistentia in natura qualibet rationali: ergo. Ma. prob. nam nomina generica, ac specifica vt animal v. g. primæ intentionis, significant naturam absq; respectu ad subsistentiam. Nomen verò indiuidui signati, vt Petrus; significat principium quo vnum indiuiduum ab alio differt; Nomen verò indiuidui vagi, vt aliquis homo; significat naturam, sed cum hoc determinato modo essendi singulariter; nam aliquis homo significat naturam humanam, cum particulari modo essendi particulari; scil. aliquod existens distinctum ab alijs, ita significat hoc nomen Persona; cum hac tamen differentia; quòd indiuiduum vagum prius importat naturam humanam v. g. quam ipsam subsistentiam. Persona verò significat priùs modum subsistendi, quàm naturam, in qua subsistit.

Arg. 1. Nomen, quòd est commune tribus personis significat essentiam; sed nomen personæ non significat essentiam; ergo. Resp. dist. ma. *Nomen commune &c.* communitate rei, conced. Ma. nec sic dicimus nomen Personæ commune tribus personis; de communitate rationis, neg. ma. nomen enim persona est commune communitate rationis.

Arg. 2. Quod est incommunicabile, non est commune tribus personis. Sed persona est incommunicabilis vt dicit Ricard. de S. Victore; ergo. Resp. dist. ma. Persona, pro vt significat rem subsistentem est incommunicabilis, conced. Ma. pro vt dicit modum subsistendi particulariter; nego: quia modus ille est pluribus communis.

Arg. 3. Quia si personæ nomen esset commune, esset commune secundùm rationem: ac proindè esset vniuersale quoddam: sed in diuinis non reperitur, nec vniuersale, nec particulare: ergo. Resp. neg. seq. Non enim est necesse, vt omnis communitas, non solùm in Deo, nec etiam in creaturis, sit genus, vel species: nam nomen personæ etiam in creatis est commune, & tamen talis communitas non est generica, vel specifica; quia est secundùm modum, non secundùm esse.

DISPVTATIO CLXXVI.

An ratio personę diuinæ sit communis vniuocè respectu trium personarum diuinarum, & An quidditatiuè de illis dicatur.

745 Concl. Nō est vniuoca.

CONclusio. *Ratio personæ diuinæ non est vniuoca, sed analogica respectù trium personarum realitatum, quæ in Deo reperiuntur. Collegitur hæc conclusio ex D. Th. supra q. 3. art. 5 & 7. & infra q. 40. art. 2.*

1. Ratio. quia personæ existunt per idē esse.

Probatur. 1. Personæ diuinæ secundùm suas peculiares rationes consideratæ non existunt per existentias realiter distinctas, vt supra q. 29. dictum est, sed per vnicum, & idem esse diuinæ essentiæ. ergo ratio personæ diuinæ non est communis vniuocè respectù prædictarum personarum. Siquidem, quæ conueniunt in aliqua ratione vniuoca, & postea distinguuntur per distinctas rationes quasi specificas, & completas, existunt per distincta esse: vt videre est in omnibus entibus completis conuenientibus in aliqua ratione vniuoca, & distinctis secundùm rationes specificas: Persona n. diuina dicit aliquid completum, nempè rationem relationis per se subsistentis incommunicabiliter,

746 Confirm. quia in diuinis daretur compositio metaphysica.

Confirm. in diuinis, si daretur ratio aliqua superior, & vniuoca respectù trium personarum; daretur compositio metaphysica ex genere, & differentia: ergo etiam personalitates, diuinæ, non per vnam, sed per plures existerent existentias; sicuti cæteræ species propterea exigunt diuersas existentias, quia componuntur ex genere, & differentia. Anteced. prob. nam tota ratio compositionis metaphysicæ consistit in hoc, quòd detur in re, in qua inuenitur duplex ratio virtualiter distincta; quarum, vna sit potentialis excludens in suo conceptu formali aliam actualem, determinabilis tamen, & actuabilis per eam; alia verò sit actualis, & atomica, prioris illius contractiua, & determinatiua. Sed totum hoc reperiretur in eo euentu in persona Patris v. g. si constaret ex personalitate, vt sic, & ex peculiari personalitate Patris, vt consideranti patebit.

747 1. Euasio.

Dices. 1. ad rationem principalem. Ratio entis est analoga respectu accidentis, & substantiæ; & tamen hæc duo, dum contrahunt prædictam rationem analogā, existunt per diuersas existentias: ergo, quod aliqua conueniant in aliqua ratione vniuoca, non est sufficiens ratio ad hoc, vt habeant diuersas existentias.

Præcluditur, quia Analogis, vt talibus non repugnat contrahi per diuersa analogata, quæ existāt vnica existentia.

Resp. neg. conseq. quia licet, tàm analoga, quàm vniuoca, eo ipso, quòd contrahātur per differentias completas, aut quasi modos differentiales, & limitatos exigant contrahi per diuersas existentias; est tamen in hoc maxima differentia: nam analogata ratione analogatorum, seu analogorum, non habent aliquid, vnde eis limitetur; vel eis repugnet contrahi per distincta analogata, quæ existant vnica existentia; vt patet in ente diuino respectu omnium rationum essentialium, attributalium, & personalium vnica existentia existentium; quòd omninò repugnat vniuoco, vt sic, non contrahi per diuersas existentias: quia ratiò analoga, vt analoga ex parte sua, si non obstat limitatio contrahētis, potest transcendere, & pertingere vsque ad vltimam actualitatem, suæ quasi differentiæ, absq; distinctione virtuali cum illa, quia transcendens est: vt patet in ente diuino, mox dictum; quòd non contingit in vniuocis, de cuius essentia est, vt genus sit quoddā potentiale, excludens essentialiter à suo conceptu differentias contrahentes; ac proinde vniuoca semper per veram, ac realem compositionem contrahuntur; & quatenùs talia formaliter afferunt limitationem, vt patet: secus analoga; & sic apparet, quod in diuisione entis creati respectu accidentis, & substantiæ, quæ licet sit diuisio analogi in analogata, existunt hæc tamen per diuersas existentias: nam hoc eis non prouenit, quia analogata, vt dictum est; sed quia cum sint limitata, quia creata; hoc ipso, quòd sint realiter distincta, non possunt non habere existentias finitas, & distinctas. Cum tamen ratio cōmunis vniuoca; ex hoc præciso capite induceret limitationem: & quod in diuersis vniuocatis realiter distinctis, & completis existat per diuersas realiter existentias.

748 2. Euasio.

Dices 2. contra eandem rationem principalē; Quia ratio substantiæ partialis, est vniuoca respectu materiæ, & formæ, tāquam respectu partium essentialiter distinctarum; nihilominus materia, & forma existunt per eandem indiuisibilem existentiam ergo &c.

Præcluditur.

Resp. neg. paritatem. Siquidem materia, & forma sunt incompleta, propterea possunt existere per idem esse. Cæterùm quæuis persona diuina intrà suam lineā, est quid completum, idest, non potest habere rationem partis respectù alterius relationis. res autem completæ, si conueniant vniuocè in aliqua ratione superiori, nequeunt per vnicam indiuisibilem existentiam existere.

749 3. Euasio.

Dices. 3. contra confirmationem. Nam humanitas Christi Domini, licèt sit composita metaphysicè, existit per existentiam Verbi; ac proinde prædicta existentia tribuit humanitati, & Verbo carenti compositione metaphysica, aut aliqua alia, quæ sit tanta, quanta ista, quod existant per vnam, & eandem indiuisibilem existentiam. ergo &c.

Præcludit, quia humanitas Christi per se petit naturalē existentiam.

Resp. neg. conseq. & ratio disparitatis est: tùm quia humanitas illa per se petit propriam, & naturalem existentiam; sicut, & Verbum actù illam affert; & ideò solùm ex diuino decreto, & super-

naturaliter; non verò connaturaliter; exiftit humanitas per exiftentiam Verbi. tùm etiam, quia verbũ, & humanitas tantùm conueniunt analogicè, adhuc in ratione extremi vnibilis in ordine ad constituendam personam Christi Domini: sicuti etiam eadem humanitas, & personalitas creata illi debita, conueniunt tantùm analogicè in ratione extremi vnibilis in ordine ad constitutionem personæ creatæ, & humanæ.

Petes.

Peter. An Ratio personæ diuinæ, quæ tantũ analogicè dicitur de personis diuinis; dicatur etiam quidditatiuè de illis.

Resp. affirm. quia ratio personæ diuinæ proportionatur indiuiduo vago.

Resp. affirm. ità S. Th. hic. Prob. sicut indiuiduum vagum significat naturam communem cum determinato modo essendi: Sic persona diuina significat rem subsistentem in natura diuina; & sicut indiuiduum vagũ in recto dicit modum existendi; ità persona in recto dicit subsistentiam, in obliquo verò naturam: sed indiuiduum vagum dicitur quidditatiuè de indiuiduis determinatis: quia in ratione formali huius hominis, v. g. Petri, *includitur, quòd sit quidam homo; & propterea si auferatur ab hoc homine, quòd sit quidam homo; tolleretur etiam, quòd sit hic homo: ergo etiam ratio personæ diuinæ dicitur quidditatiuè de tribus personis.*

Confirm quia sub persona vt sic, hæc persona continetur directè.

Confirm. quia sub persona, vt sic directè continetur hæc persona particularis; sicut sub animali, vt sic, directè continetur Petrus. ergo sicut ob hanc rationem, hæc est quidditatiua prædicatio, Petrus est animal: *ita ob eandem, hæc erit quodammodò quidditatiua,* hæc persona diuina est persona diuina: *& solum deficiet à ratione quidditatiuæ absolutè, & simpliciter talis, ex eo, quod ratio importata directè, & formaliter per personam diuinam, non est absolutè, & simpliciter quidditas, vt explicatum est: supra disp 172.*

Oppos. sent.

Oppositam sententiam conclusionis, s. Personam diuinam, vt sic vniuocè prædicari de personis determinatis tenet Caet. Nazzar. hic, & alij pro qua.

1. Obiectio.

Arg. 1. ratio personæ diuinæ æqualiter conuenit tribus personis, aliòqui vna persona esset altera melior; ergo non conuenit analogicè; siquidẽ analogia in inæqualitate fundatur: nam analoga in communi definiũtur; quod ratio communis non sit omninò eadem, nec omninò diuersa; ad hanc autem vnitatem cum diuersitate necessariò requiritur aliqua inæqualitas.

Resp. nego conseq. cuius probatio est vera de analogia attributionis.

Resp. neg. conseq. cuius probatio est vera de analogia attributionis: analoga enim proportionalitatis non fundatur in inæqualitate: sed tantùm petit habitudinem inter duas proportiones; ita vt sicut vnum se habeat ad alterum; ita aliud se habeat ad illud: ad saluandam autem vnitatem cum diuersitate satis esse, quod ratio communis nequeat abstrahi à suis differentijs; nam ratio includens actu rationes differentiales non est omninò eadem; sed partim est eadem, & partim diuersa. quare cùm ratio personæ diuinæ non possit omninò extrahi à suis differentijs: sufficit ad saluandam vnitatem cum diuersitate, absque inæqualitate.

Instabis.

Dices. personæ diuinæ habent omnimodam conuenientiam in ratione personæ, vt sic. eodem . n. prorsus modo, quo Pater se habet ad personam diuinam, se habet etiam filius ad illam: ergo: ibi non est proportionalitas, sed omnimoda vnitas, ac proinde vniuocatio.

Respondetur.

Resp neg. Antec. & ad prob dicendum est, non eodẽ; prorsus modo, quo Pater se habet ad personam diuinam; eodem prorsus modo se habet filius: quia in conuenientia quam habent necessariò actu includuntur ipsæ rationes differentiales Paternitatis, *& filiationis; quod est satis ad saluandam vnitatem cum diuersitate, & ad excludendam omnimodam vnitatem.*

752.

2 Obiectio.

Arg. 2 contra 2. Concl in responsione ad quæsitum. Ex Vazquez hic disp. 130 contrarium sentiente. scil Personam, *vt sic, non dici quidditatiuè de tribus personis diuinis. Quia persona diuina dicit de formali modum incommunicabilitatis; seu incommunicabiliter subsistere. subsistentia enim solùm denominatiuè conuenit primis, & secundis substantijs: siquidem se habent ad instar passionis respectu prædicamenti substantiæ. ergo ratio personæ diuinæ solùm denominatiuè dicetur de tribus personis diuinis.*

Resp. licet subsistere incommunicabiliter sit proprietas respectiuè essentiæ in creatis; nõ respectu particularia personarum.

Resp. neg. vlt. conseq. Nam licèt persona diuina dicat de formali subsistere incommunicabiliter, & hoc in creatis comparatur ad instar proprietatis, vel quasi passionis respectu essentiæ: non tamen respectũ particulariũ personarum: sed respectũ earum comparatur per modum prædicati, quasi quidditatiui. Sicut, licèt qualitas materialis comparetur per modum propriæ passionis cum substantia materiali, quæ sola semper afficitur qualitate materiali: nihilominus qualitas comparatur per modum prædicati essentialis respectũ peculiarium qualitatum.

QVÆST. XXXI. D. TH.

De his, quæ ad vnitatem, vel pluralitatem pertinent in diuinis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum sit Trinitas in diuinis?

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Vtendum est nomine Trinitatis in diuinis. Prob. Vbicumque ponitur determinatus numerus personarũ, vtendum est nomine significante hunc determinatum numerum; sed in diuinis ponitur determinatus numerus personarum, s. tres personæ. ergo in diuinis vtendũ est nomine significante hunc determinatum numerum, s. nomine Trinitatis.

Arg. 1. Omne nomen, quod ponitur in diuinis, significat substantiam, vel relationem: sed hoc nomen Trinitas non significat substantiam, vt patet; nec relationem, quia non est ad aliud. ergo. Resp. neg. ma. quia nomina, quæ *Deo* attribuuntur, significant, vel substãtiam, vel relationes, vel numerum personarum.

Arg. 2. Nomen collectiuum non est ponendum in *Deo*, quia significat minimam vnitatem. *Sed* hoc nomen Trinitas, est collectiuum. ergo. Resp. neg. ma. & dist. mi. Trinitas est nomen collectiuum, inquantum importat pluralitatem suppositorum, conced sicut nomen populus significat pluralitatem hominũ, inquantum importat minimũ vnitatem: nego: quia significat vnitatem ordinis, inter personas cum vnitate essentiæ.

Arg. 3. Vbicumque est Trinitas, est triplicitas. quia omne Trinum est triplex: sed in Deo non est triplicitas, cum hæc sit species inæqualitatis, ergo. Resp. neg. ma. & ad prob. neg. assumptum. quia Trinitas dicitur absolutè, & significat numerum personarum. Triplicitas verò speciem inæqualitatis.

Arg. 4. omne, quod est in Deo, est in vnitate essentiæ Dei. cùm Deus sit idem, quod sua essentia. Sed Trinitas non est in vnitate essentiæ. ergo. Resp. dist. mi. *Trinitas est &c.* quasi essẽtia sit triplex, neg mi. *Trinitas est &c.* & sensus est, quod in vna essentia sint tres personæ, conced. mi. & neg. conseq.

Arg. 5. in omnibus nominibus, quæ de Deo dicuntur, concretum prædicatur de abstracto: dicimus enim Deitas, est Deus: sed non possumus dicere Trinitas est Trina, quia essent nouem res in diuinis. ergo. Resp. neg. ma & ad prob. esse disparem rationem,

alia

alia enim nomina, cum significent, vel essentiam, vel relationes: essentia, & relatio in abstractis non differunt à seipsis in concreto. Trinitatis autem nomen importat numerum personarum, propterea dicendo, Trinitas est trina ratione numeri importati, significaremus multiplicitatem eiusdem numeri in seipsum.

DISPVTATIO CLXXVII.

An aptissimè vtantur his vocibus, *Trinitas, Trinus* ad explicandum hoc mysterium. Vbi de ethymologia earundem vocum.

753 Quid hæretici sentiant de hoc nomine.

IN superioribus disputatum sufficienter est de Trinitate, quoad rem, probando in diuinis tres personas, & vnam naturam. In hoc autem art. S. Th. disputat de eadem Trinitate, quoad nomen. Enim verò Heretici, vt de Caluino refertur lib. 1. Instit. c. 13. §. 5. ipsum etiam Trinitatis nomen abolere contendunt.

Conclusio est affirm. Prob. ex Patribus, & scholasticis

Concl. *In huius Mysterij explicatione aptissimè vtimur vocabulo Trinitatis, itaut absque magna temeritate contemni, aut repudiari non possit. Ratio est, quia omnes planè Patres, & Scholastici, omnia Concilia, ipsamet Sancta Ecclesia in suis orationibus, & officijs, & vniuersi Christifideles Trinitatem in Deo credunt, ac nominant.* Imò *vsurpatio est tàm antiqua, nimirum ipsorummet Apostolorum tempore, vt piè, ac facilè credi possit ab ipsomet Christo Domino expressum nomen, & traditum Apostolis, eiusque Ecclesia vniuersæ. Saltem vetustissima, ac receptissima vox, haud sine speciali Spiritus S. instinctu, ac magisterio in tam graui, ac difficili mysterio introducta credenda est. Referam grauiores, & antiquiores.*

754 2. Prob. ex Iacobo Apostolo.

Iacobus frater Domini in sua Missa paulò post principium, vt habetur tom. 6. Bibliothecæ veterum Patrum, ait, Gloria Patri, & Filio. & Spiritui S. trino, & vni. *& paucis verbis interiectis dicitur,* Trinitas vnus Deus. *& colum. 3. circa initium Christus vocatur* vnus Sanctę Trinitatis. *& colum. penult. vocat,* Sanctam, & consubstantialem Trinitatem. *Magnus Dyonis. de diuinis nominibus c. 1. multo post princip. docet,* In omnibus ferè diuinis libris Diuinitatem ipsam sacris laudibus ornari, vt vnitatem, & vt Trinitatem propter cęlestis fęcunditatis in tribus personis enunciationem. *Et cap. 3. initio dicere aggreditur,* appellata, inuocataque Trinitate. &c. *vltimò post med. dicitur,* Diuinitas vnitatis, & Trinitatis nomine celebrata. *Et post pauca verba,* vt singularem eius vnionem, diuinamque fœcunditatem verè laudemus, Trinitatis, vnitatisque nomine Diuinitatẽ, quę omni nomini antecellit, exprimimus. *Et initio libri de mystica Theologia inuocatur etiam* Trinitas. *& c. 3. initio,* Diximus. *inquit,* quomodo diuina natura vnica dicatur, quomodo Trina. *Iustinus Martyr in expositione fidei sępè Trinitatis mentionẽ facit; & aliquanto ante med. ait,* vnitas. in Trinitate, & Trinitas in Vnitate intelligitur. *Quod post nonnulla iterum repetit.*

755 3. Prob. ex Tertulliano.

Idem Trinitatis nomen sępè vsurpant Tertullianus lib. contra Praxeam, Origenes in cap. 21. Numeror. homil. 12. aliquantò post princip. Vna substantia est, & natura Trinitatis. *& hom. 3. in Iesu Naue, ante med sępè docet, Trinitatis mysterium non fuisse satis perspectum Patribus ante Christum. Et hom. 4. in Isaiam, ante med. exponens illa verba,* Sanctus, Sanctus, Sanctus, *ait,* Non eis sufficit semel clamare, Sanctus, neque bis, ad perfectum numerum Trinitatis assumunt, vt multitudinem Sanctitatis manifestent Dei, quę est trina Sanctitatis repetita communitas. *& in epist. ad Rom. lib. 3. aliquantò ante finem Gregor. Thaumaturgus in sua fidei confessione, quam in eius vita refert Greg. Nyssenus, in fine dicens,* Trinitas perfecta, quæ gloriæ, atque ęternitate, & regno non diuiditur, neque abalienatur.

Dionysius Papa, cuius verba refert Athanas. lib. de Decretis Nicenæ Synodi multò post med Felix Papa 2. epist. 3. ad Benignum, aliquanto ante med. vocans, inseparabilem Trinitatem. *Nicenum Concil lib. 2. §. Sancta. confitetur* Trinitatem indiuiduam, ineffabilem. *idemque nomen in eodem libro sępissimè legitur. & §.* siquidem. *in fine vocat* Trinitatem, verè Trinitatem, indiuiduam, & consubstantialem Trinitatem. *Apud Sozomenum lib. 5. Historię Ecclesiasticę c. 11. med.* Multi multarum Ciuitatum Episcopi Alexandrię vna cum Athanasio, Eusebio congregati, decreta Concilij Niceni confirmant, & Trinitatem nominant *hoc est, multò ante, & in ipsomet Niceno Concil. nominatam, nominandam esse decernunt.* 756 4. Prob. ex Dionysio Papa.

757 5. prob. ex D. Athanasio.

Et ideò omnes Athanasij libri hoc nomine pleni sunt; ita vt in ipsomet symbolo bis doceat, vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate venerandam esse. *Eodemque modo posteriores omnes loquuti sunt: quod quidem nomen, quo significantur tres personæ, & vna natura, collegisse videntur ex verbis Christi Matth. vltimò,* Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: *& clariùs ex verbis Ioannis epist. 1. c. 5.* Tres sunt, qui testimonium dant in Cęlo, Pater, Verbum; & Spiritus S. & hi tres vnum sunt.

758 Petes.

Petes. De ethymologia harum vocum, Trinitas, Trinus. Ex D. Thoma.

Resp. Trinitas Secundum ethymologiam, est quasi Trina vnitas.

Respond. in responsione ad 1. Trinitas secundùm etymologiam vocabuli dicitur quasi trina vnitas. *Idem docuit Magister lib. 1. sententiarum dist. 24. fine, & sequuntur ibi omnis scholastici. Preterea Alens. p. p. q. 66. memb. 1. art. 1. Albert. p. p. summæ q. 45. memb. 1. art. 2. ad 1. & ad 5. docens.* quòd in veritate secundùm catholicam fidem, Trinitas dicitur trium vnitas. *Henric. 2. p. summę art. 73. q. 11. ad 2* Trinitas, *inquit,* quasi triunitas, quia fit vnum totum in tribus. *Colligitur ex Isid. lib. 7. etymologiarum cap. 4. initio.* Trinitas appellatur, quod fiat totum vnum ex quibusdam tribus, quasi triunitas. *Per ordinem ad hoc nomen substantiuum,* Trinitas, *accipitur vox adiectiua, Trinus; ita vt Trinus dicatur, etiam quasi ter vnus, vt omnes tenent, vno excepto Henrico supra, contendente, quòd,* melius est dicere, quod trinus sit simplum, & deriuatum à tris, *voce Græca.*

Trinus, quasi ter vnus.

759 Opini Henrici. & 3. Instantia. eiusdem.

Et probat 1. quia aliter in diuinis significaret, quod tres essent vnus masculine. *Secundo, quia sic,* vnus esset de significato eius, quod est trinus; & ita non bene diceretur, Deus trinus & vnus. *Tertio, quia communiter* dicitur trinum de illis, quę non sunt in aliquo vnum; vt trina monitio, trina actio, trina machina. *Sed hæc minimè vrgent contra communem loquendi consuetudinem aliorum Theologorum, qui non solum vocant Deum trinum & vnum, sed etiam trinum absolutè: vndè S. Th. in fine huius art.* dicitur, Deus est trinus. *Sicut enim si Trinitas significaret solam multitudinem sine vnitate, non benè diceretur absolutè, Deus est Trinitas; ita pariter si Trinus significaret tria, & nullo pacto vnum, iste modus absolutè loquendi, Deus est trinus, nimis faueret hæreticis Arianis.*

Reijcitur, quia est contra cõmunẽ loquẽdi consuetudinẽ aliorũ Theologorum.

Ad 1. Resp.

Quarè ad 1. concedo, quòd cùm dicitur trinus de Deo, significatur, Tres esse vnum masculinè, nimirum essentialiter, non personaliter, hoc est vnum Deum, non vnam personam: sicut cùm dicitur de Deo Trinitas, significatur vnitas essentię, non personæ. Quamuis enim non liceat dicere, Pater, & Filius, & Spiritus S. sunt vnus masculinè, sed dici debeat, sunt vnum neutraliter: tamen cùm dicitur Deus Trinus, sicut per illud Trinus, *subintelliguntur tres personæ, nõ tres Dij, ità contra per illud,* Vnus, *subintelligitur vnus Deus, non vna persona. & idem de nomine Trinitatis.*

Ad. 2. Resp. Trinitas secundum proprietatem in recto dicit pluralitatem.

Ad 2. dico cum S. Th. hic ad 1. & clariùs cum Riccardo 1. d. 24 art. 3. q. 1. in Corp. & ad 1 Suar. lib. 3. de Trinit. cap. vltimo §. 8. & alijs, quòd Trinitas, & trinus, quamuis secundùm etymologiam vocabuli, *videantur significare in recto, & principaliter vnitatem, in obliquo, & secundariò pluralitatem,*

Trinitas

Trinitas enim, & Trinus dicuntur quasi vnitas triũ, & vnus ter, tamen secundùm proprietatem vocabuli, *vt loquitur S. Th. siue vt magis explicat Riccardus,* habendo aspectum ad illud, ad quod nomen imponitur ad significandum, *contra significant pluralitatem in recto & primario, vnitatem in obliquo & secundariò. Sapientes enim hæc vocabula diuinis imposuerunt, vt significarent tres personas vnius essentiæ.*

760 Nominum cópositorum natura hæc est, vt possit significare explicite, cũ alijs quod implicite significant secundùm se.

Huiusmodi autem nominum compositorum natura hæc est, vt absque negatione possint coniungi cum alijs nominibus explicitè, & directè significantibus, quòd illa implicitè, & indirectè significant. Hac ratione, vt exemplificat Riccardus supra, non ineptè dicitur nasus simus, quamuis nasus claudatur in totali significato huius vocis, simus. *Sic etiam, vt argumenter ad hominem, dicitur, Sancta Trinitas, vnus Deus; & tamen ipsemet Henricus vult in significato Trinitatis claudi vnitatem. Sicut igitur cùm Athanas. in Symbolo, alij Patres dicunt, Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate, nõ significant nugatoriè trium vnitatem in vnitate, & vnitatem in trium vnitate, sed Trinitatem personarum in vnitate naturæ, & vnitatem naturę in Trinitate personarum; ita cùm Deus dicitur trinus & vnus, non significatur* Deus *ter vnus, & vnus, sed Deus trinus in personis, & vnus in natura. Ad rectum, ac principale significatum Trinitatis respexit Fulgent. cùm lib. de Fide ad Patrum c. 1. aliquanto post princip. scripsit, quod si in tribus diuinis personis, non esset vna natura,* Trinitas non esset vera; *& post pauca verba,* verus Deus in personis Trinitas est, & in vna natura vnus est.

761 Prædictę propositiones verificantur de significato formali.

Quæ propositiones verificantur de Trinitatis significato primariò, seu formali, quod est pluralitas; non de secundariò; & materiali, quod est vnitas: sicut etiam aliæ similes aliorum Patrum propositiones, vt Isidori lib. 7. Etymologiarum c. 4. post med. Trinitas in relatiuis personarum nominibus est. Deitas non triplicatur, sed in singularitate est: quia si triplicatur, Deorum inducimus pluralitatem. *Et Nysseni lib. de hominis opificio c. 6. post medium,* Cùm dicatur, Faciamus hominem ad nostri imaginem, numerosę multitudinis Sacrosancta Trinitas indicetur. *Et S. Thomæ in fine huius art.* Hoc quod dico, trinum, importat distinctionem in suppositis illius, de quo dicitur. Et ideò non potest dici, quòd Trinitas sit trina; quia, *vt addat in 5 argumento,* sic essent nouem res in diuinis, quod est erroneum.

762 Ad 3. Resp. Trinũ dici de ijs, quę sunt plura.

Ad 3 concedo dici trinum de ijs, quæ sunt merè plura, & non vnum; & ita dici de creaturis, in quo differt à Trinitate, quæ vox imposita primum est à fidelibus ad explicandum mysterium trium diuinarum personarum in vna natura. Quam ob causam dixit Albertus p. p. Summę q. 45. memb. 1. art. 5. ad 1. Quod Trinitas est in diuinis, & non est nisi in diuinis, & hoc est diuinis proprium. *Sed hoc non tollit, quin post impositum Trinitatis nomen, eadem antiquior vox,* Trinus, *quę de creaturis ad pluralitatem absolutè significandã vsurpabatur ab infidelibus, eorundem fidelium vsu extenderetur etiam ad diuina, & accommodatè sumeretur, vt adiectiuum Trinitatis ad significandum pluralitatẽ simul cum vnitate.*

DVBIVM VNICVM.

De significatione harum vocum, Trinitas, *&* Trinus. *An* Trinitas *sit nomen collectiuum? Et quid sit Trinitas in vnitate.*

763 Petes, 1.

Resp. Trinitas significat numerum.

PEtes 1. *de significatione harum vocum* Trinitas, & Trinus.

Resp. ex D. Th. hic in responsione ad 1. *Trinitas non significat ipsas relationes personarum, sed magis numerum personarum ad inuicem relatarum, & inde est, quòd secundùm nomen ad aliud non refertur.* Hoc ipsum est, quod alijs verbis docuit Alensis p. p. q. 66. memb. 1. a. 3. corp. *Trinitas non dicitur ad aliquid, eo quod ad aliquid extra referatur, sed includit in se tres, quorum vnum ad alterum refertur.* Idem fusiùs explicet Albert. p. p. Summæ q. 45. memb. 1. art. 1. corp. quod inquit, *concorditer antiqui dixerunt.* In eodem sensu accipiendus est Magister 1. lib. sentent. d. 24. litera S. *Cum dicitur Trinitas, id significari videtur, quod significatur, cùm dicitur, Tres personæ.*

Trinitas non prædicatur de singulis personis.

Vnde benè deducit, Trinitatem non posse prędicari dè singulis personis, quia singulę personæ non sunt tres personæ, sicut habetur etiam hic ad 1. & docet Riccard. Victorin. lib. 4. de Trinit. cap. 21. circa finem illis verbis, *Trinitas, quę diuina substantia est, nec persona est, nec persona rectè dici potest.* Et ideo Hugo Victorin. tract. 1. Summæ sentent. c. 9. fine ait, *est vnum nomen scil. Trinitas, quod de nulla persona singulatim dicitur, sed omnibus simul; nec est substantiale,* hoc est, substantiæ, seu naturæ, vt præcisè à relationibus, seu personalitatibus, *sed pluralitatem designat personarum.*

764 Ratio est, quia Trinitas nihil exprimit relatiuum.

Quę verba leguntur etiam in Magistro lib. 1. d. 22. litera C. Ratio Conclusionis breuiter est, quia Trinitas nomen, siuè consideretur secundùm etymologiam, vt est trium vnitas, siuè secundum significationem, vt importat tres personas vnam habentes naturam, nihil exprimit relatiuum, quoad vocẽ, sicut exprimunt v. g. Pater, Filius; quia voces vnitatis, Trinitatis, personę, naturæ, vnius, trium, omnes, vt ex se patet, sunt absolutæ, non relatiuæ. Personæ verò significatæ, si considerentur, quoad rem, sunt relatiuæ, non absolutè, & ideò significatæ alijs vocibus relatiuis Patris, Filij, Spiritus: ergo Trinitas non significat explicitè relationes, sed tantùm implicitè, quia tertia illa, seu tres personę diuinæ, quibus explicitè significãdis impositum est nomen, constituuntur proprietatibus relatiuis, nõ absolutis.

Vnitas, quæ significatur nomine Trinitatis in obliquo, est essentialis.

Sexta Concl. Cùm in vnaquaque persona diuina sit vnitas personalis, & in omnibus tribus personis sit vnitas essentialis, vnitas, quam in obliquo significari nomine Trinitatis, superius ostendimus, non est vnitas personalis, sed essentialis: ita vt integrum significatum non sit tres personæ, quarum quælibet est vna persona, sed potius tres personæ, quarum quælibet est vna natura. Hoc significatum semper traditur hic ad 1. & 4. idque ex instituto probant Bonauent. 1. disputat. 24. artic. 3. quęst. 2. Riccardus quęst. 1. Albertus supra artic. 2. arg. 5. & ad 5. & sequuntur reliqui omnes contra Alensem p. p. q. 66. memb. 1. art. 1. quem sequuti videntur Genebrard. lib. 2. de Trinit. inter principium, & medium §. *Trinitatem igitur.* & Bellarm. lib. 2. de Christo c. 5. §. *est autem.* quos sequutus est Arrubal disp. 104. c. 3. contendentes, nomine Trinitatis non significari essentiam, sed solas personas. Sed possunt exponi de significatione principali.

765 Est valde receptũ apud omnes Theologos, significare vnitatem essentiæ.

Et ideò Bellarm. limitanter dixit, nomine Trinitatis non significari *expressè,* vnitatem. Alioqui significari simpliciter vnitatem essentię est valdè receptum apud reliquos omnes Theologos, & non obscurè significatum à Patribus: & ideo Isid. supra *Trinitas appellatur, quod fiat totum vnum ex quibusdam tribus.* Quod non potest intelligi de vno in ipsismet tribus, vt ita dicam, triplicato: hoc enim vnum sunt solùm ipsamet tria, quę sunt ter vnum, & non est vnum ex tribus, siuè in tribus; ergo intelligi debet Isid. de vna natura in tribus personis. Item Nazianz. orat. 2. de Pace, multò post medium, *Trinitas non rerum inæqualium est enumeratio, sed æqualium, & honore parium comprehensio, ipsa etiam appellatione illa vniente, quæ à natura sunt vnita.*

Idem confirmatur ex patribus.

Certum est, Nazianzenum loqui de vnione, siuè vnitate, quam omnes diuinæ personæ habent in vna natura. Hanc autem vnionem docet, non solùm haberi ex ipsa trium diuinarum personarum natura, verùm ex ipsa etiam appellatione huius nominis, Trinitas, & S. Maximus libello de duabus naturis Christi Domini propè medium, vt habetur tomo 5. Bibliothecæ veterum Patrum, *Iisdem verbis distinctio, & vnitas in Sancta Trinitate significantur:*

tur: ita tamen, vt ex eo, quòd tres personæ afferantur, distinctio ex eo, quod vna essentia ponatur, vnitas confirmetur. Clare oquitur de vnitate essentię, eamq; docet significari vno, eodemque verbo, quo
766 significatur distinctio personarum; quod verbum aliud non est, nisi Trinitas. Ratio autem conclusionis est, quia Trinitas, siuè ex vocabuli etymologia, siuè saltem ex vsu loquentium; Patrum, scholasticorum, & fidelium omnium, tale habet significatū, quód nulli creaturę conuenire potest, sed soli Deo. Et ideò absoluté pronunciare potuit Magnus Albertus supra *Trinitas non est, nisi in diuinis*. & omnes, audito nomine Trinitatis simpliciter, etiamsi nihil aliud addatur, quo ad diuinam limitetur, hanc solam, & non aliam Trinitatem intelligimus. At si Trinitas nullam aliam vnitatem significaret, nisi personalem, iam Trinitatis nomen non esset magis proprium Dei, quàm creaturę; & non minùs vere, ac propriè, quoad integrum Trinitatis significatum, essent Trinitas Petrus, Iacobus, & Ioannes, quàm Pater, Filius, & Spiritus S. quia non minùs vere, ac proprie illi, quàm hi, essent tes verę personæ Confirm. ex Alberto, quia trium vnitas, quàm etymologiam ipsemet Alensis admittit, significat aliquid, in quo tria sunt vnum; tres autem diuinæ personæ, non sunt vnum in ratione personę simpliciter, sed sunt tres realiter distinctæ, & oppositę. sunt autem verè, ac propriè vnum in natura; ergo hęc vnitas significatur.

Ratio est, quia, hoc nomen, Trinitas, tale habet significatum, vt soli Deo possit conuenire.

767 Neque confugiendum est ad vnitatem, quam tres personę habent in vna communi ratione analogica personę, vt supra q. 30. art. 4. quia hæc vnitas sunt ipsæmet tres distinctæ personę in confuso conceptę; quapropter est vnitas potius concipientis vnico conceptu plures res distinctas, quàm vnitas alicuius rei conceptę, quę sit verè vna; & non magis reperitur in pluribus personis, quàm in pluribus indiuiduis, naturis specificis, seu genericis, imo non magis in pluribus substantijs, & entibus realibus, quàm in pluribus accidentibus, & entibus rationis. At Trinitatis vocabulum, sicut non significat alium ternarium, nisi personarum, ità significare non debet aliam vnitatem, nisi propriam trium personarum; quę vnitas est solius naturæ, & non reperitur, nisi in personis diuinis.

Euasio.

Reijcitur quia vnitas quasi analoga, dicit personas in cõfuso.

768 Petes 2. *An Trinitas sit nomen collectiuum?*

Resp. Trinitas est nomen collectiuum, non simpliciter, sed secundùm quid. Hoc breuiter est, quod docet, & probat S. Th. hic ad 2. *Nomine, inquit, collectiuum duo importat, scil. pluralitatem suppositorum, & vnitatem quandam, scil. ordinis alicuius. Populus enim est multitudo hominum, sub aliquo ordine comprehensorum. Quantum ergo ad primum, hoc nomen, Trinitas, conuenit cum nominibus collectiuis*; & ideò illud ego vocaui collectiuum secundùm quid, hoc est, ratione vnius partis, quæ est pluralitas suppositorum; *sed quantùm ad secundum differt; quia in diuina Trinitate non solùm est vnitas ordinis, sed cum hoc est etiam vnitas essentiæ*: & ideo negaui esse collectiuum simpliciter, hoc est omni ex parte, tam pluralitatis, quàm vnitatis. Vnitas enim nominis collectiui est omnium minima, scil. alicuius puri ordinis; vnitas vero Trinitatis est omnium maxima, scil. eiusdem numero substantiæ, seu naturę. Hanc ob causam idem Trinitatis nomen Magister 1. d. 22. litera C. prudenter vocat *quasi collectiuum*: quod benè explicat Bonauent. 1. d. 24. art. 3. q. 1 cop. Eadem nominis collectio significatur verbis Isidori supra, *Trinitas appellatur, quòd fiat totum vnum ex quibusdam tribus*: & probata remanet ex dictis, quibus ostendimus, nomine Trinitatis significari no n solam personarum pluralitatem, sed præterea vnitatem naturæ.

Petes 2. Resp. Trinitas est nomen collectiuum non simpliciter, sed secundùm quid

Ratio est, quia nomen collectiuum importat pluralitatem, & vnitatē, vt populus.

769 Petes 4. *Quid sint Trinitas in Vnitate, & Vnitas in Trinitate.*

Resp. ex ijs, quę habentur in resp. ad 4. *Cùm dicimus, Trinitatē in vnitate, nō ponim⁹ numerū in vnitate essentia, quasi sit ter vna; sed personas numeratas ponimus in vnitate naturę; sicut supposita alicuius naturæ dicuntur esse in natura illa*. Similiter cùm è conuerso dicimus, *Vnitatē in Trinitate*, non ponimus vnitatem in numero personarum, quasi personæ diuinæ sint semel vna; sed vnam naturam ponimus in tribus personis numeratis, *Sicut natura dicitur esse in suis suppositis*.

Petes.

Resp. ponere personas numeratas in vnitate naturę.

Hæc Concl. supponit prędictum loquendi modū esse probatissimum, & receptum ab Ecclesia Catholica, non solùm in Symbolo Athanasij, sed etiam in officio Sanctissimæ Trinitatis, in cuius Inuitatorio adoramus *Deum vnum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate*. Eadem verba, & sensum verborum tradit Concil. Lateranen. sub Martino Papa I. Consultat. 5. Canone I. *Si quis secundum SS. Patres non confitetur propriè, & veraciter Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate, hoc est, vnum Deum in tribus subsistentijs, vnum, eandemque trium Deitatē, condemnatus sit*. In sexta quoque Synodo act. 4. Agatho Papa in epist. quę fuit instructio Legatorum colum. 3. circa princip. tanquàm fidei doctrinam cõfitetur, *Trinitatem in vnitate, & vnitatem in Trinitate. Vnitatem quidem essentiæ, Trinitatem verò personarum, siuè subsistentiarum*. Et actione 11. Sophronius in sua epist. colum. 4. ait, *Trinitatem in vnitate credimus, & in vnitate Trinitatem glorificamus. Trinitatem quidem pro tribus subsistentijs, vnitatem autem propter singularitatem Deitatis.* 780

Hæc conclusio supponit modū probatissimū in Ecclesia. vt cõstat ex Conc. Later.

Hæc Concl. præter hanc auctoritatem, & verissimam explicationem, nulla alia probatione indiget. Necessarium autem fuit, ita loqui ad clariorem obscurissimi mysterij notitiam tradendam: hac enim mutua alterius termini in altero inclusione, non solùm magis explicantur Trinitas, & Vnitas, cùm personarum Trinitas minus explicitè importet naturę vnitatem, & vnitas naturæ multo minus explicitè importet Trinitatem personarum, sed etiam essentialis connexio, & omnimoda identitas, quam essentialiter inter se habent in Deo, & tres personę cum vna natura, & in vna natura cum tribus personis. Plura, si placet, legi possunt apud Alensem p. p. q. 66. memb. 2. art. 3. Albertum p. p. Summæ q. 45. memb. 2. art. 2. particu a prima. 781

Ex hac mutua alterius termini in altero inclusione, magis explicantur Trinitas, & Vnitas.

Petes 3. *An triplicitas, & triplex de Deo dicantur.* 782

Respõsio colligitur ex responsione ad 3. *Non est in Deo triplicitas, sed Trinitas*, Prob. 1. auctoritate, quoniam ita habent non solùm omnes Scholastici cum Mag. 1. sent. d 19. litera T & Alensis p. p. q. 66. memb. 1. art. 4. Albertus p. p. Summæ q 45. memb. 1. art. 2. circa finem. Henric. 2. p. Summæ art. 73. q. 11. lit. O. & omnes S. Th. interpretes, sed etiam Concilia, & Patres. Toletan. XI. in fidei professione colum. 2. propè finem loquens de Sancta Trinitate, ait, *Quæ non triplex, sed Trinitas, & dici, & credi debet*. Aug. 6. de Trinit. cap. 7. *Nec quoniam Deus Trinitas est, ideò triplex putandus est: alioquin minor erit Pater solus, aut Filius solus, quam simul Pater, & Filius*. & c. 8. initio, quę verba repetit Serm. 38. de tempore circa medium. *Cùm itaque tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus S. quantus est simul Pater, & Filius, & Spiritus S. nullo modo triplex dicendus est*. Et lib. 15. cap. 3. ante med. *Non Deus triplex, sed Trinitas: nec quasi aliquid duplum esse Patrem, & Filium ad simplum Spiritum S. vbi nec tria plus aliquid sunt, quàm vnum horum.*

Petes. 3. Resp. neg. Prob. 1. ex communi consensu omnium Theologorum.

Consentit Isid. verbis supra relatis, & consentire censendus est Nazianz. tractatu de Diuinitate ad Euagrium Monachum; quamuis non longè à principio dicat, *Age, quo modo numen accipi debeat, exponamus, simplex ne, an triplex: Sic enim nos loqui, & credere, nominum ternio cogit*: tamen est intelligendus de coactione sub disiunctione, cùm simplex, & triplex proponantur, tanquam duo opposita quęstionis membra, quorum vel vnum, vel aliud credēdum sit. Quare cùm postea probet vnum tantum membrum de simplicitate, quam vere credimus, intelligitur sine dubio reprobare aliud membrum de triplicitate, tãquam alienum a fide, & oppositum articulo fidei de simplicitate: Quod autem Nanziãzenus accipiat triplex pro composito, patet ex principio, 783

Prob. 1. ex Patribus, Nanzianzeno, &c.

cipio, vbi quæstionem illi propositam ab Euagio ita refert, *Quo nam modo esse queat Patris, & Filij, & Spiritus S. natura, simplex, an composita?*

784 *Idem confirmat Clemens Romanus, Ambrosius, & alij.*

Idem plane docent alij Patres sub vniuersaliori nomine multiplicitatis. Clemens Romanus, vel quis alius illius operis Author fuerit, lib. 6. constitutionum Apostolicarum cap. 11. circa princip. confitetur vnum Deum, *non congeminatum, vel multiplicem, sed solùm in æternitate*. Ambros. lib. 1. de fide c. 2. aliquanto ante med. *Est plenitudo Diuinitatis in Patre, est plenitudo Diuinitatis in Filio; sed non discrepans, sed vna Diuinitas: nec confusum, quòd vnum est; nec multiplex, quòd indifferens*. Bernard. lib. 5. de cõsideratione circa medium, *Vero iudicio, natura simplex multiplici antefertur*. Et post pauca verba, *Asseritis, & si non multiplicem, duplicem Deum. Non ad merum simplex peruenistis. securus loquor. Ne is quidem, qui duplex est, erit meus*, nempe Deus. Si non licèt dicere Deum duplicem, multo minus triplicem Deum licebit asserere.

785 *3. Prob. ratione nam triplicitas significat proportionem inæqualitatis. est .n. species proportionis inæqualis.*

Probo 2. ratione S. Th. quia *Triplicitas significat proportionem inæqualitatis. Est enim species proportionis inæqualis, sicut patet per Boetium in Arithmetica*, nempe lib. 1 c. 23. & in hoc fundatur ratio Augustini supra, excludentis triplicitatem à Deo propter inæqualitatem diuinarum personarum. Qui .n. dicit triplex, vel triplicitatem, significat proprie non solùm ternarium numerum, sed etiam quendam excessum in tripla proportione supra aliud. Omnis autem ratio fundatur in propria vocis significatione, quam sapienter obseruauit Bonauent. 1. d. 19. dubio literali 12. tradens differentiam inter Trinum, & Triplicem, & inde afferens disparitatem, cur dici possit de Deo, quod sit Trinus, non autem, quòd sit triplex: *quia*, inquit, *hoc nomen Trinus, specialiter ad hoc inuentum est, vt significet pluralitatem in suppositis cum vnitate formæ. Quia ergo hoc nomen, triplex, dicit distinctionem simpliciter in termino, cui additur, vel quantùm ad formam, vel quantùm ad partiũ multiplicationem & quia in Deo non cadit multiplicatio, nec quantùm ad formam, nec quantùm ad partes, ideò nullo modo potest dici triplex*.

786 *Hæc .n. nomina important distinctionem absque vnitate.*

Igitur huiusmodi vocabula, Multiplicitas, Duplicitas, Triplicitas, Multiplex, Duplex, Triplex, Tribui Deo rectè non possunt, quia ex propria significatione à Sapientibus imposita, importat distinctionem puram absque vnitate, qualis distinctio non est in Deo. Vocabula verò, Trinitas, Trinus, ex sapientium impositione, & omniũ loquentium vsu in ipsa vocum etymologia fundato, vt superius demonstratum est, habuerunt, vt significarent distinctionem cum vnitate, quæ duo simul in Deo sunt.

Quia Deus in suo formali cõceptu importat diuinitatem, quæ est simplicissima.

Hactenus auctoritates adductæ, & rationes probant prædicta nomina significantia meram distinctionem, non posse tribui Deo, vel alteri diuino termino absoluto: quia cùm Deus in suo explicito, ac formali significato, importet Diuinitatem, quæ est simplicissimè, ac purissime vna, identificans sibi omnia diuina, etiam relationes inter se realiter distinctas, prorsus inconuenienter tribuuntur illi prædicata, in explicito, ac formali suo significato importãtia oppositam pluralitatem, ac distinctionem absque vnitate.

787 *Possunt tamen Deo tribui alij termini significantes distinctionem, vt Relationes, Personæ &c.*

Verùm enim verò eędem authoritates, & rationes non obstant, quin absque vlla repręhensione tribui possint alijs terminis diuinis in explicito, ac formali significato importantibus distinctionem; cuiusmodi sunt relationes, personæ, processiones. Sicut enim dicimus, non esse in diuinis vnam, sed plures, seu duas processiones; & quatuor relationes; & tres, seu multas personas; ita pariter dicere possumus duplicem processionem, quadruplicem relationem, triplicem, seu multiplicem personam, vt concedunt Suar. lib. 3. de Trinit. cap. vltimo num. 10. Vasq. disp. 131. cap. 3. num. 16. & alij docti recentiores. Et ipsemet S. Th. de Potent. q. 10. art. 2. aliquanto post principium Corporis dixit, *Diuina natura potest communicari duplici processione*. Quem etiam loquendi modum Patres vsurparunt. Nazianz. orat. 39. in Sancta Lumina, propè medium *Deum porrò cum dico, vno, eodemque triplici lumine perstringamini: Triplici quidem, quantùm ad proprietates, siuè hypostases, siuè personas; vno autem, quantùm ad substantiæ hoc est, Diuinitatis rationem*.

788 *Patet ex Nazianzeno, qui Deum vocauit vnum, & triplex.*

Si Nazianzeno, cuius verba vsurpat etiam Ioannes Papa in epistola de duabus naturis aduersus Euthychianistas, non longè à principio, & habetur tom. 4. Bibliothecæ vterum Patrum, licuit Deum vocare, vnum & triplex lumen, non obstante, quòd lumen sit nomen absolutum, & commune; quia scil. lumen non significat explicitè diuinitatem; & ita dicitur triplex, vt simul expresse dicatur vnum, ac proinde significatur, quatenus vnum, sumi pro natura; quatenus triplex, sumi pro persona.

Idem patet ex D. Cirillo, ac Mirandulano.

Potuit, & Mirandulanus ita poeticè, & minùs propriè, in bono sensu scribere, *Vnum in triplici numine numen habet*. Ab eodem Nazianz. tract. de Diuinitate ad Euagrium, post med. Filius, & Spiritus S. appellantur *geniti Patris radius*. Et Aug. lib. Meditationum c. 30 initio ait, *Tu vnitas es diuinitatis, personarum pluralitate multiplex*. Et epist. 102. circa med. esse multiplex tribuit etiam ipsismet diuinis attributis, ratione tantùm distinctis, dicens, *Legitur Spiritus sapientiæ multiplex, quoniam multa sunt, quæ habet*. Cyril. quoque lib. 3 Dialogorum de Trinit. colum. 5. loquens de Patre, & Filio, vocat *duplicem consubstantialitatis modum*. Et post pauca verba, *Duplex in subsistentijs*. Et iterum pauló post, *Duplicitatem in subsistentijs*. Et aliquanto ante med. colum. 12. de lege antiqua ait, *Prædicat quidem, quòd vnus sit Deus, & nullo modo dilatat Diuinitatis naturam ad triplicitatem secundùm subsistentiam, nec iterum congregat ad vnitatem naturalem. Hoc enim nos noua docuit scriptura*.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Filius sit alius à Patre.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONCLVSIO. Conuenienter possumus dicere, quod Filius est alius à Patre. Prob. Nomine importante tantùm distinctionem suppositorum: conuenienter vtimur in diuinis. Sed hoc nomen, alius, masculinè sumptum, importat tantùm distinctionem suppositorum: ergo &c. est enim Filius aliud suppositum diuinæ naturæ, sicut est alia persona, & hypostasis.

Arg. 1. Quia alius est relatiuum diuersitatis substantiæ. Sed Filius in diuinis non est diuersus à Patre; ergo. Resp. dist. ma. alius est relatiuum &c. pro vt substantia significat essentiam, nego ma. pro vt substantia significat personam, conced. ad diuersitatem autẽ requiritur alienitas substantiæ: ideò Filius est à Patre; idest alia persona, non autem diuersus.

Arg. 2. Qui sunt alij ab inuicem differunt inter se. Sed Filius non est differens à Patre secundùm Ambrosium *lib. de fide*, ergo. Resp. neg. ma. Nam differentia propriè importat distinctionem formæ: & quia in diuinis est tantùm vna forma, ideò nomen differentiæ non propriè competit in diuinis.

Arg. 3. Quicumque est alius ab aliquo, est etiam ab eodem alienus. Alienus enim ab alio dicitur. Sed filius non est alienus à Patre, ergo. Resp. neg. ma. ad prob. dicitur, quod licèt alienum ab alio dicatur, tamen alienum plus significat, quàm alius. Alienum enim importat extraneum, & dissimile;

mile; alius. n. importat tantùm suppositorũ alietatem.

Arg. 4. Quicũq; est alius ab aliquo, est etiã aliud ab eo; quia alius, & aliud idẽ significãt. Sed filius nõ est aliud à Patre. ergo. Resp. neg. ma. ad prob. dicitur, quòd alius, & aliud differant, non solùm in cõsignificando, sed etiã in significato. Nã per aliud, cũ sit generis neutri, importatur essentiæ diuersitas: per alius autem, cum sit generis masculini importatur tantùm distinctio suppositorum.

DISPVTATIO CLXXVIII.

An Filius sit alius à Patre. Vbi de voce aliud, Et de vocibus, Alter, Alterum, Distinctum. &c.

Petes 1. Resp. simpliciter affirmatiuè, est de fide, de quacumq; persona, non solùm de filio

PEtes 1. An filius sit alius à Patre?

Resp. simpliciter affirmatiuè est de fide, & non solùm de Filio respectu Patris, sed de quacumq; alia persona respectu alterius. Prob. 1. ex scriptura Io. 5. Alius est, qui testimoniũ perhibet de me. *&* c. 14. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis. *Quibus testimonijs Origenes homil. 12. in c. 21 Numer. aliquantò post prin., probat, quòd* alius à Patre Filius, & non idem Filius, qui & Pater: *& quòd Spiritus S.* alius ipse est à Patre, & Filio.

Prob. ex scrip. Concil. & Patribus.

Prob. ex Concilijs. Ephesinũ to. 2. c. 7. aliquanto ante finem, ex Nazianz. doctrina ita decerait. In Sanctæ Triados mysterio est alius, & alius, ne hypostases confundantur, non tamen aliud, & aliud, sed vnum, tres nãq; Diuinitate vnum, & idem sunt. *Lateranen. sub Innocentio III c.* Damnamus *de Summa Trinit. circa med.* Licet alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus S. non tamen aliud. Sed id, quod est Pater, est Filius, & Spiritus S idem omninò, vt secundùm orthodoxã, & Catholicam fidem consubstantiales esse credantur. *Idem in re definit Toletanum I. in assertione fidei circa med.* Si quis dixerit, atq; crediderit, Deum Patrem, eundẽ esse Filium, vel paracletum, anathema sit. *Si enim Pater, & Filius non sunt idem, scil. masculinè; ergo sunt alius, & alius. Prob. 3. ex Patribus, quos referunt Valẽtia, & Vazquez hic.*

Vox Paracletus ob duas rationes non potest tribui Patri.

Nihil autẽ obstat, quòd Christus Io. 14. dixerit: Ego rogabo Patrem, & alium Paracletũ dabit vobis, Spiritum veritatis. *Vox n.*, Paracletus, *quamuis quòad operationem consolationis, & doctrinæ, sit cõmunis, & absoluta, propter quod illam tribuerunt omnibus diuinis personis; Basil lib. de Spiritu S. c. 19. paulò post prin. Hieron. epist. ad Hedibiam q. 9. multò post med. tamen est notionalis, & relatiua conueniens solùm Filio, & Spiritui S. non Patri, ob duas peculiares rationes; alterã quia*

790 Prima Ratio.

sicut post Christi ascẽsionem Spiritus S. est missus ad docendum, & consolandũ, Io. 14. & 15. scil. in figura ignis, & per gratiarum dona, quæ illi appropriantur; ita etiã ad docendum, & consolandum missus est Filius Isaiæ 61. Spiritus Domini ad anunciandũ mansuetis misit me, vt mederer contritis corde, & prędicarẽ captiuis indulgentiam, vt consolarer omnes languentes, *&c. quæ missio fuit alio modo longè diuerso, scil. per realem, ac veram humanæ naturæ assumptionem, & per conuersationem cum hominibus in humanitate assumpta, per prædicationem, & redemptionem.*

2. Ratio. quia Paracletus significat etiã Aduocatum.

Alteram, quia Paracletus significat etiam Aduocatũ apud Patrem: qui aduocatur, vt docent Aug. in Ioannem tract. 74. propè fin., Cyril lib. 9. in Io. c. 44. propè medium non solùm est Spiritus S. qui vt dicitur Roman. 8. postulat pro nobis geminibus Inenarrabilibus, *nimirum in bono sensu explicato. Sed maximè etiã Filius, quem hominẽ factũ.* aduocatum habemus apud Patrem 1. Io 2. *In hac igitur notionali, ac propria Paracleti significatione, & non in alia communi dixit Christus, Spiritum S. esse Paracletum alium à se; quoniam ita personaliter distinguuntur, vt non habeant eandem Paracleti rationẽ, vt explicatum est; sicut habent Pater, & Filius eandẽ prorsus rationem principij spirationi, & ideò dici non possunt aliud, & aliud spirãdi principium.*

791 Petes 2. Resp. Filium non esse aliud à Patre, est de fide. Prob ex scrip. & Patribus.

Petes 2. De voce, Aliud.

Resp. Qua fidei certitudine tenemur dicere, Filium alium à Patre, eadẽ negare tenemur, Filiũ aliud à Patre, seu Spiritu S. & idẽ de Patre respectu Filij, & Spiritus S. & de Spiritu S. respectu Patris, & Filij. Hoc notat S. Th. in fine huius art. & sequũtur reliqui omnes Theologi; & probant etiã verba allata supra ex Concil. Ephesino, & Lateran. & in 3. probatione ex Aug. Isid. Theophes l Præterea Toletanũ XI. in fidei professione paulò post principium ait, Pater Filium genuit, nec tamen aliud, quam quod ipse est, genuit, Deus Deum. *Sexta Synodus act. 11. in epist. Sophronij col. 7. initio.* Pater, & Filius, & Spiritus S. aliud, & aliud, & aliud, non dicantur *Hilar lib. 5. de Trinit. col penult. post medium de Filio ait,* Neq; aliud, quàm Deus est, quia non est aliunde, quod genitus est. Et per hoc non refertur ad aliud, quod in vnũ subsistit ex vno. *Epiphan. hæres. 76 aliquanto ante finem, confutatione 47. capitis Aetij,* Cùm Deus genuerit sibi Filium, non aliud gignit in sua essentia. *August. tract. 36. in Ioan. col 5. circa fin.* Quid vis ire in alteram partem *nempe Arianorũ,* vt dicas, Aliud est Pater, Filius aliud. Alius est, rectè dicis; Aliud, nõ rectè. Alius. n. est Filius, qui nõ est ipse, qui Pater; & alius Pater, quia non est ipse, qui Filius: non tamen aliud, sed hoc ipsum est, & Pater, & Filius, Quid est, hoc ipsum est? Vnus Deus est.

792 Ratio est, quia ly *alius*, significat distinctionem personarum; sed ly aliud distinctionem naturarum.

Cur autem Filius dici debet alius à Patre, dici verò non possit aliud à Patre. Ratio immediata est, quam tradit S. Th hic in fine corp. quia alius significat distinctionem personarum, aliud distinctionem naturarum. Sed Filius, & Pater sunt duæ personæ, non sunt duæ naturæ: ergo Filius est alius, non aliud à Patre. Ita ratiocinatur Theophil supra: Alius enim, & alius, de persona dicitur; aliud & aliud de naturis. *Et Riccardus §. superiori fine:* Nam in rationali natura esse aliud, & aliud, facit diuersitas substantiarum, esse alium, & alium facit alietas personarum. *Idem significant nonnulli, qui cùm docent, Filium esse alium, non aliud à Patre, addunt aliud, quoad personam, non aliud quòad essentiã. Aug. serm. 38. de tempore col. 2 post med* Vna est Patris, & Filij, & Spiritus S essẽtia, in qua nõ est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus S quamuis personaliter alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus S.

793 Constat hæc veritas communiter ex Patribus.

Quæ verba leguntur etiã in Fulgentio de Fide ad Petrum c 1. post med & habetur in 3. to Operu Aug. Cyril. quoq; lib. 10. Thes c. 1. aliquantò post med de Filio dicit, Aliud personaliter esse a Patre. *Et lib. 12. c. 15. paulò post prin.* Alius quidem hypostatice à Patre, sed non alius ratione substantiæ. *Et Leo Papa verbis supra cit.* Cùm in personarum proprietatibus alius sit Pater, alius sit Filius alius Spiritus S. nõ tamen alia Deitas, nec diuersa natura est *Et ideò Lateranea supra initio Disputationis, cùm docuisset, Patrẽ Filiũ, & Spiritũ S.* nõ esse aliud, *addit,* vt secundùm fidẽ consubstãtiales esse credãtur. *Et Athanas. in Symbolo, cùm dixisset,* Alia est. n. persona Patris alia Filij Spiritus S., *vt indicaret, hanc alietatẽ non esse quòad naturã, statim illi opponit vnitatẽ naturæ, subiungens,* Sed Patris, & Filij, & Spiritus S. vna est Diuinitas, coęqualis gloria, coæterna maiestas.

794 Confirm. quia in Christo, cũ sint duæ naturæ, ideo Patres dicũt, esse in eo aliud, & aliud.

Cõfir. ex eo, quia cùm in Christo Domino sint duæ naturæ, & vna persona, ideò Sãcti dicunt, in eo esse aliud, & aliud, non aliũ, & aliũ. Satis sint verba Cõcilij Ephesini to 2. c. 7. aliquãtò ante finẽ, quæ ex Naziãz. vsurpat, Aliud, & aliud est, ex quibus Saluator cõstat: at non est tamẽ alius, & alius. Absit hoc. Dico aliud & aliud, licet in Sacrę Triados mysterio contrariũ reperiatur. Ibi. n. est alius, & alius, ne hypostases cõfundantur; nõ tamen aliud, & aliud, sed vnũ: tres namq; Diuinitate vnũ, & idẽ sunt *Et August libro contra Felicianum Arianorũ c. 11. fin.* Non alius Dei, & alius hominis; sed idem Christus Dei, & hominis Filius fuit. Et sicut in vno homine, aliud animus, aliud corpus; sic in mediatore Dei, & hominum, aliud Dei Filius, aliud hominis fuit: vnus tamen ex vtraque Christus Dominus fuit. Aliud, inquam, pro discretione substantię, non aliud pro vnitate personæ.

Sicut in homine aliud Ani-

Et Damasc. lib. 3. de fidei c. 7 post med de Christo dicentis, Ipsum prædicamus non alium, & alium. *Et post*

nonnulla. Totus igitur est Deus perfectus, sed non totum Deus, nam non solùm Deus, sed & homo, & totus homo perfectus, non totum autem homo, non solùm enim homo, sed & Deus. Nam totum est naturæ repræsentatiuum, totus autem hypostaseos; Quemadmodum aliud naturæ est, alius verò hypostaseos. *Et Anselmi de Incarnatione Verbi cap. 5. multo post principium,* Non est alius Deus, alius homo in Christo; quamuis aliud sit Deus, aliud homo, sed idē ipse Deus, qui & homo.

795 Petes.

Pete s. 3. vlteriùs, quam ob causam, alius, masculinè sumptus, referatur ad distinctionem in persona, non in natura; contra verò, aliud neutraliter sumptum referatur ad distinctionem in natura, nō in persona.

Durandi Responsio reijcitur.

Respondet Durand. 1 d. 9 q. 1. nu. 4. hoc non esse de virtute sermonis, sed ex vsu loquendi. *Vndè colligit, his vocibus, præcipuè voce,* siue, non esse vtendū, nisi cum additione personalium; vt dicendo, quod Pater est alia persona, vel alius in persona à Filio, vel aliud suppositum. Quod si quandoque dicatur alius à Filio Pater, sine additione, exponenda est loquutio. *Sed non solùm reliqui omnes Scholastici, verùm etiam cōmunissimè Patres, & Concilia, vt in superioribus demōstratum est, illo modo simpliciter, & sine addito loquuntur. Perperam igitur huiusmodi loquutio dicitur non vsurpanda, tanquam impropria, & ad libitum conficta.*

796 Resp. D. Th. quia neutrum genus est informe.

Necessarium igitur omnino est, proprietatem sermonis agnoscere, ac probare, vt facit S. Thom. hic ad 4 dicens, Quod neutrum genus est informe, *hoc est, vt se explicat 1. d. 9 q. 1. art. 1 initio corporis,* non importans sexus distinctionem, *seu determinationē, ad formam, sed est commune, & indifferens ad masculinū, & fœmininum,* masculinū autem est formatū, & distinctum, similiter fœmineum. Et ideò conuenienter per neutrum genus significatur essentia communis; per masculinum autem, & fœmininum, aliquod suppositum determinatum in communi natura. *Verùm vt de hac ratione ipsemet S. Th cit. d. 9. rectè censet,* Istud videtur magis esse adaptatio, quàm expressio proprietatis loquutionis.

Aliud significat per modū per se stantis, cùm sit neutrum.

Et ideò aliam ibi rationem affert, nunc post med. corporis, iam adductam ex ipsa significandi ratione, quā in re habent ipsæ voces. Nam aliud, *ex eo, quod sit neutri generis,* substantiuatur, *hoc est potest accipi per medū simpliciter, & per se stantis, & sine consortio cum alia re, cui adiaceat, ita vt esse aliud sine alio addito sit habere alietatem entis simpliciter sicut esse v. g. bonū neutraliter, est habere entis bonitatem simpliciter. Et ideò subdit S. Th.* substantiuum, *nempe nomen,* significationem suam habet absolutā, sed adiectiuū ponit significationē suam circa subiectū, *v. g. aliud, neutraliter, & substantiuè sumptum, importat alietatē simpliciter conuenire illi, cui tribuitur sic etiam bonum, iustum, & c. at sumptum adiectiuè, vt si dicatur,* Pater est aliud suppositū à filio, *significat, Patrem respectū Filij habere alietatem, non simpliciter, & absolutè, sed talem determinatā alietatem suppositi.* Quando autē aliquid dicitur absolutè, *inquit S. Th.* intelligitur de eo, quod simpliciter est, sicut ens absolute dictū, significat substantiā. Et ideò, quia alietas essentiæ est simpliciter alietas, ideò neutrū genus substantiuatum importat alietatem essentiæ.

797 Alius, & Alia, cum sint generis determinati, non possunt substantiuari.

Alius verò, & alia, ex eo, quòd sint generis determinati, scil masculini, & fœminini, nō possunt substātiuari, & absolutè sumi pro significato simpliciter: sed sēper necessario sumuntur adiectiuè, ac proinde pro significato secundùm quid, hoc est, limitato ad tale subiectū, cui adiacere dicuntur, v. g. si alius à Patre dicitur de Filio, qui est persona, & alia dicitur de persona Patris, significatur alietas talis subiecti, nempe personalis; sicut si diceretur Filius Deus, alius Deus à Patre, vel Filij natura alia à natura Patris, significaretur alietas in Deitate, quæ est alietas determinati subiecti. Igitur ex propria vocū significatione, & non ex improprio vsu ad placitū, hæc est vera, & significat alietatem in persona, Filius est alius à Patre; *hæc verò falsa significans alietatem absolutè, & simpliciter, ac proinde in ipsa rei essentia, seu natura,* Filius est aliud à Patre.

Confirm. hæc loquendi proprietas à S. Th. hic ad 4. duobus alijs similibus loquendi modis, qui etiā in masculino sumuntur pro persona, in neutro sumuntur pro natura. Primò inquit, etiam in rebus humanis, si quæratur, Quis est iste? respōdetur Sortes, quod nomen est suppositi. Si autem quæratur, *quid* est iste? Respond., Animal rationale mortale; *quod ad naturā pertinet. Idque expressè, ac fusè docuit Riccardus Victorin. lib. 4. de Trinit. c. 7. toto & sermonis proprietatem apertè declarat illis verbis circa medium capitis.* Si ad respectum angelicæ visionis, vnus interroget alterū. Quid sit? & id responsi acceperit, Quod Angelus Domini sit; talis vtique responsio, non est secūdùm proprietatem loquutionis, sed secundùm intentionē quærentis: ac si apertius dicat interroganti, Non est homo, vt putas, sed Angelus Domini. Nam si Angelū esse sciret, nec tale quid quæreret, nec tale responsū, nisi inepté, reciperet. Per quid, itaque requiritur de proprietate communi; per quis, de proprietate singulari. Per quid, interrogamus, vt certificemur de qualitate substantiæ; per quis, vt certificemur de proprietate personæ. *Docuit etiam multò breuiùs Aug. serm 38 de tempore ante med dicens,* Si quæris, Quid sit Abraham? iuxta substantiam, respondetur, homo. *Et sequuntur Albert. p. p. Summæ q. 40. mēb. 2. art. 2. corp. Alens. p. p. quæst. 56. memb. 2. in vltima responsione corporis, Bonauent 1. d. 25 art. 1. q 1. num. 11. & alij communiter.*

798 Confirm. 1. in humanis in quibus masculinus sumitur pro persona: neutrum pro natura.

Confirm. 2. quia de Patre, Filio, & Spiritu S. dicimus, quod sunt vnum, sed non vnus, *hoc est vna natura; nō vna persona. De vno neutraliter, & substātiuè accepto, habemus loquutionē ipsiusmet Christi, Io. 10.* Ego, & Pater vnum sumus *Et Apostoli Ioannis in sua 1. epist. c. 5.* Hi tres vnum sunt. *Quibus verbis, ad maiorem explicationem, addit Athanas. vel alius illius operis Auctor, lib. 1 de vnica Deitate, multò post med.* non tamen vnus est, quia non est eorum vna persona. Nam vnū, quid aliud intelligitur, quàm quod in natura Deitatis, & in substantia plenitudinis per omnia vnum, & idē sunt; *Eodemq; modo alij Patres passim loquuntur, explicantes, quòd vnū referatur ad naturam, & vnus ad personam Hilar. lib. 3. de Trinit. col 2. initio de Patre, & Filio, ait,* Vterque vnum, non duo vnus. *& lib. 7. col. 2. initio,* Quòd vnum sunt, refertur ad vtrumq; & vterque non vnus est.

799 Confirm. 2. quia de Patre, Filio, & Spiritu S. dicimus, quòd sint vnum, non vnus.

800 *Petes 4.* De vocibus. Alter, Alterum.

Petes 4. Resp. idem dicendum esse de his vocibus, ac de *Alius, & Aliud*

Resp. quod hactenus dictum est de vocibus, Alius, & Aliud, idē omninò dicendū de vocibus, Alter, & Alterū: nimirū, quòd Alter, quia masculini generis est, & adiectiuè semper accipitur, significet propriè distinctionē in personis, & propterea possit affirmari de diuinis personis, non autē de Deo: & quòd alterū, quia est neutri generis, & substantiuatur, cū substantiuè accipitur, significet distinctionē in ipsa rei essentia, ac natura & propterea de Deo, diuinisque personis affirmari nequeat. Quā ob causam opinor dixisse S. Th. in hoc art. de alius, & aliud, non de alter, & alterum: quoniam putauit de illis nominibus, & de his, omninò eandem esse rationē. Quod præter superiùs dicta, satis fuerit ostendere ex communi modo loquendi Patrum.

In diuinis magis propriè dicitur, alius, quàm *alter*.

Quamuis n. S. Th. 1. d. 9. q. 1. a. 1. ad 4. & Bonau. 1. d. 4. dubio literali 9. doceant, in diuinis magis propriè dici aliū, quàm alterum: quia alteritas propriè in creaturis est quædā distinctio in accidentalibus, alietas verò in substantialibus, seu personalitatibus, in Deo autē nulla est ratio accidentalis, sed tantùm personalis; tamen cū hæc ipsa diuersitas non possit habere locū in Deo, in quo nullū est accidens, nulla distractio, nisi tātùm in personis, factum est, vt Pater absque vllo discrimine indifferenter pro eodem vteretur alio, & altero.

801 Patet ex D. Athanas. qui aliquam personam, dicit aliam, & alteram.

Ita Athanas. seu quisquis alius est auctor, lib. 1. de vnita Deitate, inter medium, & finem, Cùm alter sit in persona, qui genuit; & alter sit in persona, qui vnigenitus ab ipso est; & alius æquè in persona, qui nec Pater, nec Filius. Hic est Spiritus S. &c. *Eadē repetit lib. 2. in medio, additque,* Vides, quia altera ab altero, siuè alius ab alio in persona tantùm differt. *Et paulò post iterum,* Scito alium ab alio, siuè alterum ab altero in persona tantùm differre.

Et

Et orat. cōtra Gregales Sabellij col. 4. med. Cùm Pater, qui vnus est fit Deus; & Filius, qui alter est, fit Deus. *Hilar. lib. 3. de Trinit. col. 2. paulò post principium ait*, Alter ab altero, *hoc est, Filius à Patre;* & vterque vnū, non duo vnus; *hoc est, sunt vnus Deus, non sunt vna persona;* Sed alius in alio, quia non aliud in vtroque; *hoc est, non alia Deitatis natura. Quos vocauerat alteros, statim vocat alios.*

802 Idem docet D. Hilarius pluribus in locis.

Item lib. de Synodis, exponens Canonem nonū Orientalium Episcoporum, & loquens de Patre, & Filio, cùm dixisset, quòd differt alter ab altero, *statim dicit*, quia alius sit Pater, alius fit & Filius. *Et postea refert, & approbat Canonem 20. Syrmicæ fidei, ita dicentis*, si quis docuit nos Dominus, non alium dicat Paracletum à Filio, dixit enim, & alterum Paracletum mittet vobis Pater, Anathema fit. *Ambros. lib. 8. in Lucam c. 9. aliquanto post principium.* Sede cum in Deo Filius persona alter, potestate vnus fit. *Chrysost. in epist. ad Hebraeos hom. 2. col. 5 initio exponens, quòd Filius Dei fit character substantiæ Patris, ait*, Character quippe alter est ab ipso suo exemplari: alter autem in omnibus, sed secundùm quod per seipsum subsistit. *Aug. tract. 71. in Ioannem ante med. ait*, Alter est Filius. *& paulò post*, Alter est à Patre.

Petes. 5.

Petes. 5. de nomine distinctum, an tutissimè vsurpetur in diuinis.

803 Resp. tutissimè vsurpari. Prob. primo.

Resp. Distinctionis nomen tutissimè vsurpari potest de diuinis personis inter se comparatis. Primò quoniam à nullo vnquam Catholico, quem sciam, reprehensum est, vel tanquàm malum, vel tanquàm suspectum, vel tanquàm impropriū. Secundò quia illo vtuntur omnes Secundo. *planè Scholastici cum Mag lib. 1. sent. d. 24. litera A. & S. & hodie in scholis non alio nomine vtimur, cùm significare volumus, aliam esse personam Patris, aliam Filij, aliam Spiritus S. Et ideò S. Th hic in corp. ante med. cùm in aliarum vocum vsu cautissimè procedat de hac dixit*, Possumus autem vti nomine distinctionis propter oppositionem relatiuam.

Tertiò. quia Patres nūquā reijciunt distinctionis nomen.

Tertiò, quia Patres etsi multò frequentiùs loquantur alijs vocibus differentiæ, diuersitatis, discretionis, diuisionis, quæ, vt mox referam, minùs vsitatæ sunt, immò etiam minùs receptæ, & à nonnullis, tanquam non omninò tutæ vitandæ esse dicantur, tamen distinctionis vocē nunquam reijciunt, & plerumque vsurpant. Sæpiùs Dyonis. de diuinis nominibus cap. 2. aliquanto post princip. distinctionem nominat: & vniuersaliter distinguit in Trinitate ea, quæ coniuncta sunt, & communia, *& ea, quæ* distincta, & propria sunt.

804 Quarto. ex Tertulliano, qui Filium dicit alium à Patre non diuisione, sed distinctione.

Præterea Tertullian. lib. contra Praxeam c. 9. initio, Dico alium esse Patrem, & alium Filium, & alium Spiritum. Non tamen diuersitate alium Filium à Patre, sed distributione; nec diuisione alium; sed distinctione. *& c. 11. paulò ante finem docet, quòd in multis scripturæ locis*, manifestè distinctio Trinitatis exponitur. *& c. 12. cum dixisset in Trinitate esse alium, & alium, subdit post med.* Alium autē quomodò accipere debeas, iam professus sum; personæ, non substātiæ nomine ad distinctionē, non ad diuisionē. *Hilar. lib. 4. de Trinit. col. 10. fine, & col. 14. fine*, Personarum, *inquit*, distinctio. *Ambros. lib. 1 de fide c. 2. aliquanto ante med.* Inter Patrem, & Filiū generationis expressa distinctio est. *& lib 4. c. 4. multò ante med.* Cùm Patre semper est Filius per distinctionē indissociabilē Trinitatis æternæ. *& lib. 1. de Spiritu S. c. 8 post med.* Nō confusus cū Patre, & Filio Spiritus S. verū, & à Patre distinctus, & Filio. *& lib. 2. c. 10. post med.* Dixit Apostolus, ex Deo omnia, & per Filiū omnia; vt inconfusibili distinctione, quòd alius fit Pater, alius fit Filius doceret. *Nissenus orat. scholastica, quæ habetur in editione Parisiēsi anno 1573. in c. 1. ad fin. ait*, Verbum eo, quod per se consistit, distinctū est, ac diuisū ab illo, ex quo habet, quod cōsistit. *Cyril. lib. 2. Thes. c. 8 fin.* Nec Pater, Filius est; nec Filius Pater. & hæc sola distinctio in eis est. *Fulgent. de fide ad Petrū c. 1. aliquanto post prin.* Pater, & Filius, & Spiritus S. personarum sunt abinuicē proprietate distincti. *Beda in id Io. 16.* Si non abierio, Paracletus, *& c. ait*, Oportebat ita insinuari Trinitatē; vt quamuis nulla esset diuersitas substantiarum, sigillatim tamen commendaretur distinctio personarum.

805 Idem. docet Nissenus, Cyrillus, & alij Patres.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum dictio, exclusiua, solus, *sit addenda termino essentiali in diuinis. Puta an possit dici solus Deus.*

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Hæc dictio, *solus*, Categorematicè sumpta, non potest addi termino essētiali in diuinis; secùs sumpta syncategorematicè. 1. Pars prob. illa dictio, quæ additur alicui termino categorematicè, ponit suum significatum in termino, cui adiungitur, vt cum dico, *homo est*: ly *est*, ponit id, quod significat: i. esse, in homine. Sed hæc dictio, *solus*, non ponit suum significatū in termino essentiali in diuinis: nam, cum eius significatū sit solitudo, si hoc significatū esset in Deo, sequeretur Deū esse solitariū; quod est contra præmissa in art. præc. ergo. 2. verò Pars prob. Dictio, qua significatur aliquod prædicatum Deo conuenire taliter, quod nulli alteri à Deo conueniat, potest addi termino essentiali in diuinis. Sed hæc dictio, *solus*, sumpta præfato modo significat aliquod predicatum soli Deo conuenire excludendo à participatione talis prædicati omne aliud subiectum preter Deum. vt cum dico, *solus Deus est æternus*. ergo.

Arg. 1. Qui est cum alijs non potest dici solus. Ex Philos. 2. *Memb. c. 3.* sed Deus est cū Angelis, & Sanctis animatus, ergo. Resp. dist. ma. Qui est cum alijs, quæ sunt eiusdem naturæ; vt Petrus cum hominibus, non potest dici solus, concedo: Si tamen sit cū alijs, quæ sint diuersæ naturæ: vt Petrus in horto, cum plantis, herbis, & animalibus; tunc non excludit solitudinem, nego: Angeli. n. & Animæ sunt alterius naturæ à *Deo*.

Arg. 2. Quod adiungitur termino essētiali in diuinis potest prædicari de qualibet persona per se, & de omnibus simul. Sed ista dictio, solus, non potest prædicari per se de qualibet persona, secundùm Augustinū. *lib. 6. de Trin. c. 9.* ergo. Resp. dist. ma. & ipsam conced. de dictionibus, quę de se tenent tàm ex parte subiecti, quàm ex parte prædicati, vt est ly tantùm, vt cum dico, *Sortes tātùm scribit*: Negando verò ma. de his dictionibus, quæ se tenent tantùm ex parte subiecti, seu suppositi; vt est ly, solus.

Arg. 3. hæc dictio, solus, si adiungitur termino essentiali, aut hoc erit respectu prædicati personalis; & hoc non: quia hæc est falsa; *Solus Deus est Pater*, cùm etiam homo fit Pater, aut respectu prædicati essentialis, & non; quia hæc est falsa, *Solus Deus creat*. aliàs etiā posset dici, quòd solus Pater creat, cum omne, quod dicitur de Deo possit dici de Patre; Resp. vtroq; modo posse adiungi: & in prima propositione: ly: Pater potest prædicare personā Patris, & est sensus, *solus Deus est illa persona diuina, quæ est Pater*; & est vera: vel potest prædicare solam relationem; & sensus est, solus Deus habet relationem paternitatis, & est falsa. nam etiam homo habet relationem paternitatis: Hæc etiam est vera *solus Deus creat*; nec valet, ergo solus Pater creat, quia dictio exclusiua immobilitat terminum cui adiungitur, vt non possit fieri descensus pro aliquo suppositorum.

DISPVTATIO CLXXVIII.

Vtrum dictio exclusiua, solus, acceptus categorematicè, sit addenda termino essentiali in diuinis.

806 Concl. neg. Prob. quia dictio categorematica adiectiua ponit rē significatam circa suppositum.

CONcl. negatiua est, si solus accipiatur categorematicè. Ità S. Thom. hic in p p. corp. Bonauent. 1. dist. 21. art. 2. qu. 1. Scotus qu. 1. Durand. qu. 1. Præterea Alens. p. p. qu. 65. memb. 3. art. 2 Albero. p. p. summæ qu. 40. memb. 2. art. 1. in fine corp. & ad 1. quæstionis incidentis. Henricus in summa tom. 2. art. 75. qu. 5. & alij posteriores, & ferè omnes interpretes huius articuli. Fundamentum valdè certum S. Thom. est, quia in genere, Dictio categorematica, nimirum adiectiua, cuiusmodi est solus, dicitur, quę absolute ponit rem significatam circa aliquod suppositum, vt albus circà hominem, cùm dicitur, homo albus. Dictio verò syncategorematica dicitur, quę importat ordinem prædicati ad subiectum; sicut hæc dictio, Omnis, vel Nullus; non enim in sua propria significatione sistunt, tribuendo eam per se subiecto, sed modificando subiectum in ordine ad prædicatum, vt cum dicitur, omnis homo currit, vniuersalitas, quàm significat dictio Omnis, tribuitur homini non absolutè, sed per ordinem ad cursum, vt significetur, cursum inesse non vni, aut alteri, sed omnibus simpliciter hominibus.

807 Vox solus idē significat, ac non cum alijs. sicut vox, nudus, remouet vestes: ità solus, consortiū.

Vox igitur, solus, vt constat ex communi conceptione, & ex Phylosophi auctoritate probat S. Thom. 1. dist. 21. qu. 1. art. 1. initio corp. & in hoc art. argum. 1. citat. lib. 2. Elencorum cap. 3. multò post med. significat idem, quod non cùm alio. Quarè sicut, v. g. vox, nudus, remouet vestes ab eo, cui adiungitur, ità vox, solus, ab eo cui adiungitur, remouet consortium cùm alio. Sed quando sumitur categorematicè, remouet consortium simpliciter; quod tunc fit, quando etsi non tollatur omnis prorsus coniunctio cum quacumque alia re, tamen, vt S. Thom. ibidem explicat, tollitur associatio alterius, quod sit eiusdem naturæ, & conditionis cùm ipso: sicut dicimus, aliquem hominem esse solùm in domo, quàmuis ibi sint multa alia animalia; & dicimus, aliquem religiosum incedere solùm, cùm sine socio sui ordinis vadit, multis etiam ipsum comitantibus, & tunc solus, idem est, quod solitarius; & est etiam dictio categorematica, implicans solitudinem circà subiectum, sicut, & quodlibet aliud adiectiuum. Quando verò sumitur sincategorematicè, remouet consortium respectu alterius determinati, hoc est, vt dicitur hic in corp. excludit omne aliud suppositum à consortio prædicati: sicut cùm dicitur, solus sortes scribit, non datur intelligi, quòd sortes sit solitarius, sed quod nullus sit ei consors in scribendo, quamuis cum eo multis existentibus.

808 Prob. 2. quia Dictio solus, categorematicè accepta, significat Deū esse solitariū.

Ex hac terminorum explicatione, quam omnes admittere tenentur, sumitur certa Conclusionis ratio. Dictio, solus accepta, vt categorimatica, & attributa termino essentiali in diuinis, v. g. Deo, significat solitudinem circà Deum, seu Deum esse solitarium, remouendo à Deo consortium alterius, eiusdem naturæ, & ordinis cum ipso. Sed in Deo non potest non esse consortium trium personarum consubstantialium, quæ sunt identificatæ, & simpliciter vnum in vna numero natura Diuinitatis; vt contra Sabellium omnes fideles credimus; ergo dictio, solus, vt categorematica, nullo modo coniungi potest in diuinis cùm Deo, aut alio termino essentiali.

Confirm. 1. quia ly solus de Filio Dei in scriptura negatur.

Confirm. 1. Quia nonnumquam in Scriptura, vt etiam Sancti ipsi interpretantur, dictio, solus, manifestè sumitur categorematicè pro solitudine inter ipsasmet diuinas personas, quæ propterea semper de Filio Dei negatur, qui de seipso ait Io: 8. Solus non sum, sed ego, & qui misssit me Pater; & infrà, Qui me misit, mecum est, & non relinquit me solùm. Rursus cap. 16. cùm dixisset discipulis, Ecce iam venit hora, vt dispergimini, & me solùm relinquatis: immediatè post, quasi corrigens hoc, quod se ipso, tanquam homine dixerat, de solitudine omnium discipulorum suorum, ità subdit, altiùs loquendo de seipso, tanquam Deo, & negando aliam solitudinem diuinarum personarum, & non sum solus, quia Pater mecum est. Ex hac particula causali, Quia, & ex alia superiori particula aduersatiua, sed, notandum acutè est, quod Christus probat, se non esse solum, non ex eo, quòd habeat consortium cum Angelis, vel hominibus, vel alijs rebus, quòd de facto habebat, sed tantùm ex eo, quòd habeat consortium cum alia diuina persona eiusdem naturæ, & ordinis, ratione cuius consortij dicitur Pater esse in Filio, & Filius in Patre. Et ideò Patres communiter ex his Ioannis verbis contra Sabellianos probant, Patrem, & Filium esse duas personas.

809 Idem est in Scriptura Filium non esse solum ac non esse diuisum.

Idem igitur in Scriptura est, ex communi Sanctorum interpretatione, Filium non esse solum, quàm non esse diuisum à consortio aliarum diuinarum personarum; ergo nunquam licebit affirmare in Deo, esse solum, etiam in æternitate, quando nulla alia res simpliciter erat prętер Deum, quia tunc etiam simul associatæ erant in Deo tres personę realiter distinctæ eiusdem conditionis, ac naturæ. Et ideò à contrario sensu 1. Reg. 21. dixit Achimelech ad Dauid, Quare tu solus, & nullus est tecum? nimirum ex pueris tuis. Et Io: 6. de Iesu dicitur. Fugit in montem ipse solus, hoc est, sine vllo discipulo. Si igitur Dauid fuisset cum aliquo ex pueris suis, non fuisset solus, & si Iesus fugisset cum vno discipulo, non fugisset solus; ergo cum Deus nunquam possit non esse cum tribus diuinis personis, nunquam potest verè dici absolutè, & simpliciter solus; esto nulla prorsus creatura cum illo sit.

810 Confirm. 2. quia in eodē sensu, Patres negant, Deum esse solitarium

Confirm. 2. quoniam in eodem sensu Patres omnes constantissimè, & grauissimè negant Sabellianis, Deum esse solitarium. Vitandus est, inquit S. Th. art. præced. circa finem corporis, nomen solitarij, ne tollatur consortium trium personarum. Et probat ex Hilar lib. 4. de Trinit. vbi aliquanto ante med. ex illo Genesi 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinē nostram, latè probat, Deum non esse solitarium, quia, inquit, vterque sermo, & Facimus, & Nostram, solitarium non patitur. Solitario conuenit, Faciam, & Meam. Non solitario verò, Faciamus, & Nostram. Nobis nec solitarius tantùm, nec diuersus est confitendus, scil. Deus, & lib. 5. fine grauiùs ait, si vnum magis, quàm solitarium Deum intelligis, Ecclesiæ religionem profiteberis, quę Patrem in Filio confitetur. Sin vero vnum Deum ad solitarij significationem, sacramentis cęlestis ignarus, obtendis, extra cognitionem Dei es, Deum in Deo esse non confitens.

811 Aliqua recentiorum placita rei iuuntur.

Ex quo patet, immeritò aliquos recentiores ex differentia, quam ponunt inter solum, & solitarium, negare hanc consequentiam. Deus nullo modo dici potest solitarius, ergo nec solus. esto enim solus, si nomen magis vniuersale, quod æquè propriè tribuatur rationalibus, & irrationalibus, cum solitarius de rationalibus propriè vsurpetur; tamen cùm solùs adiungitur alicui termino intellectuali, siuè creato, siuè increato, idem omninò significat, quod solitarius, nempe solitudinem, & separationem ab alijs personis intellectualibus habentibus eandem naturam.

Idem confirmat D. Augustinus.

Præterea Deum solitarium esse, negant Aug. Serm. 125. de tempore initio dicens, Credimus in vnum Deum, &c. non sic vnum Deum, quasi solitarium. Tolentan. VI. initio. Credimus vnum Deum solum, non solitarium. Vbi illud, solum, non sumitur categorematicè, sed syncategorematicè, & aduerbialiter pro, tantùm, vt credamus vnum Deum tantùm, & non plures Deos; non tamen solitarium, quia vnus Deus est Pater, Filius, & Spiritus S. tres personæ inter se realiter distinctę. Leo Papa I. Serm. 2. de Pentecoste c. 3. post med. Deitas sic in tribus confitenda est personis, vt & solitudinem non recipiat Trinitas, & vnitatem seruet æqualitas.

812 Dictio, solus, categorematì

Dictio autem, solus, categorematicè accepta, significat proculdubio solitudinem, quam pariter significat

dictio,

cè significat, solitudinem.

dictio, solitarius; ergo si solitudo Deo tribui non potest, neque eidem tribui poterit solitarius, aut solus categorematicè. Demum Tertullian. lib. contra Praxeam cap. 5. paulò post princip. loquens de Dei dispositione, quæ fuit ante mundi constitutionem, ità habet, Ante omnia Deus erat solus, ipse sibi & mundus, & locus, & omnia. Solus autem, quia nihil aliud extrinsecus pręter illum. Cęterùm ne tunc quidem solus, habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet: *quæ est persona Verbi, & Filij*.

Ab æterno Deus potest tamen dici solus in ordine ad creaturas existentes.

Deus dici potest solus, vel secundùm quod, per respectũ ad creaturas, vel simpliciter in seipso cõsideratus. Primo modo in æternitate fuit solus, hoc est non cùm creaturis, & post creationem fuit non solus. Secundo modo, de quo nunc disputamus, nunquam fuit solus, sed semper cùm consortio trium diuinarum personarum. Docet igitur Tertull. Deum simpliciter, & absolutè loquendo nunquam fuisse, nec posse esse solum. Sed secundùm quid per respectum ad creaturas, sub quo respectu expressè loquitur fuisse aliquando solum, nempe in tota æternitate vsque ad illud principium, in quo creauit Cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt.

813 Si in Deo non essent plures personæ, Deus esset solus.

Verùm, vt docet S. Thom. hic ad 1. Licèt Angeli, & Animæ Sanctorum semper sint cum Deo, *& fuerint etiam ab æterno*, si non esset pluralitas personarum in diuinis, sequeretur, quod Deus esset solus, vel solitarius. Non enim tollitur solitudo per associationem alicuius, quod est extraneę naturæ: dicitur enim aliquis solus esse in horto, quamuis sint ibi multæ plantę, & animalia. Consociatio igitur Angelorum, & animarum non excludit solitudinem absolutam à diuinis.

DVBIVM VNICVM.

An Deus possit dicit singularis, & vnicus vbi. An possint dici, solus, *syncategorematicè*.

814 *Petes* 1.

Resp. negatiuè quia non est solitarius.

PEtes 1; *An Deus dici possit singularis, & vnicus.*

Hinc intelligimus, in quo sensu S. Th. art. præced. iusserit esse vitandum de Deo nomen singularis, & vnici. Quod etiam iusserunt Patres, Hilar. maximè lib. 7. de Trinit. col. 3. paulò aute finem cùm dixisset, *Non solitarium significat, Ego, & Pater vnum sumus*, subdit rationem; *Nam illud, sumus, non patitur singularem*. Et col. 16. potest med. cum docuisset, hereticos esse, qui contra Christi verba in Euangelio, *possint, vel duos Deos prædicare, vel solum*, paulò post subiungit *Nec singularem Deum Dei patitur natiuitas*. Et tandem col. penult. circa finem, ait, *Patrem, & Filium singularem Deum prædicare, Sacrilegium esse*. Et lib. 8. col. 1. circa princip. *Nec singularem Deum fides Ecclesiæ, nec duos Deos profiteretur; cùm nec natiuitas Dei solitarium Deum sineret; nec natiuitas perfecta, diuersarum naturarum nomina in Dijs duobus admitteret*. & passim alij Patres.

815 *Patres sumũt singularem, & vnicum pro solitario.*

Sumunt igitur singularem, & vnicum in eo sensu, quo olim, vigente hęresi Sabelliana, sumebatur pro solitario. Vndè Hilar. verbis modo cit. ex lib. 8. probat, Deum non esse singularem, quia non est solitarius. Mag. supra verbum illud ex Hilario citato in fine §. superioris, *Atque vnici*, interpratatur, *idest solitarij*. Et infrà easdem voces indifferenter vsurpat, dicens, *Nec singularis, nec diuersus, nec vnius, vel solitarius confitẽdus est Deus*. Quoniã vero iste voces hunc sensum ex vi sermonis nõ habẽt, & iam nullũ est heresis Sabellianę periculum, omnes sine vllo scrupulo vocamus Deum singularem, & vnicum, & indiuiduum, ad tollendam in Deo distinctionem, nõ plurium personarum, sed plurium naturarum.

816 *Hæc vox* singularis, *& vnicus, non ex propria significatione, ex prauo hæreticorum vsu, remouetur à Deo.*

Ita non ex propria vocis significatione, sed ex prauo hęreticorum vsu factum est, vt à voce vnici Dei abstinerent deinde Fideles. Et cap. 12. initio bis admittunt Deus *vnicus, & singularis*, tamen in tribus personis. Athanas. dial. 1. de Sancta Trinitate paulò post med. *Essentia neque numeri multiplicationem admittit, cùm sit vnica, & singularis*. Basil. lib. 3. contra Eunomium in fine, *Vnus est Spiritus S. & solus*, hoc est sine alio Spiritu S. *qui singularis cuiusdã natura est vna cum omnibus*. Lactan. lib. 4. Institutionum cap. 29. prope finem, *Ille summus, ac singularis Deus*. Sexta Synodus act. 11. in epist. Sophronij circa princip. Professionis fide, *Vnitatẽ credimus propter singularitatem Deitatis*: quę vnitas paulò post vocatus *vnitas singularis*. Ansel. epist. de processione Spiritus S. c. 18. fine, *Deus in hoc, quod per se est, inseparabilem seruat singularitatem*. Spectatis igitur proprijs vocum significationibus, sicut v. g. Petrus dicitur vnicus, vel singularis, vel indiuiduus homo, quia non est diuisus, siuè distinctus in plures homines; ita dici pariter potest Deus vnicus, singularis, indiuiduus, inquantùm, nec diuisus, nec distinctus est in plures Deos, vt rectè obseruauit Durãd. 1. d. 9. q. 1. nu. 5. & posteriores omnes sequuti sunt.

817 Solus, *autem, & solitarius ex propria vi significandi remouentur à Deo.*

Solus autem, & solitarius ex propria vi significandi, non solùm excludunt hanc naturę pluralitatem, quæ necessariò postulat esse in pluribus suppositis, sed etiam ipsam simpliciter suppositorum pluralitatem, non obstante naturæ vnitate, quæ potius facit ad consortium, quam ad consortij negationem, quã important solus, & solitarium, cùm procul dubio maius consortium inter se habeant tres, qui sunt tres personę in vna natura, quàm qui sunt tres personæ in tribus naturis. Quidam recentiores contra S. Th. & reliquos omnes Theologos, tàm antiquos, quàm modernos conantur persuadere, *solum*, categorematicè à scriptura, & Patribus de Deo dici, tametsi fateantur nunqnam ab aliquo graui Auctore dictum esse, aut rectè dici posse solitarium. Quæ duæ res minus coherere videntur. Enim vero dictio, *solus*, vt categorematica, quando applicatur alicui indiuiduo intellectuali, idem omnino valet, quod solitarius, & significat solitudinem personarum eiusdem naturæ, vt supra in disp. ostendi, & Sanctorum auctoritate, & ratione, & benè notauit Molina initio huius art.

818 1. *Instantia ex Sac. Script.*

Afferunt igitur in contrarium ex scriptura, primò illud Deuteron. 32. *Videte, quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*. Sed vt rectè obseruauit Valent. hic, ex hac posterioris propositionis parte, & ex alijs antecedentibus verbis, quibus tota connectitur propositio, *Vbi sunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam? Videte, &c.*

Resp. ibi ly solus, *sumitur syncategorematicè.*

Resp. manifestum esse solum sumi syncategorematicè, & sensum esse, videte, quod ego tantùm sim verus Deus, & non sit alius Deus præter me. Et est idem cùm alio loco Deuter. 4. *Dominus ipse est Deus, & non est alius præter eum*. Et iterùm paulò post, *scito quod Dominus ipse sit Deus, & non sit alius*. Ibi igitur additur, solus, non vt tribuatur absolutè subiecto propositionis, quod est sumi categorematicè, sed vt tribuatur respectiuè per ordinem ad prædicatum, quod est sumi syncategorematicè. Itaque cùm dicitur, *Ego sum solus*, nempe Deus, qui, vt probaui, est ex contextu manifestè subintelligendus illud, *solus*, non est prædicatum per se, sed est modificatio quædam subiecti per ordinẽ ad prædicatum, quod est Deus: & est idem, ac si dicatur, *Ego tantùm sum Deus*: siuè, vt legit Athanas. orat. 4. contra Arianos col. 5. fine. *Ego solus sum Deus, & præter me non est Deus*.

819 2. *Instantia ex Sac. Scrip.*

Secundò illud Isaiæ 37. *Tu es Deus solus omnium regnorum terræ*, & post pauca, *Cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus*.

Resp hic etiã ly solus, *accipitur syncategorematicè.*

Resp. hic etiam, *solus*, accipitur syncategorematicè, & sensus est, Tu solus es Deus, tu solus es Dominus. Tertio illud Danielis 3. *sciant, quia tu es Dominus Deus solus*, sed idem sensus est, Tu solus es Dominus Deus. Neque contrarium significat Fulgent. lib. de fide ad Donatum pag. 7. initio de his scripturæ testimonijs dicens, *Quibus vnus, & solus asserit Deus*: accipit enim pro eodem, *vnus, & solus*; & indicat idem esse, quod Deus solus, sit verus Deus, vt dicitur locis citat. & quod Deus sit vnus.

Afferunt

3. *Instantia ex Aug. Respondetur.*

Afferunt etiam Patres. Primò Aug. 6. de Trinit. cap. 7. *Dicimus Deum solum ipsam Trinitatem*. Resp. sensum esse etiam syncategorematicum, nẽpe Trinitatem tantùm esse Deum, & non aliquid esse Deum, significat ipsamet Aug. immediate subdens, *Quamuis semper sit cum spiritibus, & animabus Sanctis: sed solùm dicimus, quòd Deus est, quia non alij cum illo Dei sunt:* quam negationem, siuè exceptionem sufficiẽter importat dictio, *solus*, sumpta syncategorematicè pro *tantum*. Similiter lib. 7. cap. 5. aliquanto post med. iubet, nos credere *in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum vnum Deum solum:* hoc est, qui tantùm sunt vnus Deus; cum præter tres diuinas personas nulla alia persona sit verus Deus.

820 4. *Instantia ex alio loco Aug. Resp. ly* solus *sumi symategorematicè.*

Item cum lib. 2. contra Maximum cap. 3. 15. 16. illud 1. ad Timoth. 1. *Immortali, & inuisibili, soli Deo*, & cap. 6. *Qui solus habet immortalitatem*; vult esse intelligendum de Patre tantùm, sed de tota Trinitate, dictio, *solus*, accipitur syncategorematicè, *soli Deo*, hoc est, qui tantùm est Deus. *Qui solus*, &c. hoc est. Qui tantùm habet immortalitatem. Neque oppositum habet Mag. lib. 1. sent. d. 21. qui contra nos citatur. Nam littera C. declarans verba Augustini allata ex lib. 6. de Trinitatẽ addit, *Ipsa Trinitas tantùm, non illi, vel alia Deus est*. Aug. dixerat, *Deus solus est Trinitas*. Mag. in sensu planè syncategorematico explicat, *Trinitas tantum Deus est*.

5. *Instantia ex D. Ignatio.*

Resp. sensum esse idem est, ly verus Deus, ac solus Deus.

Secundò Ignatium epist. 6. ad Magresianos multò post med. de Christo dicentem, *Vnum, & solum verum Deum Patrem suum annunciauit*.

Resp. sensum esse, annunciauit, Patrem suum esse vnum Deum, qui tantùm est verus Deus; siuè, vt exponit Bellarm. lib. 1. de Christo cap. 10. col. 2. fine, *Patrem esse illum Deum, qui est vnus, & solus verus Deus*, sicut illud simile Ioannis 17. *Vt cognoscant te solum verum Deum*, significat, Patrem esse illum Deum, qui solus, seu tantùm, est verus Deus. Similiter epist. 14. ad Ephes. aliquantò ante med. ait, *Medicus est solus Deus ingenitus*. Vbi, dictio, *solus*, non additur termino essentiali, de qua additione nunc disputamus, sed personali, de qua additione in seq. art. & sensus planus, & verus est, Medicus est Deus Pater, qui solus est Deus ingenitus. Sicut dicitur, Mundi Redemptor est Christus, qui solus est Deus vnigenitus. Quamquam iste Ignatij alijs locus varijs modis legitur, vt videre est apud Bellarmin. suprà.

821 *Petes. 2. Resp. posse poni in Deo syncategorematicè, ly* solus, *quia excludit alios Deo.*

Petes 2. *De dictione, solus, vt syncategorematica*.

Resp. illam etiam ponere S. Th. in hoc art. circa fin. corporis, est, quod si dictio *solus*, accipiatur vt syncategorematica, *nihil prohibet illam adiungere alicui essentiali termino in diuinis, inquantùm excluduntur omnia alia à Deo à consortio prædicati: vt si dicamus, solus Deus est æternus, quia nihil præter Deum est æternum*. Duobus autem modis, vt explicatur ad 3. dictio syncategorematica, *solus*, potest adiungi termino essentialis primo respectu prędicati personalis, vt *solus, Deus est Pater*, modo illud *Pater*, prædicet personam Patris; cùm nulla alia res, prępter Deum, per Paternitatem constituatur in suo esse personali: alioqui si prædicat paternitatem, vt relatio tantùm est, non vt personalitas, est falsa propositio, *quia relatio paternitatis*, inquit S. Th. *etiam in alijs inuenitur, licèt non vniuoce*: cum etiam homo v. g. sit pater.

Potest verè dici, solus Deus *creat.*

Secundò respectù prædicati essentialis, seu communis; vt solus Deus creat. Neque hinc sequitur, ergo solus Pater creat, quia creant etiam Filius, & Spiritus S. qui non minùs, quàm Pater sunt vnus verus Deus, cuius tantùm est creare. Ratio verò negand. sequelam ex S. Th. ibidem est, *quia, vt sophistæ dicunt, dictio exclusiua immobilitat terminum, cui adiungitur, vt non possit fieri sub eo descensus pro aliquo suppositorum. Non enim sequitur, solus homo animal rationale mortale, ergo solus Sortes*.

822 2. *Ratio. nam ly* solus, *exclu-* *dit à termino cõmuni, omnia, quæ non sunt ille terminus communis.*

Et ratio vlterius est, quia, solus, cum adiungitur termino cõmuni excludit quidem à consortio prædicati omnia, quæ non sunt ille terminus communis; non tamen excludit alia omnia sub illo contenta, seu participantia terminum illum commune. sed cum adiungitur termino particulari, excludit simpliciter omnia, quę non sunt terminus ille particularis, etiam si sint terminus. Cùm igitur in Deo comprę hendantur, non solùm Pater, sed etiam Filius, & Spiritus S. & in homine comprę hendantur non solùm sortes, sed etiam reliqua omnia humana indiuidua dici potest, solus Deus creat, solus homo est animal rationale; sed inde non sequitur, ergo solus Pater creat, ergo solus sortes est animal rationale: quia dictio solus, multo maiorem exclusionem habet, cùm adiungitur termino particulari, quàm cum adiungitur termino communi: docent S. Th. 1. d. 21. q. 1. art. 1. ad 2. quòd *negatio implicita in dictione exclusiua ad plura se extendit, quando adiungitur proprio, quàm quando adiungitur communi*.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum dictio exclusiua possit adiungi termino personali, etiam si prædicatum sit commune tribus personis, vt possit dici, solus Pater est Deus.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio est negatiua. Prob. locutiones illæ, quibus excluduntur personæ à participatione alicuius prędicati illis conuenientis, non sunt conuenientes, nec eis vti debemus in diuinis. Sed in hac locutione solus P*ater est Deus*, & in alijs consimilibus, in quibus additur hæc dictio, *solus*, termino personali, respectù communis prædicati, excluduntur aliquæ diuinarum personarum à consortio prædicati communis: Nam dicendo solus Pater est *Deus*, excludimus Filium, & *S*piritum Sanctum à consortio *Dei*tatis; nam ly *solus* categorematicè dicit Patrem esse Deum solitariè; ergo, &c.

Arg. 1. Ex illo Io: 17. *Vt cognoscant te solum verum Deum*; ergo, solus Pater est *Deus* verus. Resp. neg. conseq. nam vel Christus Dominus loquebatur de tota Trinitate; vel si de solo Patre, excludit omnę aliud à Patre essentialiter, non personaliter, & sensus est, vt cognoscant te solum Deum, & nullum alium à te distinctum essentialiter, esse Deum.

Arg. 2. Matth. 11. dicitur. *Nemo nouit Filium, nisi Pater*, ergo termino personali potest adiungi dictio exclusiua. Resp. neg. cõseq. quia ly Nemo, excludit tantùm, quod est à Patre essentialiter distinctum. cùm .n. aliquod essentiale dicitur de Patre, non excluditur filius, vel Spiritus Sanctus.

Arg. 3. Dictio exclusiua non excludit illud, quod est de intellectu termini cui adiungitur. Si .n. solus Sortes est albus, non excluditur. ergo homo non est albus. Sed Pater est de intellectu filij. ergo. Resp. dist. ma. quod est de intellectu termini, nisi differat à termino, secundum suppositum, vt in exemplo allato. conced. ma. & neg. mi. quia Filius est distinctum suppositum à Patre.

Arg. 4. ab Ecclesia cantatur *tu solus altissimus Iesu Christe:* quod idem est, ac solus Iesus Christus est altissimus; siquidem additur termino personali dictio exclusiua, ergo. Resp. non dici absolutę, quod solus

Iesus

Iesus sit altissimus; Sed tu solus altissimus Iesu Christe, cum Sancto Spiritu, &c. & sic verbum, altissimus, refertur ad omnes personas.

DISPVTATIO CLXXX.

An dictio exclusiua vt *solus*, *tantùm*, *dumtaxat* possit adiungi termino personali.

823 Prima Concl. ly *solus*, syncategorematicè, non potest tribui vni personæ.

PRima Concl. *Dictio*, solus, *vt categorematica, non potest tribui vni tantùm diuinæ personæ, nimirù prædicando per se, & absolutè solitudinem de illa. Hoc notat S. Thom. initio corp. & nemo negat; quia quælibet diuina persona non potest non esse cum duabus reliquis: ergo de nulla potest verè dici, quòd sit sola, seu solitaria, hoc est, non cum alijs personis eiusdem naturæ. Hanc Concl. eiusque rationem apertè docuit Aug. 6. de Trinit. cap. 7. illis verbis*, Quamquam non inueniatur, quomodo dici possit, aut Pater solus, aut Filius solus; cum semper, atque inseparabiliter, & ille cum Filio sit, & ille cum Patre, non vt ambo sint Pater, aut ambo Filius, sed quia semper in inuicem, neuter solus. *Addit deindè in fine*, solum Patrem dicimus Patrem, non quia separatur à Filio; sed quia non simul ambo Pater sunt.

823 Potest dici, & quomodo *solus Pater, est Pater*.

Quod etiam docuit Ambros. verbis allatis art. præced. §. Præterea *circà princip. Verùm ista propositione, solus Pater est Pater, dictio*, solus, *non sumitur categorematicè, sed syncategorematicè, quia non tribuit Patri solitudinem simpliciter, sed solitudinem Patris in esse Patris formaliter; quæ solitudo verè reperitur in diuinis, vbi nulla est persona, quæ sit Pater, nisi vna tantùm. Et idem de Filio, & de Spiritu Sancto. Loquendo igitur postea semper in hoc sensu syncategorematico, in quo non prædicatur solitudo de persona diuina, sed de sola aliqua persona diuina prædicatur aliquid aliud, vel personale, vel essentiale, sit.*

825 2. Conclus. ly *solus* potest addi subiecto prædicati personalis.

2. *Concl. solus, addi potest personali termino, seu subiecto, respectu prædicati personalis. Hoc nullus fidelis potest negare, quia verissimè dicimus, solum Patrem esse ingenitum, & generare. Solum Filium generari, & procedere à solo Patre per intellectum. Solum Spiritum S. procedere per voluntatē à Patre, & Filio. In hoc sensu Aug. & Ambros. paulò ante dixerunt, solū Patrē esse Patrē, solū Filiū esse Filium, solum Spiritum S. esse Spiritum S. Et Clem. Roman. art. præced. §.* Eadem additio *dixit*, Vnum solum nunciamus Deum, Christi Patrem. *Et D. Th. hoc art. cum Augustino ait*, solum Patrem dicimus, non quia separatur à Filio, vel Spiritu S. sed hoc dicentes significamus, quod illi simul cum eo non sunt Pater.

826 3. Conclus. ly *solus* non potest addi termino personali respectū prædicati essentialis.

3. *Concl eiusdem S. Th. in hoc art. dictio*, solus, *non debet addi termino personali respectu prædicati essentialis*, ex consueto modo loquendi, & secundum proprium sensum, *dicendo v. g. solus Pater est Deus, est sapiens, creat, & similia. Hoc benè probat S. Thom. in arg.* Sed contra, *quia, inquit*, hæc loquutio, solus Pater est Deus, habet duas expositiuas, scilicet Pater est Deus; & Nullus alius à Patre est Deus. Sed hæc secunda est falsa, quia Filius, qui alius est à Patre, est Deus; ergo hęc est falsa, solus Pater est Deus. Et sic de similibus. *Quapropter in responsionibus ad argumenta, ferè semper negat solam aliquam diuinam personam habere aliquod essentiale prædicatum, quod æquè habetur ab omnibus tribus diuinis personis.*

Confirmat. ex Patribus, qui nolunt concedere Arianis, quod Filius, & Spiritus S. sint alterius naturæ à Patre.

Confirm. ex Patribus, quorum aliqui nolunt Arianis concedere huiusmodi propositiones, ne videantur illis dare, quòd Filius, & Spiritus S. sunt alterius naturæ à Patre. Sic Ambros. supra art. 3. multum post med. contendit, quòd Paulus illis verbis S. Trinit. 6. Solus potēs, *non separauerit Filium à Patre.* cum Deū solū. *Solum potentem dixerit, non Patrem solum. Similiter Aug. ibid. relatus grauiter negat Ariano Episcopi illud 1. Timot. 6. 1.* Soli sapienti Deo, *posse intelligi* de Patre tantùm, *quia, inquit*, non dixit Apostolus soli sapienti *Patri. Et lib. contra eundem Maximinum c. 23. post med.* Falleris sanè, qui putas de Patre solo esse dictū, Nemo bonus nisi vnus Deus, quod est ipsa Trinitas. *Eadem verba Ambros. art. præced exponens, ait*, Circūspectione cælesti non dixit, Nemo bonus, nisi vnus Pater, sed nemo bonus, nisi vnus Deus; quod nequaquam Deitatem Trinitatis excludit. *Videtur igitur sentire Ambros. quòd excluderetur Trinitas, si dictum esset, Nemo bonus, nisi vnus Pater.*

4. *& vltima Concl. S. Th. est, quod prædictæ propositiones, in quibus* Solus, *additur personæ respectu alicuius prædicati essentialis, possunt simpliciter tolerari, & recipi in aliquo bono sensu. Verum vt prudenter aduertit in fine corp.* non est extendenda talis loquutio, sed piè exponenda, sicuti inuenitur in authētica scriptura. *Inuenitur autē primò in Io. 17. vbi Christ⁹ loquēs ad Patrem, ait*, Vt cognoscant te solum verum Deū, & quem misisti Iesum Christum. *Quibus verbis, & si non excludatur Filius à consortio veri Dei, videtur tamen excludi Spiritus S. cuius ibi nulla fit mentio. Secundò idem videtur excludi Matth. 11.* Nemo nouit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi Filius *Tertiò de solo Filio dicitur Io. 6.* Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem. 827 4. Conclus. ly *solus*, dū adiūgitur alicui termino personali, potest aliquo modo tolerari.

828 Prob. Concl. nam per distinctionem *solus* vni personæ applicatam, reliquæ non excluduntur.

Ex quibus omnibus efficax argumentum trahitur, quod per distinctionem, Solus, *vni personæ applicatam non excluduntur reliquæ duæ personæ; quoniam eadem dictio modò applicatur Patri, modò Filio, modò Spiritui S. ergo non est maior ratio excludendi vnam personam, quàm omnes. Sed non excluduntur omnes, ergo nulla verè excluditur. Inter hæc autem testimonia non attuli illud, quod ab Ecclesia cantatur in angelico Hymno*, Tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus Iesu Christe, *quæ, vt notat S. Thom. ad 4. id* non dicimus absolute, *sed statim addimus reliquas duas personas*, cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris.

Prædictæ propositiones, tripliciter piè possunt explicari.

Igitur prædictæ propositiones, præsertim illa, Solus Pater est Deus, *piè possunt exponi tripliciter ex S. Thom. hic in corp. & ad 1. & 2. Primò, vt illud*, Solus, *non excludat à consortio prædicati, sed à forma subiecti; vt sit sensus, inquit S. Thom.* Solus Pater est Deus, idest ille, cum quo nullus alius est Pater, est Deus. *Hanc expositionem probat ex August. lib. 6. de Trinit. cap. 7. vbi verè non loquitur de hac propositione*, Solus Pater est Deus, *sed de hac alia*, Solus Pater est Pater; *docetque quòd sicut existente Trinitate cum Angelis creatis, v. g.* dicimus & Deum solum ipsam Trinitatem, quia non & illi cum illo Deus sunt, *ita existente Patre semper cum Filio, & Spiritu S.* solum Patrem dicimus Patrem, non quia separatur à Filio, sed quia non simul ambo Pater sunt. *Et ipsemet S. Thom. de hoc primo sensu, ità benè censet*, Non habetur ex consueto modo loquendi: *quia dictio*, Solus, *cùm in propositione sumitur syncategorematicè, modificando, & referendo subiectum ad prædicatum, inquit*, secundùm proprium sensum excludit à consortio prædicati.

829 Prima expositio.

Secundo si dictio, solus, *intelligatur à consortio prædicati excludere non alium masculinè, sed aliud neutraliter tantùm, iuxta dicta suprà artic. 2. huius quæst. ità vt solùm Patrem esse Deum significet, quod verum est, nihil aliud à Patre esse Deum, probat S. Thom.* quia Filius est alius à Patre, non tamen aliud. Similiter, & Spiritus Sancti. *Sed hunc etiam sensum sibi minùs placere indicat, statim subiungens*, sed quia hæc dictio, solus, respicit proprie subiectum, *v. g. in casu nostro respicit Patrem, qui est subiectum propositionis, non Deum, qui est prædicatum*, magis se habet ad excludendum alium, quàm aliud.

2. Expositio si ly *solus* excludit à consortio prædicati aliquid neutraliter.

830 3. Explicatio. si ly *solus* excludat masculinè alium, qui non est essenliter in eo, qui dicitur solus.

Tertiò vt dictio, solus, *intelligatur quidem excludere alium masculinè, tamen tunc tantùm, quando alius non est essentialiter in eo, qui dicitur solus. Sed Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus ità se habent, vt vnusquisque essentialiter sit in alio, ratione vnius eiusdem communis essentiæ, respectū cuius non sunt verè alius*

aliis, & alius, sed vna prorsus indistincta, ac simplicissima res, ita vt de illis absolutè, ac propriè dicatur 1. Io 5. Hi tres vnum sunt. ergo per ordinem ad prædicata essentialia, & æquè communia, non potest per dictionem, solus, tributam vni personæ probabiliter intelligi exclusa aliqua alia persona, nisi tãtum creata, quæ sola non est Deus.

Confirmatur. 3 explicatio ex S. Th.

Hunc tertium sensum ita explicatum tradidit breuiter S. Th. ad 1. dicens. quòd illud Ioan. 17. vt suprà, si intelligatur de persona Patris, non excluduntur aliæ personæ, propter essentię vnitatem. Verum absolutè addit, quod dicimus; te solum Deum verum, non intelligatur de persona Patris, sed de sola Trinitate, vt August. exponit, nempe 6. de Trinit. cap. 9. vbi docet quidem August. per illud, solum, non excludi Trinitatem; tamen expressè ait, illud dictum esse de Patre, ità efficaciter probans, Patri enim dicebat, & Patrem nominauerat, ad quem loquebatur, cùm ait, hæc est vita æterna, vt cognoscant te vnum verum Deum, & paulo post, dictum est Patri, vt cognoscant te, &c idem sensus vniuersaliter, & absolutè traditur ad 2. Cum aliquid essentiale dicitur de Patre, non excluditur Filius, vel Spiritus S. propter essentię vnitatem.

831 Instabis.

Dices. Si in aliquo bono sensu verificari potest. solus Pater est Deus, quia non possunt excludi Filius & Spiritus Sanctus quia sunt in Patre, ergo pariter verificari poterit, & licebit asserere, solus Pater spirat, quia non propterea excluditur Filius, qui est in Patre.

Resp. neg. parit. quia secunda propositio nõ potest niti illa generali regula &c.

Resp. neg. parit. quia secunda propositio non potest niti generali illa regula de vnitate simpliciter diuinarum personarum, & de inexistentia cuiuslibet in reliquis, sicut nititur prima propositio. si enim Filius intelligitur spirare ex eo, quod est vnum cum Patre, & à Patre omninò inseparabilis, idem intelligetur de Spiritu S qui non minùs inseparabiliter est in Patre. Cùm igitur spirare nec conueniat tribus personis; nec vni tantum, sed duobus, non potest verè dici de solo Patre, vel de solo Filio, propter aliquam rationem æquè communem Patri, Filio, & Spiritui S. Atque hanc ob causam in nulla autentica scriptura, & apud nullum Catholicum Doctorem legitur, solus Pater spirat, & ideò nullatenus est vsurpanda. Sed aliæ propositiones multoties inueniuntur in scriptura, & ideò piè sunt vsurpandæ.

832 Quæ dicta sunt de dictione solus, pariter intelligenda sunt de aduerbio solùm, tantùm, dumtaxat.

Quæ dicta sunt de dictione, solus, dicta pariter intelligi debent de aduerbio, solum, tantùm Duntaxat, & aliis similibus exclusiuis, & exceptiuis, vt Nemo, nisi, Nullus nisi, &c. Constat enim, omnia habere eandem excludendi vim Vnam verò differentiam tradidit S. Th. art preced. ad 2. inter dictionem syncategorematicam, solus, & tantum, quòd solus, propriè loquendo, non ponitur ex parte prædicati, quod sumitur formaliter, hoc est, vt forma afficiens formaliter subiectum; respicit enim suppositum, inquantũ excludit aliud suppositum ab eo, cui adiungitur, & à cuius consortio vult remouere prædicatum, quod illi tribuitur, v.g. vt idem S. Th postea exemplificat, Non propriè dici potest, Pater est solus Deus, vel, Trinitas est solus Deus; nisi forte ex parte prædicati intelligatur aliqua implicatio, vt dicatur, Trinitas est Deus, qui est solus Deus, seu potius qui solus est Deus, & sit sensus; solus Deus, qui est Trinitas, est verus Deus.

833 In quo sensu sit vera hæc, Pater est solus Deus.

In quo etiam sensu hæc est vera, Pater est solus Deus, quia est Deus, qui solus est verus Deus. Sed hoc aduerbium, Tantum, inquit S. Th. cùm sit exclusiuum, scil purè, & per se tanquam aduerbium, quod, vt magis explicat idem S. Th 2 d. 21. q. 2. art. 1. initio corp. determinat autem actum verbi, quia aduerbium est adiectiuum verbi. Vndè cum verbum ratione compositionis coniungat prędicatum subiecto, & ad vtrumque se habeat, congrue possunt ista aduerbia, nempe Tantùm. solùm, tam ad subiectum, quàm ad Prędicatum adiungi. Possumus enim dicere, Tantùm sortes currit, id est, nullus alius, &, sortes currit tantùm, idem est, nihil aliud facit.

D. August. quo modo intelligatur, dùm dixit, solus Deus est Trinitas?

Neque necesse est exponere Augustinum, quodlib. 6. de Trinit. c. 7. vel c. 9. dixerit, Trinitas est solus Deus, cum potius opposito modo dixisse videatur, solus Deus est Trinitas; Sic enim habet c. 7. Dicimus solum Deum ipsam Trinitatem. & c. 9. initio docet, Esse quidem Patrem Deum, sed non esse solum Deum. Esse autem solum Deum, Patrem, & Filium, & Spiritum S. Igitur ex Aug. hæc est falsa, Pater est solus Deus: hæc vera, solus Deus est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, seu Trinitas; & non dixit è contrario, Pater, & Filius, & Spiritus S. qui sunt Trinitas, seu tres personæ, sunt solus Deus. Dici verò propriè potest, Trinitas est tantum Deus. Sed falsò diceretur absolutè, Verbum est tantùm Deus, vt docet S.Th. 1. d. 21. q. 2. art. 2. post princip. Corporis; quia Io: 1. Verbũ caro factum est. Sicut quia Christus est homo Deus, falsum esset dicere, Christus est tantum homo; vel Christus est tantùm Deus.

QVÆST. XXXII. D. Th.

De cognitione diuinarum personarum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Trinitas diuinarum personarum possit naturali ratione cognosci.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio. Impossibile est per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis personarum diuinarum deuenire. Prob. Ea, quæ nõ conueniunt causæ in quantum causæ; non possunt cognosci per effectus: nam effectus non ducunt in cognitionem nisi eorum, quæ conueniunt causæ, inquantum causa. Sed Trinitas personarum non spectat ad Deum, vt est creaturarum causa. nam virtus creatiua ad vnitatem essentiæ, non ad distinctionem personarum spectat. ergo.

Arg. 1. Trinitas Personarum fuit cognita à Philosophis, videatur D. Aug. 7. confess. c. 9. ergo. Resp. Philosophos nõ potuisse cognoscere mysterium Trinitatis per propria, quæ sunt Paternitas, Filiatio, Processio. teste Apostolo. 1. ad Corinth. 2. cognouerunt tamen, quædam essentialia attributa; quæ appropriantur personis, sicut Potentia Patri, sapientia filio, & bonitas Spiritui, Sancto: & propter horum cognitionem aliquando dixerunt quædam, quæ Trinitatem personarum innuere videbantur.

Arg. 2. ad ostendendum Trinitatem personarum non desunt argumenta, necessaria. & primum patet ex infinitate bonitatis diuinę, quæ seipsam infinitè communicat in processione diuinarum personarum; secundùm quod nullius boni, siuè consortio, potest esse iucunda possessio. Tertium, ex processione Verbi, & amoris in mente nostra. Resp. neg. seq. ratio enim naturalis non probat radicaliter Trinitatem: sed Trinitate per fidem, credita, aliquas adducit conguentias ad 1. .n. dicitur, quod bonitas infinita Dei manifestatur etiam in productione creaturarum ex nihilo. Secundum, locum habet, quando in vna persona non inuenitur perfecta bonitas, & propterea indigeat consortio.

Ad

Ad tertium, intellectus noster non probat sufficienter aliquid de Deo; quia nihil vniuocè inuenitur in nobis, & in Deo.

Arg. 3. superfluum est tradere homini cognoscenda ea, quę naturali ratione nō potest cognoscere. Sed notitia diuinarū personarum non est superflua. ergo. Resp. neg. ma. imò superfluum esset tradere homini cognoscendum mysterium Trinitatis naturali ratione, quia non posset cognoscere ipsū naturaliter. necessarium autem, & non superfluum fuit tradere homini mysteriū Trinitatis cognoscendum. tùm ad rectè sentiēdum de creatione rerum, nam posita Verbi processione, euitatur error asserentium Deū omnia produxisse ex necessitate naturæ. Sed Verbo omnia dixit; & posita amoris processione, ostenditur, nō ex indigentia, sed propter amorem bonitatis suæ creaturas produxit. Tum, & principaliùs, ad rectè sentiendum de salute generis humani, quæ perficitur per filium Incarnatum, & per donū Spiritus Sancti.

DISPVTATIO CLXXXI.

An ante reuelationem, vel manifestationem supernaturalem Dei, aliqua creatura potuisset cognoscere euidenter in Deo esse multitudinem personarum.

834 Concl. neg. Prob. 1. ex Scrip.

Conclusio est negatiua ità D. Thom. & communiter omnes Thomistæ, ac Theologi.

Prob. 2. quia in suprema substātia Dei sunt occulta mysteria.

Prob. quia certum est esse aliquas veritates, quas mens creata assequi non potest virtute naturali, iuxta illud Eccl. 3. plurima supra sensum hominum ostensa sunt illi. Præterea certum est in suprema substantia Dei, ratione eius infinitatis potissimum esse debere occulta mysteria noscere: vt Aug. docet Epi. 3. ad Volusia, necessariò est fatendum Deum posse aliquid, quod nos fateamur assequi non posse. quapropter communis omnium sensus est, in Christiana Religione plura doceri, quæ superant virtutem naturalem intellectus; sed inter hæc mysteria omnium difficillimum est hoc mysterium Trinitatis; ergo dicendum est, hoc mysterium superare virtutem intellectus creati, nec posse ab illo cognosci virtute naturali.

Prob. 3. quia in effectibus nulla est connexio per secū Deo Trino.

Prob 3. quia in effectibus Dei, per quos possumus Deum cognoscere, nulla est necessaria cōnexio cum Deo, vt Trinus est, vel vt est multiplex in personis; neque est signum, vnde possimus colligere in Deo, cum vnitate naturæ esse plures simplices personas, vt magis constabit ex solutione argumentorum. ergo, Trinitas non est cognoscibilis euidenter ratione naturali.

835 Prob. 4. quia intellectus creatus cùm sit essētialiter potentialis, non potest naturaliter tendere in Deum actum purū.

Prob. 4. & a priori. Intellectus creatus, cum sit essentialiter potentialis, non potest per sua naturalia tendere in Deum, actum purum, immediatè prout est in se, vt latè demonstratum est tom. 1. qu. est. 12. art. 4. Sed solum mediatè per creaturas, in quibus intellectus noster tria vidit, & distinguit. Primò, esse ens. Secundò, esse ab alio. Tertiò, esse ex nihilo. Vbi fundant tres vias cognoscendi Deum. Primam eminentiæ, siuè excellentiæ: qua scit esse in Deo, modo infinitæ perfectionis, omnes creaturarū perfectiones, quæ in suo præciso conceptu nullam inuoluunt imperfectionem. Secundam causalitatis, seu efficientiæ; qua euidenter demonstrat Deum esse primam omnium causam. Tertiā negationis, seu remotionis; qua certò cognoscit non posse esse in Deo illas imperfectiones, quas videt in creaturis, sed in creaturis nō habemus, & consequēter ex illis probare non possumus tres personas, inter se distinctas, & omninò identificatas cum numero eademque communi natura, vt cuilibet, consideranti rerum creaturum conditiones, manifestū est, ergo per naturalē rationē, & si cognosci possunt de Deo, ea, quæ pertineat ad vnitatē naturæ, quoniam quæ ex creaturis de Deo affirmari possumus, communia sunt toti Trinitati, tamen cognosci nulla via possunt, ea, quæ pertineat ad distinctionem personarum.

836

1. Obiectio.

Arg. 1. Nemo dat, quod non habet; sed Deus dedit rebus creatis esse fœcundas, & communicabiles; ergo Deus in seipso habet naturam fœcundam, & communicabilem.

1. Confirm.

Confirm. 1. quia de ratione boni est se communicare ex Dionys. c. 4. de diu. nomin. ergo de ratione infiniti boni est, infinito modo se communicare; sed non se communicat ad extra infinito modo; ergo ad intrà.

2. Confirm.

Confirm. 2. ex perfecta Dei beatitudine; nam ad perfectionem beatitudinis spectat amicitia, & societas, ergo hanc debet habere Deus in seipso; non esse autem amicitia, & societas sine distinctione personarum. ergo.

Resp. ex fœcūditate creaturarum, arguitur fœcunditas virtualiter tantum in Deo, non formaliter.

Resp. dist. ma. vel formaliter, vel eminenter, ex fœcunditate ergo creaturarum, solum infertur lumine naturali in Deo esse virtutem ad tribuendam illam; non verò esse formaliter in Deo; imò ex creaturis oppositu colligitur, quia hanc fœcunditatem solum tribuit Deus rebus corruptibilibus, quia non possunt semper perseuerare, & per actiones transeuntes, in multiplicatione naturæ cōseruātur; nō verò rebus incorruptibilibus, & spiritualibus, quæ sunt æternę: licèt sint perfectiores: idē ergo iudicaret de Deo, qui est immutabilis, & æternus.

Ad 1. Confir. infinitæ potentiæ cōsistit in infinita cōmunicatione ad extra syncategorematicè.

Ad 1. Confirm. dist. conseq. infinito modo se communicare ad intrà, & categorematicè, neg. consequentiā, syncategorematicè, & ad extrà, id est, non ita se cōmunicare vni creaturæ, quin sit alteri communicabile, & sic in infinitum, concedo: Sicut diximus de omnipotentia non esse de ratione eius producere aliquod infinitum in actu, sed in potentia, quia quibuscumque creaturis positis, potest alias producere. quod autem sit ad intra cōmunicatiuum substantiæ, sola fides docet.

Ad 2. Confir. Respondetur.

Ad 2. Confirm. Resp. illam rationem non probare hanc amicitiam esse possibilem, & nullam inuoluere imperfectionem, sicut in creaturis propter distinctionem amicorum in natura, & supposito; imò hoc supponit potiùs creditum per fidem sine distinctione naturæ posse dari, & esse plura supposita, imo etiam contrarium crederet ex vnitate Dei.

837

2 Obiectio.

Arg. 2. Hæretici multi assentiuntur mysterio Trinitatis; sed non per fidem infusam: ergo propter humanā rationē: Resp. verum esse, hæreticum assentiri huic mysterio ex fide humana, & propria opinione; cæterum in hanc opinionem, & fidem humanam nunquam deuenisset; nisi prius facta fuisset reuelatio huius mysterij Ecclesiæ, & Angelis.

Respondetur.

3. Obiectio.

Arg. 3. Homo est imago Trinitatis iuxta illud Gen. 2. Faciamus hominem ad imaginem &c. Sed per imaginem cognoscitur id, cuius est imago ergo.

Resp. hominē non esse perfectam, sed valde imperfectā Dei imaginē.

Resp. in primis hominem non esse perfectā imaginē Dei, quia, cùm non habeat eandem naturam, nec procedat ab eadem persona, non dicitur imago, sed factus ad imaginem: Solus ergo Filius Dei est eius perfecta imago; Deinde dico, esse imperfectam imaginem Dei, vt vnus est, quia intellectualis est; & habet liberum arbitrium, neque processiones intellectuales hominis faciunt illum imaginem Trinitatis imperfectam, quia accidentales sunt, ex indigentia, & potentialitate, neque S. Th. & Patres vtuntur hoc medio ad probandum, sed ad declarandum supposita fide.

838

4. Obiectio.

Arg. 4. Christus mentiri non potest: sed Christus agens in humanis docuit Ecclesiam mysterium Trinitatis: ergo ita est, vt ipse dixit.

Confirm.

Confirm. 1. quia mysterium Trinitatis est euidenter credibile, ergo est euidenter possibile. ergo est, quia in perpetuis est idem, esse, & posse. Confirm. 2. quia euidenter possumus ostendere, hoc mysterium non repugnare rationi, ergo non repugnat Deo. ergo conuenit. nam in æternis idem est esse, & posse.

Resp. Christi reuelationem non fuisse luminis naturalis.

Resp. nihil concludere contra nos, quia nec reuelatio Christi erat luminis naturalis; neque eius miracula naturalia. Ad 1. Confirm. Resp. neg. conseq. vnum enim non sequitur ex alio: nam secundùm Arist. in topicis, aliqua falsa, & impossibilia sunt probabiliora, & credibiliora veris; alias omnium articulorum fidei haberemus

beremus scientiam, quoad an est, quia omnia illa sunt euidenter credibilia.

Ad Confirm. Resp. ratio naturalis potest probare hoc mysteriũ non esse impossibile.

Ad 2 Confirm. Respond. rationem naturalem posse probare, non posse demonstrari impossibile, quia omnia principia naturalia sumuntur ex rebus finitis, quibus omnibus superior est res infinita; de qua ipsa ratio naturalis docet, esse posse aliquid, quod naturali lumine nequeat inuestigari, hæc autem euidentia dicitur negatiua, ex qua non benè infertur euidentia positiua, quæ requirit euidentem assensum veritatis obiecti per medium necessarium; ad negatiuam autem sufficit, quod non appareat repugnantia ad positionem, vel negationem veritatis obiecti.

893
5. Obiectio.

Arg. 5. plures Philosophi solo naturali lumine ducti, cognouerunt hoc mysterium: nam Trismegistus vetustissimus cecinit, Monas genuit Monadem, & in se suum reflexit ardorem. *ergo.*

Resp. Philosophos, quę dixerunt de Personis, ex fide humana accepisse.

Respond. neg. Anteced. & ad prob. dicendum est, Philosophi ea, quæ dixerunt, & loquuti sunt de diuinis personis, ex aliqua traditione, & fide humana accepisse, quæ orta aliquo modo fuit ex fide diuina, saltem remotè. Vnde dicunt Patres, qui hos Philosophos citant, eos cum hæbreis conuersatos fuisse, & forsan legisse libros veteris testamenti, & ex illis aliquam habuisse notitiam confusam huius mysterij.

DVBIVM VNICVM.

An ineffabile Trinitatis mysterium sit lumine naturali, absque diuina reuelatione cognoscibile; & quomodo reuelatione præsupposita.

840
Petes 1.

PEtes 1. *An mysterium Trinitatis sit contra rationem naturalem?*

Resp. neg. Prob. quia veritas veritati non potest contrariari.

Respond. negatiuè. Prob. Veritas non potest esse veritati contraria, nec Deus, vt operans, potest esse sibi contrarius, vt existens. Sed ratio naturalis, si non errat, non ostendit nisi veritatem, quæ est eius obiectum. ergo non potest ostendere veritatem huic mysterio repugnantem. Confirm. 1. quia Deus est Auctor naturalis hominis, ergo non potest per se inclinare in falsum, atque adeo neque in aliud, quod sit contrarium vero modo existendi ipsius Dei. Confirm. 2. nam licet ratio naturalis non ostendat Deum esse Trinum, tamen nec ostendere potest necessario debere esse vnum in persona, quia ratio naturalis est inferioris ordinis comparatione Dei, sicut esse creaturarum: ergo nõ potest ex illis inferre, Deum necessario esse vnum in persona, sicut in natura, quod reperitur in creaturis.

841
Instabis.

Dices. vel plures personæ ità ponuntur in Deo, vt vnaquæque sit Deus, vel ità, vt vna sit verus Deus: si primum, vel illæ tres personæ habent tres diuinitates, & sic erunt tres Dij, quod est contra rationem naturalem; quæ dictat ea, *quæ sunt eadem vni tertio, debere esse eadem inter se*: si asseratur secundum, iam non erit illud mysterium Trinitatis, de quo tractamus, nec dicentur omnes illæ personæ esse in Deo, sed solum illa, quæ verus est Deus.

Resp. illud principium: Quęcumque sunt eadem *sumitur à ratione naturali ex rebus finitis.*

Respond. conced. primam partem dilemmatis; quam negamus probari ex illo naturali principio, *Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Nam Ratio naturalis, non sumit principia nisi ex rebus finitis, vltra quas est Deus Trinus, qui est infinitus simpliciter, de quo non potest ratio naturalis ostendere, metiendum esse eisdem legibus, ac principijs, quibus res finitæ, & creatæ mensurantur, imo hinc sumitur ratio, quasi à priori huius conclusionis, quia ratio naturalis suadet, in re infinita simpliciter posse esse aliquid, cuius res finitæ non sunt capaces, nec naturali discursu inuestigari possunt, vt ait August. epist. 3. ad Volusianum. igitur, licet Trinitatis mysterium videatur aduersari naturali rationi, vt versatur circa obiecta finita, non inde potest inferri esse simpliciter contra rationem naturalem, cùm ipsamet ratio naturalis agnoscat, naturam illam esse excellentioris ordinis, & se non posse satis attingere, quomodo sit.

Petes 2. *An seclusa Reuelatione, sit hoc mysterium naturali ratione euidenter demonstrabile.* 842
Petes. 2.

Resp. negatiuè Prob. quia omne medium demonstrationis, vel est à priori, & per causam; vel per effectus.

Respond. negatiuè. ità D. Thom. hic, quem sequuntur omnes Theologi. videtur esse de fide; vt patet ex illo ad Hæbr. 11. *Fides est argumentum non apparentium.* quod maximè locum habet in supremo fidei mysterio, quod est Trinitatis, vt exponit D. Thom. in hoc artic. Prob. ratione. Omne medium demonstrationis, vel est à priori, & per causam, quę dicitur propter quid; vel a posteriori, & per effectum, quæ dicitur, quia, ad quam reducitur demonstratio ad impossibile; sed in præsenti tale medium non potest esse causa, quia Trinitas nullam habet causam, cum sit Deus: nec potest esse effectus, quia omnes effectus creati procedunt à Deo, vt vnus est ratione Omnipotentiæ, vt constat; quod si in aliquibus effectibus hoc posset habere difficultatem, vt in lumine gloriæ, & visione beatifica; illi supernaturales sunt, & ideo non possunt cognosci sine reuelatione diuina, vt mox dicemus, ergo, nullum est medium naturali lumine cognoscibile, quod hanc veritatem ostendat. 843

1. *Euasio.*

Dices 1. In Deo est Bonitas, ergo est actus bonificandi, ergo est bonificans, & bonificatum; seu bonificatiuum, & bonificale. Rursus inter bonificatum, & bonificale est concordia in actu bonificandi, ergo est distinctio inter illa tria, quia concordia non est nisi inter distincta: ergo illa tria sunt tres personæ in Deo. ità Raymundus Lullius in suis opusculis, hoc mysterium nititur demonstrare.

Præcluditur. quia actus Dei bonificandi, nullo modo ad intra, per naturalem rationem probari potest.

Sed Contra est. Nam cùm ex Dei bonitate infert esse in Deo actum bonificandi, vel per actum intelligi productionem realem, & communicationem ad intrà propriæ perfectionis, vel solum actũ formalem, sicut viuificare est actus Animę, qualificare est actus qualitatis: Si primum, sic non est euidens, nec ratione vlla naturali ostendi potest, in Deo esse actum bonificandi ad intra per veram productionem, & ita cessat discursus in illo principio fundatus, quod sine vlla probatione assumit, & quamuis daremus illud principium, non inde colligitur Trinitas, sed dualitas: scilicet persona bonificans, & bonificata, nam bonitas à neutra distinguitur, & actus bonificandi, seu communicandi illam, non est persona, sed origo, quæ à producente persona, & producta non distinguitur, vt inferiùs ostendemus. 844

Actus Dei bonificandi non requirit distinctionem cũ suo principio, quia Dei voluntas est actus purus.

Si verò dicatur secundum, verum est bonitatem Dei habere actum bonificandi, sed ille actus non requirit distinctionem ex natura rei inter bonificatum, & bonificantem, quia ille actus est actus per essentiam, & non per inhærentiã, aut informationem, sed simplicissimam actualitatem, cum sit actus potentiæ, quę actus purissimus in sua linea, ac proinde identificans sibi omnia, quę sunt illius lineę diuinę: & eodem modo concipitur in hoc Deo, vt abstrahit à personis; hinc totus Lullij ruit discursus, siquidem loquendo in hoc sensu de actu bonificandi non est concordia inter bonificatiuum, & bonificabile; quia hęc requirit realem distinctionem propriè loquendo, & solùm reperitur in affectu, & voluntate plurium, sed summa vnitas: vnde cùm in Christo concedamus concordia voluntatis humanę cum diuina; negamus inter personas diuinas, quia ibi sola vnitas reperitur. Quod si latiùs sumatur concordia pro quacumque conueniẽti vnitate, hęc non distinctionem realem; sed solius rationis requirit.

Sequeretur enim ex illa euasione, respectu cuiuslibet attributi, dari Trinitatem.

Tandem insto contra Lullium, quia ex eius sententia sequitur ratione cuiuscumque diuini attributi, esse constituendam peculiarem Trinitatem in Deo; atque adeo tot esse Trinitates personarum in Deo, quot attributa, & perfectiones concedimus in Deo, Prob. sequela: nam vita Dei v. g. habet actum

viuificandi,

viuificandi, ficut bonitas bonificandi; erit viuificatiuum, viuificabile, & actus viuificandi: Similiter fcientia habet actum fciendi, ergo erit fcientiuum, & fcientibile: ergo concordia, & diftinctio inter illa in actu fciendi, & fic in alijs. ergo tot multiplicabuntur Trinitates, quot funt attributa; fi ergo in alijs attributis hoc non concedit, ficut neque eft concedendum, neque in bonitate id verum effe poteft ex illo principio, & fundamento Lullij: eo vel maximè, quia ratio boni tranfcendentalis, ficuti entis, atque adeò ratio communicabilis, quæ eft propria boni, in quocumque attributo intrinfecè includitur.

845 *2. Prob Concl. quia nullus effectus adextrà procedit formaliter ex Deo Trino, vt Trino.*

Prob. 2. Conclufio. Nullus effectus procedit ad extra nifi per potétiam Dei creatiuam, & artem Dei, feu ideas. ergo folùm connectitur, & refpicit Deū, vt Creatorem, & artificem; effe autem Deum Creatorem, & artificem cuiufcumque effectus etiam fupernaturalis, eft commune omnibus perfonis diuinis, quia procedit per attributum commune, quod eft omnipotentia, & ars; per intellectum, vt dirigētem, & per potentiam, vt exequentem; ergo non poteft manifeftare aliquid, inquantùm effectus, feu inquantùm procedens à Deo, vt ab efficiente, nifi cōmune tribus perfonis, quia folùm procedit ab eo, quod commune eft; ac proinde nequit manifeftare ea, quæ funt diftincta, ac in perfonis multiplicata. Siquidem perfonæ, vt diftinctæ, & vt correlatiuæ inter fe, non influunt in creaturas, quia non vt correlatiuæ, fed vt creatiuæ creaturas refpiciunt.

846 *2 Euafio.*

Dices. 2. etiam Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, vt funt vnum principium fpirandi, & tamen, qui cognofceret vim fpiratiuam, duas perfonas cognofcere deberet, in quibus vis exiftit fpiratiua: ergo à pari, licèt creaturæ à tribus perfonis procedant, vt funt vnum creandi principium, qui iftam creandi vim cognofceret, vtrque cognofceret perfonas, in quibus reperitur.

Præcluditur. nam vis fpiratiua ex vi formalis rationis exigit diftinctionem perfonarū

Sed Contra eft. Nam vis fpiratiua, licèt fit vna in Patre, & Filio, tamen ex fua formali ratione, & proprio caractere diftinctionem requirit perfonalem, quia procedit Spiritus S. ex perfonis, vt fe mutuò amantibus, licet vnico amore, quia procedit ex amore amicabili, qui requirit plures perfonas reciproci amantes; at vero virtus creatiua non eft notionalis, fed purè abfoluta; nec requirit pluralitatem perfonarum, etiam vt conditionem intrinfecam ad creandum, licèt concomitanter fe habeant tres perfonæ, fed non influxiuè, aut cum connexione per fe cum creaturis procedentibus, quia creaturæ præcisè procedunt ab eo, quod abfolutum eft.

847 *Vrgebis.*

Inftabis, in fententia eorum, qui dicunt in Deo non effe aliquam fubfiftentiam abfolutam, nifi tres relatiuas; & Deitatem fecundum rationem abfolutā folùm fe habere, vt principium *quo* non vt principiū *quod*? creaturæ .n. non procederent à natura diuina tantùm, fed etiam in tali cafu immediatè à perfonis, fiquidem procedunt à Deo, non folùm vt principio, *quo*, fed etiam, vt à principio: *quod*: tunc autem effectus manifeftarent fuam caufam cōpletā ideft tàm principium *quo*, quàm *quod*:

Refp. in Deo dari operationes reales, habentes principium quo, *&* quod, *circumfcriptis perfonis.*

Sed Contra eft. Siquidem, quidquid fit de illa fententia negante in Deo fubfiftentiam abfolutam; tamen certiffimum eft, quod in Deo dantur veræ, & reales operationes, feu actus habentes, fufficienter principium *quo*, & *quod* independenter à tribus perfonis; Sicuti *hic Deus amat, & intelligit*; Filius, & Pater fpirant: nec tamen iftæ actiones procedunt à tribus perfonis. Similiter eft verum, quod in ordine ad creandum tantùm virtutis, & potentiæ habet vna perfona; quantùm omnes tres fimul; vnde ad conftituendum vnum creandi principium fufficit vna perfona; nec magis confert trium perfonarum concomitantia. Concedimus ergo effectus manifeftare de principium, *quod*, à quo procedunt; fed fub eo modo, quo conducit, & ad talem confert proceffionem, & non amplius. Admiffo ergo, quod nō fit fubfiftentia in Deo abfoluta; quia tamen, vt operationes creatiuæ, & aliæ ad extra fint à Deo, non exigitur neceffario trium perfonarum concurfus; Sed ad hoc munus obeundum *hic Deus* fufficiat, vel aliqua Perfona, cum vna fola habeat totam producendi virtutem, ac fufficientem fubfiftentiæ rationem, & principij, *quod*, fit inde, vt reliquæ ex vi talis productionis non manifeftarentur: Sicuti fi ego, euidenter aliquem fcirem effectum procedere ab homine, vt vidente, feu audiente, ex hoc tamen precisè non poffum colligere, quod duobus videat oculis, aut auribus duabus audiat, fiquidem fi alterum claudat æquè bene videt, ac audit.

848 *3 Euafio.*

Dices 3. naturaliter probari poffe proceffiones diuinas ex creatis proceffionibus Verbi, & amoris per actus intellectus, & voluntatis, fumpto illo vniuerfali principio S. Thom. fupra quæft. 23. artic. 1. *Quicumque intelligit, ex hoc ipfo, quod intelligit format verbum.*

Præcluditur. illud principiū Quicumque intelligit &c. eft magis creditum, quàm fcitum.

Sed contra eft. Quia vt ibidem efficaciter oftendi; hæc principia, quę locum habent in creaturis ob earum imperfectionem, non poffe naturali ratione extendi ad Deum perfectiffime intelligentem, & volentem; cum illud vniuerfale principium, vt rectè ibi Caetanus aduertit, fit folum verè creditū, non fcitum. Quod fi ex nulla re creata probari poteft proceffio intrà Deum per intellectum, & voluntatem, fubftantialis, & perfonalis; ex nulla etiam re creata probari poterit Trinitas, & fimpliciter pluralitas diuinarum perfonarum: quoniam implicant duæ perfonæ improductæ, quarum vnaquęque fit Deus. & ex creaturis folum naturaliter probatur Deus, quia improductus. Hanc igitur creati Verbi proceffionem, comparatam ad proceffionem Verbi diuini, non eft aufus Auguftinus lib. 15. de Trin. cap. 11. vocare fimpliciter fimilitudinem, qua hæc per illam probari poffit; fe merito vocauit, *qualemcumque fimilitudinem, quamuis per multa diffimilem, in qua ficut in ænigmate videtur vtrumque Dei Verbum.*

849 *Corollarium. Naturalis ratio, etiā fi Trinitatem diuinitùs demonftratā habeat, non poteft euidenter naturaliter demonftrare hoc myfterium.*

Ex adductis authoritatibus, & rationibus cōftat, conclufionem effe extendendam non folùm ad cognitionē certam, fed etiam ad probabilē. quamuis. n. facta diuinarū proceffionū, ac perfonarū diuinarū reuelationē poffimus deinde vtrumq; fuadere duas in Deo proceffiones; tamen nullus ex fe primo poteft, ex quauis creata proceffione probabiliter concipere aliquam proceffionem intrà Deum. Item effe extendendam ad quamlibet cognitionem angelicam, et iā perfectiffimam. Conftat Prætereà, naturalem rationē, etiam fi Trinitatem diuinitùs reuelatam habeat, & firmiffimè credat, adhuc non poffe naturaliter demonftrare, quod credit; quia in hoc etiā cafu procedere debet ex creaturis, ex quibus tres perfonæ realiter diftinctæ, quæ nihilominùs fint vnum indiftinctū, oftendi, & probari nulla ratione poffunt. Fidei. n. lumine, quo Trinitatem credimus, non intuemur ipfam Trinitatem in fe, neque aliquam intrinfecam connexionem, quam Trinitas habeat cum aliqua eius caufa, vel proprietate, fed folùm diuinitus illuftramur, & mouemur, vt ex extrinfeco teftimonio diuinę authoritatis reuelātis, afferemus effe omninò verum, quod dicit. ergo etiam pofita fide Trinitatis, non poteft naturalis ratio euidentem aliquam rationem formare ad illam probandam. & quidem Patres. & Scholaftici omnes authores huius veritatis, Trinitatem credebant, & tamen neque ipfos, neque etiam Angelos Sanctos non probare poffe contendunt.

850 *Petes 3.*

Petes 3. *Quomodo poffit intellectus creatus cognofcere hoc myfterium fuppofita diuina reuelatione.*

Refp. hoc myfterium nullo modo poffe naturaliter cognofci ab intellectu creato per fpeciem propriam.

Refp. dicendo primo. hoc myfterium nullo modo cognofci poffe ab intellectu creato per modū incognitum, idest per fpeciem intelligibilem, quæ immediatè repræfentet obiectum efficiendo directā cognitionem eius in fe. Prob. quia vifio connaturalis Dei, feu cognitio Dei, vt in fe eft, cum fit cognitio obiecti, de cuius effentia eft exiftentia, eft cognitio Dei clara, & intuitiua; hæc .n. non poteft effe connaturalis alicui intellectui creato; quia exigit in-

 tellectum,

tellectum, qui sit eiusdem immaterialitatis cum obiecto, ac proinde, quod sit actus purus, ac Deus; vt latè tom. 1. qu. 12. a. 4. ostendimus. ergo &c.

Possibilis est cognitio euidens huius mysterij in visione visionis Dei.

Dico secundo, seclusa clara huius mysterij visione, & præter obscuram fidei cognitionem; possibilem esse aliam cognitionem euidentem supernaturalem non intuitiuam, sed abstractiuam. Prob. quia seclusa clara visione huius mysterij; potest in se tripliciter hoc mysterium videri abstractiuè. Primò per speciē aliquorum effectuum supernaturalium, v.g. visionis beatæ, luminis gloriæ, & vnionis hypostaticæ, nam possibiles esse species horum effectuum supernaturalium impressas, non potest in dubiū reuocari; cùm nulla afferatur sufficiens implicatio contradictionis; posita autem tali specie in intellectu viatoris. v. g. Animæ Christi cum scientia insusa, certum est intuitiuè ab illa cognosci illos effectus visionis beatæ; sed cognitio intuitiua huius actus, necessariò est cognitio abstractiua sui obiecti. quod est Deus vnus, & Trinus, ergo possibilis est cognitio certa, & euidens huius misterij abstractiua & in alio. minorem negat Vazquez disp. 130. c. 4. vbi ait, actum visionis Dei, nō posse videri intuitiuè, quin videatur intuitiuè obiectum, sed immeritò, quia cognitio intuitiua est cognitio rei in se per propriam speciem, sed illa cognitio Dei per scientiam infusam est cognitio in alio, & per alienam speciem, ergo non est intuitiua: sicuti si ego viderem intuitiuè actum visionis corporalis ad parietem, ex vi illius visionis, abstractiuè solum viderem parietem.

Notandum, quod talis cognitio euidens abstractiua esset supernaturalis; nam visio visionis est supernaturalis.

851 *Instabis.*

Dices, illa visio est cognitio intuitiua Dei. ergo illa visa, necessarium est Deum intuitiuè videri.

Præcluditur. Nam visio, vt visio non est similitudo formalis obiecti, sed tendentia.

Sed Contra est. quia visio, vt visio non est similitudo formalis obiecti, sed solum tendentia in illud, & ratio cognoscendi, informans intellectum, vndè licet obiectiuè cognoscatur, nisi informet videntē, seu intellectum, non constituit videntē; quia ipsa est perceptio obiecti, vt visio est, idest, vt actus est: vt verò habet rationem obiecti, non est conceptio, & perceptio obiecti, sed conceptum, & obiectum: atq; adeo nō sequitur in illa clarè videri obiectum ab eo, respectu cuius est obiectum, non medium, seu actus visionis Sic. n. potest clarè videri actus charitatis tendens in Deum, non clarè viso Deo. Quod idem dicendum est de vnione hypostatica, quatenùs est quid creatum, & habet pro termino necessario, ipsā Verbi personam. in habitu autem, & actu fidei supernaturalis viatorum licèt hoc mysterium per sciētiam infusam cognoscatur: tamen non cognoscitur euidenter in se; quia licèt euidenter actus, ac habitus cognoscantur, non tamen cognoscitur obiectum ex vi illius medij cogniti: item licèt ad cognoscendam virtutem seminis distinctè, sit necessarium cognoscere fructū distinctè, quo ad an est, non tamen sequitur ex cognitione seminis intuitiua, intuitiua fructus cognitio.

Corollarium hæc doctrina non extēditur ad habitu gratiæ.

Vnde infero, non rectè aliquos hanc extendere doctrinam ad habitum gratiæ gratum faciētis, & ad alia accidentia supernaturalia, quia huiusmodi ex parte efficientis solùm respiciunt Deum, vt Vnum, sicut reliqui effectus ad extra: ergo si ratione particularis obiecti, vel termini proprij non affertur Trinitas, vt in exemplis superioribus allatis, nullo modo possunt esse medium cognitum, in quo euidenter ipsa videatur, & multò minùs in relatione creaturæ ad creatorem, quæ respicit Deum, vt vnus est, sicut cæteri effectus naturales creati.

852 *Instabis 2.*

Dices. 2. esse peculiare in gratia, & accidentibus supernaturalibus, quia illorū finis est Deus, vt Vnus, & Trinus. item, quia sunt participationes Dei, vt in se est, nempè Dei Vni, & Trini.

Præcluditur, quia gratia est effectus Dei, vt vnus est; non vt Trinus.

Sed cōtra est. quia in ratione efficientis potius sūt participatio Dei, vt Vnus est, quia ab illo, vt Vno effectiuè proceduntur; imo eodem modo procederent, etiā si Deus in se nō esset nisi vna persona; in ratione verò finis proximi, etiam respiciunt Deum, vt vnum; nam finis gratiæ est, facere gratum, & Amicum Dei; & sic in illis accidentibus supernaturalibus primarius, & proprius effectus, siuè formalis, siuè effectiuus est proximus finis illius; remotus verò potest dici Trinitas finis vltimus, quatenùs omnia accidentia supernaturalia ordinantur ad claram Dei Visionem, quæ est gratia consummata, quæ proximè Trinitatem respicit, vt proximum obiectum per illam clarè ostensum, sed hoc modo non conducunt ad huius mysterij cognitionem, nisi quidditatiuè, & clarè ipsa visio videatur beata, qua hoc mysterium, abstractiuè, certè, & euidenter tanquam in signo, seu obiecto cognito videri posse, iam dictum est.

853 *Secūdò haberi potest per memoriam; & fit per speciem ab actu præcedēti relictam.*

Secundò, potest dari in viatoribus aliqualem huius mysterij notitia per memoriā, sicut contingit de Paulo, qui per breue tempus in illo ad tertium Cœlum raptu, claram habuit huius mysterij visionē, in quo mansit illius visionis memoria, vt sæpè ipse testatus est. Hæc autem memoria est per speciem ab actu præcedenti relictam, supernaturalem tamen, ex vi cuius actum producimus recordationis, cuius obiectum est prior actus non intuitiuè visus, quia iam non existit, atque adeo neq; ipsius visionis obiectum intuitiuè videri potest: tùm quia videtur in alio. tùm quia in alio videtur actu, qui nec intuitiuè videtur. nihilominùs quasi euidentem gignit notitiam abstractiuam, qui ex eius memoria, quod euidenter aliquando nouimus, euidenter illud verum esse colligimus.

854 *Tertio potest fieri per euidētiam in testificante; quæ dicitur extrinseca*

Tertiò, potest esse notitia extrà Verbum per euidētiam non rei in se, sed in testificante. itaque Reuelationis testificatio duplex est; vna cum testificationis euidētia; alia cum rei reuelante, & reuelantis obscuritate; hæc pertinet ad fidem, prior ad scientiam infusam, si supernaturalis fuerit: Suppono enim esse habitus specie distinctos, sicut habitus fidei, ac scientię infusæ habitus distinguuntur, à quibus procedunt, & sunt separabiles: nam in Christo fidei habitus non fuit, & fuit habitus scientię infusæ ex eius perfectionis congruitate, sicut nec in Beatis, quia huius habitus imperfectio illi non congruit statui. Sed hęc probabiliter dicta sint, de habitibus fidei, & scientiæ infusæ; nos autem Deodante 2. 2. ac 3. par. de hac re nostram aperiemus sententiam.

855 *Petes 4.*

Petes 4. *An possit intellectus naturale lumen, quasi per redundantiam, ad hoc mysterium suo naturali discursu ostendendum, confortari.*

Resp. Reuelationem ex se, al quam huius mysterij cognitionem homi conferre.

Resp. Prænotando primo, illam reuelationē, pro vt dicit obiecti supernaturalis reuelationem, quantùm est ex se aliquam huius mysterij cognitionem homini cōferre: nomine enim reuelationis aliquādo sola obiecti reuelati sufficiēs propositio significatur: siuè credatur ab eo, cui talis propositio fit, siuè nō reuelatio ab ipso Deo merè interiùs fiat per seipsum, vel per Angelos: siuè exteriùs fiat per hominis propositionē. Dixi, *quantùm est ex se*, quia cū hac reuelatione stat, hominem veritati reuelatæ nō assentiri; & tunc propriè non dicitur illam cognoscere; sicut qui Solem audit stellis esse maiorem, & non assentitur, nec iudicat ita esse, nō cognoscit esse maiorem; sed tantùm id affirmari, ac dici, apprehendit, & audit: si verò iudicet, & assentiatur, tunc cū dicitur propriè cognoscere. Quia igitur hęc reuelatio, seu propositio, quantùm est ex se conferre, seu prębere cognitionem aliquam huius mysterij, scil. iudicatiuam, & assensus: quomodo Concilia, & August. de reuelatione loquuntur, quoties contrà Pelagium docent, non sufficere reuelationem, aut doctrinam ad hoc mysterium cognoscendum, nisi etiam adsit Spiritus S. gratia, quæ assensum, seu iudicium circa talem reuelationem factum inspiret, & adiuuet.

856 *Cognitio iudicatiua, seu internū iudicium est naturalis, sed supernaturalis.*

Secundo, tanquam certum suppono, hanc cognitionem iudicatiuam, siuè assensus credentis, si sit interne reuelationi proportionatus, non esse naturalē, sed supernaturalem: atq; adeo nō ex naturę viribus esse, sed ex gratia, quod apud omnes Catholicos certissimum est Et prob. quia hic assensus per fidē est supernaturalis in se, ergo pręter obiecti propositionem sufficientem, necessariū est supernaturale principium

cipium

cipium à quo fiat his prænotatis. Dico, creatum intellectum fide confortatum, & per piam voluntatis affectionem applicatum, inuenire rationes, quibus conuenientiam, ac verisimilitudinem huius mysterij ostendat. Ità omnes scholastici communiter. sed cum huius materię propria sedes sit 2. 2. modo supersedere fas est.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum sint ponendæ notiones in diuinis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio. In diuinis non solùm debemus vti nominibus abstractis, & cõcretis essentialibus, vt sunt Deitas, & Deus: sapientia, & sapiens. Sed etiam nominibus abstractis, & concretis personalibus, vt sunt paternitas, & pater: filiatio, & filius, quæ in abstracto significata, notiones dicuntur. Prob. illis nominibus, per quæ respondere possumus hæreticorum interrogationibus, & instantijs, debemus vti in diuinis. Sed per huiusmodi nomina personalia abstracta, quæ notiones dicuntur, respondere possumus hæreticorum instantijs, & interrogationibus: ergo. Prob. mi. Nam, cum confiteamur in diuinis Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse vnum Deum, & tres personas, quando hæretici quærunt, quò sint vnum personæ? Respondemus nominibus abstractis essentialibus, & dicimus: quod tres personæ sunt vnum essentia, vel Deitate. Sic etiam quando postea quærunt, quo sint tres personæ? debemus habere nomina abstracta personalia, quæ sunt notiones, & respondere, quod personæ sunt tres paternitate, filiatione, &c.

Arg. 1. Quæ ponuntur in Deo debent esse expressa in Sac. Scrip. ex Dion. cap. 1. de diuin. nomin. Sed de notionibus nulla in Sacra Scriptura fit mentio: ergo. Resp. dist. min. non fit mentio in Sac. Script. de notionibus, explicitè, concedo: quòad rem significatam, nego: nam in Sac. Script. fit mentio de personis, in quibus intelliguntur notiones, sicut abstractum in concreto, id enim quod significant personæ in concreto, significant notiones in abstracto.

Arg. 2. De notionibus non prædicantur essentialia; non enim dicimus paternitas; quæ est vna notio, est sapientia, &c. Nec personalia; nam non dicimus Paternitas generat; ergo. Resp. neg. conseq. licèt enim non omnia prædicata essentialia, & personalia, quæ dicunt ordinem ad actum, vt Deus creat, Pater generat; &c. possint prędicari de notionibus: quia repugnant modo significandi ipsarum; nam agere conuenit tantùm suppositis: alia verò quæ sunt essentialia, & personalia, vel remouentia à Deo imperfectionem, vt infinita, &c. vel substantiua, hæc de notionibus prædicantur, dicimus enim Paternitas est infinita, & Paternitas est Pater.

Arg. 3. In simplicibus non sunt ponenda aliqua abstracta, quæ sint principia cognoscendi; simplicia enim cognoscuntur seipsis. Sed diuinæ personę sunt simplicissimę; ergo. Respond. dist. ma. & conced. ex parte rei conceptę; neg. tamen ex parte cognoscentis, non enim vtimur nominibus abstractis in diuinis, quasi sit differentia in diuinis secundùm se abstracti, & concreti. Sed tantùm secundùm nostrum modum intelligendi; & talis modus nullam in diuinis ponit compositionem. Nam ad significandam diuinã simplicitatem vtimur nominibus abstractis; & ad significandam diuinam subsistentiam, vtimur nominibus concretis, quæ in Deo sunt omninò idem. Notiones enim sunt rationes quædam quibus diuinę personę cognoscuntur.

DISPVTATIO CLXXXII.

Vtrum sit ponendæ notiones in diuinis.

857 EX *sequenti articulo initio corp.* notio dicitur id, quod est propria ratio cognoscendi diuinam personam. *Quarè in hoc, & seqq articulos notio non sumitur formaliter pro mentis actu, qui sicut dicitur notitia, ità etiam notio, & pertinet teste Syluestro p. p. conflati qu. 32. art. 2. initio,* Ad primam nominis impositionem à verbo, nosco; *sed sumitur obiectiuè pro aliqua formalitate extra intellectum realiter existente, quæ obijcitur nostræ cognitioni. Atque hanc formalitatem obiectiuam significat illud,* Ratio cognognoscendi. *Porro ex eo, quòd notio sit* propria ratio cognoscendi diuinam personam. *Non potest consistere in aliquo prædicato communi omnibus personis, cuiusmodi sunt nõ solùm nomina essentialia, v.g. Deus, sapiens, sed etiam hoc ipsum personæ nomen.*

Notio non sumitur formaliter pro mentis actu, sed sumitur obiectiuè.

858 *Vndè etiam sequitur, quod notio concipi, & significari habeat in abstracto, non in concreto, vt non semel in hoc art. docet S. Thom concludens in fine corp. quòd* relationes in abstracto dicuntur proprietates, & notiones; *quas propterea superius dixerat,* significari vt quo, *non autem vt quod. & ideò etiam ad 2. deindè docuit,* quod notiones significantur in diuinis, non vt res, sed vt notiones quædam; *quia, & si sint in rebus ipsemet Deus, & ipsemet subsistentes personæ, tamen non significantur in concreto, vt res ipsæ subsistentes, sed in abstracto vt distinctæ mentaliter à rebus subsistentibus, tanquam formales earum rationes. Et sanè nemo dixerit, Patrem ipsum v.g. esse formalem, ac propriam rationem cognoscendi Patrem. Præterquam quòd cum Pater, vt in concreto significatur, non solum dicat paternitatem, quæ est propria Patris ratio, sed etiam Deitatis naturam, quæ est ratio omnium personarum communis, valdè recedit à proprio rationis conceptu, de quo nunc disputamus.*

Notio significari debet in abstracto non in concreto nam significatur, vt *quo*, non vt *quod*.

859 *Concl. affirm. articuli est omninò cõmunis, exceptis præpositiuo, quem refert, & impugnat S. Thom. initio corp. Ariminen. 1. dist. 26. & 27. qu. vnica art. 2. Concl. 2. impugnantę doctrinam huius articuli; vbi quamuis loquatur de proprietatibus, quas nulla ratione ab ipsis personis distingui vult, & propterea negat, Personas proprietatibus constitui; tamen eadem omnino est ratio de notionibus, cùm omnis proprietas sit notio, licèt non contrà. Et Ioanne Maiore 1. d. 26. qu. vnica expressè probante sententiam Magistri Præpositiui.*

Concl. affirm. est communis vno Præpositiuo excepto.

860 *Prob. 1. Ratione a priori. Nomine notionis nihil aliud significare volumus, nisi quasdam formales rationes in ipsismet diuinis personis realiter existentes, ratione præcisas, & in abstracto conceptas, ac significatas, quæ non sunt communes omnibus personis, prout inter se realiter distinctis: hæ enim propriè vocantur notiones, per quas cognoscimus, vnam aliquam personam esse distinctam ab alia; sed certum apud omnes Theologos esse debet, reperiri huiusmodi rationes ex eo, quòd fide constat, dari in diuinis tres personas realiter distinctas; & est naturaliter euidens, multa non*

Prob 1. quia ex fide constat personas realiter distingui; ergo oportet, sit in singulis aliquid, per quod distinguantur.

posse

posse inuicem realiter distingui, nisi in singulis sit aliquid proprium, mente saltem conceptibile, & abstrahibile ab omni eo, quod est illis commune.

Quia Pater nõ est Filius, licèt sint vnus De⁹; rationem Paternitatis à Deo ratione præscindimus.

Sic in proposito, quia Pater non est Filius, tametsi ambo sint vnus Deus rationem Paternitatis à Deo ratione præscindimus, & concipimus in abstracto, per eam constitui Deum in esse formali Patris, & Patrem distingui, & posse cognosci distinctum à Filio. Sic etiã de Filiatione, & alijs similibus. Ergo in diuinis personis notiones negari nulla ratione possunt, neque repugnat, inquit optimè S. Th. contra Præpositiuum simplicitati Dei, & diuinarum personarum, quòd quæ in ipsis realiter sunt, ratione distinguamus, & concipiamus, atque significemus nominibus abstractis, & concretis.

861

Ob nostram intelligẽdi imperfectionem possumus quasi diuidere ens simplicissimũ.

Cùm enim ob nostram intelligendi imperfectionem non possimus diuina, prout in seipsis sunt, concipere, ex præstantia, & plenitudine obiecti, quod cum vnum actu in se sit, æquipollet multis rebus creatis distinctis, habemus rationabile fundamentum absque præiudicio vnitatis obiecti, illud concipiendi distinctè, quasi per partes. Et cùm in obiecto non solùm sit simplicitas, sed etiam subsistens, & completa simplicitas, illud, inquit, ratione simplicitatis per nomina abstracta significamus; ratione vero subsistentiæ, & complementi per nomina cõcreta. *Quibus nominibus abstractis, & concretis, & in rebus diuinis explicandis, vtuntur passim omnes Patres, omnia Concil. omnes scholastici.*

862

Prob. 2. quia quærentibus hæreticis, quare vnus Deus, & tres personæ. Resp. quia vna essentia, & tres proprietates.

Præter hanc communem rationem, duas alias peculiares rationes assignat S. Thom. multò post princip. Corporis, quibus non solùm conueniens, sed etiam necessarium fuit quasdam proprias personarum rationes, quas notiones vocamus, in abstracto concipere, & significare. Primum est, quia cùm confiteamur Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse vnum Deum, & tres personas, quærentibus hæreticis, quo sunt vnus Deus, & quo sunt tres, sicut respondetur, quòd sunt essentia, vel Deitate vnum; ità oportuit esse aliqua nomina abstracta, quibus responderi possit, personas distingui: & huiusmodi sunt proprietates, vel notiones in abstracto significantes, vt Paternitas, & Filiatio. Et ideo essentia significatur in diuinis, vt quid, persona veró, vt quis, proprietates autẽ vt quo.

863

Prob. 3. quia Pater est vna persona, & nõ vna relatione respicit Filiũ, & Spiritum S.

Secunda est, quia Pater est vna persona, & tamen non vna Paternitatis relatione respicit Filium, & Spiritum Sanctum: similiter Filius est vna persona, & tamen non vna filiationis relatione respicit Patrem, & Spiritum Sanctum, ergo ne vnam personam, tanquam duas significaremus docentes, Patrem, & spirationem; item Filium, & spiratorem, necesse fuit abstractè loqui, & dicere, in vna Patris persona esse, & relationem Paternitatis, & relationem spirationis; & similiter in vna persona filij esse, & filiationem, & spirationem.

864

Euasio.

Primam rationem soluere nititur Arimin. suprà dicens, Quod taliter quærentibus, optimè potest responderi secundùm viam, quàm docuit Hieron. dicens, quod substantia vnum sunt, & personis distinguuntur: & docuit August. dicens, quòd sunt vna substantia, & distinctæ personæ.

Præcluditur. Si personę substantia sunt vnum; alia ergo ratione distinguntur.

Sed non satisfacit, quia si substantia sunt vnum, ac proindè substantia non distinguuntur, personis verò distinguuntur; siuè quod idem est, substantia est vna, personæ sunt plures; ergo in personis, præter rationem substantiæ, est saltem concipere, ac ratione distinguere aliquam aliam rationem, quã omnes abstractio nomina significamus, & proprietatem, ac notionem esse dicimus: alioquin per eandem omnino rationem diuinæ personæ essent vnum, & non essent vnum; essent plures, & non plures, distinguerentur, & non distinguerentur.

Ex eo quod Fideles confitentur vnum Deum, & tres personas: Philosophus Christianus distinguit, &c.

Igitur hoc ipso, quòd omnes fideles confitentur, Trinitatem esse vnum Deum, & tres personas, non potest Christianus Philosophus non mente distinguere rationem Deitatis, quæ in tribus non triplicatur, & rationem personalitatis triplicatam; & consequẽter in singulis propriam, vndè singulæ personæ, tanquam proprijs quibusdam signis dignosci possunt, quod proprium est notionum. Quapropter si in personis non essent saltem ratione distinguibiles duæ formalitates, altera: quæ sint vnum, altera, quæ sint plures, dici quidem possent plures, & distinctæ, non tamen vnum, & indistinctum.

Quamuis enim singulæ personæ, prout in re sunt, absq; vlla distinctione dici possit seipsis totis esse vnũ, & esse plura; & non per aliud esse vnum, & per aliud esse plura, cùm in ipsis non sint in re aliud, & aliud: tamen prout à nobis concipiuntur cùm fundamento in re ob earum eminentiam, debent omninò dici per aliud esse vnum, & non distingui realiter; per aliud verò esse plura, & realiter distingui. Demùm, asserere simpliciter, personas esse tres, & realiter distinctas non est respondere instantiæ hæreticorum, qui non quærunt hoc, sed hoc supposito, quòd omnes fideles credimus, inquirunt, quæ nam sit illa ratio, quâ in se ipsis realiter, & formaliter habent, vt distinguantur tres personæ, quæ nihilominùs creduntur simpliciter vnum. Quo quidem quæsito supponunt, tanquam omninò manifestum, quod omnes concesserunt, & Patres, & Scholastici, paucis quibusdam nominalibus exceptis, tria realiter distincta, quę sunt vnum realiter indistinctum, non posse eadem omninò ratione, quâ distinguuntur, non distingui; sed hoc supposito, præcisè intendebant euertere articulum fidei de vno Deo Trino; quoniam falsò putabant, non posse fideles afferre rationes distinguentes tres personas, quæ non essent etiam rationes distinguentes tres naturas, quas Ariani distinguere volebant.

In personis licèt nõ sit *aliud* & *aliud* in re; admitti debet, quod per *aliud* ratione sint plura.

DVBIVM VNICVM.

Quid sit Notio. Et An ponendæ sint notiones in diuinis.

865

Petes. Resp. exponendo definitionem Notionis.

PEtes 1. *Quid sit notio?*

Resp. ex D. Thom. art. 3. *Notio diuina est ratio propria cognoscendi personam diuinam.* Explicantur particulæ. Per illam particulam, *Ratio*, conuenit Notio cùm Deitate, aut sapientia; & alijs rationibus essentialibus, in diuinis in abstracto significatis. Nam sicut Deitas est ratio constitutiua Dei, & sapientia constitutiua sapientis: ità notio est etiam *ratio*; ac proinde in hoc conuenit cùm alijs rationibus diuinis: propterea ad notionem rigorosam, ac propriam desideratur, quòd significetur in abstracto, quia id, quod significatur, vt ratio alicuius debet significare in abstracto.

Exponuntur particulæ, propria, & Ratio *ly* propria, *distinguit*; *ly* Ratio *coniungit*.

Deindè ponitur particula *propria*; per quam incipit notio distingui ab alijs rationibus essentialibus, cùm quibus per illam particulam, *Ratio*, conueniebat: siquidem abstracta essentialia, vt *Deitas*, & *Sapientia*, sunt communia omnibus personis; secùs vero notiones, & ità vna, & eadẽ notio ad summum potest conuenire duabus personis diuinis; nõ tamen cunctis. Ideòque per illam particulam *propria*, non significatur notionem vni soli personæ conuenire, siquidem communis spiratio conuenit duabus: sed denotatur, quòd debet esse forma singularis, non communis omnibus.

866

Particula cognoscendi *denotat*, *Notionẽ distingui à proprietate personali*.

Præterea additur particula illa *cognoscendi*: vt per eam denotetur; & quomodo notio distinguatur à significato horum nominum, *relatio personalis*; & *proprietas non personalis*: & quonam ordine ista inter se connectantur, quoad primum, Notionis, proprietatis, & relationis differentia potest tripliciter assignari. Primò, quòd Paternitas dicitur relatio, secundùm quod ad Filium refertur; dicitur autem proprietas inquantùm soli Patri conuenit, dicitur Notio, inquantùm est principium formale innotescendi Patrem. De ordine verò constat: quia nihil potest esse principium innotescendi aliud, nisi sit illi proprium: & nihil est proprium alicuius personę, nisi ipsa persona sit constituta, & distincta ab alijs: & ità priùs intelligimus, relationem siue proprietatem personalẽ in diuinis; deindè proprietatem; tandem notionem.

867

Explicatur particula, personã

Tandem ponitur in definitione particula illa, *personam diuinam*, vt denotetur, notionem significare

aliquid

diuinã, notio .n. aliquid significat spectans ad originem.

aliquid pertinens ad originem, spectansque ad dignitatem? Ratio est: siquidem notio est ratio propria cognoscendi personam diuinam, ac cognoscendi illa secundùm sibi propria: non potest autem cognosci secundùm sibi propria, nisi cognoscatur secundùm aliquid pertinens ad originem, & spectans ad dignitatem personalem. Quia omnia propria personæ sunt huiusmodi.

868 *Euasio.*

Dices, personam non addere suprà naturam aliquid perfectionis in Deo, ex supradictis, ex vi suæ lineæ: ergo notio non dicit aliquid pertinens ad dignitatem propter personam diuinam.

Præcluditur, quia persona secundum relationem hypostaticam, dicit dignitatē.

Resp. Personam diuinam ex vi suæ lineæ, & secundùm id, quod dicit in recto; licèt non exprimat dignitatem, & perfectionem in ordine ad terminū, seu exercitè; dicit illam tamen per ordinem ad subiectum, quia vt sic includit per modum transcendentis totam perfectionem diuinę essentiæ: & insuper dicit in obliquo eandem diuinam essentiam, vt habet rationem naturæ: & propterea impræscindibiliter dicit perfectionem: & Ratio est, quia omnes personæ dicunt aliquid spectās ad naturam intellectualem: tam Ratio dicentis, quàm Verbi; tam ratio spirationis, quàm spirati: spectare .n. ad naturam intellectualem, vt sic, est maxima dignitas, illius rei, quæ attribuitur tali naturæ: ac proinde, quia notio in diuinis pertinet ad personam diuinā, quæ est perfectissima modo dicto: idcirco dicitur, notionē significare aliquid pertinens ad dignitatē.

869 *Petes 2. Resp. affirm. siquidem re ipsa Paternitas, & Filiatio sūt proprietates constituentes personas; ac proinde non possunt non admitti.*

Petes 2. *An Notiones sint ponendæ in diuinis?*

Resp. affirmat. ità communiter Theologi cùm S. Doctore in præsenti. Prob. 1. Siquidem si loquamur de re ipsa, Paternitas, aut Filiatio, vel processio: sunt ipsæmet proprietates constituentes, & distinguentes personas. sed istæ non possunt non poni in diuinis, vt ex dictis, & infrà qu. 40. constabit. ergo etiam notiones ponendæ erunt in diuinis. Dices, ex Aug. 5. de Trinit. Notio est notitia qua formaliter cognoscitur persona: ergo non est aliquid intrinsecum, sed denominatio extrinseca in persona. Itē si ponerent aliquid in Deo esset ibi abstractum, & concretum, quod derogat Dei simplicitati. Resp. August. nomine notitię intellexisse notitiam obiectiuam, quæ est in obiecto: nam sicuti *Ratio* solet significare conceptum formalem, & obiectiuum; ità Notitia: ad 2. dicimus non derogare diuinę simplicitati dari in Deo non ex parte rei conceptæ, sed modi concipiendi, abstracta, & concreta. Cū enim vna, & eadem formalitas Patris, v. g. habeat esse formam simplicissimam, & esse subsistentem. quatenus est forma simplicissima, vtimur nominibus abstractis; quatenus verò est subsistens, nominibus concretis, ad ipsam denotandam.

870 *Prob. 2. Quia oportet Catholicos vti nominibus abstractis, quibus occurrant hæreticis.*

Prob. 2. Nam oportet Catholicos vti nominibus abstractis, quibus occurrant Hæreticis, aut infidelibus inquirentibus, quo nam Pater, Filius, & Spiritus S. sint vnum Deus, & tres personæ? aliàs nō possent eis occurrere si nō haberēt nomina abstracta. Sed id, quod correspondet his nominibus abstractis, quibus occurritur interroganti, quare personæ diuinæ sunt tres? habet rationem notionis in Deo: si quidem proprietates personales, v. g. Paternitas, Filiatio, & Processio, quibus cognoscuntur personę; sunt ipsę notiones; ergo notione dantur in diuinis.

Confirm. nam interroganti, car personę sint tres? necessario. Resp. quia sunt tres proprietates.

Confirm. quia licet interroganti, quo Trinitas distinguatur? possimus sufficienter occurrere, *distinguitur personis*; absque responsione per abstracta, non enim sufficienter occurritur interroganti, quo nam personæ diuinę sunt tres personę? si dicatur quod sunt tres tribus personis: propterea oportet dari alia nomina, quibus alia ratio obiectiua distincta ex parte nostri modi concipiendi correspondeat, scil. quod sint tres proprietatibus, scil. Paternitate, Filiatione, & processione. Et Ratio potest esse: quod interrogatio *quo*? oportet reddi responsum talis conditionis, vt ex proprio modo significandi significatur, vt *quo*: alioqui non quiesceret instantia quęrentiū: Constat autem, quod persona non significatur, vt *quo*. nec eius nomen significat eam, vt *quo*: cùm sit nomen concretum: ergo vt habeamus proprium responsiuum *quo* respectu cōcretorum diuinorum: admittere oportet proprietates in abstracto in diuinis, quę, vt sunt rationes proprię cognoscendi diuinam personam, habent rationem notionum.

Prob. 3. Relationibus Paternitatis, & spirationis correspondēt ex opposito duę relationes realiter distinctę: vna quidē in Filio correspōdēs Paternitati: alia verò in Spiritu S. correspōdēs spirationi: ergo licèt Pater sit vna persona simplicissima, absq; distinctione virtuali in esse personę: nihilominùs erunt in illo duæ relationes virtualiter distinctę, quarum vna sit ipsi ratio respiciēdi Filiū, nēpe *Paternitas*, & alia respiciēdi Spiritum S. scil. *spiratio*. tūc sic: ergo oportet dari nomina cōcreta, & abstracta, quibus significetur, tam vnitas personæ in Patre, quam pluralitas relationū virtualiter distinctarū in eodem. Siquidē oportet habere nomina, quantùm fieri possit, ad explicanda cuncta, quæ de Deo cognoscimus. 871

Prob. 3. nam Relationibus Paternitatis, & spirationis, correspondent ex opposito duæ relationes realiter distinctæ.

Dices 1. Contra hanc 3. rationem, quod sicut distinctio vtcumque relationum aliquarum, arguit distinctionem, vtcumque, relationum ex opposito eis correspondentium; ità distinctio realis inter processionem, & Filiationem arguet eandem distinctionem realem in relationibus Paternitatis, & filiationis ex opposito correspondentibus. 872

Instabis 1.

Resp. Esse disparem rationem: nā distinctio realis relationum in diuinis, sumitur ex oppositione reali earumdem inter se; non verò ex eo, quod eis correspondeant aliæ relationes realiter distinctæ, si quidem distinctio realis, & enticatiua earum non sumitur ex termino. Et propterea licet Paternitas, & spiratio actiua respiciant relationes realiter distinctas: non tamen idcirco colligitur, eas realiter inter se distingui: quia non habent inter se aliquā oppositionem. Cęterùm distinctio specifica, aut quasi specifica relationum sumitur ex terminis, seu ex correlatiuis, vt suprà qu. 18. dictum est. propterea ex distinctione terminorum nō sumitur distinctio realis, sed virtualis, & quasi specifica prædicatarum relationum.

Resp. distinctio realis in diuinis non sumitur ex correspondentia aliarum relationū; sed ex oppositione.

Dices 2. Vnum album habet v. g. vnicam tantùm relationem similitudinis in albedine: & nihilominùs prædictæ relationi correspondet ex aduerso tot relationes similitudinis in albedine, quot sunt alba, ex D. Thom. infra qu. 35. art 5. ergo licet ex aduerso dentur duæ relationes Filiationis, & spirationis passiuæ. non bene colligitur distinctio saltem virtualis inter Paternitatem, & spirationem actiuam, quibus correspondent. 873

2. Instabis.

Resp. neg. conseq. quia relationes ex opposito correspondentes sunt specie, seu quasi spec e distinctæ, ideo arguunt distinctionem saltem virtualem inter relationes, quibus correspondent. vt accidit in Paternitate, & spiratione actiua respectu filiationis, & processionis, quoties vero relationes ex opposito correspondentes sunt solū numero distinctæ, tunc nō infertur virtualis distinctio in relatione, cui correspondent, vt in albo relato ratione similitudinis ad plura alba relata contingit, Si quidem, vt suppono ex dictis in logica, relatio numerica similitudinis, non ex terminis, sed ex subiecto desumitur.

Resp. Relationes ex opposito correspondentes, esse quasi specie distinctas.

Dices 3. Idem Filius refertur per vnicam, & eandem relationem ad patrem, & matrem: & nihilominus prædictæ filiationi correspondent duæ relationes specie distinctæ nempe maternitas, & paternitas, ergo &c. Mi. prob. quia Pater, & mater concurrunt diuersimodè ad generationem, ille quidem per modum principij actiui: ista vero per modum principij passiui, vt docet D. Thom. 3. p. qu. 35 art. 5. ma. constat: nam sicut Filius est vnicus tantum Filius: ita vnica tantummodo relatione ad Patrem, & matrem refertur. 874

3. Instabis.

Resp. 1. neg. ma. absolutè loquendo: nam in Filio sunt duæ relationes specie distinctæ, si loquamur de eis formaliter in esse relationis; quàmuis materialiter, in *esse rei* sit vna relatio; quæ responsio forte probabilius videtur Thomistis ex D. Thom. 3. par. qu. 35. art. 5. & in hoc sensu supra qu. 28. nonnulla

Resp. 1. in Filio esse duas relationes quæ sūspecie distinctas.

nonnulla concessimus argumentandi gratia. Cæterum iuxtà legitimam, ac priorem D. Thom. mentem, & doctrinam.

... 2. vnicā ... formaliter ...tionē in Filio respectû matris, & Patris, quia sunt causæ incomplete.

Resp. 2. conced vnicam esse formaliter filiationem respectû matris, & Patris, & Ratio est; Quia licèt diuerso modo concurrat vterq; parens ad productionem filij. neuter tamen est causa completa, & per se sufficiens: sed concurrunt generationibus partialibus, intrinsecè ordinatis ad complendum vnicum totale principium filij. Cuius signum optimum est, quod homo vnica natiuitate nascitur ex patre, & matre: ergo non solùm ex parte filij, vnica tantùm est productio passiua, quæ est ratio fundandi relationem; sed etiam ex parte parentum, tantùm datur vnica completa ratio radicalis terminandi, coalescens, tanquam ex partibus heterogeneis, ex concursu actiuo Patris, & passiuo matris; ac proindè non dantur ibi duæ integræ rationes terminandi. quod necessarium erat, vt specificè multiplicaretur relatio. Et quo fit, neque solam paternitatis, neque solam maternitatis relationem per se constituere integrum correlatiuum filiationis: sed esse quasi partes diuersas vnius integri extremi: ac proinde ipsas inter se solùm distingui in esse termini specie incompleta, & quasi partialiter.

875

Relationes in diuinis ex opposito correspōdentes sunt quasi specie totaliter distinctæ, vt in Filiatione, & processione passiua.

Ex his ergo satis constat probabiliter solutio huius tertiæ obiectionis. Quoniam concessa maiori, & minori de correspondentia duplicis relationis, nempe paternitatis, ac maternitatis, quæ tantùm specie partiali sunt inter se distinctæ, & habent rationes fundandi eodem modo diuersas, quæque simul sumptæ constituant totale terminatiuum filiationis, neganda est consequentia, quoties relationes correspondentes ex aduerso sunt totales, & habent rationes, aut quasi rationes fundandi totaliter, & specie, aut quasi specie totali distinctas, vt in diuinis contingit in filiatione, & processione totaliter distinctis, & correspondētibus in Patre Paternitati, & spirationi actiuæ. Et ità D. Thom. optimè ex distinctione reali filiationis, & processionis intulit, Paternitatem, & spirationem esse virtualiter distinctas.

Explicatur hæc doctrina duplici exemplo: causarum totalium: & materiæ, & formæ.

Potestque hoc explicari duplici exemplo, nempè diuersarum causarum totalium, & efficientium, inter se subordinatarum, vt sunt homo, Sol, & Deus respectû productionis alicuius hominis, nec non materiæ, & formæ, ac totius ex illis compositi. Nam ex eo, quod causæ illæ efficientes concurrunt, ità vt quæuis ex illis sit totalis in suo ordine; idcircò quæuis refertur ordine totali ad hominem productum; licet relatio, quæ se tenet ex parte Dei non sit realis, sed rationis propter eminentiam diuini esse, quod non est realiter referibile, aut ordinabile ad aliquod creatum. Et similiter ex parte hominis correspondent illis tres relationes totales, & completæ, quæ specie etiam distinguuntur. Quia verò materiam, & forma solùm præstant concursum partialem in suo ordine, quia concurrunt per modum partium, si quæ est in illis, v. g. in materia relatio ad hominem, vel ad totum quod causant, talis relatio solùm distinguitur specie partiali a relatione illa, quæ est in forma, & ambæ relationes constituunt vnum integrum correlatiuum. Ità de matre, & patre proportionabiliter dicendum est respectû filij, ac de materia, & forma, respectû totius.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum sint quinque notiones.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio. Quinque sunt notiones in diuinis, scil. innascibilitas, Paternitas, Filiatio, communis spiratio, & processio. Prob. Nam cum personæ diuinæ multiplicētur secundùm originem, & ad originem spectet à quo alius, & qui ab alio: secundùm hæc duo cognoscendæ sunt personæ, & adinueniendæ sunt propriæ rationes, quibus singulæ cognoscantur. Persona igitur Patris potest dupliciter considerari vno modo inquantùm non est ab alio: & sic eius notio est innascibilitas, alio modo inquātùm alius est ab eo: & sic duobus modis alijs spectatur: vno, vt ab eo procedat filius: & sic innotescit paternitate, alio inquantum procedit Spiritus Sanctus, & sic innotescit spiratione. Filius etiam bifariam consideratur, scil. vt ipse est ab alio, idest à patre, & sic innotescit filiatione, & vt ab eo est alius, scil. Spiritus Sanctus; & quia in hoc conuenit cum Patre, innotescit etiam ipse spiratione. Spiritus Sanctus autem, quia ab eo nulla procedit persona, ideò tantùm vno modo est considerabilis in proposito scil. pro vt ipse est ab alio: & sic innotescit processione; ergo.

Arg. 1. Quot sunt relationes in diuinis, tot sunt notiones, quia propriæ notiones personarum sunt relationes quibus distinguuntur. Sed quatuor tantùm sunt relationes, vt dictum est; ergo. Resp. neg. ma. & ad prob. quod omnis relatio est notio, non autem omnis notio est relatio: nam innascibilitas est notio, & non est relatio.

Arg. 2. Propter essentiæ vnitatem Deus dicitur vnus; & propter vnitatem personārum dicitur quinus; ergo si quinque erunt notiones diceretur primus. Resp. neg. conseq. quia essentia, & personæ significant, vt res quædam; ideò propter vnitatem essentiæ Deus dicitur vnus, & propter Trinitatē personarum trinus; Notiones verò non vt res quædam, sed vt rationes quædā cognoscendi significant; propterea licèt ipsæ sint quinque, Deus non dicitur quinus.

Arg. 3. Notiones in eadem persona existentes non possunt distingui realiter, quia tunc talis persona esset realiter composita, neque ratione. quia vna tunc posset de altera prædicari. vndè possumus dicere, quod Paternitas sit innascibilitas, sicut dicimus quod bonitas est sapientia, hæc autem est falsum. Resp. neg. seq. quo ad 2. partem distinguuntur enim ratione; & quando nominantur nominibus significātibus tantùm realitatem ipsarum; tunc vna potest de altera prædicari, sicut dicimus de attributis, sapientia est bonitas; quando verò nominantur nominibus significātibus distinctionem ipsarum, tunc non potest vna de altera prædicari, non enim dicimus, quòd attributum sapientiæ sit attributum bonitatis. Et quia nomina, quibus nominantur illæ plures notiones, quæ sunt in Patre, significant non solùm realitatem illarum, sed diuersitatem, quam habent ab inuicem significantur enim vt diuersæ notiones personarum, ideò non potest vna de altera prædicari.

Arg. 4. Quia Pater à nullo est, secundùm hoc accipitur notio, quæ dicitur innascibilitas: ità à Spiritu Sancto non est alia persona, & secundùm hoc oportebit accipere sex notiones. Resp. neg. seq. nam non esse ab alio importat dignitatem, & authoritatē; ideò secundùm hoc desumitur notio innascibilitatis in Patre. Quod autē ab aliquo nullus sit, non spectat ad dignitatē: ideò &c.

Arg. 5.

Arg. 5. sicut Patri, & filio commune est, vt ab eis procedat Spiritus Sanctus; ità commune est filio, ac Spiritui Sancto, quod procedant à Patre. ergo. Resp. neg. conseq. Nam Pater, & filius cōueniunt in vno speciali modo producendi Spiritum Sanctum. s. inspiratione. filius autem, & Spiritus Sanctus procedunt diuerso modo à Patre. Et quia, quod est principium innotescendi, debet esse aliquod speciale; ideò à prima, & non à secunda conuenientia desumitur notio.

DISPVTATIO CLXXXIII.

Vtrum sint quinque notiones in diuinis.

876 Concl. affirm. Prob. quia quinque sunt rationes cognoscendi distinctas personas.

Respondet D. Thom. notiones in diuinis esse quinque, cùm enim notio sit aliqua ratio, qua vna persona innotescit, vt distincta ab alia, atque adeò quæ sit propria ratio cognoscendi diuinas personas, vt inter se distinctas. Pater innotescere primò potest per hoc, quòd sit Persona *improducibilis, vndè innascibilitas, seu improducibilitas est notio* Personæ Patris; *& sic Persona diuina improducibilis non est, nisi Pater. Secundò potest considerari Pater, vt refertur ad Filium. & sic innotescit per Paternitatem, quatenus verò refertur ad* Spiritum Sanctum *innotescit per relationem spirationis actiuæ communem sibi, &* Filio.

Spiratio actiua est notio communis Patris, & Filij.

Vndè hæc non est propria notio Patris, *sed communis ipsi, & Filio, Filius autem vt refertur ad Patrem, innotescit per relationē filiationis: vt verò refertur ad Spiritū S. innotescit per relationē spirationis actiuæ: Spiritus verò S. innotescit per relationē spirationis, seu processionis passiuæ. Vndè concluditur, quinq; esse notiones in diuinis, improducibilitatem, paternitatem, Filiationem, Relationem spirationis actiuæ, & passiuæ.*

Innascibilitas non est per se Relatio: nec spiratio actiua per se proprietas.

Ex quibus quatuor sunt relationes reales. Prima enim non est per se relatio, sed solùm identicè, & itaut sic non constituit personam, sed solùm notificat, est tamen proprietas Personæ, *licèt non personalis; spiratio item actiua, licèt sit relatio, non tamen est proprietas* Personæ, *sed Personarum, nempè Patris, & Filij, & consequenter neque est proprietas personalis: quarè tres tantùm sunt notiones personales. Paternitas, Filiatio, &* Processio *passiua, prout dicit relationem.*

877 Deus quare dicitur Trinus, & nō quinus? quia notiones non sunt res.

In responsionibus verò ad argumenta aduertit D. Thom. ad 2. cur propter quinque notiones non dicatur Deus quinus, sicuti propter illas tres dicitur Trinus: & responsio est, rationem esse, quia essentia diuina, & personæ significantur, vt res quadam, & ita rectè dicitur Deus vnus essentia, & Trinus Personis; & notiones significantur, vt rationes notificantes has personas, per quas non notificantur quinque, sed tres personę: quia vt docet ad 3. aliqua coincidunt in eandem personam, ex qua distinctione possunt facilè intelligi, quæ supra art. 2. ad 2. docet D. Th.

Improducibilitas in Spiritu S. nō pertinet ad dignitatem personæ.

Ad 4. notat D. Thom. quòd licèt sicut Pater est improductus, ita Spiritus S. sit improducens, tamen non sit notio Spiritus S. improductiuitas actiua, sicuti improducibilitas est notio Patris; *& rationem affert, quia hæ notiones debent pertinere ad dignitatem personæ, idest debent aliqua peculiari ratione notificare dignitatem personæ: at verò ad auctoritatem* Patris *pertinet, quòd sit* Persona *improducta, & non ab alio. Quod autem Spiritus S. sit persona improducens, non explicat ex se aliquid, quod pertineat ad dignitatem Spiritus Sancti, non quidem, quòd dicat indignitatem aliquam, quia in diuinis eadē dignitas est producere, & produci propter identitatem naturæ; sed quia non explicat ex se dignitatem aliquam, & propter eandem causam esse ingenitorem non est notio Filij, & Spiritus S. sicuti est notio Patris esse Patrem, seu Genitorem.*

878 Instabis.

Resp. esse per circuminsessionem vnam dignitatem in personis.

Vrgebis; ergo aliqua dignitas est in Patre, & illi attribuitur, nempe esse improducibile, quæ non est in alijs Personis. *Respondendum est, vt supra, quæ nullo modo sit, nego; est enim per circuminsessionem, qui modus essendi vnius personæ in alia sufficit ad tollendam omnē prorsus inæqualitatem imaginabilem inter personas diuinas, cùm tantæ prorsus dignitatis, & perfectionis sit esse vnam Personam in alia, & consequenter omnes eius perfectiones in alia, quam eandem Personam esse in seipsa propter identitatem vnius naturæ infinitæ.*

Esse ingenitū in Spiritu Sancto non est notio, quia eo nō connotat peculiari modo dignitatem.

Propter eandem causam dici debet, quod esse ingenitum non est notio Spiritus Sancti, aut communis illi cū Patre, quia dicit negationem non connotantem ex se formaliter peculiari aliquo modo dignitatem harum Personarum, sicuti non esse spiratum, aut inspirabile non est notio Filij, & Patris. At verò esse improductum, necessarium fuit ponere inter notiones Personarum; nam sola Paternitas notificat quidem Patrem in ordine ad Filium, sed non explicat, an Pater sit prima Persona, an habeat aliam, à qua producatur, & ita illud explicat peculiari modo dignitatem, & auctoritatem Patris, licèt formaliter significetur per modum negationis. Vndè demum colligitur, quòd non omnis negatio, per quam possumus explicare, & significare vnam personam, vel plures, vt distinctas ab alia, debet dici notio propriè dicta, sed ad summum impropriè.

879 Cur in Spiritu S. & Filio nō sit vna notio communis producibilitatis?

Ad 2. notat D. Th. cur Pater, & Filius habeant communem notionem, qua referantur ad Spiritum S. nempe spirationis actiuæ. At verò Filius, & Spiritus S. non habeant communem notionem producibilitatis passiuæ in ordine ad Patrem: neque enim in hoc videmur posse confugere ad superiorem doctrinam, cùm relatio producibilis in diuinis pertineat ad dignitatem Personę, imò sit ipsa proprietas personalis. Propter hoc alio modo respondet D. Th. scil. rationem huius rei esse, quia producibilitas communis Filio, & Spiritui S. non est aliqua relatio, aut ratio singularis in vtrisque, sicuti relatio spirationis actiuæ, est ratio singularis in Patre, & Filio, sed est quoddam abstractum à duabus relationibus realiter distinctis, nempe à relatione Filiationis, & spirationis passiuæ. Nam in Filio, & Spiritu S. non est vnus singularis modus producendi à Patre, sicuti est vnus singularis modus in Patre, & Filio producendi Spiritum S. & propterea illa producibilitas posset dici abstractum duarum notionum Filij, & Spiritus S. non autem aliqua notio singularis, & eodem modo esse producticiuum in genere nō est notio communis Patri, & Filio, sed abstractū duarū rationum, quę sunt in Patre, & Filio.

880 Satisfit. quia producibilitas communis Patri, & filio non est aliqua relatio.

Vere Notiones recensentur.

Ex quibus demùm sequitur, has esse veras, & proprias notiones tantùm, nempe vt esse improducibilem, & esse Patrem, seu Genitorem, sit notio Patris, esse Filium, seu Genitum sit notio Filij, esse spiratum, seu procedentem sit notio Spiritus S. esse verò spiratorem, sit notio communis Patri, & Filio, ex quibus multa similia colligi possunt, vt constabit etiam ex dicendis.

Arg. ergo, primò. Actus notionales notificant Personas, nam generare notificat Patrem, & generari Filiū, & spirari Spiritū S. ergo hi actus erunt etiā notiones. 881 1. Obiectio.

Resp. Notiones significant per modū formę, non per modum operationis.

Resp. neg. Conseq. per notiones intelligunt Theologi aliquas rationes, quę significate per modum formę, notificant Personas, non autem per modum operationis, & viæ. Ista enim operationes proprio vocabulo dicuntur actus notionales, intantum enim notificant, in quantū connotant relationes personales, sine qua connotatione non essent notionales, v. g. intelligere in Deo intantùm est dicere, & generare, inquantum connotat Paternitatem, quæ est notio Patris, & sic de alijs; quarè hi actus notionales in ratione notificandi reduci possunt ad prędictas notiones.

Arg. 2. Esse ingenitum, seu innascibile, conuenit etiam Spiritui S. ergo non est notio Patris. 882 2. Obiectio.

Resp. innascibilitatē in hac materia accipi pro improducibilitate.

Resp. ex D. Th. q. seq. art. 4. innascibilitatem, seu esse ingenitum in hac materia accipi pro improducibilitate, & ita est propria notio Patris; imo addi debet, quòd innascibilitas significat etiam incommunicabilitatem per realem productionem, itaut non solùm significet esse improducibile, sed etiam incommunicabile; & ita non conuenit naturæ diuinæ, quę licèt non producatur, tamen communicatur per veram productionem Personarum, & hoc pacto innascibilitas est notio solius Patris in diuinis.

Arg. vlt. Qualibet persona diuina est Deus, ergo quælibet est à se, & sic qualibet est improducibilis. 883 3. Obiectio.

Resp. esse à se dupliciter accipitur.

Resp. vt etiam constare potest ex dictis supra, quòd esse à se dupliciter accipi potest. Primò prout significat non esse ab alio, vt à causa, vel principio extraneo suæ naturæ, quo pacto nulla creatura est à se, & omnis Persona diuina, & Deus ipse essentialiter est à se. Secundò, prout significat non esse ab alia Persona in eadē natura indiuidua existente, & sic esse à se, seu esse improducibile, & improductum est notio solius Patris.

DVBIVM VNICVM.

An sint tantùm quinque notiones in diuinis.

884 *Petes 1. Resp. affirm. quia Notio spectat ad ordinē originis, quo vna persona ab alia distinguitur.*

PEtes 1. *An Notiones sint quinque in diuinis.* Resp. affirmatiuè ita D.Th. hic. Prob. Notiones in diuinis pertinent ad ordinem originis personarū. ergo sunt quinque notiones. Anteced. patet ex dictis dubio præced. art. Nam cum Notio sit ratio propria cognoscendi diuinam personam, erit vtique ratio propria illius, per quam ipsa ab alia, vel alijs personis distinguitur. Constat autem, quod ratio distinguendi personas ad inuicem, ad ordinem originis spectat; siquidem nonnisi medijs his ordinibus distinguuntur. conseq. vero probatur. Quia in diuinis sunt tantùm duæ processiones positiuæ vna per intellectum, quæ est generatio; alia per voluntatem quæ est spiratio amoris, oportet, vt in vnaquaque ex ipsis quasi fundentur duo ordines positiui originis. In prima quidem, quę est generatio, vnus ordo originis eius, in quo est alius per generationem, qui vocatur *Paternitas*, & est propria notio Patris. Secundus vero eius, qui est à Patre per generationem, nempe *Filiatio*, quæ est notio Filij.

885 *In secunda processione per voluntatem est duplex ordo, & eius, à quo est alius: & eius, qui est ab alio*

In secunda vero processione primus ordo est eius, à quo est alius per spirationem, qui ordo est *Spiratio actiua*; & est propria notio Patris, & filij, ex eo quod vterque est vnicum principium spirandi Spiritum Sanctum, vt infra: Secundus autem ordo eius, qui est ab alio per spirationem, qui ordo est Spiratio passiua, qui nuncupatur communi nomine *Processionis*, & est propria notio Spiritus S. Cumque vltra hunc modum pertinendi positiue ad ordinem originis, ex eo nimirum, quod aliquis procedat ab alio positiue; detur alius modus pertinendi ad ordinem originis negatiue, quatenus aliquis nullo modo procedat ab alio; & in vniuersum quæuis carentiæ reducuntur ad suum positiuum, ac proinde omnimoda carentia processionis, & ordinis originis ab alio reducitur hoc modo ad suum positiuum s. ad ordinem originis, inde est, vt detur in diuinis quinta notio, ad ordinem originis hoc modo pertinens, nempe *innascibilitas*, prout dicit prædictam carentiam, quæ est propria notio Patris.

806 Petes 2.

Resp. affirm. quia ordo originis affirmatiuè innotescit per quatuor notiones, negatiuè verò per vnam. Et sic erunt quinque.

Petes 2. *An sint tantùm quinque notiones in diuinis.*

Resp. affirm. Prob. vt præced. quæsito dictum est, Personę diuinæ distinguuntur, & multiplicantur secundùm originem, & processionem vnius ex alio: Ad processionem autem, & origine duo pertinent; alterum ex parte principij à quo est alius, alterum ex parte termini, qui ab alio. & vtrumque potest innotescere, vel affirmatiuè, vel negatiue, vt dictum est.

Si affirmatiuè erunt duę tantùm processiones, per intellectum, scilicet, & voluntatem, ac proindè duplex principium, & duplex terminus, & sic fiunt quatuor notæ: vt tetigimus num præced. Si autem ea, quæ ad originem spectant sumantur negatiue; tres negationes inuenire possumus, ad processionem in diuinis pertinentes. Prima est negatio principij, scilicet, quod aliqua persona sit nihil producens. sicut Spiritus S. Secunda est procedendi, scilicet, quod aliqua persona sit non procedens: & hoc dupliciter cōtingere potest: vel quia simpliciter non procedit nullo modo, vt Pater; vel quia non procedit tali speciali modo, sicut filius non procedit spiratiue, & sic est non spiratus, & inspirabilitas illi conuenit, quæ Patri etiam à fortiori competit. Sunt enim Pater, & Filius spirator, non spirati: & ingenerari conuenit Spiritui S & à fortiori Patri, nam Pater, & Spiritus S. non generantur.

887 *Primam, nō esse producentē non pertinet ad notionem, non tamen exprimit aliquid pertinens ad dignitatem.*

Prima negatio. scilicet non esse producentē personam, non pertinet ad notionem, quia ex vna parte illa negatio solùm declarat formaliter quid non sit, non vero quid sit: virtualiter tamen, & per circumlocutionem non exprimit aliquid notabile, & ad dignitatem pertinens, quia non producere, vt sic, nihil affert specialis dignitatis. Vt autem sit Notio debet, vel formaliter, vel implicitè, vel virtualiter explicare quid aliquid sit, non vero tantùm quid non sit: ideo enim nomina infinita à ratione nominis excluduntur: quia non sunt nota rei, nec enim designant, aut notant aliquid in re, sed solùm, quid non sit res; eodem prorsus modo negatio producendi, non absolutè, & simpliciter, sed non producendi isto modò, scilicet generatiue, sicut Filius non generat; licet alio modo producat scilicet spiratiuè; nihil dignitatis, vel authoritatis ex hac præcisa ratione explicat.

Non procedendi ab alio spiratiuè non dicit peculiarem dignitatem.

Tertia negatio, scilicet non procedendi ab alio non simpliciter, sed tali speciali modo, nempe non spiratiuè, non dicit aliquam peculiarem dignitatem, quia formaliter solùm explicat, quid non sit illa persona, scilicet non spirata; virtualiter tamen, aut per circumloquutionem non explicatur aliquid dignitatis specialis, quia supposito, quod illa persona procedit, æque dignum est non procedere per voluntatem, ac per intellectum procedere.

888 *Innascibilitas propria est Notio, quia dicit magnam dignitatē, & authoritatem principij per modum Fontis omnium diuinarum processionum.*

Secunda denique negatio, scilicet nullo modo procedere; Est notio propria Patris, & nomine *ingeniti, seu innascibilis* designata; quia licet de formali, quid non sit Pater, solùm explicet, iuxta quod dicit August. S. de Trin. cap. 3. *Cum ingenitus dicitur Pater, non quid sit, sed quod non sit dicitur:* nihilominùs per hanc negationem magnam circumloquimur dignitatem, authoritatemque principij, per modum capitis, & Fontis omnium diuinarum processionum nullā aliam habētis originē ab alio; siquidè quod est caput, & quasi primum in aliquo ordine, negationē emanandi ab alio debet habere; & talis negatio magnam circumloquitur dignitatem; sicut infinitū, increatum, ineffabile, licet negatiuè explicentur, per illas tamen magnam circumloquimur perfectionē. hæc autem dignitas non est in Filio, eo modo, quo est in Patre; sed alio modo nempè per modū *Genitì*, & exprimentis totum, quod est in Patre. ità colligit has notiones D. Thom. 1. sent. dist. 26 ac proinde tantùm quinque sunt notiones: vna videlicet negatiua, & propria Patris, non tamen personalis scil. *innascibilitas:* Quatuor positiuè, nempe Paternitas, quę etiam est propria Patris, & personalis: *Filiatio* propria Filij, & personalis: *Spiratio Actiua* non propria, sed communis Patri, & Filio, & non personalis: *Spiratio* tandem *passiua* propria tertiæ personæ, & personalis: siquidem per onam constituit.

889 *Confirm. ex D. Th. qui docet, tria requiri adhoc, vt aliquid dicatur Notio: primò, quòd ad originem spectat. 2. ad dignitatem 3. quod dicat aliquid personam personæ.*

Desumitur hic discursus ex Angelico Doctorę in .1. dist. 26. qu. 2 art 3. vbi eleganter, & dilucidè hæc habet: *Harum autem notionum quinque sufficientia sic patet. Ad hoc, vt quod aliquid dicatur notio personæ tria requiruntur. Primò, quòd ad originem pertineat quia relationibus originis personæ distinguuntur; secundò, quod pertineat ad dignitatem; quia persona est hypostasis distincta proprietate ad dignitatem pertinente. Tertiò, quod dicat aliquòd speciale. quia commune non est principium innotescendi. Dico igitur, quòd pertinens ad originem potest significare, vel affirmatiuè, vel negatiuè. Si affirmatiuè, vel dicitur secundùm rationem principij, vt à quo alius; vel secundùm rationem eius, quod est à principio, vt qui ab alio. Vtrumque istorum dicit originem in communi: vnde neutrum potest esse notio: Oportet ergo, quod determinetur secundùm specialem modum originis, qui non est nisi dupliciter, vt supra probatum est, scilicèt per modum naturæ, & per modum amoris; & secundùm vtrumque habemus duas relationes, vnam, quæ designat rationem principij; & alteram,*

quæ

quæ designat rationem eius, quod est à principio: & sic sunt quatuor notiones .s. Paternitas, & filiatio quantùm ad modum originis naturæ; processio, & cõmunis spiratio quantùm ad modum originis amoris. Si significatur negatiuè, vel negatur ratio principij, vel ratio eius, quod est à principio? Si negatur ratio principij, non est ad dignitatem pertinens: & ideò non potest esse notio Spiritus S., nec esse principium alicuius personæ diuinæ. Si negatur ratio eius, quod est à principio, aut in speciali, aut in generali? Si in speciali, non potest esse notio; quia quantò affirmatio est magis specialis, tantò notio opposita est magis communis: sicut non homo est magis commune, quàm non animal; quia omne non animal est non homo; sed non conuertitur; Si in generali, sic erit negatio specialis, & ad dignitatē pertinens, vndè faciet notionem Patris, quæ est innascibilitas, quia significat non esse ab alio secundùm quod est proprietas Patris.

890 *Petes 3.*

Petes. 3. *Cur Potentia generatiua, & spiratiua: itē processiones actiuæ, & passiuæ personarum non sint Notiones in Deo.*

Resp. Notionē in recto dicere aliquam rationem propriam personæ diuinę per quam notificetur.

Resp. hoc esse; quia vt supra a. 2. huius q. diximus: *Notio* debet in recto dicere aliquam rationem propriam personæ diuinæ, per quam ipsa notificetur; prædictæ autem potentię in recto dicunt aliquid essentiale, & commune omnibus personis: vnde potētia generatiua dicit in recto naturam diuinam: potentia verò spiratiua proxima voluntatem; & solùm in obliquo dicunt relationes originis, propterea non sunt Notiones diuinæ: item, si loquamur de Processionibus actiuè sumptis, dicunt in recto aliquid essentiale, & hoc nulla ratione, neque virtualiter distinguitur ab eo, quod prædictæ potentiæ generatiua, & spiratiua dicunt, propter summam eius puritatem, propter quam pertingunt ad hoc, vt sint ipsa actualis *generatio*, & ipsum *spirare*. Si verò loquamur de processionibus passiuè sumptis, tunc licèt sit satis probabile, quòd dicāt in recto aliquid propriū; itaut generatio passiua dicat in recto filiationē; & spiratio passiua relationem processionis nihilominùs quia ratione huius, quod in recto dicunt, non dicūt aliquam rationē propriam præter eam, quam dicunt relatio filiationis, & spirationis passiuæ; idcircò non constituunt speciales notiones, neque aliter notificant personas, quàm prædictæ relationes.

891 *In Filiatione, & Spiratione passiua, esse rationes referēdi, & procedendi, nō sunt duæ rationes virtualiter distinctæ.*

Maximè, quia in Filiatione, & spiratione passiua, hoc quod est esse rationes referendi, & esse rationes passiuè procedendi, non sunt duæ rationes virtualiter distinctæ, & ideò non constituunt speciales notiones. Sicut propter eandem rationem Paternitas, licèt dicat plura munera inadæquata, ex parte solius modi concipiendi distincta, vt esse rationem præcisè referendi Patrem ad filium; esse constitutiuam personæ diuinæ ad instar nostrarum personalitatum; & esse veluti fundamentū spirationis actiuæ, vt aliqui dicunt: nihilominùs non ideò constituit plures notiones. Adde, quòd ad rationem notionis desideratur, quod significetur per modum formæ *in facto esse*: non verò per modum *viæ*, & veluti *in fieri*. Quia cùm notiones sint rationes præcognoscendi diuinas personas, & persona significetur quasi forma *in facto esse*; oportet, vt ipsæ notiones sic significentur; siquidem propriæ rationes cognuscendi formam perfectā, & in facto esse debet eidem proportionari. Quarè cum processiones non significentur nisi in fieri, propterea non sunt propriè notiones secundùm hunc formalissimum conceptum.

892 *Petes 4.*

Petes. 4. *An ratio imaginis in Filio, ratio doni in Spiritu Sancto; ratio causalitatis, & eminentia in Patre, sint aliæ speciales notionales.*

Resp. relatio imaginis, & verbi, virtualiter non est distincta:

Resp. neg. & in primis relatio imaginis, & verbi non est distincta adhuc virtualiter à relatione filiationis, vt patet ex dictis to. 1. q. 14. art. 4. & supra q. 27. a. 2. & infra qu. 34. a. 2. ideoq; non constituit specialem notionem. Sicut etiam ratio amoris, & doni in Spiritu S. illam non constituit: quia relatio importata ab Amore, & dono notionali conueniente Spiritui Sancto, non distinguitur adhùc virtualiter, à relatione processionis passiuæ. Adde, quod si ratio verbi, aut imaginis est aliquo modo distincta à ratione filiationis, vel quia dicunt quid cõmune Filio & alijs, vel quia dicunt aliquid speciale repertum in Filio, vt aliqua relationem rationis ad creaturas; tunc neque ob hanc rationem dabitur aliqua notio in Filio, quia ratio communis communitate rationis, siuè formaliter, siuè fundamentaliter sumpta conuenit Filio ratione essentiæ; non verò ratione filiationis, aut alicuius alterius proprietatis relatiuæ, & ita esset communis toti Trinitati: ac proinde non esset peculiaris notio. Ratio verò eminentiæ, aut causalitatis repertę in Patre conuenit etiam ei ratione essentiæ: & idcircò est aliquid commune; non verò aliquid proprium.

Adde, quòd si esset distincta, esset ratio communis communitate rationis, cõueniens filio ratione essentiæ.

893 *Petes 5.*

Petes. 5. *An carentia præsupponendi in Filio aliā personam ante ipsum procedentem, sit notio: sicut carentia procedendi ab omni alio in Patre est notio?*

Resp. neg quia prædicta negatio conuenit etiam Patri, & non est in eo notio specialis.

Resp. neg. tùm quia, prædicta negatio conuenit etiam Patri, & in eo idē est, ac innascibilitas; ac proinde neque est notio specialis in Patre, neque est notio solius filij, imò neque est notio communis vtrique: quoniam adhoc desiderabatur, quod esset distincta virtualiter ab innascibilitate, & Paternitate: deindè addimus, prædictam negationem non significare ex se dignitatem personalem, sed quantum est ex se, & ex ijs, quę in recto dicit, conuenit cuiuis supposito, & nō solùm supposito intellectuali: quia cõuenit etiam omni creaturæ, procedenti à Deo si ipsa secundum id, quod petit in ratione procedentis, & effectus, consideretur. Et Ratio est, quia, etsi creaturæ procedant à tota Trinitate, ac proinde pręsupponant personas diuinas procedentes; id tamen non petunt ex parte sua; sed solùm id contingit ex eo, quod aliàs Deus est Trinus, & vnus, & ex parte Trinitatis petitur, vt opera ipsius ad extra sint indiuisa. Et ideò si per impossibile Deus non esset Trinus, sed vnus, tunc produceretur homo v. g. cum omnibus pręd icatis essentialibus, & proprijs illius non minùs, quam nunc.

894 *Petes 6.*

Petes. 6. *An nō esse spiratū, vt cõnotat principiū, quod alicuius personæ ad intra erit specialis notio respectù Patris, & filij:* sicut innascibilitas respectu Patris.

Resp. neg quia esse non spiratum, non notificat Patrem, & filiū aliqua speciali ratione.

Resp. neg. & Ratio est, quia esse *non spiratum* non notificat Patrem, & filium aliqua speciali ratione, secundùm quam non notificentur per spirationē actiuam. Nam cùm hoc, quod est *esse* spiratum, relatiuè opponatur spiranti: & quæuis ratio tribuens alicui seipsam, tribuat etiam eidem, quod ratione illius non sit etiam suum oppositum, sed potiùs ab illo distinguatur, eique opponatur: oportet, quod spiratio actiua tribuat Patri, ac filio per modum quasi effectus secundarij, quòd *non sint spirati*; ex eo, quod termino spirato relatiuè opponuntur, ab eoque distinguuntur. Et propterea hoc ipso, quòd per spirationem notificentur, vt spirantes, & distincti, ac oppositi termino spriato, notificantur etiam, vt non spirati: ex eo, quod omnis res opposita, & distincta ab alia, & notificata, vt talis; notificatur, vt afferens negationem essendi rem illam, à qua distinguitur, & cum qua opponitur.

895 *Non esse spiratum est ratio specialis notionis Patris, sicut non esse genitum.*

Adde ex Angelico Doctore 1. distinct. 28. quæst. 1. artic. 1. ad 4. quòd *non esse spiratum*, sicut, & non esse genitum, est veluti ratio specialis notionis Patris, dicitur innascibilitas; quia hæc dicit carentiam omnis processionis, & in hoc includitur carentia procedeudi per generationem, aut spirationem. Vnde, sicut Paternitas, vt est ratio constituendi Personam ad instar nostrarum personalitatum, & vt est ratio referendi, & vt est ratio veluti sustinendi in se spirationem actiuam, non constituit secundùm hæc specialia munera speciales notiones, quia sunt veluti partes integræ notionis Paternitatis: ita in præsenti proportione seruata, philosophandum est. Et ideo nec in Filio solummodo potest prędicta carentia esse specialis notio: quia adhoc desiderabatur, vt esset propria ratio illius, & non alterius.

896 *Ratio disparitatis inter innascibilitatē, & inspirabilitatem, hæc est, siquidem in Patre innascibilitas negat vniuersalissimè rationem omnem procedendi.*

Ratio verò disparitatis inter innascibilitatem, & inseparabilitatem, hæc est; vt fusiùs constabit quæsito sequenti: Siquidem apud nos, Pater omnis est genitus, siuè propriè, vt quilibet homo præter Adam; siuè minùs propriè, prout scil. genitum idē est, ac productum, siue causatum, vt Adam, quem Deus creatione produxit. Nullus est igitur in humana natura, aut quouis alio viuentium genere, qui simpliciter, idest omnibus modis possit appellari innascibilis: vndè in Patre innascibilitas negat vniuersalissimam, & vniuersaliorem rationem procedēdi: s. non esse ab alio omnibus modis, quod soli Patri conuenit: at verò inspirabilitas in Filio, stat cum generatione filij; Nam hoc ipso, quòd filius est procedens per intellectum, vt Verbum, & non per voluntatem, vt amor, eo ipso inspirabilis est: & vt talis à nobis intelligitur: sicuti eodem modo innascibilitas stat cum spiratione passiua, nam Spiritus S. ex hoc ipso, quod per actum voluntatis procedit, vt amor, & impulsus, non procedit; vt similis, nec vt genitus: ac proindè inspirabilitas in filio, & innascibilitas in Spiritu Sancto, non negant vniuersaliorem processionem ab alio; seu aliquem modum essendi ab alio, vnde non pertinent ad dignitatem propriā personæ: sicuti innascibilitas: propterea neque inspirabilitas, est notio respectù filij, vel Patris; neque innascibilitas respectù Spiritus Sancti.

897 *Petes 7.*

Petes. 7. *Quomodo Innascibilitas, cum sit quædam negatio, propriè dicatur Notio.*

Resp. Prænotādo. Primò, si Negatio dicat aliquas conditiones dignitatis, poterit esse Notio.

Resp. quod quamuis ex dictis satis liqueat, cur, & quomodo Innascibilitas sit Notio. nihilominùs ad vberiorem doctrinam. Notandum est. Primo, quòd licet Notio significat rationem ad dignitatem pertinentem; & negatio per se nullam afferat dignitatem; nihilominùs si talis fuerit negatio, quę respectù personæ cui conueniat, aliquas designet conditiones ad dignitatem spectantes, & sit nobis ratio diuinam aliquam cognoscendi personā, prout ab alijs est distincta; meritò inter cæteras erit numeranda notiones: inter negationes autem diuersis personis conuenientes, sola est innascibilitas, cui prædicta conueniunt, vt ex dictis constat, & mox constabit.

898 *2 Nota. quinq; modis dici Nomen ingeniti. 1. idem, ac increatum. 2. ac non genitum 3. priuatiuè. 4. priuatiuè in ratione principij.*

Secundo sciendum est, innascibilitatem, quæ ponitur propria notio Patris, idem esse, quòd ingenitū, quod est proprium Patris ex D. Th. quæst 33. art. vlt. Nomen autem ingeniti quinque modis accipi potest in diuinis. Primò, vt idem est, quod increatum; & ita nomen est essentiale, tribus commune personis. Secundò sumitur ingenitum, pro vt idem est, quod non genitum, siuè non filius; & sic sumitur negatiuè, vt negat generationem passiuam propriè sumptam, & sic conuenit Patri, Spiritui Sancto, & Essentiæ. Tertiò sumitur ingenitum priuatiuè; vt scil. importat negationem generationis propriè sumptæ in genere diuini suppositi, quatenus aliquod suppositum non est genitum; sicut talpa dicitur cæca, quia quędam animalia eiusdem generis nata sunt videre, quamuis ipsa visu careat; & hoc modo conuenit Patri, & Spiritui Sancto esse ingenitum, non autem essentiæ, quia ipsa non est suppositum. Quartò sumitur nomen ingeniti priuatiuè in genere principij personaliter dicti, & ita conuenit soli Patri. Nam Spiritus Sanctus etsi non sit genitus, non tamen est principium personaliter dictum; cum nulla sit ab eo persona.

5. sumitur ingenitum, vt negat omnem modum originis.

Denique, sumi potest ingenitum latiùs, vt negat omnem modum originis, vt idem sit ingenitum, quod non ab alio, siue per generationem, siuè per spirationem, & in hoc sensu proprium est Patris. Sic enim inquit S. Th. q. seq. art. 4 ad 2. *Nec conuenit Spiritui Sancto, qui est ab alio, vt persona subsistens: nec etiam diuinæ essentiæ concretè, vel abstractè sumptæ, quam affirmare possumus esse in Filio, & Spiritu S. ab alio, scil. à Patre communicatam.*

899 *1. Corrollariū Nomen ingenitū nihil significare formaliter positiuum,*

Ex dictis sequitur Primò, nomen innascibilitatis, aut ingeniti nihil ponere, aut significare formaliter, aut materialiter positiuum, quod sit de proprio eius intellectu, licet aliquid ponat, aut connotet, vt ei præsuppositum, scil. paternitatem in obliquo. Vnde S. Doct. 1. dist. 28. q. 1. art. 1. ad 1. hæc habet: *Aliquid dictio dicitur ponere dupliciter aliquid: vel ita, vt illud, quod ponit sit de intellectu eius sicut aliquid essentiæ ipsius, vt homo ponit animal; vel quia præsupponit illud, in quo fundatur, quamuis non sit de essentia eius; sicut omne accidens ponit substantiam: dico ergo, quod hoc nomen ingenitus non ponit aliquid, quod constituat intellectum ipsius: quia hoc non posset esse, nisi aliquā rationem principij poneret, vel in communi, vel in speciali; quia nihil aliud notionale potest Patri conuenire: & quocumque modo dicatur non ponit in numerū innascibilitas eu Paternitate: quia commune non ponit in numero cum proprio, sed tantùm ponit aliquid, quod præsupponit, in quo fundatur. Sed quamuis nihil ponat, quod sit de intellectu eius, non tamen sequitur, quin possit esse notio: quia illud, cuius ratio consistit in remotione, optimè per negationem certificatur; sicut centrum; & huiusmodi est ratio primi, vel eius, quod est non de principio esse; quia principium est ante, quod nihil est.* quid fide eius propria rat. sene.

900 *2. Corollarium. Negatio, per ly ingenitum, significata, fūdatur in ratione principij.*

Secundò sequitur, negationem, seu priuationem vocabulo ingeniti, aut innascibilitatis significatam, fundari in ratione principij, secundùm, quod est notio Patris; hæc vero est Paternitas, & vniuersalis authoritas, seu fontanalis plenitudo, quę, quoniam ad dignitatem pertinet, & optimè notificatur negatione formaliter significata, per hanc vocem *innascibilitas*; idcirco dicitur etiam innascibilitas Patris ad eius dignitatem pertinere, & eiusdem asseritur notio: de cuius ratione non est, vt dignitatem significet positiuè, sed satis est, vt eam expresse quouis modo significet: Vnde D. Thom. loco mox citato hęc habet: ad 2. *Dicendum, quòd ingenitus non importat negationem absolutam; sed aliquo modo priuationem. Omnis enim negatio, quæ est in aliquo subiecto determinato, potest dici priuatio. Vnde in 8. metaph. dicitur, quòd priuatio est negatio in subiecto, vel in substātia. Vnde dico, quod hæc negatio, quam importat ingenitus intelligitur, vt fundata in ratione principij, secundùm quod est notio Patris; & hoc modo non conuenit neque essentiæ, neque Spiritui Sancto; quibus non competit per originem esse principium alicuius diuinæ personæ: neque iterum filio, cui conuenit affirmatio opposita, sed ex hoc non sequitur, quod in Patre sit aliqua imperfectio. Quamuis enim priuatio semper sit eius, quod natum est haberi; tamen hoc contingit, vt dicit Philosophus. 3 met. Vel quando non habet, quod natum est haberi à quocumque, quamuis ipsum non sit natum habere, sicut pes non dicitur habere visum. Vel quando non habet illud, quod natum est haberi à suo genere, quamuis non ab ipso, nec ab ipso, nec ab aliquo suæ speciei, sicut talpa non habet visum. Vel quando non habet illud, quod natū est habere, & quādo, & vbi, & secundū aliquas cōditiones, & sic propriè dicitur priuatio, & perfectionē importat, & hoc modo nihil priuatiuè in Deo dicitur: sed alijs primis modis potest dici.* his prænotatis.

901 *Ingenitus per D. Th. non importat negationem absolutā, sed aliquo modo priuationē.*

902 *Prob. Conclusio. Quia innascibilitas dicit negationem omnis principij, quod conuenit soli Patri.*

Probatur conclusio, nempè quare innascibilitas sit Notio: Nā innascibilitas dicit negationē omnis principij, seu negationē essendi omnibus modis ab alio; quod conuenit soli primo principio. Sola n. persona Patris in Trinitate habet rationē primi principij, quod à nullo principio est: Prima vero principia per negationes optime notificātur, vt ait S. Doct. loc. cit. dicimus. n. punctum esse cuius pars non est. Esse vero primum principium pertinet ad authoritatem, & dignitatem Patris. quam ob causam consueuit Filius in Euangelio ad Patrem vniuersa referre, & orationes fere omnes ad Patrem Ecclesia dirigit. Non est autem eadē ratio de negatione generationis, quæ conuenit Spiritui S. & de negatione spirationis passiuę, quæ conuenit Filio: cum hæ negationes nō negent esse ab alio simpliciter, sed solùm secundùm quid, atq; adeo neutra pertinet ad dignitatē eius personæ cui conuenit. At ab alio non esse simpliciter, & absolutè, sed esse primū principium a quo est omne procedens in natura diuina, magna dignitas est, & ideo ponitur innascibilitas Patris notio. quod etiā à Spiritu S. nulla persona procedat, ad eius nō attinet digni-

dignitatem secundùm nostrum modum intelligendi, & enuntiandi: quod ideo dixi: quia sicut à nullo esse competit Patri ratione suæ proprietatis personalis; ità Spiritui Sancto ex eius proprietate personali congruit, vt nulla sit, aut esse possit ab eo persona.

903 *In humanis, rationem primi principij in quolibet ordine, dici dignitatem, non verò negationem essendi ab hoc supposito.*

Igitur cùm diuinæ personæ dignitas sit essentia; eadem à parte rei loquẽdo dignitas, quæ vt est proprietas, aut sub proprietate Patris, est ei ratio, vt à nullo sit, erit etiam Spiritui Sancto, prout est sub eius proprietate ratio, vt nulla procedat ab eo persona, sed tota differentia posita est in modo nostro concipiendi, qui dictam negationem in proprietate Patris constitutiua fundatam, sub ratione dignitatis appræhendimus: negationẽ autem originis actiuè, seu productionis in Spiritu Sancto non intelligimus esse dignitatem. Nam in rebus humanis, siuè sensibilibus, ex quibus ad diuina cõscendimus, aut ea per relationem cognita nominamus, rationẽ quidem primi principij in quolibet ordine concipimus, vt dignitatem, & eadem ratione negationem procedentis ab alio; sed negationem principij, siuè productionis; vt scil. ab hoc supposito, siuè persona nulla procedat alia, nullius appræhendimus esse dignitatis. Quamuis enim in separatis à materia, & in corporibus cœlestibus, ex eorum videatur esse perfectione, vt nulla sit in eis generatio, si de generatione, siuè naturæ communicatione loquamur, quæ fit actione transeunte; quod tamen absolute nõ generent ex eorum imperfectione procedit: Nam corporibus cœlestibus actiones immanentes minimè congruunt. In Angelis autem per intelligere, & velle, cùm accidentia sint, non potest aliquis intrinsecus terminus, qui sit substantia, produci, sicut in Deo, sed accidens tantùm scil. Verbum mentis, & amor accidentalis.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum liceat contrariè opinari de notionibus.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

Conclusio. De Notionibus licèt contrarium opinari absque periculo hęresis. Prob. Opinari contrarium eius quod non est contra fidem, nec declaratum, quod ex eo sequatur aliquid contra fidem, potest absque hęresis nota sustineri. Sed contrarium de ipsis notionibus est huiusmodi: ergo &c. dummodo taliter opinantes, non intendant sustinere aliquid contra fidem, nã taliter considerans laberetur in hęresim.

Arg. 1. Contrarię opiniones absque errore esse non possunt; sed si contrariè liceret opinari de notionibus vna harum opinionũ esset falsa; ergo. Resp. ad Mi. quòd licèt vna illarum opinionum esset falsa, tamen, quia non esset declaratum, quod ex eis sequatur aliquid contra fidem, ideò absque nota hęresis potest sustineri.

Arg. 2. Circa diuinas personas non licèt contrarium opinari. Sed esse quinque notiones est articulus fidei; ergo. Resp. dist. ma. *Circa diuinas personas &c.* si sit declaratum, quod ex eis sequatur aliquid contrà fidem, conced. Si verò sint aliqua spectantia ad personas, de quibus non sit determinatum, quòd ex quacumque de eis habeatur opinio, sequatur aliquid contrà fidem, potest vtraque pars absque hęresis nota sustineri: & tales sunt notiones.

DISPVTATIO CLXXXIV.

An liceat contraria opinari de notionibus.

904 *Quatuor negare possunt cõtraria opinãtes de Notionibus.*

Communia, & facilia sunt, quæ scribit S. Thom. de hac materia in genere potius, quàm in specie distinctiùs, ac proprius, de notionibus contrariè opinando, negari quatuor possunt, hactenus probata. Primò existentia simpliciter. Secundò numerus quinarius, asserendo pauciores, aut plures. Tertiò formalitas notionis. Quartò realitas notionis, v. g. de innascibilitate, aut spirandi relatione, negare quis posset, vel quòd non habeat formalem rationem notionis, vel quod ipsa realiter non detur.

1. Concl. Negare simpliciter esse Notiones in diuinis est opinio temeraria.

Prima Conclus. Negare simpliciter esse notiones in diuinis, esset opinio omnino temeraria quia sentiret contra omnes Patres, Scholasticos, exceptis Præpositiuo, Arimin. & Maiore suprà art. 2. & ideò B. ñes hic art. 2. initio ait, quod Præpositiuus errauit, nolens admittere nomina personalia in abstracto, proprie dici de Deo: quemadmodum Gilbertus Porret. errauit, *nolens idem admittere de nominibus essentialibus, de quo suprà. Eandem quoque Præpositiui sententiam Molina art. 2. disp. 1. 9.* His ità, *vocat* errorem. *Item à Ruiz. disp. 46. sect. 4. nu. 1. sententia Ariminensis, & Maioris censetur* temeraria, & perniciosa Theologicis disputationibus.

905 *2. Conclusio. Asserere pauciores, vel plures Notiones in diuinis, quàm quinque, non est censendum temerarium.*

2. Conclus. Asserere pauciores, vel plures notiones, quam quinque, non est res adeo grauis, nec ità destituta Doctorum authoritatibus, vt censeri iure possit sententia temeraria; tametsi videatur nimis libera opinandi licentia in tam graui mysterio, & ideò a prudenti Theologo minimè amplectenda. Primò non esse rem valdè grauem patet, quia nullam rem negaret, aut poneret, quàm ponunt, aut negant alij omnes, qui quinque tantùm notiones admittut: sed præcisè negaret prædictum numerum, illum vel minuendo, vel augendo: quæ numeri ratio salua re ipsa non videtur res magni momenti, cùm neque ex Scriptura, neque ex aliquo Concilio, neque ex aliquo Patre habeatur præcisè quinarius iste notium numerus;

906 *Nonnulli Patres tres tantùm numerant Notiones, vt Nazianzenus, & alij*

Imo nonnulli tres tantum numerant, & ingenitum cum Paternitate confundunt, vt Iustinus in expositione fidei pagina 1. & 2. loquens de notionibus, quæ diuinas personas declarant, trium tantum meminit, Ingeniti, Geniti, & Profecti. *Item Nazianz. orat. 2. de Pace aliquantò post med.* Nos vero vnam, & eãdem naturam Deitatis esse scimus, quæ de principij experte, generatione, processione agnoscitur. *Vbi inter notiones numerat origines, vt patet. Quarè si quis vellet has etiam quinque vulgatis notionibus adiungere, posset contendere, pro se stare Nazianzenum. Clariùs Damasc. lib. 3 Fidei cap. 5. circà princip.* Differentiã hypostaseon in solis tribus proprietatibus, paterna, filiali, & processiua agnoscimus.

907 *Licèt probemus innascibilitatem, & spirationes esse notiones, tamen non possumus probare esse distinctas notiones à Paternitate &c.*

Et quàmuis ex Patribus probemus Innascibilitatẽ, spirationem, esse notiones, tamen non possumus probare, istas notiones positas esse distinctas à Paternitate, & filiatione, & numeratas esse quinque notiones: & præterea si hæ numeratæ essent, adhuc non posset excludi maior numerus, quia, vt ad hoc propositum prudenter docuit Scotus suprà locus ab authoritate, non tenet negatiuè. *Et sic de sententia Durandi, Ochami, Gabrielis, ponentium tres tantum relationes, à Suarez suprà qu. 28. art. 4. nu. 36. dicitur* non improbabilis, *ergo ab eadem consequenter dicenda non improbabilis sentẽtia de paucioribus notionibus. Cùm igitur quinarium notionum numerum non recipiant Ocham. Gabriel, & Nominales, item Scotus, & Scotistæ, si quis hos antiquos, & grauissimos Theologos sequi vellet, non posset iure censeri temerarius.*

Non est tamẽ prudentis, sed imprudentis Theologi ità opinari, quia

Nihilominùs secundò probo, non esse prudentis Theologi nũc ità opinari, quia posteriores õmnes Theologi contrarium docuerunt sequentes S. Thom. Altisiodoren. Albertum, Alensem. Bonauent. Henricum, Aureol. Durand. Argent. Marsilium, & alios, quos citat Ruiz.

omnes Theologi cū D. Th. contrariū docent.

tat Ruiz. disp.47. nu.2. & in reuerentiam tanti mysterij, de quo dixit August. lib. 1. de Trin. cap 3. initio, Nec periculosiùs alicubi erratur. *cum vel in ipsis vocibus incurri facilè possit hæresis, præstat omnino cùm multò maiori, ac meliori parte sentire, & loqui, præsertim cùm non desint ex recentioribus Torres art 3. circa finem, Bañez dub.1. Concl. vnica, Zumel disp. 1. Concl. 2. fine, Ruiz. disp. 47. nu. 10. Nazar. art. 4. circà finem, qui illud censeant temerarium, tametsi infimo quodam, & leuissimo gradu temeritatis pertinente tantùm ad modum loquendi.*

908 Vasq. censet posset inueniri aliæ notiones, & Rada.

Sed nec hāc quidem admittit Vasq. qui in fine Commentarij huius articuli dicit, Hactenus non fuisse plures notiones inuentas, non est sufficiens ratio, ob quam, & alia inueniri non possit. *Et laudat Scotum suprà dicentem, tempore Ambrosij non fuisse vsitatam notionem Ingeniti, nec spirandi notionem tempore Anselmi, sed tantùm tres notiones, paternitatis, filiationis, & spirationis passiuæ: & sicut postea additæ sunt duæ aliæ, ità nunc posse addi plures. Vndè Suar. lib. 5. de Trinit. cap. 9 nu. 5. contra sententiam de communi spiratione, quod non sit notio, nihil grauiùs censet, nisi quòd* à sententia D.Thom. non est facilè recedendum. *Demùm Rada contron. 25. art. 3. concl. 1. multis probat, opinionem Scoti de sex notionibus esse* tutissimam.

909 3. Conclus. si quis admittit Notionū realitatem, & neget formalitatem, est temerarius.

3. Conclusio si quis admissis prædicatarum notionum realitatibus, nollet in eis concedere, aut formalitatem, aut nomen ipsum notionis, censendus esset planè temerarius. In hoc omnes conueniunt. Quāmuis enim vt docet S. Thom. suprà art. 2. ad 1 de notionibus non fiat mentio in Sacra Scriptura, *& vt addit Bañes hic*, nihil de notionibus sub isto nomine definitum sit in Concilijs; *tamen, & Patres, & Scholastici omnes cum Mag. 1. dist. 26. notionis nomen vsurpant, & ipsam formalitatem admittunt, dum docent, prædictis notionibus aliquid significari; vndè nos cognoscimus, vnam personam ab aliam distinctam: tantæ authoritati in hoc grauissimo mysterio se opponere, esset omninò temerarium. In hoc sensu dixit Vasq. in Commentario huius articuli circa med* Si quis diceret, esse quidem in Deo quinque illas notiones, sed non omnes esse appellandas notiones, non diceret contra aliquid ab Ecclesia definitum, sed contrà cōmunē doctrinā sentiret, id quod temerariū esset.

910 4 Concl. negare rem importatam nomine Notionis, est hæresis, vel error

4. Conclus. De aliqua notione ex quinque prædictis negare ipsam rem, notionis nomine significatam, non solùm esset temeritas, verùm etiam hæresis, vel error. Ità omnes, & iuxtà hanc Concl. intellige S.Th. in fine huius art. dicentem, Si quis falsum opinaretur circa notiones, considerans, quod ex hoc sequatur aliquid contrarium fidei in hæresim laberetur. *Et benè explicat Bañes dicēs*, si de re ipsa loquamur, error esset in fide, negare in diuinis esse innascibilitatem, paternitatem, &c.

Conclusionis igitur ratio clara est, quia negare rem alicuius notionis, est vel negare aliquā ex tribus proprietatibus diuinarum personarum constitutiuis, & consequenter aliquam personam, & Trinitatem ipsam, vel negare, Patrem esse innascibilem, ac proindè dicere, illum procedere ab alia persona, vel est negare, Patrem, & Filium spirare Spiritum S. His autem negari veritates fidei, nullus est Theologus, qui ignoret. De censura verò sententiæ negantis, communem spirationem esse relationem, dixi suprà.

QVÆST. XXXIII. D. Th.

De Persona Patris.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum competat Patri esse principium.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

Conclusio. Pater est principium. Prob. Omne illud à quo aliud procedit est principium: quia hoc nomen principium nihil aliud significat, quam id, à quo aliud procedit. Sed Pater est à quo alius procedit; ergo.

Arg. 1. Causa, & principium sunt idem ex Arist. 4. *met. tom.* 3. sed Patri non competit esse causam filij in diuinis; ergo Resp. dist. ma. causa, & principium sunt idem cōuertibiliter, nego, omnis .n. causa est principium, non è contrà. Nomen enim principij est communius, quam nomen causa; nam prima pars rei est principium non autem causa, ideò conuenientius nomen principij assumitur in diuinis. Quidquid dicant Græci.

Arg. 2. Si Pater est principium filij; ergo Filius est principiatus, quia principium dicitur respectū principiati. Resp. neg. conseq. quia esse principiatum importat minorationem, de ratione enim principij non est, dici ad principiatū, sed sufficit quòd ab eo sit aliquid procedens, sicut est à Patre in diuinis.

Arg. 3. Nomen principij sumitur à prioritate: sed in diuinis non est prius, & posterius iuxtà D. Athanasium; ergo. Resp. dist. ma. *Nomen principii, &c.* quòad id à quo nomen imponitur, conced. ma. quòad id ad quod nomen imponitur, neg. quia vt sic nomen principij non significat prioritatem vniuersaliter, sed originem vnius ab altero: & sic sumitur in diuinis.

DISPVTATIO CLXXXV.

An competat Patri esse principium.

Concl. simpliciter affirmatiua est de fide, quia omnes Patres, omnesque Scholastici, quos in re clarissima referre inutile est, docent, Patrem esse Filij, & Spiritus S. principium. Quod nunquam in Scriptura satis expressum, in quibusdam Scripturæ locis dictum esse interpretatur: Sic illud Io: 5. In principio erat Verbum, *exponunt*, in Patre; *vt ibi Origenes, Cyril. Beda, Rupertus; & præterea Clemens Alexandrinus orat. adhortatoria ad Gentes pag. 3. circà med. interpratans*, erat in Deo, *nimirum Patre. Athanas. orat. contra Arianos in illud*, Deus ex Deo, *initio, vbi cùm docuisset, Patrem esse Filij principiū, subdit*, secundùm Ioannem, in hoc principio erat Verbum. *Nyssen. lib. de fide ad simplicium circà med. ex hoc loco probans, Patrem nunquam fuisse sine Filio*, ex eo namque, quod dixit Ioannes, quòd in principio erat; & non post principium, ostendit quòd nunquam absque Verbo principium erat. *August. lib. 6. de Trinit. cap. 2. ante med.* Quod dictum est, In principio erat Verbum, in Patre erat Verbum intelligitur, 911 Concl. affirm est de fide quia omnes Patres, & Scholastici docent, Patrem esse Filij, & Spiritus Sācti principium.

912 Ità exponit illud Psal. *Tecū principium*, August. Beda, & alij.

Sic etiam illud Psal. 109. Tecum principium, *multi exponunt, cùm te, ò Fili, semper est Pater. Aug. ibi ait*, Tecum principium, nec vnquam à te separatus est Pater, *& iterum post nonnulla*, Tecum principium, cùm Patre in Patre. *Rupertus lib.1. de Glorificatione Trinitatis cap. 7. initio huius Psalmi verbis inquit*, dicit Filio Dauid, Domino Dauid, Pater Deus, ego principium, tecum sum, tecum operor in die virtutis tuæ, in processu victoriæ, vel Resurrectionis tuæ; quo videlicet die Sancti splenduerunt dispulsis tenebris, & accepta remissione peccatorum. *Beda etiam eadem verba exponit, vt verba Dei Patris, ità Filium alloquentis*, Meritò tibi dico, sede à dextris meis, quia ego tecum principiū, sicut prius. *Item Prosper ibi ità declarat.* Est autem

Pater

Pater principium, in quo principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.

913 Pater ex Scriptura preponitur Filio, & Spiritui S. ratione precedētię originis.

Rem quoque ipsam, si non principij nomen, colligunt etiam Patres, ex nonnullis Scripturæ locis, in quibus Filio, & Spiritui Sancto præponi videtur Pater, quæ explicant ratione solius præcedentiæ, & prioritatis originis, quam habet Pater vt principium, vnde procedunt Filius, & Spiritus S. & ex nullo alio principio ipse procedens. Hoc maximè colligunt ex illo Io: 14. Pater maior me est: *quod Athanas. Hilar. Nazianz. Cyril. Damasc. Chrysost. Theophilatus, Euthymius, intelligunt de Christo Filio Dei, & vt subsistente in sola natura diuina, quo maior dicitur Pater, nullam aliam ob causam, nisi præcisè, quia est eius principium.*

914 Stat tamen cū precedentia originis omnimoda equalitas.

Cùm quo tamen stat omnimoda æqualitas, quoniā Filio Pater, inquit Hilar. tantùm donat esse, quantus ipse est, quem ex se in forma sua generat. *Et, vt dixit Aug. lib 3. contra Maximin. cap. 14. post med.* Nec potest, qui accepit, ei, qui dedit, esse inæqualis quia, & hoc accipit, vt esset æqualis. Nihil enim à Patre minus habet ille, qui dicit, Omnia quæ habet Pater, mea sunt. *Nunc alijs ibi citatis addi potest Basil lib. 1. contra Eunomium pagina penult. multis tractans huius loci expositionem, & tandem ità concludens,* reliquum est, vt causæ ratione *(modo loquendi Græcorum, causam pro principio accipit)* maius hic capiatur. Nam quoniam à Patre origo est Filij, hoc maior est Pater, quod causa est, atque origo.

915 Pater dicitur caput Filij potius quā principium, ad denotandā vtriusque consubstātialitatem.

Eamdem interpretationem de Christo, quoad diuinitatem, admittit etiam Theodoreto in eadem verba, acutè notans, Patrem dictum esse caput Filij, potiùs quam principium, aut causam, ad significandam vtriusque consubstantialitatem; sicut enim caput, & membra, quorum est caput, eandem in vno corpore substantiam habent, ità Pater, *inquit Theodoret. & ante ipsum dixerat Chrysost. suprà,* qui eius caput appellatur, eandem cùm eo substantiam indicat, & est, quod ad diuinitatem quidem attinet, eiusdem cùm Patre substantiæ. *Item Ambros. ibidem, vel alius illius operis author, dicens,* Dignum est, vt Filij caput Pater dicatur, quasi genitor eius. *Et paulò post,* Deus ideo caput Christi est, quia de eo, vel ab ipso genitus est.

916 Filius potest intelligi secūdùm Deitatē subiectus Patri, idest, quia est ex Patre, vt à principio. ità Cyril. & alij.

Præterea locus 1. Corinth. 15. Tunc, & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, *qui secundùm aliquos Patres, intelligitur probabilissimè de Christo, vt homine, intelligitur etiam de Christo, vt Deo à nonnullis Patribus docentibus, nulla alia ratione dici, Filium Dei subiectum Patri, nisi quia à Patre est tanquam à principio suæ generationis æternæ. Quamobrem, vt docet Cyril. lib. 10. Thesauri cap. 8. in medio, ista* subiectio non minorem Filium ostendit, sed identitatem Trinitatis demonstrat incommunicabilem, quæ nunquam aliter se habebit, sed erit etiam in illo sæculo Pater per Filium omnia in omnibus, & vita, & incorruptibilitas, & gaudium, & virtus, & quidquid Sanctis gratiæ dabitur, ex Patre per Filium in Spiritu dabitur. *Et vt ait Epiphan. hæresi 69. pag. penult.* Tunc ipse subijcitur Patri velut Filius genuinus vnigenitus, cùm Patre regnans semper in vnam vnitatem.

Subiectionem ad generandi principiū, refert Athanas. & alij.

Subiectionem ad generandi principium clariùs referunt Athanas. in Euangelium de Sanctissima Deipara col. 4. illis verbis, Pater, quatenus est author Geniti, Filium vt genitum sub se habet. *Et Ambros. ea verba ita exponens,* Tunc Christus, propter vnicam authoritatem Patris, Deum quidem se ostendet, sed de Deo; vt vnius principij sublimitas, & ineffabilis authoritas maneat. Hoc est subijcere se Filium Patri. Hoc est Deum esse omnia in omnibus. *Atque eodem modo, Patrem esse principium Filij, & Spiritus S. docent Patres explicando alia similia loca, de quibus sufficienter dictum est suprà.*

917 Prob. Concl. quia omne illud à quo aliquid realiter procedit, habet rationem principij.

Eandem Catholicam veritatem Theologica demonstratione confirmat S. Th. hic in corp. Omne illud, à quo realiter procedit, seu producitur aliud, est verissimè, ac proprissimè principiū eius, quod ab ipso procedit. Sed à Patre realiter procedunt Filius, & Spir. S. ergo Pater est verissimè, ac proprissimè principium Filij, & Spiritus S. Ma. per se nota est, & vt talis traditur à Philosopho lib. 5. Metaph. cap. 1. vbi enumeratis varijs principij acceptionibus, eas in vnum colligens, ità generaliter concludit circà finem capitis, Omnibus igitur principijs commune est, esse primum, vnde aut est, aut fit, aut cognoscitur. *Inter quæ sine dubio includitur id, à quo aliud realiter producitur. Mi. est de fide. Conseq. est bona, vt patet. Ex Maiori autem naturaliter euidente, & Mi. de fide, in bona Conseq. constat demonstratio Theologica.*

918 Idem Confirmat breuiter, sed non obscurè D. August.

Hanc breuius, sed non obscurè attigisse videtur August. lib. 5. de Trinit. cap. 14. initio illis verbis, Si gignens, ad id quod gignitur, principium est, Pater ad Filium principium est, quia gignit eum. *Et paulò ante fin. capitis,* si quod datur principium habet eū, à quo datur fatendum est, Patrem, & Filium principium esse Spiritus Sancti. *Nimirum realiter productiuum quam limitationem exprimere voluit Nazianz. orat. de Dogmate, & constitutione Episcoporum circà medium cùm, postquam dixerat, Patrem esse principium, addit,* Principium verò quòd, & causæ sit. *Quo Pater distinguitur à principio, quod, vt docet S. Th 1. dist. 29. qu. vnica art. 1. circa fin. corporis,* non habet aliquam influentiam ad esse principiati, sicut terminus, à quo dicitur principium motus; sed sicut mane, dicitur principium diei.

DVBIVM VNICVM.

An Patri, vt principio, correspondeat in Filio, & Spiritu Sancto esse principiatum? Et An Pater dici possit principium totius Trinitatis.

919 *S. Thom. prebet hanc disputandi materiā hic ad 2.*

HAnc disputandi materiam præbet hic S. Thom. in 2. argumento, eiusque solutione, dicens, *Quòd apud Græcos inuenitur de Filio, vel Spiritu S. dici, quòd principientur. Sed hoc non est in vsu Doctorum nostrorum: quia licèt attribuamus Patri aliquid authoritatis, ratione principij; nihil tamen ad subiectionem, vel minorationem, quocumq; modo pertinens, attribuimus Filio, vel Spiritui Sancto vt vitetur omnis erroris occasio. Secundùm quem modum Hilarius dicit 9. de Trin. Donantis authoritate* Pater *maior est, sed minor non est Filius, cui vnum esse donatur.*

920 *Prima Conclus. si cum Arianis loqueretur, minus rectè dicetur Filius principiatus à Patre.*

Prima Conclus. Minùs rectè dicitur, si cùm Arianis ageretur, aut alijs hæreticis ponentibus Filium & Spiritum Sanctum alterius inferioris naturæ à Patre, esset omnino vitanda loquutio, Filius, aut Spiritus Sanctus est principiatus à Patre. Ità S. Thom. suprà, & de Potent. qu. 10. art. 1. ad 9. & opusc. 1. contra errores Græcorum cap. 1. & cap. 2. fine, quem omnes ferè recentiores sequuti sunt. Ratio S. Thom. est, quia principiati vox, ex eo quòd passiua sit, importat ex propria significatione quandam subiectionem, vel minorationem, seù dependentiam, & inferioritatem, quam non habent Filius, & Spiritus Sanctus respectu Patris, cùm omnes tres personæ sint æquè essentialiter vnus Deus, quo nihil maius, aut superius excogitari potest? Non igitur Filius, & Spiritus Sanctus dici debent principiati. Neque est eadem ratio de principio, quia hęc vox non importat maioritatem simpliciter, sed solùm donātis authoritatem, vt loquitur Hilarius suprà: principiatum vero concipitur importare minoritatem simpliciter. Vnde fit, vt non sit necessaria Conseq. Pater principiat Filium, ergo Filius principiatur; sicut ex eo, quod Pater sit maior authoritate donantis, negat Hilarius, Filium esse minorem simpliciter.

Principium non importat maioritatem, sed authoritatem, principiatum vero dicit subiectionem.

921 *An Filius possit dici minor secūdùm quid, sicut Pater secundum quid maior?*

Verùm enim vero si quis contenderet, quòd sicut Pater non est simpliciter maior Filio, sed tātùm secundùm quid, nempe donantis authoritate, ità contra Filius non sit minor simpliciter, sed minor secūdùm quid ratione eiusdem authoritatis, quam non habet respectu Patris, non video quo modo posset conuinci: presertim quia Cyril. lib. 2. Thesauri cap. 3. inter principium, & med. cùm dixisset,

Maior

Maior ipse Pater est, qui eum generat, in hoc solummodo, quia de eo Filius est: deinde ferè inter medium, & finem vniuersaliter ità docet, *si quis maius, aut duplum dixerit, statim minus, aut dimidium intellexit*. Et iterùm paulò post. *Non est maius aliquid, nisi minus sit*. Quod postea ita applicat ad casum nostrum. *Verum quoniam maiore posito, minus necessariò ponitur, quoniam Pater maior Filio scribitur, necesse est, vt Filius minor Patre sit, non aliter, quàm secundùm formam serui, aut secundùm quod ex Patre est*. Sicut igitur quia Pater dicitur maior, secundùm quod est, à quo alius; ità non putauit Cyril. posse negari, quod Filius dici debeat minor, secundùm quod est, qui ab alio.

922 *Correlatiuum Principij nō est esse principiatum, sed esse ab alio.*

Item Gregor. Boet. in 4. tom. Bibliothecæ veterum Patrum, lib. de Trinit. inter medium, & finem, cùm concessit, *Patrem maiorem de solo Sacramento generationis*; vi eiusdem necessariæ consequentiæ concessit paulò post, quod *& si qua Deus, Deo aequalis est Filius, tamen quà Filius, minor dicitur Patre, idest quà Filius de Patre sit: & ideò non dixit, Deus maior me est: sed Pater maior me est*. Sed quicquid sit de maiori, & minori, quæ sunt correlatiua, negari probabiliter potest, vt cùm communi Theologorum negat Suar. tom. 1. metaph. disp. 12. sect. 1. nu. 32. principij correlatiuum esse principiatum, sed tantùm id, quòd est ab alio; siue vt accomodatiùs loquitur Molina hic disp. 4. ante med. *ens à principio procedens*, & ideo Patrem esse principium Filij, non infert necessariò aliud, nisi Filium esse, seù procedere à Patre.

923 *2. Conclusio inter Catholicos nulla est periculum erroris dicere Filium principiatum.*

2. Concl. inter pios, & doctos Catholicos, vbi nullum est periculum erroris, aut significandi, aut introducendi, nullum absurdum est dicere, Filium, & Spiritum S. esse principiatos à Deo Patre. Est communis doctrina, quā tradidit S. Th. de Potent. q. 10. art. 1, ad 9. dicens limitanter, *Non videtur indifferenter dicendum, quòd Filius sit principiatum, vel etiam Spiritus S. licèt etiam hoc modo loquendi Græci vtantur, & possit apud sanè intelligentes concedi*: significans, quod ipsemet refert opusc. cit. c. 1. paulò post princip. dixisse Athanasium, *Non est imprincipiatus Spiritus hoc est sine principio, & causa; sed potius ipsum demonstrat Deum verum: principiatum tamen no ex tempore, sed ex causa, vera originis*

Nam principiatum sumi potest pro esse, seu procedere ab alio.

Quibus verbis habetur fundamentum huius cōclusionis, quia principiatum sumi facilè potest pro esse, seu procedere à principio seu vt castigatiùs loquitur Athanas. non esse sine principio: quod totū verissimè conuenit Filio, & Spiritui S. respectù Patris. Præterea ab eodem Athanas, in quæstionibus anonimis q. 4. ante med. dicitur. *Filius ex solo Patre causatus, & genitus; & Spiritus S. ex solo Patre causatur, & procedens, sed per Filium in mundum missus*. Item q. 11. *Causata sunt duo, Filius, & Spiritus*. Et idem repetit seq. quæst. 12.

Idem apud Græcos valet causatum, ac apud latinos principiatum.

Idem autem apud Græcos valet causatum, quod apud latinos principiatum. Præterea inter antiquos graues Scholasticos inuenio Albertum p. p. Summæ quæst. 30. mēb. 2. in fine concedentem, quòd in diuinis Dicens propriè, & notionaliter, *principium est Verbi dicti: & Verbum dictum, principiatum à dicente*. Durandum 1. d. 11. q. 2. num. 20. ita loquentem, *Cùm pluralitas personarum sit aliquorum se habentium in ratione principij, & principiati*. Et infra, inter personas principiantes, vna est principians, & non principiata, vt Pater; alia principians, & principiata, vt Filius. Item principiati nomen in diuinis non semel vsurpat Henricus quodlib. 6. q. 1. vt litera S. & litera K. & in fine quæstionis.

924 *3. Conclusio. absolutè non est dicendum Filiū habere principium, nec non habere principium, sed cū distinctione.*

3. Concl. Non est dicendum absolutè, Filium habere principiū, aut è cōtra, Filium non habere principium, sed cum distinctione, ac limitatione, Filium habere principium originis, non habere principium durationis. Prima pars ponitur à Mag. lib. 1. sent. d. 19. litera C. fine illis verbis, *licèt Filius sit principium de principio, non est tamen concedendum, quòd Filius habeat principium*. Quem Scholastici omnes sequuntur. In eodem sensu Athanas. supra quæst. sua 13. Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum simul, & æqualiter docet, esse *principio carentes, & principij expertes, & aborigines*. quia scil. & nullum simpliciter habent principium durationis, etiamsi habeant originis, & inquantum sunt vnus Deus, nullū omninò principium habent, neque durationis, neq; originis.

Filium Dei dicitur à Patribus, carere principio, intelligitur, principio durationis.

Et ab eodem in rescripto ad Liberium Episcopū Romanum circa principium, Filij Dei dicitur, *principio carens*: & videtur intelligere de principio durationis, in qua ille generari, & esse inceperit; quia statim explicando subiungit, *Cui nullum ætatis, aut initium, aut finis*. Et Nazianz. orat. de Fide inter princip. & med. loquens de Filio Dei, & de principio temporis, vt constat ex antecedentibus, & consequentibus, ait, *Cuius origo principium non habet*. Itē Damasc. lib. 1. fidei c. 8. in med. de eodem Dei Filio dicit, *Generatio sine principio genitus*. Et iterum post multa, *Generatio sine principio, & æterna*. Et in fine, *Generat Deus suum Verbum sine principio, & sine fine*. Et Hippolitus Martyr in 2. tom. Bibliothecæ veterum Patrum libro de consumatione Mundi col. penult. sic dicit ad Filium, *Tu es, qui semper es. Tu vna cum Patre carēs principio*.

925 *Ratio est. quia ea dicimus habere principiū quæ in tēpore esse inceperūt.*

Ratio autem huius primæ partis est, quia communiter dicimus, habere principium ea, quæ in aliquo tempore esse incipiunt. Ita dicimus, hunc Mūdum habuisse principium; ergo de Filio, qui in Patris æternitate genitus est, dici non debet absolutè sine addito, habere principium, hoc enim loquendi modo abusus fuisse refertur Arius ad erroris sui probationem. Filius, dicebat, habet principium; alioqui cum omnes fateamur, Patrem non habere principium, daremus in diuinis duo ingenita, & innascibilia principia; sed Deus non habet principium; ergo Filius non est Deus.

Mēdax Arius, qui dixit, F. hŭ habere principium, non veri Deum.

Vnde mendax Arius ita fraudolenter scripsit ad Eusebium in epist. quam refert Epiphanius hæresi 69. pag. 3. *Persecutionem patimur, quòd diximus, Principium habet Filius, Deus verò sine principio est*. Sed ineptissimè, & pluraliter arguit confusa vsurpatione, & varia suppositione nominis principij, & nominis Dei. Si enim principium sumatur pro principio durationis, impijssimè sumit in Maiore, Filium Dei, coæternum Patri, habere principium. Si verò sumatur pro principio originis, damus Maiorem, quod Filius habeat hoc principium. Sed cum in Minore dicitur, Deus non habet principium, scilicet originis, distinguendum est de Deo; nam vel sumitur vt præcisus à personis, vel vt concretus in personis.

licèt Deus non habeat principium, Filius habet principiū originis, & est Deus.

Primo modo vera est Min. sed falsa est Conseq. ex eo enim, quòd Deus, vt præcisus à personis, non habeat principium originis, non sequitur, Filium habentem principium originis non esse Deum simpliciter, sed solùm nō esse Deum, vt præcisum à personis, quia ipse est Deus in sua propria Filiationis personalitate subsistens. Secundo modo Mi. est partim vera, partim falsa; quoniam ex tribus diuinis personis, Deus Filius, & Deus Spiritus S. habent principium originis, Deus autem Pater non habet. Nullo igitur modo sequitur, Filium ex eo, quòd habeat principium originis, non esse Deum personaliter subsistentem.

926 *2. Pars Concl. prob. quia, si diceremus absolutè, Filium nō habere principium, posset intelligi, non habere principia originis.*

Secunda conclusionis pars, quod neque à contrario dici absolutè debeat, Filius non habet principiū, eodem proportionaliter fundamento nititur: nam sicut ideò inconuenienter dicitur, Filius habet principium, quia posset intelligi de principio durationis, quod verè Filius non habet; ita pari ratione à contrario, inconuenienter dicitur, Filius non habet principium, quia posset intelligi de principio originis, quod verè Filius habet. Hanc ob causam Syrmica Synodus cum Hilario supra ante primum quæsitum huius dubij §. *Syrmica*. damnat dicentes, *Filium sine principio*. Et Cyril. lib. 2. Thesauri cap. 2. aliquanto post princip. dicit, *Filius Patrem habet principium*. Vbi principium limitanter sumitur pro principio generationis.

Aliud enim est, *Filius habet principium*: aliud verò, *Filius habet principium Patrem*. Primum minus rectè dicitur. Secundum rectissimè dicitur à Cyril. quoniam principium ex coniunctione cum Patre, quem afficit, limitatur, vt stat pro tali principio, nempè paterno, & generatiuo.

927 *Tertia Concl. pars de modo loquendi cu limitatione, ac probatione, remanet ex dictis probata.*

Tertia Conclusionis pars de modo loquendi cum distinctione, ac limitatione, probata remanet ex dictis, & perspicuè ponitur à Nazianz. in orat. de Dogmate, & Cõstitutione Episcoporum paulo post med. *Filius, siquidem Patrem, tanquam causam accipis, non est sine principio: Filij enim principium, Pater tanquam causa. Si autem à tempore principium intelligis, sine principio est: non enim à tempore principium habuit temporum Dominus*. Et orat. in laudem Heronis multo ante fin. cùm docuisset, Filium, & Spiritum S. esse *non sine principio, & sine principio*, interrogat, *Quo pacto? admirabile enim*. & respondet: *non sine principio, causa quidem; ex Deo enim, etiamsi non post ipsum; quemadmodum ex sole lumen. Sine principio autem, tempore; non enim tempori subiacent*. Semper igitur, ac ex antecedentibus, vel concomitantibus, vel consequentibus; præsertim cùm apud Catholicos Doctores sermo, aut disputatio est, constat quod intelligitur de principio originis, dici tuto potest, Filius habet principium: etsi contrà constat, quod intelligitur de principio durationis, dici pariter tuto potest, Filius non habet principium.

928 *4. Conclusio verè Filius est principium de principio.*

4. Concl. Filius rectè dicitur, & vere est principium de principio. Ita Patres, & Scholastici omnes. Quod potest verè intelligi duobus modis. Vel primo de principio in eodem genere ad intrà, seu notionali, vt scilicet filius sit notionale principium ad intrà per spirationem Spiritus S. & procedat de principio notionali ad intra per generationem à Patre, quomodò esse principium de Principio competit soli Filio; vel secundò de principio in diuerso genere, & essentiali ad extra, & intentionali ad intrà, vt scilicet Filius sit notionale principium creaturarum, procedens ab alterius generis principio intrà Deum. Quod non soli Filio conuenit, sed etiam Spiritui S. qui est etiam creaturarum principium, & Deus de Deo. Vtroque modo intelligere videntur Patres. Primum modũ tradit Nazianz. in sermone Concilij Costantinopolitani apud S. Th. opusc. 1. contra errores Græcorum c. 32. §. 26. *Necessarium est credere Sanctam Trinitatem, Patrem scil. sine principio, Filium verò principium à Patre principio, Spiritum autem S. cum principio Filio vnum Deum esse*. Clariùs, & frequentiùs tradunt secundum, S. Martialis epistola ad Burdegalenses c. 10. med. tom. 3. Bibliothecæ veterum Patrum, de Filio Dei dicit, *Ipse est principium, quia de principio ineffabiliter natus est*. Nazianz. orat 3 de Theologia multò post medium, *Deus Verbum erat in principio, & cũ principio, & principium*. Vbi etiã principiũ creaturarũ ad extra, nõ principiũ Spi. S. ad intra significatur.

Hoc autem potest intelligi duobus modis, & potest hoc etiã Spiritui S. conuenire respectũ creaturarum.

929 *Principiũ omnium Filius, PrincipiũChristi Deus, dicit Syrmica Synodus.*

Item Syrmica Synodus cum Hilario supra in disp. medio illis verbis, *Principium omnium, Filius, Principium Christi, Deus*. Quod est idem, ac Filius diceretur principium ad extra de principio ad intra. Et Aug. lib. 3. contra Maximin. c. 17. fine, *Pater principium nõ de principio, Filius principium de principio: sed vtrumque simul, non duo, sed vnum principium: sicut Pater Deus, & Filius Deus; & ambo simul non duo Dij, sed vnus Deus. Nec Spiritum S. ab vtroque procedentem, negabo esse principium: sed hæc tria simul, sicut vnum Deum, ita vnum dico esse principium*. Vbi cũ Spiritus S. etiã esse dicatur vnũ principiũ simul cũ Patre, & Filio, debet necessario intelligi de principio creatiuo, nõ originis ad intra, quod Spiritui S. nõ conuenit. Demũ hunc secundũ modũ amplexati sunt Mag. & Scholastici, ita prædicta verba Augustini referẽtes, & explicantes lib. 1. sent. d. 29. litera A. fine, *Pater principium est sine principio. Filius principium de principio, Spiritus S. principium de vtroque, id est de Patre, & Filio*.

930 *Petes 1. D. Th. sensus authoritate Aug. roboratus.*

Petes 1. *An Pater dici possit principiũ totius Deitatis*. Huius etiã quæstionis partẽ affirmatiuã docet S. Th. in arg. *Sed contra* authoritate Aug. lib. 4. de Trin. c. 20. aliquãto post med. exponẽtis illud Io: 15. *Quem ego mittam vobis à Patre*, & ità loquẽtis, *Non dixit, Quem mittet Pater à me; quemadmodum dixit, Quem ego mittam vobis à Patre: videlicet ostendens, quòd totius diuinitatis, vel si melius dicitur Deitatis principium Pater est*: ideo. Resp. affirm. Ità omnes Theologi, quàmuis Torres hic dub. 1. quem Vasq. disp. 139. c. 3 refert, & nõ reijcit, videatur asserere, *minimè esse cõcedendum, quòd Pater sit principium totius Deitatis*: nimirũ absolutè loquendo: quia deinde ipsemet recipit, & in aliquo bono sẽsu interpretatur verba August. suprà: & Molina disp. 2. post med. dicat, *Propositionem illam non esse admodum propriam*: & Suar. lib. 8. de Trin. c. 3 n. 3. fine, notet, quod prædicta loquutio *in rigore verborum videatur habere aliquã improprietatẽ*. & durius Bañes hic, *quòd iste modus loquẽdi, si in rigore accipiatur, est improprius, & falsus* & idem ferè Zumel initio huius articuli, & iterum in fine.

Resp. affir. ità communiter Theologi, quãuis immeritò oppositum Torres sustineat.

Verùm, vt proprius sensus, si minùs ex sermonis proprietate, saltẽ ex cõmuni loquentiũ consuetudinẽ existimandus est, quẽ iam post tot sæcula habet illa propositio ex frequentissimo, & receptissimo vsu sapientissimorũ Theologorũ, qui eã vel adinuenerunt, vel amplexati sunt. Primus omniũ Magnus Dionysius de diuin. nomin. c. 2. aliquanto ante med. pronunciauit, *solùm Patrem fontem esse cælestis diuinitatis*. Et iterũ paulo post med. *A diuinis scripturis accepimus, Patrem esse, vt ità dicam, fontanam Diuinitatis, Iesum autem, & Spiritum, fœcundæ diuinitatis, si ità fas est loqui, gemmas, seu germina à Deo prodeuntia, & quasi flores, ac lumina*. Rursus de cælesti Hierarchia c. 1. aliquanto post princip. de Patre ait, *Qui est Diuinitatis fons, ac principium*. Vbi illæ correctiones, *vt ità dicam, & si ità fas est loqui*, quæ significant sensum non propriũ, sed metaphoricũ, cadunt suprà fontem, fontanam, gemmas, &c. quæ metaphoricè in diuinis vsurpantur; non autem supra principium, quæ vox absque vlla improprietate Deo tribuitur.

Hanc Primam confessionem omnes Patres defendunt, singulariter D. Dionysius.

931 *Idem confirmãt Origenes, Athanasius, & Alij.*

Eundẽ loquendi modũ sequuti sunt Origen. lib. 1 de princ c. 3. multò post med. vbi Pater dicitur, *vnius Diuinitatis fons*, Athanas. cõtrà Gregal. Sabell. aliquãto post prin. cõcedens quòd sit Pater *solus fons Deitatis*. Et intermediũ, & finẽ id quasi declarans, ait, *Pater radix, & fons Filij, & Spiritus S*. Nazianz. orat. 2. de Pace paulo post med. *Ego verò Deitatis principiũ temporis expers, inseparabile, infinitum statuens, & principium honore adficio, & pariter de principio profecta illud quidem, quòd talium principium sit; hæc verò, quòd sic orta, quodq; talia de tali*. Vbi pro intelligendo sensu propositionis, de qua nunc disputamus, diligẽter aduertendũ est id, quod à Nazianz. notatũ fuerat, *Deitatis principium*, statim vocari, *principiũ talium, quæ de principio profecta sunt* hoc est Filij, & Spiritus S.

932 *2. Conclusio. Pater esse principium totius Deitatis; Sensus est, à nullo procedens, est principium Filij, & Spiritus Sancti.*

2. Concl. cũ dicitur Pater est principiũ totius Deitatis, seu Diuinitatis, sẽsus est, Pater à nullo principio procedẽs, est principiũ Filij, & Spiritus S. Hunc sensũ apertè tradũt Athanas. Nazianz. Toletan. XI. & Florẽtinũ verbis positis §. superiori, & optimè Mag. suprà, nã reddẽs rationẽ veritatis propositionis, ait, *Quia ipse à nullo est, sed ab eo, & Filius est genitus, & Spiritus S. procedit. Non ergo dicitur principium totius Deitatis, quòd vel sui, vel diuinæ essentiæ principium sit, sed quia principiũ est Filij, & Spiritus S. in quibus singulis tota Diuinitas est*. Requisiui cũ Mag. ad perfectũ sensum propositionis, quod principiũ totius Deitatis sit principiũ à nullo principio, vt hoc faceret proprijssimũ solius Patris, iuxtà mentẽ Athanas. & Florentini suprà.

Quàmuis n. Filius etiã sit principiũ Spiritus S. tãmẽ ità est principium, vt nõ sit principiũ à se, sed ab alio principio procedẽs. Solus autẽ Pater per se, & à nullo simpliciter principio procedẽs, est principium Spiritus S. & cũ illa conditione solus Pater est principiũ totius Deitatis. Atq; hoc est, quod in huius propositionis declaratione docuit Eugen. suprà, Filium quod ab ipso procedat Spiritus S. habere à Patre, hoc autẽ Patrẽ habere ex se, nõ à Filio, nec à quouis alio.

Filius, quãuis sit principium Spiritus S, ita esse principiũ, vt non sit à se.

933 *3. Concl. Deitas in prædicta propositione*

3. Concl. Isto sensu posito, Deitas in prædicta propositione duobus modis sumi potest, quos tradit S. Th. infrà q. 39. a. 5. ad 6. Primo concretè, *siuè identicè, pro vniuersitate personarũ, tanquam scil. in omnibus Personis*

duobus modis sumi potest.

Personis diuinis ipse, nempe Pater, *est principium. Nec oportet*, inquit optimè S.Thom. *quòd sit principium sui ipsius, sicut aliquis de Populo, dicitur rector totius Populi, non tamen sui ipsius.* Vndè clarè docet Bonauēt. 1 d.29. in expositione textus, dub. 1. *Sensus loquutionis hic est, Pater est principium totius Deitatis, id est omnium Personarum in Deitate: & est distributio accommoda: sicut dicitur, Cælum continet omnia, se scil. excepto.*

934 *primum sensum expressit hic D. Th. & D. Bonauent.*

Quem primum sensum expressit VVormatiense vt supra, dicens, Pater est principiū *totius Trinitatis*: tametsi Suar. supra, & Ruiz. disp. 48. sect. 6. nu. 3. aduertant, hunc loquendi modum non esse vsurpandū, sed illum in declaranda communi propositione expressè vsurpant S.Th. & Bonauent. & ipsimet declarationē recipiunt, quem etiam exponere possumus, vt illud, *totius Trinitatis*, idem sit, quod *totius multiplicationis Trinitatis*; quia scil. Pater est principium addens secundam, & tertiam personam supra propriam suam primam personam, & sic multiplicans Trinitatem, seu tres diuinas personas.

935 *Pater dicitur Principium totius Deitatis, non quia eam spiret, aut generet; sed quia generando, & spirando eam communicat.*

Secundo præcisè, siuè formaliter pro Deitate, vt distincta secundùm rationem à personalitatibus. Et tunc sensus erit, inquit S. Thom. *Quòd Pater est principium totius Deitatis, non quia eam generet, & spiret, sed quia eam generando, & spirando communicat*, siuè, quod est idem, est principium *totius Deitatis*, non productę, sed communicatę omnibus Trinitatis personis ab ipso productis, quæ sunt Filius productus per generationem, & Spiritus S. productus per spirationem. Quem secundum sensum non obscurè tradidisse videtur Nazianz. supra in hoc quæsito, cùm de Patre, ait, *Author est eius diuinitatis, quæ in Filio, & Spiritu S. existit.* In hoc secundo sensu faciliùs excluditur Pater à numero eorum, quorum ipse principium dicitur. Nam dicitur principium *totius Deitatis*, non simpliciter; Sic enim ipse, qui etiam est Deitas, non excluderetur, sed *Deitatis communicatæ*. Pater enim non est Deitas communicata, sed solum communicans; solùm Filius, & Spiritus S. sunt Deitas communicata; & quidem Spiritus Sanctus est Deitas communicata, & nullo modo communicans; Filius vero, & communicata ratione generationis passiuæ, & communicans ratione spirationis actiuæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum hoc nomen Patris sit propriè nomen diuinæ personæ.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONCLVSIO. hoc nomen Patris est nomen proprium personæ Patris. Prob. Nomen significans illud per quod persona patris distinguitur ab alijs personis, est propriū personæ patris. patet in nominibus humanæ naturæ: illud enim dicitur esse nomen alicuius hominis, quod significat has carnes, & hanc animam, quę sunt de intellectu huius hominis. Sed tale est nomen Patris respectù primæ personæ, ergo.

Arg. 1. Nomen relatiuum, vt est Pater, nō est proprium rei absolutæ. Sed persona est quoddam absolutum; est enim rationalis naturæ &c. ergo. Resp. dist. ma. *nomen relatiuum &c.* quando persona non sit ipsa relatio subsistens, conced. ma. Si autem ipsa persona sit ipsamet relatio subsistens, vt est persona diuina; neg. ma. & min.

Arg. 2. Nomen cōmunius magis propriè dicitur de diuinis, quàm magis determinatum, quia hoc magis ad creaturas accedit. sed communius est nomen Generans, quàm Pater: cùm omnis Pater sit generans, non è contra. ergo. Resp. dist. ma. & conced. quādo cætera sunt paria. in præsenti enim non sunt paria: quia denominatio rei debet fieri maximè à perfectione. ex Arist. 2. *de An. t.* 44. generatio autem significat in fieri: sed paternitas complementum generationis. ideò &c.

Arg. 3. in nobis Verbum dicitur filius, ac genitus metaphoricè. ergo nomen Patris, quod sumitur in diuinis ex productione verbi, est metaphoricum. Resp. neg. conseq. est enim diuersa ratio de verbo in nobis, & in Deo. siquidem in nobis verbum non est subsistens, sed accidens. Verbum verò diuinum propriè est subsistens, ac proindè propriè filius.

Arg. 4. Nomen Patris propriùs dicitur de creaturis, quàm de Deo, in creaturis enim priùs reperitur generatio, quàm in Deo. cū à generatione creata procedat aliquod distinctum secundùm essentiam. ergo. Resp. dist. ma. & quantùm ad modum significandi conced. quantùm verò ad rem significatā per priùs dicitur de Deo. iuxtà Apostol. *Eph.* 3. quantò enim forma geniti est propinquior formæ generanti, tantò est perfectior generatio, quia est similior; in diuinis autem forma geniti, non est propinqua, sed eadem cum generante. proptereà &c.

DISPVTATIO CLXXXVI.

Vtrum hoc nomen, *Pater*, sit nomen propriè diuinæ personæ.

PRima Concl. affirmatiua: conclusionis sensus, vt ex illius probatione, & responsione ad 1. constat, hic est. Nomen Patris non prout est commune Patri increato, & Patri create, sed prout specialiter Deo tribuitur, est nomen primæ personæ diuinæ proprium, ità vt illi soli, & absque vlla impropr.etate conueniat. 936 Prima Concl. Nomē Patris est proprium primæ personæ.

Hoc omnes Catholici confitemur tum aduersus Sabellianos, qui negantes in Deo personarum pluralitatem, veram quoque in eo generationem, paternitatem, & filiationem esse negarunt: tum aduersus Arianos, qui cùm impiè vellent, Dei Filium non esse verò, ac propriè Filium per naturam genitum, sed per gratiam, & liberam voluntatem creatam, coacti sunt consequenter asserere, Deum Patrem non esse verè, ac propriè Patrem.

Ratio Conclusionis est, quia Deus Pater importat relationem Paternitatis subsistentem, qua prima persona improducta in diuinis constituitur formaliter in suo proprio esse personali, & ab omni alia persona, tàm increata, quàm creata personaliter distinguitur. Hæc enim Paternitas neque competit alijs diuinis personis, quia vt cum Athanasio in eius symbolo vniuersa fidelium Ecclesia fatetur, Vnus Pater, non tres Patres: *neque alicui creatæ personæ, quæ est Pater paternitate accidentaliter superaddita, & inhærente personæ; non paternitate substantialiter, & formaliter constituente personam. Illud autem sine dubio est proprissimum alicuius personæ nomen, quod explicitè importat propriam suam personalitatem, quam cùm nullo alio communem habet. Vbi verba illa S.Thom.* Id, per quod distinguitur persona Patris ab omnibus alijs, est paternitas, *valdè notanda sunt contra dicentes, Patrem distingui à Spiritu Sancto non per paternitatem, sed per aliā relationem actiuę spirationis.*

937 Prob. quia Deus Pater importat relationem Paternitatis subsistē tem.

Quòd verò personalitas primæ personæ producta sit Paternitatis relatio, seu paternitas verè, ac propriè dicta: & consequenter illa persona verè, ac propriè Pater denominetur, non per metaphoram, aut aliquam improprietatem, sufficienter probatum remanet ex dictis suprà qu. 27. & 28. latè probantibus, Filium

Paternitas est propria personalitas primæ personæ.

Dei

Deo esse verissimè, ac proprissimè Filium, cui correspondere necessario debet cum eadem veritate, ac proprietate Pater: & qu. 27. & 28. Hæc veritas ex Scriptura, & Patribus fusè probata est: & qu. 28. art. 1. 2. 3. & 5. vbi probatur, relationes, atque adeò paternitatem Deo conuenire verè, propriè, verissimè, veracissimè, vt loquuntur Patres ibi.

938 Hanc Patris denominationem non obscurè indicat ipse Christus.

Hanc Patris denominationem esse veram, ac valdè propriam non obscurè indicat ipsemet Christus Dei Filius, qui cum frequentissimè nominet diuinam Personam, à qua procedit, nullo alio ferè nomine vocatur, nisi Patris, vt potissimum videre est in toto Euangelio Ioannis, qui omnium clarissimè, & copiosissimè de diuinitate disseruit. Et ideò cap. 17. refert, Christum Dominum ità loquentem ad Deum Patrem, Manifestaui nomen tuum hominibus; *nimirum, vt interpretatur August. tract. 106. in Ioannem ante med.* Non illud nomen tuum, quo vocaris Deus, sed illud, quo vocaris Pater meus, quod nomen manifestari, sine ipsius Filij manifestatione non potest. *Et, vt ait Chrysost. ibi hom. 80. initio*, principaliter, quod Patrem hominibus annunciauit.

939 2. Concl. potiùs est nomē primæ diuinæ personæ Pater, quàm Genitor.

2. Conclus. in responsione ad 2. Potius est nomen diuinæ personæ Pater, quàm Generans, vel Genitor. *Ratio S. Thom. est, quia generans, seu genitor, denominatur à generatione, quæ, inquit,* significat vt in fieri, *hoc est significat aliquid per modum viæ seu tendentiæ ad aliud; Pater verò denominatur à paternitate, quæ significat, vt in facto esse, & per modum permanentis, ipsum* complemētum generationis: *quod ad generationem se habet, veluti finis, seu terminus ad medium, seu viam. At verò, inquit S. Thom.* secundùm Philosoph. 2. de Anima, denominatio rei, maximè debet fieri à perfectione, & fine.

940 3. Concl. Nomen Patris magis propriè cōpetit Deo, quàm creaturis.

3. Conclus. in responsione ad 4. Nomen Patris magis propriè conuenit Deo, quàm creaturis, quantùm ad rem significatam: contrà verò magis propriè conuenit creaturis, quàm Deo, quantùm ad modum significandi. Hoc in genere docet S. Thom. non solùm de nomine Patris, sed etiam de nomine generationis, & de alijs nominibus, quæ propriè dicuntur in diuinis: *& ex instituto tractauerat suprà qu. 13. art. 6. vbi nos hac de re sufficienter disputauimus. Probat S. Thom. conclusionem hanc in particulari dupliciter. Primò, ex illo ad Ephes. 3.* Flecto genua mea ad Patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in Cœlo, & in terra nominatur.

641 Secundò probat, quia ratio generationis perfectiùs, & magis propriè conuenit Deo, quàm creaturis.

Secundò probat, quia ratio, & consequenter nomen generationis, perfectius, & magis propriè conuenit Deo, quàm creaturis, ergo etiam ratio, & nomen paternitatis, & Patris. Conseq. est manifesta, quia propriè, ac perfectè Pater est, qui propriè, ac perfectè generat. Anteced. optimè probat S. Thom. à priori, Manifestum est enim, quod generatio accipit speciem à termino, qui est forma generati: & quanto hic fuerit propinquior formæ generantis, tantò verior, & perfectior est generatio; sicut generatio vniuoca est perfectior, quàm non vniuoca: nam de ratione generantis est, quod generet sibi simile secundùm formam. *Sed in generatione diuina inter genitum, & generantem, est distinctio secundùm relationē, & personā tantùm, non secundùm formam, & naturam infinitè perfectam Deitatis, quæ eadem omnino existens in persona generante, communicatur personæ genitæ: quæ naturæ perfectio, & identitas in creaturarum generationibus non reperitur, in quibus non solùm personæ, sed ipsæ naturæ realiter differunt; ergo diuina generatio, & per consequens paternitas, veriùs, propriùs, perfectiùs, & per priùs conuenit Deo, quàm creaturis. Ergo idem dicendum de nominibus generationis, paternitatis, & patris quantùm ad rem significatam. nam quantùm ad modum significandi, cum hæc nomina priùs tempore imposita sint ad res creatas significandas. quas priùs cognouimus, hinc fit, inquit S. Thom. suprà qu. 13. artic. 6. fine corporis,* vt modum significandi habeant, qui competit creaturis, *vt multis explicatum est in citat. quæst.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum hoc nomen, Pater, *dicatur in diuinis per priùs, secundùm quod personaliter sumitur.*

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio. Pater per priùs dicitur in diuinis personaliter, quàm essentialiter. Prob. Vnumquodque nomen per priùs dicitur de eo, in quo saluatur tota ratio nominis perfectè, quàm de eo, in quo saluatur tantùm secundùm quid. Sed in Deo Patre, vt dicitur Pater Filij, saluatur perfecta ratio paternitatis; sicut in Deo Filio inuenitur perfecta ratio filiationis, cum sit eadem natura in vtroque: In creatura autem non inuenitur perfecta ratio filiationis respectu Dei; quia non est eiusdem naturæ cum illo; ergo.

Arg. 1. Nomen commune per priùs dicitur de Deo, quàm nomen proprium; commune enim est priùs proprio secundùm intellectum: Sed hoc nomen Pater, sumptum personaliter, est proprium; essentialiter verò est commune toti Trinitati; ergo. Resp. dist. ma. quæ si intelligatur de prædicatis diuinis absolutis, est vera: hæc enim sunt priora proprijs, quia sunt de essentia eorum: sed falsa est de respectiuis ad creaturas, vt Dominus, Creator &c. talia enim prædicata non sunt priora proprijs, sed posteriora. Prius .n. Pater generat Filiū in diuinis, quàm Trinitas sit Pater; priùs enim Verbum procedit ex mente artificis, quàm artificiata ab artifice.

Arg. 2. Accipere est commune creaturæ, & filio: vt dicit Basilius; ergo. Paternitas personalis, & essent alis sunt eiusdem rationis in Deo, ac proindè vna non est prior altera. Resp. dist. Antec. & conced. de communitate secundùm aliquam proportionem; neg. verò de communitate secundùm vniuocationem; nam filius est eiusdem naturæ cum Patre: creaturæ verò sunt solùm vestigium diuinitatis, vt sæpe dictum est.

DISPVTATIO CLXXXVII.

An hoc nomen, *Pater*, dicatur in diuinis per priùs secundùm quod personaliter sumitur.

PAter personaliter sumptus, dicitur per ordinem ad Filium genitum intrà ipsum Deum, qua ratione vna sola, ac prima Trinitatis persona, prorsus improducta, dicitur principium notionale Filij. Pater verò essentialiter sumptus dicitur per ordinē ad effectus à Deo creatos extrà ipsum, qua ratione dicitur tota Trinitas principium essentiale creaturarum, non quid, aut relatio rationis ad creaturas, quàm habet Deus, vt actu creans, aut etiam ipsa creandi potentia, vt nō distincta ab intellectu, & voluntate, quā semper habet Deus, vt potens creare, sit de intrinseco conceptu essentiæ diuinæ, solùm quia essentiam consequitur, sicut attributum essentiæ, ità commune omnibus personis, sicut communis est ipsa essentia. 942 Nomen Patris dupliciter accipitur, personaliter, & essentialiter.

De hoc igitur nomine, Pater, *facta comparatione inter duas prædictas Patris acceptiones, prioritas quæritur, non quidem quantùm ad nominis impositionem, & significationem, quia iam in præcedenti art. ad 4. generaliter docuerat, & antea in qu. 13. art. 6. ex instituto probauerat,* quod nomen generationis, & paternitatis, sicut, & alia nomina, quæ propriè dicuntur in diuinis, non per priùs dicuntur de Deo, quàm de creaturis, quantùm ad modum significandi; *sed de prioritate, quantùm ad rem significatā: quæ vt clarè, & acutè* Hic quærit S. Th. de prioritate quantùm ad rem significatam.

explicat Syluest. 1. p Conflati q. 38 art. 3. initio est prioritas ordinis nominis ad sua significata; siuè, quod in idē redit, prioritas significatorū nominis inter se, respectu cōgruētiæ, quā habēt ad significari per tale nomē. Vndè quærere, vtrum de Deo dicatur Pater priùs personaliter, vel essētialiter, est quærere, vtrū formalis ratio significata per ly, Pater, perfectiùs fundetur in Deo generāte respectū Filij coæqualis, quàm in Deo creante respectu Filij, siuè respectū creaturæ, cuius dicitur Pater.

943 Concl. in diuinis per priùs dicitur nomē Patris sumptū personaliter.

Declaratis terminis, & sensu quæstionis, responsio, & Concl. Artic. est satis clara, & certa, & ab omnibus recepta, in diuinis per priùs dici Patris nomen sumptum personaliter, seu notionaliter, quàm essentialiter siuè, vt clarius cōcluditur in fine corp. Nomē Patris, vel paternitatis, per priùs dici in diuinis, secūdū quod importatur *his vocibus* respectus personę ad personā, quàm secūdū quod importatur respectus Dei ad creaturā. *Quòd nihil est aliud, quā habita ratione rei, quā propriè significat hoc nomē, Pater, Deus per priùs denominatur Pater Filij sui consubstantialis, quàm Pater creaturarum.*

Ratio est, quia Patris nomen significat propriè principiū generationis,

Ratio S. Th. ità est declaranda, ac formanda, Patris nomen significat propriè principium perfectæ generationis viuentium, quæ supra q. 27. ar. 1 definitur, origo alicuius viuentis à principio viuento coniuncto secundùm rationem similitudinis in natura eadem, vel numero, vel saltē specie. Sed tota ista ratio huius nominis perfectissimè saluatur in Deo, vt principio Filij sui, cui cōmunicat eandem numero Deitatis naturam quam in se habet, non saluatur autem tota, sed solùm secundùm aliquid in eodem, vt principio creaturarum, quibus cōmunicat particulam quandam naturæ suæ, ad ea distinctā non solum numero & specie sed etiam priusqu im genere, & infinitè distantem ab eius perfectione.

944 Creatura cùm Deo non habet similitudinem in natura, sed alias; primum vniuersalem.

Et ideò creatura cùm Deo, eius principio productiuo, non habet similitudinem in natura, quæ similitudo, faciens ad propriam generationis, ac Patris rationem, est omnium similitudinum perfectissima, sed habet alias minùs perfectas similitudines, quas breuiter tangit S. Th. à medio corp. primam vniuersalissimam vestigijs conuenientem omnibus creaturis, etiam irrationalibus, & insensibilibus, ratione cuius de Deo Iob. 38. dicitur, Quis est pluuiæ pater? vel, quis genuit stillas roris? *& vniuersaliter Sap. 14. dicitur,* sua autem Pater prouidentia gubernat.

Secundū imaginis, quā habet tantum creatura rationalis.

Secundam imaginis, quam habet tantùm quælibet creatura rationalis, ratione cuius Deut. 32. dicitur, Nonne ipse est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te? *& vt sumitur hic argumento 1.* Toti Trinitati dicimus, Pater noster. *Tertiam supernaturalem gratiæ, qua sicut iusti dicuntur Filij Dei, scil. adoptiui ordinati ad hæred. totā æternæ gloriæ, ità Deus dicitur iustorum Pater, vt ad Rom. 8.* Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij sunt Filij Dei. Accepistis .n. Spiritum adoptionis filiorū, in quo clamamus, Abba, Pater. Ipse .n. Spiritus testimoniū reddit spiritui nostro, quod sumus Filij Dei. Si autē filij, & hæredes: hæredes quidē Dei, cohæredes autem Christi. *Et iuxtà hanc tertiam similitudinē,* Pater Domini nostri Iesu Christi, *vocatur 2. Corinth. 1.* Pater misericordiarum.

Tertiā gratiæ.

Quartam etiā supernaturalē, idest gloriæ.

Quartā etiam supernaturalem gloriæ: quam expressit Io: ep. 1 c. 3. illis verbis, scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est. *Et propter hanc similitudinem beati vocātur Filij Dei, & consequēter Deus pater beatorum, ad Rom. 5. vt S. Th intelligit in fin. corp.* Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei. *Ergo spectato proprio significato huius nominis, Pater, illud* per prius, *hoc est primariò, ac simpliciter, absq; vlla improprietate, ac diminutione proprij significati, tribui debet primæ personæ diuinæ, vt est principium notionale, secundariò autem, & secundùm quid, ac diminutè dicitur de eadem prima persona, vt est principium essentiale. Sicut à contrario, hoc nomen, Filius, quia eius proprium significatum totaliter, & adæquatè conuenit secundæ personæ diuinæ genitæ, non autē cuicumque alteri personæ creatæ, per priùs dicitur de illa, per posteriùs de hac.*

945 1. Obiectio.

Arg. 1. In diuinis essentialia, & cōmunia sunt ratione priora notionalibus, & proprijs: sicut esse Dei priùs ratione est, quàm esse Patris. Sed esse Patrē creaturarum est quid essentiale, & cōmune toti Trinitati; ergo priùs ratione, quàm esse Patrem Filij, quòd est notionale, & vnius personæ proprium.

Respondet optimè S. Th. ad 1. distinguendo Ma. Cōmunia, *inquit,* absolutè dicta. Secundū ordinē intellectus nostri sunt priora, quā propria, quia includuntur in intellectu propriorū, sed nō è conuerso; in intellectu .n. personæ Patris intelligitur Deus, sed non conuertitur. Sed cōmunia, quæ important respectum ad creaturā, per posteriùs dicuntur, quàm propria, quæ important respectus personales. *Cuius generis cōmune est, esse Patrem creaturarum, sicut creare, gubernarē creaturas, & etiam scientia visionis creaturarum.*

Resp. cōmunia secundùm D. Th. sunt priora, quàm propria.

An autē intelligere creaturas possibiles, easq; per Omnipotentiam posse creare, sint etiam ratione posteriora personis diuinis; videtur affirmatiuè respondendum de possibilibus, vt quod, *omninò completè; negatiuè verò de possibilibus incompletè, &* vt quo; *sub qua ratione Verbū procedere dicitur ex cognitione possibilium, ac proindè præcedentium prioritate originis, vt infrà; alioquin apparet manifestè inconueniens priùs ratione cum fundamento in re, creaturas esse omninò completè possibiles, quàm Deum in seipso intrinsecè constitutum esse Patrem, Filium, & Spiritum S. qui sunt principium creaturarum omnino completum,* vt quod.

Intelligere creaturas possibiles, quomodo sit priùs personis.

946 2. Obiectio.

Arg. 2. ex Basil. lib. 2. cōtrà Eunomium aliquanto post med. ità docentē, Pater noster est Deus, non abusione, aut translatione, sed propriè, primò, & vere dictus. *Et post nonnulla,* proprie, ac merito Deus dicitur Pater, quòd non passionis, sed coniunctionis nomen est, vel eius, quæ est per gratiam, vt in hominibus, vel eius, quæ secundùm naturam est, vt in Vnigenito.

Resp. his verbis Basil. non considerasse propriam Patris, vt Patris rationem, de qua hactenus loquuti sumus: sed solum cōmunem rationem Patris, vt principij realiter productiui, qua Deus, vt principium creaturarum superat sine dubio omnes Patres in filiorum suorum generatione; quia producit omnia, quæ creati Patres producunt; & præterea materiam primam, animam rationalē, & ipsosmet parentes, & omnia continuò conseruat, omnibus prouidet, omnes ad salutem dirigit, quæ alij Patres non faciunt, propter quā excessum dicit Christus Dominus Matth. 23. Patrem nolite vobis vocare suprà terram. Vnus est .n. Pater vester, qui in Cœlis est.

Resp. his verbis Basilium non considerasse propriam Patris, vt Patris rationem.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum esse ingenitum sit Patris proprium.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio. Esse ingenitum est Patri proprium. Prob. Illud nomen per quod innotescit persona Patris, prout est principium non de principio, est proprium Patris: sed per esse ingenitū innotescit persona Patris, prout est principium non de principio; ergo. Ma. ac Minor declarantur; nam principium primum, quod est Pater, dupliciter potest innotescere, vno modo per respectum ad illas personas, quæ ab ipso procedunt, & quia filius procedit generatione, ideò inquātùm ab eo procedit filius innotescit paternitate, alio modo innotescit per hoc, quod est ab alio, & sic innotescit innascibilitate.

Arg. 1. Omnis proprietas ponit aliquid in eo, cuius est proprietas. Sed ingenitum nihil ponit in persona Patris, cùm idem sit, ac nō filius; ergo. Resp. dist. ma. proprietas, quæ constituit, ac notificat in diuinis, ponit aliquid, conced. vt sunt Paternitas, filiatio &c. neg. verò de notificante, sed non constituēte, & talis est innascibilitas; simplicia .n. per negationem propriè notificantur, sicut dicimus punctum esse, cuius pars non est.

Arg. 2. Spiritus Sanctus est etiam ingenitus;

tus; ergo. Resp. dist. ly ingenitum, quod potest dupliciter sumi; vno modo vt remouet tantùm esse genitum: & sic connenit Patri,& Spiritui Sancto: Nam Spiritus S. nō est propriè genitus,sicut nec Pater; alio modo sumi potest ingenitum, prout tollit non solùm esse per generationem, sed esse quocumque modo ab alio,& sic est proprium tātùm Patri.

Arg. 3. Nomen ingenitum significat substantiā,& non relationē,quia nō est ad aliud. ergo non est proprium personæ Patris. Resp. neg. Antec. & ad prob. neg. assumptum, quia sicut in diuinis genitum pertinet ad relationem, ità etiam ingenitum ad relationē pertinebit,& indè non sequitur, quod Pater ingenitus sit distinctus à filio genito secūdùm substantiam,sed tantùm secundùm relationē, inquantum .s. relatio filij negatur de Patre, nam omnis negatio reducitur ad genus suæ affirmationis eo modo,quo non homo, & nō leo,reducitur ad genus substantiæ in quo cōtinetur homo,ac leo.

Arg. 4. ea ratione, qua ponuntur plures personæ procedentes ab alia, sic etiam poterunt poni plures personæ ab alia non procedentes,& ingenitæ. ergo. Resp. neg. Ant. ex primo .n. non sequitur impossibile: sed si ponerentur duæ personæ ingenitæ, ponerentur duo Dij. tùm quia in quolibet genere oportet ponere vnum primum, & primum in natura diuina,est innascibile: tùm quia, vna innascibilis non esset ab altera,& sic distinguerentur diuersitate naturæ.

Arg. 5. Pater dicitur ingenitus propter oppositionem,quā habet ad personam genitā: ergo potest dici improcessibilis, propter oppositionem,quam habet ad personam procedentem. Resp. neg. conseq. duplici .n. de causa proprietas Patris explicatur potiùs per remotionem natiuitatis filij, quàm per negationē processionis Spiritus Sancti. primò,quia processio Spiritus Sancti non habet speciale nomen,& ideò non poterat secundùm propriū nomen remoueri à Patre. tùm quia, processio Spiritus Sancti ordine naturæ præsupponit generationem filij. Vnde remoto, quòd Pater sit genitus; & posito, quòd sit principium generationis, statim apparet ipsum esse improcessibilem.

DISPVTATIO CLXXXVIII.

Vtrum esse ingenitum sit proprium Patris.

947 Conclusio affirmatiua est de fide. definita in Concilio Nicæno.

Conclusio simpliciter affirmatiua est sine dubio veritas fidei, certa apud omnes Scholasticos, & Patres finita ex quibus illi potissimu eā probant, qui nō solùm rem, sed rei certitudinē tradunt. Clement Roman. lib. 7. constitutionum Apostolicaru c. 41 initio docet Cathechumenum, vt ante baptismum ita profiteatur, Credo in vnū ingenitum, verum Deum, Patrem Christi. *Sixtus I. epist. 1 decretali, multo post med* Patrem in diuinis litteris ingenitum, propriè potitū, nec legere possunt penitus, nec probare. Sed quia id ipsū fides exigit Christiana, absq; vlla dubitatione ingenitus creditur. *Niceni Patres lib. 2. 5.* Sæpenumero, *post med. ità credendu proponunt,* Vnus ingenitus Deus,& Pater, Vnus ex eo genitus Vnigenitus Filius, Deus Verbum. Sicut non est alter Deus cum Deo,& Patre ingenitus; ita neque congenitus, neque prior, neq; posterior filius, diuersus à Deo Vnigenitus Filio eius, Deo Verbo.

948 Confirm. ex D. Athanasio.

Huius definitionis locupletissimus testis est Athanas. in epist. ad Seraphionem, vt refert Th. opusc. 1. contra errores Græcorum c. 8. Non est ingenitus Spiritus S. quia imprincipiatum esse,& ingenitum, soli Deo Patri Ecclesia Catholica, congregata apud Nicænam, rectè & fideliter attribuit;& de solo Patre hinc esse credendū, & prædicandum, toti mundo sub anathemate māda uit. *Hilar lib. de Synodis circa med exponens Sardicum Synodum in fine ait,* Innascibilem Filium, Sanctorum fides nescit *Tolet. XI. initio professionis fidei,* Patrem nō genitū, non creatum, sed ingenitum profitemur. *Quod statim sic explicat,* Ipse .n. à nullo originē ducit: ex quo & Filius natiuitatem,& Spiritus S. processionē accepit. *& post nonnulla,* Spiritus S. nec ingenitus, nec genitus creditur: ne aut, si ingenitum dixerimus, duos Patres dicamus, aut, si genitum, duos Filios prædicare monstremur.

Idem credit Concilium Vuormasiē. in professione fidei.

Idem Concil. VVormatien. in professione fidei. Fulgent. ad obiectionem septimā Arianorum, aliquanto ante fin., Ingenitus Pater nunquam in Scripturis Canonicis legitur:& tamen secundùm fidei veritatem ingenitus prædicatur. *Anselm. in Monolog c. 54 post med.* Potest, imò debet dici solus ille, cuius Verbum est, genitor,& ingenitus, quia solus Pater, & parens, & nullo modo ab alio est. *Idacius Clarus lib. 3. contra Varimadum c. 2. fine in to. 4. Bibliothecæ Veterum Patrum, de Deo Patre docet,* absq; vlla dubitatione ingenitum credi, quia ità fides exigit Christiana. *Demum in secundis Vesperis Offici Sāctiss. Trinitatis, ita omnes fideles canimus,* Te Deū Patrē ingenitum toto corde,& ore confitemur.

949 Eandem veritatem simpliciter affirmāt multi alij Patres.

Eandem veritatē simpliciter affirmant multi alij Patres Iustinus in expositione fidei pag 1. & 2. sæpè ponit hoc nomen, Ingenitum, *vt proprissimam Patris notionē. Eius verba refero sup. art. 3. Athanasius in Quæstionib. Anonymis q. 5.* Proprium Patris quidem, Ingenitum esse, Filij verò, genitum: at Spiritus S procedere. *Alexander Alexandrin. epist. ad Alexandrum col. 4. initio, dicit,* Solus Pater ingenitus est. *& col. 9. fine,* Ingeniti vocabulum Patris, vtpote eius solius proprium, adscribendum propterea existimemus, quod Seruator ipse dicit, Pater maior me est.

Hilarius, sæpissime lib. de Synodis.

Hilarius sæpissimè lib de Synodis, & in libris de Trinitate satis sint verba lib 2. de Trin col. 5. vbi ante med. Patrē, & Filium ità distinctè nominat, Vnum ingenitum Deum Vnum vnigenitum Deum. *& paulo post,* Est Filius ab eo, qui Pater est; vnigenitus ab ingenito. *Et iteru paucis interiectis,* Ab vno ingenito Deo, vnus vnigenitus Deus. Non dij duo, sed vnus ab vno. Non ingeniti duo, quia natus est ab innato. *Nazianz. orat. in laude Heronis pag penul circa med. docet,* Vnum esse Deum ingenitum Patrem. *& paulò ante fin. prohibet dicendum esse,* ingenitum Filium, vnus est n. Pater. *& pag. vlt circa prin.* Patris proprietas hæc est, quòd ingenitus sit, *siuè, vt alijs in locis sæpè loquitur,* principij expers. *Cyril Hierosolym. catechesi 4. a. 2. initio, loquens de Patre, vt ex subsequentibus manifestum est, ait,* Primum dogma de Deo in anima vestra fundetur, quòd Deus vnus est ingenitus, sine principio. *Et Cathechesi II. in medio,* Neque duo ingeniti, neq; duo vnigeniti; sed vnus Pater ingenitus, qui Patrem non habet.

950 Basil. lib. 2. cōtra Eunomiū, multo ante finem.

Basil. lib. 2. contra Eunomium multò ante fin. laudat eos, qui dicunt, Genitū, atq; ingenitum, vt specificans quasdam proprietates in substantia consideratas, ad veram,& inconfusam Patris, ac Filij sententiam producentes esse. *Aug. lib. 15. de Trin. c. 26. paulò ante fin.* Pater solus noster est, de alio, ideò solus appellatur ingenitus, non quidem in scripturis, sed in consuetudine disputantium. *Cyril. Alexandrin. lib 1. Thes. c. 1., ante med. docet, quòd* vnus solummodo ingenitus, isq; Pater sit. *Damasc. lib. 1. fides c. 9. ante med.* Quæcumq; habet, Pater, Filij sunt, præter innascēdi proprietatē. *Et post med.* Solus Pater ingenitus, non enim ex alia hypostasi, suæ hypostaseos habet substantiam. *Idem passim docent alij Patres.*

Nullus Catholicus negare potest esse ingenitum soli Patri conuenire.

Nullus igitur Catholicus negare potest, esse ingenitū soli Patri conuenire in aliquo bono sensu, qui diligenter indagandus est; quoniam, vt docet Cyril. lib. 1. Thes. cap 3. ante finem, ingeniti vox multa significat, & inter æquiuoca iure numeratur, *quo fit, vt Ariani, teste Athanas. lib. de decretis Nicænæ Synodi prope finem,* hoc vocabulo, Ingeniti, quod probæ significationis est,& cum pietate vsurpari possit pro animi

sui

sui conceptu,proque libidine sua,ad contumeliam Saluatoris obutantur. *Ad quem abusum tollendum,& ad vitandas Arianorum insidias,dixit aliquando Basil. lib.1 contra Eunomium ferè inter princip. & med.* Ego autem etiam ingeniti, siuè innascibilis appellationẽ, quãuis summopere cogitationibus nostris cõgruat, tamen quoniam nullo loco in scriptura ipsam inuenio,& quoniam primum est elementum Blasphemiæ istorum,silentio tradendam merito duxerim.

951 Ariani fraudolenter vti volebant nominibus ingeniti:& geniti nõ verò clarè Patris,& filij.

Nimirum in disputationibus cum Arianis,qui vt errorum suorum tenebras malitiosè tegerent, ac fraudolenter introducerent,vti volebant æquiuocis,& obscuris nominibus ingeniti, & geniti, non autem vniuocis, & clarioribus Patris, & Filij, quibus vtuntur diuinæ scripturæ. In quo sensu accipiendi sunt quidam alij Græci Patres, qui nomen ingeniti repudiare, ac damnare videntur. Enim verò illis displicere non potest nomen, quod vsurpant,& expresiè laudant; vt patet ex verbis Athanasij,& Basilij; Sed potius abusus nominis, quod Ariani absque vlla necessitate in disputationibus vsurpabant, synceriore Patris vocabulo,ad decipiẽdũ,omisso.

QVÆST. XXXIV. D. Th.

De Persona Filij secundùm quod dicitur Verbum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Verbũ in diuinis sit nomen Personæ.

SVMMA ARTICVLI. D.Th.

CONclusio est affirmatiuà. Prob. Nomen quod in diuinis significat aliquid ab alio procedens,est nomen personale. hoc .n. est de ratione nominũ personaliũ in diuinis; .s.quod significent aliquid ab alio procedẽs, eo quod personæ diuinę distinguuntur secũdùm originem;vt dictum est: sed Verbum propriè sumptum in diuinis significat aliquid ab alio procedens; Verbum enim includit in sua ratione ab alio procedere, s. à notitia concipientis. ergo.

Arg.1.nomen Verbi metaphoricè dicitur in diuinis,vt Origenes dicit in c. 1. Ioannis. ergo.Resp.neg. Antec.Origenes .n, cum Arrianis in hoc erat,in diuinis.n. propriè datur Verbum, quod est similitudo naturalis producentis.

Arg.2 Nomen Verbi significat ea,quæ dicũtur essentialiter in diuinis iuxtà Aug.9. de Trin.c.10.& Ansel.in monol.c.58.ergo.Resp. neg.Ant.explicatur Aug.quod *verbum est notitia*,1.quod per notitiam concipitur: & Anselmus,dum dixit *Verbum esse cogitationem* nomine cogitationis accipit id, quod cogitatione concipitur.

Arg.3.Quibus conuenit dici, conuenit nomen Verbi:de ratione.n.Verbi est, quod dicatur: sed tribus personis conuenit dici, secũdùm Ansel.*in monol.c.*58.ergo,Resp.neg. mi. Ansel. .n.impropriè accepit dicere, & intelligere,cum hæc duo valde differentia sint. Nam per intelligere importatur tantùm habitudo ad rem intellectã, in qua habitudine nullus ordo originis importatur. Dicere verò importat habitudinẽ intellectus ad verbum conceptum,dicere enim nihil aliud est,quàm proferre verbum; omnis autem persona in diuinis est intelligens, & intellecta, sed vna tantùm est,quæ dicit,ac profert Verbum.

Arg.4.Nomen Verbi significat aliquod factum.in Psal. Ignis, Spiritus &c. quæ faciunt verbum eius.Sed nulla persona diuina est facta.ergo.Resp.neg.ma.ad Auth.Scrip.dicitur, quòd ibi nomine verbi non intelligitur verbũ propriè,sed figuratiuè,dicuntur.n. Creaturæ facere Verbum Dei,inquantum exequuntur effectum aliquem, ad quem ordinantur ex Verbo concepto diuinæ sapientiæ.

DISPVTATIO CLXXXVIIII.

Vtrum Verbum in diuinis sit nomen personale.

952 Status quęstionis aperitur.

SIcuti supra docuerat D. Thom. hoc nomen Pater in diuinis esse nomen personale, & significare primã personam diuinam,ita nunc quærit,an hoc nomen,Verbum, sit etiam nomen personale. Non quærit autem, an hoc nomen,Filius, sit nomen personale, quia id facilè colligi poterat ex dictis, quòd scil. omninò sit nomen personale,cùm sit correlatiuum Patris, & procedat per veram generationem,vt ex supradictis constat. Solùm ergo quæritur de nomine Verbi,& quidem omissis antiquorum hæreticorum erroribus circa hoc.

Ratio dubitãdi inter Theologos hæc est, quia intelligere est nomen essentiale.

Ratio dubitandi inter Theologos in hoc esse solet,quia intelligere in diuinis est nomen essentiale, quod tribuitur omnibus personis; sicuti ergo intellectioni,vt est in Patre,& vt dictio est notionaliter,correspondet Verbum notionale,ita intellectioni essentiali, & communi Verbum essentiale,& commune quod erit ipsa essentia diuina,quatenus intellectui diuino est explicatiua,& repræsentatiua omnium intelligibilium,& sic est ipsa sapiẽtia increata essentialiter accepta, sic enim dici solet, quòd intellectio Dei est ipsa eius essentia.

953 Cõclusio. Verbum propriè solùm dicitur personaliter.

Hac ergo in re omisso errore Durandi in 1 dist. 27 q. 3. vbi docet Verbum in diuinis propriè solùm dici essentialiter,non autem personaliter,nisi per quandam valdè remotam appropriationem. Communis recentiorum sententia est,Verbum propriè solùm dici personaliter in Deo,idest nihil esse in Deo, quòd propriè dicatur Verbũ, nisi personam Filij,quod benè probat Suar.lib 9. de Trinit. cap. 3.Vasq.disp.141.Arrubal disp. 123. c. 5. & alij communiter.Notat autem Molina hoc loco sequutus Caiet.hic,D.Th.in hoc mutasse sententiam Nam in 1. dist. 27.q.2.a.2. quod etiam innuerat q.4.de Verit a. 2. Dixerat Verbum in diuinis,& personaliter,& essentialiter dici posse, cùm tamen hoc loco solùm dicat accipi personaliter.

D. Th. in hoc non musse sẽtentiam,defẽditur contra Molinam.

Vndè aliqui illam D.Th. sentẽtiam adhuc nunc probabiliter defendunt,vt videre est apud Auctores cit. Sed circa hoc dici etiam posset.D. Th. re vera non mutasse sententiam, sed ibi accepisse nomen Verbi latius, non autem secundùm suum proprium,& integrum significatum;vt in fine corp. illius art. in primo videtur significare,& expressius docet loco cit.de verit.vbi rem omnẽ apertissime distinguit, vt mox videbimus. Hic autem expresiè loquitur de Verbo propriè dicto, sicuti etiam p. 2.q.93. art.1.ad 2.vbi hoc ipsum confirmat.

954 Verbum diuinum cui propriè dici potest essentialiter.

Quarè secundùm D.Th existimarem dicendum, quòd Verbum propriè nõ dicitur,nisi personaliter in Deo,impropriè tamen dici posse essentialiter, & ita conciliari possent hæ duæ sentẽtiæ,quæ videntur esse de nomine; addi tamen debet,quòd ipse D. Th. loco illo vltimo cit. aduertit illis Verbis. Sed tamen,quia nominibus vtẽdum est,vt plures vtuntur,quia secũdùm Philosophũ vsus maximè est æmulandus in significationibus nominũ,& quia omnes Sancti communiter vtũtur nomine Verbi,prout personaliter dicitur,ideo hoc magis dicendum est,quod scil. personaliter dicatur.

S: Verbũ propriè diceretur essentialiter, tunc quælibet persona diceretur Verbum

His vltimis verbis affert D.Th.præcipuam rationẽ ab extrinseco,qua fusius auctores cit. communiter vtuntur ad probandam doctrinam supradictã,quia scil si Verbũ diceretur in Deo,etiã essentialiter,tunc quælibet persona propriè diceretur Verbũ, sicuti quælibet propriè dicitur sapiens,& intelligens,& sic de alijs perfectionibus communibus; at id neq; ex litteris sacris,aut Patribus, aut Concilijs ostendi potest, imò potius contrarium; nã Ioan. 1. nomine Verbi absolutè sola secunda persona significatur,

significatur, & idem patet in alijs Patribus, qui citantur à prædictis authoribus; igitur propriè, absolutè, & sine vllo addito Verbum non est in Deo, nisi nomen personale.

965
Prob. vlterius ex D.Th. quia Verbum duo habet, & quod t ab intellectu, & quod sit expressio obiecti.

Addit prætereà ibi D. Th. aliam rationem petitam ab intrinseco illius verbi. Ita ergo Verbum intellectus in nobis duo habet de sua ratione, scilicet, quod est intellectum, & quod est alio expressum. Si ergo secundum vtriusque similitudinem Verbum dicatur in diuinis, tunc non solùm importabitur per Verbū diuinum processus rationis, sed etiam rei, si autem secundùm similitudinem alterius tantùm, scil. quod est intellectum, sic hoc nomen Verbum in diuinis non importabit processum realem, sed rationis tantùm, sicuti & hoc nomen intellectum. Sed hoc non erit secundùm propriam Verbi acceptionem; quia si aliquid eorum, quæ sunt de ratione alicuius auferatur, iam non erit propria acceptio; vnde si Verbum propriè accipiatur in diuinis, non dicitur nisi personaliter, si autem accipiatur communiter, poterit dici essentialiter. *Hæc D.Th. quam eandem rationem breuiter affert hoc etiam art. quod autem sit secundum D. Th processus rationis tantum, & processus rei, ipse ibidem explicat, & nos supra diximus q. 27.*

956
Ratio Concl. quia solùm Filius in diuinis est realiter similitudo expressa per intellectum.

Ex hoc loco sit breuiter formari potest argum. Verbū propriè est intentio intellecta, seu similitudo intellecta, realiter expressa ab intelligente per intellectum, sed sola persona Filij in diuinis est talis, vt constat ex dictis, ergo sola ipsa est propriè Verbum, & consequenter est nomen personale, si autem per Verbum intelligamus solam similitudinem intellectam, siuè ea sit expressa ab intellectu, siuè non, tunc etiam essentia diuina erit Verbum, sed hoc pacto impropriè, & secundum quid dicetur Verbum; propterea ergo si absolutè, & sine addito vti velimus nomine Verbi, solum personaliter dici debet in Deo, maiorem illam fusiùs ostendimus ex D.Th. tom. 1. q. 14. art. 4. q 27. art 4.

intellectioni essentialiter, vt sic nullum correspondet Verbum.

Atque ex his patet responsio ad rationem dubitandi. Dicendum enim est, intellectioni essentialiter vt sic, nullum correspondere Verbum propriè dictum, quia vt sic respicit obiectum suum, vt cognitum, nihil tamen respicit, vt expressum, vt colligi etiam potest hic ad 4. & propterea, vt sic non includit processum rei, sed solius rationis, & consequenter neque habet vllam oppositionem, sed potius identitatem cum re cognita, quare essentia diuina solum vt cognita, quæ correspondet illi intellectioni vt sic, non est propriè Verbum.

957
Instabis.

Instabis; ergo non omnis vera intellectio, & perfecta dicit ordinem ad verum Verbum. Resp. si loquamur in Deo, distinguendo, non omnis vera intellectio notionaliter accepta, nego, essentialiter concedo: & quia eadem est in Deo intellectio essentialiter, & notionaliter secundum id, quod dicit in recto, ideò verissima est vniuersalis illa propositio, quòd omnis intellectio, aliquo saltem modo considerata, est productiua Verbi, quæ distinctio est necessaria in diuinis, quia duæ personæ non intelligunt, nisi per intellectionem communicatam sibi ab alia, & consequenter non est necesse, imo neque possibile, vt hæc intellectio, quatenus connotat tales personas, sit productiua Verbi, sufficit, quòd id habeat, vt connotat personam Patris, vt Pater est, quod etiam indicat S. Th. art. seq. ad 4.

Resp. in Deo omne veram intellectioné notionalé respicere Verbū.

Quid intellexerit D. Th. per Verbum imaginationis?

Prætereà circa doctrinam huius artic. communiter disputant recentiores de triplici acceptione Verbi propriè dicti à D. Thom. scil de Verbo oris, Verbo mentis, & Verbo imaginationis, & difficultas est circa hoc vltimum, an scil D. Th per verbum imaginationis intelligat ipsum Verbum externum, vt imaginatione conceptum, & expressum, & significatiuum, sicuti & ipsum Verbum externum. An verò intelligat ipsum actum imaginationis, vt expressiuum rei, quam imaginamur, itaut imaginatio etiam exprimat Verbum in hominibus, quatenus per rationem est aliquo modo dirigibilis, sed res est prorsus philosophica, & videtur expressè, D. Thom loqui in primo sensu, dum ait, quòd ipsa imaginatio vocis Verbum dicitur; illud est etiam hic certum, quod docet D. Th in corp. & ad 2. quòd scil. Verbū impropriè, & metaphoricè dicitur res Verbo significata, sicuti etiam alibi diximus, quòd res à Deo imperata, & volita dicitur metaphoricè Dei voluntas, quo pacto Ariani dicebant Filium Dei esse eius Verbum, vt rem scilicet factam ab ipso extra se, quod est contra fidem.

958
Resp. intellexisse imaginationem vocis.

Ad 2. aduertit D. Th quod Verbum diuinum potest dici conceptio, & notitia, & intuitus diuinus, non prout hæc vocabula significant intellectionem, sic .n. sunt essentialia, sed prout significant terminum expressum intellectione, & conceptione, & eodem modo dicitur Verbum sapientia genita, idest conceptio expressa à sapiente, talis enim est Verbum increatum, conceptio scil. expressa à Patre per intellectionem, & sic est sapientia genita, quod est Verbum personale.

Verbum diuinum potest dici conceptio, notitia, & intuitus.

Vbi aduertendum est, quod quamuis Spiritus Sanctus sit sua sapientia, & possit dici sapientia spirata, non tamen id potest dici formaliter, sed solum identicè, quia non procedit ex vi suæ processionis formaliter, vt conceptio, sicuti procedit Filius, qui proprio quodam modo dici potest sapientia genita, sicuti dicitur Verbum. Circà vero modum loquendi D. Anselmi, quod scil. Verbum diuinum sit cogitatio, ait D. Thom. id impropriè dici pro notitia, nam cogitatio importat propriè aliquā inquisitionem, & imperfectionem, quæ non est in Deo.

Spiritus S. formaliter non est sapientia, sed tantū identice.

Similiter ad 3. docet, quòd dicere ad intra propriè non est in Deo, nisi respectu Patris, quasi dicat, dicere non est in Deo, nisi notionaliter. Quod si D. Anselmus id extendat ad alias personas, largè, ait, vsum esse eo vocabulo, pro eo, quod est intelligere, quòd ex D. Augustin. confirmat. Sicut ergo dicere est proprium Patris, ità dici in vno sensu est proprium Filij, in alio autem sensu est commune omnibus personis, dici enim, tanquam terminum expressum, & productum per intellectionem est proprium Filij & hoc est correlatiuum ad ipsum dicere, dici autem, tanquam rem significatam per Verbum expressum, & formatum à dicente, est commune toti Trinitati. Quemadmodum enim intellectus noster formando conceptum lapidis, aut hominis, dicit verbum, tanquam rem à se productam, & eodem verbo dicit lapidem, vel hominem, exprimendo Verbum repræsentatiuum, & significatiuum ipsorum, ità Pater diuinus intelligendo totam Deitatem, & quicquid est in illa, dicit Verbum, illud in se realiter producendo, & dicit hoc Verbo sibi adæquato omnia, quæ hoc Verbo repræsentantur, & significantur, & sic hoc Verbo dicit totam Trinitatem, & omnes etiam creaturas, quod est rectè aduertendum

D Th. docet dicere non esse in Deo nisi respectū Patris, scil. notionaliter.

959
1. Obiectio.

Arg. 1. Contra prædictam veritatem, quia Verbum in nobis propriè est forma vitaliter expressa in intellectu, quia ipse formaliter est intelligens in actu secundo, vt constat ex ijs, quæ diximus qu. 12. art. 2. Sed Filius Dei non est id, quo formaliter Pater diuinus intelligit; ergo Filius Dei non est propriè Verbum Patris: Mi. tanquam certissima concedi debet; nam Pater intelligit sua sapientia ingenita, est enim sua sapientia formaliter, nā sapientia non est nomen personale, sed essentiale. Itē si Pater intelligeret formaliter Verbo personali, Pater intelligeret intellectione, vt forma realiter distincta à se, quod est impossibile, & similiter Spiritus Sanctus.

960
Vera est illa propositio D. Aug. quòd Pater non intelligit formaliter sapientia genita.

A quo hoc etiam aduertunt ex D. Aug. recentiores communiter, vt Suar. loc. cit. cap. 2. Vasq. ibid. cap. 4 Arrubal. cap. 8. quod etiam aduertit D. Thom. in 1. dist. 17. qu. 2. art. 2. in corp. & infrà qu. 37. art. 2. præsertim ad 1. & qu. 39 art. 7. ad 2. & alibi. Vndè vera est illa propositio, quòd Pater non intelligit formaliter sapientia genita, sed ingenita, neque videtur sufficiens eorum responsio, qui dicunt ad min. Filium Dei posse considerari dupliciter, vel quoad essentiam, vel quoad proprietatem personalem, si primo modo accipiatur, negandam esse mi. licet secundo modo concedenda sit, hæc enim responsio nullo modo subsistit; sic enim sensus esset, quòd Pater æternus intelligit Verbo, idest sua essentia, quæ in Verbo, eodem autem modo dici posset intelligere Spiritu S. idest per essentiam, quæ in Spiritu Sancto.

Deindè etiam contrà est, quia in nobis Verbum, vt Verbum, est id quo formaliter intelligimus, & consequenter Verbum diuinum, vt Verbum, & vt persona, qua ratione tantùm est Verbum personale, deberet esse

Instabis. In nobis Verbū esse id, quo formaliter in-

id, quo

telligimus; ità &c.

id, quo formaliter Pater intelligit, & sic mi. esset falsa sine vlla distinctione, cùm tamen omninò debeat esse vera, vel si non est vera, non erit Verbum in diuinis. Neque demum est sufficiens aliquorum Thomistarum responsio dicentium, Verbu in nobis non esse id, quo formaliter intelligimus, sed solùm esse similitudinē obiectiuā, vt fusiùs ex D. Th. probauimus tom. 1. q. 12. a. 2.

Resp. In Nobis, cùm Verbum sit accidens, & forma est id, quo formaliter intelligimus.

Existimo ergo, respondendum esse, etiam iuxtà principia D. Thom. maximè loc. cit. in 1. distinguendo maiorem in creaturis, concedo, in Deo, nego, & sic concessa min. neganda est Consequ. Ratio autem disparitatis, est manifesta, quia Verbum in omnibus creaturis est accidens, & forma, per quam formaliter, & immediatè innotescit ipsi intelligenti res intellecta, & non alteri, nā per verbum, quod creatura elicit non alius, sed ipse eliciens est cognoscens, & hoc ex eo oritur, quia nulla creatura est suum intelligere, sicuti è contra Verbum oris primò, & per se est ad notificandam rem significatam alteri, non ipsi loquenti, qui supponitur prius intelligens, quàm loquens verbo exteriori.

962 In diuinis verò cùm Pater sit sua sapientia, non dicit Verbum ex necessitate; sed ex fœcunditate naturæ.

At verò è contra in diuinis, persona Patris est suum intelligere, & sua sapientia, quarè Verbum ab eo expressum non est, vt per ipsum formaliter Pater sit intelligens, cùm ipse Pater per seipsum sit intelligens in actu secundo, sed id est ex fœcunditate naturæ, & intellectus diuini, & scientiæ suæ, & ex essentia intellectionis, vt hoc pacto exprimat Verbo totum id, quod per se ipsum intelligit, & sic communiter Doctores aduertunt, quod Pater producendo Verbum, non loquitur sibi, quia non est per Verbum formaliter intelligens, sed loquitur ipsi Verbo producto, & genito, tanquàm personæ per se subsistenti, quæ ex vi productionis suæ formaliter habet esse conceptum expressum, & Verbum, & sapientiam genitam, vt vidimus qu. 12. art. 2. Et hoc etiam est, quod communiter aduertunt Doctores, & Patres, scil. Verbum in diuinis esse sine his imperfectionibus, quas habet in nobis, qualis est prædicta, quòd scil. sit accidens, & forma informans. conuenit autem cum Verbo creato in eo, quòd sit conceptio expressa ab intelligente, qua significatur, & dicatur omne id, quod intelligens intelligit exprimendo Verbum.

An in Verbi productio loquatur Spiritus Sanctus? Resp. negat.

Posset aliquis petere, An Pater in ipsa Verbi productione loquatur etiam Spiritui S. & ratio est, quia Spiritus S. etiam intelligit quidquid Pater loquitur Filio; ergo Pater etiam ipsi loquitur. Dicendum tamen videtur negatiuè, & ratio est, quia tunc aliquis dicitur loqui alicui, cum actionem suam locutiuam dirigit ad illum, non autem illi, qui per accidens audit loquentem; vndè si ego dirigam sermonem meum ad Petrū, & alius, ad quem non dirigo sermonem, audiret me loquentem, ego non dicerer loqui, nisi Petro; Simile quid dici potest in casu nostro, sublatis tamen semper omnibus imperfectionibus.

963 2. Obiectio.

Arg. 2. Si dicamus, Verbum creatum non esse id, quo formaliter creatura intelligit, sed solùm esse similitudinem obiectiuam, & imaginem rei intellectæ, in qua cognoscens cognoscat rem intellectam; Sic nulla esset assignanda in hoc disparitas ad Verbum diuinum, sed potius ex paritate ad Verbum creatum nobis magis notum, possumus philosophari de Verbo increato, maximè quia videtur in hanc sententiam inclinare D. Thom. qui sæpè docet, Verbum esse obiectum intellectus, & intentionem intellectam, cum ergo ipsum sit similitudo expressa, & sit obiectum, poterit rectè dici similitudo obiectiua, & medium, in quo. Idemque D. Thom. in cap. primum Ioan lect. prima docet, Verbum interius comparatione ad intellectum non esse sicut quo intellectus intelligit, sed sicut in quo intelligit, quia in ipso expresso, & formato videt naturam rei intellectæ, & idem habet Opusc. 13. & 14. vbi propterea Verbū dicit esse speculum, in quo res cernitur.

964 Resp. impossibile esse Verbum creatum, non esse formam, qua intellectus intelligit.

Resp. illud omninò dici non posse: Impossibile enim est, Verbum creatum non esse formam, qua tanquam termino intellectionis essentiali, vt forma informante intellectus intelligat; neque est, quod obijciant D. Thom. Nam fusiùs q. 12. art. 2. ex ipso probauimus prædictam nostram sententiam, quòd scil. Verbum creatum sit id, quo formaliter intellectus intelligit, non tanquam principio intellectionis, sic enim species impressa est id, quo; sed tanquam termino intrinseco, & essentiali.

Nunquam D. Th. dixit, Verbum esse similitudinem, in qua, seu id in quo.

Neque scio, quòd vnquam D. Th. appellauerit Verbū creatum, vniuersaliter loquendo similitudinem obiectiuā (maximè si loquamur de similitudine obiectiua reali, & perfecta,) respectu eius cognitionis, qua producitur; quòd autem illis locis dicat, Verbum esse id, in quo, ne videatur sibi contradicere, aut certè in Summa, & sententijs, & libris contr. Gen. & alijs mutasse sententiam, dici potest esse id, in quo, tanquam in similitudine intentionali, qua simul etiam sit id, quo formaliter intellectus intelligit, & sic facilè concedi potest ille modus loquendi; quomodo autem in diuinis Verbum possit dici imago, & similitudo obiectiua, dicemus cum D. Thom. qu. est. seq. artic. 1. &c.

965 Instabis 1. Resp. similitudinē, seu medium in quo esse medium cognitum.

Dices 1. quid est esse propriè similitudinem obiectiuè, & medium, in quo? Resp. est esse medium inter cognitionem completam, & terminatam suo termino intrinseco, & essentiali, & obiectum vltimum cognitū, sicut Statua Cæsaris est medium inter Cæsarem, quod est vltimum obiectum cognitum, & inter cognitionem ipsam suo verbo terminatam, qua cognoscitur Cæsar in sua statua, & sic essentia diuina est medium, in quo respectu visionis Beatorum ad videndas creaturas in illa: at verò verbum mentis licèt aliquo modo sit medium inter intellectum, & rem vltimò intellectam; non tamen est medium inter intellectionem vltimò, & intrinsecè terminatam, & rem intellectam, & propterea non est omnino medium, in quo, sed solùm aliquo modo.

966 Instabis 2.

Dices 2. Potest ne dici, quòd Pater in diuinis, sicuti producendo Verbum loquitur ipsi Verbo, ita loquatur Spiritui S. ex vi spirationis, & productionis ipsius.

Resp. Patrem producendo Verbum, non loquitur Spiritui S. sicut loquitur ipsi Verbo.

Resp. non posse dici, primo quidem modo, quia ex vi productionis Verbi non producitur à Patre Spir. S. neque quicquam illi communicatur, & sic ratione solius productionis non potest intelligi locutio ad Spiritum sanctum. At verò secundo modo, licèt Spiritus S. habeat à Patre esse intelligentem, & Deum, & consequenter cōmunicetur illi intelligere diuinum, sicuti & natura, non tamen communicatur ex vi suæ productionis formaliter, sed solùm identicè, & sic non potest dici, quòd Pater, & Filius producendo Spiritum S. loquantur illi, propriè loquendo, sicuti Spiritus S. non est verbum talium personarum. At verò è contra Filio ex vi suæ productionis formaliter cōmunicatur intelligere diuinum, & natura, quia ex vi suæ productionis habet, vt sit Verbum, & conceptio expressa in similitudinem naturæ cum Patre, vt suprà qu. 27. dictum est.

967 3. Obiectio.

Arg. 3. Verbum in creaturis est idem realiter, ac eius intellectio, qua producitur, & consequenter si intellectio nostra identificaretur cum nobis intelligentibus, etiam Verbum nostrum identificaretur nobiscum, sed Verbum diuinum distinguitur realiter à Patre intelligente, at verò essentia non distinguitur realiter à Patre, ergo potius essentia diuina debet dici Verbum, quàm persona Filij, & sic Verbum erit nomen essentiale, non personale.

Resp. si homo esset suum intelligere, & produceret Verbum, Verbum esset realiter distinctū.

Resp. neg. primam Conseq. si enim homo esset suum intelligere, vel nullum exprimeret Verbum intelligendo, quod non est absurdum, posito illo absurdo, & impossibili, neque necesse esset, vt eius notitia esset adeò fœcunda, sicuti est diuina, sed eius intellectio potius compararetur similitudini impressæ à Deo, vel à natura in eius productione, vel certè si produceret Verbum illud, realiter deberet distingui à producente; hoc enim importat Verbum, nempe realem processionem à dicente, quòd nos secundùm fidei principia tuemur, & sic nihil sequitur ex argumento ducto ab impossibili.

Si in creaturis Verbum non distingueretur ab intelligente, quod est filium, in Deo tamen deberet realiter distingui.

Et demùm quàmuis in creaturis non distingueretur, deberet tamen in Deo distingui, in quo est per se subsistens, & persona. Si verò quis petat, an in ipsa Verbum diuinum distinguatur realiter ab actu dictionis, per quem procedit. Dicendum est, in actu dictionis duo includi essentialiter, primum est ipsa diuina intellectio, secundum est relatio paternitatis, & vt sic indiuisibiliter dicitur dictio actiuè. Dico ergo, distingui Verbum realiter à dictione actiua ratione paternitatis, non ratione intellectionis, sicuti distinguitur realiter Filius à Patre, non ratione naturæ, sed ratione paternitatis, quàmuis

ergo

ergo in nobis Verbum non distingueretur realiter ab actione intelligendi, per quam intelligitur procedere, adhuc tamen Verbum diuinum haberet cum nostro verbo aliquam in hoc proportionem, quia non distinguitur realiter ab illa intellectione, per quam procedit essentialiter accepta, sed solùm notionaliter, quod est distingui realiter à dicente, sicuti Verbum nostrum distinguitur realiter etiam ab intelligente, & dicente.

968 4. Obiectio.

Arg. ultim. (quod tamen facilè solui potest ex dictis) Verbum in creaturis est ipsa intellectio intelligentis, ergo in Deo erit ipsa intellectio Patris, sed hæc non distinguitur ab essentia Patris, seu ab ipso Patre, ergo hæc essentia est Verbum, non autem Persona Filij, quæ distinguitur realiter à Patre.

Resp. Verbum in diuinis esse ipsam Patris intellectioné, sed ex pressá.

Resp. negari posse Ma. in sensu formalissimò Thomistæ, & Nos eã negamus, etiã in sensu reali, sed nihil hoc refert; distinguendum enim est primum Conseq. erit ipsa intellectio expressa, concede, ipsa intellectio essentialis vt sic, & vt est in Patre, nego. Min. autem falsa est in primo sensu, & sic nihil concludit argumentum: hæc autem distinctio non habet locum in creaturis, in quibus nulla datur cognitio, quæ non sit realiter expressa ab intelligente, sicuti datur in Deo: nam cognitio essentialis non est expressa realiter, sed potiùs habet quandam similitudinem cum specie impressa nostra, vndè sæpè suprà quæst. 27. ex D. Thom. vidimus, quòd intelligere, prout essentialiter accipitur in Deo, non dicit processum rei, sed solùm rationis, idest non est aliqua operatio realiter expressa, sicuti est expressum Verbum, sed solùm ex nostro modo concipiendi significatur per modum operationis procedentis ab intellectu, & dicentis ordinem rationis ad obiectum.

ARTICVLVS SECVNDVS:

Vtrum Verbum sit proprium nomen Filij.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

CONclusio. Verbum propriè dictum in diuinis est proprium nomen filij. Prob. Nomen, quod in diuinis significat aliquid procedens secundùm emanationem intellectus, est proprium nomen filij, hæc enim emanatio dicitur genetatio in diuinis, per quam filius generatur, vt dictum est. Sed nomen verbi significat aliquod procedens secundùm emanationem intellectus; ergo.

Arg. 1. Omne nomen, quod est proprium filij; significat rem subsistentem. Sed nomen verbi non significat rem subsistentem, vt in nobis patet. ergo. Resp. neg mi. est enim diuersa ratio de verbo creato, ac diuino, nam cum intelligere creatum non sit ipsam esse, sicut diuinum; propterea verbum in vobis est accidens: in Deo vero est ipsum esse subsistens.

Arg. 2. Verbum procedit prolatione quadam à dicente. Sed filius non procedit prolatione quadam à Patre. hęc enim fuit hæresis Valentini. ergo. Resp. neg. mi. ad prob. dicitur, quód error Valentini non fuit damnatus propter hoc, sed propter varium motum prolationis, quem ponebat, vt Aug. 3 lib. de heresi refert.

Arg. 3. Nomen verbi non significat aliquam filij proprietatem. quia tunc essent plures proprietates in diuinis, quàm fuerint superius assignatæ. ergo. Resp. neg. Antec. ad prob. dicitur, quod nomen Verbi significat eandem proprietatem, quam significat nomen filij. Sed diuersis nominibus significatur ad exprimendam diuersimodè eius perfectionem. nam, vt ostendatur consubstant alis Patri, dicitur filius; vt ostendatur, immaterialiter genitus, dicitur Verbum.

Arg. 4. Omnis, qui intelligit, intelligendo producit verbum. Sed filius in diuinis intelligit. ergo &c. & sic nomen Verbi conueniet alteri à filio. Resp. dist. ma. omnis, qui intelligit, vt Deus generans, producit verbum, conced. ma. qui intelligit, vt Deus genitus, nego; & sic intelligit filius; .i. intelligere essentiali; non veró notionali.

Arg. 5. Basilius. ex illo hæbrei .i. Portans omnia verbo virtutis suę; accipit, quod Spiritus Sanctus est verbum filij: ergo. Resp. in illis verbis Apostoli, sumi verbum figuratè pro effectu verbi, ex cuius virtute est, quód conseruentur res, sicut per ipsum fuerunt productę, & in hoc significatu nomen verbi à Basilio Spiritui Sancto attribuitur.

DISPVTATIO CLXXXX.

An Ratio Verbi diuini, sit formalissimè ratio Filij.

969 Nota. 1. in Deo ad intrà esse proprijssimè verbum.

P*Rimò supponendum est, vt de fide, in Deo ad intrà esse proprijssimè Verbum ex comuni sententia Sanctorum, & Theologorum, vt patet ex innumeris locis Sacræ Scripturæ præsertim Ioan. 1.* In principio erat Verbum, &c. *Vndè damnata est hæresis quorumdam, quàm refert D. Augustin. de hæresibus, hæresi 30. asserentium, Filium Dei non esse Verbum Patris, propter quod dicti sunt* Alogiani, *quasi sine Verbo à verbo Græco*, Logos, *quód latinè verbum dicitur.*

Nota. 2. verbũ in diuinis nulla modo dici essentialiter, sed personaliter.

Supponendum est 2. vt commune apud Theologos, verbum in diuinis nullo modo dici essentialiter, sed personaliter: vt ex dictis disput. præced. patet, ratio est, quia verbum propriè dictum dicit quód verè, & realiter producatur, in diuinis autem nullum essentiale producitur. Hoc est contra Durand. in 1. dist. 27. quæst. 3. & contra D. Thom. ibid. quæst. 2. art. 2. quæst 4. de Verit. art. 2. vbi dixit, vtrumque esse probabile, scil. quod aliquid essentiale, videlicet cognitio, dicatur Verbum, & aliquid personale, vt Filius, cuius oppositum efficaciter asserunt hoc quæst. 34. artic. 1. Idem tenet Scotus, & Gabriel, & communiter omnes Doctores cùm Mag. ibidem: idem sentit Augustin. 6. de Trinit. cap. 2. & lib. 7. cap. etiam 2. & 3. Anselmus in Monolog. Basil. in Euangelium Ioannis, & in hoc insinuant Scripturæ.

970 Nota. 3. Filiũ in diuinis propriè, & personaliter esse verbum.

Ex quo supponendum est 3. Filium diuinum propriè, & personaliter esse Verbum ex vi suę processionis, cùm procedat per intellectum, vt dictum est. hoc tenent omnes Catholici contra Arrium, & Origenem, vt refert D. Thom. loco citat. hic 1. part. qui asserebant, Filium metaphoricè dici Verbum, quod optimè refutat Cyril. lib. 1. in Ioann. cap. 4. & similiter omnes Theologi contra Durandum id etiam asserentem, licèt diuersa via ab Arrianis, vt videre est in Commentatoribus suprà 1. p. D. Thom. loco cit. vbi respondent argumentis Durandi. Ex quo colligitur, Filio Dei conuenire omnia, quę verbo nostro intellectuali conueniunt, seclusis proprietatibus, quę continent imperfectionem, scilicet esse id, quo formaliter intelligit producens, & esse productum ex indigentia ad intelligendum: de ratione enim Verbi, vt sic, tantùm est, quód realiter procedat ab intelligente vt sic, tanquam quid repręsentatiuum eorum, quę in intellectu fęcundi dicentis continentur.

971 An ratio verbi sit formalissimè ratio filij.

Habitò ergo, quòd Filius Dei sit propriè Verbum, quod quęritur est, an ratio Verbi sit formalissimè ratio Filij? an sint duę rationes distinctę in illo esse Verbum, & esse Filium?

Nota 4. Naturæ intellectualis supremę nõ est denegãda, communicatio naturę per generationẽ.

Pro decisione notandum est, quòd quia natura intellectualis est suprema omnium naturarum, non est illi denegandum quidquid perfectionis in reliquis inferioribus reperitur; cùm autem communicatio naturæ per naturalem generationem sit maxima perfectio viuentium, vt insinuat D. Dyonis. de diuinis nominibus cap. 4. & Aristot. 2. de Anima, non est cur denegandum sit naturæ intellectuali, & maximè illi, quæ constituta est in vltimo intellectualitatis gradu, qualis est diuina, quod videntur significare illa verba Isaiæ. Nunquid, qui alijs generationem tribuo, sterilis ero? *Ac si diceret: sola ne mea intellectualis natura inter omnes infœcunda erit?*

Hæc communicatio fit media aliqua potentia distincta.

Cùm verò hæc naturæ communicatio non fiat immediatè ab ipsa natura, sed mediante aliqua potentia distincta, illa sola potentia erit communicatiua naturæ per modum naturæ, quæ immediatiùs ab essentia dimanauerit, quia in illa prima potentia exprimitur, & refunditur tota vis ipsius naturæ; in reliquis verò non nisi limitatè, & iuxtà modificationem, & determinationem primæ potentiæ, qua mediante dimanarunt: vndè operatio primæ potentiæ erit ipsa naturæ communicatio per modum naturæ; atque adeò erit generatio. Ex quo infero, quòd cùm diuinus intellectus sit potentia immediatè orta à diuina essentia nostro modo intelligendi, processio, quæ fit per intellectum, est verè generatio intellectualis, & Verbum procedens est verè, & propriè Filius, & consequenter rationem Verbi diuini esse formalissimè rationem Filij diuini.

972
Concl. affirm. est omninò certa Prob. 1. ex Script.

Conclusio. In Verbo diuino eadem est formalissimè ratio Verbi, & ratio Filij. Hanc Conclus. ità reputo certam, vt oppositum existimam periculosum. Prob. *1. ex Sacra Scriptura, in qua indifferenter tribuitur secundæ personæ Trinitatis nomen Verbi, & Filij, nam 1. Ioan. 5. dicitur:* Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus *Ecce vbi loco Filij, qui correlatiuus est Patri, ponitur Verbum. Et Ioan.* 1. In principio erat Verbum, &c. *Vbi intendens Diu. Ioan. probare Christi diuinitatem, & æternam generationem, vsus est nomine,* Verbi, *ergo, quia intellexit, eandem esse vtriusque rationem.*

Confirm. nam aliàs in diuinis essent ponendæ quinque relationes

Confirm. Quia aliàs in diuinis essent ponendæ quinque relationes reales cuius oppositum probatum est suprà quæst. 28. art. 4. quod probatur, si relatio Verbi ad dicentem non est eadem cùm relatione Filij ad Patrem. Prob. 2. Quia Verbum diuinum vt sic, procedit per modum naturæ intellectualis; ergo, vt Filius intellectualis, ergo eadem est ratio Verbi, & Filij.

973
1. Obiectio.

Arg. 1. Filius vt sic, assimilatur per se primò generanti in essentia; sed Verbum, vt sic non assimilatur dicenti in essentia, vt constitutum est per formam substantialem in esse quidditatiuo, sed illi constituto in actu primò per speciem in actu intelligibili; ergo non est eadem ratio vtriusque.

Confirm.

Confirm. Quia Filius formaliter est similis principio, à quo procedit: sed verbum vt sic, non est simile principio, à quo procedit, sed obiecto repræsentato, ergo ratio vtriusque est diuersa: Ma. patet ex definitione generationis viuentium; & Min. prob. quia ratio verbi est, quod sit expressa similitudo obiecti.

Solutio.

Dices huic arg. & confirmationi, quòd quando intelligens intelligit seipsum, tunc verbum est similitudo rei cognitæ, & cognoscenti simul: Pater autem diuinus cognoscendo seipsum format Verbum.

Reijcitur.

Sed contrà 1. quia materialiter coincidunt principium intellectionis, & eius obiectum, quando quis intelligendo seipsum producit verbum, formaliter tamen distinguuntur, ergo verbum productum vt sic, non assimilatur per se primò producenti, vt producens est, sed ipsi vt obiecto. Confirm. quia verbum, quod format Angelus etiam ex cognitione sui, licèt assimiletur essentiæ Angeli, non assimilatur illi per se primò, prout est quidditas substantialis Angeli, aliàs esset eius Filius, sed prout habet rationem speciei intelligibilis constituentis intellectum Angeli in actu primò intelligibili, ergo idem dicendum erit de Verbo diuino.

974
Respond. ad Obiect. & Cõfirm. Verbũ diuinum per se primò respicere ipsum cognoscẽtẽ, deinde formã, seu obiectum.

Resp. ad argumentum cum sua Confirm. solutionem ibi datam esse optimam, pro qua notandum est, quòd Verbum per se primò respicit ipsum cognoscentem; vt exprimentem similitudinem formæ, qua constitutum est in actu primò; & primariò etiam obiecto, cuius est formalis similitudo: vndè Verbum diuinum dicit habitudinem ad essentiam diuinam, vt ad formam essentialiter constituentem personam Patris, & vt habet rationem principij radicalis, & primi respectu expressionis Verbi, quæ habitudo non est duplex, sed simplex, quia principium primum radicale, & principium proximum non concurrunt, vt duo principia, sed vt vnicum totale. vndè habent rationem vnius termini simplicis. Habet tandem tertiò Verbum diuinum relationem ad essentiam, vt ad obiectum, quæ tantum est relatio rationis: vndè ad argumentum in forma negatur Min. assimilatur enim Verbum diuinum essentiæ, & quidditati Patris, quatenus est principium radicale, & primum expressionis Verbi: & ad Confirm patet etiam, minorem esse falsam, quia Verbum maximè diuinum assimilatur primariò obiecto; ipsi verò principio, à quo procedit etiam primariò; ex quo patet solutio ad impugnationem,

975
2. Obiectio.

Arg. 2. Generatio per se primò ordinatur ad Filium propter seipsum, sed intellectio non ordinatur ad verbi productionem, ergo vt Verbum non est Filius. Ma. patet, & Mi. prob. quia potius Verbum, vt sic per se primò ordinatur ad intellectionem.

Resp. Verbum diuinum non produci ex indigentia cognoscentis.

Resp. 1. negando, Verbum diuinum esse propter cognitionem, non enim producitur ex indigentia ad cognoscendum, vt in nobis. Resp. 2. quòd licèt concedamus ordinari aliquo modo ad cognitionem Patris, quatenus videt omnia in Verbo, ordinatur tamen ad illã, vt cognitio est; non verò vt dictio, seù vt generatio est, quia ita potiùs è contrà res se habet. dictio .n. per se ordinatur ad ipsum verbum.

3. Obiectio.

Arg. 3. Verbum diuinum tantùm habet esse simile in natura specifica ex vi suæ processionis in particulari, scilicet prout diuina est, & non ex vi processionis intellectualis, vt sic in communi; sed hoc non sufficit ad hoc, vt Verbum est, sit Filius, & eius processio generatio, ergo. Patet Min. quia si id sufficeret, Spiritus Sanctus esset etiam Filius, & eius processio generatio; & prob. ma. quia verbum creatum non procedit simile in substantia, sed in esse intentionali; ergo quod Verbum diuinum procedit simile in substantia specifica, non habet ex vi processionis intellectualis, sed ex vi talis processionis, scilicet diuinæ.

Resp. Verbum diuinum ex vi processionis, procedere, vt simile.

Resp. nos tantùm asserere, Verbum diuinum vt sic, esse formalissimè ipsum Filium diuinum, siuè Verbum habeat esse simile in substantia ex vi processionis in communi, siuè ex vi talis processionis, de quo diximus, suprà qu. 27. art. 3.

4. Obiectio.

Arg. 4. Quia aliàs in forma Baptismi, loco Filij, licebit ponere, Verbi: sed hoc non videtur dicendum, ergo.

Respond.

Pro nunc Respond. neg. Antec. sicut non licèt ponere loco Filij, nomen Geniti, non quia non sint idem, sed quia denotare videtur alias proprietates.

976
5. Obiectio.

Arg. 5. & vltim. Verbum vt sic, primò, & principaliter dicit formam absolutam, secundariò verò, & minus principaliter relationem ad dicentem ergo Verbum diuinum primùm dicit essentiam, secundariò verò relationem, ac per consequens est eius ratio idem formalissimè cùm ratione Filij, quia vt sic, primò dicit relationem ad Patrem.

Resp. Verbum diuinũ, vt sic, formaliter dicere relationem.

Respond. licèt verbum in communi, vt abstrahit à creato, & increato, & etiam verbum creatum primariò dicat absolutum, & in obliquo rationem ad dicentem, in quo optimè dicunt Ferrara 4. contr. Gen. cap. 13. & Capreol in 1. distin. 27. secuti D. Thom. ibid. quæst. 2. art. 2. & quæst. 4. de Verit. art. 1. tamen Verbum diuinum, vt sic, & formaliter importat relationem. Ità sentit Caiet. qu. 34. art. 3. Et licèt Verbum diuinum, etiam primò diceret essentiam, & secundariò relationem, vt etiam voluit Ferrar. adhuc argum. non esset contra nos, qui tantùm in hac quæst. volumus, quòd relatio, quàm dicit Verbum ad dicentem, sit eadem formalissimè cum relatione Filij ad Patrem, siuè per hoc nomen Verbum significetur principaliter, siuè minus principaliter: de materia tamen huius argum. videndus est Zumel qu. 34. art. 3. qu. 2. dub. vlt.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum in nomine Verbi importetur respectus ad creaturaras.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio est affirmatiua. Prob. Verbum sigmficat id quod est repræsentatiuum omnium eorum, quæ vnico actu intelliguntur ab eo, qui format verbum. Sed Pater intelligendo suam essentiam, eodem actu intelligit etiam creaturas; ergo &c. nomen enim significans id quod est repręsentatiuum creaturarum, importat respectum ad ipsas creaturas.

Arg. 1. Omne nomen importans respectum ad creaturas in diuinis est essentiale, & non personale: sed nomen verbi est personale; ergo. Resp. dist. ma. est personale, quòad id quod significat in recto, conced. & sic non dicit respectum ad creaturas, sed ad Patrem; quòad id, quod dicit in obliquo, neg. & in obliquo enim persona significat essentiam, cum sit rationalis naturæ &c. & sic dicit respectum ad creaturas.

Arg. 2. Nomina, quæ important respectum ad creaturas, dicuntur de Deo ex tempore; vt sunt Dominus, &c. sed Verbum non dicitur de Deo ex tempore, sed ab æterno; ergo. Resp. neg. ma. vniuersaliter; nam nomina diuina, quę dicunt respectum ad creaturas sunt in duplici differentia, quædam sequũtur actionem diuinam in exteriorem effectum transeuntem; vt nomen Creatoris, &c. & hæc dicuntur de Deo ex tempore; quędam verò, quæ sequuntur actionem immanentẽ in ipso Deo, vt intelligere, velle, Verbum; & hęc dicuntur de Deo, ab ęterno.

Arg. 3. Verbum diuinum non procedit à creatura; ergo non importat respectum ad creaturas, quia verbum importat respectum tantùm ad ea, ex quibus procedit. Resp. neg. conseq. ad prob. neg. assumptum, quia Verbum non solùm dicit respectum ad id à quo procedit; sed etiam ad ea, quę exprimit, cùm ea secundariò diuina essentia (ex qua Verbum procedit) repręsentet.

Arg. 4. Ea, quę important respectum ad creaturas in Deo, multiplicantur ad multiplicitatem eorum, ad quę habent respectum: vt patet de ideis; quę, quia important respectũ ad creaturas plures sunt. Sed Verbum in diuinis non multiplicatur secundùm multitudinem creaturarum, cùm sit tantùm vnum; ergo. Resp. ma. esse veram de his nominibus, quę principaliter sunt imposita ad significandum hunc respectum, vt sunt ideæ: non verò de his quę solùm secundariò sunt imposita, vt sunt personalia, ad significandum hunc respectum.

Arg. 5. Si Verbum importat respectum ad creaturas, quia Deus in ipso verbo, eas cognoscit; ergo importabit respectum ad nõ ens, quod etiam à Deo cognoscitur. Resp. conced. conseq. eo tamen modo, quo Deus non entia cognoscit; nam entium Verbum est expressiuum, ac factiuum; non entium verò tantùm expressiuum, sed non factiuum.

DISPVTATIO CLXXXXI.

Vtrum Filius procedat ex cognitione creaturarum, & totius Trinitatis.

977 Conclus. est affirmatiua. *COncl. Verbum diuinum procedit ex cognitione omnis intelligibilis, atque adeò ex cognitione essentię, personarum, & creaturarum. Ità D. Thom. 1 p. qu. 34. art. 1. ad 3. & art. 3. & ibid. Caiet. & omnes moderni expositores illius, & de Verit. qu. 4. art. 5. & 4. contr. Gen. cap. 13. Alexãd. 1. p. qu. 62. art. 4. D. Bonauent. in 1. dist. 27. art. 2. qu. 2. Richard ibid. qu. 3. Franciscus à Christo, etiam qu. 3. & ibid. Gabriel, etiam qu. 3. & hanc omnes desumpserunt ex D. August. 15. de Trinit. cap. 14. & lib. 83. quæstionum, qu. 63. & alibi.*

Prob. quia Verbum diuinum procedit ex cognitione comprehensiua. *Prob. 1. Quia Verbum diuinum est infinitum, & perfectissimum; ergo procedit necessariò ex cognitione infinita, & perfectissima: sed talis est comprahensiua, qua cognoscuntur, non solùm ea, quæ sunt formaliter, sed ea, quæ sunt eminenter, & virtualiter in essentia diuina, qualia sunt creaturæ, ergo. Secundò, quia Verbum est naturalissima imago Patris, & omnium producibilium, ergo procedit ex plenissima cognitione omnium, quandoquidem ex vi suæ processionis repræsentat. Patet Conseq. quia Verbum non excedit cognitionem, & Anteced. prob. nam iuxta doctrinam fidei Verbũ diuinũ est exemplar rerum omnium, etiam possibilium, quas Pater cognoscit.*

978 Opposit. sent. Scoti declaratur. *Scotus in 2. dist. 1. qu. 1. art. 2. & in quodlibetis qu. 14. art. 2. asserit Verbum diuinum tantum procedere ex cognitione diuinæ essentiæ, & non ex cognitione creaturarum, aut diuinarum personarum, ità quòd licèt eadem sit cognitio Dei, essentiæ personarum, & creaturarum identicè; tamen formaliter Verbum non procedit ex illa, nisi vt præcisè est cognitio diuinæ essentiæ: vndè tantùm dicit se habere concomitanter cognitionem personarum, & creaturarum. Ad exemplificandam autem hanc sententiam fingit Scotus quædam instantia naturæ, & originis, & vnum instans diuidit in tria signa, & dicit, quod in primo signo Deus Pater cognoscit suam essentiam, ex qua cognitione producitur Verbum, in quo signo, ait, reperitur totus ordo originis diuinarum personarum, in secundo signo cognoscit Pater reliquas personas, & tandem in tertio treaturas.*

Arg. 1. Pro hac sententia, Spiritus Sanctus non procedit ex amore creaturarum, ergo nec Filius ex amore creaturarum. Patet Anteced. quia procedit ex amore necessariò, & non libero, qualis est, quo Deus diligit creaturas. Resp. 1. cum Caiet. quòd Spiritus Sanctus etiam procedit ex amore creaturarum, non quidem in seipsis, & quatenus habituræ sunt esse extra Deum, sed quatenus habent esse eminenter in ipsa essentia diuina. hic autem amor non est minus naturalis, & in Deo necessarius, quàm scientia simplicius intelligentiæ earumdem creaturarum: cæterùm quia iste amor non est propriè creaturarum, sed solius essentiæ; ideò. 1. Obiectio.

979 Resp. Amorẽ dicere habitudinem ad res existentes. *Resp. 2. neg. Conseq. & ratio discriminis est. quia amor dicit habitudinem ad res actu existentes, ea enim ratione sunt diligibiles, & bonæ, quatenus actu existunt: cognitio autem abstrahit ab existentia rei cognitæ, & potest respicere eam, quatenus est virtualiter in sua causa: ex quo fit, quòd amor Dei respectu creaturarum sit omninò liber; cognitio autem possit esse necessaria, & naturalis, & ideò Spiritus Sanctus non potest procedere ex amore illarum, Verbum verò optimè ex earum cognitione.*

Arg. 2. Intellectus diuinus priùs natura cognoscit essentiam diuinam, quàm creaturas, ergo pro illo priori producit Verbum: patet Anteced quia potentia priùs fertur in obiectum primarium, quàm in secundarium: creaturæ autem sunt obiectum secundarium diuinæ cognitionis. Patet Conseq. quia illa cognitio est perfectissima, nec eius perfectio accrescit ex cognitione creaturarum. 2. Obiectio.

Confirm. 1. Quia priùs natura est esse cognitum diuinæ essentiæ, quàm creaturarum, ergo. Prob. Antec. quia omne esse diuinæ essentiæ est priùs quocumque esse Confirm. 1.

Confirm. 2.

creaturarum; ergo eius cognitio est prior creaturarum cognitione. Confirm. 2. Quia creaturæ cognoscuntur primò, & per se à tribus personis, ergo non cognoscuntur in illo priori à solo Patre. Prob. Anteced. quia producuntur in esse cognito à tribus personis, cùm ratio causandi illas in tali esse sit communis Trinitati.

Solutio.

Dices, quod in eodem signo terminatur intellectus diuinus ad vtrumque obiectum, scilicet essentiam diuinam, & creaturas, eo quod creaturæ, prout sunt in Deo secundùm esse possibile, nihil aliud sunt, quàm ipse Deus, atque adeo videtur, quòd non constituant obiectum diuersum ab essentia, sed quòd eadem omninò cognitione cognoscantur. Sed contra, quia vt patet euidenter in visione Beatorum, qui videndo diuinam essentiam non vident omnes creaturas, vt diximus 1. tom. qu. 12. negari non potest, diuinam essentiam, & creaturas habere diuersam rationem obiecti primarij scil. & secundarij.

Impugnatur.

980 Resp. Essentia diuina dicitur obiectum primarium, non quia priùs cognoscatur, sed quia ratione sui cognoscitur.

Resp. solutionem ibi datam esse optimam, pro qua notandum est, quòd diuina essentia non ideò dicitur obiectum primarium intellectus diuini, quia prius cognoscatur, etiam prioritate rationis, quàm personæ, & creaturæ, nam si essentia priùs cognosceretur, illa non esset cognitio perfecta, & comprehensiua, sed dicitur obiectum primarium, quia ipsa in seipsa, & ratione sui, & non in alio cognoscitur; creaturæ verò dicuntur secundarium obiectum, quia cognoscuntur in essentia; & ad Impugnat. Resp. quòd quando obiectum secundarium includitur intrinsecè in primario, vel habet necessariam connexionem cum illo in ratione obiecti, non potest attingi obiectum primarium perfectè, & comprehensiuè, quin attingatur etiam secundarium, cùm ergo Beati nec perfectè, nec comprehensiuè attingant diuinam essentiam, non opportet, vt videant obiectum secundarium scilicet creaturas; Pater autem æternus, qui perfectè, & comprehensiuè cognoscit suam essentiam, quando producit Verbum, oportet vt cognoscat etiam ipsas creaturas.

Ad 1. & 2. Cōfirm. Resp.

Ad 1. Confirm. negatur, quòd priùs natura diuina essentia habeat esse cognitum, quàm creaturæ habeant ipsum esse, vt sunt eminenter in ipsa essentia Dei. Ad 2. Confirm. quòd licèt cognoscantur creaturæ cognitione absoluta primò, & per se à tribus personis, priùs tamen origine cognoscuntur à Patre, quia sunt in memoria fœcunda eius, vt infrà dicemus.

981 3. Obiectio.

Arg. 3. Quia si per impossibile Deus cognosceret suam essentiam, non cognitis creaturis, nihilominus produceret Verbum eiusdem rationis, sicut modo, ergo cognitio, qua nunc producit Verbum, sit creaturarum, non habet se formaliter, & per se ad productionem Verbi: patet Conseq. & prob. Anteced. quia ipse intelligens, & intellectio essent eiusdem rationis, sicut modo, non enim variatur cognitio Dei, quoad substantiam ex eo, quod extendatur ad creaturas.

Resp. Verbum tunc non produci ex cognitione solius essentiæ.

Resp. Verbum tunc non produci ex cognitione solius essentiæ quia illa non esset omnium perfectissima, cùm non cognoscerentur creaturæ relucentes in illa; nam quamuis ex cognitione creaturarum, vt in seipsis sunt, nihil perfectionis accrescat diuinæ cognitioni, nihilominus quatenus sunt in Deo secundùm esse possibile, ad perfectionem diuinæ cognitionis spectat earum cognitio, quia cognoscere creaturas vt sic, nihil aliud est, quàm cognoscere diuinam essentiam, prout habet Omnipotentiam respectu creaturarum.

982 4. Obiectio.

Arg. 4. Pro illo priori, quo Pater exit in cognitionem suæ essentiæ, creaturæ non sunt in memoria fœcunda Patris, ergo, Prob. Anteced. quia pro illo priori non sunt actu intelligibiles, sed non possunt esse in memoria, nisi sint actu intelligibiles, ergo: Prob. Ma. quia producuntur in esse cognito per actum intellectus. Respond. neg. Anteced. & ad prob. falsum est, quòd per actum intelligendi fiant creaturæ actu intelligibiles, quia cum actus intelligendi sit actus secundus, præsupponit actum primum: constitutus est ergo Pater æternus in actu primo sufficientissimo ad cognitionem creaturarum per essentiam diuinam eminenter continentem creaturas; quod sufficit, vt dicantur esse in memoria Patris, licèt non sint in illa per suas proprias species.

Resp. per actū intelligendi creaturas non fieri actu intelligibiles.

983. 5. Obiectio.

Arg. 5. Verbum diuinum procedit ex cognitione, qua Pater est Beatus; sed est Beatus ex sola visione, & comprehensione diuinæ essentiæ, non cognita aliqua creatura, ergo: Conseq. cum Ma. patet, & Min. prob. tum, quia essentialis Beatitudo Sanctorum solùm consistit in visione diuinæ essentiæ, ergo, & beatitudo Patris: tum etiam, quia aliàs creaturæ per se conducerent ad beatitudinem essentialem ipsius Dei. Resp. licèt Pater non sit Beatus ex cognitione creaturarum in seipsis, est tamen Beatus per cognitionem earum, vt sunt in essentia, quia vt sic, nihil aliud sunt, quàm ipsa essentia: Beati verò non sunt Beati ex comprehensione essentiæ; vt est disparatio.

Respond.

6. Obiectio.

Arg. 6. Quia ex eo, quòd Verbum procedat ex cognitione creaturarum multa sequuntur absurda concedenda, nam primò sequitur, quòd procedat ab ipsis creaturis, quia obiectum cognitum habet actiuitatem aliquam respectu Verbi iuxta illud vulgare D. Augustini: Ex obiecto, & potentia paritur notitia. Et secundò, quia Verbi ad creaturas esset relatio realis, cum inter procedens, & id à quo procedit, sit realis relatio, maximè si sint realiter distincta. Et tertiò, quia saltem Verbum diuinum aliquo modo penderet à creaturis. Quartò, quia iam creaturæ saltem in esse cognito, prius sunt, quam Verbum producatur, quòd absurdissimum videtur, quia iam creaturæ secundum aliquam rationem, scilicet in esse cognito, non essent productæ à Verbo, dicente D. Ioanne in oppositum, Omnia per ipsum facta sunt.

984 Resp. Verbum diuinum, licet procedat ex cognitione creaturarum, non tamen ab ipsis creaturis.

Resp. neg. sequel. & ad primum dico, licèt Verbum diuinum procedat ex cognitione creaturarum, non tamen procedit ab ipsis creaturis, quia Verbum, vt sic, non procedit ab obiecto, sed ab intelligente, vel dicente: & quando D. Augustin. asseruit, speciem esse veluti semen decisum ab obiecto, non ideò dixit, quia species aliquid efficiat, vt se tenet ex parte obiecti, quia tantùm habet vim effectiuam, vt se tenet ex parte potentiæ, sed intelligendus est secundùm quandam extensionem, quia scilicet gerit vicem obiecti.

Species impressa, vt similitudo, se tenet ex parte obiecti, vt effectiua ex parte potentiæ.

Pro quo notandum est, quòd species intelligibilis, si consideretur, vt est formaliter repræsentatiua, pendet ab exemplari, & mensura, cui commensuratur eius formalis repræsentatio; si verò consideretur, vt habet vim effectiuam intellectionis, & Verbi, non se tenet ex parte obiecti, nec operatur, vt virtus eius; tùm quia non efficitur in ipso obiecto; tum etiam quia obiectum vt sic, nullam habet vitalem actiuitatem, quàm possit communicari speciei. Ex quo sequitur, quòd expressio Verbi non pertineat ad obiectum in ratione obiecti, sed tantùm ad ipsum cognoscentem, cùm obiectum, nec immediatè per se ipsum, nec per suam speciem concurrat efficienter ad exprimendum illum.

Verbum mētis tātùm dicit relationē realem ad dicentem.

Ad secundum, verbum mentis tantùm dicit relationem realem ad dicentem, seu cognoscentem; ad ea verò, ex quorum cognitione procedit, solùm dicit relationem rationis. Ad 3. negatur, quòd Verbum diuinum possit dependere ab aliquo, & illo dato non dependeret à creaturis, sed ex cognitione illarum, vt sunt in diuina essentia, quòd idem est, ac dependere ex cognitione essentiæ, vt eminenter continet illas. Ad 4 quòd tantùm probat cognitionem creaturarum, præsupponi cognitioni Verbi, non verò quòd ipsæ creaturæ præsupponantur.

985 Vrgebis. Respond.

Vrgebis, præsupponitur cognitio creaturarum, ergo præsupponuntur ipsæ creaturæ. Respond. Conseq. futuram optimam, si esset sermo de scientia visionis, & intuitiua, sed quia sermo est de scientia simplicis intelligentiæ, neganda est Conseq. & in hac deceptus est Scotus, quia putauit, creaturas produci à Deo ab æterno per eius cognitionem in esse quodam cognito, quòd latè impugnatur à Commentatoribus D. Thom. qu. 14. de scientia Dei.

7. Obiectio.

Arg. 7. Notitia creaturarum supra notitiam diuinæ essentiæ addit relationem rationis ad creaturas cognitas; ergo si Verbum procedit ex notitia creaturarum, sequitur, quòd aliquis respectus rationis Dei ad creaturas antecessisset Verbum æternum, quòd videtur absurdum. Respond. cùm Molina ad quartum, non esse

Respond.

incenue-

inconueniens concedere in Deo respectum aliquem rationis ad creaturas fundatum in actione immanente, precedere nostro modo intelligendi ipsam productionē Verbi diuini.

8. Obiectio.

Arg. 8. quia si aliqua ratione dicendum est, Verbum diuinum procedere ex cognitione creaturarum possibilium, atque adeò ex cognitione simplicis intelligentiæ, ea est, quia debet procedere ex notitia infinita, & comprehensiua totius intelligibilis; sed ex hoc sequitur, quòd etiam debeat procedere ex notitia intuitiua, seu visionis creaturarum actu existentium in æternitate, quod est impossibile; ergo. impossibilitas prob. quia scientia visionis præsupponit actum voluntatis liberum, & intellectus: productio autem Verbi præcedit omnem actum liberum Dei; sequela verò prob. quia notitia creaturarum non videtur infinita, nisi sit creaturarum, non solùm vt possibilium, sed etiam, vt futurarum, & existentium, maximè quòd notitia intuitiua creaturarum, qualis est visionis, perfectior est, quàm abstractiua earundem.

Resp. scientia creaturarum non est necessaria ad compræhēsionem diuinæ essentiæ.

Respond. neg. Sequelam, & ad prob. neg. Antecod. cognitio enim creaturarum futurarum scientia visionis, non est necessaria ad comprehensionem diuinæ essentiæ, adhuc enim si Deus ab æterno statuisset nihil eorum concedere, quæ fuerunt, & futura sunt, nihilominùs comprahenderet suam essentiam, sicut modò de facto compræhendit, etiam si non cognoscat, vt futura ea, quæ decreuit non fore; & ratio huius est; quia ea omnia, quæ Deus scit, & scire potuit scientia libera visionis, scit scientia naturali simplicis intelligentiæ, licet non vt futura, sed vt possibilia: vnde scientia visionis non addit perfectionem supra scientiam simplicis intelligentiæ, sed tantùm respectum quēdam ad creaturas diuerso modo se habentes, scilicet vt terminant scientiam visionis, & vt terminant scientiam simplicis intelligentiæ, neque esse scientiam intuitiuam addit in Deo perfectionem supra abstractiuam, nisi tantùm nouum modum se habendi ex parte ipsius obiecti, vt dictum est.

Instabis.

Instabis. Pater communicat Filio non solùm scientiam naturalem, sed etiam liberam, quia omnia, quæ habet Filius, habet à Patre, ergo scientia libera antecessit generationem Filij.

Resp. Patrem communicare Filio etiam, quæ generationē sequuntur.

Respond neg. Consequent. quia Pater communicat Filio, non solùm ea, quæ generationem antecedunt, sed etiam ea, quæ sequuntur: Filius enim habet à Patre spirare Spiritum Sanctum, & tamen prior est processio Filij, similiter habet à Patre creare, & gubernare, & cæteras actiones ad extra; cuius ratio est, quia cùm habet à Patre essentiam, intellectum, & voluntatem, à Patre etiam habet quidquid ratione essentiæ, intellectus, & voluntatis conuenit illi.

987 Corollarium.

Ex his colligitur, Verbum diuinum dicere respectum ad creaturas, non solùm ratione essentiæ, sicut cæteræ personæ, sed etiam ratione propriæ personalitatis ex vi processionis, quia scil. procedit ex cognitione illarum, hęc verò disputatio in sequentia dubia diuiditur.

Dub. 1. Vtrum Verbum diuinum procedat ex cognitione omnium, quæ sunt in Deo formaliter.

Dub. 2. Vtrum Verbum procedat per se ex cognitione creaturarum.

DVBIVM I.

Vtrum Verbum diuinum procedat ex cognitione omnium, quæ sunt in Deo formaliter.

988 *Opinio Scoti Refertur, & reijcitur.*

IN hac re celebris est opinio, quæ communiter tribuitur Scoto varijs locis, qui existimat, Verbum procedere ex cognitione solius essentiæ diuinæ, aut sic, & reduplicatiuè, quam ipse appellat obiectum primarium diuinæ cognitionis, non autem ex cognitione personarum; nisi concomitanter, aut consequenter, aut materialiter, & specificatiuè, quorum vocabulorum solet esse vsus in hac re. Eodem ferè modo Vasq. loco citat. cap. 4. existimat, Verbum procedere quidem ex cognitione diuinę essentiæ, & personæ Patris, & sui ipsius, non autem eodem modo ex cognitione Spiritus Sācti, aliàs minùs celebres in hac re opiniones, quę facilè ex dicendis confutari poterunt: legi possunt apud Auctores.

989 *Conclusio D. Th. est affirmatiua. Prob.*

Sed contraria sententia est longè communior, & probabilior, scilicet Verbum diuinum procedere per se, & simpliciter, & reduplicatiuè ex cognitione essentiæ diuinæ, & omnium, quæ sunt in Deo formaliter, atque adeò personarum, & proprietatum personalium; hanc sententiam, vt plurimum sequuntur, Thomistæ, & videtur colligi expresè ex D. Thom. hic, & artic. 1. ad 3. & alibi; Vbi docet, Patrem ipsa dictione Verbi dicere, & seipsum, & Spiritum S ergo Verbum procedit per se ex cognitione etiam Spiritus Sancti.

Confirm. quia Verbum diuinum procedit ex cognitione cōpræhensiua.

Confirm. communiter hoc ex eo, quia Verbum procedit ex cognitione comprehensiua, & adęquata diuinę essentiæ, cum sit adæquatum Verbum intellectioni paternæ, qua compræhendit seipsum, & suam essentiam, ergo per se procedit ex cognitione Personarum. Nam compræhensio diuinę essentiæ per se est etiam compræhensio personarum; maximè, quia Verbum diuinum tantùm est ex se expressiuum in ratione Verbi; quantùm essentia est per se determinatiua intellectus paterni in ratione speciei impresę, & formæ intelligibilis, nàm etiam hoc pacto est illi adæquatum, at verò talis essentia primò, & per se, & simpliciter est determinatiua ad compræhensionem sui ratione obiecti increati, & Personarum, ergo etiam Verbū primò, & per se habet, vt procedat ex cognitione compræhensiua essentię, & Personarum.

990 *Euasio.*

Circa quæ, & similia argumenta, illud aduertendum est, aduersariorum communiter facile concedere Verbum diuinum esse adæquatum diuinæ cognitioni compræhensiuæ, & Patrem illo dicere, & seipsum, & omnia, quæ cognoscit, cùm omnia non cognoscat, nisi vnica simplicissima cognitione; sed videntur posse deludere argumenta dicta, si respondeant, Verbum diuinum procedere quidem ex cognitione compræhensiua Dei, sed præcisè, vt est compræhensiua diuinæ essentiæ secundùm prædicata absoluta, cætera verò habere concomitanter, vel quid simile.

Pręcluditur, quia Verbum diuinum non procedit ex cognitione, vt imperfectè concipitur à nobis.

Quarè ad ostendendam vim prædicti argumenti, & ad intelligendum in hac re vnicum, vt ego existimo, principium, vndè in hoc philosophari congrue possimus, & debeamus, illud primò aduertendum est, quod licèt nos possimus, & soleamus in cognitione diuina imperfectè à nobis cognita præscindere vnam perfectionem ab alia, & ita cognoscere illam, vt intuitiuam essentiæ pręcisè, & nō personarum, sicuti possumus nos concipere vnum attributum, non concepto alio, ineptè tamen philosopharetur aliquis ex hoc, si putaret, Verbum diuinum procedere ex diuina cognitione, vt imperfectè concipitur à nobis, & veluti per partes; ipsum enim procedit ex tali cognitione, vt est in se, & vt intelligitur esse à Patre, quare videndum est, qualis sit ipsa cognitio in se, & per se, & vt respicit Patrem, quo posito, sic ex dictis existimo formari posse argumentum vniuersalissimum in hac materia.

991 *Omne Verbū procedit ex cognitione eorū obiectorum, eo modo, quo illorum est repræsentatiuum.*

Omne Verbum procedit ex cognitione eorum obiectorum, quorum est repræsentatiuum, & expressiuum eo modo, quo est illorum repręsentatiuum; si primario, & per se est repręsentatiuum, primario, & per se procedet ex cognitione illorum reduplicatiue accepta, vt talium obiectorum est; Si secundario, & secundario; Si per accidens, & per accidens; Sed Verbum diuinum primo, & per se, & necessario simpliciter, idest nulla tacita contingenti suppositione est repręsentatiuum totius Sanctissimæ Trinitatis secundum omnia, quę sunt in ipsa formaliter; ergo primo, & per se, simpliciter procedit ex cognitione talis obiecti reduplicatiue accepta, vt talis cognitio est.

Aliud est, aliquid esse sui repræsentatiuum.

Vbi breuiter illud aduertēdum est, quòd aliud est aliquod esse repræsentatiuum, aliud est esse imaginem propriè dictā, de qua infrà, nam aliquid potest,

esse

& esse sui imaginem. esse verè repræsentatiuum sui ipsius in vero, & proprio sensu; sicuti essentia diuina repræsentat seipsam Beatis, &c. non tamen est imago sui ipsius, nã imago exigit distinctionem aliquam, & sic Verbum verè repræsentat seipsum Patri, cum sit obiectum intellectus paterni per seipsum, non tamen est imago sui ipsius, & propterea in argumento vsus sum vocabulis illis vniuersalibus repræsentatiui, & expressiui, prout idem significant.

992 2. Euasio. In argum. ergo prædicto Mi. videtur prorsus certa, & hoc ostendunt directè argumenta supra facta: solùm aliquis respondere posset, Verbum diuinum primario esse repræsentatiuum essentiæ diuinæ secundùm prædicata absoluta tantùm. Secundariò verò secundùm relationes, & personalitates, & ità procedere per se primariò ex cognitione essentiæ reduplicatiue, secundariò vero ex cognitione personarũ, sed hoc nihil esset ad præsentem difficultatẽ, satis .n. nunc est, quod procederet per se ex cognitione personarum etiam vt sic, & reduplicatiue, quod videntur negare aduersarij, & eorum rationes id probant. Cæterùm in aliquo sensu dicere, quod essentia sit obiectum primarium, quatenus est radix proprietatum, & hę sint secundarium, quià in illa radicantur, non esset, nisi quæstio de nomine, & parui momenti, quia tamen ipsę relationes personales sunt realiter ipsa diuina essentia, ideo multo congruentiùs in hac re dici debet, quod tota Trinitas sit obiectum absolute primarium reale, vt distinctum à creaturis. — Praecluditur, quia hoc non tollit, quin etiã procedat ex personis.

993 Prob. 2. Concl. quia Verbum non est repræsentatiuũ per se, & primariò nisi ex quibus primariò procedit. Maior ergo propositio, in qua tota videtur esse difficultas, probari potest ex hoc discursu: posito quod esse repræsentatiuũ in Verbo, non sit aliquod distinctum à sua essentia, vt Verbum est, quod omnes fatentur, si Verbum est repræsentatiuum alicuius rei, vt Verbũ, & per se, & primario realiter; ergo procedit per se, & primario realiter ex cognitione illius rei reduplicatiue acceptæ, vt talis cognitio est, quia non potest esse per se repræsentatiuum, & primario talis obiecti, nisi procederet ex cognitione talis obiecti, vt talis; imo ex eo cognoscitur quod Verbũ aliquod sit per se, & primario repræsentatiuum talis obiecti, vel talis, quia procedit ex illi⁹ cognitione reduplicatiue, vt illius, vt inductione cõstare potest, sic .n. scio, quod Verbũ meũ, quod formo in cognitione hominis, sit per se repręsentatiuum hominis, quia procedit ex cognitione ipsius, & sic de cæteris, quare maior illa sine vlla prorsus exceptione videtur vera, & probata.

Confirm. quia si Angelus vnica cognitione cognosceret hominem, & equum, & exprimeret solũ Verbum hominis, ab eo procedit. Confirm. vlteriùs eadem doctrina, quia si per impossibile intelligeremus Angelum vnica cognitione cognoscere hominem, & equum, ità vt ea cognitione non exprimeret Verbum repręsentans æquum, sed solùm hominem, atq; ità esset Verbum solius hominis, tunc omnino inferremus, quod licet hoc Verbum procedat ex cognitione hominis, & equi materialiter, & specificatiuè, non tamen procederet ex hac cognitione, nisi vt est cognitio hominis, & non vt est æqui, vt certum est, alioqui etiã repræsentaret æquũ, quod aliqui de facto putãt, id esse possibile in cognitione Dei. Putant .n. posse fieri, vt Beatus vnica cognitione cognoscat Deum, & aliquam creaturã extra Deum in seipsa & non in Deo, vt in causa; in quo casu putant, hanc cognitionem exprimere Verbum, vt est cognoscitiua illius creaturę, non autẽ vt est cognoscitiua Dei; sed quidquid sit de hac re, certe illa consequentia à nobis illata, etiam si antecedens esset impossibile, videtur manifesta.

Si Verbum tã cum realiter, formaliter, primariò ab essentia, solùm essentiam repræsentaret. Vnde vlteriùs sequitur, quod si Verbũ diuinũ nõ procederet ex cognitione quidẽ comprehensiua Dei, sed solùm præcise, & formaliter, & reduplicatiuè, vt est cognitio essentię tãtùm, aut personę Patris, tantũ, &c. sic Verbũ nõ esset repręsentatiuũ per se, nisi solius essentię, aut personæ Patris, &c. si ergo per se est repræsentatiuum totius Sanctiss. Trinitatis, vt certissimum est, signum euidens est, quod procedat per se ex cognitione totius huius obiecti reduplicatiue, & formaliter, quod erat probandum, neque existimo alio meliori, & faciliori, & magis vniuersali discursu hanc rem probari posse.

994 Nota 1. ro solu- tione argumentorum in Deo ad intrà nullã esse prioritatẽ naturæ, sed solùm originis. Pro solutione vero argumentorum sciendum est, precipua argumenta, quæ in hac difficultate contra positam doctrinam, & sequentes fieri solent, sumi ex quibusdam prioritatibus naturæ, vel rationis, vel originis, quas nos cũ fundamẽto in re cognoscimus, seu concipimus inter personas diuinas, & earum processiones à personis, à quibus procedunt, vel certe inter Deum, & creaturas, aut actus eius liberos, quasi Verbum diuinum non possit per se, & reduplicatiuè procedere, nisi ex cognitione diuina, solùm vt terminata ad eas res, quæ intelliguntur Verbum ipsum præcedere, aut saltem non supponere Verbi productionem, v. g. quia Spiritus S. & eius productio supponit productionem Verbi, vt origine priorem, videtur difficile intellectu, quomodo possit Verbum procedere, ex cognitione ipsius posterioris, sed quantùm est in Deo ad intrà omnino fatendum est, nullam esse ibi prioritatem naturę, aut rationis propriè dictæ, quæ fundetur in aliqua dependẽtia vnius rei ab alia, aut similibus imperfectionibus, quę solent fundare has prioritates in creaturis, sed solùm est prioritas originis, quæ non dicit aliud, nisi processum, & originem vnius personę ab alia cùm omnimoda simultate rei, neque est, nisi prioritas, à quo, adeo minima, vt aliqui putent, neque esse reuera propriè prioritatem, de qua re plura infrà. Vnde in symbolo S. Athanasij habetur de diuinis personis, quod sicuti in Trinitate nihil est *maius aut minus, ità nihil est priùs, aut posteriùs*, sine vllo addito. Alia faciliora argumenta sumi solent ex quibusdam alijs particularibus capitibus, vt mox videbimus, & quidem quod Filius Dei procedat ex cognitione personæ Patris, & sui ipsius, ità vt eadem cognitione, qua procedat, eadem cognoscatur, non facile impugnatur, & facile soluuntur argumenta, si quæ sunt, de Spiritu vero S. est aliqua maior difficultas. — Ideò in symbolo Athanasij dicitur, quod in Trinitate nihil est priùs, aut posteriùs.

995 1. Obiectio. Arg. ergo 1. In eo priori signo originis, quo Verbum procedit ex Patre, non est, neque intelligitur productus Spiritus Sanctus, qui supponit Filij productionem, vt origine priorem, ergo non potest Verbum pro eo priori signo intelligi productum ex cognitione Spiritus Sancti.

Resp. prioritatem originis posse coniungi cum cognitione diuina, qua Verbum procedit, & cum cognitione Spiritus S. Resp. dist. Antec. non est, neque intelligitur Spiritus S. vt prior, vel simul origine cum Verbo, concedo, non intelligitur, vt posterior origine ipso Verbo, nego; & ità nego Conseq. cuius distinctionis ea est ratio, nam prioritas originis potest coniungi cùm cognitione diuina, qua Verbum procedit, & cũ cognitione Spiritus S. si primo modo sumatur, tunc propositiones negatiuę semper sunt falsæ, quia quadocũq; & in quocũq; signo sit, & intelligatur cognitio diuina, ipsa est cõprehensiua diuinæ essentiæ, & omnium, quæ sunt in illa, & ità in quocumq; signo ipsa sit, cognoscit Pater omnes processiones diuinas in ipsis signis, in quibus sunt ipsæ, idest in eo ordine, quo sunt.

In quocumque signo, in quo intelligitur Verbum intelligitur Spiritus S. Et sic in eo priori signo, in quo intelligitur Verbũ, intelligitur Spiritus S. & in quocumq; signo fingatur à nobis, intelligi à Deo essentia diuina, intelliguntur omnia, quæ in ipsa sunt ab ipso Deo, non .n. vt suprà monui, debemus in hoc philosophari ex modo, quo à nobis imperfecte intelligitur hæc essentia, sed ad modum, quo intelligitur à se ipsa, si vero prioritas originis coniungatur cũ ipsa productione Spiritus S. tunc sensus est in eo priori signo originis, in quo intelligitur, produci Verbum, non est, neq; intelligitur produci Spiritus S. vt prior, vel simul origine cum Verbo, quæ propositio est vera, sed in primo sensu deberet esse vera, vt concluderet argumentum, satis enim est ad doctrinam nostram, vt Pater in eo priori signo, quo producit Verbum, intelligat Spiritum S. vt posteriorem origine ipso Verbo, & hoc etiam modo exprimit, & dicit Verbo Spiritum S. vt teneret origine posteriorem ipso Verbo, vnde potius nostra doctrina declaratur, & confirmatur.

996 Quomodo processio Spiritus S. supponat processionem Verbi. Similiter cum additur, quod Spiritus S. supponat Filij productionem, aduertendũ est, quod productio Filij supponitur ante omnia, quæ supponunt ipsum Verbum, sed dupliciter potest intelligi supponi. Primo sine vllo ordine ad ea obiecta posteriora necessaria, quæ Verbo exprimuntur necessario, licet Verbum sit prius

sit prius illis. Secundò cum ordine ad talia obiecta posteriora, qui ordo non est aliud, nisi ordo cognitionis ad rem cognitam pro eo signo, quo res ipsa est, & eo modo, quo est; primo modo neque Spiritus S. neque creaturæ supponunt Verbi productionẽ, sed secundo modo, & sic potius sequitur, quòd Verbum procedat ex eorum cognitione, quàm quòd nõ procedat.

997 *Instabis.* Instabis, saltem Verbum non procedet ex cognitione intuitiua Spiritus Sancti, sed abstractiua; vbi aduertendum est, quod in hac materia per cognitionem intuitiuam intelligunt Theologi cognitionem, vt terminatam in rem existentem, abstractiuam verò, vt terminatam ad rem possibilem, & ita cognitionem, qua cognoscit Deus creaturas possibiles vocant abstractiuam.

Resp. Verbum non procedere ex cognitione abstractiua Spiritus Sancti. Ad quæsitum ergo Resp. negando id, quod assumũt, quamuis enim modo nostro concipiendi, concipiatur Spiritus S. vt futurus per comparationem ad illud prius signum, tamen à Deo nullo modo cognoscitur, vt futurus, sed prorsus vt præsens, & existens pro suo posteriori signo; si ergo Deus potest scientia visionis, & intuitiua cognoscere ab æterno creaturas tota æternitate posteriores ipso Deo, quãtò magis poterit, & verè cognoscet scientia intuitiua, pro quocumque signo sit eius cognitio, Spiritum S. vt existentem, cum eo tamen ordine, quẽ habet ad alias Personas. Multa in confirmationem huius rei, facilè quiuis inuenire poterit, etiam in rebus creatis, quando non est inter res, nisi prioritas à quo, etiam si sit vera prioritas naturæ, ex quibus sequitur, Verbũ diuinũ procedere ex cognitione omninò intuitiua, & perfecta omniũ, quæ sunt in Deo formaliter, secũdùm id, quod sunt in Deo.

2. Obiectio Arg. 2. Si verbum procederet ex cognitione sui, & Spiritus Sancti, ergo procederet aliquo modo ex se ipso, & Spiritui S. & posset Spiritus S. dici Verbi principium, concurreret enim ad eius productionem intelligibiliter, & per modum obiecti, vt constat in nobis, nam id, ex cuius cognitione procedit Verbũ, nempe obiectum cognitum, est aliquo modo causa, & principiũ Verbi producti; illa autem sequela est omninò absurda, nam solus Pater est principium Filij, quod argumẽtum non probat, Spiritum S. esse principium influens in Filij productionem, nam neque in nobis obiectũ per se influit immediatè in actũ vitalẽ, sed quòd sit principiũ per modum obiecti intelligibilis, quod mouet potentiam ad operandum, quomodò solet dici, quod obiectum est causa operationis.

998 *Resp. Filiũ nõ esse principiũ suipsius.* Resp. erg neg. prorsus sequelam, & quidem de Filio, quod non sit principium sui ipsius, res est facilior, quia ipse concurrit per modum termini producti, & non obiecti, quarè sicuti in nobis causatur Verbum à seipso, licèt eadem cognitione, qua producitur aliquo modo cognoscatur, quia non concurrit, vt obiectum quomodocumque, sed vt obiectum internum, quod est simul terminus productionis, simili modo, & in Deo; & sic licèt Filius procedat per eam cognitionẽ, qua cognoscitur; nullo tamen modo procedit à seipso, vt est principium sui ipsius.

Spiritus Sanctus, neq; intelligibiliter est principiũ Filij quia obiectum motiuum est diuina essẽtia De Spiritu verò S. aliqui putant, maiorem esse difficultatem, quia ad illã cognitionem, qua Verbũ producitur, non se habet, nisi vt obiectum cognitum immediatè, sed tamen re vera neque in hoc est difficultas: nam tunc obiectum est causa, & principium cognitionis, & consequenter Verbi per ipsam producti, quando species à se productas, vel per se ipsum mouet, & determinat potentiam ad operandũ, & sic intelligens accipit cognitionẽ ab obiecto; vnde alibi vidimus ex D. Th. quod cognitio, quam habent Angeli de rebus, à quibus non accipiunt species, non causatur ab ipsis rebus; at vero in nobis cognitio sensitiua causatur ab obiecto medijs speciebus productis ab ipsis; cognitio autẽ intellectiua mediatè dependet ab ijsdẽ obiectis, quatenus intelligere nostrũ nõ est sine motu phantasiæ, cuius species causantur ab obiectis.

999 *In cognitione diuina Pater non accipit speciem ab Spiritu Sancto.* Cũ ergo in cognitione diuina Pater nõ accipiat species, aut cognitionẽ à Spiritu S. sed sola eius increata essentia sit sibi loco specierum quarũcumq; quæ supponitur ad omnẽ operationẽ, tàm ad intrà, quàm ad extrà; hinc est vt Spiritus S. sit solùm obiectũ terminatiuum, nõ autem motiuũ diuini intellectus, quod etiam benè notauit Vasq. hic. Sed non benè indè instabit, quòd Verbum diuinum non procedat per se ex cognitione Spiritus S. sic ergo Spiritus S. nullo modo est principiũ Filij, benè tamen principiatum ab illo in vnitatem essentiæ cum illo, & sic concurrit, vt obiectũ cognitum, vt principiatum, & sic etiã exprimitur per Verbũ; eodẽ modo omnes creaturæ sunt obiectũ cognitionis diuinæ, cuius non sunt principiũ propter similem causam, vt fatetur D. Th. hic ad 3.

1000 *3. Obiectio.* Arg. 3. si Verbum procederet ex cognitione Spiritus S. sequeretur, quòd esset eius imago, repræsentaret enim illum, sicuti Verbum illius, vndè deberet etiam dici Verbum illius, sicuti Verbum, quod facimus intelligendo hominem, est Verbũ hominis. Ad quod argum. respondebimus art. 1. seq. quæst. falsa enim omninò est sequela. Instabis demum, Si Verbum, & procedit, & producitur per cognitionẽ Personarum, poterit ne dici, quòd sit prior cognitio harum Personarum, quàm productio Verbi? Resp. non posse dici, quia particula illa, per in re nostra non denotat aliquid antecedens ad productionẽ, sed dicit formalem ipsam productionem, & habet rationem causæ formalis, ipsa enim cognitio, vt connotat personam Patris, est ipsa formalis productio, vt supra dictum est. *Resp. particula per, non denotat aliquid antecedens.*

DVBIVM II.

Vtrum Verbum procedat per se ex cognitione creaturarum possibilium, & futurarum.

1001 *Creaturæ sunt in duplici statu possibilitatis scil. & existentiæ.* Creaturæ in ordine ad diuinam cognitionem in duplici sunt statu, alius est possibilitatis, & alius existentiæ, & de vtroque solet esse præsens difficultas, an scilicet Verbum diuinum procedat ex cognitione creaturarum possibilium, & existentium, semper loquendo reduplicatiuè de cognitione, vt suprà monuimus; quàmuis autem DD. neque in hac re conueniant, vt videre est apud auctores cit. mihi tamen iuxtà doctrinam D. Thom. videtur responderi posse iuxta sequentes Conclusiones.

Concl. Verbum diuinum per se procedit ex cognitione possibiliũ secundariò Conclus. Verbum diuinum per se procedit ex cognitione creaturarum possibilium, seu præcisè consideratarum secundùm essentiam, non tamen vt obiecti primarij, sed solùm secundarij. Hæc Conclus. est communior inter Thomistas, & alios, & videtur probari posse quoad primam partem ex locis supra citat. D. Thom. addito simili discursu, quo supra vsi fuimus, quia Verbum diuinum per se omninò, & necessario simpliciter sine illa suppositа cõtingentia est repræsentatiuum, vt Verbum omnium creaturarum possibilium. Confirm. ex D. Thom. quodlib. 4. qu. art. 6. neque in hoc videtur posse esse difficultas, ergo per se procedit etiam ex cognitione talium creaturarum reduplicatiuè; omnino .n. certum esse debet hoc principium, quod si aliquod Verbũ mentale est repræsentatiuũ per se in ratione Verbi alicuius obiecti, procedat ex eius cognitione eo modo, quo est illius repræsentatiuum, si per se, per se; si per accidens, per accidens, & sic de alijs, vt inductione constare potest in omni Verbo nobis noto, & qui hoc principio non vtuntur, nihil possunt habere certi in hac materia, sed multa gratis fingere debent, quia ex nullo capite potest habere Verbum mẽtale, vt sit repræsentatiuũ, & sic significatiuum alicuius obiecti per modum Verbi, nisi quia procedit ex cognitione illius.

1002 *2. Pars prob. nam Verbum diuinum solùm secundariò repræsentat creaturas possibiles* Secunda vero pars nostræ Conclusionis facilè probatur, nam Verbum eo modo fertur in obiecta repræsentando, quo scientia, per quam procedit, fertur in illa, cognoscendo; at verò scientia, Dei fertur in creaturas, vt sic, tanquam in obiectum secundarium, ergo Verbum similiter est eorum repræsentatiuum, vt secundarij obiecti. Vbi illud aduertendum est, quòd hic sumimus hoc nomen obiecti secundarij in omni rigore, & absolutè, non autem eo modo, quo supra diximus essentiam diuinam posse dici obiectum

obiectum primarium, & Personas obiectum aliquo modo secundarium. Nam reuera essentia, & Personę sunt vnum obiectum primarium simpliciter, licèt inter ipsas posset postea secundū quid reperiri aliqua ratio obiecti primarij, & secundarij aliquo modo. At verò hic nullo modo creaturæ dici debent obiectum primarium, ex quarum cognitione Verbū procedat.

1003 *1. Obiectio.* Arg. 1. Si creaturę nō essent possibiles, adhuc Verbum diuinum procederet ex cognitione eorum, quę sunt formaliter in Deo, & quidem tale, quale nunc est, nec .n. ipsum dependet à creaturis, ergo prorsus per accidens est, quod ipsum procedat ex cognitione creaturarum reduplicatiuè.

Resp. nam si creaturę non essent possibiles, non esset Deus, vt supra qu. 25 dictum est. Resp. neg. Antec. quoad vltimam partem, sicuti .n. si creaturæ, non essent possibiles, non esset Deus, qualis nunc est, ità neq; eius Verbum esset, quale nunc est, id autem non oritur ex eo, quòd Verbum, vel essentia diuina dependeat à creaturis, vel illis indigeat, sed ex eo, quod essentiale est essentiæ diuinæ esse participabilem à creaturis, vndè si ipsa non esset talis, non esset ipsa, & sic nec Dei Verbū esset ipsum, quod nunc est, quia autem quidquid est in Deo ad intrà, necessarium simpliciter est esse, sicuti nunc est, ideo necessarium simpliciter, & per se est, vt scientia Dei feratur in creaturas possibiles, & eius Verbum procedat per se, & necessariò ex cognitione harum, licet tanquam obiecti secundarij.

1004 *2. Obiectio.* Arg. 2. D. Th. qu. 4. de Verit. art. 5. in corp. vbi sic concludit, *quia Pater principaliter dicit se generādo Verbum, & ex consequenti creaturas, ideò Verbum principaliter refertur ad Patrem, ex consequenti verò, & quasi per accidens ad creaturas, accidit enim Verbo, vt per ipsum creaturæ dicantur.* Igitur ex D. Th. Verbum non procedit per se ex cognitione creaturarū, quo loco vtitur Arrubal ad probandū Verbū diuinum non procedere per se ex cognitione creaturarum, etiam possibilium; putat .n. D. Th. ibi loqui etiam de talibus creaturis, neque, ait, in toto illo art. esse verbum, ex quo possit colligi, quod D. Th. non loquatur de creaturis possibilibus.

Resp. ibi D. Th. loqui de creaturis existentibus in aliqua temporis differentia. Resp. tamen, nihil prorsus ex hoc loco posse colligi contra prædictam conclusionem, cùm D. Th. apertè loquatur de solis creaturis existentibus in aliqua differentia temporis, sumit .n. nomen creaturæ pro re creata adiectiuè, non substantiuè, quod prętérquamquod colligi potest ex responsionibus ad argumenta, & ex eo, quod vtatur eo vocabulo dictionis, vt infra dicemus, & ex articulo subsequenti, vbi accipit nomen creaturæ in eodem sensu, quę breuitatis causa prætereo, id maxime constat, quia de relatione Verbi ad creaturas possibiles loquitur art. 7. & alioqui falsa esset illa doctrina iuxtà sua principia, nam non accidit scientię diuinę, quod feratur in creaturas possibiles, imo talis scientia ab ipso, & ab omnibus vocatur necessaria; quare neque etiam per accidens est, quod verbū dicat relationē ad creaturas tales sicuti dicit ad creaturas existentes, vt infrà dicemus.

1005 *Nota diuersum sensum D. Th. inter exprimere creaturas, ac dicere creaturas.* Hic tamen vnum aduertendum est eius illa vocabula, dici, & exprimi, nam cùm D. Thom. ibi art. 3. quęreret, an Pater æternus suo verbo dicat omnem creaturam, postea in conclusione non vtitur vocabulo dictionis, sed solius expressionis, ijs verbis. *Sic igitur oportet, quòd quidquid in scientia Patris continetur, totum hoc per vnum ipsius Verbum exprimatur, & hoc modo, quo in scientia continetur, vt sit verum Verbum suo principio correspondens per scientiam, &c.* Vbi D. Thom. vniuersaliter loquitur de omni prorsus creatura, etiā possibili, & vtitur solo verbo expressionis, postea vero cùm art. 7. quęrit, vtrū Verbū diuinū sit rerum etiam non existentium, docet Patrem suo Verbo nō dicere propriè nisi creaturas existentes, non autem possibiles, quia dicere est exprimere rem causabilem cùm ordine ad exequutionē, cùm ergo creaturę possibiles non sit mandandę exequutioni, non dicuntur propriè Verbo, sed solùm exprimuntur.

Vsus autem habet pro eodem, accipere, dicere, ac exprimere. Sed quamuis D. Th. ibi pressius vsus sit hoc vocabulo dicendi, tamen in summa locis suprà cit. vsus est latiùs, & sic Pater Verbo suo dicit omnem creaturā, etiam possibilem, & sic etiam nunc est in vsu hoc vocabulum, vt idem sit dici, ac exprimi, & repræsentari in Verbo. Vndè magis Confirm. nostra suprapofita doctrina, Nam D. Thom. art. illo 4. loquitur de illis creaturis, quę propriè Verbo dicuntur, vt constat ex textu, quę secundùm ipsum eo loco solùm sunt creaturę existentes pro aliqua differentia temporis, & sic D. Thom. nec sibi contradicit, neque eius doctrina falsa est.

Arg. 3. Cognitio, qua procedit Verbum debet habere tantam necessitatem, quantam habet ipsum Verbum procedens, maximè cùm hic loquamur de Verbo diuino, sed cognitio creaturarū possibilium, vt ipsarum est, non habet tantā necessitatē, quantā habet Verbum, ergo talis cognitio vt sic, non est ea, ex qua Verbum procedit. 1006 *3. Obiectio.*

Nota. Pro solutione, dupliciter nos loqui de necessitate cognitionis. Pro quo sciendum est, quòd dupliciter possumus loqui de necessitate cognitionis. primò entitatiuè, & in se simpliciter. Secundò, vt terminatur ad hoc, vel illud obiectum, quò pacto scietia visionis creaturarum existentium in Deo primo modo tantam habet necessitatem, quantam habet scientia, qua Deus videt seipsum, cùm sit prorsus eadem scientia entitatiuè, & in se, at secundo modo non habet tantam necessitatem, vt terminata ad creaturas existentes, & vt terminata ad ipsum Deum. Nam ad creaturas non habet necessitatē, nisi ex suppositione cōtingenti, vndè dicitur scientia libera, at ad Deū habet necessitatem simpliciter, & dicitur scientia necessaria, hoc ergo posito. Resp. ad argum. dist. ma. debet habere tantā necessitatē, si consideretur in se, & entitatiuè, cōcedo; si vero cōsideretur secūdo modo, rursus distinguo, debet habere tantā necessitatē, vt relata ad suū obiectum primarium, concedo; secundarium, nego; & sic patet responsio ad min. & ad Conseq. *Resp. cognitionē existentiū habere necessitatem entitatiuè, non verò terminatiuè.*

1007 *4. Obiectio.* Arg. vlt. Priùs est esse Deum, quàm sit possibilitas creaturæ, seu creaturæ possibiles, prout à Deo obiectiuè in mente sua distinguuntur à sua essentia, ergo cognitio diuina priùs terminatur ad suam essentiā, quàm ad creaturas, at vero pro illo priori correspōdet illi Verbum; ergo hoc non potest procedere ex cognitione creaturarum possibilium.

Resp. argumēta ex prioritatibus nihil probant, cùm sit prioritas à quo. Resp. vt suprà monui, hæc argumenta ex his prioritatibus sumpta nihil probare, cùm hæ non sint, nisi prioritas à quibus, & solùm se teneant ex parte obiectorum, non ex parte cognitionis, quarè in quocumque priori, in quo cognoscitur essentia diuina, cognoscuntur etiam creaturæ possibiles, licet posteriores, vt suprà dixi de Spiritu Sancto. Quarè posita hac distinctione, & superiori doctrina de ordine cognitionis ad hæc obiecta, semper negandæ sunt vltimæ consequentiæ, quibus infertur, Verbum non posse procedere per cognitionem rei posterioris necessariæ ipso Verbo; omnino .n. potest, si nihil aliud obstet, atque hæc de creaturis possibilibus.

1008 *Petes.* Petes. *An Verbum diuinum per se procedat ex cognitione creaturarum futurarum.*

Resp. affirmat. Resp. affirm. ità D. Th. & omnes Thomistę, quos referunt ac sequuntur N. PP. Salmàticenses trac. 7. disp. 12. dub. 3. n. 113. Prob. Verbū diuinū solùm requirit ad sui processionem perfectissimā Patris cognitionē, qualis est cōprehensiua, quoad id, quod primò, & per se, siuè necessariò necessitate absolutè, & simpliciter tali desideratur: vt patet ex Cōel. præced. Sed ad hanc perfectissimā, & comprehensiuam cognitionē Patris, non desideratur per se, & necessario, necessitate prædicta, cognitio creaturarū: ergo diuinum per se non procedit ex cognitione creaturarū futurarū, prob. mi. nā à iàs si Deus decreuisset nullā creaturā producere, tunc nulla esset in Deo cognitio creaturarū futurarū tunc non posset seipsū cōprehendere, quod est falsū, quia cognitio Dei cōprehensiua, cū sit naturalis, & necessaria, originata ex infinita immaterialitate actus purissimi, tā intellectus, quā diuinæ essentię nullam habet necessariā, ac per se cōnexionē cū decreto libero Dei, à quo pēdet eisētialiter creaturarū futuritio. *Prob. Nā Verbum diuinum solùm requirit ad sui productionem, Patris cognitionem comprehensiuā.*

1009 *Euasio.* Dices, quòd etsi ad cognitionem comprehensiuā Dei absolutè, & simpliciter non requiratur cognitio creaturarum futurarum, bene tamen ex suppositione, quod sint futuræ: & ideo ex suppositione huius fu-

turitionis

turitionis Verbũ per se procedit ex cognitione illarũ.

1. Praeluditur, nam cognitio omnimodè necessaria, per se exigit formaliter Obiectum omnimodè necessarium.

Sed Contra est. Quia cognitio necessitate simpliciter tali, & omninò indefectibili nequit terminari per se ad aliquod obiectum; si prædictum obiectũ non habeat quoad suum esse prædictam necessitatẽ. Et propterea iuxta communem Theologorum sententiam, scientia visionis Dei respectù creaturarum futurarum, formaliter terminatiuè, tantùm est necessaria necessitate ex suppositione, quia prædictæ creaturæ tantùm habent esse futurum necessitate ex suppositione: ergo necessariò, & simpliciter illa cognitio, qua procederet Verbum, non terminata ad creaturas futuras; esset tantæ perfectionis, quantæ modo est. Nam cognitio omninò necessaria, & habens perfectionem necessariam, nõ potest necessariò necessitate simpliciter exigere ad sui consistentiam, & perfectionem, quod extendatur ad aliquid, quod absolutè, & simpliciter potest non esse: nam si penderet ab alia suppositione, absolutè, & simpliciter libera, non posset esse omninò necessaria.

Confirm. quia repugnat, conclusionem omninò necessariã per se non deduci ex principio necessario.

Confirm. Quia repugnat Conclusionem omninò necessariam, vt talem, deduci per se ex aliquo principio nõ omninò necessario; sed simpliciter contingẽti, & solùm ex suppositione necessario; ergo eadem ratione repugnabit productionem passiuam verbi diuini, & Verbum ipsum, quæ sunt quid necessariũ, per se procedere ex cognitione creaturarum futurarum, quę nõ est omninò necessaria. patet cõseq. quia vtrobiq; est eadem ratio, nempè, quòd non potest esse maior necessitas in cõclusione, aut in productione passiua, & termino producto per illam, quàm sit in suo principio *quo*: si quidem tota necessitas illorum ex eo deriuatur.

1010 *2. Praeluditur, quia intellectus est intimiùs coniunctus cum diuina essentia, quàm voluntas.*

Impugnatur secundò prędicta solutio. Supponẽdo, quod & si actus liberi Dei, & cognitio libera creaturarum futurarum, nec non, & eadem futuritio, sint in eodem signo, in quo est diuina essentia, quàm prædicta decreta, & futuritio creaturarũ, ac cognitio earũ, Sicut, licèt intellectus, & voluntas Dei sint in eodem signo rationis *in quo*: attamen intellectus est intimiùs cõiunctus cum Deo, quàm voluntas. Et propterea voluntas intelligitur virtualiter dimanare à Deo ratione intellectus, nõ è contra. hinc sequens Ratio deducitur. Nam id, quod intimiùs, & immediatiùs coniungitur cum Deo, nõ oritur ab illo ratione eius, quod non intimè, & immediate cum eo est coniunctum; quamuis fiat suppositio existentiæ illius, & vtrumq; sit in eodem signo *in quo*, vt ex terminis ipsis constare videtur, & ex exemplo intellectus, & voluntatis. ergo licèt decreta libera Dei, & futuritio creaturarũ, nec non, & cognitio Dei respectù horum, sint in eodẽ signo *in quo* rationis vnà cum Verbo diuino, & productione passiua illius: nihilominus facta prædicta suppositione horũ omnium, Verbũ nõ procedit ex cognitione illorũ. patet conseq. quoniam intimiùs cõiungitur cũ Deo id, quòd necessariò conuenit illi, quàm id quod contingenter, & liberè eum ipso nectitur, qualia sunt decreta libera, nec non, & cognitio creaturarum futurarum.

1011 *Opposit. sent.*

Oppositã sententiã tenet Valentia, nempe Verbũ per se procedere ex cognitione creaturarũ futurarũ, saltẽ ex suppositione futuritionis. Montoya, & alij, quos refert, ac sequitur Ioseph ab Aug. hic. pro qua.

1. Obiectio.

Arg. 1. ex Aug. 15. de Trin. c. 13. & 14. vbi inquit, quòd Pater ęternus Verbũ nõ integrè perfecteq; dixisset, si aliquid minus, vel amplius esset in Verbo, quàm in seipso. ergo cũ in sciẽtia Patris cõtineatur visio creaturarũ, eadẽ cõtinetur in Verbũ, ac proinde ex earũ cognitione procedit, siquidẽ debet procedere ex cognitione eorũ, quorũ cognitio debet ei cõmunicari, adhoc vt integrè perfecteq; dicatur. Confir. ex eodẽ Aug lib. 83. q. 61. asserẽte, Verbo dicere respectum ad creaturas, vt faciẽdas. ergo ex earũ cognitione procedit. nã Verbũ procedit ex cognitione eorũ, quæ respicit. Confirm. 2. quia Verbũ ex vi suæ processionis formaliter: sicut Spiritus S. è Patre, & filio habet, repræsentat creaturas futuras, nã de facto hebet illas repræsentare. ergo per se procedit ex earũ cognitione: siquidẽ Verbũ ex vi suæ processionis nõ repræsẽtat, nisi illa, quorum cognitio desideratur ad suã productionem.

Resp. Verbum dicere respectum rationis ad futura; ex illis tamen nõ procedit, quia non sunt adeo necessaria.

Ad Conf. Resp. Verbum omnia habere ex processione, non vero ex vi illius.

Resp. ad Arg & 1. Cõfir. conced. quòd sicut in visione Patris cõtinetur visio creaturarũ futurarum, ità in Verbo; & quod Verbũ dicat respectũ rationis ad illas; neg. tamen ex vi suæ processionis omnimodè necessariæ, procedere ex illarum cognitione, quæ formaliter terminatiuè est omninò libera. ad 2. Confirm. neg. Antec. ad prob dicendũ est, quòd & si Verbũ omnia, quę habet, habeat per suam processionem, nõ autem futura represẽtare per processionẽ suã, nõ tamen formaliter ex vi suæ processionis; sed tantùm identice; nam vt habeat aliquid ex vi suæ processionis desideratur, vt habeat illud ex vi suę lineę, & semper, ac indefectibiliter, ac proinde licet Verbo communicantur per processionem omnia, quę ei conueniunt siuè necessario, siue ex suppositione, non autem ex vi suę processionis omnia ei conueniunt, sed solum illa, quę ei ex vi suæ lineę, semper, & indefectibiliter conueniunt; vt est cognitio totius Trinitatis, creaturarum possibilium; non verò futurarum.

1012 *2. Obiectio.*

Arg. 2. non minus perfecta, ac efficax est dictio creaturarum existentium, quàm possibilium: ergo nõ minùs produceretur per illam, Verbum diuinum.

Confirm. 1.

Confirm. 1. quia ideò cognitio creaturarum possibilium per se requiritur ad productionem Verbi, quia essentia diuina, quæ præsupponitur per modum principij *quo*; est repræsentatiua possibilium, ipsæque habent cognoscibilitatẽ in signo *in quo*: at essentia diuina eodem modo se habet circa futuras; ergo.

Confirm. 2.

Conf. 2. Nam Verbo diuino communicatur à Patre cognitio futurorum, & non censetur finita, seu completa omninò eius generatio, vsque dum prædicta cognitio ei communicetur, nec non, & decretum de eorum futuritione: ergo Verbum ex vi suæ processionis ex illarum cognitione procedit.

Resp. dictio etiam communicat Verbo, & ea, quę supponunt ipsius personam iam constitutam.

Resp. dist. Antec. & si intelligatur de efficacia illius dictionis, quo ad cõmunicandũ Verbũ aliquid libere ei conueniens, & supponens ipsum iam productũ, & constitutum in sua natura; & proprietate personali, concedi poterit. Quia sicut dictio Deitatis personarũ, & creaturarũ possibilium est infinitè efficax ad producendũ Verbũ, tribuens illi, quod sit constitutum in sua essentia, & proprietate personali: ita dictio paterna futurorũ, secundùm omnia, quæ affert, sumpta, est efficax ad communicandum Verbo iam producto, & cõstituto, quò ad prædicta, aliquid quasi per accidens ei cõueniens, & quod potuit non esse in illo; nempè, quòd eius repræsẽtatio infinita extẽdatur ad repræsẽtandũ futura. Si verò intelligatur idẽ Antecedens de efficacitate ad producendum verbum, & communicandum illi, quod sit constitutum in sua essentia; & proprietate personali, negari debet, nam quo ad id, quod perfectionis, & efficacitatis quasi constitutiuæ importat, dictio illa est omnino necessaria.

Ad 1. & 2. Confirm. Resp. Productionem Verbi solum concomitanter fieri ex cognitione existentium.

Ad 1. & 2. confir. Resp. ex ea solum sequi, quod productio Verbi diuini solùm cõcomitanter fit ex cognitione creaturarũ. nã in eodẽ instãti *in quo*, diuina essentia, vt est species intelligibilis, repræsentat necessario, intimiùs, & indefectibiliter creaturas possibiles; nõ verò futuras; quod tamen erat necessariũ, vt curreret paritas, & Verbũ ex illarũ cognitione procederet, sicut ex possibiliũ propter rationẽ dictã, ex vi suæ processionis procedit. Et quãuis productio Verbi nõ cẽsetur finita, loquenda de illa productione, tàm secũdùm ea, quę ei cõueniunt ex vi proprię lineę, & indefectibiliter quàm secundùm ea, quæ concomitãter, & quasi per accidens ei conueniunt nisi communicetur à Patre etiam cognitio creaturarum futurarum; censetur tamen finita quoad ea, quæ illi conueniunt per se, & vt producit Verbum constitutũ in suo esse personali; propterea Verbum, quasi sic cõstitutũ, non procedit ex cognitione creaturarum futurarum.

1013 *In Tabor.*

Dices, terminatio ad creaturas futuras, nihil addit supra cognitionem possibilium, ergo Pater in eodem signo in quo, ex vi suæ intellectionis notionalis cõmunicat filio tàm possibilium, quàm futurarũ creaturarum eodem modo cognitionem.

Resp. [illegible] Amor Dei necessarius [illegible] idem [illegible]

Resp. neg. conseq. Nam sicut Amor necessarius, quo Deus se diligit, & liber, quo amat creaturas, habent inter se hunc ordinem: siquidem Deus ex amore necessario sui diligit libere creaturas, & prop-

terea prius ei prioritate *à quo*, productio Spiritus Sancti procedentis ex amore illo, prout terminato ad Deum, quàm sit amor creaturarum: & nihilominùs amor Dei necessarius, & amor creaturarũ sunt omnino idem, absque distinctione virtuali, & iste nihil addit reale in Deo supra illum.

1014 *Ita de cognitione necessaria, & libera philosophãdũ est.* Ita in præsenti de cognitione omninò necessaria, & libera; seu supponente liberum decretum, philosophandum est. Et propterea non solùm in Patre ante hanc cognitionem futurorum præcedit prioritate, & præcedentia *à quo* cognitio sui necessaria, & aliarum personarum, & creaturarum possibilium, ac proinde, ipsa productio necessaria Verbi, sed etiam in Patre, & filio; in illo quidem, vt in persona improducta, in isto verò, vt in persona, iam quo ad ea, quæ per se ei competunt, producta, supponitur amor, quo se diligunt, & productio Spiritus Sancti ad amoré creaturarum futurarum, & cognitionem earum. Quia amor ille est prior amore libero creaturarum: & amor liber præcedit etiam futuritionem creaturarum, siquidem est causa futuritionis earum. ac proinde nequit esse cognitio futurorum, supponens hunc liberum amorem, vsque sint omnia prędicta. Sed de his fusiùs diximus to. 1 q. 19. art. 4.

QVÆST. XXXV. D. Th. De Imagine.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrũ Imago in diuinis dicatur personaliter.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

Conclusio est affirmatiua. Prob. Quia origo est de ratione imaginis. de ratione enim imaginis sunt tria. Primum est similitudo: quia oportet quod imago sit similitudo eius, cuius est imago. Secundum est, non qualiscumque similitudo, sed similitudo in specie: vel saltem in signo speciei: in specie quidem filius dicitur similitudo Patris. in signo verò speciei assimilatur tunc imago imaginato quando est ei similis in figura; sicut figura Cæsaris depicta. Tertium, est origo; requiritur enim vltra similitudinẽ in specie, vel in signo ad rationem imaginis, quod imago habeat originem, dependentiã, & exprimatur ab imaginato: vndè secundùm Aug. l. 83. q. 75. vnum ouum non dicitur alterius imago. quia licèt sit simile in specie, ab altero tamen non procedit. ergo, &c.

Arg. 1. August. lib. de fid. ad Pet. cap. 1. dicit. Vna est Sanctæ Trinitatis diuinitas, & imago. ergo. Respond. explicando August. nam nomen imaginis potest accipi dupliciter. Primò propriè, & significat illud quod procedit ad similitudinem alterius. Et hoc modo non sumitur ab Augustino; sed impropriè; & sic illud ad cuius similitudinem aliquid procedit, quod propriè exẽplar, siuè imaginatum dicitur, potest imago nominari.

Arg. 2. Species, siuè forma in diuinis dicitur essentialiter, sed imago secundùm Hilarium lib. de Sinod. est species, ergo. Respond. dist. ma. species prout significat naturam rei dicitur essentialiter, conced. ma. vt significat formam deductam ab aliquo in aliquid; nego, & hoc modo secundùm Hilarium imago dicitur species.

Arg. 3 Imago ab imitando dicitur, in quo importatur prius, ac posteriùs, prius enim est imaginatum deindè imago; ergo. Respond. neg. Anteced. nam imago in diuinis personis non significat imitationem, sed processionem: & sic non significat posterioritatem, sed assimilationem.

DISPVTATIO. CLXXXXII.

Vtrum imagò in diuinis dicatur personaliter.

HAEC quæstio pertinet etiam ad notitiam secundæ Personæ SS. Trinitatis, quod est Verbum, & Filius. quæ in re duo præcipuè quæri solent. Primum, an Filius in diuinis sit verè, & propriè alicuius rei imago. Secundum, an solus Patris sit imago. Pro quo supponendum est, quod ad rationem propriè dictæ imaginis duo requiruntur præcipua. Primum est similitudo imaginis ad rem imagine expressam, & repræsentatã. Secundum est origo, seu processus imaginis ab eadem re, cuius est imago ad exprimendum, & repræsentandum illud ipsum, cuius est Imago. 1015 Hæc quæstio pertinet ad notitiam secundæ personæ.

Circa primi dicti veritatem nulla est difficultas; id enim maximè, & explicitè importare videtur nomen imaginis, illud solùm addendum est, scil. in rebus creatis nobis notis triplicem rationem similitudinis à nobis notatam esse. Prima est similitudo naturæ, & realis, quæ apud nos est maxima, & perfectissima, cum scil. imago est eiusdem naturæ infimæ, & consequenter earundem proprietatum naturalium cum re, cuius est imago, & hoc pacto inter homines Filius est imago Patris. In Rebus creatis triplex est similitudo. Prima est naturæ.

Secunda est similitudo quidem realis, sed non in natura, sed solùm in aliquibus signis, & accidentibus rei repræsentatæ sufficientibus ad illam repræsentandam, sicuti esse solent imagines artificiales hominum, vel animalium, quæ conueniunt cum rebus repræsentatis in figura, & alijs similibus exterioribus accidentibus, & proprietatibus; & hæc similitudo, & imago multo imperfectior est prima. Tertia demum similitudo dicitur intentionalis, qualis est in specie impressa, vel expressa respectu obiecti repræsentati, in qua non est, nisi similitudo quædam intellectualis ad obiectum: nobis vix sufficienter nota, vndè dicuntur esse imagines obiectorum intentionales, & valdè diminutæ. Secunda est realis similitudo in aliquibus signis, nõ in natura.

Circa secundum requisitum ad rationem imaginis à D. Thom. hoc loco, & alijs communiter, Sciendum est, illam conditionem non ità explicitè importari nomine imaginis, neque ita vniuersaliter, sicut prima, tamen illa est communis sensus Doctorum hominum, maximè si loquamur de imagine reali; nempe potiori iure importari à ratione imaginis; vndè licèt vnus homo sit alteri similis, si tamen non procedit ab alio, vt sit, non est alterius imago propriè, quod etiam sumptum est à D. August. vt refert D. Thom. hic art. 1 & probat Suar lib 9 de Trin. c. 8. & 9. & Vasq. disp. 145. Vndè duæ statuæ Cæsaris v. g. si vna non procedit ab alia, licèt sint similes, non tamen vna dicitur alterius imago, & sic de cæteris. Ad imaginem per se requiritur, vt procedat ab eo, cuius est imago.

1016 *Confirm. ex prædictis; nam in hominibus, si Filius non procederet à Patre, non esset eius imago, similiter si statua, vel pictura non procederet modo intelligibili ex obiecto, vt ab exemplari præcognito, non esset illius imago, nisi fortè causaliter, & materialiter: Imago autem intentionalis, sicuti non est propriè imago, sed solùm diminutè, & intentionaliter, ita licèt in nobis aliquo modo participet hanc conditionem, causatur enim ab obiecto, tamen non est necessarium, vt ab illo causetur, vt accidit in speciebus per se infusis, quæ tamen aliqualiter retinent nomen imaginis in repræsentando, quatenus essentialiter ad hunc finem ordinantur, & specificantur ab obiectis. Ex quibus duabus conditionibus sequitur; quod vera, & propria imago realis debet ab eo modo procedere ab eo, cuius est imago ad ipsum repræsentandum.* Cõfirm. nam in hominibus si Filius non procederet à Patre non esset eius imago.

1017 *Ex dictis infertur Conclus. quia habet D. Thom. artic 1. & sequuntur communiter Doctores Filium in diuinis esse verè, & propriè imaginem Patris, habet enim in ordine ad Patrem vtramque conditionem* Conclu. affirm. quia Filius in diuinis procedit à Patre, & est simul Patris.

ditionem, & similitudinem in natura, & praterea originem, & processionem ab illo in similitudinem natura; tum quia Patres eo nomine appellant Filium in diuinis iuxta modum loquendi scriptura, neque illa est ratio sufficiens, cur non debeat vocabulum imaginis propriè accipi. Loca scriptura, & Patrum legite apud Suar. loco cit. & alios hic.

1018 1. Obiectio.

Arg. 1. ex Durando in 1. dist. 28. quòd Filius non sit propriè imago Patris, quia non dicit relationem realem similitudinis, seu quia non est similis in natura Patri. sed prorsus idem, sicuti ergo nihil est imago sui ipsius, cum imago exigat distinctionem; Sicuti exigit originem, & processum ab alio, ita non videtur, quòd Filius sit propriè imago Patris.

Confirm.

Confirm. hoc arg. Duran. hoc modo, vel Filius est imago Patris ratione Paternitatis, vel ratione natura. Non primum, quia sic potius esset dissimilis Patri, cum habeat relationem diuersa speciei à Paternitate, & sic non esset saltem perfecta imago realis. Neque verò dici potest Filius imago Patris, quia repraesentet solam eius paternitatem per suam filiationem. Non secundũ, quia vel esset imago natura Patris ratione sua natura, vel ratione sua filiationis, & neutro modo posset esse imago propriè, quia neutro modo distinguitur realiter à natura Patris.

Pro solut. Nota duo requiri in Filio, vt sit imago Patris, primũ est essentia. secundum est ipsa Filiatio.

Pro cuius solutione sciendum est, quòd duo requiruntur omninò in Filio ad hoc, vt sit, & intelligatur imago Patris; primum est ipsa natura diuina, quae est proximum fundamentum relationis rationis similitudinis ad Patrem. Secundum est ipsa filiatio, vt constituens talẽ Personam cum natura, nisi enim Filius haberet naturã per generationem, atque adeò, vt terminatam filiatione, non esset vlla ratione imago; similiter etiam ex parte Patris ad hoc, vt sit terminus, & id, cuius Filius est imago, requiritur eadem natura, vt terminata Paternitate, sic enim habet Pater naturam incommunicatam, & vt sic est principium Filij.

1019 Resp. nihil referre ad verã rationẽ imaginis quod relatio similitudinis sit realis, vel rationis.

Resp. ad argum. nihil referre ad veram rationem imaginis, quòd relatio similitudinis sit realis, vel rationis, dummodo fundamentum sit reale, & quamuis in creaturis, vt plurimum haec relatio similitudinis in natura sit realis, id tamen oritur ex imperfectione, quia in creaturis non potest esse communicatio natura sine distinctione, etiam in natura indiuiduali, si tamen posset esse cum distinctione reali Personarum communicatio totius natura indiuidua, multo perfectior esse imago, & similitudo vnius ad alium; sicuti est in diuinis.

Negandũ est Filium non posse dici similem in natura.

Quarè negandum est, non posse dici Filium similem in natura Patri, quamuis enim possit dici, & sit idem in natura, quia re vera vna indiuidua est vtriusque natura, potest tamen etiam dici similis sublatis imperfectionibus creata similitudinis, quatenus realiter est distinctus in persona eiusdem natura à Patre, qua realis distinctio sufficit ad perfectissimam similitudinem in natura, nullo tamen modo potest dici imago propriè sui ipsius, quia à seipso nullo modo distinguitur.

Ad Confirm, Resp. primò, & immediate esse imaginem Patris ratione naturę, quam accipit à Patre

Ex quo etiam ad Conf. eiusdem argumenti Resp. Filium primò, & immediatè esse imaginem Patris quo ad similitudinem ratione natura, idest repraesentare perfecta repraesentatione naturam Patris, & in natura Paternitatem, & quidem ratione sua natura, quam accipit à Patre. Nam secundùm D. Th. hic art. 2. similitudo, & aequalitas in diuinis attenditur secundum naturam, non secundùm relationes, & ita Filius secundùm suam naturam est imago Patris, etiam secundum eandem naturam quo ad originem. Eo tamen addito, quòd Filius est imago Patris secundùm suam naturam, vt coniunctam filiationi, atque adeò vt illi communicatam, vt sic autem Filius distinguitur realiter à Patre, & vt sic est imago Paternitatis. nam licèt ergo natura vnius nullo modo realiter à natura alterius distinguatur, sic enim non esset perfectissima similitudo, & imago, qua tamen Persona distinguuntur realiter; ideò vna Persona ratione sua natura, adiuncta sua personalitati, potest esse perfectissima imago alterius Persona, ratione eiusdem naturę, vt adiuncta alteri personalitati, & talis est Filius in diuinis respectu Patris. Ex hoc tamen nõ sequitur, quod ratio imaginis sit formaliter absoluta, cum sit formaliter producta, ac proinde personalis.

1020 Vrgebis.

Vrgebis. Imago ratione eius, ratione cuius immediatè repraesentat, debet realiter distingui ab eo, quòd est repraesentatum, quod non accidit in casu nostro.

Resp. illud verum esse in imagine creata, quę essentialiter inuoluit imperfectionem.

Resp. illud verum esse in imagine creata, qua essentialiter inuoluit imperfectionem, & distinctionem natura, non autem in imagine increata, à qua deficiunt res nostrę, vt sępè in alijs monuimus; & propterea alibi vocauimus hanc similitudinem eminentissimam, longè superiorem naturis creatis, sicuti eminens contactus est inter duas partes quantitatis, si habeant vnũ extremum, vt ex Arist. alibi diximus; ex quibus responsum est ad primam difficultatem à nobis supra positam, an scilicet in diuinis Filius sit propriè imago alicuius, est enim imago Patris modo explicato.

DVBIVM VNICVM.

Quid sit Imago? An propriè reperiatur in diuinis? & An dicatur essentialiter, vel personaliter.

1021 *Tres conditiones desiderantur ad rationẽ imaginis. Prima est.*

TRES conditiones desiderantur ad rationem imaginis propriè, & formaliter sumptam. Prima est, quòd sit similitudo eius, cuius est imago. Dicitur n. imago, quasi *imitago*, quia agitur ad imitationẽ alterius. Constat autem, quòd id, quod agitur ad similitudinem alterius, debet esse simile illi: alioqui ad imitationem illius non ageretur.

Secunda est. quòd sit similitudo in specie.

Secunda conditio est, quòd haec similitudo non sit qualiscumque, seu in quacumque re, sed in ipsa specie, & natura rei, vel in signo speciei, qualis est in rebus corporeis figura. Et Ratio est, Nam similitudo in gradu praecisè generico, aut in aliquo accidenti communi, non est satis ad rationẽ imaginis: & propterea vermiculi producti ab homine non sunt imago illius: licèt conueniant cum illo, & sint similes ipsi in gradu generico.

Tertia est, quòd ducat ortum seu originem.

Tertia conditio, quòd haec similitudo in specie, vel signo speciei ducat ortum, & originem ab eo, cuius est signum; & defectu huius conditionis, vnum ouum quantumuis sit simile alteri, non dicitur illius imago: ex eo, quod vnum secundùm hãc similitudinem non est productum ab alio. his pręsuppositis.

1022 Petes 1. *Resp. Imago est similitudo in specie, vel signo speciei, &c.*

Petes 1. *Quae sit imaginis Definitio?*

Respond. Imago sic definitur. *Imago est similitudo in specie, vel in signo speciei, producta ab eo, cuius est imago.* Vox illa *similitudo* duplicem habet significationem: nam propriè, & formaliter loquendo, significat relationem in vnitate qualitatis formae, siuè naturae fundatam; quandoque verò, vt in praesenti sumitur pro vnitate, siuè conuenientia formali: cuius multi sunt gradus, & differentiae: de quibus cum S. Thom. tom. 1. quaest. 4. artic. 3. & quia similitudo potest esse triplex naturalis, artificialis, & intellectualis: *similitudo*, in hac definitione stat loco generis.

Secũda particula in specie, *vel* signo speciei *explicatur*

Secunda particula, *in specie*, vel *signo speciei*: stat loco differentiae, quia duae significantur imaginis differentiae, siuè gradus in plures, & ipsi gradus distinguibiles: ex quibus imperfectior est, qui maximè secundùm figuram attenditur: sicut imago Caesaris arte sculpatoris in lapide incisa, solam Caesaris imaginem repraesentans: colore, & caeteris accidentibus à Caesare differens; quod si coloris, & magnitudinis habuerit vnitatem, multò perfectior erit similitudo, & imago. Si denique non in sola figura, vel extremis etiam accidentalibus rerum similitudo conuenerit, sed vna alterius quidditatem perfectè repraesentauerit; perfectior erit similitudo, qualis est inter intelligibile Verbum, & hominem in eo repraesentatum.

Sunt. n. vnius quidditatis Verbum, & obiectum per illud repraesẽtatum.

Vnius enim sunt quidditas, & naturae Verbum, & obiectum per Verbum repraesentatum: vt abundè superius tom. 1. quaest. 12. art. 2. ostendimus, iam vero longè praestantior est ea similitudo, quę conuenientia est in eadem specie naturae, eundem essendi modum habentis, qualem habent in humana natura, Pater, & filius. Ea tamen omnium est absolutissima similitudo, quae

 secundùm

secundùm eandem inuenitur numero naturam pluribus personis communem; quæ soli conuenit super substātiali personarum Trinitati in vna Deitatis natura subsistenti. Siquidem, vt supra qu. 27. dicebamus, eò perfectiorem esse Verbi generationem, quò maior fuerit vnitas in essentia cum reali distinctione suppositorum.

1023 *Corollarium. similitudinem ad rationē imaginis requisitā non exigere necessario distinctionem.*

Ex quo sequitur, similitudinem ad rationē imaginis requisitam non exigere necessario distinctionem in earum rerum forma, quæ nuncupantur similes: & relationem fundatam in eiusdem formæ conueniētia non oportere esse realem: nam si nulla fuerit realis in fundamento distinctio, non poterunt extrema relationis, .i. respectus realiter esse distincta. Quò fit, vt relationes æqualitatis, & similitudinis in diuinis: non sint reales, sed rationis tantùm, vt suprà, & infra q. 42. cùm D.Th. dicemus. Ex quo patet error Durandi negantis in Deo rationem propriè similitudinis: eo quod in Deo non sit distinctio formæ. iam .n. constat perfectissimam rationem imaginis, & similitudinis, in perfectissima, quæ sola numerica est, vnitate formæ consistere: si tamen supposita, quæ dicuntur similia, realiter sint ad inuicem distincta.

1024 *Postrema particula exigit, vt similitudo illa, quæ dicitur imago, sit expressionis terminus.*

Postrema definitionis particula est, vt sit *ab alio producta*, quæ particula intelligenda est per se: ità vt similitudo illa, quæ dicitur imago, sit expressionis, siuè originis terminus, inquantùm est similitudo formaliter; siuè, quod idem est, res illa, quæ dicitur similis, per se, & formaliter producatur, vt similis, non autem materialiter tantùm, & per accidens: alioqui Spiritus Sanctus esset perfecta Patris, & filij spiratoris imago: cum nulla desit illi imaginis conditio materialiter, & per accidens, sed formaliter, & per se tantùm formaliter intellecta, vt supra fusius q. 27. art. 4. dictum est; Vnde circa eandem particulam, Nota. Imaginis expressionem, siuè originem intelligendam esse non à quocumque; sed ab eo, cuius est imago: id vero dupliciter esse potest, vno modo tanquam ab agēte, siuè principio actiuo, immediatè producente, & hoc modo procedit imago naturalis ab eo, cuius est imago; vt filius à Patre per generationem, vt ab agente immediatè producitur. Alio modo, originem habet imago ab eo, cuius est imago tanquam exemplari præconcepto, & hoc modo, quælibet res artificiata nuncupatur imago: non practicæ cognitionis, à qua immediatè producitur; sed prototypi per intellectū apprehensi, quod media conceptione, & artificis voluntate ad rei similis productionem operatur.

Imaginis expressio debet esse ex eo, cuius est imago.

1025 *Res arte producta, quomodo dicatur imago ideæ mentalis.*

Ex quo sequitur, quòd cum omnis res arte producta eadem ratione similis sit ideæ, quæ in intellectu est, & exemplari exteriùs existenti per ideam, siuè conceptione repræsentato: propterea, res arte productæ nonunquam dicitur imago ideę mentalis; quo sensu Boetius lib. de Consol. de Deo dixit: *Mundum mente gerens, simili que imagine formans.* Vbi mundū imaginem dicit habere ideæ existentis in mente diuina. Et quoniam summus omnium artifex Deus, hominem per intellectum voluntatis decreto determinatum, produxit similem formaliter, non tantùm ideæ in eius mente existenti, sed ipsimet Deo, prout Deus in suo esse naturali subsistit. ideo naturalis illa, quam habet homo diuinitatis imaginem, non ad ideam tantùm, sed etiam ad Deum ipsum secundùm eius modum essendi naturalem, est referenda: propter quam causam inter ea, quæ corpore constant, solus homo dicitur simpliciter factus ad imaginē Dei; cùm tamen omnia illis diuinis ideis, ac exemplaribus sint simillima.

1026 *Instabis.*

Dices. Filius in diuinis est imago Deitatis: ità in Concil. V. Constantinopolitano habetur; & tamen non est expressus ab illa. ergo.

Resp. rationem imaginis aliquando sumi largè, vt dicit id quod est repræsentatiuu alicuius.

Resp. rationem imaginis ibi, & alijs locis similibus, sumi non propriè, & strictè, sed large prout dicit idē, ac id, quod est repræsentatiuum alicuius. & propterea Glossa interlinearis sap. 7. ait, quod filius est imago bonitatis Dei, quia est repręsentatio illius. Vndè licèt ad hoc, vt aliquid sit imago alterius desideretur, quod sit expressum, & productum ab illo, non tamen adhoc, vt sit repræsentatiuum illius. Sicut etiā licèt id, quod est imago, referatur realiter ad id, cuius est imago; non tamen refertur realiter ad obiectum repræsentatum, qua ratione illud repræsentat: Propter, quod licet Verbum in diuinis referatur realiter ad Patrem, vt ad principium productiuum ipsius: non tamen secundùm quod est repræsentatiuum illius, aut Spiritus Sancti, seu, vt est eisdem simile, dicit relationem realem ad eos, sed rationis tantùm.

Ex quo sequitur: Verbum non posse dici formaliter, & per se imaginem Spiritus S., sui, Essentiæ, & Creaturarum. Nam cum de ratione imaginis sit nō tantùm similitudo quantumuis perfecta, sed etiam origo, & realis distinctio ab eo cuius est imago impossibile est filium, aut seipsus, aut alicuius prædictorum esse imaginem. Non enim à se procedit, neque à seipso distinguit: ac proindè nec sibi similis propriè dici potest, & quamuis perfectam filius habeat similitudinem cum Spiritu Sancto, & ex eius, vt cognitione obiecti procedat: non ideo tamen est eius imago: quia Spiritus Sanctus, neque est obiectū motiuum, nec aliquo modo principium illius cognitionis, qua filius à Patre procedit, vt suppono ex dictis tom. 1. q. 14. art. 4. & supra q. 27. art. 4. 1027

An Verbum sit imago essentię, Spiritus S. &c.

Resp. neg. quia de ratione imaginis, non est quædumq. similitudo, sed producta.

Porro non esse filium imaginem Deitatis, vel huius Dei præcisis personis, perspicuè patet ex dictis; desunt enim hic duæ præcipuę, & essentiales conditiones ad rationem imaginis necessarię: cùm non procedat filius à Deitate, vel Deo sic sumpto: nec sit realiter ab eo distinctus, vt veram, & propriè dictam similitudinis, & imaginis rationem ad eum habere possit: loca verò scripturę, in quibus dicitur Verbum imago Dei, manifestè loquuntur de Deo prout supponit pro persona Patris. Quòd si filius non est imago Dei, prout ly Deus sumitur, vt abstractus à personis; multò minùs erit imago rerum creaturarum: cùm nec ab eis procedat, nec perfectam cum eis habeat similitudinem: cùm è contra, potiùs creaturæ à Verbo procedant, non solùm secundùm communem personarum potentiam, sed secundùm specialem appropriationem: quoniam Verbum ex vi suę processionis, ideas, & exemplaria continet omnium rerum ad earum imitationem productarum: ac proindè ideæ diuinæ non sunt creaturarum imagines, sed exemplaria; & eadem ratione, neque Verbū propriè loquendo.

Filius non est imago Deitatis, vel huius Dei præcisis personis.

Petes. 2. *An ratio imaginis formaliter in diuinis reperiatur?* 1028

Petes 2.

Resp. affirm. Prob. euidenter ex dictis: Siquidem omnes conditiones requisitę ad rationem imaginis propriè, & formaliter acceptæ, reperiuntur formaliter in diuinis: ergo in diuinis ratio imaginis formaliter reperitur. Antec. cōstat tùm ex Sac. Scrip. nā sap. 7. dicitur *Splendor lucis æternæ, & imago bonitatis illius:* quę Verba D. Amb. lib. 1. de fide c. 4. & August. lib. 7. de Trin. cap. 2. & alij Patres exponunt de sapientia genita, quam imaginem dicunt nuncupari, ob virtutē plenitudinis illi à Patre communicatam. Tùm quia, Verbum ex vi suæ processionis à Patre, procedit perfectè similis; tàm secundùm esse intelligibile, quàm secundùm esse naturale; cùm ipsissima sit ratio filij, ac ratio Verbi, vt quæst. pręced. ostendimus.

Resp. affirm. siquidem omnes rationes formaliter requisitæ ad rationē imaginis, sunt formaliter in Deo.

Dices. 1. Vel filius est imago Patris, quatenus Pater est Deus; aut quatenus Pater, est Pater: non primum, quia filius esset imago Dei, quatenus Deus est, quod est falsum: non secundùm, quia ratio imaginis, & similitudinis non attenditur secundùm relationes: sicut neque æqualitas, vel inæqualitas ex D.Th. art. seq. 1029

Instabis. 1.

Resp. distinguendo tria ex parte filij: Primum est res, quæ dicitur imago, & hęc est ipsa persona filij: secundum est ratio secundùm quam dicitur imago, quod alij appellant fundamentum formale relationis perfectę similitudinis, quam importat imago: & hęc est essentia. tertium est conditio necessaria ad hoc, vt filius sit perfecta imago Patris; & hæc est originis relatio, per quam distinguitur à Patre, vt ab eo genitus. Quæ tria pariter sunt in persona Patris considerandæ. Primum est res, quæ est terminus relationis, quam importat nomen imaginis, quæ idem est, ac perfecta

Resp. tria requiri in Patre, vt filius sit eius imago primò res, quæ est terminus relationis. 2. ratio similitudinis 3. relatio principij.

perfecta similitudo: & hæc res est ipsa persona Patris. Secundum est, ratio siuè fundamentum formalis dictæ similitudinis, & hæc est essentia, siuè natura, quæ est vna Patris, & filij. Tertium est, conditio necessaria, vt persona Patris sit terminus relationis imaginis respectu filij: & hæc relatio principij, siuè originis actiuæ, quam nomen Patris, vel Genitoris importat, & sic patet, quomodo filius sit Patris imago, quatenus Deus est, prout ea reduplicatione quatenus Deus, denotatur ratio, siuè fundamentum re-
1030 *Instabis 2.* larionis imaginis, quòd est Deitas vna Patris, & filij.

Dices. 2. Vna persona diuina non est propriè similis alteri, nec secundùm relationem originis, vt ex se constat, nec secundum essentiam. Tum, quia secundùm hanc habent vnitatem, seu identitatem, non verò distinctionem: Tum etiam, similitudo ista si quæ esset, dicit tantùm relationem rationis: & ita hinc solùm haberetur, quę solùm secũdùm rationem nostram, non verò realiter esset imago.

Resp. ad similitudinem sufficere vnitatem cum distinctione. Resp. neg. Antec. quoad secundam eius partem. & ad primam probationem dicendum est, ad similitudinem requiri, & sufficere vnitatem cum distinctione: ita quidem, vt similia habeant in aliquo esse idẽ, & in aliquo distincta, vt in diuinis personis cernitur, quæ in natura sunt idem, in personis verò sunt distinctę. Ad 2. prob. dicendum est non sumi in præsenti similitudinem pro relatione similitudinis formalissimè sumpta, quæ est inter diuinas personas, quæ quidem est relatio rationis, ex eo, quod ratio fundandi illam, est vna adhuc numero natura in personis diuinis, nec secundùm se, nec secundùm aliquem modũ proprium suæ lineæ; sed solùm ratione personarum, & quo ad eas distinguitur: sed accipi pro similitudine fundamentali, quę in diuinis est quid reale, dicens in rectò identitatem in natura, & distinctionem in
1031 *Petes 3.* personis in obliquo.

Petes. 3. *An ratio imaginis in diuinis sit quid essẽtiale, vel personale.*

Resp. formaliter esse quid personale; nam omnes cõditiones imaginis supra enumeratæ non conueniunt essentiæ diuinæ. Resp. Ratio imaginis in diuinis est formaliter quid personale, non essentiale. Prob. ex dictis, Nam omnes conditiones imaginis supra enumeratæ non conueniunt essentię diuinæ præcisè sumptæ: quia ea, quę important ordinem originis vnius ab alio, non competunt diuinæ essentiæ præcisè sumptæ: ex eo quòd ipsa, & quidquid essentiale est in diuinis non habet produci, & procedere ab alio, sed solùm id competit personæ: ne sicut ob hanc processionem, & productionem vna persona ab alia realiter distinguitur; ita ob eandem rationem reperiatur distincta essentia in vna, eademque persona: ergo ratio imaginis personaliter, non verò essentialiter in diuinis formaliter reperitur.

1032 *Confirm. quia Imago dicit duplicem similitudinem, alterã ad producentẽ, ad prototypum alteram.* Confirm. Nam imago duplicem relationem dicit: Aliam producti ad producentem; aliam verò similitudinis ad prototypum in eo, in quo conueniunt, scil. in natura specifico, vel signo illius. Ex quibus illa prior debet esse realis, hæc verò posterior est rationis, quoties ratio fundandi illam, est omninò eadem in imagine, & in eo, cuius est imago secus verò, quando talis ratio est realiter distincta. Et propterea relatio similitudinis, seu conuenientiæ in natura, quam habent Pater, & filius in humanis, est realis: quia ratio fundandi illam conuenientiam est humanitas, quæ est realiter numericè distincta in vtroque extremo, è contra verò relatio similitudinis, quam dicit Verbum mentis; vt Verbum v. g. Petri ad eundem Petrum repræsentatum per illud, est, secundùm aliquos satis probabiliter, relatio rationis, quia eadem numero natura, sub diuerso tamen modo essendi, est in vtroque. At vtraque ex his relationibus est in diuinis, & vtraque nequit cõuenire diuinæ essentiæ: aut attributis; quia ea, quæ originem important sunt personalia: ergo ratio imaginis, quę solummodo affert has duas relationes, inuenietur formaliter in diuinis, ibique non essentialiter, sed formaliter dicitur.

1033 *Instabis 1.* Instabis. 1. Vel ratio imaginis includit in suo conceptu, formalem similitudinem, quæ est relatio ęquiperantię: vel tantùm fundamentalem, quę est vnitas naturę? Si primum, tunc imago formaliter non erit relatio disquiparantię; ac proinde denominatis vtrumque extremum, non diuersò, sed eodem modo, conuenietque pluribus personis diuinis. Sicut quia in humanis relatio similitudinis non est disquiparãtię, sed æquiparantiæ, idcircò denominat vtrumque extremum, non diuerso, sed eodem modo, competitque pluribus nempè vtrique extremo. hoc autem admitti nequit in diuinis, vbi, vt artic. seq. ostendemus soli verbo conuenit ratio imaginis propriè, & formaliter sumptæ. Si autem secundum asseratur. tunc ratio imaginis erit quid absolutum, & essentiale: Siquidem vnitas in natura diuina est prædicatum absolutum; ac proinde non erit nomen personale.

Resp. quod & si imago in diuinis includat in suo conceptu similitudinem hanc fundamentalem: attamen formalior eius similitudo non est eius conceptus; sed ordo originis ad suum principium, vt dictũ est ex mox dicemus; & ideò non est quid absolutum secundùm id, quod formalissimè dicit, sed quid relatiuum. 1034 *Resp. formalior in imagine est ordo originis, quàm similitudo.*

Instabis. 2. teste D. Cirill. 5. de Trin. Exemplar, & imago in diuinis sunt idem: sed esse exemplar creaturarũ dicitur essentialiter in Deo. ergo, & esse imaginem. Resp. imaginem aliquando sumi largè, prout est idem, ac exemplar: aliquando verò strictè, & propriè pro similitudine producta ab eo; cuius est similitudo. Quando ergo asseritur, exemplar, & imaginẽ esse idem, sumitur imago largè, atq; adeò quoad præsens non propriè. 1035 *2. Instabis.* *Resp. Imaginẽ aliquãdo sumi largè pro exemplari.*

Instabis. 3. Esse imaginem increatis v. g. in artificialibus, non est quid relatiuum, sed absolutum: siquidem imago ista ponitur in prædicamento qualitatis: ergo, neque etiam in diuinis; Nam ea, quę sunt in diuinis intelligere debemus ab instar eorum, quæ sunt in humanis. 1036 *3. Instabis.*

Resp. neg. conseq. & ad prob. dicendum, quod etsi diuina intelligere debemus ad instar eorum, quę sunt in humanis, debent tamen secludi imperfectiones: quæ non excluderentur in præsenti, si imago esset quid absolutum in Deo; alioqui daretur ibidem distinctio in absolutis: siquidem de ratione imaginis est esse productam: & res absolutè producta ab alio in esse naturali, & entitatiuo debet realiter distingui ab eo in natura, saltem indiuiduali. Vnde, sicut propter hanc rationem persona in diuinis est quid relatiuum, ne persona procedens, & ea, à qua procedit distinguantur realiter in absolutis, non obstante, quòd in humanis personę sint quid absolutum quoad suas personalitates; ità in præsenti eodem modo philosophari debet. *Resp. diuina deberi intelligi ad instar humanorum, seclusis tamen imperfectionibus.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum nomen imaginis sit proprium filij.

SVMMA ARTICVLI. D.Th.

Conclusio est affirm. Ratio est. quia filius procedit, vt verbũ, de cuius ratione est similitudo speciei ad id, à quo procedit, quod non conuenit Spiritui Sancto. Nã sicuti Spiritus Sanctus quamuis accipiat sua processione naturam patris, non tamen dicitur natus; ità licèt accipiat speciem Patris, non dicitur imago; quia non procedit, vt similis, cùm de ratione amoris non sit similitudo, quasi quod ipse sit similitudo. illa enim persona, tantùm potest dici imago, quę procedit per modum similitudinis.

Arg. 1. secundùm Damasc. lib. orthod. fid. c. 18. nomen imaginis tribuitur Spiritui Sancto. ergo. Resp. quod Damasc. cum esset græcus, processit secundum Græcorum sententiam, quæ tunc erat communis inter Doctores, ideò non est in hoc, in eo standum.

Arg. 2. Spiritus Sanctus procedit ab alio secundum

secundùm modum similitudinis; ergo. Resp. neg. conseq, ad hoc enim vt aliquid possit dici imago, requiritur non solùm vt sit simile, quòd Amori minimè conuenit, vt ostensum est.

Arg. 3. Nomen imaginis dicitur etiam de homine 1. Corinth. 2. ergo. Resp. dist. Anteced. dicitur imago, tanquam res eiusdem naturæ, sicut Pater est in Filio, nego: vt res alterius naturæ, sicut imago Regis est in denario, conced. & neg. conseq. quia tunc homo propriè non est imago; sed ad imaginem propter imperfectam participationem diuinæ imaginis.

DISPVTATIO CLXXXIII.

Vtrum nomen imaginis sit proprium Filij.

1037 Concl. Filius in diuinis est imago solius Patris, non.n. est imago sui ipsius, quia nullo modo distinguitur à seipso.

Dicendum est cum communi sententia, Filium in diuinis solius Patris esse imaginem propriè, quòd non alio modo melius probari potest, quam considerando singula, tàm intrà, quàm extra Deum, respectu quorum posset Filius dici imago. Et primò quidem Filius non est imago sui ipsius, quia nullo modo distinguitur à seipso, neque est imago Spiritus Sancti, quia quamuis habeat cum illo eandem naturam, tamen non procedit ab illo. Ad rationem autem imaginis requiritur origo, vt vidimus, non procedit autem ab illo, quia Pater non accipit cognitionem ab illo, vt suprà vidimus, multò minus poterit dici Filius imago totius Sanctissimæ Trinitatis, vt patet.

Filius nō potest dici imago Dei, nec Deitatis absolutè loquendo.

Vtrum autem possit dici imago Dei, quia hæ propositiones sunt affirmatiuæ, possunt habere bonum sensum, non tamen sunt absolutè vsurpandæ, nisi ex modo loquēdi, aut circumstantijs appareat ille bonus sensus. Nam hoc nomen Deitas, vel Deus potest accipi pro ipsa natura diuina absolutè vt sic, & hac ratione non potest dici Filius imago Dei, vel Deitatis, à qua nulla ratione realiter distinguitur. Secundò possunt accipi hæc nomina, vt coarctata, & determinata ad Patem. Nam Pater est ipsa Deitas, & sæpè in Ecclesia nomine Dei intelligitur Pater, & sic potest dici Filius imago Dei Patris, & Deitatis, quæ est in Patre, prout est in Patre, & sic de alijs; quarè absolutè, & simpliciter, & sine addito, ac propriè solius Patris imago est Filius.

1038 Filius in ordine ad creaturas, quas repræsentat non est imago, sed exemplar.

Si verò comparemus Filium in ordine ad creaturas, quas repræsentat, vt similitudo æquiuoca, dicendum est, Verbum diuinum non esse propriè imaginem creaturarum, sed potius exemplar, vt colligitur ex D.Thom. hic art. 1. ad 1. & quia nos interdum ipsum exemplar vocamus imaginem impropriè, ideò etiam essentiam, & ideam diuinam, & Verbum Dei vocamus imagines rerum creatarum; ratio autem vtriusque dicti est, quia Verbum, licèt repræsentet creaturas, nullo tamen modo causatur, vel producitur ab ipsis, sed potius est ipsarum causa, neque cognitio, per quam procedit, specificatur ab ipsis, neque vllum essentialem ordinem, aut dependentiam ab ipsis dicit, quarè absolutè, & simpliciter Verbum diuinum solius Patris est propriè imago.

Pater non est imago quia à nullo procedit; nec Spiritus S. quia nō procedit formaliter, vt similis.

Consequenter ad hoc quærit D.Thom. art. 2. an in diuinis solus Filius sit imago, atque adeò imago sit nomen personale, & respondet affirmatiuè, & ratio est, quia Pater non est imago, quia à nullo procedit. At verò Spiritus S. licèt procedat à Patre, & Filio, & habeat naturam eandem, non tamen est imago, quia ex vi suæ processionis formaliter non procedit in similitudinem naturæ, vt suprà dictum est.

1039 Si SS. PP. Græcos appellant Spiritum Sanctum imaginem, acceperunt latiùs nomē imaginis. Imago nō importat in Filio nouam notionem distinctam à Filiatione.

Quòd si Græci Patres communiter appellēt Spiritum Sanctum imaginem Patris, & Filij. Respondet D.Th. eos Patres accepisse nomen imaginis latiùs pro eo, quod dicit perfectam similitudinem quomodocumque: in hoc tamen meliùs locutos esse Latinos Patres, qui soli Filio attribuunt nomen imaginis, quia in Scriptura soli Filio reperitur appropriatum, & sic sequitur, nomen imaginis esse nomen personale in diuinis.

Quamuis autē hoc nomen, imago, sit nomen nouum, distinctum à nomine Verbi, & à nomine Filij, non tamen importat re ipsa nouam notionem in Filio, à sua filiatione distinctam, quatenus enim dicit relationem similitudinis, sic est commune omnibus personis, quatenus verò dicit originem ad repræsentandum, dicit eandem notionem cum Verbo, & Filio Dei, & sic non importat reipsa nouam notionem.

1040 Quæres 1.

Quæres 1. Vtrum Verbum diuinum, sicuti repræsentat Spiritum Sanctum, & creaturas, ità dici possit Verbum Spiritus Sancti, & creaturarum, quàmuis non possit dici imago, nam in nobis Verbum, quòd repræsentat lapidem, dici potest Verbum lapidis.

Resp. potest dici Verbum creaturarum impropriè, secundario, & repræsentatiuè.

Responsio communis est, dupliciter dici posse aliquod Verbum alicuius rei; primò, quia procedat ab illa re; secundò quia repræsentet aliquo modo illam rem, & sit ad illam repræsentando: primo modo Verbum Dei non potest dici Verbum creaturarum, & Spiritus Sancti, sed solius Patris Dei: secundò modo potest dici, sed quia in re nostra ille primus modus solet esse absolutè vsitatus, nō autem secundus, ideò non debet dici Verbum diuinum absolutè Verbum Spiritus Sancti, vel creaturarum. Potest tamen dici Verbum repræsentatiuum harum rerum, & sic patet responsio ad argum. suprà factum de processione Verbi ex cognitione Spiritus Sancti, & creaturarum.

1041 Quæres 2.

Quæres 2. An sicuti Filius dicitur imago Patris, ità Pater possit dici exemplar Filij, quod enim non possit dici imago, constat, quia imago præter similitudinem dicit originem; Pater autem non habet originem à Filio, quòd autem possit dici exemplar, videtur probari posse, quia principium Filij, & Filius procedit, vt imago ipsius.

Resp. Patrem non esse propriè exemplar Filij.

Respond. non posse propriè dici, quamuis enim omnis imago dicat ordinem ad id, cuius est imago, non tamen necesse est, vt id, cuius est imago propriè sit, & dicatur exemplar; nam ad rationam exemplaris requiritur, vt imago procedat ex præcognitione eius, cuius est imago, itaut eius processus, & origo præsupponat cognitionem exemplaris, vt aliquid à se distincti, sicuti patet in statuis, & imaginibus depictis, in quibus pictura, vel sculptura, seu actus pingendi, &c. distinguitur realiter à cognitione obiecti, quod artifex nititur exprimere, & similiter creatio, seu productio creaturæ distinguitur realiter à cognitione, quam Deus habet suarum idearum, quæ sunt exemplaria creaturæ, & sic de alijs.

Nam ad rationem exemplaris requiritur præcognitio eius, cuius est exemplar.

Filius in diuinis non procedit ex præcognitione Patris, aut essentiæ diuinæ.

At verò Filius in diuinis non procedit ex præcognitione Patris, aut essentiæ diuinæ, &c. sed ipsamet cognitio est realiter ipsa eius productio, vt connotat Paternitatē, & sic Filius nō procedit ex præcognitione eius obiecti, quod exprimit. Vndè Pater nō potest dici propriè eius exemplar, nisi nomine exemplaris intelligamus principium, ex quo imago procedit quomodocumque, quod tamen in re nostra non existimo vsurpandum; Filius ergo procedit à Patre, vt à principio cognoscente, non autem vt ab exemplari.

1042 Quæres 3.

Quæres 3. An Filius dici possit imago, & obiectum, in quo Pater cognoscat seipsum, & omnia alia.

Dupliciter potest intelligi, quòd Pater intelligat omnia in Verbo, vel ex indigētia, & est falsum: vel ex fœcunditate naturæ, & est verum.

Circa quod sciendum est, quòd dupliciter potest intelligi, quòd Pater cognoscat omnia in Verbo à se producto; primò quia non cognoscat eadem in seipso, sed indigeat Verbo, vt obiecto, in quo cognoscat, sicuti Beati indigent essentia diuina, in qua cognoscant obiecta secundaria. Secundò potest intelligi, quòd Pater cognoscat omnia in seipso, vt in Deo creatore, & origine, & fonte etiam ipsius diuinitatis modo suprà explicato, sed præterea ex fœcunditate suæ naturæ, & scientiæ cognoscat omnia in Verbo, vt in similitudine expressa, & nō ex indigentia sui, & secundo hoc modo cognoscit omnia in Verbo; quæ doctrina sumitur ex D. Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 14. vbi ait. Nouit omnia Pater in seipso, nouit in Filio; sed in seipso, tanquàm seipsum, in Filio, tanquam Verbum suum. *imo primo modo, tanquam scil. in Deo Creatore potest cognoscere Pater omnia in Spiritu S. & Filius in Patre. Nam essentia diuina in quocumq; est, est apta repræsentare omne cognoscibile, sed tamen peculiari illo modo dicuntur omnia in Verbo cognosci; Quia verò, aliqui auctores putant, idem esse cognoscere aliquid in Verbo, ac cognoscere aliquid Verbo, tanquam termino, & obiecto cognitionis; ideò dicunt, dici posse, Patrem cognoscere omnia Verbo suo, sed ad vitandam*

aqui-

æquiuocationem, ne videatur falsus esse, Patrem cognoscere Verbo, vt forma, per quam sit cognoscens, ideò melius est dicere in Verbo, licèt quæstio sit de nomine.

DVBIVM VNICVM.

An ratio imaginis soli filio formaliter conueniat, An etiam Spiritui Sancto, Vbi cur filius formaliter sit imago?

1043 *Concl est affir. Prob. quia solus Filius procedit formaliter, similis in natura.*

CONclusio. Solus filius est imago formaliter naturalis Patris, non Spiritus S. ita communiter Theologi, & Patres; Prob. 1. ex D. Th. hic art. 1. ad 2. qui præclarè constituit rationem imaginis propriam filij in identitate naturę accepta ex vi processionis, & indicatur à D. Paulo dicente, *cum sit Figura substantiæ* eius; itaque filius non est imago naturalis, quia est similis intentionaliter Patri; sed quia intelligere Dei est Dei natura, vt supra q. 1. art. 4. fusiùs probatum est; & filius ex vi processionis per intellectum accipit notitiam, seu intelligere Patris; proptereà accipit eandem naturam; & consequenter ideo procedit, vt imago, quia procedit in eadem natura, & procedendo in eadem natura repræsentat Patrem, hoc est, habet Patrem præsentem intra se, vtpotè, ex quo nascitur ex vi processionis, vt obiectiuè repræsentet, nam si ex vi processionis habet intra se obiectiuè naturam Patris, tàm Patri, quàm Spiritui Sancto eandem naturam repræsentat à Patre acceptam.

1044 *Si Filius ex vi processionis procederet similis in natura, & non per intellectum esset formaliter imago.*

Hinc fit, si Filius ex vi processionis procederet in vnitate naturæ cum Patre, licèt non procederet per intellectum, fore imaginem, non quidem intentionalem, quia non esset Verbum: sed naturalem, repræsentaturam physicè, ac proinde in eo quicumque intellectus cognosceret formaliter naturam à Patre acceptam. Prob. quia ideò nunc filius est filius naturalis, quia ex vi intellectionis accipit eandem naturam Patris, & quia hæc est intelligere, accipiendo vt Verbum formaliter intelligere, formaliter accipit Patris naturam, Patrisque dicitur, ac est filius naturalis: ergo si natura Patris non esset formaliter intellectualis, sed alia formalitas; & hanc ex vi suæ processionis acciperet filius, certè ex vi suæ processionis esset similis Patri in natura: ergo esset imago naturalis illius, Patremque haberet physicè præsentem, ac physicè, sed formaliter Patrem repræsentaret. Ex quo fit, ideò Spiritum Sanctum non esse filium, quia ex vi suæ processionis non euadit similis in natura, ac proinde non est imago, & consequenter ex vi processionis non repręsentat physicè Patrem, idest non habet præsentem, & intrà se Deitatem, ex vi processionis, sed solam volitionem, nec repræsentat intentionaliter obiectiuè, quasi qui videt Spiritū Sāctum secundùm ea, quæ accipit ex vi processionis, videat Patrem, & Filium, nam cum non accipiat Deitatē ex vi processionis; certè ex vi visionis eorū; quæ accipit formaliter, non videbitur formaliter essentia Patris, & Filij.

1045 *Prob. 2. quia Pater non est imago sui, nec Spiritus S est imago intētionalis, nec naturalis.*

Prob. 2. ex Sac. Scriptura, vbi solus filius dicitur imago. Signum est. ergo, quod nulla alia persona sit imago: Et quantumuis hoc argumentum sit negatiuum; non tamen est inefficax in præsenti, accedente scilicet sensu communi Patrum, & simul cōiectura non leui, nimirum inde sumpta, quod cùm frequenter Filius nominetur Imago, numquam talis denominatio, vel aliquod illius indicium alij Personæ tribuitur. Prob. 3. ratione. Pater nec est imago sui, à quo non distinguitur, nec aliarum personarum, nec prorsus aliarum rerum, cùm à nullo procedat. At Spiritus Sanctus, in quo videtur esse maior difficultas: Nam in primis non est imago intentionalis, cùm non exprimatur ad intelligendum, aut repræsentandum intentionaliter, nec procedat formaliter per intellectionem, sicut procedit Verbum. Rursus non est imago naturalis, sicut nec est filius, cùm non habeat naturam diuinam formaliter ex vi suæ processionis communicatam; ac subinde, nec similitudinem formaliter in illa, sicut habet Verbum: cum volitio diuina, non sit prima processio, in qua natura diuina seipsam explicat, sed secunda; quæ naturam supponit iam constitutam in esse naturæ: ac proindè solùs filius est formaliter imago, non Spiritus S. nec Pater.

Dices 1. Spiritus Sāctus, vt formaliter Spiritus Sanctus procedit, vt Deus, ergo vt formaliter Spiritus S. procedit, vt similis, ac proinde erit formaliter imago ex vi suæ processionis. 1046 *1. Euasio.*

Resp. neg. Anteced & conseq. iuxta sensum qu. 27. art. 4. supra explicatum. pro maiori autem illius doctrinæ explicatione, & radicali exclusione Spiritus S. à ratione imaginis: Notandùm est communem aliquam rationem, siuè formam, generico, siue proportionali conceptu appræliensam, duplici differentia contrahi posse: ac proinde dupliciter à differentia cōtrahente denominari potest, primo enim quælibet ratio formalis, seu generica diuidi potest per differētias per se, quæ scil. naturam illam variant, & distinguunt intrà latitudinem propriæ rationis formalis, & ad eandem naturam pertinent, vt eius formales, intrinsecæ, & essentiales differentię. Dico essentiales, non naturæ genericæ, præcisè, & abstractè sumptæ, sed prout est siuè participatur in hac, & illa specie directè sub tali genere sumpta: sicut album, & nigrum differentiæ sunt per se distinctiuæ coloris: quia nimirum coloris naturam distinguunt infrà latitudinem formalem coloris; & intrinsecè denominationes sunt, naturæ coloris ad eius essentiam pertinētes, prout est, siuè participatur in hac, & illa specie.

Præluditur, notando, communem rationem aliquam dupliciter posse contrahi, vel per differentiā propriam, vel per extraneā.

1047 *Exemplicatur in Albo, & nigro: quæ sunt differentiæ per se respectū coloris; extraneæ verò respectū hominis.*

Nam Ratio Albi, siuè disgregatiui, ratio quædam formalis est coloris, & visibilis, vt sic, à qualibet ratione formali cuiusuis alterius generis omninò distincta, & ab ea prorsus extranea. Quo fit, vt singula genera proprias habeant differētias ad ambitum rationis eius formalis ita pertinentes, & cum eius natura speciem constituentes, vt cum alterius generis natura nulla ratione valeant conuenire, ad vnam aliquam speciem, vel vnum aliquid per se, quouis modo constituendum, ob dictam causam, quia scil. ab eius ratione formali sunt extranea. Vnde album, & nigrum, quæ respectu coloris sunt differentiæ per se, si comparentur ad animal; sunt differentiæ per accidens, & cum animalitate nullam speciem, aut vnū aliquod ens per se constituunt, sed vnum tantùm constituunt per accidens.

1048 *Ratio est quia differentię per se, sunt intra latitudinem generis; differentię verò per accidens omninò extra.*

Ratio prędictorum omnium est, quia differentia sumitur à forma rei constitutiua, vt in rebus compositis; vel ab ipsa rei natura, vel quidditate, quoad rationem, seu gradum actualitatis in ea conceptum, vt in simplicibus. Necesse est igitur, differentias per se ad rationem formalem naturæ genericæ pertinere, non vt abstractè concipitur, sed prout ad totam specierum participantium latitudinem consideratur extensa, & esse terminationes eius intrinsecas, & eius essētia, vt in singulis est participātibus, includi. Vnde Arist. 3. met. t. 43. scissionem pedis, quam, vt differentiam per se diuisiuam constituit, quandam dixit esse pedalitatem; & ostendens, quomodo ex genere, & differentia fiat vnum per se, ait, genus non esse prçter eas, quç sunt species generis: & in vltima differentia, tàm genus, quàm superiores per se differētias includi: quod differentijs per accidens minimè congruit. Potest igitur secundo diuidi natura generica per differentias per accidens, vt si diuidatur color in naturalem, & artificialem; Sunt enim natura, & ars extra genus coloris; cum nec in eo, nec aliquā eius differentia per se claudantur: aut ipsum, vel eius aliquam differentiam includat explicitè, aut implicitè, vt ex se patet. Et hęc Doctrina proportionabiliter applicanda est ad modos communis analog. diuisiuos.

1049 *1. Corollarium*

Ex quibus sequitur 1. Amorem dupliciter posse distingui. Vno modo per differentias per se amoris, quatenus amor. Et quoniam amor impulsio quædam est. necesse est omnes differentias per se amoris diuisiuas, esse per se impulsionis diuersificatiuas, & hoc modo diuiditur amor in amorem amicitiæ, & in amorem concupiscentiæ: quæ duę differentię

Amorem quoque dupliciter contrahi posse vel per se; vel per accidens.

amicitia

amicitia scil.& concupiscentia impulsiones quædam sunt inter se diuersæ: vt patet ex 1.2.q.28. & ex supradictis q.27. Secundo diuidi potest amor per differentias per accidens, siue extraneas amoris vt amor est: & sic multipliciter diuidi potest,& in re proposita distinguitur per subiecta, siue per naturas amantiũ, scil. humanam, angelicam,& diuinam: & dicitur triplex amor, humanus scil. Angelicus,& diuinus.

1050 *2. Corollarium Differentię per se amoris nihil habere cõmune, formaliter cum ratione similis.*

Colligitur 2. Amorem, siue impulsum,& differentias per se impulsionis,& amoris, vt sic, nihil habere commune formaliter cum ratione *similis*, inquantum *simile*, sed ab eo,& eius differentijs valde distare: diuersorum enim generum, & nõ subalternatim positorum, qualia sunt *amor*,& *simile*, diuersæ sunt species,& differentiæ. Quod igitur procedit, vt *amor* formaliter, quantæcumque sit perfectionis etiam infinitæ, nunquam procedit, vt *simile* formaliter; quatenus *amor* est. Nam, quod procedit, vt *Amor*, procedit, vt impulsus; cuius nulla differentia est assimilatiua, sed inclinatiua; siquidem amor formaliter nõ fit, trahendo amatum in amante; sed potiùs trahendo amantem, seu inclinando amantem in amatum, intellectus est, qui res ad se trahit; voluntas autem non trahit, sed trahitur à rebus.

1051 *Differentiæ amoris, aliquãdò per accidens permittuntur habere rationẽ similis.*

Differentiæ vero amoris diuisiuę per accidens, *similis* quandoque rationem habere permittuntur: Dixi *permittuntur*: quia non omnes, sed vna tantùm earum habet rationem *similis*: hæc enim est diuinitas, quæ *amori* procedenti in identitate coniuncta, *similem* illum facit principio, à quo procedit: est.n. Deus *amor*, siuè diuinus amor ab amante diuino, siuè ab amore Deo. Verum cum hæc similitudo nõ insit amori, vt amor est, ex propria scil.& ex se differentia, non conuenit amori per se, & formaliter, vt amor est, procedere per se, vt Deus; sed quasi per accidens tantùm materialiter,& identice: quia scilicet idem est cum natura diuina, quæ vna est amoris spirati,& spiratoris: dixi quasi per accidens, quia contrahitur per differentiam extraneã diuinitas, & *similitudo* ab amore: vnde Spiritus Sanctus procedit, vt *Deus*, procedit, vt similis: non sunt verę propositiones in rigore metaphysico, & formalissime. cęterũ, quia sunt vere identice, & realiter, & hęc identitas fit per se realiter, licet non sit per se formaliter; pro vt ly per se realiter distinguitur à ly per accidens realiter: non vero quatenus ly per se formaliter distinguitur à ly per accidens formaliter: propterea q. 27. art. 4. dub. vnico, ac in disp. illius articuli: aliquando diximus Spiritum Sanctum procedere omnino materialiter,& per accidens; vt Deus: loquuti sumus,& negauimus, ly per se, formaliter, & ly formaliter, formaliter; aliquando diximus, Spiritum Sãctum procedere, vt Deum per se formaliter: loquuti sumus de perseitate reali,& formalitate reali: prout distinguitur à per accidens reali; & à materialiter reali; nam in diuinis realiter sunt omnia per se, & formaliter idem, pręter relationes. nam omnia, quę in illa disputatione,& dub. diximus: in hoc sensu debent intelligi. & sic apparet, quomodo Spiritus Sanctus nõ habeat rationẽ imaginis, quia ex vi suę processionis non procedit, vt similis.

1052 *Quomodo in superioribus diximus Spiritum S. procedere, vt Deũ formaliter?*

Si Spiritus S. ex vi processionis procederet similis in natura, esset imago.

Vnde minùs rectè Viri aliàs doctissimi dicunt Spiritum S. ex vi processionis procedere similem in natura eadem, & tamen non esse imaginem, probant, quia non repręsentat: ergo non est imago de cuius ratione est repræsentare: Anteced. probant primò, quia non procedit per intellectum, sed per amorem: ergo ex vi processionis non repręsentat, nam repręsentare est solius intellectus. Secundò probant, repręsentare dicit ordinem ad intellectum cognoscẽtem aliquid in re repręsentante; sed nullus est intellectus, cui Spiritus S. repręsentat Patrem, vel filium: ergo: maiorem supponunt, minorem probant: nam Spiritus S. vel repręsentat Patrem, & filium intellectui creato,& hoc est per accidens respectũ Spiritus S. neque ex tali repręsentatione potest dici imago, cùm non producatur Spiritus Sanctus, vel repręsentat ipsi Patri,& filio,& non est verum, quia Pater, & filius non cognoscunt se in Spiritu Sancto.

Euasio.

Respondeo, verum esse, Spiritum Sanctum nõ repręsentare ex vi processionis; nego tamen non repręsentaturum, si procederet similis ex vi processionis, licèt non procederet per intellectum; nam Filius homo Patrem hominem, licèt non procedat per intellectum, repręsentat: quia procedit similis illi in natura,& habet illum intrà se pręsentem realiter, & inde repręsentat obiectiuè: ergo si Spiritus S. procedit similis, etiam repręsentat, esto non procedat per intellectum. Et hinc patet ad primam probationẽ anteced. circà secundam distinguo Antec., repræsentatio filij dicit semper ordinem ad intellectum, vt ad intelligentem filium, nego; vt patet in filio creato, at Spiritus S. si ex vi processionis procederet similis, etiam repræsentaret obiectiuè suum principium, & diceret ordinem obiectiuè ad intellectum, non tamen, vt ad principium. hic vero intellectus, cui primariò repræsentaret, esset intellectus Patris, & filij, qui intuendo Spiritum S. qui haberet ex vi processionis eandem naturam, se quidditatiuè cognoscerent, non vt in termino reali intellectionis notionalis producentis, sed vt in termino producto per voluntatem, & obiectiuè mouente Patrem,& filium in sumet cognitionem; nec obstaret in illo casu, Patrem se nosse in Filio, quominùs se nosceret in Spiritu Sancto, nam eiusdem principij tunc essent duo repręsentatiua, quod totum sequeretur ex Aliorum improbabili sententia. 1053 *Resp. Spiritum Sanctum, si procederet, vt similis ex vi processionis, esse repręsentaturum, licèt nõ procederet per intellectum.*

Dices. 2. falso supponi, quod ad rationem imaginis desideretur, adhuc in diuinis, quod communicetur ei natura per processionem per modum naturæ; sed satis est, quod reipsa ei cõmunicatur natura per talem processionem, siue hoc fiat, ex vi processionis, siue aliunde. 1054 *2. Euasio.*

Sed Contra est. Nam in humanis imagò naturalis, non vtcumque est similis suo principio, nec vtcumque debet habere naturam communicatam ab eo, cuius est imago: sed ita, vt habeat illam, communicatam ex vi suæ processionis, saltem in intentione, & quantum ex vi inclinationis naturalis: ergo etiam in diuinis: quia diuina debemus intelligere ad instar humanorum, quoties aliqua ratio repugnãtiæ non appareat, vt in præsenti contingit. Anteced. prob. exemplo filij inter nos, qui hoc ipso, quod sit filius, procedit similis per processionem primam, nõ quidem in executione (ex eo, quod Pater per se loquendo non habet initio suæ processionis omnem perfectionem requisitam ad generandum,& ideo indiget nutriri, & augeri: & quia ob imperfectum modum operandi creaturæ corporæ, debet ante illam generationem præcedere alteratio, vt terminata ad dispositiones requisitas: ad eandem generationem.) sed primam in intentione, eo quod naturalissimum opus viuentis est generare sibi simile; nam vnumquodque maximè appetit assimilari quoad potest, esse diuino, quoad perpetuitatem, & immortalitatẽ; hoc autem consequuntur viuentia media generatione. *Pręcluditur n. nam in humanis imago naturalis debet esse similis suo principio ex vi suæ processionis.*

Dices. 3. Imagini artificiali aliquando casu, & præter intentionem artificis, atque adeò non ex vi processionis, solet communicari ratio similitudinis eius, cuius est imago: & tamen non ob id desinit esse imago. 1055 *3. Euasio.*

Sed Contra est. Nam licèt huiusmodi imago, cõparata in ratione effectus voluntarij, & moralis ad artificem, fit per accidens similis, atque adeò non ex vi processionis illius, vt moralis, & voluntariæ: attamen collata in ratione effectus artificialis ad suum principium, scilicet ad intellectum artificis determinatum per tale exemplar, non per accidens, sed per se,& ex vi suæ processionis, procedit similis illi: & ideò non minùs, nec aliter ipsa pendet ab hoc principio, quo ad id, quod prædicta imago in ratione effectus,& imaginis artificialis secundùm propria suæ lineæ habet, quam si non casu sed ex intentione artificis fiat, ac proinde, cùm hæc comparatio sit per se, & in ratione imaginis artificialis, vt talis, illa vero prior comparatio fit per accidens: & extrà lineam intraneam imaginis artificialis; consequens est, vt nihil *Præcluditur. quia huiusmodi imago collata in ratione effectus ad suũ principium, s. ad intellectum artificis, est similis per se.*

dicit

desit prædictæ imagini, adhuc tunc, quominùs in ratione imaginis artificialis, habeat ex vi suæ processionis, quod procedat, vt similis suo principio; vnde nunquam est præter intentionem operis, seu artificiosæ actionis, per quam procedit, licèt aliquando per accidens sit præter intentionem operantis.

1056 *Confirm. quia particula illa, in similitudinem naturæ, in definitione viuentium, debet esse per se.*

Confirm. Conel nam ex eo, quòd generatio viuentiū diffiniatur per hoc, quòd *sit origo viuentis à principio viuente coniuncto, in similitudinem naturæ*, colligimus hanc similitudinem debere esse terminum per se, & formalem prædictæ generationis: ex eo, quòd actiones definitæ per suos terminos, non definiūtur nisi per terminos formales. Et similiter etiam inferimus talem similitudinem debere communicari ex vi processionis, & non sufficere, quod aliunde per accidens, aut materialiter, siuè idēticè communicetur. ideóq; Spiritui Sancto denegamus rationem geniti, quia eius productioni non conuenit, quod terminetur, vt ad terminum formalem, ad similitudinem, & identitatem in natura, sed tantùm veluti per accidēs, materialiter, & identicè euadit similis, ac etiam productio imaginis, vt talis definitur per hoc, quod sit productio similis in specie, aut signo speciei, procedens ab eo, cuius est similitudo. ergo hinc etiam colligemus, quod terminus formalis huius productionis est prædicta similitudo, & quod ista ex vi processionis eius communicatur.

1057 *4. Euasio.*

Dices 4. ex definitione imaginis dub. præced. adducta, nō desideratur similitudo ex vi processionis in specie, sed sufficit similitudo in signo speciei, communicata ex vi processionis, hæc autem reperitur in Spiritus S. processione, vt patet. ergo.

Præcluditur. quia quidquid conuenit alicui ex personis diuinis, debet esse summè perfectum intra suam lineam.

Sed Contra. Quia quidquid conuenit alicui ex personis diuinis, debet esse summe perfectum intrà suam lineam: quia linea illa in personis pertingit ad omnem excogitabilem perfectionem, quæ ei conuenire potest: ergo non potest Spiritui Sancto similitudo in signo speciei conuenire. Tum, quia imago, quæ est similis suo principio ex vi processionis, quo ad signum speciei, & naturæ, non verò in natura ipsa, est imago, vel accidentalis, vel imperfecta, & deficiens, & quantum est ex vi suæ processionis non habens naturam prototypi, sed non repugnat ei, vt sit aliena, & extranea natura, vt in imaginibus artificialibus, quæ solùm sunt similes in externa figura, cernitur. Tum etiam, quia tantùm gradus imaginis solent numerari, nempè imaginis habentis præcisè similitudinem ex vi processionis in signo speciei, & imaginis habentis similitudinem in natura, cum distinctione tamen numerica in illa: vel in modo habendi eam, vt in filio naturali, & in imaginibus intentionalibus, quæ non sub modo essendi naturali, sed intentionali habent eandem naturam. Sed secundus gradus imaginis licet perfectior primo, relegatur à Deo, quia non est summe perfectus: ergo potiori ratione ille prior relegabitur.

1058 *5. Euasio.*

Dices. 5. Sufficere ad rationem imaginis perfectæ, quod sit similis in signo speciei ex vi processionis; & quod licèt non ex vi processionis, absolutè tamen, siue reipsa habeat similitudinem in natura: hæc autem duo, planum est conuenire Spiritui Sancto.

Præcluditur. quia sicut similitudo in signo speciei, alicui imagini debet per se conuenire; ità perfectæ imagini debet per se conuenire similitudo in specie.

Sed Contra est. Quoniam si ad rationem imaginis desideratur similitudo in specie, seu natura, & nō solùm similitudo in signo speciei, oportet, vt sicut similitudo in signo speciei, debet ei conuenire ex vi processionis, sic etiam similitudo in specie. Si enim similitudo illa minor debet ei conuenire ex vi processionis, vt constituat imaginem imperfectam; non est cur non denegetur ex vi processionis similitudo in specie, vt constituat perfectiorem imaginem, nec vrget instantia, quod nihil obest rationi similitudinis procedere ex vi suæ processionis in signo speciei, licet aliunde habeat communicatam eandē numero naturam; nam Spiritus Sanctus ratione naturæ diuinæ est perfectè similis Patri, & filio; licet procedat ex vi processionis in signos speciei, ergo hoc non obesse poterit rationi imaginis. Non inquam vrget hæc instantia, nam licet ad rationem similitudinis non requiratur per se, & formaliter processio, vt patet in ouo, quod dicitur alteri simile, licet ab altero non procedat; quia ad rationem similitudinis sufficit habere vtrumque eandem naturam, ad rationem verò imaginis processio est formaliter requisita, ac proinde ad perfectam rationem imaginis exigitur ex vi processionis formalis.

Petes. 1. *Cuius Verbum sit imago? Patris vel Spiritus Sancti &c.* 1059 *Petes 1.*

Resp. Filium esse imaginem solius Patris naturalem, & intentionalem, cum non producatur à Spiritu Sancto, nec à creaturis.

Resp. Filium esse imaginem solius Patris naturalem, & intentionalem; ita communiter Theologi; Prima pars prob. quia non est imago naturalis creaturarum, quia nec habet eandem cum illis naturā, nec producitur ab illis; nec illæ sunt obiectum primarium intellectus Patris: nec est imago naturalis Deitatis, nec suimet. quia nec producitur, nec distinguitur à se, neque à Deitate: denique non est imago naturalis Spiritus Sancti, quia licèt ab illo distinguatur, ab eo tamen non procedit. Secunda vero Pars scil. Verbum esse imaginem intentionalē Patris est communis etiam; sed notandum, quod cum Patres dicunt verbum esse imaginem Patris, & solius Patris, de sola imagine naturali, ni fallor loquuntur: Quia tamen imago naturalis, & intentionalis in diuinis sit formaliter eadem, nam intelligere est formaliter constitutiuum naturæ, vt diximus to. 1. q. 14. art. 4.

1060 *Corollarium. Filius solus Patris est imago expressa, & naturalis.*

Propterea ex prima Patrum positione infertur hęc secunda, quod Verbum est imago solius Patris, & continet duo: Primum, *Filius est imago expressa, & vnicè à Patre*, & hæc est de fide. Secundus sensus potest esse, *hæc imago vnicè repræsentat Patrem*: & hæc est falsa, nam etiam repræsentat omnia obiecta cognoscibilia, verus ergo sensus conclusionis est; *Verbum est imago solius Patris*; quia est similitudo Patris, & ex Patre, nam hinc fit, non esse imaginem Deitatis, nec sui, quia neque est à se, neque à Deitate. neque Spiritus Sancti, quia non est ab Spiritu S. & à fortiori neque creaturarum, quia non est à creaturis: sed quia est Verbum infinité, & comprehensiue expressum, ex diuina Patris mente, omnia quæ sunt in Deo siue formaliter, siue eminenter notionaliter intelligente, propterea Verbum, est similitudo intentionalis, Deitatis, suipsius, Spiritus Sancti, ac creaturarum.

1061 *Petes 2.*

Petes 2. *An rationes Filij, Verbi, & Imaginis, sint de quidditate notionali, & quid de nomine, sapientia?*

Resp. affirmat. quia Verbum procedit à Patre simile in natura ex vi processionis.

Resp. affirmat. & patet ex dictis in hac, & quæst. præced. Nam ex vi processionis adæquatæ per intellectum procedit secunda persona formaliter, vt Filius, quatenùs accipit naturam diuinam formaliter; procedit, vt Verbum, quatenùs est formalis terminus dictionis exprimens intellectionem Patris, procedit vt imago, quatenùs producitur, vt similitudo expressa Patris: ergo sunt omnes rationes de quidditate secundę personæ, solumque differunt penes magis explicitos conceptus: Filius enim magis exprimit relationem producti. Verbum exprimit relationem dicti, & repræsentatis intentionaliter obiecta. Imago potissimùm exprimit fundamentalem illam similitudinem, licèt includat etiam relationem procedentis.

1062 *Filius est sapientia Patris, non essentialis, sed sapientia notionalis.*

Dicunt etiam Patres apud Suarium lib. 9. cap. 10. Filium esse sapientiam Patris, & potest, vox *sapientia*, sumi, vel essentialiter; & tunc solùm per appropriationem conuenit Filio; vel notionaliter, & ad tollendam æquiuocationem addendum est aliquid, quo id significetur, vt cùm dicitur, *sapientia genita*; vel *sapientia de sapientia*, & sic dicitur propriè *sapientia* Patris, dum ille genitiuus *Patris*, non significet habitudinē causæ formalis, sed originis, vt notat Athanasius contra Gregales Sabel ij dicens: *Sapientia Patris est Filius, non vt in homine, vbi per sapientiam est sapiens, sed ex sapiente sapientia illa ortum habet*.

Ratio est, quia Pater nullo modo recipit sapientiam à Filio.

Ratio est, quia Pater nullo modo recipit sapientiam à Filio in genere causæ formalis; sed potiùs illam ipsi communicat in genere productiui. Quare Pater non potest dici sapiens *sapientia genita*, quia denotatur habitudo formæ, Filius autem non est forma Patris,

& consequenter omnes locutiones significantes causalitatem formalem in Verbo respectu Patris, reijciendæ sunt, ideo propositionem illam, *Pater est sapiens sapientia genita*, retractauit Augustin. Retract. cap. 26. & sæpe alibi.

QVÆST. XXXVI. D. Th.

De Persona Spiritus Sancti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum hoc nomen Spiritus Sanctus sit proprium nomen alicuius personæ diuinæ.

SVMMA ARTICVLI. D.Th.

CONclusio est affirm. Declaratur, & prob Quia sicut nomen Spiritus significat quendam impulsum, & motum in corporalibus, & propterea ventum, & flatum spiritũ nominamus: sic amor, quia impulsum quendam voluntatis significat, Spiritus vocatur: Sanctus verò ideò dicitur, quia ordinat in Deum. Quia igitur persona tertia Trinitatis procedit per modum amoris, ideò conuenienter Spiritus Sanctus nominatur.

Arg. 1. ex Hil. 8. de Trinit. asserente, nomen Spiritus Sancti esse commune tribus personis. ergo. Resp. nomen Spiritus Sancti sumi posse dupliciter. primò, in vi duarum dictionum, & sic est commune tribus personis, quę cum sint immateriales dicuntur Spiritus; & cum tota Trinitas sit purissime bonitatis dicitur Sancta. Si verò sumatur in vi vnius dictionis, ex accomodatione Ecclesię significat tantùm personam procedentẽ per modum Amoris, nam sicut relationes, quę accipiuuntur secundùm processionem amoris, sunt innominatę, Et ideò accomodata sunt aliqua nomina, quibus significentur: ità accomodanda sunt aliqua nomina ad significandam personam procedentem.

Arg. 2. Nomen Spiritus Sancti non dicitur ad aliquid teste Boet. lib. de Trin. ergo. Resp. dist. Ant. non dicitur ad aliquid, secundùm se, conced. tamen ex accomodatione pro relatiuo ponitur, intelligendo spiritũ, quasi spiratum; qui refertur ad spirantem, & in hoc sensu neg. Anteced.

Arg. 3. Quia filius est proprium nomen personę, non potest dici filius huius, vel illius; sed tantùm Patris. Sed Spiritus S. dicitur huius, vel illius hominis. Num cap. 11. ergo. Resp. neg. conseq. est enim diuersa ratio Filij ex vna parte; & de Patre, & Spiritu Sancto, ex alia Nomen enim Filij significat tantùm relationem ad principium sui: & quia eius principium est solus Pater; ideò &c. Nomen verò Patris importat relationem principij, & nomen Spiritus Sancti quandam vim motiuam. Et quia Pater est principium non solùm Filij, sed omnium creaturarum, & similiter Spiritus Sanctus; ideò potest dici Pater noster, & Spiritus noster.

DISPVTATIO CLXXXXIV.

Vtrum hoc nomen, Spiritus Sanctus, sit proprium nomen alicuius diuinæ personæ.

1063 PRima Concl. *simpliciter affirmatiua est de fide; quia certum est, Matth. vlt.* Baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. *&* 1. *Io.* 5. Tres sunt, qui testimonium dant in Cęlo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum sunt, *numerari proprijs nominibus tres diuinas personas. ergo hoc nomen Spiritus S. est primũ nomen tertiæ personæ, & ideò de hac propria denominatione, tanquam de aliqua manifesta fidei veritate ità scripsit Nazianz. tract. de fide non longè à princip.* Quis Catholicorum ignorat, Patrem vere esse Patrem, Filium vere Filium, & Spiritum S. verò esse Spiritum Sanctum? Sicut ipse Dominis dicit, Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. *Theodoret. etiam Dialogo*, Immutabilis, *col.* 3. *cùm docuisset, quòd hæc nomina, Pater, Filius, Spiritus Sanctus* non sunt Sanctæ Trinitatis communia, sed sunt illius hypostasis: cuius sunt propria: *paulò post ita fatetur*, Sancta Scriptura Spiritum vocauit, & Patrem, & Filiũ: Spiritum autem S. solùm Spiritus hypostasim nominat.

1. Concl. affir. est de fide. patet ex illo Matth. vlt. *Baptizãtes eos in nomine Patris, Filij, & Spiritus S.*

1064 2. *Concl. Hoc nomen, Spiritus Sancti sumptum est in vi vnius dictionis, & accommodatum ad significandam propriam Personam procedentem per modum amoris, non ex se, siuè ex propria significatione, quam per se habet, sed ex vsu scripturæ, & Ecclesiæ. Ita S. Thom. in Corp. & ad* 1. *ijsdem ferè verbis; & nullus, quem sciam, contradicit, nisi fortasse Arrub. disputat.* 128. *à num.* 7.

2. Concl. Nomen Spiritus S. in vi vnius dictionis, significat amorem ex vsu Ecclesię.

Prob. 1. *ex responsione ad* 1. Hoc nomen, Spiritus S. prout sumitur in virtute duarum dictionum, commune est toti Trinitati; quia nomine Spiritus significatur immaterialitas diuinæ substantiæ. Per hoc verò, quod dicitur Sanctus, significatur puritas diuinæ bonitatis. *Sed idem nomen, etiam prout sumitur in vi vnius dictionis, hanc ipsam spiritualitatis, ac sanctitatis communem significationem non mutat, vt ex se patet, ergo etiam sumptum in vi vnius dictionis, nihil ex se significat, quod sit proprium vnius personæ, & non commune cum reliquis; ergo Spiritus S. etiam si consideretur, vt vna dictio composita, dici debet nomen proprium tertiæ personæ, non ex propria significatione, quam voces ex se habeant, sed solum ex congruentissima accommodatione scripturæ, & Ecclesiæ, vt mox ostendam sequenti Concl.*

Prob. 1. quia ex vi dictionis significat spiritualitatẽ, & sanctitatẽ.

1065 *Secundò ex responsione ad* 2. *Nullum nomen potest ex se esse proprium alicuius diuinæ personæ, nisi nomen ex se relatiuum; quia diuinæ personæ in nullo absoluto, sed in solo relatiuo inter se distingui possunt*, Sed hoc, quod dico, Spiritus S. relatiuè non dicitur, tametsi pro relatiuo ponatur, in quantum est accommodatũ ad significandum personã relatione ab alijs distinctã. *Neque contrarium docet Aug. l. 5. de Trin. c. 11. circa med. illis verbis*, Spiritus S. in eo, quod propriè dicitur Spiritus S. relatiuè dicitur, cum & ad Patrem, & ad Filium refertur; quia Spiritus Sancti, & Patris, & Filij Spiritus est: *quia immediatè post ita limitando subdit*, sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine.

2. Probatur. quia hoc nomen Spiritus S. ex se nõ est relatiuus.

Verò igitur Spiritũ S. relatiuè dici quòad rem significatam, non quòad significationem, & ipsam vocem secũdum se. Ergo est nomen proprium, non ex se, sed ex sola accommodatione, in quo differt hoc nomen, Spiritus S. *à Patris, & Filij nominibus, quæ ex se sunt relatiua, & propria nomina viuentium suppositorum Et ratio differentię est, quia diuina nobis ignota nominamus nominibus notis creaturarum, in quibus habemus nomina* Personarũ *producentium, & procedentium per veram generationẽ in similitudinem naturę, quæ sunt* Pater, *&* Filius.

Spiritus S. dicitur relatiuè quoad rem significatam, nõ quoad modũ significandi.

Sed non habemus, neque nomen, neque rem, alicuius personæ substantialiter productæ à principio viuente, habentis eamdem naturam cum suo principio, & tamen non productæ per generationem; qualis est in diuinis productio tertiæ personæ per voluntatem: ergo hæc ex rebus creatis non potuit habere nomen, quod ex vi vocis esset sibi proprium, sed necessarium

Nõ habemus nomen ad explicandã personã productã in diuinis, sed non per generationẽ.

fuit

fuit accommodare illi aliquod nomen, tanquam propriũ. Alia autem processio per intellectum, quia erat verè, ac propriè generatio viuentis, quæ etiam reperitur in creaturis, habere potuit ex rebus creatis vocabula propria per se, non per loquentium accommodationem.

1066 3. Concl. hoc nomen Spiritus S. cõgruẽtissimis rationibus, accomodatum est Spiritui Sancto.

3. Concl. Hoc nomen, Spiritus S. congruentissimis rationibus sumptum est in vi vnius dictionis, & tanquam vnum nomen substantiuum accomodatum est Spiritui S. vt proprium nomen ipsius. Hoc prob. in med. corp. afferendo duas congruentia rationes. Primam ex ipsa communitate, eius, quod dicitur Spiritus S. Vt enim dicit Aug. 15. de Trin. *immediatè post verba citata supra,* Quia enim est communis ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter Nam & Pater est Spiritus, & Filius est Spiritus; & Pater est Sanctus, & Filius est Sanctus. *Pusius, & clarius antea lib. 5. cap. 11. post med.* Spiritus S. ineffabilis est quædam Patris, Filijque communio; & ideò fortasse sic appellatur, quia Patri, & Filio potest eadem appellatio conuenire. Nam hoc ipse proprie dicitur, quod illi communiter; quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater Sanctus, & Filius Sanctus. Vt ergo ex nomine, quod vtrique conuenit, vtriusque communio significetur, vocatur donum amborum, Spiritus Sanctus.

Prima congruentia.

1067 2. Congruentia, quia nomen Spiritus in rebus corporeis significat impulsionem.

Secundam congruentiam sumit S. Th. ex propria significatione: quia, *inquit*, nomen Spiritus in rebus corporeis impulsionem, & motionem significare videtur; nam flatum, & ventum, spiritum nominamus; *& vt addit. 4 contr. Gent. c. 19. circa finem,* impulsus rei viuentis ab interiori, ad Spiritum pertinet. *Vndè ipsamet scriptura motum, & impulsum Spiritui tribuit, vt Ezechiel 1.* Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur *Et Io. 3.* Spiritus vbi vult, spirat, & vocẽ eius audis, sed nescis vndè veniat, aut quo vadat. *Et Rom. 8.* Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij sunt Filij Dei. *Sed, vt hoc subiungit S. Th.* est proprium amoris, quod moueat, & impellat voluntatem amantis in amatum; quia, *inquit loco cit. contr. Gen.* amatum in voluntate existit, vt inclinans, vt quodammodo impellens intrinsecùs amantem in ipsam rem amatam.

Sanctitas .n. illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur.

Præterea Sanctitas illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur, in quo est eminentissima Sanctitas, quia vt eruditè explicat opusc. 3 c. 47. siuè dicatur sanctũ, quasi purum, secundum Græcos, in Deo est purissima bonitas ab omni defectu immunis, siuè dicatur Sanctum, idest firmum secundùm Latinos, in Deo est immutabilis bonitas. *ergo omnium maximè Sanctus dici debet amor, quo immediatè amatur ipsemet Deus, prout in se est.* Quia igitur, *vt concluditur hic in fin corp.* persona diuina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, conuenienter Spiritus S. nominatur.

1068 3. Congruentia nam dicitur Spiritus, quasi quidam halitus.

Tertiam congruẽtiam breuiter tangit S. Th. loco cit. contr. Gen. illis verbis, Conuenit Deo per modũ amoris procedẽti, vt Spiritus dicatur eius spiratione, quasi quadam aspiratione existente, *hoc est, quasi quodã halitu, seu spiritu, quem respirando ab ore emittimus. Quod, vt Patres exponunt, indicasse videtur Christus Dominus, cum Io. 20.* insufflauit, & dixit eis, *hoc est, Discipulis,* Accipite Spiritum S. *tunc enim Dominus, inquit Basil. hom. 17. paulò post prin.* Spiritum S. Discipulis suis inspirauit, perque illam inspirationem Spiritum esse diuinæ essentiæ, & non creatæ naturæ ostendit. *Et Aug. tract. 99. in Ioan. multo post med.* Si non à Filio procederet Spiritus S. non post resurrectionem se repræsentans Discipulis suis, insufflans diceret, Accipite Spiritum S. Quid enim aliud significauit illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus S. & de ipso. *Et iterum tract. 121. multò post med.* Insufflando significauit, Spiritum Sanctum non Patris solius esse Spiritum, sed & suum.

1069 Inter omnes res sensibiles nulla planè est, quę ita repræsentat processionem Spiritus S. sicut halitus.

Idem, & clarius indicatur illo Psal. 32. Verbo Domini Coeli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum: *quem locum Patres communissimè intelligunt de Spiritu S. qui manifestè dicitur, Spiritus oris. Ita autem denominatus, ac declaratus videtur Spiritus S. quia inter omnes res sensibiles nulla planè est, quæ ità repræsentat substantiam, & processionem Spiritus Sancti, sicut repræsentat habitus ex ore prodiens; propter halitus simplicitatem, puritatem, subtilitatem, mobilitatem, inuisibilitatem; qui ita naturaliter, ac necessariò procedit, vt sine illius respiratione viuere non possimus.*

Præterea halitus procedit ab intrinseco respirantis, & ita procedit, vt idem omninò respiretur, qui erat intrà respirantem, & procedat absque generatione: & ideò Spiritus S. a Basil. lib. vnico de Spiritu S. cap. 18. med. dicitur, Non sic à Patre veniens, quemadmodũ per generationem Filius, sed tanquam Spiritus oris eius. *Oris quoque halitus ex eo, quòd per oris Verbum necessariò efflatur, est proprla, ac potissima similitudo Spiritus Sancti, quia a diuino Verbo procedit.* Alitus procedit ab intrinseco respirantis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Filio.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio est affirmatiua necesse est dicere Spiritum Sanctum à filio procedere. Prob. omnis distinctio personarum in diuinis est per oppositas relationes. Sed si Spiritus Sanctus non procedet à filio, non esset inter filium, & Spiritum Sanctum relatio opposita ergo. ma. prob. quia distinctio personarum in diuinis non potest esse per aliquid absolutum, quia sequeretur, quod non esset trium personarum vna essentia, erit igitur per aliquod relatiuum.

Arg. 1. Spiritum Sanctum procedere à filio, non est expressum in Sacra Scriptura: ergo. Resp. dist. Antec. & non est expressum &c. secundùm verba, conced. non est expressum secũdùm sensum, nego. Spiritum Sanctum. n. procedere à filio, est expressum in Sac. Scriptura secundùm sensum, iuxta illud Io. 16. ille me clarificabit, quia de meo accipiet.

Arg. 2. in symbolo Constantinopolitanę synodi non legitur Spiritum Sanctum à filio procedere, sed à Patre. ergo. Resp. neg. conseq. quia in quolibet concilio institutum fuit symbolum aliquod propter errorem aliquem, & quia in concilio antiquorũ, nondũ exortus fuerat error dicentium, Spiritum Sanctum non procedere à filio, non fuit necessarium, quòd hoc explicitè poneretur, sed insurgente errore quorundam, hoc postea expressũ fuit authoritate Romani Pontificis.

Arg. 3. ex Damasc. lib. orth. fid. c. 11. dicente Spiritum Sanctum à filio non procedere. Resp. Damasc. in hoc errasse cum Nestorianis, à quibus ortum habuit hic error.

Arg. 4. nihil procedit ab eo, in quo quiescit. Sed Spiritus in filio quiescit, vt dicitur in principio legendę S. Andreę. Ergo. Resp. neg. ma. nam etiam filius manet in Patre, & tamen ab eo procedit Spiritus Sanctus. n. quiescit in filio, eo modo, quo amor quiescit in amato.

Arg. 5. Spiritus non procedit à verbo, vt in nobis, patet. ergò. Resp. dist. Anteced. non procedit à verbo vocali, conced. à verbo mentali nego, nam ab hoc etiam procedit amor in nobis.

Arg. 6. qui perfectè procedit ab vno, superfluè ponitur, quod procedat ab alio; sed Spiritus Sanctus perfectè procedit à Patre. ergo. Resp. dist. mi. cum exclusione filij, neg. cum inclusione conced. habent enim Pater, & filius, eandem virtutem spiratiuam, ideò non superfluè, sed necessariò ab illo procedit.

& consequenter omnes locutiones significantes causalitatem formalem in Verbo respectu Patris, reijciendæ sunt, ideo propositionem illam, *Pater est sapiens sapientia genita*, retractauit Augustin. Retract. cap. 26. & sæpe alibi.

QVÆST. XXXVI. D. Th.

De Persona Spiritus Sancti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum hoc nomen Spiritus Sanctus sit proprium nomen alicuius personæ diuinæ.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

Conclusio est affirm. Declaratur, & prob. Quia sicut nomen Spiritus significat quendam impulsum, & motum in corporalibus, & propterea ventum, & flatum spiritũ nominamus: sic amor, quia impulsum quendam voluntatis significat, Spiritus vocatur: Sanctus verò ideò dicitur, quia ordinat in Deum. Quia igitur persona tertia Trinitatis procedit per modum amoris, ideò conuenienter Spiritus Sanctus nominatur.

Arg. 1. ex Hil. 8. de Trinit. asserente, nomen Spiritus Sancti esse commune tribus personis. ergo. Resp. nomen Spiritus Sancti sumi posse dupliciter. primò, in vi duarum dictionum, & sic est commune tribus personis, quę cum sint immateriales dicuntur Spiritus; & cum tota Trinitas sit purissimę bonitatis dicitur Sancta. Si verò sumatur in vi vnius dictionis, ex accomodatione Ecclesię significat tantùm personam procedentẽ per modum Amoris, nam sicut relationes, quę accipiuuntur secundùm processionem amoris, sunt innominatę, Et ideò accomodata sunt aliqua nomina, quibus significentur: ità accomodanda sunt aliqua nomina ad significandam personam procedentem.

Arg. 2. Nomen Spiritus Sancti non dicitur ad aliquid teste Boet. lib. de Trin. ergo. Resp. dist. Ant. non dicitur ad aliqnid, secundùm se, conced. tamen ex accomodatione pro relatiuo ponitur, intelligendo spiritũ, quasi spiratum; qui refertur ad spirantem, & in hoc sensu neg. Anteced.

Arg. 3. Quia filius est proprium nomen personę, non potest dici filius huius, vel illius; sed tantùm Patris. Sed Spiritus S. dicitur huius, vel illius hominis. Num cap. 11. ergo. Resp. neg. conseq. est enim diuersa ratio Filij ex vna parte; & de Patre, & Spiritu Sancto, ex alia Nomen enim Filij significat tantùm relationem ad principium sui: & quia eius principium est solus Pater; ideò &c. Nomen verò Patris importat relationem principij, & nomen Spiritus Sancti quandam vim motiuam. Et quia Pater est principium non solùm Filij, sed omnium creaturarum, & similiter Spiritus Sanctus; ideò potest dici Pater noster, & Spiritus noster.

DISPVTATIO CLXXXXIV.

Vtrum hoc nomen, Spiritus Sanctus, sit proprium nomen alicuius diuinæ personæ.

1063 Prima Concl. *simpliciter affirmatiua est de fide; quia certum est, Matth. vlt.* Baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. *&* 1. *Io.* 5. Tres sunt, qui testimonium dant in Cęlo, Pater, Verbum, & Spiritus S. & hi tres vnum sunt, *numerari proprijs nominibus tres diuinas personas. ergo hoc nomen Spiritus S. est primũ nomen tertiæ personæ, & ideò de hac propria denominatione, tanquam de aliqua manifesta fidei veritate ità scripsit Nazianz. tract. de fide non longè à princip.* Quis Catholicorum ignorat, Patrem vere esse Patrem, Filium vere Filium, & Spiritum S. verò esse Spiritum Sanctum? Sicut ipse Dominus dicit, Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. *Theodoret. etiam Dialogo,* Immutabilis, *col.* 3. *cùm docuisset, quòd hæc nomina, Pater, Filius, Spiritus Sanctus* non sunt Sanctæ Trinitatis communia, sed sunt illius hypostasis: cuius sunt propria: *paulò post ita fatetur,* Sancta Scriptura Spiritum vocauit, & Patrem, & Filiũ: Spiritum autem S. solùm Spiritus hypostasim nominat.

1. Concl. affir. est de fide. patet ex illo: Matth. vlt. *Baptizãtes eos in nomine Patris, Filij, & Spiritus S.*

1064 2. *Concl. Hoc nomen, Spiritus Sancti sumptum est in vi vnius dictionis, & accommodatum ad significandam propriam Personam procedentem per modum amoris, non ex se, siuè ex propria significatione, quam per se habet, sed ex vsu scripturæ, & Ecclesiæ. Ita S. Thom. in Corp. & ad* 1. *ijsdem ferè verbis; & nullus, quem sciam, contradicit, nisi forsasse Arrub. disputat.* 128. *à num.* 7.

2. Concl. Nomen Spiritus S. in vi vnius dictionis, significat amorem ex vsu Ecclesię.

Prob. 1. *ex responsione ad* 1. Hoc nomen, Spiritus S. prout sumitur in virtute duarum dictionum, commune est toti Trinitati; quia nomine Spiritus significatur immaterialitas diuinæ substantiæ. Per hoc verò, quod dicitur Sanctus, significatur puritas diuinæ bonitatis. *Sed idem nomen, etiam prout sumitur in vi vnius dictionis, hanc ipsam spiritualitatis, ac sanctitatis communem significationem non mutat, vt ex se patet, ergo etiam sumptum in vi vnius dictionis, nihil ex se significat, quod sit proprium vnius personæ, & non commune cum reliquis; ergo Spiritus S. etiam si consideretur, vt vna dictio composita, dici debet nomen proprium tertiæ personæ, non ex propria significatione, quam voces ex se habeant, sed solum ex congruentissima accommodatione scripturæ, & Ecclesiæ, vt mox ostendam sequenti Concl.*

Prob. 1. quia ex vi dictionis significat spiritualitatẽ, & sanctitatẽ.

1065 *Secundò ex responsione ad* 2. *Nullum nomen potest ex se esse proprium alicuius diuinæ personæ, nisi nomen ex se relatiuum; quia diuinæ personæ in nullo absoluto, sed in solo relatiuo inter se distingui possunt,* Sed hoc, quod dico, Spiritus S. relatiuè non dicitur, tametsi pro relatiuo ponatur, in quantum est accommodatũ ad significandum personã relatione ab alijs distinctã. *Neque contrarium docet Aug. l.* 5. *de Trin. c.* 11. *circa med. illis verbis,* Spiritus S. in eo, quod propriè dicitur Spiritus S. relatiuè dicitur, cum & ad Patrem, & ad Filium refertur; quia Spiritus Sancti, & Patris, & Filij Spiritus est: *quia immediatè post ita limitando subdit,* sed ipsa relatio non apparet in hoc nomine.

2. Probatur. quia hoc nomen Spiritus S. ex se nõ est relatiuus.

Verè igitur Spiritũ S. relatiuè dici quoad rem significatam, non quoad significationem, & ipsam vocem secũdum se. Ergo est nomen proprium, non ex se, sed ex sola accommodatione, in quo differt hoc nomen, Spiritus S. à Patris, & Filij nominibus, quæ ex se sunt relatiua, & propria nomina viuentium suppositorum Et ratio differentię est, quia diuina nobis ignota nominamus nominibus notis creaturarum, in quibus habemus nomina Personarũ producentium, & procedentium per veram generationẽ in similitudinem naturę, quæ sunt Pater, & Filius.

Spiritus S. dicitur relatiuè quoad rem significatam, nõ quoad modũ significandi.

Sed non habemus, neque nomen, neque rem, alicuius personæ substantialiter productæ a principio viuente, habentis eamdem naturam cum suo principio, & tamen non productæ per generationem; qualis est in diuinis productio tertiæ personæ per voluntatem: ergo hæc ex rebus creatis non potuit habere nomen, quod ex vi vocis esset sibi proprium, sed necessarium fuit

Nõ habemus nomen ad explicandã personã productã in diuinis, sed non per generationẽ.

fuit accommodare illi aliquod nomen, tanquam propriu. Alia autem processio per intellectum, quia erat verè, ac propriè generatio viuentes, quæ etiam reperitur in creaturis, habere potuit ex rebus creatis vocabula propria per se, non per loquentium accommodationem.

1066 3. Concl. hoc nomen Spiritus S. cõgruẽtissimis rationibus, accommodatum est Spiritui Sancto.

3. Concl. Hoc nomen, Spiritus S. congruentissimis rationibus sumptum est in vi vnius dictionis, & tanquam vnum nomen substantiuum accomodatum est Spiritui S. vt proprium nomen ipsius. Hoc prob. in med. corp. afferendo duas congruentia rationes. Primam ex ipsa communitate, eius, quod dicitur Spiritus S. Vt enim dicit Aug. 15. de Trin. immediatè post verba citata supra, Quia enim est communis ambobus, id vocatur ipse propriè, quod ambo communiter Nam & Pater est Spiritus, & Filius est Spiritus; & Pater est Sanctus, & Filius est Sanctus. Fusiùs, & clariùs antea lib. 5. cap. 11. post med. Spiritus S. ineffabilis est quædam Patris, Filijque communio, & ideo fortasse sic appellatur, quia Patri, & Filio potest eadem appellatio conuenire. Nam hoc ipse propriè dicitur, quod illi communiter; quia & Pater Spiritus, & Filius Spiritus, & Pater Sanctus, & Filius Sanctus. Vt ergo ex nomine, quod vtrique conuenit, vtriusque communio significetur, vocatur donum amborum, Spiritus Sanctus.

Prima congruentia.

1067 2. Congruentia, quia nomen Spiritus in rebus corporeis significat impulsionem.

Secundam congruentiam sumit S. Th. ex propria significatione: quia, inquit, nomen Spiritus in rebus corporeis impulsionem, & motionem significare videtur; nam flatum, & ventum, spiritum nominamus; & vt addit. 4 contr. Gent. c. 19. circa finem, impulsus rei viuentis ab interiori, ad Spiritum pertinet. Vnde ipsamet scriptura motum, & impulsum Spiritui tribuit, vt Ezechiel 1. Vbi erat impetus Spiritus, illuc gradiebantur Et Io. 3. Spiritus vbi vult, spirat, & vocẽ eius audis, sed nescis vnde veniat, aut quo vadat. Et Rom. 8. Quicumque Spiritu Dei aguntur, ij sunt Filij Dei. Sed, vt hic subiungit S. Th. est proprium amoris, quod moueat, & impellat voluntatem amantis in amatum; quia, inquit loco cit. contr. Gen. amatum in voluntate existit, vt inclinans, vt quodammodò impellens intrinsecùs amantem in ipsam rem amatam.

Sanctitas .n. illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur.

Præterea Sanctitas illis rebus attribuitur, quæ in Deum ordinantur, in quo est eminentissima Sanctitas, quia vt eruditè explicat opusc. 3 c. 47. siuè dicatur sanctũ, quasi purum, secundùm Græcos, in Deo est purissima bonitas ab omni defectu immunis; siuè dicatur Sanctum, idest firmum secundùm Latinos, in Deo est immutabilis bonitas. ergo omnium maximè Sanctus esse debet amor, quo immediatè amatur ipsemet Deus, prout in se est. Quia igitur, vt concluditur hic in fin corp. persona diuina procedit per modum amoris, quo Deus amatur, conuenienter Spiritus S. nominatur.

1068 3. Congruentia nam dicitur Spiritus, quasi quidam halitus.

Tertiam congruẽtiam breuiter tangit S. Th. loco cit. contr. Gen. illis verbis, Conuenit Deo per modũ amoris procedẽti, vt Spiritus dicatur eius spiratione, quasi quadam aspiratione existente, hoc est, quasi quodã halitu, seu spiritu, quem respirando ab ore emittimus. Quod, vt Patres exponunt, indicasse videtur Christus Dominus, cum Io. 20. insufflauit, & dixit eis, hoc est, Discipulis, Accipite Spiritum S. tunc enim Dominus, inquit Basil. hom. 17. paulò post prin. Spiritum S. Discipulis suis inspirauit, perque illam inspirationem Spiritum esse diuinæ essentiæ, & non creatæ naturæ ostendit. Et Aug. tract. 99. in Ioan. multo post med. Si non à Filio procederet Spiritus S. non post resurrectionem se repræsentans Discipulis suis, insufflans diceret, Accipite Spiritum S. Quid enim aliud significauit illa insufflatio, nisi quod procedat Spiritus S. & de ipso. Et iterum tract. 121. multò post med. Insufflando significauit, Spiritum Sanctum non Patris solius esse Spiritum, sed & suum.

1069 Inter omnes res sensibiles nulla planè est, quę ita repræsentat processionem Spiritus S. sicut halitus.

Idem, & clariùs indicatur illo Psal. 32. Verbo Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum: quem locum Patres communissimè intelligunt de Spiritu S. qui manifestè dicitur, Spiritus oris. Ita autem denominatus, ac declaratus videtur Spiritus S. quia inter omnes res sensibiles nulla planè est, quæ ita repræsentat substantiam, & processioneꝫ Spiritus Sancti, sicut repræsentat halitus ex ore prodiens; propter halitus simplicitatem, puritatem, subtilitatem, mobilitatem, insensibilitatem; qui ita naturaliter, ac necessariò procedit, vt sine illius respiratione viuere non possimus.

Præterea halitus procedit ab intrinseco respirantis, & ita procedit, vt idem omninò respiretur, qui erat intrà respirantem, & procedat absque generatione; & ideò Spiritus S. a Basil. lib. vnico de Spiritu S. cap. 18. med. dicitur, Non sic à Patre veniens, quemadmodũ per generationem Filius, sed tanquam Spiritus oris eius. Oris quoque halitus ex eo, quòd per oris Verbum necessariò efflatur, est propria, ac potissima similitudo Spiritus Sancti, quia a diuino Verbo procedit.

Alitus procedit ab intrinseco respirantis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Filio.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio est affirmatiua necesso est dicere Spiritum Sanctum à filio procedere. Prob. omnis distinctio personarum in diuinis est per oppositas relationes. Sed si Spiritus Sanctus non procedet à filio, non esset inter filium, & Spiritum Sanctum relatio opposita ergo. ma. prob. quia distinctio personarum in diuinis non potest esse per aliquid absolutum, quia sequeretur, quod non esset trium personarum vna essentia, erit igitur per aliquod relatiuum.

Arg. 1. Spiritum Sanctum procedere à filio, non est expressum in Sacra Scriptura. ergo. Resp. dist. Antec. & non est expressum &c. secundùm verba, conced. non est expressum secũdùm sensum, nego. Spiritum Sanctum. n. procedere à filio, est expressum in Sac. Scriptura. secundùm sensum, iuxta illud Io. 16. ille me clarificabit, quia de meo accipiet.

Arg. 2. in symbolo Constantinopolitanę synodi non legitur Spiritum Sanctum à filio procedere, sed à Patre. ergo. Resp. neg. conseq. quia in quolibet concilio institutum fuit symbolum aliquod propter errorem aliquem, & quia in concilio antiquorũ, nondũ exortus fuerat error dicentium, Spiritum Sanctum non procedere à filio, non fuit necessarium, quòd hoc explicitè poneretur, sed insurgente errore quorundam, hoc postea expresũ fuit authoritate Romani Pontificis.

Arg. 3. ex Damasc. lib. orth. fid. c. 11. dicente Spiritum Sanctum à filio non procedere. Resp. Damasc. in hoc errasse cum Nestorianis, à quibus ortum habuit hic error.

Arg. 4. nihil procedit ab eo, in quo quiescit. Sed Spiritus in filio quiescit, vt dicitur in principio legendę S. Andreę. Ergo. Resp. neg. ma. nam etiam filius manet in Patre, & tamen ab eo procedit Spiritus Sanctus .n. quiescit in filio, eo modo, quo amor quiescit in amato.

Arg. 5. Spiritus non procedit à verbo, vt in nobis, patet. ergo. Resp. dist. Anteced. non procedit à verbo vocali, conced. à verbo mentali nego, nam ab hoc etiam procedit amor in nobis.

Arg. 6. qui perfectè procedit ab vno, superfluè ponitur, quod procedat ab alio; sed Spiritus Sanctus perfectè procedit à Patre. ergo. Resp. dist. mi. cum exclusione filij, neg. cum inclusione conced. habent enim Pater, & filius, eandem virtutem spiratiuam, ideò non superfluè, sed necessariò ab illo procedit.

Arg. 7. Dato, quod Spiritus Sanctus non procedat à Filio, adhuc potest distingui à Filio ex Anselmo in lib. proces. Spiritus S. ergo. Resp. neg. Anteced. propter rationem conclusionis, nec contrarium docet Anselmus, nam origo vnius differt ab origine alterius, est, quod Filius procedit à solo Patre, Spiritus S. à Patre, & Filio.

DISPVTATIO CLXXXXV.

An Spiritus S. procedat à Filio? Et An distingueretur realiter à Filio, si ab illo non procederet?

1070 Petes 1. Resp. affirm. & de fide.

PEtes 1. An Spiritus Sanctus procedat à Filio? *Resp. affirmat. Et de fide, ità definitum in symbolo Athanasij.* Prob. 1. *Verbum, seu Filius in diuinis procedit per modum intellectus, vt Verbum, & Spiritus Sanctus procedit per modum voluntatis, vt Amor, ergo Spiritus Sanctus procedit à Filio. Nam proprium est amoris, quòd procedat à verbo, siquidem nihil amare possumus, nisi id, quod verbo concipimus*

1071 1. Euasio.

Dices 2. Satis esse ex parte intellectus cognitio, vt procedat Amor; ergo non requiritur Verbum.

Præcluditur. nam obiectũ amandum debet esse vnitũ cum intellectu.

Sed contra est. Quia nequit dari cognitio, quæ quidem per se requiritur ad rationem Amoris, nisi obiectum, quod sit amandum, sit vnitum cum intellectu in ratione obiecti, & termini intellectionis, vel per Verbum propriè, & communiter dictum, vt supra tom. 1. qu. 12. art. 2. fusè ostendimus; ergo Verbum per se influit in amorem, quia id, per quod obiectum amatum est in intellectu non potest non influere per se in amorem prædicti obiecti.

1. Confirm. nam essentia diuina per se influit in Amorem beatificum in ratione obiecti intellecti.

Confirm. 1. Nam in amorem beatificum per se influit essentia diuina per se vnita intellectui Beato, in ratione obiecti intellecti, seu in ratione verbi communiter dicti, & supplentis defectum verbi creati, cui propter suam finitatem repugnat repræsentare Deum prout est in se. Ergo si Beati formarent Verbum, tunc etiam Verbum istud per se influeret in eundem amorem. Ergo in diuinis vbi datur Verbum propriè dictum per se influet in amorem, nempe in Spiritum Sanctum.

2. Confirm. ob naturalem colligationem inter obiecta intellectus, & voluntatis.

Confirm. 2. Quia ob naturalem sympathiam, & colligationem, quæ est inter intellectum, & voluntatem, & inter obiectum huius, & illius, oportet, vt tot modis obiectum intellectus concurrat ad amorem, quot est intrà eundem intellectum, ad hoc vt possit dari cognitio ipsius influens in amorem, ergo cum obiectum, ad intellectionem in ratione obiecti motiui, quàm in ratione obiecti terminatiui, non poterit non secundùm vtramque rationem in amorem influere.

1072 3. Confirm.

Confirm. 3. Quia in diuinis datur, tùm Amor essentialis, tùm Amor notionalis, scil. Spiritus Sanctus, ergo sicut Verbum essentialiter, & communiter dictum, per se influit in amorem essentialem, ità etiam Verbum propriè nuncupatum, quod est Verbum notionale influet simul cum illo Verbo in eundem amorem notionalem.

4. Confirm. quia, quod amatum fit in amãte prouenit ex virtute intellectus.

Confirm. 4. Nam quod amatum sit amante (quòd sit per amorem productum, seu amoris terminum) prouenit etiam ex virtute intellectus, & ex bono intelligibiliter apprehenso: ergo cum in diuinis sit duplex amor; bisque mediante illo amatum sit amante, nẽpe mediãte amore essẽtiali, & notionali; oportebit, vt bis etiã obiectum aliàs amatũ sit in intellectu, semel quidem in verbo essentiali, & communiter dicto, & semel in notionali.

1073 2. Euasio.

Dices 2. Non esse proprium Verbi influere actiuè in amorem, vt in Verbo creato constat, sed ad summum per modum formæ, aut quasi formæ determinantis ad speciem actus.

Præcluditur. quia Verbum diuinum influit in amorem per modum formæ.

Sed contra est. Nam si semel Verbum ratione Verbi habet per se influere in amorem, oportet, vt in diuinis hic influxus sit iuxtà naturam Verbi diuini, & in creatis, iuxta naturam verbi creati. ac proindè Verbum diuinum influet per modum formæ, & actiuè, quia cum Verbum diuinum sit summè in actu; & vt tale influat, oportet, vt etiam influet actiuè.

1074 3. Euasio.

Dices 3. Verbum influere in amorem per modum formæ, & principij quo*; non verò per modum principij actiui,* quod*; & per voluntatem.*

Præcluditur. Nam in diuinis principiũ quo non distinguitur realiter ab eo, in quod influit.

Sed contra est. Nam id, quod *in diuinis influit per modum principij* quo, *non est necesse, vt secundum id,* quod *dicit in recto distinguatur realiter ab eo, in quod influit vt de essentia diuina sit influente in productionem Filij, & Spiritus Sancti, constat: ergo cum Verbum diuinum secundum id, quod in recto distinguatur realiter ab Spiritu Sancto, si requiratur ad hanc distinctionem vt Spiritus S. procedat actiuè à Verbo, debet procedere, vt a principio,* quod.

1. Confirm. quia in diuinis priùs est productio Verbi, quàm processio Amoris.

Conf. 1. Siquidem Verbum, & amor, ità inter se ex generali ratione Verbi, & amoris cõparantur, vt prius sit productio Verbi, quod est terminus intellectionis, quàm productio amoris habentis rationem termini voluntatis. ergo hoc ipso, quod Verbum perfectissimum, quale est diuinum, debeat accipere à Patre eandem prorsus naturam, tàm in esse *intelligibili, quàm naturali, accipiat etiam, vt per modum principij,* quod, *& per voluntatem sit principium Spiritus Sancti sicut Pater.*

2. Confirma. quia Pater præter esse Patris, cætera omnia filio cõmunicauit.

Confirmat. 2. Pater in diuinis distinguitur realiter à Filio in hoc, quòd Pater sit Pater, & Verbum sit Verbum. cætera autem omnia Filio communicauit, aliàs non esset Verbum adæquatum, ac naturale: sed esse principium, quod *Spiritus Sancti in Patre, distinguitur ab esse Patris, sicut in Filio ab esse Filij, vt patet: ergo Pater, qui omnia communicauit Filio præter esse Patris, communicat, esse principium,* quod *actiuum Spiritus Sancti: nam sicut accipit ipsum intelligere primordiale, in quo consistit natura Patris; ita accipere debet, quod vnà cum Patre sit per voluntatem principium,* quod *respectu amoris notionalis, nempè Spiritus Sancti; sicut ob hanc rationem accipit, quod vnà cum eodem Patre sit principium creaturarum eo modo, quo ipse Pater.*

1075 2. Prob. Cõcl. quia cum Filius, & Spiritus S. non distinguantur materialiter, debent origine distingui.

Prob. 2. Conclusio. Filius, & Spiritus Sanctus non distinguuntur distinctione materiali, vt patet. ergo debent distingui distinctione originis. prob conseq ex D. Th. 4. contra Gentes c. 24. his verbis: Si quis diuersas species rerum consideret, in eis quidem ordo ostenditur, prout viuentia sunt supra non viuentia; & animalia supra plantas, & homo super alia animalia; cùm in singulis horum diuersi gradus inueniantur secundùm diuersas species. Vnde, & Philos. species rerum dixit esse numeros, qui specie variantur per additionem, vel substractionem vnitatis. Vnde in substantijs immaterialibus non potest esse distinctio, nisi secundùm ordinem. In diuinis autẽ personis, quæ sunt omninò immateriales, non potest esse alius ordo nisi originis; non igitur sunt duæ personæ ab vna procedentes, nisi vna earum procedit ab altera: & sic oportet Spiritum S. procedere à Filio.

1076 Confirm. nam si Filius, & Spiritus Sanctus nõ distinguerentur origine; natura distinguerentur.

Confirm. nam si Spiritus S., & Filius non haberent inter se ordinem originis, ac proinde Filius, quia prius procedit, non esset principium Spiritus Sancti; tunc Filius, & Spiritus S. distinguerentur secundùm naturã; sicuti in Deo darentur duo ingeniti, scilicet duo, qui non essent ab alio, darentur duo Dij. Quia, quòd Filius, & Spiritus S. à Patre præcisè procederent, sicut non tribueret eis, quòd vnus nempè Spiritus S. procederet à Filio, ita neque, quòd non distinguerentur secundùm ordinem naturarum, qui consistit in distinctione essentiali earum, & excessus vnius supra aliam.

1077 Opposi sent.

1. Obiectio.

Oppos. sent. est Græcorum, pro qua Arg. 1. in sacris litteris, non habemus, quòd Spiritus Sancti procedat à Filio, sed à Patre Io. 4. Spiritus, qui à Patre procedit: *ergo ita, & non aliter sentiendum est.*

Confirm.

Confirm. Nam in symbolis, quæ in antiquis Concilijs facta, vel recepta sunt, incipiendo à Concl Niceno 1. vsque ad sextu generale, non dicitur, Spiritum S procedere à Filio, sed à Patre.

Resp. haberi in scrip. implicite, & virtuã aliter.

Resp. dist Antec. non habemus *&c. expressè, & formaliter, concedo implicitè, & virtualiter, nego: iuxtà illam regulam, quidquid in sacris litteris dicitur de Patre, debet etiam intelligi de Filio, etiam si apponatur dictio exclusiua* solùm; *nisi in illis, in quibus Pater, & Filius relatiuè opponuntur.*

Ad Cōfirmat. Respondetur.

Ad Confirm. Resp. neg. conseq. nam ideò illa Concilia huius veritatis mentionem expressè non fecerunt; non quia eam ignorauerunt, sed quia hæc controuersia tunc non discutiebatur. & ad extirpandas hæreses tunc occurrentes congruum visum fuit, eo modo loquendi vti, quo scriptura vtebatur.

1078 Euasio.

Dices. Si Spiritus S. sufficienter produceretur à Patre, superflueret, quòd Filius in talem productionem influeret.

Præcluditur. quia non influit per aliam virtutem.

Resp. neg. quia tunc superflueret, si per aliam virtutē influeret, non tamen si per eandem. Sicut ex hoc, quod creaturæ sufficienter producantur à Patre, nō superfluit influxus Filij, ac Spiritus S. quia influunt per indiuisam virtutem, vndè cùm influxus Patris, ac Filij respectu Spiritus S. sit indiuisibilis adhuc virtualiter non obstat simplicitati Spiritus Sancto.

1079 2. Obiectio.

Arg. 2. prius ordine originis, quàm Filius sit; debet Pater habere vim spiratiuam respectu Spiritus Sancti: ergo, & actu prius ordine originis, quàm Filius spirare illum; siquidem hæc virtus præsupposita debet esse per modum actus purissimi. ergo &c.

Resp. Patrem non generare Filium priùs aliquo instanti in quo. quā producat Spiritum Sanctū.

Resp. neg. vlt. conseq. quia licèt Pater priùs ordine habeat virtutem spiratiuam, ac spiret, quàm Filius; non significatur dari aliquod instans reale, aut rationis in quo: *ratione cuius verificetur, quòd Pater spirat, & nō Filius: sed tantùm, quod si vterque in omni signo* in quo, *siuè reali, siuè rationis, cum fundamento tamen in re spiret; attamen Pater non habet à Filio, quòd spiret; licèt Filius hoc à Patre habeat sed de hoc infrà.*

1080 Petes 2.

Petes 2. An si Spiritus S. non procederet à Filio distingueretur realiter ab illo?

Resp. neg. quia in diuinis solùm potest esse distinctio per oppositionem relatiuam.

Resp. negat. ità S. Thom. hic, & communiter Thomistæ. Prob. in diuinis solùm potest esse realis distinctio per relatiuam oppositionem: sed in tali casu non esset oppositio relatiua inter Filium, & Spiritum Sanctum ergo. Ma. prob. tum, quia id, quod est absolutum in Deo, dicit essentiam diuinam, & attributa; tum, quia idcircò in Patre sunt duæ relationes reales, non tamen distinctæ realiter in Patre, quia non sunt relatiuè oppositæ. Min. patet nam in diuinis tantùm inuenitur oppositio relatiua originis seu fundata in processione vnius personæ ab alia.

1081. 1. Euasio.

Dices 1. Sufficere, ad distinctionem realem in diuinis, quod relationes sint realiter disparatæ, & incompossibiles, vt in tali casu essent.

Præcluditur. Nam Filiatio, & processio si non erunt relatiuè oppositæ nō sunt incompossibiles in eodem subiecto.

Sed contra est. Nam si Filiatio, & Processio non sunt inter se relatiuè oppositæ, non erunt incompossibiles in eodem subiecto, siquidem ea quæ in creaturis sunt distincta, quia disparata; si ad inuicem non habeant oppositionem; in Deo ratione summæ simplicitatis sunt vnū, & idem realiter: vt patet in Iustitia, & Misericordia quæ in Deo sunt eadem realitas, licèt in creaturis sint realiter distinctæ, vt disparatæ. non verò, vt relatiuè oppositæ. Item dicere, & spirare, *quæ in creaturis sunt realiter distincta; cæterùm, quia non sunt opposita; in diuinis sunt eadem realitas. Item Relatio in creaturis, quæ non solùm distinguitur realiter à suo correlatiuo, cum quo habet oppositionem, sed etiam ab essentia ratione suæ limitationis; in Deo est eadem realitas cum essentia.*

1081 Confirm. 1. si non sunt relatiuæ oppositæ; igitur idēficabuntur.

Confirm. 1. Nam eo ipso, quòd Filiatio, & processio non sunt relationes oppositæ, tunc vel non erunt Filius, & Spiritus Sanctus eiusdem numero naturæ, quòd est falsum: vel prædictæ relationes inter se identificabuntur: siquidem quæ sunt eiusdem naturæ identificant sibi omnia, & omnes modos, qui cum ipsis non habent oppositionem, ac proindè non erunt inter se incōpossibiles. Confirm. 2. Siquidem, licèt ea quæ materialiter distinguuntur, possint sine oppositione distingui, & esse incompossibilia, quia hæc distinctio fit per diuisionem quantitatis; secus est de ijs, quæ formaliter distinguuntur: Ea enim quæ habeat v. g. vnam naturam genericam, nequeunt distingui nisi per oppositionem, scil. per differentias oppositas contrahentes, ac diuidentes genus: Personæ autem diuinæ ad inuicem formaliter, non materialiter debent distingui.

1083 2. Euasio.

Dices 2. In prædicto euentu esse inter Filiationem, & processionem, oppositionem secundùm affirmationem, & negationem; & ità Filiatio realiter esset Filiatio, & non spiratio, & è contrà.

Præcluditur. quia in diuinis distinguuntur secundùm affirmationē, & negationē, quæ habent oppositionem realem.

Sed Contra est. Nam in diuinis non possunt distingui secundùm affirmationem, & negationem nisi ea, quæ habent aliquam aliam realem oppositionem. quia quòd vna ratio non sit alia secundùm affirmationem, & negationem non potest oriri nisi ex eo, quod hæc ratio vel sit limitata, vt in creatis; quæ non potest esse in diuinis: vel quia hæc ratio habet oppositionem cum alia. Siquidem oppositio affirmationis, & negationis sequitur distinctionem, non causat: cùm existens ab altero distinguatur per aliquid sibi inhærens substantialiter, vel accidentaliter, quod autem hoc non sit hoc, sequitur ex hoc, quòd distincta sunt.

1084 Confirm. 1.

Confirm. 1. Quia sicut pura oppositio contradictoria nō inuenitur in diuinis ex eo, quod est inter ens, & non ens; nec etiam priuatiua, quia sic distinguuntur perfecta ab imperfectis; nec contraria, quoniam, quæ sic distincta sunt, habent diuersas formas; vt enim Philosophi docent, contrarietas est differentia secundùm formam, imo est differentia secundùm formam limitatam, vt mox dicebamus; quæ in diuinis reperiri nequit.

Confirm. 2.

Confirm. 2. Quia si possent in diuinis esse ratio huius contrarietatis inducentis huius impossibilitatem, maximè illæ, quæ pertinent ad ordines, qui ex genere suo sunt primò diuersi, qualis ratio entis absoluti, & relatiui: hæc autem in diuinis, ob defectum oppositionis inter se non sunt incompossibiles, ac proindè non habent prædictam contrarietatem, quia eam diuina infinitas tollit.

1085 3. Euasio.

Dices 3. prædictam incompossibilitatem inter Filiationem, & Processionem in prædicto euentu, oriri ex duabus productionibus totalibus, scil. generatione, & spiratione, per quas in prædicto euentu producerentur.

Præcluditur. quia infinitas personarum, sibi idētificat, quæ non sunt opposita.

Sed contra est. Quoniā si infinitas personarum petit, vt vnaquæque identificet secum, quidquid non habuerit realem oppositionem cum illa, consequens erit, vt hoc ipso, quod in eo euentu generatio, & processio non habeāt talem oppositionem, siquidem tunc Spiritus S. non procederet à Filio, nequeant prædictæ productiones esse duæ productiones totales inter se incompossibiles.

1086 Confirm. 1. aliàs in diuinis esset realis compositio.

Confirm. 1. Nam hoc ipso, quòd inter has oppositiones non sit distinctio penes oppositionem relatiuam oportet, vt in diuinis, vel admittatur realis compositio, siquidem distinguerentur per oppositionem in absolutis, oppositio enim in absolutis non potest esse nisi in rebus limitatis, ac compositis: vel quod Spiritus S. non sit distinctus nisi tantùm secundùm rationem à filio.

Confirm. 2. nam prima distinctio in diuinis, est ea, qua Pater ab vtraq; persona distinguitur.

Confirm. 2. Siquidem prima incompossibilitas, primaque distinctio realis, quæ reperitur in diuinis, est ea, qua Pater ab vtraque persona ab eo procedente, distinguitur; & hæc est per oppositionem relatiuam, quæ explicatur per hæc duo, nempe, qui ab alio, *&* qui à nullo. *Ergo si vnum ex his extremis, nempe,* qui ab alio, *subdiuidatur, & in extremis huius diuisionis debeat poni secunda incompossibilitas, secunda, quæ distinctio realis reperta inter illa, oportet, vt hæc subdiuisio, & distinctio fiat per hoc, quòd vna ex prædictis personis producentibus sit ab altera, nempe Spiritus S. à Filio: ac proinde per hoc, quod habeant inter se oppositionem relatiuam, quæ explicatur sic:* Ex personis, quæ sunt ab alio; vna, nempe Filius, est à qua altera; alia verò, nempe Spiritus S. est quæ ab alia, scil. à Filio.

1087 Confirm. 3. quia in eo euētu, ex nullo capite Filius, & Spiritus S. erunt personæ incompossibiles.

Confirm. 3. Quia cum dicitur, Filium, & Spiritum Sanctum esse personas incompossibiles, *quia sunt incompossibilibus productionibus, vel ly,* quia *dicit tantùm signum incompossibilitatis; vel rationem; ità vt relationes non sint incompossibiles ratione sui, sed ratione processionū. Si primum dicatur, tunc Filius, & Spiritus S. nō erunt incōpossibiles in vna, & eadē persona, nisi quia opponantur relatiuè, vt ostensum est. Secundùm autem dici nequit, quia productiones in prædicto euentu non distinguerentur realiter nec ratione principiorum, scil. intellectus, & voluntatis, quæ in Deo sola ratione distinguuntur: neque ratione terminorum, nam in terminis productis nulla esset in eo casu oppositio.*

1088 Opposit. sent. 1. Obiectio.

Opposita sententia est Scoti in 1. dist. 2. q. 7. & omnium Scotistarum, pro qua. Arg. 1. Nam in tali casu

vna

vna esset ex his processionibus per intellectũ, ac proindè generatio; altera per voluntatem, ac proindè non generatio, sed processio, ergo essent duæ totales realiter distinctæ processiones.

Resp. in eo casu illæ personæ solùm essent virtualiter distinctæ.

Resp. neg. conseq. quia in tali euentu illæ duæ processiones essent solùm virtualiter distinctæ, quia procederent ab intellectu, & voluntate, quæ solùm virtualiter distinguuntur: non verò essent duæ distinctæ realiter, quia non haberent oppositionem relatiuam, & sic essent identificatæ realiter, sicut Iustitia, & Misericordia, & sicut productiones actiuæ Filij, & Spiritus S. residentes in Patre.

Instabis.

Dices, in tali euentu, ex quauis harum processionum producerentur duæ relationes subsistentes, & incommunicabiles; ergo, & duæ personæ realiter distinctæ, nam in diuinis omnes relationes subsistentes, & incommunicabiles sunt personarum constitutiuæ.

Resp. tunc esse vnam personalitatem, virtualiter multiplicem.

Respond. dist. Anteced. essent duæ realiter distinctæ in eo casu, neg. solùm virtualiter, conced. & neg. conseq. nam per vnicam personalitatem realiter, & virtualiter duplicem, solùm vna persona realiter constituitur, & virtualiter duæ, & sic in eo euentu tantùm haberent generatio, & spiratio passiua ordinem originis virtualem, non tamen realem. ex eo quod persona procedens non esset à persona genita.

1089 2. Obiectio.

Arg. 2. Si Spiritus S. non procederet à Patre, tamen distingueretur realiter ab illo, vt communiter tradunt Theologi: & nihilominus tunc inter eos non esset oppositio realis relatiua originis: ergo eadem ratione in euentu quæstionis.

Resp. tunc esse inter Patrē, & Spiritum S oppositionem originis mediatam.

Resp. dist. Anteced. tunc inter eos non esset oppositio relatiua originis, *immediata concedo: mediata, nego: nam si Spiritus Sanctus procederet à solo Filio, cùm Filius, vt Filius procedat à Patre, tunc mediatè Spiritus S. diceret oppositionem mediatam cùm Patre; sicut nunc Filiatio, & processio habent oppositionem radicalem; quæ sufficit ad distinctionem realem in diuinis. dato verò quod à Filio non procederet Spiritus S. non opponeretur realiter relatiuè, neque immediatè, neq; mediatè cùm illo: & cum in casu argumenti, Filius haberet immediatam oppositionem cum* Patre *per se, cùm non possit aliundè habere suum* esse, *nisi ab illo, consequens est, vt etiam per se requiratur illa oppositio mediata cùm Patre; non verò per accidens.*

1090 Instabis.

Dices, tales duæ processiones in eo euentu non essent compossibiles in vna persona per compositionem, cùm omnis compositio in Deo repugnet, nec per simplicitatem, quia tunc vna alteri communicaretur, ac præberet suum effectum formalem alteri.

Resp. tunc nō tribueret vna processio suũ effectum formalem alteri; vel 2. res. quòd tribueret.

Respond. neg. seq. quia cùm vna ex his duabus personalitatibus esset virtualiter ab altera distincta, non tribueret suum quasi effectum formalem illi, sed solùm illum tribueret essentiæ diuinæ, sicut modò tribuunt suũ effectum formalem diuinæ naturæ, sicut identitas realis inter Iustitiam, & Misericordiam non est ratio sufficiens ad hoc, vt misericordia, vt virtualiter distincta à iustitia sit formaliter loquendo ipsa iustitia, sed solùm ad hoc, vt entitas illa, in qua identificantur, sit simul Misericordia, & Iustitia: ita proportione seruata dicendum est in tali euentu. vel potest totum concedi, vt infrà magis declarabitur, quoad effectum formalem.

1091 Instabis.

Vrgebis vnio per identitatem est maior, ac intimior vnio, quàm vnio per informationem: ergo sicuti, si hæ personalitates ad inuicem vnirentur per informationem, vna alteri suum effectum tribueret formalem; ità hoc ipsum potiori iure haberent, si identificarentur.

Resp. identitatem nō magis conducere quòad aliqua, quàm vnionē per informationem.

Resp. *& si identitas inter aliqua magis conducat ad alia, quàm vnio per informationem: non tamen quoad hoc, quòd est vnum extremum identificatum cum altero in aliqua vna entitate, tribuere illi, vt virtualiter distincto, suum quasi effectum formalem, &* Ratio *disparitatis est, nam vnio per identitatem solùm exigit, quod illa entitas, in qua extrema virtualiter distincta identificantur, habeat formaliter propria vtriusque: cùm tamen vnio per informationem ordinetur ad hoc, vt forma sic alicui formaliter vnita, tribuat illi suum effectum formalem,*

1092 Adde, tūc Pro-

Adde pro maiori elucidatione præsentis doctrinæ, in eo euentu, in quo Spiritus S. non procederet à Filio, ac proindè nec distingueretur formaliter ab illo, tunc relatio spirationis passiuæ non esset personalitas, vt virtualiter distincta à Filiatione; sed tantùm quasi affectio quædam adueniens personæ Filij: vt de spiratione actiua in Patre, & Filio de facto reperta, dici solet, de quo fusiùs infrà dub. 2. huius disputationis.

cessio nō esset personalitas, sed affectio.

1093 4. Obiectio.

Arg. 4. Adhuc in eo euentu Filius procederet per generationem à Patre, atque adeò esset Filius; & Spiritus Sanctus procederet per voluntatem, ab eodem Patre solummodò, ac proindè esset Spiritus S. ergo eo ipso inter se realiter distinguerentur, nam idem est constitutiuum in ratione personæ, ac distinctiuum à quacumque alia.

Resp. Filiũ in eo euentu esse diuersæ rationis inadæquatæ.

Resp. Filium, & Spiritum Sanctum non mansuros in eo euentu eiusdem rationis adæquatæ, ac nunc, sed solùm eiusdem rationis inadæquatæ. Si quidem modò Filius, vt talis, est radicaliter Spiratiuus, seu continet radicaliter relationem spirationis actiuæ, & Spiritus Sanctus dicit ordinem ad Filium, vt ad id, à quo procedit, cùm tamen data prædicta hypothesi, non reperirentur ista in Filio, aut Spiritu Sancto. Nihilominus pro fundamentali doctrina Thomistica huius celebris difficultatis sit.

Dub. 1. An oppositio affirmationis, & negationis sit sufficiens ad distinguendas personas diuinas? Quænã sit differentia inter formam absolutã, & relatiuam? Vbi plura alia quæsita scitu digna pro solut. dub. 2.

Dub. 2. An si Spiritus S. non procederet à Filio, distingueretur realiter ab illo?

Dub. 3. An Spiritus Sancti processio sit voluntaria.

DVBIVM I.

An oppositio affirmationis, & negationis sit sufficiens ad distinguendum realiter personas diuinas. Vbi plura alia quæsita notatu digna pro solutione secundi dubij.

PEtes 1. *An oppositio affirmationis, & negationis sit sufficiens ad distinguendum personas diuinas realiter?* 1094 Petes 1.

Resp. neg. Oppositio enim affirmationis, & negationis non est sufficiens distinctionis causa inter entia: Ratio est, quia talis oppositio non facit, sed sequitur distinctionem, eo quod omne ens ab aliquo distinguitur per aliquid sibi inhærens substantialiter, vel accidentaliter: ex distinctione vero sequitur, hoc non esse hoc, siuè vnum non esse aliud: quamobrem etiam veritas cuiuslibet negatiuæ veritatem præsupponit affirmatiuæ, & in ea fundatur; huius .n. negatiuæ veritas, *Ethiops non est albus*, fundatur super veritatem huius affirmatiuæ, *Ethiops est niger*.

Respond. neg. Prob. quia talis oppositio nō facit, sed sequitur distinctionem.

Omnis igitur differentia, quæ est per oppositionem affirmationis, & negationis, reducitur in differentiam alicuius affirmatiuæ oppositionis. Ex quo deducitur, primam rationem distinctionis inter Filium, & Spiritum Sanctum esse non posse ex hoc, quòd Filius est genitus, non spiratus: ille vero Spiritus, & non genitus, sed necesse est præintelligi distinctionem inter generationem, & spirationem, & inter Filium, & Spiritum Sanctum per aliquam oppositionem duarum affirmationum videatur D. Thom. de potentia quæst. 10. art. 1.

Omnis differentia per affirmationem reducitur in oppositionem affirmatiuam.

Petes 2. *Quæ nam sit differentia inter formam absolutam constituentem rem absolutam, & formam relatiuam constituentem rem relatiuam?* 1095 Petes 2.

Resp. hanc esse differentiam inter quidditatem, siuè naturam, aut formam absolutam, & quidditatẽ siuè formam relatiuam; quòd forma absoluta rem constituit absolutam, quæ est, & dicitur ad se, siuè in se, aut secundùm se, & non in ordine ad alterum: formã verò relatiua rem constituit relatiuam, quæ hoc ipsum, quod est, ad alterum est, & dicitur. Et quoniã vnitas est adæquata passio entis, necesse est, vt vnumquodque eo modo, quo est ens, sit etiam vnum: & vt constitutiuum entis, sit etiam constitutiuum vnius. Ratio vero formalis vnius in hoc posita est; vt res, quæ dicitur vna, sit in seipsa

Resp. hanc esse differentiam, quod forma absoluta constituit rem in ordine ad se, relatiua verò ad aliud.

indiuisa,

indiſtincta, & à qualibet alia diſtincta. Quod igitur conſtituit ens abſolutum; Quod eſt ens ad ſe, ſiuè ſecundùm ſe, diſtinguit etiam illud abſolutè, ſiuè ſecũdùm ſe, ac proinde diſtinctum ab vniuerſis alijs. Quod vero conſtituit ens relatiuum, quod eſt ens ad alterum, ſcil. ad terminum, ſiuè correlatiuum, diſtinguit illud à termino tantùm; alioquin latior eſſet diſtinctio, quàm entitas in relatiuo.

1096 *Res abſoluta in determinate genere diuiditur per oppoſitas differẽtias.*

Vbi Aduerte nos formaliter loqui de diſtinctione abſoluta, & relatiua, vt ſic. nam ſi de tali abſoluta ſermo ſit, puta rei exiſtentis in determinato genere, quia eſt per formas oppoſitas ad illud genus pertinentes, non eſſe niſi à ſpeciebus ſub eodem genere contentis. Sicut Saphyrus diſtinguitur ſua forma ab omnibus, alijs ſpeciebus lapidum: quamuis diſtinctione negatiua diſtinguatur ab omnibus alijs entibus non habentibus illam formam.

1097 *Diſtinctio correlatiua per formam relatiuam fit à ſolo correlatiuo: vt duplum ad dimidiũ tantum.*

Diſtinctio verò relatiua formaliter, per formam, ſiuè quidditatatem relatiuam à ſolo fit correlatiuo. Nam exempli gratia duplum, vt duplum ad dimidiũ tantùm dicitur; & dupleitate ab eo ſolùm relatiuè diſtinguitur; ſed eadem dupleitate etiam diſtinguitur à triplo, & quadruplo, ab albedine, nigredine, lapide, cælo, &c. non relatiuè, ſed diſparatè, quatenus eſt hoc ens. Et quoniam diuinæ perſonæ relationes ſunt in vna numero eſſentia copulatæ, non poteſt inter ea eſſe diſtinctio, niſi relatiua; ideò falſa eſt formaliter, & ſimpliciter hæc propoſitio: *Filius diſtinguitur realiter Filiatione à Spiritu S.*; quoniam hæc alia eſt falſa: *Filius diſtinguitur Filiatione relatiuè à Spiritu* S. quamuis hæc alia ſit vera: *Filius diſtinguitur Filiatione à Spiritu S.* Sed hæc diſtinctio de facto realis eſt, ſed mediata, & radicalis. nam formaliter, & ſecundùm ſe, negata ſpiratione actiua, ſolùm eſt virtualis, & ſecundùm rationem. Nam diſtinctio tota realis Filij immediata, & per ſe ab Spiritu Sancto, ab ſpiratione dependet: qua præciſa, ſola formalis, ſiuè rationis diſtinctio remaneret.

1098 *Inſtabis.*

Dices. Rem relatiuam conſtitui per relationem in eſſe relatiuo, non ſolùm in ordine ad correlatiuũ, ſed etiam in ordine ad quodcumque aliud: licèt ad ipſum relatiuè non referatur. ac proinde diſtingui relatione à quocumque alio: ſicut etiam Res non eſt relatiua comparata ad correlatiuum, ſed etiam ad quodcumque aliud; quoniam comparatio rei ad aliud non deſtruit illud, ſed ſupponit.

Reſp. de eſſentia relatiui hoc eſſe, vt ad vnũ ſuum tantùm correlatiuum dicatur.

Sed Contra eſt. nam hæc Euaſio deſtruit naturã, ac definitionem relatiuorum traditam ab Ariſtotele in prædic. his verbis: *Ad aliquid ſunt, quæ hoc ipſum, quod ſunt ad aliud dicuntur:* & ſubdit exempla: *vt maius id, quod eſt alterius dicitur: aliquo enim maius, dicitur: & duplum alterius dicitur, hoc ipſum, quod eſt, alicuius enim duplum dicitur*: & 5. met c. ad aliquid: expreſſiùs declarans, quo relatiua dicantur ad aliud, exprimit terminos ſingulorum modorum relationis, dicens: *vt duplum ad dimidium, vt calefactiuum ad calefactibile, vt menſurabile ad menſuram.* Ex quibus ſic argumentor. Natura cuiuſcumque rei ineſt ex proprio conſtitutiuo: ſed natura relatiuorum eſt, vt hoc ipſum, quod vnum ſunt, ad vnum tantùm terminum dicantur, ſcil. correlatiuum; ergo hoc habent ex proprio conſtitutiuo; ergo conſtitutium relatiui ſcil. relatio conſtituit relatiuum tantundem in ordine ad aliud ſcil. correlatiuum.

1099 *Vnum comparari ad aliud ſtat dupliciter vel ex natura rei; vel ex opere intellectus.*

Vnde comparari ad aliud contingit dupliciter. Vno modo ex natura rei, & hoc eſt ex natura rei habere ordinem ad illud: & hoc modo comparatur Relatiuum ſolo correlatiuo. Alio modo per opus intellectus: & ſic poteſt cuilibet rei camparari Rurſus relatiuum, vt relatiuum comparari ad aliud contingit dupliciter. Vno modo vt relatiuum in actu exercito, ſcil. ſecundùm rationem formalem relatiuã relatiuè exercitam, aut poſſibilem exerceri; & ſic comparatur tantùm ad correlatiuum, in ordine ad quod exercet actum referendi. Alio modo, vt relatiuum, ideſt ſecundùm rationem formalem relatiuã formaliter, ſed non relatiuè exercitam, aut poſſibilem exerceri in ordine ad id, cui comparatur: & ſic comparatur, vt quædam res, & quidditas cuicumque alteri ab eo cuicumque modo diſtincto; tametſi in ordine ad illud non exerceat actum relationis. Sicut in humanis paternitas, vt paternitas, vt relatio formaliter comparatur lapidi: non tamen, vt ad lapidem relata, ſed vt diuerſa realiter, & formaliter à lapide. Vnde relatio non diſtinguit relatiuè niſi à correlatiuo, in ordine ad quod ſolùm exercet proprium actum referendi; ab alijs autem, quia eſt ens finitũ, diſtinguitur diſparatè, vel alia diſtinctione non relatiua formaliter. In diuinis autem vbi non eſt, nec finitas, nec limitatio, nulla alia diſtinctio à forma relatiua formaliter originari poteſt quàm formaliter relatiua, à ſuo correlatiuo formaliter.

1100 *Paternitas in creatis diſtinguitur à lapide, ad illum autem non refertur.*

1101 *Petes 3.*

Petes 3 *Quænam ſit differentia inter perſonam creatam, & increatam, earumque conſtitutiua?*

Reſp. perſonam creatã eſſe aliquid abſolutũ, & per abſolutũ in ſuo eſſe perſonali conſtituitur: ſecùs eſt Perſona diuina, quæ eſt relatiua.

Reſp. inter perſonam creatam, & diuinam, hanc eſſe differentiam: quòd perſona creata eſt abſoluta, & per aliquid abſolutum in ſuo eſſe perſonale conſtituitur, & à qualibet alia diſtinguitur; perſona verò diuina relatiua eſt, & relatione formaliter conſtituitur, & eadem relatione; vt relatio eſt, ab alia perſona diuina diſtinguitur. Dixi autem: *vt relatio eſt.* Siquidem relationi dupliciter aliquid conuenire. Vnò modo ſecundùm rationem relationis; & hoc, quod ita conuenit relationi, attribuitur ei, quatenùs relatio eſt, prout diſtinguitur ab abſolutis: propria verò ratio relationis, qua diſtinguitur ab abſolutis, eſt reſpectus ad terminum, in quo conſiſtit oppoſitio relatiua. Alio modo, conuenit aliquid relationi ſecundùm rationem communem, tàm relationi, quàm abſolutis, puta ſecundùm rationem *entis, boni, formæ, propretatis,* &c. & hoc, quòd ità conuenit, non oportet conuenire relationi, vt relatio eſt: ſicut, quòd conuenit homini, vt ſubſtantia, non conuenit homini, vt homo eſt formaliter.

1102 *Conſtitutio diuinarũ perſonarũ attribuitur relationibus, vt relationes ſunt.*

Diuinarum igitur perſonarum conſtitutio, & diſtinctio, quæ diuinis attribuitur relationibus, de relationibus, quatenus relationes ſunt, intelligenda eſt; cùm illis attribuatur per ſe, & prout ab eſſentia, & à cæteris abſolutis ratione diſtinguuntur. Certum eſt autem relatiuam diſtinctionem eſſe non poſſe, aut etiam intelligi abſque oppoſitione relatiua, quæ eſt reſpectũ correlatiui tantùm. Sequitur itaque ſolam oppoſitionem relatiuam diſtinguere realiter diuinas perſonas ab inuicem. quapropter Eccleſiæ doctrina de vnitate ſubſtantiæ, & diſtinctione relatiua perſonarum in Deo, quæ habetur *cap. firmiter de Sum. Trin. & fid. Cath.* formaliter intelligenda eſt de diſtinctione propria relatiuorũ, vt relatiua ſunt: quæ diſtinctio abſq; relatiua oppoſitione, nec eſſe, nec intelligi poteſt, omnis .n. alia diſtinctio communis eſt relatiuis, & abſolutis.

Petes 4.

Petes 4. *An diſtinguere perſonaliter ſit idem, quòd facere perſonam diſtinctam.*

Reſp. dupliciter fieri perſonam diſtinctam: vno modo, faciendo vtrumq; ſcil. perſonam, & diſtinctionem; alio modo, vnũ tantùm.

Reſp. diſtinguere perſonaliter idem eſſe, quòd facere perſonam diſtinctam. Et quemadmodum dupliciter contingit facere perſonam diſtinctam, vno modo faciendo ſimul vtrumque, ſcilicet perſonam, & diſtinctionem. alio modo faciendo alterum tantùm, ſcilicet diſtinctionem in perſona iam præexiſtente: ità dupliciter contingit diſtinguere perſonaliter; vno modo conſtituendo perſonã, & formaliter illam ab alia diſtinguendo; Alio modo præſuppoſita perſona, iam conſtituta, ſolam eius diſtinctionem ab altera formaliter faciendo. Sicut etiã dupliciter poteſt fieri domus alba. Vno modo ſimul faciendo domum, & albedinem: alio modo, factæ iam domui albedinis colorem inducendo Quod igitur diſtinguit perſonaliter priori modo, oportet eſſe de ratione perſonali. tale vero diſtinctiuum non eſt ſpiratio reſpectu Patris, & Filij, quos perſonaliter ab Spiritu Sancto diſtinguit.

1183 *Petes 4.*

Petes 4. *An oporteat tantam eſſe diſtinctionem, vel incompoſſibilitatem productionum actiuarum, quanta eſt productionum paſſiuarum?* Videtur enim quòd non, quia impoſſibile eſt, idem duabus productionibus oppoſitis produci, & accipere eſſe, non eſt autem incompoſſibile, idem duabus productionibus actiuis communicare eſſe duabus perſonis, vt patet in

Difficultas Scoti

Patre

Resp. implicare contradictionem, quòd principia formalia distinctionis sint alicubi, & ibi non sit distinctio.

Patre, ità Scotus 1. *dist.* 11. *q.* 2.

Resp. simpliciter loquendo, quàuis ab vno agente multa possint produci, tamen impossibile est, & cõtradictionem implicaret, quòd principia formalia, & sufficientia distinctionis, sint alicubi, & ibi non sit distinctio. Similiter enim esset, ac si diceretur, quòd albedo esset in aliquo, & illud non esset album. & ideò impossibile est, & contradictionem implicans, quod illa, quæ formaliter distinguunt principiata secundùm supposita, sint in principio, & non distinguant ipsum. Vbicumque enim principio existente vno, principiata sunt multa, ibi necesse est aliquid esse in principiatis, quo distinguuntur, quòd non est in principio; aliter esset oppositum in adiecto. Quod manifestum apparet in hoc exemplo. Arca enim & Filius habent aliquid in se, quo distinguuntur secundùm supposita, quia hoc est homo, illud verò lignũ: & si hęc essent in Patre artifice: necessariò distinctionis in plura supposita producentia, sicut distinguunt producta; & si non essent in productis, sicut nec in principio producente, non plus distinguerent producta, quàm principium producens verbi gratia, aliquis Pater generat Filium, & per artem suam fabrilem instruit ipsum, & facit fabrum, certè non plus distinguunt filium natura humana, & ars fabrilis, quàm Patrem, quià vtrobique est eadem causa distinctionis: & similiter est in alijs.

1104 *Si duæ relationes disparatæ sunt insufficiēter ad constituendas duas personas producentes, etiam tales erunt pro productis.*

Non igitur dici probabiliter possunt duæ relationes disparatæ, sufficientes ad formaliter constituendas, & distinguẽdas duas personas productas, si omnes fatemur esse insufficientes duas pariter relationes disparatas ad constituendas, & distinguendas duas personas producentes. Vbi fieri non potest vis discriminis in eo; quod illæ sint passiuæ, hę actiuę: vt patet in exemplo allato de fabris, Patre, & filio; nam in vtroque sunt natura humana, & ars fabrilis cum eadem distinctione, licet in Patre sint actiuè, in filio passiuè, enim vero, tam in actiuis, quam in passiuis, in se comparatis nulla reperitur oppositio, & ideo miror, quomodo Scotus in disparitate predicta assumpserit, productiones passiuas, & non actiuas, esse oppositas: cum in diuinis nulla alia oppositio cogitari possit, nisi producentis, & producti, quam in hac hypothesi supponimus per impossibile, non esse inter Filium, & Spiritum Sanctum.

1105 *Ad difficultatē Scoti. Resp non esse tantam distinctionem in principijs, quā tam in principiatis; quando non sunt vtrobique eadem formalia principia distinguendi.*

Hinc ad Scoti disparitatem facilem. Resp. non esse necessarium tantam esse distinctionem in principijs producentibus, quanta est in principiatis productis, quando scil. non sunt vtrobique formaliter eadem principia distinguendi formalia, sicut probatum est reperiri in casu nostro. Vbi aduertendum diligenter est, Authores nostræ sententiæ, non comparare, vnam personam, vt producentem, & duas personas, vt productas; nam certum est ab vna persona producente posse multas personas produci; & de facto omnes credimus ab vna ęterni Patris persona duas personas emanare; sed comparare duas relationes producti, quæ disparatæ, & sine villa oppositione possint in ordine diuino constituere, & distinguere duas personas productas, & nihilominùs duæ producentis relationes pariter disparatæ, & non oppositæ, præsertim in sententia Scotistarum, asserentium eas esse à parte rei distinctas, non possint pariter constituere, & distinguere duas alias personas producentes. Quandoquidem in casu nostro sicut suppositum productum non constituitur nisi relatione producti: ita suppositum producens non constituitur nisi relatione producentis. Quod quidem in alijs creatis producentibus, & productis non reperitur; & ideo mirum esse non debet si ex vno supposito producente in rebus creatis prodire possint distincta supposita, quæ inter se non habent rationem producentis, & producti.

1106 *Petes 5.*

Petes 5. *An Filius formaliter per Filiationem distinguatur non solum à Patre, sed etiam à Spiritu Sãcto.*

Resp. Filiationem posse dupliciter cõsiderari, vel formaliter in ordine ad Patrem: vel virtualiter in ordine ad Spiritum Sãctum.

Resp. Filium, vt talem, seu Filiationem ipsam posse considerari, vel secundùm se, & secundùm id, quod formaliter tantummodò dicit, & exprimit, nimirum secundùm, quod habet formaliter respicere Patrem, & hoc exprimit; vel secundùm, quod virtualiter quodamodò, ac radicaliter præhabet, & continet spirationem actiuam. Si ergo Filiatio secundùm priorem rationem tantummodò sumatur, tunc solùm constituit Filium in ordine ad Patrem, solùmque distinguit ipsum distinctione formaliter relatiua, & formali ab eodem Patre; non verò ab Spiritu Sancto, tàm nunc, quàm data hypothesi, quòd Spiritus Sanctus à Filio non procederet: Si autem Filiatio secundùm posteriorem rationem accipiatur, habebit tunc radicaliter relatiuè opponi Spiritui Sancto, & eo ipso distinctione reali formaliter tali, ac personali distingui ab ipso. Quia ad distinctionem formaliter talem, & personalem satis est oppositio realis radicalis relatiua: ex eo quod prædicta distinctio oritur à quauis oppositione reali relatiua: qua vna persona opponitur alteri. At data prædicta hypothesi, quod Spiritus Sanctus nõ procederet à Filio, tunc Filiatio nõ contineret quodammodò virtualiter spirationem actiuam, neque esset radix illius; ac proinde manerent sine hac oppositione, solumque vnaquæque ex illis esset inadæquatè eiusdem rationis, ac modo, quatenus Filiatio exprimeret ordinem ad Patrem, & Processio ordinẽ ad spiratorem, siue ad Patrem, vt habentem relationem spirationis. ideòque Filius, & Spiritus Sanctus, quippe non oppositi, neque realiter radicaliter, neque realiter formaliter relatiuè distinguerentur inter se realiter; neque principiatiuè.

1107 *Possumus dicere, quòd Filius constituatur adæquatè per id, quod Filiatio dicit formaliter, & virtualiter.*

Ac proinde Filiatio secundùm vtrumque rationẽ sumptam, scil. tam secundum id, quod formaliter dicit, quã secundũ id, quod virtualiter, & radicaliter includit, aliqui dicunt constituere Filium in rationę vnius personę seu esse rationẽ proximã vnitatis personalis ipsius: ità quidem, quod ab vtraque ratione simul sumpta cõstituatur adæquatè in ratione vnius personę relatiuę, vt talis, quoad id, quod de facto persona Filij dicit, & ab vnaquaque earum inadæquatè. Vnde secundùm priorem considerationem secundùm quam solùm respicit Patrem tantùm constituit Filium in ratione vnius personæ in ordine ad eundem Patrem, & tantummodò distinguit Fillium personaliter relatiuè ab eodem Patre: at vero secundùm posteriorem considerationem, secundùm quam relatiuè est ad Spiritum Sanctum, constituit eundem Filium in ratione vnius eiusdem personæ in ordine ad prędictum Spiritum Sanctum, & tantummodo personaliter relatiuè distinguit illum ab eodẽ Spiritu Sancto, Quia quod constituit aliquid in ratione vnius vnitate relatiua quoad id positiuum, quod affert, tantùm constituit illud in ratione indistincti in se relatiuè, & distincti ab alio relatiue, & per consequens tantùm distinguit ipsum à suo correlatiuo, At data illa hypothesi, quod Spiritus Sanctus non procederet à Filio tunc solùm constitueretur relatiuè in ratione vnius cum ordine ad Patrem, ac proinde solùm Patri relatiuè opponeretur. Et cùm in diuinis sola oppositio relatiua sit ratio distinctionis realis, non distinguerentur Filius, & Spiritus S. sed infrà de hoc nostram sent. aperiemus.

1108 *Instabis.*

Instabis. continere virtualiter relationem spirationis actiuæ, non conuenit Filio soli, sed etiam Patri: ergo non potest esse ratio distinctiuus, personalis Filij, quę debet esse secundùm proprietatem personalem.

Resp. distinctionem personalẽ, qua vna, v. g. Filius distinguitur à Spiritu Sancto non procedere à propietate personali.

Resp. neg. cõseq. & ad prob. dicẽdũ est, secundũ hãc sententiã, quã infrà reicimus, quod ad distinctionem personalẽ, qua vna persona diuina, v. g. Filius, distinguitur præcisè ab vnica dũtaxat persona diuina, nẽpe ab Spiritu S., nõ vero à Patre, nõ est necessarium, quòd talis distinctio procedat à proprietate personali Filij secundũ ea, quæ sunt propria ipsi Filio, & non sunt cõmunia ipsi cũ Patre; sed satis erit, quod procedat ex eadẽ proprietate personali secũdùm ea, quæ sunt incõmunicabilia Spiritui S. Nã etsi in personis absolutis per idem distinguatur persona, v. g. Petri à persona Pauli, per quod distinguitur ab alijs personis humanis, vel à quibuscumque alijs personis: non tamen in personis relatiuis, nempe diuinis in quibus per aliquid distinguitur vna persona ab alia

determinata

determinata v. g. à persona Spiritus Sancti, per quod non distinguitur à persona Patris.

1109 *Petes 6.*

Petes 6. *An si Spiritus Sanctus non procederet realiter à Filio: tunc Pater produceret duas, vt modo, an tantùm vnam personam scil. Filij?*

Resp. vnam tantùm personam in tali euentu produceret, Nam aliter tunc Pater spiraret, quàm nunc spirat.

Resp. In tali euentu vnam tantùm personam producere. Ratio fundamentalis hæc est. Nam dato vno impossibili de solo Patre spirante, sequeretur necessariò aliud impossibile, scil. quod tunc Pater spiraret aliter, quàm nunc spirat. Neque enim spiraret personalitatem Spiritus Sancti oppositam personalitati Filij; neque simpliciter spiraret personalitatem, quæ sit Spiritus Sancti, & non Filij; tunc enim istæ duæ personalitates, & consequenter duæ personæ, non possent non distingui realiter, cùm de essentiali ratione personæ sit esse realiter incommunicabile, ac proindè realiter distinctum à quacumque alia persona. Implicat igitur fingere duas personas, non realiter, sed sola ratione duas; ergo data illa hypothesi, persona illa vna procedens à solo Patre, ne per rationem quidem haberet duas personalitates, alteram Filij, alteram Spiritus Sancti: sed vnam tantùm Filij, & Verbi productam per intellectionem, vt est formaliter intellectio in illo primo signo originis, seu rationis, in quo prius concipitur Pater intelligere, & producere Verbum, seu generare, quàm velle, & producere amorem, seu spirare.

1110 *Sequeretur .n. quod in tali euentu, si Pater in secundo signo spiraret,raret eandem personam eam genitam.*

Præterea ex hoc secundo impossibili sequeretur, necessario aliud tertium impossibile, nempè, quód si tunc solus Pater in secundo signo spiraret, & verè produceret per voluntatem, nō posset spirare, & producere nisi eandem personam in primo signo productam, & generatam per intellectum; quæ quidem vna persona, vt conciperetur producta per intellectū, esset genita, & Filius, & Verbum; vt vero conciperetur producta per voluntatem, esset procedens, & Spiritus Sanctus, & Amor. Quæ omnia fateor esse manifestè impossibilia, & implicantia, tamen per necessariam consequentiam deducta ex hyppothesi impossibili de solo Patre spirante, & verè, ac realiter producente per voluntatem: vndè necessario sequitur, Patrem non posse producere duas personas inter se distinctas, quarum vna non procedat ab alia. Ex his omnibus clarè liquet, si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non distingueretur ab illo. nihilominùs ad clariorem, & vberiorem doctrinam fit,

DVBIVM II.

Vtrum Spiritus Sanctus procedat à Filio? Et An si non procederet à Filio, distingueretur ab illo.

1111 *De hac re fuit, & est grauis controuersia inter Græcos, & Latinos.*

De hac re fuit olim, estque vsque in hodiernum diem grauis controuersia, & acris contentio inter Græcos Doctores, & Latinos, negantibus Græcis, Spiritum Sanctum procedere à Filio, latinis verò asserentibus, vt colligi potest ex Concil. Florent. in quo duodecimæ sessiones circa hoc negotium absolutæ fuere. Mouebantur autem Græci argumentis infrà ponendis, præcipue secundo arg. propter, quod incusant nos Græci, non solùm tanquàm blasphemos, impios, & à fide deuios, dum affirmamus, Spiritum S. etiam à Filio procedere, sed etiam vinculis anathematis allegatos.

Concl. affirmat. est de fide, nā Spiritus S mittitur à Filio.

Concl. Catholica veritas est, & dogma fidei, Spiritum Sanctum à Filio procedere, vt Latina Ecclesia profitetur Spiritus Sanctus mittitur à Filio Io. 15. *Quem ego mittam vobis à Patre*, & 17. *Si abiero mittam eum ad vos*, ergo procedit à Filio. Patet Conseq. quia vna diuina Persona non mittitur temporaliter, nisi à Persona, à qua procedit ęternaliter, mittere enim dicit auctoritatem quandam, & nulla est in diuinis auctoritas, nisi originis, vt dicemus infrà quęst. 43.

1112 *Vrgebis. respond.*

Vrgebis. Filius dicitur mitti à Spiritu S. & tamen non procedit ab illo, ergo: Patet Ma. Isaiæ 61. *Spiritus Domini super me euangelizare pauperibus misit me*. Resp. hanc missionem Christi esse intelligendam secundùm humanitatem.

2. Prob. quia Spiritus S accipit à Filio; Io. 16.

Prob. 2. Persona diuina nihil accipit, nisi ab ea, à qua procedit, sed Spiritus S. accipit à Filio. Io. 16. vbi Christus loquens de Spiritu S. ait. *Ille me clarificabit, qui de meo accipiet, omnia quæcumque habet Pater, mea sunt, propterea dixi vobis, quia de meo accipiet*, ergo Conc. quia, vel Spiritus S. accipit à Filio esse substantiale, vel potius scientiam, vt dicunt Græci: Si primum, habemus intentum: Si secundum, cùm scientia Dei sit ipsius esse, & substantia, idem sequitur.

1113 *3. Prob. quia Spiritus S. dicitur Spiritus Filij,*

Tertiò, quia Spiritus Sanct. dicitur Spiritus Patris, quia ab illo procedit, iuxta illud Matth. 10. *non vos estis, qui loquimi, sed Spiritus Patris vestri, &c.* Sed Spiritus dicitur etiam Spiritus Filij, ad Rom. *Si quis Spiritum Christi non habet, non est eius* Et ad Galatas 4. *Misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra*, ergo Spiritus S. etiam procedit à Filio. Confirm. quia si Spiritus S. etiam procedit à Filio. Confirm. quia si spiritus S. est Spiritus Patris, & Filij; ergo dicit relationem ad vtrumque, atque adeò procedit ab vtroque.

4. Prob. ex communi iam consensu totius Ecclesiæ.

Prob. 4. ex communi iam consensu totius Ecclesiæ, & definitionibus Conciliorum. Definitur enim in Concil. Ephes. in epist. totius Concilij ad Nestorium, quam non esse solius nostri Cyrilli late probat Molina hic disp. 2. in Concil. Lateranen. cap. *firmiter de summa Trinitate*, etiā in Concil. Lugdun. cap. *fideli de summa Trinit. &c.* lib. 6. in Florent. in litteris sanctæ vnionis, vbi post longam disputationem summo consensu Græcorum omnium, & Latinorū. hæc veritas recepta est: licet D. Antoninus 3. part. historiæ titulo 22. cap. 13. §. 13. referat nullum ferè fructum ex ea cōcordia fuisse sequutum, eo quód Græci non curauerint eā defensionē populo tradere.

Ita etiam definitum est in Concil. Tolet.

Ita etiam definitur in Concil. Tolet. 1. in confessione fidei, & in Toletan. 3 anthematismo 3. & in Tolet. 4. capite 1. & in Tolet. 6. cap. 1. & in Tolet. 8. in symbolo fidei, & denique in Tolet. 11. in professione fidei, idem etiam receperunt plures ex Patribus, & Doctoribus Græcis. Ita Origen. Athanas. Didymus, Basil. Nissen. Epiph. noster Cyril. & alij in locis cit. à Molina hic, vbi etiam cum Mag. sententiarum in 1. dist. 11. ita exponit Græcorum mentem, & verba D. Damasceni, vt solùm à Latinis in verbis dissentire affirmet.

1114 *5. Prob. ratione D. Thom.*

Quintò, & vlt. prob. ratione D. Th. quia si Spiritus S. non procederet à Filio, non distingueretur ab illo; sed Conseq. est hæreticum, ergo. sed de vi huius rationis agemus Quæst. sequenti.

1. Obiectio.

Arg. 1. Contra hanc Concl. pro parte negatiua: in Sacra Scriptura reperitur, Spiritum S. procedere à Patre, vt Io. 15. *Spiritus S. qui à Patre procedit*, & nullibi reperitur, quod procedat à Filio; ergo. Patet Conseq. quia sacris litteris non est detrahendus, nec addendus vnus apex, vt dicitur Apocal. vltim. Confirm. quia nobis non licet affirmare aliquid de diuinis personis, nisi fuerit in sacris litteris expressum; ex D. Dionys. cap. 1. de diuinis nomin. sed non legitur, Spiritum S procedere à Filio; à Patre vero legitur, ergo vt minimum, temerarium est addere, quod procedat à Filio.

1115 *Resp. Nos non debere affirmare quod non continetur in Sacra scriptura, vel exp essè, vel implicitè.*

Resp. cum D. Th. loco cit. ad 1. nos non debere affirmare de Deo, quód non cōtinetur in sacra scriptura, vel per verba, vel per sensum: vnde licet hæc verba. *Spiritus S. procedit à Filio*, non reperiantur expresse in Sacra Scriptura: reperiuntur tamen aliqua, ex quibus colliguntur, scil. illa Io. 16. *Ille me clarificabit, qui de meo accipiet*. Ad Confirm. Resp. nos optimè posse affirmare de Deo id, quod scripturæ plus innuunt, quam oppositum, maximè accedente definitione Ecclesiæ, & Sanctorum. D. autem Dionys. solùm prohibet, ne ausu temerario, in ijs, quæ captum nostrum superant, alia asseueremus, quam quæ in Sacra Scriptura continentur, vel formaliter, vel expresse, vel in virtute.

1116 *2. Obiectio.*

Arg. 2. Nam in Concil. Nissen. in Constantino primo cap. 7. doctrina tradita de Spiritu S. non dicit à Filio procedere, sed à Patre; inquit .n. Concil. *Credimus in Spiritum S. Dominum, & viuificantem, ex Patre procedentem, cum Patre, & Filio adorandum,* *& glori-*

& glorificandum, ergo hæreticum est addere, quod procedat etiam à Filio: Patet Conseq. quia in eodē Concil. & in Ephesin. & Calcedonen. & à Leone Tertio sub anathemate præcipitur, ne illi symbolo Constantin. aliquid addatur: non ergo licuit addere illam particulam, *à Filio*.

Resp. in illis Concil. non fuisse definitum Spiritum S. à solo Patre procedere.

Resp. licet in illis Concilijs definitum fuisse Spiritum S. procedere à Patre, non tamen definitū est, procedere à solo Patre: vnde ea definitione nihil colligitur contra nos, & in Concilijs à nobis allegatis, quæ postea celebrata fuerunt, definitum fuit, etiā procedere à Filio, quæ cum Romani Pontificis auctoritate fuerunt approbata, parùm nos mouere debet, quod in dictis Concilijs antiquioribus prohibeatur, ne aliquid illi symbolo addatur.

Addere, quòd Spiritus S. procedat à Filio, non contradicit illis Concil.

Tum quia hoc solū interdicitur alijs auctoritatē non habentibus, non vero Concilijs, & Pontificibus in posterum venturis, tum etiam, quia tantùm prohibetur, ne addatur oppositum illi decerminationi: addere autē, quod etiā procedat à Filio, nō contradicit priori definitioni: imo illam amplius explicat propter subortas postea hæreses, atq; adeo potius est dicenda explicatio, quàm additio, iustum vero est, & sanctum addere nouam explicationem auctoritate Conciliorum, & Pontificum definitionibus Conciliorum ad nouas hæreses confutandas.

1117 *Corollarium.*

Ex quo colligitur, excommunicatos quidem esse eos, qui docent aliud, aut aliter, quàm illic definitū est in illis Concilijs, non verò eos, qui docent id, quod licet ibi non contineatur formaliter, tamen nec repugnat, nec contradicit, qualε est hoc de Spiritu S. alias nefas esset docere misterium, v. g. Eucharistiæ, quia in illo symbolo non continetur.

1118 *3. Obiectio.*

Arg. 3. Quia Pater habet in se totā virtutē spiratiuā, ergo. Prob. Antec. quia Pater, vt prior origine Filio, habet in se virtutem spirandi, cùm habeat illā à se, ergo priùs origine spirat, ergo Filius non spirat, neq; habet virtutem spirandi Patet Conseq. quia, si Pater prius spirat, ergo pro aliquo priori spirat Pater, & nō Filius, ergo in illo priori iam existit Spiritus S. & non à Filio. Confirm. quia Pater priùs origine Filio habet virtutē generandi, & spirandi, & sicut necessario generat, ita necessario spirat, ergo simul generatione spirat, ergo sicut solus generat, ita solus spirat.

Resp. prioritatem originis nō esse in qua, sed a qua.

Resp. pro nūc neg. Antec. & ad prob. Resp. prioritatē originis nō esse prioritatē in qua, vndè licet Pater priùs origine spiret, quàm Filius, non est assignandū instans aliquod, etiā rationis, in quo Pater spiret, nō spirante etiā Filio. Ad Confirm. Resp. neg. primam Conseq. Pater enim generat priùs secundùm rationem, & originē, cùm operatio intellectus præcedat operationem voluntatis, nec amor notionalis possit præcedere intellectionem notionalem, sicut nec absolutus, & essentialis absolutam, & essentialem.

Petes.

Petes. *An si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, distingueretur ab illo?*

1119 *Respond. Notando ad distinctionem positiuā non sufficit ponere aliquid positiuū in vno, quòd non sit in alio.*

Pro decisione notandum est primò ex Ferrarien. 4. contr. Gent. cap. 24. ad assignandā distinctionē positiuā inter duo entia positiua, non sufficere ponere aliquid positiuū in vno, quod non reperiatur in alio, quia vt sic etiā distinguitur ens à nō ente, & talis distinctio potiùs est negatiua, seu priuatiua, quàm positiua: quod enim Petrus sit albus, & non Ioannes, non facit ipsorum positiuam distinctionem, nā sicut Ioannes non est albus, ita chimæra non est alba, & sic Petrus per hoc, quod est albus, distinguitur etiā à chimæra, quæ non est ens, sicut habens albedinem à non habente illam: hæc autem solùm est negatio, aut priuatiua distinctio, & non positiua, quia non consideratur in vtroque extremorum aliquid positiuum, per quod distinguantur, sed tantùm in vno consideratur aliquid, quod alterum non habet.

1120 *Necesse est statuere in vtraque extremorū aliquid positiuū*

Oportet ergo statuere in vtroq; extremorum aliquid positiuum alteri repugnans, & oppositū, & hoc erit distinctiuū illorū, vt albedo, & nigredo in Petro, & Ioanne, rationabile, & rugibile, in homine, & Leone: licet ergo Filius Dei distinguatur à Spiritu S. per filiationem, tanquam habens filiationem à non habente illam, hæc tamen distinctio non est positiua, sed oportet assignare in Filio, & Spiritu S. aliquid positiuum, per quod ad inuicem distinguantur, & quod propter suam incompossibilitatem in eadem persona cum distinctiuo positiuo alterius causet distinctionem personarum.

1121 *2 Nota. Distinctionem personarum non esse petendā ex ipsa Dei substantia.*

Notandum est 2. hanc positiuam distinctionem personarum nō esse in diuinis petendam ex ipsa Dei substantia, quia cùm hæc sit cōmunis tribus personis, nequit esse principiū alicuius distinctionis inter ipsas, sed petendā esse à relationibus, quatenus à substantia distinguuntur, nec sufficit ipsarum relationū pluralitas, aut carū qualiscumq; oppositio, vt personæ multiplicentur, & realiter distinguantur: sed requiritur, quod sint relatiue opposite, vt sic sint principia, & rationes formales distinctionis. Nam sicut

Ad differentiā formalem non sufficit distinctio formarum

ad differentiam formalem non sufficit sola distinctio formarum, hęc .n. reperitur inter duas animas humanas, quę nō distinguuntur formaliter, sed requiritur distinctio personalis ab ipsis formis proueniēs, ità ad distinctionem personarū diuinarū non sufficit distinctio, & pluralitas relationū, aliàs paternitas, & spiratio actiua, quę sunt in Patre, constituerent duas personas: sed requiritur ipsarum relationum oppositio iuxta illud cōmune, *in diuinis omnia sunt idem, vbi non obuiat relationis oppositio*, quod de oppositione relatiua, & non solum disparata intelligi debere, dicemus infra.

1122 *3 Nota. Duo esse discrimina præcipua inter formam absolutam, & relatiuam.*

Notandum est 3 duo esse discrimina præcipua inter formā absolutam, & relatiuam. primū est, quod absoluta constituit rē in se, & sine ordine ad aliud: relatiua verò constituit rem in ordine ad suum correlatiuum, quia tota natura relationis est ad aliud. Ex quo oritur secundum discrimen, quod forma absoluta distinguit rem secundùm se ab omnibus alijs rebus, quæ non sunt ipsa: forma vero relatiua, cùm non constituat rem, nisi in ordine ad correlatiuum, ita non distinguit illā, nisi à suo correlatiuo, cui soli relatiuè opponitur. Et ratio huius est, quia eo modo, quo vnumquodq; est ens, ita etiā est vnū, & distinctū alias vnitas, & distinctio nō esset proportionata passio entis. Ex quibus infert, quod distinctio, quæ versatur inter qualcumq; relationes non relatiue oppositas, etiam si sint relationes realiter distinctæ, imo etiam si sint incompossibiles respectu eiusdem, v. g. duplum, & triplū nō est relatiua distinctio, sed quasi disparata, nec oritur ab ipsis relationibus vt sic, sed vel ab eorū fundamētis, vel à quouis alio: distinctio .n. relationum non est distinctio relatiua, sicut nec distinctio formarum est formalis, sit igitur.

1123 *Concl. est negatiua si Spiritus S. non procederet à Filio non distingueretur realiter ab illo.*

Concl. Si Spiritus S. non procederet à Filio, non distingueretur realiter ab illo, licet .n. Filius Dei distinguatur realiter modo à Spiritu S per filiationem, quæ est radix spirationis, ista tamen distinctio est radicalis, nam formaliter nō distinguitur ab illo in ratione distinctæ personæ per filiationem, sed per spirationem actiuam. Hæc est D. Th. 1. p. qu. 36. art. 3. in in corp. & ad 1. & 1. sententiarū dist. 11. qu. 1. & de potent. qu. 10. art. 4. & 4. contr. Gent. cap. 24. quem sequuntur antiqui, & moderni commentatores in illis locis. Sequuntur etiā illum D. Bonauent. & Capreol. in 1. dist. 11. quæst. 1. Durand. & Argent. quæst. 2. Egid. qu. 3. & quodlib. 1. quæst. 2. Marsil. in 1. qu. 15. art. 3. quam problematicè tuetur Franciscus à Christo in 1. dist. 11. qu. 2.

1124 *1. Prob. authoritate Concil. Florent. & Sāctorum Patrū.*

Prob. 1. auctoritate ex testimonio Concil. Florent. sess. 18. intendens probare, Spiritum S. procedere à Filio, sic dicit: *secundum omnes Doctores, tàm Græcos, quàm Latinos sola differentia processionum multiplicat personas in diuinis, ad quam solam*, inquit, *duo accomodantur, qui ab alio est, & à quo alius est*, & statim inferiùs clariùs subiungit, *nulla alia ratio distinctionis, aut discriminis, nisi per hoc, quòd persona aliqua est ab altera*, & idem dicunt Athanas. & vterq; Greg. Nissen. & Nazianz. & alij plures, quorū testimonia referuntur in fine illius Cōcilij in oratione dogmatica, quam Cardinalis quidā Nisseno habuit ad Græcos in sess. 6. illius Synodi, ex quibus euidēter colligitur, solā rationē originis distinguere personas, atq; adeo

adeò Spiritum S. non futurum distinctam personam à Filio, si ab illo non procederet, quod ita esse certum, & indubitatum propter testimonium Concilia, & dicta Sanctorum Patrum, existimant quidam Theologi, vt sententiam Scoti, vel suspectam, vel temerariam appellent, quamuis immeritò, quia Concilium, & SS.PP. solùm definiunt, quòd modò de facto sit, non verò, quòd esset dato illo impossibili, quòd Spiritus S. non procederet à Filio.

1125 *2. Prob ratione nam personæ diuinæ non distinguuntur relationibus disparatis.*

Prob. 2. ratione, personæ diuinæ non distinguuntur relationibus disparatis, sed relationibus inter se relatiuè oppositis, sed filiatio, & spiratio passiua sunt relationes disparatæ, & non relatiuè oppositæ, ergo dato, quod Spiritus S. non procedat à Filio, non distingueretur personaliter ab illo. Conseq. cum Mi. patet. Ma. prob. quia in Patre v. g. sunt duæ relationes disparatæ, scil. paternitas, & spiratio actiua, & modò formaliter sunt aliæ duæ in Filio, & tamen non cōstituunt personas distinctas, vnam, scil. Patris, & alteram spiratoris. Confirm. quia ideo relationes, quæ sunt in prima persona, non constituunt duas personas distinctas, scil. Patrem, & spiratorem, quia spirator non originatur à Patre; ergo nec aliæ duæ relationes illi oppositæ, scilicet filiatio, & spiratio passiua constituens duas personas in casu, quod vna non originetur ab alia. Patet Conseq. quia non apparet ratio probabilis, quarè illæ duæ relationes, quæ sunt in Patre, possint reperiri in vna, & eadem persona, posteriores verò illis duabus correspondentes, sint incompossibiles in eadem persona.

1126 *1. Euasio.*

Huic argumento respondent auctores oppositæ sententiæ, quòd licèt duæ relationes disparatæ non multiplicant personas in principijs, multiplicant tamen illas in terminis. Cuius rationem assignant, quia ab vno, & eodem principio possint multa emanare, ex vnitate aliquorum in principio, vel causa; non licèt inferre vnitatem in causatis, & principiatis: atque adeò non est necesse, vt sicut relationes disparatæ non faciunt distinctionem in principio, ita etiam relationes disparatæ illis oppositæ non faciant distinctionem in principiatis.

Præcluditur. nam in creatis, multiplicatis passionibus; debent actiones multiplicari.

Sed contra, quia licet in rebus creatis multæ productiones passiuæ possint emanare ab eadem principio actiuo, tamen non possunt emanare ab eodem actione, sed multiplicatis passionibus debent etiam ipsæ actiones multiplicari; sed paternitas, & spiratio actiua non sunt principia producendi Filium, & Spiritum S. sed ipsæmet productiones actiuæ non significatæ per modum actionis, filiatio autem, & spiratio passiua sunt ipsæmet productiones passiuæ, ergo si realiter distinguuntur filiatio, & spiratio passiua, debent realiter distingui, & multiplicari paternitas, & spiratio actiua. Quod si modò de facto istæ non distinguuntur in Patre, illæ verò distinguuntur in Filio, & Spiritu S. non aliundè prouenit, nisi quia filiatio, & spiratio passiua constituunt res relatiuè oppositas, habentes inter se ordinem originis; Paternitas autē, & spiratio actiua non item: atque ità cessante tali oppositione non poterunt distingui.

1127 *3. Prob. nam in diuinis omnia sunt vnum vbi non obuiat relationis oppositio.*

Prob. 3. quia in diuinis *omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio*, sed si Spiritus S. non procederet à Filio, non esset inter Filium, & Spiritum Sanctum oppositio relationum, ergo non distinguerentur. Ma. est axioma commune Theologorum ab Ansel. & Concil. Florent. frequentissimè vsurpatum. Mi. autem est certa apud omnes. Confirm quia omnis distinctio est per aliquam oppositionem, sed in casu Conclusionis inter Filium, & Spiritum Sanctum non esset oppositio aliqua; ergo neq; distinctio. Ma. patet, & Mi. prob. quia in primis non esset oppositio contradictoria, quia hæc est inter ens, & nō ens, nec priuatiua, aut contraria, quia in his vnum extremum est perfectius altero, nec denique relatiua, quia filiatio non opponitur spirationi, sed Paternitati, ergo.

Instabis.

Instabis, Maximam Anselmi satis sufficienter verificari de oppositione disparata, aut incompossibilitate relationum, imo id videri necessarium, aliàs enim paternitas, & filiatio non distinguerentur realiter ab spiratione passiua; nec Pater, & Filius, vt sic à Spiritu S. cùm constet, Patrem v. g. vt sic, non opponi Spiritui S. relatiuè, sed disparatè: Sed hoc postulat solutionem nostri sexti argumenti infrà adducendi.

Respondetur.

1128 *5. Prob. nam Filiatio non opponitur relatiuè spirationi passiuæ.*

Prob. vltimo: relatio in diuinis solùm distinguit ab opposito relatiuè; sed filiatio non opponitur relatiuè spirationi passiuæ, cum non respiciat illam, ergo nec distinguitur ab illa; Prob. Ma. quia relatio diuina, aut distinguit secundùm esse absolutum, aut secundùm rationem relatiuam, non est dicendū, quòd distinguat secūdùm esse absolutum, quia hoc spectat ad essentiam, ergo secundùm relatiuam rationem, & esse *ad*, sed ratio relatiua tota consistit in ordine ad oppositum correlatiuè, ergo solùm distinguit ab opposito.

Opposita sent.

Contrariam sententiam tenet Scotus in 1. dist. 11. qu. 2. quem sequuntur Dionys. Cartusian. Petrus de Aliarcon, Ocham, Aureol. in eadem dist. & communiter nominales cum Enrico quod lib. 5. qu. 9. & cæteri Scotistæ, qui docent, Filium per ipsam filiationem præcisè sufficienter distingui personaliter à Spiritu S. ità quod si per impossibile non procederet ab illo Spiritus S. realiter adhuc inter se distinguerentur; Pro qua.

1129 *1. Obiectio.*

Arg. 1. Si Spiritus S. procederet à solo Filio, & non à Patre, distingueretur nihilominùs à Patre; ergo similiter si procederet à solo Patre; & non à Filio, distingueretur personaliter à Filio. Conseq. patet ex paritate rationis; & Antec. prob. nam si Spiritus S. esset eadem Persona cum Patre, produceret Filium & tamen in illo casu ponitur, quòd Spiritus S. producatur à Filio; ergo Spiritus S. produceret producentem se, quæ productio reciproca est impossibilis.

Resp. nam in tali casu Spiritus S. procederet à Patre mediatè.

Resp. neg. Conseq. & ratio discriminis est, quia in casu antecedentis, iam Spiritus S. procederet à Patre, mediatè saltem, & remotè, cùm ponatur, quod procedat à Filio, qui proximè, & immediatè à Patre procedit, & ita iam inter Patrem, & Spiritum S. esset relatiua oppositio principij mediati ad id, quod est à tali principio mediatè, sicut in humanis est oppositio inter auum, & nepotem; in casu vero conclusionis nulla esset oppositio inter Filium, & Spiritū S. quod si antec. argumenti velit, quod Spiritus S. nullo modo procederet à Patre, nec mediatè, nec immediatè, non est admittendum, quia inuoluit contradictionē in se, & sibi ipsi repugnat, dum supponit, nullo modo procedere à Patre, & tamen procedere à Filio, ex quo necessariò sequitur, quod procedat à Patre saltem mediatè.

1130 *2. Obiectio.*

Arg. 2. Idem est constitutiuū formaliter alicuius in aliquo esse, & distinctiuum illius formaliter à quocumque non habente illud esse, sed filiatio per se absque spiratione actiua est formaliter constitutiua Filij in esse Filij; ergo etiam erit formaliter distinctiua à quocumque non habente rationem Filij, ergo ab Spiritu S.

Confirmatur.

Confirm. 1. quia filiatio præcisè sumpta constituit personam Filij; ergo incommunicabilem, ergo distinctam à qualibet alia persona. Conf. 2. tùm quia spiratio actiua constituit quid communicabile, tùm etiam, quia præsupponit filiationē, aduenitque Filio iam constituto, ergo Filius modo de facto distinguitur à Spiritu S. per filiationem; ergo etiamsi non procederet ab illo, etiam distinguerentur, cùm Filius retineret filiationem.

Resp. Ma. esse veram de constitutiuo absoluto; falsam de relatiuo.

Resp. Ma. esse veram de constitutiuo absoluto, falsam verò de constitutiuo relatiuo; quia hoc non distinguit à quouis alio, sed tantùm à correlatiuo: vnde, quod vnum relatiuum distinguatur ab alijs rebus non habentibus tale esse, non prouenit à relatione, constituendo illud in esse relatiui, sed ab alio, quod repugnat illis rebus: quod si nullum est tale repugnans non distinguetur ab illis; cùm ergo filiatio non referatur ad spirationem passiuam, non distinguit ab illa, atque adeò si non est aliud præter filiationem, in quo distinguatur Filius, & Spiritus S. scil. spiratio actiua minimè distinguetur.

1131 *Ad 1. Confirm Resp.*

Ad 1. Confirm. concesso Antec. Resp. iuxta ea, quæ dicta sunt: quòd cum filiatio non constituat perso-

Filiationem cō-stituere perso-nam relatiuā.

nam absolutam, sed relatiuam, non reddit illam formaliter incommunicabilem, & distinctam à quauis alia persona, sed tantum ab illa, ad quam refertur. Ex quo patet ad secundam Conf. quia licet Filius constituatur in esse personali, & incommunicabili relatiue per filiationem, ità quod spiratio actiua præsupponat illum iam constitutum, non tamen distinguitur per filiationem, nisi solùm à Patre, ad quē refertur, sicut modo de facto non distinguitur per spirationem actiuam a Patre, sed solum à Spiritu S. Vel possumus dicere, quod Filius adæquate per Filiationem, & spirationem actiuam constituatur, per illam in ordine ad Patrem, per hanc in ordine ad Spiritum Sanctum, sed hæc in aliorum sent.

3. Obiectio.

Arg. 3. Filius distinguitur personaliter à Spiritu S. ergo per aliquid personale, sed spiratio actiua non est proprietas personalis, cum sit communis Patri, & Filio; ergo per solam filiationem distinguitur Filius personaliter à Spiritu S. Resp. concesso Antec. & prima Conseq. dist. Min. spiratio actiua non est proprietas personalis constitutiua personæ, concedo: non est proprietas personalis distinctiua personæ, nego; licet enim spiratio actiua, non constituat, & faciat personam, facit tamen personam distinctam, quod sufficit, vt dicatur proprietas personalis saltim distinctiua. Vel potest dici, quod constituit personam inadæquatè.

Resp. spirationem actiuā nō esse proprietatē constitutiuā.

1132 *4. Obiectio.*

Arg. 4. eidem personæ repugnat procedere per intellectum & procedere per voluntatem, ergo etiam si Spiritus S. non procederet a Filio, non esset eadem persona cum illo; sed per hoc solùm distinguerentur sufficienter, quod procederent à Patre, Filius quidem per intellectum, & vt natus: Spiritus S. per actum voluntatis, & vt datus, vel spiratus. Prob. Antec. tum quia repugnat eidem, duabus productionibus produci. tum etiam, quia procedere, vt similē, qualiter procedit Filius, & non procedere, vt similē, qualiter procedit Spiritus S. repugnat eidem.

Confirmatur.

Confirm. auctoritate D. Anselm. lib. de processione Spiritus S. cap. 4. vbi ait: *Habent vtique à Patre esse, Filius, & Spiritus S. sed diuerso modo, quia alter nascēdo, & alter procedendo, vt alij sint per hoc ad inuicem,* & paulo post inferius: *Nam si per aliud non essent plures Filius, & Spiritus S. per hoc solum essent diuersi;* & idem videtur dicere D. Aug. 5. de Trinit. c. 14. ergo solùm distinguuntur Filius, & Spiritus S. per hoc, quod alter per intellectum, alter per voluntatē procedunt, secluso origine vnius ab altero.

1133 *Resp. non repugnare eidē personæ Patris duas processiones passiuas conuenire.*

Resp. neg. Antec. nam sicut non repugnarent illæ duæ processiones actiuæ eidem personæ Patris, ita etiam nec duæ processiones passiuæ repugnarent eidem personæ Filij, in casu, quod vna originaretur ab alia: & ad primam prob. antecedentis Resp. quod tunc non produceretur eadem persona simpliciter duabus productionibus, quia per primam produceretur in esse personali simpliciter, per secundā verò secundùm quid, scil. in tali esse, v.g. spiratis sicut Petrus per generationem producitur in esse simpliciter personæ, per calefactionem vero postea superuenientem in esse calidi.

1134 *Instabis.*

Instabis. non est minùs efficax, & substantialis processio per voluntatem diuinam, quàm per intellectum; ergo sicut ab intellectu Patris producitur persona simpliciter, ita similiter à voluntate. Resp. neg. Conseq. nec hoc prouenit ex defectu efficaciæ processionis per voluntatem diuinam, sed quia præuenta est à prima processione per intellectum, inuenit enim iam productam personam, sicut enim relatio spirationis actiuę modo non constituit personam, non quia sit minus perfecta, aut minus subsistens, quàm paternitas, aut filiatio, sed quia inuenit iam illas personas constitutas per priores relationes, & ideo non constituit illas in esse personæ simpliciter, sed in esse personæ spirantis, ita esset de processione per voluntatem. Ad secundam prob. Antec. Resp. non repugnare eidem personę, quod ratione vnius processionis habeat rationē similis ex vi processionis, ratione vero alterius processionis, nec similis, nec non similis, sed amoris, repugnaret tamen, vtrumq; habere ratione vnius, & eiusdē processionis.

Resp. hoc prouenire, quia diuina voluntas esset præuenta.

Ad Confirm. Respondetur.

Ad Confirm. ex D. Anselm. dico primò, quod vel forte sentit oppositum nostræ conclusioni, vel secūdo, quod loquitur de distinctione virtuali, vel tertiò loquitur de distinctione, quæ modo est, distinguitur enim Filius ab Spiritu S. etiam per filiationem, quia Spiritus S. ex natura sua habet, quod originem trahat à Filio, & idem dicendum est ad Augustinum.

1135 *5. Obiectio.*

Arg. 5. si opposita sententia esset vera, maximè quia sola relatiua oppositio potest distinguere personas diuinas, iuxta illud: *In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obstat relationis oppositio,* sed hoc non, ergo. Prob. Min. quia paternitas, & filiatio, vt sic, distinguuntur realiter ab spiratione passiua, cùm tamen non opponantur relatiue, ergo absque oppositione relatiua, & origine, potest Spiritus S. realiter distingui à Filio. Prob. Antec. quia Spiritus S. non opponitur relatiue Patri, & Filio, vt Pater, & Filius sunt, sed vt sunt vnus spirator, ergo spiratio passiua non opponitur relatiue paternitati, & filiationi, ergo.

Resp. dilectionem, cum ortū habeat ex cognitione, contineri radicaliter in Paternitate, & Filiatione.

Resp. 1. concessa Ma. distin. Mi. formaliter concedo, radicaliter nego: cum enim dilectio à cognitione ortum habeat, in ipsa paternitate, & filiatione intellectiui continetur radicaliter, & virtualiter actiua spiratio amoris, & ex consequenti oppositio virtualis ad amorem. Resp. 2. cum Duran disting. etiā Min. directè concedo; indirectè nego, opponuntur enim ratione spirationis actiuæ, quam habent adiunctam, illud autem axioma, *In diuinis omnia sunt vnum, &c.* licet intelligendum sit non de oppositione relationum disparata, sed de oppositione relatiua, sufficit intelligatur de oppositione formali, & directa, vel radicali, vel indirecta.

Dices.

Dices. In relatiuis creatis non solùm distinguūtur realiter ea, quæ mutuo opponuntur relatiue; sed etiam ea, quæ sunt ab inuicem disparata, v. g. similitudo huius albedinis non solum distinguitur realiter à similitudine alterius albedinis, sed etiam ab æqualitate, quam hoc album habet cum alio sibi æquali, ergo etiam in diuinis. Resp. esse disparem rationem in diuinis, nam quæ in creatis disparata sunt, ob omnimodam simplicitatem in diuinis, nequeunt distingui, sed solum ea distinguuntur, inter quæ est oppositio relatiua, vt dictum est supra.

Respondetur.

1136 *6. Obiectio.*

Arg. 6. dato illo casu posito quarto argumento, Spiritus S. & Filius essent duæ Personę distinctę; ergo. Prob. Antec. quia Spiritus S. à solo Patre productus, vere esset *rationalis naturæ indiuidua substātia,* & similiter Filius, ergo vterque esset persona, ergo essent plures personæ, ergo distinguerentur personaliter, ergo realiter.

Resp. in tali casu non esse duas, sed vnam personam. nō n. sufficit ad pluralitatem personarum pluralitas rationum personæ.

Resp. 1. idem argumentum posse fieri contra Auctores oppositæ sententiæ de Patre, & spiratore, quia in casu quæstionis spirator esset quid incōmunicabile, & subsistens in natura diuina. Resp. 2. Antec. & ad prob. dicendum est, quod licet vterque haberet rationem personæ, non tamen essent duæ personæ, nec vnus esset persona distincta ab alia, non .n. sufficit ad pluralitatem personarum pluralitas rationum personæ, sed requiritur pluralitas subsistentiarum incommunicabilium, quæ tunc non reperiretur in Filio, & Spiritu S. secluso ordine originis. Vnde sicut non valet in Christo Domino est ratio personæ diuinæ, quia est indiuidua substantia naturę diuinæ, & est similiter ratio personæ humanæ, quia est indiuidua substantia naturæ humanæ, ergo in Christo est duplex persona, altera humana, & altera diuina, quia in Christo Domino tantùm est vnica subsistentia diuina, à qua sola habet, & quod sit indiuidua substantia naturæ diuinæ, & similiter, quod sit indiuidua, & incommunicabilis substantia naturæ humanæ; non enim habet hoc ex propria subsistentia humana, atque ita non sunt duæ substantiæ indiuiduæ, sed vnica propter vnitatem subsistentium, ita in casu argumenti.

1137 *7. Obiectio.*

Arg. 7. dato, quod Spiritus S. non procederet à Filio, esset vero ens, & vnum ens, ergo esset distinctus à quolibet alio, atque adeo a Filio. Confirm. quia ante operationem relatiuam est ens, & vnum,

ergo

Respond.

ergo ante operationem relatiuam est distinctus à quolibet alio. Respondetur tunc Filius Dei, quatenus est ens, & vnum distingueretur ab omni alio, quod non esset Deus, non vero à Patre, aut Spiritus S. sicut nec modò distinguitur, quia omnes tres personæ sunt idem ens, & vnum, dicente Ecclesia? *& hi tres vnum sunt*, & per hoc patet ad Conf. per vnitatem enim entis nequit Filius distingui ab aliqua persona diuina.

8. Obiectio.

Arg. 8. Nam vel actio illa voluntatis Patris terminatur tunc ad Spiritum S. qui esset persona distincta à Filio, vel ad eandem personam Filij; si primū, habetur intentum; si secundum, ergo eadem persona bis producitur; vno modo per intellectum, & alio per voluntatem. Ex quo sic argumentātor, si persona eadem producitur per intellectum, & per voluntatem, postquam semel producta est per intellectū, ad quid terminatur productio voluntatis? non ad absolutum, quia iam id habet per priorem productionem; nec ad relationem solam spirationis passiuæ, quia ad relationem non potest terminari per se actio; ergo debet terminari ad personam, non Filij, quia iam producta est. ergo ad aliam. Confirm. quia per volūtatem creatam nequit produci eadem res, & entitas, quæ producta est per intellectum, amor .n. productus non potest esse ipsum Verbum intellectus; ergo neque per diuinam.

1138 *Resp. tunc actionem voluntatis Paternæ, terminari ad Filiu sub alio esse.*

Resp. iuxta solutionem quarti argumenti, quod illa actio voluntatis paternæ terminatur ad eandem personam Filij sub alio esse, & relatione. Ad Conf. concessio Antec. neg. Conseq. in casu nostræ quæstionis. Et est manifesta ratio discriminis, quia actiones intellectus, & voluntatis creatæ, realiter distinguuntur: at verò in nostro casu processiones per intellectum, & voluntatem Patris, non distinguerentur realiter, cùm inter illas non esset ordo originis; & hæc est de isto dubio.

DVBIVM III.

Vtrum processio Spiritus Sancti sit voluntaria?

Voluntas in actu secundo nō est causa mouens ad spirādum.

Circa hoc dubiū eadē prorsus dicenda sunt; ac q. 27. & infra q. 41. art. 2. de processione Filij diximus, quantùm ad necessitatem, & naturalitatem, libertatem, & coactionem; sicut enim hæc causalis est falsa: Pater generat, quia vult generare, licèt generet volens; ita similiter hæc causalis est falsa, Pater & Filius spirant, quia volunt spirare, licèt volentes spirent. Cuius ratio duplex esse potest; prima, quia volitiò in actu secundo non est causa mouens ad generandum, vel spirandum, sed solùm se habet concomitanter: secunda, quia quando agens agit, quia vult, iam est in eius potestate agere, vel non agere, quod non est dicendum in diuinis respectu actionum notionalium. Pater ergo non generat, aut spirat, quia vult, sed quia habet intellectum, & volūtatem fecundam: disparitas verò stat in hoc, quòd diuina generatio nullo modo prouenit à voluntate in actu primo, vt à principio actiuo; spiratio verò procedit ab huiusmodi volūtate, vt à principio actiuo elicitiuo, non .n. à volente, tāquàm à principio mouēte ad operādum: quarè in præsenti solùm erit disputatio contra Scotum, an scil. sicut dicitur, Spiritum S. procedere voluntariè, sit etiam dicendum, quòd procedat liberè.

1139 *Nota, Omnem libertatem voluntatis fundari in natura ipsius voluntatis.*

Pro decisione resolutoriè suppono ex 1. 2. qu. 10. art. 1. quòd omnis libertas, & indifferentia voluntatis fundatur in natura ipsius voluntatis, ità vt voluntas, quatenus potentia indifferens, & libera, præsupponit seipsam, vt natura quædam est habens omnimodam determinationem, vndè omnis operatio libera voluntatis procedens ab ipsa, vt potentia libera, præsupponit aliquam operationem ipsius naturalem, & necessariam, saltem quoad specificationem, quę procedit ab ipsa voluntate, vt natura est: quo modo autem se habeat ratio naturæ in voluntate in ordine ad libertatem, explicat Caiet. 1. p. qu. 6. de Angelis art. 1. interim tamen videatur Zumel qu. 41. 1. p. art. 2. concl. 5. paulò post initium his positis.

Respond. 1. Quæsito.

Resp. 1. Quæsito. Pater, & Filius necessariò spirant Spiritum S. voluntariè tamen, & non coactè. Hæc est de fide, & conceditur ab omnibus Catholicis. Prob. hac vnica ratione, quia Spiritus Sāctus est Deus, ergo summè, & simpliciter necessarius in essendo: ergo actus, quo procedit, est simpliciter necessarius. Secunda verò pars prob. quia necessitas coactionis dicit imperfectionem, & infert tristitiam, quæ procul sunt à diuinis.

1140 Resp. 2. Spiritus Sanctus nō procedit liberè, sed naturaliter voluntariè.

Resp. 2. Nullo modo est concedendum, quòd Spiritus S. procedat liberè, sed dicendum est, quòd procedat naturaliter, voluntariè tamen. Hæc est contra Scotum, est tamen D. Thom. 1. p. qu. 41. art. 2. & ibid. omnium Thomistarum, & prob. nam Sancti Patres, & Philosophi id solùm vocant liberum, *quod potest esse, & non esse*. Ita D. August. lib. 3. de libero arbitr. cap. 3. dicit, *illud solùm in nobis liberum est, quod in nobis est facere, vel non facere.* Idem dicit Hieron. in epist. ad Damasc. de filio prodigo, circà finem explicans illud Psalmi 102. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens*. Idem Damasc. lib. 2. de fide cap. 28. idem etiam Arist. 3. Ethic. cap. 4. & communiter omnes Philosophi, ergo non satis consonat modo loquendi Sanctorum, & Philosophorum vocare processionem Spiritus Sancti liberam, siquidē apud ipsos idem est liberum, quod habens possibilitatem ad vtrumque. Secundò prob. quia Spiritus S. non procedit liberè libertate contradictionis, nec contrarietatis, quia aliàs posset non produci, ergo non procedit liberè: patet Conseq. quia non est alia libertas.

Instabis. Respond.

Instabis cum Scoto, procedit liberè libertate cōplacentiæ, & essentiali. Sed contra, tum quia hæc non est libertas, tum etiam, quia eodem modo diceremus, Filium Dei procedere liberè, & similiter Deum liberè diligere seipsum, siquidem voluntariè complacet Deus in his actibus.

1141 Opposit. sent. Scoti explicatur æstimantis omnem actum voluntatis esse liberum.

Oppositam sententiam docet Scotus in 1. dist. 2. qu. 7. & dist. 10. qu. 1. & in quodlib. qu. 16. qui existimant, voluntatem non posse habere aliquem actum naturalem, sed omnes eius actus esse liberos, & ità dicit, Spiritum S. non solùm procedere per amorē voluntarium, sed etiam per amorem liberum, nec à voluntate, vt natura est, sed vt libera est, non quidem libertate contradictionis, aut contrarietatis, sed libertate, quam ipse vocat essentialem. Quod si illi obijcias, ergo processio Spiritus Sancti non est necessaria, siquidem per se est libera: respondet, neg. conseq. quia benè inquit, compatitur libertas essentialis cum necessitate. itaq; quidquid voluntas agit, siuè necessariò, siuè contingenter, liberè agit.

1. Obiectio.

Arg. 1. Pro hac sententia, natura non potest operari liberè, ergo nec voluntas naturaliter: patet Cōseq. quia æquè intrinsecum est voluntatem operari liberè, sicut naturæ operari naturaliter. Confirm. quia natura, & voluntas habent modo operandi oppositos; naturam enim est determinata ad vnum, voluntas verò indifferens: ergo sicut modus operandi voluntatis nequit conuenire naturę, ita nec modus operandi naturæ conuenire poterit voluntati.

1142 Resp. eandem potentiam naturalem volūtatis habere rationem naturæ, & libertatis.

Resp. conced. Anteced. de potentia naturali præcisè, negatur tamen Conseq. quia eadem potentia naturalis voluntatis potest habere nomen naturæ, & rationem potentię liberę, & ità potest habere vtrumque modum operandi, vt constabit ex dicendis. Ad Confirm. neg. Conseq. propter eandem rationem, quia scil. potentia naturalis præcisè nō potest habere rationem potentię liberę, & ideò nequit ei conuenire modus operandi cum indifferentia: at voluntas potest habere rationem potētię naturalis, & ita potest habere modum operandi naturę.

1143 2. Obiectio.

Arg. 2. Potentia naturalis, & potentia libera differunt specie, ergo eadem voluntas nequit considerari, vt natura, & vt potentia libera, ergo nequit habere simul actus naturales, & liberos: prob. Antec. ex Arist. 9. metaph. text. 3. vbi distinguit liberum à naturali.

Resp.

Resp. potentiā naturalem posse sumi dupliciter.

Resp. potentiam naturalem posse sumi dupliciter: vno modo cum præcisione, ita quòd sit tantùm naturalis, vt potentia visiua bruti, & huiusmodi potentia naturalis, omnimodè opponitur potentię liberę: alio modo sumitur absque præcisione, & hoc modo naturalis potentia, & libera non opponuntur, imò natura est radix, & fundamentum libertatis: quarè eadem potentia potuit esse libera, & naturalis. Ex quo patet solutio.

1144 *3. Obiectio.*

Arg. 3. Vnica potentia non potest habere geminum modum operandi, ergo voluntas non potest operari naturaliter, & liberè: patet Anteced. quia haberet duplicem rationẽ potentiæ; quælibet enim potentia habet suum proprium modum operandi. Et Conseq. prob. quia operari naturaliter, & liberè sunt duo modi operandi oppositi primo, & per se distinguentes potentias naturales, & liberas, ex Arist. 2. phys. text. 49. & 9. Met. textu 3.

Nota Pro solutione, operari liberè, & necessariò non sunt differentiæ per se primò potentiarum.

Pro solutione nota, quod operari liberè, & naturaliter non sunt differentiæ per se primò actuum, & potentiarum: potentiæ enim, & actus ex diuersa ratione formali obiectorum distinguuntur, non ex modo attingendi ipsum, si talis modus non transeat in rationem formalem obiecti; vndè operari liberè, & naturaliter, non diuersificat potentias, sed modos operandi, atque adeò eidem potentiæ poterunt conuenire, maximè cùm inter se nõ habeant incompossibilitatem, sed vnus fundatur in alio, liberum .n. fundatur in naturali, sicut voluntas in natura: quarè licet formaliter loquendo liberè, & naturaliter sint modi per se oppositi, non sequitur, quòd non possint eidem potentiæ conuenire, sed solùm quod non conueniant eidem secundùm eandem rationem, nam operari naturaliter conuenit voluntati, vt natura est, operari verò liberè, vt voluntas, vel vt liberũ arbitrium.

1145 *Resp. illi modi operãdi diuersi ita se habent, vt vnus sit fundamentũ alterius.*

Resp. ergo neg. Ant. quòd illi modi operãdi diuersi ita se habeant, quod vnus sit fundamentum alterius, quia cum vnus ordinetur ad aliũ, nõ censentur duo modi, sed vnus iuxta regulã topycam, *vbi est vnum propter aliud, ibi est vnu tãtùm*: & sunt plures instantiæ, prima in intellectu, cui competit duplex modus operandi sine discursu circa principia, & cũ discursu circa Conclusiones, quia prior modus operandi est fundamentum posterioris. Secunda, in Deo Patre, qui est principium est productiuum naturale ad intra, & principium productiuum liberum ad extra: tertia, in virtute motiua, quæ interdum potest mouere velociter, interdum tardè.

1146 *4. Obiectio.*

Arg. 4. Immobilitas, & firmitas operationis non tollit propriam speciem, & rationem ipsius operationis, quin potius perficit ipsam, ergo necessitas actus voluntatis non tollit ab illa rationem libertatis; imò perficit ipsam, ergo benè, quòd operatio voluntatis necessaria simul sit, & libera: prima Cõseq. patet, quia necessitas actus volũtatis nihil aliud est, quam firmitas, & stabilitas illius; & Antec. patet in actibus confirmatorum in gratia, & beatorũ.

Pro solutione Nota, quod necessitas est duplex, simpliciter, & immutabiliter.

Pro solutione nota primò, quòd necessitas est duplex: alia simpliciter, quando non est in potestate alicuius, quod sit res, vel non sit, v. g. necessitas, qua Deus diligit seipsum, & hic nõ compatitur cum libertate in aliquo actu, quia libertas, & necessitas simpliciter dicunt modos operandi includentes contradictionem: alia est immutabilitas, quæ in hoc consistit, quod v. g. postquàm Deus semel decreuit aliquod fore, non posset non velle illud, aliàs esset mutabilis, & talis necessitas non opponitur libertati.

1147 *Necessitas tunc est perfectio actus, quando est proportionata obiecto.*

Nota 2. quòd necessitas tunc est perfectio actus, quando est proportionata obiecto, itaut tale obiectum exigatur, quod exerceatur actus necessariò circa ipsum, & hac ratione necessitas, qua Deus diligit se ipsum, generat & spirat, perfectio quidem est actus: at quando obiectum non exigit talem necessitatem, non perficit actum, imò esset imperfectio illius, vt si Deus necessariò diligeret creaturas.

Resp. firmitas, quæ constituit operationẽ simpliciter necessariam, tollit omninò libertatem.

Resp. ergo disting. Antec. firmitas illa, quæ constituit operationem simpliciter necessariam, tollit omnino libertatem ab illo actu, concedo; firmitas verò, quæ constituit actũ necessariò necessitate immutabilitatis, qualis est, quæ reperitur in actibus voluntatis confirmatorum in gratia circa finem supernaturalem, nego: quia ista non minuit, imò perficit, quia obiectum exigit illam; ex quo patet solutio, nam vt supra diximus ad 3. cùm necessitas, & libertas non constituant speciem potentiæ, aut actus, optimè potest firmitas, vel necessitas tollere ab actu rationem libertatis absque eo, quòd tollat speciem; firmitas enim actus charitatis in Patria, licèt non tollat libertatem, nihilominus est eiusdem speciei ille actus cum actu charitatis in via.

1148 *5. Obiectio.*

Arg. 5. Voluntas tendit ad media, vt potentia libera, ergo etiam ad finem: patet Conseq. tum quia eadem est potentia ad vtrumq; tum etiam, quia vna potentia semper fertur sub eadem ratione formali, & eodem modo.

Resp. licèt eandem potentia attingat finẽ, & media, non tamen eodem modo.

Resp. neg. Conseq. & ad prob. quòd licèt eadem potentia attingat finem, & media, non tamen eodẽ modo: sicut idem intellectus attingit principia, & conclusiones. Ratio est, quia bonum, quod est obiectum voluntatis, continet sub se plura obiecta partialia, quæ sufficiunt diuersificare actus, & modos ipsorum: sub illo enim continetur bonum, quod est finis, ad quem fertur voluntas sine electione, & bonũ, quòd est medium, ad quod fertur eligendo: continetur etiam bonum necessarium simpliciter, & bonum non simpliciter necessarium; ex quibus sumuntur diuersi modi operandi.

1149 *6. Obiectio.*

Arg. 6. Spiritus S non procedit per modum naturæ; ergo neque à voluntate, vt natura est, ergo à voluntate, vt libera ergo, ergo actu libero, & non naturali. Prima Conseq. videtur certa, & Antec. prob. quia aliàs procederet similis ex vi suę productionis, & consequenter esset Filius.

Resp. Spiritũ S. procedere per modũ naturæ voluntatis.

Resp. 1. disting. Antec. Spiritus S. non procedit per modum naturę absolutè, hoc est per modum naturæ diuinæ, concedo: per modum naturę voluntatis diuinę, nego. Resp. 2. Et meliùs neg. Conseq. aliud enim est procedere naturaliter, aliud per modum naturę: vndè licèt Spiritus S. non procedat per modum naturę, non ideò procedit liberè, & non naturaliter, procedit enim per modum voluntatis, & inclinationis naturalis: huius autem discrimen assignauimus supra in Resp. ad 5.

1150 *7. Obiectio.*

Arg. vlt. auctoritate, in primis D. August. in Enchyrid. c. 105. dicentis, *Aut voluntas non est, aut libera est*: ergo omnis actus voluntatis est liber. & 2. ex D. Th. qu. 10. de Potent. art. 2. ad 5. vbi expresè fatetur processionem Spiritus Sancti esse liberam & in hac 1. p. q. 31. art. 2. ad 3. docet, Spiritum S. procedere per voluntatem, vt voluntas est, ergo non procedit per voluntatem, vt natura est; ergo non procedit naturaliter, sed libere.

Resp. D. Th. in q. de pot. confũdere liberũ cũ voluntario.

Resp. quòd in quęst. de potent. confundit D. Th. liberum cum voluntario, ita dicit, quod processio Spiritus Sancti est libera, & voluntaria; sed hic modus loquendi est improprius: in hoc autem artic. D. Th. nunquam dixit, Spiritum Sanctum procedere à voluntate, vt voluntas est, sed tantum dicit ad 3. quòd procedit à voluntate naturaliter per modum tãntum voluntatis, & non per modum naturę: ex D. autem Aug. solùm colligitur, quod voluntas, vt voluntas, est libera in suis actus, non verò vt natura.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Spiritu Sanctus procedat à Patre per filium.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

CONclusio est affirm. Prob. filius habet à Patre, quòd ab eo procedat Spiritus Sãctus. vt patet, ergo potest dici, quod Pater, per filium spirat Spiritum Sanctum, sicut quia Balliuus habet à Rege, vt operatur, pos-

sumus

ſumus dicere,quod Rex operatur per Balliuum. ergo pari ratione. Quia filius habet à Patre,quod ſpiret Spiritum Sanctum, poſſumus dicere, quod Pater per filium ſpirat Spiritum Sanctum.

Arg. 1. Spiritus Sanctus procedit à Patre immediatè; oppoſitum enim videtur inconueniens. ergo. Reſp.diſt. ly immediatè,vel immediatione virtutis,& conced. Antec.procedit etiam hoc pacto immediatè à filio: vel immediatione ſuppoſitorum,& tunc poſſumus dicere,quod Spiritus S.procedit à Patre mediatè,& immediatè: Si enim attendamus Spiritum Sanctum,vt procedit à Patre, tunc immediatè ab eo procedit, & non per filium. Si autem attendamus eundem, vt procedit à perſona filii, tunc mediatè à Patre procadit,ideſt mediante ſuppoſito filij.

Arg 2. ſi aliqua perſona procederet à Patre per filiũ,non procederet à filio,niſi propter Patrem; ergo magis à Patre procederet, quià propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Reſp. neg. ſeq. quæ tunc vera eſſet,ſi fuiſſet diuerſa virtus Patris, & Filij; ſed quia virtus ſpiratiua filij non eſt alia à virtute Patris,ideò &c.

Arg.3. ſi talis perſona procederet à Patre per filium, prior eſſet generatio filij, & poſteà alterius perſonę.ergo &c. Reſp.neg.ſeq. quia ſicut generatio eſt coęterna Patri; ità ſpiratio coæterna eſt ſuo principio, propterea nulla ponenda eſt prioritas,ac poſterioritas in eo.

Arg. 4. ſicut poſſumus dicere, quòd Rex operatur per Balliuum; ita è contra dicere poſſumus, quod Balliuus operatur per Regem: ergo ſi Spiritus Sanctus procederet à Patre per filium,poſſumus dicere,quòd procedit à filio per Patrem. Reſp.neg.paritatẽ, nam ly,per,denotat ſuppoſita, operantia, ac virtutem; ideò valet è conuerſo uam in prima propoſitione Anteced. denotat ſuppoſita; in ſecunda virtutem. in diuinis autẽ quando dicimus,quod Spiritus S. procedit à Patre per filium,ly per,non poteſt denotare ipſam virtutem ſpiratiuam; cùm ſit eadẽ in Patre,& filio,ſed denotat ſuppoſita ſpirãtia,ideò non recipitur conuerſio.

DISPVTATIO CLXXXXVI.

Vtrum Spiritus S.procedat à Patre per Filium? Et quem ſenſum habeat Concluſio huius articuli.

1151 Concluſio affirmatiua maxime nititur authoritate moltorum Græcorum.

C*Oncluſio ſimpliciter affirmatiua maximè nititur authoritate multorum Patrum, præſertim Græcorum, ita loquentium. Origen. hom. 2. in Diuerſos multo ante med.* Nihil ei,*nempe Verbo*, coæternum, vel conſubſtantiale intelligitur,vel coeſſentiale prętet ſuum Patrem,& ſuum ſpiritum,à Patre per ipsũ procedentem. *Athanaſ.in refutatione contra hypocriſim Meletij, fine,*Impoſſibile Trinitatis gloria Spiritum cõglorificari,niſi ex Deo per Filium progrediendi modo,non autem fiendi ratione, naturam habeat. *Gregorius Thaumaturgus in breui fidei confeſſione,quam in eius vita refert, & ipſum à Ioanne Euangeliſta,qui ſimul cum Beatiſſima Virgine illi apparuit,didiciſſe teſtatur Gregorius Nyſſenus,ait,* Vnus Spiritus S.ex Deo ortum,& exiſtẽtiam habens, quique per Filium apparuit,videlicet hominibus. *Quæ vltima verba,vt interpretatur Beſſarion in oratione dogmatica c.6.circa med. non ſolùm ſignificant*, quòd per Filium ſit hominibus notificatus temporaliter; *ſed etiam,*quod per Filium æternaliter producatur: *quoniam, vt ſtatim optimè ratiocinatur*, per Filium temporaliter manifeſtari. præſupponit neceſſariò per Filium æternaliter procedere.

1152 Confirm. ex latinis quoq Patribus.

Ex latinis quoque Patribus ſimiliter loquuntur Clemens Romanus lib.6. Conſtitut. Apoſtolic. cap. 11. paulò poſt princip. Nunciamus vnum Deum, vnius Filij Patrem,vnius Paracleti per Chriſtum, *ſupplendum ex ſuperioribus eſt, principium, ſiuè authorem. Tertullian.lib.contra Praxeam c.4.non longè à princip.* Spiritum non aliundè puto,quam à Patre per Filiũ. *Hilar.lib.12 de Trinit colum. penult.* Huius ergo nominis, *hoc eſt creaturæ,* ne in Sancto quidem Spiritu tuo,patiar,ex te, *hoc eſt, Patre,*profecto i & per eũ, *hoc eſt,Filium,*miſſo. *Et poſt nonnulla in eodem ſenſu ſubdit,*Ex te per eum Sanctus Spiritus tuus eſt. *Et in fine eundem Patrem alloquens vocat,*Sanctum Spiritum tuum,qui ex te per Vnigenitum tuum eſt. *ita Hilarius, & Alij apud Commentatores huius articuli.*

1153 Petes.

Petes. Quem ſenſum habeat concluſio huius articuli?

Reſp.cum dicitur Spiritũ S.procedere à Patre per filium,non negari etiã procedere a Filio

Reſp.Cùm dicitur Spiritũ S. procedere à Patre per Filium, non negatur procedere etiam à Filio, eodem procedendi modo,quo procedit à Patre. Hoc certa fide credendum eſt ea prædicta Eugenij definitione,ita ſtatuente, Filium quoque eſſe cauſam,& principium Spiritus Sancti,ſicut & Patrem: *& quod paulò ante verba citata habetur,*Quia Spiritus S.ex Patre, & Filio,tanquam ab vno principio,& vnica ſpiratione procedit. *In duabus verò perſonis ſpirantibus, vbi non eſt,niſi eadem vnica ſpiratio, & idem vnum ſpirandi principium, fingi non poteſt aliqua diuerſitas pertinens ad modum ipſum ſpirandi,tametſi vt acutè diſtinguit Aureol.1.d.12.art.2.§.* Sed fortè. *eſſe poſſit,& de facto ſit aliqua diuerſitas in alio modo habendi prædictum ſpirandi modum; hunc enim Filius habet ex Patre,vt definit Eugenius ſupra, Pater verò habet ex ſe.*

1154 SuadeturCõcluſio ex Verbis Ioannis Theologi.

*Suaderi præterea poteſt concluſio ex verbis Ioannis Theolog. in Concil.Florent. ſeſſ.24. fine,*Dictam à Sãctis Patribus eſt,Sanctum Spiritum per Filium natura procedere. Vnde ſequitur,Spiritum Sanctum ex Patre,Filioque procedere: quandoquidem, Per, præpoſitio,vt ex,prepoſitio, hac in re ſignificare videtur; vt Leonis,Gregorij Papæ,Ambroſij,Hieronymi,Auguſtini,ac aliorum multorum Doctorum auctoritatibus clariſſime patet. *Vndè apud ipſos eoſdẽ Patres,qui dixerunt, Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium,paſſim legimus Spiritum S. procedere ex Filio,vel de Filio, vel à Filio: ergo per illud primum noluerunt negare hoc ſecundum.*

Confirm. idẽ ex Georgio Scholario.

*Quod in eodem Concil.ſequenti ſeſs.25. & vltima poſt med. fuſiùs oſtendit Georgius Scholarius,vt ibi dicitur,*vir doctiſſimus, *in quadam oratione habita in conuentu Græcorum poſt med. illius orationis dicens,* Credo, & profiteor,Sanctos Doctores, tàm Orientales,quàm Occidentales,quorum alij litteris mandarant,Sanctum Spiritum ex Patre,Filioque,alij ex Deo per Filium procedere, ad hanc vnam veritatẽ adſpexiſſe,Sanctum ipſum Spiritum à Patre, Filioq, accipere eſſe,ac ex Patre,Filioque procedere, vt ab vnico principio. *Et multò copioſiùs Beſſarion in citat. oratione dogmatica c.6.toto.*

1155 Cur Patres ſępe ſcribant Spiritum Sanctum procedere à Patre per filiũ.Reſp.

Cur autem Patres ſępè ſcribant,Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium,duplicem inuenio cauſã; alteram communiorem, & clariorem non obſcurè indicatam verbis Eugenij modò relatis, & Anſelmi ſupra in medio diſputationis,& apertè traditam hîc in fine corp.vt ſcil. ſignificarent,Spiritum Sanctum ita procedere à Filio,vt hoc ipſum Filius habeat à Patre; Pater verò non ab aliquo alio habeat, ſed ex ſe: quemadmodum, vt vtar exemplo Anſelmi ſupra, dicitur Pater omnia creaſſe per Filium,quia creauit per illam eamdem potentiam, & ſapientiam, quam Filio communicauit,& per quam ipſemet Filius omnia creauit,ſicut & Pater.

Quo

Exemplicatur in creatis, in quibus dicimus legem ferri à Rege per Iudicem.

Quomodo etiam in rebus creatis, tametsi multò minus simile sit, dicimus, sententiam, vel legem ferri à Rege per Iudicem, vel alium eius ministrum, hoc est, per iurisdictionem, & auctoritatem à Rege acceptam. Alteram minus claram, sed indicatam verbis Cyrilli supra, & perspicue assignatam à Latinis Patribus Concilij Florentini supra, vt significarent, Spiritum S. ita procedere à Filio, vt sit Filio consubstantialis, sicut Filius consubstantialis est Deo Patri. Quem sensum apud Anselmum supra admittunt etiam Græci, Heretici, & non ineptè explicant exemplo lacus collecti ex fonte per riuum, vbi eadem aquæ substantia, quæ est in lacu, est etiam in riuo, in quo priùs recepta, per illum deindè transit in lacum, à solo fonte scaturiens. Sed in hoc vltimò errarunt, quoniam substantialitas Filij, & Spiritus S. quam Patres indicare potuerunt, non tollit, quin Spiritus S. procedat etiam à Filio: sicut eadem consubstantialitas inter Patrem, & Filium non tollit, quin Filius procedat à Patre.

1156 Nō possumus dicere, Filium spirare per Patrem, quia acquiritur ordo virtutum.

An verò sicut propter spirandi virtutem, à Patre datam Filio dicitur Pater spirare per Filium, ita pariter à contrario propter eandem virtutem, inquantum eam Filius habet passiuè acceptam à Patre, dici possit Filius spirare per Patrem; negat S. Thom. hic ad 4. quia ad hanc conuersionem non solum requiritur ordo suppositorum, qui est inter Patrem, & Filium, cum eadem omnino spirandi virtus, quæ est in Patre ex se, sit etiam in Filio à Patre. Dicitur autem, inquit, Rex operatur per Balliuum *; & è conuersò,* Balliuus operatur per Regem *: quia hic est ordo, & suppositorum, & virtutum, cùm alia operandi vis sit in Rege, alia in Balliuo.*

Ratio est, quia Pater non est medius inter Filium, & Spiritum S. sicut est Filius inter Patrem, & Spiritum Sanctū.

Quam doctrinam recipit Durand. 1. dist. 12. quæst. 3. nu. 7. quem sequuntur Torres hic in commentario ante med. & alij recentiores, explicantes cum Durando, non posse dici Filius spirare per Patrem, tanquam per medium*; quia Pater non est medius inter Filium, & Spiritum Sanctum sicut Filius est medius inter Patrem, & Spiritum Sanctum sed, inquit Durand.* sanè intelligendo, posset dici Filius spirare per Patrem, quia virtutem, & auctoritatem spirandi habet à Patre: *sicut Genes. 4. dicit Eua,* Possedi hominem per Deum. *Et prouerb. 8.* Per me Reges regnant, *dicit diuina Sapientia. Et magis ad rem à Cyril Hierosolym. Catechesi 4. 6. 3. Filius Dei dicitur,* Omnium per Patrem opifex. *Qui quidem sensus apparet ex se probabilis, & placet Molinæ hic, tamen est minus proprius, & vix aliquando vsurpatus & ideò cum S. Thom. simpliciter non admittendus.*

DVBIVM VNICVM.

An Spiritus S. procedat principaliùs, propriùs, priùs, & immediatiùs à Patre.

1157 *Prima Conclus. habet duas partes. Prima prob. à D. Th.*

CONclusio. Quamuis in aliquo bono sensu liceat dicere, Spiritum Sanctum procedere principaliter, & propriè à Patre: tamen non videtur procedere principaliùs, & propriùs à Patre. Prima pars plures, & graues habet auctores. Supponitur, & simul probatur à S. Thom. hic ad 2. cùm enim priùs docuisset, *Spiritum Sanctum non magis procedere à Patre, quam à Filio, sed æqualiter procedere ab vtroque;* ita subiungit, *licèt aliquando dicatur principaliter, vel propriè procedere à Patre; per hoc, quod Filius habet hanc virtutem à Patre.* Ita Albertus Magnus, Torres, & alij apud Valent. hic.

1158 *Ly* Propriè, *hic debet sumi non vt distinguitur contra participatiuè; sed contra commune.*

Debet igitur hic sumi, *propriè*, vt optimè distinguit Henricus in summa art. 54. art. 7. ad 2. fine, non vt distinguitur contra participatiuè; neq; vt distinguitur contra commune; quia Filius habet spirare commune cum Patre, & idem omnino, non participatum, sed vt distinguitur contra ab alio esse; *quemadmodum,* inquit Henricus, *ille dicitur regnare propriè qui ex se habet esse Rex, à nullo alio habendo, quod regnet; non autem ille, qui ab alio habet, & tenet regnum suum, sic solus Pater dicitur propriè spirare; quia à se ipso, non ab alio habet, quod spirat, non autem Filius, quia habet à Patre.* Denium in Concilio Florent. sess. 24. paulò post princip. ait Ioannes Theologus, *Filius Sanctum ipsum Spiritum à Patre præcipuè mittit*, & post med. ita confirmat, *Duabus personis vnica potestas spirans, & mittens existit, à Patre tamen, vt dictum est, præcipuè creditur esse.* Dixerat autem ante med. *Filius eundem Spiritum Sanctum mittere creditur; non tamen vt Pater, præcipuè; quandoquidem Pater ipse radix, & fons diuinitatis existit.*

1159 *2. Pars, Non posse dici, principaliùs, & propriùs; ità Henricus.*

Secunda verò pars negans, esse dicendum, principalius, & proprius, est expresse Henrici art. 6. cit: in quo sensu antea in art. 54. qu. 7. ad 1. scripserat, *quod Pater, & Filius non æquè primò spirant, sed ordine quodam, scil quo habent vim spiratam; Pater scilicet à se, Filius à Patre; sic enim conuenit Patri, primò spirare, & Filio secundariò: & hoc non ratione ipsius actus, sed ratione virtutis spiratiuæ, quam ordine quodam habent Pater, & Filius: quia Filius à Patre.* Nam ratione actus spirandi, statim addit, *quòd Pater, & Filius æquè primò absque omni ordine spirant, quia sunt vnum principium in origine spirationis.*

An possit dici, & quomodo, quod Filius spiret secundariò.

Quamquam Albertus, Vdalricus, Carthusian. suprà, & alij cautiùs nolunt concedere, Filium spirare secundario, ne concedi videatur aliqua inæqualitas, vel inferioritas, vel posterioritas in spirando; sequuntur Torres supra inquantùm non vult concedere, Spiritum Sanctū à Filio procedere, *minus principaliter*, quod vtique negari non posset, si Spiritus S. à Patre procederet principaliùs, seu magis principaliter. Molina in fine huius art. loquens eodem modo, quo Torres, Suar. lib 10. de Trinit cap. 3. nu. 10. dicens, *Locutionem comparatiuam vitandam censeo.* Vasq. in Commentario articuli post med. dicens, *aduerbium comparatiuum suspicione non caret.* Et communiter alij recentiores.

Opinio D. Bonauent. & aliorum circa hoc, an Filius spiret secundariò, refertur.

Quamquam veteres multi, & graues sint in contrarium, Bonauent. 1. dist. 12. qu. 2. fine dicens, *Filius principaliter producit Spiritum Sanctū sed Pater principaliùs; quia in eo est tantum authoritas, non subauthoritas:* hoc est, non auctoritas ab alio accepta, sicut est in Filio. Riccardus qu. 1. ad 2. Durand. qu. 2. nu. 3. 4. & 5. Marsil. qu. 15. art. 5. concl. 4. & art. 3. ad tertiam rationem contra quæsitum. Has duas opiniones refert Scotus 1. dist. 12. qu. 2. ad 1. alterā Bonauenturæ, alteram Henrici, quamuis eos non expresse nominet, sed & si neutrum probet, aut reijciat, tamen primo loco refert opinionem contrariam Bonauenturę, & secundo opinionem nostram Henrici, quàm magis explicat; & propterea in eam magis inclinare videtur. Quarè immerito à quibusdam contra nos refertur Scotus.

1160 *2. Pars, quòd Pater principalius non spiret prob. quia comparatio fit per inæqualē participatio eiusdē formæ.*

Congruentia contra hunc comparatiuum loquēdi modum, quam fusiùs explicat Henricus, & breuiùs tangit Scotus est, quia omniū comparatio propriè fit in aliqua forma, seu termino cōmuni pluribus, qui inuicē cōparantur in illa forma magis participata ab vno, quam ab alio, sic. n. dicitur v. g vnus alio velociùs currere, subtiliùs disputare, &c. At nihil ad spirandū pertinēs, cōmune Patri, & Filio, dici potest per aliquā comparationē, esse magis in Patre, quā in Filio, ergo nō debet cōparatiuè dici Pater spirare principaliùs, quā Filius vel spirare minùs principaliter, quàm Pater. Ex prima igitur conclusionis parte, quod solus Pater spiret principaliter, non sequitur, Filiū minùs principaliter spirare, sed solùm, quod concessit Henricus cit. art. 6. qu. 9. littera X *non principaliter spirare.*

Vtramque partem huius primę conclusionis docuit D. Anselmus.

Vtramq; cōclusionis partē docuit Anselm. primā clarissimè, sed secundā etiā non obscure, in epist. de processione Spiritus S. cap. 16. fine ita cōcludens, *Si ergo dicitur, quod Spiritus S. principaliter à Patre sit, non aliquid significatur, quàm quia ipse Filius, de quo est Spiritus S. à Patre habet hoc ipsum, vt Spiritus S. sit de illo, quoniam id, quod est, habet à Patre.* Atq; hęc pro prima parte. Pro secunda ita immediatè subdit. *non quemadmodum in rebus creatis, cum aliquid asserimus, esse principaliter, volumus significare, quòd magis sit hoc, quod dicitur, esse principaliter, quam illud, ad quod refertur.* Hoc

1161 *Quia, Pater spirat principaliùs, ac Filius, videtur significare, quòd spiret perfectiùs, pleniùs, inæqualiùs.*

Hoc verò *magis*, satis expressè significatur, cùm cõparatiuè dicitur, Pater principaliùs spirat, est principaliter spirator: Filius autem spirator minùs principaliter, seu minùs principalis spirator est, sic enim videremur significare, quod omnes planè Theologi pro vtraq; parte superiùs citati meritò negant, Patrem spirare perfectiùs, pleniùs, inæqualiùs, Spiritũ S. quod tanquam omnino absurdũ vniuersaliter prohibet Anselm. cit. cap. 16. paulò post princip. *magis, aut minùs de vno esse, quàm de altero.* Vnde cap. 10. circa med. dixerat, *Spiritus S. cum procedit à Patre per Filium, procedit à Filio similiter.* Quo verbo, *similiter*, idem docuit Cyril. in quadã epist. à multis Concilijs approbata, vt refert Bellarm. lib. 1. de Christo cap. 123. circà med. Quod significauit Eugenius supra multò post princip. docens, Filium esse principium Spiritus Sancti, *sicut, & Patrem.* Quo patet non parum in modo loquendi errasse Iauellum, quem refert, & impugnat Nazar. hic dub. 1. circà med. ita scribentem: *potest dici Spiritus Sanctus spirari magis à Patre, quàm à Filio.*

1162 *2. Conclusio Ne origine quidem priùs spirat Pater, quàm Filius.*

2. Conclusio. Nullo modo, ne origine quidem, priùs spirat Pater, quàm Filius. Ità omnes, absq; vlla cõtrouersia, docente Aug. lib. 15. de Trinit. cap. 27. aliquãto post princip. *Spiritus S. non de Patre procedit in Filium, sed simul de vtroq; procedit, quamuis hoc à Patre Filio dederit, vt quemadmodum de se, ita de illo quoque procedat.* Quod etiã docuit Isid. lib. 1. sentent: cap: initio docens, *simul ab eius procedere.* Et clarius Anselm. epist. pe processione cap. 16. paulo post princip. *Non est Spiritus S. priùs de Patre, quàm de Filio, nec de Filio, quàm de Patre.* Et post nonnulla iterum, *Nec prius, nec post, est Spiritus S. de Patre, quàm de Filio; aut de Filio, quàm de Patre.*

1163 *Ratio est, quia spirare neque distinguitur à Patre, neque à Filio, ac proindè nec priùs origine.*

Ratio præcipua est, quia spirare neq; distinguitur à Patre, neq; à Filio, ergo nõ potest cõcipi, vt priùs origine in Patre, posteriùs origine in Filio. Cõseq. patet ex eo, quod prioritas, aut posterioritas originis, necessario importat realẽ distinctionẽ inter priùs, & posterius, sed in casu nostro, quòd subtiliter aduertẽdũ est, nõ fit pręcisè cõparatio inter Patrẽ, & Filiũ, qui sine dubio sunt origine prior, & posterior, sed inter spirare Patris, & spirare Filij. Ergo si hæc vere nõ sũt, nisi vnũ simplicissimũ spirare, non potest spirare Patris dici prius origine spirare Filij, nec contra spirare Filij posteriùs origine spirare Patris; & consequenter spiratio passiua Spiritus S. dici non potest esse prius origine a Patre, quã à Filio. Quia eadẽ ratione nemo rectè dixerit, Patrẽ habere Deitatẽ, sapientiã, omnipotentiã, aut aliquã aliã absolutã perfectionẽ priùs origine, quàm Filius: nec Patrẽ priùs origine creare, quàm Filium, aut Patrem, & Filium, quàm Spiritum Sanctum.

Neq; rectè dicimus Patrem habere prius origine virtutem spiratiuã.

Vnde sequitur, nõ esse necessariã limitationẽ quorũdã recentiorũ dicentiũ, Patrẽ nõ spirare prius origine, tamẽ priùs origine habere virtutẽ spiratiuã. Si .n. vim faciunt in eo, quod Filius acceperit à Patre solã spirãdi potẽtiã, nõ autẽ ipsum spirandi actum, cõtradicũt Patribus docẽtibus, Filiũ habuisse à Patre actũ spirãdi: de quo asseuerãter loquitur Aug. superius Ansel. Idẽ Aug. magis suprà, Eugen. supra paulò post princip. itẽ Albert. supra, & S. Th. hic fine corp. dicens, *Filius habet à Patre, quòd ab eo procedat Spiritus S.* Et si grauissimũ Theologiæ axioma est traditũ à Sanctis, & ab ipso Eugenio in literis vnionis vsurpatũ, vt supra, Patrẽ omnia, quæ sunt Patris, dedisse Filio, præter esse Patrẽ, necessario sequitur, non solũ potentiã spiratiuã, sed etiã ipsũ spirare accepisse Filium à Patre: quoniã nec habere vim spirandi, nec actu spirare, est esse Patrẽ, tametsi vtrũq; sit Patris.

1164 *Si .n. quidquid accipitur a Patre, est prius origine in Patre, sequitur, Patrem etiam priùs origine spirare, quod nõ est verum.*

Si vero cõtendũt, quod quidquid accipitur a Patre, sit priùs origine in Patre, sequitur cõtra ipsos, Patrẽ actu etiã spirare priùs origine, quia hoc etiã Pater Filio dedit, vt probatũ est. & præterea falsũ assumitur, vt cõstat ex ratione conclusionis. Quãuis igitur, & vis spirãdi, & ipse spirãdi actus sit à Patre in Filiũ per generationẽ, & originẽ, id tamen non sufficit, vt propriè dicatur priùs origine cõuenire vni personæ, quàm alteri, vt cõuincit argumentũ de actu spirãdi: nã nec origine quidẽ priùs spirat Pater, quàm Filius, quia quãuis alioqui is, qui dat, sit prior origine illo, qui accipit; nihilominùs id, quod accipitur, si cõmune, & omnino identificatum sit danti, & accipienti, non dicitur propriè esse priùs origine in vno, quàm in altero.

1165 *3. Conclusio. Pater, & Filius æquè immediatè spirãt Spiritum S.*

3. Conclusio, quæ habetur in respõsione ad 1. *Si in Patre, & Filio consideretur virtus, qua spirant Spiritum S. non cadit ibi aliquid medium, quia hæc virtus est vna, & eadem:* & ideo sub ista ratione Pater, & Filius æquè immediatè spirãt, nec immediatiùs spirat vnus, quàm alius, & cõsequenter Spiritus S. ęquè immediatè procedit à Patre, & Filio; nec immediatiùs procedit ab vno, quã ab alio. In hac igitur Spiritus S. processione nõnulla est mediatio principij, nulla virtutis, nulla operationis; cũ hęc omnia vnum, & idẽ omnino sint in Patre, & Filio. Quemadmodũ eadẽ ratione omnes tres diuinæ personæ, æquè immediatè creãt, tametsi creatiuã virtutẽ Pater habeat ex se, Filius à Patre, Spiritus S. à Patre, & Filio. *Si verò considerentur ipsæ personæ spirantes, sic Spiritus S. immediatè à Patre procedit, inquantùm est ab eo, & mediatè, inquantùm est à Filio. Et sic dicitur procedere à Patre per Filium:* quia scilicet Filius spirat, vt media quædam persona inter personam Patris, & personam Spiritus Sancti.

Quamuis Filius sit media persona inter Patrẽ, & Spiritum: neque in hoc sensu simpliciter potest dici mediatè spirare.

Quę quidẽ mediatio, quia est secundũ merã rationẽ suppositi cũ omnimoda immediatione principij formalis, & actus, in quibus cõpositam nullã prorsus diuersitatẽ habẽt, nõ dici debet simpliciter, & formaliter mediatio, sed tantũ secundũ quid, est veluti materialiter. Quamobrẽ simpliciter, & formaliter loquẽdo dici debẽt Pater, & Filius spirare ęque immediatè, nullus immediatiùs alio: & ideo multo melius dicitur Spiritus S. procedere ex Patre, & Filio, quo processionis immediatio significatur, quã ex Patre per Filiũ, quo significatur mediatio processionis. Atq; hoc producere, & procedere ab eadẽ Patris persona immediatè simul, & mediatè, à reliquis omnibus cõceditur: tametsi in rebus creatis nullũ habeat exẽplum vt notauit S. Thom. in fine responsionis ad 2. quoniam eadem omnino virtus, & actio, propter identitatem eiusdem naturę in duobus suppositis, quorum vnum procedit ab alio, est proprijssimum sanctissimæ Trinitatis mysterium.

1166 *4. Conclusio, simpliciter debet dici, Pater, & Filius æquè primo, & principaliter spirare Spiritum S.*

4. Conclusio. Simpliciter loquendo, & spectando maximè modum producendi, qui solum attẽdi debet, cum dicũtur Pater, & Filius spirare Spiritum S. dici debent Pater, & Filius eodem modo, & ęque primò, & principaliter, & immediatè, tum immediatione virtutis, tum immediatione suppositi, procedere Spiritum S. item Spiritus S. eadem ratione procedere à Patre, & Filio. Hæc Concl. adeo certa visa est Suarez lib. 10. de Trinit. cap. 3. nu. 5. vt eam vocauerit veritatẽ fidei Authoritas sanè magna est, quia vt supra epist. Cyrilli, & Anselmus, & Eugenius 4. absolutè loquẽdo definiunt, Spiritum S. a Filio procedere, *similiter sicut, & à Patre.* Et Magister, quem Scholastici communiter sequuntur lib. 1. sent. dist. 29. fine ita absolutè docet, *Spiritus S. non aliter procedit à Patre, quàm à Filio.*

Patres cùm dicunt Spiritum Sanctum procedere à Patre per Filium, nõ intelligunt aliquam diuersitatem in modo producendi.

Neque obstant Patres dicentes, Spiritum S. procedere à Patre per Filium, quo eodem modo non licet è cõuerso dicere, procedere à Filio per Patrem: neq; Aug. supra in hoc quæsito 1. dicens, procedere principaliter à Patre, neq; alij Graues Theologi ibid asserentes, procedere principaliùs a Patre, his enim loquendi modis vt optimè se se explicant, non intendunt aliquam diuersitatem in modo producẽdi; qui duntaxat prædictis propositionibus simpliciter prolatis exprimitur, sed tantum in modo habendi. Enim vero aliud est modus producendi, aliud modus habendi virtutẽ productiuam. hic e .n. consequitur virtutem iam habitam, & modũ, quo habita est. Verum si æqualis, imo vnica, & eadem prorsus virtus habetur in Patre, & Filio, quamuis in Patre habeatur ex se a nullo communicata, & in Filio habetur

communicata à Patre, nõ debet variari modus producendi, cum hic non oriatur ex modo habendi virtutem, sed ex ipsa virtute, quæ habetur, sicut virtus creatiua, non est eodem modo in omnibus tribus personis, quantum ad modum originis, tamen quia vna, & eadem est in omnibus, omnes dicuntur æque primo, & principaliter, & per se, & immediate creare: sicut etiam in priori signo posita diuersimode voluntate in tribus personis, omnes æqualiter in posteriori signo intelliguntur liberè velle creaturas.

1167 *Ratio 4 Concl. quia ad virtutem spiratiuã & ad spirandu, nihil aliud requiritur, quã eadem essentia diuina, & voluntas fœcũda.*

Hinc sumi potest solidum, & valdè euidens conclusionis fundamentum, quia ad virtutem spiratiuã, & ad spirandum, nihil aliud requiritur, quam essentia diuina, & voluntas fœcunda, seu prior origine Spiritu S. seu termino voluntatis ab ipsa volũtate producto, & distinctio ab hoc termino per aliquam relationem, quæ non sit producta per spirationem, ac proinde sit prior origine processione Spiritus Sancti. Hoc autem totum omnino æqualiter habetur in Patre, & Filio, quia illi differunt solum in paternitate, & filiatione. Sed hæ, relationes in eo conueniũt, vt sint relationes priores origine Spiritu S. quę prioritas relatiua sufficientissima est, & voluntas diuina ex se sit fœcunda, & spiret, nulla enim concipi potest congrua necessitas, cur ad hanc fœcunditatẽ requiratur paternitas, vt paternitas, vel filiatio, vt filiatio. Nam paternitas formaliter, vt paternitas, facit ad generationem actiuam Filij, & filiatio formaliter vt filiatio, facit ad eiusdem Filij passiuam generationem. Quod egregie docuit S. T. de Potent. q. 10. art.

1168 *Esse principiu Spiritus S non conuenit patri ratione paternitatis:*

4. aliquanto post princip. Corporis dicens, *Esse principium Spiritus Sancti, non conuenit Patri, inquantũ Pater est ratione paternitatis; sic enim non refertur, nisi ad Filium; unde sequeretur, quod Spiritus S. esset Filius. Similiter autem, nec hoc conuenit ratione filiationis, quia secundum filiationem non refertur aliquid nisi ad Patrem.* Sicut igitur Pater spirat, & non vt Pater, in quo distinguitur a Filio, ita Filius spirat, & non vt Filius, in quo distinguitur a Patre. ergo paternitas, & filiatio ad spirandum concurrere debent secundum aliquam a iam communem rationem, in qua adæquatem analogice conueniant, nimirum inquãtum vtraque est formaliter relatio quædam improducta per spirationem, & prior secundum originem processione per voluntatem. Cum igitur hæc ratio æqualiter reperiatur in Patre, & Filio, sequitur necessario, quod eorum vnica voluntas sit eodem prorsus modo fœcunda, & spiratiua in vtroque.

1169 *Etiam Filiatio est prior origine, quam spiratio passiua:*

Et de filiatione, de qua potest esse aliqua maior dubitatio, an sit origine prior spiratione passiua, id patet, quia est terminus productionis per intellectũ, quę productio de se est prior productione per voluntatem; ergo Pater producens Filium per intellectum, communicat illi voluntatem fœcundam, & priorem origine Spiritu S. omnia enim communicat Filio, præter esse Patrem; & voluntas fœcunda est in Patre, non vt Pater est, sed vt spirator est, ergo communicat Filio esse spiratorem. Ita tamen communicat Pater Filio voluntatem fœcundam ad spirandum, vt eandem omnino ipse in se retineat ergo eundem terminum, & eadem prorsus ratione spirant. Et ideo verissime Christus Filius Dei, loquens ad Patrem dixit Ioan. 17. *Mea omnia tua sunt, & tua, mea sunt.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Pater, & filius sint vnum principium Spiritus Sancti.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Pater, & filius sunt vnum principium Spiritus Sancti. Prob. in omnibus in quibus non obuiat oppositio relatiua, Pater, & filius sunt vnum: Sed in hoc, quod est esse principium Spiritus Sancti inter Patrem, & filium non obuiat oppositio relatiua. ergo.

Arg. 1. Pater, & filius non sunt vnũ principium Spiritus S. vt sunt vnum in natura; quia tunc sequeretur, quod Spiritus S. procederet à seipso, quia est vnum cum Patre, & filio in natura: neque vt sunt vnum in proprietate, quia vna proprietas non potest esse duabus personis communis. ergo. Resp. neg. 2. partẽ Antec. procedit .n. Spiritus S. à patre, & filio, vt sunt vnum in proprietate .s. in virtute spiratiua: vna enim proprietas potest pluribus suppositis conuenire, quãdo habent eandem naturam.

Arg. 3. si propter vnam proprietatem Pater, & filius sunt vnum principium Spiritus Sancti: igitur propter duas proprietates, Pater poterit dici duo principia: in Patre .n. sunt duo proprietates; .s. Paternitas, & spiratio. Resp. neg. sequelã nam dicendo Pater est duo principia implicaretur pluralitas suppositorum.

Arg. 3. Spiritus S. & Pater non sunt vnum principium alicuius personæ, ergo nec Pater, & filius. quia non magis conuenit filius cum Patre, quàm conueniat Spiritus S. cum eodem. Resp. neg. conseq. ad prob. Pater, licet magis non conueniat cum filio in essẽtia, tamen magis conuenit cum eo in proprietate spiratiuę virtutis, secundùm quam attenditur esse principium personę.

Arg. 4. ly vnum, non potest denotare vnũ, quòd est Pater, aliàs filius esset Pater; nec vnum, quod non est Pater, aliàs Pater non esset Pater. ergo. Resp. per ly vnum, non intelligitur vnum, quod est Pater, nec vnum, quod non est Pater; hęc .n. duo non sunt cõtradictoria; sed confusè, & indistinctè supponit pro duabus personis.

Arg. 5. non possumus dicere, quod vnum principium Spiritus S. sit pater, & filius; nã ly principium supponit, vel pro persona patris, vel pro persona filij, & vtroque modo est falsa. ergo nec è conuerso. Resp. neg. Antece d. & ad prob. dicitur, quòd cùm dico vnũ principium, non supponit pro vna persona tantùm, sed indistinctè pro duabus.

Arg. 6. si Pater, & filius sunt vnum principium Spiritus Sancti, sequitur, quòd sint idẽ principium, vnum enim in substantia facit idem; quod à multis negatur. Resp. conc. seq. pro vt ly principium supponit pro duabus personis indistinctè.

Arg. 7. sicut tres personę, eo quòd sunt vnum principiũ creaturarum, dicuntur vnus Creator, ita quia Pater, & filius sunt vnum principium Spiritus S. dicentur vnus spirator, cùm sint duo spiratores. Resp. conced. seq. quia cùm nomen spirans sit adiectiuũ desumit pluralitatem à pluralitate suppositorum, & supposita sunt plura, ideò conuenienter dicũtur plura spirantia. Nomen verò spirator, est substantiuum, quod tãtùm ad pluralitatem formæ significatę plurificatur, quę cùm sit vna virtus spiratiua, ideò nõ debent dici duo spiratores.

DISPV-

DISPVTATIO CLXXXXVII.

Vtrum Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus Sancti.

1169 Prima Concl. Pater, & Filius sunt vnũ principium Spiritus S.

PRima Concl. Pater, & Filius sunt vnum principiũ Spiritus Sancti, & hæc est de fide, definita namque fuit in Concil. Lugdunen. sub Gregorio X. & refertur cap. firmiter de Summa Trinitate, & fide Catholica in sexto: definita est etiam in Florent. sub Eugenio IV. in litteris Sanctæ vnionis, & oratione Bessarionis Archiepiscopi Niceni.

2. Concl. Pater, & Filius sunt propriè vnum principiũ Spiritus S. est vera.

2. Concl. hæc propositio: Pater, & Filius sunt vnũ principium Spiritus Sancti propriè, simpliciter, & in rigore est vera, & oppositum est parum tutum in fide: & ab aliquibus plus quam temerarium reputatur, ita D. Aug. 5. de Trin. cap. 13. & 10. de Ciuit. cap. 25. Hilarius 4. de Trinit. in princip. Anselm. in Monolog. cap. 52. & lib. de processione Spiritus Sancti cap. 11. D. Thom hic, & cum eo omnes eius discipuli D. Bonauent. in 1. dist. 29. art. 2. qu. 1. Dyonis. qu. 4. Franciscus à Christo qu. 2. Scotus in 1. dist. 12. qu. 1. Argent. dist. 11. qu. 1. art. 2.

Prob. ex Concilijs Lugdun. & Florent.

Prob. 1 quia in Concilio Lugdunen. & Florent. definitum est sub anathemate, Patrem, & Filium esse vnũ principium Spiritus Sancti, sed dicere quòd Ecclesia, quæ ex Paulo ad Timoth. 3. est columna, & fundamentum veritatis, semel, & iterum in vnum congregata in re tanti momenti absque vlla explicatione ac distinctione definierit absolute, tanquam verum, firmaq; fide tenendam aliquam propositionem, quæ simpliciter, & in rigore, proprietateq; sermonis esset falsa, non caret profectò ingenti temeritate, si enim id verum esset, potius Ecclesia suis definitionibus occasionem præberet errandi hominibus, quam eos ab erroribus liberaret.

1170 Prob. 2. quia vt nomen aliquod substãtiuè dicatur pluraliter nõ sufficit pluralitas suppositorum.

Prob. 2. quia vt nomen aliquod substantiuum dicatur pluraliter, non sufficit pluralitas suppositorum, sed requiritur pluralitas significati formalis, sed nomen principium est substantiuum, cuius significatum formale est virtus, seu actio spirandi, ergo cùm hæc sit vnica in Patre, & Filio, erunt vnum principium, licèt sint duæ personæ Conseq. cum Mi. patet, & Ma. prob. quia hæc est ratio, ob quam Pater, & Filius, & Spiritus S. non dicuntur plures Dij, sed vnus Deus, quia scil. diuinitas, quæ est significatum formale huius nominis substantiui, Deus, non plurificatur in personis, sicut plurificatur personalitas, quæ est significatum formale personæ. Confirm. ratione D. Augustini loco cit. qu. 3. personæ diuinæ dicuntur vnum principium, vnus Creator, vna causa rerum, vnus Dominus propter vnitatem virtutis, & non dicuntur plures causæ, principia, creatores, aut Domini; licèt sint plura supposita, ergo similiter.

1171 Prob. 3. quia in diuinis omnia sunt vnũ, vbi non obuiat relationis oppositio.

Prob. 3. ratione D. Th. quia, in diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio. Sed Pater, & Filius non opponuntur relatiuè, quatenus principium sunt Spiritus Sancti, ergo non distinguuntur in ratione principij, ergo sunt vnum principium, & non plura. Contra hanc Catholicam doctrinam sunt duæ sententiæ. Prima sententia est Gregorij Arimin. in 1. dist. 12. qu. 1. & aliorum, quos ipse citat, qui asserunt, hanc propositionem, Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus S. in rigore, & secundùm proprietatem sermonis, ac per consequens simpliciter esse falsam; quodammodo tamen, & in quodam sensu posse dici, quòd sit vera, quia scilicet vno, & eodem modo, & prorsus æquali sunt principium illius: ita quod nec plus ab vno, quàm ab altero, nec plus ab vtroque, quam ab vno solo procedat, vt contingit in creaturis, vbi vnus effectus plus est ab vna causa, quàm ab alia, & in hoc sensu inquiunt isti, definitam esse ab Ecclesia propter simplices, & idiotas Christianos, ne cum audirent, esse duo principia, statim putarent, quod haberent duplicem virtutem spirandi, & ex consequenti duplicem essentiam.

Opposit. sent. explicatur.

Prima sententia opposita.

1172 Fundamentũ opposit. sent.

Fundamentum huius sententiæ est, quia nomen illud, principium, licèt de formali significet eandem numero virtutem, & spirationem actiuam, Patri, & Filio communem, supponit tamen pro suppositis Patris, & Filij, quæ simpliciter sunt plura, atque adeo in rigore dicendum esse, quòd sunt plura principia, quia sunt plura supposita, non verò, quòd sit vnus, licèt sit eadem virtus, & actio.

Arg. 1. Pro hac sententia, quia ly principium in titulo aut supponit primò pro essentia, aut secundò pro virtute spiratiua, aut actione spirandi; aut verò tertiò pro vna sola persona Patris, & Filij, aut tandem quartò supponit confusè pro duabus personis Patris, & Filij aut tandem vltimò distinctè pro vtraque persona; sed non primum, quia essentia sicut non generat, ita non spirat: nec secundum, quia actiones sunt suppositorũ: nec tertium, quia iam esset falsum, quòd procederet ab vtroque. nec etiam quartum, quia in titulo nullum est signum, aut particula, à qua confundatur illa vox, principium; ergo dicendum est, quòd supponat distinctè pro vtraque persona, atque adeo, quòd sit duplex principium. Ad hoc arg. & vltimum Durandi, quæ petunt, pro quo supponat nomen, principium, in titulo, dicemus dubio seq. huius disputationis. 1. Obiectio. Resp. dubio sequenti.

Arg. 2. quia si sola vnitas virtutis spiratiuæ, quæ est in Patre, & Filio, sufficit, vt sint vnicum solum principium Spiritus Sancti, non obstante quòd sint duæ personæ distinctæ, ergo duplex virtus generaliter, quæ est in Patre ad generandum, & spirandum, sufficiet, vt concedamus, Patrem esse duplex principium, non obstante vnitate personæ, quod est absurdum. 2. Obiectio.

Resp. 1. Quòd sicut vnus homo non dicitur plures scientes, & artifices, sed vnicus, licèt habeat plures scientias, & artes; quia non sufficit sola pluralitas formæ, nisi plurificentur supposita: ita Pater diuinus non dicitur plura principia, licèt habeat plures virtutes, & rationes formales principij, cùm sit vnicum suppositum. Resp. 2. neg. quòd Pater habeat duas virtutes, quia eadem virtus, quæ respectu Filij est generatiua, respectu Spiritus S. est spiratiua. Resp. non sufficere pluralitatẽ formæ ad multiplicationem substantiui.

1173 3. Obiectio.

Arg. 3. Quia si Pater, & Filius assumerent eandem numero humanitatem nihilominus essent duo homines, quia essent duo supposita, & duæ personæ distinctæ, ergo similiter licèt Pater, & Filius habeant eandem virtutem spiratiuam, erunt duo principia distincta. Conseq. patet ex paritate rationis, & Antec. conceditur communiter à Theologis Thomistis in 3. parte.

Resp. Dato libenter, quòd in illo casu Pater, & Filius essent duo homines, cuius oppositum videtur asserere D. Th. 3. p. q. 1. art. 3. ad 1. & in 3. dist. 1. q. 2. art. 4. non indè colligi, quòd Pater, & Filius essent duo principia spirandi, sicut in casu posito essent duo homines. Et ratio discriminis est, quia humanitas adueniret tunc extrinsecè Patri, & Filio, qua ratione sicut si duo homines haberent eandem numero albedinem, aut artem, non ideò dicerentur vnum album, & vnus artifex, sed duo: ita in casu argumenti Pater, & Filius essent duo supposita humana, & duo homines; at verò spiratio actiua est idem realiter, & essentialiter cum persona Patris, & Filij, atq; adeo idem iudicium esse debet de illa, & de essentia diuina, quæ sicut non multiplicat personas in ratione Dei, ita nec spiratio actiua in ratione principij. Resp. Patrem, & Filium esse duos homines, si assumerent duas humanitates, quomodo verum sit.

1174 Secunda sent. opposit.

Secunda sententia est Durandi in 1. dist. 29. qu. 2. qui dicit etiam propositionem illam esse in rigore falsam, ex alio tamen capite censet, esse quodammodo veram, asserit enim, Patrem, & Filium esse vnum principium Spiritus S., solùm propter vnitatem virtutis, & actionis: esse tamen simpliciter duo principia, quòd sunt duæ personæ, & duo supposita spirantia. Prob. hæc sententia; primò quia si Pater, & Filius dicuntur vnum principium Spiritus Sancti, propter vnam virtutem spiratiuam, ergo potiori ratione dicentur duo principia, quia sunt duo supposita spirantia: patet Conseq. quia actiones potius tribuuntur suppositis, quam formis. 4. Obiectio.

Ad quod Respond. neg. Conseq. nam sicut non valet, propter vnam Deitatem est vnus Deus, ergo propter tria supposita diuina sunt tres Dij: ita non valet, est vnum principium propter vnitatem virtutis, ergo erunt plurima principia propter pluralitatem suppositorum. Cuius ratio est, quia Resp. nõ valet est vn⁹ Deus, propter vnitatẽ essẽtiæ: ergo, tres Dij propter plu ralitatẽ suppositorum.

infrà examinabimus, scil. quod nomen numerale adiunctum substantiuo concreto, numerat non solùm supposita, sed etiam formam: itaque dicere, quod sunt duo principia, est dicere, quod sunt duo supposita cum duplici virtute: sicut dicere, quod sunt tres Dij, est dicere, quod sint tria supposita cum triplici Deitate.

1175 Quænā sit differentia inter multiplicationē nominis substantiui, & adiectiui.

Pro cuius exacta intelligētia in memoriā reuocāda est distinctio, de qua infrà q. 41. quæ versatur inter nomina cōcreta adiectiua, & substātiua, quod vt adiectiua dicātur pluraliter, nō est necessaria pluralitas significati formalis, sed sufficit pluralitas suppositorum, licèt forma sit vna, & eadē, vt si in duobus suppositis esset eadē numero albedo, dicerentur nihilominus plura alba, & plura dealbata; & si tres homines haberent idem pallium, dicerentur tres habentes pallium, & tres amicti; & iuxta hoc admittit fides Catholica, diuinas personas esse consubstantiales, coæternas, coæquales &c. Ad pluralitatem verò nominis substantiui concreti, necessaria est pluralitas formæ significatæ; qua ratione concedimus in Deo tres personas, non verò tres Deos.

1176 Ratio est, quia substantiuum concretum significat formam per se stantis.

Cuius discriminis ratio est, quia substantiuum concretum significat formam per modum per se stantis, seu subsistentis, quæ cum à se habent vnitatem, & pluralitatem, inde est, quod singularitas, vel pluralitas nominis substantiui concreti sit ab ipsa forma significata substantificè, adiectiuum verò concretum significat per modum alteri adiacentis, ideircò vnitas, vel pluralitas illius sumitur à subiecti vnitate, vel multiplicitate. Ex quo colligimus cum D. Thom. hoc artic. 4. est ad 7. concedendum esse, quod Pater, & Filius sunt duo spirantes Spiritum Sanctum, quia nomen spirans est adiectiuum, & significat formam adiacentem alteri; quod cum sint duo, quibus adiacet talis forma, ideò sunt duo spirantes: negandum tamen esse, quod sint duo spiratores, quia spirator est nomen substantiuum. Sed de ijs plura infra q. 41.

1177 Petes 1.

Petes 1 An Pater, & Filius sint vnum principium Spiritus Sancti?

Resp. affirm. quia in diuinis omnia sūt vnum, vbi nō obuiat oppositio relatiua.

Resp. affirm. ità D. Th. hic. Prob. in diuinis omnia sunt vnum, in quibus no obuiat relationis oppositio, sed Pater, & Filius in hoc, quod est esse principium Spiritus S. non opponuntur, sed potius vterque est principium illius, vt patet ex disp. præced. ergo, &c. Sicut propter eandem rationem, quia non opponuntur in hoc quod est vnumquemque ex illis esse Deum, sunt vnus Deus.

1. Confirm.

Confirm. 1. Principium Spiritus Sancti, *est nomen substantiuum, & forma per illud significata, est vnica in Patre, & filio scil. virtus spiratiua. ergo Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus S. siquidem ad multiplicationem nominis substantiui requiritur multiplicatio formæ, & suppositi.*

Confirm. 2. si essent plura principia, nullum esset totale.

Confirm. 2 quia si essent plura principia, nullus eorū influeret per modum principij totalis, sed partialis respectu Spiritus S. quia plura principia eiusdem ordinis, qualia sunt Pater, & filius, non influunt per modū principij totalis, sed partialis. ergo vnusquisque influeret insufficienter.

1178 1. Euasio.

Dices. 1. Hilarium 2 de Trin. dixisse Patrem, & Filium esse Authores Spiritus S. Resp. sumpsisse D. Hil. substantiuum pro adiectiuo. Dices 2. ex Basil. epist. 37. ad Greg. Nyss. dicente: Filium nullam prorsus notionem habere communem cum Patre.

Præcluditur.

Resp. quòd licèt esse principium Spiritus S. sit aliquid notionale, non commune tribus personis, sed tantùm duabus; non tamen conuenit personis secundùm proprietates suas propterea potest esse communis Patri, & filio.

1179 Petes 2.

Petes 2. An esse principium Spiritus S. quoad virtutem spiratiuā relatiuè, constituatur ex essentia, & voluntate, ac relatione spirationis actiuæ?

Resp. affirm. quia principium *quo*, realiter influit in spirato, vt *quo*.

Resp. affirm. ità D. Th. 1 dist. 29. a. 3. Prob. Principiū spiratiuum quo, *debet realiter distingui à termino spirato, vt* quo, *relatiuè sicut principium spiratiuum*, quod *opponitur, ac realiter distinguitur à spirato, vt* quod; *quia vtrūq; principium*, quod, & quo *realiter influunt in prædictum terminum, sed essentia & voluntas, præcisa relatione spiratiua non distinguuntur realiter à termino spirato ergo. loquimur in his quæsitis de principio relatiuo Spiritus Sancti, non de principiatiuo de hoc infrà.*

Dices 1 *sufficere essentiam diuinam, ac voluntatem connotare in obliquo relationes Paternitatis, & Filiationis, adhoc vt distinguatur realiter à termino spirato* — 1. Euasio.

Sed Contra est. Quia Pater, & Filius, quo ad id quod formaliter exprimunt per paternitatē, & Filiationē nō distinguuntur realiter relatiuè ab Spiritu S., & vt cōtinēt radicaliter relationem spirationis actiuæ, nō formaliter, & proximè correlatiuè, sed solùm realiter radicaliter ab Spiritu S. distinguuntur. ergo relatio spirationis actiuæ debet formaliter, & proximè ingredi in constitutione principij, quod, & quo: *quandoquidem vtrumque realiter proximè, & formaliter distinguitur ab Spiritu S correlatiuè.*

Præcluditur. quia Paternitas, & Filiatio nō distinguūtur formaliter correlatiue à spirato.

Confirm. quia paternitas, & filiatio, quia infinitæ in sua linea, exercent diuersa munera; & constituunt personas, referunt illas, & paternitas constituit potentiam generatiuam &c. ità etiam spiratio relationis passiua. ergo etiam relatio spirationis actiuæ, quia infinita in sua linea, debet exercere plura munera, & secundum priùs, cōcurrere ad constitutionē principij quo *spirandi relatiuè, & secundum posteriùs subsequi ad actionem spirandi. Siquidem licet spiratio actiua non sit constitutiua personæ secundum, constituit tamen illam in ratione distinctione reali formaliter tali à persona Spiritus S. intelligere hæc omnia de principio correlatiuo,* quo, *non de principiatiuo, vt infrà.*

Confirmi ex proportione Paternitatis, Filiatione, & relatione spirationis actiue.

1180 Oppos. sent. 1. Obiectio.

Opposit. sent. tenent Suar lib. 10. de Trin. & alij. pro qua Arg. 1 quia relatio spirationis actiuæ nō coplet virtutē spirandi, quia nō complet virtutem amandi, non est necessaria, vt conditio, quia non constituit personas Patris, & Filij, ad quid ergo requiritur? Resp. requiri in obliquo ad potentiam spiratiuam, quia ad eius constitutionem integrā desideratur, quod prædicta potentia distinguatur distinctione reali formaliter tali à termino spirato, nempe ab Spiritu S. & hoc prouenit illi à relatione spirationis actiuæ.

Respondetur.

2 Obiectio.

Arg. 2. prædicta relatio habet se per modum proprietatis respectu Patris, & Filij, & ità præsupponit illos cōstitutos, & subsistentes in intellectione & volitione, ac proinde volentes, & intelligentes, ergo producentes Spiritum S. qui per volitionem vtriusque producitur.

Resp. præsupponere illos cōstitutos in esse principij principiatiue, sed non correlatiuè.

Resp. primò disting. ly constitutos *in ratione personarum, concedo vt distinctos distinctione formaliter tali ab Spiritu S. neg. item* præsupponit *volentes, distinguo, integrè, ac correlatiuè notionaliter; nego quoad aliquid, nempe quoad in esse entis prædicta volitio dicit in recto, concedo. Quia ad prædictam volitionem, vt completè notionalem desideratur, quod dicat virtutem spirandi, vt principium* quo *realiter formaliter distinctum à termino,* quod *spirato; constat autem hanc distinctionem prouenire à relatione spirationis actiuæ.*

1181 Instabis.

Dices relatio spirationis actiuæ non vnitur immediatè cum essentia, & voluntate diuina quia cum spectet ad secundam processionem originis, priùs cum essētia vniuntur Paternitas, & Filiatio, quæ spectant ad primam. ergo ex eis, & relatione spirationis actiuæ non consurgit potentia spiratiua, quia prædicta vnio immediata erat ad hoc necessaria.

Resp. relationem spirationis actiuæ priùs vnitur cum essentia, tanquam cū subiecto *quo* correlatiuo.

Resp. dist. Antec. non vnitur immediatè cum essētia, *tanquam cum quasi subiecto,* quod, *concod. nam in ratione subiecti,* quod *priùs intelliguntur Pater, & Filius subesse prædictæ relationi, quàm essentia: in esse subiecti* quo, *nego. nam priùs quodammodo vnitur relatio spirationis actiuæ cum essentia, & voluntate Dei cum quasi subiecto* quo, *quàm cum Patre, & Filio, tanquam cum subiecto,* quod. *Siquidem subiectum,* quod *habet quodammodo constitui à subiecto quo: & Ratio horum omnium est; quia tàm subiectum quasi* quo, *s. virtus spirandi notionalis completa; quam subiectum quasi,* quod *scil. Pater, & Filius in ratione vnius spiratoris realiter formaliter distincti; vtrumque in suo genere per ipsam relationem spirationis actiuæ, in obliquo connotatum relatiuè constituitur.*

1182 Petes 3.

Petes 3. An sola, vt Relatio spirationis actiuæ teneat se ex parte virtutis spiratiuæ relatiuè, an etiam Paternitas, & Filiatio.

Resp.

Resp. paternitatem, & filiationem, &c.

Resp solam rationem spirationis actiuæ, vnà cum voluntate, & essentia diuina, tenere se ex parte virtutis, seu principij quo *spirandi correlatiuè: secùs verò Paternitatem, & Filiationem: sed has solùm constituere principium,* quod *adæquatum, & principiatiuè. ità D. Th. 1. ad Anibaldum dist. 11. q. vnica art. 2.*

Prob. quia essentia diuina ob sui fœcunditatem, remanet integra cũ relatione spirationis actiuæ.

Prob. Quia hoc ipso, quòd essentia diuina, quo ad id, quod dicit in recto principium quo *generandi, sit fœcunda ratione sui, remanet integra quo ad prædictum principium, eo ipso, quod illi addatur Paternitas realiter opposita filiationi, ratione cuius integrum principiũ remanet distinctum à filio: & ità si quæ sunt alia requisita ad prædictum principiũ, quæ præstari nequeant à sola essentia, proueniunt à prædicta Paternitate, proportionatè tamen ad suam rationem formalem. ergo eadem ratione, hoc ipso, quod essentia, & voluntas diuina sint ex se fœcundæ quo ad id, quod principium* quo *spirandi in recto in esse entis importat, oportebit, vt hoc ipso, quòd illis addatur relatio spirationis actiuæ opposita termino spirato, remaneant integræ in ratione principij* quo *spiratiui: siquidem integrum illud principium eo ipso remanebit realiter ac relatiuè distinctum à termino spirato, & hoc tantùm illi deerat.*

2. Prob. quia Spiritus S. procedit a Patre, & filio, vt sũt vnum.

2. Prob. Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, vt sunt vnum in virtute spiratiua: ergo prædicta virtus spiratiua est omninò eadem in vtroque tàm secũdùm id, quod affert in recto, quàm secundùm id, quod dicit in obliquo ingrediens aliquo modo ad eius constitutionem; ergo solùm dicet essentiam, voluntatem Dei, ac relationem spirationis actiuam, non verò Paternitatem, & filiationem.

Confirm. quia virtus spirandi est integrè in Patre, & Filio.

Confirm. vis spirandi integrè est in Patre, & similiter in filio: alioquin non spirarent per virtutem integrã: ergo, vt spirent per eandem virtutem integram, oportebit, vt sit illis vna, & eadem virtus, tàm ex parte recti, quàm connotatorum: ergo sola spiratio actiua erit connotatum ingrediens ad cõstitutionem prædictæ virtutis spiratiuæ, sicut ipsa sola est inter relationes reales communis Patri, & Filio. intellige hæc omnia de principio correlatiuo.

1183 Petes 3.

Petes 3. An Spiritus S. per se procedat à duabus personis, ità vt vtraque ex parte, ipsius Spiritus S. exigatur.

Resp. affirm. Probatur 1.

Resp. affirmatiuè. ità D. Th hic art. 4. ad 1. & communiter omnes Thomistæ. Prob. 1. Spiritus S. ex vi sua, & suæ proprietatis personalis exigit, vt procedat à prædictis duabus personis. quoniam mutuus amor duorum per modum termini per se, exigit, quòd procedat ab illis.

1184 1. Euasio.

Dices 1. Vnire, connectere, & similia non per se conuenire Spiritui Sancto ex proprietate personali, sed ex amore essentiali.

Præcluditur, quia connectere per modum impulsus, conuenit soli amori personali.

Sed contra est. Nam licèt connectere, & vnire absolutè conueniat amori, vt amor est, & ad amorem essentialem in Deo *pertineat: connectere tamen, & vnire per modum impulsus, & termini mutui amoris duorum habentium vnam, & eandem voluntatem, & volitionem solùm conuenit amori personali, nempe Spiritui Sancto, ex eius proprietate constitutiua. ità D. Th. 1. dist. 10. qu. 2. art. 2. ad 3. dicens:* Pater, & Filius dicuntur vniri Spiritui Sancto, non effectiuè, sed quasi formaliter, sed forma est duplex, quædam enim manens, & quiescens in his, quorum est forma: & sic per modum formæ se habet ad personas diuinas essentia, & sic vniuntur formaliter amore essentiali, est etiam aliquid formaliter vniens, non quasi inhærens, sed sicut procedens ab vtroque vnitorum: ac si diceremus, aliqua duo corpora vniri per aliquem liquorem ab eis procedentem, & ita Pater, & Filius vniuntur Spiritu S.

1185 Confirmatur, quia amor perfectissimus est amor amicitiæ, hic autem vnit duo extrema.

Confirm. Amor inter omnes perfectissimus est amor amicitiæ: ex eo quòd perfectio amoris consistit in perfectiori vinculo amantis cum re amata, vt docet D Th. 1. dist. 10. qu. vnica art. 3. constat autem amorem amicitiæ esse perfectissimum vinculum ex parte vtriusque extremi: siquidem vtrumque extremum vnitur in ratione obiecti amati cum amante, & insuper habet efficienter vnire sibi rem amatam, quatenus producit terminum amoris, per quam res amata est in amante illique intimè vnitus; ergo si Spiritus S. ex vi suæ proprietatis exigit, quòd procedat per modum amoris, & impulsus perfectissimi; exiget ex vi eiusdem proprietatis personalis, quod procedat per amorem amicitiæ perfectissimæ, eique prædictus amor communicetur.

1186 2. Euasio.

Dices 2. Amorem notionalem nihil addere perfectionis supra essentialem, sed tota eius perfectionem affert amor essentialis.

Præcluditur, quia licèt tota perfectio amoris sit essentialis; illã tamen explicat notionaliter.

Sed contra: Nam sicut potentia generatiua in diuinis non sumit suam perfectionem ex relatione Paternitatis, sed ex natura, cæterum quia natura, vt potentia generatiua, debet esse realiter distincta à Filio, non explicat illam nisi in Patre; ita licèt amor amicitiæ, qui est inter Patrem, & Filium, non habent suam perfectionem fœcundam ad productionem Spiritus Sancti, nisi se communicet duabus personis; quia licèt pluralitas suppositorum non sit necessaria ad rationem amoris vt sic; ad expressam tamen rationem amoris amicitiæ desideratur amor duorum realiter distinctorum se mutuò amantium.

1187 Prob. 2: quia spiratẽs Sanctus est terminus productus à Patre, & Filio, vt à principio, quod.

Prob. 2 Conclusio Spiritus S. constituitur in suo esse personali formaliter, non per proprietatem aliquam absolutam, sed per illam procedentis rationem ad suum principium. ergo ab illis personis per se procedit, quas per se relatiuè respicit. Omnis autem relatio, per se, & vi sua formali, ac necessaria, respicit suum terminũ adæquatum, ita vt variato suo termino formali adæquate, non possit concipi remanere eiusdem rationis, & formalitatis relationem. Sed hæc Spiritus Sancti relatio personalis, quæ de facto est, nunc pro termino suo formali, & adæquato, vt quod, habet Patrem, & filium, vt spirantes. ergo hunc terminum adæquatum per se, & necessariò respicit ex vi intrinseca suæ propriæ personalitatis, & processionis: ita vt si per impossibile procederet à solo Filio esset quidem persona distincta à Patre, sed haberet personalem relationem alterius rationis, scil. vi sua, formali, & propria terminatam adæquatè, & immediatè ad solum Filium: quemadmodum in simili casu supra art. 2. diximus de Filiatione diuina, non futuram eandem, quæ nunc est, si Spiritus Sanctus procederet à solo Patre.

1188 1. Euasio.

Dices 1. Relationem effectus non terminari formaliter ad agens, vt agens, siuè, vt ad absolutum, quod relationis est fundamentum sed ad agens, vt correlatiuũ est per suam formalem relationem ad passum, vt formaliter respectiuum; ac proinde Spiritus S. non respicit per se Patrem, & Filium, vt spirant, seu producunt quod est proximum fundamentum relationis spiratoris: sed solùm, vt formaliter referuntur ad Spiritum S. per vnam communem spirandi relationem.

Præcluditur, quia formalis terminus relationis, vt relatio est quasi effectus, est agens, vt agẽs & non agentis relatio.

Sed Contra est. nam formalis terminus relationis effectus, vt quod *est agens, vt agens, & nõ agentis correlatio; siquidem correlatio se habet, vt forma, ac proinde, vt principiũ* quo, *correspondens effectui, vt* quo, *& non vt* quod *Ex se enim apparet congruentissimũ, & naturæ lumini omninò consentaneum, vt effectus, vt* quod, *formaliter, & principaliter respicere debeat, à quo pendet, & esse habet: quod quidem non est correlatio agentis, sed ipsum agens, vt formaliter agens. idque egregiè intelligitur in relatione prædicamentali, quam habet creatura, vt effectus Dei creantis, cui relationi nulla correlatio respondet ex parte Dei. Sicut igitur creatura, vt effectus relatiuus formaliter, & essentialiter non respicit correlatiuum, cur non pariter reliqui omnes effectus relatiui, vt quod? Adde ex Philos. 5.* met. t. 20. *communissimè recepto, inter mensuram, & mensuratum dari relationem prædicamentalem ex parte mensurati dependentis à mensura, non ex parte mẽsuræ, independentis à mensurato; v. g. ex parte scientiæ ad scibile, non ex parte scibilis ad scientiam; sicut igitur in hoc relationis genere, mensuratum respicit mẽsuram, non vt correlatiuam sed vt absolutam mensurã à qua in suo formali, & absoluto esse mensurato dependet; ita in alio genere relationum fundatarum in actione, & passione, effectus per suam relationem respicere debet, id, à quo per efficientiam dependeat, non id, quod ad ipsum refertur absque vlla dependentia.*

1189 Spiritus San-

Ita quoque in diuinis, Spiritus S. per personalem suam

per suam relationem producti, & spirati per se, & immediatè formaliter respicere debet Patrem, & Filium, vt sunt duæ distinctæ personæ.

suam relationem producti, & spirati, per se, & immediatè formaliter respicere debet Patrem, & Filium vt sunt duæ distinctæ personæ, à quibus procedit, & spiratur, vt quod: non vt sunt tantùm vnum correlatiuum per relationem spirandi, quę ex probatis quæsito præcedenti, est solùm constitutiua in obliquo principij quo, nõ autem est formaliter constitutiua principij quod imò etiam Filius Dei genitus, quamuis ex parte sui principij generantis, non respondeat illi aliud, quòd sit generantis correlatio, quæ est Paternitas, sicuti in Patre & Filio, præter spirandi relationem, respondent Spiritui Sancto Paternitas, & Filiatio, quæ sunt personalitates: tamen quia diuina Paternitas ob eminentissimam sui perfectionem, habet tum formalem, & explicitum conceptum personalitatis, tum formalem, & explicitum conceptum correlationis ad Filium; & ex natura rei conceptus Paternitas, vt est personalitas constituens personam generantem, vt quod, est prior conceptu Paternitatis, vt est relatio referens personam Patris ad Filium genitum; dici debet per suam filiationem per se formaliter ac præcisè respicere Patrem, vt personam generantem vt quod, sub qua formali ratione ab illo esse accipit, non vt correlatiuum ipsius, sub qua formali ac præcisa ratione Filius non se habet, vt quod accipiens à Patre, sed vt quod purè terminans Paternitatis relationem.

1190
2. Euasio.

Dices 2. Spiritum Sanctum per se referri ad Patrẽ, & filium, non materialiter vt sunt hæc, & illa persona, qua ratione distinguuntur; sed formaliter, vt sunt principium spirandi, qua ratione sunt vnum: sicuti diximus in Philosophia, Patrem creatum referri ad plures filios, non vt materialiter, vt plures, sed formaliter, vt filios; & ideò non variari Paternitatem ad variationem filiorum: siue n. adueniat secundus filius v. g. siue esse desinat, semper remanere eandem Paternitatem.

Præcluditur, quia Paternitas, & Filiatio constituũt principiũ spiratiuum quod, ita vt præcisa Paternitate, & Filiatione, nõ spiraretur.

Sed contra est. Nam vt constat ex dictis, & infra dicendis quæsito sequenti. Paternitas, & filiatio constituunt principium spiratiuum, vt quod. Ità vt præcisa Paternitate, & Filiatione, impossibile sit Patrem, & Filium spirare. Non potest autem rationabiliter dici, quod Spiritus S. vt spiratus, non per se, & formaliter, sed materialiter, & per accidens respiciat id, quod per se, & formaliter facit ad essentialem constitutionem principij necessarij, & sufficientis, vt spiretur. Sicut igitur, vt loquitur D. Th. hic ad 2. Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio, vt sunt plures, vt sunt duę personę distinctæ: ità ad Patrem, & filium refertur, vt sunt plures, & distinctę personæ; ac proinde necessariò, & per se, ex vi formalis suæ processionis quã accipit ab illis, vt pluribus, & distinctis personis. Vndè ne in creatis quidem processionibus his, suppositum in agente materialiter se habet ad terminandam relationem effectus ad agens; cum sine vlla suppositalitate agens non sit complete è potens in actu primo adagendum, iuxta illud Philosophi Actiones sunt suppositorum.

1191
3. Euasio.

Dices 3. Spiritum Sanctum referri quidem formaliter ad Patrem, & filium, non tamen ad vtrunque simul, & determinatè, sed ad alter vtrum indeterminatè, & sub disiunctione; ita vt loquendo de termino formali, & adæquato, terminus sufficiens, ita sit Pater per se, vt sit etiam Filius per se, & ideo vel ex hypothesi impossibili, vel per intellectus præcisionem, remoto siue Patre remanente Filio, siue Filio remanente Patre; semper inuariata remaneat eadem Spiritus Sancti relatio.

Præcluditur, quia relatio spirationis passiuæ necessariò terminatur ad Patrẽ, & Filium.

Sed Contra est primò. De facto relationem Spiritus Sancti tam determinatè terminat Pater, quàm determinatè terminat Filius. ergo in hoc casu non habet locum ista terminatio indeterminata, & disiunctiua. Secundò, prædicta relatio necessariò terminatur ad Patrem, & simul etiam necessariò terminatur ad Filium: alioqui si non necessariò ad aliquem terminatur, ergo superfluè; quæ est magna imperfectio, quæ ne in creatis quidem relationibus reperitur; vt scil. aliqua relatio de facto, & actu terminetur formaliter ad aliquem terminum, & simul ad illum terminum superfluè, & non necessariò.

1192
Cõfirm. quia si Pater, & Filius non esset necessariò terminus Spiritus Sancti, nõ esset maior ratio cur Pater, & non Filius.

Præterea, si Relatio Spiritus Sancti actu formaliter ad vtrumque terminatur, & tamen necessariò terminatur ad vnum tantum, peto, quisnam sit iste necessarius terminus, Pater, an Filius? sed cur potius Pater, quam Filius, vel Filius, quam Pater; cum Spiritus Sancti principium non magis sit vnus, quàm alius? ergo illa relatio simul ad vtrumque terminum terminatur; ergo ad vtrumque etiam adæquatè, & non adæquatè ad hunc tantum, ergo altero termino remoto, tametsi remaneat alter, ipsam in se relationem variari necesse est, esset ex variatione sui termini formalis, & adæquati, quàm essentialiter respicit, efficax igitur est ratio, quia ex eo, quòd personalis relatio Spiritus Sancti, ex vi suæ propriæ, ac formalis processionis terminatur formaliter, & adæquatè ad duas simul personas, à quibus spiratur, deducitur, quòd necessariò, & per se requirit duas simul personas Patris, & Filij à quibus procedit.

1193
Opposit. sent.

Oppositam sententiam tenet Scotus 1. dist. 12. qu. 1. & omnes Scotistę scil. per accidens concurrere ad productionem Spiritus Sancti Patrem, & Filium, pro qua.

1. Obiectio.

Arg. 1. Quando in aliquo supposito est æquè perfecta virtus, ac est in pluribus suppositis per accidens se habet pluralitas suppositorum, vt patet de pluralitate personarum respectu creationis. Sed virtus spiratiua æquè perfecta est in vna, quàm in alia persona, ergo.

Resp. ob specialem rationem effectus exigi pluralitatem suppositorum.

Respond. distin. ma. quandò ob specialem rationem effectus non exigitur pluralitas suppositorum, vt contingit in effectu creato respectu virtutis creatiuę, concedo Ma: quando vero ob specialem rationem effectus exigitur pluralitas suppositorum, non compleat virtutem in ratione virtutis, sed in ratione agendi, & subsistendi, vt quod sicut accidit in casu nostro, negatur. Nam voluntas, & amor Dei, aut relatio spirationis actiuæ non habent necessariam conditionem ad spirandum requisitam ex parte principij quod, nisi subsistant in duabus personis mutuo se amantibus, nempe in Patre, & Filio, & hæc conditio petitur ex parte Spiritus Sancti.

1194
Instabis.

Dices, vel Pater perfectè spirat Spiritum Sanctum, vel non; si hoc secundum dices, ergo ponis aliquam imperfectionem in illo si verò primum, ergo non desideratur per se influxus Filij.

Resp. Patrem absque Filio non perfectè, vt principiũ quod, spirat Spiritum S.

Resp. disting. Anteced. perfectè spirat, & adæquatè, neg. Antec. inadæquatè verò conceditur. Quamuis n. perfectè spiret Spiritum Sanctum, si per spirare perfectè intelligatur principium quo in recto scil. essentia diuina, & voluntas, non autem si intelligatur principium quod completum per ea quę continet in obliquo, & in recto, tanquam conditiones ad spirandum, nam Paternitas, & Filiatio sunt duæ conditiones requisitę ad actum spirandi. Et ita conditiones omnimodæ requisitę ad spirandum non sunt in solo Patre, aut in Filio, sed in vtroque simul. Non quia potentia spiratiua ex parte sui illas personas exigat; sed quia actus spirandi est talis conditionis, cùm sit actus perfectę amicitię, vt ex se exigat, quòd ex parte potentię spiratiuę dentur, quæ sunt propria illius; ex parte verò principij quod petat, quæ sunt propria eiusdem, vt per se desiderati ad productionem, qualia sunt duæ personæ Patris, & Filij.

1195
2. Obiectio.

Arg. 2. Si spirare per se exigeret pluralitatem suppositorum, Pater nequiret spirare, nisi spiraret Filius, & coniunctus cum eo. ergo quodammodo habet spirare à Filio. Resp. neg. seq. quia illum ipsum influxum quem præstat Filius, habet communicatum à Patre: & influxus ille non desideratur tanquam dans Patri virtutem ad influendum, & spirandum, sed tanquam quid datum à Patre, & requisitum per modum conditionis ad hoc, vt Pater spiret.

Respond. neg. consequent.

1196
3. Obiectio.

Arg. 3. Si Spiritus Sanctus per se procederet à duabus personis, tunc vel procederent ab illis, vt sunt vnũ: ergo per accidens essent tunc pluralitas, vel ab illis, vt sunt plures: ergo tunc Spiritus Sanctus non esset vnicus, quia vnicus effectus debet respicere vnicum principium.

Resp.

Resp. ex D.Th quod actus potest esse alicuius, vt agentis, & alicuius, vt principij.

Resp ex D.Th. 1. ad Annib.dist. 11. qu. vnica art. 2. Vbi sic habet: Actus est alicuius, vt agentis: & alicuius, vt principij actionis. Si ergo ly inquantùm, replicet conditionem agentis, sic Pater. & Filius inquantum sunt plures, spirant Spiritum Sanctum. Si autem replicet conditionem principij actionis, sic inquantùm sunt vnum in virtute spiratiua, spirant Spiritum Sanctum. *Vbi, vt constat, tribuit Spiritui Sancto quod procedat à pluribus personis, vt sunt plures in ratione personarum, & vnum in virtute spiratiua: ac proindè, vt absolutè, & simpliciter sunt vnum principium spiratiuum. Quia principium spiratiuum sumitur substantiuè, & ad eius multiplicationem requiritur multiplicatio tam suppositorum, quàm formarum.*

1197 4. Obiectio.

Arg. 4. Relatio filiationis, nihil addit virtuti spiratiuæ existenti in Patre: ergo ea seclusa, ac proindè, quod Pater non esset fœcundus per intellectum producendo Filium, nihilominùs eodem modo produceret Spiritum Sanctum.

Resp. Filiationem addere aliquam conditionem virtuti spiratiuæ.

Resp. neg. Conseq. Nam & si relatio Filiationis nihil addat virtuti spiratiuæ existenti in Patre, imò neque virtuti spiratiuæ existenti in Filio; ita vt ingrediatur illius constitutionē relatiuã: nihilominùs addit aliquã cōditionē per se petitam à potentia spiratiua, non tanquam aliquid eius, sed tanquam aliquid, quod debet inueniri in integro principio quod *actus spirandi: imò si non daretur Filiatio, tunc optimè colligeremus, virtutem spiratiuam non esse ibidem summè perfectam: quia ad eius summam perfectionem desideratur, quod se communicet Patri, & Filio, vt suppositis, in quibus subsistat, quæque ab ea formaliter reddantur mutuò se amantia: & ita desideratur vtrumque suppositum ad hoc, vt remaneat eadem virtus spiratiua, & idem Spiritus Sanctus productus.*

1198 Petes 4.

Petes 4. An Relatio spirationis actiuæ sit per se subsistens per propriam subsistentiam relatiuam, & principium spirandi, vt quod.

Resp. neg quia Pater non solùm est principium generandi, sed primum.

Resp. negat. ità colligitur ex D.Thom. hic art.4. ad 1 & communiter Thomistæ, excepto Nazario hic. Prob. Pater in diuinis non solùm est principium generandi, sed primum: vnde & Anarchos *dicitur, hoc est* principiū principale, & primū: *& propterea idem Pater est, & vocatur* principium fontale Deitatis, *vt supra visum est; ergo in diuinis non est concedendum aliquod constitutum ex essentia, & voluntate diuina, & relatione spirationis actiuæ, cui competat esse principium spiratiuum, vt* quod, *& commune communitate rei, tam Patri, quàm Filio. quia tale constitutum esset primum principium spirandi non verò Pater: siquidem hoc constitutum ratione sui esset primum principium spirandi, Pater verò, quia haberet tale constitutum communicatum.*

1199 Confirm quia aliàs darentur plures ingeniti.

Confirm. Aliàs darentur plures ingeniti, ac proindè plures Dij: si quidem tam Pater esset ingenitus, & similiter hic spirator, quia non procederet ab alio, & tam Pater, quàm communis hic spirat haberent esse primus fons diuinitatis: Pater videlicet respectu Filij, cui communicaret diuinitatem: & ille communis spirator respectu Spiritus Sancti: & sic innascibilitas conueniret alteri à Patre, tàm negatiuè, quàm positiuè.

1. Euasio.

Dices 1. Communem istum spiratorem non distingui, nisi ratione tantùm à Patre; propterea non tollere ab illo, quòd sit primum principium spirandi, vel quòd sit fons totius diuinitatis.

Præcluditur. quia propriū est Patris, vt sit formaliter primum principium, *quod* spirandi.

Sed Contra est. iuxtà communem Patrum, & Theologorum sententiam proprium est Patris, non quidem identicè, sed formaliter sumpti, quod ipse solus sit primum principium quod *spirandi: & similiter quod sit primus fons totius Deitatis. ad hoc autem non est satis, quòd solùm identicè sit primum principium spirandi. Confirm. quia id, quod formaliter, & ex se est primum principium* quod *dicendi, oportet, vt etiam ex se, & formaliter sit etiam primum principium* quod *spirandi. Nam sicut primum principium* quod *intelligendi est ex se primum principium* quod *volendi: ità etiam per primum principium* quod *producendi per intellectum, seu dicendi, debet esse ex se, vt formaliter primum principium* quod *spirandi, seu producendi per voluntatem.*

1200 2. Euasio.

Dices 2. non esse aliquod inconueniens dari duo ingenita ratione distincta, & virtualiter; esset tamen, si realiter distinguerentur.

Præcluditur. quia ex virtuali pluralitate ingenitorum, sequitur pluralitas virtualis naturę.

Sed contra est. Nam ex huiusmodi pluralitate virtuali Ingenitorum, sequitur pluralitas virtualis diuinæ naturæ. Quia sicut datis duabus proprietatibus realiter distinctis, colligitur dandas esse duas naturas realiter distinctas, quandoquidem vna natura nō habet plures primas proprietates realiter distinctas: ita datis duabus primis proprietatibus virtualiter distinctis; colligitur virtualis pluralitas naturarum, siquidem vnica natura vnicam habet similiter proprietatem.

2. Prob Concl. quia si Relatio spirationis actiuæ afferret propriam subsistentiam, esset constitutiua personæ.

Prob 2. Conclusio. Si Relatio spirationis actiuæ afferret propriam subsistentiam, esset constitutiua personæ: nam si esset subsistens, & adueniret post relationes Paternitatis, & Filiationis, non esset minùs constitutiua personæ, quàm ipsæ: ex eo, quod, quò aliqua subsistentia est vltimior, eo magis idonea ad tribuendum id, quod est proprium personæ scilicet subsistere incommunicabiliter. siquidem eo ipso potiori ratione erit vltimus terminus in ratione subsistendi, & ita eo ipso erit in ratione subsistendi incommunicabilis.

Instabis.

Dices. forma, aut quasi forma, quæ communicatur duobus subiectis, aut quasi subiectis, & suppositis, & nō est per se subsistens, non potest non multiplicari in illis, propterea est immultiplicata in tribus suppositis, quia vt subsistens communicatur. è contra humanitas in diuersis suppositis est realiter multiplicata: sed vt relatio spiratoris est vna in Patre, & Filio: ergo &c.

Resp. satis esse prædictam relationem ratione diuinæ essentiæ esse subsistentem, vt *quod*.

Resp. neg conseq. quia ad saluandam prædictam relationem absque multiplicatione communicatam duobus suppositis, satis est quod ratione diuinæ essentiæ, sit subsistens, vt quod, *per subsistentiam absolutam: sicuti dicimus communiter de attributis, quæ ideò absque distinctione virtuali possunt esse in tribus personis, quia nimirum priùs intelliguntur esse per se subsistentia per subsistentiam absolutam diuinæ essentiæ, quàm intelligantur communicari personis.*

1201 Petes 5.

Petes 5. pro quo supponat illud prædicatum, nempe vnum principium: quando dicitur, Pater, & Filius sunt vnum principium Spiritus Sancti?

Resp. hoc nomē *principium* diuersimodè posse significare, secundùm quod diuersimodè sumitur.

Resp. hoc nomen Principium *secundùm, quod diuersimodè sumitur, diuersimodè potest significare, aut supponere, quando enim in hac propositione dicitur,* Pater, & Filius sunt vnum principium, *tunc supponit pro vtroque supposito, quatenùs afficitur eadem virtute: & sic dicit principium perfectum cum omni conditione ad spirandum requisita: & principium secundùm hanc suppositionem nunquam verificatur de sola vna persona, sed de vtraq; pro vt afficitur tali virtute. At quando in aliqua propositione dicitur,* Pater est principiū, ly principium *supponit pro vno supposito habente perfectam rationem spirandi cum quadam conditione adæquata ad spirandum requisita. Nec mirum est, quòd nomen principij in diuersis suppositionibus diuersimodè supponat, cùm nomen principiū de se sit aptum ad quamlibet ex prædictis significationibus: inde est, vt ratione subiectorum, cum quibus coniungitur in propositione limitetur ad supponendum hoc, vel illo modo: iuxta regulam Dialecticorum:* Talia sunt prædicata, qualia permittuntur à subiectis.

1202 Petes 6.

Petes 6. An Spiritus Sanctus ex amore omnium, quæ sunt formaliter in Deo, & ex amore creaturarum possibilium, & existentium procedat?

Resp. Spiritum procedere ex omnibus, quæ sunt formaliter in Deo: nō vero ex creaturis possibilibus, & futuris.

Resp. 1. procedere ex amore omnium, quę sunt formaliter in Deo, quia sicut Verbum hoc modo procedit, quia perfectissimè, & comprehensiuè procedit; ità Spiritus petit procedere ex amore perfectissimo, & vt impropriè dicamus, comprehensiuo omnium quę in Deo formaliter reperiantur. 2. Non procedere ex amore possibilium. Nā vt diximus tom. 1. q. 19 creaturæ possibiles, vt tales nullam habent bonitatem, quæ in existentia consistit, vt amentur. 3. Neque ex Futuris: Siquidem Verbum non potest procedere ex cognitione creaturarum existentium, quia non est ità necessaria, sicut ipsum Verbū: ità nec Spiritus Sanctus quia amor existentium, & creaturæ

turæ existentes, non sunt ita necessarij, sicut Spiritus Sanctus. Cur autem Verbum possit procedere ex possibilibus, non autem Spiritus Sanctus? Ratio est, quia ut possibiles habent veritatem obiectiuam, ut cognoscãtur; non verò integram bonitatem, & proindè existentiam, ut amentur. videantur ea, quæ diximus suè loco citato.

QVÆST. XXXVII. D. Th.

De Nomine Spiritus Sancti, qui est amor.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Amorum sit proprium nomen Spiritus Sancti.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

Conclusio. Nomen amoris secundùm, quod personaliter dicitur, est proprium nomen Spiritus Sancti. Sicut verbum est proprium nomen filij: Probatur simul, & declaratur ex conuenientia, & differentia, quæ est inter vtramque processionem. Conueniunt quidem in hoc, quod sicut ex partem intellectus tria considerare possumus .s. habitudinem intellectus ad rem intellectam, & vocamus intellectionem: habitudinem intelligentis ad id, quod procedit, & vocamus dictionem: & tandem id, quod ab intellectu procedit, & vocatur verbum: ità voluntas refertur amatam; quæ manet in amante, sicut res intellecta in intelligente, item, secundùm, quod consideratur in voluntatis operatione est habitudo ipsius voluntatis amantis ad rem, quæ procedit per ipsam, & tandem est res ipsa procedens. Differunt verò, quia processio secundùm intellectum, cum sit notior, adinuenta sunt nomina ad significandum illa tria, vt mox diximus Processio verò secundùm voluntatem cum sit minus nota, non habet nomina propria, quæ significent ista tria. Sed tantùm habent nomina, quæ significant habitudinem amantis ad rem amatam; quę nomina sunt diligere, & amare; & eisdem vtimur ad significandũ habitudinem amantis ad id, quod ex amore procedit, & ad significandum id, quod vt amor procedit. ergo &c.

Arg. 1. ex Aug. 15. de Trin. cap. 17. nomen amoris prędicatur de singulis personis. ergo. Resp. nomen amoris dupliciter sumi; & vt dicit habitudinem amantis ad rem amatam, & sic sumitur essentialiter, & est commune tribus personis: vel pro vt dicit habitudinẽ amantis ad id, quod ex amore procedit, & sic est personale, proprium solius Spiritus S.

Arg. 2. Amor non significatur, vt persona subsistens, sed vt actio quædam transiens ab amante in amatum. ergo. Resp. neg. conseq. nam licèt intelligere, & velle significentur per modum actionum transeuntiũ in obiecta; sunt tamen verè actiones manentes in agente, in quo habent suos terminos, quę tamen important quandam habitudinem ad obiectum.

Arg. 3. nexus est medius inter ea, quæ connectit non aliquid ab eis procedens. Sed amor est nomen significans nexum amantium. ergo. Resp. conced. ma. de nexu vniuersaliter loquendo: tamen talis nexus, .s. amor, qui est amantium nexus, ex hoc ipso, quod connectit amantes, ab eis necessariò procedit.

Arg. 4. Cuiuslibet amantis est aliquis amor; sed Spiritus Sanctus est amans. ergo est amor amoris. Resp. dist. ma. personæ, quæ est amans notionaliter, est alius amor, conced. personæ quæ est amans tantùm essentialiter, sicut est Spiritus Sanctus; negatur: nam sicut filij est alius filius; nec amoris alius amor.

DISPVTATIO CLXXXXVII.

Vtrum amor sit proprium nomen Spiritus Sancti.

1203 Prima Concl. Nomen amoris essentialis non est proprium Spiritus Sancti.

Respondet S. Thom. duabus conclusionibus, quæ nullam controuersiam, & difficultatem habent. *Prima est, Nomen amoris, si sumatur essentialiter, scilicet secundum propriam vocis significationem, quæ, vt explicatur circa finem corp.* non importatur, nisi habitudo amantis ad rem amatam, *non est proprium Spiritus Sancti, sed commune Patri, Filio, & Spiritu S. & idem esse docet de nomine dilectionis, charitatis, & de verbis amandi, & diligendi. Sicut pariter essentialia, & communia nomina sunt, intelligentia intellectio, intelligere, quæ propriè, inquit,* sunt vocabula adinuenta ad significandum respectum intelligentis ad rem intellectam. *Sic, vt conceditur ad 1. Aug. lib. 15. de Trin. 17. paulò ante med. dixit*, Nescio cur nõ sicut sapientia, & Pater dicit, & Filius, & Spiritus S. simul omnes non tres, sed vna sapientia: ita & charitas, & Pater dicatur, & Filius, & Spiritus S. & simul omnes vna charitas.

1204 Charitas essentialis non est proprium nomen Spiritus Sancti.

Qua communi acceptione ibid. ab initio capitis probat, sumi illud 1. *Ioannis* 4. Deus charitas est. *Quo nomine vult significari ipsam Dei substantiam, & non charitatis donum, quod à Deo in nobis est, quia, inquit,* non est dictum, Domine charitas mea; aut, tu es charitas mea; aut Deus charitas mea, sed ita dictũ est: Deus charitas est, sicut dictum est, Deus Spiritus est, & non sicut dictum est, Tu es patientia mea; non quia Dei substantia est nostra patiẽtia, sed quòd ab ipso nobis est, sicut alibi legitur, quoniam ab ipso est patientia mea; nec sicut dictum est, Tu es Domine spes mea, & Deus meus misericordia mea. *Sic etiam essentialiter dicuntur in diuinis amor, & dilectio, cum passim alibi in scriptura dicitur Deus amare, & diligere creaturas, quas procul dubio æquè amant Pater, Filius, & Spiritus S. & cum dicũtur Pater amare Filium, & Filius Patrem, quo eodem amore etiam Spiritus S. amat Patrem, & Filium.*

1205 2. Conclusio. Nomen amoris iu diuinis personale, est proprium Spiritus S.

2. *Concl.* Nomen amoris in diuinis secũdum, quod personaliter sumitur, est proprium nomen Spiritus Sancti, sicut Verbum est proprium nomen Filij. *Idem igitur nomen amoris; quod ex propria significatione, quam ex prima sui impositione habuit, sumitur essentialiter; deindè ex vsu loquentium Theologorum extensum est, & sumptum est personaliter, hoc est, vt proprium nomen solius personæ Spiritus Sancti. In quo notat, & multis explicat differentiam inter processionem per modum intellectus, ad quam pertinet Filius, & processionem per modum voluntatis, ad quam pertinet Spiritus Sanctus.*

Quo ad rem eadem est ratio vtriusque processionis, non vero quo ad voces.

Quamuis enim quòad rem eadem proportionaliter sit ratio vtriusque processionis, tamen quòad voces differunt, quia prima processio est nobis magis nota, & ideo, *inquit*, ad singula significanda, quæ in ea considerari possunt, sunt magis propria nomina adinuenta. non autem in processione voluntatis. *In illa enim relationum nomina, nempe paternitas, filiatio, sunt distincta ab originũ nominibus, quæ sunt generare,*

& generari;

& generari ; dicere, & dici, & terminus per intellectū productus habet nomen personale, nempe Verbum distinctum à nomine essentiali, nempe intelligentia, intelligere .

1205 Relationes, quæ sunt in processione per voluntatem, processionis, & spirationis nominibus nominatur.

In hac verò relationes, quæ sunt in Patre, & Filio ad Spiritum S. & in Spiritu S. ad Patrem, & Filium, processionis, & spirationis nominibus nominantur, quæ tamen sunt magis nomina originis, quàm relationis, secundùm proprietatem vocabuli; & præter diligere, & amare, quæ important habitudinem amantis ad rem amatam, non sunt aliqua vocabula imposita, quę importent habitudinem ipsius impressionis, vel affectionis rei amatæ, quę prouenit in amante ex hoc, quod amat, ad suum principium, aut è conuerso. Et ideo propter vocabulorum inopiam, huiusmodi habitudines significamus vocabulis amoris, & dilectionis : quibus, *inquit,* vtimur, *non solùm ad exprimendam essentialem habitudinem amātis ad obiectum amatum sed etiam habitudinem personalem termini producti per voluntatem ad suum principium, & principij producentis per voluntatem ad suū terminum* : ita, quod per amorem, *vt dicitur in fine corp.* intelligitur amor procedere; & per diligere, intelligatur spirare amorem procedentem. Sic amor, est nomen personæ; & diligere, vel amare est verbū notionale, sicut dicere, vel generare.

1207 Spiritui Sancto conuenit etiam amor, & Charitas, & quomodo.

Hanc personalem vsurpationem Augustinus lib.15. de Trin.c.17 à medio, loquens sub nomine charitatis, sed eadem est ratio de nomine Amoris, probat primò, quia cum Spiritus S. procedat per actionem voluntatis. ex vi formali suæ processionis communicatur illi essentialis amor, seu charitas substantialis, quod neq; Patri, neque Filio conuenit. Si ergo propriè, *inquit Aug* aliquid horum trium charitas nuncupanda est, quid aptius, quàm vt hoc sit Spiritus Sanctus?

Sicut Verbum vocamus nomine sapientiæ; ità Spiritum Sanctum nomine amoris.

Secundò ex paritate cum nomine Filij Dei. Sicut vnicum Dei Verbum propriè vocamus nomine sapientiæ, cùm sit vniuersaliter, & Spiritus S. & Pater ipsa sapientia: ità Spiritus S propriè nuncupatur vocabulo charitatis; cùm sit vniuersaliter charitas, & Pater, & Filius. *Tertiò, quia sicut* Dei Filius apertè dictus est Dei sapientia 1. Cor. 1. Christum Dei sapientiam: *ita inquit,* Spiritus S. vbi sit dictus charitas inuenimus, si diligenter Ioannis Apostoli scrutemur eloquium. Qui cùm dixisset, Dilectissimi diligamus inuicem, quia dilectio ex Deo est; sequutus adiunxit, & omnis, qui diligit, ex Deo natus est; qui non diligit, nō cognoscit Deum, quia Deus dilectio est. Hic manifestauit, eam se dixisse dilectionem Deum, quā dixit ex Deo. Deus ergo ex Deo est dilectio.

1208 Spiritus Sanctus non est filius ex Deo natus, sed Spiritus à Deo spiratus.

Quem non esse Filium, qui etiam est Deus ex Deo natus, sed esse Spiritum Sanctum, qui est Deus ex Deo procedens, probat ex consequentibus, quibus docet Ioannes per dilectionem, quam Deum ipsum esse dixerat, nos in Deo manere, & Deum in nobis, cuius mutuæ immansionis causam assignat, Quoniam de Spiritu suo dedit nobis. *Hinc ita arguit Aug.* Spiritus itaque Sanctus, de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere, ipsum in nobis. Hoc autem facit dilectio. Ipse est igitur Deus dilectio. *Et proptereà Ioannem iterum subiunxisse notat,* Deus charitas est; & qui manet in charitate, in Deo manet; & Deus in eo. *De ea igitur charitate loquitur, quæ est ipsemet Spiritus Dei : Vnde, quod in fine capitis aduertit idem Aug. non solùm ipsum creatum charitatis donum, sed etiā ipsemet Spiritus, qui est substantialis, & increata charitas, dari nobis dicitur Rom.5.* Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

1209 Sententia est cōmuni Theologorum, nomine amoris notionalis, significari Spiritum Sanctum

Sed quidquid sit de scripturis, certum est ab omnibus Scholasticis, cum Magistro supra, & Patribus, nomine amoris personaliter sumpti vocari propriè Spiritum S. vt constat ex verbis Augustini, Concilij Toletan. & Hieronymi supra q.36 art.4.num.39. Præterea Prosper lib. sententiarum sent. 351. ait, Spiritus S. Spiritus est Patris, & Filij, tanquam charitas substantialis, & consubstantialis amborum *Et Isid.lib.7.Etymolog c.3 post med* Spiritus S. inde propriè charitas nuncupatur, vel quia naturaliter eos, à quibus procedit, coniungit, & se vnum cum eis esse ostendit : vel quia in nobis id agit, vt in Deo maneamus, & ipse in nobis.

Huc etiam spectant dicta Sanctorum, de quibus supra q.36. vocātium Spiritum Sanctum nexum, & vnionem, nam, vt exponit S.Th. hic ad 3. Spiritus S. dicitur esse nexus Patris, & Filij, inquantum est amor : quia cùm Pater amet vnica dilectione se, & Filium, & è conuerso importatur in Spiritu S. prout est amor, habitudo Patris ad Filium, & è conuerso, vt amantis ad amatum; sed ex hoc ipso, quòd Pater, & Filius se mutuo amant, oportet, quod mutuus amor, qui est Spiritus S. ab vtroque procedat. 1210 Spiritus Sanctus, quare dicatur nexus

Duplex habitudo in amore notionali distinguitur.

In Spiritu S. procedente ex mutuo Patris, & Filij amore, distinguit S Th. duplicem habitudinem, alteram obiecti, quam Pater, & Filius inuicem habent, vt amātes, & amati : alteram originis, quam Pater, & Filius habent ad Spiritum S. vt ab ipsis procedentem. ratione secundæ habitudinis, ait, Spiritus S. non est medius, sed tertia in Trinitate persona. *nimirum producta à duabus prioribus secundùm originem. Ratione verò primæ ait,* Est medius nexus duorum ab vtroq; procedens. *Quod ex infra dicendis disp. seq. distinctius intelligetur.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrū Pater, & Filius diligant se Spiritu S.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONcl. Pater, & filius nō diligunt se Spiritu Sancto, essentialiter sumendo diligere; secùs verò si sumatur notionaliter. 1. Pars prob. ex Aug. 15. de Trin. c. 12. Quis audeat dicere, Patrem, nec se, nec filium, nec Spiritum Sanctum diligere nisi per Spiritū? 2. Pars prob. sicut se habet, dicere ad verbū, & floritio ad flores, sic se habet diligere notionaliter ad Spiritum Sanctum; quia in omni actione includitur terminus; cum dictio sit productio verbi; & florere florum. Sed conuenienter dicimus, quod Pater dicit verbo se, & creaturas, & quod arbor floret non solùm floritione, sed etiam flore. ergo.

Arg. 1. Pater non dicitur sapiens sapientia genita ex Aug. 1. de Trin. c. 2. ergo à pari, Pater, & filius non diligunt &c. Resp. neg. conseq. nam esse sapientem, vel intelligentē in diuinis dicitur tantùm essentialiter : ideò non potest dici, quòd Pater sit sapiens filio. Diligere verò sumitur non solùm essentialiter, verum etiam notionaliter : ideò &c.

Arg. 2. Si ly diligere sumitur notionaliter: vt in conclusione: & tunc est vera propositio: ergo pari ratione possemus dicere, quod Pater, & filius spirant Spiritu Sancto. Resp. neg. conseq. nam spirare non inuoluit in sua significatione suum effectum formalem, sicut inuoluit diligere, quia diligere includit ipsum amorem, qui est effectus formalis determinatus.

Arg. 3. Pater non diligit seipsum, nec nos Spiritu Sancto. ergo. 1. pars Anteced. prob. quia actus notionalis non reflectitur supra suum principium, non enim potest dici, quòd Pater generat se filio. diligere enim est actus notionalis. quo ad 2. partem prob. nam ea, quæ in diuinis important respectum ad creaturas spectant ad essentiam. Resp. neg. Antec. quo ad vtramq. partem. ad 1. prob. dicimus esse vera, quando actus notionalis non includit in sua significatione terminum, vt diximus ad 2. secus est in verbo diligere. ad 2. verò prob. dicit. quæ important respe-

ctum ad creaturas primario, conced. esse nomina essentialia, vt Dominus &c. Secus verò quę secundariò dicunt respectũ ad eas, tunc enim esse possunt notionalia.

DISPVTATIO. CLXXXXVIII.

An Pater, & Filius diligant se Spiritu Sancto.

1211 Idem est iudiciũ de hac, *Pater dicit se Verbo*, ac de ista, *Pater, & Filius diligunt se Spiritu S.*

PRO *decisione huius controuersiæ notandum est, idem esse iudicium in hac parte de hac propositione; Pater dicit se verbo, & de ista, Pater, & Filius diligunt se Spiritu S. quidquid dicat Molina, quare eadem dicenda erunt de vtraque.* dicere *autem in diuinis tripliciter accipi potest, primò essentialiter pro actu intelligendi, seu imperio, vt accipitur à D. Anselmo in Monolog. c. 63. Et hac ratione nulla persona dicit alia, sicut nec intelligit alia, sed omnes tres personæ sunt vnũ dicens substantiuè, sicut vnus Deus. Secundo modo sumitur merè notionaliter pro actu, scil generandi præcisè, quo pacto solus Pater dicit, & ita intelligendi sunt Sancti, quoties dicunt. solum Patrem dicere, idest generare. Tertio modo potest accipi dicere, nec purè essentialiter, nec pure notionaliter, sed mixtè, ita vt dicere sit idem, quod dicendo notionaliter, seu generando exprimere, & significare.*

1212 In quo sensu sit falsa, & in quo sensu vera, explicatur.

Primo modo falsa est ista, Pater dicit Verbo, sicut nec intelligit Verbo; secundo modo etiam est falsa ista, Pater dicit Verbo sicut etiã nõ est falsa ista, Pater generat Verbum; tertio modo est optima, & vera loquutio ista, Pater, dicit se, personas diuinas, & omnia Verbo, quia sensus est, Pater producendo Verbum, exprimit se, personas diuinas, & omnes creaturas, ex quarum cognitione procedit tale Verbum, vel aliter Pater intelligendo se, & omnia producit per Verbum.

Secundo notandum est quod similiter diligere potest sumi dupliciter: primo essentialiter pro actu amandi: secundo purè notionaliter pro spirare, & producere præcisè. tertio modo mixtè, includendo aliquid vtriusque pro eo scil quod est diligendo producere Spiritum S seu producendo diligere. Primo modo. falsa est propositio, sed omnes tres personæ sunt vnum diligens, nec vna diligit alia, vt diximus in prima conclusione. Secundo modo. solus Pater, & Filius diligunt seu producunt Spiritum S. & in hoc sensu non videtur vera propositio, quia Pater, & Filius non spirant Spiritu S. Tertio tandem modo verificari potest propositio, vt constabit ex infra dicendis.

1213 Prima Concl.

Prima Concl. si diligere sumatur essentialiter, falsa est hæc propositio, Pater, & Filius diligunt se Spiritu S. hæc est omnium Theologorum, excepto Duran. qui asserit, hanc propositionem esse veram secundum quandam appropriationem:

Probatur 1.

Prob. Concl. quia diligere essentialiter est ipsum esse, & ipsa essentia Dei, sed falsum est, quod Pater, & Filius sint Spiritu S. ergo etiam erit falsum quod diligant se Spiritu S

Secundò.

secundò, quia Pater, & Filius antecedenter origine ad spirationem diligunt se amore essentiali, ergo non se diligunt Spiritu S. hac dilectione.

Tertiò.

Tertiò, quia hęc est falsa, Pater sapit, & intelligit Verbo, ergo etiam ista, Pater, & Filius diligunt se Spiritu S.

Falsa est sententia Durãd.

Ex quo colligitur, falsam esse sententiã Durandi, qui asserebat, prædictam locutionem esse veram, licèt impropriam, quia vt optimè obijcit Scotus dist. 12. q. 1. si conceditur ista, Pater, & Filius diligunt se essentialiter Spiritu S. quia facit hunc sensum, diligunt se amore, qui Spiritui S. appropriatur: eadem ratione esset concedenda ista, Pater est bonus Spiritu S. idest bonitate, qua appropriatur illi. sed ista non est concedenda, ergo neque illa.

1214 2. Conclusio.

2 Concl. si ly diligere sumatur notionaliter, purè & præcisè falsa videtur propositio: hanc probant efficaciter argumenta Durandi infra adducenda, licèt, vt dicemus in ipsorũ solutionibus, possit etiã defendi oppositũ.

3 Conclusio. si diligere sumatur pro dilectione mixta, est vera propositio.

3. Concl. si ly diligere sumatur pro dilectione mixta, verè, & propriè dicitur, quòd Pater, & Filius diligunt se Spiritu S. hoc est, spirando Spiritum S. diligunt se, ita loquitur D. Aug. lib. 6. de Trin. c. 5. vbi ait, quod Spiritus S. est id, quo genitus à gignente diligitur, & genitorem suum diligit. Et lib. 15. c. 27. post longam disputationem colligit, quòd Spiritus S. est quidã nexus, quo se diligunt Pater, & Filius in vinculo pacis æternæ. Hieronym. super Ps. 13. & 17. vbi ait: Spiritus S. nec Pater est, neque Filius, sed dilectio, quam habet Pater in Filio, & Filius in Patre. Bern. Serm. 2. Pentecostes, Spiritu S. appellat firmissimum, & indissolubile vinculum Trinitatis. Et serm. 8. in Cantica vocat osculum Patris & Filij, indiuiduumque illorum amorem Hugo de S. Victore Epist ad Bernardum de processione Spiritus S. ait. si rectè diceres amare amore, qui à te procedit, cur nõ dicentur Pater, & Filius amare amore, qui ab eis procedit, & statim si Spiritus S. esset amor cordis sui, sicut est amor Patris, & Filij, quis posset negare Spiritui S. sicut tu amore te diligere. Concedenda ergo est absolutè hæc propositio, Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto.

1215 Opposit. sent.

Opposita sententia est Durãd in 1. dist. 32. qu. 1. vbi asserit, hanc Propositionem esse falsam simpliciter, si intelligatur de dilectione notionali, esse tamen veram, licèt impropriè de amore essentiali, qui appropriatur Spiritui S. pro qua.

1. Obiectio.

Arg. 1. quia D. Aug. retractauit has propositiones, Pater est sapiens, sapientia genita, Pater intelligit se Filio, ne cogeretur dicere, seu concedere, Patrem accipere esse, vel aliquam perfectionem à Filio, ergo propter eandem rationem deberet negare istam, Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto.

2. Obiectio.

Arg. 2. Diligere notionaliter est spirare, seu diligẽdo producere, sed falsum est dicere, quòd Pater, & Filius spirent, & producant seipsos Spiritu S. ergo falsum erit dicere, quod diligant se notionaliter Spiritu Sancto.

Tertia.

Tertio, quia actus notionalis non potest reflecti supra suum principium, aut supra personam, à qua est talis actus, sed cadit supra personam productam per illum. ergo si diligere sumatur notionaliter, non possumus dicere, quòd Pater, & Filius diligant se, & ex consequenti neque quòd diligant se Spiritu S. sed quod diligunt Spiritum S. Prob Antec. quia cum talis actus sit productiuus personæ, non potest cadere, nisi supra personam productam, & nullo modo supra producentẽ, alioquin idem produceret seipsum: vndè non dicimus, quòd Pater generat se, sed Filium, neque quòd spirat se, sed Spiritum Sanctum.

Quarta.

Quarto. quia pari ratione dicendum esset, quòd Pater, & Filius diligunt Spiritum S. sed conseq. est falsum: ergo prob. mi, quia est sensus, quod Pater, & Filius producant Spiritum Sanctum Spiritu Sancto.

Quinta.

Quintò quia generare est Filium producere, sicut spirare est Spiritum S. producere, sed Pater non generat Filio, sed Filium, ergo non diligit Spiritu Sancto sed Spiritum Sanctum.

Sexta.

Sextò, quia si est illa vera notionaliter, Pater, & Filius diligunt se Spiritu S. etiam hæc erit vera notionaliter, Pater diligit Filium, sed ista est falsa: ergo, & illa, ma. patet. quia tollere, vel addere particulam illã, Spiritu Sancto, non minuit, aut detrahit de veritate propositionis aliquid. & min prob. quia hæc propositio, Pater diligit Filium notionaliter, idem est, ac dicere, Pater spirat Filium, quod est hæreticum: & idem argumentum fieri posset de Filio respectu Patris.

Septima.

Arg. 7 argomento Scoti, Spiritus S est terminus, & quasi effectus productus per dilectionem, quo se diligunt Pater, & Filius, ergo impropriè dicitur, quòd Pater, & Filius diligunt se Spiritu S. sed quod diligunt se dilectione, vel voluntate. Patet Conseq. quia nullum agens denominatur agens ab effectu, quẽ producit, sed ab actione, vel forma, per quam agit: non .n. dicimus, quod artifex ædificat domo, sed arte, vel ædificatione, neq; quòd Pater generat Filio, sed generatione, vel potentia generatiua Confirm. quia dato, quòd in aliquo sensu possit dici, quod Pater, & Filius diligunt Spiritu S. sicut dicitur, quòd arbor floret floribus à se productis, in nullo tamen sensu concedi potest, quòd diligant se Spiritu Sancto, sicut nunquam conceditur, quòd arbor floret se floribus.

1216 1. Nota.

Pro solutione horũ argumentorum notandũ est, quòd quamuis regulariter res denominetur talis à forma, tamẽ sæpè cõtingit, vt talis denominatio non sit ab ea forma sed ab eo, quod habet modum formæ, dicitur .n. quis

nostitus

vestitus à veste, quæ non est forma, & calefaciens à calefactione, quæ non est forma, nec in suo calefaciente.

2. Nota Terminum productũ ad aliqua actione interdum habere rationẽ formæ, & denominatiuum agens. *Secundò notandum est, quòd interdum terminus productus per aliquam actionem, habet modum formæ, & denominatiuum agentis, quod euenit, quando terminus clauditur in intellectu actionis, per quam fit, tum etiã terminus est de intellectu actionis, cum intimè clauditur in ipsa actione, ita vt quodammodo pertineat ad complementum ipsius, taliter quòd non intelligatur agens sua actione attingere passum, aut obiectum, nisi medio illo termino, & concurrente adhuc illo per modum rationis formalis ad attingendum passum, vel obiectum: exemplum est in floribus, respectu arboris producentis ipsos, & in verbo vocali respectu loquentis; etenim arbor non solùm dicitur florere floritate, vel floritate, sed etiam floribus de se productis, & loquens non solùm dicitur loqui loquutionem, sed etiam verbo; quia licèt Verbũ, & flores sint effectus, & termini talium actionũ, tamen ita se habent, quod per illa, tãquã per rationem formalem completur agens in ratione talis agentis, & attingit passum, & vltimum obiectum.*

1217. 3. Nota. esse quasdas actiones inter quas, & obiectũ mediat aliquis effectus. *Tertiò, notandum est: actionum quasdam esse, inter quas, & obiectum, seu passum mediat aliquis effectus ipsarum, mediante quo attingunt ipsum, passum, vel obiectum, cuius generis est calefactio, inter quam, & lignum mediat calor productus per ipsam, quasdam verò, inter quas, & obiectum nihil mediat, quod habeat se per modũ effectus, seu rationis formalis ad atti ngendũ passum, cuius generis sunt generatio, inter quam, & genitum nihil mediat, & ædificatio, inter quam, & ædificium non mediat aliquis terminus, qui sit effectus ædificationis in actionibus: ergo primi generis nõ solùm denominatur agens ab ipsis actionibus, sed etiam ab effectu; nam ignis dicitur calefaciens à calefactione, & calore: in actionibus verò secundi generis agens non denominatur ab effectu, sed ab actione; Pater n. non dicitur generare Filio, sed generatione, nec domificatur ædificat domo, sed domificatione, seu ædificatione, primi generis sunt dicere, & diligere, secundi verò generare, & spirare.*

1218. Quæres *Quæres, vndè oriatur discrimen inter agentia, vt quædam denominentur talia à terminis productis, quædam verò non.*

Resp. esse quędam agentia, quæ nequeũt attingere terminum, nisi medio alio effectu. *Resp. Indè esse quia quędã agentia, nequeunt attingere vltimum obiectum, aut terminum, nisi medio alio effectu prauio proximo, & immediate pertinente ad cõplementum actionis, vt patet in igne, qui non potest attingere lignum, nisi medio calore, & in intellectu, & voluntate, quæ non attingunt vltimum obiectum, nisi medio verbo, & impulsu à se productis: cùm ergo iste terminus prauius teneat se ex parte actionis, & pertineat ad cõplemẽtum eius, valet denominare suum agens, sicut ipsa actio: quod tamẽ nõ potest præstare ipse terminus, seu obiectum vltimum, cum nõ se teneat ex parte actionis, sed potius ex parte alterius extremi: alia verò agentia attingunt vltimum obiectum nullo prauio effectu, vt generans, ædificator, &c. Vndè nõ possunt denominari ab ipso vltimo termino, qui est omninò extra rationẽ actionis; ignis .n. dicitur calefaciẽs à calefactione, quę est actio, & à calore producto, qui est terminus prauius, nõ tamen dicitur calefaciẽs ab ipso ligno calido, qui est vltimus terminus, sicut nec artifex à domo, vt artificium.*

1218. 4. Nota agens vt denominetur tale à termino actiones, quid est necessariũ. *Notandum est quartò pro exacta huius intelligentia, quòd vt agens denominetur tale à termino actionis, vltra dicta necessarium est, quòd Verbum significãs talem actionem determinatè, & in particulari importet illum terminum, qui includitur in conceptu talis actionis: vndè rectè dicitur, Petrus loquitur verbo, amat amore, arbor floret floribus, nõ tamẽ dicitur, arbor producit flores floribus, Petrus format verba verbis, spirat amore amorẽ quia scil. in verbo florere importatur effectus, videlicet flores in particulari, & non in verbo producere.*

Vrgebis. *Vrgebis, isti sunt sol. g. domificatur domificat domo ædificator ædificat ædificio generans generat genito, spirans spirat Spiritu S. & tamen in his verbis importantur intimè, & in particulari ipsi termini, ergo.* Resp. talis terminis importatus in particulari, debet complere actionem. *Resp. quòd licèt id requiratur, tamen id solùm non sufficit, sed oportet, quòd talis terminus importatus in particulari, importetur, vt quid complens actionẽ, & vt id, quo agens attingit obiectum, seu effectum. nam si importatur solùm, vt terminus vltimò productus, non valet denominarè agens, vt dictum est, & hoc contingit in propositionibus adductis; domus enim, ædificium, genitum, & Spiritus S. non sunt id, quo attinguntur à suis principijs, sed sunt termini vltimi.*

1220. 5. Nota actio medio termino intrinseco potest reflecti supra suum principium. *Notandum est vltimò quòd quãdo terminus intrinsecus, quę diximus pertinere ad complementum actionis, recipitur in ipso agẽte, vt in subiecto, vel respicit ipsum, vt obiectum, aptimè potest actio mediante tali termino reflecti supra suum principium, non quidem quatenus agens est, sed quatenus habet rationẽ subiecti, aut obiecti, respectu illius termini, vt v.g. arbor, quę producit in se florẽ, dicitur florere se floribus: & si ignis produceret in seipso calorem, diceretur calefacere se calore: & si quis ex cognitione, & amore sui producit Verbum, & amorẽ, verè diceret se verbo, & diligeret se amore producto, nunquam tamen diceretur se producere. si autẽ nec recipiatur in illo, vt in subiecto, nec respiciat illud subiectum, non potest reflecti actio supra eum, sed solum supra terminum, & sic non dicitur, quod Pater gigneret, se spiret se, & producat se, quia termini harũ actionum, vt ijs nominibus exprimuntur, nec recipiuntur in suis principijs, nec respiciunt illa, vt obiectum.*

1221. Corollarium explicatur quomodo Pater, & Filius diligunt se Spiritu sãcto. *Ex dictis in his notionalibus colligitur, quod Pater, & Filius diligunt se, seu dicuntur diligere se, nõ solùm dilectione notionali, quę est actio productiua Spiritus S., sed etiam ipso Spiritu S. tanquam persona producẽte per modũ amoris, in quo omnis dilectio continetur, quia licèt Spiritus S. non sit forma, neque actio ipsorum, sed tantum terminus actionis; pertinet tamen ad complementum ipsius actionis notionalis, sicut Verbum ad complemẽtum intellectionis, ita vt non dicantur Pater, & Filius per dilectionem notionalem attingere obiectum, quod diligunt, nisi mediante Spiritu S. sicut neque Pater per intellectionem notionalem dicitur attingere obiectum, nisi mediante Verbo: vndè optimè dicitur, Pater dicit Verbo, Pater, & Filius diligunt Spiritu S.*

1222. Ad 1. Resp. neg. consequentiam. *His positis Resp. argumentis, quibus conuictus Torres q. 37. art. 2. fatetur ignorare solutiones, & ad 1. Durandi Resp. neg. Conseq. quia intelligere, & scire in diuinis solùm stat essentialiter; vnde meritò retractauerit Aug. illas propositiones: at verò diligere potest accipi essentialiter, & notionaliter.*

Ad 2. Respon. *Ad 2. Resp. quòd licèt sit eadem actio diligere notionaliter, & spirare, seu producere distinguuntur tamen in modo significandi spirare enim stat purè notionaliter, diligere verò stat mixtè pro eo, scil. quod est diligendo producere, & sic neg. Conseq.*

Instabis. *Instabis. Si eadem actio est diligere notionaliter, & spirare, & similiter dicere notionaliter, & spirare, & similiter dicere notionaliter, & generare: ergo si diligunt se notionaliter, spirant, & generant se.*

Resp. actum notionalem, posse significari per terminum. *Resp. notando, quod actus notionalis potest significari per terminum exprimentem solùm habitudinem notionalem, scil. productionem termini: huiusmodi sunt generare, & spirare, & isti nequeunt reflecti supra sua principia, alio modo possunt significari per terminum exprimentem habitudinem ad terminum, & ad obiectum, vt diligere, & dicere: quapropter isti vocantur mixti, & tunc optimè potest actio reflecti supra principium, vt notabili 5. dictum est, ex quo patet solutio.*

1223. Ad 3. Resp. conced. ma. de actũ notionali puro. & negatur de mixto. *Ad 3. Resp. disting. Ma. actus notionalis purus, qualis est spirare, & generare, concedo: actus verò notionalis non purus, sed mixtus, nego, quales sunt diligere, & dicere notionaliter. Cuius discriminis ratio est, quia actus purè notionales tãtùm respiciunt terminum productum, & ideò solũ ipsũ denotant; actus verò mixti nõ solùm respiciunt terminos productos, sed etiã sua principia, ex quorum cognitione, vel amore procedunt, vnde alij secundò respondent, quòd actus notionalis, quatenus includit aliquid essentiale, potest reflecti supra suum principium: & alij tertiò, quòd quando principium includitur obiectiuè in actione notionali, optimè potest reflecti talis actio supra principium, ita vt sit sensus, quòd reflectitur supra principium, non quia producat ipsum, sed reflectitur supra ipsum, vt supra*

vt supra obiectum cognitionis, & amoris. Quarè in hac propositione Pater, & Filius diligunt se Spiritu S. illud relatiuum se, non refert terminum productum, sed refert obiectum, in quod actus notionalis dicit habitudinem.

Ad 4. Resp: conced. cōseq. *Ad 4. Resp. conc. Conseq. negatur tamen, quòd faciat hunc sensum, ergo producunt Spiritum S. Spiritu Sancto, sed istum ergo diligendo Spiritum Sanctum, vt obiectum, ex cuius etiam dilectione procedit, spirant Spiritum S. sicut ista est vera, Pater dicit verbum Verbo, quia reddit hunc sensum, Pater generando Verbum, exprimit, & declarat ipsum Verbum, quia procedit etiam ex cognitione sui.*

Ad 5. Respondetur. *Ad 5 quod esset optima Conseq. si inferret, ergo non spirat Spiritu S. falsum tamen est, quia dicit, ergo non diligit Spiritu S. cuius rationem tam sępè assignauimus.* Ad 6. Respondetur. *Ad 6. conceditur, quod ista sit vera, Pater diligit Filium, etiam notionaliter, nego tamen, quòd habeant istum sensum, Pater spirat Filium, sed istum, Pater diligendo Filium spirat Spiritum S. qui sensus verus est, & catholicus, & idem potest dici de Filio respectu Patris. Ad 7. Scoti patet solutio ex dictis in notabili ante solutionem argumentorum, & specialiter ad Confirm. ex quinto notabili.*

1224 Alia sententia opposita. *Alia sententia opposita asserit, propositionem istā, Pater, & Filius diligunt se Spiritu S. esse veram, etiam de dilectione notionali, ita D.Th. 1. p. q. 37. art. 2. D. Bonauent. Ricard. & Scot locis cit. illamque concedunt D. Aug. D. Bern. D. Hieron. & alij plures, quos refert Mag. in 1. d. 10. & 32. licèt ipse ibi hanc quæstionem difficilem admodum appellet, eamque continere altitudinem nimiæ profunditatis asserat, & ideò illam insolutam relinquit: hanc etiam sententiam defendunt Commentatores D. Th. non excepto Molina hoc loco, qui clarius defendit sententiam Durandi.*

1225 Tertia sententia media. *Denique tertia sententia inter has media est asserentium, istam propositionem de amore essentiali, & similiter de notionali; esse tamen veram de amore medio, aut mixto ex essentiali, aut notionali. dicunt enim in illa propositione, ly* diligunt, *dicere dilectionem essentialem, connotando: notionalem ita plures discipuli D. Thomæ, & Scoti. Veritas huius sententiæ constat ex tertia conclusione.*

QVÆST. XXXVIII. D.Th.

De Nomine Spiritus Sancti, quod est donum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum donum sit nomen personale.

SVMMA ARTICVLI. D.Th.

Conclusio est affirmatiua. Prob. conditiones Doni sunt tres. Prima, quòd sit alicuius, s. donantis. Secunda, quòd detur alicui. Tertia, quòd non ex debito detur ei, cui datur. Sed persona diuina est alicuius, s. filius est Patris per originem; & Spiritus S. Patris, & filij per processionem. Et sibi conuenit alteri dari, s. creaturę rationali, quæ tantùm potest vti, & frui diuina persona, & ei datur absq. alio debito, cum creatura rationalis, adhoc, quod est frui diuina persona, naturali virtute peruenire non possit. ergo diuinæ personę conueniunt rationes doni, & conuenienter donum potest nominari.

Arg. 1. Omne nomen notionale in diuinis importat aliquam distinctionem. Sed nomen doni non importat aliquam distinctionem. ex Aug. 15. de Trin. c. 9. ergo. Resp. neg. mi. ad prob. dicit, quod donum sit alicuius dupliciter intelligi potest, vno modo, quod sit alicuius, quia habet originē ab eo, alio modo dicitur alicuius, quod eo potest vti, & frui. Aug. loquitur secundo modo. sed donum est proprium Spiritus S. primo modo, quia sic importat distinctionem.

Arg. 2. Essentia diuina est donum, quod Pater dat filio. ergo. Resp. dist. Ant. est donum identificatum cum donante, conced. est donum dantis per originem tantùm; sicut filius est donum Patris, & Spiritus S. est donum vtriusq. neg. Anteced.

Arg. 3. nomen doni importat quandam subiectionem, & seruitutem ad eum, cui datur, & ad eum, à quo datur. ergo. Resp. neg. Antec. donum enim prout est nomen personale in diuinis, non importat aliquam seruitutem, vel subiectionem, sed tantùm originem à dante; & liberum vsum, & fruitionem in eo, cui datur.

Arg. 4. Nomen Doni dicitur de Deo ex tempore, cum importet respectū ad creaturas; ergo non est personale, quia personalia dicuntur ab æterno. Resp. neg. Antec. donū enim dicitur non solùm, quod actū datur, sed quod habet aptitudinem, vt possit dari; ab æterno enim diuina persona habuit, quòd possit dari. Et ad prob. donum non importare ad creaturas respectum primariò, sed secundariò, vt supra dixi; ideō sufficit, vt includat essentiam.

DISPVTATIO CLXXXXIX.

An Donum dicatur in diuinis personaliter, vel essentialiter.

Petet 1. Quid sit donum? 1226 Petes 1. Resp. Donum esse rem alicuius, qui liberaliter eā alteri conferre potest.

Resp. ex D. Th. hic Donum est res alicuius, qui liberaliter eam alteri conferre potest ad vsum, seu fruitionem. *Dicitur primò,* Res alicuius. *Quia ad hoc, vt aliquid donari possit ab aliquo, oportet, vt sit illius à quo donatur, vt ex ipsis terminis patet. Quia verò tripliciter potest esse res alicuius, vel per identitatem, iuxta illud Augustini,* quid tam tuum est, quàm tu? *vel per originem, quo pacto Filius dicitur esse Patris, vel tandem tanquam possessio, vt seruus, ideò verò ad rationē doni solum desideratur, quod sit alicuius vno ex tribus modis.*

1227 Explicatur particula, *qui liberaliter eam alteri conferre potest.* *Additur deinde,* qui liberaliter eam alteri conferre potest. *Tum, vt denotetur, quod actio per quam res illa conferenda est, debet esse omninò liberalis, & irreddibilis, sine spe compensationis, vnde quia essentia diuina communicat Filio à Patre, non communicatur omninò gratuita, & liberalis, sed naturalis, & necessariò: propriè non dicitur donum, sed lata quadam significatione, & impropriè. item additur hæc particula ad differentiam doni, & dati, nam ad rationem doni non est necessaria actualis datio, sed satis est, quod sit in potentia proxima, & expedita talis donum, vt detur. Vnde Filius ab æterno habuit esse donum, non tamen donatum, aut datum.*

Explicatur ad vsum, aut fruitionem. *Additur tandem particula illa,* ad vsum, aut fruitionem; *vt denotetur, quòd cum vsus, & fruitio sint actus voluntatis, quorum alter circa finem, & alter circa media est, donum propriè sumptum dicit necessariò ordinem ad rem voluntate prædictam, tanquam ad id cui confertur: quoniam illi soli propriè loquendo sit donum, qui eo vti, & frui potest.*

1228 Tria clauduntur in ratione Doni. *Ex hac tota definitione doni sic explicata sequitur primò, tria claudi in ratione doni, scil. rem donabilem,* que

quæ denominatur donum: habitudinem ad id, à quo datur, idest ad donatorem: & respectum ad eum, cui datur. Secundò sequitur diuinam essentiam & singulas personas ab æterno habere rationem doni, cum ab æterno habeant aptitudinem, vt donentur. Tertiò sequitur, non solùm Spiritum Sanctum, sed etiam essentiam, & Patrem, & Filium propriè dici donum; cum eis conueniat tota doni definitio.

1229 Donũ dicitur de Deo essentialiter, siue absolutè; nam vt dicit habitudinem ad donatorem, & ad eũ, vi donari potest, est cõmunis tribus personis.

Quartò sequitur, donum pluribus modis de Deo dici: Primo essentialiter, siue absolutè. Nam ratio doni prout dicit rem donabilem, & prædictam duplicem habitudinem scil. ad donatorem, & ad eum, cui donari potest, communis est tribus personis, & essentiæ, conuenit enim primò Deitati communicari per gratiam, & gloriam rationali creaturæ: personis autem consequenter. Relatio verò ad donatorem, vt scil. ipsius sit res donabilis, personis omnibus, & essentiæ congruit, quamuis diuerso modo, nam essentia conuenit per identitatem, personis verò per identitatem, & originem; respectus verò ad eum cui donari potest, constat esse ad creaturam intellectualem, quia sola creatura rationalis potest re liberè data vti, vel frui, vt dictum est.

Donum dicitur de Deo, quasi notionaliter.

Secundò dicitur de Deo donum quasi notionaliter, quatenùs scilicet donum significat id, quod donantis est per originem, quæ ad notionem pertinet, & sic de duabus tantùm personis procedentibus dici potest, nempe Filio, & Spiritu Sancto, quatenus amor est, cui conuenit ratio primi doni, per quod omnia dona gratuita donantur.

1230 Petes 1.

Petes 2. An donum in Deo dicatur personaliter, & essentialiter.

Resp. affirm. declaratur ex Philosopho ratio Doni, quod Donum alicuius alicui datur.

Resp. affirmatiuè, ita D. Thom. hic. Prob. quia ex Phil. lib. 4 Top. loco 54. Donum alicuius alicui dicitur, & datio alicuius alicui dicitur; est autem datio genus doni, nam donum datio irredibilis est, hoc est non datur ad hoc, vt accipiens reddat danti, hoc enim esset venditio, & quæstus potius quàm donum; aut non inferat aliquod malum, quod ab eo timet, quod esset nõ donum, sed Redemptio: neque etiam est datio, qua dans reddit alicui aliquid, quòd illi dare teneretur, vel ex iustitia, vel ex fidelitate, vel ex gratitudine, vel ex aliquo alio debito: hæc enim datio esset solutio debiti, & satisfactio potiùs, quàm donatio; sed est datio merè gratuita ex cognitione boni, & puro amore, & liberalitate illud largiendi, absque vllius retributionis intuitu. Ad essentialem igitur doni rationem requiritur primò, vt sit aliquid dantis. Secundò vt detur alicui, quem donatarium iuristæ vocat. Tertiò est motiuum, vt ex parte donatarij nullum sit ius accipiendi, & ex parte donatoris nullum sit debitum dandi.

Essentia diuina est sui ipsius, & aliarum personarum per identitatẽ.

Sed essentia diuina est sui ipsius, & aliarum diuinarum personarum per identitatem, sicut etiam singulæ personæ sunt hoc modo suipsius; & insuper Filius est Patris per originem, & Spiritus Sanctus est Patris, & Filij per processionẽ ab illis, & deinde tam essentia diuina, quàm personæ possunt conferri rationali creaturæ ad vsum, & fruitionem ab eo, cuius tàm essentia, quàm personæ sunt aliquo ex modis prædictis. Quia ad hoc, vt conferantur, & sint rationalis creaturæ, non est necessaria aliqua mutatio ex parte Dei, aut diuinarum personarum, sed satis est mutatio ex parte creaturæ rationalis, quatenus per productionem noui effectus, prædicta essentia, & personæ sunt in creatura illa speciali vinculo vnitæ, ipsaque creatura potest speciali ratione habere prædictam essentiam, & personas diuinas.

1231 Deus dicitur donari Iusto: quia mediante gratia incipit esse in eo speciali modo, tanquam in templo.

Quo pacto Deus dicitur donari homini iusto: quia per mutationem ipsius, mediante gratia, & charitate incipit esse in eo speciali modo, tanquam in templo, & amico suo, & obiectum intimæ cognitionis, & amoris: & similiter in Patria Deus donatur Beatis, quia per mutationem eorum mediatè gratia consummata lumine gloriæ, & charitate, est illis diuina essentia vnita, & ipsi ea fruuntur, & persona verbi donata est humanitati Christi per mutationem ipsius humanitatis, ac etiam Spiritus Sanctus donatur à Patre, & Filio iustis, vt ab eis speciali vinculo teneantur, & in ipsis peculiariter media gratia, & charismatibus eis informatis inhabitet. Et tandem actio, per quam omnia ista donantur, est omninò gratuita, & liberalis, & nullo modo debita: quia cuncta prædicta sunt supra facultatem creaturæ rationalis, & Deus in illis conferendis, quæstum suum, aut vtilitatem non quærit: sed ipse, cùm sit maximè liberalis, ex pura, & gratuita voluntate, non ex debito, hæc omnia illis confert.

1232 Petes 3.

Petes 3. Quomodo differant in ratione doni, essentia, & Pater ex vna parte; Filius, & Spiritus Sanctus ex alia?

Resp. inter se differunt persona Filij, & Spiritus S. ex vna parte; & diuina essentia, & persona Patris ex alia, in ratione Doni.

Resp. Et si omnibus iam dictis competat ratio doni in communi: nihilominùs postea inter se differunt persona Filij, & Spiritus Sancti ex vna parte; & diuina essentia, nec non, & persona Patris, imò; & persona Filij, & Spiritus Sancti, vt intelliguntur donari à seipsis, ex alia. Quoniam diuersimodè participant rationem doni: siquidem Filius, quia est Patris; & Spiritus Sanctus, quia est Patris, & Filij per originem, sicut habent diuersam rationem essendi alicuius, ac habent essentia, & omnes personæ, vt sunt sui ipsius per identitatem, ita, & participant diuersimodè rationem doni. Et propterea Filius, & Spiritus Sanctus sunt donum notionaliter, & personaliter: quia esse donum alicuius per originem, tantùm competit ipsis. Essentia verò diuina, & omnes personæ, vt sunt vnus Deus, sunt donum essentialiter: quemadmodum, & omnes personæ, vt seipsas donare possunt, & sunt suipsius, possunt omnes illæ dici donum essentialiter, prout ly essentialiter distinguitur à dono notionaliter præcisè, idest ab illo, quod est proprium alicuius, vel aliquarum personarum tantummodò, non verò omnium.

1233 Petes 4.

Petes 4. An donum dicatur ex eo quod actu datur, an ex eo, quod habet aptitudinẽ, vt possit dari?

Resp. Donum nõ dici ex eo, quod actu datur, sed ex eo, quod habet aptitudinem, vt dari possit.

Resp. Donũ nõ dici ex eo, quòd actu datur, sed ex eo, quòd habet aptitudinem, vt dari possit, ità D. Thom. hic ad 4. hanc quæstionem mouet in terminis D. August. lib. 5. de Trinit. cap. 15. & respondet his verbis: Spiritus Sanctus, quia sic procedebat, vt esset donabile, iam donum erat, & antequàm esset, cui daretur, quod sic probat. Aliter enim intelligitur, cùm dicitur donum, aliter cùm dicitur donatum; nam donũ potest esse, & antequam detur, donatum autem nisi datum fuit, nullo modo dici potest. Vndè duo colligo; Primum, personam diuinam esse donum in æternitate, sed etiam in priori signo rationis antequam concipiatur Deus per liberum voluntatis suæ decretum velle illum dare: tunc enim ita decernitur, quia præsupponitur persona donabilis, ac proinde propriè donum.

Diuina essentia est donum in æternitate.

1234 Relatio Donati in tempore, & relatio verbi terminantis natura humanã; conueniunt personis.

Secundum, rationis relationes, quæ Deo in tempore conueniunt per ordinem ad creaturas tẽporaliter existentes, non solùm conuenire ratione essentiæ, cuiusmodi sunt relationes creatoris, Domini, Conseruatoris, & pleraque aliæ; sed etiam ratione personæ, cuiusmodi est hæc relatio donati, & alia relatio, quæ conuenit soli personæ Verbi, vt terminantis Vnionem hypostaticam per propriam suam personalitatem, nam operatio ad extra, qua ad hanc terminationem assumpta est humana natura Christi est communis toti Trinitati.

1235 Petes 5.

Petes 5. An donum in diuinis constituatur per habitudinem ad donandum fundamentalem, an vero per formalem?

Resp. ad rationem Doni; vt sic, repertam in diuinis, non requiri formalem habitudinem; sed sufficere fundamentalem.

Resp. Ad rationem doni, vt sic, repertam in diuinis non requiri habitudinem formaliter talem inter donantem, & donum; sed satis esse fundamentalem; hæc autẽ non requirit distinctionem realem, quia in eis quæ sunt vnum, & idem realiter; potest requiri relatio fundamentalis, seu fundamentum ad hoc, vt secundùm rationem nostram referantur. & quamuis, vt detur in Deo potentia generatiua, requiratur distinctio realis inter Patrem generantem, & Filium genitum, quia potentia generatiua importat ordinem originis formaliter: ius ad donandum non importat ordinem originis formaliter, sed satis est, quòd modus sit illius, à quo donatur aliquo ex modis realibus, quibus vnum potest esse alterius, inter quos connumeratur, quòd aliquis sit alterius per realem identitatem: ex quibus apparet, quod essentia diuina in hoc sensu habet verum rationem doni respectu Patris per identitatem; in tertio verò quæsito licèt asseramus, non habere rationem

proprium

proprium doni, non loquuti sumus in hoc sensu, sed secundùm omnes particulas, considerauimus enim donum pro actione gratuita, hic verò vt est res alterius.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Donum sit proprium nomen Spiritus Sancti.

SVMMA ARTICVLI D Th.

CONclusio. Donum secundùm quod personaliter sumitur, est proprium nomen Spiritus Sancti. Prob. persona procedens per modum amoris, siue, vt amor, procedit in ratione primi doni. Amor enim habet rationem primi doni. Quia donum est propriè datio irredibilis secundum Philosophū, quod scil. non datur intentione retributionis, & sic donum importat gratuitam donationem, cuius gratuitæ donationis ratio est amor, quem primò damus ei, cui aliquid gratis damus, & propterea amor habet rationem primi doni, & est ratio, qua omnia alia dona dantur; sed Spiritus S. procedit, vt amor: ergo.

Arg. 1. Filius in diuinis etiam datur. Isa: 9. Filius datus est nobis; ergo est etiam donum. Resp. neg. conseq. quia licèt Filius detur, cum non detur ex vi suæ processionis, quia non est amor, ideò non dicitur donum; sicut licèt Spiritus S. sit similis, quia hoc non habet ex vi suæ processionis, ideò non dicitur imago.

Arg. 2. Nomen donum non significat aliquam proprietatem in diuinis; ergo. Resp. neg. Antec. nomine enim doni importatur proprietas originis Spiritus Sancti, quòd est processio, dictum est enim supra, quòd donum personaliter sumptum debet esse dantis per originem.

DISPVTATIO. CC.

An esse donum ex vi propriæ processionis sit proprium solius Spiritus Sancti?

1236
Concl. affirm. Prob. Donum non datur intentione retributionis.

COncl. affirm. est D Th. hic. Prob. Donum propriè loquendo est ratio irredibilis secundùm Philosophus idest, non data intentione retributionis, importat gratuitam donationem, ortam ex gratuito, ac puro liberali amore: & ita amor ille est ratio cuiusuis donationis gratuitæ, & primum donū, quod donatur tribuitur illi, cui per amorem vult alia dona: sed solus Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis procedit, vt Amor, vt patet ex dictis supra qu. 27. & 35. ergo solus Spiritus S. ex vi suę processionis procedit, vt primum donum.

Cōfirm. quia conuenit spiritui Sancto ex vi suæ rationis formalis

Confirm. Quod conuenit alicui per se, & ratione sui, & alijs quodammodò per illud, conuenit ex vi suæ rationis formalis, vt patet in calore, qui ratione sui calefacit, cætera verò per ipsum sunt calida: sed Spiritui Sancto per se, & ratione sui competit esse donum: quoniam Verbū ex vi suæ rationis formalis non est Amor: sed imago: ergo. &c.

1. Euasio.

Dices 2. Verbo ex vi suæ processionis formalis communicatur natura diuina: ergo & Amor diuinus, qui se habet per modum proprietatis eiusdem naturæ.

Resp. dist. consequens.

Resp. dist. conseq. & Amor diuinus: ex vi suæ formalis processionis, negatur: quia Verbum, vt est terminus formalis primarius suæ processionis, seu terminus qui, non est amor, sed imago expressa obiecti: ex vi suæ processionis secundariò, & materialiter acceptæ conceditur.

1237
Vrgebis.

Vrgebis. Spiritus Sanctus, vt donum est tantùm respectu creaturum, & tamen non procedit ex vi suæ processionis ex illis, neque, vt existentibus, neque vt possibilibus ex supradictis. ergo &c.

Resp. Ad rationem doni importantis solummodò rem alicuius, aptam proximè donari, satis esse Amorem, qui, quantùm est ex se, habet omnem actualitatem requisitā adhoc, vt sit amor gratuitus, & purè liberalis creaturarum rationalium, quibus donum conferendum est. Sic autem sumpto amore, Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis formalissimè sumptæ procedit, vt amor notionalis creaturarum; secùs verò Verbum, propterea ille, nō verò illud, habet, quòd ex vi suæ processionis procedat, vt donum.

Resp. ad rationē Doni sufficere rationem Doni gratuiti.

1238
2. Euasio.

Dices 2. in Spiritu Sancto esse Amorem, & esse donū sunt duæ rationes virtualiter distinctæ. ergo, licèt ex vi suæ processionis procedat, vt Amor, non benè colligetur procedere, vt donum; sicut propter eandem distinctionem virtualem, quam habet amor notionalis cum natura diuina, non benè colligitur, procedit formaliter, vt Amor, ergo formaliter, vt Deus.

Resp. sicut ratio Verbi, & Filij est relatiua ad Patrē, ita ratio doni notionalis est relatiua ad Donatorem.

Resp. neg. Antecod. quia sicut ratio Verbi, & Filij est relatiua ad Patrem, & ad principium. quod dicendi ita etiam ratio doni notionalis habet relationem ad donatorem: & similiter ratio Spiritus, aut amoris spirati, vt talis; nec ratio spiritus, vt nomine amoris ob penuriam nominum exprimitur. Et ideò quemadmodum in filio vna, & eadem relatio absque distinctione virtuali importatur in recto in ipso, vt Verbo, & vt Filio, eademque natura in obliquo vtrobique affertur. quia Filius in ordine ad Patrem non potest habere nisi vnicam tantummodò relationem: ita in Spiritu S. vt spiritu, & vt amore, modis dictis sumpto, ac tandem, vt dono, tantùm importabitur vna, & eadem relatio absq; distinctione virtuali: quia in ipso nequit in ordine ad Patrē & Filium esse, nisi vnica relatio & relatio amoris, vt spirati, & Spiritus Sancti, vt talis, nec non & relatio doni est in ordine ad Patrem, & Filium, quorum est ipse Spiritus S.

1239
Vrgebis. 1

Vrgebis. 1. Ratio doni desumitur ex ordine ad creaturas, quibus donari potest, & ita dicit de formali ordinem donabilitatis ad id, cui donandum est: Resp. neg. esse hanc propositionem. Quia donum notionale potius dicit de formali, & in recto relationem ad donatorem, & similiter amor, vt notionalis, seu, vt spiratus, qui est idem in Spiritu Sancto, ac donum notionale, hoc habet; quamuis vtrumque in obliquo dicat amorem, vt communicatum per voluntatem.

Vrgebis 2. Resp. Donum notionale dicere in recto relationem. Resp. ad rationē primi Doni sufficere, quid fit amati per vnionem affectiuam.

Vrgebis 2. De ratione doni est est, vt fiat, aut fieri possit eius, cui datur, & dari potest, in eoque recipiatur; cùm tamen amor non recipiatur in amato, sed in amāte. Ergo ratio amoris, & doni virtualiter distinguuntur. Resp. neg. conseq. Nam loquendo de primo dono, non est de ratione eius, quòd fiat amati per inhæsionem, sed satis est, quòd fiat eius per vnionem affectiuam: quatenus amans vnà cùm amore, & medio illo, intelligitur esse quodammodò vnitus cum amato, & sic ab illo possideri.

1240
2. Euasio.

Dices 2. si semel donum notionale dicit in recto, & formaliter relationem realem ad donatorem, cuius est, fiet inde, quòd sicut Spiritus S. ex vi suæ processionis, & proprietatis personalis est donum, ita etiam Verbum, siquidem ratione proprietatis personalis dicit ordinem originis ad Patrem, & dicit in obliquo naturam Dei, ratione cuius dicit ordinem, aut quasi ordinē ad creaturas.

Resp. ad rationemDoni desideratur, quòd procedat ex amore gratuito.

Resp. neg. paritatem, quia ad rationem doni potissimè desideratur, quòd procedat ex amore purè gratuito, & liberali, ac proinde requiritur amor ex vi suæ processionis quòd non conuenit Verbo: Nam aptitudinem, quam dicit donum ad hoc, vt detur; potest attendi, vel ex parte ipsius dati, vt nimirum dicat potentiam, quasi passiuā; vel ex parte dantis, idest, vt denotat potentiam quasi actiuam: & talis aptitudo ei competit, vt est à donante dabile liberaliter, idest, ex amore gratuito: constat autē, Verbum non habere hunc amorem ex vi processionis, benè tamen Spiritum Sanctum.

1241
3. Euasio.

Dices 3. Spiritus S. non habet rationem doni, nisi quia includit amorem essentialem; ergo Amor essentialis habebit per priùs, & per se primò, quòd sit donum.

Resp. Amori essentiali per se primum

Respond. dist. conseq. Amor essentialis &c. est per se primo donum essentiale, conced. donum notionale, negatur, nam & si ratio primi doni essentialis conueniat

per

conuenire Amorem essentialem; nō vero notionalem.

per se primò Amori essentiali; secus verò ratio primi doni notionalis, nam hæc conuenit per se primò Amori notionali; Spiritus Sanctus enim non habet rationem doni notionalis ab amore essentiali, tanquam à ratione formali, & in recto importata in dono notionali, vt tali; sed rationem istam solùm importari in obliquo à dono; & non vtcumque, sed vt est quodammodo propriùs Spiritus Sancti, idest, vt communicatus per voluntatem eidem Spiritui Sancto, & ex vi processionis ipsius formaliter sumptæ. Amor autem sic sumptus, & communicatus non conuenit Verbo, sed soli Spiritui Sancto, & ideò solus ipse est amor, & donum notionale.

1242 4. Euasio.

Dices 4. Deum non agere in creaturas, nec douare illis aliquid per amorem proprium vnius personæ, sed per amorem communem toti Trinitati, aliàs operationes ad extrà non essent indiuisæ; ergo ratio primi doni non conuenit Spiritui Sancto.

Resp. Deum posse amare creaturā per proprium vnius personæ tanquàm termino.

Resp. Nullum esse inconueniens, quòd Deus donet, aut diligat creaturas per proprium vnius personæ, non quidem tanquam per rationem agendi: sed tanquam termino: qua ratione Pater, & Filius diligunt se Spiritu Sancto, & eodem modo diligunt creaturas Spiritu Sancto tanquam termino, vt constat ex illis, quæ dixit D. Thom. supra qo. 37. art. 2. ad 1.

1243 Filius datur ratione amoris essentialis à tota Trinitate; & à Patre amore notionali.

Propterea Filius datur ratione amoris essentialis à tota Trinitate, tanquam à ratione quodammodo agendi, saltem in obliquò desideratur prædictus amor, & insuper datur à Patre amore personali, scil. Spiritu S. tanquam termino: quia Pater non solùm Filium, sed etiam se, & nos diligit Spiritu Sancto, quia diligere, prout notionaliter sumitur, non solùm importat productionem diuinæ personæ, sed etiam personam productam per modum amoris, quæ habet habitudinem ad rem dilectam. Vndè sicut Pater dicit se, & omnem creaturam Verbo, quod genuit, ita diligit se, & omnem creaturam Spiritu Sancto.

QVAEST. XXXIX. D. Th.

De Personis ad essentiā relatis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in diuinis essentia sit idem, quod persona.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio. Essentia, & Persona in diuinis distinguuntur tantùm secundùm rationem; Personæ verò ab inuicem distinguuntur realiter. 1. Pars prob. Relatio in diuinis comparata ad essentiam, est idem cū ea realiter, differens tātùm secundùm rationem. Personæ diuinæ sunt ipsæ relationes subsistentes. ergo. 2. Pars prob. Relatio comparata oppositæ relationi, distinguitur realiter ab ea virtute oppositionis. Personæ diuinæ sunt ipsæ relationes, vt dictum est; ergo.

Arg. 1. in quibuscumque essentia est idem, quod persona, oportet, quod sit tantùm vnū suppositum vnius naturæ, vt patet in Angelis, sed in diuinis est vna essentia, & tres personæ. ergo. Resp. ma. esse veram in creatis, non autem in Deo. Nam in creatis supposita non possunt distingui per relationes, cum sint accidentia, sed per principia essentialia, & ideò multiplicatis supppsitis, multiplicatur natura numeraliter. secus est in diuinis, vt ex se patet.

Arg. Affirmatio, & negatio non possunt simul verificari de eodem, sed dicimus essentiam esse vnam, personam non esse vnā. ergo. Resp. dist. ma. de eodem, quod sit idē secundùm rem, & rationem, conced. vbi secundùm rationem, non est idem, vt in casu nostro, neg. distinctio enim rationis sufficit ad saluandam affirmationem, & negationē de eodem, quod est idem tantùm realiter.

Arg 3. Nihil subijcitur sibi ipsi. Sed persona in diuinis subijcitur essentiæ. ergo. Resp. dist. mi. subijcitur essentiæ secundùm rem, neg. secundùm rationem conceditur. Est enim persona secundùm rem idem cum essentia. Sed quia nos nominamus diuina secundùm modum rerum creatarum, & quia naturæ rerum creatarum indiuiduantur per materiam, subijciuntur naturæ speciei, inde est, quòd indiuidua dicantur subiecta, vel supposita, & sic nominamus personas diuinas supposita.

DISPVTATIO CCI.

An in diuinis essentia sit idem, quod Persona.

COnclusionis affirmat. tàm veritas, quàm veritatis certitudo, rationibus, & authoritatibus abundè probata remanet ex dictis supra qu. 28. vbi quæritur, Vtrum relatio in Deo sit idem, quod sua essentia. Cùm .n. persona in diuinis præter essentiam, nihil aliud importet, nisi relationem, quidquid probat relationem esse, aut non esse, idem cum essentia, vel essentia cum relatione. probat pariter, personam esse, aut non esse idem cum essentia, vel essentiam cum persona. 1244 Concl. constat ex dictis suprà, vbi ostendimus relationes esse de conceptu essentiæ.

Solum differentia est, quia relatio latius patet, quā persona propter quartam relationem spirationis actiuæ, quæ non est personalis; sed hæc differentia nihil facit ad præsentem quæstionem de identitate cum essentia, respectu cuius identitatis est eadem planè ratio de omnibus diuinis relationibus, tàm personalibus, quàm nō personalibus; sed tantùm facit ad aliam quæstionem de identitate huius quartæ relationis cum alijs tribus. de qua pluribus disputatum est ibidem qu. 28. An Relatio latiùs pateat, quàm persona.

Neque ad rem ipsam quidquam refert, quòd ibi facta fuerit comparatio inter relationem, & essentiam, quarum alteram includit, hic verò comparatio fiat inter essentiam. docente S Th. supra qu. 33. art. 3. ad 1. Cōmunia includuntur in intellectu propriorum, sed nō è conuerso, in intellectu enim personæ Patris intelligitur Deus, sed non cōuertitur; *quoniam in hac q. de identitate essentiæ cum persona, non consideratur essentia, vt inclusa in persona, sed vt non includens totum id, quod includit persona, scil. relationem personalitatis: sicut à contrario non consideratur persona, vt includens essentiam, sed vt includens personalitatem non inclusam, saltem explicitè in conceptu essentiæ. Igitur hic etiam re ipsa quæritur, vtrum essentia sit idem, quod relatio personalitatis: quemadmodum idem in re est quærere v. g. an rationalitas distinguatur ab humanitate, includente rationalitatem, & animalitatē, ac quærere, an rationalitas distinguatur ab animalitate.* 1245 Hic quæritur an persona distinguatur ab essentia, sumitur persona, vt non includens essentiā.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum sit dicendum tres personas esse vnius essentiæ.

SVMMA ARTICVLVS D. Th.

COnclusio; in diuinis conuenienter dicimus; essentiam trium personarum, & tres personas vnius essentiæ. Prob. simul, & Declaratur. Quia in rebus creatis dicimus formam quamcumque esse eius, cuius est forma: dicimus .n. quod Sāctitas, humanitas, siuè pulchritudo est hominis. Rem autē habentē formā nō dicimus esse ipsius formæ simpliciter, sed sēper addimus aliquod

adiectiuum

adiectiuum significans illam formam. v. g. licèt dicamus, quòd pulchritudo sit mulieris, tamen nō dicimus, quòd mulier sit pulchritudinis, sed semper addimus adiectiuum dicendo, quòd mulier est ægregię formæ, & magnæ bonitatis. &c. ergo in diuinis pari ratione possumus omninò dicere simpliciter, quòd essentia sit personæ, siuè personarum. Sed non dicimus simpliciter, quòd persona sit essentia, sed additur adiectiuum dicēdo, quod tres personę sunt vnius essētię.

Arg. 1. Personæ diuinę sunt per substantiā tria secundùm Hil. in lib. de Synodo. ergo. Resp. disting. ly substātiam, & si nomine substantię intelligatur essentia, & sic neg. Antec. vel intelligatur hypostasis, & sic verum est. quòd personæ sunt tres per substantiam; i. tres hypostases.

Arg. 2. tres personas esse vnius essentię non est expressum in sac. scriptura. ergo. Resp. neg. conseq. quia licèt non sit expressum per hæc precisa verba; inuenitur tamen quantum ad sensum. Sicut ibi, Ego, & Pater vnum sumus: & alibi.

Arg. 3. Natura diuina est idem cum essētia; ergo sufficit dicere, quòd tres personæ sunt vnius naturæ. Resp. neg. conseq. quia dicere, quòd sint vnius essentię magis exprimit diuinam vnitatem. Nam cum natura designet principium actus, siuè actionis: omnia, quę conueniunt in aliquo vno actu, possunt dici vnius naturę. Puta, quia omnia calida conueniunt in actu calefaciendi, possunt dici vnius naturæ, s. calidę. Essentia verò desumitur ab essendo, & ideò illa tantùm possunt dici vnius essentiæ, quorum est vnum esse.

Arg. 4. Non conuenit dici, quòd persona sit essentię, sed quòd essentia sit personę. ergo. Resp. neg. conseq. nam propter rationem cōclusionis, conuenienter dicitur, quòd essentia est personæ absolutè. non autem, quòd persona sit essentię, nisi addendo aliquod adiectiuum.

Arg. 5. Casus obliqui, genitiuus, datiuus; &c. non sunt minus transitiui, quàm hę propositiones tres personę sunt, ex, vel, de, vel ab vna essentia. Sed hoc non potest dici. ergo. Resp. neg. ma. non enim est eadem ratio; nā omnes illæ propositiones significant habitudinem causę efficientis, vel materialis, quę quidem causę in omnibus à suis effectibus distinguuntur. cùm verò dicimus, tres personas esse vnius essentiæ, genitiuus ille significat habitudinem causę formalis: personę enim in diuinis sunt idem, quòd sua forma, ideò &c.

Arg. 6. Dicere, quod tres personę sint vni' essentiæ pot. fr. esse erroris occasio, secundùm Hilar. l. b. de Synodo. ergo. Resp. quòd licet possit esse errandi occasio illa propositio non benè intelligentibus hanc responsionem: sed propter hoc non debet omitti talis locutio.

DISPVTATIO CCII.

An sit dicendum, tres personas esse vnius essentię.

1246 Concl. affirm. certa secundū fidē, ex scholaicis, & Concil. docentibus personarum consubstantialitatem patet.

CONcl. affirmatiua certa secundum fidem, quia ita loquuntur omnes Scholastici, & Patres, & Concilia. dum docent, & confitentur diuinarum personarum consubstantialitatem, quam solam significare voluerunt dicendo, tres personas esse vnius essentię. In re certissima, & frequentissimè ab omnibus inculcata satis fuerint grauiora testimonia, ac verba primò Concilij Nicæni l. 2. prope finem, in 9. His hoc modo *Vbi ita decernitur.* Visum est omnibus nostris, consubstantiale in Ecclesiastica fide definiri oportere, ad eum modum, quo & post Apostolos Sancti Patres nostri fidem hanc tradiderint: hoc est, confiteri Filium, & Spiritum Sanctum eiusdem substantię cum Patre. Quam fidem omnes Nicez congregati Sancti Episcopi confirmarunt. *Vbi, quod Græcè dicitur, vsia, hoc est essentia, versum latinè est substantia; quia, vt docet S. Th. supra q. 29. art. 3. ad 3. fine,* Nomen substantiæ communiter accipitur apud nos pro essentia.

1247 Licet substantia, prout dicit rationem substandi minùs Deo conueniat, non verò, vt dicit rationem subsistendi.

Quamuis enim substantia, quantum deriuatur à ratione substandi, minùs Deo conueniat, cum illi repugnet esse subiectum substans accidentibus, vt supra tom. 1. q. 3. propter quod Aug. l. 7. de Trin. c. 5. post med. ait, Manifestum est, Deum abusiuè substantiā vocari, vt nomine vsitatione intelligatur essentia, quod verè, & propriè dicitur, ita vt fortasse solū in Deum dici oporteat essentiam, est enim vere solus, quia incommutabilis est, idque nomen suum famulo suo Moysi enuntiauit cum ait, Ego sum qui sum, & dices ad eos, qui est, misit me ad vos; *quia vt dixerat in fine præcedentis capitis,* Ab eo, quod est esse, appellatur essentia; *& S. Th. 1. d. 8. q. 4. art. 2. ad 1. sequutus Augustinum, scribit,* Deum non omnino propriè potest dici substantia: *tamen in quantum deriuatur à ratione subsistendi, seu per se essendi, vnde eam deriuat ipsemet Aug. cit. c. 4. dicens,* Ab eo, quod est subsistere substantiam dicimus, *absque vlla impropietate Deo tribuetur.*

1248 Definitur eadem veritas in Act. 11. & in Concil. IV. Toletan.

Vndè in actione 11. Sophronius in sua ep. initio professionis fidei, credit, in Spiritum S. vere Patri, & Filio coæternum, consubstantialem, eiusdem essentiæ, atque naturæ. *Et paulò post,* Sancta Trinitas identitate essentiæ, atque naturæ coniungitur. *Quarto Toletan VI cap. 1. initio dicentes,* Credimus, & profitemur Patrem, & Filium, & Spiritum S. vnius essentiæ, vniusque naturæ. *Et initio professionis fidei dicit etiam Toletan. XI. & sæpè in sequentibus repetit,* vnius substantiæ, vnius naturæ, *& vt ait Bracaren. I can. 1.* vnius substantiæ, *similiter Bracaren. III. in symbolo fatetur,* Filium Dei, homousion Patri, hoc est eiusdem cum Patre substantiæ. *Sicut etiam Basil. ep. 73. paulò post med.* nos, *inquit,* homousiastas, siue homousianos probosè vocant; propterea quod Filium cum Patre homousion, hoc est eiusdem essentiæ confitemur.

1249 Quomodo in scripturis inueniatur tres personas esse vnius essentię

Quamuis igitur, vt eruditè distinguit S. Th. hic ad 2 Tres personas esse vnius essentiæ, non inueniatur in Scriptura hæc verba, *quę nimirum explicitè dicant, tres personas esse vnius essentię,* inuenitur tamen, quantum ad huuc sensum. *Tres enim personæ dici verè non possent vnum absolutè, & simpliciter, nisi essent vnius essentiæ identificantis sibi omnia, quæ in illis tribus personis distinctionem inter se efficiunt.*

Constat eadē veritas ex illis verbis Matth. Baptizantes eos in nomine Patris.

Præterea verbis illis Matt. vlt. Baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, *non solùm probatur Trinitas personarum, sed etiam vnitas essentiæ; quia non solùm nominantur tres distinctæ, sed illis etiam tribuitur vnicum nomen, quod est vna virtus, atque authoritas, & consequenter vna Deitatis natura: alioqui alias creatas naturas cum natura Dei Patris æqualiter connumerare in Sanctificatione animæ per Baptismum appareт euidenter absurdum.* Non enim, *inquit Basil. lib. 3. contra Eunomium aliquanto post principium,* fas est, creaturis connumerare eum, qui in diuina, & beata Trinitate connumeratur. *Et vt expendit Ambros. l. b. 1. fidei cap. 1. dictum est,* in nomine, non in nominibus; *quia, inquit,* vnus Deus, & vnum nomen, & vna potestas, vna est Trinitas.

Idem constat Auct. D. Fulgent.

Nam, vt interpretatur Fulgent. ad vltimam obiectionem Arrianorum, non longè à fine, istud est nomen Domini, præter quem, aliud non nouimus.

Dei igitur

Dei igitur nomen, ac natura aquè conuenit Patri, Filio, & Spiritui S. Atque in hoc testimento tantum vim inesse senserunt ipsimet Arriani, vt referantur, Baptizando tacuisse illud, in nomine, *& dixisse tantum,* Baptizo te in Patre, & Filio, & Spiritu Sancto: *vt sic scil. non vnam, sed tres naturas significarent.*

1250 Ratio conclusionis, quia essentia comparata ad personas à nobis concipitur sicut natura specifica creata in ordine ad indiuidua.

Ratio demùm conclusionis explicata in corp. & ad 4. hæc breuiter est, essentia diuina comparata ad personas, ita à nobis concipitur, sicut in creaturis concipitur natura specifica comparata ad indiuidua, seu supposita, in quibus est, ergo concipitur, vt forma personarum, & personæ concipiuntur, vt habentes talem formam. Sed in tali casu cum loquimur de forma simpliciter, nō dicimus rem formæ, sed formam rei, v. g. non dicimus hominem Sanctitatis, vel doctrinæ, sed contra Sanctitatē, vel doctrinam hominis: cùm verò loquimur de forma cum adiectione alicuius adiectiui, quod designat, seu determinat illam formam ad talem rem, cuius est forma, solemus dicere, rem formæ, v. g. hominem perfectæ virtutis, magnę doctrinæ, &c.

1251 Rectè dicim⁹ Tres personas esse vnius essentiæ.

Sic igitur, vt significemus talem essentiæ formam determinatam ad personas diuinas, nempe vnam essentiam esse trium personarum, adijciendo ad essentiā adiectiuum, vnius, rectè dicimus, Tres personas vnius essētiæ, vt intelligantur isti genitiui construi in designatione formæ: *tametsi verè non persona sit forma essentiæ, sed essentia sit forma personę. Et in resp. ad 3. acutè aduertit,* quod magis exprimitur vnitas diuina per hoc, quod dicitur, quòd tres personæ sunt vnius essentiæ, quam si diceretur, quòd sunt vnius naturæ; quia natura designat principium actus, essentia verò ab essendo dicitur; *& ideò inquit,* possunt dici aliqua vnius naturæ, quæ conueniunt in aliquo actu, sicut omnia calefacientia, sed vnius essentiæ dici non possunt, nisi quorum est vnum esse. *Quod conuenit solùm diuinis personis quæ respectu diuinæ essentiæ vnum omninò, atque indistinctum esse debent.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum nomina essentialia, vt hoc nomen Deus, singulariter tantùm, vel etiam pluraliter prædicentur de tribus personis; itā vt possint dici tres dij.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio. Nomina substantiua diuina prædicantur singulariter: adiectiuo verò pluraliter. 1. Pars prob. nomen substantiuum accipit vnitatem, vel pluralitatem à forma; quia significat per modum substantiæ, s. per se stantis. Sed nomen Dei, & alia substantiua, quæ de Deo dicuntur significant vnam tantùm formam existentem in tribus personis immultiplicatam. ergo. 2. Pars prob. nomina adiectiua sumunt vnitatem, & pluralitatem à suppositis, quia, significant per modum accidentis, ergo cùm in diuinis sint tria supposita, benè dicimus tres sapientes, tres existentes, tres eternos, &c.

Arg. 1. Nomen significans habentem Deitatem, prædicatur pluraliter de tribus personis. Sed hoc nomen Deus significat habentē Deitatem, ergo. Resp. dist. mi. significat habentem Deitatem, secundùm rem, conced. secundùm modum significādi neg. nam Deus dicitur substantiuè, & habens Deitatem dicitur adiectiuè.

Arg. 2. Gen. 1. hæbraica veritas habet Elohim, quod potest interpretari Dij. ergo. Resp. neg. conseq. quia diuersæ linguæ habēt diuersum modū loquendi. vndè sicut propter pluralitatem suppositorum Græci dicunt tres hypostases; ità & in hebræo dicitur pluraliter Elohim s. Dij. nos autem hæc non dicimus propter rationem conclusionis.

Arg. 3. Nomen Rei pluraliter prædicatur in diuinis, ex Aug. de doct. christ. c. 5. & est essentiale. ergo. Resp. dist. ma. prædicatur pluraliter, vt est absolutum, neg. vt est relatiuū, conced. nomen .n. Rei, cùm sit transcendens, potest spectare ad essentiā, & ad relationes.

Arg. 4. Nomen personę prędicatur pluraliter de tribus personis. ergo hoc nomen Deus: pari ratione. Resp. neg. conseq. quia nomina substantiua multiplicātur ad pluralitatem formarum; vndè cùm Deitas non plurificetur; nec Deus: personalitas verò, quę est forma significata à persona, multiplicatur, cùm sint personalitates, .i. tres proprietates personales in diuinis. ideò &c.

DISPVTATIO CCIII.

An Nomina essentialia concreta, adiectiua, vel substantiua prædicentur pluraliter de personis.

1242 Petes 1.

PEtes 1. An Nomina essentialia in concreto adiectiua prædicentur pluraliter in diuinis.

Resp. affirm. quia plurificātur, sicut accidentia, ad plurificationem subiecti.

Resp. affirm. ità D. Th 1 dist. 9. q. 1. art. 2. Prob. Nam sicut accidentia, quia habent esse in subiecto, ideircò ex pluralitate subiectorum plurificantur, ità, quæ significātur per modum accidentis, seu per modum alteri adiacentis plurificabuntur ad pluralitatem suppositorum, ac proinde adiectiua in diuinis, vt æternus, *v. g.* immensus, *licèt sint nomina notionalia, seu significantia aliquid pertinens ad essentiam, prout essentia distinguitur à relationibus, vt contingit in hoc nomine* æternus, *prædicabuntur pluraliter in diuinis.*

1253 1. Instantia.

Dices 1. ex D. Athanasio, in diuinis non dantur tres æterni, sed vnus æternus: & tamen nomen hoc est adiectiuum: ergo &c.

Respondetur.

Resp. nomina adiectiua aliquando sumuntur vt substantiuorum, & sic sumpta dicuntur singulariter; quamuis accepta, vt sunt adiectiua debeant dici pluraliter.

2. Instantia.

Dices 2 Nomina adiectiua præcipuè significant formam directè, iuxta illud Aristotelis: Album solā qualitatem significat. *ergo nisi forma multiplicetur, nequibit prædictum nomen multiplicari.*

Resp. Nomen adiectiua significare formam alteri adiacentem.

Resp. dist. Antec. præcipue significant formam, *vtcumque, negandum est, per modum adiacentis subiecto, conceditur: deinde distinguendum est consequens,* Nisi forma multiplicetur, *ratione sui, negatur: ratione subiecti, quod in obliquo affert: conceditur; nam vnitas, & pluralitas formæ significatæ nomine adiectiuo non est absoluta, sed quasi respectiua: propterea pluralitas non debet esse ratione sui, sed per ordinem ad subiecta, seu quasi subiecta, vt sunt personæ diuinæ.*

1254 Vrgebis.

Vrgebis, & si accidentia multiplicantur ex subiecto, tanquam ex radice, attamen accidentia ipsa in se formaliter multiplicantur: nec stare potest multiplicatio radicalis, seu multiplicatio subiecti sine multiplicatione formali accidentis: & ideò licèt albedo, significata per album habeat suam vnitatem à subiecto, vt ex radice, attamen ipsa est hæc, & non illa, formaliter ex se.

Resp. Forma quando est in subiectis inadæquatis, non plurificatur ex ipsis ex parte sui.

Resp cùm accidens habeat tantum vnum subiectum adequatum, tunc plurificatur ex subiecto tanquam ex radice, & ex seipso formaliter, seu ex habitudine, quam dicit ad tale subiectum. Si daremus aliquod accidens, seu quasi accidens, vt in diuinis perfectionibus, quod esset in pluribus subiectis realiter distinctis, sed inadequatis, tunc ex plurificatione talium subiectorū, cùm sint inadequata, solùm multiplicatur adiacentia eiusdem formę, non ex parte sui, sed ex parte subiectorum, ex parte quorum stat talis diuersitas.

1255 Petes 2.

Petes 2. An Nomina concreta essentialia, & substātiua v. g. Deus, &c. prædicentur pluraliter in diuinis.

Res. neg quia substantia ratione sui habet esse, & vnitatem.

Respond. negatiuè. Nomina concreta essentia, & substantiua non prædicantur pluraliter in diuinis. ita D. Th hic, & communiter Thom. Prob. substātia, sicut ratione sui, & suæ formæ habet per se esse, ita ratione sui, & eiusdem formæ habet vnitatem, & pluralitatem, sed formæ essentiales, ac substantiuæ non plurificantur in diuinis;

diuinis. ergo neque nomina essentialia, & substantiua plurificabuntur in diuinis.

1256 1. Confir. quia substantiua significatur per modum per se stantis.

Confirm. ideò adiectiua plurificantur in diuinis, quia eo ipso. quod significantur per modum alteri adiacentis in distinctis suppositis habent diuinitatem adiacentiæ ratione suppositorum, vnde multiplicari possunt, ergo eo ipso. quòd forma significetur per nomen substantiuum, & per se stantis, non poterit multiplicari tale nomen, quin forma multiplicetur.

2. Confirm. ex forma, quæ reperitur in substantia materiali.

Confirm. 2. licèt in substantia materiali forma habeat vnitatem à materia, tanquam à radice nihilominùs si prædicta substantia significetur nomine substantiuo, vt v. g. Leo, *non significatur per modum adiacentis illi subiecto, sed per modum per se stantis, & habentis se esse, & vnitatem. & ideò, quòd ibi principaliter per modum formæ significatur, est ipsa forma totalis ibidem inuenta, scilicet natura Leonis includentis per modum partis materialis: vt ita prædicta forma significetur, vt per se, & ratione sui tribuens vnitatem suo concreto: ergo prædicta nomina, sicut significant formam per modũ per se stantis, non possunt multiplicari, quin prædicta forma multiplicetur.*

1257 Oppos. sent. 1. Obiectio.

Oppositam sententiam tenet Gabriel. 3. dist. 1. quæst. 2. art. 3. dub. talia nomina substantiua esse in rigore multiplicabilia in diuinis, non vero ex vsu Ecclesiæ. Arg. 1. ex Genesis 1. vbi hebraica veritas habet: In principio creauit Elohim cælum, & terram, quod potest interpretari Dij, siue iudices.

Resp. *Elohim* significat principalius personas.

Resp. quòd si in Hebreo dicatur Elohim, *idest* Dij *in numero plurali, hoc ideò est, quoniam apud Hebreos nomen* Elohim *significat principalius proprietatem personarum: sicut apud Græcos dicuntur* tres hypostases, *& apud latinos* tres personæ.

2. Obiectio.

Arg. 2. quia propter multiplicationem suppositorum concedimus in diuinis tres. habentes Deitatem; ergo tres Deos ex rigore sermonis.

Resp. ly *Deus* est nomen substantiuũ: secùs y tres habentes Deitatem.

Resp. neg. Conseq. quia licèt Deus significet habens Deitatem, *est tamen alius modus significandi in hoc nomine Deus, & in hoc habens* Deitatem. *nam ille significat substantiuè, iste verò adiectiuè. & ideò, licet de rigore sermonis sint concedendi tres habẽtes Deitatem, non verò, tres Dij.*

1258 Petes 3.

Petes 3. An generaliter loquendo, ad multiplicationem concreti substantiui requiratur multiplicatio formarum, & suppositorum: an vero sufficiat sola multiplicatio formarum.

Resp. ad multiplicationem nominis substantiui, requiri multiplicationem formę & suppositi.

Resp. Ad multiplicationem nominis substantiui generaliter requiri multiplicationem formæ, & suppositi. Ita D. Th. 1 dist. 9. q. 1. art 2. & communiter Thom. 1. Pars prob. quoniã sicut concretũ substantiuum significat per modum per se stantis, habentisq; e per se: ita significat eandem formam, vt habentem per se vnitatem, vel pluralitatem, & dantem eam suo concreto. Et ideò, nisi prædicta forma multiplicetur, nequibit prædictum concretum multiplicari, omnia constant ex superiori quæsito.

Concreta substantiua non plurificantur, non plurificatis suppositis.

Ratio verò secundæ Partis, nempè concreta substantiua non multiplicari, non plurificatis suppositis; Probatur: & si forma in concretis substantiuis sit ratio formalis vnitatis, vel pluralitatis eorum: nihilominùs ad pluralitatem prædictorum concretorum requiritur per modum conditionis pluralitas suppositorum: ergo nisi hęc multiplicetur, nequeunt prædicta concreta plurificari. Anteced. prob. Nam & si in Patre æterno sint duæ potentię actiuę, nempe potentia generatiua, & spiratiua non tamen ideò dicuntur duo principia. Et similiter licèt Verbum assumeret duas naturas humanas non tamen ideircò diceretur duo homines; sed vnus: ex eo quod vtrobique deest pluralitas suppositorum.

1259 Confirm. 1. vt plurificentur duo concreta, oportet, vt vnus non sit alius.

Confirm. 1. Nam vt multiplicentur concreta, & dentur v. g. duo homines, oportet, vt verificetur, quòd vnus non sit alius: siquidem eo ipso, quòd vnum concretum sit aliud, non manebunt illa concreta multiplicata, & distincta: sed ad hoc desideratur multiplicitas suppositorum; ergo prob. Minor. nam in Christo Domino, in quo duæ naturæ, nempè diuina, & humana, sunt in vna, & eadem persona Verbi, verificatur, quòd hic homo, idest Christus, est hic Deus, & quod hic Deus est hic homo. Quòd si in Christo Domino id est verum propter vnitatem suppositi; multo magis in aliis concretis. siquidem natura diuina, & humana vnitæ in Christo Domino, multo magis distant inter se, quàm duæ humanitates assumptę per diuinam potentiam à Verbo.

Confirm. 2. Et si prædicatum realiter distinctum à subiecto possit in prædicatione formali prædicari de illo, vt constat in hac propositione, Homo est quantus. *attamen hoc ideò est, quia prædicatum hoc, & alia similia habent se per modum formæ respectu subiecti. At dato, quod Verbum assumeret duas humanitates, & prædicaretur, quòd vnus homo esset alius, tunc non ideò propositio ista esset vera, quia vnus homo haberet se per modum formæ respectu alterius. ergo ideò vere diceretur, quod vnus homo esset alius, quia prædicta concreta realiter non multiplicarentur.* 1260 2. Confirm. nã si Verbum assumeret duas humanitates, esset vnus homo.

Confirm. 3. Communicatio idiomatum, quæ reperitur in Christo; debet fundari in aliqua vnitate, & identitate: at nulla est aptior, quàm ea, quæ tollit multiplicitatem concretorum substantiuorum in eo: siquidem eo ipso optimè verificabitur, quòd hic Deus (signato Christo) est mortuus, & hic homo est Creator. ergo ob eandẽ rationem, nempè ob defectum multiplicationis suppositorum, dabitur identitas concretorum substantiuorum, quotiescumq; plures formæ per modũ substantiæ in concreto significatæ attulerint vnum, & idem suppositum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum nomina essentialia concreta possint supponere pro persona, vt possit dici, Deus genuit Deum

SVMMA ARTICVLI D Th.

CONclusio affirm. Prob. Nomina significãtia Deitatem, vt in habente ipsam, possunt pro persona: vt patet à simili in hoc nomine homo: quod, quia significat humanitatem, vt in habente, potest supponere etiã pro supposito naturę humanę: sed hoc nomen Deus, & quælibet alia essentialia concreta significant Deitatem, vt in habente: ergo.

Arg. 1. Nomen singulare significans essentiã supponit pro essentia, & non persona. nã, vt aiunt sophistę, terminus singularis idem significat, & supponit. sed hoc nomen Deus est terminus singularis. ergo. Resp. dist. mi. singularis tantùm, nego: & communis, conced. conuenit enim cum termino singulari, & communi. Cum singulari, quia sicut forma significata per singularem, non plurificatur; ita forma significata nomine Dei: conuenit cum terminis communibus, quia sicut forma significata per terminum communem est in pluribus, ita forma significata hoc nomine Dei.

Arg. 2. Cùm dicitur Deus creat, ly Deus supponit pro essentia. ergo etiam quandò dicitur, Deus genuit, ly Deus supponit pro essentia, nam subiectum nunquam variatur quo ad significationem, per diuersitatem prędicatorum. Resp. neg. conseq. & prob. esse veram de subiecto, quod non potest pro aliqua alia re supponere: & quia nomen Dei habet, quod significet, & supponat, non solùm pro essentia, sed etiam pro persona, ideò variato prædicato, poterit vel pro vno, vel altero supponere.

Arg. 3. si hæc est vera Deus genuit Deũ, quia Pater generat; pari ratione hæc est vera, Deus non generat; quia filius non generat: ergo est Deus generans, & Deus non generans: & ita videtur sequi, quòd sint tres dij.

Resp.

Resp.neg.cõseq.ratio verò negationis trahenda est ex differentia, quæ est in supponendo, inter hoc nomen Deus,& inter nomẽ v. g. homo, & nomina naturarũ creatarum quia licet vterque possit supponere pro forma, & pro habente formã: differunt tamen quia, si huic nomini, Deus, nihil addatur, trahens ipsum ad supponendũ pro persona, semper supponit pro forma; secus est nomẽ homo, vt consideranti patet, & Ratio huius est, quia natura diuina significata hoc nomine, Deus, est vna, & cõmunis secundũ rem; secus est natura humana, ideò licèt quando dico Deus generat, ly Deus supponat pro persona ratione adiuncti. quando verò dicitur, quòd Deus non generat, quia nihil additur trahens ly Deus ad personam filij: cũ nõ generare conueniat etiã essentię ideo,&c.

Arg.4. Si Deus genuit Deum, aut se Deũ aut aliũ Deum. Sed non se Deũ,ex Aug.7.de de Trin.c.1.neq;alium:quia non est nisi vnus Deus. Resp. neutram illarũ locutionum esse admittendam,non secundam,propter rationem tactam in arg.non primã, quia ly se,cùm sit reciprocum,refert suppositum,& esset sẽsus,quòd Deus generaret seipsum.

Arg.5.si Deus genuit Deum, aut Deũ,qui est Deus Pater,& sic Pater esset genitus: aut Deum,qui non est Deus Pater,ergo Deus,& qui non est Deus Pater,quòd est falsũ.Resp. Deus genuit Deũ,qui non est Deus Pater,.s. filiũ,& hęc ęst vera,& alia falsa vt ex patet,&c.

DISPVTATIO CCIV.

An nomina essentia in concreto, supponant pro personis,

1261 Petes 1.

PEtes 1.An Nomina essentialia in concreto sumpta, possint supponere pro personis?

Resp.affirm. Probatur auth. D.Th.

Resp.affirmatiuè. ità D.Th hic art.4. & 1. dist. 4. quęst. 1.art. 2.ad Annibal. dum his verbis: sciendum est,quòd hoc nomen Deus,quandoque supponit pro essentia, quandoque pro persona, quandoque pro vna,quandoque pro pluribus. Quòd supponere possit pro essentia,hinc est,quia in diuinis res naturæ,& natura non differunt,vt Deitas,& Deus. Quòd pro vna persona, hoc est ex vi nominis,quia imponitur ad significandum essentiam in supposito,cùm sit nomen substãtiale concretum,vt homo: quòd pro pluribus personis,hoc est, quia forma, à qua imponitur Deus est vna non multiplicata,scil.ipsa essentia in tribus personis. *Vnde S.Doctorem sequuntur eius discipuli.*

1262 Ratio. Quia hoc nomen Deus potest supponere pro habente Deitatem.

Ratio est. Quia nomina essentialia v. g. hoc nomen Deus, *potest supponere pro habente* Deitatem*: sed tres personæ diuinæ, sunt habentes* Deitatem*: ergo hoc nomen* Deus *potest supponere pro illis. Confirm. hoc nomen* Homo *ex modo significandi habet supponere pro habente humanitatem: ergo cùm hoc nomen* Deus *ex modo significandi habeat supponere pro habente* Deitatem *poterit supponere pro personis diuinis habentibus ipsam.*

Instabis.

Dices. hoc nomen Deus *non significat personas diuinas propriè loquendo siquidem non est impositum ad significandum illas, & nihil significet, nisi ex suppositione: ergo neque potest propriè supponere pro illis. Nam iuxta Arist. in lib.de Periherm suppositio propria est acceptio termini pro re,quam ex prima sua impositione significat.*

Resp Personas diuinas esse significatũ proprium,& mediatum huius nominis Deus

Resp. etsi personæ diuinę non sint significatum proprium, & immediatum huius nominis Deus, *sunt tamen significatum proprium, licèt mediatum illius. Quia sicut essentia diuina per se primò, & immediatè subsistit per subsistentiam absolutam, & ea mediante, habet deinde subsistere in tribus personis diuinis afferentibus proprias subsistentias relatiuas: ita etiam nomen* Deus *significat propriè, & immediatè hunc* Deum *subsistentẽ subsistentia absoluta, & propriè, ac mediatè personas.*

Petes 2. An hoc Nomen Deus quandoque supponat pro essentia,quandoque pro persona,quandoque pro personis,quandoque supponat duas personas? 1263 Petes 2.

Resp. affirmatiuè. Nomina concreta, essentialia, vt Deus, *possint supponere pro singulis personis: nihilominùs aliquando eorum suppositio limitatur, & distrahitur ita vt supponant pro vna, aut pro duabus, aut tribus simul; aut solum pro essentia diuina subsistente per subsistentiam absolutam, iuxtà naturam termini adiuncti, per quem illorum suppositio limitatur, vel distrahitur.* Resp.affirm. explicatur Assertio.

Assertio hęc est D.Th.hic,vbi postquam dixit,nomina essentialia,vt Deus,*posse supponere pro personis, statim addidit:* Quandoque ergo hoc nomen Deus supponit pro essentia,vt cùm dicitur, Deus creat: quia hoc prædicatum competit subiecto ratione formæ significatæ,quæ est Deitas. quandoque vero supponit personam, vel vnam tantùm, vt cùm dicitur Deus generat,vel duas,vt cùm dicitur,Deus spirat:vel tres, vt cùm dicitur,Regi sæculorum,immortali, inuisibili,soli Deo,&c. Authoritate S. Doctoris stabilitur.

1264 Prob. in his propositionibus; *Deus est Trinitas.* &c. Deus supponit pro indiuiduo Deitatis.

Probatur. Quoniam in his propositionibus, Deus est Trinitas, Deus est realiter communis Patri, & Filio, & Spiritui S. *Subiectum supponit pro hoc* Deo, *& nullo modo pro personis: ex eo, quod adiungitur illi prædicatum, quod conuenit ipsi soli, non verò personis, ergo eadem ratione, quoties adiungitur aliquod aliud prædicatum, aut terminus, qui competit vni, aut duabus personis &c. vt contingit in his propositionibus,* Deus generat! Deus spirat, *tunc nomen* Deus *in priori ex illis tantùm supponit pro Patre, qui solus generat; & in posteriori pro Patre, & Filio, quibus tantummodò competit spirare. Sicut etiam in hac propositione.* Deus generat Deum, *diuersimodè afficiens prædicatum, & subiectum, supponit, prout habet rationem subiecti, pro Patre tantummodo, & prout est prædicatum pro solo Filio.*

1265 Nota. 1. Discrimen inter has: *Deus creat*, & *soli Deo honor, & gloria.*

Aduerte 1 quòd discrimen inter has propositiones Deus creat; Soli Deo honor, & gloria; *prouenit ex modo supponendi talis subiecti: ex eo, quod in prima taliter supponat immediatè pro hoc* Deo, *quod habeat mediatè supponere pro singulis personis seorsum, & ideò de quauis sigillatim verificatur, quòd creat: in secunda verò ita supponit pro* hoc Deo *immediatè, vt non supponat, nec supponere valeat pro personis seorsum, sed pro omnibus illis collectiuè; & ideò sub ista propositione,* Soli Deo honor, & gloria, *non licèt seorsum personas designare, ita vt inferatur, ergo soli Patri honor, & gloria, sed designandæ sunt omnes personæ collectiuè.*

1266 Nota 2. Vt terminus distrahat suppositionẽ subiecti, satis esse si per modum prædicati adiungatur subiecto.

Aduerte 2. Satis esse, quòd terminus adhuc per modũ prædicati adiungatur subiecto, liceat non se teneat ex parte subiecti, adhoc, vt limitet, siuè distrahat suppositionem eiusdem subiecti, vt patet in his propositionibus, Deus est Trinitas; Deus est realiter communis Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: *in quibus subiectum supponit determinatè pro hoc* Deo; *& nihilominùs terminus ad iunctus non se tenet ex parte subiecti, sed se habet per modum prædicati. Et similiter hęc propositio* Deus generat Deum, *est admittenda iuxta illud,* Deum de Deo *& tamen in prædicta propositione subiectum supponit pro Patre, & prædicatum pro Filio; quamuis verbum* genuit *non se teneat ex parte subiecti, aut prædicati; Ratio autem, propter quam dicimus, subiectum, & prædicatum huius propositionis supponere modo dicto, & non pro indiuiduo Deitatis, est: quia, quòd conuenit indiuiduo Deitatis, competit omnibus personis diuinis: cùm tamen hoc, quod est* generare, *&* generari, *non conueniat omnibus illis.*

1267 Nota 3. Quod hæc, *Deus non generat*, est falsa propositio.

Aduerte 3. quòd hæc propositio Deus non generat, *est falsa, quia cùm omnis negatiua reducatur ad affirmatiuã, & hę duę propositiones,* Deus generat, Deus non generat *sint contradictoriæ, oportet, vt subiectum supponat pro eodem, & prædicatum vtriusq. limitet subiectum ad hoc, vt pro eodem supponat. Et ideò sicut in hac,* Deus generat, *ly* Deus *supponat pro Patre. sic in ista* Deus non generat, *habet subiectum supponere pro eodẽ Patre, & propterea est omninò falsa.*

In illa propositione ly Deus virtualiter distribuitur.

Adde quòd in hac propositione Deus non generat; *ille terminus* Deus *virtualiter distribuitur, ratione negationis ibidem positæ. & ita ad vnitatem illius non*

satis est, quòd vnum, aut alterum suppositum Deitatis non generet; sed requiritur, quod nullum ex diuinis suppositis habeat generare. & ideò prædicta suppositio est falsa, & opposita est vera.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum nomina essentialia in abstracto significata, vt sunt essentia, Deitas, &c. possint supponere pro persona; ità quòd hæc sit vera, essentia generat essentiam, &c.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

CONclusio neg. Prob. Nomina significantia essentiam diuinam, vt formam abstractam, non possunt supponere pro persona. quia abstracta; & concreta habent diuersũ modum significandi; nam nomen concretũ, v.g. Deus, significat Deitatem, vt in habente. secus nomen abstractum. Sed nomina essẽtialia abstracta significant essentiam diuinã, vt abstractam formam, vt patet. ergo.

Arg. 1. ex Aug. 7. de Trin. c. 1. dicente, quòd Pater, & filius sunt vna sapientia, quia vna essentia, & sigillatim, & sapientia de sapientia; sicut essentia de essentia. ergo. Resp. Sanctos Patres ad exprimendam vnitatem essẽtiæ, & personæ, largius loquuti sunt, quã proprietas locutionis patiatur. vndè huiusmodi locutiones non sunt extendendæ, sed exponende, vt abstracta exponantur pro cõcreta.

Arg. 2. generatis nobis, generantur etiam omnia, quæ sunt in nobis. Sed essentia diuina est in filio, qui generatur. ergo. Resp. neg. conseq. & ratio disparitatis est. quia in creaturis genitum non accipit idem esse numero cum generante, sed aliud, & ideò esset rei genitæ incipit esse cum re genita, & corrumpitur ad eiusdem corruptionem; secus est in diuinis. ideò &c.

Arg. 3. hęc est vera Deus generat, ergo hęc erit vera, essentia generat. quia quando duo sunt idem, quidquid verificatur de vno, debet verificari de altero. Resp. neg. cõseq. & ad prob. veram esse quando aliqua duo sunt idẽ secundùm rem, & secundùm rationem; quòd non contingit in casu nostro.

Arg. 4. illud, quod prędicatur de aliquo, potest supponere pro eo, de quo prędicatur, sicut animal, quod prędicatur de homine, potest præsupponere pro eo: sed essentia diuina potest prędicari de Patre. ergo. Rt. ma. esse verã, si sermo sit de his, quę prædicãtur secũdũ illum modum, quo vniuersale prædicatur de aliquo particulari, vt patet in exemplo allato. falsam verò si sermo sit de his, quę prędicantur de aliquo secundùm identitatẽ: nam possumus dicere, quod homo ridet non autem, quòd humanitas ridet. ita in casu nostro &c.

Arg. 5. Essentia est eadem cum Patre, ergo potest supponere pro generante, ac proinde est essentia generans. Resp. neg. conseq. quia hæc est differentia inter nomina substantiua, & adiectiua; quòd substantiua semper secum ferunt suum suppositũ. adiectiua verò non, sed copulant tantùm. ideò dicimus, quòd essentia est Pater: quia cùm sit substantiuũ, trahit essentiam ad standũ pro Patre. non autẽ possumus dicere, quod essẽntia est generans, quia ly generans, cùm sit adiectiuũ, & copulet tantùm, & non fuerat secum suum suppositũ, sed tantùm ponat suum significatũ circa aliquod; sequeretur, quòd ipsa essentia in abstracto sumpta generaret.

Arg. 6. ex Aug. 4. de Trin. c. 20. asserente, quòd Pater est principiũ totius Deitatis. Sed Pater non est principiũ ad intrà nisi generãdo, & spirando. ergo. Resp. dist. ly Deitatis. nã vel accipitur, vt distincta secundùm rationẽ à personis. & sic nullũ habet principium, vel possumus intelligere nomine Deitatis ipsam personarũ vniuersitatẽ. habet .n. Deitatis nomen aliquã conuenientiam, cum nominibus collectiuis, qualia sunt, senatus, populus &c. & sic potest cõcedi; nec sequitur, quod Pater sit principiũ sui ipsius: sicut nec sequitur, quia aliquis est rector populi, quòd sit rector sui ipsi'.

DISPVTATIO CCV.

An Nomina abstracta essentialia possint in diuinis supponere pro personis.

1268 **Conclusio. Nomina essentialia abstracta non possunt supponere pro personis.**

COnclusio. *Nomina essentialia abstracta non possunt supponere pro personis, ac proinde hanc propositionẽ esse falsam,* Essentia generat. *& sic de alijs similibus,* vt Essentia generatur, & procedit. *Assertio hæc definita fuit in Concil. Lateran. sub Innoc. III. contra Abbatem Ioachim, vbi ipse suam retractauit sententiam, habeturque c. Damnamus de Summa Trinitate, & fide Catholica. idem etiã tuetur D. Th hic, ac eius Discipuli.*

Ratio, quia ly essentia, non significat essẽtiam, vt in habente, sicut ly Deus.

Probatur. Hoc nomen Deus, quia significat diuinam essentiam, vt in habente, ideò ex modo suę significationis eam taliter habet quòd possit supponere pro persona. Et sic ea, quæ sunt propria personarum possunt prædicari de Deo, vt hoc nomine significatur, vt si dicas, quod Deus est genitus, vel generans; *Sed hoc nomen essentia, non habet ex modo suæ significationis, quod significet diuinã essentiam, vt in habente, quia significat illam, vt formã abstractam; ergo neque etiam habebit, quod possit supponere pro personis: ac proinde hæc propositio, Essentia generat, est falsa, sicut & aliæ similes.*

Confirmatur.

Confirm. *Nam si ea, quæ sunt propria personarũ, quibus ad inuicẽ distinguuntur, qualia sunt* generare, & generari, spirare, spirari, *attribuantur essentiæ, significabitur, quòd est distinctio in essentia diuina, sicut est distinctio in personis; hoc autem est contra fidem, vt ex dictis constat. ergo &c.*

1269 **Instabis.**

Instabis. Non minùs distinguuntur Pater, Filius, & Spiritus S. Paternitate, Filiatione, Processione, quàm distinctis originibus, quales sunt generare, generari, *&c. Sed per hoc, quod cõcedatur, essentiã esse Patrem, Filiũ, & Spir. S. non significatur, quod sit distinctio in essentia, nec aliquid falsum ibidẽ innuitur. ergo neq. per hoc, quod concedatur, essentiã* generare, generari, & procedere.

Resp. nominibus substantiuis competere, secum ferre sua supposita; secùs adiectiuis.

Resp. *ex D. Th. hic a. 5. in hoc differre nomina substãtiua, & adiectiua, quòd substãtiuis competit secùm ferre suum suppositũ: adiectiuis verò nonnisi rem significatã ponere circa substantiuũ. Vnde Pater, & Filius, & Spiritus S., quia habent rationẽ nominũ substantiuorũ, ideò quatenus talia sunt, conuenit eis, vt quantumcũq; importent realẽ distinctionẽ adinuicẽ, non applicent illã naturæ diuinæ, sed eam secum retineant in proprijs suppositis: & ideò hæc est vera.* Essentia est Pater, & Filius, & Spiritus S. *Cæterùm* generare, generari, & procedere. *habent rationem nominum adiectiuorum, & propterea distinctionẽ realem, quam important, ponunt circa substantiuum, & sic applicant illam naturæ diuinæ, pro qua essentia supponit, cùm de illa enunciatur, quòd essẽtia* generat, generatur, aut procedit.

1270 **Vrgebis.**

Vrgebis, hinc sequi concedendã esse hanc propositionem, Essentia est generans, generatur, & procedit, *si hæc verba adiectiua sumantur in vi prædicatorum substantiuorum.*

Resp. posse cõcedi, si prædicatum sumatur in vi substantiui.

R*esp. prædictã propositionẽ posse concedi, si illud prædicatum sumatur in vi substantiui, vt si dicatur* essentia est generans, *& exprimatur simul, quod prædicatũ sumitur substantiuè: reddit .n. hunc sensũ;* Essentia est generans: *& sic eandẽ concedere videtur* D. Th. *in præsenti.*

senti, dum decet notionalia substantiua prædicari de essentia in abstracto: absolutè tamen semper debet negari, quia vt in plurimum ly generans *sumitur adiectiuè; & sic damnata est loco suprà citato.*

Oppositã sent. 1. Obiectio.

Oppositam sententiam tenuit Abbas Ioachim, vt refert S. Thom. hic Arg. 1. in Deo *est summa simplicitas, & propterea idẽ omninò est in illo essentia diuina, &* Deus: *ergo sicut* Deus *potest supponere pro personis, & hæc est vera,* Deus generat. *ita, & essentia diuina pro illis supponere poterit; & sic, hæc erit vera,* essentia generat.

Resp. essentia, & Deus differunt in modo significandi

Resp. quòd quamuis sint idẽ ex parte rei concepta, Essentia diuina, & Deus differunt nihilominùs in modo significandi, ad hoc autem, vt duo nomina habeant eundem modum supponendi, non solùm debet attendi ad rẽ significatam, sed etiã ad modũ significandi, & sic solùm ex parte rei cõcepta, hæc alia est vera, Deus est Deitas.

1272 2. Obiectio.

Arg 2. si n. prædicta propositio: essẽtia generat, *esset falsa, maximè quia actiones sunt suppositorũ; sed etiã dicimus, essentia intelligit, existit &c. ergo. Resp. neg. cõseq. & Ratio disparitatis est, quia dantur aliqua verba, quæ possunt prædicari de abstractis, s. illa, quæ significãt proprium actum respectu formæ, quæ in abstracto significatur, vt cum dicitur,* intellectus intelligit *&c. nã in his propositionibus non significatur, quòd forma illa in abstracto sit producens, aut agens, vt* quod, *sed tantùm, quod sit producens, vt* quo: *& prædicatum, quòd significatur nomine adiectiuo non denotat distinctionem realem formæ in abstracto significatæ ab aliquo, quòd sit intrà* Deum, *qualiter significatur, cùm dicitur, quòd essentia* generat, generatur, aut procedit.

Resp dantur aliqua verba, quæ significãt actum respectũ formæ in abstracto; & hæc possit prędicari.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum personæ prædicari possint de nominibus essentialibus concretis, vt possit dici, quod Deus est tres personæ, vel Deus est Trinitas.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COnclusio affirmatiua. Prob. Nomina substantiua, quę habent realem identitatẽ cum diuina essentia, prædicari possunt de ea. licèt n. adiectiua notionalia de essentia prędicari non possint, vt dictũ est art. pręced. tamen substantiua de essentia prędicari possũt. Sed personę omnes, & tres simul sunt idem. Cum diuina essentia, & hęc nomina sunt substantiua, ergo ipsę personę prędicantur de diuina essentia taliter, quòd possit dici, quòd essentia est Pater, filius &c. ac proinde personæ prædicantur etiam de Deo &c.

Arg. 1. ista prędicatio: Homo est omnis homo, falsa est, quia de nullo supposito verificatur: ergo à simili. &c. Resp. neg. conseq. nam vt superiùs dictũ est, hoc nomen, homo, primò, & per se supponit pro aliquo supposito naturę humanę, non verò pro ipsa natura, sicut supponit essentia diuina; ideò propositio Antec. est falsa; non verò nostra cõclusio.

Arg. 2. Inferiora non prędicantur de superioribus nisi accidentali prędicatione, accidit n. animali esse hominẽ. Sed hoc nomen Deus, sicut quodlibet essentiale, se habet ad personas sicut commune ad inferiora ex Damas. lib. 3. Orthod. fid. c. 4. ergo Resp. neg. mi. quia quã do dicimus, Deus, vel diuina essentia est Pater, non est prędicatio tanquã inferioris de superiori, sed prędicatio identica. in diuinis n. nõ est propriè vniuersale, nec particulare.

DISPVTATIO CCVI.

An personę possint prędicari de nominib⁹ essẽtialib⁹

1273 Conclusio. Tres diuinæ personæ prædicantur de nominibus essentialibus.

COncl. *Tres diuinæ personæ prædicantur de nominibus essẽtialibus in abstracto significatis. Ita S. Th. hic nõ tam signatè, quàm exercitè. Non . n. distinguit nomina essentialia abstracta, & cõcreta, sed de illis re ipsa indistincte loquitur, probans,* Deus est tres personæ, *ex eo, quòd dicatur,* essentia est tres personæ. *sequitur vel qui omnes Scholastici cũ Mag l 1. sent. d 4. lit. C ita referẽte, & docẽte* Quidã veritatis aduersarij cõcedunt, Patrẽ, & Spir. S. siue tres personas esse vnũ Deũ, vnã substantiã: sed tamen nolũt cõcedere, vnũ Deũ, siue vnã substantiam esse tres p̃sonas, dicentes, Diuinã substantiã prædicari de tribus personis, nõ tres p̃sonas de substãtia diuina. Fides autẽ Catholica tenet, ac prædicat, & tres personas esse vnũ Deũ, & vnã substantiã, siue essentiam, siuè naturã diuinam; & vnũ Deũ, siuè essentiã diuinã, esse tres personas. *Hos aduersarios fuisse Porretanum dicunt S. Th hic ad 1. & Alens. p p q. 50. memb. 3 art. 2. §. 7. &* Porretani discipulos, *dicit Riccard in fin dist n. l. citate.*

Fides Catholicæ docet, Tres personas esse vnum Deum.

1274 Prob. 1. ex Patribus, prædicantibus Trinitatẽ de Deitate.

Prob. 1. ex Patribus, quos seq dub afferam, prędicantes Trinitatẽ de Deo, qui per Deu intelligunt Deitatẽ *ipsam. Multò. n facilius de* Deitate *omninò abstracta à personis, quàm de Deo, qui est etiam nomen personale, intelligitur, quòd sit tres personæ, sicut faciliùs intelligitur, vnã naturam, quã vnum suppositum identificari tribus suppositis. Quapropter minùs probo, quòd aliqui recẽtiores animaduerterint, minori cẽsura dignũ, qui negat,* Deitas est Trinitas, *quàm qui negat;* Deus est Trinitas; *illã. n. negationem esse erroneã, hanc temerariã tantũ. Sapientius Mag. supra docuit vtramq. propositionẽ catholica fide, teneri, ac prędicari, & cu S. Th secundã probauerit per primã, posteriorã cẽseri nõ potuit, minus certã esse primã, quã secundã*

Prob. 2. Auctoritatibus Concil. Lateran. & Nicæno.

Prob. 2. directis auctoritatibus, & pręcipuè Concil Lateran. sub Innoc. III c. 2. Dãnamus, *vbi omnes credere, & confiteri iubemur,* Quod vna res est, quæ veraciter est Pater, & Filius, & Spiritus S. *& cõtinuò subiectũ propositionis ita explicat,* Illa res, viz. substantia, essentia, siuè natura diuina: *ergo hęc est fidei propositio expressè definita, essentia diuina est* Pater, *& Filius, &* Spiritus S. *Preterea in Concil. Nicęno lib. vol. 9 fin §* Sancta, & magna, & generalis synodus, *ita decernit.* Diuinitas non est vna persona, vt Iudæi opinantur, sed tres personæ vere subsistentes, non solo nomine.

1275 Prob. 3. contra Porretanum ad hominem. qui concedit, *Tres personas esse vnã Deitatem.*

Prob. 3. ad hominẽ. Rectè dat Porretanus, hanc esse de fide, Tres personæ sunt vna Deitas, *sicut etiã docet Bern. l. 5. de consideratione circa med.* Personas ipsas nõ aliud, quã vnũ Deũ, vnam diuinã substantiã, vnã diuinã naturã vnam diuinam, & summã maiestatem fides Catholica confitetur. *Hoc modo loquuntur Ephrem Syrus to 3. Serm de Pœnitentia pag 12. circa fin.* Neque solo a vnitas, neq; Trinitas est Diuinitas, sed vtrũq; simul. *& clariùs in confessione, & sui ipsius reprehẽsione pag. 7 circa prin.* Pater, & Filius, & Spirit⁹ S. tres quidẽ sunt personæ, & vna substãtia, & vna Diuinitas, *& reliqui omnes communiter.*

Ergo concedere debet, Deitatem esse tres personas.

Ergo è conuerso eamdẽ veritatem habere debet hęc, quã Porretanus negabat: Deitas *est tres personę. Conseq. est manifesta, quoniã in vtraq. propositione seruatur eadem terminorũ suppositio: & prima dicens, Trinitas est Deitas, nullam aliam ob causam vera dici potest propter omnimodam vnitatem; & identitatem, quam Trinitas habet cum Deitate; aliter in sensu formali esset falsa, Trinitas est Deitas, quia personalitates Trinitatis identificantur quidem cum natura, sed hac in quidditatiuo earũ conceptu non includitur, & ideò in creaturis, in quibus personalitas distinguitur à parte rei à natura in omni sensu est falsa, Persona est natura, & consequenter est falsa, etiam è conuerso, natura est personalitas.*

Eandem identitatem, quam habet Trinitas cum Deitate, habet Deitas cũ Trinitate.

Sed eamdem vnitatem, & identitatem, quam habet Trinitas cu Deitate, habet etiã Deitas cu Trinitate. ergo non minus vera erit secunda, Deitas est Trinitas Neq. n. Deitas, & Trinitas inuicem comparantur, tanquã superius, & inferius, in quibus, quia non æquè latè patent, superius prędicatur de inferiori, non è contra: v. g. dicitur, Petrus est homo, non tamen propriè dicitur homo est Petrus: sed comparantur solùm, tanquam duo, secundùm rationem tantùm distincta, quę sunt ęquè vnum in re, ęquè latè patent, cùm tàm Trinitas sit Deitati identificata, & à Deitate inseparabilis, quàm è conuerso Deitas sit Trinitati idẽtificata, & inseparabilis à Trinitate. Igitur nulla ratio probabilis potest assignari, ob quam vna potius, quàm alia prædictarum propositionum verificetur. Argumenta proponuntur, ac soluuntur dub. sequenti.

D V-

DVBIVM VNICVM.

An Tres personæ diuinæ prædicentur de nominibus essentialibus concretis?

1476 *Côcl. asserens est fidei propositio, definita à Concil. Later. vbi definitur, Tres personas esse vnã essentiam & substantiã.*

COncl. eædem tres diuinæ personæ prædicantur etiam de nominibus essentialibus in concreto significatis, vt Deus est Trinitas, seu tres personæ, sed Pater, & Filius, & Spiritus S. Hæc ab omnibus recipitur, vt fidei propositio, vt supra, expresse definita à Concil. Lateranen. sub Innocentio III. c. 3. *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quòd vnus solus est verus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus S. tres quidem personæ, sed vna essentia, substantia, seu natura.* Quibus vltimis verbis satis explicat, quod in prædicta propositione, sicut Pater, & Filius, & Spiritus S. supponuntur pro tribus personis, ita Deus supponatur pro sola essentia, & natura abstracta, seu præcisa ab omni personalitate.

In hac propositione, Deus est Trinitas, ly Deus supponit pro concreto essentiali.

Qua explicatione confirmatur, quod superius adnotatum est de æquali certitudine vtriusque propositionis. Confirmatur etiam, quod nomen, Deus, & si extra propositionem indifferens sit ad supponendum pro concreto essentiali, & pro concreto personali tamen in hac propositione, Deus est Trinitas, limitetur ad supponendum pro concreto essentiali, non personali; sicut è contrario in hac alia, Deus generat, limitatur ad supponendum pro concreto personali, non essentiali, vt explicatum est supra art. 4. in disp. & primo dubio.

Eadem veritas ex Scholasticis confirm. præcipue ex D. Th.

Quod Sapientissimi viri probantes hanc Conclusionem expresse docuerunt. S. Th. in fin. Corp. *quia hoc nomen, Deus, per se habet, quòd supponat pro essentia, vt dictum est, ideò sicut hæc est vera, essentia est tres personæ, ita hæc est vera, Deus est tres personæ.* Consentit Alensis supra, ita vniuersaliter, & optime sumens: *Quòd per hunc terminum, Deus, quandoque supponitur essentia, quandoque persona:* & inde inferens, quod quia *essentia significata per hoc nomen, Deus, indiuisa remanet in personis; ideo hæc est vera, Deus est Trinitas.*

1277 *Similiter ex Riccardo docente, terminus ex parte subiecti posse stare ex parte suppositi & ex parte naturæ.*

Similiter Riccardus supra, soluens fundamentum Porretanorum contra prædictam propositionem dicentium, *Quòd terminus à parte subiecti stat pro supposito, & nullum deinde suppositum est tres personæ,* respondet, non valere obiectionem, *quia terminus à parte subiecti potest stare, vel pro supposito, vel prò ipsa natura.* In casu autem nostro stat pro natura, & ideo est vera propositio; *quia, inquit, certum est, quod ipsa diuina natura est tria supposita prædicatione per identitatem.* Et quidem, si cùm dicitur, Deus est Trinitas, supponeretur Deus pro aliquo supposito, esset falsa propositio; quia neque Pater, neque Filius, neque Spiritus Sanctus, est tres personæ, sed vna tantùm.

Idem secundùm aliquos esset, si supponeretur Deus pro supposito in communi, & indistinctè.

Idem esset secundùm aliquos, si supponeretur pro supposito indistinctè, & in communi; quia quod communi alicui termino tribuitur, debet posse tribui singulis particularibus, siue inferioribus sub illo communi termino contentis, v. g. quia homo est risibilis, est animal, & hæc etiam de singulis hominibus prædicantur. Si igitur de nullo diuino supposito prædicatur Trinitas, neque prædicabitur de diuino supposito in communi; Sic esse videtur discursus S. Thomæ in responsione ad 1. quem confirmat exemplo hominis, qui, inquit, *per se habet supponere pro persona: & ideo hæc est falsa, Homo est omnis homo, quia pro nulla supposito verificari potest.* Si igitur cum dicitur, Deus est Trinitas, similiter supponeretur Deus, nõ pro hoc, vel illo supposito diuino, sed pro supposito communi omnibus diuinis suppositis, quæ non sunt, nisi tria, seu Trinitas suppositorum, esset etiam falsa propositio, quia pro nullo supposito verificari posset. Et ideo iuxta prædictã doctrinam ita concludit S. Th. *Vnde licèt pro nullo suppositorum diuinæ naturæ hæc sit vera, Deus est Trinitas, est tamen vera pro essentia. Quod non attendentes Porretani eam negauit.*

1278 *Nota quædam conuenire termino communi communitate inclusionis, quædam vero vt formaliter communi.*

Vbi tamen distinctione opus est: Quædam .n. cõueniunt termino communi, communitate inclusionis omnium particularium, tanquam partium constituentium illud commune, tanquam totum, sicut esse substantiam, & accidens, conuenit enti: & hæc non necesse est conuenire singulis sub illo communi contentis. Quædam vero conueniunt termino cõmuni, vt formaliter communi, non vt formaliter toti; & hæc necesse est cõuenire singularibus particularibus, vt quia homo est risibilis, Petrus, & singuli homines sunt risibiles. Igitur cum dicuntur tres personæ, seu Trinitas, non prædicari de diuino supposito in communi, non est intelligendum de communi primo modo, communitate totius ad partes, sed secundo modo communitate vniuersalis, seu superioris ad particularia, siue inferiora. Prima. n. illa prædicatio, quæ dicitur, suppositum diuinum est Pater, Filius, & Spiritus, vel similiter, ens est substantia, & accidens, est potius prædicatio identitatis, quàm communitatis, vt mox clarius explicabo.

1279 *Eandẽ veritatem Patres passim vsurpãt & vt Catholicam docent.*

Eandem propositionem Patres passim vsurpant, & vt Catholicã docent, omniũ frequentissime Aug. quem solum multis in locis citat Magi. 1. sent. d. 4. lit. C. Nam l. 1. de Trin. c. 6. post princ. exponens illud 1. Timot. 6 *Qui solus habet immortalitatem*, bis ita scribit. *Deus est ipsa Trinitas* & tandẽ ita concludit. *Rectè ergo ipse Deus, Trinitas intelligitur.* & l. 5. c. 8. paulò post prin. *Non tres Deos, sed vnu Deũ dicimus eamdem ipsam præstantissimam Trinitatẽ.* Et lib. c. 7. post med. *Dicimus Deum solum ipsam Trinitatem.* Et in Enchirid. c. 9. post med. *Satis est Christiano credere bonitatẽ Creatoris, qui vnus, & verus est Deus eumq; esse Trinitatem, Patrem scil. Filium & Spiritum S.*

Confirmatur, ex D. Cirillo, Fulgentio, & alijs.

Præterea Cyril. l. 12. Thes. c. 14. fin. *Vnus est Deus ipsa Trinitas.* S. Fulgẽt. de fide ad Petrũ c. 1. circa prin. *Vnu Deum simul Patrem, & Filium, & Spiritum S dicimus esse.* & post pauca *Fides vnũ Deũ prædicat Trinitatem, idest Patrem, & Filium, & Spiritum S* & paulò post ex pluralitate naturarũ in diuinis, tanquam absurdũ infert, quod *vnus Deus Trinitas ipsa non esset;* & subdit *sed quia in illo vno vero Deo Trinitate, non solùm, quòd vnus Deus est, sed quòd Trinitas est, naturaliter verum est, propterea ipse verus Deus in personis Trinitas est.* Deniq; Patres Concilij Toletani XI. in professione fidei multo post prin. ita docẽt. *Nec rectè dici potest, vt in vno Deo sit Trinitas, sed vnus Deus Trinitas.*

1280 *Ratio Conclusionis quia Nomen Deus non est nomen concretum personale, sed etiam nomen concretum essentiale.*

Ratio cõclusionis est eadẽ cũ ratione cõclusionis huius Disp. nẽpè quia, inquit S. Th. *hoc nomen, Deus, per se habet, quòd supponat pro essentia.* Nam ex se, vt probatũ est supra, nõ solùm est nomen concretũ personale, sed etiã nomen cõcretũ essentiale; ergo infert S. Th. *Sicut hæc est vera, essentia est tres personæ, ita hæc est vera, Deus est tres personæ.* Sed prima est vera, vt dixerat paulo antè, *propter realẽ identitatẽ essentiæ, & trium personarũ*, ergo propter eamdẽ identitatem vera est secunda Quod clarissime docuit ad 2. vtriq; propositioni tribuens prædicationẽ eiusdẽ rationis, *Cùm dicitur, inquit, Deus, vel diuina essentia est Pater, est prædicatio per identitatẽ non autem, sicut inferiores de superiori, quia in diuinis non est vniuersale, & singulare.*

1281 *Vnde ly nomen Deus, habet supponere pro habente Deitatem in supposito; & pro ipsa essentia subsistente.*

Nec aliam sensum, nisi identicũ agnoscit Riccard. verbis citatis supra, & ibid. nõ obscure significat Alẽs. dicens, nomen, Deus, supponi pro essentia, nec alium sensũ tribuens huic propositioni, Deus est Trinitas, & aliũ illi, essentia est Trinitas Quod aduerto cõtra aliquos modernos dicẽtes, hanc secundã esse veram in sensu identico, sed primã esse verã in sensu formali: quia, inquiunt, hoc nomen concretũ, Deus, per se habet supponere pro habente Deitatẽ in supposito, non autem pro essentia in se ipsa subsistente. In quo S. Thomæ contradicunt, eiusq; doctrinæ in superioribus probatæ, illi potissimum, quam tradit hic ad 1. & declaraui supra §. *Quod sapientissimi.*

1282 *Cùm dicitur, Deus est Trinitas, Tres personæ prædicantur de inde, aduo Deitatis.*

Si .n. cum dicitur, Deus est Trinitas, esset sensus, diuinũ suppositũ est tria supposita, vel diuinũ suppositũ in subiecto propositionis sumitur, vt quid vniuersale, siue analogicè cõmune ad inferiora supposita, & tunc propositio esset falsa, vt cũ S. Th. probatũ est vbi supra, vel sumitur, vt quid æquiualẽs per identitatem tribus suppositis, sicut cũ dicitur, ens est substãtia, & accidens: & tunc est sensus identicus, non formalis, præterquam

quod

quod est contra intentionem loquentium Theologorum, qui cùm dicunt, Deus est Trinitas, intendunt tres personas prædicare de vno singulari, ac determinato Deitatis indiuiduo, & asserere, illud in tribus personis subsistere per omnimodam identitatem cū illis, & apparet ex se nimis inutilis, imo etiam periculosus ille sensus. Diuinum suppositum est tria supposita: viderentur enim introduci in diuinis quatuor personæ.

1283 *1. Obiectio.* Arg. 1. quod primo loco contra se proponit S. Th. Non dicitur, Homo est omnis homo, ergo, nec dicitur, Deus est tres, & omnes diuinæ personæ.

Alterum respōsio, non probatur, nam, et ly homo supponit pro natura humana tantùm vel pro supposito.

Respondet communiter, conc. Antec & neg. Cōseq. Rationem discriminis aliqui esse dicunt, quia homo non est realiter singularis, & realiter identificatus cum omnibus suppositis suis, sicut est Deus. Quod sumi potest ex Alensi p. p. 50 memb 3. art. 2. n. 7. Corp. dicente, disparitatem esse, quod essentia significata per hoc nomen, homo, diuiditur, & multiplicatur in indiuiduis personis humanis, essentia verò significata per hoc nomen, Deus, immultiplicata, & indiuisa remanet in pluribus personis. & ideo dicit, *quòd si essentia significata per hoc nomen, homo, esset indiuisa in indiuiduis, hæc esset vera. Homo est omnis homo*: sicut hæc est vera, Deus est Trinitas. Hæc responsio non defendit vniuersaliter falsitatem antecedentis. Vel enim homo sumitur ibi pro natura humana tantùm, vel etiam pro supposito. Si primum, cùm natura humana à parte rei sit omnino, aut saltem realiter identificata omnibus singularibus naturis humanis, verum erit in sensu identico, Homo est omnis homo. Si secundum, idem sequitur; quia suppositum humanum analogicè commune omnibus humanis suppositis, omnia in se identicè, & implicite includit; sicut ens includit omnia entia.

1284 *Vera Responsio. quia homo ex natura sua est terminus vniuersalis, habens sub se indiuidua; non verò Deus.*

Defendendo igitur falsitaté antecedentis, assigno aliam disparitaté, quam dare videtur S. Th. ad 1. quia homo est ex natura sua terminus vniuersalis, & superior, habens sub se indiuidua, tanquam singularia, & inferiora; Prædicata autem realia, quę tribuuntur termino vniuersali, debent posse verificari de inferioribus, si non omnibus, saltem de aliquo, sed quod homo sit omnis homo, vt ait S. Th *pro nullo supposito verificari potest*, & pro nullo suo inferiori cum quilibet homo sit aliquis homo, & nō omnis homo, ergo nec de termino vniuersali, Homo, prædicari verè potest omnis homo. At vero Deus, non est terminus vniuersalis, & communis pluribus indiuiduis inferioribus; sed singularissimus, & omninò indiuisibilis, tametsi communis pluribus personis, non quidē, vt inferioribus sub se contentis, sed vt puris terminis per identitatem cum illis; ergo cùm tres personæ de illo prædicantur, non necesse est, illud prædicatum verificari de singulis personis, quia illud non tribuitur Deo, vt vniuersali, sed vt singulari identificato cum pluribus personis, quod nulli personæ cōuenire potest: quælibet enim vna persona ab alia distinguatur necesse est.

1285 *2. Obiectio.* Arg. 2. Istæ sunt propositiones contradictorię, nullus Deus est Trinitas, Deus est Trinitas: Sicut hæc, Nullus homo currit, Homo currit; quoniam prima negatiua vniuersalis, necessario negat, quod affirmatur in secunda affirmatiua indefinita. Sed ex his negatiua est vera, quia nec Deus Pater, nec Deus Filius, nec Deus Spiritus S est Trinitas personarū, sed quilibet est vna tātùm persona, ergo affirmatiua est falsa

Resp. illas propositiones non esse contradictorias, quia variatur suppositio.

Resp. omissa minus clara solutione Scoti 1. d. 4. q. 2. ad 1. negando illas propositiones esse contradictorias ex eo, quod non eadem ratione sumatur, & supponatur Deus in negatiua, & affirmatiua. Nam in negatiua, vt ex subiecta probatione illius manifestū est, supponitur personaliter, nō essentialiter, dicitur n. *nullus Deus*, ex eo, quod dentur plures diuinæ personæ, non autē plures Dij, seu plures essentiæ diuinæ; contra vero in affirmatiua sumitur essentialiter, non personaliter, vt dictū est. Mirum igitur esse nō debet, si vtraque propositio vera sit. Hinc patet, illā affirmatiuā, Deus est Trinitas, vbi Deus supponitur pro Deitate, quę est singularis, & determinata natura, tametsi communicabilis pluribus, non naturis, sed suppositis, non posse rectè dici propositionem indefinitam.

1286 *3. Obiectio.* Arg. 3. Si vera esset, Deus est Trinitas, sequeretur Patrem v. g. esse Trinitatem, quia Pater est Deus. Respōdent aliqui, nullam esse consequentiam ex varia suppositione illius nominis *Deus*; quia in illa, Deus est Trinitas, supponitur pro essentia; in hac verò, Pater est Deus, supponitur pro persona. Ex his igitur non potest benè inferri, ergo Pater est Trinitas. Non satisfaciunt, quoniam idem ille Deus prædicatur de *Patre*, qui prædicatur de Filio, & Spiritu S. & qui est cōmunis omnibus diuinis personis. Hoc autem modo Deus non supponitur pro persona, sed pro essentia

Alterum solutio reiicitur.

1287 *Resp. falsitatē oriri ex eo, quòd medius terminus, qui est Deus, est simpliciter cōmunis pluribus.*

Dicendum igitur, nullitatem consequentię nasci ex alio capite, nimirū ex eo, quod medius terminus, qui est *Deus*, est terminus quidā simpliciter cōmunis pluribus, iisq; identificatus; & tamen neq; in maiori, neq; in minori distribuitur ex medio autem termino cōmuni, & non distributo, non valet argumentatio secūdum Summulistas, vt si arguas, Aliquis homo currit, Petrus qui est ens est homo, ergo Petrus quiescens currit. Sic etiā in nostra materia nō valet, Deus est Pater, Filius est Deus, ergo Filius est Pater. Ita esset in forma, Deus est Pater, sed Filius est omne id, quod est Deus, ergo Filius est Pater. Sed tunc falsū esset cōsequens deductū ex minori falsa. Sicut etiā, si in obiectione ita argueremus, Deus est Trinitas, Pater est omne id, quod est Deus, ergo Pater est Trinitas, esset bona Cōseq. sed falsum consequens ex falsa min.

1288 *4. Obiectio.* Arg. 4 quod hic in secundo argumento obijcitur. *Inferiora non prædicantur de suis superioribus, nisi accidentali prædicatione, vt cum dico, Animal est homo; accidit. n. animali esse hominē. Sed hoc nomen, Deus, se habet ad tres personas, sicut cōmune ad inferiora, vt Damascenus dicit, ergo videtur, quòd nomina personarum non possint prædicari de hoc nomine, Deus, nisi accidentaliter*; quod quidem Deo repugnat.

Resp. in diuinis non esse vniuersale, & singulare, quāuis sit commune, & proprium.

Resp. optime S. Th. neg. min. *quia*, inquit, *in diuinis non est vniuersale, & singulare*, quamuis sit cōmune, & propriū, vt essentia cōmunis tribus personis, & paternitas, v. g. propria solius personæ Patris. Quoniam verò huiusmodi communitas est per omnimodam identificationē, quam scil. tàm essentia respectu personalitatum, quàm personalitates respectu essentię petunt per se ex summa, imo etiā essentiali necessitate, fit vt istæ prædicationes, Pater est Deus, Deus est Pater, est Filius, & Spiritus S. est Trinitas, sint quidē, vt loquitur S. Th. *per identitatem; tamen per se, & nullo modo per accidens.*

1289 *5. Obiectio.* Arg. 5. si istę essent veræ, Deus est Trinitas, Deitas est Trinitas, sequeretur, hanc etiā esse verā. Deitas est trina; quia idem sunt Deus, & Deitas. Sed hanc negant Bonauent. 1. d. 24. fin. Riccard art. 3. q. 1 fin. Carthusian. q. 5. propè fin. & alij communiter; ergo illæ etiam censeri debent falsæ.

Resp. Nomen Trinitas, cùm sit substantiuū, secum trahit suppositum, & potest tribui essentiæ in abstracto. Secus verò nomen Trina.

Resp. neg. seq. & disparitatem esse petendam ex differentia tradita à S. Th. supra art. 5. ad 5. inter prædicata substantiua, & adiectiua. Vnde breuiter dicendum, nomen, *Trinitas*, ex eo, quod sit substantiuum, ferre secum suppositum, & ideò posse per identitaté tribui essentiæ in abstracto, quæ & si nulla ratione significet suppositū, tamen est ex se, & in se, omnibus diuinis suppositis identificata. Nomen vero, *Trina*, ex eo, quod sit adiectiuum, ferre tantùm rem significatam circa substantiuum, ac suppositum, quod formaliter denominat, & afficit, ac proinde præsupponit in propositionis subiecto, cui formaliter tribuit. Et ideò Deitatem, quæ ex abstracto suo significandi modo nullum inuoluit suppositum, non posse rectè dici trinam; sic enim significaretur pluralitas Deitatum, nō diuinorum suppositorum: rectè autem dici trinum Deum, qui ex se est etiam nomen concretum personale. Neque obstat identitas inter Deum, & Deitatē; quia, vt superius diximus cum S Th. art. 5. ad 3. hæc est identitas *secundùm rem, non secundum modum significandi*. Neque etiam obstare debet, quod in hymno corporis Christi canit Ecclesia ad matutinum in fin. *Te Trina Deitas, vnaque poscimur*, &c. quia vt respōdet

1290 *Identitas inter Deum, & Deitatem est secundùm rem, nō secundùm modum significandi.*

det Carthusian. supra, *abstractum ibi capitur pro concreto, videlicet Deitas pro Deo.* Quæ licentia minus strictè, ac propriè loquendo ferenda magis est in poetica hymnorum loquutione. Alioqui communiter repræhenditur illud Authoris libri de speculo, qui habetur in tom. 9. operum Augustini, sed illius non est, nam cap. 10. fin. Sic loquitur ille Author, *Tu verò Trinitas Deitatis, personarum pluralitate multiplex.*

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum nomina essentialia sint approprianda personis.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

COnclusio affirmatiua, Prob. & declaratur. Ea, ad quorum cognitionem ex creaturis deuenire possumus, sunt magis manifesta, quàm ea, ad quorum cognitionē per creaturas non possumus deuenire. Sed ad cognitionem essentialium attributorum per creaturas deuenire possumus; non autem ad cognitionem personalium attributorum, vt supradictum est. ergo &c. ac proindè sicut similitudine vestigij, vel imaginis in creaturis inuenta, vtimur ad manifestationem diuinarum personarum; ità & essentialibus attributis.

Arg. 1. ea, quę sunt communia tribus personis, alicui appropriare, potest vergere in errorem fidei, quia potest intelligi, quòd illi tantùm personę conueniat. ergo. Resp. neg. seq. quia essentialia non sic appropriātur personis, vt eis esse propria asserantur: sed ad manifestandum personas via similitudinis, vel dissimilitudinis.

Arg. 2. ea, quæ significant per modum formę, non sunt approprianda personis; aliàs sequeretur, quod vna persona esset forma alterius, quòd est falsum. Sed nomina essentialia in abstracto significant per modum formæ. ergo. Resp. neg. seq. ad prob. dicitur, quòd si ista attributa taliter appropriarentur vni personæ, quòd alteri nō conueniret, curreret ratio inducta, sed quia huiusmodi essētialia taliter appropriātur vni personæ, quòd alteri etiam conueniant; ideò &c.

Arg. 3. essentialia sunt priora proprijs, sicut commune est priùs proprio, ergo nō possunt appropriari, cum proprium debeat esse prius appropriato. Resp. dist. ly essentialia, vel vt essentialia sunt, & sic sunt pria proprijs, vel vt sunt appropriata; & sic nihil prohibet propria personarum esse priora appropriatis: sicut licèt corpus secundùm suam substantiam sit prius albedine, tamen albedo est prior ipso corpore albo.

DISPVTATIO CCVI.

An nomina essentialia sint approprianda personis.

1291
1. Concl. simpliciter affirmatiua est omnino certa apud omnes Patres.

PRima Concl simpliciter affirmatiua, est omninò certa apud omnes Patres, & Scholasticos, nemine contradicente; quia ista appropriatio habetur de facto in scriptura, vt 1, Cor. 1. Prædicamus Christum Crucifixum, Dei virtutem, & Dei sapientiam. *Et nihil frequētius apud omnes Patres, vt ex quamplurimis eorum testimonijs superiùs allatis manifestum est, quàm Filium Dei appropriato nomine vocari sapientiam. Vnde hæc verba,* Sapientia Dei, & virtus, *docet Damasc. epist. de Trisagio pag. 3. circa prin.* de solo Filio dici, & esse ostentiua hypostaseos ipsius *Item per illam sapientiā Dei, quæ dicit Prouerb. 8.* Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, antequam terra fieret. Nondū erant abyssi, & ego iam concepta erā. Ante omnes colles ego parturiebar.

Filius dicitur Sapientia.

Prætereà multis locis, & scripturæ, & Patrum, adductis supra q. 33. Tertiam personam esse Spiritum, & esse Sanctum, quæ sunt essentialia nomina, cōmunia toti Trinitati appropriantur tertiæ personæ procedenti per voluntatem, & amorem, quæ hinc proprio nomine vocata est Spiritus S. De Patre etiam multi intelligunt illud 1. Timot. 6. Solus potens Rex Regū, *&c. tametsi multi intelligant de Deo communi tribus personis. Sed illi potentiam appropriat ipsemet Filius, ita orans Marc 14.* Alia Pater, omnia tibi possibilia sunt. *Vnde tàm in Symbolo Apostolico, quàm Niceno dicitur initio,* Credo in Deum Patrem omnipotentem; *& frequenter Ecclesia ad solum Patrem orationes suas dirigens, ita incipit,* Omnipotens sempiterne Deus.

Tertiam personam, & esse Spiritum, & esse Sanctum.

Patri attribuitur Potentia

Huiusmodi verò appropriationem conuenienter factā esse probat S. Th. in c. ex eo, quod essentialia attributa sint nobis magis manifesta secundùm rationē, quàm propria personarū, quia ex creaturis, ex quibus cognitionem accipimus, possumus per certitudinē deuenire in cognitionem essentialiū attributorum, non autē in cognitionē personaliū proprietatū, vt supra dictū est, *nempe q. 32. art. 1 Est autem maximè cōueniens ad Fidei nostræ introductionem, conseruationem, dignitatem, & gloriam, vt profundissimum Trinitatis mysteriū, quod eius fieri potest manifestetur: ergo maximè conueniens fuit, illud tāquam ignotius manifestari per attributa essentialia, nobis notiora, tribuendo illa alicui personæ rationem. Subiungit autem, quod* hęc manifestatio personarum per essentialia attributa, appropriatio nominatur.

1292
Ratio Concl. quia essentialia sunt nobis magis manifesta, quam propria personarum.

Quæ quidem non repugnat cum communitate attributorum quæ appropriantur, vt benè declarat idem S. Th. 1. d. 31. q. 1. art. 2. circa prin. Corp. Quamuis .n. attributa essentialia communia sint tribus, tamen vnum secundùm rationem suam magis habet similitudinē ad proprium vnius personæ, quàm alterius. Vndè illi personæ appropriari potest conuenienter, v.g. Potētia habet in ratione sua principium, & ideò appropriatur Patri, qui est principium non de principio: & sapiētia Filio, qui procedit, vt Verbum: & bonitas Spiritui S. qui procedit, vt amor, cuius obiectum est bonum. Et ita similitudo appropriati ad proprium personæ, facit conuenientiam appropriationis ex parte rei.

Omnis attēta essentialia sint communia, vnum magis habet similitudinem cū proprio vnius personæ.

Præterquā distinguit aliam conuenientiam ex parte nostra, quæ est, inquit, vtilitas consequens; *inquantum scil. ex huiusmodi appropriatione,* sumitur aliqua via ad manifestationem personarum *Hanc secundùm cōuenientiæ rationem ex parte nostræ vtilitatis desumptā, eleganter tradit Leo magnus serm. 1. de Pentecoste c. 2. fin. & cap. 3. initio.* De qua, *inquit, nempè de beata Trinitate,* cùm sancta scriptura sic loquitur, vt aut in factis, aut in verbis aliquid assignet, quod singulis videatur cōuenisse personis, non perturbatur fides Catholica, sed docetur, vt per proprietatē, aut vocis, aut operis, insinuetur nobis veritas Trinitatis, & non diuidat intellectus, quod distinguit auditus. Ob hoc .n. quædam, siuè sub Patris, siue sub Filij, siuè sub Spiritus Sancti appellatione promuntur, vt confessio credentium in Trinitate non erret: quæ cum sit inseparabilis, nunquam intelligeretur esse Trinitas, si semper inseparabiliter diceretur.

1293
Alia conuenientia, seu ratio ex parte nostra, quam eleganter tradidit Leo magnus.

2. *Concl. quæ habetur aliquanto post med. Corp.* Possunt manifestari personæ diuinæ per essentialia attributa dupliciter: *hoc est, in diuinis duplici ratione moueri potest intellectus noster, vt quod est omnibus personis commune appropriet peculiariter vni personæ.* Vno modo per viam similitudinis, *quam scil. attributum cōmune habet cum vna persona potius, quam cum alia, & alia,* sicut ea, quæ pertinent ad intellectū, appropriātur Filio, qui procedit per modū intellectus, vt Verbum. Alio modo per modum dissimilitudinis, sicut potentia appropriatur Patri, vt Aug. dicit, quia apud nos Patres soleat esse propter senectutem infirmi, ne tale aliquid suspicemus in Deo.

1294
2. Concl. possunt manifestari personæ diuinæ per attributa essentialia dupliciter per similitudinem, & dissimilitudinem.

Quo autem in loco scripserit Aug. quem pro eodem referunt Alens. p. p. q. 67. memb. 2. art. 1. Corp. addens, in

Per viam similitudinis, vt in

..struatur veritas.

in lib.de Trinit.& Albertus *p. p. Summe q.50. memb. 1.in solut. prima,non satis constat. Certè primũ appropriandi fundamentum,nempe* per viam similitudinis, *vt loquitur S.Th. seu,*ratione ostendendæ veritatis,*vt loquitur Alens. seu,*vt instruatur veritas, *vt loquitur Albert. supra,quod antea in q.48.initio vocauerat*, accessum vicinitatis,*& Henricus 2.p.Summę art.72. q. 1.Corp.fin.vocat correspondentiam*, secundùm similitudinem ad aliquod proprium alicui illorum,*ab omnibus ponitur,& clarè apparet rebus ipsis naturaliter congruum,ac proportionatum.*

1495 Per viam dissimilitudinis, vt remoueatur error.

Secundum vero,quòd à S.Th.dicitur, per modum dissimilitudinis,*ab Alens.*remotio erroris,*ab Alberto,* recessus vicinitatis,& obuiatio erroris. *Quamuis ponatur à Magistro lib.1.sent.d.34.litera G.& H. tamen minus frequenter legitur apud reliquos Theologos, & sanè videretur valde accidentale,& indirectum,ac longè petitum,nihilominus Mag.Alen. Alber. illud primo loco ponunt, & vniuersaliter explicant, sicut etiam S.Th hic in 3.consideratione,non solùm de Patre, sed etiã de Filio,& Spiritu Sancto.Nam in creaturis Pater ex antiquitate habet defectum potentiæ,Filius est nouitate habet defectum sapientiæ; Spiritus est apud nos no*men inflationis,& tumoris; *vt dicunt Mag. & Alen.* & iræ,*vt addit,ac probat Albertus; ne igitur homo audiens in diuinis Patrem, Filium, Spiritum Dei, illis etiam tribueret prædictos defectus,obuiauit scriptura appropriant Patri Potentiam;Filio Sapientiam,Spiritui Sanctitatem,benignitatem,& bonitatem.*

1296 Increatis, Pater habet defectum potẽtię, Filius sapientiæ: Spiritus est nomen inflationis.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum conuenienter à Sacris Doctoribus *sint essentialia personis attributa.*

SVMMA ARTICVLI D Th.

COnclusio est affirmatiua, Appropriata personis secundùm entitatẽ,& plures habet partes. 1. Aeternitas conuenienter attribuitur Patri;nam cùm æternitas significat esse non principiatum,habet similitudinẽ cum esse Patris, quod est esse principiũ sine Principio. 2.Species,siuè pulchritudo conuenienter attribuitur filio. tria.n.sunt de ratione pulchritudinis,integritas, debita proportio,ac, claritas:ita filius habet perfectam naturam Patris;perfectè naturam Patris repręsentat,& cum sit Verbum,Verbum est lux,ac splẽdor intellectus. Vsus cõuenienter appropriatur Spiritui S. (Vti sumitur largo modo prout sub se cõpręhendit etiam fruitionem.) prob.nam propria Spiritui S.sunt duo; quòd sit amor,& quòd sit donũ. Vsus igitur secũdũ, quod in diuinis dicitur, habet similitudinẽ cum persona Spiritus *S.*prout est amor. quo se inuicem fruuntur Pater,& filius. Vsus verò quo nos fruimur habet similitudinem cum proprio Spiritus *S.*in quantũ est donũ.

Appropriata,siuè attributa personarũ prout considerantur secũdùm earum vnitatem.

Vnitas conuenienter appropriatur Patri, nã vnitas dicitur absolutè non præsupponens aliud: cõuenienter igitur appropriatur principio sine principio. Aequalitas conueniẽter appropriatur filio,qui est principium de principio,nam æqualitas significat vnitatem per respectũ ad alterum:ęquale.n. est, quòd habet vnam quantitatem cum alio. Connexio vero conuenienter attribuitur Spiritui S. nã connexio importat vnitatem duorum;& Spiritus est nexus Patris,& filij.

Appropriata personarum, secundùm earũ virtutem operatiuam.

Potentia conuenienter appropriatur personę Patris.qui est principium totius Deitatis, & potentia habet rationem principij. Filio conuenienter appropriatur sapientia,quia filius in diuinis est verbum,quod est cõceptus ipsius sapientiæ. Bonitas conuenienter appropriatur Spiritui S. quia Spiritus diuinus est amor,& bonitas est obiectum amoris.

Appropriata personarum secundum habitudinem ad causata.

Patri conuenienter tribuitur ex quo. quia ly ex,cum importet habitudinẽ causæ efficientis, conuenit Deo ratione suę potentiæ, ideo &c.Filio per quem. nam illi personę cõueniẽter attribuitur per quem, cui attribuitur sapientia, siue ars, quia ly per significat formã, siue artem qua Deus agit. Spiritui S. in quo quia res sunt in Deo non solum in scientia secundùm similitudines: sed etiam secundũ suam bonitatẽ eas gubernat, &conseruat; bonitas .n. Spiritui S. appropriatur.

DISPVTATIO CCVII.

An conuenienter à Sacris Doctoribus sint essentialia personis attributa.

COlliguntur ex art.septẽ conclusiones,quas solitò fusius explicat S.Th.& ideò eas breuiter indicabo eodẽ ordine,quo scriptæ sunt;& si quid grauius ad maiorẽ declarationẽ,& confirmationẽ addendũ occurrerit, non prætermittam.

1297 Septem Conclusiones ex Art.colligũtur

*Prima Concl ex Hilario lib.2.de Trin. propè initium æternitas appropriatur Patri,species Filio, vsus Spiritui S.Verba Hilarij hæc sunt;cum.n docuisset illis verbis Matth.*28.Baptizantes in nomine Patris,& Filij,& Spiritus *S.contineri omnia ita subdit,*Nec deesse quidquã cõsumationi tãtę reperietur,intrà quã sit in Patre, & Filio,& Spiritu S.,infinitas in æterno,species in imagine,*q est Fili⁹ sup.q.35.*vsus in munere,*seu dono,quod est Spiritus S. supra q.38. Hoc laudat, & exponit Aug. lib.6.de Trin.c.10.sed paulò aliter ita refert,quẽadmodũ referunt S.Th.hic,& Mag.l.1.sent.d.31.lit.C.& ibi Scholastici,& Alens. p. p q.67.memb.1. Albert. p p. Summæ q.49.memb.2.Henric.2.p.Sũmæ art.72.q.3.& 4.*Aeternitas in Patres, species in imagine, vsus in munere.

Prima Concl. Aeternitas appropriatur Patri.

Patri appropriatur æternitas,quia, inquit S. Thom. æternitas,inquantũ significat esse non principiatum, *nec principio durationis,nec principio essentialiter diuerso,nec principio personaliter tãtùm diuerso, quibus omnibus principij rationibus caret ęternitas diuina absoluta,in abstracto significata;* similitudinẽ habet cũ proprio Patris,qui est principium non de principio. *Quod,vt addit Albertus supra,*non conuenit Filio,*qui est de Patre,*vel Spiritui Sancto,*qui est de Patre, Filioq; species appropriatur Filio,&, vt ait S.Th.* habet similitudinem cum proprijs Filij, *quia ex vi formali suæ processionis, qua solus ipse habet esse Filiũ,& Verbũ, & imaginẽ,accipit totã speciẽ, & pulchritudinem, & formã naturę Patris,eamq; repræsentat modo perfectissimo,& naturaliter,& intentionaliter.*

1298 Patri appropriatur æternitas, quia est omnibus modis imprincipiatus.

Species appropriatur Filio.

Vsus habet similitudinẽ cum proprijs Spiritus S. eiq; propterea appropriatur,nimirũ largè sumptus,prout cõprehendit etiã fruitionẽ,gaudiũ,& delectationem, atq; suauitatẽ iuxta illud Aug.lib.10.de Trin.c 11 ante med. Frui est cũ gaudio vti.*Hoc modo,inquit S.Th. vsus, quo Pater,& Filius se inuicẽ fruuntur, conuenit cum proprio Spiritus S.inquantũ est amor:quia, vt ait Aug. in 1.loco,*Ille ineffabilis quidam complexus Patris, & imaginis,nõ est sine perfruitione,sine charitate, sine gaudio,illa ergo dilectio,delectatio, fęlicitas,siue beatitudo, vsus ab illo.*scil, Hilario,*appellatus est breuiter,& est in Trinitate Spiritus S.

1299 Vsus,prout cõprehẽdit gaudium,et delectationem appropriatur Spiritui S.

Præterea Spiritu S.inquantu est donũ, appropriatur etiã vsus,quo nos fruimur,*vt ait S.Th & benè probat ex sequentibus Augustini verbis;* Vsus est Spiritus S. non genitus,sed Genitoris,Genitiqui suauitas ingeniti largitate,atq; vbertate profundens omnes creaturas pro captu earum,vt ordinẽ suũ teneant, & locis suis aquiescant.*Præterea Aug. Mag. & Scholastici non appropriant infinitatem Patri,videntur .n.illis Hilarij verbis,*Infinitas in ęterno,*accepisse infinitatẽ in Durãdo quæ est ipsamet æternitas. Quãquã infinitas etiã in essẽdo facilè potest eadẽ ratione appropriari* Patri, *inquãtũ*

Spiritui S. inquantum est Donũ, appropriatur vsus.

Patri etiã appropriatur infinitas.

ipse solus negat omne principium, à quo omnis limitatio, & finitudo essendi proueniat necesse est.

2. Conclusio. Patri etiã appropriatur vnitas.

2. Concl. de alia appropriatione facta ab Aug. lib. 1. de doctrina Christiana c. 5. fin. has verbis, In Patre vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu S. vnitatis, æqualitatisque concordia. Et tria hæc vnum omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filium, connexa omnia propter Spiritum S. Perspicua, & acuta est explicatio S.Th. tametsi alij paulo aliter exponant. Vnitas, inquit, appropriatur Patri. Nam sicut vnitas dicitur absolutè, non præsupponens aliquid aliud, cum sit prima in numero, ita Pater non præsupponit aliam personam, cùm sit principium, non de principio.

Æqualitas appropriatur Filio.

Æqualitas appropriatur Filio, quia æqualitas est quædam vnitas per respectum ad alterum, quam ex suis proprijs habet Filius ad Patrem, tum vt formaliter Filius, inquantum ipse, & non Spiritus S. habet ex vi formali suæ processionis accipere naturam æqualem omnino naturæ Patris, tum vt formaliter imago, inquantum suo exemplari coæquatur, vt ait Aug. l. 6. de Trin. c. 10 paulo post princ. quod ex vi formali processionis conuenit Filio. non Spiritui Sancto.

Connexio, seu concordia appropriatur Spiritui Sancto.

Concordia, seu connexio aptissimè appropriatur Spiritui S. inquantum procedit per mutuum Patris, & Filij amorem, quo inuicem connectuntur. Hinc dixit Aug. tres personas esse vnum propter Patrem, quia Filius, & Spiritus S. vnitatem cum natura Patris habent per processionẽ à Patre esse æquales propter Filium, non quòd Filius sit principium æqualitatis Patris, sed quia æqualitas statim posito Filio inuenitur, qui est secunda in Trinitate persona, à qua procedit. Tertia æqualis duabus prioribus, æqualitas enim non intelligitur, nisi inter plura, ergo ista quo quasi incipit pluralitas in diuinis, nempe Filius intelligi debet, vt quædam ratio æqualitatis, quam inter se habent omnes diuinæ personæ, esse dômu connexas propter Spiritum S quia ipse est vinculũ, & nexus Sanctissimæ Trinitatis.

3. Conclusio. Patri appropriatur Potentia, Filio sapientia, Spiritui Sancto Bonitas.

3. Concl. Patri appropriatur potentia, Filio sapientia, Spiritui S. bonitas. Hæc est appropriatio omnium communissima, ac facilima, sufficienter explicata supra art. 7. solum aduertendum cum S.Th. in fine tertiæ considerationis, quòd in Scriptura, & frequentissimè apud Sanctos, virtus attribuitur, etiam Filio, vt 1. Cor. 1. Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam; imo etiã Spiritui S. vt Luc. 1. Spiritus S. superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi; & clariùs de Spiritu S. dicitur Luc. 24. Ego mitto promissum Patris mei in vos. Vos autem sedete in Ciuitate, quoad vsque induamini virtute ex alto. Et Actor. 1. Accipietis virtutem superuenientis Spiritus Sancti in vos; & sæpè alibi Scripturæ simul ponit virtutem, & Spiritus S.

Virtus: vt est id, quod à potentia rei procedit, appropriatur Filio, ac Spiritui S.

Verum his locis, inquit S.Th. Virtus appropriatur Filio, & Spiritui S. non secundùm quod virtus dicitur, ipsa potentia rei. Sed secundùm quod interdũ virtus dicitur id, quod à potentia rei procedit, prout dicimus, aliquod virtuosum factum esse virtutẽ alicuius agentis. Verè enim Filius est veluti primum exercitium potentiæ productiuæ, quæ est in Patre; & Spiritus S. est veluti secundũ exercitium potentiæ productiuæ, quæ est in Patre, & Filio. Præterquam quod, & Filius est ipsum Verbum, & imperium efficax Patris, per quod omnia ab ipso facta sunt; & Spiritus S. est personale donum, cui attribuuntur creata gratiæ dona; quæ omnia sunt virtutes quædam, ac potentiæ. Ipsa igitur potentia diuina in se formaliter, & absolutè considerata soli Patri appropriatur.

Vnum attributũ essentiale, vni personæ appropriatũ, non potest alteri appropriari.

Quæ S.Th. sentire videtur, quòd valdè rationabile ex se apparet, tametsi nonnulli contradicant, vnum attributum essentiale appropriatũ vni personæ nõ posse appropriari etiã alteri personæ. Appropriatũ .n. est, quòd alicui personæ, conuenit propter aliquid propriũ ipsius; sed proprium vnius personæ, non potest esse alterius proprium; ergo appropriatum vni, non potest esse appropriatum alteri. Quamobrem S.Th. in fine primæ considerationis, quod sequitur etiam Albertus 1. p. summæ qu. 50. memb. 1. ad primam qu. incidentem, docet, quòd nõ appropriantur essentia, & operatio, quia in ratione horum propter sui communitatẽ, non inuenitur aliquid similitudinem habens cum proprijs personarum. Et propterea apud nullum grauem authorem appropriata leguntur.

1300

4. Conclusio. alia appropriatio ex illis verbis ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia.

4. Concl. Aliam appropriationem tradit Aug. lib. 6. de Trin. fin. illis verbis, Nec cõfuse accipiendum est, quod dicitur Rom. 11. ex quo omnia, per quẽ omnia, in quo omnia, siuè vt legitur in nostra vulgata, ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Nã, vt idem Aug. exponit lib. 1. de Trin. cap. 6. paulò post med. hæc intelligi possunt de Patre, & Filio, & Spiritu S., vt singulis singula tribuantur. Ex ipso, id est ex Patre, per ipsum, idest per Filium; in ipso, id est in Spiritu S. Eodemque modo alij Patres communiter easdem particulas, singulas singulis personis accommodant: quamquam non desunt, quod contextui Pauli valde congruit, qui omnes de eodẽ vno Deo de Trinit. dictas accipiant.

Ly ex ipso appropriatur Patri.

Verum appropriando, inquit S.Th. præpositio, ex, nõ est accipienda, vt importans habitudinem causæ materialis, quæ locum non habet in diuinis; sed habitudinem causæ efficientis, quæ competit Deo ratione suæ potentiæ actiuæ, & ideò appropriatur Patri, sicut, & potentia. Præpositio verò, per, si designet causam mediam, quo modo dicitur Faber operari per martellum, illud per ipsum, non est appropriatum, sed proprium Filij, secundùm illud Ioan. 1. Omnia per ipsum facta sunt; non quia Filius sit instrumentum; sed quia ipse est principium de principio. Si verò designet habitudinem formæ per quam agens operatur, sicut dicimus, quod artifex operatur per artem; appropriatur Filio; sicut illi ratione suæ formalis processionis per intellectum appropriantur ars, & sapientia.

Ly per ipsum, appropriatur Filio.

Ly in Ipso, appropriatur Spiritui Sancto propter bonitatem.

Demum præpositio, in, quæ propriè denotat habitudinem continentis, si significat continentiã non idealẽ, & intentionalem, quæ etiam appropriatur Filio, sed gubernatiuã, & conseruatiuã, & adductiuam ad finẽ conuenientẽ, qua Deus sua bonitate, ac benignitate fouet, & cõtinet vniuersa, appropriatur Spiritui S sicut, & bonitas. Eamdẽ appropriationẽ ante August. expressius, ac fusius docuit Basil. lib. 5. cont. Eunom. §. 14. versus finẽ dicens, Illud ex ipso, & per ipsum, & in ipso omnia, in vnũ nomen colligit, Patris, & Filij, & Spiritus S. proprietatẽ. Vnus .n. Deus est, ex quo omnia: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia; vnus vero spiritus, in quo omnia; secundũ quod dicitur, Vos nõ estis in carne, sed in Spiritu; si Spiritus Dei habitat in vobis. Quamobrẽ, & illud, in Deo viuimus, & mouemur, & sumus, apertè Spiritus est proprietas in Deo figurata.

Eandem appropriationẽ ante D. Aug. docuit D. Basilius.

5. Conclusio. Veritas appropriatur Filio.

5. Concl. Veritas appropriatur Filio, qui de se ipso dixit Io. 14. Ego sum via, veritas, & vita, illi .n. conuenit propter propriã eius processionẽ per intellectum, ad quẽ veritas pertinet. Et ideò ab Aug. serm. 11. de verbis Domini aliquanto ante med. dicitur, Filius de veraci Patre orta veritas: sicut ibi etiã dicitur: Spiritus S. à Patre bono, & Filio bono effusa bonitas; Patrem non veritatem, sed veracem vocat peculiari ratione, inquantum eius personalis proprietas est dicere Verbum, quod est orta, ac genita veritas. 1301

Conclusio liber vitæ, secundùm id, quod dicit in recto, appropriatur Filio.

6. Concl. Liber vitæ, qui definitur, vt supra q. 23. art. 1. notitia Dei de his, qui habituri sunt vitã æternam, secundùm id, quod dicit in recto, nempe notitiã, appropriatur Filio, de quo in argumento 4. refertur glossa intelligere illud Psal. 39. In capite libri scriptum est de me: hoc est, inquit Glossa, Apud Patrẽ, qui est caput meũ. sed secundùm id, quod dicit in obliquo, nẽpe vitam, à S.Th. appropriatur Spiritui S. inquantum vita importat quemdã interiorẽ motum, & sic conuenit cũ proprio Spiritus S., inquantũ est amor. Verum si consideretur vita, vt importat operationem vitæ omnium nobilissimã, quæ est intelligere, appropriãda est Filio iuxta illud Io. 14. Ego sum via, veritas, & vita. Et antea in cap. 1 de Filio dicitur, In ipso vita erat, & vita erat lux hominum. Et idẽ Ioannes initio primis epistolæ scribit, Viuimus, & testamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis. 1302

7. Conclusio. ly qui est, quomodo Filio appropriatur.

7. Conclus. Nomen, Qui est, si non sumatur relatiuè, quo modo est personale, vt si dicas, Filius est genitus, qui sicut, & Deus genitus; sed sumatur infinitè, & absolutè, quo modo est essentiale, sicut pro sola essentia, 1303

essentia, non pro persona, dicitur Exod. 15. Iste Deus meus, & glorificabo eum; *appropriatur Filio, non secundùm propriam rationem, sed ratione adiuncti, inquantum scil. in loquutione Dei ad Moysem præfigurabatur liberatio humani generis; quæ facta est per Filium. Multa alia possent addi, quæ à S. Th. non tanguntur, & pertinent potius ad scripturarum eruditionem, quàm ad disputationem Theologicam.*

QVAEST. XXXX. D. Th. *De Personis in comparatione ad relationes, siue proprietates.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Relatio sit idem, quòd persona.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio Affirm. Prob. sicut se habet Deitas ad Deum, sic se habet relatio ad personam. nam relationes significantur in abstracto, vt formę personarum, sed Essentia est Deus, & in Deo. ergo. &c.

Arg. 1. Quęcumque sunt idem, multiplicato vno, multiplicatur & aliud: sed multiplicatis personis non multiplicantur relationes, patet de spiratione actiua. ergo. Resp. ma. esse veram de his, quę sunt idem re, & ratione. Relatio .n. & persona sunt idem re, non autem ratione,

Arg. 2. Ea, quę sunt in persona, non sunt idē cū persona, quia nihil est in seipso, vt dicitur. 4. phys. Sed relationes sunt in personis. ergo. Resp. dist. ma. non sunt idē formaliter, concedo: identicè nego: nec Relationes sunt eodem modo in essentia, & in personis. In essentia .n. sunt ratione veritatis; in personis verò relationes etiam quantum ad modum significandi: significantur enim tanquam formę in supposito.

Arg. non omne, quod predicatur de persona, pręedicatur de proprietate, siue relatione. ergo relatio, & persona non sunt idem in diuinis Antec. patet, quia dicimus, quod Pater generat, non autem quod Paternitas generet. Resp. dist. conseq; ergo non sunt idem re, & ratione, conced. non sunt idem re, negatur conseq.

DISPVTATIO. CCIX.

An relatio sit idem, quòd persona.

1304 Pro resolutione huius articuli recolenda sunt, quæ docet D. Th. qu. 28. 29. & 30.

CIrca hunc art. primò recolenda sunt, quæ docet D. Th. q. 28 supra art. 1. vbi ostendit, debere dari relationes in Deo ad intra, & art. 2. vbi docet, has relationes sola ratione distingui ab essentia, distingui tamen, quatenus nomine essentiæ non importatur respectus ad aliquid oppositum, sicut importatur nomine relationis; & art. 3. vbi docet, relationes oppositas realiter inter se distingui. & demum art. 4. vbi disputat de numero harum relationum. Item recolenda sunt, quę docet q. 29. art. 4. vbi docet, quomodo hoc nomen, Persona, in diuinis dicat essentiam, & relationem, & quidem vno modo relationem in recto, & essentiam in obliquo; & alio modo essentiam in recto, & relationem in obliquo: & q. 30. art. 1. & 2. vbi docet, esse in Deo personas, non plures tamen, quàm tres. & demum quæ docet q. 32. art. 2. de necessitate, quam habemus ponendi in Deo nomina abstracta, & concreta, vt sapientiam, & sapientem; Paternitatem, & Patrem absque vllo præiudicio simplicitatis Dei; quæ omnia necessaria sunt, vt appareat in quo differat doctrina huius, & sequentis articuli ab illis, quæ docet D. Th. locis cit. quod non ita facile apparet, sed re vera aliqua differentia est, nam hic supponit, dari personas, & relationes, & in conceptu personæ includi relationem, & hanc non distingui realiter à persona, & ab essentia.

1305 Sensus D. Th. in hoc art. explicatur.

Item relationes vocari proprietates, siue personales, siuè personarum. Id ergo, quod præcisè quærit, est, vtrū relationes, seu proprietates, quæ significādur in abstracto per modū formę, vt Paternitas, Filiatio, &c. possint dici, quòd sint in personis, tanquam formę Personarū; ità tamen vt etiam dici possint esse ipsæ Personæ, sicuti dicimus esse essentiam in Deo, quæ tamen essentia est ipse Deus, vt in hoc art. 2. quærat vtrum hæ proprietates personales sint in personis, vt formæ distiguentes, & constituentes has personas, quod est proprium huius loci institutum.

1306 Concl. potest dici, quod Pater, & Paternitas sit persona.

In hoc Articulo primo conclud. D. Th. quod non solùm potest dici, relationes esse ipsas personas, quia in Deo idem prorsus est realiter id quo est, & id, quod est, quare cùm Pater paternitate sit Pater, idem erit Pater, & paternitas, cum ergo Pater sit Persona, & paternitas sit relatio, relatio erit idem, ac Persona; sed etiam rectè dici potest, quod Paternitas, & sic de alijs proprietatibus, est in Persona Patris, tanquam forma ex modo nostro concipiendi, constituens vltimò personam; quo in re duo quæri possunt.

Dupliciter potest præsens constitutio intelligi, in re, & ex modo significandi.

Alterum est de re ipsa, an scil. re vera nulla alia sit forma vltimò constituens, & distinguens Personam in Deo, nisi proprietas personalis, & de hoc dicetur art. sequenti: Alterum de nomine, & modo significandi, an scil. rectè à nobis concipiatur proprietas personalis per modum abstracti, vt ex ipsa, & essentia diuina intelligatur constitui persona, ita vt dici possit in vero sensu, quòd hę proprietates sunt in personis, tanquam cū essentia constituentes personas; an verò solum dici debeat, quod hę proprietates sint ipsę personę, de quo pręcipuè quærit D. Th. hoc art. & concludit affirmatiuè, quæ in re, quia facilis est, pręter ea, quæ docet D. Th. a. 2. cit. q. 32. quod benè explicat Suar. lib. 7. de Trin. c. 1. 2. & 3. & Arrub. hic disp. 111. nihil aliud restat explicandum, nisi an hæc constitutio personæ, ex essentia, & proprietate, dicenda sit constitutio realis, an solum rationis, & per intellectum.

1307 Si per constitutionem realem intelligamus constitutionem, quæ à parte rei, habet conceptus reales, hæc cōstitutio est realis.

Ad quod breuiter Resp. quòd si per constitutionem realem intelligimus illam, cui à parte rei correspondent rationes verè reales, saltem virtualiter inter se distinctæ, & per rationem distinguibiles, tunc constitutum ex illis, potest dici realiter constitutum, & constitutio realis, quo pacto dicimus: quod substantia realiter constituitur ex ente, & perseitate, & homo ex animali, & rationali, & hoc pacto constitutio personæ ex essentia, & proprietate, erit realis; si verò per constitutionem realem intelligamus illam, in qua rationes constituentes realiter inter se distinguuntur, & actu à parte rei, quæ dici possit constitutio physica, sicuti homo constituitur ex anima, & corpore, talis constitutio non est in Deo, sed dici debet constitutio secundùm rationem cum fundamento in re, vtroque autem modo secundùm hanc distinctionem loqui possumus.

1308 Obiectio.

Arg. Relatio diuina essentialiter dicit totam essentiam diuinam, vt supra diximus; ergo non potest dici, neque intelligi, quod Persona constituatur ex relatione, & essentia, quia relatio dicit etiam essentiam, quare sensus esset ex essentia, & essentia; propter quod existimarunt aliqui Auctores, dici debere, quòd relatio sit ipsa Persona, non quod constituat personam, nam nihil plus dicit Persona, quàm relatio.

Resp. Relationem addere supra essentiā vltimam terminationem, & incommunicabilitatem.

Resp. ex dictis alibi, quod licèt relatio secundum suum conceptum adequatum, vt diuina est, dicat etiā formaliter ipsam essentiam, tamen aliquam rationem addit supra conceptum essentiæ, nempe vltimam terminationem, & incommunicabilitatem ipsius, per quā habetur distinctio personarum, & de relatione secundum hanc vltimam rationem concepta dicimus, quòd ex essentia, & relatione constituitur persona, sicuti

dicimus, quod exentia, & perseitate constituitur substantia, licet perseitas includat rationem entis, neque eam hæc constitutio est ex rationibus omnino contradictis, sed aliquo modo distinctis.

Relatio secundùm nostrum modum significandi, dicit vltimam rationem constituentem personá per modú abstracti.

Similiter licet relatio reipsa nihil plus, aut minùs dicat; quàm persona, sicuti personalitas dicit totum id, quod dicit persona, tamen ex modo nostro significandi, & explicitè dicit vltimam rationē constituentem personam per modum abstracti, & ita rectè dici potest, quod persona constituitur ex relatione, seu proprietate, seu personalitate, & essentia; neque ex his Metaphysicis speculationibus, adeò coarctandus est modus loquendi noster, & significandi, vt non possimus de hoc mysterio loqui, neque rationem reddere hæreticis, aut alijs rerum nostræ fidei, maximè cùm videamus, Patres, & Concilia, ita loquntor, vt videre est apud authores cit. legi etiam potest Vasq. & alij hoc loco.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum personæ distinguātur per relationes.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Personæ priùs, & principaliùs, secundùm nostrum modum intelligendi per relationes, quàm per origines distinguuntur. Prob. quia nomen relationis significat ipsas personas in diuinis, & nomen originis significat tantùm proprietatem. Pater .n. significat non solùm Patris proprietatem, sed etiam ipsam personam; Genitor verò, quod est nomen originis, significat tantū proprietatē, sed in personis diuinis ipsum distinctiuum est etiā res distincta; quia distinctio personarum non fit per hoc, quòd diuidatur aliquod commune, cùm essentia diuina remaneat indiuisa; & sic in diuinis ipsa distinguentia, & constituentia sunt ipsæ res distinctæ, & constitutæ; ergo, &c.

Arg. 1. Simplicissima distinguuntur seipsis; Personę in diuinis sunt simplicissimę; ergo. Resp. conc. totum, quia cùm relationes sint ipsæ personę in diuinis, ideo absq; aliqua diuinarū personarū simplicitatis nota, per relationes distinguuntur; nam hæc distinctiua sunt ipsæ res distinctæ. Et sic non per aliud, sed se ipsis distinguuntur.

Arg. 2. Nulla res, vel forma distinguitur, nisi per id, quod est sui generis, sed personę sunt in genere substātiæ; ergo. Resp. dist. ma. per id quod est sui generis, quādo distinguitur absolutè, & conc. quādo distinguitur per relatiuū, neg. & quia personę non distinguūtur per aliquod absolutū, sed tantùm secundùm quod ad aliquid dicuntur, ideò &c.

Arg. 3. Prima distinctio nō debet fieri per aliquod respectiuū, quia absolutum est prius respectiuo, sed distinctio personarū est prima; ergo. Resp. neg. mā. ad prob. dicitur, quòd prima distinctio, quę proximior est vnitati debet esse minima, qualis est distinctio personarum, minimum autem distinctiuum est relatio.

Arg. 4. Esse relatiui est ad aliud se habere: ergo relatio præsupponit, quod sint duo distincta, quæ ad inuicem referātur. Resp. dist. conseq. & conced. de relatione, quæ est accidens; neg. de relatione, quæ est substantia, hæc .n. non præsupponit, sed suum facit suppositorū distinctionē: & licet esse relatiui sit ad aliud; ly aliud denotat correlatiuū, quòd non est priùs, sed simul natura, cum suo correlatiuo.

DISPVTATIO CCX.

An in diuinis Personis sint aliquę proprietates constitutiuę? An sint absolutę, vel relatiuę? An per modum originis, vel relationis?

Petes 1. 1309

Petes 1. An in diuinis personis sint aliquæ proprietates in diuinis personis, quibus constituantur, ac distinguantur?

Resp. affirm. quia personæ cōueniunt, & distinguūtur

Resp. affirm. Quæ assertio est adeò certa, vt oppositum dicant esse temerarium Molina, Vasq., Suar. relati à N. PP. Salmant. tract. 6. disp. 18. dub. 1. nu. 1. Prob. Concl. Quotiēs aliqua conueniunt, & simul inter se distinguūtur, debemus assignare aliquā rationem, in qua cōueniāt, & aliā, in qua distinguantur, vt inductione facta in omnibus rebus cernitur, sed personæ diuinæ conueniunt inter se, & simul distinguuntur, ergo debet assignari in eis aliqua ratio, in qua habeant conuenire, & aliam in qua, & per quam distinguantur: sed in essentia conueniunt, ergo distinguuntur proprietatibus.

Euasio. 1310

Dices, summè simplicia, quales sunt personæ diuinæ, ratione summæ simplicitatis suæ non habent formas, quibus constituantur, & distinguantur.

1. Precluditur. quia non obsunt summæ simplicitati plures formalitates virtuales.

Sed contra est 1. Quoniā non obest summæ simplicitati, quod in re illa, quæ dicitur summè simplex, dentur plures formalitates virtualiter diuersæ, per quas constituantur, ex eo quod non est contra rationem summæ simplicitatis, quod sit eminentissima, æquiualeatq; rebus spectantibus ad distinctas lineas, ac proindè, quòd sint in ea plures formalitates, virtualiter tamen distinctæ, ex quibus habeat constitui: vt constat in essentia diuina, quia est eminentissima simplicitas æquiualet pluribus rebus pertinentibus ad distinctas lineas.

2. Precluditur, quia simplicitas in Patre nō tollit, quin sit Pater, & Deus.

Secundò Impugnatur. Infinita simplicitas, quæ est in persona Patris, nō tollit quominùs Pater sit Pater, & Deus, itaut non eo formalissimè sit Deus, quo est Pater, tum quia sicut Pater intelligit formalissimè per Deitatē, & ratione illius, ita intelligeret formalissimè per Paternitatē, & ratione illius. Itē nō tollit, quod Pater generet per Intellectū: nō per voluntatē, & spiret per voluntatem non per intellectum, ergo ob eandem eminentiam virtualiter multiplicem potest esse constituta ea essentia, ex proprietate.

1311 Opposit. sent.

1. Obiectio. Resp. Essentiā, & personas esse ęquè simplices realiter, non virtualiter.

Opposit. sent. tenuit Propositiuus, & Arimin. relati à Vasq. hîc. Arg. 1. tam simplex est persona, sicut essentia; sed essentia non admittit constitutionē: ergo. Resp. dist. Antecedens sunt æquè simplices realiter, concedo virtualiter, negatur, nā persona virtualiter dicit duas rationes, in recto personalitatē; in obliquo essentiam, sicut, quia Deus, & Deitas distinguuntur ex parte modi significādi, Deus constituitur per Deitatē, & quia Persona includit per modum trāscendētis essentiā, & essentia continet radicaliter personalitatem, neutra comparatur per modum partis.

2. Obiectio.

Arg. 2. Hæc constitutio nō est realis, quia extrema non sunt realiter distincta, nō est rationis; quia hæc exigit, vt extrema secundùm rationem se excludant: ergo non est ibi aliqua constitutio.

Resp. prædictam cōstitutionem esse realem virtualem.

Resp prædictā cōstitutionē esse realē virtualem, quia extrema .s. essētia, & persona realiter virtualiter distinguuntur, licèt nō realiter actualiter. Itē prædicta cōstitutio est etiā secundum rationē, si loquamur de constitutione actuali, hæc autē actualitas rationis formaliter est ex parte intellectus; nā ex parte obiecti solùm est cōstitutio virtualis, cū omnimoda reali simplicitate, ac proindè excluditur, & formalis exclusio rationis ex parte rei conceptæ, & formalis cōpositio ex parte rei conceptæ.

1312 Replica.

Vrgebis, hæc constitutio est solùm actualis virtualis; ergo absolutè persona diuina in esse personali non constituitur per suam proprietatem personalem, sicuti, quia distinctio inter Deitatem, & personam est virtualis, non conceditur, quòd sint absolutè distincta, sed tantùm virtualiter.

Eneruatur. sufficit enim tales proprietates esse reales.

Sed contra est: quia sufficit tales proprietates esse reales, ad hoc vt persona dicatur per illas absolutè constitui, sicut ad hoc, quòd absolutè concedatur, hominem constitui per rationalitatem, satis est eam esse rationē differentialem realem ipsius, licèt solùm virtualiter sit ab ea distinctum, nam ad hoc quòd aliquid sit reale constitutiuum sufficit distinctio virtualis; sicut adhoc, quod

aliqua

aliqua entia realia dicuntur absolutè distingui, exigitur distinctio realis, & hoc ex communi consensu Theologorum, ac Metaphysicorum.

1313 Petes 2.

Petes 2. An proprietates, quibus personæ constituuntur, sint absolutę, vel relatiuę?

Resp. esse relatiuas non absolutas. quia omnis distinctio realis, vel ex limitatione, vel ex oppositione causatur.

Resp. esse Relatiuas, non absolutas. ita D. Th. supra q. 36. art. 2. & 4. quē sequuntur communiter Thomistæ. Prob. Omnis distinctio realis debet prouenire, vel ex limitatione vtriusq; extremi, vt contingit in duobus lignis: vel ex limitatione vnius, & creatur in distinctione inter Deum, & creaturas: vel ex oppositione. In diuinis autem personis nequit reperiri limitatio: ergo distinctio realis in reperta debet oriri ex oppositione relatiua; siquidem nulla alia oppositio ibi reperitur, vt patet ex dictis qu. 36.

Confirm. personæ diuinæ per oppositionem contradictoriam, neq; per contrariā distinguuntur; ergo per relatiuam.

Confirm. Personæ diuinæ non possunt distingui per oppositionem contradictoriam, vel priuatiuā, quia vnū ex his extremis debet esse quid priuatiuum, vel negatiuum. Neque contraria, quia semper vnum extremū est nobilius, aliud vilius, vt patet in albo, & nigro: tū etiam quia quæ contrariè opponuntur, & non relatiuè, dicunt quid absolutum, & eo ipso vnumquodque extremum huius oppositionis affert proprium perfectionem, vimque prædicta extrema specie distinguuntur, oportebit, vt se excedant in perfectione, quod cū summa perfectione diuinarum personarum pugnat. ergo oppositione relatiua distinguuntur, cum nullam aliud genus restet:

1314 Oppos. sent. 1. Obiectio.

Oppositam sent. tenet Ita: de Ripa. Lichetus, & Alij relati à Granado tom. 3. in p part trac. 12 disp 13. Arg. 1 ex D. Th. q. 8 de pot. ar. 3. ad 7. vbi sic habet Relationes constituere hypostases, inquantum sunt essentia diuina. *ergo &c.*

Respondetur.

Resp. sensum D. Th. non esse, quòd constitutio diuinarum personarum proueniat formaliter, & proximè ab essentia, sed solùm radicaliter, inquantùm ex identificatione cum essentia habent prædictæ relationes, quòd sint substantia, ac proinde constitutiuæ diuinarum personarum, quæ sunt substantia.

2 Obiectio.

Arg. 2. Actiones sunt suppositorum, ergo oportet, vt suppositum constitutum debeat illas præcedere, nec non, & relationes ad easdem actiones consequentes. ergo Persona v. g. Patris constituitur per aliquid absolutum.

Resp. Relatio constituit, vt forma hypostatica secundùm *Ad*.

Resp. neg. conseq de quo fusiùs quæstio 4. Nam cùm Relatio Paternitatis secundùm nostrum modum concipiendi habeat duo munera: aliud quidem formæ hypostaticæ, seù formæ tribuentis subsistere incommunicabiliter relatiuè, & aliud relationis, vt expressè dicit respicere filium: secundum primum munus constituit personam Patris: & sic proportionabiliter dicimus de alijs relationibus respectu aliarum personarum.

1315 3. Obiectio.

Arg. 3. inter omnes distinctiones rerum primas, debet esse distinctio diuinarum personarum, cum processio earum sit causa processionis creaturarum; ergo oportebit, vt sicut primum in omnibus est substantia, & quid absolutum, ita distinctio sit per quid absolutum, non per relatiuum?

Resp. Prima omnium distinctionū realiū distinctio, debet esse minima.

Resp. neg. conseq. quia prima omnium distinctionū realium distinctio, debet esse omnium minima; quia hoc ipso, quod sit prior, est; quæ minùs recedit ab vnitate: hęc autem non potest præstari ab aliqua ratione absoluta, benè à relatiua, quia distinctio realis relatiua potest stare cum vnitate essentiæ, quia nō petit limitationē inter extrema, sicut distinctio absoluta, sed solam oppositionē.

Prima omniū distinctio realis debet esse omnium maxima, secluſis imperfectionibus.

Adde, quod prima distinctio realis debet esse omniū maxima, quæ depurari debet ab imperfectionibus. At distinctio realis maxima, quæ sic depurari queit, coincidit, cum distinctione reali minima, estq; relatiua, vt dictum est, & hæc est disparitas inter alia attributa, v. g. misericordiam ex vna parte, & distinctionem ex alia, quòd ratio maximę misericordię inter omnes excogitabiles, non dicit imperfectionem; sed potius maximam perfectionem: at distinctio omnium maxima necessariò inuoluit imperfectionem, cum tamen distinctio minima inter reales, quæ fit per relationes, nihil inuoluat imperfectionis, vt explicatum est.

1316 Petes 3.

Petes 3. An proprietates constituentes, ac distinguentes personas, sint Relationes secundùm rationem originis? v. g. generare, generari &c.

Respondetur. Prob. 1. quia origo actiuè sumpta concipitur, vt egrediens.

Resp: negat. ita S. Th. hic & 1. dist. 26. qu. 2. art. 2. quem sequuntur omnes Thomistę. Prob. 1. Origo actiuè sumpta concipitur à nobis, vt egrediens à persona producente, ac proindè, vt præsupponens eam constitutam: siquidem actiones personales, qualis est origo actiuè sumpta, debent intelligi, vt procedentes à personis: & ita præsupponunt illas iam constitutas. E contra verò origines passiuè acceptæ concipiuntur a nobis, vt via ad personam producendam, atque adeò, vt aliquid antecedens per modum viæ ad eandem personam.

1. Confirm. Nihil constituitur formaliter per suam productionē.

Confirm. 1. Nihil constituitur formaliter per suam productionem, siue originem; sed talis productio passiua res tantùm est via ad constitutiuum, & ideò ex sola ratione dicitur constituere, quia inducit constitutiuum; nisi enim generatio hominis induceret humanitatem, homo maneret sine formali constitutiuo; ergo productio personarum, seu relatio originis inducit constitutiuum, sed formaliter, non constituit.

2. Confirm. constitutiuū personę deaet subsistere, vt quo.

Confirm. 2. Constitutiuum in natura intellectuali personę, debet esse saltem subsistens vt quo incommunicabiliter respectu naturæ communicatæ, vel acceptę; generatio autem passiua, non concipitur vt subsistens in natura communicata, sed ad summum per modum viæ, ad hoc, vt communicetur, & habeatur prædicta natura: ergo prædicta natura siuè generatio, non erit formale constitutiuum Filij.

1317 Instabis.

Dices, D. Thom. hic non dixit personas diuinas non constitui originibus; sed priùs, & principaliùs constitui relationibus, quàm originibus.

Resp. Origines sunt quasi constitutiuæ viales.

Resp. D. Thomas cùm dicit personas diuinas constitui aliquo modo originibus, loquitur de viali, non verò de formali constitutiuo; idest de eo, quod est via indispensabiliter vel supponens, vt in Patre; vel producens constitutiuum, vt in Filio, & Spiritu Sancto, sed infrà fusiùs dub. 2. hoc magis explicabitur.

Prob. 2. quia constitutiua personarum debent esse formę intrinsecæ, in facto esse.

Prob. 2. Conclusio. Proprietates constitutiuę diuinarum personarum debent concipi, vt formę intrinsecæ in ipsis personis: siquidem concipiuntur, vt constitutiuę illarum in esse personali. Origo verò actiua, vt talis, v. g. generatio actiua, concipitur à nobis, vt egrediens à supposito producente: & origo passiua concipitur à nobis, vt via ad genitum: & quamuis secundùm hanc rationem, vt vię sint aliquo modo intrinsecę formę, sunt nihilominùs in esse quodam viali, & veluti in fieri: *at formæ constituentes diuinarum personarum debent esse intrinsecæ* in facto esse, *habeantque* esse *fixum, & permanens.*

1318 Opposit. sent. Obiectio.

Oppositam sententiam tenet Bonauent. 1. dist. 26. qu. 2. & alij. Arg. Relatio sub conceptu referendi præsupponit origines, tanquam fundamenta, siuè rationes fundandi easdem relationes sub prædictis muneribus. Nam Paternitas fundatur in relatione actiua, & Filiatio, ac Processio in productionibus passiuis Filij, & Spiritus Sancti: ergo prædictę origines sunt constitutiuæ.

Resp. generationem actiuam esse formam *in fieri*, ideò non constituit.

Resp. neg. conseq. quia, & si generatio actiua præsupponatur secundùm rationem ad aliqua ex muneribus relatiuis importatis in ipsa relatione Paternitatis; *non tamen ideò constituit personam; quia non præsupponitur per modum formę* in facto esse; *sed per modum* fieri, *& habent esse veluti inquietum: Personæ verò habent* esse *in facto esse, & quietum. Sed vt radicitus celebris hæc disputatio elucidetur, sit.*

Dub. 1. An in personis diuinis dentur aliquæ proprietates, quibus formaliter constituantur, & distinguantur, & quę sint?

Dub. 2. An diuinæ personę, formaliter, vt personę cōstituātur proprietatib⁹ absolutis An vero relatiuis

Dub. 3. Sub qua formali, ac pręcisa ratione Relatio constituat, ac distinguat personas.

DVBIVM I.

An in personis diuinis dentur aliquæ proprietates, quibus formaliter constituantur, ac distinguantur, & quæ sint?

1319 *Concl. affirm. Prob. quia vbi reperitur*

Conclusio simpliciter affirmatiua est omnium, exceptis Prepositiuo, & Ariminensi. Ratio D. Thom. hæc est. *In quibuscumque pluribus inuenitur aliquid*

aliquid commune, oportet quærere distinctiuũ.

aliquid commune, oportet quærere aliquid distinctiuũ. *Vnde cum tres personæ conueniant secundùm essentiæ vnitatem, necesse est, quærere aliquid, quo distinguantur ad hoc, vt plures sint.* Enimuero naturæ lumine manifestum est, quod tria, quæ sunt vere, ac realiter tria, & simul verè, ac realiter vnum: sicut in diuinis firmissimè credimus, esse verè, & realiter tres personas, easque simul esse verè, ac realiter vnum Deum, non possunt per illam eandem rationem formalem, saltem mente consideratam, & præcisam, per quam sunt tria, & realiter distincta, esse vnum, & realiter indistincta.

Confirm. quia ex D. Athanasio personæ habent proprietates.

Confirm. ex D. Athanasio Dialog. 1. de Sanctiss. Trinit. *Hypostasis proprietatem habet minimè commune hypostasibus, quæ essentiæ subsunt.* Et paulo post: *Quidquid numeri multiplicationem admittit, omninò proprietatem habet: quod proprietatem habet, numerũ admittit, ipsa enim proprietas numerum inducit.* Si personæ habent proprietatem: ergo proprietas non consideratur, vt ipsa persona, sed vt aliqua personæ ratio, quæ est in persona, & habetur à persona. Præterea si proprietas numerum inducit; ergo distinctionem, ergo est præcisè ipsa ratio distinguendi, & non res distincta; alioquin ipsa non induceret, & causaret numerum; sed esset numerus ipse inductus, & causatus; ergo est etiam ratio distinguendi, ac constituendi personas, quia idem est principium cõstitutiuum, ac distinctiuum, alios Patres lege apud Vasquez hic.

1320 *1. Obiectio.*

Arg. 1. Quælibet persona diuina est simplex omnino. Ergo nulla persona diuina per aliquid in suo esse constituitur. Prob. Conseq. quia illud constituens præcisè, & secundùm se acceptum est persona, aut non; aut aliquid eius. Non primum, vt ex se patet. Non secundum, quia, aut illud habet esse per operationem Animæ tantùm; ergo non potest constituere personam æternam, quæ summa res est; aut est aliquid extra animam. Vnde sequitur, quod persona non sit omnino simplex.

Resp. huiusmodi constitutio diuinæ simplicitati non præiudicat, quia non est simplicitas imperfecta, sed perfecta ex plenitudine entis.

Resp. neg. conseq. Quoniam huiusmodi constitutio diuina simplicitati non præiudicat, quæ nimirum non est simplicitas imperfecta ex defectu entis, sed simplicitas perfectissima ex infinita plenitudine entis æquiualentis eminentialiter multis entibus diuinis, & perfectis, ac proinde à nobis conceptibilis pluribus, & inadæquatis conceptibus. Ad prob. conseq. dico, Proprietatem, qua constituitur persona, vt præcise acceptam, & abstractam à persona, non esse personam, sed aliquid personæ; proprietates enim v. g. Paternitas, & Filiatio sunt personarum *notæ, quasi characteres quidam, & formæ in substantia inspecta, quæ distinguunt quidem quod commune est appropriatis characteribus; communicationem verò substantiæ nõ comperiant*, ita Basilius lib. 2. contra Eunomium, hæc autem forma constituens est intra animam quantùm ad præcisionem, & distinctionem, quæ non est nisi rationis. est vero extra, quantùm ad rem ipsam, quæ præcise cõsideratur; quod nõ est simplicitate tollere, sed præstantissimam diuinæ simplicitatis eminentiã explicare, mentaliter diuidendo, non diuisione tenente se ex parte rei cognitæ, sed ex parte cognoscentis, qui ob sui imperfectionem, non potest vnico actu totum illam simplicissimi entis plenitudinem apprehendere, ac veluti exhaurire.

1321 *2. Obiectio.*

Arg. 2. Non minùs est simplex persona diuina, quàm essentia diuina, aut aliqua proprietas personalis v. g. Paternitas. Sed essentia, & proprietas ob simplicitatem non constituuntur per aliquid: ergo nec persona.

Resp. hæc nomina Paternitas, & Pater possunt dupliciter considerari, vel quoad rem significatam, vel quoad modum significandi.

Resp. dist. ma. hæc nomina Deitas, Deus; item Pater, Paternitas considerari possunt, vel quo ad rem significatam, quo modo æqualem omnino simplicitatem habent, quia sunt vna res omnino simplex, & indistincta, vel quo ad modum significandi, & concipiendi, nimirum Deitatem concretam in supposito, & à supposito ratione abstractam ab essentia, & hoc modo talia est maior, quia eadem res prout significata nomine v. g. Paternitatis, abstracto ab essentia, est magis simplex, quam prout significata nomine Patris concreto in essentia: nomina enim concreta significant duas res ratione distinctas, nempe naturã, & personalitatem, vt Paternitas, Filiatio. Ex eo igitur, quod in huiusmodi abstractis non datur aliud constituens, & aliud constitutum, non sequitur idem non dari posse in concretis.

1322 *3. Obiectio.*

Arg. 3. Si persona constitueretur per proprietatem aliquam, constitueretur etiam per essentiam, & essentia constitueret personam, v. g. Patrem, ac proinde essentia non est Pater, quod est contra determinationem Ecclesiæ cap. damnamus.

Resp. essentiam non exprimere abstractionem, quia Pater est Pater, sed exprimere rem, prout abstractam.

Resp. conced. Anteced. si intelligatur debito modo, nempe, vt Pater constituatur per paternitatem, tanquam per rationem formalem distinguentem, & determinantem, quia est formaliter Pater nõ deitate, sed paternitate, constituatur vero per essentiam, tanquam per rationem, veluti materialem, hoc est, communem, pluribus distinctis, non distinguentem, sed adunantem, & identificantem sibi omnia, hinc vero non sequitur, quod simpliciter loquendo, essentia non sit Pater; quia licet essentia sit nomen abstractum, tamen exprimit tantùm rem, quæ est abstracta, & non exprimit abstractionem, seu rem prout abstractam; ideo si diceretur simpliciter, essentia nõ est Pater, videretur negari identitas, quam reipsa habet essentia cum Patre.

1323 *Petes 1.*

Petes 1. *An omnis proprietas aliquo modo distinguat, ac constituat personas?*

Resp. Omnem proprietatem aliquo modo distinguere, ac constituere.

Resp. Omnem proprietatem aliquo modo distinguere, ac constituere personas: & sicut reperiri nequit aliqua proprietas, quæ constituat, & non distinguat, ita è contra fingi non potest aliqua, quæ distinguat, & non constituat; scil. vt quomodo constituit, eo modo distinguat, & quomodo distinguit, eo modo constituat. Prob. 1. quod omnes concedunt, omnem proprietatẽ aliquo modo distinguere; quoniam omnis proprietas est identificata personæ, & est in vna persona, non in alia: ergo seipsa formaliter facit, vnam personam non esse aliam, quod est distinguere. Confirm. ex dictis qu. 32. art. 2. & 3. de notionibus, quia in latiori significato, quo nunc de notionibus disputamus, omnis proprietas est notio. Certum autem est per notionem, quæ est ratio cognoscendi vnam personam ab alia distingui.

Probatur 1.

1324 *Probatur 2. quia omnis proprietas est formaliter in persona, ergo facit personam talẽ formaliter.*

Prob. 2. Quia omnis proprietas est formaliter in persona; ergo facit personam talem formaliter, qualis est ipsa proprietatis formalitas: v. g. Paternitas facit vnam personam formaliter Patrem, Filiatio Filium, relatio spirationis passiuæ Spiritum Sanctum, innascibilitas facit Patrem formaliter innascibilem: relatio spirationis actiuæ facit Patrem, & Filium formaliter spirantes, ergo omnis proprietas constituit personam aliquo modo, hoc est, in aliquo esse, siue negatiuo, vt innascibilitas, quæ negatio est, siue positiuo, vt aliæ proprietates; quod esse positiuum, vel est ipsum esse formale personæ, quod habetur ex Paternitate, Filiatione, & spiratione passiua, vel est aliquod esse relatiuum substantialiter superadditum personæ, eique identificatum.

1325 *Probat. 3. quia omnis ratio formaliter constituens in aliquo esse determinato, facit ens hoc, seu tale.*

Prob. 3. Omnis ratio formaliter constituens in aliquo *esse* determinato, facit ens hoc, seu tale, omne autem quod est hoc, seu tale ens determinatum, non est aliud, ergo est distinctum ab alio; ergo omnis ratio constituens, est distinguens; ergo constituẽs tali modo v. g. in esse personali, in esse pure correlatiuo, in esse negatiuo, est proportionaliter distinguens eo modo. Item omnis ratio distinguens, facit hoc non esse illud; quod intelligi non potest facere nisi faciendo, & constituendo hoc, ad quod essentialiter consequitur non esse illud. negatio enim huius ab illo, quæ est formaliter ipsa distinctio, præsupponere necessario debet hoc, in quo fundatur: ergo omnis ratio distinguens, esse necessario debet ratio constituens; ergo distinguens tali modo v. g. personaliter; correlatiue &c. erit eodem pari modo constituens.

1326 *Petes 2.*

Petes 2. *An innascibilitas; quæ est proprietas solius Patris, distinguat, ac constituat personam Patris?*

Respond. neg.

Resp. negatiue. Innascibilitas, quæ est proprietas

solius

Prob. 1. quia personalitas Patris est aliquod ens positiuum.

solius Patris non constituit, nec distinguit personam Patris, ita D. Thom. *opusc. 2. de comp. Theol. cap 60.* Prob. 1. Personalitas Patris est ens aliquod positiuũ reale, vt de omni persona in communi probatum est supra qu. 29. art. 1. Innascibilitas enim formaliter non importat conceptum aliquem positiuum, sed negatiuum dumtaxat, vt supra qu. 33. art. 4. *nihil autem*, inquit S.Thomas, *negatione constituitur.* Secundò, Negatio, quam de formali importat innascibilitas, fundatur in Paternitate, prout est omnibus modis à se: Paternitas autem, vel ipsa formalitas est tota, & integra personalitas Patris, vt inferiùs dicam: vel saltem præsupponere debet personam integrè constitutã, vt accidit in Patribus creatis: Pater enim secundùm omnia positiua, quæ formaliter, & intrinsecè includit, est is, qui Filium generat, & ad Filium refertur, qui non potest non intelligi, vt integra persona, ac perfecta; ergo negatio, quæ tanquam quid consequens fundatur in Paternitate, seu persona Patris, non potest pertinere ad formalem, & intrinsecam personæ constitutionem, *quia*, vt ait S. Th., *naturaliter affirmatio negationem præcedit.*

1327 *Petes 3.*

Petes 3. *An spirationis actiuæ relatio possit esse aliqua ratio constitutiua, & distinctiua alicuius personæ?*

Resp neg & clarissimè constat ex D Th. asserente, Paternitatẽ, Filiationem, Processionem esse tres tantùm Relationes constituentes personas.

Resp. negat. ita clarissimè D. Thom. opusc. 1. de compend. Theolog. cap. 60. his verbis, *licèt vni personæ plures notiones, aut proprietates conueniant, vna tamen sola est, quæ personam constituit. Non enim sic constituitur persona proprietatibus, quasi ex pluribus constituta, oportet igitur intelligi, quòd plurium proprietatum, seu notionum, vni personæ conuenientium, illa, quæ præcedit secundùm ordinem naturæ personam constituit. Aliæ verò intelliguntur, vt personæ iam constitutæ inhærentes. Communis autem spiratio ordine naturæ præsupponit Paternitatem, & Filiationem, sicut processio amoris processionem Verbi. Relinquitur igitur, quòd tres sunt relationes constituentes personas, scil. paternitas, filiatio, & processio, id enim, quod personam constituit, oportet soli ipsi personæ conuenire. Dicuntur igitur prædictæ tres notiones, personales proprietates, quasi constituentes personas. Aliæ verò dicuntur proprietates, seu notiones personarum; non autem personales, quia personas non constituunt.* S. Thom. sequuntur communiter Capreolus 1. dist. 11. qu. vnica art. 2. ad 1. & dist. 13. qu. vnica art. 1. ad 2. Caiet. supra qu. 36. art. 2. Ferrar. 4. cont. Gen. cap. 24. & aliæ Thomistæ.

1328 *Prob. 1. Quia spiratio actiua est communicabilis de ratione autem personæ est incommunicabilitas.*

Fundamentum huius conclusiones præcipuum, cui innituntur D. Thomas, & reliqui omnes, est cõmunicabilitas spirationis actiuæ, seu communitas, quam illa habet cum duabus personis. De ratione enim essentiali personæ est, vt sit incommunicabilis, ac proindè distinguatur realiter ab omni alia persona, vt supra qu. 29. art. 1. ergo formalis ratio constituens personam in esse formali personæ, siuè totali, & adequato, siuè partiali, & inadæquato, non potest esse aliquid communicatum, siuè communis pluribus personis. Enimuerò ex terminis ipsis pugnare videtur, vt persona constituatur formaliter incommunicabilis, & distincta, per aliquam personalitatem communicabilem, & indistinctam.

1329 *Prob. 2. Quia spiratio actiua est fundata in processione amoris, quæ supponit processionẽ Verbi, ac proindè Patrem, & Filium.*

Tangitur quoque à S. Thom. vbi supra aliud efficax fundamentum, ductum ex posterioritate relationis spirandi, quæ ex propria sua ratione, secundùm quam est relatio fundata in processione amoris per voluntatem, præsupponit processionem Verbi per intellectum; ac proindè, quia hæc processio in diuinis est substantialis, & perfectissima generatio, præsupponit Patrem perfectissimè generantem, & Filium perfectissimè genitum. Quod autem Pater generans, & Filius genitus, sint personæ omnino perfectæ, notissimũ omnibus est ex ipsis rebus creatis, in quibus nullus Pater, nullus Filius esse potest, qui perfectam personæ rationem non habeat: quæ perfectio multo magis tribui non est Deo Patri, & Deo Filio, à quibus omnis Paternitas, omnisque Filiatio in Cœlo, & in terra nominatur. *Ephes. 3.* Cùm enim actiones sint suppositorum, perfectissima actio perfectissimi suppositi sit, necesse est; ergo relatio, naturâ posterior generante, & genito, non potest rationabiliter intelligi, vt formaliter pertinens ad essentialem, seu formalem constitutionem personæ generantis, & genitæ, sed vt loquitur S.Th. suprà, *Personæ iam constitutæ superueniens, & veluti inhærens, & sicut illud, quod aduenit post esse constitutiuum.*

Nota.

Nota, quod qu. 36. diximus relationem spirationis actiuæ constituere principium spiratiuum, intellige, relatiuè: nã principium quod spiratiuum originis, & principiatiuè constituitur adæquatè per virtutem spiratiuam, & relationibus Paternitatis, & Filiationis, quę duæ proprietates, licet ad principiũ spiratiuum relatiuè, concurrant mediatè, ad principiatiuum verò immediatè.

1330 *Instantia.*

Dices 1. Si Filiatio præcisè constitueret Filij personalitatem, *spiratio actiua*, inquit, esset aduentitia, & extra personalitatem Filij, & suam perseitatem, ac personalem discretionem. Quod esse non potest, quia tunc esset accidens sibi adueniens tanquam aliquid extrinsecum, & sine quo remaneret persona.

Resp. spirationem actiuam esse aduentitiam Patri, & Filio, non tanquam quid extraneum; sed tanquam aliquod conueniẽs Patri, & Filio iam constitutis.

Resp dist. primum consequens, spiratio actiua esset aduentitia, non tanquam aliquid extraneum, & nulla ratione pertinens ad personam, cui aduenire à nobis concipitur, cùm duæ personæ Patris, & Filij illam intrinsecè, & connaturaliter, per summã naturæ necessitatem, exigant: sed solùm est aduentitia, tanquam aliquid conueniens, Patri, & Filio, alterius tertiæ personæ processione; & non conueniens, vt constituat, ac distinguat personaliter à Spiritu Sancto, sed solùm, vt referat ad personam Spiritus Sancti, correlatione substantiali, correspondente scilicet relationi personali Spiritus Sancti. Esset etiam extra personam per negationem inclusionis essentialis, non autem per negationem realis identitatis, hinc autem non sequi spirationem esse in se verè, ac propriè accidens, vt accidens distinguitur contra substantiam.

1331 *Vrgebis.*

Vrgebis, si spiratio non pertineret ad personam intrinsecè constituendo, sed illi superueniret, faceret cum illa compositionem magis indignam Deo, quàm sit illa ex genere, & differentia: nam hæc cõpositio est essentialis, illa verò esset per modum accidentis ratione distincti superuenientis personæ iam constitutæ.

Resp. Quamuis concipiamus spirationẽ esse posteriorem Patre, & Filio in esse personali constitutis non tamen cõponit cum illis, quia superuenit cum summa identitate.

Resp. ex eo, quòd spiratio concipiatur, vt superueniens personæ, inquantum spiratio est posteriùs origine in Patre, & Filio, perfectè constitutis in esse personali, nego sequi illam compositionem cum persona: hæc enim superuenientia est, & concipitur cum identitate, non cum distinctione, quæ ad compositionem necessaria est. Quarè persona, & spiratio illi superueniens, non sunt comparandę cum genera, & differentia, quæ est in re identificantur, tamen ratione distinguuntur, & sic distinctæ concipiuntur componere vnam distinctam essentiam, in quo genere essentiali illæ sunt imperfectæ, & partiales: neque sunt comparandę cum subiecto, & accidente, quæ re ipsa distinguuntur, & componunt realiter vnum per accidens, qua vnione singulæ partes componentes, simpliciter in se imperfectæ perficiũtur. At verò persona diuina, & relatio spirandi, nihil componunt, neque essentiale, neque personale; & per hanc relationem persona non perficitur, neq; in esse essentiali, neque in esse personali, sed tantùm purè refertur formaliter ad aliud sibi oppositum correlatiuum substantiale, ac personale.

2. Instantia.

Dices 2. Præcisa relatione spirationis actiuæ, non haberetur in Patre, & Filio integra, plenaque distinctio ab Spiritu Sancto: ergo nec integra, plenaque constitutio personæ. Anteced. prob. nam si per Paternitatem, & Filiationem Pater, & Filius distinguerentur realiter ab Spiritu Sancto præcisa relatione spirationis actiuæ, sequeretur inter diuinas personas reperiri realem distinctionem, vbi nõ obuiat relationis oppositio contra Anselmum, Boetium, & reliquos omnes Theologos.

1332 *Resp. in diuinis dari duplex*

Resp. neg. Antec. de destinctione personali simpliciter; quamuis enim præcisa relatione spirandi, Pater,

genus oppositionis relatiuæ, alterum relatiuè exercitè, alterũ relatiuè principiatiuè.

Pater, seu Filius non distingueretur ab Spiritu Sancto, vt correlatiuum à correlatiuo, sicut inter se distinguuntur Pater, & Filius; tamen distinguerentur realiter, & vna persona ab alia persona, nimirum per eamdem illam rationem, per quam in formali esse personæ cõstituitur, & ad prob. Anteced. neg. simpliciter sequela. Duplex enim est in diuinis relationis oppositio altera puræ originis, quomodo relatio spirationis passiuæ opponitur Paternitati, ac Filiationi, à quibus tanquam à principio, *quod* originatur; altera puræ correlationis, quo modo relatio spirationis actiuæ opponitur relationi spirationis passiuæ. Quãquam vtramque simul oppositionem habet Paternitas ad Filiationem: quia Filius non solùm est correlatiuus Patri, verum etiam terminus realiter productus à Patre.

1333 Petes 4.

Resp. neg. quia omnia sunt per summã identitatem.

Petes 4. *An hæc constitutio sit cum aliqua distinctione partium ex natura rei constituentium.*

Resp. diuinarum personarum per proprietates cõstitutio, non est cum aliqua distinctione ex natura rei partium constituentium inter se, & constituti à singulis partibus; quo modo est physice constitutus v. g. homo: & in probabili distinguente à parte rei, gradus etiam metaphysicos, est metaphysice constituta humanitas ex animalitate, & rationalitate. Hæc conclusio nullos potest habere aduersarios, nisi qui in diuinis personis, *in quibus*, vt ait hic S. Thomas, *non est aliud intelligere nisi essentiam, & relationem, siuè proprietatem*, ponunt actualem in re distinctionem inter essentiam, & personalitates. quam sententiam pluribus impugnaui supra *q. 28. a.* 2. ex quibus præsens conclusio probata omnino remanet.

1334 Petes 5.

Resp. negatiuè, quia realis cõpositio importat realem partium distinctionem, & vnionẽ.

Petes 5. *An sit constitutio per realem compositionem totius constituti ex partibus constituentibus?*

Resp. negatiuè. Non est constitutio per realem compositionem totius constituti ex partibus constituentibus. Prob. Realis compositio, præter realem partium distinctionem, importat realem aliquam earumdem partium vnionem, qua partes singulæ, per se imperfectæ, vnitæ in aliquo vno toto, ex ipsis conflato, inuicem perficiantur. Qui conceptus manifestè pugnat cum infinita Dei perfectione. Quamobrem in Deo reperitur realis quidem distinctio personarum inter se, sed nõ realis compositio, quippè quæ essentialiter imperfectionem importat, nulla ratione reperiri potest. *vt tomo 1. q. 3. art. 7.* & alibi fusè diximus.

1335 Petes 6.

Resp. ex parte rei conceptæ nullam dari cõpositionem in diuinis, neque rationis, quia dicit imperfectionem.

Petes 6. *An sit constitutio per compositionem rationis?*

Resp. negatiuè. Non est constitutio per compositionem rationis ex pluribus ratione ratiocinata distinctis: ita vt talis compositio sit cum fundamento in re ex parte ipsius diuinæ personæ, quam ratione componimus, & sine vlla imperfectione concepta obiectiue in ipsa persona, sed solùm cum imperfectione concipientis, & intentionaliter componentis: alioqui cum imperfectione tam ex parte concipientis, quàm ex parte rei conceptæ poterit absque dubio hæc diuinarum personarum constitutio esse per compositionem rationis. hic nulla alia controuersia esse potest, nisi quam latè tractaui *in 1. tomo q. 3. art 7.* An diuinę simplicitati repugnet non solùm compositio realis, sed etiam compositio rationis. quoniã vero ibi ostendi repugnare ex parte diuinæ perfectionis, non autem ex parte imperfectionis concipientium, inde sequitur, huiusmodi constitutionem non posse esse per compositionem rationis ratiocinatæ, habentis aliquod fundamentum concipiendi in ipso Deo, sed solùm habentis fundamentum in creaturis imperfectis.

1336 Petes 7.

Resp. affirm nõ est rationis, sed realis.

Petes 7. *An constitutio diuinarum personarum sit verè, & propriè realis.*

Resp. affirmatiuè. loquendo simpliciter de diuinarum personarum constitutione ex essentia, & proprietatibus, illa non est constitutio rationis, sed verè, ac propriè realis: quamuis ob nostram intelligendi imperfectionem, eam concipiamus, & significemus cum distinctione plurium partium earumque vnione in vno aliquo toto, ità Suarez *de Trinit. c. 7. l.* 3. Capreolus *1. d. 2. q. 3. a. 2. ad* 4. Et in hoc sensu intelligenda sunt, quæ diximus in hac disp.

Probatur primo, In constitutione diuinæ personæ non possunt considerari nisi tria, quæ omnia sunt realia: nimirum, & ipsa res constituta, quæ est persona realis, & ipsæ rationes constituentes, seu constitutiuæ, nempè Deitas, & proprietas, v. g. Paternitas; quæ etiam secundùm se reales sunt, vt patet; & denique ipsa constitutio, quæ est etiam realis; quia non est aliud, nisi intrinseca existentia rationum constituentium in ipso constituto, vnde constitutum habet esse tale, & tale formaliter, v. g. esse formaliter Deum, esse formaliter personam; hæc autem existẽtia, siuè entitatiua inclusio est necessariò cum distinctione constituentium, & compositione constituti, vt in rebus creatis; sed potest esse in Deo, cum summa identitate, transcendentia, vnitate, & simplicitate vnius rei indiuisibilis, quæ cum nulla distinctione in re, habeat in se ipsa hanc realem perfectionem Deitatis, & illam realem perfectionem paternitatis; & per Deitatem formaliter, habeat formaliter in se esse talem personam Patris. ergo in constitutione personæ diuinæ nihil est ex parte rei conceptæ, quod sit ens rationis, & non à parte rei: tametsi ex parte concipientis imperfecti ad totum hoc reale concipiendum, & significandum, sit necessaria aliqua distinctio rationis, quæ distinctis actibus res illa indiuisibilis concipiatur inadæquate, modo secundùm hanc rationem tantùm, modo secundùm aliam tantùm; & vtraque significetur esse per identitatem, nõ per aliquam distinctionem ex natura rei.

Prob. 1 quia in hac constitutione considerantur tria, quæ omnia sunt realia; nempè res constituta, proprietas constitutas, & constitutio.

1337 Probatur. 2. constitutio rationis non potest consistere in sola rationis distinctione plurium constituẽtium, nisi etiam addatur conuenientia istorum plurium ad conflandum vnum constitutum: qui enim concipit distinctè Deitatem, & Paternitatem non concipit vnam personam Patris ex illis constitutam, nisi concipiat ille simul in vnum conuenire: ergo constitutio rationis est propriissimè rationis compositio. hæc autem, vt fusiùs ostendi loco citato, repugnat Deo, quia non solùm ponit imperfectionem in ipsa ratione componente, sed etiam in ipsomet Deo, qui per rationem componitur, & in quo distinctio, & limitatio, & potentialitas concipitur. ergo cõstitutio rationis quò ad eius fieri potest, excludenda est à diuinis personis; quarum constitutio concipienda, & explicanda est, non per compositionem, sed per identitatem, eminenter æquipollentem pluribus, in illa indiuisibiliter, & formaliter inclusis, siuè realiter existentibus.

Prob. 2. quia cõstitutio rationis exigit distinctionẽ plurium, & plurium vnionẽ.

1338 Probatur 3. Quælibet persona est realiter distincta ab alia, ergo est pariter realiter constituta in seipsa: hoc est habet in seipsa intrinsecè, & realiter id, per quod realiter est distincta. Prob. & explicatur consequentia. quoniam distinctio cuiusque rei præsupponit eiusdem rei perfectam in seipsa constitutionem: qua nil aliud significatur, nisi rem habere totum, quod habere in se debet, siuè cum distinctione, & compositione, vt in creaturis, siuè cum vnitate, ac simplicitate, vt in Deo. Cùm igitur quælibet diuina persona sine vllo opere intellectus, habeat in se quidquid ad rationem suæ personæ spectat, hoc est, & naturam communem, & suam proprietatem, dici potest, ac debet, hãbere à parte rei suam perfectam constitutionem ex natura communicabili, & proprietate incommunicabili. Quam ob causam ipsemmet Deus videt personas diuinas suis proprietatibus realiter constitutas, ac distinctas, & tamen De⁹, qui perfectissimè intuetur res, sicut in se sunt, non distinguit, aut componit mente, quę in se non distinguuntur, ac componuntur: ergo constitutio in diuinis personis ex parte rei significatæ, & conceptæ tota est à parte rei, nimirum ipsamet diuina persona, inquantùm per omnimodam identitatem, & transcendentiam essentiæ diuinæ est habens in se, & naturã communem, qua cum alijs conuenit, & ipsam proprietatem incommunicabilem, qua est in se à parte rei vltimò determinata, & completa, & à reliquis realiter distincta.

Prob. 3. Nam cùm quælibet persona sit realiter distincta ab alia, realiter est constituta.

1339 *Ipsemet Deus videt personas diuinas esse realiter constitutas.*

Dixi

1340 *Quo ad modū nostrum concipiendi, & significandi, hæc constitutio non esse à parte rei*

Dixi *ex parte rei significate, & concepta*; quia quo ad modum concipiendi, & significandi, quo nos hãc rem concipere, & explicare solemus, non est à parte rei. Nos .n. hanc constitutionem cõcipimus distinguendo in illa duas res ratione, hoc est, id, quod actu est vnum, virtute multiplex, per duos distinctos actus distinctè concipiendo, & prætereà easdē duas res comparando cum habitudine constituentium ad aliud tertium ex illis constitutum, nempe personam: quem distinctionis, & compositionis modum, res illa à parte rei non habet.

DVBIVM II.

An diuinæ personæ, vt formaliter personæ constituantur proprietatibus absolutis? vel per origines? vel proprietatibus relatiuis?

1341 *Concl. Personæ non constituuntur, vt personæ per proprietates absolutas, sed per relatiuas.*

CONclusio. Personæ non constituuntur vt formaliter personæ proprietatibus absolutis, ità S. Th. hic, & plures alij Patres, Concilia, & loca Scripturæ, quos eruditissimè congerent commentatores huius articuli communiter. Nihilominùs probatur ratione. Personæ, vt personæ debent esse inuicem realiter distinctæ, & oppositæ per proprietates incõmunicabiles. Nam vt dicebat Ioannes Theologus in Concil. Florent. sess. 18. *Si proprietas communicabilis esset, proprietas non esset proprietas*; & propter hanc incommunicabilitatem, quam relatio spirandi habet cum Patre, & Filio, de ipsa .n. dixit D. Th. suprà qu. 32. art. 3. communis spiratio non est proprietas, quia conuenit duabus personis, non possunt autem in diuinis salua diuinitate, & illimitatione essentialiter imbibita in qualibet ratione diuina, dari duæ distinctæ, & oppositæ rationes absolutæ, sed solùm relatiuæ. Quod non videtur posse aliunde oriri nisi, ex ipsa natura relatiui, & absoluti.

1342 *Relatio, vt Relatio essentialiter est ordo vnius ad aliud ac proindè nõ potest relatiuū includere illud aliud, quod respicit.*

Relatio enim, vt relatio siuè diuina sit, siuè creata, habet essentialiter esse ordinem vnius ad aliud: ergo essentialiter requirit vnum, & aliud à parte rei, & duo realiter inuicem distincta, & opposita: ergo relatiuum, vt relatiuum non potest in se includere illud aliud, quod respicit; ergo infinitas, & diuinitas relatiui saluari benè potest, etiam si non includit in se terminum, sed ab eo realiter distinguatur, eique opponatur. Absolutum verò est ens ad se: ergo ex suo proprio, & essentiali conceptu non petit, non esse aliud, & distinctionem ab alio, & oppositionem: ergo si hæc habet id non potest prouenire, nisi ex imperfectione, & aliqua limitatione suæ intrinsecæ entitatis; quia scilicet non habet in se aliquam aliam perfectionem, quam vt absolutum est non repugnat illi habere. Vnde in omnibus creaturis absoluta omnia, quę distincta, & opposita sunt, id habent, quia sunt finita, & imperfecta, & absolutum quò perfectiùs eò simpliciùs, & eo plures rationes in vna indiuisibili entitate continet. Quamobrem essentia diuina, quia absoluta est, & perfectionis omnino illimitatæ, cum nulla alia re formaliter diuina, & cum nulla prorsus perfectione, vbi nulla sit imperfectio, oppositionem habet, & à nulla distinguitur ex natura rei; igitur cùm omnis ratio absoluta sit perfectissima, ac proindè repugnet illi omnis imperfectio, & limitatio, illi quoque repugnabit distinctio ab alio, & oppositio cum alio siuè absoluto, siue relatiuo.

1343 *Absolutum in diuinis, cùm non sit oppositū absoluto, non potest multiplicari propter oppositionem.*

Atq; hæc est ratio cur in diuinis nullum absolutū multiplicari possit, quia cum absolutū non sit ex genere suo oppositū absoluto, & cõsequenter nõ possit multiplicari, & in plura diuidi propter oppositionem sui generis, multiplicari deberet propter oppositionē aliquã suæ naturę in esse generico absoluto, quæ limitatio stare nõ potest cū qualibet ratione formaliter diuina. Si igitur Pater v. g. constitueretur in esse Patris proprietatē aliquã absolutam, hæc etiam esset infinita simpliciter in suo genere entis absoluti; & quia esset absoluta non posset opponi Filio, & Spiritui Sancto: ergo deberet secum identificare sibi Filium, & Spiritum Sanctum: sicut de facto dicimus rationem spirandi, quia est infinita in suo genere entis relatiui, & non opposita Paternitati, & Filiationi, ab his non distingui: ergo per proprietates absolutas non posset saluari Trinitas in Deo.

Dices, hoc discursu nimium probari; nimirū nullã rationē formaliter diuinam esse posse intrà Deū, quæ sit formaliter relatiua, & correlatiua alteri rationi formaliter relatiuę, & diuinę: quia in omni relatiuo etiam diuino, inuoluitur necessariò oppositio, & distinctio, quę essentialiter importat limitationē, & imperfectionē. Omne .n. realiter distinctū ab alio, non potest esse illud aliud, à quo realiter distinguitur: ergo respectu illius est limitatum, & simpliciter imperfectum in suo genere, hoc est in genere entis absoluti, si est absolutum, & distinctum in absoluto; vel in genere entis relatiui, si est relatiuum, & distinctū à relatiuo: ergo non possunt duæ res essentialiter, & formaliter diuinæ, distingui realiter inter se. 1344 *Euasio.*

Respondeo, addendo probationem, qua S. Th. 1. dist. 26. qu. 2. art. 2. peculiari ratione de relatiuo, quę non procedit de absoluto, acutè ostendit, quod oppositio relatiua nullam inuoluit imperfectionem *quia*, inquit, *in relatiuis non est oppositio secundùm id, quod relatiuum in aliquo est: sed secundùm id, quod ad aliud dicitur.* Hoc est duæ relationes dicuntur oppositę nõ per ordinem ad subiectum, sed per ordinem ad terminum: quia in re differunt ab oppositis contrarijs. quia duæ rationes contrariæ v. g. album, & nigrum, respectū eiusdem parietis; vel rationale, & brutale respectū animalis; ex eo quod opponantur præcisè per id, quod in se sunt, habent quidem non posse esse simul in eodem supposito; sed quia singulæ per se natæ sunt esse in illo, si adest vna cum negatione perfectionis, quæ est in alia affert necessario aliquem defectum in supposito, in quo est expellens seipsa formaliter aliam perfectionem sibi oppositam, & incompossibilem. At vero in oppositione relatiua secùs res se habet; sequitur S. Thomas; *nam quamuis vna relatio habeat adnexam negationem alterius relationis in eodem supposito, non tamen ista negatio importat aliquem defectum; quia defectus non est, nisi secundùm aliquid quod in aliquo natum est esse. Vndè, cùm id, quod habet oppositionem relatiuam ad ipsum secundùm rationem oppositionis non ponat aliquid: sed ad aliquid, non sequitur imperfectio, vel defectus: & ideò sola talis oppositio cõpetit distinctioni personarum.* 1345 *Præcluditur. Quia oppositio relatiua nullā dicit imperfectionem, quia hæc oppositio est secundùm id, non quod in aliquo est, sed quod ad aliud dicitur, ita D. Thom.*

Et vult dicere, quòd duæ relationes ex eo quod opponuntur pręcisè per id, quod in se sunt, sed per terminum, quem, vt aliud à se realiter distinctum respiciunt, ita ad suppositum, in quo sunt, comparantur, vt vbi sit vna relatio, ibi opposita non possit simpliciter esse, hoc est, neque simul cum alia, neque per se sola; v. g. Paternitas, & Filiatio neque esse simul possunt in eodem supposito, aut generante, aut genito, neque in supposito generante, vbi est Paternitas, potest esse sola Filiatio, etiam sine paternitate; quia tunc, cùm Filiatio sit ordo ad generantem, ideo referetur ad seipsum; neque pariter à contrario in supposito, vbi est Filiatio, potest esse sola Paternitas etiam sine Filiatione, quia tunc etiam idem referretur ad seipsum, cùm Paternitas sit ordo ad genitum; ergo, quod vna relatio dicat negationem alteriùs relationis oppositæ in supposito, in quo illa est, ac proindè inuicem realiter distinguantur, nullus in eo supposito defectus inducitur quia defectus non est, nisi secundùm aliquid quod in aliquo natum est esse, & non est in illo. Non habere autem, quòd in non habente, natum non est simpliciter haberi, non est imperfectio, imo esse imperfectio habere. 1346 *Sensus D. Th. est, quod duæ relationes ex eo, quòd opponuntur pręcisè per id, quod in se sunt, sed per terminum non dicunt imperfectionem.*

Adde demùm, quòd in diuinis maximè proprium est, & in quocumq; supposito tollit simpliciter omnem negationē, & limitationem habendi, ità vt vnū oppositū relatiuum non habeti ab alio opposito relatiuo, à quo realiter distinguitur, nimirū, non haberi pręcisè, & formaliter secundùm quod est oppositum, & distinctum, vt tamen habeatur ratione cõmunis essentiæ per modū transcendentis imbibitæ, ratione cuius opposita, & realiter distincta, nullam 1347 *Vnum oppositum Relatiuū ab alio opposito relatiuo secundum id, quod opposita sunt.*

oppositionem, nullam distinctionem habet: sed vnū simpliciter sunt omninò indistinctum, quod apertissimè significant illa verba Filij Dei Ioan. n. 14. *Ego in Patre, & Pater in me est*.

1348 *Prob. 2. Concl. quia si constituerentur pro prietatibus ab solutis ex duabus processionibus, & quatuor relationibus nō argueretur Trinitas*

Alia Ratio addi potest ex personarū Trinitate, quā fide credimus, & rationabiliter defendimus, si per proprietates personarum constitutiuę ponantur esse relationes originis: vnde supra qu. 30. art. 2. Trinitatē demonstrauimus. At vero posito, quod personę sint per absolutas proprietates cōstitutę ante omnē processionē, & relationē, sicut cōstitutæ sunt v. g. personę humanæ, multò difficiliùs fare est huius ternarij numeri congruentē aliquā rationē assignare. Posita n. personarū constitutione antecedenter ad omnes processiones, & relationes nō possunt ex duabus processionibus, & quatuor relationibus, ostendi tres tātùm personæ. Tunc n. ad vnam per intellectū processionē, cur vna tantùm persona cōcurrat, sicut de facto ad vnā processionē per volūtatē cōcurrūt duæ personæ. Quod si ad vnā Verbi processionē per intellectū concurrunt duæ personæ, cur non plures? cur non infinitæ? constituendo autem personas proprietatibus relatiuis processionum, facilè intelligitur per vnā Verbi processionē, & generationē haberi nō posse nisi vnā Paternitatis relationē constitutiuā vnius personæ Patris generantis, & vnā Filiationis relationē constitutiuā vnius personæ Filij geniti: item per aliam amoris processionem haberi nō posse nisi vnā spirationis passiuæ relationem, & identificatam duabus personis spirantibus, & ideo nullius personæ spirantis constitutiuam.

1349 *Petes 1.*

Petes 1. *An constitutio, & distinctio personarum habeatur aliquo modo per origines.*

Resp. Personas aliquo modo constitui per origines, non tanquam per formas, sed tanquam per viā, & signum constitutionis.

Resp. Personæ diuinæ dici debent constitui aliquo modo per origines, hoc aperte cōcessit S. Th. hic illis verbis: *licèt n. persona distinguatur vtroq; modo*, scil. per relationes, & per origines. Prob. 1. In diuinis relatio, & origo habebt inuicē essentialē connexionē. neq; n. esse potest Paternitas absq; generare, neque Filiatio absque generari: neque relatio spirati absque spirari: neq; è contrario, generare, generari, spirari esse possunt absq; paternitate, filiatione, relatione passiuæ spirationis: ergo etiā si dicamus personas constitui per relationes, possumus quoque ob hanc connexionē essentialem, & adæquatam in re, dicere constitui aliquo modo per origines.

1350 *Explicatur, & simul Prob. hic modus constituendi per origines, scil. vel antecedenter, vel consequutiuè.*

Probo secundo, aperiendo istum cōstituendi modū per origines. Nā origo actiua, cùm sit actualis, & vltimata ratio, qua persona agens agit, præsupponit personā producentem, eamque in suo esse personali constitutam consequitur necessariò, & essentialiter, persona n. Patris v. g., neq; esse, neq; concipi potest, vt talis persona, nisi generet Filium, ergo origo actiua generandi, dici potest personam Patris constituere consequenter, hoc est, tanquam quid necessariò, & essentialiter consequens ad illam, origo verò passiua est via, qua producitur persona, ac proinde constitutio, ac distinctio personæ, ita vt nulla alia ratione multiplicari possint diuinæ personæ, nisi per originē vnius ab alia, & ab vna improducta, cùm plures improductæ implicent; ergo origo passiua comparatur ad personam productam, & constitutam, tāquam quid ad illam antecedens, vt via: ergo dici potest illam constituere antecedenter, non antecedentia formę, seu rationis formalis formaliter constitutiuæ; sed solùm antecedentia viæ cuiusdam ad terminum per ipsam formaliter productum. Nam vt docet D. Thom. infrà art. 4. *Origines passiuæ significatæ simpliciter precedunt secundum intellectum proprietates personarum procedentium, etiam personales, quia origo passiuè significata, significatur vt via ad personam proprietate constitutam.*

1351 *Petes 2.*

Petes 2. *An personæ diuinæ constituantur priùs, principaliùs, ac formaliter per relationes, & non per origines?*

Resp. affirm. Pater est formaliter persona per Paternitatem.

Resp. affirmat. Personę diuinæ cōstituuntur priùs, principaliùs, ac formaliter per relationes, non per origines. Vnde Pater est formaliter persona per Paternitatem, non per generationem actiuam; & Filius per Filiationem, non per generationem passiuam, & Spiritus Sanctus per relationem spirati, non per ipsam passiuam spirationem. Ita D. Thom. *hic*, & communiter omnes Thomistæ.

tem, non per generationem actiuam.

Prob. 1. quia origo non significatur, vt aliquid intrinsecum rei, quæ originat, vel originatur.

Prob. 1. Quia etsi tam propriū sit personę Patris, & ipsi soli conueniat paternitatis relatio, quàm actiuæ generationis origo, sicut etiā personę Filij, tam Filiationis relatio, quàm origo passiuæ generationis; & personæ Spiritus Sancti, tam relatio procedendi, quàm ipsa processionis origo; tamen origo, vt formaliter origo non concipitur, & vt ait S. Thom. *non significatur, vt aliquid intrinsecum*, nimirum rei, quæ originat, vel originatur; sed vt via quædam à re, vel ad rem, sicut generatio significatur, vt via quædam ad rem genitam, *& vt progrediens à generante*. Relatio verò, vt Relatio, v. g. Paternitas concipitur, & significatur, vt forma in esse permanenti, intrinseca rei in facto esse, & quasi quiescenti in suo esse iam habito, vel ex se, vel ex alio, ergo per hanc potiùs, quàm per illam dici debet constitui persona. Prob. conseq. quia persona significat rem permanentem, & iam in se ipsa intrinsece constitutam: ergo debet constitui, & ab alijs personis distingui per aliquam permanentem, & intrinsecam formam. Nam, vt vniuersaliter sumit S. Thom. *ad hoc, quod aliqua duo*, quæ scil. habent in seipsis esse permanens, & completum, *distincta intelligantur, necesse est eorum distinctionem intelligi per aliquid intrinsecum vtrique, sicut in rebus creatis, vel per materiam, vel per formam*.

1352 *Prob. 2. quia origo actiua significatur, vt progrediens à subsistente, passiua verò, vt via ad personam subsistentem.*

Probatur 2. Principium distinctiuum est principium constitutiuū, vt in superioribus ostensum est, *sed contra rationem originis est, quod constituat hypostasim, vel personam*. S. Thom. hic. ergo etiam, quod distinguat; minorem probat S. Doctor, quoniam origo actiua *significatur, vt progrediens à persona subsistente*; siue vt actualis influxus personæ producētis, & completè, atq; vltimato subsistens incommunicabiliter; ergo hanc personam ita constitutam prę-supponit, saltem ex modo significandi, & intelligendi, cum aliquo fundamento in re: origo autem passiua, *significatur, vt via ad personam subsistentem*, qua via scil. persona producatur cum omni sua proprietate constituente, ac distinguente; ergo non potest persona constitui, ac distingui per passiuam originem, sed solùm per id, ad quod illa tendere concipitur. Vniuersaliter enim nullum fieri termini constituit formaliter terminum, sed tantùm effectiuè producendo terminum, eiusque constitutionem, quia terminus tunc maximè intelligitur habere suum formale, & intrinsecum constitutiuum, cùm intelligitur perfectus, & completus in suo esse, ac proindè sub facto esse, non sub fieri.

1353 *Prob. 3. quia illa ratio intelligitur constituere personā, quæ aduertit aliquo modo essentiæ.*

Probatur 3. *In persona diuina*, inquit hic S. Th., nō est aliud *intelligere nisi essentiam, siue relationem, siue proprietatem*. Illa autem ratio formalis intelligi debet constituere formaliter personam in esse formaliter personali, quæ intelligitur superaddi essentiæ communi tribus personis: enim verò manifestè implicat in essentia diuina, quę nō potest habere rationē diuinitatis, nisi habeat rationē termini communis, vt patet in Paternitate, Filiatione, & spiratione tota, & tota iter communi, intelligere aliquā rationem formalem, vel totaliter, vel etiam partialiter constitutiuam personæ incommunicabilis. Sed nihil aliud intelligi potest superadditum essentiæ cōmuni nisi relatio, vt relatio, ergo relatio, vt relatio dici debet, & esse totalis ratio formalis constitutiua personæ incommunicabilis, ergo non benè dicitur, quod relatio constituit personam, vt relatio, sed vt origo.

1354 *Confirm. quia persona est terminus naturę, quam efficit subsistere; origo non est terminus, sed via.*

Confirm. Persona intelligitur, vt terminus intrinsecus naturæ, quam efficit, ac subsistere facit: origo autem non significatur, vt terminus, sed vt via, siue per modum actionis, siue per modum passionis, vt generatio, & Natiuitas: ergo ex ipsa formali ratione significandi non potest esse forma constituens personam. Conseq. patet, nam forma constituens personam, est terminus, in quo natura sistit, & redditur incom-

incommunicabilis: ergo neq; est via, neq; per modum viæ, significari potest. Maior constat. Siquidē forma personam constituens, est subsistentia, seu personalitas: hæc autem terminat naturam in facto esse, quia reddit illam incommunicabilem permanenter, & in facto esse, ergo non per modum viæ, & tendentię ad terminum, sed per seipsam terminus esse debet.

Maior prob. ex ipsa essentiali personæ ratione, quæ est subsistentia incommunicabilis.

Huius syllogismi maior prob. ex ipsa essētiali personæ ratione, quæ est subsistentia incōmunicabilis, seu substantia indiuidua naturæ rationalis, idest prima substantia. De ratione autem subsistentiæ incōmunicabilis est, quód sit naturæ terminus, quia nō relinquit illam vlteriùs communicari, & terminari, sed in se sistit; ergo habet rationem termini, est autem terminus intrinsecus, quia naturam ipsam in se afficit, & reddit illam in facto esse terminatam. Minor patet, quia generatio v. g. significatur, vt via quædam ad rem genitam, & vt progressio à generāte: significatur, vt via à re, vel ad rem, & propterea hic S. Thom. asserit, quod origo non significatur, vt aliquid intrinsecum, non quia intrà Deum origo nō sit aliquid intrinsecum; cum sit actus immanens; sed quia significatur per modum viæ à producente exiens, & tendens ad rem productam: ac proindē ipsum exire significatur non per modum intrinsecū respectu rei, sed vt via ad terminum ad quem, & consequenter, non vt constituens rem in facto esse, & intrinsecē.

1355 *Opposit. sent.*

Oppositā sentētiam tenet D. Bonau. 1. dist. 46. qu. 2. Richardus de S. Victore lib. 4. de Trinit. cap. 5.

1. Obiectio.

Arg. 1. quia Patres communiter explicant constitutiones personarum per origines; ergo.

Resp. PP. illis authoritatibus solùm exprimere id, quod sequitur; vel præcedit personam.

Resp. Patres illis Authoritatibus non exprimere formale personæ constitutiuum; sed solùm id, quod indispensabiliter, vel sequitur, vel præcedit proprietatē formaliter personæ cōstitutiuam; & hoc modo etiam aliquo modo ad origines spectat personas distinguere. quatenus sunt aliquid notionale viale, seu actuale ad ipsas personas necessariò pertinens; aliquando etiā S. Patres docent solis relationibus personas constitui, ac distingui; & nomine originis ipsas relationes relatiue intelligunt; sicut exponit D. Thom. Augustinum qu 8. de potentia art. 3. ad 14.

1356 *2. Obiectio.*

Arg. 2. Origo in diuinis est relationis fundamentū: si quidē Relationes diuinæ in actione fundantur; nō autē in actione essentiali; aliàs Filius generaret, quia essentialiter intelligit; & Spiritus Sanctus spiraret, quia essentialiter amat; ergo in actione notionali, quę est ipsa origo; ergo ante relationem fundata supponitur persona.

Resp. Relationes constituentes personas, vel sunt non procedentes, primæ præcedunt; secundæ sequuntur origines.

Resp. neg hanc vltimā conseq. Nā Relationes cōstituentes personas, aliæ sunt procedentes, vt Filiatio, & spiratio passiua, aliæ non procedunt, sed originant, vt Paternitas: de primis non est difficultas, quod originem subsequantur, per quam producuntur, ac proinde, quod in origine fundentur: ex hoc tamen non sequitur, originem personam constituere, cùm potiùs personam antecedat, nam est via ad ipsam, vndē, eius formale constitutiuū præcedit, & sic tales personę procedentes fundantur quidem in originē, quantū ad suam relationē, non tamen origine constituuntur, & licèt origo etiā subsistens sit, sicut, & ipsa relatio, tamen propter modum significandi, vt via, & tendentia, & non vt terminus, & in facto esse, vt res, & suppositum, propterea personā non constituit formaliter, sicut constituit relatio: si autem loquamur de relatione non procedente, vt Paternitas, dicimus, quód illa inquātum subsistens, & constituens personam, non præsupponit fundamentum, neq; quoad hoc fundatur in actione, sed potiùs actio ab illa egreditur: sed tamen inquantum Paternitas est respiciens suum terminum, nempe Filium, fundatur in actione, & præsupponit generationem, quam non præsupponit, vt constitutiuam personę, sed vt actū a persona iam constituta egredientem, & prærequisitum ad ipsūm exercitium respiciendi: vt dub. sequenti magis explicabitur.

1357 *Paternitas, vt respicit terminum præsupponit generationem, vt actum egredientem.*

DVBIVM III.

Sub qua formali, ac præcisa ratione relatio constituat, ac distinguat diuinas personas.

1358 *Petes 1.*

PEtes 1. *An Relatio constituat, vt forma hypostatica, non vt Relatio?*

Resp. Non benè simpliciter dicitur, quód Relatio constituit, vt forma hypostatica præscindens ab esse Ad.

Resp. Non benè simpliciter dicitur, quód relatio, vt relatio distinguat, non constituat personas, siuè hypostases: constituat verò vt est proprietas personalis, seu forma hypostatica, & subsistens, seu potius ipsamet subsistentia incommunicabilis, præscindendo simpliciter ab esse *Ad*, seu respectiuo. Hoc non obscurè indicauit S. Thom. de potent. quęst. 8. art. 3. ad 9. *Relatio inquantum est relatio vtrumque facit*, hoc est vt antea dixerat, *distinguit, ac constituit hypostasim*: tum in toto articulo, vbi personas constituere, & distinguere, ęquè tribuit relationi, vt relatio est. In diuinis oportet, quód ipsa distinguentia constituant res distinctas. Relationes distinguunt, vel constituunt hypostases, vel personas; ergo secundùm S. Thomam personalis constitutio, non est neganda relationi, vt relatio simpliciter est, & secundùm illud esse respectiuum, quod in se formaliter includit, cum sequuntur communiter Recentiores Thomistę.

1359 *1. Prob. quia Relatio, vt est formaliter proprietas personalis, non potest esse quid absolutum; erit ergo relatiua.*

Prob. 1. Relatio, vt est formaliter proprietas personalis; vel est entitas absoluta, vel relatiua: si primum, ergo persona constituitur per absolutum formaliter, quod ipsimet Aduersarij negant; persona enim non potest concipi in se constituta, nisi vt habens in se aliquid personale sibi proprium, quod in diuinis non potest esse absolutum; quia omne absolutum est commune omnibus personis: ergo si concipitur illa persona cōceptu fundato in re, & nō cōceptu repugnante veritati rei, non potest concipi, vt quid absolutum, sed necessariò concipi debet, vt quid relatiuum: hęc enim relatio constitutiua personę quomodocumque varietur secundùm considerationem eadem tamen est in re, & secūdùm quod est in re, constituit personam. Si dicatur secundum, nempè, quód relatio, vt proprietas constituens personam sit entitas relatiua; ergo persona constituitur per relatiuum formaliter, quod intendimus in hac conclusione.

1360 *Prob. 2 quia personalitas secundùm id, quod addit supra essentiam, est conceptus relatiuus.*

Prob. 2. Si personalitas secundùm id, quód addit proprij suprà communem essentiam, est totus conceptus relatiuus, sicut essentię, vt præcisę a personalitatibus est solùm absolutus, ergo illa non recte distinguitur, & vt relatio formaliter, & vt personalitas formaliter; tunc enim personalitas, vt personalitas formaliter; & reduplicatiue, esse non possit nisi relatiua. Si verò est conceptus partim absolutus, partim relatiuus, licet in re simplicissimus, quemadmodum ipsa persona identificata cum essentia, est vnus conceptus absolutus, & respectiuus, & per personalitatem, vt absolutam, constituitur persona; vt relatiuam, distinguitur, & refertur persona iam persona, vt persona constitueretur materialiter per relatiuum, sed formaliter per absolutum: sicut quęlibet persona identificata cum essentia, constituitur quidem in esse personę per id, quód à parte rei est essentia.

1361 *Euasio.*

Dices, Relationem sub ratione formali proprietatis personalis, præscindere omnino ab absoluto, & respectiuo, ita Heruęas 1. dist. 26. qu. vnica, cuius opinionem suprà art. 2. Bagnes ait, *esse vel errorem, vel errori proximam*.

Præcluditur. quia illa ratio debet constituere personā, quæ est singularis, & determinata.

Sed contra est: tum quia illa ratio formalis per Aduersarios constituit formaliter diuinam personā in esse diuino personali, quod est esse singulare, omnino in re determinatum, & completum, & realiter existens, sicut igitur propter hanc rationem non potest fingi singularis persona creata, quæ neq; sit absoluta, neque respectiua, ita neque persona increata; quamuis enim persona in commune, præscindēdo ab increata, & creata, præscindere possit ab absoluto, & respectiuo, tamen non potest hoc modo

Præscindere persona particularis increata, vel creata: sicut relatio, vt relatio communis creatæ, & increatæ, neque est accidens, neq; substantia, tamen creata est accidens, increata est substantia: tum quia persona diuina constitui debet per aliquid formaliter incommunicabile, & oppositum alijs personis, hoc autem habetur per ens diuinum formaliter relatiuū, alioqui ens diuinum simpliciter, sicut præscindit ab absoluto, & respectiuo, ita præscindit a communicabili, & incommunicabili, & consequenter ab esse naturæ diuinę, quæ est communicabilis, & ab esse personæ, quę est incommunicabilis.

1362 *Prob. 3. quia forma hypostatica præscindēs ab esse Ad non potest constituere.*

Prob. 3. De ipsa persona Patris, propter quam contraria sententia excogitauit distinguere relationem in esse relatiuo, eamque, vt formam hypostaticam considerare, ad saluandum scilicet, quo modo Pater priùs sit in se forma cōstituta, deinde generet, & referatur ad Filium; dicunt enim hanc personam per formam hypostaticam esse prius constitutam in esse personæ ante generationem, & consequenter ante relationem, quæ generationem consequitur; & deinde per relationem distingui a persona, in posteriori originis producenda. Quæ quidem duo dicta, non videntur posse stare, quia in illo priori originis in quo Patris concipitur constituta ante generationem, vt potens generare, esse necessario debet distincta a termino producendo, cùm impossibile sit idem posse producere seipsum, & esse primum principium sui ipsius; ergo semper, ac Pater intelligitur, vt completum principium generationis filij, debet intelligi, vt realiter distinctus à Filio.

1363 *Petes 2.*

Petes 3. *An formale principium totum, & adequatū formaliter constituens, ac distinguens personam diuinā sit relatio, vt relatio?*

Resp. affirm.

Relatio constituit secundum esse respectiuū, vt distinguitur ab absoluto.

Resp. Formale principium totum, & adæquatum, formaliter constituens, & distinguens diuinam personam, est relatio, vt relatio; hoc est secundum esse purè, & formaliter respectiuum, vt contradistinctum tam ratione ab omni esse absoluto. Ratio autem propter quam hoc principium formale respectiuum constituit personam diuinam in seipsa, est, quia illud est subsistentia incommunicabilis identificata essentiæ; sed ratio propter quam distinguit vnam personam ab alijs diuinis personis, est quia illud idē principium est oppositum termino, ac proinde non est terminus, seu non est idem cum termino, cui opponitur.

1364 *Nota 1. in qualibet re constituta distinguuntur duo & constituens, & distinguens.*

Pro cuius conclusione intelligentia tria sunt aduertenda. Primum, & vniuersaliter in quauis re constituta in hoc, vel in illo formali *esse*, & consequenter distincta ab omni alia re, quæ non est ipsa, distinguere duo, & ipsum principium formale constituens, ac formaliter, & præterea rationem propter quam constituit, & propter quam distinguit. Quamuis enim necesse sit idem esse principium constitutiuum, & distinctiuum, tamen non est necessarium, imo est impossibile, vt eadem prorsus ratio, omnimode considerata, propter quam illud principium constituat rem in seipsa, distinguat etiam ab alijs.

1365 *Suadetur hæc doctrina exemplis, tàm in genere absoluto, quàm in relatiuo.*

Quod Suadeo manifestis exemplis, tam in genere absoluto, quàm relatiuo v. g. albedo est principium formale constituens album, & distinguens a nigro, vel a quocumque alio, quod non est album, sed ratio propter quam cōstituit, est, quia in seipsa est albedo, inhærens, & vnita subiecto, vndique informans, ratio vero propter quam distinguit, est, quia est in se limitata, ac proinde entitas, & proinde non est nigredo, nec alia entitas; & ideo albedo constituit album per comparationem ad subiectum, cui intrinsece inhæret; distinguit non per hanc intrinsecam comparationem, sed per aliam extrinsecam comparationem ad terminum extrinsecum, ratione suæ limitationis. Item in respectiuis Paternitas v. g. constituit Paulum Patrem, & distinguit a Petro filio. Sed ratio propter quam constituit, est, quia est in Paulo, cui non opponitur; ratio propter quam distinguit, est, quia est ad Petrū filium.

1366 *Ratio à priori*

Hinc colligi potest huius veritatis ratio à priori; quoniam constituere dicitur per ordinem ad aliquod, cum quo simul per vnionem, vel per vnitatem efficitur aliquod vnum tertium: distinguere autem dicitur per ordinem ad aliud, cum quo distinguens, nullam vnitatem, nullam vnionem habet, sed potius oppositionem. ergo in principio formali constituente, ac distinguente, semper potest, ac debet distingui duplex ratio, altera propter quam conueniat cū alio, altera propter quam opponatur alteri: quæ rationes, vt patet, non possunt esse omnino idem, tametsi conuenire possint eidem principio formali. Et ideo hæ rationes aliquando separantur, & datur principium constitutiuum sine distinctiuo, quia habetur prima ratio conuenientię, & deest secunda ratio oppositionis, vt Deitas personam Patris constituit formaliter Deum, quia est vnum, & idem cum Paternitate, sed eadem Deitas non distinguit Patrem à Filio, quia cum filiatione etiam nullam habet oppositionem, sed omnimodam vnitatem, idem igitur est principiū formale, quod constituit, & distinguit, sed non est eadem ratio propter quam constituit, & propter quam distinguit. *Huius Notan. Nam constituere dicitur in ordine ad aliquod, cum quo debet vniri. Secus verò distinctio.*

1367 *Nota 2. Relationē secundum suum esse respectiuū, esse subsistentiā incommunicabilem.*

Secundo Aduertendum, quod relatio diuina personalis considerata etiam formaliter, & reduplicatiue, vt relatio, & secundum suum reale *esse* respectiuum, est subsistētia incommunicabilis, quemadmodum relatio creata est accidens, etiam, vt relatio; & vt probaui in metaphysica substantia, vt substantia formaliter, ac reduplicatiue est ens; & similiter ens etiam est accidens, vt accidens. Sicut igitur conceptus accidentis essentialiter imbibitur in formali cōstitutiuo relationis creatæ, & cōceptus entis est essētialiter inclusus in perseitate, & inseitate, quæ sunt formales differentiæ, quasi constitutiuæ substantiæ, & accidentis, ita conceptus subsistentię personalis, incōmunicabilis, est essentialiter imbibitus in omni relatione diuina personali, in paternitate, filiatione, in relatione passiuę processionis: & ideo hæc: *Paternitas, vt Paternitas, est incommunicabilis*, est vera in sensu formali, & reduplicatiuo, non tamen adæquato, sed inadæquato; quia esse subsistentiam incommunicabilem, ita conuenit Paternitati secundum formalem, & vltimam rationem constitutiuam paternitatis, vt eodem modo conueniat filiationi, & processioni, hæc enim est natura prædicatorum analogatorum, vt in re ipsa concepta non præscindant ab analogatis, sed in seipsis formaliter omnia analogata confuse, siue implicite contineant.

1368 *Nō sunt repugnantes hę. Relatio, vt relatio constituit personam. Relatio cōstituit, quia subsistētia incommunicabilis, idētificata essētię*

Hinc sequitur, non esse repugnantes istas duas propositiones in conclusione positas. Relatio, vt relatio in diuinis formaliter, & reduplicatiuè accepta, constituit personam. Relatio constituit, quia subsistentia incommunicabilis est, identificata essentiæ: quandoquidem probatum est, Relationem formaliter, & reduplicatiue, vt relationem, esse subsistentiam incommunicabilem. loquimur autem semper de relationibus personalibus, hoc est, quia personas cōstituit ad excludendam spirationem actiuam, quæ nullam personam constituit. Verùm etsi relatio, vt relatio, quo ad rem significatam importet subsistentiam incommunicabilem identificatam naturæ, quæ est ratio propter quam relatio diuina constituit personam, tamen quia quo ad modum explicitum significandi non exprimit hanc subsistentiam, & identificationem, sed solam oppositionem ad terminum, & consequenter negationem identitatis cum termino, quę est ratio propter quam eadem relatio distinguat vnam personam ab alia persona, dixit nonnunquam S. Thomas, quod relatio, vt relatio non constituit, sed distinguit tantum. Quo loquendi modo illud, vt non reduplicat principium formale, quod est relatio secundum totum esse suum respectiuum indiuisibile distinctum ratione ab omni esse absoluto, & ipsum totum, est principium indiuisibiliter constituens, & indiuisibiliter distinguens, sed reduplicat rationem propter quam hoc principium formale, quod est relatio, vt relatio distinguat, non constituat, quæ ratio est oppositio ad terminum à quo distinguitur.

Tertiò

1369 *Nota 3. Aliud est dicere, id quod opponitur, vt exercitè opponitur, constituit; aliud, id, quod opponitur, constituit, quia opponitur.*

Tertiò aduertendum, quod sequitur ex dictis, præsertim in primo aduertendum, quod aliud est dicere, id, quod opponitur, siue id, quod actu refert, vel est exercitium referendi, vel est esse ad aliud, constituit formaliter diuinam personam; & aliud, id, quod opponitur &c. constituit formaliter, quia opponitur. Prima enim propositio est vera, quia principium formale constitutiuum est ipsa forma relatiua opposita essentialiter termino, & identificata personæ, cui se ipsa formaliter tribuit suum effectum formalem referendi, & essendi ad aliud. Secunda verò est falsa, quia significat rationem ob quam principium formale relatiuum constituit diuinam personam, quæ ratio non est oppositio, & esse ad aliud. Quemadmodum à contrario, verum est dicere, quod distinguens vnam personam ab alia, est subsistentia incómunicabilis identificata essentiç; sed falsum est dicere, quod hoc distinguens, ideo distinguit, quia est subsistentia identificata essentiæ, hçc .n. non est ratio distinguendi, sed constituendi.

1370 *1. pars concl. prob. quia principium constitutiuũ nõ potest esse aliquod absolutum.*

His positis probatur prima pars Cõclusionis, qua dicitur, quod principium formale simpliciter constitutiuum, & distinctiuum personarum est relatio, vt relatio reduplicando totum ipsum esse relatiuũ, vt distinctum ab absoluto, quia ex supra probatis cõstat, hoc principiũ non posse esse aliquid absolutũ, aut aliquid indifferens, & commune ad absolutum, & respectiuum. Sic enim diceretur, hoc principiũ non esse magis respectiuum, quàm absolutum: nec essu absolutum, nec etiam respectiuum, ratione distinctum à quacumque ratione absoluta.

2. Pars prob. 1. quia persona, vt persona est substantia cõpleta, incommunicabilis, & nõ amplius terminabilis.

Secunda Pars habet duo membra. Primum, quòd ratio propter quam relatio constituit personam, est, quia illa relatio est subsistentia incommunicabilis identificata essentiæ. Probatur primò, quoniam persona, vt persona formaliter, est substantia indiuidua, & perfecta vltimato terminata, & subsistens subsistẽtia incommunicabili, & non amplius terminabili in genere substantiç: ergo quodlibet principium formale constituens formaliter personam in esse personæ, id ideo præstare potest, quia est subsistens subsistentia incommunicabili. ergo diuina relatio, si est principium formale constitutiuum personæ, ideò constituit, quia est subsistentia incommunicabilis. quapropter si diuina paternitas esset pura relatio, & non subsistentia incommunicabilis, non posset per illam adæquatè constitui personam, sicut de facto relatio spirandi cõmunis Patri, & Filio, nullam personam constituit, quia in seipsa intrinsece considerata, non est subsistentia, sed pura relatio substantialis, subsistens relatiuè subsistentijs Paternitatis, & filiationis. ergo ratio cur Paternitas constituat personã, non est, quia relatio diuina exercita simpliciter est, sed etiam, quia subsistentia incommunicabilis.

1371 *Confirm. quia si per impossibile vna tantum esset persona diuina, constitueretur per incõmunicabilitatem.*

Confirmatur. Si per impossibile vna tantùm esset diuina persona, vt putarunt gentiles Philosophi, cognoscentes vnitatem Dei, & ignorantes personarum Trinitatem, illa esset formaliter constituta, nõ per relationem ad alias eiusdem ordinis personas, quæ supponuntur non esse; nec ad alias personas creatas inferioris ordinis; sed per aliam proprietatẽ absolutam, quç etiam esset subsistentia incommunicabilis, quemadmodum de facto omnes personæ creatæ constituuntur per subsistentias incommunicabiles absolutas. ergo de facto, quælibet persona diuina si consideretur præcisè, vt persona diuina in seipsa formaliter est, & non vt distincta ab alijs personis eiusdẽ ordinis, constituitur per relationem, non quia relatio simpliciter est exercita, sed quia est incommunicabilis quçdam subsistentia relatiua.

2. Pars prob. 2. quia Principium formale constitutiuum debet esse intrinsecũ rei constitutç.

Probatur secundò, Principium formale constitutiuum debet esse intrinsecum rei constitutæ, & omnis ratio propter quam res aliqua in seipsa intrinsece, & formaliter talis est, vel per vnionem, vt fere semper in creaturis, vel per identitatem, & vnitatem, vt in diuinis propter infinitatem terminorum inuicem non oppositorum. Ergo in diuinis ratio, propterquam principium formale constituit personam, est quia identificatur personæ, sed hçc identificationis, multò magis explicatur per subsistentiam incómunicabilem terminantem naturam, quç concipitur solùm per ordinem ad subiectum, & personam ipsam constitutam, & seipsa formaliter, & in seipsa intrinsecè subsistentem, quàm per relationem, cuius totum esse est esse ad aliud sibi oppositum, & realiter distinctum. ergo dicendum, quod relatio ideò constituit personam, quia est subsistentia incommunicabilis omninò identificata naturç, & personç, & ideò distinguit personam, quia est relatio opposita termino, & realiter ab illo distincta.

1372 *Ratio, propter quam Relatio, distinguit, est quia opponitur termino, & ab illo distinguitur.*

Quo probatum etiam remanet eiusdem secundæ partis secundum membrũ, nempè, quod ratio propter quam eadem relatio distinguit, est, quia relatio opponitur termino, & ab illo distinguitur. Quod prçterea confirmari potest ex illo communi axiomate, multoties in superioribus inculcato, & probato. In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio. Ergo ratio cur principium constitutiuũ personæ diuinç, ita constituat vnam personam, cui identificatur, & non opponitur, vt eam distinguat ab alijs personis eiusdem ordinis est, quia ipsum alijs diuinis terminis opponitur, & realiter ab illis distinguitur. ergo, quia est relatio, vt relatio, reduplicando adçquatè formale esse ad aliud, nam alia oppositio in terminis positiuis absolutis, non habet locum in diuinis, vbi omnia absoluta vnum sint, necesse est, vt supra demonstratum est.

1373 *Confirmatur duobus exemplis, Altero de Deitate: Altero de paternitate accidentali.*

Confirmari etiam potest duobus exemplis superiùs significatis; altero, de Deitate, quæ quoniam nullam oppositionem habet cum Patris persona, v.g. sed illi identificatur, est principium formale constitutiuum Patris in esse Dei, non autem principium distinctiuum Patris è reliquis duabus personis, quia Deitas illis etiam non opponitur, nec ab illis distinguitur. ergo ratio cur principium formale constitutiuum distinguat rem constitutam, est, quia ipsum opponitur, & distinguitur. Altero, de relatione creata, v.g. paternitate accidentali, quç ex eo, quod est accidens inhçrens subiecto, eique non oppositum, habet constituere illud Patrem, ex eo autem, quod est relatio, habet opponi filio, & relatiuè distingui ab illo; & propter hoc habet distinguere Patrem à filio. ita diuina Paternitas, quæ est incommunicabilis quædã subsistentia, cõstituit personã, quia est subsistẽtia identificata naturæ, & personæ, distinguit ab alijs personis, quia illis opponitur, & ab illis distinguitur. hanc totam doctrinã huius explicationis hausimus ex D.Th. hic in corp. qua propter Thomistica est, & probabilissima, nihilominùs ad vberiorem doctrinã, possumus procedere alia via circa constitutionem diuinarum personarum, quæ est Caetani, quæ licèt coincidat cum præsenti, nihilominùs meo viderì videtur clariùs, ac profundiùs explicare, rationem formalem ipsius *Ad* prout est personarum constitutiuum, & confirmare præcedentem doctrinam. Vnde.

1374 *Petes 3.*

Petes 3. *An possumus alia via, quæ sit probabilis, & clarior, explicare constitutionem diuinarum personarum, nempè per relationem, seu esse. Ad in actu signato, non verò in actu exercito? quæ via magis confirmet præcedentem doctrinam.*

1375 *Resp. Relationẽ Paternitatis secundùm esse* Ad *in esse concepto, & non in exercito cõstituit.*

Resp. Relatio *Paternitatis*, etiam secundùm, quod dicit ipsum *Ad*, seu ipsam relationem specialem, & secundùm suam vltimam differẽtiam relatiuam paternitatis, adhuc admittit illas duos inadæquatos cõceptus relationis, vt subsistentis, & vt respicientis, seu vt relatio, quod benè explicat Caiet. per relationem, vt signatam, seu conceptam, & vt exercitam, & sub vno conceptu antecedit generationem, & terminum genitum, scil. secundùm conceptum signatum subsistendi, secundùm alium sequitur generationẽ, & concomitatur terminum, ad quem est.

Hæc est sententia D. Th. docentis, Relationem non constituere personas, vt relationem, sed vt subsistentem.

Hæc Concl. explicat sententiam D. Thomæ in hac q.40. art.4. & Caiet. ibid. Quam sententiam perpetuò D. Th. explicat eisdem terminis, quod scil. relatio, vt relatio, non constituit personam, sed inquantum subsistens est, & diuina, & secundùm, quod subsistens est, præcedit generationem, vt autem relatio est, subsequitur generationem, vt patet in q.10. de Pot. art.10.

& 1. dist.

Præscindere persona particularis increata, vel creata; sicut relatio, vt relatio, communis creatæ, & increatæ, neque est accidens, neq; substantia, tamen creata est accidens, increata est substantia. tum quia persona diuina constitui debet per aliquid formaliter incommunicabile, & oppositum alijs personis, hoc autem habetur per ens diuinum formaliter relatiuũ, alioqui ens diuinum simpliciter, sicut præscindit ab absoluto, & respectiuo, ita præscindit a communicabili, & incommunicabili, & consequenter ab esse naturæ diuinę, quæ est communicabilis, & ab esse personæ, quę est incommunicabilis.

1362 *Prob. 3. quia forma hypostatica præscindẽs ab esse Ad non potest constituere.*

Prob. 3. De ipsa persona Patris, propter quam contraria sententia excogitauit distinguere relationem in esse relatiuo, eamque, vt formam hypostaticam considerare, ad saluandum scilicet, quo modo Pater prius sit in se forma constituta, deinde generet, & referatur ad Filium; dicunt enim hanc personam per formam hypostaticam esse prius constitutam in esse personæ ante generationem, & consequenter ante relationem, quæ generationem consequitur; & deinde per relationem distingui a persona, in posteriori originis producenda. Quæ quidem duo dicta, non videntur posse stare, quia in illo priori originis in quo Patris concipitur constituta ante generationem, vt potens generare, esse necessario debet distincta à termino producendo; cum impossibile sit idem posse producere seipsum, & esse primum principium sui ipsius, ergo semper, ac Pater intelligitur, vt completum principium generationis suæ, debet intelligi, vt realiter distinctus à Filio.

1363 *Petes 2.*

Petes 2. *An formale principium totum, & adæquatũ formaliter constituens, ac distinguens personam diuinã sit relatio, vt relatio?*

Resp. affirm.

Relatio constituit secundum esse respectiuũ, vt distinguitur ab absoluto.

Resp. Formale principium totum, & adæquatum, formaliter constituens, & distinguens diuinam personam, est relatio, vt relatio; hoc est secundum esse pure, & formaliter respectiuum, vt contradistinctum ratione ab omni esse absoluto. Ratio autem propter quam hoc principium formale respectiuum constituit personam diuinam in seipsa, est, quia illud est subsistentia incommunicabilis identificata essentiæ; sed ratio propter quam distinguit vnam personam ab alijs diuinis personis, est quia illud idē principium est oppositum termino, ac proinde non est terminus, seu non est idem cum termino, cui opponitur.

1364 *Nota 1. in qualibet re constituta distinguuntur duo & constituens, & distinguens.*

Pro cuius conclusione intelligentia tria sunt aduertenda. Primum, & vniuersaliter in quauis re constituta in hoc, vel in illo formali *esse*, & consequenter distincta ab omni alia re, quæ non est ipsa, distinguere duo, & ipsum principium formale constituens, ac formaliter, & præterea rationem propter quam constituit, & propter quam distinguit. Quamuis n. necesse sit idem esse principium constitutiuum, & distinctiuum, tamen non est necessarium, imo est impossibile, vt eadem prorsus ratio, omnimode considerata, propter quam illud principium constituat rem in seipsa, distinguat etiam ab alijs. Quod Suadeo manifestis exemplis, tam in genere absoluto, quam relat. nam v. g. albedo est principium formale constituens album, & distinguens a nigro, vt a quocunque alio, quod non est album, sed ratio propter quam cōstituit, est, quia in seipsa est albedo, subiectumque, & vnita subiecto, illudque informans, ratio vero propter quam distinguit, est, quia est in se limitata, ac finita entitas, & proinde non est nigredo, nec alia entitas; & ideo albedo constituit album per comparationem ad subiectum, cui intrinsece inhæret; distinguit non per hanc intrinsecam comparationem, sed per aliam extrinsecam comparationem ad terminum extrinsecum, ratione suæ limitationis. Item in respectiuis Paternitas v. g. constituit Paulum Patrem, & distinguit a Petro filio. Sed ratio propter quam constituit, est, quia est in Paulo, cui non opponitur; ratio propter quam distinguit, est, quia est ad Petrũ filium.

1365 *Suadetur hæc doctrina exemplis, tam in genere absoluto, quam in relatiuo.*

1366 *Ratio a priori*

Hinc colligi potest huius veritatis ratio à priori;

quoniam constituere dicitur per ordinem ad aliquod, cum quo simul per vnionem, vel per vnitatem efficitur aliquod vnum tertium: distinguere autem dicitur per ordinem ad aliud, cum quo distinguens, nullam vnitatem, nullam vnionem habet, sed potius oppositionem. ergo in principio formali constituente, ac distinguente, semper potest, ac debet distingui duplex ratio, altera propter quam conueniat cū alio, altera propter quam opponatur alteri; quæ rationes, vt patet, non possunt esse omnino idem, tametsi conuenire possint eidem principio formali. Et ideo hæ rationes aliquando separantur, & datur principium constitutiuum sine distinctiuo, quia habetur prima ratio conuenientię, & deest secunda ratio oppositionis, vt Deitas personam Patris constituit formaliter Deum, quia est vnum, & idem cum Paternitate, sed eadem Deitas non distinguit Patrem à Filio, quia cum filiatione etiam nullam habet oppositionem, sed omnimodam vnitatem, idem igitur est principiũ formale, quod constituit, & distinguit, sed non est eadem ratio propter quam constituit, & propter quam distinguit.

k..ius Notan. Nam constituere dicitur in ordine ad aliquod, cum quo debet vniri Secus vero distinctio.

1367 *Nota 2. Relationẽ secundum suum esse respectiuũ, esse subsistentiã incommunicabilem.*

Secundo Aduertendum, quod relatio diuina personalis considerata etiam formaliter, & reduplicatiue, vt relatio, & secundum suum reale *esse* respectiuum, est subsistētia incommunicabilis, quemadmodum relatio creata est accidens, etiam, vt relatio, & vt probaui in metaphysica substantia, vt substantia formaliter, ac reduplicatiue est ens; & similiter ens etiam est accidens, vt accidens. Sicut igitur conceptus accidentis essentialiter imbibitur in formali cōstitutiuo relationis creatæ, & cōceptus entis est essētialiter inclusus in perseitate, & in aleitate, quæ sunt formales differentiæ, quasi constitutiuæ substantiæ, & accidentis, ita conceptus subsistentię personalis, incōmunicabilis, est essentialiter imbibitus in omni relatione diuina personali, in paternitate, filiatione, in relatione passiuę processionis: & ideo hæc: *Paternitas, vt Paternitas, est incommunicabilis*, est vera in sensu formali, & reduplicatiuo, non tamen adæquato, sed inadæquato; quia esse subsistentiam incommunicabilem, ita conuenit Paternitati secundum formalem, & vltimam rationem constitutiuam paternitatis, vt eodem modo conueniat filiationi, & processioni, hæc enim est natura prædicatorum analogicorum, vt in re ipsa concepta non præscindant ab analogatis, sed in seipsis formaliter omnia analogata confuse, siue implicite contineant.

1368 *Nō sunt repugnantes hæ. Relatio, vt relatio constituit personam. Relatio cōstituit, quia subsistētia incommunicabilis, idētificata essētię*

Hinc sequitur, non esse repugnantes istas duas propositiones in conclusione positas Relatio, vt relatio in diuinis formaliter, & reduplicatiue accepta, constituit personam, Relatio constituit, quia subsistentia incommunicabilis est, identificata essentiæ: quandoquidem probatum est, Relationem formaliter, & reduplicatiue, vt relationem, esse subsistentiam incommunicabilem. loquimur autem semper de relationibus personalibus, hoc est, quæ personas cōstituunt ad excludendam spirationem actiuam, quæ nullam personam constituit. Verum etsi relatio, vt relatio, quo ad rem significatam importet subsistentiam incommunicabilem identificatam naturæ, quæ est ratio propter quam relatio diuina constituit personam, tamen quia quo ad modum explicitum significandi non exprimit hanc subsistentiam, & identificationem, sed solam oppositionem ad terminum, & consequenter negationem identitatis cum termino, quę est ratio propter quam eadem relatio distinguat vnam personam ab alia persona, dixit nonnunquam S. Thomas, quod relatio, vt relatio non constituit, sed distinguit tantum. Quo loquendi modo insinuat, non reduplicat principium formale, quod est relatio secundum totum esse suum respectiuum indiuisibile distinctum ratione ab omni esse absoluto, & ipsum totum, est principium indiuisibiliter constituens, & indiuisibiliter distinguens, sed reduplicat rationem propter quam hoc principium formale, quod est relatio, vt relatio distinguat, non constituat, quæ ratio est oppositio ad terminum à quo distinguitur.

Tertio

1369 *Nota 3. Aliud est dicere, id, quod opponitur, vt exercitè opponitur, constituit aliud, id, quod opponitur, constituit, quia opponitur.*

Tertiò aduertendum, quod sequitur ex dictis, præsertim in primo aduertendum, quod aliud est dicere, id, quod opponitur, siue id, quod actu refert, vel est exercitium referendi, vel est esse ad aliud, constituit formaliter diuinam personam; & aliud, id, quod opponitur &c. constituit formaliter, quia opponitur. Prima enim propositio est vera, quia principium formale constitutiuum est ipsa forma relatiua opposita essentialiter termino, & identificata personæ, cui se ipsa formaliter tribuit suum effectum formalem referendi, & essendi ad aliud. Secunda vero est falsa, quia significat rationem ob quam principium formale relatiuum constituit diuinam personam, quæ ratio non est oppositio, & esse ad aliud. Quemadmodum à contrario, verum est dicere, quod distinguens vnam personam ab alia, est subsistentia incommunicabilis identificata essentiæ; sed falsum est dicere, quod hoc distinguens, ideo distinguit, quia est subsistentia identificata essentiæ, hęc .n. non est ratio distinguendi, sed constituendi.

1370 *1. pars concl. prob. quia principium constitutiuum nō potest esse aliquod absolutum.*

His positis probatur prima pars Cōclusionis, qua dicitur, quod principium formale simpliciter constitutiuum, & distinctiuum personarum est relatio, vt relatio reduplicando totum ipsum esse relatiuū, vt distinctum ab absoluto, quia ex supra probatis cōstat, hoc principiū non posse esse aliquid absolutū, aut aliquid indifferens, & commune ad absolutum, & respectiuum. Sic enim diceretur, hoc principiū non esse magis respectiuum, quàm absolutum: nec esse absolutum, nec etiam respectiuum, ratione distinctum à quacumque ratione absoluta.

2. Pars prob. 1. quia persona, vt persona est substantia cōpleta, incommunicabilis, & nō amplius terminabilis.

Secunda Pars habet duo membra. Primum, quòd ratio propter quam relatio constituit personam, est, quia illa relatio est subsistentia incommunicabilis identificata essentiæ. Probatur primò, quoniam persona, vt persona formaliter, est substantia indiuidua, & perfecta vltimatò terminata, & subsistens subsistētia incommunicabili, & non amplius terminabili in genere substantię: ergo quodlibet principium formale constituens formaliter personam in esse personæ, id ideo præstare potest, quia est subsistens subsistentia incommunicabili. ergo diuina relatio, si est principium formale constitutiuum personæ, ideo constituit, quia est subsistentia incommunicabilis, quapropter si diuina paternitas esset pura relatio, & non subsistentia incommunicabilis, non posset per illam adæquatè constitui personam, sicut de facto relatio spirandi cōmunis Patri, & Filio, nullam personam constituit, quia in seipsa intrinsece considerata, non est subsistentia, sed pura relatio substantialis, subsistens relatiuè subsistentijs Paternitatis, & filiationis. ergo ratio cur Paternitas constituat personā, non est, quia relatio diuina exercita simpliciter est, sed etiam, quia subsistentia incommunicabilis.

1371 *Confirm. quia si per impossibile vna tantum esset persona diuina, constitueretur per incōmunicabilitatem.*

Confirmatur. Si per impossibile vna tantùm esset diuina persona, vt putarunt gentiles Philosophi, cognoscentes vnitatem Dei, & ignorantes personarum Trinitatem, illa esset formaliter constituta, nō per relationem ad alias eiusdem ordinis personas, quæ supponuntur non esse; nec ad alias personas creatas inferioris ordinis; sed per aliam proprietatē absolutam, quę etiam esset subsistentia incommunicabilis, quemadmodum de facto omnes personæ creatæ constituuntur per subsistentias incommunicabiles absolutas. ergo de facto, quælibet persona diuina si consideretur præcisè, vt persona diuina in seipsa formaliter est, & non vt distincta ab alijs personis eiusdē ordinis, constituitur per relationem, nō quia relatio simpliciter est exercita, sed quia est incommunicabilis quędam subsistentia relatiua.

2. Pars prob. 2. quia Principium formale constitutiuum debet esse intrinsecū rei constitutę.

Probatur secundò, Principium formale constitutiuum debet esse intrinsecum rei constitutæ, & omnis ratio propter quam res aliqua in seipsa intrinsece, & formaliter talis est, vel per vnionem, vt ferè semper in creaturis, vel per identitatem, & vnitatem, vt in diuinis propter infinitatem terminorum inuicem non oppositorum. Ergo in diuinis ratio, propter quam principium formale constituit personam, est quia identificatur personæ, sed hęc identificationis, multò magis explicatur per subsistentiam incōmunicabilem terminantem naturam, quę concipitur solùm per ordinem ad subiectum, & personam ipsam constitutam, & seipsa formaliter, & in seipsa intrinsece subsistentem, quàm per relationem, cuius totum esse est esse ad aliud sibi oppositum, & realiter distinctum. ergo dicendum, quod relatio ideò constituit personam, quia est subsistentia incommunicabilis omninò identificata naturę, & personę, & ideò distinguit personam, quia est relatio opposita termino, & realiter ab illo distincta.

1372 *Ratio, propter quam Relatio, distinguit, est quia opponitur termino, & ab illo distinguitur.*

Quo probatum etiam remanet eiusdem secundæ partis secundum membrū, nempe, quod ratio propter quam eadem relatio distinguit, est, quia relatio opponitur termino, & ab illo distinguitur. Quod præterea confirmari potest ex illo communi axiomate, multoties in superioribus inculcato, & probato. In diuinis omnia sunt vnum, vbi non obuiat relationis oppositio. Ergo ratio cur principium constitutiuū personæ diuinę, ita constituat vnam personam, cui identificatur, & non opponitur, vt eam distinguat ab alijs personis eiusdem ordinis est, quia ipsum alijs diuinis terminis opponitur, & realiter ab illis distinguitur. ergo, quia est relatio, vt relatio, reduplicando adæquate formale esse ad aliud, nam alia oppositio in terminis positiuis absolutis, non habet locum in diuinis, vbi omnia absoluta vnum sint, necesse est, vt supra demonstratum est.

1373 *Confirmatur duobus exemplis, Altero de Deitate. Altero de paternitate accidentali.*

Confirmari etiam potest duobus exemplis superiùs significatis; altero, de Deitate, quæ quoniam nullam oppositionem habet cum Patris persona, v.g. sed illi identificatur, est principium formale constitutiuum Patris in esse Dei, non autem principium distinctiuum Patris è reliquis duabus personis, quia Deitas illis etiam non opponitur, nec ab illis distinguitur. ergo ratio cur principium formale constitutiuum distinguat rem constitutam, est, quia ipsum opponitur, & distinguitur. Altero, de relatione creata, v.g. paternitate accidentali, quę ex eo, quod est accidens inhęrens subiecto, eique non oppositum, habet constituere illud Patrem, ex eo autem, quod est relatio, habet opponi filio, & relatiuè distingui ab illo; & propter hoc habet distinguere Patrem à filio, ita diuina Paternitas, quæ est incommunicabilis quædā subsistentia, cōstituit personā, quia est subsistētia identificata naturæ, & personæ, distinguit ab alijs personis, quia illis opponitur, & ab illis distinguitur. hanc totam doctrinā huius explicationis hausimus ex D.Th. hic in corp. qua propter Thomistica est, & probabilissima, nihilominùs ad vberiorem doctrinā, possumus procedere alia via circa constitutionem diuinarum personarum, quæ est Caetani, quæ licet coincidat cum præsenti, nihilominùs meo videri videtur clariùs, ac profundiùs explicare, rationem formalem ipsius *Ad* prout est personarum constitutiuum, & confirmare præcedentem doctrinam. Vnde.

1374 *Petes 3.*

Petes 3. *An possumus alia via, quæ sit probabilis, & clarior, explicare constitutionem diuinarum personarum, nempe per relationem, seu esse. Ad in actu signato, non verò in actu exercito? quæ via magis confirmet præcedentem doctrinam.*

1375 *Resp. Relationē Paternitatis secundùm esse Ad in esse concepto, & non in exercito cōstituit.*

Resp. Relatio Paternitatis, etiam secundùm, quod dicit ipsum *Ad*, seu ipsam relationem specialem, & secundùm suam vltimam differētiam relatiuam paternitatis, adhuc admittit illos duos inadæquatos cōceptus relationis, vt subsistentis, & vt respicientis, seu vt relatio, quod benè explicat Caiet. per relationem, vt signatam, seu conceptam, & vt exercitam, & sub vno conceptu antecedit generationem, & terminum genitum, scil. secundùm conceptum signatum subsistendi, secundùm alium sequitur generationē, & concomitatur terminum, ad quem est.

Hæc est sententia D. Th. docentis, Relationem non constituere personas, vt relationem, sed vt subsistentem.

Hæc Concl. explicat sententiam D.Thomæ in hac q.40. art.4. & Caiet. ibid. Quam sententiam perpetuò D.Th. explicat eisdem terminis, quod scil. relatio, vt relatio, non constituit personam, sed inquantum subsistens est, & diuina, & secundùm, quod subsistens est, præcedit generationem, vt autem relatio est, subsequitur generationem, vt patet in q.10. de Pot. art.10. & 1. dist.

& 1. dist. 27. q. 1. art. 2. & ibi ad Anib. & dicimus, quod quando S. Th. distinguit in relatione diuina illos duos conceptus subsistendi, & respiciendi, seu relationis, vt relatio est, & vt subsistens est, non distinguitur in relatione in, quod est *in*, & id, quod est *ad*, sed etiam relationem, vt est *ad*, distinguit in ipsum exercitium, vt tangit terminum, & in ipsum *ad*, vt subsistens est, & tangit subiectum.

1376 *Difficultas in distinctione Relationis in actu concepto, & in actu exercito.*

Sed quia ipsum *in* nihil aliud est, quàm relationē, seu *ad* tangere subiectum, & ex parte subiecti se tenere, non apparet, quomodo in ipsa ratione *ad*, vt distinguitur ab *in*, locum habeat ista distinctio ipsius *ad*, vt subsistentis, vel vt respicientis, vt exercita, vel vt signata, cùm ipsum esse subsistens, & esse signatum pertineat ad rationem *in*: ergo in ipso *ad*, non potest iterum hoc distingui. Et sic venit nolit sententia Caiet. debet recidere in sententiam Ferrariensis, vel nihil dicit, cum inexplicabile videatur, quod in ipso *ad*, vt distinguitur ab *in* iterum concipiamus id, quod est subsistens, & ex parte subiecti se tenet, tanquam relatio signata, seu concepta, & hoc ipsum non sit ipsum *in*.

1377 *In esse Ad reperitur duplex ratio, seu conceptus, quorū vnus magis explicat aliū.*

Quare dicimus, quòd in ipso, *ad*, vt distinguitur ab *in*, adhuc inueniuntur duplex ratio, seu conceptus, quorum vnus magis explicat alium, ita quod vterque explicitus est per comparationem ad ipsum *in*, sed in ipsomet *Ad* vnus magis explicat alium in ordine ad terminum. Quando enim primo distinguimus in relatione id quod est *ad*, & id quod est *in*, ista ratio *in* non solum importat inhærentiam, vel subsistentiam ipsius *ad*, sed etiam importat id, quod pertinet ad essentiam, & prædicata intrinseca entis creati, vel increati, ita quod si relatio sit accidentalis, importat rationem entis creati limitati, dependentis, potentialis, &c. & etiam ipsam inhærentiam, & perfectionem, vel imperfectionem talis accidentis.

1378 *Relatio diuina, vt diuina dicit lineam absolutam, & respectiuam.*

Si autem sit relatio increata importat entitatem diuinam cum omnibus prædicatis, & perfectionibus diuinis, quæ in ly *diuina* includuntur, ita quod non solum lineam relationis dicit, sed etiam lineam rei absolutæ, quæ diuinitas ipsa est, & perfectio eius, in qua communicat cum alijs personis, *in* enim relationis pertinet ad esse diuinum, quod omnibus personis commune est, & etiam importat, quod subsistens sit, & non inhærens, sed tamen cum hac differentia, quod ea, quæ perfectionis sunt, & pertinent ad ipsam rationem essendi, & existendi, non transeunt ad ipsum *ad*, ita quod in ipsa ratione *ad*, multiplicentur, quia totum, quod diuinitatis, & perfectionis est, manet vnum, & commune tribus personis, ita quod in eo non opponuntur relationes.

Esse In dicit ea, quę perfectionis sunt, quę non transeunt in ipsum Ad.

Esse verò subsistens, & esse reale transit in ipsum Ad.

At vero esse subsistens, & esse reale etiam transit, & inuenitur formaliter in ipso *ad*, licet radicaliter id habeat ex eo, quod diuina est. Et hoc ideo, quia in ratione subsistentiæ, & realitatis multiplicantur relationes in diuinis, eo quod ad subsistentiam pertinet terminatio incommunicabilis, & incommunicabilitas per oppositionem habetur, & consequenter, per distinctionem, & per ipsum *ad*, vt *ad* & similiter realitas exercetur in ordine ad terminum, quia realiter respicitur, & attingitur, ad differentiam relationis rationis, quę realiter ad terminum non est, & sic realitas multiplicatur in diuinis, licet quod realis sit illa relatio, habeat radicaliter ex eo, quod diuina est, sicut relationes creatæ realitatem habent ex fundamento, quasi ex radice.

1379 *Quidquid oppositionis; multiplicationis, ac reale est, pertinet ad Ad, vt Ad.*

Itaque vno verbo, quidquid oppositionis est, & multiplicationis, etiam si reale sit, pertinet ad ipsum *ad* sub conceptu *ad*, vt distinguitur ab *in*. Quidquid ad perfectionem, ad essentiam, ad diuinitatem, ad esse, pertinet in relationibus diuinis, tenet se ex parte ipsius *in*, & non multiplicatur in relationibus, sed identice inuenitur in illis; licet verum sit, quod realitas, & subsistentia, & personalitas, quæ multiplicatur in ipso *ad*, & ad eius formalem rationem spectat, formaliter quidem inueniatur in ipso conceptu *ad*, vt distincto, & explicito ab *in*, sed radicaliter oriatur ex ipso *in*. sicut in relationibus creatis oritur ex fundamento; seu in diuinis esse relationis non pendet a fundamento, sed ab identificatione cum essentia diuina; fundamentū autem solum requiritur ad exercitiū relationis in respiciendo, prout transit terminū.

1380 *Explicatur Conclusio, & sent. Caiet. Relatio primò diuiditur inadequatè in In, & Ad ad In pertinēt perfectiones, ad Ad oppositiones.*

Ex his explico sententiam Caietani. Et dico, quòd relatio primò diuiditur inadæquatè in conceptum *In*, & in conceptum *Ad*. Pro conceptu *In* deseruiunt quæcumque ad perfectionem, ad essentiam, diuinitatem esse, & identificationem cum attributis pertinent, & quidquid non multiplicatur in relationibus, & lineam absolutorum inuoluit. Pro conceptu *Ad*, vt distincto, & explicito ab isto conceptu *In* (licet in illo radicato, & fundato) pertinent quæcumque multiplicantur in relationibus, & ex parte oppositionis se tenent, sicut est subsistentia, quæ ad incommunicabilitatem, & oppositionem realem in ratione termini substantialis spectat, sicut est realitas respicientia ad terminum, distinctio, oppositioque realis, &c.

Ipsum Ad subdiuiditur inadęquatè, & concipi potest, vt dicit subsistentiam, & vt dicit respicientiam.

In hoc ergo conceptu *Ad* sic distincto à conceptu *In*, cum multa inueniantur, quę oppositionem, distinctionemque patiuntur, non repugnat iterum diuidere in inadęquatos cōceptus, & concipere ipsum *ad*, vt exercet munus subsistentiæ, non quomodocumque, sed incommunicabiliter, & cum oppositione, & distinctione ab alio termino personali, & similiter concipere ipsum *ad*, vt exercet munus respicientię secundùm attingentiam termini correlatiui, quæ est ipsa explicatissima ratio *ad*, seu relationis vt relatio est, quæ quidem realis est, & tamen in correlatiuo nihil realitatis ponit, sed pure respicit, in se tamen realis respicientia est.

1381 *Potest ergo ipsum Ad considerari, vt subsistens, non vt respiciens; & vt subsistens includit terminum, licèt non respiciat.*

Cum ergo omnes istę considerationes locum habeant in *Ad*, vt *Ad*, non repugnat considerare illud secundum vnam, & non secundùm aliam, scil. considerare illud, vt subsistens, & non vt respiciens, seu attingens terminum, nam vt subsistens etiam includit terminum, sed eo modo, quo exigitur ad subsistendum incommunicabiliter, non eo modo, quo exigitur ad pure respiciendum: ad subsistendum .n. incōmmunicabiliter requiritur relatio, quæ quidem non sit accidens, & hoc habet ex eo, quod diuina radicaliter, seu quia identificatur cum diuino esse, & rursum quod in se habeat incommunicabilitatem cum vlteriori termino. Et hoc habet ex eo, quod opposita est ad suum terminum correlatiuum: sed tamen ista oppositio, & incompossibilitas, seu incommunicabilitas cum termino correlatiuo, non solùm inuenitur in ipsa explicatione respectus, & attingentiæ ad terminum, sed etiam in ipsa realitate, & entitate ipsius *ad*, vt entitas, & realitas est in se, & vt ex parte subiecti se tenet, inuenitur incompossibilitas cum tali termino.

1382 *Antequam cōsideretur ipsa actualis respicientia, ipsum Ad realiter est incommunicabile suo termino.*

Vnde etiam antequam exerceatur, & consideretur ipsa attingentia respicientiæ erga terminum suum, iam ipsum *ad* entitatiue, & quoad realitatem consideratum incompossibile, & incommunicabile est suo termino. Et sic inuoluit terminum in ipsa incommunicabilitate entitatis, non vt exercite, & explicite attractum per modum tendentię ad illum, sed vt entitati, & realitati ipsi relationis in ratione *ad* incompossibilem; & sic redditur illa entitas subsistens ex vi talis conceptus, incommunicabilis termino vlteriori. Quare sicut relatio ex eo, quod identificatur cum essentia, trahit perfectionem, rationemque subsistendi; ita ex eo, quod ordinatur ad terminum, trahit incompossibilitatem, distinctionemque ab ipso: ordinari autem nondum est respiciendo attingere terminum, sed respiciendo in se esse.

1383 *Forma prębēs plures effectus formales, non repugnat sub vna consideratione, & formalitate præbere vnum, & non alterum.*

Quia ergo forma præbens plures effectus formales, non repugnat sub vna consideratione, & formalitate prębere vnum, sub qua non præbet alterum, & secundum priorem supponi ad tertiam sub posteriore, sicut anima prius actuat materiam, & constituit corpus in ratione organici, deinde viuificat in ratione animæ; ideo etiam in relatione illa diuina, cuius realitas non solum identice est substantia, & diuina, sed etiam in formalitate ipsius *ad*, est realis subsistentia distincta ab illa, licet esse subsistentiam habeat radicaliter ex eo, quod diuina, & quod sit distincta.

stincta, & incommunicabilis fieri ex eo, quòd opposita, & ordinata; inueniemus hoc ipsum, quod prius intelligitur præbere effectum formalem subsistendi incommunicabiliter respectu aliarum substantiarum, deinde per modum tendentiæ attingere terminum; & hoc exercitium tendentiæ non est idem, quod ipsum incommunicabiliter oppositum, & subsistens in subsistentia, & realitate, quia aliud est habere se ad terminum tendendo; aliud incompossibilitatem cum termino in sua realitate habendo.

1384 *Vt Relatio exerceatur per modum tendentiæ ad terminum, requiritur fundamentum, quod est ipsa generatio.*

Et illud secundum dicitur relatio vt exercita, seu relatio vt relatio: primum vero est relatio, vt in sua entitate incommunicabilis, & subsistens opposito modo ad terminum. Ad hoc autem, vt ista relatio exerceatur per modum tendentiæ ad terminum, requiritur fundamentum, quod est ipsa generatio. ideo enim tendit ad terminum, vt ad Filium, quia generat ipsum. Et similiter ista tendentia est simul cum suo termino correlatiuo, qui est Filius, vt genitus. At vero secundum primam considerationem nõ requirit fundamentum, quia relationes in diuinis non habent suum esse, & suum subsistere, ex fundamento, sed ex identificatione cum natura diuina: sed tamen hæc subsistentia orta ex identificatione cum natura diuina; habet rationem incommunicabilitatis ex ipsa realitate *Ad*, vt opposita, & incompossibilis cum suo termino: vbi etiã inuoluitur, ac includitur terminus, non vt attactus per modum tendentiæ, sed vt exclusus ab ipsa realitate *Ad*, quia est illi incompossibilis. Et hoc modo constituit personam Patris, vt subsistentia paternitatis opposita excludendo à se terminum filiationis, non tangendo illum.

Relatio Paternitatis constituit personam Patris, vt subsistentia opposita.

1385 *Conceptus In neque excludit neque opponitur suo correlatiuo sicut* Ad.

Et hoc benè nota, quia hinc pendet tota explicatio diuidendi hos conceptus in ipso *Ad*, etiam vt codistincto ab *In*, quia conceptus *In* non excludit, neque opponitur suo correlatiuo, sed est quid cõmune relationibus, inuoluitque esse absolutum: ipsum verò dicit subsistentiam oppositam, & incommunicabilé termino. Et hoc ex duplici formalitate. Primò, vt res in se excludens, & incompossibilis termino: & sic est in se incommunicabilis, & opposita Filio, & paternitas subsistens; & sic constituit personam Patris ad se, & in se. Secundò vt tangit ipsum terminum respectu suo, & sic egreditur à se, & tangit alterum. Et prout sic non constituit in se, sed exercetur extra se.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum abstractis per intellectum relationibus à personis adhuc remaneant hypostases.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio. Abstractis proprietatibus non personalibus à personis, abstractione, qua forma abstrahitur à materia, remanet intellectus personarum. nam remoto per intellectum à Patre, quòd sit ingenitus, vel spirans potest remanere conceptus hypostasis Patris. Abstractis vero relationibus constituentibus personas, non remanent personæ. quia remotis constitutiuis, non remanent constituta; sed relationes personarum sunt constitutiuæ personarum: ergo:

Arg. 1. quod se habet ad aliquid ex additione, potest intelligi tale etiam remoto eo, quod additur. Sed persona addit relationem ad hypostasim. ergo. Resp. dist. ma. si illud quod additur, est de essentia eius, cui fit additio: nego ma. si non sit de essentia, conced. & quia persona addit ad hypostasim, relationem constituentem hypostasim in esse personæ, ideò &c.

Arg. 2. Pater non ab eodem habet, quòd sit Pater, & quòd sit aliquis, habet enim quòd sit Pater à paternitate; non verò à paternitate, quòd sit aliquis; aliàs filius non esset aliquis. ergo remota &c. Resp. neg. Antec. habet enim Paternitate, quod sit Pater, & quis: & Filius à filiatione est filius, quis, & hypostasis: Spiritus S. verò processione.

Arg. 3. ex Aug. 5. de Trin. c. 6. dicente, quòd remoto hoc, quod est Pater, adhuc remanet ingenitum. ergo. Resp. distin. ly remanet, persona ingeniti; nego: remanet Deus, seu subsistens deitatis distinctum à Creaturis, quo pacto Gentiles vnum Deum colebant, conceditur. sed neg. conseq.

DISPVTATIO CCXI.

An abstractis per intellectum relationibus & personis, adhuc remaneant hypostases.

Sensus Tituli explicatur. 1386

SVpponendum est hoc loco ex q. 27. sup. & ex 3. p. q. 2. art. 2. & 3. & sæpè alibi, hypostasim, suppositum, & personam in natura rationali, seu intellectuali completa, esse prorsus idem quoad rem significatam: quare idem est, hoc loco quærere, vtrum sublatis per intellectũ relationibus in Deo, adhuc remaneant hypostases, ac quærere, vtrum remaneant supposita, & Personæ diuinæ. Affert ergo D. Th. *primo loco doctrinam communem apud Logicos, quòd scil.*

1387 Duplex est genus abstractionis. Altera dicitur vniuersalis: vt genus ab speciebus.

Duplex est genus abstractionis; alia enim dicitur vniuersalis, & est, cùm abstrahitur natura aliqua à pluribus suis indiuiduis, vt natura humana ab omnibus hominibus, aut à pluribus suis speciebus, vt natura animalis à pluribus animalibus. Signum autem huius abstractionis est, cum id, quòd abstrahitur, prædicatur de illis, à quibus abstrahitur in recto, & nomine substantiuo, vt homo est animal, Petrus est homo, &c. & sic duo solùm prima vniuersalia, nempe Genus, & Species, abstrahunt abstractione vniuersali: Alia verò abstractio dicitur formalis, & est cùm aliqua vera forma; vel concepta per modum formæ contradistinctæ ab alia parte compositi, quæ est subiectum, vel concipitur ad modum subiecti, & abstrahitur ab omnibus suis subiectis, vt si abstrahatur albedo ab omnibus rebus albis, vel proprietas à suis subiectis, vel differentia ab habentibus ipsam; & signum huius abstractionis est, quòd talis res in abstracto non prædicatur de iis, à quibus abstrahitur, nisi nomine adiectiuo, & inæquale, & hoc genere abstractionis constituuntur alia tria vniuersalia, nempe Differentia; Proprium, & Accidens, si tamen differentia abstrahit abstractione formali, nam contrarium docet hic D. Th.

Altera dicitur formalis, qua aliqua forma ab omnibus suis subiectis abstrahitur.

1388 Si ab homine abstrahatur rationalitas ab intellectu; non remanet homo.

Id autem, quod ad rem nostram facit, est illud, quod D. Th. *subiungit, quòd scil. si ab homine separetur, seu abstrahatur rationalitas per intellectum, non remanet in intellectu conceptus hominis qui essentialiter includit rationalitatem, at verò separata à pariete per intellectum albedine, remanet tam conceptus parietis ex vna parte sine albedine quàm conceptus albedinis præscindendo à pariete, at in primo casu remanet quidem conceptus rationalitatis præcisus ab homine, non tamen remanet conceptus hominis præcisa rationalitate.*

Diuina potest dici quodammodo vniuersalis, sed deficienter.

Vlteriùs verò prosequitur D. Th. *considerare, quòd quamuis in Deo non sit vniuersale, & particulare, forma, & materia, sed re vera, vt possimus facere tales abstractiones, tamen aliquid simile ex modo nostro significandi contingit cum fundamento in re. Nam essentia diuina comparata ad personas, in concreto significatas, est veluti natura vniuersalis prædicabilis de illis pluribus, licèt in hoc differat à vero vniuersali, quòd non sit diuisa in illis pluribus, sed vna prorsus indiuidua & singularis.*

Quomodo sit abstractio formalis in Deo.

Si ergo per intellectum præscindamus essentiam à personis, sic habemus abstractionem similem abstractioni vniuersali in creaturis. Neque explicat vlterius D. Th. *quomodo sit abstractio formalis in Deo similis abstractioni formali in creaturis, facile tamen, & manifestè*

ni feste existimo, sic explicari posse, scil. si comparemus essentiam eamdem non ad Personas in concreto acceptas; sed ad ipsas personalitates, veluti ad quasdam formas, quae cum essentia constituunt Personas; nam primo modo comparatur essentia ad Personas, sicut in nobis essentia hominis ad plura sua supposita, & indiuidua, & sic retinet similitudinem abstractionis vniuersalis, secundo vero modo comparatur essentia ad personalitates, vt subiectum ad aliquam formam, & sic retinet similitudinem abstractionis formalis, si scil. per intellectum praescindamus personalitates ab essentia; sicut in primo praescindimus essentiam à Personis.

1398 Prima Conclusio. Abstractione vniuersali, abstracta essentia à personis, remanet cõceptus essentiae communis, non personae.

His positis, has conclusiones ponit D. Th. Prima est, si loquamur de abstractione, quae fit secundùm vniuersale, & particulare, iam explicata, si praescindamus essentiam à Personis, & proprietatibus earum concipiendo scil. solam essentiam, remanet in intellectu nostro conceptus essentiae communis, non autem remanet conceptus Personae Patris, &c. Nam neque essentia diuina sine paternitate, habet conceptum hypostasis Patris, neque paternitas sine essentia, & idē dici potest de alijs Personis; neque haec res indiget probatione, nisi quòd debet nunc supponi quod supra docuimus, scil. relationes non esse de conceptu formali essentiae diuinae, vt naturae, sic enim non posset essentia praescindere à Personis hac praecisione per modum essentiae vniuersalis à suis suppositis.

1390 2. Conclusio. abstractis proprietatibus nõ personalibus, vt esse Ingenitum remanet hypostasis.

2. Concl. est. si loquamur secundùm modum abstractionis formalis, si ab ipso Deo praescindamus solùm proprietates non personales, vt esse ingenitum, esse spiratorem, adhuc potest remanere conceptus hypostasum, & Personarum, sicut si quis ab hoc homine praescinderet albedinem tantum, adhuc remaneret cõceptus huius hominis singularis, quoad substantiam.

Dicitur autem haec abstractio formalis, quia has proprietates concipimus in Deo per modum quarumdam formalitatum, his ergo per intellectum sublatis à Deo, & Personis diuinis, adhuc id, quod remanet in illis, sufficit ad Personarum constitutionem, quod ex eo constat, quia remanet essentia cum proprietatibus personalibus, quae sufficiunt ad Personas constituendas, & sic remanet conceptus Personarum, vbi etiam supponit D. Th. has notiones, seu proprietates non Personales, non constituere Personas, alioqui sine illis non posset remanere conceptus Personae, quare neque in hoc est vlla difficultas.

1391 3. Conclusio. si per abstractionem formalem separemus à Deo proprietates personales, nõ remanent amplius hypostases.

3. Concl. est, quòd stando in hac abstractione formali, si per intellectum separemus à Deo proprietates personales, non remanet amplius conceptus hypostasis, seu Personae, nempe id, quod remanet, non potest habere conceptum hypostasis, seu Personae, & rationem affert D. Th. quia proprietates personales non sunt formae, seu formalitates aduenientes hypostasibus diuinis, veluti subiecto cuidam, sicuti, scientia aduenit huic homini singulari, sed hae proprietates personales sunt ipsae hypostases per se subsistentes, & sic Paternitas est ipse Pater, & sic dicuntur, non supponere supposita, sed ferre secum, seu esse formas constituentes supposita, quare separatis per intellectum his proprietatibus personalibus id, quod remanet in Deo, non potest habere conceptum hypostasis, & Personae, vndè concludit D. Th. quòd cùm relationes personales sint illae proprietates, quae distinguunt, & constituunt hypostases, vt inquit, supra dictum est, sequitur, quod praecisis per intellectum relationibus personalibus id, quod remanet, non habet conceptum hypostasium, & Personarum, vt etiam certum est ex praedictis.

1392 Refert D. Th. opinionē dicentium Relationes non constituere hypostases,

Vltimò refert iterum D. Th. eorum opinionem, quòd scil. aliqui putent, hypostases in diuinis non constitui, & distingui in ratione hypostasum per relationes personales, sed per solam originem, has verò relationes aduenientes solùm constituere Personas, vt pote pertinentes ad solam quamdam dignitatem, quae requiritur in conceptu Personae, & ex hoc dici personales, non autem, quia constituant hypostases, vnde hi Auctores consequenter dicunt, quod si per intellectum remoueantur hae relationes personales, adhuc remaneant hypostases diuinae, non autem Personae; quod tamen D. Th. dupliciter impugnat.

1393 Illam opinionem dupliciter impugnat S. Doctor quia omnis hypostasis naturae rationalis est persona.

Primò, quia hae relationis constituunt, & distinguunt hypostases. Secundò, quia omnis hypostasis naturae rationalis est persona, quod probat ex Boet. vndè si aliqua res sit hypostasis, & non Persona, necesse est, vt non sit naturae rationalis, seu vt careat ex parte naturae, quam dicit rationalitate, seu intellectualitate, quidquid sit an careat, vel non careat dignitate aliqua consequente ad hypostasim. Quarè si in Deo essent hypostases, etiam praecisis relationibus, & tales hypostases nõ essent vt sic persona, sequeretur, quòd Deus non esset natura intellectualis, quod est impossibile, vt consideranti patet.

Atque haec D. Th. in corp. vndè ad primum docet, Personam non addere supra hypostasim, veluti aliam proprietatem, sed solùm diuersum connotatum. Nam hypostasis vniuersaliter dicitur in ordine ad quamcumque naturam substantialem completam; Persona verò in ordine ad naturam rationalem; vndè hypostasis naturae rationalis est Persona; vndè in Deo eadem relatio personalis constituit hypostasim, & Personam, non autem quasi hypostasis in Deo constituatur per vnam proprietatem, & Persona per aliam superadditam.

1394 Pater sua Paternitate est quis: Filius sua Filiatione est *quis*.

Item ad 2. docet, quòd Pater paternitate est Pater, & est quis, seu aliquis personaliter, nec tamen sequi, quòd Filius non sit etiam quis, seu aliquis filiatione sua. Ad 3. verò explicat D. Augustinum dicentem, quòd non est idem in Patre dicere ingenitum, & dicere Patrem, quia si Filium non genuisset, adhuc possemus eum dicere ingenitum. Vndè videtur sequi, quòd Pater esset Persona per hoc solùm, quòd sit ingenitus.

Respondet ergo D. Th. non esse intentionem D. Augustini dicere, quòd remota paternitate, remaneret eadem hypostasis Patris, quasi innascibilitas constituat hanc hypostasim, cùm haec innascibilitas formaliter sit negatio seu cum loqui secundum quemdam conceptum communem, quia non est de ratione ingeniti in communi esse Patrem; vndè sublata paternitate posset remanere conceptus ingeniti in communi, hic autem conceptus in Deo, remota paternitate, non inuolui hypostasim Patris, vt distinguitur ab alijs personis, inuolueret tamen hanc hypostasim, vt distinguitur Deus à creaturis, sicuti Iudaei intelligunt.

1365 Nulla est difficultas textũ positis quae supra docuimus q. 28.

Haec D. Th. neque re vera in eius dictis esset difficultas aliqua vllius momenti, positis ijs, quae huc vsque dicta sunt, nisi in responsione praedicta ad tertium tangeret illam difficultatem, quae habet varia capita, nempe an in Deo sit aliqua ratio personae absoluta praeter tres relatiuas, & qualis haec sit. Item an saltem in Deo sit aliqua ratio subsistentiae absoluta, & nulla relatiua, an verò è contra tres relatiuae, & nulla absoluta, an demum tres relatiuae, & vna absoluta, & quid sit, quod formaliter in Deo constituat Personam, vel hypostasim, de quibus iam supra q. 28. dictum est.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum actus notionales praeintelligantur proprietatibus.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

PRima Conclusio. Origines, siue actus notionales, passiue significatae, vt sunt natiuitas, & processio, simpliciter secundùm intellectum, praecedunt proprietates personales, & non personales personarum praecedentium per tales actus. Nam ea, quae significatur, vt viae ad personas praecedunt ipsas personas. 2. Concl. Origo actiuè significata prior est secundùm intellectum, quàm relatio non personalis personae originantis. Nam actus notionalis spirationis .s. spirare, qui est origo non personalis, praecedit secundùm intellectum, proprietatem relatiuam innominatam, communem Patri, & Filio,

3. Concl.

3. Concl. Proprietas Patris .s. Paternitas, vt relatio, presupponit actum notionalem generationis. nam illud, quod in alio fundatur, præsupponit id, in quo fundatur. 4. Concl. Proprietas Patris, si consideretur, vt est constitutiua personę patris, præintelligitur actui notionali. nam constitutiuum personæ, operantis præintelligitur ipsi operationi procedenti à tali operante.

Arg. 1. Generatio in diuinis præcedit Paternitatem Magister 1. sent. distinct. 27. ergo. Resp. Paternitatem posse considerari dupliciter, vt est forma relatiua; & vt est forma constitutiua; primo modo præceditur à generatione; non enim potest referri Pater ad filium, nisi prius generet filium. Secundo verò modo precedit, vt dictum est in 4. Concl.

Arg. 2. Proprietates sunt fundamentum relationis; Paternitas enim est relatio. ergo. Resp. eodem modo, quod Paternitas, vt est relatio, præsupponit actus notionales, non verò vt est forma constitutiua personæ patris .i. secundum esse ad, ipsas præsupponit; secundum esse in, præcedit.

Arg. 3. Sicut se habet generatio actiua ad Patrem, ita se habet natiuitas ad filiationé. Sed filiatio præsupponit Natiuitatem. ergo. Resp. neg. ma. Natiuitas enim significatur passiuè, & vt est via ad filium; Generatio verò actiuè, vt progrediens à persona Patris; ideò &c.

DISPVTATIO. CCXII.

An actus notionales præintelligatur proprietatibus.

1396 Sensus Tituli, An Paternitas, Filiatio, &c. sint prius, quã generare, generari &c.

COmparat D. Thom. hoc loco quatuor proprietates relatiuas diuinas, nempe paternitatem, filiationem, relationem spirationis actiuæ, & passiuæ cum duobus actibus notionalibus actiuè, & passiuè significatis, qui sunt generare, & generari, seu nasci; & spirare & spirari, seu procedere, & quærit quid sit prius secundũ nostrum modum intelligendi cum fundamento in re, paternitas v.g. an generatio, & sic de alijs. Verum autẽ possit esse inter hæc, & inter ipsas personas aliqua prioritas, etiam reipsa, seu secundum rem, vel etiam in ordine ad diuinum intellectum, nunc enim solum loquimur de prioritate secundùm nostrum modum intelligendi per comparationem ad res creatas, ex doctrina huius art. colliguntur aliquæ conclusiones certæ, non solùm apud Thomistas, sed communiter apud alios, vna verò valde controuersa, & de re difficili. Cùm autem hic quæritur de prioritate, & posterioritate, semper intelligimus de prioritate originis, vel quæ ad hanc prioritatem pertineat, & reducatur, cum alia prioritas non sit in Deo ad intra.

1397 Prima Concl. Origo passiuè accepta est prior secundùm intellectum, quam Filiatio, vel processio.

Prima Concl. Origo passiuè accepta qualis est generari, seu nasci, & spirari; seu procedere, prior est secundũ intellectum, quàm proprietas eius personæ, ad quam terminatur, & quæ per ipsam producitur, siuè ea proprietas sit personalis, siuè non, v.g. generari prius est, quàm persona Filij, & quàm relatio filiationis, & relatio spirationis actiuæ, vt communicata Filio; & similiter spirari prius est secundùm intellectum, quàm persona, & proprietas Spiritus Sancti, qui per spirationem producitur, & ratio ex D.Th. est manifesta, quia processio, & origo passiua modo explicato significatur per modum operationis, & viæ ad suum terminum; via vero est prior secundùm intellectum suo termino, sicut in rebus creatis, ergo &c.

Nota. Has prioritates esse prioritates à quo, non autem in quo, vt explicatum est.

Vbi etiam aduertendum est, has prioritates originis esse solùm prioritates, à quo, non autem in quo, vt sæpè explicatum est, ex quo etiam à fortiori sequitur, quod origo actiuè significata, vt generare, & spirare, est prior proprietate personæ productæ per ipsam; vel enim hæc origo significatur per modum operationis, & viæ, vt generare, & sic est eadem ratio de illa, & de origine passiuè accepta, vel per modum principij, & sic in diuinis principium est prius origine secundum nostrum modum intelligendi; persona producta, includitur ergo hæc doctrina in illa priori, & propterea nihil expresso dixit de ea hic D.Th.

1398 2. Conclusio. Origo actiuè considerata, prior est relatione non personali, v.g. spirationis actiuę.

2. Concl. Origo actiuè considerata, quale est generare, & spirare, prior est relatione non personali personæ originantis, nempe relatione spiratoris; relatio enim spirationis actiuæ in Patre, & Filio, dicitur relatio non personalis, sic igitur secundum D. Thom. prius est secundum intellectum, Patrem, & Filium spirare Spiritum Sanctum, quàm referri relatione spiratoris ad illum, modo mox dicendo. Hæc Concl. ex parte sequitur ex præced. si enim origo tàm actiuè, quàm passiuè significata est prior secundum intellectum suo termino producto, & originato, sequitur, quod spirare, & spirari sit prius ipso Spiritu S. & relatione ipsius ad Patrem, & Filium, & ad suum spiratorem, & consequenter etiam ipsa relatione spiratoris, vt relatio est, quia relatio spiratoris, & spirati, vt relationes sunt, simul sunt; vtraq; ergo intelligitur veluti consequi ad actum notionalem spirationis.

1399 Prob. quia relatio spirationis actiuæ nõ constituit personam.

Fundatur autem maximè hæc Concl. in doctrina supra posita, quòd scilicet relatio spirationis actiuæ non sit relatio personalis scilicet constituens Personas, aut Personam, sed supponens personas constitutas; vnde ipsa non est hypostasis, nec secum affert suppositum, aut subsistentiam, sed subsistit subsistentia Patris, & Filij, & sic intelligitur aduenire Patri, & Filio, vt personis iam constitutis, & posito actu notionali; in quo fundatur, in quo maximè differt à paternitate, vt infra dicetur, verum est tamen, quod si hæc relatio spirationis actiua consideratur, vt origo actiuè significata, sic non est posterior actu notionali, sed est ipse actus notionalis, nempe ipsum spirare; si verò consideretur, vt origo per modum principij quo, seu pertinentis ad principium, quo sic etiã præcedit actum notionalem, sicuti principium præcedit suam operationem.

DVBIVM VNICVM.

An Actus notionalis generandi sit prior relatione Paternitatis.

1400 *Conclusio. Actus notionalis generandi est prior secundùm conceptũ ipsa relatione Paternitatis, vt relatio est.*

COncl. Actus notionalis generandi est prior secundum conceptum ipsa relatione Paternitatis, vt relatio est: at verò est posterior secundum conceptũ eamdem relatione, vt constitutiua est Personę Patris. Hæc Concl. est ex D. Thom. in qua est pręcipua, & maxima difficultas huius art. & valde exagitata inter Thomistas, & alios, Habetur autem in terminis apud D.Th. sine vlla vlteriori explicatione; solùm breuissime ab ipso probatur, quoad vtramque partem. quòad primam, quia relatio, de qua loquimur, vt relatio præcisè, fundatur in actu notionali, & consequenter est posterior illo secundum intellectum.

1401 *Est autem posterior Paternitate, vt est constitutiua personæ Patris.*

Quoad secundam verò, quia hæc relatio constituit Personam Patris, persona autem præintelligitur suæ operationi, igitur relatio paternitatis, vt constitutiua personæ Patris, præintelligitur actui notionali generandi; supponit autem D.Thom. vt constat ex princip. art. & supra q. 4. sæpè dictum Personas in diuinis non solum distingui, sed etiam constitui per relationes, & non per aliquas proprietates absolutas, cum absolu ta omnia sint communia in diuinis. hæc ergo D. Thom. est autem ea difficultas solùm in ordine ad personalitatem Patris, nam in ordine ad personalitatem Filij generatio non solum est prior ipsa filiatione, vt relatio est, sed vt constitutiua Filij, cum sit via ad illam, vt habetur ad 3. & constat ex dictis; & similiter spiratio est prior personalitate, Spiritus Sancti non solùm, vt relatio est; sed etiam vt constituit talem personam propter eamdé causam.

Hh Ratio

1402 *Ratio difficultatis est, quia Paternitas, vel constituit, vt forma absoluta, vel, vt relatiua*

Ratio autem difficultatis est quamuis ex dictis quæst. 40. soluta sit, nihilominùs ad vberiorem doctrinam vrgemus, quia etiam si concedamus relationem paternitatis, vt talis relatio est, & Diuina habere has, veluti duas perfectiones, seu duo munera, quæ in rebus creatis sunt diuisa, & non conueniunt eidem rei; nempe referre Patrem ad Filium, & ab illo distinguere per oppositionem relatiuam; & præterea constituere talem Personam Patris, quatenus ipsa relatio est ratio personalitatis, & suppositalitatis; hypostasis, & subsistentiæ, vt supponit D. Thom. hoc loco; tamen, vel Paternitas constituit Personam Patris inquantum relatio est, seu per aliquam formalitatem relatiuam, vt relatiuam, vel non vt relatio est, sed per aliquam formalitatem absolutam.

Si, vt Relatiua, ergo relatio, vt relatio præcedit act⁹ notionalis.

Si primum, ergo relatio, etiam vt relatio præcedit actum notionalem generandi; nam secundum D. Thom. relatio, vt constitutiua personæ, est prior actu notionali prædicto, sed est constitutiua, vt relatio, ergo vt relatio etiam est prior: Si dicatur secundum, vt videtur hic indicare D. Thom. & alijs locis, vbi docet, relationes, vt relationes, non constituere, sed distinguere Personas, constituere autem, vt subsistentes, & hypostases; Si hoc, inquam, dicatur, confunditur tota veritas huius mysterij, & corruit tota doctrina supra posita de constitutione diuinarum Personarum per relationes.

1403 *Et incideretur in sententiam dicentium constituere, vt absoluta.*

Et videmur incidere in sententiam, seu potius errorem confutatum art. 2. dicentium, Personas constitui per proprietates absolutas, & relationes solùm indicare Personas constitutas; nam tunc, hæc propositio, persona Patris constituitur per relationem paternitatis, solùm esset vera in sensu identico, non autem formali; hoc autem pacto dici posset constitui per essentiam, & per intellectum, & per voluntatem, nempe per illam rem, quæ est essentia, & intellectus, & tamen hæc non dicuntur, cum ergo dicitur persona constitui per relationem, intelligi debet in sensu formali, & reduplicatiue.

Si, vt absoluta, tunc esset communis tribus personis.

Item si relatio constituit personam Patris, per aliquam formalitatem absolutam sibi solùm identificatam, hæc formalitas cùm constituat personam Patris determinatè, debet esse ratio absoluta per modum formalitatis singularis, non autem communis, & vagæ, Sic enim non constitueret Patris personā, omnis autem formalitas absoluta in Deo, per modum formalitatis singularis, est communis tribus personis, & ita vna esset persona in Deo communis, & alia huiusmodi absurda sequerentur, quæ cuilibet ex dictis in promptu esse poterunt.

1404 *Diuersæ sententiæ referuntur. Specialiter celebris Caiet.*

Quàm vero diuersæ sint auctorum sententiæ, & explicationes in hac materia, & earum confutationes, facile videri potest apud Suar. lib. 7. de Trinit. c. 7. Arrub. disputat. 110. & 111. cap. 5. & alios plures hoc loco, & quidem celebris est explicatio Caietani, qui vult, relationem constituere personam, & distinguere, vt relationem, sed constituere, vt relationem conceptam, distinguere vero, vt relationem exercitam. Sed quia hæc vocabula non fuerunt a Caiet. sufficienter explicata ad enodandam præsentem difficultatē, ideo communiter ab alijs reijcitur hæc sententia, quamuis existimem, posse rectè explicari, vt infra, & supra explicatum est.

1405 *Sententia Capreoli, & Ferrar. distinguentium, relationē in formam hypostaticam, & relatiuam.*

Item nota est sententia Capreoli, & Ferrariensis dicentium paternitatem v. g. ratione suæ vltimæ differentiæ includere duas veluti formalitates, primo esse formam hypostaticam, & personalitatem quamdam increatam; secundo referre ad aliud, & ratione primi esse quid absolutum, vel præscindere à relatiuo, & absoluto, & sic constituere personā, & præcedere actum notionalem, ratione vero secundi subsequi, & solùm distinguere personam, & referre, quę etiam opinio facile confutatur ex dictis, nempe alij auctores alias meliores explicationes afferunt, vt videre est apud Auctores cit.

Nodus difficultatis in quo cōsistat.

Nodus ergo difficultatis totus in eo consistit, an dicendum sit, quod relatio diuina, etiam vt relatio aliquo modo constituit personam, an verò, quòd nullo modo constituat, vt relatio; an verò, quod in aliquo sensu dici debeat, quod constituat, vt relatio, & aliquo modo, quòd non constituat, vt relatio; & quidem mihi omninò videtur dicendum, maximè secūdum mentem D. Th. quòd relatio, etiam aliquo modo, vt relatio formaliter, & reduplicatiue constituat personam, & aliquo etiam modo, & in alio sensu dici possit, quod non constituat, vt relatio, sed vt forma hypostatica, & per se subsistens. Neque hæ propositiones censendæ sunt contradictoriæ propter diuersum sensum, & vim propositionum; & quidem hic secundus sensus negatiuus cōstat in terminis ex D. Th. hoc loco, & alijs locis cit. art. superiori, & q. 10. de Pot. art. 3. quod veró etiam propositio affirmatiua sit vera ex D. Th. aliquo modo, etiam in sensu formali, constat ex initio huius art. & ex locis; & rationibus factis supra in ratione dubitandi, & ferè demonstratur à multis auctoribus supra cit. & habetur etiam à D. Th. in 1. dist. 27. q. 1. a. 3. vbi docet, quòd licèt relatio, vt est relatio absolute, id est in genere, non constituat personam, vt relatio diuina, seu vt talis relatio constituit.

1406 *Ex D. Th. relatio, vt relatio non constituit personam, licèt constituat, vt relatio diuina.*

Pro solutione Aduerte, quod Relatio potest considerari dupliciter.

Pro solutione aduertendum est, quòd relatio diuina potest considerari dupliciter; primó vt relatio in genere, secundum quod conuenit etiam cum relationibus creatis, & sic nullo modo habet constituere Personam, sed solùm referre indeterminate illud, cuius est relatio, & distinguere ab eo, ad quod refertur; & secundùm hunc conceptum communem, non loquimur de relatione diuina hoc loco, loquimur enim de illa, secundùm quod habet conceptum formę hypostaticæ constituentis determinatam personam, & formæ relatiuæ referentis ad aliā determinatā personā, hos autē conceptus non habet, vt est relatio in communi, sed vt est diuina. Loquimur ergo de illa, vt est relatio Diuina, seu talis relatio vltimo constituta per suam differentiam essentialem, quam non explicamus per suam differentiam essentialem, quamquam nos explicamus per aliam particulam, Diuina, & proprio vocabulo, nomine Paternitatis, vt Paternitas, & filiationis, vt filiatio, &c. itaut particula illa, vt Diuina, reduplicet vltimam differentiam, per quam vltimo hæ relationes diuinæ constituuntur, & distinguuntur ab omni alia re, & ab inuicem; relatio ergo personalis Diuina ratione suæ vltimæ differentiæ, secundū quā substantialis, & increata est, duo habet, quod facit ad rem nostram, primum constituere personam, secundum distinguere ab alia, & ad aliam referre.

Loquemur hic de Relatione quatenus diuina est, seu, vt cōstituta per suā vltimam differentiam.

1408 *Quomodo verè sit, quod Relatio nisi distinguendo, nec distinguat nisi referendo.*

Neque enim alio modo distinguit, nisi referendo, & refert, nisi distinguendo, & quamuis vtrūque munus conueniat illi ratione suæ vltimæ differentiæ, tamen secundùm quamdam prioritatem consequētiæ, & veluti in genere causæ materialis, prius conuenit illi constituere, quàm referre, & distinguere, nam in vniuersum non valet hæc Conseq. res aliqua est constituta, ergo est relata, vel distincta, loquendo in conceptu, & ex vi consequentiæ, nam vt sit relata, & distincta, exigitur conceptus termini, ad quem, qui nō exigitur ad omnem constitutionem; vnde vniuersalius est esse constitutum, quam referri, & distingui, & consequenter prius. At vero, vt sit constituta, non exigitur conceptus vllius termini, ad quem, vnde si vna tantùm res esset in mundo, illa esset actu constituta in suo esse, non tamen actu distincta, quia nihil esset, à quo actu distingueretur. E contra vero valet Cōseq. res aliqua est distincta, vel relata ad aliam, ergo est in se constituta, & sic iuxta regulas Aristotelicas cap. de priori, prius est constituere in re nostra, quam referre, & ratione ipsa, nam referri ad aliud, & ab alio distingui, supponit esse, esse autem non supponit referri, aut distingui: illud tamen semper aduertendū est, has prioritates in Deo non esse, nisi à quo, non autem in quo, vt sæpe monuimus,

Vniuersaliter est conceptus constitutiuus, quàm distinctiuus, quia priùs est esse, quàm referri.

In relationē vnus cōstituendi pri⁹ exercetur, quàm munus referendi.

Cum ergo hæc sint veluti duo munera relationis personalis diuinæ, conuenientia illi ratione suæ vltimæ differētiæ, sc. cōstituere personā, & referre ad aliā, & vnum munus exerceatur, prius alio, modo dicto; hinc

hinc oritur in relatione paternitatis, vt inter ipsam, quatenus exercet munus constituendi, & quatenus exercet munus referendi, cadat conceptus alius secundùm rationem intermedius, nempe conceptus generationis, ita vt paternitas, vt constitutiua, seu vt exercens munus constituendi, sit prior generatione Filij, vt verò exercet munus referendi, sit posterior, quod voluit D. Th. hoc loco, & alijs cit. Et ratio est, quia omnis productio supponit principium, à quo iam cõstitutum, principium autem generationis est persona Patris constituta sua proprietate personali, quæ est relatio paternitatis, & sic hæc relatio, vt cõstitutiua Personæ Patris, est prior secundùm conceptum ipsa generatione; è contra verò, vt exercens munus referendi, & distinguendi, est posterior; quia hæc relatio, vt exercens tale munus, fundatur in generatione. Omnis autem relatio, quæ fundatur in actione, & passione, est posterior actione; atque ex hoc oritur, vt præcipua difficultas huius art. sit solũ de relatione paternitatis, non autem de alijs; nam licèt filiatio habeat etiam illa duo munera, scil. constituere, & referre, & idem dico de relatione spirationis passiuæ, & similiter prius sit constituere, quàm referre; tamen omni modo ipsa est posterior generatione, cùm tam vt constitutiua, quàm vt relatiua sit terminus ad quem generationis; & nullo modo sit principium illius, sicuti est paternitas respectu eiusdem generationis.

Paternitas vt constitutiua est prior generatione actiua;

1406 *Omnis relatio, quæ fundatur in Actione, & passione est posterior actione.*

Vnde etiam oritur, quòd si comparetur paternitas ad filiationem, paternitas, vt constitutiua Patris, seu vt exercens munus constituendi, sit prior secundùm intellectum filiatione, vt constitutiua Filij; sicuti principium est prius suo principiato; & quia paternitas, vt constitutiua supponitur à generatione, ipsa vero generatio supponitur à filiatione etiam, vt constitutiua Filij, consequenter filiatio, vt cõstitutiua Filij est posterior paternitate, vt cõstitutiua Patris.

Paternitas, vt constitutiua Patris est prior secundum intellectu Filiatione.

At verò paternitas, vt exercens munus relationis, seu referendi est omninò simul cum filiatione, vt exercente munus referendi, nam vtraque in tali munere exercendo supponit, & est posterior generatione, & sic correlatiua, vt correlatiua sunt simul cognitione, & natura, & hoc idem accideret in creatis relationibus, si in homine v. g. relatio paternitatis esset constitutiua personæ Patris, & filiatio personæ Filij: sed hoc proprium est relationum Diuinarum personalium propter identitatem cum essentia diuina, quę est prima radix omnium harum perfectionũ.

1410 *Quæres.*

Dices, hæc duo, quæ reperiuntur in relatione personali, sunt ne duæ perfectiones ratione distinctæ, scil. constituere, & referre, ita vt secundum vnam rationem, & perfectionem constituat, & secundam aliam referat?

Resp. sicuti esse relationem, & esse talem relationem, & esse formam hypostaticam, & talem formam hypostaticam; & esse constitutiuum, & tale constitutiuum, sunt rationes distinctæ, sicuti ratio communis analoga, & sua differentia analoga; ita in relatione diuina personali, distinguuntur aliquo modo esse formam hypostaticam, & constitutiuam personæ in communi, & esse tale constitutiuum; Sed si loquamur determinatè, & in particulari de relatione diuina secundum suam vltimam differentiam, secũdùm quam est tale constitutiuum, & tale relatiuum. Et quæramus, vtrum secundum diuersam rationem, & perfectionem, constituat relatio hæc hanc personam, & secundum aliam referat; dico non esse duas perfectiones, sed vnam exercentem duo munera scil. constituere, & referre, quæ munera in creaturis à diuersis perfectionibus exercentur; ita vt secundum eamdem vltimam differentiam suam indiuisibiliter, & simplicissimè acceptam, paternitas sit constitutiua, & relatiua ratione suæ essentiales perfectionis, ita vt esse talem formam hypostaticam; & esse realẽ relationem in paternitate non sint duæ perfectiones, sed duo munera, eiusdem perfectionis; sicuti accidere solet in relationibus transcendentalibus creatis, v. g. in vltima differentia substantiali constitutiua materiæ primæ, esse talem vltimam differentiam substantialem constitutiuam substantiæ talis, & esse essentialiter ad formam substantialem, non sunt duæ perfectiones ratione distinctæ, sed vna, & eadẽ exercens duo munera, & sic de alijs similibus.

Resp. non esse duas perfectiones, sed duo munera ab eadem perfectione exercita. scil constituere, & referre.

Et ratio est, quia si in paternitate vna esset perfectio, per quam constituit personam Patris, ratione distincta ab ea perfectione, per quam refert eamdẽ personam ad Filium, tunc vel illa perfectio, per quam constitur persona Patris, vt sic, esset perfectio absoluta, seu prædicatum absolutum formaliter, vel esset relatiuum, & relatio, vel præscindens; si primum iam incideremus in prædicta superiùs absurda; sic enim personæ constituerentur per proprietates absolutas formaliter. Si secundum, ergo non distingueretur à relatione; Si tertium sequeretur, quod constitueret personam præscindentem ab absoluta, & relatiua, & sic non constitueret personam determinatam, & particularem, de qua loquimur, & multa alia sequerentur absurda, & hoc ipsum est, quod hoc loco quærimus, an relatio diuina constituat personam, vt relatio; & quomodo, congruentius ergo dicitur, quòd constituere, & referre in paternitate determinatè personam Patris, non sit duæ perfectiones, sed duo munera eiusdem simplicissimæ perfectionis; ita tamen, vt priùs intelligatur exercere munus, quàm aliud, & vt exercens vnum munus, sit secundùm rationem prior seipsa, vt exercente aliud modo explicato.

1411 *Ratio est, quia si essent duę perfectiones, tunc constitutiua Patris esset absoluta, quod est falsum.*

His ita declaratis, vt proximè ad difficultatem accedamus, cum relatio paternitatis non constituat personam, vt exercens munus actuale referendi, & distinguendi, sed vt sic supponat personam constitutam, & sit ratione posterior generatione, dici rectè potest, quod relatio, vt relatio, in actu exercito non constituit personam, est posterior generatione, cùm verò eadem relatio constituat personam, vt exercens munus formæ hypostaticæ constitutiuæ, seu vt forma talis hypostatica, hoc autem illi conueniat ratione suę vltimæ differentiæ, vt talis relatio est, & consequenter constituat aliquam personam aliquo modo, etiam vt talis relatio, dici etiam rectè potest, quod relatio constituat personam, vt relatio est in actu signato solum, & sic aliquo modo constituit, vt relatio, & aliquo modo non cõstituit, vt relatio; quod erat positum in nostra Concl.

1412 *Corollarium. Paternitas secundum munus referendi est posterior generatione actiua.*

Dicitur autem relatio constituere, vt relatio est in actu signato, quia in illo priori signo, ex quo intelligitur constituere personam, & antecedere generationem, concipitur verè, vt relatio, & exprimitur, vt relatio, quamuis non intelligatur, neque possit exerceri munus relationis pro illo signo, sed solum munus constitutionis, cùm prius sit in ipsa constituere, quã referre; Sed satis sit, si intelligatur exercere munus referendi pro alio signo, in quo apta est referre, vt fusiùs mox explicabimus; & sic dicitur relatio constituere, vt relatio, in actu signato, non autem, vt relatio in actu exercito: quod fortè voluit Caiet. dũ docuit, relationem, vt conceptam constituere, non autem, vt exercitã; in hoc enim sensu potest admitti eius doctrina.

1413 *Relatio constituit personam vt Relatio est in actu signato non in exercito*

In hoc tamen sensu omninò loquutus est D. Thom. cum enim docuit, relationem, vt relationẽ, esse posteriorem generatione vt sic, non constituere personam, loquitur de relatione, vt relatio est in actu exercito, sic enim absolutè retinet suum proprium nomen, cum verò etiam docuit, relationes constituere personas, vt tales relationes sunt, & in sensu formali, loquitur de relatione in actu signato, quod iam explicari solet ijs vocabulis, nempe cùm dicitur, quod relatio, vt forma hypostatica, & per se subsistens constituit personam,

1414 *In hoc sensu loquutus est D. Th. cùm docuit Relationẽ esse posteriorem.*

Sic demum etiam patet ad omnes rationes dubitandi in hac materia, iam enim ex vna parte cõcedimus relationem paternitatis non constituere personam Patris ratione alicuius perfectionis absolutæ, aut præscindentis ab absoluto, & relatiuo, sed ratione suæ vltimæ differẽtię, qua talis relatio est, ratione cuius habet formaliter, vt sit forma hypostatica per se subsistẽs, & cõstitutiua, atq; adeo, vt relatio est, in actu

Soluuntur omnes dubitationes suprapositæ.

tamen signato, quia nō exercet munus referendi pro eo signo, sed constituendi, & vt sic præcedere generationem; ex alia verò parte, eamdem relationem, vt exercentem munus referendi præcisè, dicimus esse posteriorē generatione, & nō constituere, vt sic personam, sed solùm referre, & distinguere.

1415 1. Obiectio. Arg. 1. quod argumentum est ferè vnicum, & maximum in hac materia, ex cuius solutionis defectu auctores in tam varias sententias diuisi sunt, nam de essentia relationis, vt relatio est, est referre, ita vt implicet contradictionem, concipi relationem, vt relatio est, & non concipi referre ad aliud, vt per se omninò notum esse debet; sicuti implicat concipi hominem, & non concipi, vt rationale, & sic de alijs; si ergo relatio, vt relatio constituit, & in eo priori, in quo intelligitur constituere, constituit, & concipitur vt relatio, quantumuis in actu signato necesse est, vt in illo priori intelligatur, vt referens ad aliud, nam sine hoc non concipitur relatio, vt relatio; vnde videtur sequi, quod relatio, etiam vt referens, sit prior generatione, & quod etiam relatio in actu exercito constituat.

Resp. in eo priori, in quo relatio constituit, n. potest intelligi referre pro eodem signo originis, sed in posteriori.

Resp. conc. Antec. & dist. Conseq. necesse est, vt in eo priori, in quo intelligitur constituere, intelligatur referre, pro eo etiam priori, nego; intelligatur referre pro eo posteriori, pro quo apta est referre, conc. itaque si illa particula, in eo priori, coniungatur cum particula illa, intelligitur, vt sensus sit, in quocumq; priori est cognitio relationis, relatio cognoscitur, vt referens, vera est propositio. Si verò in eo priori coniungatur cum relatione, & veluti cum prædicato propositionis, vt sensus sit, in eo priori, in quo intelligitur relatio, intelligitur, vt referens etiam pro eo priori, vel in eo priori falsa est propositio .n. Et

1416 *Ratio est, quia est de essentia relationis referre in Deo, sed non pro omni signo originis.*

ratio est, quia est quidem de essentia relationis diuinæ referre, sed non est de eius essentia, vt intelligatur referre pro quocumque signo, quo est eius intellectio, sed pro eo signo, quo apta est referre; cum ergo ipsa sit constitutiua & relatiua, sed priùs ratione exerceat primum munus, quàm secundum, necesse est, vt in eo priori, quo intelligitur exercere primū munus, intelligatur quidem exercere secundum, sed non pro eo priori, sed pro alio signo, vt seruetur ordo supra explicatus inter hęc duo munera. Multa vero huic similia in hac materia de Trinit. supra diximus, ex quibus maximè explicari, & confirmari potest præsens doctrina; supra enim diximus, quod in quocūque priori signo intelligatur cognitio Patris, qua Filium producit, intelligitur etiam Spiritus S. & creaturæ, &c. sed non intelligitur Spiritus S. vt in eo priori signo existens, sed vt in suo posteriori, & sic de alijs cum eo ordine, quem habent ad inuicem, quare circa hoc nihil vlteriùs est addendum.

1417 2. Obiectio. Arg. 2. Primus conceptus essentialis relationis, inquantū relatio est, est referre, ergo si Pater constituitur per relationem, vt relatio est, constituitur per illā primo, inquantum relatus, & consequenter Pater, vt relatus, est prior generatione, & relatio, vt relatio in actu exercito erit constitutiua personæ.

Resp. Primum conceptum diuinarum personalitatū, est constituere personas.

Resp. si loquamur de relationibus diuinis personalibus, neg. Antec. primus enim earum conceptus est substantialiter constituere personam, vt supra probauimus, quamuis includatur etiam secundus conceptus referendi in illo primo, sed includatur, vt exercitur pro suo signo posteriori, vt vidimus, maximè quia illa prioritas solùm est à quo, atque ita in quocumque signo concipiatur primus conceptus, concipitur etiam secundus, cum suo tamen ordine ad primum, & pro suo signo posteriori, atque ex his facile soluūtur alia similia.

1418 *1. Corollarium Differētia inter Paternitatem, & relationem spirationis explicatur.* Ex quibus primò patet differentia inter paternitatem, & relationem Spirationis, prout est in Patre, quamuis enim vtraque in hoc conueniat, quod vt exercens munus referendi, est posterior actu notionali sibi correspondente, & in quo fundatur, vt vidimus, tamen cum relatio spirationis actiuæ non sit constitutiua personæ, neque principij, quod, sicuti est paternitas, ideo non potest dici, quod ipsa, vt constitutiua personæ, præcedat actum notionalem spirandi, in quo maximè differt à paternitate, & à filiatione, quæ etiam præcedit actum notionalem spirandi; conuenit etiam eadem relatio spirationis actiuæ cū paternitate in eo, quod sicuti paternitas, vt constitutiua personæ Patris est prior generatione, ita relatio spirationis, vt constitutiua principij, quo, vt supra docuimus, præcedit actum notionalem spirandi.

Secundo patet solutio ad argumenta proposita à D.Th. in hoc art. præsertim ad illud, quo scil. sensu vera sit ea propositio, Pater ideò est Pater, quia generat, & è contra, ideo generat, quia est Pater, prima .n. vera est, si reduplicet paternitatem, vt exercet munus referendi; secunda vera est, si reduplicet paternitatē, vt exercet munus constituendi, alia vero faciliora sunt, quomodo autem potius relatio, quàm origo constituat personas primo, & distinguat, commodius dicetur art. 1. sequentis quæstionis. 1420. *2. Corollarium explicatur quomodo verè dicatur, Pater ideò est Pater, quia generat.*

QVAEST. XLI. D. Th.

De personis in comparatione ad actus notionales.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum actus notionales sint attribuendi personis.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

Conclusio est affirm. Prob. illa, sine quibus non potest conueniente: designari ordo originis, qui reperitur inter diuinas personas; debent personis diuinis attribui: in diuinis enim personis attenditur ordo secundùm originem: Sed absque actuum notionalium positione non potest conuenienter designari ordo originis, secundùm quem attēditur distinctio in diuinis personis: origo .n. conuenienter designari non potest, nisi per aliquos actus. ergo.

Arg. 1. omnia prædicamenta, cùm de Deo dicuntur, spectant ad eius substantiam pręter relatiua: ex Boet. lib. de Trin. sed actus notionales spectant ad pręedicamentum actionis, quod est aliud à relatione. ergo. Resp. dist. mi. actus originis, qui Deo attribuuntur, secundum quos creatura ab ipso procedit, vt actus creandi: &c. conced. actus; qui significant ordinem originis, quo vna persona ab alia procedit, vt generare, &c. neg. mi. isti actus sunt notionales, & spectant ad prædicamentum relationis.

Arg. 2. ea, quę spectant ad diuinam substātiam, significantur per essentialia attributa: quę verò spectant ad relationem, significantur per nomina personarum: ergo superfluunt actus notionales. Resp: neg. conseq. nā actus notionales, sunt ipsęmet relationes, differunt tantùm ab eis, secundum modum significandi, nam actus notionales significant habitudines ipsas per modum actus; proprietates verò per modum relationis. Cum intellectus noster non potest intelligere diuina nisi ex rebus creatis; & in generatione creaturarum illa duo reperiuntur. s. motus; & habitudo. ideò &c.

Arg. 3. in eo, in quo ponuntur actiones, debent poni passiones sed in Deo non ponuntur

nuntur passiones; ergo. Resp. dist. ly actiones; nam actio potest dupliciter sumi. & prout importat originem motus, & sic infert passionem, sed hoc modo non est in Deo. secundo modo, vt significat habitudinem agentis ad passum; & sic ponitur in diuinis, & non infert passionem, nisi tantùm grammaticaliter.

DISPVTATIO. CCXIII.

An actus notionales sint attribuendi personis.

1420 Sensus Tituli explicatur.

CVM personæ diuinæ constituantur, & distinguantur relationibus, & aliquo modo originibus, vt hucusque docuerat D.Th. videri potuisset alicui superfluũ ponere præterea actus notionales ad constitutionem, & distinctionem personarum, propterea de hac re agit breuiter hoc art. & aliqua etiam alia in sequentibus art. quærit circa eosdem actus notionales.

Explicatur quod sit Relatio, Origo, & Actus notionalis.

Respondet ergo hoc art. necessariò tribuendos actus notionales personis diuinis. Pro cuius intelligentia recolenda sunt ea, quæ sparsim sæpè supra dicta sunt circa horum nominum significationem, nempè relatio, origo, & actus notionalis; actus enim notionales significat productiones ipsas personarum ad intra, nempe generare, & generari, spirare, & spirari; primò modo dicitur actus notionalis actiuè significatus, secundo modo passiuè; dicuntur autem notionales, quia connotant notiones personarum, quibus, tanquam distinctæ personæ innotescunt.

1421 Origo accipi potest largo modo dupliciter, vel per modũ actus; vel per modũ formæ quiescentis.

Origo autem potest accipi largo modo dupliciter primò vt significata per modum actus, & operationis, & sic generare, & generari est origo Filij, illa actiuè, hæc passiuè, & sic de alijs, quo pacto origines non distinguũtur ab actibus notionalibus; secundo per modum formæ quiescentis, & principij à quo, vel termini ad quem, is enim, à quo alius producitur, dicitur origo actiua illius, ex quo scil. alius oritur, & is, qui ab alio producitur, dici potest origo passiua alterius, seu ab altero, quasi ortus ab illo, & sic origo in Patre respectu Filij, est ipsa relatio Paternitatis. quatenus ratione suæ vltimæ differentiæ habet constituere talem personam, quæ sit principium alterius per generationem, & origo passiua respectu Filij est ipsa Filiatio, quatenus constituit personam, quæ sit terminus talis generationis.

1422 Origo actiua Patris, vt forma quiescentis, est Paternitas, in Filio, Filiatio &c.

Origo verò actiua Patris, & Filij in ordine ad Spiritum Sanctum est ipsa relatio spiratoris, quatenus constituit principium quo, respectu spirationis, & connotatur etiam relatio Patris, & Filij, vt pertinentes ad constitutionem personarum, & principij, quod, hoc ergo pacto origo non distinguitur ab ipsis relationibus Personarum; demum relatio significat ipsasmet relationes, & proprietates, siue personales, siue Personarum per modum formæ quiescentis, siue hæ constituant personas, & referant, & distinguant, siue non constituant, vt relatio spiratoris; atque hæc semper in promptu esse debent circa hæc vocabula.

Ratio Concl. quia in diuinis attenditur distinctio secundùm origines.

His positis statim apparet vis D. Thom. ad probandum, quòd necessariò sunt attribuendi actus notionales personis diuinis ex illo ipso principio, ex quo videri possunt superflui; ratio autem D. Thom. est huiusmodi. In personis diuinis attenditur distinctio secundùm originem, origo autem non potest designari conuenienter, seu determinari, & explicari, nisi per aliquos actus, qui actus necessariò erunt actus notionales, intelligit autem D. Thom. per originem, eam, quæ significatur per modum principij, & termini, vt explicatum est, quod constat ex duplici capite.

Origines per modum viæ sũt ipsi actus notionales.

Primò, quia origo significata per modum operationis, & viæ sunt ipsi actus notionales, quarè D. Thom. probaret idem per idem, si ex originibus hoc modo acceptis inferret necessitatem actuum notionalium, vt per se patet. secundò quia cùm absolutè dicat D. Thom. quòd in personis diuinis attenditur distinctio secundum originem, necesse est, vt per originem intelligantur relationes, vt distinctiuæ, & constitutiuæ, modo singulis proportionato, atque adeo origines secundo modo acceptæ enim sæpè supra docuerit, personas diuinas non distingui primò per actus notionales, aut per origines, prout idem sunt cum actu notionali, sed per relationes.

1423 Origo per modũ principij, & termini explicatur per aliquos actus

Posito autem, quòd hic accipiatur origo per modum principij, & termini, statim etiam apparet veritas alterius propositionis, quòd origo modo explicato non possit conuenienter designari, nisi per aliquos actus, si enim Pater est principium Filij, & eius origo, necesse est, vt per aliquem actum, & productionem sit eius principium, & sic etiam de spiratore respectu spirati; & similiter constat veritas vltimæ propositionis, quòd sint hi actus, sine quibus non conuenienter, seu sufficienter explicatur origo, necesse est, vt sint actus notionales; sunt enim actus, qui connotant notiones personarum, & sic constat vis rationis D. Thom. breuiter ab ipso allatæ.

Intelligere, & velle absolutè, in Deo nõ sunt actus notionales.

Ex his colligitur, cur in Deo intelligere, & velle absolutè, & præcisè considerata non sint actus notionales, quamuis enim connotent Deum per modum principij intellectiui, & volitiui, quia tamen non magis conueniunt vni Personæ, quàm alij, atque adeò non magis significent vnam, quàm aliam, ideò non dicuntur actus notionales, sed essentiales, at verò dicere, seu generare, & spirare dicuntur actus notionales propter diuersam rationem: similiter in operationibus ad extra, licèt creare v. g. connotet Deum per modum principij creatiuũ, quia tamen hoc est commune tribus personis, ideò non est actus notionalis, vt colligitur in responsione ad 1.

DVBIVM VNICVM.

An Relationes, & Actus notionales distinguantur in Deo, & quomodo.

1424 *Sensus difficultatis explicatur.*

CIrca hunc art. aliquæ difficultates breuiter examinari possunt, prima desumitur ex D. Th. ad 1. an se relationes, & actus notionales distinguantur ab inuicem, & quomodo; possunt autem actus notionales accipi actiue, & passiue, vt generare & generari; quod autem dicetur de his, dicetur proportionaliter de alijs; possunt præterea dupliciter comparari ad relationes, primo vt generare, seu generatio actiue, comparetur ad paternitatem, & generari, seu generatio passiue, comparetur ad filiationem.

Actus notionales dupliciter comparantur ad Relationes, primò.

Secundò generare comparatur ad filiationem; & generari ad Paternitatem.

Secundo è contra, vt generare comparetur ad filiationem, & generari ad Paternitatem, & quidem D. Th. solùm primo modo comparauit hoc loco actus notionales cum relationibus, & docet, generationem actiuam solùm distingui à paternitate secundùm modum significandi, & similiter generationem passiuam à filiatione, & idem dicendum est de relatione spiratoris respectu spirationis actiuæ, & de relatione spirati respectu spirationis passiuæ, seu processionis, in qua doctrina D. Thomæ duo continentur; primum, quod generatio actiua sit omnino idem realiter cum paternitate, secundùm quod distinguatur ab illa secundùm modum significandi, & sic de alijs. Et ratio vtriusque est, quia generatio actiua debet esse aliquid, quod se teneat ex parte agentis, & principij, vnde non potest distingui realiter à paternitate, alioqui esset ipse Filius, & eius filiatio; vndè sequeretur, quod sicuti Filius dicitur actiue procedere per generationem actiuam, ita dici posset actiuè procedere per suam filiationem, quod est absurdum, atque hæc est ratio primi dicti.

Generatio actiua est omninò idem realiter cum Paternitate, quia se tenet ex parte agentis.

Distinguitur verò secundùm modum significandi, quia significant per modum actus secundi.

Secundi vero ratio est, quia paternitas in Deo, per quam Pater constituitur in ratione talis personæ, & principij, quod, potest significari dupliciter, primo per modum formæ quiescentis, vt sæpe vidimus. Secundo per modum actus secundi, vt se tenet ex parte operantis, primo modo dicitur relatio, Paternitas, & forma hypostatica. secundo modo dicitur actus notionalis actiue, & sic secundum modum significandi differunt, paternitas, & generatio actiuè, sicuti intellectus, & intellectio in Deo, & idem proportionaliter dici debet de alijs relationibus, & actibus notionalibus secundùm ordinem supra positum.

Arg. 1. contra primum dictum D. Thomæ. Si licet

ex rebus

vt rebus creatis argumentari, vt facit ipsemet D. Th. hic ad 2. videtur, quod generatio actiua sit idem cum paternitate, sed potius cum Filio, & filiatione, quæ est terminus, ad quem generationis: nam calefactio v. g. & sic de motibus cæteris, non identificatur cum principio calefaciente, sed cum calore producto, & motus localis non identificatur cum causa mouente, sed vna, & eadem motio dicitur actio, inquantum est ab agente, & dicitur passio, inquantum est in passo; eodem ergo modo processio Filij vna, & eadem prorsus secundum rem, vt est à Patre, poterit dici generatio actiua, & vt est in Filio generatio passiua, ita vt secundum id, quod dicit in recto, distinguatur realiter à paternitate, licet in obliquo dicat ipsam paternitatem.

Resp. secundũ D. Thom. actio non est aliquid extra agens, si actio sumatur in recto.

Resp. hanc rem esse meram quæstionem philosophicam, & solum de nomine, & est coniuncta, aut fere eadem cum illa, de qua in physicis, an scil. causalitas sit aliquid in causa, vt connotat effectum, an sit aliquid in effectu, vt connotat causam, certe D. Thom. existimauit motionem, seu effectionem, aut productionem cuiuscumque rei, prout significatur actiue, & vocatur actio, non esse secundum id, quod dicit in recto, aliquid extra agens, seu realiter distinctum ab agente, sed esse ipsum principium agendi, inquantum est origo, vnde actu exit operatio, v. g. calefactio actiue significata, inquantum actio, secundum id, quod dicit in recto, non est secundum ipsum operatio ipsa caloris recepta in ligno, inquantum connotat agens, vt multi volunt, & supponit argumentum.

1426 *Actio formaliter est origo motus, non ipse motus secundum D. Th.*

Sed est ipsa vis caloris agentis, inquantum est origo, vnde actu exit motus, & effectus, vt constat maxime ex hoc loco cit. ad 2. vbi sic habet, *actio, secundum primam nominis impositionem, importat originem motus: sicuti enim motus, prout est in mobili ab aliquo, dicitur passio, ita origo ipsius motus, secundum quod motus incipit ab alio, & terminatur in id, quod mouetur, dicitur actio*, &c. hinc ergo constat ex verbis cit. quod actio est origo motus, non ipse motus, secundum D. Thom. Vnde secundum ipsum notissimum est illud, quod creatio actiue est ipse Deus, seu eius essentia, potentia, voluntas, &c. licet passiue sit ipsa creatura; & sic de alijs, hoc ergo modo similiter hic dixit, quod generatio actiue sit ipse Pater, passiue vero sit Filius, licet in diuinis non sit vera passio, sed solum grammaticaliter, vt ipse etiam aduertit hic ad 3.

1427 *Si actio sumatur pro vt recipitur in passo, in hoc sensu potest dici, quod generatio actiua distinguatur realiter à Paternitate.*

Ad arg. ergo. Resp. Nihil aliud ex illo inferri, nisi quod si aliquis nomine actionis, aut cuiusuis productionis actiue significatæ intelligere velit ipsam operationem receptam in passo, aut identificatam cum termino ad quem, vt connotat in obliquo agẽs, sine vllo errore dicere posset, quod generatio actiua secundum id, quod dicit in recto, distinguitur realiter a paternitate, & identificatur cum filiatione, & solum est idem cum paternitate secundum id, quod dicit in obliquo, cum nihil aliud sit generatio actiua hoc modo, nisi ipsa generatio passiua, seu natiuitas Filij, vt connotat in obliquo principium, à quo est, & consequenter dicere posset, quod intellectio notionalis, vt est in Patre identificata cum paternitate, non est generatio, neque actiua, neque passiua, sed principium generationis, cum generatio sit aliquid in Filio, nempe eius natiuitas.

Hæc doctrina nullo modo præiudicare debet doctrinæ D. Th.

Neque tamen ex hoc vllo modo præiudicari deberet doctrinæ D. Thom. in hac quæst. de nomine, sed potius approbari, vt congruentior, iuxta doctrinam Magistri ab eo cit. & aliorum communem, vt bene aduertit Suar. lib. 6. de Trinit. cap. 1. nam re vera principium operationis alicuius, potest concipi sub duplici veluti conceptu, & formalitate, primo inquantum ex ipso aptus est sequi aliquis effectus, & sic retinet nomen principij. Secundo, inquantum habet actu motum, vel operationem, vel terminũ à se prodeuntem, & sic recte potest dici actio, & operatio actiue, sic ergo generatio actiua erit secũdum id, quod dicit in recto ipsa origo, quæ est in Patre, vnde actu Filius procedit, & sic Pater poterit dici genitor actu secundum id, quod generatio dicit in recto, etiam per denominationem intrinsecã, sicuti Filius dicitur genitus per similem denominationem, quod tamen non contingeret in priori sententia, & multa similia in fauorem D. Thomæ, quiuis in hac re inuenire poterit.

1428 *2. Obiectio.*

Arg. 2. Generatio etiam actiue significata, est ipse actus increatus diuinę, & paternæ intellectionis, vt connotat paternitatem; vnde habet, vt sit actus notionalis; cur ergo potius generatio dicitur esse ipsa paternitas, quam dicatur esse ipsa intellectio Patris? imo potius videtur dicendum hoc secundum, videtur enim, quod in recto sit ipsa intellectio, & in obliquo sit Paternitas, quare potius primo modo deberet dici, quam secundo.

Resp. generationem actiuam identificari nõ solum cum Paternitate, sed etiam cum cognitione.

Resp. Sine dubio generationem actiuam identificari non solum cum paternitate, sed etiam cum cognitione, & omnibus alijs prędicatis, quæ sunt in Patre; & verissimum etiam est, quod generatio actiua, vt est actus notionalis, includit essentialiter, & in recto paternam intellectionem; sed potius generatio dicitur esse ipsa paternitas, quam dicatur, esse intellectio, aut essentia Patris, quæ est principium, quo, generandi, duplici ex causa, primo quia D. Th. considerauit id, cum quo actus notionales sunt omnino idem, vnde expresse posuit particulam illam, omnino id est adæquate idem.

1429 *Generare non potest esse idem adæquatè cum essentia.*

At vero actus notionalis actiue acceptus, vt generare, non potest esse adæquate, & omnino idem cum essentia, aut intellectione Patris, alioqui deberet identificari cum omni eo, cum quo identificatur essentia, vel intellectio diuina, hoc enim est esse idem adæquate, & sic generare actiue esset etiam in Filio, igitur generatio actiua, seu origo actiua cum sola paternitate omnino est idem, & generatio passiua, seu natiuitas cum sola filiatione, omnino est idem, & spiratio actiua cum sola relatione spirationis, & spiratio passiua cum sola relatione spirati, & eodem modo dici posset, quod potentia generatiua in Patre cum sola paternitate est omnino idem, &c.

Generatio potius dicitur ipsa Paternitas, quàm essentia.

Præterea secundo generatio potius dicitur esse ipsa paternitas, quam intellectio, vel essentia diuina, quia intellectio vt sic, non habet conceptum, neque nomen generationis, neque actus notionalis, nisi vt identificata paternitati, tanquam proprio determinatiuo ad hunc conceptum habendum, & exercendum munus generationis, & præterea ipsa secundum se præscindit à paternitate. At vero paternitas includit ipsam, vt alibi ostendimus: recte igitur propter hoc vltimum determinatiuum dicitur, quod generatio actiua est ipsa paternitas, potius quam intellectio, sine dubio tamen dici potest esse ipsa Patris intellectio, vt identificata tamen paternitati, & similiter in Filio nihil est, quod habeat rationem passiuę natiuitatis, & quod dici possit nasci, nisi vt identificatum filiationi, & propterea natiuitas dicitur esse ipsa filiatio, & sic de alijs actibus notionalibus.

1430 *Constitutum ex Intellectione, & Paternitate, non dicit in obliquo Paternitatem.*

Ad Confirm. vero positam in arg. Respond. quod quamuis intellectio essentialis, vt intelligatur esse notionalis, debeat connotare in obliquo paternitatem, cum ipsa non sit formaliter paternitas, tamen constitutum ex ipsa, & paternitate, non dicit in obliquo paternitatem, sed maxime in recto, sicuti ad hoc, vt animal habeat conceptum hominis, debet connotare in obliquo rationalitatem, homo autem non dicit in obliquo rationalitatem, potest etiam dici, quod actus notionalis specificatiue acceptus dicit in recto actum essentialem, à quo connotatur in obliquo relatio, at vero actus notionalis reduplicatiue dicit in recto vtrumque, sed maxime in recto dicit relationem, cum qua est idem omnino, & adæquate secundum rem, & differt solum secundum modum significandi, quatenus relatio significatur per modum formæ quiescentis, & actus notionalis per modum cuiusdam progressus ex alio, vel in alium.

1431 *3. Obiectio.*

Arg. 3. saltem non videtur ratio D. Th. sufficiens ad probandũ, quod actus notionalis sit relatio, quia

scil.

scil quoties inter agens,& patiens, etiam loquendo de creaturis, non intercedit motus physicus propriè dictus, tunc actio nihil est aliud, nisi relatio agentis ad passum, & passio nihil est aliud, nisi relatio passi ad agens, vnde non est; saltem communiter, admissa ea doctrina D. Th. quod creatio actiuè sit relatio rationis Dei ad creaturam.

Resp. esse disparem rationem de actione prout in creaturis, & pro vt in Deo.

Resp. hanc etiam phylosophicam quæstionem nihil derogare doctrinæ D. Th. in hac materia; quamuis enim in creaturis, vbi non intercedit motus, actio non esset sola relatio, tamen in Deo ita esset; & ratio disparitatis esset; quia cum actio dicat in recto originem actiuam rei productæ; nulla autē origo actiua in creaturis sit relatio, scil. prædicamentalis; quæ non constituit principium agendi, sit autem maxime in Deo, hinc in Deo rectè dici potest actio esse relatio originis, &c. vt fatetur D. Th. Neque verò eius doctrina phylosophica in hac re, si rectè intelligatur, est vllo modo repræhendenda, sicuti repræhenditur a multis, qui male intelligitur; neque enim D. Th vult, quod quando inter effectum, & causam non intercedit motus propriè dictus, actio nihil omnino aliud sit, nisi relatio rationis, aut prædicamentalis, sed quod præter originem actiuam, & potentiam agendi, quam dicit in agente actio, nihil aliud sit in re ipsa, nisi ordo, seu relatio agentis ad passum, nullum motum includendo; quod verissimum est. Et sic intelligit, cum dicit, creationem actiue esse relationem ad creaturas, quod cōstat ex eo, quod sępe ipse docet, nempe creationem actiuam, esse ipsam essentiam diuinam, igitur non est sola relatio rationis, nisi modo explicato; rectè igitur dici potest, etiam ex analogia ad creaturas, quod generatio actiua in Patre, inter quem, & Filium nullus motus intercedit, sit ipse ordo Patris ad Filium, non excludendo omnia alia, quæ pertinent ad originem actiuam, maxime cum relatio in casu nostro pertineat ad hanc originem actiuam, vt vidimus supra.

1432 *4. Obiectio.*

Arg. 4. contra secundùm dictum D. Th. si generatio in Patre nihil aliud esset, nisi ordo originis ad Filium, & generari in Filio ordo Filij ad Patrem, &c. nulla videtur esse necessitas ponendi actus notionales distinctos, etiam secundùm modum significandi ab his ordinibus.

Resp. Origines nō possunt explicari nisi per quosdā actus.

Resp. ex eodem D. Th. hoc loco, fuisse hanc necessitatem, quia non possunt congrue origines explicari, maximè in ordine ad ea, quæ nobis nota sunt, & quibus sumus assueti, nisi per quosdā actus secundos productionis actiuæ, & passiuæ, & sic necesse fuit explicare originem actiuam per actū generandi, & passiuam per actum nascendi; cum tamen postea quæritur, quid sit hic actus generandi, & nascendi, rectè dicitur, esse ipsa Paternitas, & filiatio significata per modum actus secundi.

1433 *5. Obiectio.*

Arg 5. si necessarium est, has actiuas, & passiuas origines significari per modum actus secundi sequitur, quod generatio actiua, prout realiter distinguitur à passiua, deberet significari, sicuti vere significatur per modum actus procedentis à Patre, vt à principio, hic ergo actus deberet realiter distingui a Patre, vt procedens ab eo, a quo procedit, & sic non esset idem realiter cum Patre, & sic de alijs.

Resp. neg. consequ.

Resp. neg. sequelam, sed sufficit, si quemadmodum generatio actiua solùm secundùm modū intelligendi distinguitur à Paternitate, ita solum secundum modum intelligendi, seu secundùm rationem tantum intelligatur procedere, & distingui ab illa, & sic etiam filiatio a generatione passiua, & sic de alijs, atque hæc circa primam quęstiunculam.

1434 *Petes.*

Petes *An generatio actiua distinguatur realiter à generatione passiua, & sic de alijs?*

Resp. Generationem actiuā distingui realiter à passiua.

Sed ad hoc facilis est responsio ex dictis, nam in doctrina D. Thomæ debent distingui realiter, sicut paternitas, & filiatio; & ratio est, quia generatio actiua est omnino idem cum paternitate, idest adęquate, igitur debet identificari cum omni eo, cum quo identificatur paternitas, & realiter distingui ab omni eo, à quo paternitas realiter distinguitur, hoc enim est esse omnino idem realiter, cum ergo paternitas identificetur cum omnibus prædicatis Patris, & distinguatur realiter à filiatione, idem dici debet de generatione actiua. Neque hic est maior aliqua difficultas preter illas, quas posuimus, & soluimus agentes de identitate relationum cum essentia diuina communi, & reali distinctione ab inuicē; si quis autem existimaret, actionem, & passionem non distingui secundum id, quod dicunt in recto, atque adeo in casu nostro generationem esse ipsam natiuitatem, vt connotat in obliquo principium a quo est, dicere posset consequenter generationem, & natiuitatem non distingui realiter secundùm id, quod dicunt in recto, sed hoc nihil obest maximè probabili doctrinæ D. Th.

Demum applicando prædicta ad processionem Spiritus Sancti, dici debet quòd actus notionalis spirationis actiuæ identificatur omnino, & adæquatè cum relatione spiratoris, quatenus constituit principium, quo, & quia hæc relatio identificatur cum Patre, & Filio, ideo hic actus identificatur etiam cum Patre, & Filio, eo modo, quo identificatur essentia diuina cum vtroque, similiter actus notionalis processionis passiuæ identificatur adæquatè cum relatione Spiritus Sancti, &c. 1435

1435 Corollarium. Actus notionales spirationis actiuæ identifica ri realiter cum relatione spiratoris.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum actus notionales sint voluntarij.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

PRima Conclusio. Si sermo sit de voluntate concomitante, potest dici, quod Pater genuit Filium voluntate. Quia sicut possumus dicere, quòd Pater voluntate est Deus; quia vult se esse Deum: ità possumus dicere, quod Pater voluntate genuit filium; quia vult se generare filium. Secunda Conclusio, Pater non genuit filium voluntate principiante, sicut dicitur quod artifex operatur sua voluntate, quia voluntas artificis est principium operis. Quia ea, quæ procedunt ab aliquo voluntate principiante possunt sic, & aliter esse, ac fieri.

Arg. 1. Generatio filij est voluntaria D. Hilar. lib. de synod. ergo. Resp. D. Hilar. exclusit coactionem, & violentiam; multa nobis naturaliter conueniunt, sed coactè, vt mors, infirmitas, &c. vndè generatio filij dicitur voluntaria voluntate .s. concomitante, vt sicut possum dicere, quòd ego sum homo voluntate, quia .s. volo esse hominem. licèt sim homo naturaliter.

Arg. 2. Filius procedit in diuinis per actū dilectionis ad Colos.1. ergo. Resp. neg. Anteced. & ad prob. Filium Dei dici filium dilectionis, non est sic intelligendū, quasi quòd ipsa dilectio sit principium generationis; sed quia est à Patre superabundanter dilectus.

Arg. 3. Qui procedit vt Amor, procedit voluntariè: sed Spiritus S. procedit, vt amor, ergo. Resp. dist. ma. qui procedit à voluntate, vt voluntas est, procedit voluntariè, conced. ma. à voluntate, vt natura est; naturaliter, & non liberè procedere dicitur, & sic procedit Spiritus S. & in hoc sensu neg. ma.

Arg. 4. Omne Verbum procedit à dicente per voluntatem; ergo. Resp. neg. Antec. Verbum n. naturale procedit ex cognitione naturali, sicut qua cognoscimus v. g. prima principia est naturalis; & ab hac intellectione naturali, non à voluntaria procedit Verbum in diuinis.

Arg. 5.

Arg. 5. Si Pater non genuit filium voluntariè: ergo videtur sequi quòd genuit necessitate, quòd est contra Aug. in lib. ad Oros. Respond. dist. ly necessitate: necessitate per aliud; vel necessitate coagentis, vel causæ finalis, neg. conseq. quia Deus neque est propter finem, neq. coactio cadit in ipsum: necessitate per se, inquantum Deus non potest non generare: & sic conceditur.

DISPVTATIO CCXIV.

An actus notionales sint voluntarij.

1436 Concl. D. Th. Actus notionales sunt voluntarij concomitanter.

Resolutio D. Thom. hec est, quòd actus notionales, seu ad intrà possunt esse voluntarij voluntate cõcomitante ipsos, non tamen voluntate, vt principio illorum. quod etiam verificari docet in processione Spiritus S. quia licèt Spiritus S. procedat per voluntatem, non tamen vt voluntariè liberè, sed vt voluntariè necessariò, seu naturaliter vult, siquidem omnes actus notionales necessarij sunt, cum per illos procedant personæ, quæ necessariò existunt in Deo, & non existunt, nisi procedendo. Sensus ergo D. Thom. est, quòd actus notionales possunt esse obiectum volitum à Deo ea voluntate, qua seipsum, & omnia, quæ intra se sunt diligit: sic enim personæ ipsæ dilectæ sunt à Deo, & consequenter processiones, seu origines.

Quælibet processio complacet Deo.

Et cum circa omnem processionem inueniatur ista voluntas, quia quælibet processio complacet Deo, & est obiectum diligibile, consequenter ponenda est voluntas concomitans in actibus notionalibus, idest complacentia circa illos, tanquam circa obiecta diligibilia, quia perfectiones sunt, & realitates intra Deum: non tamen possunt actus notionales esse à voluntate libera, tanquam à principio in hoc sensu, quòd procedant ex motione, & imperio voluntatis, vel libera electione eius, hoc. n. est procedere à voluntate, vt distinguitur contra procedere naturaliter, seu per naturam.

Actus Amoris, quo procedit Spiritus Sanctus, non est voluntarius obiectiuè.

Ex quo sequitur, quòd actus voluntatis, seu amoris, quo procedit Spiritus S. non potest esse voluntarius obiectiuè respectu alterius actus, qui in nostra consideratione sit prior, sed solum potest esse obiectum volitum respectu sui. Ratio est, quia processio Spiritus S. est primus actus voluntatis, cum sit actus necessarius, & naturalissimus, & consequenter primus in voluntate. actus autem notionalis, quo generatur Filius à Patre, potest esse obiectum volitum ab alio actu distincto à se, scil. ab actu voluntatis cõcomitante, vel subsequente, quia cum generatio sit actus intellectus, iam ex hoc habet esse distinctus actus ab actu voluntatis, quo est volitus. Et sic distincto actu à se potest esse volitus, tanquam obiectum.

1437 Petes.

Petes, An voluntas ista cõcomitans, qua cõplacet generatio Filij aliquo modo præcesserit ipsum actũ notionalem generationis, ita vt Pater priùs voluerit generare, seu complacuerit sibi generatio, quam generet in exercitio: vel saltem si Patri non conueniat notionaliter velle generationem, antequam notionaliter intelligat, quod est ipsum generare, saltè huic Deo, inquantùm communis est tribus personis, conueniat voluntas generandi, & complacentia de ipsa generatione, antequam Pater intelligatur generare Filium.

Ratio dubitãdi affirmatiua scil. quod cõplacentia debent præcedere.

Ratio dubitãdi est, quia ex vna parte videtur, quòd voluntas, & complacentia generationis debeat præcedere. tum quia hæc voluntas est essentialis amor, est enim communis tribus personis: ergo præcedit actus notionales, quia essentialia, & absoluta nostro modo intelligendi præcedunt notionalia: ille autem amor essentialis pro illa prioritate consideratus complectitur pro obiecto totum, quod in Deo est, etiam personas, quia amor essentialis in Deo regulatur per cognitionem essentialem, cognitio autem essentialis etiam pro illo signo ante actus notionales cognoscit non solùm essentiam, sed etiam personas, quia est cognitio comprehensiua Dei, & beata, quæ essentialiter petit cognitionem personarum: ergo, & amor essentialis, qui necessariò consequitur ad talem cognitionem pro illo signo fertur in omnes personas, & processiones earum, quia totum hoc pertinet ad intra Deum.

1438 Confirm.

Nec requiritur ad amorem personarum, quòd supponat illas productas in re, sed sufficit, quòd præsupponat illas obiectiuè cognitas, & pro alio posteriori productas. Tum etiam quia Pater æternus generando Verbum, communicat illi voluntatem, & omnia, quæ ad voluntatem pertinent, scilicet ipsum actum amoris, & attributa voluntatis, quæ sunt virtutes, vt Iustitia, & Misericordia, &c. ergo prius intelligitur habere etiã actum voluntatis, quàm generare Filium, siquidem per generationem ipsum amorem ei communicat, id est voluntatem in actu secundo. Iste autem amor circa aliqua obiecta versatur, & non circa solam essentiam, sed etiam circa personas, quæ entitatiuè sunt identificatæ ipsi essentiæ.

Ratio dubitãdi negatiua, quòd scil. non debeat præcedere.

Ex alia parte videtur, non posse vllo modo præcedere voluntatem istam actum notionalem generandi, quia voluntas non potest antecedere cognitionem, sed cognitio voluntatem, sed hoc ipso, quod intelligitur cognitio in Deo, præsertim in Patre, seu in prima persona, statim intelligitur expressio, seu generatio Verbi, quia est ipsemet actus intelligendi, prout in Patre: & posito actu intellectus cum plena, & infinita cognitione in Patre, antecedenter ad omnem actum voluntatis, qui consequitur ad intellectionem, non stat quin ponatur ipsa processio Verbi: ergo in Patre non antecedit voluntas generandi ipsam generationem, sed generatio ita præcedit voluntatem, sicut cognitio, quia generatio cognitio, quia generatio cognitio est. Aliæ autem personæ non habent voluntatem generandi, quia ipsæ non possunt generare, ergo neque volunt.

Confirm.

Confirm. quia voluntatis actus in Deo non est prior origine, quàm Filius, vel quam generatio Filij. ergo non potest etiam nostro modo intelligendi illum præcedere, Conseq. constat, quia non præcedit originem vel Personam, nisi id, quod est prius origine in diuinis, quod autem prius origine non est, non conducit ad illud, nec fundare potest præcedentiam. Antec. verò prob. quia Deus non potest voluntate sua tendere in Filium, & Spiritum S. vt possibiles, vel futuros, sed solum vt determinatè existentes: ergo non potest voluntas habere prioritatem originis erga ipsos, sed solum vt præsentes, & coexistentes respicere potest, quod est concomitanter se habere, vel subsequenter ad tales actus, non antecedenter, & sub aliqua prioritate. Pro solutione sit.

DVBIVM VNICVM.

An Pater in illo priori originis, sicut habet scientiam perfectam, ita, & voluntatem volendi ipsas processiones.

1439 *Sententia affirm. refertur*

Circa hoc punctum valde diuisi sunt Theologi, vt videri potest apud M. Bañes hic q. 41. art. 2. dub. 1. Suar. lib. 6. de Trin. c. 3. & 4. & alios. Summa sententiarum est, quod aliqui sentiunt, Patrem in illo priori originis, sicut habet scientiam, & intelligentiam perfectam sui, & omnium personarum, ita & amorem, & consequenter velle earum processiones: ita vt attingat ipsas personas procedentes; & si nõ vt iam productas actu; tamen quasi producendas, seu quasi futuras. Qui actus amoris inuenitur in ipso Patre in illa prioritate originis, antequã intelligatur generare Filium: & à fortiori inuenitur in hoc Deo absoluto, vt communi toti Trinitati. Quam sententiam tenet Caiet. hic art. 2. & ibi citat Scotum 1. dist. 6. q. 1. Et eamdem sententiam sequitur Nazar. ibi, & alij. Et quando D. Th. dicit voluntate concomitanti solum illos actus notionales esse voluntarios, non autem voluntate antecedenti, seu vt principio, intelligit Caiet. voluntatẽ cõcomitantem esse illam, quæ respicit actus notionales, vt obiecta volita, etiam si inueniatur in illo priori originis, quo Pater generat. Voluntatem autem præcedentem, seu per modum principij intelligit voluntatem, vt causam, quo etiam sensu loquitur D. Thom. qu. 10. de Pot. art. 3.

Hæc sententia est Thomistica, & eligitur.

Qua

Quomodo intelligendi sunt aliqui Patres.

Qua etiam ratione multi Patres negant, Filij generationem esse de voluntate, aut quia voluit Pater, sicut S. Cyrillus lib. 1. Thesauri c. 8. *Non ideo*, inquit, *Pater generat, quia vult generare*. Et Concil. Tolet. II. in confessione Fidei, *Voluntas*, inquit, *Sapientiam genitam non praeuenit*. Et Hilar. in lib. de Synodis, *Omnibus*, inquit, *Creaturis substantiam Dei voluntas attulit, sed naturam dedit Filio ex impossibili, & non data substantia perfecta natiuitas*. Hi enim Patres contra Arianos dicentes, Filium voluntate Patris fuisse productum, vt inde creaturam esse colligerent, si ex voluntate, tanquam ex causa, procederet, negant, generationem Filij ex voluntate emanare, non tamen negant voluntatis diuinae obiectũ fuisse id, quod generatione naturali ortum est.

1440 *Opposita sententia Suarez, & Vasquez, Ruiz, & aliorum.*

Alia sententia tenet, nullo modo praecedere voluntatem generandi Filium ipsam generationem, neque origine, neque natura, sed postquam genitus est Filius complacere, & gaudere de illa, sed hunc amorem esse communem toti Trinitati. Ita Suar. Vasq. supra relati, & alij, qui ipsos sequuntur. Et videtur etiam conuenire Ruiz disput. 93. sect. 1. & 2. probans, quod ante generationem Verbi non potest praecedere actus voluntatis ex parte principij productiui, sed tamen sect. 2. nu. 14. concedit ex eo, quod Filius procedit ex cognitione omnium attributorum Dei, recte colligi praecedere prioritate quadam originis voluntatem generandi, vt principium per se generationis, quia tale attributum est commune totius Trinitati. Hoc autem valdè impugnat Alarcon tract. 5. de Trin. disp. 6. c. 8. à nu. 3. quia in Deo non potest voluntas generandi per modum desiderij esse, & tanquam de re futura: desiderium enim imperfectionem importat, cùm sit de re absenti: Solùm ergo est in Deo voluntas de generatione per modum rei praesentis, & iam habitae, de qua est amor per modum gaudij, talis autem volũtas de generatione, vt habita, non potest esse principium ipsius, vt procedat, & habeatur.

Reijcitur.

1441 *Conclus. est affirm. Prob. quia in illo priori Pater habet voluntatem non otiosam.*

Caeterùm, quia in fauorem sententiae Caietani semper vrget ea ratio, quod in illo priori originis, quo intelligitur Pater faecundus ad generãdum, sed non productus Filius, intelligitur plenè intelligens se & personas, cum ergo non potest non intelligi etiam volens, cum intelligatur etiam pro tunc habere volũtatem, & non otiosam, nec in actu primo, vel in potentia, sed in actu secundo cum amore essentiali; & ille amor habet pro obiecto se, & personas, ideo tandem reducit P. Alarc. vbi supra suã sententiam ad duo puncta, scil. quod solùm neget, non dari amorem in Deo pro illo priori, tanquam desiderium de re absenti, & futura, quia tale desiderium non potest poni per solam diuersam prioritatem originis, vel naturae, sed solùm per ordinem ad prioritatem, vel posterioritatem durationis, & realis absentiae, quod omnino Deo repugnat. Vnde infertur, quod amor Dei circa notionales actus debet supponere illos, & subsequi ad illos.

Reijcitur Vasquez.

Et secundo intendit Vasq. quod etiamsi daretur tale desiderium in prima persona respectu generationis futurae, adhuc non praecederet prioritate originis, & naturae realis ipsam generationem, quia nec distinguitur ab illa, nec per se in quarto modo ad illam requiritur ex parte principij. Et in hoc etiam aliqui multam vim faciunt, quod non debeat praecedere amor de his notionalibus prioritate originis ipsa notionalia, quia inter essentiam, & actus notionales non est prioritas originis, sed solùm est identitas, & simultas. Quod vero praecedat amor generationis ipsum actum notionalem eo modo, quo essentia, & attributa dicuntur praecedere notionalia, nõ abnuit concedere Caietano P. Alarcon vbi sup. n. 11.

1442 *Defenditur, & explicatur sententia Caetani.*

Non est tamen, quod tam multum immoremur in hac quaest. Nam neq; Caiet. intendit ponere in Deo verum, & formale desiderium respectu generationis in Patre, aut futuritionem aliquã, vel absentiam in Filio (qui hoc diceret, nisi Arrium sapiẽs) neq; prioritatem aliquam originis inter essentialia, & notionalia conatur introducere, sed summam identitatem, & simultatem; sed cùm hoc stat, quod in illa prioritate originis, in qua Pater intelligitur habens essentiam faecundam ad generandum, intelligatur quoq; habere plenum, & perfectum intelligere suae essentiae, & personarum, & similiter essentialẽ amorẽ, seu velle, nõ solùm circa essentiam, sed etiã circa personas, & processiones, & hic amor nõ intelligitur prior generatione diuina secundũ aliquã prioritatẽ originis, sed secundũ prioritatẽ, seu distinctionẽ rationis, eo modo, quo dicimus, essẽtialia esse prima in Deo notionalibus, quia illa cõmunia sunt, hęc propria, & prius sunt communia, quam propria.

1443 *Inter essentialia, & notionalia, non est aliquis ordo originis.*

Non tamen inter ipsa essentialia, & haec notionalia est ordo aliquis, & prioritas originis, sed identitas, & simultas. Et in hoc sensu dixit D. Th. esse concomitantẽ actum volendi generationẽ cum ipsa generatione, quia ea, quę essẽtialia, & absoluta sunt, idẽtificantur, & communicantur notionalibus; & cum cõmunicatur amor essentialis, non communicatur amor non habens obiectum, sed illud attingens, & hoc non est sola essentia, sed etiam personae, & processiones: omnia enim quae intra Deũ sunt amore essẽtiali, & necessario amantur. Vnde non est iste amor posterior actibus notionalibus, nec habent actus notionales aliquam prioritatẽ originis respectu amoris essentialis, cum essẽtialia nõ procedant ab ipsis, imo nec per modũ obiecti formalis praecedũt, quia obiectũ formale illius amoris est ipsa bonitas diuina, & essentia, personae autem, tanquam aliquid identificatũ illi, quae habent eandẽ bonitatẽ identicè, & concomitanter. Necesse est autem ponere hunc amorẽ essentialẽ, etiam circa personas, & processiones earum in illo priori, antequam intelligatur generatio procedere, quia sicut praecedit pro illo priori intelligere essentiale in Patre, quo ex intelligentia sua producit Verbum, ita & velle, seu amor, qui immediate sequitur ad intelligere.

Amor essentialis non conuenit Deo post notionalia.

Nec autem amor essẽtialis cõuenit Deo post notionalia, vel dependenter ab actibus notionalibus, sed cũ ipsa essentia, & voluntate sẽper intelligitur amor in actu, quia volũtas nõ est in actu primo, sed in actu secundo essentiali, & sic cõmunicatur a Patre ipsi Filio: ergo non est posterior actibus notionalibus, sed antecedit. Quod si antecedit actus; ergo etiã attingẽtia eius erga obiectũ, quia amor sine obiecto nõ est, & amor perfectissimus, vt est ille, & infinitus, nõ habet pro illo signo vnũ obiectũ, & postea addit aliud, sed pro illo signo totũ obiectũ suũ attingit. Inter obiecta autẽ, vnũ est ipsę personę, & processiones earũ; ergo amãtur a Deo etiã antequam produci intelligantur.

1444 *Ad 2. rationẽ dubitandi in disp. Resp.*

Vnde soluitur ratio dubitandi pro opposita parte: dicimus enim, quod amor sequitur cognitionem, sed amor essẽtialis cognitionẽ essentialẽ; & pro eo signo, quo intelligitur cognitio essentialis in Deo, sicut in hoc Deo absolute sũpto, siue in Patre, hoc ipso datur velle, seu amor essẽtialis, etiã nondũ intellecta processione notionali. Et cũ dicitur, quod hoc ipso, quod datur cognitio in Deo, datur generatio, seu expressio Verbi. Resp. hoc ipso, quod datur in Deo cũ fęcunditate, & relatione Patris, datur expressio Verbi, nõ hoc ipso, quod intelligitur in Deo, quoad essẽtialia pręcise, sed pro illo signo intelligitur cognitio essẽtialis, & amor essentialis, & nondũ intelligitur expressio, seu notionalis processio, quia essentialia sunt priora in aliquo signo, notionalibus. Et tunc licet in Deo intelligatur amor, seu volitio generationis, nõ tamen hic Deus vult illã, vt in se, absolute, sed vt in Patre, sicut nec Filius, & Spiritus S. volunt eam sibi: id enim est impossibile, sed volunt illam Patri.

1445 *Ad 2. Confirm. Resp.*

Ad Con. patet ex dictis, quod actus amoris non habet pręcedẽtiã, aut prioritatẽ originis respectu generationis Filij, sicut nec respectu Patris, habet tamẽ prioritatẽ intelligentię, sicut omnia essẽtialia, & absoluta pręcedũt notionalia, & relatiua, & sic amor essentialis nostro modo intelligẽdi praecedit generationẽ Filij, quam amat. Et cùm dicitur, quod ille actus non tendit in Filiũ, & Spiritum S. vt futuros, vel possibiles, nec per modum desiderij. Resp. ibi non dari desiderium formaliter, & cum imperfectione

Instabis.

Resp. actus desiderij cum ab-

sentia obiecti est imperfectius

futuritionis, vel absentiæ obiecti : hæc enim pertinet ad prioritates durationis,& existétiæ,in quo nullum habet antecedentiam ille actus, sed summam simultatem, & identitatem, sed solùm inuenitur ibi prioritas, seu distinctio rationis. Nec Caiet. posuit ibi actum desiderij, licèt explicauerit exemplo desiderij in nobis, quòd potest voluntas antecedens obiectum prioritate rationis dici ex parte nostra concomitans.

In Deo non datur formale desiderium.

Cæterùm in Deo formale desiderium non datur, sed ille actus in se est gaudij, & delectationis de processione, quia ad hoc sufficit, quod in re processio existés, & præsens sit,& nullum sit instans in re, quo non attingatur illud obiectum, vt præsens ; sed tamen non oportet, quod pro omni signo prioritatis, & præcisionis intelligatur ille actus sub formalitate, & denominatione gaudij de re illa considerata, vt iam producta, licet in se gaudium sit;sed in illa præcisione, & signo consideratur illud, quod est gaudium de re præsenti sub formalitate, & denominatione amoris, non gaudij ; sed nec etiam est ille actus, prout sic desiderij, quia licet non explicetur circa præsens, vt præsens, non tamen explicatur circa futurum, vt futurum, quod requiritur ad rationem desiderij, quia ibi futuritio non est, sed præscindit prout ibi a futuro, vel præsenti, & solùm attingit bonitatem, vt in se, quod amoris est. De processione vero Spiritus Sancti quomodo sit voluntaria, supra quæst. 36. latè disputatum est.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum actus notionales sint de aliquo.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

PRima Conclusio. Filius non est genitus de nihilo. Prob. Quia non procedit in diuinis, per factionem, per quam Deus ex nihilo producit : sed per generationem, per quam generans producit de sua substantia. nam in hoc Generatio à factione differt 2. Concl. filius Dei est genitus de substantia Patris, aliter,ac filij hominum. quia in generatione hominis ; non tota substantia generantis sicut in diuinis, transit in substantiam geniti.

Arg. 1. si Pater generaret filium de seipso : sequeretur,quòd filius posset dici pater : sicut quia lignum manet in scamno, ideò potest dici,quod lignum est scamnum. Resp. neg.seq. & ad prob. esse disparem rationem : nam lignum est principium materiale scamni ; & ideò recipit predicationem scamni ; Pater verò est principium consubstantiale geniti ; & hoc non recipit prædicationem geniti ; nam diuina essentia non communicatur per transmutationem in filium,sicut principium materiale. ideo &c.

Arg. 2. si Pater generat filium de sua essentia:igitur essentia Patris est principium filij effectiuum.Resp.neg. conseq. quia cùm dicitur est de essentia Patris significatur principium formale,sicut cùm dico. Angelus aliquis est de natura intellectuali non verò efficiens, neque materiale : ideò &c.

Arg.3. ex Aug.7. de Trin. c. 7. non possumus dicere, quòd tres personæ sint ex essentia,propter identitatem inter personas, & essentiam ; ergo à pari non possumus dicere,quòd filius sit de essentia Patris. Resp. neg. conf. quia in propositione. Anteced. non ponitur aliquid per quod saluatur distinctio inter genitum, & generans. sicut ponitur in conseq. scil. ly Patris, qui est alius à filio.

Arg. 4. filius est creatura in diuinis Eccl. 24. & etiam Spiritus Sancti Zacc. 12. ergo. Resp. neg. Anteced. & Authoritates debent intelligi de sapientia creata, & de Spiritu creato.

DISPVTATIO. CCXV.

An actus notionales sint de aliquo.

HIC etiam articulus videtur à D. Thom. consequenter positus contra Arianos, qui cum assererent, personas Filij,& Spiritus Sancti esse creaturas, consequenter dicere debeant esse productas ex nihilo;sic ergo quærit D. Th. vtrum generatio Verbi, seu Verbũ ipsum fuerit genitum ex nihilo, an ex aliquo, seu de aliquo,& similiter de Spiritus S. productione ; duę autẽ Conclusiones colligi possunt. Prima est negatiua, scil. non posse dici, personas diuinas productas esse ex nihilo productas, 1446 hic Artic. ponitur à D.Th. cõtra Arianos

1. Concl.

1447 2 Concl. Persona pro ducta in Deo debet dici pro ducta ex essentia.

Secunda Concl. est affirmatiua, scil. Personam productam in Deo debere dici productam de essentia, vel de substantia producentis, vtraque autem Concl. in terminis est de fide definita in Concl. Florent.& Tolet. II. in cõfessione fidei,& passim habetur apud Patres,& Doctores, & in Symbolo fidei maiori dicitur de Filio Dei, quòd Deus de Deo, lumen de lumine, &c: *Et quidem circa primam Concl. nihil est vlterius hic addendum, cum hic supponamus, Filium Dei esse verum Deum, Patri consubstantialem, eiusque verum Filium, atque adeò non esse ex nihilo productum, quod est proprium creaturæ. Legi debent, quæ habet D. Th. hoc art. in prima parte corporis,& responsione ad 4. quę satis clara sunt.*

Hæ sunt veræ, Filius est productus ex essẽtia,&c.

Circa secundam Concl. cùm vt dixi ex fide certum sit, has loquutiones esse veras, Filius est genitus ex essentia Patris, vel de essentia, natura, & substantia Patris, difficultas tamen aliqua est inter Doctores, quem sensum habeant illæ particulæ, de, & ex, & cum qua causa ex nostris habeant similitudinem, an scilicet cum causa efficiente, formali,an materiali, nam cum omnibus his causis videatur tales particulę interdum coniungi, & maximè cum materiali,& efficienti,nunquam tamen cum causa finali,de qua re plura Suar. lib.6. de Trin. c.6 Vasq hoc loco disp. 166. & alij communiter hoc loco, vel in primo dist. 5.

1448 Gum aliquid dicitur productum de substantia,significat principiũ intrinsecum substantiale.

Hæc autem mihi videntur ex D.Thom & communiori sententia colligi posse, primum cùm aliquid dicitur produci de substantia, essentia, vel natura alterius, propriè significari principium intrinsecum consubstantiale,atque adeò cum dicitur Filius produci de essentia Patris, significatur essentia Patris esse intrinsecum quid,& substantiale Filij, hoc enim pacto dici potest quilibet Filius genitus de substantia sui Patris, quia Pater per semen aliquam sui partem transfundit in Filium, quæ licèt variè transmutata, remanet in Filio,& est subiectum partium primigenearum.

Natura diuina,cùm sit indiuisibilis, tota communicatur.

Cùm autem natura diuina non habeat partes, neque sit mutabilis, necesse est, vt Pater totam suam naturam immutatam communicet Filio, salua oppositione relatiua, & originis ; at verò si causa sit merè extrinseca, & nihil suæ substantiæ transferat in effectum, nunquam talis effectus dicetur esse, vel produci de talis causæ substantia, vel essentia, sic creatura non dicuntur produci de essentia Dei, neque domus de essentia ędificatoris,& sic de alijs, dixi hoc verum esse, cum aliquid dicitur produci de essentia,&c. alterius.

1449 Ly *de aliqua* aliquando potest significare habitudinem principij extrinseci.

Nam si absolutè dicatur produci de aliquo, licèt vt plurimum prædictum sensum habeat propositio, tamen potest etiam aliquo modo significare habitudinem principij merè extrinseci, & consubstantialis. Sic enim in Symbolo Apostolorum dicitur de Christo. Secundùm humanitatem, qui conceptus est de Spiritu Sancto. *Et similiter ab Angelo dictum fuerat,* quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est. *cùm natum*

Spiritus

Spiritus Sanctus non sit aliquid substantiale humanitatis Christi: cùm ergo D. Thom. ad 2. docet, quòd particula, de, semper denotat consubstantialitatem, intelligi debet, quando ita vna res dicitur esse de alia, vt etiam dici possit esse de substantia, vel natura eiusdem, hoc enim faciebat ad eius propositum, & tunc propriè dicitur esse de alia, quam particulam, propriè, expressè apposuit D. Thom. in 1. dist. 5. qu. 2. artic. 1. in corpor.

Particula *Ex*, ex vi sua latiùs patet, quã particula *de*.

Secundùm, quod habetur ex D. Thom. circa particulam, ex, de qua nihil habet hoc loco, sed in p. cit. est, quòd scilicet hæc particula, ex, ex vi sua latiùs patet, quam particula, de, ita vt vbicumque verificatur particula, de, verificetur etiam particula, ex, non tamen è contra, etiam loquendo in vero, & proprio sermone, & consequenter dici potest Filius genitus ex substantia, & de substantia Patris; & sic de similibus, at verò licèt dici possit, creatura esse ex Deo, & forma ex priuatione, non tamen propriè dici possunt esse de Deo, & de priuatione, cuius rei nulla alia assignari potest ratio, nisi communis vsus; existimo tamen, eandem esse rationem vtriusque particulæ, si dicatur, aliquid esse ex substantia, vel natura alterius, ita vt etiam tunc propriè denotetur consubstantialitas aliqua, vndè non potest dici creatura esse ex substantia Dei, & sic de alijs.

1450 Petes 1.

Petes 1. Cùm dicitur, Filius est ex substantia Patris, quod genus principij substantialis importetur.

Sensus difficultatis.

Cùm ergo particula, ex, vel, de, modo dicta significet aliquid intrinsecum, & consubstantiale, vltimò difficultas est in re nostra, cum dicitur Filius esse ex substantia Patris, quod genus principij consubstantialis importat in proposito, scilicet materialis, formalis, an efficientis, & quidem D. Thom. in p. cit. art. 1. in corp. docet, quòd cum Filius dicitur genitus de Patre, particula illa, de, denotat principium producens consubstantiale, & similitudinem habet in nostris rebus cum causa efficiente, sicuti cum dicimus, quod homo filius generatur de patre suo. Cùm verò dicitur Filius genitus de essentia Patris, particula illa, de, alium sensum importat, nempe de essentia, tanquam de principio, seu re communicata; & tunc habet similitudinem cum causa materiali, maximè rerum artificiatarum, sublatis tamen imperfectionibus, quæ cum tali causa in rebus creatis contingere solent, similitudo autem in hoc consistit, quòd sicuti cum dicitur scamnum fieri de ligno, lignum significatur, vt quid intrinsecum scamno, per quod subsistat, ita cum dicitur Filius produci de essentia Patris, essentia significatur, vt quid intrinsecum, per quod subsistat, nam secundum D. Thom. omnes personæ diuinæ per essentiam habent, vt subsistant, tanquam per principium radicale, atque hanc sententiam de habitudine causæ materialis in re nostra secuti sunt Henric. & Duran. vt patet apud auctores cit.

Resp. aliquãdo importare principium producens; aliquando, essentiam communicatam.

1451 Particula *de* in re nostra, non significat principium materiale.

Verum D. Thom. hoc art. ad prob. docet, particulam, de, in re nostra, non significare principium materiale, quia Filius non producitur de essentia Patris per transmutationem, vndè posset alicui videri, mutasse sententiam. Item ad 2. non videtur approbare sententiam Magistri dicentis particulam, de, denotare in re nostra principium, quasi actiuum, vt sensus sit, Filius producitur de essentia Patris, idest de Patre, qui est sua essentia, & consequenter de essentia Patris, & tamen in hoc sensu conceperat talem propositionem D. Thom. in primo cit. & demum ipse concludit, particulam, de, importare habitudinem principij formalis, nam essentia Patris communicatur Filio, vt quidditas in Filio subsistens, qua ratione quilibet Angelus dici potest esse de substantia spirituali.

1452 Particula *de* in re nostra, significat principium consubstantiale.

Existimo tamen re vera D. Th. existimasse, particulam, de, in re nostra significare principium consubstantiale, in quo omnes conuenire debent, habere tamen, seu importare aliquam similitudinem cum causa tam materiali, quàm efficiente, & formali, maximè tamen cum causa formali, quando forma est tota quidditas rei, vt accidit in substantijs spiritualibus; similitudinem ergo causæ materialis expressit loco cit. in 1. hic verò ad 1. negat, causam materialem propriè dictam, vt constat ex eius probatione; item hic ad 2. non, docet, falsum esse sententiam Magistri, quam in eo sensu ipse secuderat in 1. cit. & supra q. 39. art. 5. ad 1. sed docet, non sufficere, seu non explicare totum id; & maximè id, quod principalius erat, nempe habitudinem principij formalis, quam ipse existimat, esse in hac re præcipuam: Alij etiam addunt particulam, de, importare habitudinem principij consubstantialis actiui, quatenus essentia Patris est principium, quo, generationis.

1453 Hæc non est vera, *Tres personæ sunt de essentia diuina*.

Notat præterea D. Th. ad 3. non esse veram hanc propositionem; tres personæ sunt de essentia diuina, quia ex parte prædicati, nempe, essentia, non importatur distinctio necessaria, ad propositionem, de, sicuti cùm dicitur, Filius est de essentia Patris, vbi ponitur particula, Patris; existimo autem, esse necessariam talem distinctionem in re nostra, quia particula, de, importat communicationem essentiæ, quæ non est, nisi inter distinctas personas; propter quam etiã causam non est vera hæc propositio Pater est de essentia Filij, quia non accipit essentiam à Filio.

Instabis.

Dices, si cùm dicitur, Spiritus S. est de essentia Patris, & Filij, particula, de, importaret habitudinem principij formalis, sequeretur, quòd posset dici genitus, esset enim, seu produceretur de essentia Patris, & Filij, vt de principio formali suæ productionis, atque adeo esset, ex vi suæ productionis formaliter in similitudinem naturæ.

Resp. Spiritũ S. produci de essẽtia Patris, & Filij.

Resp. ex ijs, quæ supra dicta sunt, Spiritum S. produci de essentia Patris, & Filij, vt principio formali suæ productionis realiter accepta, quo modo hic considerantur hæ productiones, non ex vi suæ productionis formaliter, sic enim producitur ex essentia Patris, & Filij, non vt habet rationem essentiæ, sed vt habet rationem amoris, & hic non procedit in similitudinem naturæ, at verò Verbum Diuinum, etiam ex vi suæ productionis formaliter producitur ex essentia Patris, vt habet rationem essentiæ, cùm procedat in similitudinem naturæ, vt eo loco explicatum est.

1454 Petes 2. Resp. terminum, vt *quod*, seu totalem generationis esse ipsum genitum.

Petes 2. quinam sit terminus formalis harum productionum in Deo, an essentia, an vtrumque.

Est similis hæc difficultas illi, quæ in Philosophia quæritur, quis sit terminus ad quem formalis generationis substantialis, & in materia de Incarnatione, quis sit terminus formalis actionis assumptiuæ, & sic de similibus, respondet ergo D. Th. terminum generationis, & spirationis totalem, esse ipsum genitum, & spiratum, constitutum scil. ex essentia; & relatione, qui solet appellari terminus, vt quod, & correspondet principio generanti, vt quod.

Essentia est terminus *quo*.

Sicuti autem in generante principium, vt quod, est ipse generans, & principium, vt quo, est essentia, in qua assimilatur res producta, ita in persona producta, terminus, vt quod, est ipsa persona producta, & terminus, vt quo, qui solet dici terminus formalis, est ipsa essentia (in qua assimilatur producenti) non producta, neque comproducta, sed solùm communicata, cùm ea tamen differentia inter generationem, & spirationem, quam diximus praeced. argumento, atque hæc sententia D. Thom. communior est, vt patet apud auctores citat. licèt etiam hoc possit reduci ad quæstionem de nomine.

1455 Instabis.

Dices. Terminus formalis nunquam præintelligitur illi actioni, cuius est terminus, hoc enim proprium est materiæ, quæ semper præintelligitur, vt constat inductione, sed essentia diuina præintelligitur operationi notionali, vt principium quo, relatio autem personæ productæ non præintelligitur, ergo potius relatio, quam essentia dici debet terminus formalis.

Resp. maiorẽ esse veram in rebus corruptibilibus.

Resp. in generationibus rerum generabilium, & corruptibilium veram esse maiorem, quia his rebus non communicatur essentia, seu forma præexistens, vndè etiam earum essentia dicitur per accidens generari, vt etiam aduertit D. Thom. supra qu. 39 art. 5. ad 2. at verò non ita accidit in generatione diuina, cum essentia, quæ communicatur, præintelligatur productioni, & ita potest esse terminus formalis, quatenus communicatur, vt essentia rei genitæ, & non potest dici generari, neque per accidens.

Et simile quid contingeret, si in generatione hominis, anima praexisteret ante corpus, & per generationem corpori vniretur; tunc enim posset esse terminus formalis generationis, etiam si praexisteret generationi, non vt praexistens; sed vt communicata per generationem proprium autem materiæ est præexistere, tanquam id, ex cuius potentia per sui mutationem educitur forma, & sic patet disparitas in re nostra.

1456 Instabis 2.

Dices 2. Relatio personæ productæ quo modo appellari poterit in ordine ad productionem, quam terminat? Respond. *Resp. posse dici vltimum complementum constitutiuum termini, vt quod, quemadmodum subsistentia in generatione naturali.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum sit potentia respectu actuum notionalium.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

Conclusio. Necesse est ponere in diuinis potentiam respectu actuum notionalium. Prob. in eo, in quo ponuntur aliqui actus, necesse est etiam ponere potentiam respectu horum actuum; potentia enim nihil aliud significat, quam principium actus. Sed in diuinis ponuntur actus notionales; ergo.

Arg. in Deo non est potentia passiua, vt sup. q. 25. neque actiua, hec enim est respectu eorum, quæ sunt facta. ergo. Resp. neg. Anteced. quo ad 2. par. sufficit enim quod ea, quæ procedunt ex potentia actiua vt ab aliquo procedant; persona enim diuina, licèt non sit facta, ab alia tamen verè procedit.

Arg. 2. Potentia ad possibile dicitur. Sed Personæ non sunt de numero possibilium, sed necessariorum. ergo Resp. dist. ly possibile; vel pro vt opponitur necessario, & est illud quod potest esse, & non esse. & neg. ma. absolutè. in hoc sensu: vel prout continetur sub necessario: & sic non est illud, quod potest esse, & non esse; sed significat id, quod potest esse, licèt, necessariò sit. & hoc modo possibile, in Deo reperitur.

Arg. 3. Potentia non ponitur in Deo per comparationem ad intelligere, & velle; sed per respectum ad effectus. sup. q. 25. sed personæ procedunt in diuinis per intelligere, & velle. ergo. Resp. dist. ma. vel enim intelligitur de potentia rationis, & neg. ma. nam hæc etiam est ad actus intelligendi, & volendi essentiales: vel de potentia reali; & hanc nego ad effectus dumtaxat extendi. hæc enim est respectu cuiuscumque actus designantis processionem distincti realiter, ab eo cuius est actus.

DISPVTATIO. CCXVI.

Quid sit potentia generatiua, & spiratiua in Deo.

1457 Nomine potentiæ intelligimus principium *quo* pro ducendi personas.

Nomine potentiæ intelligimus principium quo *producendi personas sicut .n. constat, dari in Deo personas producentes, a quibus aliæ procedunt, & ipsæ personæ sic producentes se habent, vt principium,* quod *producendi, ita oportet assignare principium,* quo, *nostro modo intelligendi, eo modo, quo datur in Deo potentia creatiua, qua creat, quæ non consideratur, vt principium* quod, *seu vt persona producens, sed vt attributum per modum virtutis, qua ipse Deus creat, tanquam principio,* quo: *ergo similiter debet dari in Deo potentia generatiua, & spiratiua, qua tanquam virtute producatur persona.*

Immerito aliqui negarunt hanc potentiam.

Immeritò autem negarunt hanc potentiam Aureol. in 1. dist. 7. qu. 1. art. 2. & idem tribuitur Gregorio super eamdem dist. qu. 2. art. 2. ea ratione ducti, quia in Deo non datur realis actio distincta à potentia. ergo non est realis potentia. Vndè dixit Gregorius, dari in Deo potentiam veram, & realem respectu personæ productæ, non respectu actus producendi. Quòd si hoc solum voluit, non dissentimus: re vera enim D. Th. fatetur dari in Deo principium reale respectu rei producentis, quæ distincta est à principio quod; *non verò dari principium respectu actus, nisi secundum rationem, vt affirmat in hac qu. 41. art. 4. ad 3. & supra qu. 25. art. 1. ad 3. Vndè ratio Aureoli solum conuincit, non dari in Deo potentiam, seu principium* quo *distinctum ab actione, & realiter oppositam ipsi actui, sed identificatam cum illo.*

Negate absolute potentiá indistinctam ab actione est falsum.

Cæterùm absolutè negare potentiam, etiam indistinctam ab actione, omnino falsum est, & aliqui censent, esse temerarium, cùm sit contra omnes Scholasticos, imo & errori proximum. nam salua fide negari non potest, Filium realiter a Patre procedere, sed nihil potest realiter procedere ab alio, nisi possit ab illo procedere, & posse procedere, & habere potentiam, per quam procedit, idem est: ergo si procedit à Patre, potentia est in Patre, vt procedat. Vnde, & in Concil. Florent. sess. 18. & 19. sepiùs repetitur in Patre esse principium generatiuum, quo, *Filium generat, licèt verum sit, quòd in illis sessionibus Concilium non procedat definitiuè, sed disputatiuè.*

1458 Quæres, quid sit ista potentia, absolutam videl. vel relatiuum.

Difficultas est, quid sit hæc potentia, an aliquid absolutum, vel relatiuum. Nam ex vna parte videtur esse relatiuum, siquidem non est communis omnibus tribus personis. Filius enim, & Spiritus S. non possunt generare, Vndè dicit Damasc. lib. de duabus Christi voluntatibus: Omnia, quæ habet Pater, Filij sunt, sola gignendi vi excepta. *Vis ergo generatiua non est in Filio sed quidquid absolutum, & essentiale est in Deo, communicatur Filio ergo potentia generatiua non est aliquid absolutum. Et secundò, quia potentia productiua debet esse distincta à termino producto, cum terminus productus egrediatur realiter ab ipsa: ergo potentia generatiua Filij debet distingui realiter ab ipso Filio, & solum inueniri in Patre, tanquam aliquid proprium, & incommunicabile in illo: ergo est aliquid relatiuum, & non absolutum.*

Ratio dubitādi quod non sit quid absolutum.

1459 1. Ratio dubitandi quod nō sit aliquid relatiuum.

Ex alia parte fortius instare videtur, quòd potentia generatiua non sit aliquid relatiuum: tum quia relatio est ipsa subsistentia, & terminus naturæ constituens personam; subsistentia autem, seu personalitas non est principium quo, *nec potentia producendi, quia non se habet, vt virtus naturæ, sed vt terminus constituens ipsam principium* quod. *Vndè natura humana communicatur subsistentia diuina, quæ terminat naturam humanam, & constituit principium* quod *operandi, non autem potest communicari virtus diuina, ita vt operetur per illam homo, tanquam principium* quo. *Ergo si relatio in Deo ponitur pro potentia, confunditur principium* quod, *cum principio* quo,

1460 Secunda Ratio.

Tum etiam quia in quacumque re forma, seu natura est ratio agendi: est enim natura principium motus, seu actus, scil. principium quo; *quia illud est forma, & ratio agendi, in quo agens assimilat sibi terminum, ergo similiter in diuinis illud erit ratio agendi, seu potentia generatiua, in quo productum assimilatur producenti. Sed Filius non assimilatur Patri in personalitate, seu relatione, quia in illa dissimilis est ipsi, siquidem opponitur illi secundum relationem: ergo solùm assimilatur in natura, quia hæc solùm est sibi communicabilis. Ergo potentia generatiua non est relatio, sed natura. Vndè citatis locis Concilij Florent. dicitur, quod principium* quo, *seu per quod ipsa persona generat, est id, quod solùm communicabile est, & additur,* diuina naturam esse principium generatiuum, quo pater Filium generat. *Et Cyril. lib. 1. Thesauri cap. 7. dicit,* generatiuam virtutem esse essentiam Dei.

1461 Tertia Ratio dubitandi ad idem.

Tum denique est vrgens ratio, quia si aliqua relatio sub conceptu relatiuo, vt distinguitur ab absoluto, esset potentia generatiua, maximè ipsa relatio paternitatis: hæc autem non potest esse potentia generatiua.

Quod

Quod patet manifestè, quia paternitas sub conceptu expresso paternitatis, & relatiuè, fundatur in potentia generatiua: ideo enim pater refertur in exercitio, quia genuit: si autem dicatur, quod paternitas, seu relatio illa, non vt exercita, sed vt concepta, seu signata est potentia generatiua: contra, quia prout sic solum est entitas relatiua, vt subsistens, & constituens principiū, quod non vt virtus ad alterum, seu principium quo. infra dubio seq. huic difficultati respondetur.

DVBIVM VNICVM.

An Potentia generatiua, & spiratiua dicant in recto essentiam, & pro connotato relationem prædicamentalem, an transcendentalem.

1462 *Variato Doctorum placita referuntur.*

PRopter has difficultates valde diuisi sunt Theologi: quidam censent, potentiam generatiuam esse solam relationem, seu proprietatem personalem, exclusa essentia: quod tribuitur Bonauenturæ in 1. dist. 7. q. 1. & Durando ibid. q. 2. Alij sentiunt, potentiam generatiuam esse ipsam diuinam naturam solam sine alia connotatione: quod tribuitur Gabrieli in 1. dist. 7. q. 1. 2. & 3. Sed quia non est possibile præscindere potentiam generatiuam ab omni relatione: tùm quia potentia non dicitur ad se, sed ad terminū per ipsam producendum: tum quia si solum diceret essentiā, & nullo modo importaret relationem, potentia generatiua non esset propria Patris, quod repugnat, cum in Filio inueniri non possit: ideo conati sunt Auctores explicare, quomodo relatio ista pertineat ad conceptum potentiæ generatiuæ.

Communis sententia Theologorum est, quod dicat in recto essentiam, in obliquo relationem statuitur.

Et communis sententia Theologorum est, potentiam generatiuam dicere in recto naturam, seu essentiam, tanquam virtutem assimilatiuam, & generatiuam, de connotato autem dicere relationem, tanquam conditionem requisitam ex parte subiecti. Quæ est sententia S. Th. in hac q. 41. a. 5. & Caiet. ibi, omniumque Thomistarum. Consentit Scotus in 1. dist. 7. q. 1. qui requirit proprietatem personalem, tanquam conditionem requisitam ad potentiam generatiuam, & solùm differt à sententia D. Th. quod non debet dicere potentia generatiua naturam, vt distinguitur ab attributis, scil. ab intellectu, voluntate, &c. cum tamen S. Th. non accipiat naturā in illa rigorosa præcisione, sed prout etiā includit attributa.

1463 *Singularis opinio Vasquez, & Alarcon reijcitur.*

Ceterum hanc sententiam, quę communis est inter Theologos, ex mente ipsius Vasq. ita explicauit Alarcon hic tract. 5. disp. 6. c. 2. num. 11. & seqq. quod affirmat relationem, quam connotat potentia, non esse relationem prædicamentalem, seu secundum esse paternitatis, quia hanc dicit fundari in ipsa potentia generatiua, sicq; illā supponit, sed esse relationē trancendentalē, quæ inuenitur in prima persona vt dicitur speciali modo ad Filiū. Nam, vt vidimus quæst. superiori art. 2. putat iste author, Patrem in ratione primę personæ subsistentis constitui per innascibilitatem, quatenus dicit fontanalem originem personarum, quod dicitur pertinere ad relationem, non prædicamentalem ipsius paternitatis, quia hæc supponit pro fundamento ipsam generationem, sed transcendentalem, quatenus est principium vtriusq; personæ procedentis in Deo, & pro indiuiso respicit Patrem, & Filium, vt personas procedentes à se.

Explicatur sententia Alarcon.

Sed quia vidit, quod ista relatio transcendens non est pro solo Filio, sed indiuisè ad Filium, & Spiritum Sanctum, & consequenter non est conueniens ad constituendam potentiam generatiuam, quæ est solum ad Filium, quia est solum generatiua: ideo addidit præter relationem transcendentalem primæ personę in ratione fontanalis principij ad Filium, & Spiritum sanctum aliam transcendentalem ad Filium tantum, & per talem rationem affecta diuina essentia, dicitur proxima potentia generatiua. Et relatio transcendentalis ad Spiritum Sanctum, quę communiter est in Patre, & Filio coniuncta essentiæ, constituit potentiam spiratiuam.

1464 *Contra Potentia generatiua est essentia connotans tantùm relationes prædicamentales.*

Nihilominus tamen sententia D. Th. & communis Theologorum defendenda est, quod potentia generatiua est ipsa essentia, & diuina natura per modū virtutis fecundæ, quæ super essentiam, eiusq; vim, & actualitatem solùm addit connotationem quamdā relationis paternitatis, seu relationis personalis, & illa productio relationum transcendentalium præter relationes reales secundùm esse, idest, præter quatuor relationes paternitatis, filiationis, spirationis actiuæ, & passiuæ, omnino reijcienda est. Nec fas est in tàm sacrosancto, & eleuatissimo mysterio alias voces introducere, quæ à Sanctis PP. & Concilijs, atque probatissimis, & antiquis Theologis, non sunt traditæ.

Relatio transcendentalis nullo modo ponenda est.

Igitur transcendentalis ista relatio nullo modo ponenda est, quia vel ista relatio est ipsius entitatis diuinæ sub conceptu relatiuo, & personali, id est ipsa paternitas, vel filiatio, vel est ipsius naturæ secundùm conceptum absolutum naturæ, & substantiæ, sicut apud nos inueniuntur relationes transcendentales, quæ sunt entitates absolutæ, & non relationes prædicamentales, vt relatio naturę ad formam, partis ad totum, scientiæ ad scibile, potentiæ ad obiectum. Si primo ex modo se habeat, ergo ista relatio transcendentalis est ipsamet prædicamentalis relatio, vel secundum esse, siquidem est entitas diuina sub conceptu relatiuo, non absoluto. Entitas autem diuina, vt relatiuè, est ipsa relatio prædicamentalis, scil. paternitas, vel filiatio, & illa, quæ dicitur transcendentalis, est ipsamet relatio paternitatis. Quid ergo respicit paternitas transcendentaliter, quod non respiciat prædicamentaliter, vel ad quem terminum, aut ad quem modum respiciendi ponitur paternitas transcendentaliter, ad quem, aut sub quo modo non se habeat prędicamentaliter? Sicut apud nos superfluè poneretur paternitas transcendentaliter respiciens Filium, si respicit prædicamentaliter, ita quod totum esse est ad Filium.

1465 *Petes 1.*

Petes 1. *An potentia generatiua se habeat, ac respiciat pro indiuiso Filium, & Spiritum S.*

Euasio.

Nec dici potest, quod illa relatio transcendentalis respicit pro indiuiso Filium, & Spiritum Sanctum, & sic non se habet per modum paternitatis, sed fontalis principij totius processionis in diuinis, nam modo non loquimur de ista relatione, quam supra satis impugnauimus: hæc enim non deferuit ad potentiam generatiuam, quia potentia generatiua non se habet pro indiuiso ad Filium, & Spiritum Sanctum, sed solum generatiua est; ergo solum respicit ipsum genitum, & consequenter ipsum Filium; circa ipsū autem Spiritum Sanctum versari non potest generatiua potentia, quia Spiritus S. generari non potest, ergo relatio, quæ indiuisè se habet ad principiandū Spiritum Sanctum, & Filium; non constituit, nec per se conducit ad potentiam generatiuam. Solùm ergo conducit illa, quæ respicit Filium, & se habet solum ad genitum.

Præcluditur, quia potentia generatiua non se habet pro indiuiso ad Filiū & Spiritum S.

Hęc relatio trāscendentalis non potest conuenire Paternitati.

Ista autem relatio transcendentalis non potest conuenire ipsi paternitati, ita quòd dicatur ipsa paternitas respicere transcendentaliter Filium, quia si inquantum prædicamentalis totum suum esse est ad Filium, ad quid seruit illa relatio transcendentalis, etiam ad Filium imbibita in ipsa relatione prædicamentali? benè verum est, quod in creatis Pater, inquantum causa productiua Filij, transcendentaliter ipsum respicit, sicut quælibet causa suum effectum: Sed hoc est, quia supponitur in Patre creato persona absoluta, & virtus causatiua etiam absoluta propria ipsius, & non communis Filio, & talis virtus, & causa possunt transcendentaliter respicere effectū, sicut terminum, à quo specificantur; imo ideo transcendentaliter respiciunt, quia res absolutæ sunt, & non relationes prædicamentales.

1466 *Relatio Paternitatis non potest transcendentaliter respicere terminū.*

Ipsa autem relatio prędicamentalis ipsius paternitatis, non potest transcendentaliter respicere terminum vltra hoc, quod est respicere prædicamentaliter, quia ad nihil seruit talis respicientia, siquidem relatio prędicamentalis solum respicit terminum, vt purum terminum, & correlatiuum, transcendentalis vero respicit, vt effectum, vel obiectum: ergo relatio prędicamentalis non potest habere superadditam relationem

relationem transcendentalem. Et vlterius in diuinis sola relatio, quæ respicit purum terminum, habet oppositionem, & distinctionem à suo correlatiuo, transcendentalis vero nō importat oppositionem cū termino, quia non respicit illum, vt correlatiuum, & purum terminum: ergo non est talis relatio notionalis, & propria Patris, neque conducens ad potentiā generatiuam, quia ad hanc solum conducit relatio, quæ distinguat illam à Filio ex parte sui connotati, & reddat illam propriam Patris.

1467 *1. Instabis.* Quod si dicatur: illam relationem transcendentalem non esse ipsiusmet paternitatis erga Filium, neq; entitatis diuinæ, vt relatiua est, sed vt absoluta.

Precluditur, quia essentia, vt absoluta, est communis omnibus personis. Nihil ad propositum potentiæ generatiuæ est, quia essentia absoluta, inquantum absoluta, non est propria Patris, sed communis omnibus personis, nec fundat relationem transcendentalem ad Filium, vt ad terminum productum, & distinctum, quia essentia secundum entitatem absolutam nō generat, nec producit, sed summe identificatur cum Filio. Non ergo habet relationem transcendentem ad Filium, nec si haberet, illa conduceret ad potentiam generatiuam constituendam, siquidem prout sic, non est relatio propria Patris, sed essentiæ, seu absolutæ entitatis erga Filium; non ergo conducit ad constitutionem potentiæ generatiuæ, quia hæc est propria Patris, inquantum distinguitur à Filio, quia communicatur ei potentia generatiua, ergo relatio, quam connotat, vel dicit in obliquo, debet esse talis, quæ sit in solo Patre, & in ea distinguatur à Filio, seu incommunicabilis sit Filio. Relatio autem transcendens, si est ipsa absoluta entitas, & essentia Dei, non autem paternitas, seu relatio alia opposita, & prædicamentalis, non est propria solius Patris, aut si est propria, debet esse opposita Filio, & respicere illum, vt purum terminum, & opponi ei, tanquam relatio secundum esse, atque adeo desinet esse transcendentalis.

1468 *2. Instabis.* Dices: nam Pater non solum respicit Filium, vt Filium sibi similem, sed vt terminum productum, ergo non solum refertur ad illum, vt ad purum terminum correlatiuum, sed vt ad productum: ergo relatione transcendentali respicit illum, vt productū, licet prædicamentali respiciat illum, vt correlatiuū, seu relatione secundum esse.

Resp. Patrem respicere Filiū vt productum in esse formaliter relatiuo. Resp. dist. Antec. respicit illum, vt terminum productum, distinguo, vt productum in ipso esse relatiuo, seu correlatiuo prædicamentali filiationis, concedo, vt productum in esse absoluto, vel in aliquo esse dependenti, nego. Ad respiciendum autem terminum productum, qui non est aliud, quàm relatio prædicamentalis opposita, non est necessaria relatio transcendentalis, sed ipsa prædicamentalis sufficit, quia inquantum talis in Deo subsistens est, & producere potens in ratione principij subsistens terminum suum correlatiuum, & ex hoc etiam habet esse aliquid de connotato requisitum ad potentiam generatiuam, vt iam explicamus.

1469 *Petes 2.* Petes 2. *An relicta relatione transcendentali, Potentia generatiua in recto dicat essentiam, & in obliquo Relationem.*

Resp. affirm. Quare relicta hac transcendentali relatione, & solùm agnoscendo quatuor relationes reales in Deo, quæ prædicamentales sunt, siue reales secundùm esse, redeundum nobis est ad sententiam D. Th. iuxta quā dicimus potentiam generatiuam importare in recto essentiam, seu virtutem diuinam absolutam, & de connotato, seu in obliquo dicere relationem, quatenus non potest essentia ipsa dici fæcunda ad generandum, nisi in subiecto, seu persona apta ad tale munus.

Prob. quia essentia non est apta ad generandum, nisi in se habeat distinctionem. Non est autem apta, nisi habeat in se rationem oppositionis, seu distinctionis à termino generando, neque oppositio ista haberi potest nisi in vi relationis prædicamentalis, quæ sola oppositionem realem fundat in diuinis. ergo illa requiritur, vt conditio ex parte subiecti, seu personæ generantis, vt virtus, seu potentia generatiua sit. Itaque potentia generatiua, & importat virtutem producendi, & assimilādi terminum genitum ipsi generanti, & requirit tanquam conditionem, vt sit distinctus, & egreditur tanquam distinctus, à suo producente, & generante, quod nam ab ipsa forma, seu natura, quæ est actualitas, seu actiuitas producendi, siue radicalis, siue proxima, nō requirit distinctionem, cum potius in processionibus diuinis ad hoc detur processio, vt communicetur eadem natura, eo quod consubstantiale esse debet vtrumque extremum, tàm procedens, quàm producens. Si ergo in potentia generatiua consideretur virtus, seu actiuitas producendi, hæc non potest esse relatio, tùm quia relatio non est actiua, sed purè respectiua, & sic habet terminum, vt purè correlatiuum, non vt productum; tùm quia relatio tenet se ex parte subsistentiæ, cum relatio sit forma, qua persona constituitur in esse personæ terminatæ, & incommunicabilis: subsistentia autem nō se habet, vt virtus, & ratio agendi, nec vt forma, cui correspondeat assimilatio, & specifica ratio in termino producto, vel in operatione. species enim operationis sumitur ex natura, vt ex radice, quia natura est principium motus, seu operationis, sed habet se, vt terminus constituens principium, *quod*: ergo ipsa non est virtus generatiua.

Tum denique, quia potentia, seu virtus agendi, & generandi, vel est virtus radicalis, & hæc est natura, vel est virtus proxima, sicut potentia, quæ est attributum, & propria; alio, & hæc non potest esse relatio, quia hæc virtus consideratur, vt actiuitas proxima ipsius naturæ, & sicut instrumentum eius influxiuum in terminum. Vnde potentia generatiua debet esse id, in quo terminus productus, & genitus assimilatur generanti, si sumatur pro potentia radicali, & remota, quæ est ipsa natura: in hac enim assimilatur genitum generanti. Si vero sumatur pro potentia proxima, in ea non fit assimilatio, sed est medium, & instrumentum, quo essuit à natura assimilatio. Sed in Deo, vbi videtur summa actualitas, & actiuitas in natura, non est potentia proxima, tanquā medium superadditum, & instrumentum operandi: vnde id, in quo fit assimilatio, scil. natura est immediatum operatiuum. Cùm ergo non fiat assimilatio in relatione, quia potius in relatione Pater, & Filius sunt dissimiles, cùm sint oppositi, & distincti, sequitur, quod ipsa relatio non est id, quo fit generatio, tanquam principio *quo*, & virtute influxiua.

1470 Confirm. quia virtus generandi, vel est proxima, & est potentia, vel radicalis, & est natura.

Quod verò requirat relationem, tanquam connotatum, vel conditionem, vt virtus illa sit potentia generatiua, & sit fæcunda ad producendum, patet, tum quia sine relatione non datur oppositio, neque distinctio inter rem producentem, & procedentem; potentia autem generatiua est ad producendum Filium, qui est persona distincta à persona generante; ergo requirit illa potentia hanc conditionem ex parte personæ generantis, vt distincta sit a re genita, quod solùm habet per relationem.

1471 Quòd Relatio requiratur tanquam connotatū. Prob.

Tum quia potentia generatiua sub ratione, seu appellatione generatiuæ, non est communicabilis Filio, neque Spiritui S. cum ipsi generare non possint alium Filium, sed est propria Patris, nihil autem est proprium vnius personæ, & incommunicabilis alteri nisi per relationem, quæ sola oppositionem, & incommunicabilitatem facit in diuinis: aliàs enim omnia sunt vnum, ergo potentia generatiua relationem debet includere de connotato, & in obliquo, & tanquā conditionem, & non aliam relationem, quam quæ oppositionem facit cum correlatiuo, quæ est relatio prædicamentalis, non transcendentalis.

1. Confir. quia potentia generatiua non est communicabilis, vt sic.

Itaq; eademmet forma, prout in suo subiecto seu prout sic modificata, præbet vnum effectum, quem non præbet in alio subiecto, seu aliter modificata, sicut species visibiles in aere non informant intentionaliter, & repræsentatiuè, sicut informant, & repræsentant potentiæ visiuæ, Gratia in nobis, qui sumus persona extranea, constituit Filium adoptiuum, non in Christo; qui est persona diuina. calor in animali generat carnem, non in igne, sic ergo essentia modificata paternitate, est virtus generatiua, & Deus generans; in Filio non est potentia generatiua, sed Deus genitus. Et hæc modificatio, seu connotatio intrinseca

2. Confir. quia eadem forma in vno subiecto, tribuit vnū effectum, quem non tribuit in alio.

intrinseca est ipsi virtuti generatiuæ, id est intrinsecè est requisita ad ipsam generatiuam virtutem, quia sine ipsa non datur distinctio inter producens, & productum; sine distinctione autem non datur generatio intrinsecè, & essentialiter, sed hoc se habet per modum conditionis requisitæ, quia ex parte personę agentis se tenet; non vt forma ipsa, seu virtus formaliter influxiua & assimilatiua, vt ostensum est.

1472 *Petes 3.*

Petes 3. *An potentia generatiua, ità sit propria Patris, quòd non sit in Filio sub eadem formalitate?*

Resp. Ad 1. rationem dubitandi in disp.

Ad rationes dubitandi in disp. principio, Resp. ad 1. quod potentia generatiua ita est propria Patris, quod non est Filio sub formalitate, & appellatione potentiæ generatiuæ; sed tamen totum, quod virtutis, & perfectionis est in potentia generatiua, est in Filio, totum quod connotationis, & relationis connotatæ, seu per modum conditionis requisitæ, non est in Filio, sed ipsamet essentia, & virtus, quæ est in Patre, vt generans, est in Filio, vt terminans, & complens generationem, & vt res genita; & in Deo paris, & eiusdem perfectionis est principiare generationem, & terminare; & principiare est Patris, terminare Filij.

Confirm. quia essentia, vt generans non est Filius.

Neque hoc mirum est de potentia generatiua: nam etiam ipsa essentia, & natura diuina, & ipse Deus, vt generans, id est, vt modificatus, & affectus paternitate non est Filius, quia Filius est Deus, vt genitus, non vt generans: sic cum potentia generatiuam dicat essentiam diuinam, non quomodocumque, sed vt modificatam relatione ipsa paternitatis, ita propria efficitur Patris potentia generatiua, ratione modificationis, & connotationis, quam importat, sicut Deus, vt generans.

Deitas, vt principium quo generandi, nō est in Filio.

Nam sicut Deus, vt generans non est in Filio, licèt totum, quod est Dei, sit in Filio, ita Deitas, vt principium *quo* generandi, non est in Filio, licèt tota Deitas, & tota virtus illius potentiæ sit in Filio: sufficit enim, vt dicatur aliquid absolutum proprium alicuius personæ, quod sit proprium, non ratione absoluti, sed ratione modificationis relatiuæ importatæ in obliquo, & de connotato: prout enim sic modificata essentia, vel virtus restringitur ad illam personam, seu relationem, cuius modificationem importat, & non communicatur alteri, prout sic modificata, licet aliàs ex se, & ex parte conceptus absoluti communicabilis sit.

1473 *Petes 4.*

Petes 4. *An Potentia generatiua ex parte formæ, debeat esse distincta à genito.*

Resp. non debere distingui.

Ad 2. Resp ex D. Th. in hac q. 41. art. 5. ad 1. quod in hac generatione diuina, quæ infinite perfecta est, & consubstantialis, id quod est principium *quo* generando non debet distingui ab ipso genito, seu communicari, quia si genitum procedit, vt consubstantiale suo principio, procedit, vt accipiens in se, & idētificans sibi id, quod naturæ, & actualitas, & virtutis est in suo principio; hoc autem est potentia, & virtus generatiua, siue proximè, siuè radicaliter consideretur.

Potentia generatiua ex parte formæ, non debet esse distincta à genito.

Itaque tantum abest, quòd potentia generatiua, à qua procedit genitum, debeat esse distincta ex parte formæ, & virtus ab ipso genito, quod potius in eo, quod virtutis, & formæ est, debet ei esse consubstantialis, & identificata. Solum ergo debet esse distincta à genito ex parte relationis connotatæ, quod pertinet ad conditionem ex parte personæ, & principij, *quod* se tenentem. Et quando dicitur, quod genitum, seu terminus progreditur realiter ab ipsa: ergo debet distingui ab ipsa, dist. Antec. progreditur, vt realiter distincta ab ipsa in relatione connotata, concedo in forma & virtute, qua producitur, nego, quia secundum hanc procedit terminus, vt consubstantialis suo generanti, distinctus autem solum in relatione, & principio, *quod*.

Principium, quod solum est incommunicabile.

Ex hoc solum, quod ex parte principij, *quod* se tenet, est incommunicabile in potentia generatiua: reliquum vero, quod ex parte virtutis, & formæ, & naturæ se tenet, communicabile, & consubstantiale est Patri, & Filio. Et sic potentia generatiua formaliter, & sub propria appellatione sumpta non est in Filio, tota verò virtus, & actualitas huius potentiæ est in Filio, sed sub alia modificatione, scil. vt terminans, non vt principians generationem.

1474 *Petes 5.*

Petes 5. *Quomodo Paternitas fundetur in potentia generatiua, & etiam ipsam potentiam generatiuam præcedat.*

Resp. ad rationem dubitandi pro altera parte.

Ad rationes dubitandi, quæ pro altera parte afferuntur; duas primas concedimus, quia probant nostram sententiam pro ea parte, quia asserimus, potentiam generatiuam importare in recto essentiam secundum vim intellectiuam, & expressiuam. Quòd vero non importet relationem etiam ex parte connotati, & tanquam conditionem ex parte subiecti, seu personæ, & principij, *quod* se tenentem non impugnant. Ad vltimam vero rationem, qua probatur, non posse etiam de connotato importari relationem prædicamentalem, sed transcendentalem. Resp. ex dictis, non debere importari, nisi relationē oppositam, & distinctam realiter à termino genito, & hæc relatio prędicamentalis, seu secundùm esse, non transcendentalis.

Instabis.

Resp. Paternitatem fundari in actu generationis, & ipsū præcedere.

Et ad instantiam, quòd paternitas sub conceptu expresso paternitatis fundatur in potentia generatiua, Resp ex dictis, quod fundatur in potentia generatiua, & in ipso actu generationis paternitas quantum exercitium attingendi terminum, sed præcedit generationem, & potentiam generatiuam, inquantū relatio subsistens, & in ratione hypostasis, vt dicit S. Th. q. 40. art. 4. & nos supra ostendimus. Et relatio, vt subsistens sufficit ad connotationem, & ad conditionem requisitam ex parte subiecti ad potentiam generatiuam: nam potentia generatiua non requirit connotationem relationis, nisi quatenus illa relatio facit personam subsistentem, & incommunicabilem in sua entitate, & consequenter in entitate sua distinctam à persona genita, qua distinctione posita ex parte personæ, ipsamet essentia habet vim producendi, vt principium *quo*, & per modum virtutis aliam personam, quæ distincta sit personaliter, & relatiue à persona generante. Sed non à potentia generatiua, quantum ad ipsam formam, & virtutē, qua producit, quia hæc virtus, & forma consubstantialiter esse debet in ipsa re genita.

1473 *Ad potentiam generatiuam non requiritur relatio exercita.*

Non autem requiritur ad potentiam generatiuā, quod habeat pro connotato, & conditione requisita ipsam Patris relationem, vt in exercitio respiciendi, tangit terminum, sed prout in entitate relationis subsistens est, & entitas incommunicabilis, & opposita: hoc enim habet antecedenter ad generationē, seu potentiam generatiuam, quia est secundùm se illa entitas distincta, & opposita, & subsistens secundum conceptum relationis signatæ, non exercitum, vt q. superiori art. 2. dictum est.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum potentia generandi significet relationem, & non essentiam.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Potentia generatiua in diuinis significet substantiam, siuè naturam in recto: & primò: Relationem verò in obliquo, & secundario. Prob. decl. nam sicut in sorte v. g. possunt duæ formæ considerari. forma specifica, quæ est in sorte, & est humanitas, per quam ipse sortes constituitur in esse hominis. & sorteitas, seu forma indiuidualis qua constituitur in esse particulari. ista duo sic se habent ad sortem, respectù operationum sortis, quod sorteitas constituit tantùm ipsum in esse singulari, sed non est principium operatione sortis: aliàs sortes generaret sortem: ipsa verò forma specifica est principium operandi ipsi sorti & prop-

& propterea Sortes nō generat Sortem, ſed hominem. aſcendendo igitur in diuinis proportionabiliter &c.

Arg. 1. principium in diuinis reſpectū perſonæ ſignificat relationem. quia dicitur notionaliter, ſed potentia generandi ſignificat principium. ergo. Reſp. diſt. ma. in principio generante tria poſſunt conſiderari; ipſum generans, & eſt id, quod; forma qua agens agit; & eſt id, quo; & habitudo inter generans, & genitum; de hoc tertio, conced. ma. non de primis. & tunc neg. mi. quia potentia eſt principium quo.

Arg. 2. in diuinis non differunt generare, & poſſe generare. Sed generatio ſignificat relationem, vt dictum eſt. ergo. Reſp. diſt. ma. non differunt ſecundum rem, concedo: ſecundum rationem, nego: quæ diſtinctio ſicut ſufficit, vt eſſentia, licèt idem re cum relatione, non ſit relatio, ità ſufficit, vt poſſe generare, non ſit formaliter relatio.

Arg. 3. Potentia generatiua non eſt communis tribus perſonis, ſicut eſſentia. ergo. Reſp. Potentiam generatiuam ſignificare eſſentiam in recto, & ſic eſt communis tribus perſonis; ex obliquo relationem, & ſic eſt propria Patris: completè vtrumque ſignificat, & ſoli Patri competit.

DISPVTATIO CCXVII.

An potentia generandi ſignificet relationem, & non eſſentiam.

1476 Concluſio ſimpliciter neg. patet ex dictis dub. præced.

Concl. ſimpliciter negatiua, patet ex diſp. & dub. præced. non ſolum reſpondens limitato titulo articuli de potentia generandi, ſed etiam vniuerſaliùs id negans de potentia ſpirandi. iuxta prima verba articuli, videtur, quod potentia generandi, vel ſpirandi, &c. & iuxta dicta dub. præced. ſenſus eſſe debet, Actuum notionalium, hoc eſt, generationis paſſiuæ Filij, & ſpirationis paſſiuæ Spiritus ſancti, principium productiuum, vt quod, eſt ipſa perſona producens, de quo nemo dubitat. principium verò productiuum, vt quo, & dici ſolet principium formale, & potentia notionalis, non eſt ſola relatio abſque eſſentia, ſiue, vt præciſa ab eſſentia, ſed neceſſariò includit eſſentiam.

Authores nostræ Concluſioni.

Ita omnes, exceptis quibuſdam, quos ſine nomine S. Th. initio Corporis refert, & deinde impugnat. Quos ſequuti ſunt Bonauent. 1. d. 7. art. vnico q. 1. Duran. q. 2. à n. 29. Carthuſian. q. 1 idem tribuens Henrico, & Altiſsiodorenſi. Sed Henricus, etiam in verbis, quæ Carthuſ. refert ex quodl. 3. q. 3. clarè dicit, eſſentiam claudi in conceptu potentiæ. ſimiliter pro Concluſione eſt expreſsè Altiſsiodoren. l. 1. c. 6. q. 3. vndè initio quæſtionis ita teſtatur, Communis eſt omnium opinio, quod cum dicitur Pater, poteſt generare Filium, hoc verbum, poteſt, prædicat diuinam eſſentiam, *& ideo propè finem concedit, quod* potentia generandi eſt in Filio, id eſt, *inquit*, potentia, qua poteſt aliquis generare, eſt in Filio.

eſt etiã D. Th.

Neque S. Thom. per illa verba 1. diſt. 7. qu. 1. art. 2. poſt med. Corporis eſſentia ſecundùm quod eſt ipſa paternitas, eſt principium huius actus, qui eſt generare, *habet contrariam ſententiam, quam hoc loco retractauerit, vt ei imponunt Capreol. 1. diſt. 7. qu. 1. art. 1. fin. & Caiet. hic ante §.* circa finem. *nam facilè poteſt accipi iuxta ſenſum huius articuli explicandum, vt accipit Heruæus, quem referunt, & ſequuntur Syluester p. p. conflati qu. 27 art. 6. ad 5. & Nazar. hic in expoſitione textus.*

1477 1. Ratio Cōcl. ex Patribus.

Prob. 1. Concluſio ex Patribus, qui Filij generationem ſæpè tribuunt naturæ Dei Patris. Clarius loquuntur magnus Dyoniſius de diuinis nomin. cap. 2. aliquanto poſt med. vocans Ieſum, & Spiritum Sanctū fœcundæ Diuinitatis germina à Deo prodeuntia. *Baſil. lib. 5 contra Eunomium §. 15. multò poſt principium de Filijs Dei adoptiuis ait.* Filij non veri ſunt, à natura enim, ac veritate res proficiſcuntur. *Contra verò de Verbo æterno ſuo. ingit, eſſe verum Filium Dei, quia, inquit,* natura eſſentialiter ab ipſo natus eſt, *& aliquanto ante finem dicitur,* Deus natura generās, *& paulò poſt de Deo Patre credendum eſſe docet,* natura diuina proprium Filium genuiſſe. *Poteſtas, & virtus naturæ importat propriè naturalem quamdam potentiam in ipſa natura intrinſecè incluſam; qualis non eſt ſola paternitatis relatio, quæ eſt naturæ terminus potius, quàm virtus.*

Idē cōfirmat. D. Cirillus. Damaſc. & Alij

Cyril. lib. 1. Theſauri cap. 7. aliquanto ante fin. cùm de Patre dixiſſet, generatiua virtute indiuiſibiliter generat: *ſtatim hanc virtutem vocat generatiuam eſſentiam, ſubdens,* Generatiua eſſentia Dei nullam diuiſionem, nullum defluxum, nullam paſſionem patitur, cum vnicus eius Filius ex ipſa effulſerit, *& cap. 8. non longè à fine dixerat,* Generandi vim naturaliter Pater habet, & creandi vim. *Idq; ſtatim ita probat,* hæc enim omnia in vna natura ſunt. *ſignificans, quòd ſicut vis creandi ad naturam intrinſecè pertinet, non præcisè, & ſolùm ad perſonalitatem; ità quoque; & vis generandi: & Dialogorum de Trinit. lib. 2. col. 4. ante fin. docet,* Confitendum genitorem eſſe ſecundùm naturam Patrem; *& paulo poſt, naturam Patris non ſemel vocat* naturam generatiuam. *Si vis generandi eſſet in ſola paternitate ac perſonalitate; non natura, ſed ſola perſona dici poſſet generatiua; & Pater non ſecundum naturam. ſed ſecundum perſonam tantum eſſet genitor. Damaſc. lib. 1. fidei cap. 8. inter med. & fin. loquens de æterna Verbi generatione, ait,* Naturæ opus eſt, & ex ſubſtantia eius perfecta.

1478 Petes 1.

Petes 1. An illud propriè dicatur Potētia in quocumque agente vniuoco, quo agens agit formaliter?

Reſp. affirmatiuè. illud propriè dicitur potentia in agente vniuoco, quo agens agit formaliter.

Prob. 2. rationibus. Primo ex S. Th. initio Corp. cuius ratio, vt ſit vniuerſalis, nimirum de omni agente vniuoco, & in debita forma, hunc in modum clarius proponenda, & explicanda videtur; illud propriè dicitur potētia in quocumque agente, quo agens agit, *nimirum formaliter, tanquam ratio aliqua intrinſeca agentis, & ad actionem præſuppoſita, tanquam formale principium, vel productiuum actionis, vel productiuum termini per actionem, qua limitatione potentiæ excluduntur non ſolum conditiones extrinſecæ loci. & temporis, ſed etiam conditiones intrinſecæ neceſſariò prærequiſitæ ad agendum, non tamen vt formalia agendi principia, cuiuſmodi ſunt exiſtentia, ſubſiſtentia, & aliæ ſimiles.*

Hæc ratio agendi eſt illud, in quo productum aſſimilatur producenti.

Sed illud, quo agens agit modo explicato, eſt illud, in quo productum aſſimilatur producenti, vt homo genitus, eſt ſimilis generanti in natura humana, quæ eſt principium formale generandi hominem: ergo illa eſt dicenda potentia formalis, in quocumque agente, ſecundum quam productum aſſimilatur producenti. Sed in diuinis perſona producta aſſimilatur producenti in natura, non in perſonalitate, ſeu relatione: ergo potentia, ſeu principium formale quo, *productiuum in diuinis, eſt natura, non perſonalitas, ſeu relatio; ſaltem non eſt ſola relatio, quòd tantùm probare intendit hæc prima Concluſ.*

1479 Extēditur hęc doctrina in diuinis.

Hanc vniuerſalem rationem, de qualibet potentia notionali applicat S. Thom. particulari potentiæ notionali generatiuæ, ita ſubſumens ex præcedenti diſcurſu. Illud eſt potentia generatiua in aliquo generante, in quo genitum aſſimilatur generanti. Filius autem Dei ſimilatur Patri gignenti in natura diuina. Vndè natura diuina in Patre eſt potētia generandi in ipſo. *In qua ratione, vt ſit propria generatiuæ potentia, debet natura ſumi ſtrictè pro pura eſſentia, non ſolùm vt diſtincta contra perſonam, ſed etiam contra attributa. Vndè ſequitur, in hac perfectiſſima, & eſſentiali intellectualitate, ſecundùm quam Deus generans aſſimilatur formaliter* Deo genito, *conſiſtere formalem potentiam generatiuam, ſiuè immediatum, & formale principium, quo Deus Pater gignit Filium.*

Si verò

1480 Si natura sumatur largius conuenit etiã Spiritui S.

Si verò natura largiùs sumatur, prout complectitur, non solùm essentiam, sed etiam attributa, ac proprietates essentiæ, & distinguitur tantùm à personalitatibus; eadem ratio accommodari potest potentiæ notionali spiratiuæ, quæ & si non sit natura, hoc est essentia, tamen est natura, hoc est naturalis proprietas essentiæ, nempe voluntas Patris, & Filij, & in qua Spiritus S. spiratus illis assimilatur, & non in personalitatibus, ac relationibus: cùm ex vi formali suæ processionis communicetur Spiritui S. eadem voluntas Patris, & Filij, vndè immediatè, & formaliter procedit, vt in proprio loco superius explicatum est.

Confirm. ex D. Hilario.

Hanc rationem confirmat S. Thomas verbis Hilarij, quæ citat ex l. 1. de Trin. sed non inuenio, nisi in lib. 5. non longè à fine. Natiuitas Dei non potest non eam, ex qua perfecta est, tenere naturam. Neque enim aliud, quam Deus subsistit, quod non aliunde, quàm ex Deo Deus subsistit. *Optimè probat ex natiuitate, quæ est passiua generatio Filij Dei habere naturam diuinã, quia talis generatio profecta, & orta est ex ipsamet diuina natura. & ideo Filium genitum subsistere Deum, in eadem Deitate cum Deo Patre, quia ex ipsamet Deitate Patris emanauit.*

1481 Petes 2.

Petes 2. An sola Relatio possit esse formale principium productiuum in diuinis.

Resp. neg. Prima ratio.

Secunda ratio. Sola relatio, aut sola personalitas præcisè considerata dici non potest principium formale, & immediatum operandi, seu producendi, cuius generis principium omnes intelligimus nomine potentiæ productiuæ, relatio enim, vt relatio, non est virtus actiua, etiam in diuinis, sed solùm referendi, & supposítandi, & distinguendi vnam personam ab alia, & constituendi in esse incommunicabili; ex quo sequitur, non posse esse vim producendi, quia hæc est opposita vis cõmunicandi, & constituendi in esse communicatiuo.

Confirm. ex Capreolo.

Quam dubitationem rectè tetigit Capreol. 1. d. 7. q. 1. art. 2. ad argumenta primo loco inducta contra secundam Concl. ad 3. dicens de relatione diuina, Ex eo, quod habet vim constituendi in esse incommunicabili, nõ potest habere vim principiandi productionem, aut productum. *Præterea persona non agit per suam personalitatem, sed per naturam. Quod ita suadet S. Th. post med. Corp.* Paternitas habet se ad personam Patris, vt forma indiuidualis ad aliquid indiuiduum creatum. Forma autem indiuidualis in rebus creatis constituit personam generantem, non autem est quo generans generat; alioquin Sortes generaret Sortem. Vnde neq; Paternitas potest intelligi, vt quo Pater generat, sed vt constituens personam generãtis; alioquin Pater generaret Patrem. *Quæ Conseq. fundatur in principio supra posito, quod id, quo generans generat, & potentia generatiua in obliquo generante, illud est, in quo genitum similiter generanti.*

Confirm. ex D. Thoma.

1482 2. Prob. quia Relatio non est communicatiua in diuinis.

Tertia ratio, quia cum actus notionales sint rationes substantiales, & vt tales, quibus communicatur perfectissima vita substantialis intellectiua, & volitiua, oriri debeat à principio, quod sit vita substantialis, quã vitæ rationem non habet relatio per se, & præcisè, sed sola essentia. Præterea si consideretur sola relatio, vt potentia, siue vt principium, dico non possunt personæ diuinæ procedere per intellectum, & voluntatem, vt communicatiuæ quoniam relatio, vt relatio, neque intellectus, neque voluntas dici potest. Et cum sit incommunicabilis, non potest per se intelligi, vt dans formaliter communicabilitatem, & fœcunditatem. ergo non vt formale principium productionis, & communicationis, sed hæc omnia clara patent ex disp. præced.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum vnus actus notionalis ad plures personas terminari possit, ita vt sint plures personæ genitæ, vel spiratæ in diuinis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio in Diuinis est tantùm vnus Pater, vnus filius, & vnus Spiritus Sãctus. ac proinde vnus actus notionalis non potest terminari ad plures personas. Prob. tùm, quia formæ sub eadem specie multiplicantur per materiam, quę non est in Deo. Tũ quia Deus omnia intelligit, & vult vnico simplicissimo actu comprehensiuo. tùm, quia filius, ideò est perfectus, quia continet totam diuinam filiationem, ergo vnus tantùm filius, & vna filiatio &c.

Arg. 1. in filio inest potentia generandi, quę est ipsa essentia. ergo. Resp. dist. Antec. potentia passiua conced. Antec. actiua, neg. & hoc accidit propter notionale adiunctum, nam cum dico potentiam, significo essentiã, vt dictum est. dum addo, ly generandi actiuè, tunc restringitur ad personã Patris; sic ut passiuè ad filium.

Arg. 2. ex August. lib. 3. cap. 12. con. max. filius non genuit creatorem, neque enim non potuit; sed non oportuit. ergo. Respon. neg. conseq. August. enim non intendit ostendere, quòd filius in diuinis possit generare alium filium, sed quod non generare alium filium, non prouenit ex impotentia filij, sed aliundè, vt infrà quęst. seq. art. 6. ad 3.

Arg. 3. Pater diuinus est potentior ad generandum, quàm creatus: ergo sicut hic, plures potest filios generare. Respond. neg. conseq. nam non generare plures filios non prouenit ex impotentia patris in diuinis; sed ex maxima perfectione infinitę generationis, vt dictum est.

DISPVTATIO CCXVIII.

Quid sit terminus diuinarum productionum ad intra.

1483 1 Conclusio. terminus, vt quod est ipsa persona producta.

P*Rima Concl. terminus adæquatus, & completus, siuè totalis, & vltimatus, vt quod, est secundùm omnes ipsa persona, quæ tota verè, & realiter producitur; ita vt non producatur sola relatio in essentia, sed producatur tota persona, realiter accipiens à principio producente, non solùm esse relatiuum personalitatis, verum etiam ipsum esse absolutum essentię. Iuxta hanc explicationem non dubito, quia conclusio sit veritas fidei. Nam Concilia apertè definiunt, personam productam à producente habere etiam esse Deum.*

Prob. ex sexta synodo.

Sexta Synodus act. 11. in epist. Sophronij, in fidei professione, initio ait de Filio Dei, Nec aliunde, quam ex Patre ipsam substantiam habet. *Florent. in litteris vnionis post med. docet,* Omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater vnigenito suo gignendo dedit, præter esse Patrem. *Sed Filius, & si non sit Pater, tamen est Deus. ergo Pater per generationem dedit Filio esse Deum; & paulò ante de Spiritu Sancto, magis directè, & clarè,* Hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur, sicque omnes proficeantur; quia Spiritus Sancti essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio.

1484 2. Conc. Diuinarum processionũ terminus formalis est diuina essentia.

2. Concl. Diuinarum processionum terminus formalis, simpliciter loquendo dici debet natura ipsa diuina. Ita sentit, & loquitur S. Thom. 1. dist. quæst. 3. artic. vnico, vbi eum explicat, & sequitur Capreol. ibid. artic. 1. Concl. 1. & alij valde communiter contra Aureol. 1. d. 5. quæst. vnica artic. 2. propos. 3. & artic. 3. §. 2. Ocham. quæst. 3. Armin. quæst. 2. artic. 2. Conclus. 2. Gabrielem quæst. 3. artic. 2. concedentes, nullum alium dari formalem terminum præter personam ipsam iuxta præcedentem Conclus. & Durand. 1. d. 7. quæst. 2. num. 19. qui vult, principium

KK esse

esse solum relationem producentis, ita etiam terminum esse solam relationem producti.

1485
Ratio est, quia terminus formalis est ille, in quo productum assimilatur producenti.

Fundamentum probabilissimum est, quia in omni productione terminus formalis, remotis creaturarum imperfectionibus, sufficienter intelligitur, vt sit ille, in quo formaliter assimilatur productum producenti, quã formalem assimilationẽ primario intendit producens, cum ideò producat, vt communicet alteri suum esse, & suum principium producendi. Totus autem iste conceptus termini formalis, vbi nulla apparet imperfectio reperitur in diuinis productionibus ad intra, non quidem cum actuali distinctione inter plura in eadem persona, quorum vnum sit terminus formalis, & non aliud, sed cum sola distinctione virtuali inter naturam, & personalitatem.

Hic terminus formalis non potest esse personalitas.

Hinc igitur formalis terminus non potest esse personalitas, secundum quam persona producens, & persona producta differunt non solùm realiter, sed formaliter, & quasi specie. ergo est sola natura, in qua sola tanquam forma, omnes personæ habent summam formalem conuenientiam, hoc est, & specificam, & numericam, qua sunt vnus numero Deus, & realiter, & formaliter: eamque conuenientiam omnis diuina productio per se intendit, ac spectat, vel perfectione formali, aut generatio Verbi diuini; vel perfectione reali, vt spiratio diuini Amoris. Atque hac ratione intelligimus, diuinas productiones esse quasi vniuocas nõ æquiuocas, cuiusmodi essent, si terminarentur ad oppositas relationes, quæ sunt diuersæ rationis.

1486
3 Concl. eadẽ natura est terminus productionis diuinæ, vt productio est.

3. Concl. eadem natura est formalis terminus diuinæ productionis, vt formaliter productio est, & non vt est formaliter communicatio. Supponit Concl diuinam processionem considerari posse, & vt formaliter productionem, & vt formaliter communicationem. Assero igitur naturam esse terminum formalem processionis conceptæ sub formali, siuè explicita ratione productionis, non autem sub formali, & explicita ratione communicationis. Est contra aliquot recentiores contrario modo loquentes, qui fortasse possunt intelligi iuxta duas alias sequentes Conclusiones.

1487
Prob. 1 quia nihil aliud præter essentiam habere potest rationẽ cõmunicati.

Hæc enim Concl. vt iacet, videtur satis certa. Primò, quia cum in persona producta nihil habere possit rationem communicati, nisi natura, quæ sola est producto, & producenti communis; nam personæ, ac personalitates sunt propriæ, & realiter inuicem distinctæ; & ideò producto, non communicatæ; & communicatio vt sic non possit terminari ad productum, sed ad communicatum, manifestè sequitur, naturam respectu communicationis formaliter non posse habere rationem termini formalis, & vt quo, sed potius termini totalis, & vt quod.

2. Prob. nam productio nõ solum habet producere, sed etiam producendo cõmunicare.

Secundò productio, vt formaliter productio, non solum habet producere, sed etiam producendo communicare producto formam, seu naturam producentis, qui ideò producit, quia naturaliter per productionem intendat formalem suam similitudinem alteri communicare. Quod apertè explicare videtur S. Thom. quæst. 39. artic. 5. fin. dicens de Deo Patre, Est principium totius Deitatis, non quia eam generet, sed quia eam generando, & spirando communicat. Et in hac quæst. 41. artic. 3. fin. Corp. Necesse est, quod Pater generando Filium, totam naturam ei communicauerit, & non obscurè significat supra Florent illis verbis, gignendo dedit: hoc est producendo communicauit; ergo natura est formalis terminus productionis, vt productio est, qua scilicet intenditur produci aliquid, vt illi communicetur natura, qua formaliter sit producens similis producto. Argumenta dub. seq. adducentur, & soluentur.

DVBIVM VNICVM.

Quis sit terminus formalis diuinæ productionis, vt communicatio, & vt productio est.

1448
1. Concl. terminus formalis productionis, est natura, vt communicata.

Concl. 1. Formalis terminus productionis, vt productio est, est natura, non vt formaliter producta. Sed vt formaliter communicata vi formalis productionis. Quarè productio, vt productio terminatur, & ad personam productam, & ad naturam communicatam, ad illam, tanquam ad terminum totalem, vt *quod*, ad hanc, tanquam ad terminum formalem, & quasi partialem, vt *quo*.

Prob. quia natura diuina nõ potest intelligi producta, neq. à se, neque ab alio.

Fundamentum sumitur ex probatis disp præced. de communi natura diuina, quòd non possit intelligi producta neque à se, neque ab alio, sed tantùm cõmunicata, ergo non potest comparari ad productionem, tanquam terminus formalis productus, sed solùm, vt communicatus, Quod non incongrue nonnulli explicant exemplo naturalis generationis hominis; in qua ita dicitur homo generari, vt *quod*, per illam generationem verè, ac realiter non producatur materia, aut anima, sed sola vnio inter animam, & materiam, quæ producuntur modo longè diuerso per creationem. Sicut igitur hæc generatio est productio vnionis, & communicatio animæ, quia naturali vi illius vnionis, eiusque productionis cõmunicatur anima aliunde producta per creationem; ita per diuinam productionem ad intra producitur persona, & communicatur natura præexistens secundum originem in principio producente, quæ suum esse habet essentialiter ex se, per nullã actionem productum.

1489
2. Concl. Terminus, vt quo diuinæ productionis productus est personalitas.

2. Concl. Productionis diuinæ terminus formalis, & vt *quo*, si consideretur, non vt formaliter communicatus, sed vt formaliter productus, seu potius comproductus, non est natura, sed personalitas. Probatio ex dictis manifesta remanet. In persona producta debent tria distincta considerari. Primo ipsa persona. Secundo personalitas. Tertio natura. Ex his natura nullo modo, etiamsi sumatur, prout est in persona producta, denominari potest producta. Sed solùm est vere, ac realiter communicata vi productionis: ergo ad productionem non potest comparari, vt formalis terminus, nisi vt formaliter communicatus.

Prob. quia natura, nullo modo est terminus formalis, vt quo productus

Contra vero neque persona, neque eius personalitas est communicata, sed potius realiter distincta à communicante, & producente; ergo est producta. Sed persona est terminus vltimato productus, *vt quod*; ergo personalitas, ex qua, vt producta, habet persona formalem rationem producti, dici potest terminus formalis, *vt quo*, vt formaliter productus. Si enim personalitas ipsa non haberet in se aliquam formalem rationem producti, sub qua formaliter terminaret productionem, non posset persona proprie denominari producta. Cur enim persona sit aliquid simplicissimum, in qua nihil aliud est considerare, nisi naturam, & personalitatem, si quemadmodum natura, ita quoque personalitas, nullam in se habere posset rationem termini producti; productio alicuius diuinæ personæ esset plane inintelligibilis.

1490
1. Corollarium. Persona nõ est terminus communicatus.

Hinc intelligimus primò, cur diuina processio, vt communicatio, non habeat vnum terminum communicatum; quia in persona producta nihil potest considerari habens rationem communicati, nisi vna sola natura: ipsa enim persona non est terminus communicatus, sed potius veluti subiectum, cui communicatur natura: vt productio vero habeat duos terminos productos, alterum, *vt quod*, alterum, *vt quo*, quia producitur personalitas, vt per illam productam producatur persona.

2 Corollarium. Cur Personalitas potiùs dicenda sit producta, quàm cõproducta.

Secundo, cur dixerimus, personalitatem dicendam esse comproductam potius, quam productam, quia productionem terminat, non per se, & vltimato, quasi vero productio sistat in personalitate, & non concipienda sit, vlterius progredi, sed quia terminat in natura, siuè vt vnita naturæ per summam identitatem, vt hoc modo oriatur, & constituatur alia distincta persona producta. Quapropter diuinæ productionis formaliter, vt productionis, vltimatus terminus productus, vt *quod* est persona terminus vero quodammodo immediatus, & inadæquatus, & *vt quo*, ipsa persona vltimato producta

producta terminat productionem, est personalitas: ergo hæc dici potius debet comproducta; hoc est non producta per se quasi separata, sed producta vnita, & identificata naturæ, vt ex his produceretur vna alia distincta realiter persona per illam personalitatis productionem primariò, & vltimatò intẽta; & consequenter personalitas est producta simul, ac veluti comproducta cum persona; sicut in creaturis forma materialis dici etiam à multis solet cõproduci, & generari, *vt quo*, quoniam generatur vnita materiæ, & cum illa constituatur vnum compositum generatum, *vt quod*.

1491 *1. Obiectio.*

Arg. 1. ex precipuo fundamento, quod multis probare nituntur Aureol. & Ocham. supra: impugnatur tamen, & soluitur non solum à Capreol. 1. d. 5. q. 1. art. 2. dum respondet ad argumenta contra primã Concl. sed etiam ab ipsomet Arimin. tametsi eamdem, quam Aureolus sententiam contra nos sequatur. Videntur, inquiunt, repugnare ista duo, essentiam nullo modo accipere esse per productionem, & nihilominus eamdem essentiam esse terminum formalem productionis.

Resp. neg. sequelam ex exẽplo nutritionis, qua non producitur suus terminus formalis

Resp. hæc non repugnare, posse efficaciter suaderi, primò exemplo nutritionis, quod Capreol. supra bene retorquet contra Aureol. respondens ad octauum illius argumentum: etenim nutritio est aliqua substantialis productio, vi cuius alimentum cõuertitur in substantiam aliti: cuius productionis terminus formalis est forma informans partem alimenti conuersum, quæ forma, saltem in homine cùm nutritur, non producitur, sed multo ante tempore producta præexistit in corpore, quod nutritur; quo etiam exemplo Aureolum impugnat Ariminensis supra ratione secunda.

Confirm. exemplo Resurrectionis, qua producitur substantialiter homo, ex anima rationali iã præexistente.

Secundò exemplo resurrectionis, quod etiam contra Aureol. retorquent Capreol. ad 7. & Arimin. ad 1. In illa enim producitur substantialiter homo ex anima rationali multò ante præexistente, & tamen illius productionis terminus formalis esse nõ potest alius, quàm anima, quia terminus generationis seu resurrectionis hominis, est homo, sub ratione hominis: ergo terminus formalis esse debet ille, quo vi illius actionis accepto constituitur homo in formali esse hominis, qui terminus est anima.

1492 *Si Deus non crearet, sed infunderet animã iam creatam, esset nihilominùs vera generatio hominis.*

Tertiò similiter, quod etiam Capreol. ibid. contra Aureol. benè vrget, & ante ipsum Arimin. si nunc, quando homo generat hominem, Deus non crearet animam, sed iam diù creatam infunderet, adhuc esset naturalis generatio hominis, & terminus formalis non esset diuersus ab eo, qui nunc est, hoc est, anima. Imò de facto actio generatiua hominis, nõ attingit substantiam animæ, sed solùm dispositiones accidentales, & substantiales, vel etiam vnionem; & anima per aliam diuersissimam actionem creatur. Nec ad illam generationem, eiusque formalem terminum quidquam referre videtur, quod anima creetur in instanti, quo dispositiones naturaliter illam postulant, vel quid antea creata sit; modo in illo instanti infundatur corpori, quam solam infusionẽ naturaliter ex se postulat prædicta actio generatiua, præscindendo, quod anima tunc producatur, vel antea, vel quod sit simpliciter producta: sicut .n. vt constat ex Capreol. ad 3. *in corruptione hominis sua forma non desinit esse, ita nec oportet, quòd in eius generatione incipiat esse*.

1493 *Vt aliquis sit terminus formalis productionis, non requiritur, vt per eam producatur, vel comproducatur.*

Igitur, vt aliquid sit formalis terminus productionis, non necessario requiritur, vt ea productione, vel producatur, vel comproducatur: sed satis est, vt aliunde quomodocumque præexistens vi illius actionis, siue ex naturali exigentia illius communicetur, & in re per illam productionem adæquatè producta, sit formalis ratio illius constitutiua. Quare quod termini formales creaturum productionũ, ita productiones illas terminent, vt simul etiam producantur realiter in esse, id vt acutè aduertit Capreol. supra §. *Ad primum contra primam conclusionem*, non est ex essentiali ratione formalis termini secundum se, sed ex materiali conditione creatorum terminorum, quibus non competit essentialiter, sicut competit naturæ diuinæ, per se subsistere, & esse suum esse solùm igitur, inquit Capreol. *de ratione formalis termini alicuius productionis est, quod per illam productionem communicetur producto, & quod productum capiat esse per illum, & quod per illum terminum productum assimilatur producenti*. Quæ omnia reperiuntur in natura diuina per productionem non producta, sed communicata personæ productæ.

Instabis 1. cum Aureol. *Formalis terminus cuiusquem productionis est illud, quo formaliter totum compositum capit esse, & habet, quòd producatur: Sicut enim formale principium actionis est illud, quo agens agit; sic eius formalis terminus est illud, quo actum agitur. Sed propter, quod vnumquodque tale, & illud magis: ergo formalis terminus magis capit, quod sit ex vi productionis, quàm ipsum productum. Constat autẽ, quòd essentia ex vi generationis non capit entitatem suam: ergo impossibile est, quòd essentia sit terminus formalis.* 1494 *1. Instabis.*

Respondet optimè Arimin. ad 2. & Capreol. ad 3. concedendo simpliciter maiorem, sed negando Conseq. quia Logicum illud axioma in minore nõ benè assumitur. Nam, vt ait Arimin. & iisdem verbis refert, & sequitur Capreol. *Ad veritatem illius inter alia requiritur, quòd illud, propter quod aliud dicitur esse tale, etiam ipsum sit tale: v.g. si conclusio sit nota per principium, ad hoc, vt concludatur, quod principium sit magis notum, necesse est, vt principium sit notum; alioquin non concluderetur sicut patet: nam, quamuis conclusio sit scita; propter principium; quia tamen principium non est scitum, licèt sit notum; non sequitur, quòd principium sit magis scitum. Quia igitur formalis terminus aliquando nõ accipit esse per productionem, non sequitur, quod accipiat magis esse.* Adde, quod axioma non posse habere locum in terminis diuinis, inter quos propter summam eorum indiuisibilitatem, & infinitam perfectionem, & omnimodam æqualitatem non potest fieri comparatio per magis, & minùs. *Resp. ad verificationem illius axiomatis requiri, quod illud propter quod aliquid dicitur esse tale, sit tale.*

Demum essentia diuina est quidem ratio, propter quam persona producta habet esse simpliciter diuinum, communicatum illi per productionem, & ita concedi aliquo modo potest, quod magis, hoc est, per prius, & ex se, ipsa essentia habent illud esse, tamen non est ratio formalis producta, propter quã persona *habeat, quòd producatur*, vt etiam in sua maiore sumit Aureol. hæc enim ratio est personalitas potius, quam essentia, vt supra, & ideò illa dici potest aliquo modo producta magis, quàm persona, hoc est, immediatiùs, & proximiùs, & prius quasi in exequutione, non in intentione. 1495 *Essentia nõ est ratio formalis producta præterquam persona producatur*

Instabis 2. cum Ochamo, *Sicut de ratione termini totalis alicuius productionis est non habere esse totale, nisi per productionem, ita de ratione termini formalis est non habere esse formale, nisi per productionem.* Quam comparationem falsam, conatur suadere primo exemplo materiæ primæ, quæ inquit, *Propterea nec est totalis, nec formalis terminus cuiusquam, quia non habet esse per productionem.* Secundo, *si anima intellectiua esset primo creata, & postea crearetur materia sub ea, non diceretur, quòd anima esset terminus illius productionis, & tamen caperet esse in materia per productionem*: non autem caperet esse simpliciter in se. Ergo, inquit, *formalis terminus productionis est illud, quod capit esse simpliciter per illam productionem.* Tertio, *Non ideò dicitur aliquis terminus formalis, quia forma est: nam si Deus crearet ipsammet materiam per se existentem, ipsa esset terminus formalis, & tamen non esset forma. Et ideo terminus formalis dicitur illud, quod primò, & secundum se totum, habet esse tale per productionem. Cum igitur essentia diuina non capiat esse qualecumque per generationem, sequitur, quod non est formalis terminus generationis.* 1496 *Instabis 2. ex triplici instantia.*

Resp. ad 1. Materiam non esse terminum formalem, & quia non habet esse, sed quia vi productio- 1497 *Resp. ad 1. materiam nõ esse*

terminum formalem generationis.

nis compositi non communicatur ab agente, vt forma rei productæ, in qua productum assimilatur pro ducenti. Ad 2. dicit Arimin. supra, in eo casu esse distinguendas duas actiones, alteram creationis materiæ, alteram generationis hominis; sed bene in contrarium scribit Capreol. supra respondens ad hoc

Ad 2. Resp.

arg. Ochami, de materia, quod ipsa per se sola non possit esse terminus actionis creatiuæ, quia caret esse.

Ad 3. Resp. non ideo est terminus formalis, quia forma est simpliciter, sed quia communicata.

Ad 3. illam causalem non esse adæquatam. Non enim aliquid, ideo dicitur terminus formalis, quia forma est simpliciter, sed quia vt docet Capreol. supra, est forma communicata ab agente ipsi producto. Quod non haberet illa materia creata per se sola: tunc enim illa esset terminus per se, & formaliter totalis, non autem terminus formalis propriè dictus, de quo nunc disputamus: hoc est quasi partialis per comparationem ad alium totalem, & adequatum terminum, per se, & vltimato productum.

1498 *2. Obiectio.*

Arg. 2. ex argumentis, quibus post reiecta motiua Aureoli, & Ochami, in eamdem sététiam motus est Arimin. Primo, *vbicumq. est terminus formalis, & alius à termino per se; ibi formalis est pars per se termini, & in illo inclusus. In simplicissimo autem nulla est pars.* Quam ob causam in creatione rei simplicis v. g. Angeli, Animæ, *non assignatur*, inquit, *terminus formalis distinctus à termino per se creationis.* Secundo, *Illud est formalis terminus, quo actu productum est tale. Sed Filius non aliquo alio à se est Deus, aut Filius, vel persona, cum ipsa sit sua diuinitas, & omne, quod est in eo; nec in eo distinguatur, quod est, & quo est, & ideò se ipso per se ipsum est, & Deus est.*

Resp. terminū formalem posse esse ratione tantum distinctum à totali.

Resp. ad 1. neg. Ma. saltem ad sensum Gregorij, qui intelligit de parte simpliciter, & secundùm rem: quoniam terminus formalis potest esse alius ratione tantum, & non a re termino totali. In casu auté nostro hic terminus formalis, qui est diuina essentia, vt bene respondet Capreol. supra ad 1. Gregorij, *non est pars secundum rem, nec etiam pars secundum rationem*, quia à persona non distinguitur secundum rem, & quamuis distinguatur secundùm rationem, tamen non potest aliqua distinctio ratione ratiocinata in re ipsa concipi, & ideò essentia non potest cum fundamento in re concipi, vt pars, quia tunc deberet concipi, vt distincta.

1499 *In Creatione Angeli potest assignari terminus formalis.*

Quo fundamento tom. 1. q. 3. laté probaui, repugnare diuinæ simplicitati omnem compositionem, & realem, & rationis. Nego etiam cum Capreol. ibid. ad 2 in creatione Angeli non posse assignari terminum formalem; ibi enim est etiam natura, & suppositū, imo cū reali distinctione inter se, quæ nō est in diuinis. Potest igitur natura dici terminus formalis, & suppositum terminus totalis. Similiter in creatione animæ compositæ ex essentia, & existétia, & subsistentia, assignari potest essentia pro termino formali, & tota ipsa anima pro termino totali. Et idem dici poterat ad Aureol. supra ante obiectioné secundam de materia per se creata sine vlla forma; nam materiæ etiam essentia, quamuis sit materialis, nō formalis respectu cōpositi, tamen respectu ipsiusmet materiæ dici potest quasi terminus formalis, quo materia in suo essentiali, ac veluti formali, seu quidditatiuo esse materiæ constituitur, & quasi specificatur, ac quasi metaphisice formatur in aliorum sententia. Ad 2. ex superioribus constat, satis esse distinctionem ratiocinatæ, vt dici possit natura esse id, quo persona producta est Deus, & similis producenti absque vlla distinctione; quemadmodum etiá personalitas id, quo productum est persona distinstincta realiter à producente.

1500 *3 Obiectio.*

Arg. 3. ex difficili quadam paritate. Principium formale vere, & realiter producit, *vt quo*, hoc est, est illud, quo immediate agens agit; ita vt virtus formaliter actiua non sit aliud, nisi ipsum, quod vocamus formale principium, ergo à contrario, terminus formalis esse tantum debet ille, qui veré, & realiter producitur, *vt quo*, ita vt sit ratio producta immediate, qua mediante producatur totalis terminus productus, *vt quod* Manifestum est autem, hanc rationem termini producti, *vt quo*, conuenire soli relationi, non essentiæ personæ productæ.

Resp. neg Conseq. & breuitatis causa omissis aliorum disparitatibus, de quarum insufficientia quiuis iudicare facile poterit; dico, disparitatem, quæ mihi semper visa est omnium probabilissima, esse, quia essentia considerata simul cum relatione in principio producente, comparatur ad relationem oppositam in termino producto, v. g. filiationem, vt relatio veré, & realiter producitur; & ideo respectu illius essentia in principio producente habere potest rationem principij formalis vere, & realiter producétis, *vt quo*. At vero eadem essentia considerata simul cum relatione in terminis producto, ad nihil personæ producentis comparare potest, tanquam ad principium actiuum, non ad relationem oppositam, v. g. paternitatem, quia relatio, vt relatio, nullo modo est actiua, non ad essentiam, quia vna, & eadem est essentia vtriusque personæ ergo essentia, vt formalis terminus productionis, nulla ratione denominari potest producta, sed solum communicata vi productionis, qua producitur personalitas, *vt quo*, & persona, *vt quod*.

Resp. essentiam in productione illo ad personam producentem posse comparari; sicut in producente respectu producti.

QVAEST. XLII. D. Th.

De æqualitate, & similitudine diuinarum personarum ad inuicem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Aequalitas habeat locum in diuinis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Concl. affirm. Prob. inter ea, quę habent eandem quantitatem numero, non potest reperiri maius, nec minus, nec inæqualitas, inæqualium enim non potest esse vna quantitas numero. Sed omnes diuinæ personæ habent eandem numero quantitatem: quantitas .n. in diuinis non est aliud, quàm diuina essentia, aliàs non esset in tribus vnus numero Deus. ergo.

Arg. 1. in diuinis per non reperitur quātitas, nec continua, nec discreta. ergo nec æqualitas, quæ attenditur secūdùm quòd aliqua sunt vnum in quantitate. Resp. dist. Antec. non reperitur quantitas molis, conced. Antec. virtutis, & perfectionis, nego; nā diuinæ personæ sunt ęqualiter perfectæ, æqualitate durationis, ac potestatis: ac proinde habent eandem quantitatem virtutis, quæ perfecto, in duratione in esse, & potestate operatione consistit.

Arg. 2. quæ sunt conueniunt in forma, vt personæ; non sunt ęqualia, sed similia: quia conuenientia in forma facit similitudinem, non ęqualitatem. ergo. Resp. quæ conueniunt in eadem quātitate virtutis, vt personæ non solùm sunt æqualia, sed etiam similia; secùs in quantitate molis. & Ratio est quia cùm ęqualitas virtualis, attendatur secundùm ęqualitatem perfectionis, durationis, & potestatis formæ, & similitudo etiam attendatur

attendatur secundùm formam, ideo &c.

Arg. 3. Licèt imago sit æqualis ei, cuius est imago: tamen imaginatum non dicitur æquale suæ imagini. Sed imago Patris est Filius; ergo. Resp. ma. esse veram in creatis, in quibus forma, per quam assimilantur non est æquè principaliter, & indiuisa in Patre, & Filio: secùs est in diuinis: vnde Filius est imago Patris; & Pater imago Filij, & ita est loquendo de imagine per nomina: non verò valet per verba, tunc enim similitudo non reflectitur inter psonas possumus .n. dicere quòd Filius coæquatur Patri, non è contra, quia verba significant similitudinem cum motu; coæquari, enim, & assimilari, videtur significare quoddam pati, qui motus licèt in diuinis propriè non reperiatur, reperitur tamen accipere; Filius accipit à Patre, non è contra: ideò &c.

Arg. 4. Nulla relatio est æqualis tribus personis. Sed æqualitas est relatio quædam; ergo. Resp. neg. min. Æqualitas enim non est relatio, sed includit in suo intellectu relationes distinguentes personas, quia nihil sibi ipsi est æquale: & essentiæ vnitatem, quia personæ ex hoc sunt equales, quia sunt æqualis magnitudinis, & essentiæ.

DISPVTATIO CCXIX.

An æqualitas, & similitudo detur in diuinis.

1501
1. Conclusio affirmat. est de fide.

P*Rima Concl. simpliciter affirmatiua est manifesta fidei veritas, quam realiter probant omnes authoritates, quibus supra probauimus, Filium, & Spiritum S. esse verum Deum, cuius nomine omnes intelligimus id, quo maius, aut melius cogitari non potest: & quibus etiam probauimus, tres diuinas personas esse vnu. Quæ enim habent summam vnitatem, & in se magna sunt, non possunt non habere in magnitudine summam æqualitatem.*

Ratio est quia æquale dicitur per negationem maioris, & minoris.

Ratio Artic. optima est ex Philosopho lib. 10. metaphys. tom. 18. & 19. AEquale dicitur, quasi per negationem minoris, & maioris: *in ijs scil. quæ magnitudinem aliquam habent, siue molis, siue virtutis, ac perfectionis, nam vt docet August. 6. de Trinit. cap 8. circa princip.* In ijs, quæ non mole magna sunt, hoc est maius esse, quod est melius esse. *AEqualia igitur dicuntur, quæcumque ita destinata, ac magna sunt, vt nec minus, nec maius vnum alio sit.*

In Deitate omnes personæ, & personalitates, & Relationes vnum sunt.

Sed hoc habent tres personæ ex vna essentia, communi Deitatis, in qua omnes personæ, & personalitates, & relationes omnes vnum, & idem prorsus sunt: ergo inter tres personas eadem numero magnitudine magnas, nulla omnino fingi potest minoritas, nulla maioritas, inæqualitas nulla; ergo summa intercedit æqualitas. Vnde relinquitur, *inquit S. Th. in maiorem confirmationem, & explicationem minoris, & radicis æqualitatis diuinarum personarum*, quod si esset aliqua inæqualitas in diuinis personis, quod nõ esset in eius vna essentia, & sic non essent tres personæ vnus Deus, quod est impossibile.

1502
2. Conclusio diuinæ personæ sunt similes, nam earũ quasi quantitas virtualis, est vna.

2. *Conclus. eadem certitudine, qua credimus, personas diuinas esse æquales inter se, credendum etiam est, esse similes. Rationis fundamentum sumitur ex argumentò 2. eiusque solutione. Eadem essentia diuina, in qua tres personæ vnum sunt, concipitur à nobis, & vt quantitas virtualis, sub qua ratione personas denominat æquales; & vt forma quædam, quasi qualificans personas, sub qua alia ratione eas denominat similes. Nam ex Philos. 5. metaph. tom. 20. ante med.* eadem sunt, quorum substantia vna, similia verò, quorum qualitas vna. AEqualia autem, quorum quantitas vna: *ergo sicut certum est, diuinas personas habere perfectissimam vnitatem in vna numero substantia, & natura, ita pariter habere inter se perfectissimam identitatem, æqualitatem, similitudinem.*

1503
1. Obiectio.

Arg. 1. Ex fundamento Eunomij, qui de Filio respectu Patris, ita sentit, & arguit apud Basil. lib. 1 contra eundem. Idcirco nec æqualis, nec similis; quoniam nec quantus est, & absque qualitate est.

Resp. ex D. Basil. similitudinem in diuinis, poni secũdum naturam identificatam.

Respondet Basil. acutissimè, terminis propè Scholasticis. Ego vero, *inquit*, in hoc ipso pono similitudinem, quod sicut Pater ab omni compositione est, ita, & Filius simplex omnino, & incompositus. Et similitudinem non formarum, qualitatis identitate, sed ipsa substantia perspici arbitror. Nam quibuscumque forma, vel figura adiacet, ijs identitate qualitatis inest formarum similitudo: quæ vero sine forma, & sine figura natura est, reliquum est, vt similitudinem in substantia ipsa, & æqualitatem, non in mensura magnitudinis, sed identitate virtutis possideat. *Similitudo igitur in diuinis non ponitur secundum æqualitatem, & accidentales formas, sed secundùm substantiam, & naturam eamdem numero, identificatam in omnibus personis. Item non ponitur æqualitas secundùm quantitatem magnitudinis mensurabilis, & corporeæ, sed secundùm quantitatem virtutis, seu virtuales, ac spiritualis magnitudinis, quæ eadem in singulis, & omnibus æqualiter reperitur propter eamdem communem omnium naturam, cuius illa virtus est.*

1504
2. Obiectio.

Arg. 2. Ex illo Augustini lib. 6. de Trinit. cap 10. paulo post princip. Imago si perfectè implet illud, cuius imago est, ipsa coæquatur ei, non illud imagini suæ. *Sed Pater, quamuis sit similis Filio, tamen non est imago Filij; ergo Pater non est æqualis Filio, quia per August. imaginatum non coæquatur imagini: ergo nec Filius erit æqualis Patri, quia æqualitas esse debet reciproca: omne enim æquale est æquali æquale.*

Resp. æqualitatem dupliciter sumi posse in diuinis.

Respondet optimè S. Thom. ad 3. Quod æqualitas, vel similitudo, dupliciter potest significari in diuinis, scil. per nomina, & verba secundùm quidem, quod significatur per nomina, mutua æqualitas dicitur in diuinis personis, & similitudo; Filius enim est æqualis, & similis Patri, & e conuerso; & hoc ideo, quia essentia diuina non magis est Patris, quàm Filij: vnde sicut Filius habet magnitudinem Patris, quod est esse eum æqualem Patri; ita Pater habet magnitudinem Filij, quod est esse eum æqualem Filio. *Et idem de similitudine, quæ in eadem communi essentia, & æquè in omnibus perfecta fundatur.*

In quo differat similitudo mutua inter diuinas personas a creata.

In quo differt hæc similitudo mutua inter diuinas personas à similitudine inter creaturas, & Deum, quæ non est mutua, quia creatura similis Deo est, non Deus similis creaturæ: quod ex instituto discussum est supra tom. 1. qu. 15 & alibi. Sed verba, *sequitur S. Thom.* significant æqualitatem cum motu: & licet motus non sit in diuinis, est tamen ibi accipere. Quia igitur Filius accipit a Patre, vnde est æqualis ei, & e conuerso, propter hoc dicimus, quòd Filius coæquatur Patri, & non e conuerso

1505
3. Conclusio. hęc æqualitas formaliter accepta est conceptus relationis rationis.

3. *Conclus. tam æqualitas, quàm similitudo diuinarum personarum inter se, si formaliter accipiatur, importat aliquem conceptum relatiuum, non relationis realis, sed rationis. Tota hæc Conclusio, quàm apertè ponit S. Thom. ad 4. & Mag. apud ipsum, sufficienter probata est qu. 28. Quòd his vocibus importetur conceptus simpliciter relatiuus, clarè expressit Hilar. lib. 3. de Trinit. aliquanto ante fin. de Filio Dei scribens.* Imago sola non est, & similitudo non sibi est: *quæ statim dicitur relatiua denominatione*, alterius ad alterum similitudo, *& Mag. 1. d. 31. littera B.* Cùm dicitur Filius similis Patri, relatiuè quidem dicitur. *Sed vt significet, relationem non esse realem, sed rationis, ità concludit*, est origo appellatio tantum relatiua.

1506
4. Concl. tota æqualitatis, ac similitudinis ratio oritur ex natura sibi idẽtificãte relationes.

4. *Conclus. Tota æqualitas, ac similitudinis ratio inter diuinas personas, oritur ex natura identificante sibi omnes relationes, quæ natura æquè perfecta reperitur in singulis personis, non autem oritur ex relationibus inuicem oppositis, & realiter distinctis, quibus ipsamet personæ constituuntur, & inter se realiter opponuntur,*

ponuntur, ac distinguuntur. Hoc, vt iacet, docere videntur omnes Patres, & Scholastici, qui huius æqualitatis, ac similitudinis radicē semper assignant solam naturā, & nunquam relationem, imo hanc non rarò excludunt. ad cuius veritatis intelligentiam quāplurima dicta sunt supra q. 28 Enimuero ipsimet Cōclusionis termini, si rectè perpendantur, rem manifestam faciunt.

1507 Prob. nam ratione relationum vna persona distinguitur realiter ab alia.

Nam ratione relationum, vna persona distinguitur realiter ab alia; ergo hæc relatiua radix distinctionis, ac separationis, non potest esse radix vnius, eiusdemque perfectionis in singulis personis per se acceptis, quæ est in omnibus tribus simul. sed ratione naturę tres per onę sunt vnum, & idem omnino: ergo natura sola potest esse radix diuinæ æqualitatis, ac similitudinis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum persona procedens sit coæternus suo principio, vt filius Patris.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COncl. est affirm: quòd procedit ab agente per naturam, cuius virtus agendi semper est perfecta, & actio non est successiua, est coæternum ei, à quo procedit. vt consideranti patebit. Sed filius procedit á patre non voluntate, sed natura. vt supra dictum est: qui ab æterno habuit totam perfectionem suæ virtutis; quia natura Patris ab æterno perfecta fuit. & cuius actio non est successiua, sed instantanea. alias generatio esset materialis. ergo filius est Patri coæternus, & similiter Spiritus Sanctus.

Arg. 1. Duodecim sunt modi, quibus vnum ex altero esse potest; quos Arius assignat, & in omnibus deficit, vel coæternitas principiati cum suo principio, vel equalitas naturæ. ergo. Resp. neg conseq. quia nullus modus processionis creatæ, perfectè diuinam repræsentat. vnde oportet ex multis colligere similitudinem, & quod deest vno suppleatur ex alio.

Arg. 2. æternum non habet principium. Sed filius, & Spiritus S. habent principium. ergo. Resp. dist. ma. non habent principium durationis, conced. ma. non habent principiū originis neg. filius enim & Spiritus S. habent principium originis, non durationis.

Arg. 3. Quod generatur incipit esse. Sed filius generatur. ergo. Resp. dist. ma. quod generatur generatione, quæ est transmutatio de non esse, ad esse: incipit esse. conced. ma. generatione quę est absque omni transmutatione; vt supra. q. 27. art. 2. habitum est. neg. & filius enim in diuinis hoc secundo modo generatur.

Arg. 4. filio genito ab æterno Patre in diuinis, potest assignari aliquid instans suæ generationis. ergo incipit esse Resp. conc. Anteced. & ad conseq. ergo incepit esse, cum ante illud non esset, negatur conseq. nam & si in tempore aliud sit instans, & aliud sit id, quod durat scil. Ipsum tēpus; in ęternitatę tamen instans, & duratio sunt idem. vndè sicut duratio caret principio, sic & instans.

DISPVTATIO. CCXV.

An filius procedens sit coæternus suo principio, vt Filius Patri.

1508 Concl. affirm. Prob. quia procedens posterius suo principio, vel voluntariè, vel successiuè procedit. Maior prob. & minor.

COnclusio Necesse est dicere, Filium esse coæternum Patri. Prob. Omne ex principio existens posterius illo, aut procedit ab illo voluntariè, aut à natura paulatim perfecta, aut actione successiua; at Pater non generat filium voluntate, sed natura, & Patris natura ab æterno perfecta fuit, & actio, qua Pater generat filium non est successiua; ergo filius fuit, quandocumque fuit Pater, quòd est filium esse coæternum Patri; & eadem est ratio Spiritus Sancti respectu Patris, & filij.

Maior prob. distinguendo, & ostendendo multiplicem causam posterioritatis eius, quod est à principio respectu sui principij, nimirum ex parte agentis, vel ex parte actionis. Ex parte agentis aliter in agentibus voluntarijs, & aliter in agentibus naturalibus; vt perspicuè habetur in textu. minor, quò ad primas duas partes relinquitur, vt nota: quo ad tertiam verò prob. quia sic filius successiuè generatus esset, & generatio materialis esset, & cum motu, quod est impossibile.

1509 An generatio verbi explicanda sit per verba de præterito, addita particula *semper*, Respond. affim. S. Th.

Circa solutionem quarti argumenti quærit D. Th An generatio Filij debeat explicari per Verbum præsentis, aut præteriti temporis: nam apud Patres duplex reperitur dicendi modus Hil. enim 7 de Trin. & Origenes super Hieremiam asserunt, debere exprimi per verbū præsentis temporis, quia verbum æternum semper nascitur, & gignitur; At verò D. Greg. lib. 29. mor. c. 1. astruit, exprimi debere, per Verbum præteriti temporis, addendo particulam semper, *dicendo*, Filius semper est genitus; *Qui modus dicendi communiter recipitur à Scholasticis cum D. Th. hic. Cuius Ratio est, quia tempus præteritum significat generationem esse completam, & perfectam; aduerbium* semper, *vel hodie denotat, generationem illam non esse præteritam, quia in æternitate nihil est præteritum, sed totum præsens: quod vtrumque reperitur in illa diuina generatione. & idem est de processione Spiritus Sancti.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum in diuinis personis sit ordo naturæ.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COncl. his personis diuinis est ordo naturæ. Prob. Vbicumque est ordo originis absque prioritate, ibi est ordo naturæ: ordo enim originis absque prioritate vocatur ordo naturę ab Aug. lib. 4. super Gen. c. 34. dicente, quod ordo naturę est, non quo alter sit prius altero, sed quo alter est ex altero: sed in diuinis est ordo originis absque prioritate. ergo.

Arg. 1. ordo naturæ non significat essentiam in diuinis, neque est aliqua personarū, aut notionum. ergo in diuinis non est &c. Resp. neg. vltimā partem anteced. nā ordo naturę significat notionem originis in communi, non autem in speciali. dum enim dicimus in Deo esse ordinē naturę, significamus vnā personā esse ab alia, & hoc est significare notiones in communi, & indistinctè.

Arg. 2. in quibuscumque est ordo naturę, vnum est prius altero, saltem secundùm naturam. Sed in diuinis personis nihil est prius & posterius. ex Athan. in Symbol. ergo. Resp. dist. ma. & illa est vera de absolutis, non de relatiuis, & sensus erit, quòd in quibuscumque est ordo naturę, est vnum priùs altero si illa sint absoluta, non verò si sint relatiua, & quia personę diuinæ sunt ipsę relationes, ideò, &c.

Arg. 3. Quidquid ordinatur, distinguitur. Sed natura diuina non distinguitur; ergo. Resp. conced. totum, quando enim dicimus, quòd in diuinis est ordo naturæ, non est sensus, quòd ipsa natura ordinetur, sed quòd ordo in diuinis attendatur secundùm naturalem processionem originis.

Arg. 4.

Arg. 4. In diuinis non est ordo essentiæ; ergo neque naturæ, quia essentia, & natura sunt idem. Resp. neg. conseq. & ad prob. dicitur, quòd sunt idem secundùm rem, tamen differunt secundùm rationem, natura enim importat rationem principij, non autem essentia.

DISPVTATIO CCXXI.

An in diuinis personis sit ordo naturæ.

1510 Tria explicat hic D. Thom.

TRia explicat D. Thom. hoc art. primum, an inter personas diuinas sit aliquis ordo; secundùm, an dicendus sit ordo secundùm naturam, seu ordo naturæ, tertium, an sit hic ordo cum aliqua prioritate, & posterioritate.

Primum, An inter personas diuinas sit aliquis ordo? Resp. affirm.

Circa primum certissimum est ex omnium doctrina, & Sanctorum Patrum authoritate inter personas diuinas esse aliquam ordinem, secundùm quem vna est ab alia, & non è contra, & propterea vocatur ordo originis, seu productionis, vnde est, vt vna sit prima altera secunda, & alia tertia, qui ordo non est aliud, nisi vel ipsæ relationes personales, quatenus tali modo se inuicem respiciunt, vel ipsæ origines, & productiones, vt tali modo certo, & denominato connexæ, quòd importatur nomine ordinis, neque importatur hoc ordine alia relatio, nisi fortè rationis ex modo nostro concipiendi, neque circa hæc est alia difficultas.

1511 Secundum, An dicendus sit ordo secundũ naturam? Resp. affirmat.

Circa secundùm rectè docet D. Thom. sequutus D. Augustinum, à quo, & alij communiter acceperunt, hunc ordinem in diuinis personis dici, esse secundùm naturam, seu ordinem naturæ, non quia natura diuina dicat ordinem ad seipsam, sed vt explicetur, in qua specie ordinis sit hic ordo, nam potest esse ordo secundum locum, secundùm situm, secundùm tempus, secundùm dignitates, & officia, & potest esse secundùm naturalem processionẽ vnius personę ab alia. Vt ergo ostendatur, hunc ordinem esse in hac vltima, veluti specie ordinis, dicitur esse ordo secundùm naturam, id est secundùm naturalem processionem vnius personę ab alia, prout naturale contradistinguitur à libero, in quo etiã omnes conueniunt, potest etiam dici hic ordo secundùm natura, prout natura distinguitur à libera voluntate, quia scil. non est ordo voluntarius, & liber, sed naturalis, & secundùm ipsam naturam determinatus ab intrinseco; quare autem potiùs dicatur secundùm naturam, quàm secundùm essentiam, rectè explicat D. Thom. ad 4.

1512 Tertium, An sit cum aliqua prioritate, vel posterioritate? Resp. hic neg.

Circa tertium aliqua maior apparet difficultas, nam D. Thom. hic in corp. cum communi doctrina, iuxta illud Athanasij, neque confundentes personas, *concedit in diuinis ordinem originis: sed dicit, esse absque prioritate, & posterioritate, vndè ad 1. docet, vnam personam in diuinis non esse priorem alia, neq. secundùm naturam, neque secundùm intellectum, & supra qu. 33. art. 1. ad 1. docuerat, in diuinis hoc nomen, principium, significare originem, non autem prioritatẽ, & in 1. dist. 9 qu. 2. art. 1. initio corp. habet, quòd Pater in diuinis nullo modo est prior Filio, neque duratione, neque natura, neque intellectu, neque dignitate.*

Idẽ Confirm. ex alio loco D. Thom.

Idem etiam ad 3. confirmat, & ibid. dist. 12. q. 1. art. 1. in corp. etiam habet, quòd in Deo est ordo naturæ, quo aliquis est ex alio, non quo aliquis est prior altero, & ideò ibi docet, nullo modo posse aliquid altero prius dici. Idem habet ad 1. vndè ibid. art. 2. ad 1. & 3. docet, Patrem non posse dici primum principium in ordine ad spirationem, ita vt Filius dicatur posterius principium, quia nulla est omnino prioritas inter Patrem, & Filium.

1513 Confirm. eadem diuina ex alio loco D. Thom. Ordo in diuinis reperitur tantùm secundum rationẽ originis.

Eamdem doctrinam habet ibid. dist. 20. qu. 1. art. 3. quæstiunc. 1. in corp. vbi concludit, quod quamuis ordo in sua ratione generica, includat prioritatem, & posterioritatem, vt habetur etiam 2. 2. qu. 26. art. 1. tamen in diuinis non reperitur secundùm hanc rationem, sed solum secundùm rationem originis vnius personæ ab alia (vt in pluribus, inquit, alijs dictum est.) *& confirmat ex D. Aug. dicente, quòd ordo naturæ in diuinis est, quo aliquis est ex alio, non autem quo sit prior alio, & idẽ confirmat quæstiunc. 2. eadem habet q. 10. de poten. art. 3. initio corp. neq. quòd ego sciam, vnquã D. Th. vsus est hoc modo loquẽdi in diuinis, Pater est prior Filio, aut Pater, & Filius est prior Spiritu S. non solùm ita absolutè, sed etiam addita illa particula, prior origine, vnde etiam in symbolo Athanasij absolutè dicitur, in hac Trinitate nihil priùs, aut posterius.*

1514 Cõmunis modus loquendi Scotistarum dicit, quod Pater est prior Filio.

Ex alia verò parte communis modus loquendi receptus nunc à Theologis, quem maximè sequutus est Scotus, & eius asseclæ, est dicere, quod Pater est prior origine Filio, & similiter Pater, & Filius Spiritu S. & quod aliqua prioritas in hoc mysterio detur, saltem secundùm rationem, & intellectum, videtur etiam colligi, & admitti ab ipsomet D. Thom. qui supra qu. 40. art. 4. docet, quòd origines passiuè significatæ, vt est nasci respectu Filij, & spirari respectu Spiritus S. simpliciter præcedunt secundùm intellectum proprietates personales personarum procedentium, nempe filiationem, & relationem spirationis passiuæ, quia significantur, vt via quædam ad personas procedentes. Igitur multò magis persona producens debet præcedere secundùm intellectum personam productam, quod expressiùs colligitur ex vltima parte articuli, vbi docet, quòd paternitas, vt est constitutiua personę Patris, pręintelligitur actui notionali, nempe generationi, cum ergo generatio pręintelligatur Filio, vt via ad ipsum, multò magis persona Patris præintelligi debet personæ Filij, hæc autem præintellectio secundùm rationem, & intellectum, non potest esse, nisi prioritas originis, erit igitur Pater secundùm D. Thom. prior origine Filio, & Pater, & Filius Spiritu S. propter similem rationem, & multa alia huc pertinentia colligi possunt ex responsionibus ad argumenta, & in 1. dist. 27. qu. 1. art. 3. & opusc. 2. cap. 63. & 64. & quæst. 10. de Potent. art. 3. vbi vtitur vocabulo prioritatis, ait enim, quòd si relatio consideretur, vt constitutiua personæ, est prior secundùm intellectum, quàm processio, quæ est ab illa persona, sicuti paternitas est prior secundùm intellectum, quàm generatio, & eodem modo docet, quòd filiatio est posterior, quàm natiuitas, cum ergo paternitas, & Pater sint idem, erit Pater prior secundùm intellectum generatione Filij, & ipso Filio, prior, inquam, origine. Quomodo ergo conuenient hæc dicta D. Thom. inter se?

Secundùm D. Thom. aliqua prioritas secundùm rationem, in hoc mysterio cõcedi debet.

1515 Conciliantur loca D. Thom ex alijs locis eiusdem.

Ad hanc difficultatem benè respondet Caiet. hoc art. licèt suam responsionem, neque confirmet ex locis D. Thom. neque satis eam explicet; potest ergo sumi responsio ex ipso D. Thom. duabus locis supra cit. scil. in 1. dist. 12. qu. 1. & qu. 10. de potent. art. 3. nam primò loco cum probatur, nihil esse in personis diuinis, vndè vna dici possit altera prior, aut posterior, vt mox videmus, subdit, & ideo dicimus, quod generatio verbi non est prior processione Spiritus Sancti aliquo modo, qui possit ad diuina referri, sed tantùm secundùm modum intelligendi, qui est in intellectu nostro tantùm, accipientem generationem, & processionem in diuinis secundùm similitudines repertas in creaturis, quæ deficientes sunt ad repræsentandum generationem, & processionem, prout sunt in diuinis. *Hæc D. Thom. ex quo loco habemus vnum membrum distinctionis requisitæ ad hanc materiam, & similiter, quo sensu D. Thom. loquutus sit locis paulo ante citat. cùm docet, aliquam esse prioritatem, & præintelligentiam in diuinis, nempe solùm secundùm modum intelligendi nostrum per comparationem ad creaturas, restat autem aliud membrum distinctionis, quòd D. Thom. explicauit illis verbis,* aliquo modo qui possit ad diuina referri, *neq. explicat, quis sit hic modus, posset autẽ sumi ex alio loco de Potent. vbi quod ipse docet de ordine in diuinis, explicari potest prioritati, exceptis ijs, in quibus differunt ordo, & prioritas.*

DVBIVM VNICVM.

An in diuinis sit prioritas, vel secundùm rem, vel secundùm rationem.

1516 *Nota. quod ordo absque di-*

ADuerte quòd ordo absque distinctione non est, vnde vbi non est distinctio secundùm rem, sed solùm

[illegible] distinctione non [illegible] est, vbi non est distinctio, nec ordo esse potest.

solùm secundùm modum intelligendi, ibi non potest esse ordo, nisi secundùm modum intelligendi, & consequenter non secundùm rem, & quia in diuinis distinctio secundùm rem nō est nisi inter personas, ideo inter solas personas potest esse ordo secundùm rem, quatenus vna est ab alia, & non à quacumque, & ita inter diuinas personas vere, realiter, & secundùm rem, & consequenter absoluté est ordo. At vero quia paternitas v. g. secundum nostrum modum intelligendi imperfectum, potest cōsiderari tripliciter, primo vt constitutiua personæ Patris. Secundò vt operatio exiens à Patre, seu vt generatio actiua. Tertio vt exercens munus referendi, seu relationis, ideo in relatione secundum hos conceptus imperfectos potest esse ordo secundum modum intelligendi nostrum, non autem secundum rem, cum hæc non distinguantur realiter inter se, & idem proportionaliter dici potest de alijs relationibus personarum.

1517 *[illegible] absolute, vel secundum modum intelligendi.*

Simili ergo modo, collatis locis D. Thom. philosophari possumus de prioritate, quod cum quærimus, an in diuinis sit aliqua prioritas, de duplici prioritate quærere possumus, de prioritate secundum modum intelligendi, & de prioritate absoluté, & simpliciter, & secundum rem, qui modus prioritatis possit ad diuina referri, seu etiam in ordine ad ad intellectum diuinum, & beatorum videntium Deum, sicuti est, & quia prioritas non potest esse, nisi cum distinctione, sicuti, & ordo, vbi erit distinctio solum secundum modum intelligendi, & vnū præintelligatur alteri, poterit etiam esse prioritate secundum modum intelligendi. & de hoc modo prioritatis sæpe loquutus est D. Thom.

1518 *[illegible] in Personis non est prioritas secū dum rem, sed tantùm originis.*

Vbi autem erit distinctio secundum rem, si vnū secundum rem præintelligatur alteri, erit etiam prioritas secundum rem vnius respectu alterius, sicuti est ordo secundum rem, si vnum sit ab alio secundum rem, quia ergo in Patre nihil est, quod secundum rem præintelligatur Spiritui S. hinc est, vt inter personas diuinas nulla sit prioritas secundum rem, possit autem esse prioritas secundum modum intelligendi, & dici prioritas originis.

Prob. quia Pater neque secundum essentiam, neque secundum relationem præintelligitur Filio secundum rem.

Illud probat D. Thom. locis cit. hoc fere modo, in Patre comparato ad Filium inter quas personas est vere secundum rem, seu realis distinctio, & ordo, & quantum est ex hoc, posset esse prioritas secundum rem, duo possumus considerare secundùm rem, ipsam essentiam scil. & Patris relationem, nam origo actiua, personalitas, & si quid aliud est conceptibile in Patre, non distinguitur secundùm rem ab his, sed Pater neque secundum essentiam, neque secundum relationem, neque secundùm vtrumque per modum vnius acceptum, vllo modo præintelligitur Filio secundùm rem, ergo nullo modo secundum rem est prior vllo genere prioritatis. Min. prob. nam si essentia Patris referatur ad essentiam Filij, aut ad Filiationem, aut ad suum Filium, non distinguitur secundùm rem ab ipso, vt certum est, & ita essentia Patris non potest esse prior Filio secundùm rem; at vero quia essentia distinguitur a filiatione secundum rationem, & ex modo nostro intelligendi per ordinem ad res creatas, concipitur, vt prima radix, & fundamentum relationum, propterea potest dici prior relationibus secundùm modum intelligendi nostrum modo supra explicato. Pater ergo ratione essentiæ non potest esse prior secundùm rem Filio; sed neque ratione paternitatis, in quo potest esse difficultas, nam paternitas, vel potest comparari ad Filium ratione essentiæ Filij, & sic non distinguitur, nisi ratione a tali essentia, vel ad filiationem, seu ad Filium, vt Filium, & sic neque est prior, nullo enim modo, vt sic, potest præintelligi Filio; cùm relatiua, vt relatiua sint simul tempore, natura, cognitione, & quouis alio modo.

1519 *Pater in creatis, quia non constituitur relatione, est prior secundùm rem suo Filio.*

Atque hoc, inquit D. Thom. esse proprium naturæ diuinæ, nam in rebus creatis relatio causæ actualis ad effectum, v. g. relatio Patris ad Filium non constituit personam, vel suppositum Patris, neque dat illi esse substantialiter hunc hominem, qui est, sed supponit re ipsa, & propterea in humanis Pater specificatiue acceptus (& idem de quauis causa, etiamsi non esset, nisi prior natura suo effectu) est prior secundùm rem suo Filio, non vero, vt Pater reduplicatiue, seu ratione paternitatis, nam correlatiua vt sic, sunt simul omninò, si verò Pater in humanis ab eadem relatione haberet esse ad aliud, & esse hunc hominem, & personam, esset eadem ratio, tunc enim secundùm rem simul omnino esset cum suo Filio.

1520 *In Diuinis Pater neque specificatiue, neq; reduplicatiuè est prior secundùm rem suo Filio.*

Similis ergo ratione Pater Diuinus neque specificatiue, neque reduplicatiuè est prior vllo modo secundum rem suo Filio, seu re ipsa, licet inter illos, etiam secundum rem sit ordo originis, quatenus Filius est à Patre, & non è contra, at vero secundùm modum intelligendi nostrū per comparationem ad res creatas, quæ tamen re ipsa deficiunt a rebus increatis repræsentandis, Pater specificatiue potest dici prior origine Filio prioritate, *à quo*, quod nos triplici modo imperfecte concipimus relationem paternitatis. Primo vt constitutiuam Patris, non exercentem munus relationis pro eo signo, & sic Pater constitutus, est prior secundum modum intelligendi generatione, & relatione, & consequenter prior natiuitate Filij, & Filio. item specificatiue accepto, & sic de cæteris prioritatibus explicatis supra & quamuis intellectus diuinus videat fundamentum harum prioritatum in ordine ad nostrum intellectum, tamen quia non concipit relationem Patris triplici illo modo imperfecto, sed vno modo indiuisibili adæquato cognoscibilitati relationis, ideo in ordine ad hunc intellectum, est quidem ordo inter personas, sed absque vlla prioritate secundum rem,

1521 *Pater, & Filius neque secundum rem sunt priores Spiritu S. nam cum illis Relatio spirationis actiuè realiter identificatur.*

Quod autem diximus de Patre in ordine ad Filium, dicendum est de Patre, & Filio in ordine ad Spiritum S. nam Pater, & Filius non distinguuntur realiter a relatione spirationis actiuę, seu a spiratione actiue accepta, atque adeo, quamuis nos ex modo nostro intelligendi intelligamus prius Patrem, vt generantem Filium, & Filium vt genitum, & consequenter has personas iam constitutas, quam intelligamus vt vnum spiratorem, aut vt spirantes Spiritum S. hæc tamen prioritas non potest esse secundum rem, sed secundum modum intelligendi, quia esse Patrem, & Filium, & esse spiratorem, seu spirantem solum distinguuntur secundum modum intelligendi. Si vero intelligatur Pater, & Filius, vt vnus iam spirator in ordine ad Spiritum S. vt procedentem, est eadem ratio, ac de Patre generante, & Filio genito, nam relatio spirationis actiuæ secundum rem est ipsa origo, & spiratio actiua, & constitutiua principij spiratores, & quia secundum modum nostrum intelligendi prius concipitur, vt constitutiua, non quidem personæ, in quo differt à relatio paternitatis, & filiationis, sed principij spiratoris, & postea vt origo, seu spiratio actiua, & vltimo vt exercens munus relationis, ideo est in his quidam ordo secundùm modum intelligendi, & sic Pater, & Filius, vt vnus spirator sunt priores origine specificatiuè solum considerati, & secundum modum intelligendi Spiritu S. specificatiue item accepto, non veró secundum rem, & in ordine ad diuinum intellectum considerante res in ordine ad se.

1522 *Inter diuinas personas est ordo secundùm rem, non verò prioritas secundùm rem.*

Et sic demùm constat, quomodo inter personas diuinas, & inter earum processiones sit ordo secundum rem etiam in ordine ad intellectum diuinum, non tamen sit prioritas secundùm rem, sed solum secundùm modum intelligendi, quia vero nos non possumus intelligere ordinem sine prioritate, propterea respectu nostri absolute dicimus prioritatem, & posterioritatem originis in diuinis, & sic etiam constat, quomodo doctrina D. Thom. & Ss. Patrum vera sit, neque sibi contraria neque etiam contraria communiori cum modo loquendi Scholasticorum, nisi addatur illa particula, secundùm rem, sic enim non est admittenda eorum doctrina.

1523 *1. Instantia.*

Dices 1. D. Thom. locis cit. in a. sp. pro ratione dubitandi primo loco, vtitur hoc modo loquendi, quod in rebus diuinis nulla sit prioritas, neque

ratione,

ratione, neque intellectu, aut secundum intellectu: locis verò cit. secundo loco admittit proprietatem secundùm intellectum, saltem ergo quoad hunc modum loquendi videtur sibi contrarius.

Respondetur esse secundùm intellectum, ac secundùm modū intelligendi.

Resp. neque in hoc vllam esse contrarietatem, nam particula illa, secundum intellectum, potest significare idem, ac secundum modum intelligendi nostrum, tantùm, vt explicauit ipse D. Thom. & sic potest esse prioritas inter personas, origines, & relationes. Secundò potest esse aliquid prius secundum intellectum, prioritate non solùm ex modo nostro concipiendi resultante, sed quæ sit prioritas rei, seu secundùm rem, cui intellectus conformetur, & hoc modo non datur in personis diuinis prioritas, neque secundùm intellectū. Itaque breuiter potest dupliciter dici aliquid prius secundùm intellectum, primò prioritate solum resultante ex modo nostro concipiendi, secundo prioritate non resultante ex modo nostro concipiendi, sed ex aliqua prioritate secundùm rem, sicuti de facto in diuinis personis est ordo secundùm intellectum, licèt sit etiam secundùm rem, & sic neque in hoc est vlla contradictio.

1524 *2. Instantia.*

Dices 2. Causa necessaria, quę semper est coniuncta cum suo effectu, & dicitur ad conuertentiam cū illo, vt Sol, & illuminatio, & similia, est prior natura secundùm rem ipsam suo effectu, non aliam ob causam, nisi quia effectus est ab illa, & non è contra, ergo in re nostra si Filius est à Patre, & non è contra, erit inter Patrem, & Filium prioritas secundùm rem, sicuti est ordo secundum rem.

Resp. causam increatis constitui per esse absolutum.

Resp. neg. Antec. ideò enim in rebus creatis est prioritas illa naturæ secundùm rem, quia causa secundùm esse absolutum, seu naturam, quam dat effectui, distinguitur realiter ab alio, & secundùm hoc esse secundùm rem postulat prępintelligi suo effectui, neque constituitur in esse causę per relationem ad suum effectum, quæ duo requiruntur ad prioritatē naturæ, & secundùm rem, quod tamen non accidit in casu nostro.

1525 *3. Instantia.*

Dices 3. Numerus ternarius Sanctissimæ Trinitatis non ita se habet, sicuti numerus ternarius hominum, v. g. vel aliarum rerum, in quibus nullus sit ordo a parte rei, vndè quælibet vnitas possit ad libitum cuiuscumque accipi, vt prima, vel secunda, sed habet naturalem, & realem ordinem, ita vt sola persona Patris sit prima, & Filius secunda, & Spiritus S. tertia, & hoc etiam in ordine ad intellectum diuinum: vndè aliqui Patres dicunt, Filium esse personam mediam inter Patrem, & Spiritum Sanctum, Ideft secundam. Sicuti ergo Pater habet hanc prioritatem, vt ita dicam, originis, & est prior origine, quare non potest dici, etiam secundùm rem, & in ordine ad diuinum intellectum, prior, non quidem absolutè, ne videatur significari aliqua prioritas temporis, vel naturæ, sed prior origine; & similiter Filius secundus, & posterior origine, neque enim videtur obstare, quòd hę personę constituantur, & distinguātur per relationes oppositas, atque adeò debent esse simul natura, & cognitione, nam cum illa simultate potest intelligi prioritas originis, sicut Pater in relationibus transcendentalibus creatis, quando duo se mutuò respiciunt, vt accidit inter materiam, & formam, inter potentiam intellectiuam, & actum intelligendi, nam materia est simul cognitione, & intellectu cum forma, & è contra, implicat enim intelligere materiam, non intellecta forma, & è cōtra, & tamen materia est prior natura in genere causæ materialis forma & forma est prior materia in genere causę formalis. Poterit ergo Pater, vt Pater esse simul cognitione, tempore, & natura cum Filio, esse tamen prior origine, quatenus ab ipso est Filius atque adeò in hoc erunt illę relationes diuinæ similes nostris relationibus transcendentalibus, quantū ad hoc, maxime si hæc prioritas originis non sit prioritas, quæ dicitur, in quo, quæ sine dubio inuolueret repugnantiam, sed solùm prioritas, à quo atqi hoc est præcipuum argumentum pro contraria sententia.

An pater habeat prioritatem originis respectu filij.

Resp. ergo conc. totum antec. & neg. Conseq. & dico ad illam rectè obstare, quod personæ diuinæ constituantur, & distinguantur relationibus, neque qualitercumque, sed relationibus identificatis vni naturæ singulari, quæ sit eadem omnino in singulis, quod nulli rei creatæ competere potest, nam ex eo, quod constituātur relationibus, habent vt sint simul intellectu, & cognitione, ex eo autem, quod hæ relationes identificentur vni naturę communi, tollitur alia prioritas omnis secundùm rem. Et sic patet manifesta disparitas in exemplis allatis, licèt enim materia sit simul cognitione cum forma, propter esse relatiuum ad illam sibi essentiale, tamen quia secundùm suam naturam, & essentiam distinguitur realiter à forma, quam causat, & secundùm id, secundùm quod est potentia causatiua; ideò potest esse simul cognitione, & prior natura in suo genere causæ, & sic etiam prior origine in eodem genere causæ, & sic de alijs. 1526

Resp. cùm personę diuinæ constituantur relationibus identificatis cū essentia, vna secundùm rem non est prior origine altera.

Contrarium habemus in re nostra, imò ex hoc potest veritas confirmari, nam si daretur hæc prioritas originis secundùm rem, ipsa esset similis, & reduceretur ad prioritatem naturæ, quæ est in rebus creatis inter causam, & effectum, sublatis imperfectionibus dependentiæ, & causalitatis; sicuti ergo in creaturis prioritas hæc naturæ fundatur in eo, quod causa, & effectus non communicant in vna natura singulari communi, quam vnus recipit ab alio; si enim hoc esset, tolleretur omnis prioritas naturæ. Ita cum Pater, & Filius habeant vnam, & eamdem naturam singularem, tollitur fundamentum omnis prioritatis originis secundùm rem, & proptereà D. Thom. loco cit. in secundo, & alibi non immeritò docuit, esse aliquam prioritatem in re nostra solum secundum modum intelligendi per similitudines repertas in creaturis, quæ tamen deficientes sunt ad has res diuinas repræsentandas, & re vera hoc sufficere debet intellectui nostro, & nostro modo loquendi, & disputandi, si admittatur prioritas hæc originis solùm secundùm nostrum modum intelligendi imperfectum, licet non secundùm rem. 1527

Nam si daretur prioritas originis secundùm rem, illa esset prioritas secundum naturam.

Confirm. vlterius eadem veritas, sicuti enim non liceret nunc dicere inter Patrem, & Filium esse veram dependentiam secundum rem, addita etiam illa particula, *originis*, quia vera dependentia a secundùm rem, non est nisi inter producens, & productum, si distinguantur realiter secundùm naturā, quam vnus accipit ab alio, vt est communis omniū consensus, ita congruentissimum erit dicere, inter Patrem, & Filium non esse veram prioritatem secundum rem, etiam addita illa particula, originis, sed omnem veram prioritatem secundum rem tolli per hoc, quòd hæ personæ constituantur per relationes identificatas vni naturæ singulari communi, ita vt sicuti non possunt dici verè, & secundùm rem depēdere vna ab alia, ita neque vnam esse aliā priorem, etiam origine, sed solùm secundum nostrum modum intelligendi. Et eadem ratio est, cur vna non possit dici verè causa alterius; quod si ex verbis aliquorum Patrum colligi possit aliqua prioritas inter personas diuinas, facilè intelligi possunt de prioritate secundùm nostrum modum intelligendi per comparationem creaturas, quamuis ordo non sit secundùm nostrum modum intelligendi tantùm; atqi ex his demum apparet, hanc quæstionem, licet existimetur, accedere ad quæstionem de nomine, quia, inquiunt, nihil aliud intelligitur, cùm dicitur Pater esse prior origine Filio, etiam secundum rem, nisi esse, à quo Filius, quod omnes fatemur, tamen re ipsa non esse putam quæstionem de nomine, & si esset, longe congruentiùs esset loqui cum D. Th. & D. Aug. quam aliter. 1258

Confirm. quia non possumus dicere, esse veram dependentiam inter Patrem, & Filiū addita particula, originis.



ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum filius sit æqualis Patri secundùm magnitudinem.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio, necesse est dicere, Filium esse æqualem Patri secundùm magnitudinem. Prob. habens naturam, quæ est in Patre, secundùm illam perfectionem, quę est in Patre, est æqualis Patri secundùm magnitudinem: magnitudo enim Dei non est aliud, quàm perfectio naturę ipsius. Sed filius habet eandem perfectionem naturæ, sicut est in Patre; hoc est enim de ratione filiationis, & Paternitatis, quod filius per generationem pertingat ad habendam perfectionem naturæ, quæ est in Patre, sicut & Pater, ergo.

Arg. 1. ex illo Io. 14. Pater maior me est, & 1. ad Cor. 15. ipse filius subiectus erit illi, qui sibi subiecit omnia, ergo. Respond. ad primam auth. intelligi de Christo secūdùm humanitatem. Secundam verò intelligi de subiectione recognitionis, non de subiectione infirmitatis. hęc enim non illa arguit minoritatem.

Arg. 2. Patri in diuinis conuenit vna dignitas, quæ alteri non conuenit; s. Paternitas, quæ ad dignitatem Patris pertinet. ergo. Resp. neg. Antec. nam dignitas est absoluta, & ad essentiam pertinet, & vnde quidquid dignitatis habet Pater, habet etiā filius, nec sequitur Paternitatem habet Pater, ergo Paternitatem habet filius. Mutatur enim quid, in aliquid, eadem enim est essentia, & dignitas Patris, & filij. Sed in Patre est secundùm relationem dantis; in filio verò secundùm relationem accipientis.

Arg. 3. in diuinis videtur esse totum vniuersale, & pars: nam sub relatione, vel notione, plures notiones continentur. ergo. Resp neg. Antec. & ad prob. neg. relationem esse totum vniuersale, quamuis de similibus relationibus prædicetur; quia omnes relationes sunt vnum secundùm essentiam, & esse; quod repugnat vniuersali, idem dic de persona.

DISPVTATIO. CCXVII.

Vtrum Filius sit ęqualis Patri secundùm magnitudinem.

1529 Concl. affirm.

Respondet D. Th. Filium esse Patri æqualem (& idē dicendum omninò est de Spiritu San. ordine ad Patrem, & Filium) secundum magnitudinem, idest perfectione naturæ, nulla enim alia est in Deo magnitudo, nisi naturæ perfectio, includens omn. potentiam, immensitatem, æternitatem, & cætera attributa absoluta, quo sēsu certa est secundū fidem hæc veritas, cùm Filius eamdē naturā Patris accipiat per æternā generationē, quod D. Th. sufficienter explicat in textu, etiā exemplis naturalis generationis in creaturis, solùm ergo posset esse difficultas, an sit aliqua inæqualitas inter Patrem, & Filium ratione relationum oppositarum, quarum vna est in Patre, scil. paternitas, & alia in Filio, nempe filiatio, ita vt Pater dici possit maior, aut perfectior Filio, sed circa hoc fusè dictum est infra q. 41 scil. negatiuè, & alia hic addentur.

1530 Circa respon- sionem ad primum Nota. Patrem non esse maiorem Filio.

Circa responsionem ad primum cum proposuisset D. Th. duo loca scripturæ contra æqualitatem diuinarum personarum, in quibus Pater diuinus dicitur maior Filio, & Filius illi subiectus. Respondet 1. ex propria sententia, ibi sermonem esse de Filio Dei ratione humanitatis assumptæ, quæ responsio est communis Patrū, quos refert Molina hoc artic. neque habet difficultatem, de qua plura 3. p. qu. 20. secundò approbat doctrinam D. Hilarij dicentis, Patrem esse maiorem authoritate donantis, ita tamen, vt Filius non sit minor, cui idem esse, & vnum cum Patre donatur.

Ad pater possit dici maior Filio authoritate donantis.

Et hoc idem significari per Filij subiectionem, idest cognitionem paternæ authoritatis, non verò inæqualitatem, quam inæqualitatem dicit subiectio creaturarum, itaq. D. Hilarius ea loca intellexit de Filio Dei, etiā ratione Diuinitatis, sequutus eo modo loquendi aliquos Græcos Patres, quos refert Vasq. p. p. disp. 122. c. 3. atq. hanc expositionem, & modum loquendi Hilarij sæpè alibi approbat D. Th. vt supra q. 33 a. 1 ad 2 & in 1. dist. 16. in expositione literæ in fine distinctionis, & dist. 19. q. 1 a. 2. ad 2. & in 3. dist. 11. q. 1. a. 1. ad 2 & de Pot. q. 10. art. 1. ad 17 in quibus locis docet, Patrem dici posse maiorem Filio authoritate donātis, seu principij; cum hoc tamen addito, vt Filius non possit dici minor Patre, propter communicationem naturę diuinę, quæ eadem est in Patre, & in Filio, vnde videtur insurgere difficultas.

1531 videtur implicare, quód pater sit maior, & Filius non sit minor.

Videtur enim implicare in terminis, quód Pater sit maior Filio, & Filius non sit minor Patre in eo sensu, in quo Pater est illo maior, nam omne maius minore maius est, & omne æquale æquali æquale est, neq. videtur sufficiens eorum responsio qui dicunt, Hilarium, & alios Patres, cum dicunt Patrem esse maiorem Filio, intelligere nomine maioris prioritatem originis, vt idē sit esse maiorem, & esse priorem. Nam in primis D. Th. renuit hanc explicationem, cum admittat modum illum loquendi, quod Pater sit maior, neget autem, quod sit prior, vt maximè constat loco cit. in 3. dist. 11. q. 1. a. 1. ad 2. & 3. & constat ex supradictis, maximè quia si sermo esset de prioritate, sicuti Pater dicitur maior, ita sine periculo dici posset Filius minor, idest posterior origine.

1532 Arrianum spirant, asserere, Filium esse minorem.

Quod tamen negatur à D. Tho. & Patribus putantibus, Arrianā hæresim sapere, si dicatur Filius minor, & demum D. Hilar. apertè docet, Patrem esse maiorem, etiam in ordine ad intellectum diuinum, vt maximè constat ex lib. de Synodis cit. à D. Thom. h. c. ad 1. at verò, vt vidimus, ad summum Pater potest dici prior origine Filio solùm secundum nostrum modum intelligendi, aliam responsionem ponit, & confutat D. Thom. dist. 16. citata in 1. restat igitur difficultas, quo modo Pater sit maior, & Filius non sit minor. Vnde sit sequens Dub.

DVBIVM VNICVM.

An Filius dici possit minor Patre, cùm Pater dicitur maior Filio.

1533 *Cōcl. negatiua, quia ly* maior *in diuinis non dicit comparationem sed relationem.*

Dico ergo secundum mentem D. Th. & rei veritatem, quod quamuis hęc vox, maior, ex sua institutione dicat relationem, & ordinem ad aliud, & pręterea comparationem excedentis ad excessū, tamen vt refertur ad diuina solum dicit relationē, non tamen propriam, & perfectam comparationē, nisi verbaliter. & propterea dicitur Pater maior quidem in ordine ad Filium, tanquam ad terminum relationis, non tamen ad terminum comparationis perfectę, & sic Filius non potest dici minor, & simile quid dictum est supra q. 33. circa hanc voce, principium Quod licet conueniat Patri, & ex vi suę significationis in rebus creatis, dicat ordinem, & comparationem ad principiatum, tamen in diuinis non dicit hanc comparationem secundum modum loquendi Doctorum Latinorum, qui non dicunt Filium principiatum, ne aliquam minoritatem ponant in Filio, neque mirum est, si vocabula nostra sint insufficientia ad significanda hęc altissima mysteria, & sępe debeant limitari, quoad significationem: hanc rem expressit D. Th. loco cit. in

Filius non potest dici minor Patre, sicut neque principiatum.

1. dist 6.

1534 *Is qui dat, potest comparari ad recipientem dupliciter.*

1. dist. 6. in expositione textus, vbi magis ex professo verba Hilarij exponit.

Dicit ergo primo, quòd dans, seu Is, qui dat, potest comparari ad recipientem, seu ad eum, cui dat dupliciter, vel ratione rei datæ, vel quantum ad relationem, seu conceptum donationis, & dationis, si primo modo, tunc ratione rei datæ potest esse, vt dans sit maior, & recipiens sit minor, quando neque formaliter, neque æquiualenter, tantùm est in dante, quantùm in recipiente, sed minus in recipiente, vt accidit in actionibus æquiuocis, & in vniuocis etiam, quando non sunt perfectæ, nunquam autem hoc modo potest esse, vt recipiens sit maius, inquãtum recipiens, potest tamen esse æquale, si tantùm est in ipso, vel formaliter, vel æquiualenter, quantũ in dante.

1535 *Ratione authoritatis dantis Pater potest dici maior.*

Et quantum ad hunc modum neque Pater est maior Filio, neque Filius Patre, vllo prorsus modo, scil. ratione rei datæ, sed est inter illos perfectissima æqualitas; at vero secundo modo, scilicet quantum ad rationem donationis, dans ex eo, quòd dat, habet dignitatem quamdam, quæ dicitur authoritas dantis, vel principij; & in re nostra est authoritas Patris, ratione cuius potest dici maior relatiuè quidem ad Filium, qui tamen neque propterea sit minor, quia non accipit imperfectè, sed quidquid est in Patre, est in Filio, vel formaliter, vt sunt omnia attributa Patris excepta paternitate, vel æquiualenter, quomodo habetur paternitas in filiatione.

Ratione vnius perfectissimæ naturæ non est in Deo, maius, vel minus.

Nam propter perfectissimam communicationẽ vnius indiuiduæ, & infinitæ naturæ, non est in Deo maioris, aut minoris perfectionis dare, aut recipere, sed prorsus æqualis, non obstante maioritate donationis, quam rem sic breuiter conclusit D. Th. ibi ijs verbis, *& ideò si comparemus Patrem ad Filium quantum ad id, quod Filio à Patre datur, neque Pater maior, neque Filius minor dicitur, si autem quantum ad rationem dationis, sic dignitas dantis Patri non subtrahitur, ratione cuius maior dicitur, vt maior, magis sonet perfectionem dignitatis, quàm comparationem magnitudinis, sed quia Filius perfectè recipit quidquid Pater habet, nulla minoratio sibi conuenit, & ideò etiã nullum nomen minorationis Filio potest conuenire, &c.* hæc D. Thom. & sic explicat textum citatum Hilarij.

1536 *1. Obiectio.*

Ex quibus facilè solui possunt aliqua argumenta, quæ contra superiorem doctrinam fieri solent, vt si quis dicat. Pater ratione donationis, & authoritatis donantis, est maior Filio; ergo secundùm hanc considerationem, & modum Filius est minor Patre. Conseq. prob. quia omne maius secundum eam rationem, secundum quam est maius, aliquo minore, est maius.

Resp. hic non accipi maius, & minus, vt dicunt concipi rati onem.

Respondendum est, neg. Conseq. & ad eius prob. distinguenda est particula illa maius; vel maior, si enim accipitur, vt dicit puram relationẽ ad aliud, neganda est, si verò accipiatur, vt dicit reipsa veram, & propriam comparationem, sic concedenda est; hoc autem modo non accipitur in casu nostro, sed primo, itaque ad personas diuinas vox illa, maior, solùm est comparatiua grammaticaliter, & verbaliter, non autem re ipsa.

1573 *2. Obiectio.*

Secundò, si quis dicat Authoritas dantis, qua Pater est maior Filio, est aliqua perfectio in Patre, hæc autem non est in Filio, ergo est aliqua perfectio in Patre, quæ non est in Filio, ergo Filius est Patre imperfectior, etiam ratione rei datæ; neque verum videtur esse, quod recipiat perfectè quidquid est in Patre, aut tantumdem, quantum est in Patre, vt loquitur D. Th. quia scil. non recipit hanc Patris authoritatem.

Resp. dicere perfectionem absolutam, quæ est identicè in Filio.

Respondendum est, primò concessa Ma. disting. Mi. non est in Filio vllo modo nego, æquiualenter primo, & præterea tanquam res subsistens in subsistente, nego; & hoc sufficit, vt nulla minoratio, & imperfectio sit in Filio respectu Patris, quod Hilarius his verbis explicauit; *sed minor non est, cui vnũ esse donatur, &c.* quia enim Pater infinitatem suæ naturę increatæ communicat Filio sine vlla imperfectione, hinc est, vt Filius nullo modo sit minor Patre. Vel meliùs, esse perfectionem absolutam, quæ est identicè in filio.

Circa responsionem ad 2. duo facit D. Th. primò monet, quòd cum hoc loco quæritur, an Filius sit æqualis Patri secundùm magnitudinem, sermo est de æqualitate secundùm naturæ, & essentię perfectionem, quæ significatur nomine magnitudinis, secundùm quam est ęqualitas, vel inæqualitas, non verò secundùm oppositas relationes, quę non possunt hoc modo facere inęqualitatem, cùm identificentur vni simplicissimæ naturæ, & essentiæ diuinæ communi omnibus personis, vt supra etiam monuimus. *Circa responsionem ad 2. Aduerte.*

1538 *Instabis.*

Sed quia non videbatur adhuc solutum argumentum, quod procedebat ex ipsis relationibus, an scil. propter relationem paternitatis, quæ est quædam dignitas Patris, posset saltem Pater dici maior, seu perfectior Filio, & Filius imperfectior; ideo secundò pro solutione argumenti dat quamdam doctrinam, quam hic non ita clarè ponit, sed ex alijs eius locis mox citandis, in hunc modum explicari potest, paternitas, & idem dici debet de filiatione, potest dupliciter considerari, primo vt relatio est, & opponitur, & distinguitur realiter à filiatione, secũdo vt identificatur essentię, & naturæ diuinæ, seu vt dicit essentiam diuinam, primo modo non est dignitas, sed dicit solam oppositionem ad aliud, secũdo modo, seu ratione essentiæ, est dignitas, & sic dignitas est prædicatum absolutum, & quia in Patre, & Filio est eadem numero natura, & essentia, ideo vna numero dignitas est in vtroque, quę tamen in Patre est paternitas, & in Filio est filiatio, sicuti essentia diuina in Patre est realiter ipsa paternitas, & in Filio est filiatio.

1539 *Resp. cum dignitas sit de absolutis, nulla dignitas est in Patre, quæ non sit in Filio*

Et sic facilè responderi potest ad arg. in forma factum à D. Th. qua scil. ratione nulla sit dignitas in Patre ratione paternitatis, quæ non sit in Filio ratione filiationis, hęc ergo D. Th. doctrina clariùs habetur in 1. dist. 7. qu. 2. art. 2. quæstiun. 1. ad 4. vbi sic habet. *Ad quartum dicendum, quod dignitas est de absolutè dictis, & ideò eadem est dignitas Patris, & Filij numero, sicuti eadem essentia; vndè sicut paternitas in Patre est essentia, & eadem essentia in Filio, non paternitas, sed filiatio, ita eadem dignitas numero, quæ in Patre est paternitas, in Filio est filiatio,* idem habet ibid. d. 11. q. 2. art. 1. ad 4 & q. 2. de Pot. a. ibi 4. ad 14.

1540 *Dignitas secũdum D. Th. non est idem, ac authoritas; dignitas .n. est de absolutis, Authoritas de relatiuis.*

Circa hæc argumenta D. Thom. de quibus hucusque dictum, est, illud diligenter est aduertendum, quod cum in primo fiat mentio authoritatis, non autem dignitatis, in secundo vero fiat mentio dignitatis, & non authoritatis, & diuersa sit responsio ad vtrumque, omnino fatendum est secundum D. Th. quod dignitas non sit idem, ac authoritas, sed dignitatem esse quid absolutum, auctoritatẽ verò esse quid relatiuum, ita vt paternitas sit dignitas ratione essentię, atque adeo sit vna numero dignitas in tribus personis. At vero è contra authoritas sit ipsa essentia Patris, inquantum habet relationem principij absque vllo alio principio, atque adeo non sit vna numero authoritas in Patre, & in Filio, sed authoritas dantis solum sit in Patre, vt quid pertinens ad Patris constitutionem, in Filio autẽ solum sit hęc authoritas, vt subsistens in subsistente, & æquiualenter, quã propter causam D. Th. nunquam dixit, quod authoritas est de absolutis in diuinis, sed contrario modo q. 10. de Pot. a. 1. ad 17. ait, *quod authoritas in Patre non est aliud, quam relatio principij.*

1541 *licèt hęc authoritas sit in Patre & non in Filio, Filius nõ est inæqualis Patri.*

Propter quod concludit, quòd licèt in Patre sit hęc authoritas, & non in Filio, non tamen Filius dici debet inęqualis Patri, quia ęqualitas non attenditur secundùm relationes, sed secundùm magnitudinẽ, seu quantitatẽ, quę in diuinis non est aliud, nisi naturæ perfectio, & propterea D. Thom. hic ad 1. concedit secundùm Hilarium, Patrem maiorem Filio donantis authoritate; ad secundum vero docet, Patrẽ esse Filio ęqualem secundũ dignitatẽ cum vna numero

numero dignitas sit in vtroque, licet in Patre hæc dignitas sit secundùm relationem dantis (& sic dicitur authoritas) in Filio sit secundum relationem recipientis, & sic non habet particulare nomen. Nam non placet D. Th. quod vocetur vt sic, subauctoritas, vt aliqui appellabant suo tempore, quos cõfutat in 1. dis. 17. in explicatione textus, & loco paulo ante cit. de Pot. ad 9. item in 1. dis. 29. qu. 1. art. 1. in fin. Corp. docet, Filium non dici auctorem Spiritus Sancti, licet sit eius principium, quia auctoritas supra principium connotat, non esse ab alio principio; at vero Filius est à Patre, multo ergo minùs erit in Filio auctoritas in ordine ad Patrem, quamuis hanc conditionem non videatur exigisse D. Hilarius, quem citat D. Th. supra q. 36. art. 4. ad 7. vbi etiam Filium vocat auctorem Spiritus S. quia est eius principium.

1542 *Filius habet relationem recipientis, quæ nõ potest dici sub authoritas.*

1543 *Relatio diuina vt sic, est communis cæteris relationibus.*

Circa responsionem ad 3. sensus responsionis est, quòd relatio diuina, prout secundum nostrum modum concipiendi est quid commune ad plures relationes diuinas (quæ dicuntur similes, quia sunt omnes relationes diuinæ, non autem, quia sint similis denominationis, aut æquiparentiæ) non tanquã aliqua ratio proprie vniuersalis, sicuti est ratio hominis ad plures homines, & aliæ similes, siue genericè, siue specifice rationis creatæ, & rationem affert D. Th. quia ea, quæ conueniunt in aliqua ratione verè, & proprie vniuersali, neque debent identificari vni numero essentię, & existẽtiæ communi, sed debent inter se, tam quoad essentiam, quam quoad existẽtiam realiter diuidi.

1544 *Non est communis, tanquã ratio vniuersalis.*

Ratio enim vniuersalis debet diuidi omninò realiter in suis inferioribus, at vero relationes diuinæ, licet inter se realiter distinguantur, identificantur tamen vni essentiæ diuinæ communi, & vni communi existentiæ, & propterea relatio diuina in communi, non est proprie vniuersalis in ordine ad relationes determinatas diuinas; sed ita se habet ad illas, sicuti ratione personę vagę, & ita nõ est in diuinis totum, & pars proprie, sed perfecta vnitas in Trinitate Personarum.

1545 *Omnes relationes diuinæ non sunt maius aliquid, quàm vna.*

Vnde demùm infert D. Th. quòd omnes relationes diuinæ non sunt maius aliquid, quam vna, sicuti nec omnes personæ sunt maius aliquid, quàm vna, quia maius, & minus, æquale, vel inæquale non attenditur in Deo secundùm numerum, relationem, vel personam, sed secundum diuinæ naturæ perfectionem, quę est vna numero in tribus personis. & quamuis natura diuina, & concepta cum sola paternitate, non includat formaliter alias relationes, includit tamen illas realiter, & æquiualenter, & ita plures relationes in natura diuina non dicunt maiorem perfectionem intensiuè, sed solùm pluralitatem, seu plures relationes, sicuti alibi diximus de ipsis personis.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum filius sit in Patre, & è conuerso.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

PRima Conclusio. Pater est in filio secundùm essentiam. Quia Pater communicat suam essentiam filio absque transmutatione. 2. Conclusio. Filius est in Patre secundùm essentiam, quia est vna, & eadem essentia Patris, & filij: 3. Concl. Pater est in filio, & filius in Patre secundùm relationes; quia vnum relatiuum est in altero secundùm intellectum: 1. in ratione vnius relatiui cadit suum correlatiuum. 4. Conclus. Filius est in Patre secundùm originem, quia ille, qui procedit, vt verbum, est in eo à quo procedit secundùm originem. 5 Cõclus. Pater est in Filio secundùm originem, nam illud, quod dicitur verbo, continetur in verbo. Pater enim dicitur verbo. idem dicendum est de Spiritus S. respectu Patris, & filij, quòd dictum est de Patre.

Arg. 1. secundùm nullum modum essendi ex octo quos assignat Phil. 4. phys. to. 23. Filius est in Patre, vt patet, ergo. Respond. neg. conseq. nam ea, quę in creaturis sunt, non sufficienter repræsentat ea, quæ Dei sunt; ideò secundùm nullum eorum modorum &c.

Arg. 2. Nihil, quod exiuit ab aliquo est in eo, à quo exiuit. Sed filius ab æterno exiuit à Patre. Mich. 5. ergo. Resp. dist. ma. & illam conced. de exitu ad extra: neg. vero de exitu ad intra. & quia filius exit à Patre, secundùm modum processionis interioris, ideò &c.

Arg. 3. Vnum oppositorum non est in altero: Sed filius, & Pater opponuntur relatiuè, ergo. Resp. neg. ma. de his, quæ opponũtur relatiuè, in his .n. vnum est necessariũ in ratione alterius, vt dictum est.

DISPVTATIO CCXVIII.

Qua ratione dicatur vna persona esse in alia, siuè per circuminsessionem.

EXistentiam vnius personæ in alia tribus rationibus probat S. Th. Prima, & præcipua, ducta ex vnitate essentiæ communis tribus personis per omnimodam identitatem; secunda ducta ex conceptu relationum, quibus personæ constituuntur, distinguuntur, & referuntur; & has duas rationes affert etiam in 1. d. 19. q. 3. art. 2 Corp. & ad 2. Tertia ducta ex origine qua personę diuinæ producunt, & producuntur. Prima sufficienter est explicata supra qu. 28. de reliquis igitur duabus sit. 1456

Existentiam vnius personę in alia, tribus rationibus probat D. Th.

Prima Concl. Non solum cuiuslibet diuinæ personæ essentia, sed etiam relatio benè probat, vnam personam esse in alia. Est sine dubio S. Thomæ intetio Corp. æqualiter tàm de essentia, quàm de relatione, & origine dicentis, Secundùm quodlibet istorum, Filius est in Patre, & è conuerso. *tametsi id adeò breuiter, & obscurè probet, vt non solum impugnetur ab Aureolo 1. dist. 19 q. 1. a. 1. col 2. Sed etiam à Capreol. ibid.* §. Ad argumenta secundo loco. *negetur, dum ad quatuor Aureoli argumenta, concedendo, quod probare intendebant, nihil aliud respondet, nisi* quod S. Doctor ex parte relationis non intendit probare, quod vna persona sit in alia secundùm esse, sed secundùm intellectũ, *idque probat ex eo, quòd S. Th 1 dist. 19. q. 3. a. 2 ad 2 scribat,* Quod vna persona dicitur esse in alia, vel quantum ad esse, vel quantùm ad intellectũ relationum, quia in vna intelligitur alia. *Verùm S. Th non dicit*, quãtum ad esse, *sed*, quantum ad essentiam. 1547

1. Conclusio. Non solùm essentia, sed etiã Relatio probat vnam personam esse in alia.

Quarè his verbis non tangitur duplex modus essendi vnius personæ in alia, & secundùm rem, & secundùm intellectum tantùm, sed solùm tangitur duplex radix, vndè probari possit, vnam personam habere esse in alia secundùm rem, seu, quantum ad esse reale. Quod manifestum est ex præcedentibus verbis Corp. initio. Dicendum, quod in diuinis personis, est duo considerare, scil. essentiam, quæ est vna, & eadem, & relationes, quibus distinguuntur; & secundùm vtrũq; Pater dicitur esse in Filio, & è conuerso. *Eodem prorsus modo dicitur Pater esse in Filio secundum essentiam, & secundum relationem; & non dicitur Pater secundùm essentiam esse in Filio, sed secundùm relationem intelligi tantum in Filio: quem secundùm sensum habet Capreol & sequuti sunt Caiet.* §. Circa hanc relationem: *& nonnulli alij interpretes.*

his verbis D. Th. non tangitur duplex modus essendi, sed duplex radix.

Probat igitur S. Th hic post med Corp Patrem v. g. verè, & realiter esse in Filio, ex eo, quod vnum oppositum relatiue est in altero secundum intellectũ, *hoc est, vt dicitur 1. d. 19 quæst. 3. artic. 2. fin. corp.* in 1548

Prob. ex D. Th. quia vnũ oppositum relatiuum est in

vno

altero secundùm intellectum.

vno relatiuorum intelligitur: & clariùs ad 2. quia in vna relatione intelligitur alia, quamuis vnum relatiuum ab altero sit distinctum. *Ex hoc principio de relatiuis, quòd sint simul cognitione, quod traditur à Philosoph. & conuenit etiam diuinis relationibus, non apparet, quo modo demonstrari possit intentum. Etenim totum hoc reperitur in relatiuis creatis v. g. humano Patre, & Filio; vbi tamen nec Pater in Filio, nec Filius in Patre realiter est. Applicando igitur hoc principium ad diuina, ita supplendum est, vt ratio appareat habere vim probandi intentum.*

1549 Vna persona diuina ob sui infinitatem simpliciter in omni genere entis, continet, quidquid ad eius definitionem pertinet.

Sed quælibet persona diuina ob suam infinitatem simpliciter in omni genere entis, id habere debet maximè proprium, vt quidquid ad eius quasi definitionem, seu quidditatiuam rationem, & comprehensionem, atque intellectum pertinet, contineatur realiter in ipsa, & sit intra se ipsum aliqua reali ratione, & non sit totaliter extra ipsam, alioquin cum defectu eius perfectionis formaliter diuinæ, ad eius intellectum pertinentis, non posset intelligi in se intrinsecè infinita simpliciter in omni genere diuinæ perfectionis, nullam imperfectionem includentis. Ergo si filiatio diuina v. g. est de intellectu diuinæ paternitatis, est impossibile, vt filiatio, & consequenter Filius non sit aliquo verò, ac reali modo in Deo Patre. scil. non per realem oppositionem, & distinctionem, quam inuicem habent, sed per simplicissimam conuenientiam, & identitatem, quam habent cum essentia.

1550 Hæc secunda ratio de relatione, reducitur ad primam de essentia,

Quapropter hæc secunda ratio ducta ex relatione reducitur tandem ad primam ex essentia ductam, quam propterea superius vocaui præcipuam. Hanc rationem significasse etiam subobscurè videtur Cyril. lib. 2. Thesauri cap. 7. aliquanto post med. vbi loquens de Filio ait. Propriam ipse habet hypostasim, quamuis non separatam à Patre, sed in Patre, & cum Patre intellectam. *Ex eo, quòd hypostasis relatiua Filij sit intellecta,* in Patre, *quoniam intellecto Patre, Filius intelligatur necesse est, infert Cyril. eandem hypostasim esse etiam cum Patre intellectam.*

1551 1. Obiectio.

Arg. ex Aureolo 1. Pater, & Filius, inquantum referuntur ad Spiritum Sanctum sunt vnum, vndè referuntur ad ipsum, inquantum vnus spirator, non inquantum Pater, aut inquantum Filius, sed constat, quod sunt in Spiritu S. secundùm suam totam personalitatem; vndè Pater est in eo cum paternitate sua, & Filius cum filiatione sua: ergo illud, quo spirant, non est causa, quod Pater, & Filius sint in Spiritu Sancto.

Resp. in Spiritu S. secundùm rem est relatio spiratoris, Paternitatis, & Filiationis.

Resp. concessa Ma. & Min. vt iacent, nego consequentiam, & consequens; si enim de intellectu relatiuæ personalitatis Spiritus Sancti est correlatio spiratoris, & hæc secundum rem sit ipsa relatio paternitatis, & relatio filiationis, quibus non opponitur, sequitur necessariò, quòd in Spiritu S. realiter sit non solùm ipsa precisè relatio spiratoris, sed etiam cum paternitate, & filiatione.

2. Obiectio.

Arguit 2. *Quoniam* habitudo Ad, & habitudo In, non sunt eædem habitudines. Sed relatio est causa, quòd vnum relatiuum dicatur ad aliud: ergo non est ratio, quòd vnum sit in alio.

1552 Resp. Relationem diuinam esse rationé, cur vnum relatiuum sit in alio.

Resp. Relationem diuinam non solùm esse rationem, cur vnum relatiuum dicatur ad aliud, quod habet omnis relatio, vt relatio est, siuè increata, siue etiam creata, sed etiam, cur vnum relatiuum sit in alio, quod non habet relatio diuina, vt est relatio præcisè, quia id non habet relatio creaturæ, sed tantùm vt est diuina relatio, siuè vt relatio personæ diuinæ, quæ ob suam infinitatem omninò illimitatam non potest non continere aliqua ratione in suo esse id, per quod necessariò petit cognosci. Per eandem distinctionem soluuntur facilè possunt reliqua Aureoli argumenta, vt quòd relatiua definiantur per esse ad aliud, non per esse in alio. quòd propterea Pater humanus sit ad Filium, non in Filio: quòd terminus relationis cooppositur relationi, eamque terminat, non autem continetur in relatione, nec relationi inexistit. Hæc enim omnia benè probant huiusmodi inexistentiam vnius relatiui in suo correlatiuo, non conuenire relationi Personæ diuinæ, qua relatio est, sed solùm quia est relatio personæ diuinæ.

In diuinis relationibus est aliquid cum quo Relationes nō habēt oppositioné.

Id enim omninò postulat, vt in qualibet persona diuina præter relationes oppositas relationibus aliarum personarum, quæ vt sic non possunt inuicem inesse, esse debeat aliquid, cum quo omnes relationes, tametsi inter se oppositæ nullam oppositionē habeant, & propterea identificentur, quod est ipsa natura diuina, & ratione huius vnum relatiuum esse debet in alio. Hæc secunda ratio ducta ex relatione, non solùm probat, vnam personam esse in alia, sed etiam in qualibet persona esse debere aliquid, omnibus præsens, & relationibus absque vlla oppositione identificatam, scil. ipsam naturam diuinam in qualibet diuina persona essentialiter inclusam.

1553 3. Obiectio.

Arguit etiam ibid. Aureol. 3. *contra discursum S. Th. probantis essentiam esse rationem, quarè Filius sit in Patre. Quoniam, inquit, Filius est in Patre, sicut subsistens in subsistente, & sicut totum in toto, sed essentia non est in Patre, sicut subsistens in subsistente, sed sicut natura in supposito; ergo Filius non est in Patre ex hoc, quòd essentia eius est in Patre,*

Resp. non eodem modo essentiam esse in Patre, & in Filio.

Respondet *optimè ibid. Capreol. neg. Conseq. Nam, vt rectè probetur, quòd essentia est ratio, vt Filius in Patre sit, tanquam subsistens in subsistente, non est necessarium, immo est impossibile, vt essentia eodem modo sit in Patre, & Filio, quo Filius est in Patre. Sicut, inquit Capreol.* corpus meum est mihi ratio, quod sim in loco dimensiuè; & tamen aliter sum ego in loco, quàm corpus meum; quia ego sicut subsistens in subsistente, corpus autem meum non sic.

1554 4. Obiectio.

Arguit 4. contra idem, quia hic discursus S. Thomæ, Pater est sua essentia, sed essentia Patris est in Filio, ergo Pater est in Filio, & similis istis alijs discursibus, qui non valent, essentia Filij est in Filio, Filius est sua essentia, ergo Filius est in Filio. Item, Pater est sua essentia, Filius est in Patre, ergo Filius est in essentia.

Resp. particulam In aliter accipi in præmissis, aliter in conclus.

Resp. cum eodem Capreol. hos duos discursus non esse similes. Primum deficere in eo, quia particulam, In, *aliter accipit in præmissis, nimirum propriè cum aliqua relatione, ac distinctione inter duos terminos; & aliter in Conclusione, nimirum impropriè per puram fictionē intellectus ordinantis idem ad seipsum qui defectus non cernitur in discursu S. Thomæ, vbi non solùm in minori propter relationem, & distinctionem rationis ratiocinatæ inter essentiam, & Filium, cum proprietate dicitur,* essentia Patris est in Filio, *sed etiam in conclusione maximè propriè concluditur,* ergo Pater est in Filio.

Particula In importat aliquam relationem, vt cùm dicitur, Pater est in Filio.

Etenim particula, In, *vt docet S. Thom. 1. dist. 19. art. 2. ad 3. & refert, & sequitur Capreol. ibid. propriè importat aliquam relationem, vel realem, vt cùm dicitur Pater esse in Filio, vel rationis ratiocinatæ, vt cùm dicitur, essentia esse in Patre. & ideò, vt propriè dicatur aliquid esse in aliquo, requiruntur duo distincta, vel secundum rem, vel secundùm rationem cum fundamento in re; quæ distinctio non reperitur, cùm dicitur Filius esse in Filio. Secundus quoque Aureoli discursus deficit; quia ex eo, quòd* Filius sit in Patre, scil. tanquam subsistens in subsistente, *concludit, quòd* Filius est in essentia, *hoc est, tanquam suppositum in natura; quod secundùm Capreolum ibi, & alios impropriè dicitur, quanquam ita loquitur Paulus ad Philip.* 2. Qui cum in forma Dei esset. *At verò in discursu S. Thomæ nulla improprietas reperitur. Nam in minore propriè dicitur,* essentia est in Filio, *scil. natura in supposito.*

1555 5. Obiectio.

Arg. 5. ex Durand. 1. dist. 19 qu. 3. nu. 7. fin. Illud, in quo est aliud, debet excedere, vel esse in plus, quam illud, quod est ipso, sed Pater se habet aliquo modo in plus, quam Filius, ratione solius essentiæ, & è conuerso, ergo vna persona non est in alia, nisi ratione essentiæ; *non autem ratione relationes, vt dixit S. Thomas.*

Respond. neg. maiorem, etiā vniuersaliter in rebus creatis.

Resp. cum Capreol. & alijs neg. Maiorem vniuersaliter, etiam in rebus creatis, vbi & si pars sit in toto illam excedente, vt forma, vel materia est in composito, & aqua, v. g. sit in vaso, seu locatum sit in maiore ex ornq. corpore locante, tamen à Philosoph. etiam 4. Phys. tom. 23. dicitur, esse totum in partibus, *quæ tamen non possunt esse in plus, quàm totum; & quælibet*

libet anima rationalis esse dicitur in suo corpore illam non excedente, & genus est in vna specie, v. g. animal in homine, & tamen animal est in reliquis omnibus animalis speciebus. Sic etiam in diuinis, essentia dicitur esse in Patre non excedente essentiam. Quamquam, vt cum dicitur vna persona esse in alia ratione relationis, non excluditur essentia.

1556 6. Obiectio.

Arg. 6 ex eodem Duran. n. 6. Illud, per quod vna persona distinguitur ab alia, non est ratio, quare vna sit in alia; quia illud, per quod vna est in alia; est commune vtrique, & est in vtraque: sed relationes, quibus personæ distinguuntur, non sunt communes personis: ergo secundùm eas vna non dicitur esse in alia. *simile est aliud argum. quod ex eodem Durando sic refert Capreol supra*, vnum oppositum non est in alio per relationem oppositam, sed personæ diuinæ sunt oppositæ per relationes, ergo vna non est in alia per relationem. *Resp. his argumentis probari, quod concessi supra, rationem, cur vna persona in alia sit, nõ esse relationem, vt distinctam, & oppositam, sed vt identificatam essentiæ.*

Resp. rationẽ, cur vna persona sit in alia esse relationẽ identificatam

1557 3. Conclusio. Origo vnius personæ ab alia, probat alteram personam esse in altera.

3. Concl. origo vnius personæ ab alia probat etiam, alteram personam esse in altera. ita omnes, quamuis contradicat Aureol supra. Ratio *S. Th. est, quia origo diuina est actio non transiens ad extra, sed immanens intrà ipsum producentem. Quod quidem contingere non posset, nisi persona producta reciperet eamdem producentis naturam infinitam, & propterea identificatam cum personis omnibus: vndè solum oriri potest, vt non solum persona producta maneat in producente, sed etiam persona producens maneat in producta. Hanc rationem tertiã ex origine desciptam afferunt frequenter Patres ad probandum circumincessionem. Inter alios expressius Hilar. lib. 3. de Trin. col. 2. initio, ita probat,* Pater in Filio, quia ex eo Filius; Filius in Patre, quia non aliunde quod Filius Vnigenitus in ingenito, quia ab ingenito vnigenitus. *nimirum in vnitate eiusdem naturæ.*

1558 1. Obiectio.

Arg. ex Aureol. 1. Dicit Commentator 4. Phys. com. 24. quod remotior, & imperfectior modus essendi in alio est ille, secundum quem res est in suo principio agente. Sed modus ille, quo Filius est in Patre, & vna persona est in alia, est perfectissimus, & summus, ergo non assimilatur illi, quo principiatum est in principio.

Resp. modũ, quo principiatũ est in suo principio esse imperfectũ.

Resp. modum, quo principiatum est in suo principio, esse imperfectum, si principiatum alterius naturæ sit à suo principio; & ideo non actu in illo est, sed potentia tantum, quo modo omnes effectus creati sunt in creatis causis, de quibus tantum loquitur Commentator; esse vero perfectissimum modum, si, vt est in casu nostro principiatum habeat eumdem omnino perfectissimam naturam sui principij, à quo ita fit, vt simul etiam in eo semper actu essentialiter sit.

2. Obiectio.

Arg. 2. Philos. in 4. Phys. t. 23. licèt dicat: partem esse in toto, & totum reciprocè in partibus, similiter genus in specie, & species in genere; sic tamen assignat modum, quo aliquid est in suo principiato, sed in diuinis est reciprocatio insistentiæ, & circumincessionis: ergo ille modus non est secundùm quod originatum est in originante.

Resp. modum essendi in suo principio non esse reciprocũ in creatis.

Resp. modum essendi in suo principio non esse reciprocum in rebus creatis, in quibus non est vnitas eiusdẽ infinitæ essentiæ identificantis sibi omnes personalitates & relationes, quæ in ipsa sunt. Quæ vnitas est in diuinis, & ideo in illis est reciprocatio. Nec vrget, quod contra hanc responsionem affert Aureol. hanc tertiam rationem ductam ex origine, sic non esse diuersam à prima ducta ex vnitate essentiæ: concedo enim non esse omninò diuersam, si enim diuinæ relationes, seu personalitates, & origines, non essent in eadem numero natura, ex illis vtique probari non posset inexistentia vnius personæ in alia. Nego autem, non esse simpliciter diuersam, quia prædicta inexistentia non solum probat, quòd essentia sit vna in omnibus, nulli opposita, & cum omnibus identificata, sed etiam quod vna persona non possit intelligi sine alia; & quod vna persona originetur ab alia per actionem immanentem in originante: vbi manifestum est, diuersis vijs, ac medijs procedi ad idem probandum, licèt duæ vltimæ viæ in primam tantum recurrant, quæ plana, ac regia est.

1559 3. Obiectio.

Arg. 3. Ipsi dicunt; quod Pater est in verbo, sed secundum Aug. de cognitione veræ vitæ, Deus totam mundi formam verbo suo dixit, & fecit, ergo secundùm hoc tota mundi forma erit in Verbo. Eo modo, quo Pater est in eo, si illa ratio sit sufficiens,

Resp. tã creaturas, quàm Deum Patrẽ esse in Verbo.

Resp. cum Capreol tam creaturas, quam Deum Patrem esse in Verbo, sicut repræsentatiuum in suo repræsentante; *esse tamen diuersissimo modo*, quia Pater adæquat suum Verbum, quod eum repræsentat, non autem creaturæ. *Vndè est etiam aliud discrimen, quia Deus Pater repræsentatur in Verbo, & intra Verbum formaliter: creaturæ verò repræsentantur quidem in Verbo, sed formaliter extra Verbum; à cuius natura, & perfectione infinitè recedunt.*

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum filius sit æqualis Patris secundùm potentiam.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

CONcl. Filius est æqualis Patri secundùm potentiam. Prob. ille, qui habet eandem perfectionem naturę, quam habet Pater, est æqualis Patri secundùm potentiam. Quia potentia agendi consequitur perfectionem naturæ; videmus enim in creaturis, quod quantò aliquis habet perfectiorem naturam, tantò est maioris virtutis in agendo.

Arg. 1. Filius non potest facere quicquam, nisi viderit Patrem facientem. Io. 5. ergo. Resp. neg. conseq. quia in Antec. non subtrahitur filio aliqua potestas, quam habet Pater, ex illa scrip. sed ostenditur quòd filius habet potestatem Patris, à quo habet naturam.

Arg. 2. Pater mandat filio. Io. 14. & filius audit Io. 3. ergo. Resp. neg. conseq. quia in demonstratione Patris, & auditione filij, non intelligitur, nisi, quòd Pater communicat scientiam filio, sicut & essentiam.

Arg. 3. Generare filium sibi æqualem spectat ad omnipotentiam Patris lib. 3. c. 7. sed filius non potest generare. ergo. Resp. neg. conseq. quia cum sit eadem essentia, quæ est in Patre Paternitas, in filio filiatio: ità eadem est potentia, qua Pater generat, & qua filius generatur. Vndè quidquid potest Pater, potest filius: nec sequitur, quod filius possit generare, quia mutatur quid in aliquod. quia generare significat relationem in diuinis, sed filius habet eandẽ potentiã, sed cum alia relatione. Pater enim habet eam, vt dans, filius vt accipiens,

DISPVTATIO CCXXIV.

An Filius sit æqualis Patri secundùm potentiam.

1560 Concl. Omnes personæ diuinæ sunt inter se æquales in potentia agendi.

REspondet D. Th. omnes personas diuinas esse inter se æquales secundùm potentiam agendi, sicuti sunt æquales secundum naturam, cùm potentia consequatur perfectionem naturæ, maximè cum in Deo omnipotentia sit ipsa sua essentia, seu vnum ex attributis essentialibus, maximè autem videtur D. Th. in corp. articuli loqui de diuina potentia in ordine ad effectus ad extra, sic enim simpliciter potentia agendi dicitur, cum actio propriè dicta inuoluat effectum ad extra. & in hoc sensu Concl. est certa secundùm fidem, & sic in symbolo Athanasij dicitur omnipotens Pater, omnipotens Filius, &c. vtrum autem Filius sit qualis Patri etiam secundum potentiam ad intrà, respondet D. Th. etiam affirmatiuè,

1561 Quod Filius nō potest à se quicquam ex ita: intelligitur de ordine originis, non de minoritate.

matiuè, vt dicemus circa Resp. ad 3.

In Resp. ad 1. aduertit D. Th. quòd ex illis verbis Ioannis 5. Filius non potest à se facere quicquam, *non denotatur in Filio aliqua minoritas potentiæ, sed solum ordo originis ad Patrem, vt quemadmodum Filius à se non habet neque naturam, neque potentiam, neque esse, sed à Patre, ita neque à se sit potens facere, cum sit principium, non tamen sine principio, qualis est Pater, neque tamen ex hoc sit minor Patre, cum habeat eamdem omnino potentiam à Patre, quam Pater habet non ab alio; unde etiam aduertit modum loquendi D. Hilarij, quòd Filius per se agat, licèt non à se quidem, quia per suam naturam, virtutem, potentiam, & voluntatem agit, sicuti Pater, non autem à se, quia hæc non à se habet, sed à Patre, & propterea particula illa, per se, dicit simpliciter aliquid absolutum; at verò particula illa, à se, inuoluit relationem, & originem.*

1562 Aduerte in Resp. ad 2. tria loca Ioan. intelligi possunt de Filio Dei secundùm diuinitatem.

In Resp. ad 2. explicat D. Th. tria loca ex D. Ioanne, quæ aliquo modo intelligi possunt de Filio Dei secundùm diuinitatem, vt ex illis solum sequatur, Filium à Patre habere quicquid habet, vt praeced. argumento dictum est, vel certè intelligi cōmuniter solent de Filio Dei ratione humanitatis assumptæ; quarè hoc vniuersaliter verum esse debet, & firmum, quod quoties ex scripturis, & Patribus aliqua dicuntur de Filio Dei, ex quibus quædam auctoritas, vel maioritas in Patre inferatur, vel intelligenda sunt de ipso ratione humanitatis assumptæ, vel certè ad significandum ordinem originis, sine vlla tamen minoritate ex parte Filij.

1563 Maior difficultas circa responsionem ad 3. quomodo Filius sit æqualis Patri, cum non habeat potētiā generādi.

Maior aliqua esse solet difficultas circa respons. ad 3. quod erat huiusmodi, ad omnipotentiam Patris pertinet posse generare Filium sibi æqualem, sed Filius nō potest generare Filium sibi æqualem, ergo non quicquid pertinet ad omnipotentiam Patris, potest Filius, & consequenter Filius non est æqualis Patris in potentia, & idem dici potest de Spiritu S. quod argumentum hoc modo formari potest. In Patre est potentia ad generandum, sed hæc non est in Filio, ergo Filius non est æqualis Patri in potentia, seu quoad posse, seu hoc modo. Pater potest generare, Filius non potest, ergo non quidquid potest Pater, potest Filius, & alijs similibus modis, de qua re plura habet Suar. l. 4. de Trin. c. 10. Vasq. hic disp. 164. & 165 & alij hoc art. duo autem hic quæri possunt. Primum vtrum potentia generandi, & spirandi ad intra, pertineant ad omnipotentiam Dei, aut saltem Dei Patris. Secundò vtrum posito, quòd aliquo modo, seu in aliquo tandem sensu pertineant, possit Filius dici æqualis Patri, etiam in ordine ad hanc potentiam. Vnde sit.

DVBIVM VNICVM.

An potentia generandi spectet ad Omnipotentiam? Et an, si pertineat, Filius possit dici æqualis Patri.

1564 *Circa primum si ly omni, tenet se ex parte potentiæ, potentia generādi spectat ad omnipotentiā.*

CIrca primum, licèt quæstio sit de nomine, tamen dici potest, quod si in hac voce, omnipotentia, particula illa, *omni*, teneat se ex parte potentiæ, vt sensus sit, an posse generare pertineat ad integram, & adæquatam, & ita ad omnem Dei potentiam, seu ad aggregatum ex omnibus potentijs, quę sunt in Deo, hoc certū est in omni rigore, s. potentiam generandi pertinere ad Dei omnipotentiā, nam vere est in Deo hæc potentia, & aggregatum omnium potentiarum harum ex modo nostro concipiendi distinctarum potest dici Dei omnipotentia, cùm in qualibet includatur infinitas, seu infinita vis agendi, & maximè in potentia, quæ est ad intra, & in hoc sensu videtur loquutus D. August. cit. hoc loco, & alibi a D. Thom. & ipse D. Th. admittere hanc acceptionem hic ad 3. nam in hoc sensu habet difficultatem propositum argumentum.

1565 *Si ly omni, teneat se ex parte terminorū, potentia generandi non spectat ad omni.*

Si vero particula illa, *omni*, teneat se ex parte terminorum, ita vt omnipotentia dicatur illa, quæ potest omnia possibilia, tunc proprie potentia ad intrà non pertinet ad Dei omnipotentiam, sicut personæ ad intra non sunt proprie res possibiles, & ita potentia generandi ad intra habet diuersum conceptum ab omnipotentia, cum hæc sit adæquatè perfectio simpliciter absoluta, prædicabilis absolutè de tribus personis, potentia vero generandi connotet determinatam relationem, & non possit absolutè, nisi determinatæ personæ conuenire, nempe generare Patri, spirare Patri, & Filio, in hoc autem secundò sensu nulla est difficultas in argumentis propositis, sic enim negandum est, pertinere ad omnipotentiā Patris generare Filium, cum pertineat ad aliam potentiam; quarè non sequetur personas diuinas non esse æquales in omnipotentia.

1566 *Difficultas supra verba D. Thomæ.*

Quia ergo hic secundus modus respondendi non foret sufficiens ad difficultatem præsentem absolutè enodandam, sufficeret enim aduersarijs, esse in Patre aliquam potentiam, quæ non est in Filio, atque adeo Filium non esse æqualem Patri, si non in omnipotentia, saltem in aliqua alia potentia, qua careret, ideo D. Thom. hoc loco non curauit præpositam distinctionem, & doctrinam adhibere, sed concesso, quod posse generare aliquo tandem modo pertineat ad Patris omnipotentiam, respōdet quodammodo, qui prima facie videtur inuoluere repugnantiam, nam primo concedit, manifestum esse, quod quidquid potest Pater, potest Filius. Addit vero postea, quod Pater potest generare, quod tamen non potest Filius, & sic videtur destruere, quod posuerat.

1567 *Potentia in Deo duo dicit, vel aliquid absolutum: vel aliquid relatiuum.*

Tamen ex eius explicatione, quam postea adhibet, hic est sensus illius responsionis, quod posse, seu potentia in Deo duo dicere potest, primo aliquid absolutum essentiale diuinæ naturæ, & in hoc conuenit omnipotentia in ordine ad creaturas, cum potentia in ordine ad personas productas, vtraque enim potentia dicit in recto hoc absolutum essentiale, quod est ipsa diuina essentia, vel aliquod eius attributum essentiale, & secundùm hoc, quicquid potentiæ est in Patre, est etiam in Filio. Secundo connotare potest aliquam determinatam relationem, & hoc est proprium potentiæ ad intra, nam essentia diuina non est potentia ad generandum, nisi vt connotat relationem Patris, & secundum hoc non est potentia in Filio ad generandum actiue, sed ad generandum veluti passiue.

1568 *Absoluta eadē potentia, quæ est in Patre cum Paternitate, est in Filio cum Filiatione.*

Eadem enim potentia, quæ est in Patre cum paternitate, est in Filio cum filiatione, quando ergo D. Thom. ait, quod quicquid potest Pater, potest Filius, intelligendum est secundùm quod posse, vel potentia dicit absolutum, sic enim quidquid potentiæ absolute est in Patre, est etiam in Filio, licet sub diuersa relatione, quia vero posse generare dicit absolutum cum determinata relatione paternitatis, ideo non sequitur, quod Filius possit generare, licet possit Pater, mutatur enim quid, in aliquid, vt loquitur D. Thom. seu mutatur absolutum in relatiuum. Quare Filius habet eamdem potentiam Patris, secundum quod potentia dicit aliquid absolutum, sed sub diuersa relatione, & denominatione, nam Pater habet eam potentiam sub relatione, & denominatione dantis, seu generantis, Filius autem sub relatione, & denominatione recipientis, & geniti, neque tamen ex hoc Filius est inæqualis Patri, quia in diuinis propter perfectissimam communicationem vnius infinitæ naturæ, tantundem perfectionis est habere essentiam diuinam sub relatione, & denominatione dantis, ac sub relatione, & denominatione recipientis.

1569 *Ad argumentū 1. in fine disp. propositum sic Respondetur.*

Quare ad argum. in forma propositum, prout primo loco proponitur, sic respondendum est, dist. Ma. ad omnipotentiam Patris pertinet generare Filium, tantum prout omnipotentia dicit aliquid absolutum simul cum aliquo determinato relatiuo, nempe paternitate, concedo ad omnipotentiam Patris tantum, prout dicit simpliciter aliquid absolutum, nego, & concessa Min. distinguendum est conseq. ergo non quicquid pertinet ad omnipotentiam Patris primo modo, potest Filius, concedo, secundo modo nego, & ita nego secundam Conseq. quia tantundem prorsus est posse generare, atque adeo pertinere ad omnipotentiā Patris primo modo, nempe posse generare, ac posse generari, seu generari, quod competit Filio, cum eadem prorsus essentia, quæ est in

Patre

Patre paternitas, & sub ratione dantis, sit in Filio filiatio, & sub ratione recipientis, saluo semper ordine, & autoritate donantis.

1570 *Ad idem 2. loco positum in 3. §. sic Resp.*

Ad idem vero arg. vt secundò loco positum est, sic responderi debet in forma, concessa ma. distinguenda est Min. sed hęc potentia secundùm id, quod dicit absolutum, non est in Filio, nego, secundùm quod dicit paternitatem, concedo (idest non pertinet ad Filij constitutionem, hic enim non loquimur de circuminsessione, secundùm quam vna persona est in alia) & ita absolute & simpliciter nego Conseq. licet enim hæc potentia non sit in Filio sub relatione paternitatis, & denominatione dantis, est tamē sub relatione filiationis, & denominatione recipientis, quod est prorsus idem.

Ad idem 3. loco positum sic Resp.

Ad idem vero arg. prout tertio loco ponitur, sic respondendum est in forma, concessa Ma & Mi. dist. Conseq. secundùm quod posse, seu potentia accipitur absolute, seu dicit esse absolutũ, nego, secundùm quod dicit relationis, concedo; nego tamen ex hoc Filium non esse æqualem Patri in potentia, cùm habeat eamdem potentiam sub diuersa relatione, & denominatione æquiualenti.

Obiectio.

Sed vlteriùs obijci solet contra hanc D. Th. responsionem, quia essentia diuina præcise non habet rationem potentiæ generatiuæ ad intra, nisi vt connotat paternitatem, & vt stat sub paternitate, quare etiam si eadem numero essentia sit in Filio, vt tamē est in Filio, non poterit habere rationem potentiæ generatiuæ, & veluti actiuæ, licet habeat rationem rei communicatæ, & veluti passiuæ; cum ergo hic quæramus de Filij æqualitate cum Patre in ratione potentiæ operatiuæ, & actiuæ, videtur primo, insufficienter responderi per hoc, quod Filius habeat essentiam sub ratione recipientis, secundo omnino admittendum esse, quod aliqua potentia sit in Patre, quæ non sit in Filio, & consequenter quod Filius non sit æqualis Patri quoad omnem potentiam, sed solum quoad omnipotentiam ad extra, & ad intra in ordine ad Spiritum S. tantùm.

1571 *Resp. ex eo, quod Filius habet essentiam in ratione recipientis esse eamdem potentiam Patris, & Filij.*

Resp. illam responsionem non esse insufficientem, sed necessariam, & conuenientem, nam ex eo, quod Filius habeat essentiam diuinam, licet sub ratione recipientis, & relatione filiationis, oritur, vt habeat quidquid est potentiæ in Patre secundùm rationem absolutam, licet non habeat sub eadem ratione: vnde secundo oritur, vt Filius non sit Patre minor, & inferior, etiam considerato in ratione potentiæ agendi, nam æqualis omnino perfectionis est habere essentiam diuinam sub relatione dantis, & sub relatione recipientis, sicut generare, & generari.

Licet aliqua potentia relatiua sit in Patre, quæ non sit in Filio. Filius tamen est æqualis Patri.

Vnde etiam patet solutio ad secundum dictum, quamuis enim verum sit, quod quatenus potentia non accipitur absolute, sed sub determinata relatione, aliqua potentia sit in Patre, quæ vt, sic, non sit in Filio; non tamen sequitur, quod Filius non sit æqualis Patri, etiam considerato, quoad hanc potentiam vt sic, ad hanc enim æqualitatem sufficiet, vt Filius habeat eamdem essentiam diuinam sub relatione recipientis, & filiationis, & hęc omnia proportionaliter dici debent de Patre, & Filio in ordine ad Spiritum S. quare in hoc negotio non est quid beatius, seu melius, seu perfectius dare, quam accipere, cum id, quod datur, necessario detur, & plenissime detur, & inter dantem, & recipientem sit perfectissima vnitas naturę datę, seu communicatę; quod non accidit in creaturis.

QVAEST. XLIII. D. Th.

De missione diuinarum personarum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum alicui personæ diuinæ conueniat mitti.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Alicui personæ conuenit mitti, & prout missio importat habitudinem missi ad mittentem; & prout importat habitudinem ad terminum missionis. Prima pars prob. Persona procedens ab aliquo secundùm originem, dicitur mitti ab eo, à quo procedit, vt patet de flore respectũ arboris, sed diuinæ personæ conuenit ab alia procedere secundùm originem vt dictum est; ergo. 2. Pars prob. illi, qui incipit esse nouo modo in aliquo loco, conuenit mitti, prout missio dicit habitudinem ad terminũ; sed persona diuina est nouo modo in mundo, quàm priùs esset: Filius enim incipit esse in mundo per carnem assumptam, & tamen ante in mundo erat, vt dicitur Ioan. 1. ergo.

Arg. 1. Persona quæ mittitur est minor mittente; ergo. Resp. dist. Anteced. quæ mittitur, vel secundùm imperium, vt seruus à domino; vel secundùm consilium, vt Rex mittitur à consiliario ad bellum. Consilians enim est sapientior, & imperans maior persona missa, & in hoc sensu conc. secundùm processionem originis, vt est missio in diuinis negatur.

Arg. 2. Omne quòd mittitur, separatur à mittente, ex Hyeron. super Ezech. ergo, Resp. dist. Anteced. quòd sic mittitur vt incipiat esse, vbi priùs nullo modo erat, conced. non autem sic accidit in missione diuinæ personæ, quæ sicut non incipit esse vbi priùs non erat: ita nec desinit esse, vbi fuerat.

Arg. 3. Quicumque mittitur ab aliquo loco discedit, & ad aliquem locũ de nouo vadit; ergo. Resp. Anteced. esse verum de missione, quę fit secundùm motum localem, quæ non habet locum in diuinis.

DISPVTATIO CCXXV.

Quid sit missio, & quibus personis conueniat.

Missio diuinas personas frequentissimè in Scriptura legitur, vt Ioan. 8. Testimonium perhibet, qui misit me Pater. Ioan. 10. quem Pater significauit, & misit in mundum. *Et de Spiritu S. dicitur Ioan.* 14. quem mittet Pater in nomine meo, *& Io.* 16. Si non abiero paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos. *Et sic constat, illas duas personas Filij, & Spiritus S. ad creaturas mitti, siuè missio ipsa visibilem effectum, & manifestationem habeat, sicut cum Filius missus est ad incarnandum, siue inuisibilem, sicut cùm mittitur ad sanctificandum animam, de quo dicemus postea.* Solus Pater, *vt dicit Aug. 2. de Trinit. cap.* 5. nunquam legitur missus. 1572 **Missio diuinarum personarum frequentissimè legitur in Scriptura.**

Vt autem explicemus quid sit ista missio, & quibus personis conueniat, notandum est, missionem in communi loquendo significare processionem seu egressionem ab aliquo cum destinatione ad aliquem effectum, vel ad aliquem locum de nouo, ad id enim, quod ante iam aliquis faciebat, vel vbi iam erat, non dicitur mitti sicut Legatus, vel Procurator dicitur mitti à Principe ad aliquem locum cum potestate, vel commissione, & nuntius dicitur mitti cum litteris ad alium. **Quid significet missio in communi.**

Vnde ad missionem concurrunt quatuor, scil. persona mittens, seu destinans, persona missa, terminus ad quem de nouo mittitur, egressio, seu processio eius, qui mittitur ad suam functionem. Potest autem dupliciter fieri ista missio, seu egressio ex parte personæ mittentis. Vno modo per imperium, quando scil. persona missa monetur ad aliquid, & procedit vt subiecta, & inferior, sicut cum seruus ad aliquid faciendum, vel alicubi exi- 1573 **Ad missionē concurrunt quatuor. Persona mittens, missa, terminus, & egressio.**

cubi existendum mittitur. Secundo modo datur missio per modum puræ egressionis, seu originis sine imperio, sicut radius emittitur à sole, fluuius à fonte, & sic missio, seu emissio est emanatio ad aliquem terminum, vbi de nouo res ponitur, vel operatur.

Quia principaliter importet missio, habitudinem originis, an noui effectus existendi in termino.

Cùm ergo missio importet istas duas habitudines, & origines ad mittentem, & connotationis noui effectus, seu noui modi existendi respectu termini, ad quem mittitur, meritò quæritur, quid principaliter, & formaliter importet missio, an ipsam processionem, & originem à persona mittente, quæ in se æterna est, an functionem sui muneris, & effectum ipsum, qui temporaliter fit, & pro quo ex his supponat missio? ex quo dependent aliæ quæstiones, quæ ex resolutione huius dissoluentur, videlicet an missio sit formaliter aliquid notionale in Deo, quia si dicit positionem nouam effectus, pertinet ad virtutem efficiendi illum, quæ aliquid essentiale est; si verò dicit egressionem, vel originem à mittente, aliquid notionale est. Similiter an eadem persona possit mittere se, an solum eam, quæ procedit à se, & an solum Trinitas mittat personas, vel vna persona aliam: effectus enim missionis sunt toti Trinitati communes, & præsens quæstio procedit quo ad rē.

1574 Prima sententia asserit, supponere principaliter pro causatione in tempore.

Duæ sunt in hac parte sententiæ. Prima dicit, missionem supponere pro ipsa causatione effectus, quæ temporalis est. Hæc tribuitur Magistro in 1. dist. 15. & ibid. Bonauent. Scoto, & Alij, & idem sentire videtur ibidem D. Th. q. 1. art. 2. approbans opinionem, quæ dicit consistere missionem, non in aliquo notionali sed essentiali & hoc, inquit, mihi verius videtur, considerata virtute vocabuli: missio enim secundùm rationem sui nominis non dicit exitum ab aliquo, sicut à principio, à quo missio esse habeat, sed solum in ordine ad effectum missionis ponitur authoritas alicuius ad missum. Et in 1. ad Anibal. dist. 15, q. vnica art. 2. Alij, inqui, dicunt, quòd missio principaliùs significat, quod essentiale est, & hoc videtur verius: ponitque eamdem rationem, quam ex alio loco citauimus. Si ergo principaliùs importat missio noui effectus designationem, & hic procedit, non ab origine personarum, sed ab omnipotentia Dei, & inquantum vnus est: non ergo potest consistere formaliter in origine personæ, & de connotato in effectu, sed positio effectu illius est formaliter ipsa missio.

1575 Fundamentū huius sententiæ.

Fundamentum huius sententiæ sumitur ex duobus. Primum ex eo, quòd insinuatur locis cit. à D. Th quia missio non importat exitum ab alio secundum originē, & productionem sui in esse: nec enim dicitur mitti aliquid per hoc, quòd producatur, & fiat, sed res, quæ mittitur, præsupponitur esse, & existere in se, & cum existens est, mittitur, vt patet, cùm mittitur seruus à suo Domino: per talem enim missionem non producitur, sed productus supponitur, & ad aliquod ministerium destinatur: sed per originem diuinam personæ procedentes exeunt à suo principio, quoad esse suum, quod eis communicatur: ergo talis exitus, & origo non est egressio missionis; neque missio potest supponere pro tali actu, qui sit origo secundùm productionem, & esse.

Confirmatur.

Conf. quia missio simpliciter est temporalis, & supponit pro aliquo temporali, iuxta illud Galat. 4. Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, &c. sed exitus, & origo notionalis personarum est æterna; ergo missio non supponit pro tali egressione. Conf. 2. quia origines, & processiones notionales in Deo sunt etiam naturales, & secundùm actus naturales, & necessarios ad intra: at verò missio est processio, seu egressio ab aliquo morali, & morali modo facta, id est secundùm destinationem ad aliquod ministerium, quod fit vel rogando, vel consulendo, vel inducendo, aut imperando ad modum, quo legati, vel nuncij mittuntur: vndè dicitur Abdiæ 1. Auditum audiuimus à Domino, & legatum ad gentes misit, vbi Glossa per legatum intelligit Christum Dominum, qui mittitur: legatio autem non destinatur per actum naturalem, & productionem originis, sed per moralem actionem, & influxum sit destinantem.

1576 Huic fundamento cum sua Confirm. Respondebitur sequenti dubio.

Et multò minùs seruit ad missionem origo, seu exitus notionalis personarum à suo principio, quia per istam originem personæ manent intra mittentem, nec exeunt extra illum: Filius enim in Patre manet, de ratione autem missionis est, quòd exeat, & sequatur à mittente, vt ex D. Hieronym. affert D. Th. in 1. ad Anib. d. 15. q 1. art. 1. ad 1. nam Hieronymus super c. 16. Ezechielis ad illa verba, Conuertam restituens ea, sic inquit, quòd coniunctum est, & in vno corpore copulatum mitti non potest: ergo processio illa, quæ productū ponit intra mittentem, nequaquam seruit pro vera, & propria missione, sed sola manifestatio effectus, qui de nouo fit ratione cuius mitti dicuntur personæ, quæ per eos manifestantur.

DVBIVM VNICVM.

An missio secundum rē principaliter, & in recto supponat pro origine personarum; An verò pro effectu temporali.

1577 Conclusio. missio principaliter supponit pro ipsa origine personarum.

HAEC sententia à nobis tenenda est quòd missio dicit, & supponit pro ipsa origine personarum non quatenus sistit in personis originatis, & productis in se, sed quatenus extenditur ad temporalem personarum manifestationem, & communicationem in creatura rationali qui est nouus effectus, & modus essendi in creaturis, & hic effectus est quidem factus communiter à tota Trinitate, sed est conditio, & connotatio quædam requisita, vt processio illa diuinæ personæ sit missio, sicut connotatio effectus creati est conditio requisita, vt actus voluntatis diuinæ dicatur liber, qui in se entitatiuè necessarius est.

1578 Hæc Conclusio. est D. Th. qui satis clarè ponit missionem in processione æterna connotante effectum temporalem.

Hæc Concl. est D. Th. hic art. 2. præsertim solut. ad 3. docet enim S. Th. quod missio importat habitudinem ad principium in ordine ad terminū temporalem, generatio autem, & processio important habitudinem ad principium in ordine ad terminum æternum, quatenus procedunt intra Deū. Et addit solut. ad 2, quòd missio includit processionem æternam, & aliquid addit, scil: temporalem effectum; habitudo enim diuinæ personæ ad suum principium non est, nisi ab æterno. Vndè gemina dicitur processio, æterna scil. & temporalis, non propter hoc, quòd habitudo ad principium geminetur, sed geminatio est ex parte termini temporalis, & æterni. Ita D. Th. vbi satis clarè in ipsa processione æterna cum connotatione ad effectū temporalē ponit missionē, secūdùm rē ita quòd eadē origo est processio, & missio, sed ex parte termini est diuersa, quia prout æterna, sistit in emanatione personæ, prout missio extenditur ad manifestationem temporalem. Eadem ratione docet art. 4. Patrem non mitti, quia non importat originem ab alio, sicut Filius, & Spiritus S. licet etiam faciat effectum temporalem, quem connotat missio aliarum personarum, scil. gratiam. Idem significat art. 8. dicens, quòd non quælibet persona mittit, sed ea, à qua est processio.

1579 Ratio Concl. quia ex Sac. Scrip. missio dicit habitudinem ad mittentem.

Ratio denique pro hac parte suffragatur, quia ex scriptura constat dari missionem personarum diuinarum, quæ missio non potest intelligi sine habitudine ad mittentē, à quo exit res missa, & habitudinem ad terminum, quò mittitur, & destinatur, vt de nouo ibi sit, vel aliquid faciat. Rursus ista missio, seu exitus à mittente non potest esse, nisi vel moralis, & per moralem aliquem influxum, aut distinctionem, vel per physicam, & naturalem egressionem missi à mittente. Sed personæ diuinæ non potest intelligi, quod egrediantur per moralem destinationem, & influxum: ergo per naturalem originem. Min. prob. nam moralis destinatio & emissio, vel est per imperium, sicut mittuntur inferiores, & Angeli dicuntur à Deo mitti, & hæc missio non cōuenit personis diuinis, cùm inferiores non sint. Vel, est per orationem, & preces, sicut mittitur æqualis vel superior, & hæc etiam non conuenit personis diuinis, quia vna persona non orat ad aliam, neque rogat, quia rogare indigentis est. Et cùm

1580 Hæc missio si fit per orationes, & preces, & hæc non cō-

M m Christus

uenit personis.

Christus dicit, *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*, de assumptæ carnis ministerio loquitur. Vel denique potest esse moralis missio per inductionem, aut suasionem, vel communicationẽ alicuius auctoritatis. Et hoc non conuenit personis diuinis, quia non possunt induci, aut suaderi: vt enim argumentatur Aug. 2. de Trinit. cap. 5. *Quomodo misit Deus Filium suum? iussit vt veniret, an rogauit, an tantummodo admonuit? sed quodlibet horum sit, verbo vtique factum est. Dei autem verbum ipse est Dei Filius.*

Motio moralis fit per propositionem obiecti, quod locum non habet in missione personarum.

Quare nulla moralis motio missionem hanc efficit, talis n. motio fit per propositionem obiecti, & repræsentationem, qua aliquid, tanquam conueniens proponitur, vt aliter moueatur, quod etiam in personis diuinis locum non habet, cum ex noua propositione obiecti persuaderi non possunt, & consequenter neque ex vi moralis persuasionis mitti; & multò minùs per commissionem alicuius auctoritatis, quia personæ diuinæ non sunt capaces auctoritatis commissæ, qui supremam, & eandem habent auctoritatem, sed solùm possunt eam habere communicatam, sed hæc communicatio est per naturalem, & notionalem originem.

1581 *Instabis.*

Nec obstat, quòd nos oramus Deum, & morali modo eum inducimus ad subueniendum nobis. Nam, vt S. Thom. dicit 2. 2. qu. 83. art. 2. ad 1. & 2. *Non est necessarium, nos Deo preces porrigere, vt ei nostras indigentias, vel desideria manifestemus, sed vt nos ipsi consideremus in his ad diuinum auxilium esse recurrendum. Nec oratio nostra ordinatur ad immutationem diuinæ dispositionis, sed vt obtineatur nostris precibus, quod Deus disposuit.* Tales autem preces non habẽt locum in diuinis personis, quę eadem auctoritate, dispositione, intelligentia, & prouidentia vtuntur.

Resp. non esse necessarium nos Deo preces porrigere, vt nostræ indigentiæ subueniat.

1583 *Confirm. Concl. si missio non supponeret pro origine, Pater diceretur mitti.*

Confirm. quia si missio non supponeret pro origine, seu exitu à mittente, sed tantum pro manifestatione personæ in aliquo effectu, non esset ratio, cur Pater non diceretur mitti, quod negat August. 2. de Trinit. cap. 5. Si quidem Pater etiam manifestatur, & cognoscitur in aliquo effectu de nouo, in quo aliæ personæ manifestantur: solùm autem non dicitur mitti ex eo, quod non habet originẽ ab alio, sicut ipse August. dicit 4. de Trinit. cap. 20. *Pater cum in tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus: non enim habet, de quo sit, aut ex quo procedat.* ergo processio ab aliquo est de ratione missionis. Moralis est exclusa, ergo naturalis requiritur.

Resp. Ad Fundamentum oppositæ sentent. supra in disp. num. allatum ex D. Thom.

Ex quo soluuntur fundamenta oppositę sententiæ. Ad 1. dicimus, quod D. Thom. statuit in illis locis missionem secundùm denominationem, quã habet ex termino, *ad quem*: inde enim accipit denominationem missionis temporalis ipsa processio, seu origo personæ: nam vt dicit in hac qu. art. 2. *Ea quæ important originem secundùm habitudinem ad principium possunt determinare processionis terminum, & aliquando determinant terminum æternum sicut, ly* generatio; *& ly* processio, *aliquando temporalem vt missio.* Sic ergo missio considerata secundum se, & secundùm id, quod dicit directè est processio notionalis; secundùm denominationem autem, qua denominatur missio, sic dicit effectum temporalem, seu terminum, qui vtique aliquid absolutum importat, scilicet effectionem Dei ad extra.

1584 *D. Th. absolutè non dixit, quòd missio consistat in aliquo essentiali, & non notionali.*

Vnde S. Thom. dist. illa 15. cit. in arg. non dixit, quod missio absolutè, & simpliciter consistit in aliquo essentiali, & non in notionali, sed dixit, quòd *Missio considerata virtute vocabuli, videtur importare aliquid essentiale, scilicet productionem effectus*; eo quod missio non dicit processionem ad esse, sistendo in hoc, & sumendo denominationem missionis ex hoc solùm, quod sit processio quoad esse: hoc enim est considerare processionem secundùm habitudinem ad terminum æternum, sed ex eo, quod ista processio connotat terminum temporalem, quem connotat, & ad quem ordinatur ipsa processio, vt in eo manifestetur, sic denominationem accipit missionis. Et sic considerauit illam, in illis locis ex 1. sent. explicatius tamen in hac quæst. eam considerauit secundum principalem, & essentialem rationem, vt dixit Caiet. secundùm id, quod est de prima intentione missionis, scilicet secundùm habitudinem ad mittentem, à quo exit, quod pertinet ad originem, connotando tamen effectum temporalem, vnde accipit denominationem.

Ad primum fundamentum ex ratione. Resp. quod missio non est productio in esse ipsius rei missæ, quasi sistendo in ipso esse, vt in termino missionis, quem connotat, & a quo fit denominatio; bene tamen potest missio esse productio rei missæ cum connotatione, & extensione ad terminum temporalem extrinsecum, in quo manifestatur. Et licèt in rebus creatis non detur talis missio, quia Deus non mittit creaturam, nisi per imperium, & secundùm influxum, & destinationem, seu egressionem moralem, quæ supponit productionem physicam; vndè neque Angeli ipsa creatione dicuntur mitti, sed postquam creati sunt. 1524 *Resp. Ad Fundamentum ex ratione petitu in disp.*

Tamen in diuinis vbi non potest esse missio per imperium, aut alium moralem influxum, oportet recurrere ad personarum processionem, & originem, quæ sua infinitate, & perfectione etiam missionem complectitur, prout extendi potest ad terminum temporalem, quem connotat pro sua manifestatione, sicut terminum æternum respicit, pro sui emanatione, nec tamen specificatur missio ab illo termino temporali, quia secundarium quid est, & illum connotat, vt effectum, sine quo denominatio missionis non est: sicut actus liber in Deo est ipsemet actus necessarius voluntatis, prout liberè ad creaturam extenditur, habetque illam nõ pro obiecto specificatiuo sui, etiam vt liber est, sed pro connotato, & effectu, requisito tamen ad denominationem actus, vt liber dicatur. 1485 *In diuinis vbi non potest esse missio per imperium, oportet recurrere ad processionẽ.*

Ad 1. Confirm. Respond. missionem esse simpliciter temporalem, sicut productio, & creatio Dei dicuntur esse in tempore, quia denominatio fit ab actione cum termino producto, non sine illo, sic missio, quia temporalem terminum habet, ab illo denominatur temporalis, licet in se sit ipsa notionalis, & æterna processio; & sic cum dicitur, quod origo illa est ęterna, distingno, entitatiuè concedo, terminatiuè, respectu termini secundarij, nego. Eadem enim processio, quæ est æterna in se, & respectu termini primarij procedentis in esse, est ad terminum temporalem secundum quandam extensionem, & connotationem, & ab eo denominatur missio temporalis respectù cuius denominationis effectus temporalis est formale significatum, processio secundarium quoad rem vero è contra. 1585 *Ad 1. Confirm in disp. Resp. denominationem missionis esse simpliciter temporalem, vt seq. disp. ostenditur.*

Ad 2. Confirm. Resp. processiones diuinas esse naturales in se, & respectu termini producti ab æterno, non respectu termini connotati in tempore, & liberè facti: nam respectu eius solùm respiciunt manifestationem sui, quæ per liberos effectus fit, & hunc terminum connotat illa processio, vt missio sit. Nec requiritur, quod missio fiat formaliter per influxum, & destinationem moralem, sed sufficit, quod sit per naturalem emanationem, dummodo terminetur ad effectum temporalem liberè factum, vt in illo fiat manifestatio processionis ęternæ. Missio autem creaturarum morali modo fit, quia per imperium, aut inductionem, seu consultationẽ, & sic mittitur seruus, vel legatus, aut nuncius. Illud autem Abdiæ *legatum misit ad gentes*, vel intelligitur de missione ipsiusmet Prophetæ, vel si intelligitur de missione Christi, intelligi debet de missione ipsius, inquantum homo: sic enim missus est à tota Trinitate per modum præcepti, & imperij, & potest habere rationem Legati, seu Nuncij, vndè dicitur magni Concilij Angelus, id est nuncius, missio autem ipsius Filij, vt fieret homo, non est per imperium, sed per processionem, cum connotatione effectus manifestantis ipsum. 1586 *Ad 2. Confirm in disp. Resp. processiones diuinas esse naturales secundùm se, non verò respectu termini connotati.*

Et cùm dicitur, quod processio est ad intrà, & missio ad extra. Resp. hoc esse ratione diuersorum terminorum. dicitur enim esse ad intrà secundùm 1587 *Instabis.*

se, &

se,& vt attingit terminum æternum, ad extra verò prout extenditur,& connotat terminum temporalem,in quo manifestatur,sicut ratione primi termini est æterna, ratione secundi temporalis. Ad auctoritatem Hieronymi respondet D.Thom.illo eodē loco,quod loquitur de missione rei creatæ, & inferioris,quæ habet annexam hanc imperfectionem, vt separetur à suo mittente; diuinæ autem personę per missionem non separantur à mittente, sed manifestantur ad extra.

1588 *1. Corollarium solæ personę procedentes dicuntur mitti in diuinis,quia in effectu ad extra sit manifestantur.*

Ex his colligitur primò, quæ personæ dicantur mitti in diuinis; nimirum solæ personæ procedentes dicuntur mitti,quando manifestantur in aliquo opere ad extra,Pater vero nō dicitur mitti,& si manifestetur etiam ad extra, & se ipsum det,aut veniat ad inhabitandum in anima cum alijs personis. Ratio est,quia licèt ille effectus ad extra,in quo fit manifestatio,aut communicatio personarum ad creaturas,fit communiter ab omnibus personis,tamen in illo manifestantur quædam personæ, vt procēdētes, persona vero Patris, vt à nullo; ergo personæ procedentes in illo effectu, & manifestatione se habent,vt missæ,id est,vt procedentes ad talem manifestationem,seu in illo effectu manifestatæ, vt procedentes,dicitur tamen illo gratiæ effectu Pater venire, & inhabitare in creatura, sicut aliæ personæ iuxta illud Ioan.14. *Si quis diligit me,diligetur à Patre meo,& ad eum veniemus,& mansionem apud eum faciemus*. non tamen per hoc dicitur Pater mitti, quia non manifestatur in illo effectu, vt procedens ab alio,sed aliæ personæ ab ipso; & sic non vt missus manifestatur,sed vt mittens,vt ex Aug.4.de Trin. cap.20. supra retulimus, & D. Th. affirmat hica 4.

2.Corollarium.

Colligitur 2.non posse vnam personam mittere se,licèt possit dare se,nec personas mitti à tota Trinitate,licet Christus, vt homo dici possit missus à Spiritu S.& à tota Trinitate.

1589 *1. Pars prob. quia nulla persona procedit à se.*

Prima pars constat ex dictis,quia nulla persona procedit à se,ergo nec mittitur à se,quia missio exitū ab alio significat.Potest tamen missio inadæquatè sumpta,scil. pro sola productione effectus, in quo manifestatur missio,attribui ipsimet personæ missæ, ita quod dicatur mittere se ipsam,idest producere effectum,in quo ipsa missio,seu personæ communicatio manifestetur,quo sensu id admittit S.Th.in 1. ad Anib.dist.15.qu.vnica art. 4. Quarè potest multò melius persona dare seipsam, etiam si non procedat ab alia,sicut Pater liberaliter se communicat creaturæ,vt fruatur se,sicut docet S.Th.hic art.4.ad 1.

1590 *2 Pars prob. quia Christus vt homo, subiectus est Patri.*

Secunda pars prob.quia Christus,vt homo, subiectus est Patri,& inferior,& minor Patre, & minister eius,iuxta illud Rom.15.*Dico enim,Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis*. Ergo potest mitti,vt minister per præceptum,& imperium,& sic à tota Trinitate mittitur, quia tota Trinitas ei imperat, vndè etiam secundum,quod mitti dicitur à Spiritu S.à quo æternaliter non procedit iuxta illud Isai.48. *Nunc autem misit me Dominus Deus,& Spiritus eius* quod de Christo quoad humanam naturam intelligit D.Th.hic art.8. licèt etiam intelligi aliquo modo possit, quod persona Filij mittitur à Spiritu S. vt fiat homo,sicut & è se,scil. relatione effectus connotati,qui à tota Trinitate factus est,id est ipsius Incarnationis,vt S.Th.ibi docet,& in 1.dist.15.q.3. art. 2.quę est missio sumpta pro eo,quòd secundarium, & connotatum est in ea.

1591 *3.Corollarium. An missio supponat pro aliquo notionali, vel essentiali?*

Colligitur 3.quomodo missio dicatur,& pro quo supponat,an pro aliquo notionali, vel essentiali? de hoc enim D.Th.in sententiarijs loco supra cit.circa dist.15.sentire videtur,quod de principali non significat aliquid notionale,id est ipsam processionem originis,qua vna persona procedit ab alia, sed aliquid essentiale,scil. productionem effectus,in quo manifestaretur,processionem autem notionalem significare ex consequenti. Sed tamen in hac q. artic. 1. simpliciter fatetur D Thom.missionem importare originem à mittente, saluat tamen art. 8. opinionem, quæ dicit personam mitti etiam ab ea, à qua non procedit, & consequenter non requirere, seu explicare rationem originis, quatenus missio sumi potest inadequatè pro effectus productione, ad quē terminatur missio,vt ad personæ manifestatiuum.

1592 *Vtrumq; sentit S.Th. & quomodo?*

Et Caiet. dixit ibi, quòd D. Thom. saluat hanc opinionem considerando missionem,non secundum primariam rationem,seu intentionem, sed iuxta secundariam,quę explicat id,quod de connotato significat missio ex parte termini. Et sic D. Thom. explicauit in hoc,quo sensu illam opinionem sequutus fuerit in sententiarijs, quam etiam saluat hic, nempe loquendo de missione ex parte termini connotati,à quo sumit processio æterna denominationem missionis temporalis. Et in eodem sensu sequutus est in sententiarijs, quòd persona aliqua mittit se sumendo missionem pro effectu connotato producto,& ad missionem requisito, quæ connotatio licet sit talis respectu missionis secundùm rés respectu missionis,qua ad denominationē,est principale significatum,vt infra,& supra dictum est.

ARTICVLVS SECVNDVS.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

Vtrum missio sit æterna, vel temporalis tantùm.

PRima Concl.missio,& datio dicuntur in diuinis temporaliter tantùm,nam sunt processiones,quę important terminum tantùm temporalem. 2. Concl. Generatio, & spiratio dicuntur in diuinis solùm ab ęternò. quia sunt processiones, quæ important tantùm terminos ęternos. 3. Concl. Processio,& exitus dicuntur in diuinis, & ęternaliter,& temporaliter. nam ea, quę dicuntur de aliqua diuinarum ab ęterno, & in tēpore dicuntur in diuinis temporaliter, & ęternaliter; sed filius ab æterno processit, vt sit Deus,in tempore,vt sit homo. ergo.

Arg. 1. eo mittitur filius, quò generatur ex Greg. hom.26. in Euang. sed Generatio filij est ęterna. ergo. Resp.neg. conseq. nā D. Greg.loquitur de generatione temporali filij non à Patre,sed à matre.

Arg. 2. Cuicumque conuenit aliquid tēporaliter, illud mutatur. ergo. Resp. Antec. esse verum,quando, id,cui aliquid temporaliter conuenit,aliter se habet: at esse nouo modo in aliquo non conuenit diuinæ personæ,ex eo, quòd ipsa aliter se habeat; sed ex eo,quod aliter se habeat creatura, ideò &c.

Arg. 3. processio diuinarum personarum est ęterna. ergo,& earum missio; quia missio processionum importat. Resp.neg. conseq.& ad prob. dicitur,quod missio non solùm importat processionem à principio, sed determinat processionis terminum temporalem,vndè missio solùm est temporalis.

DISPVTATIO CCXXVI.

Vtrum missio sit æterna, vel temporalis tantum.

1593 Titulus explicatur

CVM in conceptu missionis duo necessariò includantur,vt constat ex dub.præced.nempe exitus, seu origo ab aliqua persona mittente, & nouus modus existendi personæ missæ in loco,ad quem mittitur, vel in persona,ad quam mittitur,& illud primum sit æternum,hoc verò secundum sit in tempore tantum, quærit consequenter D Th.an missio diuinæ personæ ad creaturas dici debeat æterna,an temporalis: & quidē in rei veritate facilè responderi potest cum distinctione, quòd scil. ratione primi requisiti sit ęterna,& ratione secundi sit temporalis,absolutè tamen docet D. Th. dici debere temporalem quo ad denominationem.

Conclusio. missio q[illegible] denom[illegible] [illegible] potalis.

1594 Ratio, quia missio est nomen verbale importans actualem respectum ad terminum.

Et ratio est, quia missio, vt rectè aduertit idem D. Th. in 1. dist. 15. q. 4. art. 3. ad 3. est nomen verbale, importans actualem respectum ad terminum missionis, & veluti actuale exercitium, sicuti verbum mitti, quarè æterna, & increata processio personę, vt stat sub verbo missionis, solùm se habet materialiter, & veluti vt res significata in actu primo, vt enim habet D. Th. ibid. ad 1. & hoc art. ad 1. per generationem æternam habet Filius, vt sit missibilis, non autem missus, respectus verò ad terminum missionis, & exercitium missionis, se habent vt forma, & vltimum determinatiuum missionis, à quo absolutè debet sumi denominatio.

1595 Ordo hic est temporalis, ac proinde missio denominari & dici debet tẽporalis.

Cum ergo hic ordo sit temporalis, sicuti & exercitiũ missionis, hinc absolutè missio personę diuinæ ad res creatas, dici debet temporalis, non autem æterna, licèt includat quoad denominationem aliquid æternum in suo materiali, quoad denominationem, nam quo ad rem; ly æternum est principale significatum. ex quo etiam D. Th. loco cit. in 1. ad 3. docet, quòd hoc nomen, donum, & donatio, in hoc differunt, quod donum non est nomen verbale, sed solùm significat aptitudinem, vt donari possit, & ita Spiritus S. potest æternaliter conuenire hoc nomen, donum; at verò donatio, sicuti & missio sunt nomina verbalia, & ita non possunt conuenire personæ diuinę in ordine ad creaturas, nisi in tempore, quod etiam, de hoc vocabulo, datio, notat D. Th. hic in Corp. quæ tota res, licèt quæstio possit esse de nomine; facilè apparere potest ex ipso modo loquendi, non enim dici potest Pater diuinus misisse Filium suum in hunc mundũ ab æterno, neque Filius ab æterno missus in hunc mundum, nisi secundum prędestinationem. Proptereà dixi dub. præced. quod quoad denominationem est temporalis.

1596 Confirm. ex D. Paulo ad Galatas.

Vndè ad Gal. 4. dicitur: Cùm autem venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum, &c. *& de missione Spiritus Sancti à Christo Domino promissa, dicitur Actor. 2.* cùm complerentur dies Pentecostes, &c. *quarè absolutè secundum modum loquendi Patrum, & scripturæ missio personæ diuinæ ad creaturas, debet dici temporalis, non autem æterna, licèt fuerit æterna quoad prędestinationem, & prædefinitionem in mente Dei, in quo sensu non loquimur, sed de re ipsa, & exercitio missionis quo ad denominationem lege aliam rationem apud D. Th. in 1. dis. 14. q. 1. ar. 1. ad 5.*

1597 Assignatur differentia inter hæc vocabula, Processio, exitus, generatio, spiratio, missio.

Ex occasione explicationis prædictæ doctrinæ rectè D. Th. in Corp. art. assignat differentiam inter hæc vocabula comparata ad personas diuinas productas, nempe processio, exitus, generatio, spiratio, missio, & datio, quæ omnia facilia sunt in textu, similiter rectè aduertit in respons. ad 2. quòd nouus ille modus existendi personæ missæ ad locum, vel terminum missionis, non importat mutationem in Deo vllam, sed solùm in creatura, vt certum est: item in fi. Corp. & respons. ad 1. mentio fit geminæ processionis, æternæ, & temporalis, de qua plura in 1. dist. 14. q. 1. art. 2. æternę, per quam persona procedit ad intra; temporalis ad extra ad effectum missionis; item in fine Corp. fit mentio duplicis missionis Filij Dei, visibilis in humana natura, & inuisibilis in hominibus per gratiam, de quibus.

An Generatio Verbi ad intrà solitariè possit dici missio? Resp. neg.

Solùm hic quęri posset primò, an processio ad intra solitariè considerata; v. g. generatio Verbi diuini dici possit missio ad intra, & consequenter ęterna, & increata. Ad quod Resp. ex D. Th. hoc loco, & in 1. cit. non posse dici, sed omnem missionem temporaliter dici; & ratio est, quia missio in sui ratione dicit ordinem ad terminum missionis distinctũ realiter à persona missa, nihil enim mittitur ad se ipsum, cùm ergo processio illa æterna non inuoluat vt sic ordinem ad terminum missionis distinctum realiter à persona procedente, non poterit dici missio, neque persona missa, licèt dici possit producta, vel genita, vel procedens, & exiens.

1598 Spiritus S. non potest dici missus à Patre in filium.

Addit D. Th. loco cit. in 1. ad 2. quod quamuis possit aliquo modo concedi, quòd Spiritus S. procedat à Patre in Filium, cum sit amor Patris erga Filium, & contra; non tamen dici posset, quòd mittatur à Patre in Filium ab æterno ratione suæ processionis; nam licèt inter Filium, & Spiritum S. sit realis distinctio, & Filius dici possit aliquo modo terminus processionis Spiritus Sancti, vt obiectum amatum, non tamen hoc sufficit ad missionem, nam ad missionem requiritur, vt persona missa vel incipiat esse absolutè vbi non erat, vel nouo modo incipiat esse, vbi erat, neutrum autem horum competit processioni Spiritus Sancti in ordine ad Filium, vel in ordine ad Patrem, cum vna persona sit in alia ab ęterno per necessariam, & immutabilem circumincessionem. Vndè vel ipse modus loquendi hanc rem indicat, si quis diceret, quod Spiritus S. per sui productionem missus est ad Filium consideratum secundum suam æternam existentiam; quomodo autem Spiritus S. missus sit ad Christum Dominum ratione humanitatis, dicetur infra.

Secundo quęri posset, an missio respectiuè diuinę personę missę dicatur notionaliter, an essentialiter, de qua re D. Th. in 1. cit. dis. 15. q. 1. art. 2. responsio autem est, quòd secundùm aliquid dicitur notionaliter, secundùm aliud verò essentialiter, quatenus enim dicit progressum originis vnius personę ab alia, dicitur notionaliter, & est quid commune tam Filio, quàm Spiritui S. at verò secundùm quod dicit aliquem effectum ad extra, dicitur essentialiter, non quia conueniat omnibus personis mitti, sed quia esse causam talis effectus, qui importatur per missionem, conuenit toti Sanctissimę Trinitati licèt non denominetur missa, nisi vna, vel altera persona, ad quam significandam sit ille determinatus effectus, quomodo alibi dictum est, quòd opus Incarnationis Verbi fuit à tota Sanctissima Trinitate, licèt solum Verbum dicatur incarnatum; in hoc ergo sensu missio dicitur essentialiter ratione effectus connotati. 1599 Missio secundùm aliquid dicitur notionaliter, secundùm aliquid essentialiter.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum missio inuisibilis diuinæ personæ sit solùm secundùm donum gratiæ gratum facientis?

SVMMA ARTICVLI D. Th.

PRima. Conclusi affirm. Prob. secundùm illud tantùm dicitur mitti diuina persona inuisibiliter, quo potest nouo modo esse, & existere in creatura: sed persona diuina vltra tres modos generales per essentiam, præsentiam, & potentiam: non potest nouo modo esse in creatura rationalis; nisi sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante; secundùm quem modum etiam dicitur Deus habitare in templo suo; inquantùm creatura rationalis sua operatione cognoscendo, & amando attingit ipsum Deum: quod non fit nisi per gratiam gratum facientem. ergo. 2. Concl. non solùm datur in missione personę domum gratiæ, sed etiã ipsa diuina persona. quia ipsamet Spiritus S. per gratię donum inhabitat hominem.

Arg. 1. Si missio esset tantùm secundùm donum gratiæ &c. sequeretur, quòd non daretur ipsa persona, sed tantùm donum eius, quòd est error. Resp. neg. conseq. quia in missione diuinæ personæ donatur gratia, & persona: gratia enim datur, non solùm ad perficiendam creaturam rationalẽ vt liberè ipsa vtatur, sed vt ipsa persona fruatur.

Arg. 2. Ly secundùm importat habitudinem causalem; ergo gratiæ donum est causa, quòd nobis mittatur persona. Resp. donum gratiæ esse dispositiuum animæ ad habendum diuinam personam; & ipsum donum gratiæ est ab ipso Spiritu Sancto in genere causę efficientis.

Arg. 3. Cognitio personæ Filij potest etiã fieri per gratiam gratis datam .s. per fidem,

& per

& per scientiam : sed persona Filij dicitur mitti quando cognoscitur, ex August. 4. de Trinit. cap. 10. ergo. Resp. ad min. quòd licèt per aliquot effectus Filius cognosci possit à nobis ; non tamèn per aliquos effectus nos inhabitat : sed tantùm per cognitionem, quæ est etiam cum amore.

Arg. 4. Missio, quæ fit ad operationem miraculorum, non fit secundùm donum gratiæ gratum facientis, sed gratis datæ ; ergo. Resp, verum esse anteced. de missione, quæ est tantùm ad operationem miraculorum, falsum verò, quando fiat etiam ad ostendendum gratiam gratum facientem.

DISPVTATIO CCXXVII.

An missio inuisibilis diuinæ personæ sit solùm secundum donum gratiæ gratum facientis.

1601 Explicatur Titulus.

NON quæritur, vtrum gratia gratum faciens, aut eius productio, siue infusio sit formaliter ipsa inuisibilis missio alicuius diuinæ personæ, quia illa est purus effectus creatus temporalis, æquè productus indiuisibiliter à tota Sanctissima Trinitate. Aliud enim est, vt acutè distinguitur ad 2. Quod ipsum donum gratiæ est à Spiritu S. & hoc significatur, cum Rom. 5. dicitur, Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum aliud verò est, quod gratia gratum faciens disponit animam ad habendam diuinam personam, & significatur hoc, cùm dicitur, quod Spiritus S. datur secundùm donum gratiæ.

1602 Sensus quæsiti declaratur.

Itaque sensus quæsiti est, vt meliùs declaratur circa med. corporis. Vtrum nullus alius effectus possit esse ratio, quod diuina persona sit nouo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. *Et quoniam hic effectus, & consequenter nouus essendi modus diuinæ personæ in creatura recipiente talem effectum, nullo sensu comprehensibilis est, inde factum est, vt cuiusmodi missio dicta sit inuisibilis ad differentiam alterius missionis visibilis factæ, scil. in aliquo effectu, signo visibili, sensibiliter manifestatiuo personæ nouo modo venientis, atque præsentis; vt missio Filij Dei in carne humana, missio Spiritus Sancti in specie Columbæ, & in aliis similibus.*

1603 1. Conclusio. simpliciter mitti dicitur diuina persona missione inuisibili in animam sanctificatam gratia gratum faciente.

Prima Conclus. sufficientissimè, & adæquatè, ac simpliciter mitti dicitur diuina persona missione inuisibili in animam sanctificatam gratia gratum faciente. Hoc apertè supponit S. Thom. hic, dum probat, quod nullo alio modo, nisi per hanc gratiam contingere potest missio inuisibilis, & nullus Theologus negat, & est in Scriptura, & Patribus adeò certum, & meritò scripserit S. Thom. hic arg. 1. Quod est error dicere Spiritum Sanctum non dari, sed eius dona : *quàm censuram in responsione ipse tacitè concedit, & posteriùs communiter approbarunt. Nam Roman. 5. expressè dicitur,* Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. *Distinguitur Charitas Dei ab ipsomet Deo Spiritu S. & tam illa primò dicitur,* diffusa in cordibus nostris; *quàm ille supposita tali infusione, & sanctificatione, postea dicitur,* datus nobis. *Pleraque alia, & Scripturæ, & Patrum loca in hoc conueniunt, quæ breuitatis causa prætereo.*

1604 Ratio est, quia in tantùm persona procedēs mittitur, inquantùm incipit nouo modo esse in creatura.

Fundamentum Conclusionis sumitur ex ratione corporis articuli. In tantùm persona procedens mitti dicitur ab alia persona, à qua procedit, inquantum nouo modo incipit existere in aliqua creatura. In tantum etiam quælibet persona diuina dari dicitur, inquantum nouo modo incipit haberi, & possideri ab aliqua creatura. Vtrumque autem horum est semper, ac simpliciter, & sufficienter secundùm gratiam gratum facientem. Nam præter communem modum, inquit S. Th. Quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam, & præsentiam, est alius specialis modus, quo Deus dicitur esse in creatura rationali, sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Et quia cognoscēdo, & amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum secūdùm istum specialem modum, Deus non solùm dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea, sicut in templo suo.

1605 Connaturali iure amicitiæ per gratiam Deus non potest esse absēs ab anima.

Vbi nimirum strictissimo supernaturalis amicitiæ titulo, ac vinculo, ita cognoscitur, amatur, laudatur, honoratur, vt illius vi, ac ratione, vel quasi connaturali iure, *vt loquitur Suar. lib. 12. de Trinit. cap. 5. nu. 12. non possit esse absens, & non esse præsens, etiamsi per impossibile eius intima præsentia non esset aliis titulis necessaria, vt de facto est : sicut in materia de Incarnatione dici rectè solet de præsentia Verbi in assumpta humanitate vi, ac ratione ipsius creatæ vnionis hypostaticæ, etiam si per impossibile alij præsentiæ tituli deessent. Cùm hoc tamen discrimine, quòd vi vnionis habeatur præsentia ex connaturali necessitate: vi amicitiæ supernaturalis habeat eadem præsentia ex connaturali quadam congruentia. Donum autèm, quod de hac noua datione, & missione, & præsentia dictum est, habetur in hac vita, maximè per gratiam, qua iustificati, & sanctificati sunt consortes diuinæ naturæ, & hæredes Dei, & cohæredes Christi.*

1606 Per eandem gratiam dicūtur personæ diuinę vniuersaliùs nobis dari.

Per eamdem quoque gratiam dicuntur personæ diuinæ vniuersaliùs nobis dari, & à nobis haberi. inquantum sola creatura sanctificata per gratiam habeat potestatem fruendi diuinis personis. Enim verò, inquit S. Thom. Illud solùm habere dicimus, quo libere possumus vti, vel frui. *Quæ quidem specialius verificantur de Spiritu S. ita vt, & si Pater, & Filius inuisibiliter dentur, & habeantur, & Filius etiam inuisibiliter mittatur, tamen specialiori ratione inuisibiliter dari, & haberi, & mitti dicatur Spiritus S. inquantum gratiæ donum, ratione cuius persona diuina dari, & mitti dicitur, & appropriatur Spiritui S. Atque hoc significare videtur S. Thom. hic in fin. corp. dum particulariter de solo Spiritu S. ita concludit,* sed tamen in ipso dono gratiæ gratum facientis Spiritus S. habetur, & inhabitat hominem. Vndè ipsemet Spiritus Sanctus datur, & mittitur.

1607 2. Conclusio. persona simpliciter non datur, nisi secundùm gratiam gratum facientem.

2. Conclus. directè respondens titulo articuli. Diuina persona non dicitur simpliciter, & perfectè dari, ac mitti inuisibiliter, nisi solùm secundùm gratiam gratum facientem. Quamuis secundùm aliud quodcumque, siuè habituale, siue actuale supernaturalis gratię donum, dici etiam possit dari, ac mitti, secundùm quid, & imperfecto quodam modo, siue vt loquitur S. Thom. ad 4. circa fin. Cùm aliqua determinatione, secundùm quod dicitur, quod alicui datur Spiritus propheticus, vel miraculorum, inquantùm à Spiritu S. habet virtutem prophetandi, vel miracula faciendi. *Cum hac distinctione procedit S. Thom. ad 4. Quamuis in corp. simpliciter loquendo probet, quod diuinis personis conuenit dari, & mitti,* secundùm solam gratiā gratum facientem, *ita, quòd inquit,* nullus alius effectus potest esse ratio, quod diuina persona sit nouo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens; *eamque distinctionem : omnes ferè sequuntur.*

1608 1. pars Conclus. prob. quia qui caret gratia gratum faciente non est amicus Dei.

Prima Conclusionis pars patet, applicando rationem pro prima Conclus. supra factam, quoniam qui caret gratia gratum faciente, non est amicus, sed inimicus Dei; ergo saltem simpliciter, ac perfectè non amat Deū, nec à Deo amatur, & conuenienter modo quodam mortuo, non viuo, ac perfecto, credit, ac cognoscit, Deum, & sperat, & mouetur in Deum : nec propterea dici potest templum viuum diuino cultui dicatum, in quo sit, & inhabitet Deus: nec homo à Deo auersus, & non faciens eius voluntatem, dici simpliciter potest, habere Deum, eoque liberè vti, vel frui. Iuxta hanc partem August. lib. 15. de Trinit. cap. 18. initio ait, quòd si non detur charitas, quamuis dentur per Spiritum Sanctum alia dona supernaturalia, Spiritus S. à sinistra non transfertur ad dexteram. *Et circa finem ita concludit,* Igitur per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris Dei Charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas. *Et paulò post,* Charitas producitur ad Deū, & sine charitate quodlibet aliud Dei donum non perducit ad Deum : *ergo sine charitate, & gratia iustificante non habetur aliqua persona diuina, nec datur, nec mittitur.*

Secunda

1609 2. Pars prob. quia sine gratia gratum faciente haberi possunt multa alia gratuita.

Secunda pars Conclusionis patet, quia etiam sine gratia gratum faciente haberi possunt multa alia gratuita, & supernaturalia dona fidei, spei, prophetiæ, & aliarumque virtutum supernaturalium, quæ non dantur, nisi ex speciali Spiritus Sancti gratia, ac beneuolentia, quibus etiam per intellectum, & voluntatem supernaturalibus cognitionibus, & pijs quibusdam affectibus in Deum aliquo modo tendimus, & mouemur: ergo secundùm quid, & quodammodo habent peccatores præsentē nouo quodam modo Spiritum Sanctum in ipsis inchoatiuè inhabitantem, eisque datum, & ad eos missum, in quibus etiam Deus tanquam in quodam informi templo colitur aliquo imperfecto modo supra autem quando diximus, nullo alio modo fieri missio, inuisibilis, quàm per gratiam, intelligi debet completè, & perfectè.

Dub. 1. An quos effectus connotet missio, & quomodo diuidatur in visibilem, & in inuisibilem?

Dub. 2. An missio inuisibilis simpliciter fiat per gratiam gratum facientem, & imperfectè in non habentibus illam. Et An solum quando sanctificatur homo, sed etiam quando proficit, fiat missio?

DVBIVM I.

Quos effectus connotet missio, & quomodo diuidatur in visibilem, & in inuisibilem?

1610 *Nota. Missio diuinarum personarũ non connotat solum effectum ordinis naturalis. quia per hunc solùm manifestatur Deus inquantũ vnus*

SVpponendum est, tanquam certum, quod missio personarum non connotat solùm effectum ordinis naturalis, & qui pertinet ad beneficium, & donum creationis. Ratio huius est, quia per creationem, & naturalium donorum largitionem manifestatur Deus, inquantum vnus, scil. eius bonitas, & sapientia, quia omnia opera ad extra procedunt à tota Trinitate per vnicam virtutem, & secundum eandem efficientiam, quæ accipiunt esse à Deo, nō verò manifestant ipsam Trinitatem personarum; ergo secundum talem processionem personę, non dicuntur mitti. Patet Conseq. quia missio personarum non ordinatur ad hoc, vt personæ nouo, & peculiari modo fiat in creaturis, quo ante non erat. Hic autē nouus modus non consistit in hoc, quod personæ solùm producant, & dent esse ad extra efficienter, quodcumque illud sit: nam totum hoc pertinet ad existentiam earum in creaturis, vt sunt vnum per immensitatem, & operationem, quia cuicumque rei intimè assistit diuinitas, & personæ, prout sunt vnum in diuinitate dando illi esse. Et quia hoc fit per vnicam virtutem, & operationem, & vnicum attributum immensitatis, non per hoc personæ existunt in creaturis, vt distinctæ, nec speciali modo, quatenus plures, & distinctæ sunt, nec vt manifestatæ creaturis.

1611 *Confirm. ex D. Th. qui asserit missionem non attendi in exitu rerum à suo principio.*

Quare vt optimè S. Th. aduertit in 1. dist. 15. qu. 4. art. 1. processio diuinæ personæ, quæ dicitur missio, non attenditur in exitu rerum à suo principio, inquantum repræsentatur per similitudinem bonitas diuina in creatura, sed in reductione rationalis creaturæ in Deum intelligitur processio diuinę personæ, quę est missio, præsertim missio inuisibilis, inquantum propria relatio ipsius personæ diuinæ repræsentatur in anima per lumen aliquod receptũ, quod est exemplatum, & originatum ab ipsa Trinitate ad manifestandum se. Itaque effectus, quem connotat missio personæ, & quem requirit, vt in creaturam persona diuina mittatur, non est considerandus præcise secundùm esse, in quo effectiuè procedit à Deo, & secundùm respectum ad Deum, vt ad causam efficientem: Sic enim sub hoc respectu non est necessaria missio personæ, sed operationis efficientia omnis autem operatio effectiua ad extra procedit ab omnipotentia Dei, & ab essentiali eius virtute, vt vna, non autem secundùm distinctionem, & originem personarum secundùm, quod vna est alia notionaliter. hoc enim ad efficientiam, & ad omnipotentiam non spectat, solùm autem per omnipotentiam egreditur efficientia, & operatio.

1612 *Effectus, quem connotat missio, debet respicere Deum, vt finem fruendũ.*

Sed oportet considerare effectum, qui respiciat Deum, vt finem fruendum; & sic regrediatur ad ipsum in se, & in tali regressu ad Deum potiùs, quàm in egressu creaturæ, vel gratiæ à Deo attenditur cōmunicatio, & manifestatio personæ ipsi creaturę rationali facta, & hæc est missio, quia in hoc est processio personæ, vt manifestata. nec enim manifestatur persona, nisi vt communicata, & fruenda; & sic gratia etiā, vt habens esse à Deo, & effectiuè manans ab ipso, non aliam communicationem, & manifestationem, seu modum existendi ipsius Dei petit, quam qui cōmunis est omnibus creaturis, quatenus Deus est in ipsamet gratia, tanquam in re effecta a se, & cui præbet esse per operationem suam. Sed quatenus per gratiam conuertimur ad Deum, vt ad finem à nobis fruendum, sic respicit illum, vt finem sibi communicatum, vt est in se, & Deus est in anima speciali modo, scil. vt causa finalis fruenda, non solùm vt efficiens, & dans esse. Et hoc modo procedunt personæ vsque ad creaturas, quatenus eis manifestantur processiones illæ, & distinctio personarum, quę sine processionibus non est. Quomodo verò in missione visibili personarum inueniatur ista conuersio creaturæ rationalis ad personas, statim explicabitur.

His suppositis, dicendum est primò. Missio ex parte effectuum temporalium, quos connotat, rectè diuiditur in missionem visibilem, & inuisibilem. De vtraque agit S. Th. in hac quæst. & Theologi communiter in 1. dist. 15. dicitur missio visibilis processio alicuius personæ manifestantis per effectus visibiles, sicut in Incarnatione missus est Filius Dei, vt appareret in carne, & in missione Spiritus S. apparuit in specie Columbæ super Christum, quando baptizatus est, & in specie ignis super Apostolos in die Pentecostes. Missio inuisibilis est processio personæ ad sanctificandum creaturam rationalem per donum gratiæ inuisibilis. Et mediante hoc dono gratiæ, manifestantur ipsa persona procedens, & cōmunicatur, vt fruenda, & possidenda ab anima hic in spe, in Patria in re. Dari has duas missiones constat ex scriptura. 1613 *1. Concl. missio ex parte effectus temporalis, quem connotat, rectè diuiditur in visibilem, & inuisibilem.*

1614 *Prob. ex Sac. Scriptura. vtraque missio, visibilis, & inuisibilis.*

Nam de missione visibili per incarnationem cōstat, vt cum dicitur Ioan 10. *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum.* Galat. 4 *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* De missione autem Spiritus S. Io. 14. dicitur, *Quem mittet Pater in nomine meo*, & Io. 15. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre*, &c. De missione inuisibili, quæ fit intùs in corda dicitur Gal. 4. *Quoniam autē estis Filij, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem Abba Pater.* Et de ipsa genita sapientia dicitur Sapien. 9. *Mitte illam de Cælis Sanctis tuis, & à Sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret*; & vt inquit Aug. 4. de Trin. c. 20. *Tunc Filius inuisibiliter mittitur, cum à quoquam cognoscitur, atque percipitur.* Dicitur autem mitti, vt laboret, inquit ibi Aug. *id est, vt doceat me laborare, ne laborem: Labores enim eius virtutes sunt.* De missione autem Spiritus S. constat, quòd ad sanctificandũ rationalem creaturam missus est, quatenus in illa missione induti sunt Apostoli virtute ex alto, sicut illis Dominus promisit Actor. 1 Itaque vt Aug. cit. loco inquit *per missionem inuisibilem gratiæ mittitur sapientia diuina, vt sit cum homine, per visibilem incarnationis missionem missa est sapientia, vt ipsa esset homo.*

1615 *2. Concl. Visibilis, & inuisibilis missio, in tribus conueniut, & in alijs tribus differunt.*

Dico 1. duæ istæ missiones, scil. visibilis, & inuisibilis in tribus conueniunt, & in alijs tribus differunt. Conueniunt 1. in hoc, quod vtraque ordinatur ad manifestationem personæ diuinæ missæ, & processionis eius. Secundo, quod vtraque ordinatur ad cōmunicationem specialem personarum diuinarum in creatura, ad quam mittitur. Tertiò, quod vtraque ordinatur ad sanctificationem creaturæ rationali, s. per quam conuertitur in suum finem. Differunt 1. quod missio visibilis fit in aliquo effectu sensibiliter exhibente, & repræsentante personam, siue assumendo illam in vnitatem personæ substantialiter, vt in Incarnatione, siue apparendo in illa, vt in

signo

signo talis personæ, & sanctificationis, quam facit, vt in Spiritu S. Missio autem inuisibilis, fit in aliquo effectu spirituali & inuisibili, quo eleuatur creatura rationalis ad participationem ordinis diuini, & ad cognoscendum, & fruendum personis. Secundò, quod per missionem visibilem persona diuina venit in hunc mundum; per inuisibilem autem non venit in mundum, sed facit homines esse extra mundum, & ad æternitatem transfert. Tertiò, quod in missione visibili mittitur vna persona, & manifestatur sine alia, in missione autem inuisibili nunquã vna sola persona mittitur, sed duæ procedentes, & Pater licet non mittatur, quia mitti non potest, venit tamen, & communicat se cum alijs ipsi animæ.

1616 *1. Pars de conuenientia vtriusq. missionis, declaratur.*

Prima pars huius Conclusionis de conuenientijs vtriusque missionis declaratur: Nam missio personarum, ideò specialiter conuenit personis, quia aliquid specialiter per hoc eis conuenit ad extra, quod non per communem operationem diuinitatis in creaturis; per efficientiam enim communem omnes personæ operantur, vt vnum, & sic non potest ibi intelligi, quod vna mittatur ab alia pro effectu illo faciendo, debet ergo vna mitti ab alia, quando in effectu aliquo manifestatur in missione visibili, quia in humanitate assumpta manifestata est persona Filij, quæ sola incarnata est, ex sequenti autem manifestatus est Pater, cuius Filius est, & Spiritus S. cuius virtute incarnatus. In missione autem inuisibili manifestantur personæ, quia cognoscuntur, & possidentur ad fruitionem sui, hic per fidem, postea per speciem.

Prima declaratur.

1617 *2. Conuenientia declaratur.*

De secunda conuenientia constat, quia in incarnatione communicata est persona Filij humanæ naturæ, assumendo illam in vnitatem personæ, & communicando illi suammet subsistentiam. In missione autem inuisibili communicatur personæ, vt fruendæ, & possidendæ intus in corde, de quo to. 1. q 9. fusiùs, sicut dicitur Io. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, & 1. Petri 1. *Magna, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*, quæ est maxima communicatio.

1618 *3. Conuenientia constat nã missio visibilis ordinata est ad Redemptionem nostram, & missio inuisibilis ad sanctificationem nostram.*

De tertia conuenientia constat: nam missio visibilis Filij ordinata est ad redemptionem nostram, & sanctificationem iuxta illud Gal. 4. *misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Missio etiam visibilis Spiritus S ad sanctificandum Ecclesiam, & Apostolos ordinata est: nam, vt dicitur Act. 2. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu S.* quæ vtique repletio, sanctificatio fuit à promissa à Christo Act. 1. *Donec induamini virtute ex alto.* Missio autem inuisibilis tota est ad sanctificationem, quia solùm est per gratiam sanctificantem, vt postea dicetur, & constat, quia missio inuisibilis diuinæ sapientiæ dicitur esse, vt nobiscum sit, & nobiscum laboret Sapien. 9. & iterum de Spiritu S. Rom. 8. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*, & iterum ad Gal. 4 *Quoniam estis Filij, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra.* Vnde rectè dixit D. Th. in hac qu. art. 7. quod Filius visibiliter missus est tanquam sanctificationis auctor, sed Spiritus Sanctus, tanquam sanctificationis indicium, quia videlicet apparuit in igne, & columba, vt ostenderet, se sanctificare eos, ad quos mittebatur.

1619 *2. Pars Concl. quo ad primã differentiam declaratur.*

Secunda pars Conclusionis etiam declaratur, Et quidem quoad primam differentiam satis manifesta est, cùm in hoc differant missio visibilis, & inuisibilis, quod effectus vnius appareat extra, sicut Christus Dominus est in carne sensibilis, & Spiritus S. in specie columbæ, & ignis, quod totum oculis patuit, quamuis de illo igne, an Spiritu tantum visus sit, an etiam oculis carnis quæstionem esse posse August. dicat 2. de Trin. cap. 6. Sed vt est, corporalis manifestatio illa fuit, etiamsi in imaginatione fuit. Missio autem inuisibilis per gratiam intus in corde fit, nec per externam perficitur apparentiam.

1620 *2. Differentia ponitur propter authoritatem August.*

Secunda differentia ponitur propter authoritatẽ Aug. 4. de Trin. c. 20. vbi inquit. *Cùm in carne manifestatus est Filius Dei, in hunc mundum missus est in plenitudine temporis factus ex fœmina. Cùm autẽ ex tempore cuiusquam profectus mente percipitur, mitti quidem dicitur, sed non in hunc mundum: neque enim sensibiliter apparet, id est corporeis sensibus præsto est. Quia & nos secundùm quòd mente aliquid æternum, quantum possumus, capimus, non in hoc mundo sumus. Et omnium iustorum Spiritus etiam adhuc in carne viuentium, inquantum diuina Sapiunt, non sunt in hoc mundo.* Quem locum adducit Mag. in 1. dist. 15. & optime id explicat S Th. ibid q 4. art. 3. non quod essentialiter, seu substantialiter anima ponatur extra mundum, cum in corpore sit, quod informat, sed per conformationem est extra mundũ, quia non conformatur affectus noster rebus mundanis, & caducis, sed iuxta, quod Apost. dicit ad Philip. 3 *Nostra conuersatio in Cœlis est.* Sic ergo missio visibilis ad hoc ordinatur, vt id, quod diuinum est, in mundo sit, iuxta illud Ioan. 16 *Exiui à Patre, & veni in mundum.* Missio autem inuisibilis ordinatur ad hoc, vt noster affectus non sit de mundo, & tandem in plenitudine gloriæ etiam corporaliter sit supra mundum, iuxta quod subdit Christus ibid. *Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.*

1621 *3. Differentia constat, nam per missionem visibilem vna persona est missa sine alia, non verò in inuisibili.*

Denique de tertia differentia constat, quòd per missionem visibilem vna persona est missa sine alia, quoad effectum visibilis manifestationis: Solus .n. Filius visibilis apparuit, quando incarnatus est, & solus Spiritus S. in specie columbæ, & in igneis linguis apparuit, licet effectum ipsum incarnationis, & sanctificationis tota Trinitas operata sit. At verò in missione inuisibili, quæ fit per gratiam sanctificantem, non mittitur vna persona sine alia: tùm quia in habentibus gratiam omnes personæ simul inhabitant, non vna sine alia, iuxta illud Io. 14. *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus;* Sed inter has personas inhabitantes duæ sunt procedentes, ergo & missæ in tali inhabitatione. Patet Conseq. quia personæ, quæ procedunt, & in aliquo speciali effectu manifestantur, hoc ipso dicuntur missæ: tùm etiam, quia in habentibus gratiam dona Spiritus S. tam ad intellectum, quàm voluntatem pertinentia connexa sunt: omnes enim, qui sunt in gratia, habẽt omnia dona Spiritus S. vt docet S. Th. 1. 2. q. 68. art. 2. & 5.

1622 *Inter dona Spiritus S. quædã pertinent ad intellectum, quædam ad voluntatem.*

Inter illa autem dona, quædam pertinent ad intellectum, vt donum intellectus, scientiæ, sapientiæ, consilij: alia ad voluntatem, vt fortitudinis, pietatis, timoris. Et quoad prima, attenditur missio Verbi, cuius processio est per intellectum; quoad secunda, missio Spiritus S, qui procedit per amorem. Vndè dicit D. Th. in hac quæst. art. 5. ad 3. quod *Communicant duæ missiones in radice gratiæ, sed distinguuntur in effectibus gratiæ, qui sunt illuminatio intellectus, & inflammatio affectus.* Et sic manifestum est, quod vna non potest esse sine alia, quia neutra est sine gratia gratum faciente, nec vna persona separatur ab alia. Idẽ docet in 1. dist. 15. q 4 a. 2. *Quia amor,* inquit, *Semper sequitur notitiam perfectam, secundùm quam est: & missio Filij semper inducit in amorem.* Et videndus est etiam in 1. Ad Anibal. dist. 15. q. vnica, artic. 5.

1624 *Instantia.*

Nec obstat, quòd aliquando videntur ista dona separari, & consequẽter missio personarum, quæ secundum illa fit. Separarantur quidem, nam dona pertinentia ad intellectum, abundant in quibusdam, in quibus non est gratia, vt sunt omnes gratiæ gratis datæ, vt prophetia, sermo scientiæ, interpretatio sermonum loqui linguis, &c. quæ sunt gratiæ gratis datæ; nec per se requirunt gratiam sanctificantem. In alijs e conuerso abundat gratia sanctificãs, & feruor Spiritus, & tamen sunt hebetes, & idiotæ, vt sic non respondet in ipsis missio Filio, quæ fit secundùm dona sapientiæ, & intellectus; vt enim dicit S. Thom. loco cit. ad Anibal. in argum. *Sed contra*, Filius præcipuè mittitur, cùm sapientia datur; ergo

sicut anima rationalis esse dicitur in suo corpore illam non excedente, & genus est in vna specie, v. g. animal in homine, & tamen animal est in reliquis omnibus animalis speciebus. Sic etiam in diuinis, essentia dicitur esse in Patre non excedente essentiam. Quamquam, vt cum dicitur vna persona esse in alia ratione relationis, non excluditur essentia.

1556 6. Obiectio.

Arg. 6 ex eodem Duran. n. 6. Illud, per quod vna persona distinguitur ab alia, non est ratio, quare vna sit in alia; quia illud, per quod vna est in alia; est commune vtrique, & est in vtraque: sed relationes, quibus personæ distinguuntur, non sunt communes personis: ergo secundùm eas vna non dicitur esse in alia. *simile est aliud argum. quod ex eodem Durando sic refert Caprel. supra*, vnum oppositum non est in alio per relationem oppositam, sed personæ diuinæ sunt opposite per relationes, ergo vna non est in alia per relationem. *Resp. his argumentis probari, quod concessi supra, rationem, cur vna persona in alia sit, nō esse relationem, vt distinctam, & oppositam, sed vt identificatam essentię.*

Resp. rationē, cur vna persona sit in alia esse relationē identificatam

1557 3. Conclusio. Origo vnius personæ ab alia, probat alteram personam esse in altera.

3. *Concl. origo vnius personæ ab alia probat etiam, alteram personam esse in altera. ita omnes, quamuis contradicat Aureol supra. Ratio S. Th. est, quia origo diuina est actio non transiens ad extra, sed immanens intrà ipsum producentem. Quod quidem contingere non posset, nisi persona producta reciperet eamdem producentis naturam infinitam, & propterea identificatam cum personis omnibus; vndè solum oriri potest, vt non solùm persona producta maneat in producente, sed etiam persona producens maneat in producta. Hanc rationem tertiā ex origine desriptam afferunt frequenter Patres ad probandum circuminsessionem. Inter alios expressius Hilar. lib. 3. de Trin. col. 2. initio, ita probat*, Pater in Filio, quia ex eo Filius; Filius in Patre, quia non aliunde quod Filius Vnigenitus in ingenito, quia ab ingenito vnigenitus. *nimirum in vnitate eiusdem naturæ.*

1558 1. Obiectio.

Arg. ex Aureol. 1. Dicit Commentator 4. Phys. com. 24. quod remotior, & imperfectior modus essendi in alio est ille, secundum quem res est in suo principio agente. Sed modus ille, quo Filius est in Patre, & vna persona est in alia, est perfectissimus, & summus; ergo non assimilatur illi, quo principiatum est in principio.

Resp. modū, quo principiatū est in suo principio esse imperfectō.

Resp. *modum, quo principiatum est in suo principio, esse imperfectum, si principiatum alterius naturæ sit à suo principio; & ideo non actu in illo est, sed potentia tantum, quo modo omnes effectus creati sunt in creatis causis, de quibus tantum loquitur Commentator; esse vero perfectissimum modum, si, vt est in casu nostro principiatum habeat eamdem omnino perfectissimam naturam sui principij, à quo ita sit, vt simul etiam in eo semper actu essentialiter sit.*

1. Obiectio.

Arg. 2. Philos. in 4. Phys. t. 23. licèt dicat: partem esse in toto, & totum reciproce in partibus, similiter genus in specie, & species in genere; sic tamen assignat modum, quo aliquid est in suo principiato, sed in diuinis est reciprocatio inexistentiæ, & circuitus sessionis: ergo ille modus non est secundùm quod originatum est in originante.

Resp. modum essendi in suo principio non esse reciprocū in creatis.

Resp. *modum essendi in suo principio non esse reciprocum in rebus creatis, in quibus non est vnitas eiusdē infinitę essentiæ identificantis sibi omnes personalitates & relationes, quæ in ipsa sunt. Quæ vnitas est in diuinis, & ideo in illis est reciprocatio. Nec vrget, quod contra hanc responsionem affert Aureol. hanc tertiam rationem ductam ex origine, sic non esse diuersum à prima ducta ex vnitate essentiæ: concedo enim non esse omninò diuersam; si enim diuinę relationes, seu personalitates, & origines, non essent in eadem numero natura, ex illis vtique probari non posset inexistentia vnius personæ in alia. Nego autem, non esse simpliciter diuersam, quia prędicta inexistentia non solum probat, quòd essentia sit vna in omnibus, nulli opposita, & cum omnibus identificata, sed etiam quod vna persona non possit intelligi sine alia; & quod vna persona originetur ab alia per actionem immanentem in originante: vbi manifestum est, diuersis vijs, ac medijs procedi ad idem probandum, licèt duæ vltimæ viæ, in primam tantum recurrant, quę plana, ac regia est.*

Arg. 3. Ipsi dicunt; quod Pater est in verbo, sed secundùm Aug. de cognitione veræ vitæ, Deus totam mundi formam verbo suo dixit, & fecit, ergo secundùm hoc tota mundi forma erit in Verbo. Eo modo, quo Pater est in eo, si illa ratio sit sufficiens, 1559 3. Obiectio.

Resp. cum Capreol. tam creaturas, quam Deum Patrem esse in Verbo, sicut repræsentatiuum in suo repræsentante; *esse tamen diuersissimo modo*, quia Pater adæquat suum Verbum, quod eum repræsentat, non autem creaturæ. *Vndè est etiam aliud discrimen, quia Deus Pater repręsentatur in Verbo, & intra Verbum formaliter: creaturæ verò repręsentantur quidem in Verbo, sed formaliter extra Verbum; à cuius natura, & perfectione infinitè recedunt.*

Resp. tā creaturas, quàm Deum Patrē esse in Verbo.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum filius sit æqualis Patris *secundùm potentiam.*

SVMMA ARTICVLI D.Th.

Concl. Filius est æqualis Patri secundùm potentiam. Prob. ille, qui habet eandem perfectionem naturę, quam habet Pater; est æqualis Patri secundùm potentiam. Quia potentia agendi consequitur perfectionem naturæ; videmus enim in creaturis, quod quantò aliquis habet perfectiorem naturam, tantò est maioris virtutis in agendo.

Arg. 1. Filius non potest facere quicquam, nisi viderit Patrem facientem. Io: 5. ergo. Resp. neg. conseq. quia in Antec. non subtrahitur filio aliqua potestas, quam habet Pater, ex illa scrip. sed ostenditur quòd filius habet potestatem Patris, à quo habet naturam.

Arg. 2. Pater mandat filio. Io: 14. & filius audit Io: 3. ergo. Resp. neg. conseq. quia in demonstratione Patris, & auditione filij, non intelligitur, nisi, quòd Pater communicat scientiam filio, sicut & essentiam.

Arg. 3. Generare filium sibi æqualem spectat ad omnipotentiam Patris lib. 3. c. 7. sed filius non potest generare. ergo. Resp. neg. conseq. quia cum sit eadem essentia, quæ est in Patre Paternitas, in filio filiatio: ità eadem est potentia, qua Pater generat, & qua filius generatur. Vndè quidquid potest Pater, potest filius: nec sequitur, quod filius possit generare, quia mutatur quid in aliquod. quia generare significat relationem in diuinis, sed filius habet eandē potentiā, sed cum alia relatione. Pater enim habet eam, vt dans, filius vt accipiens,

DISPVTATIO CCXXIV.

An Filius sit æqualis Patri secundùm potentiam.

Respondet D. Th. omnes personas diuinas esse inter se ęquales secundùm potentiam agendi, sicuti sunt æquales secundùm naturam, cùm potentia consequatur perfectionem naturę, maximè cum in Deo omnipotentia sit ipsa sua essentia, seu vnum ex attributis essentialibus, maximè autem videtur D. Th. in corp. articuli loqui de diuina potentia in ordine ad effectus ad extra, sic enim simpliciter potentia agendi dicitur, cum actio propriè dicta inuoluat effectum ad extra. & in hoc sensu Concl. est certa secundùm fidem, & sic in symbolo Athanasij dicitur omnipotens Pater, omnipotens Filius, &c. vtrum autem Filius sit qualis Patri etiam secundum potentiam ad intrà, respondet D. Th. etiam affirmatiuè, 1560

1560 Concl. Omnes personæ diuinæ sunt inter se ęquales in potentia agendi.

1561 *Illud Filius nõ potest à se quicquam ex ita: intelligitur de ordine originis, non de minoritate.*

manuè, vt dicemus circa Resp. ad 3.

In Resp. ad 1. aduertit D. Th. quòd ex illis verbis Ioannis 5. Filius non potest à se facere quicquam, *non denotatur in Filio aliqua minoritas potentię, sed solum ordo originis ad Patrem, vt quemadmodum Filius à se non habet neque naturam, neque potentiam, neque esse, sed à Patre, ita neque à se sit potens facere, cum sit principium, non tamen sine principio, qualis est Pater, neque tamen ex hoc sit minor Patre, cum habeat eamdem omnino potentiam à Patre, quam Pater habet non ab alio; vnde etiam aduertit modum loquendi D. Hilarij, quòd Filius per se agat, licèt non à se quidem, quia per suam naturam, virtutem, potentiam, & voluntatem agit, sicuti Pater, non autem à se, quia hæc non à se habet, sed à Patre, & propterea particula illa, per se, dicit simpliciter aliquid absolutum; at verò particula illa, à se, inuoluit relationem, & originem.*

1562 Aduerte in Resp. ad 2. tria loca Ioan. intelligi possunt de Filio Dei secundùm diuinitatem.

In Resp. ad 2. explicat D. Th. tria loca ex D. Ioanne, quæ aliquo modo intelligi possunt de Filio Dei secundùm diuinitatem, vt ex illis solum sequatur, Filium à Patre habere quicquid habet, vt præced. argumento dictum est, vel certè intelligi cõmuniter solent de Filio Dei ratione humanitatis assumptæ; quarè hoc vniuersaliter verum esse debet, & firmum, quod quoties ex scripturis, & Patribus aliqua dicuntur de Filio Dei, ex quibus quædam auctoritas, vel maioritas in Patre inferatur, vel intelligenda sunt de ipso ratione humanitatis assumptæ, vel certè ad significandum ordinem originis, sine vlla tamen minoritate ex parte Filij.

1563 Maior difficultas circa responsionem ad 3. quomodo Filius sit æqualis Patri, cum non habeat potẽtiã generãdi.

Maior aliqua esse solet difficultas circa respons. ad 3. quod erat huiusmodi, ad omnipotentiam Patris pertinet posse generare Filium sibi æqualem, sed Filius nõ potest generare Filium sibi ęqualem, ergo non quicquid pertinet ad omnipotentiam Patris, potest Filius, & consequenter Filius non est æqualis Patris in potentia, & idem dici potest de Spiritu S. quod argumentum hoc modo formari potest. In Patre est potentia ad generandum, sed hæc non est in Filio, ergo Filius non est æqualis Patri in potentia, seu quòad posse, seu hoc modo. Pater potest generare, Filius non potest, ergo non quidquid potest Pater, potest Filius, & alijs similibus modis, de qua re plura habet Suar. l. 4. de Trin. c. 10. Vasq. hic disp. 164. & 165 & alij hoc art. duo autem hic quæri possunt, Primum vtrum potentia generandi, & spirandi ad intra, pertineant ad omnipotentiam Dei, aut saltem Dei Patris. Secundò vtrum posito, quòd aliquo modo, seu in aliquo tandem sensu pertineant, possit Filius dici æqualis Patri, etiam in ordine ad hanc potentiam. Vnde sit.

DVBIVM VNICVM.

An potentia generandi spectet ad Omnipotentiam? Et an, si pertineat, Filius possit dici æqualis Patri.

1564 *Circa primum si ly omni, tenet se ex parte potentiæ, potentia generãdi spectat ad omnipotentiã.*

Circa primum, licèt quæstio sit de nomine, tamen dici potest, quod si in hac voce, omnipotentia, particula illa, *omni*, teneat se ex parte potentiæ, vt sensus sit, an posse generare pertineat ad integram, & adæquatam, & ita ad omnem Dei potentiam, seu ad aggregatum ex omnibus potentijs, quę sunt in Deo, hoc certũ est in omni rigore, s. potentiam generandi pertinere ad Dei omnipotentiã, nam vere est in Deo hæc potentia, & aggregatum omnium potentiarum harum ex modo nostro concipiendi distinctarum potest dici Dei omnipotentia, cùm in qualibet includatur infinitas, seu infinita vis agendi, & maximè in potentia, quæ est ad intra, & in hoc sensu videtur loquutus D. August. cit. hoc loco, & alibi a D. Thom. & ipse D.Th. admittere hanc acceptionem hic ad 3. nam in hoc sensu habet difficultatem propositum argumentum.

1565 *Si ly omni, tenet se ex parte terminorũ, potentia generandi non spectat ad omni.*

Si vero particula illa, *omni*, teneat se ex parte terminorum, ita vt omnipotentia dicatur illa, quæ potest omnia possibilia, tunc proprie potentia ad intrà non pertinet ad Dei omnipotentiam, sicuti personæ ad intra non sunt proprie res possibiles, & ita potentia generandi ad intra habet diuersum conceptum ab omnipotentia, cum hæc sit adæquate perfectio simpliciter absoluta, prædicabilis absolutè de tribus personis, potentia verò generandi connotet determinatam relationem, & non possit absolutè, nisi determinatæ personæ conuenire, nempe generare Patri, spirare Patri, & Filio; in hoc autem secundò sensu nulla est difficultas in argumentis propositis, sic enim negandum est, pertinere ad omnipotentiã Patris generare Filium, cum pertineat ad aliam potentiam; quarè non sequetur personas diuinas non esse æquales in omnipotentia.

1566 *Difficultas supra verba D. Thomæ.*

Quia ergo hic secundus modus respondendi non foret sufficiens ad difficultatem præsentem absolutè enodandam, sufficeret enim aduersarijs, esse in Patre aliquam potentiam, quæ non est in Filio, atque adeo Filium non esse æqualem Patri, si non in omnipotentia, saltem in aliqua alia potentia, qua careret, ideo D. Thom. hoc loco non carauit præpositam distinctionem, & doctrinam adhibere, sed concesso, quod posse generare aliquo tandem modo pertineat ad Patris omnipotentiam, respõdet quodammodo, qui prima facie videtur inuoluere repugnantiam, nam primo concedit, manifestum esse, quod quidquid potest Pater, potest Filius. Addit vero postea, quod Pater potest generare, quod tamen non potest Filius, & sic videtur destruere, quod posuerat.

1567 *Potentia in Deo duo dicit, vel aliquid absolutum: vel aliquid relatiuum.*

Tamen ex eius explicatione, quam postea adhibet, hic est sensus illius responsionis, quod posse, seu potentia in Deo duo dicere potest, primo aliquid absolutum essentiale diuinæ naturæ, & in hoc conuenit omnipotentia in ordine ad creaturas, cum potentia in ordine ad personas productas, vtraque enim potentia dicit in recto hoc absolutum essentiale, quod est ipsa diuina essentia, vel aliquod eius attributum essentiale, & secundum hoc, quicquid potentiæ est in Patre, est etiam in Filio. Secundo connotare potest aliquam determinatam relationem, & hoc est proprium potentiæ ad intra, nam essentia diuina non est potentia ad generandum, nisi vt connotat relationem Patris, & secundum hoc non est potentia in Filio ad generandum actiue, sed ad generandum veluti passiue.

1568 *Absoluta eadẽ potentia, quæ est in Patre cum Paternitate, est in Filio cum Filiatione.*

Eadem enim potentia, quæ est in Patre cum paternitate, est in Filio cum filiatione, quando ergo D. Thom. ait, quod quicquid potest Pater, potest Filius, intelligendum est secundùm quod posse, vel potentia dicit absolutum, sic enim quidquid potentiæ absolute est in Patre, est etiam in Filio, licet sub diuersa relatione, quia vero posse generare dicit absolutum cum determinata relatione paternitatis, ideo non sequitur, quod Filius possit generare, licet possit Pater, mutatur enim quid, in aliquid, vt, loquitur D. Thom. seu mutatur absolutum in relatiuum. Quare Filius habet eamdem potentiam Patris, secundùm quod potentia dicit aliquid absolutum, sed sub diuersa relatione, & denominatione, nam Pater habet eam potentiam sub relatione, & denominatione dantis seu generantis, Filius autem sub relatione, & denominatione recipientis, & geniti, neque tamen ex hoc Filius est inæqualis Patri, quia in diuinis propter perfectissimam communicationem vnius infinitæ naturæ, tantundem perfectionis est habere essentiam diuinam sub relatione, & denominatione dantis, ac sub relatione, & denominatione recipientis.

1569 *Ad argumentũ 3. in fine disp. propositum sic Respondetur.*

Quare ad argum. in forma propositum, prout primo loco proponitur, sic respondendum est, dist. Ma. ad omnipotentiam Patris pertinet generare Filium, tantum prout omnipotentia dicit aliquid absolutum simul cum aliquo determinato relatiuo, nempe paternitate, concedo ad omnipotentiam Patris tantum, prout dicit simpliciter aliquid absolutum, nego; & concessa Min. distinguendum est conseq. ergo non quicquid pertinet ad omnipotentiam Patris primo modo, potest Filius, concedo, secundo modo nego, & ita nego secundam Conseq. quia tantundem prorsus est posse generare, atque adeo pertinere ad omnipotentiã Patris primo modo, nempe posse generare, ac posse generari, seu generari, quod competit Filio, cùm eadem prorsus essentia, quæ est in

Patre

Patre paternitas, & sub ratione dantis, sit in Filio filiatio, & sub ratione recipientis, saluo semper ordine, & autoritate donantis.

1570 *Ad idem 2. loco positum in § . . sic Resp.*

Ad idem vero arg. vt secundò loco positum est, sic responderi debet in forma, concessa ma. distinguenda est Min. sed hęc potentia secundùm id, quod dicit absolutum, non est in Filio, nego, secundùm quod dicit paternitatem, concedo (idest non pertinet ad Filij constitutionem, hic enim non loquimur de circuminsessione, secundùm quam vna persona est in alia) & ita absolute & simpliciter nego Conseq. licet enim hæc potentia non sit in Filio sub relatione paternitatis, & denominatione dantis, est tamẽ sub relatione filiationis, & denominatione recipientis, quod est prorsus idem.

Ad idem 3. loco positum sic Resp.

Ad idem vero arg. prout tertio loco ponitur, sic respondendum est in forma, concessa Ma. & Mi. dist. Conseq. secundùm quod posse, seu potentia accipitur absolute, seu dicit esse absolutũ, nego, secundùm quod dicit relationis, concedo; nego tamen ex hoc Filium non esse æqualem Patri in potentia, cùm habeat eamdem potentiam sub diuersa relatione, & denominatione æquiualenti.

Obiectio.

Sed vlteriùs obijci solet contra hanc D. Th. responsionem, quia essentia diuina præcise non habet rationem potentiæ generatiuæ ad intra, nisi vt connotat paternitatem, & vt stat sub paternitate, quare etiam si eadem numero essentia sit in Filio, vt tamẽ est in Filio, non poterit habere rationem potentiæ generatiuæ, & veluti actiuę, licet habeat rationem rei communicatæ, & veluti passiuæ; cum ergo hic quæramus de Filij æqualitate cum Patre in ratione potentiæ operatiuæ, & actiuæ, videtur primo, insufficienter responderi per hoc, quod Filius habeat essentiam sub ratione recipientis, secundo omnino admittendum esse, quod aliqua potentia sit in Patre, quæ non sit in Filio, & consequenter quod Filius non sit æqualis Patri quoad omnem potentiam, sed solùm quoad omnipotentiam ad extra, & ad intra in ordine ad Spiritum S. tantum.

1571 *Resp. ex eo, quod Filius habeat essentiam in ratione recipientis esse eadem potentia Patris, & Filij.*

Resp. tamen responsionem non esse insufficientem, sed necessariam, & conuenientem, nam ex eo, quod Filius habeat essentiam diuinam, licet sub ratione recipientis, & relatione filiationis, oritur, vt habeat quidquid est potentiæ in Patre secundùm rationem absolutam, licet non habeat sub eadem ratione: vnde secundo oritur, vt Filius non sit Patre minor, & inferior, etiam considerato in ratione potentiæ agendi, nam æqualis omnino perfectionis est habere essentiam diuinam sub relatione dantis, & sub relatione recipientis, sicut generare, & generari.

. . . licet aliqua potentia relatiua sit in Patre, quæ non sit in Filio: Filius tamen est æqualis Patri.

Vnde etiam patet solutio ad secundum dictum, quamuis enim verum sit, quod quatenus potentia non accipitur absolute, sed sub determinata relatione, aliqua potentia sit in Patre, quæ vt sic, non sit in Filio, non tamen sequitur, quod Filius non sit æqualis Patri, etiam considerato, quoad hanc potentiam vt sic, ad hanc enim æqualitatem sufficiet, vt Filius habeat eamdem essentiam diuinam sub relatione recipientis, & filiationis, & hęc omnia proportionaliter dici debent de Patre, & Filio in ordine ad Spiritum S. quare in hoc negotio non est quid beatius, seu melius, seu perfectius dare, quam accipere, cum id, quod datur, necessario detur, & plenissime detur, & inter dantem, & recipientem sit perfectissima vnitas naturę datę, seu communicatę; quod non accidit in creaturis.

QVAEST. XLIII. D. Th.
De missione diuinarum personarum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum alicui personæ diuinæ conueniat mitti.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Alicui personæ conuenit mitti, & prout missio importat habitudinem missi ad mittentem; & prout importat habitudinem ad terminum missionis. Prima pars prob. Persona procedens ab aliquo secundùm originem, dicitur mitti ab eo, à quo procedit, vt patet de flore respectù arboris, sed diuinæ personæ conuenit ab alia procedere secundùm originem vt dictum est; ergo. 2. Pars prob. illi, qui incipit esse nouo modo in aliquo loco, conuenit mitti, prout missio dicit habitudinem ad terminũ; sed persona diuina est nouo modo in mundo, quàm priùs esset: Filius enim incipit esse in mundo per carnem assumptam, & tamen ante in mundo erat, vt dicitur Ioan. 1. ergo.

Arg. 1. Persona quæ mittitur est minor mittente; ergo. Resp. dist. Anteced. quæ mittitur, vel secundùm imperium, vt seruus à domino; vel secundùm consilium, vt Rex mittitur à consiliario ad bellum. Consilians enim est sapientior, & imperans maior persona missa, & in hoc sensu conc. secundùm processionem originis, vt est missio in diuinis negatur,

Arg. 2. Omne quòd mittitur, separatur à mittente, ex Hyeron. super Ezech. ergo. Resp. dist. Anteced. quòd sic mittitur vt incipiat esse, vbi priùs nullo modo erat, conced. non autem sic accidit in missione diuinæ personæ, quæ sicut non incipit esse vbi priùs non erat, ita nec desinit esse, vbi fuerat.

Arg. 3. Quicumque mittitur ab aliquo loco discedit, & ad aliquem locũ de nouo vadit; ergo. Resp. Anteced. esse verum de missione, quę fit secundùm motum localem, quæ non habet locum in diuinis.

DISPVTATIO CCXXV.

Quid sit missio, & quibus personis conueniat.

Mitti diuinas personas frequentissimè in Scriptura legitur, vt Ioan. 8. Testimonium perhibet, qui misit me Pater. *Ioan. 10.* quem Pater sanctificauit, & misit in mundum. *Et de Spiritu S. dicitur Ioan. 14.* quem mittet Pater in nomine meo, *& Io. 16.* Si non abiero paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos. *Et sic constat, istas duas personas Filij, & Spiritus S. ad creaturas mitti, siuè missio ipsa visibilem effectum, & manifestationem habeat, sicut cum Filius missus est ad incarnandum, siue inuisibilem, sicut cùm mittitur ad sanctificandum animam, de quo dicemus postea.* Solus Pater, *vt dicit Aug. 2. de Trinit. cap. 5.* nunquam legitur missus. 1572 Missio diuinarum personarum frequentissimè legitur in Scriptura.

Vt autem explicemus quid sit ista missio, & quibus personis conueniat, notandum est, missionem in communi loquendo significare processionem seu egressionem ab aliquo cum destinatione ad aliquem effectum, vel ad aliquam locum de nouo, ad id enim, quod ante iam aliquis faciebat, vel vbi iam erat, non dicitur mitti; sicut Legatus, vel Procurator dicitur mitti à Principe ad aliquem locum cum potestate, vel commissione, & nuntius dicitur mitti cum litteris ad alium. Quid significet missio in communi.

Vnde ad missionem concurrunt quatuor, scil. persona mittens, seu destinans, persona missa, terminus ad quem de nouo mittitur, egressio, seu processio eius, qui mittitur ad suam functionem. Potest autem dupliciter fieri ista missio, seu egressio ex parte personæ mittentis. Vno modo per imperium, quando scil. persona missa monetur ad aliquid, & procedit vt subiecta, & inferior, sicut cum seruus ad aliquid faciendum, vel alicubi exi- 1573 Ad missionẽ concurrunt quatuor. Persona mittens, missa, terminus, & egressio.

cubi exi-

cubi existendum mittitur. Secundo modo datur missio per modum puræ egressionis, seu originis sine imperio, sicut radius emittitur à sole, fluuius à fonte, & sic missio, seu emissio est emanatio ad aliquem terminum, vbi de nouo res ponitur, vel operatur.

Quid principaliter importet missio, habitudinem originis, an noui effectus existendi in termino.

Cùm ergo missio importet istas duas habitudines, & origines ad mittentem, & connotationis noui effectus, seu noui modi existendi respectu termini, ad quem mittitur, meritò quæritur, quid principaliter, & formaliter importet missio, an ipsam processionem, & originem à persona mittente, quæ in se æterna est, an functionem sui muneris, & effectum ipsum, qui temporaliter fit, & pro quo ex his supponat missio? ex quo dependent aliæ quæstiones, quæ ex resolutione huius dissoluentur, videlicet an missio sit formaliter aliquid notionale in Deo, quia si dicit positionem nouam effectus, pertinet ad virtutem efficiendi illum, quæ aliquid essentiale est; si verò dicit egressionem, vel originem à mittente, aliquid notionale est. Similiter an eadem persona possit mittere se, an solum eam, quæ procedit à se, & an solum Trinitas mittat personas, vel vna persona aliam: effectus enim missionis sunt toti Trinitati communes, & præsens quæstio procedit quo ad rē.

1574 Prima sententia asserit, supponere principaliter pro causatione in tempore.

Duæ sunt in hac parte sententiæ. Prima dicit, missionem supponere pro ipsa causatione effectus, quæ temporalis est. Hæc tribuitur Magistro in 1. dist. 15. & ibid. Bonauent. Scoto, & Alij, & idem sentire videtur ibidem D. Th. q. 1. art. 2. approbans opinionem, quæ dicit consistere missionem, non in aliquo notionali sed essentiali & hoc, *inquit,* mihi verius videtur, considerata virtute vocabuli: missio enim secundùm rationem sui nominis non dicit exitum ab aliquo, sicut à principio, à quo missio esse habeat, sed solum in ordine ad effectum missionis ponitur authoritas alicuius ad missum. *Et in 1. ad Anibal. dist. 15. q. vnica art. 2. Alij, inqui,* dicunt, quòd missio principaliùs significat, quod essentiale est, & hoc videtur verius: *ponitque eamdem rationem, quam ex alio loco citauimus. Si ergo principaliùs importat missio noui effectus designationem, & hic procedit, non ab origine personarum, sed ab omnipotentia Dei, & inquantum vnus est: non ergo potest consistere formaliter in origine personæ, & de connotato in effectu, sed positio effectu illius est formaliter ipsa missio.*

1575 Fundamentũ huius sententiæ.

Fundamentum huius sententiæ sumitur ex duobus. Primum ex eo, quòd insinuatur locis cit. à D. Th quia missio non importat exitum ab alio secundum originē, & productionem sui in esse: nec enim dicitur mitti aliquid per hoc, quod producatur, & fiat, sed res, quæ mittitur, præsupponitur esse, & existere in se, & cum existens est, mittitur, vt patet, cùm mittitur seruus à suo Domino: per talem enim missionem non producitur, sed productus supponitur, & ad aliquod ministerium destinatur: sed per originem diuinam personæ procedentes exeunt à suo principio, quoad esse suum, quod eis communicatur: ergo talis exitus, & origo non est egressio missionis; neque missio potest supponere pro tali actu, qui sit origo secundùm productionem, & esse.

Confirmatur.

Conf. quia missio simpliciter est temporalis, & supponit pro aliquo temporali, iuxta illud Galat. 4. Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum; *&c. sed exitus, & origo notionalis personarum est æterna; ergo missio non supponit pro tali egressione. Conf. 2. quia origines, & processiones notionales in Deo sunt etiam naturales, & secundùm actus naturales, & necessarios ad intra: at verò missio est processio, seu egressio ab aliquo morali, & morali modi facta, id est secundùm destinationem ad aliquod ministerium, quod fit vel rogando, vel consulendo, vel inducendo, aut imperando ad modum, quo legati, vel nuncij mittuntur; vnde dicitur Abdiæ 1.* Auditum audiuimus à Domino, & legatum ad genus misit, *vbi Glossa per legatum intelligit Christum Dominum, qui mittitur: legatio autem non destinatur per actum naturalem, & productionem originis, sed per moralem actionem, & influxum sit destinantem.*

1576 Huic fundamento cum sua Confirm. Respondebitur sequenti dubio.

Et multò minùs seruit ad missionem origo, seu exitus notionalis personarum à suo principio, quia per istam originem personæ manent intra mittentem, nec exeunt extra illum: Filius enim in Patre manet, de ratione autem missionis est, quòd exeat, & sequatur à mittente, vt ex D. Hieronym. affert D. Th. in 1. ad Anib. d. 15. q. 1. art. 1. ad 1. nam Hieronymus super c. 16. Ezechielis ad illa verba, Conuertam restituens ea, *sic inquit,* quòd coniunctum est, & in vno corpore copulatum mitti non potest: *ergo processio illa, quæ productū ponit intra mittentem, nequaquam seruit pro vera, & propria missione, sed sola manifestatio effectus, qui de nouo fit ratione cuius mitti dicuntur personæ, quæ per eos manifestantur.*

DVBIVM VNICVM.

An missio secundum re principaliter, & in recto supponat pro origine personarum; An vero pro effectu temporali.

1577 *Cōclusio. missio principaliter supponit pro ipsa origine personarum.*

HAEC sententia à nobis tenenda est quòd missio dicit, & supponit pro ipsa origine personarum non quatenus sistit in personis originatis, & productis in se, sed quatenus extenditur ad temporalem personarum manifestationem, & communicationem in creatura rationali qui est nouus effectus, & modus essendi in creaturis, & hic effectus est quidem factus communiter à tota Trinitate, sed est conditio, & connotatio quædam requisita, vt processio illa diuinæ personæ sit missio, sicut connotatio effectus creati est conditio requisita, vt actus voluntatis diuinæ dicatur liber, qui in se entitatiuè necessarius est.

1578 *Hæc Conclusio est D. Th. qui satis clarè ponit missionem in processione æterna connotante effectum temporalem.*

Hæc Concl. est D. Th. hic art. 2. præsertim solut. ad 3. docet enim S. Th. quod missio importat habitudinem ad principium in ordine ad terminū temporalem, generatio autem, & processio important habitudinem ad principium in ordine ad terminum æternum, quatenus procedunt intra Deū. Et addit solut. ad 2, quod *missio includit processionem æternam, & aliquid addit, scil: temporalem effectum; habitudo enim diuinæ personæ ad suum principium non est, nisi ab æterno. Vndè gemina dicitur processio, æterna scil. & temporalis, non propter hoc, quod habitudo ad principium geminetur, sed geminatio est ex parte termini temporalis, & æterni.* Ita D. Th. vbi satis clarè in ipsa processione æterna cum connotatione ad effectū temporalē ponit missionē, secūdùm rē ita quòd eadē origo est processio, & missio, sed ex parte termini est diuersa, quia prout æterna, sistit in emanatione personæ, prout missio extenditur ad manifestationem temporalem. Eadem ratione docet art. 4. Patrem non mitti, quia non importat originem ab alio, sicut Filius, & Spiritus S. licet etiam faciat effectum temporalem, quem connotat missio aliarum personarum, scil. gratiam. Idem significat art. 8. dicens, *quòd non quælibet persona mittit, sed ea, à qua est processio.*

1579 *Ratio Concl. quia ex Sac. Scrip. missio dicit habitudinem ad mittentem.*

Ratio denique pro hac parte suffragatur, quia ex scriptura constat dari missionem personarum diuinarum, quæ missio non potest intelligi sine habitudine ad mittentē, à quo exit res missa, & habitudinem ad terminum, quò mittitur, & destinatur, vt de nouo ibi sit, vel aliquid faciat. Rursus ista missio, seu exitus à mittente non potest esse, nisi vel moralis, & per moralem aliquem influxum, aut distinctionem, vel per physicam, & naturalem egressionem missi à mittente. Sed personæ diuinæ non potest intelligi, quod egrediantur per moralem destinationem, & influxum: ergo per naturalem originem. Min. prob. nam moralis destinatio & emissio, vel est per imperium, sicut mittuntur inferiores, & Angeli dicuntur à Deo mitti, & hæc missio non cōuenit personis diuinis, cùm inferiores non sint. Vel, est per orationem, & preces, sicut mittitur æqualis vel superior, & hæc etiam non conuenit personis diuinis, quia vna persona non orat ad aliam, neque rogat, quia rogare indigentis est. Et cum

1580 *Hæc missio si fit per orationes, & preces, & hæc non cō-*

uenis personis.

Christus dicit, *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis*, de assumptæ carnis ministerio loquitur. Vel denique potest esse moralis missio per inductionem, aut suasionem, vel communicationé alicuius auctoritatis. Et hoc non conuenit personis diuinis, quia non possunt induci, aut suaderi: vt enim argumentatur Aug. 2. de Trinit. cap. 5. *Quomodo misit Deus Filium suum? iussit vt veniret, an rogauit, an tantummodo admonuit? sed quodlibet horum sit, verbo vtique factum est. Dei autem verbum ipse est Dei Filius.*

Motio moralis fit per propositionem obiecti, quòd locum non habet in missione personarum

Quare nulla moralis motio missionem hanc efficit, talis n. motio fit per propositionem obiecti, & repræsentationem, qua aliquid, tanquam conueniens proponitur, vt aliter moueatur, quod etiam in personis diuinis locum non habet, cum ex noua propositione obiecti persuaderi non possunt, & consequenter neque ex vi moralis persuasionis mitti; & multò minùs per commissionem alicuius auctoritatis, quia personæ diuinæ non sunt capaces auctoritatis commissæ, qui supremam, & eandem habent auctoritatem, sed solùm possunt eam habere communicatam, sed hæc communicatio est per naturalem, & notionalem originem.

1581 *Instabis.*

Nec obstat, quód nos oramus Deum, & morali modo eum inducimus ad subueniendum nobis. Nam, vt S. Thom. dicit 2. 2. qu. 83. art. 2. ad 1. & 2. *Non est necessarium, nos Deo preces porrigere, vt ei nostras indigentias, vel desideria manifestemus, sed vt nos ipsi consideremus in his ad diuinum auxilium esse recurrendum. Nec oratio nostra ordinatur ad immutationem diuinæ dispositionis, sed vt obtineatur nostris precibus, quod Deus disposuit.* Tales autem preces non habẽt locum in diuinis personis, quę eadem auctoritate, dispositione, intelligentia, & prouidentia vtuntur.

Resp. non esse necessarium nos Deo preces porrigere, vt nostræ indigentiæ subueniat.

1583 *Confirm. Concl. si missio non supponeret pro origine, Pater diceretur mitti.*

Confirm. quia si missio non supponeret pro origine, seu exitu à mittente, sed tantum pro manifestatione personæ in aliquo effectu, non esset ratio, cur Pater non diceretur mitti, quod negat August. 2. de Trinit. cap. 5. Si quidem Pater etiam manifestatur, & cognoscitur in aliquo effectu de nouo, in quo aliæ personæ manifestantur: solùm autem non dicitur mitti ex eo, quód non habet originé ab alio, sicut ipse August. dicit 4. de Trinit. cap. 20. *Pater cum in tempore à quoquam cognoscitur, non dicitur missus: non enim habet, de quo sit, aut ex quo procedat.* ergo processio ab aliquo est de ratione missionis. Moralis est exclusa, ergo naturalis requiritur.

Resp. Ad Fundamentum oppositæ sentent. supra in disp. num. allatum ex D. Thom.

Ex quo soluuntur fundamenta oppositę sententiæ. Ad 1. dicimus, quód D. Thom. statuit in illis locis missionem secundùm denominationem, quá habet ex termino, *ad quem*: inde enim accipit denominationem missionis temporalis ipsa processio, seu origo personæ nam vt dicit in hac qu. art. 2. *Ea quæ important originem secundùm habitudinem ad principium possunt determinare processionis terminum, & aliquando determinant terminum æternum sicut,* ly generatio; & ly processio, *aliquando temporalem vt missio.* Sic ergo missio considerata secundùm se, & secundùm id, quod dicit directè est processio notionalis; secundùm denominationem autem, qua denominatur missio, sic dicit effectum temporalem, seu terminum, qui vtique aliquid absolutum importat, scilicet effectionem Dei ad extra.

1584 *D. Th. absolutè non dixit, quòd missio consistat in aliquo essentiali, & non notionali.*

Vnde S. Thom. dist. illa 15. c. t. in arg. non dixit, quód missio absolutè, & simpliciter consistit in aliquo essentiali, & non in notionali, sed dixit, quód *Missio considerata virtute vocabuli, videtur importare aliquid essentiale, scilicet productionem effectus*; eo quod missio non dicit processionem ad esse, sistendo in hoc, & sumendo denominationem missionis ex hoc solùm, quod sit processio quoad esse: hoc enim est considerare processionem secundùm habitudinem ad terminum æternum, sed ex eo, quod ista processio connotat terminum temporalem, quem connotat, & ad quem ordinatur ipsa processio, vt in eo manifestetur, sic denominationem accipit missionis. Et sic considerauit illam, in illis locis ex 2. sent. explicatius tamen in hac quæst. eam considerauit secundum principalem, & essentialem rationem, vt dixit Caiet. secundùm id, quod est de prima intentione missionis, scilicet secundùm habitudinem ad mittentem, à quo exit, quod pertinet ad originem, connotando tamen effectum temporalem, vndè accipit denominationem.

1584 *Resp. Ad Fundamentum ex ratione petitu in disp.*

Ad primum fundamentum ex ratione. Resp. quod missio non est productio in esse ipsius rei missæ, quasi sistendo in ipso esse, vt in termino missionis, quem connotat, & a quo fit denominatio; bene tamen potest missio esse productio rei missæ cum connotatione, & extensione ad terminum temporalem extrinsecum, in quo manifestatur. Et licet in rebus creatis non detur talis missio, quia Deus non mittit creaturam, nisi per imperium, & secundùm influxum, & destinationem, seu egressionem moralem, quæ supponit productionem physicam; vndè neque Angeli ipsa creatione dicuntur mitti, sed postquam creati sunt.

1485 *In diuinis vbi non potest esse missio per imperium, oportet recurrere ad processioné.*

Tamen in diuinis vbi non potest esse missio per imperium, aut alium moralem influxum, oportet recurrere ad personarum processionem, & originem, quæ sua infinitate, & perfectione etiam missionem complectitur, prout extendi potest ad terminum temporalem, quem connotat pro sua manifestatione, sicut terminum æternum respicit, pro sui emanatione, nec tamen specificatur missio ab illo termino temporali, quia secundarium quid est, & illum connotat, vt effectum, sine quo denominatio missionis non est: sicut actus liber in Deo est ipsemet actus necessarius voluntatis, prout liberè ad creaturam extenditur, habetque illam nó pro obiecto specificatiuo sui, etiam vt liber est, sed pro connotato, & effectu, requisito tamen ad denominationem actus, vt liber dicatur.

1585 *Ad 1. Confirm. in disp. Resp. denominationem missionis esse simpliciter temporalem, vt seq. disp. ostenditur.*

Ad 1. Confirm. Respond. missionem esse simpliciter temporalem, sicut productio, & creatio Dei dicuntur esse in tempore, quia denominatio fit ab actione cum termino producto, non sine illo, sic missio, quia temporalem terminum habet, ab illo denominatur temporalis, licet in se sit ipsa notionalis, & æterna processio; & sic cum dicitur, quod origo illa est ęterna, distinguo, entitatiué concedo, terminatiue, respectu termini secundarij, nego. Eadem enim processio, quæ est æterna in se, & respectu termini primarij procedentis in esse, est ad terminum temporalem secundum quandam extensionem, & connotationem, & ab eo denominatur missio temporalis respectu cuius denominationis effectus temporalis est formale significatum, processio secundarium quoad rem vero è contrą.

1586 *Ad 2. Confirm. in disp. Resp. processiones diuinas esse naturales sec undùm se, non verò re pe ctu termini connotati.*

Ad 2. Conf. Resp. processiones diuinas esse naturales in se, & respectu termini producti ab æterno, non respectu termini connotati in tempore, & liberè facti: nam respectu eius solùm respiciunt manifestationem sui, quæ per liberos effectus fit, & hunc terminum connotat illa processio, vt missio sit. Nec requiritur, quod missio fiat formaliter per influxum, & destinationem moralem, sed sufficit, quod sit per naturalem emanationem, dummodo terminetur ad effectum temporalem liberè factum, vt in illo fiat manifestatio processionis ęternæ. Missio autem creaturarum morali modo fit, quia per imperium, aut inductionem, seu consultationé, & sic mittitur seruus, vel legatus, aut nuncius. Illud autem Abdiæ *legatum misit ad gentes*, vel intelligitur de missione ipsiusmet Prophetæ, vel si intelligitur de missione Christi, intelligi debet de missione ipsius, inquantum homo: sic enim missus est à totá Trinitate per modum præcepti, & imperij, & potest habere rationem Legati, seu Nuncij, vndé dicitur magni Concilij Angelus, id est nuncius, missio autem ipsius Filij, vt fieret homo, non est per imperium, sed per processionem, cum connotatione effectus manifestantis ipsum.

1587 *Instabis.*

Et cùm dicitur, quod processio est ad intrá, & missio ad extra. Resp. hoc esse ratione diuersorum terminorum: dicitur enim esse ad intrá secundùm

se, &

se,& vt attingit terminum æternum, ad extra verò prout extenditur,& connotat terminum temporalem, in quo manifestatur, sicut ratione primi termini est æterna, ratione secundi temporalis. Ad auctoritatem Hieronymi respondet D.Thom. illo eodē loco, quòd loquitur de missione rei creatæ, & inferioris, quæ habet annexam hanc imperfectionem, vt separetur à suo mittente; diuinæ autem personę per missionem non separantur à mittente, sed manifestantur ad extra.

1588 *1. Corollarium solæ personę procedentes dicuntur mitti in diuinis, quia in effectu ad extra sit manifestantur.*

Ex his colligitur primò, quæ personæ dicantur mitti in diuinis; nimirum solæ personæ procedentes dicuntur mitti, quando manifestantur in aliquo opere ad extra, Pater vero nō dicitur mitti,& si manifestetur etiam ad extra, & se ipsum det, aut veniat ad inhabitandum in anima cum alijs personis. Ratio est, quia licèt ille effectus ad extra, in quo fit manifestatio, aut communicatio personarum ad creaturas, fit communiter ab omnibus personis, tamen in illo manifestantur quædam personæ, vt procedētes, persona vero Patris, vt à nullo; ergo personæ procedentes in illo effectu, & manifestatione se habent, vt missæ, id est, vt procedentes ad talem manifestationem, seu in illo effectu manifestatæ, vt procedentes, dicitur tamen illo gratiæ effectu Pater venire, & inhabitare in creatura, sicut aliæ personæ iuxta illud Ioan. 14. *Si quis diliget me, diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. non tamen per hoc dicitur Pater mitti, quia non manifestatur in illo effectu, vt procedens ab alio, sed aliæ personæ ab ipso; & sic non vt missus manifestatur, sed vt mittens, vt ex Aug. 4. de Trin. cap. 20. supra retulimus, & D. Th. affirmat hic a. 4.

2. Corollarium.

Colligitur 2. non posse vnam personam mittere se, licèt possit dare se, nec personas mitti à tota Trinitate, licèt Christus, vt homo dici possit missus à Spiritu S. & à tota Trinitate.

1589 *1. Pars prob. quia nulla persona procedit à se.*

Prima pars constat ex dictis, quia nulla persona procedit à se, ergo nec mittitur à se, quia missio exitū ab alio significat. Potest tamen missio inadæquatè sumpta, scil. pro sola productione effectus, in quo manifestatur missio, attribui ipsimet personæ missæ, ita quod dicatur mittere se ipsam, idest producere effectum, in quo ipsa missio, seu personæ communicatio manifestetur, quo sensu id admittit S.Th. in 1. ad Anib. dist. 15. qu. vnica art. 4. Quarè potest multò melius persona dare seipsam, etiam si non procedat ab alia, sicut Pater liberaliter se communicat creaturæ, vt fruatur se, sicut docet S.Th. hic art. 4. ad 1.

1590 *2. Pars prob. quia Christus vt homo, subiectus est Patri.*

Secunda pars prob. quia Christus, vt homo, subiectus est Patri,& inferior,& minor Patre, & minister eius, iuxta illud Rom. 15: *Dico enim, Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis*. Ergo potest mitti, vt minister per præceptum,& imperium,& sic à tota Trinitate mittitur, quia tota Trinitas ei imperat, vndè etiam secundum, quòd mitti dicitur à Spiritu S. à quo æternaliter non procedit iuxta illud Isai. 48. *Nunc autem misit me Dominus Deus, & Spiritus eius* quod de Christo quoad humanam naturam intelligit D.Th. hic art. 8. licèt etiam intelligi aliquo modo possit, quòd persona Filij mittitur à Spiritu S. vt fiat homo, sicut & è se, scil. relatione effectus connotati, qui a tota Trinitate factus est, id est ipsius Incarnationis, vt S.Th. ibi docet,& in 1. dist. 15. q. 3. art. 2. quę est missio sumpta pro eo, quod secundarium, & connotatum est in ea.

1591 *3. Corollarium. An missio supponat pro aliquo notionali, vel essentiali?*

Colligitur 3. quomodo missio dicatur,& pro quo supponat, an pro aliquo notionali, vel essentiali? de hoc enim D.Th. in sententiarijs loco supra cit. circa dist. 15. sentire videtur, quod de principali non significat aliquid notionale, id est ipsam processionem originis, qua vna persona procedit ab alia, sed aliquid essentiale, scil. productionem effectus, in quo manifestaretur, processionem autem notionalem significare ex consequenti. Sed tamen in hac q. artic. 1. simpliciter fatetur D Thom. missionem importare originem à mittente, saluat tamen art. 8. opinionem, quæ dicit personam mitti etiam ab ea, à qua non procedit, & consequenter non requirere, seu explicare rationem originis, quatenus missio sumi potest inadęquatè pro effectus productione, ad quē terminatur missio, vt ad personæ manifestatiuum.

1592 *Vtrum q. sentit S.Th. & quomodò?*

Et Caiet. dixit ibi, quòd D. Thom. saluat hanc opinionem considerando missionem, non secundum primariam rationem, seu intentionem, sed iuxta secundariam, quę explicat id, quod de connotato significat missio ex parte termini. Et sic D. Thom. explicauit in hoc, quo sensu illam opinionem sequutus fuerit in sententiarijs, quam etiam saluat hic, nempe loquendo de missione ex parte termini connotati, à quo sumit processio æterna denominationem missionis temporalis. Et in eodem sensu sequutus est in sententiarijs, quòd persona aliqua mittit se sumendo missionem pro effectu connotato producto,& ad missionem requisito, quæ connotatio licet sit talis respectu missionis secundùm rē; respectu missionis, qua ad denominationē, est principale significatum, vt infra,& supra dictum est.

ARTICVLVS SECVNDVS.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

Vtrum missio sit æterna, vel temporalis tantùm.

PRima Concl. missio,& datio dicuntur in diuinis temporaliter tantùm, nam sunt processiones, quę important terminum tantùm temporalem. 2. Concl. Generatio, & spiratio dicuntur in diuinis solùm ab ęterno. quia sunt processiones, quæ important tantùm terminos ęternos. 3. Concl. Processio,& exitus dicuntur in diuinis, & ęternaliter,& temporaliter. nam ea, quę dicuntur de aliqua diuinarum ab ęterno, & in tēpore dicuntur in diuinis temporaliter, & ęternaliter; sed filius ab æterno processit, vt sit Deus, in tempore, vt sit homo. ergo.

Arg. 1. eo mittitur filius, quò generatur ex Greg. hom. 26. in Euang. sed Generatio filij est ęterna. ergo. Resp. neg. conseq. nā D. Greg. loquitur de generatione temporali filij non à Patre, sed à matre.

Arg. 2. Cuicumque conuenit aliquid tēporaliter, illud mutatur. ergo. Resp. Antec. esse verum, quando, id, cui aliquid temporaliter conuenit, aliter se habet: at esse nouo modo in aliquo non conuenit diuinæ personæ, ex eo, quòd ipsa aliter se habeat; sed ex eo, quod aliter se habeat creatura, ideò &c.

Arg. 3. processio diuinarum personarum est ęterna. ergo,& earum missio; quia missio processionum importat. Resp. neg. conseq. & ad prob. dicitur, quod missio non solùm importat processionem à principio, sed determinat processionis terminum temporalem, vndè missio solùm est temporalis.

DISPVTATIO CCXXVI.

Vtrum missio sit æterna, vel temporalis tantum.

1593 Titulus explicatur

CVM in conceptu missionis duo necessariò includantur, vt constat ex dub. præced. nempe exitus, seu origo ab aliqua persona mittente, & nouus modus existendi personæ missæ in loco, ad quem mittitur, vel in persona, ad quam mittitur, & illud primum sit æternum, hoc verò secundum sit in tempore tantum, quærit consequenter D Th. an missio diuinæ personæ ad creaturas dici debeat æterna, an temporalis: & quid? in rei veritate facilè responderi potest cum distinctione, quòd scil. ratione primi requisiti sit ęterna, & ratione secundi sit temporalis, absolutè tamen docet D. Th. dici debere temporalem quo ad denominationem.

Conclusio. missio q[illegible] dicitur [illegible] [illegible] temporalis.

1594 Ratio, quia missio est nomen verbale importans actualem respectum ad terminum.

Et ratio est, quia missio, vt rectè aduertit idem D. Th. in 1. dist. 15. q. 4. art. 3. ad 3. est nomen verbale, importans actualem respectum ad terminum missionis, & veluti actuale exercitium, sicuti verbum mitti, quare æterna, & increata processio personæ, vt stat sub verbo missionis, solum se habet materialiter, & veluti res significata in actu primo, vt enim habet D. Th. ibid. ad 1. & hoc art. ad 1. per generationem æternam habet Filius, vt sit missibilis, non autem missus, respectus verò ad terminum missionis, & exercitium missionis, se habent vt forma, & vltimum determinatiuum missionis, à quo absolutè debet sumi denominatio.

1595 Ordo hic est temporalis, ac proinde missio denominari, & dici debet tẽporalis.

Cum ergo hic ordo sit temporalis, sicuti & exercitiũ missionis, hinc absolutè missio personæ diuinæ ad creaturas, dici debet temporalis, non autem æterna, licèt includat quoad denominationem aliquid æternum in suo materiali, quoad denominationem, nam quoad eam; ly æternum est principale significatum. ex quo etiam D. Th. loco cit. in 1. ad 3. docet, quod hoc nomen, donum, & donatio, in hoc differunt, quod donum non est nomen verbale, sed solum significat aptitudinem, vt donari possit, & ita Spiritus S. potest æternaliter conuenire hoc nomen, donum; at verò donatio, sicuti & missio sunt nomina verbalia, & ita non possunt conuenire personæ diuinæ in ordine ad creaturas, nisi in tempore, quod etiam, de hoc vocabulo, datio, notat D. Th. hic in Corp. quæ tota res, licèt quæstio possit esse de nomine; facilè apparere potest ex ipso modo loquendi, non enim dici potest Pater diuinus misisse Filium suum in hunc mundũ ab æterno, neque Filius ab æterno missus in hunc mundum, nisi secundum prædestinationem. Propterea dixi dub. præced. quod quoad denominationem est temporalis.

1596 Confirm. ex D. Paulo ad Galatas.

Vnde ad Gal. 4. dicitur: Cùm autem venit plenitudo temporis misit Deus Filium suum, &c. *& de missione Spiritus Sancti à Christo Domino promissa, dicitur Actor. 2.* cum complerentur dies Pentecostes, &c. *quare absolute secundum modum loquendi Patrum, & scripturæ missio personæ diuinæ ad creaturas, debet dici temporalis, non autem æterna, licet fuerit æterna quoad prædestinationem, & prædefinitionem in mente Dei, in quo sensu non loquimur, sed de re ipsa, & exercitio missionis quo ad denominationem lege aliam rationem apud D. Th. in 1. dis. 14. q. 1. ar. 1. ad 5.*

1597 Assignatur differentia inter hæc vocabula, Processio, exitus, generatio, spiratio, missio.

Ex occasione explicationis prædictæ doctrinæ ecce D. Th. in Corp. art. assignat differentiam inter hæc vocabula comparata ad personas diuinas productas, nempe processio, exitus, generatio, spiratio, missio, & datio, quæ omnia facilia sunt in textu, similiter rectè aduertit in respons. ad 2. quòd nouus ille modus existendi personæ missæ ad locum, vel terminum missionis, non importat mutationem in Deo vllam, sed solùm in creatura, vt certum est: item in fi. Corp. & respons. ad 1. mentio fit geminæ processionis, æternæ, & temporalis, de qua plura in 1. dist. 14. q. 1. art. 2. æternæ, per quam persona procedit ad intra, temporalis ad extra ad effectum missionis, item in fine Corp. fit mentio duplicis missionis Filij Dei, visibilis in humana natura, & inuisibilis in hominibus per gratiam, de quibus.

An Generatio Verbi ad intrà solitariè possit dici missio: Resp. neg.

Solum hic quæri posset primò, an processio ad intra solitariè considerata; v. g. generatio Verbi diuini dici possit missio ad intra, & consequenter æterna, & increata. Ad quod Resp. ex D. Th. hoc loco, & in 1. cit. non posse dici, sed omnem missionem temporaliter dici; & ratio est, quia missio in sui ratione dicit ordinem ad terminum missionis distinctũ realiter à persona missa, nihil enim mittitur ad se ipsum, cum ergo processio illa æterna non inuoluat vt sic ordinem ad terminum missionis distinctum realiter à persona procedente, non poterit dici missio, neque persona missa, licèt dici possit producta, vel genita, vel procedens, & exiens.

1598 Spiritus S. non potest dici missus à Patre in Filium.

Addit D. Th. loco cit. in 1. ad 2. quod quamuis possit aliquo modo concedi, quòd Spiritus S. procedat à Patre in Filium, cum sit amor Patris erga Filium, & contra, non tamen dici possit, quòd mittatur à Patre in Filium ab æterno ratione suæ processionis; nam licèt inter Filium, & Spiritum S. sit realis distinctio, & Filius dici possit aliquo modo terminus processionis Spiritus Sancti, vt obiectum amatum, non tamen hoc sufficit ad missionem, nam ad missionem requiritur, vt persona missa vel incipiat esse absolutè vbi non erat, vel nouo modo incipiat esse, vbi erat, neutrum autem horum competit processioni Spiritus Sancti in ordine ad Filium, vel in ordine ad Patrem, cum vna persona sit in alia ab æterno per necessariam, & immutabilem circumincessionem. Vndè vel ipse modus loquendi hanc rem indicat, si quis diceret, quod Spiritus S. per sui productionem missus est ad Filium consideratum secundum suam æternam existentiam; quomodo autem Spiritus S. missus sit ad Christum Dominum ratione humanitatis, dicetur infra.

Secundo quæri posset, an missio respectu diuinæ personæ missæ dicatur notionaliter, an essentialiter, de qua re D. Th. in 1. cit. dis. 15. q. 1. art. 2. responsio autem est, quod secundum aliquid dicitur notionaliter, secundum aliud verò essentialiter, quatenus enim dicit progressum originis vnius personæ ab alia, dicitur notionaliter, & est quid commune tam Filio, quàm Spiritui S. at verò secundum quod dicit aliquem effectum ad extra, dicitur essentialiter, non quia conueniat omnibus personis mitti, sed quia esse causam talis effectus, qui importatur per missionem, conuenit toti Sanctissimæ Trinitati licèt non denominetur missa, nisi vna, vel altera persona, ad quam significandam fit ille determinatus effectus, quomodo alibi dictum est, quòd opus Incarnationis Verbi fuit à tota Sanctissima Trinitate, licèt solum Verbum dicatur incarnatum; in hoc ergo sensu missio dicitur essentialiter ratione effectus connotati. 1599 Missio secundùm aliquid dicitur notionaliter, secundùm aliquid essentialiter.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum missio inuisibilis diuinæ personæ sit solùm secundùm donum gratiæ gratum facientis?

SVMMA ARTICVLI D. Th.

PRima. Conclusi affirm. Prob. secundùm illud tantùm dicitur mitti diuina persona inuisibiliter, quo potest nouo modo esse, & existere in creatura: sed persona diuina vltra tres modos generales per essentiam, præsentiam, & potentiam: non potest nouo modo esse in creatura rationalis; nisi sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante; secundùm quem modum etiam dicitur Deus habitare in templo suo; inquantùm creatura rationalis sua operatione cognoscendo, & amando attingit ipsum Deum: quod non fit nisi per gratiam gratum facientem. ergo. 2. Concl. non solùm datur in missione personæ donum gratiæ, sed etiã ipsa diuina persona. quia ipsamet Spiritus S. per gratiæ donum inhabitat hominem.

Arg. 1. Si missio esset tantùm secundùm donum gratiæ &c. sequeretur, quòd non daretur ipsa persona, sed tantùm donum eius, quòd est error. Resp. neg. conseq. quia in missione diuinæ personæ donatur gratia, & persona: gratia enim datur, non solum ad perficiendam creaturam rationalẽ vt liberè ipsa vtatur, sed vt ipsa persona fruatur.

Arg. 2. Ly secundùm importat habitudinem causalem; ergo gratiæ donum est causa, quod nobis mittatur persona. Resp. donum gratiæ esse dispositiuum animæ ad habendum diuinam personam; & ipsum donum gratiæ est ab ipso Spiritu Sancto in genere causæ efficientis.

Arg. 3. Cognitio personæ Filij potest etiã fieri per gratiam gratis datam .s. per fidem,

& per

& per scientiam : sed persona Filij dicitur mitti quando cognoscitur, ex August. 4. de Trinit. cap. 10. ergo. Resp. ad min. quòd licèt per aliquot effectus Filius cognosci possit à nobis ; non tamen per aliquos effectus nos inhabitat : sed tantùm per cognitionem, quæ est etiam cum amore.

Arg. 4. Missio, quæ fit ad operationem miraculorum, non fit secundùm donum gratiæ gratum facientis, sed gratis datæ ; ergo. Resp. verum esse anteced. de missione, quæ est tantùm ad operationem miraculorum, falsum verò, quando fiat etiam ad ostendendum gratiam gratum facientem.

DISPVTATIO CCXXVII.

An missio inuisibilis diuinæ personæ sit solùm secundùm donum gratiæ gratum facientis.

1601 Explicatur Titulus.

NON *quæritur, vtrum gratia gratum faciens, aut eius productio, siue infusio sit formaliter ipsa inuisibilis missio alicuius diuinæ personæ, quia illa est purus effectus creatus temporalis, æquè productus indiuisibiliter à tota Sanctissima Trinitate. Aliud enim est, vt acutè distinguitur ad 2.* Quod ipsum donum gratiæ est à Spiritu S. & hoc significatur, cum Rom. 5. dicitur, Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum aliud verò est, quod gratia gratum faciens disponit animam ad habendam diuinam personam, & significatur hoc, cùm dicitur, quod Spiritus S. datur secundùm donum gratiæ.

1602 Sensus quæsiti declaratur.

Itaque sensus quæsiti est, vt melius declaratur circa med. corporis. Vtrum nullus alius effectus possit esse ratio, quod diuina persona sit nouo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens. *Et quoniam hic effectus, & consequenter nouus essendi modus diuinæ personæ in creatura recipiente talem effectum, nullo sensu comprehensibilis est, inde factum est, vt eiusmodi missio dicta sit inuisibilis ad differentiam alterius missionis visibilis factæ, scil. in aliquo effectu, signo visibili, sensibiliter manifestatiuo personæ nouo modo venientis, atque præsentis ; vt missio Filij Dei in carne humana, missio Spiritus Sancti in specie Columbæ, & in alijs similibus.*

1603 1. Conclusio. simpliciter mitti dicitur diuina persona missione inuisibili in animam sanctificatam gratia gratum faciente.

Prima Conclus. sufficientissimè, & adæquatè, ac simpliciter mitti dicitur diuina persona missione inuisibili in animam sanctificatam gratia gratum faciente. Hoc apertè supponit S. Thom. hic, dum probat, quod nulla alio modo, nisi per hanc gratiam contingere potest missio inuisibilis, & nullus Theologus negat, & est in Scriptura, & Patribus adeò certum, & meritò scripserit S. Thom. hic arg. 1. Quod est error dicere Spiritum Sanctum non dari, sed eius dona : *quàm censuram in responsione ipse tacitè concedit, & posteriùs communiter approbarunt. Nam Roman. 5. expressè dicitur,* Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. *Distinguitur Charitas Dei ab ipsomet Deo Spiritu S. & tùm illa primò dicitur,* diffusa in cordibus nostris; *quàm ille supposita tali infusione, & sanctificatione, postea dicitur,* datus nobis. *Pleraque alia, & Scripturæ, & Patrum loca in hoc conueniunt, quæ breuitatis causa prætereo.*

1604 Ratio est, quia in tantùm persona procedēs mittitur, inquantùm incipit nouo modo esse in creatura.

Fundamentum Conclusionis sumitur ex ratione corporis articuli. In tantùm persona procedens mitti dicitur ab alia persona, à qua procedit, inquantum nouo modo incipit existere in aliqua creatura. In tantum *etiam quælibet persona diuina dari dicitur, inquantum nouo modo incipit haberi, & possideri ab aliqua creatura. Verumque autem horum est semper, ac simpliciter, & sufficienter secundùm gratiam gratum facientem. Nam præter communem modum, inquit S. Th.* Quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam, & præsentiam, est alius specialis modus, quo Deus dicitur esse in creatura rationali, sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Et quia cognoscēdo, & amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum secūdùm istum specialem modum, *Deus* non solùm dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea, sicut in templo suo.

1605 Connaturali iure amicitiæ per gratiam Deus non potest esse absēs ab anima.

Vbi nimirum strictissimè supernaturalis amicitiæ titulo, ac vinculo, ita cognoscitur, amatur, laudatur, honoratur, vt illius vi, ac ratione, vel quasi connaturali iure, *vt loquitur Suar. lib. 12. de Trinit. cap. 5. nu. 12. non possit esse absens, & non esse præsens, etiamsi per impossibile eius intima præsentia non esset alijs titulis necessaria, vt de facto est : sicut in materia de Incarnatione dici rectè solet de præsentia Verbi in assumpta humanitate vi, ac ratione ipsius creatæ vnionis hypostaticæ, etiam si per impossibile alij præsentiæ tituli deessent. Cùm hoc tamen discrimine, quòd vi vnionis habeatur præsentia ex connaturali necessitate: vi amicitiæ supernaturalis habeat eadem præsentia ex connaturali quadam congruentia. Donum autem, quod de hac noua datione, & missione, & præsentia dictum est, habetur in hac vita, maximè per gratiam, qua iustificati, & sanctificati sunt consortes diuinæ naturæ, & hæredes Dei, & cohæredes Christi.*

1606 Per eandem gratiam dicūtur personæ diuinę vniuersaliùs nobis dari.

Per eamdem quoque gratiam dicuntur personæ diuinæ vniuersaliùs nobis dari, & à nobis haberi. inquantum solæ creaturæ sanctificatę per gratiam habent potestatem fruendi diuinis personis. Enim verò, inquit S. Thom. Illud solùm habere dicimus, quo libere possumus vti, vel frui. *Quæ quidem specialius verificantur de Spiritu S. ita vt, & si Pater, & Filius inuisibiliter dentur, & habeantur, & Filius etiam inuisibiliter mittatur, tamen specialiori ratione inuisibiliter dari, & haberi, & mitti dicatur Spiritus S. inquantum gratiæ donum, ratione cuius persona diuina dari, & mitti dicitur, & appropriatur Spiritui S. Atque hoc significare videtur S. Thom. hic in fin. corp. dum particulariter de solo Spiritu S. ita concludit,* sed tamen in ipso dono gratiæ gratum facientis Spiritus S. habetur, & inhabitat hominem. Vndè ipsemet Spiritus Sanctus datur, & mittitur.

1607 2. Conclusio. persona simpliciter non datur, nisi secundùm gratiam gratum facientem.

2. Conclus. directè respondens titulo articuli. Diuina persona non dicitur simpliciter, & perfectè dari, ac mitti inuisibiliter, nisi solùm secundùm gratiam gratum facientem. Quamuis secundùm aliud quodcumque, siue habituale, siue actuale supernaturalis gratię donum, dici etiam possit dari, ac mitti, secundùm quid, & imperfecto quodam modo, siue vt loquitur S. Thom. ad 4. circa fin. Cùm aliqua determinatione, secundùm quod dicitur, quòd alicui datur Spiritus propheticus, vel miraculorum, inquantùm à Spiritu S. habet virtutem prophetandi, vel miracula faciendi. *Cum hac distinctione procedit S. Thom. ad 4. Quamuis in corp. simpliciter loquendo probet, quod diuinis personis conuenit dari, & mitti,* secundùm solam gratiā gratum facientem, *ita, quòd inquit,* nullus alius effectus potest esse ratio, quòd diuina persona sit nouo modo in rationali creatura, nisi gratia gratum faciens; *eamque distinctionem : omnes ferè sequuntur.*

1608 1. pars Conclus. prob. quia qui caret gratia gratum faciente non est amicus Dei.

Prima Conclusionis pars patet, applicando rationem pro prima Conclus. supra factam, quoniam qui caret gratia gratum faciente, non est amicus, sed inimicus Dei; ergo saltem simpliciter, ac perfectè non amat Deū, nec à Deo amatur, & conuenienter modo quodam mortuo, non viuo, ac perfecto, credit, ac cognoscit, Deum, & sperat, & mouetur in Deum : nec propterea dici potest templum viuum diuino cultui dicatum, in quo sit, & inhabitet Deus: nec homo à Deo auersus, & non faciens eius voluntatem, dici simpliciter potest, habere Deum, eoque liberè vti, vel frui. Iuxta hanc partem August. lib. 15. de Trinit. cap. 18. initio ait, quòd si non detur charitas, quamuis dentur per Spiritum Sanctum alia dona supernaturalia, Spiritus S. à sinistra non transfertur ad dexteram. *Et circa finem ita concludit,* Igitur per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus nostris Dei Charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas. *Et paulò post,* Charitas producitur ad Deū, & sine charitate quodlibet aliud Dei donum non perducit ad Deum : *ergo sine charitate, & gratia iustificante non habetur aliqua persona diuina, nec datur, nec mittitur.*

Secunda

1609 2. Pars prob. quia sine gratia gratum faciente haberi possunt multa alia gratuita.

Secunda pars Conclusionis patet, quia etiam sine gratia gratum faciente haberi possunt multa alia gratuita, & supernaturalia dona fidei, spei, prophetiæ, aliarumque virtutum supernaturalium, quæ non dantur, nisi ex speciali Spiritus Sancti gratia, ac beneuolentia, quibus etiam per intellectum, & voluntatem supernaturalibus cognitionibus, & pijs quibusdam affectibus in Deum aliquo modo tendimus, & mouemur: ergo secũdum quid, & quodammodo habent peccatores præsentē nouo quodam modo Spiritum Sanctum in ipsis inchoatiuè inhabitantem, eisque datum, & ad eos missum, in quibus etiam Deus tanquam in quodam informi templo colitur aliquo imperfecto modo supra autem quando diximus, nullo alio modo fieri missio, inuisibilis, quàm per gratiam, intelligi debet completè, & perfectè.

Dub. 1. An quos effectus connotet missio, & quomodo diuidatur in visibilem, & in inuisibilem?

Dub. 2. An missio inuisibilis simpliciter fiat per gratiam gratum facientem, & imperfectè in non habentibus illam. Et An solum quando sanctificatur homo, sed etiam quando proficit, fiat missio?

DVBIVM I.

Quos effectus connotet missio, & quomodo diuidatur in visibilem, & in inuisibilem?

1610 *Nota. Missio diuinarum personarũ non connotat solum effectum ordinis naturalis, quia per hunc solum manifestatur Deus inquantũ vnus*

SVpponendum est, tanquam certum, quod missio personarum non connotat solum effectum ordinis naturalis, & qui pertinet ad beneficium, & donum creationis. Ratio huius est, quia per creationem, & naturalium donorum largitionem manifestatur Deus, inquantum vnus, scil. eius bonitas, & sapientia, quia omnia opera ad extra procedunt à tota Trinitate per vnicam virtutem, & secundum eandem efficientiam, quæ accipiunt esse à Deo, nō verò manifestant ipsam Trinitatem personarum; ergo secundum talem processionem personę, non dicuntur mitti. Patet Conseq. quia missio personarum non ordinatur ad hoc, vt personæ nouo, & peculiari modo sint in creaturis, quo ante non erat. Hic autē nouus modus non consistit in hoc, quod personæ solùm producant, & dent esse ad extra efficienter, quodcumque illud sit: nam totum hoc pertinet ad existentiam earum in creaturis, vt sunt vnum per immensitatem, & operationem, quia cuicumque rei intimè assistit diuinitas, & personæ, prout sunt vnum in diuinitate dando illi esse. Et quia hoc fit per vnicam virtutem, & operationem, & vnicum attributum immensitatis, non per hoc personæ existunt in creaturis, vt distinctæ, nec speciali modo, quatenus plures, & distinctæ sunt, nec vt manifestatæ creaturis.

1611 *Confirm. ex D. Th. qui asserit missionem non attendi in exitu rerum à suo principio.*

Quare vt optimè S. Th. aduertit in 1. dist. 15. qu. 4. art. 1. processio diuinæ personæ, quæ dicitur missio, non attenditur in exitu rerum à suo principio, inquantum repræsentatur per similitudinem bonitas diuina in creatura, sed in reductione rationalis creaturæ in Deum intelligitur processio diuinę personæ, quę est missio, præsertim missio inuisibilis, inquantum propria relatio ipsius personæ diuinæ repræsentatur in anima per lumen aliquod receptũ, quod est exemplatum, & originatum ab ipsa Trinitate ad manifestandum se. Itaque effectus, quem connotat missio personæ, & quem requirit, vt in creaturam persona diuina mittatur, non est considerandus præcisè secundùm esse, in quo effectiuè procedit à Deo, & secundùm respectum ad Deum, vt ad causam efficientem: Sic enim sub hoc respectu non est necessaria missio personæ, sed operationis efficientia: omnis autem operatio effectiua ad extra procedit ab omnipotentia Dei, & ab essentiali eius virtute, vt vna, non autem secundùm distinctionem, & originem personarum secundùm, quod vna est alia notionaliter: hoc enim ad efficientiam, & ad omnipotentiam non spectat, solùm autem per omnipotentiam egreditur efficientia, & operatio.

1612 *Effectus, quem connotat missio, debet respicere Deum, vt finem fruendũ.*

Sed oportet considerare effectum, qui respiciat Deum, vt finem fruendum; & sic regrediatur ad ipsum in se, & in tali regressu ad Deum potiùs, quàm in egressu creaturæ, vel gratiæ à Deo attenditur cōmunicatio, & manifestatio personæ ipsi creaturæ rationali facta, & hæc est missio, quia in hoc est processio personæ, vt manifestata: nec enim manifestatur persona, nisi vt communicata, & fruenda: & sic gratia etiā, vt habens esse à Deo, & effectiuè manans ab ipso, non aliam communicationem, & manifestationem, seu modum existendi ipsius Dei petit, quam qui cōmunis est omnibus creaturis, quatenus Deus est in ipsamet gratia, tanquam in effecta a se, & cui præbet esse per operationem suam. Sed quatenus per gratiam conuertimur ad Deum, vt ad finem à nobis fruendum, sic respicit illum, vt finem sibi communicatum, vt est in se, & Deus est in anima speciali modo, scil. vt causa finalis fruenda, non solùm vt efficiens, & dans esse. Et hoc modo procedunt personæ vsque ad creaturas, quatenus eis manifestantur processiones illæ, & distinctio personarum, quę sine processionibus non est. Quomodo verò in missione visibili personarum inueniatur ista conuersio creaturæ rationalis ad personas, statim explicabitur.

1613 *1. Concl. missio ex parte effectus temporalis, quem connotat, rectè diuiditur in visibilem, & inuisibilem.*

His suppositis, dicendum est primò. Missio ex parte effectuum temporalium, quos connotat, rectè diuiditur in missionem visibilem, & inuisibilem. De vtraque agit S. Th. in hac quæst. & Theologi communiter in 1. dist. 15. dicitur missio visibilis processio alicuius personæ manifestantis per effectus visibiles, sicut in Incarnatione missus est Filius Dei, vt appareret in carne, & in missione Spiritus S. apparuit in specie Columbæ super Christum, quando baptizatus est, & in specie ignis super Apostolos in die Pentecostes. Missio inuisibilis est processio personæ ad sanctificandum creaturam rationalem per donum gratiæ inuisibilis. Et mediante hoc dono gratiæ, manifestantur ipsa persona procedens, & cōmunicatur, vt fruenda, & possidenda ab anima hic in spe, in Patria in re. Dari has duas missiones constat ex scriptura.

1614 *Prob. ex Sac. Scriptura. vtraque missio, visibilis, & inuisibilis.*

Nam de missione visibili per incarnationem cōstat, vt cum dicitur Ioan. 10. *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum.* Galat. 4. *Quando venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum.* De missione autem Spiritus S. Io. 14. dicitur, *Quem mittet Pater in nomine meo,* & Io. 15. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre,* &c. De missione inuisibili, quæ fit meus in corda dicitur Gal. 4. *Quoniam autē estis Filij, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra clamantem Abba Pater.* Et de ipsa genita sapientia dicitur Sapien. 9. *Mitte illam de Cælis Sanctis tuis, & à Sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret;* & vt inquit Aug. 4. de Trin. c. 20. *Tunc Filius inuisibiliter mittitur, cum à quoquam cognoscitur, atque percipitur.* Dicitur autem mitti, vt laboret, inquit ibi Aug. *id est, vt doceat me laborare, ne laborem: Labores enim eius virtutes sunt.* De missione autem Spiritus S. constat, quòd ad sanctificandū rationalem creaturam missus est, quatenus in illa missione induti sunt Apostoli virtute ex alto, sicut illis Dominus promisit Actor. 1. Itaque vt Aug. cit. loco inquit *per missionem inuisibilem gratia mittitur sapientia diuina, vt sit cum homine, per visibilem incarnationis missionem missa est sapientia, vt ipsa esset homo.*

1615 *2. Concl. Visibilis, & inuisibilis missio, in tribus conueniunt, & in alijs tribus differunt.*

Dico 2. duæ istæ missiones, scil. visibilis, & inuisibilis in tribus conueniunt, & in alijs tribus differunt. Conueniunt 1. in hoc, quod vtraque ordinatur ad manifestationem personæ diuinæ missæ, & processionis eius. Secundò, quod vtraque ordinatur ad cōmunicationem specialem personarum diuinarum in creatura, ad quam mittitur. Tertiò, quod vtraque ordinatur ad sanctificationem creaturæ rationali super quam conuertatur in suum finem. Differunt 1. quod missio visibilis fit in aliquo effectu sensibiliter exhibente, & repræsentante personam, siuè assumendo illam in vnitatem personæ substantialiter, vt in Incarnatione, siuè apparendo in illa, vt in

signo

signo talis personæ, & sanctificationis, quam facit, vt in Spiritu S. Missio autem inuisibilis, fit in aliquo effectu spirituali, & inuisibili, quo eleuatur creatura rationalis ad participationem ordinis diuini, & ad cognoscendum, & fruendum personis. Secundo, quod per missionem visibilem persona diuina venit in hunc mundum; per inuisibilem autem non venit in mundum, sed facit homines esse extra mundum, & ad æternitatem transfert. Tertio, quod in missione visibili mittitur vna persona, & manifestatur sine alia, in missione autem inuisibili nunquã vna sola persona mittitur, sed duæ procedentes, & Pater licet non mittatur, quia mitti non potest, venit tamen, & communicat se cum alijs ipsi animæ.

1616 *1. Pars de conuenientia vtriusq. missionis, declaratur.*

Prima pars huius Conclusionis de conuenientijs vtriusque missionis declaratur: Nam missio personarum, ideo specialiter conuenit personis, quia aliquid specialiter per hoc eis conuenit ad extra, quod non per communem operationem diuinitatis in creaturis; per efficientiam enim communem omnes personæ operantur, vt vnum, & sic non potest ibi intelligi, quod vna mittatur ab alia pro effectu illo faciendo, debet ergo vna mitti ab alia, quando in effectu aliquo manifestatur in missione visibili, quia in humanitate assumpta manifestata est persona Filij, quæ sola incarnata est, ex sequenti autem manifestatus est Pater, cuius Filius est, & Spiritus S. cuius virtute incarnatus. In missione autem inuisibili manifestantur personæ, quia cognoscuntur, & possidentur ad fruitionem sui, hic per fidem, postea per speciem. De secunda conuenientia constat, quia in incarnatione communicata est persona Filij humanæ naturæ, assumendo illam in vnitatem personæ, & communicando illi suammet subsistentiam. In missione autem inuisibili communicatur personæ, vt fruendæ, & possidendæ intus in corde, de quo to. 1. q 9. fusiùs, sicut dicitur Io. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, & 1. Petri 1. *Magna, & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ*, quæ est maxima communicatio.

Prima declaratur.

1617 *2. Conuenientia declaratur.*

1618 *3. Conuenientia constat nã missio visibilis ordinata est ad Redemptionem nostram, & missio inuisibilis ad sanctificationem nostram.*

De tertia conuenientia constat: nam missio visibilis Filij ordinata est ad redemptionem nostram, & sanctificationem iuxta illud Gal. 4. *misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Missio etiam visibilis Spiritus S ad sanctificandum Ecclesiam, & Apostolos ordinata est: nam, vt dicitur Act. 2. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ, tanquam ignis, sedit que supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu S.* quæ vtique repletio, sanctificatio fuit; promissa à Christo Act. 1. *Donec induamini virtute ex alto.* Missio autem inuisibilis tota est ad sanctificationem, quia solùm est per gratiam sanctificantem, vt postea dicetur, & constat, quia missio inuisibilis diuinæ sapientiæ dicitur esse, vt nobiscum sit, & nobiscum laboret Sapien. 9. & iterum de Spiritu S. Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*, & iterum ad Gal. 4. *Quoniam estis Filij, misit Deus Spiritum Filij sui in corda vestra.* Vnde rectè dixit D. Th. in hac qu. art. 7. quod Filius visibiliter missus est tanquam sanctificationis auctor, sed Spiritus Sanctus, tanquam sanctificationis indicium, quia videlicet apparuit in igne, & columba, vt ostenderet, se sanctificare eos, ad quos mittebatur.

1619 *2. Pars Concl. quo ad primã differentiam declaratur.*

Secunda pars Conclusionis etiam declaratur. Et quidem quoad primam differentiam satis manifesta est, cùm in hoc differant missio visibilis, & inuisibilis, quod effectus vnius appareat extra, sicut Christus Dominus est in carne sensibilis, & Spiritus S. in specie columbæ, & ignis, quod totum oculis patuit, quamuis de illo igne, an spiritu tantum visus sit, an etiam oculis carnis quæstionem esse posse August. dicat 2. de Trin. cap. 6. sed vt est, corporalis manifestatio illa fuit, etiamsi in imaginatione fuit. Missio autem inuisibilis per gratiam intus in corde fit, nec per externam percipitur apparentiam.

1620 *2. Differentia ponitur propter authoritatem August.*

Secunda differentia ponitur propter authoritatẽ Aug. 4. de Trin. c. 20. vbi inquit. *Cùm in carne manifestatus est Filius Dei, in hunc mundum missus est in plenitudine temporis factus ex femina. Cùm autẽ ex tempore cuiusquam profectus mente percipitur, mitti quidem dicitur, sed non in hunc mundum: neque enim sensibiliter apparet, id est corporeis sensibus præsto est. Quia & nos secundùm quòd mente aliquid æternum, quantum possumus, capimus, non in hoc mundo sumus. Et omnium iustorum Spiritus etiam adhuc in carne viuentium, inquantum diuina Sapiunt, non sunt in hoc mundo.* Quem locum adducit Mag. in 1. dist. 15. & optime id explicat S Th. ibid q 4. art. 3. non quod essentialiter, seu substantia iter anima ponatur extra mundum, cum in corpore sit, quod informat, sed per conformationem est extra mundũ, quia non conformatur affectus noster rebus mundanis, & caducis, sed iuxta, quod Apost. dicit ad Philip. 3 *Nostra conuersatio in Cælis est.* Sic ergo missio visibilis ad hoc ordinatur, vt id, quod diuinum est, in mundo sit, iuxta illud Ioan. 16 *Exiui à Patre, & veni in mundum.* Missio autem inuisibilis ordinatur ad hoc, vt noster affectus non sit de mundo, & tandem in plenitudine gloriæ etiam corporaliter sit supra mundum, iuxta quod subdit Christus ibid. *Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.*

Denique de tertia differentia constat, quòd per missionem visibilem vna persona est missa sine alia, quoad effectum visibilis manifestationis: Solus n. Filius visibilis apparuit, quando incarnatus est, & solus Spiritus S. in specie columbæ, & in igneis linguis apparuit, licet effectum ipsum incarnationis, & sanctificationis tota Trinitas operata sit. At verò in missione inuisibili, quæ fit per gratiam sanctificantem, non mittitur vna persona sine alia: tùm quia in habentibus gratiam omnes personæ simul inhabitant, non vna sine alia, iuxta illud Io. 14. *Si quis diligit me, diligetur a Patre meo, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; Sed inter has personas inhabitantes duæ sunt procedentes, ergo & missæ in tali inhabitatione. Patet Conseq. quia personæ, quæ procedunt, & in aliquo speciali effectu manifestantur, hoc ipso dicuntur missæ: tùm etiam, quia in habentibus gratiam dona Spiritus S. tam ad intellectum, quàm voluntatem pertinentia connexa sunt: omnes enim, qui sunt in gratia, habẽt omnia dona Spiritus S. vt docet S. Th. 1. 2. q. 68. art. 2. & 5.

1621 *3. Differentia constat, nam per missionem visibilem vna persona est missa sine alia; non verò in inuisibili.*

1622 *Inter dona Spiritus S. quædã pertinent ad intellectum, quędam ad voluntatem.*

Inter illa autem dona, quædam pertinent ad intellectum, vt donum intellectus, scientiæ, sapientiæ, consilij: alia ad voluntatem, vt fortitudinis, pietatis, timoris. Et quoad prima, attenditur missio Verbi, cuius processio est per intellectum; quoad secunda, missio Spiritus S, qui procedit per amorem. Vndè dicit D. Th. in hac quæst. art. 5. ad 3. quod *Communicant duæ missiones in radice gratiæ, sed distinguuntur in effectibus gratię, qui sunt illuminatio intellectus, & inflammatio affectus.* Et sic manifestum est, quod vna non potest esse sine alia, quia neutra est sine gratia gratum faciente, nec vna persona separatur ab alia. Idẽ docet in 1. dist. 15 q 4 a. 2. *Quia amor*, inquit, *Semper sequitur notitiam perfectam, secundùm quam est: & missio Filij semper inducit in amorem.* Et videndus est etiam in 1. Ad Anibal. dist. 15. q. vnica, artic. 5.

1624 *Instantia.*

Nec obstat, quòd aliquando videntur ista dona separari, & consequẽter missio personarum, quæ secundum illa fit. Separarantur quidem, nam dona pertinentia ad intellectum, abundant in quibusdam, in quibus non est gratia, vt sunt omnes gratiæ gratis datæ, vt prophetia, sermo scientiæ, interpretatio sermonum loqui linguis, &c. quæ sunt gratiæ gratis datæ; nec per se requirunt gratiam sanctificantem. In alijs e conuerso abundat gratia sanctificãs, & feruor Spiritus, & tamen sunt hebetes, & idiotæ, vt sic non respondet in ipsis missio Filio, quæ fit secundùm dona sapientiæ, & intellectus; vt enim dicit S. Thom. loco cit. ad Anibal. in argum. *Sed contra*, Filius præcipue mittitur, cùm sapientia datur; ergo

ergo vbi non datur sapientia, non datur missio Filij. Nec videtur posse dari istas missiones purè concomitanter, sed eo ordine, quo procedunt in diuinis istæ personæ, scilicet vt prius mittatur Filius, quàm Spiritus S. cum quo non stat, quod primum donum sit ipse amor, & Spiritus S. vt dicit S. Th. qu. 38. art. 1. Si prius mittitur Filius, & consequenter datur.

Resp. Dona gratis data, sine gratia sanctificante non sufficiunt ad missionem personæ diuinæ simpliciter.

Resp. neg. primum Antec. & ad prob. dico, quòd dona gratis data, quando sunt sine gratiæ sanctificante non sufficiunt ad missionem personæ diuinæ simpliciter loquendo, sed secundùm quid, quia, vt docet S. Thom. 1. dist. 15. q. 4. art. 1. ad 3. & art. 2. missio verbi fit ad hoc, vt Verbū possideatur, & habeatur ab homine, & in eo manifestetur. Verbum autem procedit ex cognitione ita perfectè, quod spirat amorem. Vnde tunc perfectè habetur, & mittitur, cùm manifestatur secundùm cognitionem inductiuam amoris, secundùm quem amorem coniungitur homo ipsi amato, quod solùm fit per gratiam sanctificantem. Vnde sine tali dono, propriè non mittitur Filius. Videatur etiam 2. 2 q. 8. a. 5. ad 3. vbi docet, quod *in Prophetis, qui nō sunt in gratia, non est illustratio mentis, quæ faciat rectam æstimationem de eleemosyna*, quod propriè pertinet ad dona Spiritus S. in intellectu.

Ad id vero, quod dicitur de idiotis, & hebetibus, qui non videntur habere missionem Filij, quæ fit secundùm sapientiam, licèt habeant gratiam.

Resp. quòd tales Idiotæ, & stulti quo ad mundum habent tamen scientiam Sanctorum, & prudentiam dirigendi vitam suam sine querela.

Resp. quod tales licèt videantur idiotæ, & stulti quo ad mundum, & quo ad scientiam acquisitam, tamen habent scientiam Sanctorum, & prudentiam dirigendi vitam suam sine quærela, & crimine, quod summæ prudentiæ, & magni consilij est, nec nisi à Dono Spiritus S. procedit; Vnde dicit S. Th. dist. 15. cit. q. 4. art. 2. ad 4. quod illa notio, ex qua procedit amor, viget in feruentibus diuino amore, quia scil. cognoscunt diuinam bonitatem, inquantum est, in eos profluens, largissimè sua beneficia, & talem notitiam perfectè non habent, qui amore ipsius non accenduntur. Videatur quoque S. Thom. 2. 2. q. 8. art. 4. vbi ostendit omnes, qui sunt in gratia, habere donum intellectûs: licet enim patiantur hebetudinē circa aliqua, quæ non sunt de necessitate salutis, tamen circa ea, quæ sunt de necessitate salutis sufficienter instruuntur à Spiritu S. secundùm illud 1. Io. 2. *Vnctio docet vos de omnibus*. Vndè & Apocal. 2. dicitur *Dabo illi calculum candidum* (donum clarum, seu candorem intellectus) *& in calculo nomen nouū, quod nemo scit, nisi qui accipit.*

1626
Ex parte dantis ipsum Donum primum, quo quis inclinatur ad dandum, est ipse amor.

Ad id, quod dicitur de ordine, quo fiunt istæ missiones, cùm primum donum sit amor, seu Spiritus S. Dico, quòd ex parte dantis primum donum, quo inclinatur quis ad dandum, est ipse amor, sed ex parte effectus circa primum quod infunditur recipienti, non est amor, sed notitia, qua cognoscat, vt amet. Ille enim, ad quem mittitur donum amoris non potest in amorem induci, nisi incipiat a notitia. Missio autem, & ordo eius magis attenditur secundùm connotationem effectuum, quàm secundum dantis inclinationem. Quę est solutio S. Thomæ in 1. dist. 15. cit. q. 4. art. 2. ad 2.

DVBIVM II.

An missio inuisibilis simpliciter fiat per gratiam gratum facientem, & imperfectè in non habentibus illam. Et An non solùm quando sanctificatur homo, sed etiam quando proficit, fiat missio?

1627
Conclusio missio Inuisibilis simpliciter attenditur secundùm dona gratiæ, imperfectè etiam in non habēte gratiā.

CONclusio missio inuisibilis simpliciter, & absolutè nō attenditur, nisi secundùm dona gratię, gratum facientis, licet secundùm quid, & imperfectè etiam in non habentibus gratiam possit missio inuisibilis attendi. Prima pars docetur clare à D. Th. in hac q. art. 3. vbi inquirit, *an missio inuisibilis fiat solùm secundum donum gratiæ gratum facientis*. Et resoluit, quod sic, & idem habet in 1. dist. 14. q. 2. art. 1. Vnde superfluit eius verba adducere, si specialem de hoc mouet quæstionem, & pro hac parte resoluit; & est communis sententia inter Theologos, & videri possunt Commentatores D. Thomæ super art. 3. huius quæst. ibi, Bañes, Zumel, Nolar. Torres, Molina, Vasquez, Suar. lib. 12. de Trin. a. 5. N. Patres Salmaticenses tractat. 6. de Trinitat. disputat. 19. dub. 4.

Fundamentum sumitur; tùm ex scriptura, & PP. tùm ex ratione D. Th. supposito, quòd missio importat exitum, seu processionem personæ ad existendū, vel manendum in creatura alio modo, quo antea non erat, missio enim ad aliquem terminum de nouo est, vbi antea non erat, vel non eo modo erat ille, qui mittitur: Deus autem cùm vbicumque sit per suam immensitatem, non potest mitti ad locū, vbi ante non erat, sed in omni loco existens, mitti dicitur ad nouo modo existendum, quo ante non erat in creatura: missio n. ad creaturā est, quia Deus ad extra se est: ad intrà enim non indiget mitti, cùm semper in se maneat. 1028
1. Partis fundamentum habetur ex sac. scriptura.

Hoc supposito constat ex scriptura, quod vbi non est gratia, & sanctitas; Deus non dicitur esse, sed abesse, quia quantumcumque alia dona, etiam supernaturalia in homine sint, quandiù non est gratia sanctificans, Deus est auersus, & longè ab homine: ergo non ad eum missus, nec in eo habitans. Min. prob. nam vt dicitur Prouerb. 15. *Longè est ab impijs Dominus*, & Ps. 118 *Longè à peccatoribus salus.* Sapien. 1. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Et iterum ibi, *Spiritus S. Disciplinę effugiet fictum*. Certum est ergo, quod vbi non est gratia sanctificans, Deus non est speciali modo existens, sed quasi elongatur, & abest non communicans illi animæ seipsum: ergo neque mittitur persona diuina ad existendum per specialem communicationem: nam non potest esse, quod fugiat ab aliquo, seu recedat, aut elongetur habendo illum pro termino *à quo*, secundùm specialem modum, & tamen mittatur, & accedat ad illum, vt ad terminum, *ad quem*, scil. manendo, & ibi communicando se speciali modo. 1629
Prob. ratione quia vbi Non est gratia, Deus non dicitur esse sed abesse

E contra verò, quando quis est amicus Dei, & in eius gratia per charitatem, & verum amorem, Deus manet & inhabitat ibi, tanquam cum amico, speciali modo ei communicans, & conuiuens illi: nam dicitur Io. 14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*; & 1. Io. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*: & Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Vnde Aug. 15. de Trin. c. 18. inquit, quod *Dantur alia munera per Spiritum Sanctum, sed sine charitate nihil possunt. Nisi ergo tantùm impertiatur, cuique Spiritus, vt eum Dei, & proximi faciat amatorem non transfertur ad dexteram, neque Spiritus propriè dicitur donum, nisi propter dilectionem*. Ex quibus auctoritatibus constat, quod nec sine gratia personæ mittuntur ad inhabitandum in anima, neque posita gratia stat non mitti personas, & inhabitare: solùm ergo per gratiam sanctificantem fit ista missio inuisibilis. 1630
Quando in Prima est gratia, ibi Deus speciali modo inhabitat.

Prob. 2. eadem pars ratione D. Thom. in hac qu. art. 3. quia personæ diuinæ dicuntur mitti ad creaturas secundùm specialem modum, quo sunt in eis, preter communem modum, quo sunt in omnibus per immensitatem suam, qui modus existendi fundatur in operatione; & efficientia, qua Deus immediatè dat omnibus esse, & vitam, & inspirationem, & omnia, *quia in ipso viuimus, & mouemur, & sumus*, vt dicitur Actor. 17. Preter hunc autem modum communem, quo Deus existit in omnibus, datur specialis modus, quo existit in creatura, habitando in ea, tanquam in templo, iuxta illud 1. ad Corin. 3. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus S. habitat in vobis*, quatenus videlicet Deus intus in corde colitur, & adoratur, tanquam vltimus finis per cognitionem, & amorem, seu fide, & operibus, sine quibus Deus interiùs non colitur, & rursus homo coniungitur Deo sibi fruendo à ..., & accipit potestatem, vt 1631
2. Probatur. quia personæ diuinæ dicuntur mitti ad creaturas secūdùm specialem modum, quo sunt in eis

libere

liberè fruatur diuina persona: *dedit enim potestatem, Filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius, qui non sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* ergo iste est specialis modus, quo Deus est in creatura rationali, sicut inhabitans in templo, vbi colitur, & sicut manen in creatura, & communicans se illi, vt fruendus.

Solùm per gratiam sanctificantem homo coniungitur cũ Deo, vt fini fruendo.

Hoc autem non habetur, nisi per gratiam sanctificantem, quia solum per illam homo coniungitur Deo, vt fini fruendo. & sic habet Deum inhabitantem in se, vt finis cui cõiungitur, & quẽ colit, tanquã fruendus ab eo: solùm enim, qui natus est ex Deo, hanc habet potestatem: ergo solùm per hunc modum intelligitur persona mitti ad existendum in creatura per hunc enim modum non solùm creatura exit à Deo effectiuè, & habet esse ab ipso, sed etiã conuertitur ad Deum, vt ad finem fruendum à se.

2. Pars Concl. prob. ex D. Th.

1632 Secunda pars Conclusionis, scil. quòd secundùm quid mittitur, aut datur Spiritus S. per alia dona supernaturalia, quæ non sunt gratia sanctificans, sumitur ex D. Th. in hac quæst. art. 3. ad 2. & 3. vbi fatetur, quòd *Filius licèt cognosci possit à nobis per aliquos effectus, vt per fidem, vel scientiam, non tamen per istos effectus nos inhabitat, vel habetur à nobis.* Et cum dicat Aug quòd tunc Filius mittitur, cum ex tempore mente percipitur, manifestum est, quòd si percipitur aliquo modo extra gratiam, etiam aliquo modo mittitur. Vnde addit D. Th. ibi ad 3. Quòd si gratia miraculorum daretur sine gratia sanctificante, non diceretur dari simpliciter Spiritus S. nisi forte cũ aliqua determinatione. Datur ergo secũdũ quid Spiritus S. licèt non simpliciter sine gratia, nec principaliter, vt dicit etiã in 1. d. 14. q. 2. a. 2 ad 1.

2. Prob. ratione quia per fidem & illuminationem, & auxilia disponitur homo ad hanc sãctificationem.

1633 Et ratio est, quia licèt per fidem, & illuminationẽ, & alia auxilia supernaturalia nondum dicatur Deus esse in nobis, & inhabitans, & vt dans potestatem fruendi ipso. hæc enim potestas solùm datur his, qui ita credunt, quod etiam ex eo nati sunt, est tamen vt mouens, & disponens ad hanc sanctificationem, & inhabitationem: ergo est iam ipsa sanctificatio, vt in fieri, & entitatiuè: ergo & inhabitatio. & missio personarum, quæ tunc mittuntur, quando sanctificamur; ergo tunc dicentur mitti inchoatiuè, & in fieri, seu secundùm quid, quando incipit nos mouere, & disponere ad hanc inhabitationem. Vndè sequitur, quod cum per naturales effectus, & beneficia, prout sunt purè ordinis naturæ, non moueamur, nec disponamur ad gratiam, etiam remotè, tanquã dispositione eiusdẽ ordinis manifestum est, quod ea etiam inchoatiuè non dicuntur mitti personæ.

1634 *Petes.*

Petes 1. *An non solùm quando prius sanctificatur homo, sed etiam quando proficit, fiat missio personarum?*

Resp. Non solùm quando primo sanctificatur homo, sed quoties proficit fit noua missio.

Resp. non solum quando primo sanctificatur homo, sed etiam postquam sanctificatus est, quoties de nouo proficit homo in aliquo nouo statu, seu augmento gratiæ, siuè extensiuo, siuè intensiuo, fit noua missio personarum ad animam, seu creaturam intellectualem. Ita sumitur ex D. Th. in hac q. a. 6. ad 3. & 4. Et in hac Concl. duo sunt certa. *Primum* est, missionem fieri etiam, postquam quis sanctificatus est superueniente nouo effectu, quatenus nouo modo aduenire dicuntur personæ, & mitti. Cõstat hoc, nam B. Virgo Sancta, & Sanctissima erat gratia plena, quando concepit Dei Filium, & tamen dixit illi Angelus, *Spiritus S. superueniet in te*, superuentio autem Spiritus S. sine missione eius non est. Vnde Apostoli mundi erant, & in gratia in nocte cænæ, & tamen dicebat Christus, quod *mitteret ad eos Spiritum veritatis Paraclitus, qui doceret eos omnem veritatem* Ioan. 15. & 16. & de facto sic fuit missus in die Pentecostes Act. 2 ergo datur noua missio, etiam post primam sanctificationem.

Duo sunt certa Primum constat ex B. Virgine.

Secundum ad missionem inuisibilem semper requiritur innouatio quædam, seu nouitas existendi.

1635 Secundum est, quod ad missionem inuisibilẽ personarum, non solum requiritur sanctificatio creaturæ rationalis, ratione cuius persona missa existat, & inhabitet in creatura, vt colenda, & fruenda ab ipsa, sed etiam requiritur innouatio quædã, seu nouitas existendi, eo quod missio semper est ad hoc, vt missus, vel sit, vbi antea non fuerat, si per talem missionem moueatur, vt res creatæ, vel si non moueatur ille, qui mittitur, quia vbique est, saltem moueatur, seu immutetur de nouo ille, ad quem mittitur: & sic nouo modo incipiat esse in eo, ad quem mittitur, saltem per mutationem termini, *ad quem*, fit non per mutationem ipsius missi. Et hoc commune est etiã missioni visibili, sicut in incarnatione non fuit missus filius per mutationem sui, sed per mutationem creaturæ, ad quam missus est, ad missionẽ .n. aliqua innouatio, seu nouitas in modo existendi requiritur, vt benè S. Th aduertit in hac. qu. art. 6. Si enim nulla nouitas est, sed supponitur. persona illic esse, & supponitur eodem modo esse, sicut antea, non potest intelligi, quod mittatur; ad id .n., quod iam habetur, & tali modo habetur, ita vt nihil restet de nouo, quomodo missio intelligi potest: cũ missio in rebus creatis sit motus ipsius missi ad aliquem terminus; motus autem essentia iter tendit ad terminum non habitum de facto, sed ad quem est in via, & in quo nondũ quiescit, in rebus autẽ diuinis missio fit per motum non ipsiusmet missi, sed eius, ad quem est missio, vt ratione huius nouitatis dicatur nouo modo esse is, qui mittitur in tali re.

Difficultas, quando, & quomodo intelligatur in creatura talis nouus modus proficiẽdi.

Difficultas esse potest, quãdo, aut quomodo intelligatur in creatura talis nouus modus proficiendi in ipsa sãctificatione, siue intensiuè, siuè extẽsiuè, quod ratione illius persona de nouo detur, & mittatur. 1637

Resp. fieri missionem secundùm augmentum virtutis, tãm intensiuũ quam extensiuum.

Dicimus ergo cum D. Th. art. 6. et ad 2. quod in hac vita fit missio inuisibilis, etiam secundùm profectum virtutis, aut augmentum gratiæ. Dicit .n. Aug. 4 de Trin. c. 20. quod *Tunc cuiquam mittitur Filius, cum à quoquam cognoscitur, atque percipitur quãtum cognosci, & percipi potest pro captu, vel proficiẽtis animæ in Deum, vel perfectæ animæ rationalis in Deũ.* Vbi indifferenter, & absolutè loquitur D. Th. & D. Aug. de quocumque profectu, & augmento gratiæ, tam intensiuo, quam extensiuo. Subdit autem S. D. quod *Secundũ illud augmentum gratiæ præcipuè missio inuisibilis attenditur, quando aliquis proficit in aliquẽ nouum actum, vel nouum statum gratiæ, vt puta cum proficit in gratia miraculorum, aut prophetiæ, vel in hoc, quòd ex feruore charitatis exponit se martyrio, aut abrenunciat his, quę possidet, aut quodcumque opus arduum aggreditur.* Ita D. Th. vbi secundum hæc dicit præcipue attendi visionem inuisibilem, insinuans ex hoc, quod etiam secundum minutiora augmẽta attenditur missio, sed non ita præcipuè.

Ratio. Nam ex scriptura constat, mitti de nouo Spiritũ S. ad eos, qui iam erant Sanctificati.

Ratio autẽ est, quia ex scriptura constat, mitti de nouo Spiritũ S. ad eos, qui iam significati supponũtur: ergo fit missio ratione noui augmenti, quod vel esse potest intensiuum, vt cum in eadem gratia fit aliquis perfectior, & radicatior, vel extẽsiuum, vt cũ ad nouum aliquod munus, vel statum, aut gratiam gratis datã assumitur, vt cum accipit prophætiam, aut donum miraculorum, supponendo quòd est in gratia. Eadem autem ratio currit de quocumq; augmento gratiæ, quia ibi concurrunt omnes conditiones ad missionem requisitæ. Nam supponitur, hominem esse in gratia, & accipit augmentum in ea, ratione cuius ipsa persona nouo, & perfectiori modo se tradit fruendam, & sui perceptionem, atque copiam facit maiorem, suique amorem feruentiùs excitat; ergo nouo modo se manifestat, aut communicat, vel transfert in animam: ergo mittitur, quia ad missionẽ sufficit, quod aliqua persona detur ab alia secundũ nouũ modũ existendi, & communicandi se creaturæ, quod totũ inuenitur vbicumq; nouo augmento gratię proficit anima. Præsertim vero cũ excellentioribus actibus Deo appropinquat: & ex donis Spiritus S. operatur: præsertim actus illos præstantiores donorum, qui vocantur beatitudines, vt cum omnibus renunciat, religiosusque efficitur, cum opera perfectionis facit, quibus aureolã specialẽ meretur, & similia, quib⁹ iam intimius Deo inhęret.

Petes 2.

1638 Petes 2. *An Beatis, in quibus est gratia consummata, fiat missio, quomodo, & quando.*

Resp. Ad Beatos fit missio, tùm in initio beatitudinis, tùm post beatitud. adæquatã.

Cæterũ, quod attinet ad Beatos, in quibus est gratia consũmata, & perfecta, multo min⁹ dubitari potest, quod fiat ad eos missio inuisibilis, tum in initio Beati-

tudinis, ibi perfectissimo & consũmato modo Deus vnitur mentibus beatorum, eisq; se manifestat personę, tum post Beatitudinem adæquatam penes varia charismata & dona gratiæ, quibus non iam intensiue crescere potest, sed quoad aliquam extensionẽ Sumitur hæc resolutio D. Th. cit. artic 6 ad 3 vbi inquit *Ad Beatos facta est missio inuisibilis in ipso principio beatitudinis, postmodum autem ad eos fit missio inuisibilis, non secundùm intensionem gratiæ, sed secundùm quod aliqua mysteria eis reuelantur de nouo, quod est vsque ad diem Iudicij: quod quidem augmentum attenditur secundùm intensionem gratiæ ad plura se extendentis.*

1639 *Prob. quia in Beatitudinis principio, nouo modo incipit Deus esse intra Beatos. & in Beatitudinis progressu accipit Beatus noua charismata*

Ratio autem huius est, quia in beatitudinis principio nouo modo incipit Deus esse intra Beatos, scilicet per vnionem essentiæ suę in ratione speciei intelligibilis, & manifestationem suæ diuinitatis, qua tunc fruitur Beatus: ergo concurrunt omnia, quæ requiruntur ad missionem personarum, siquidem personæ nouo modo manifestantur, & communicantur creaturæ secundum sanctificationem eius, & conuersionem creaturę ad Deum, vt ad vltimum finem, quo fruitur tunc actualiter. *Post* modum vero in progressu beatitudinis accipit beatus aliquas nouas reuelationes extra Verbum, iuxta dispensationem diuinæ largitatis, & munificentiæ, in quibus etiam communicatur Deus nouo modo secundùm manifestationem aliquorum effectuum, quæ ad ipsum statum beatitudinis ordinantur, vel iuxta illũ debent cognosci a Beato. Vnde si mitti dicitur persona diuina, quando fit noua manifestatio veritatis pertinentis ad statum, & ordinem gratiæ, Spiritus S. missus est ad Apostolos, vt doceret eos omnem veritatem, vt dicitur Io. 15. & 16. & similiter 1. Io. 2. dicitur *Vnctio docet vos de omnibus*, & ipse Filius dicit, *se venisse in mundum, vt testimonium perhibeat veritati*, Io. 18. & ad Prophetas frequenter dicitur, factum esse Verbum Domini, facta esse manum Domini, &c.

Si hoc ergo sufficit, vt dicatur, mitti persona diuina ad animum, quando sic proficit in agnitionẽ veritatis, supponendo gratiã sanctificantem in subiecto, quanto magis cũ in statu beatitudinis, vbi est consummata gratia sanctitatis, plenissimæ, & clarissimæ reuelationes, etiam extra Verbum fiunt, dicentur mitti de nouo personę, quæ talibus reuelationibus manifestant ea, quæ pertinent ad ordinem gratiæ, & docent tunc consummate omnem veritatem?

1640 *Petes 3.*

Petes 3 *An si fieret incarnatio sine manifestatione personę, esset vera missio visibilis; An in consecratione fit vera missio; & An in die Pentecostes.*

1. Obiectio.

Arg. 1 contra ea, quæ dicta sunt de missione visibili. Nam per missionem visibilem per se loquẽdo, inquantũ visibilis non fit manifestatio diuinæ personæ, neque conuersio creaturæ rationalis in Deũ, vt in finem vltimum, sed si id habetur, est per missionem inuisibilem gratiæ, quæ illi adiungitur: ergo per se, & ex proprijs missio visibilis non est propriè missio. Conseq. prob. ex supradictis à nobis ex D. Th. in 1. dist. 15. q. 4. art. 1. quod missio attenditur in creatura rationali, non secundùm processum creaturæ à Deo in genere causæ efficientis, quoad esse, sed secundùm conuersionem, & regressum creaturæ rationalis in Deum, vt in finem: Si ergo hoc esse cõmune omni missioni, oportet quod inueniatur in missione visibili, vt talis est, & ita si per se non inuenitur, per se missio non est.

Probat missionem visibilem non esse missionem.

Antec. prob.

Antec. vero prob. quia benè potest fieri incarnatio sine manifestatione personæ, vt si nemini Deus talẽ incarnationem reuelet, & manifestet, etiam ipsi assumptæ: tunc enim mitteretur persona ad incarnandum, & non ad se manifestandum. Similiter potest fieri incarnatio sine vllo dono gratię collato naturę assumptæ, vt si assumeret naturam irrationalẽ, aut etiam naturam rationalem sine donis gratiæ posset assumere, nec tamen incarnationem ordinare ad hoc, vt creatura rationalis sanctificetur, seu redimatur: ergo non est necesse, quod missio fiat secundum sanctificationem, & conuersionem hominis in Deum. Conf. quia ad Eucharistiam facta consecratione fit missio personæ Filij, siquidem ibi existit de nouo corpus Christi ex vi conuersionis, & persona diuina per concomitantiam, & tamen illa missio, nec est visibilis, quia ibi Christus non ponitur visibiliter, sed modo inuisibili; nec est inuisibilis, quia non est secundùm infusionem gratiæ in anima, quia ibi non est anima, sed solùm substantia panis, quę conuertitur in corpus Christi, & accidentia eius, quæ remanent. Et in Sacramentis dicit D. Th. non esse gratiam, vt in subiecto, sed vt in instrumẽto: missio autem non fit, nisi respectu termini in quo est gratia, vnde ad Sacramenta non fit missio personæ diuinæ, vt docet S. Th. in hac q. art. 6 ad 4. Sed Eucharistia est Sacramentum, ergo ad illam non fit missio gratię, quę est missio inuisibilis. 1641 *1. Conf. ratio dubitandi de consecratione*

Conf. 2. quia missio Spiritus S. etiam est visibilis, vt patet in die Pentecostes, cùm apparuit in igneis linguis, & super Christum, cum apparuit in specie Columbæ: sed in talibus creaturis non est facta aliqua manifestatio, vel peculiaris modus existendi ipsius personæ: ergo id non requiritur ad missionem, vel illa non fuit vera missio personæ. Min. prob. nam in ipsis creaturis non fuit gratia sanctificans, quia erant creaturæ irrationales, nec erant capaces gratiæ: quòd autem per eas significetur gratia sanctificans, quæ daretur hominibus, non sufficit ad missionem visibilem: nam etiam hoc modo est gratia in Sacramentis, vt in signis practicis gratię, nec tamen ad Sacramenta fit missio, vt iam diximus ex D. Th. nec etiam fuit in prædictis creaturis vnio aliqua, & communicatio personæ diuinæ, quia non assumuntur ad vnitatem personæ diuinę. Quod vero Deus sit in illis, vt signum in suo signato, nõ petit missionem ipsiusmet personę realiter loquendo, quia signatum in signo non est realiter, sed intentionaliter, & repræsentatiue, non fit autem realis missio, si solùm est repræsentatiua, quia in repræsentatione non requiritur, quod sit præsens persona repræsentata, præsertim si illę creaturę in quibus apparuit Spiritus S. non fuerunt verę, sed imaginarię. 1642 *2. Conf. Ratio dubitandi in die Pentecostes*

Resp. ad principale arg. quod missio visibilis, etiã de se ordinatur ad sanctificationem creaturæ rationalis, & manifestationem personæ diuinæ, licet per accidens possit actualiter non manifestare se ex parte intellectus creati: sufficit ad missionem, quod petat effectum de se manifestatiuum: hoc autem incarnatio habet, quod de se est manifestatiua personæ incarnatæ, & non Deitatis solùm, vt vera est. Similiter de se ordinandum ad sanctificandum creaturam, si sit capax sanctificationis, tùm sanctificãdo naturam assumptam, etiam si omni dono accidẽtali careat per ipsam substantiam sanctificantem personæ, tùm in alios deriuando dona gratiæ, tanquam auctor sanctificationis, & plenus gratia. 1643 *Resp. missionem visibilem, etiã de se ordinari ad sanctificationem creaturę rationalis.*

Si autem vniret sibi persona diuina naturam irrationalem, & incapacem gratiæ, esset quidem ibi persona illa nouo modo in ratione suppositi, sed nõ in ratione personæ, quia non mitteretur ad existendum, & communicandum se illi, vt persona, & secundum dignitatem personæ, sed præcise vt suppositũ, & vt supplens vicem suppositi, quod non est persona, quia naturæ irrationalis est. Propriè autem non mittitur suppositum, sed persona, quia in missione operatur res missa, vt intelligens, & cognoscens. Vnde licet in illo casu ille, qui mittitur persona sit, tamen quia non mittitur, vt quantum personæ gerit vices, sed vt supplens vicem suppositi, & non personæ, ideo illa propriè, & simpliciter non est missio, sed physica sui communicatio, seu nouus modus existendi, quasi illi cohabitãs, & coexistens, etiam morali modo & conuictu, qui est proprius personæ intelligentis: licet enim non cõsistat missio in morali egressione ab alio per imperium, vel suasionem, requirit tamen vt illi qui mittitur, modo intellectuali, & vt persona, exeat, & procedat ad id ad quod mittitur. *Si Persona diuina vniret sibi naturam irrationalem, tunc persona non veniret.*

1644 Vel secũdò dici potest, quod illa assumptio naturæ inanimatę esset missio, quia licet nõ sãctificaret illã *Vel 2. Resp. ex missionem*

quia illa assumptio esset ordinabilis ad sanctificandum.

naturam formaliter in se, quia incapax est, est tamen de se illa actio ordinabilis ad sanctificandum alios, & hoc sufficit, sicut apparitio Spiritus S. in creaturis irrationabilibus, vt in Columba, vel linguis igneis, fuit missio, quia ordinabatur ad sanctificandum Apostolos, quanto magis si illas creaturas in vnitatem personæ assumeret. Et de facto Filius Dei in triduo mortis assumpsit corpus mortuum, & fuit missio, quia ordinabatur illa mors ad nostram sanctificationem, & nobis fuit salutaris.

1645 *Ad 1. Confirm. Resp. de Sacrament. Euch dupliciter loqui possumus, vel quo ad sumptionem.*

Ad 1. Conf. Resp. quód de Sacramento Eucharistiæ possumus loqui, vel quoad sumptionem, vel quoad consecrationem, quando ibi conuertitur panis in corpus Christi. Si loquamur de Sacramento quoad sumptionem, non est difficultas: Sic enim mittitur persona, non ad ipsum Sacramentum (sicut nec ad alia, quæ in ipso vsu, & operatione perficiuntur, quia ibi non est gratia, sed instrumenta sunt gratiæ, vt ex D.Th. supra diximus) sed ad personam sumentem Eucharistiam, quia datur ei gratiæ augmentum, & consequenter mittuntur personæ, sicut quandocumque datur gratia, aut augmentum gratiæ, licét speciali modo mittatur ibi persona Filij, mediante carne sua sibi personaliter vnita, & quę realiter sub illis speciebus coniungitur corpori sumentis. Sed tamen tota hæc missio personæ diuinæ ad animam sumentis Eucharistiam mediante gratia fit.

1646 *Vel de cõsecratione, & tunc non fit specialis missio Filij.*

Si autem loquamur de existentia corporis Christi in Sacramento, per cõuersionem panis in ipsum, duplex solutio adhiberi potest.

Prima, quod illa non est missio specialis personæ Filij ad Sacramentum, sed est missio ipsius Christi vt homo, seu corporis eius, vt ibi existat: aliud est enim missio ipsius personæ, vt nouo modo sit in aliquo, aliud est missio ipsius humanitatis, seu corporis Christi, quod tanquam quid creatum mittitur.

1647 *Vel dato, quód esset missio, esset reductiuè visibilis.*

Secunda solutio est, quod dato, quód illa conuersio, & transubstantiatio sit missio personæ, pertinet ad missionem visibilem reductiue, quatenus corpus Christi, licét inuisibili modo hic sit, tamen insensibile est, quoad substantiam, & hic visibilis redditur sub aliena specie; & sic est visibilis per aliud, non per se. Hæc 2. solutio ex eo stabilitur, quia illa conuersio non est missio personæ ad animam, sed ad existendum in Sacramento idem corpus, quod existit in Cælo; ergo si ipsa persona hic mitteretur ad corpus, vt Sacramentatum, non est missio inuisibilis, quæ est ad animam per gratiam; sed visibilis, quia est ad corpus, non suo modo proprio; sed modo alieno, idest specie aliena manifestatum.

Ratio primæ solutionis est, quia per consecrationem non incipit esse nouo modo personam in humanitate assumpta

Prima verò solutio explicatur sic, quod licét corpus Christi alio modo existat in hoc Sacramento, quàm in se; & sic mittatur, vt sit ibi nouo modo, non per motum localem, sed per conuersionem panis in ipsum, tamen ipsa persona diuina non existit nouo modo in ipso corpore, & humanitate assumpta, sed per eandem vnionem, quia in Incarnatione vnita fuit persona Verbi illi corpori, eadem & non alia, nec nouo modo vnitur, & communicatur illi corpori in Sacramento, quia idem corpus est: non ergo de nouo mittitur persona diuina ad illud corpus, seu naturam assumptam, licét ipsum corpus nouo modo ponatur in Sacramento, sicut ex eo, quód Christi corpus in propria specie immutaretur, v. g. immutatione glorificationis in Transfiguratione, vel Resurrectione, aut immutatione Passionis, non ex hoc fiebat noua missio personæ ad ipsum, quia non ex hoc immutabatur modus, quo persona diuina illam naturam, & corpus assumpsit.

1648 *Ad 2. Confirm. Resp. ad creaturas visibiles fieri missio, quatenus per illas significatur persona, quæ mittitur.*

Ad 2. Conf. Resp. neg. Min. Ad prob. dicitur, quód non dicitur fieri missio Spiritus S. ad illas creaturas visibiles, vt per eas demonstretur gratia, sicut per Sacramenta, nec vt in eis esset gratia, sicut in anima, ad quam fit missio inuisibilis, sed vt significaretur ipsa persona diuina in illo signo visibili, quod ad hoc formatum fuit tunc, non vt repræsentaret gratiam, sed vt significaret personam Spiritus S. licet à tota Trinitate formata sit, imo, & ministerio Angelorum, sed non ad repræsentandam totam Trinitatem, vel Angelum, sed personam Spiritus S. Sacramẽta autem sunt visibilia, non repræsentatiua diuinæ personæ, sed gratiæ, ad quam significandam imponuntur, seu destinantur à Deo; & ideó visibiliter dicitur apparere, & mitti Spiritus S. in istis creaturis, & non in Sacramentis.

Quæ est solut. D.Th. in hac q. art. 7. ad 2. & 5 addit S. D. in 1. dist. 16. q. 1. art. 1. ad 1. missionem visibilem Spiritus S. fuisse in illam creaturam, non vt in id, ad quod fit missio, sed vt ostendens solum missionem inuisibilem factam in aliquem; & ideó non esse in illa creatura nouo modo, nisi vt in signo, sed est nouo modo in eo, ad quem fit missio. Vbi ly *solum* nõ excludit à concomitantibus, scil. quod repræsentetur ibi etiam persona ipsa Spiritus S. non vt assumens illam naturam, sicut in Christo, sed vt sanctificans alios, & dans eis gratiam missione inuisibili. 1649 *Hæc doctrina est D. Th. qui docet, Spiritum S. fuisse in illa creatura, tanquam in signo.*

Ad id autem, quod dicitur, Deum esse in illa creatura, solum vt signatum in signo, quod non requirit realem missionem, sicut cum realiter vnitur naturæ personæ. 1650 *Vrgebis.*

Resp. quód licét illa missio non sit secundùm tãtam communicationem, sicut cum creatura assumitur in vnitatem personæ, est tamen sufficiens ad missionẽ, quia in illa creatura repræsentatur Spiritus S. non vt absens, & solùm repræsentatiuè, vt in imagine picta, sed vt præsens, & ibi specialiter operans, sicut Tronus, in quo Rex sedet, & corona, quã habet in capite, repræsentant eius maiestatem, vt præsentem, & sic non est Rex in Trono repræsentatiuè, sed realiter, licét Troni repræsentatio sit sublimitatis eius. Sic Spiritus S. in illis visibilibus creaturis, tanquam in speciali suæ pietatis, & Maiestatis Trono repræsentatus est pro sanctificatione creaturæ, & ideó specialiter ad illas, vt ad repræsentatiuas visibiliter suæ maiestatis missus est. Illæ autem creaturæ non per solam imaginationem, sed visibiliter omnium oculis apparuerunt, & repræsentarunt Spiritum Sanctum, vt ex Aug. 2. de Trin. c. 6. docet S. Th. in art. 7. cit. ad 2. quidquid sit, an ille ignis fuerit verum elementum ignis, an exhalatio aliqua ignea. Saltem enim fuit verum corpus, non imaginarium; & columbam illam, quæ in baptismo Christi apparuit, fuisse verum animal docet ex Aug. D.Th. 3. p. q. 39. art. 7. *Resp. in illa creatura esse Spiritum Sanctum repræsentatiuè*

1651 *Petes 4.*

Petes 4. *An si Deus esset alio speciali modo in creaturis, sine gratia sanctificante, vt in Beatissima Virgine per maternitatem, & alijs modis, fieret missio?*

Arg. 1. Deus speciali modo potest esse in creaturis independenter à gratia sanctificante, vel saltem, simili modo, quo est per gratiam sanctificantem, sed tamen sine illa: ergo falsa est tertia Concl. quod solùm per gratiam sanctificãtem fiat missio diuinarum personarum. Antec. prob. varijs exemplis. *2. Obiectio.*

Primum exemplum obiectionis.

Primo in B. Virgine, quæ vt esset mater Dei, & maneret Virgo, Spiritus S. specialiter ad illam missus est, iuxta illud Luc. 1. *Spiritus S. superueniet in te, &c.* Ad rationem maternitatis diuinę secundum se, non requiritur gratia sanctificans: bene enim posset nasci Christus ex Matre non habente gratiã sanctificantem: ergo benè potest dari missio Spiritus S. inuisibilis sine gratia.

Secundum exẽplũ obiectionis.

Secundo, in conuersione ad Deum, vt ad finem vltimum naturalem per cognitionem, & amorem naturalem: ibi enim creatura conuertitur ad Deum, vt ad finem, non solùm exit ab ipso, vt ab efficiente, & Deus est in creatura, vt amatum, & cognitum in cognoscente, & amante, qui est specialis modus, quo Deus existit in creaturis rationalibus: ergo etiam sine gratia sanctificante personę peculiari modo sunt in anima; ergo mittuntur ad illam; & præsertim hoc viget, quia in quibuscumque donis etiam naturalibus, datur ipse Dei amor, qui est primum liberalitatis donum, & in quocumque dono sic liberaliter collato respicit creatura Deum speciali modo, quo antea non respiciebat. Cur ergo hoc non sufficeret, vt Deus speciali modo sit in creatura, & consequenter persona mittatur ad creaturam, si per

 amorem

amorem datur illi: quod enim sufficit, vt detur, sufficit, vt mittatur.

Tertiũ exemplum Obiectionis.

Tertiò, si aliquis haberet actum charitatis, & non gratiam in essentia animę, diffunderetur charitas in illo per Spiritum Sanctum, ergo daretur Spiritus S. sine gratia, & sic sine illa mitteretur. Et qui iustificaretur per visionem beatificam sine habitu gratię, etiam haberet missionem Spiritus S. factam ad se, quia speciali modo esset in illa anima per iustificationem, & beatitudinem: non ergo ista missio fit per sola dona gratiæ sanctificantis, sed etiam sine illis.

Quartũ exemplum Obiectionis.

Quartò, qui habent fidem, & spem, propheticam cognitionem, & alias gratias gratis datas, non continuò habent gratiam, & tamen habent Deum, vt amatum in amante, & cognitum in cognoscente, etiam supernaturali cognitione; ergo Deus venit ad tales, & personæ mittuntur ad eos, vt modo speciali ibi sint, scil. vt amatum in amante. E contrà verò potest quis esse in gratia, & non amare, nec cognoscere Deum, vt paruuli baptizati: ergo esse in gratia, non facit Deum esse illo speciali modo, vt amatum in amante, & cognitum in cognoscente, quia ly *cognitum*, & ly *amatum*, dicit actu amari, & cognosci.

1652 *Resp. Ad 1. Exemplum Spiritum Sãctum superuenisse in Virginem, vt fieret mater Dei, quæ iam erat gratia plena.*

Resp. neg. Anteced. Ad primam probat. dicitur; quòd Spiritus S. superuenit in Virginem, vt esset Mater Dei, & attingeret sic ordinem hypostaticum, supponendo, illam esse plenam gratia: Sic enim priùs Angelus eam gratia plenam nominauit, quam diceret Spiritum S. superuenturum in illam. Et sic dignitas maternitatis congruè, & connaturaliter exigit sanctitatem, quia pertinet ad ipsum ordinem hypostaticum, qui de se altiorem formam sanctitatis importat. Quòd si de potentia absoluta, esset maternitas sine sanctitate, tunc non superueniret in eam Spiritus S. per modum missionis simpliciter, quia non inhabitaret in ea, sed secundùm missionem secundùm quid, quatenus efficeret talem donum maternitatis simul cum alijs personis, ratione cuius exigebat ad eam disponi per gratiam, & per ipsam missionem personarum; & sic in ipsa maternitate aliquid de personarum missione exigitur, saltem sicut ad alia dona supernaturalia disponentia ad gratiam, aut cum illa congruitatem habentia, vt de fide, & spe, alijsque diuinis illustrationibus dicemus.

Ad 2. Exemplum. Resp. conuersionem hominis ad Deum, vt finem naturalem, non sufficere ad visionem.

Ad secundam prob. dicimus, quòd conuersio hominis ad Deum, vt finem naturalem cognitum & amatum, non sufficit ad missionem personarum diuinarum ob duplicem rationem; primò quidem quia per cognitionem naturalem non manifestantur diuinæ personæ, nec cognoscuntur, sed solùm per supernaturalem reuelationem, missio autem personarum diuinarum fit secundùm effectus manifestatiuos earum: Secundò, quia per cognitionẽ, & amorem naturalem dicitur quidem Deus cognitus, & amatus denominatione quadam extrinseca, tanquam obiectum extra manens, non tamen vt cohabitans, & conuiuens ipsi homini, & vt fruendum ab eo, quod tamen ad missionem inuisibilem requiritur, per quam Deus est in homine, vt in templo, in quo colitur, & habitat, & vt fruendus ab homine, & in ipso mansionem habens iuxta illud Io. 14. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*, quod totum fit per cognitionem, & amorẽ naturalem, per quem non datur ius, & potestas, Filios Dei fieri.

1653 *Ad 3. Exemplum. Resp quia Sãctificaretur per actum visionis sine gratia, haberet virtualiter gratiam.*

Ad 3. probat. Resp. quòd in illo casu, quo quis iustificaretur per actum visionis, vel charitatis sine qualitate gratiæ in essentia animæ recepta, haberet tamen virtualiter, & quasi radicaliter gratiam, quia haberet consummationem gratiæ sufficientem ad remissionem peccatorum, & actus connaturaliter, & de se exigentes gratiam in subiecto, & sic æquiualerent ipsi gratiæ, atque adeo missionem personarũ haberent, quæ solùm datur cum donis sanctificantis gratiæ, vel formaliter, vel æquiualenter afficientis subiectum. Si autem illi actus non sufficerent reddere hominem iustificatum, saltem quoad omnes effectus iustificationis, diceretur mitti Spiritus S. non simpliciter, & perfectè, sed secundùm quid, sicut in alijs effectibus supernaturalibus, quæ non perueniunt ad gratiam iustificationis, & sanctitatem perfectam.

Ad 4. probat. dicitur, quòd per fidem, & spem, prophętiam, & alia dona supernaturalia extra gratiam non mittuntur personæ diuinæ simpliciter, sed secundùm quid, quia licèt per fidem, & prophętiam cognoscatur de Deo, & per spem desideretur Deus, tamen non perfectè amatur super omnia. Vnde secundùm talem cognitionem, & amorem non tractatur Deus, nec habetur, vt inhabitans, & manens intrà, quia nondum à nobis habetur, vt finis vltimus super omnia amatus, & consequenter, nec vt fruendus, & amicabiliter nobis coniunctus; & sic non conuiuit nobiscum, sed cognoscitur, vt extraneus, & desideratur lãguido, & inefficaci amore, non sicut diligi, & tractari debet Deus. 1654

Ad 4. Exemplum. Resp per fidem, spem, & prophetiam non mitti personas simpliciter, sed secundùm quid.

Et ita adhuc longè est à tali corde in ratione conuiuentis, & cohabitantis. Quod si longe est, non accedit, nec coniungitur, ac proinde, nec mittitur, quia missio ad accedendum est. Per fidem autẽ non viuam, sed mortuam non acceditur, nec tangitur Deus, licèt attingatur, & cognoscatur, & potius præmittitur, quàm tangitur. Qui verò habitum gratiæ habent, & non actum, vt paruuli, vel dementes, habent in se Deum, & mittuntur ad eos personæ secundùm talia dona, non quia actu ametur, sed habitu: hoc enim sufficit, vt dicatur esse amatum in amante, scil. actu, vel habitu, quia etiam ratione huius gratię dedit eis potestatem, & ius fruendi Deo, scilicet vt Filij Dei fiant, vndè iam habet in se, & intrà se personas diuinas, ratione illius iuris, & potestatis, quam sibi dat gratia, & filiatio Dei, ratione cuius habet intra se id, quo debet frui, id est Deũ; *regnum enim Dei intra vos est*, inquit Christus Dominus Luc. 17. 1655

Per fidem mortuam non accedit Anima, nec tangit Deum, missio autem est ad accedendum.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Patri conueniat mitti.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Mitti nullo modo conuenit personæ Patris, sed solùm filio, & Spiritui Sancto. Prob. persona cui conuenit mitti procedit ab alio: missio enim in sui ratione importat processionem ab alio; & in diuinis importat processionem secundùm originem, vt suprà. Sed persona Patris non est ab alio. ergo.

Arg. 1. Patri conuenit dari. dat enim seipsum. ergo, & mitti. Resp. neg: conseq. nã ly dare dicit duo primum est, liberalis dantis communicatio; & hęc conuenit Patri: quę non est missio. alterum est authoritas dantis, respectu eius, quod datur; & hoc dicitur mitti; sed non competit Patri.

Arg. 2. ex Ioan. 14. toti Trinitati conuenis nos inhabitare per gratiam. persona enim dicitur mitti secundùm inhabitationem gratię. ergo. Respond. dist. min. secundùm inhabitationem gratię tantùm, neg. min. requiritur vltra inhabitationem gratię ad missionem personę, quod vna persona ab alia procedat, ideò &c.

Arg. 3. Quidquid conuenit alicui personę, conuenit omnibus, preter notiones, & personas. Sed missio non significat notionem, neque personam. ergo. Resp. dist. mi. non includit notionem specialem, conced.

in

in cõmuni nego; quia importat processionẽ à mittente,& esse ab alio est commune duabus notionibus.

DISPVTATIO CCXXVIII.

An non solum dona gratiæ, sed etiam ipsa persona diuina detur, & existat realiter in anima ex vi missionis.

1656 Aliquid supponitur, vt certum,& aliquid controuertitur.

DE hac difficultate non nulla tetigimus tom. 1. q. 9 eiusque pleniorem resolutionem in hunc locum remisimus. In eius autem resolutione tradenda, vnũ supponimus, & aliud controuertimus, supponimus vt certum, quòd cum mittuntur personæ diuinæ, & dantur nobis, non solùm dona creata gratię, sed etiam ipsa persona diuina, & increata nobis datur, & peculiari aliquo modo est in anima, sit iusta, & Sancta, quo non est in alijs rebus, in quibus generali modo suæ immensitatis est per essentiam, pręsentiam, & potentiam.

Difficultas est de modo hoc peculiari, quo est in Anima.

Difficultas verò est de modo isto peculiari, quo est in anima sanctificata per gratiam, an sit pręsentia realis, & entitatiua, ab immensitatis præsentia diuersa, sicut in humanitate Christi realis, & substantialis vnio datur præter immensitatis præsentiam; quod explicatur illa conditionali, an si per impossibile Deus non intelligeretur immensus, & vbique, tametsi infunderet alicui gratiam, deberet ei esse præsens realiter, & intimè in sua substantia?

Errori adscribit S. Thom. asserere Spiritum S. non mitti.

Præsuppositum, quod tanquam certum habemus, constat ex his, quæ diximus tom. 1. q. 22. & à D. Th. ita habetur pro certo, vt oppositum errori adscribat, cum in hac q. art. 3. in arg. 1. inferat pro inconuenienti, quod non donabitur ipsa persona diuina: quod, inquit, est error dicentium, Spiritum S. non dari, sed dona eius. *Et eodem modo in 1. dist. 14. in prima diuisione textus inquit* Magistrum excludere ibi errorem dicentium, Spiritum S. non dari in processione temporali, sed tantùm dona eius.

1657 Ratio. Quia scriptura significat Spiritum S. in nobis inhabitare.

Et ratio est, quia hoc planè scriptura significat, tum quia dicit personas diuinas in nobis habitare, & ad nos venire, Ioa 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus; *& de Spiritu S. dicit postea*, Apud vos manebit, & in vobis erit: *quod certè de donis gratiæ creatis non potest verificari, cum de ipsis personis dicatur, quòd manebunt, & venient ad nos; de donis autem creatis id verificari non potest, tum quia dicitur, Spiritus S. esse in nobis, vt in templo suo 1. ad Cor. 3.* Nescitis, quia membra vestra templum sunt Spiritus S. *& c. 6.* membra vestra templum sunt Spiritus S. quem habetis à Deo, qui in vobis est, &c.

Confirm. quia distinguit, inter hoc, quod est dari gratiã & dari ipsam personam.

Tum denique, quia expressè distingui scriptura inter hoc, quod est dari dona creata gratiæ, & dari ipsam personam increatam Spiritus S. cùm dicitur Rom. 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis; *quod frustra distingueretur inter charitatem diffusam, & inter Spiritum S. datum, si dari Spiritum S. non esset aliud, quàm dari dona gratiæ, seu charitatem diffundi. Adstipulatur etiam auctoritas Aug. 15. de Trin. c. 26. vbi apertè dicit*, ipsum Deum dari, cùm datur Spiritus S. *& Ambros. lib. 1. de Spiritu S. c. 4. vbi Spiritum S. qui datur, dicit esse ipsum Deum, qui simplex est in substantia, & vbique totus, & concludit;* Quis ergo dubitet, diuinum esse, quod infundatur simul pluribus, nec videtur? *gratia autem creata non infunditur simul pluribus, sed diuiditur singulis, prout Spiritus S. vult, vt ait Apost. Has autoritates recitat Mag. in 1. dist. 14.*

1658 Circa difficultatem sunt duæ sententię, Prima proponitur.

Duplex ergo sententia circa difficultatem supra positam versatur. Prima tenet, missionem personarum ita personas ipsas dare in se, quòd realem, & entitatiuam suæ substantię pręsentiam habent in anima, pręter illam communem, quam ratione immensitatis in omni creatura Deus habet. Ita communiter discipuli D. Th. videri potest M. Gonzalez 1. p. q. 8. disp. 18. Suar. lib. 12. de Trin. c. 5. Nostri Patres Salmanticen. tract. 6. de Trin. disp. 19. dub. 5. n. 80. qui citant Cornelium à Lapide super c. 1. Osea n. 12. & alios.

Secunda sententia.

Secunda sententia tenet, hunc peculiarem modum existentiæ Dei in sanctis per gratiam de se non requirere præsentiam realem ipsius substantiæ diuinæ in anima per coniunctionem, & vnionem aliquam realem præter præsentiam immensitatis, ita quòd si Deus per impossibile non intelligeretur immensus, non sequeretur per locum intrinsecum, quòd ratione gratiæ sanctificantis, & amicitiæ supernaturalis esset realiter præsens animæ; quia vnio gratiæ, & amoris solùm est affectiua, non substantialis. Ita P. Vasq. 1. tom. 1. p. disp. 30. c. 3. & super hanc q. 43. art. 3. in notatione art. & sequitur Alarc. hic tract. 5. de Trin. disp. 9. cap. 9. qui citat Ruilium disp. 109. sect. 3. n. 8. qui tamen n. 11. oppositam probabilem censet.

1659 Concl. missio inuisibilis necessariò petit intimam pręsentiam personæ missæ, præter communem præsentiam immensitatis.

Concl. sit. Missio diuinarum personarum, etiam inuisibilis, & ratione gratiæ facta in animam, necessariò petit realẽ, & intimã pręsẽtiã personæ missæ in ipsa anima præter pręsentiam communem immensitatis. hæc n. manet etiam extincta gratia in homine peccatore. Requirit tamen præsuppositiuè, & tanquam conditionem necessariam, immensitatem, qua remota non posset illa præsentia realis erga gratiam resultare. Hæc sententia sumitur ex D. Th. quoad vtramque partem. Et primò quoad primam partem desumitur in primis ex generalibus locutionib. quia iustum modum existendi per gratiam in creatura rationali ponit tanquam specialem, & potiorem ipso modo existendi communiter per immensitatem, quod non esset, si non esset existentia intima, & realis; nam sola præsentia moralis, quæ compatitur cum absentia physica, non potest comparari cum præsentia illa reali, & intima per immensitatem, & tamen dicit D. Th. supra q. 8. art. 3. ad 4. quòd sola gratia facit singularem modum essendi Deum in rebus.

1660 Prob. ex D. Th. modum existendi in creatura vt amatum in amãte reduci ad reale existentiam Dei in creatura.

Qui modus licèt explicetur à D. Th. per hoc, quòd sit, sicut obiectum cognitum, & amatum, tamen cognitum, & amatum, qui facit esse in rebus, plus dicit, quam existentiam, seu præsentiam moralem. & hunc ipsum modum explicans in 1. dist. 37. q. 1. art. 2. illum numerat inter modos, quibus creatura realiter coniungitur Deo. Inquit enim, quòd Isti modi, quibus Deus existit in rebus, distinguuntur ex parte creaturę, inquantum diuerso modo ordinatur in Deum, & coniungitur ei, non diuersitate rationis tantùm, sed realiter, cùm enim Deus in rebus esse dicatur, secundùm quòd eis aliquo modo applicatur, oportet, vt vbi est diuersus coniunctionis, vel applicationis modus, ibi sit diuersus modus essendi: coniungitur autem creatura Deo tripliciter. Primò modo secundùm similitudinem tantùm, inquantum inuenitur in creatura aliqua similitudo diuinæ bonitatis, non quod attingat ipsum Deum secundùm substantiam. Et ista coniunctio inuenitur in omnibus creaturis diuinam bonitatem assimilantibus, & sic erit modus communis, quo Deus est in omnibus creaturis per essentiam, præsentiam, & potentiam. Secundò creatura attingit ad ipsum Deum secundùm substantiam suam consideratum, & non secundùm similitudinem tantùm, & hoc est per operationem, scil. quando aliquis fide adhæret ipsi primę veritati, & charitate ipsi summæ bonitati; & sic est alius modus, quo Deus specialiter est in Sanctis per gratiam.

1661 Confirm. ex alio loco D. Thom.

Ecce quàm manifestè ponit D. Th. etiam istum modum existendi per gratiam, pertinere ad realem existentiam Dei in creatura, & specialem pręsentiam vltra illam, quæ est in omnibus per immensitatem. Vndè dicit 4. cont. Gen. c. 18. quod Spiritus S. secundùm substantiam suam inhabitat mentem. *Et in 1. ad Anibal. dist. 14. q. vnica art. 3. quòd* habetur aliquid per aliquem modum vnionis, sicut habetur vestimentum, vel albedo *(qui sunt modi præsentiæ realis)* homo autẽ quando iustificatur, non solùm vnitur dono Dei, quod formaliter in anima recipitur, sed ipsi Deo per cognitionẽ, & amorẽ actualiter, quia qui adhęret Deo vnus Spiritus est 1. ad Cor. 6.

1662 2. Confirm. & perfectissima ratione amo-

Denique id deducitur ex perfectissima ratione amoris, qui non est contentus affectiua vnione ad obiectum amatum, prout tale obiectum est in apprehensione,

sed

habet contactum, sicut causa agens suo effectui immediato; per istam vero est præsens Deus, vt obiectum cognitum, & amatum intra animam: diuersa autem præsentia est agentis, & obiecti.

Prima Difficultas contra superiorem doctrinam.

1670 Cæterum in duobus est difficultas ad explicandam hanc realem præsentiam ex vi huius præsentię in ratione cogniti, & amati. Primo quidem, quia esse cognitum, & amatum solùm dicunt denominationem extrinsecam in obiecto, quantumcumque cognoscatur Deus per gratiam, & supernaturalem cognitionem. Vndè ergo inferunt realem, & intimá præsentiam? Quod si hoc explicetur de cognitione, & amore fruitiuo, in primis obstat, quod pro hac vita non fruimur Deo realiter, sed in spe, & in radice gratiæ: ergo talis fruitio non requirit coniunctionem realem; nam etiam inter duos homines, quando fruuntur se se, solum in intentione, & spe, non requiritur præsentia realis, & corporea: obstat secundo, quod ad fruitionem rerum spiritualium nihil conducit pręsentia locorum, & realis, quia potest vnus Angelus perfectissime alterum contẽplari, & amare etiam si longe sitac distás, ergo si per impossibile Deus non esset vbique, sed absens in Cælo, possemus per fidem, & charitatem ipsi cõiungi, & eo frui fruitione imperfecta viæ, sicut coniungitur Christi humanitati per fidem, & amorem, & Beatissimæ Virgini, qui tamen corporaliter, & realiter sunt in Cælo.

2. Difficultas contra superiorem doctrinam

1671 Secundo est difficultas, quia licèt amor, quando perfectus est, desideret, & quærat ardenter præsentia amati, ideoque ex vnione affectiua fiat tendentiam ad præsentiam effectiuam, & realem, vt bene S. Th. dicit 1. 2. q. 28. art. 1. tamen quando ipsa realis præsentia amati consequitur, nõ fit per ipsum amorem, tanquam per rationem formalem, neque tanquam per dispositionem, mediante qua amatum fit præsens, sicut mediante lumine gloriæ diuina essentia vnitur intellectui: sed quando amans peruenit ad præsentiam amati, habet illam per corporalem contactum, si sit res corporea. sicut habetur pecunia, vel vxor, non per ipsum actum amoris, tanquam per rationem formalem, vel dispositionẽ, mediante qua vniatur, & coniungatur sibi res possessa; sed per præsentiam, vel contactum corporeum appropinquat, vel coniungitur res amata ipsi amanti, licet ex amore, si perfectus, & efficax sit, moueatur amans ad quærendam præsentiam rei amatæ quæ tamen præsentia per corporalem contactum exhibetur.

Vt insufficiens aliorum explicatio reijcitur.

1672 Et in hoc puncto videntur laborare difficultate ferè omnes, qui istam præsentiam, & vnionem realem Dei ad animam conantur explicare per ipsũ amorem, quatenus perfectissimus est, & exigit pręsentiam amicabilem ipsorum amantium: hoc enim verum est; quod amor talem præsentiam exigit, & quærit, sed non formaliter facit: nec enim solus amor est ratio faciendi præsentes realiter ipsos amantes, sed quando fiunt realiter præsentes, id fit per contactum, & præsentiam corporalem, quam amans ex amore quærit, non amore constituitur præsens. Restat ergo his authoribus assignare formalem rationem, quo Deus nos amans amore illo perfecto, realiter coniungitur animæ amanti in ratione cogniti, & amati.

Explicatur secundum D. Th. quomodo Deus nos amans per gratiam, realiter coniungatur amanti.

1673 Quare D. Th. qui præter illum communem modum existendi per immensitatem in rebus, quem in præsenti quæst. art. 3. dicit esse sicut existentiam causę in effectibus participantibus bonitatem ipsius, posuit specialem modum existendi per gratiam, quod sit tanquam cognitum in cognoscente, & amatum in amante, quia dit, quod *Debet Deus existere in anima, tanquam habitus, & possessus ab ipsa, & tunc aliquid dicimur habere, quando potestatem habemus eo libere vtendi, vel fruendi*, nec possumus libere frui eo, quod in nobis non est. Hoc quomodo inferat præsentiam realem Dei, secundum substantiam ex vi huius, etiam si alias immensitas non consideraretur, pręsertim cum in rebus spiritualibus, tentio ista, & possessio non videatur dependens à præsentia intima secundùm substantiam, operosius inquirendum est.

Solutio vtriusque Difficultatis.

Dico ergo, quod iste modus existendi, licèt sit distinctus à modó existendi per immensitatem, & super addat ad illum, tamen necessario præsupponit illum, & supposito contactu, & existentia Dei intima intrà animam, nouo modo efficitur Deus præsens mediante gratia, vt obiectum experimentaliter cognoscibile, & fruibile intrà animam, sicut si anima nostra, quam intime nobis præsentem habemus, vt radicem, & principium omnium operationum, reddatur etiam nobis præsens, & manifestata vt obiectum, non quomodocumque cognitam, & obiectiuè attactum, sed vt obiectum nobis intimum, & quod est radix nostri esse, nostræque operationis, & sic cognoscitur quodam experimentali tactu, & cognitione; sicut etiam substantia Angeli dupliciter vnitur suo intellectui; & vt subiectum, seu radix illius, cui intellectus inhæret, sicut omnia accidentia, & proprietates, quæ vniuntur substantiæ, & ab ea dimanant, & vt obiectum, quatenus informat intellectum vice speciei, & sic est in intellectu, vt obiectum cognitum, & amatum, non quomodocumque, sed vt cognitum, & amatum intra, & per quandam intimam experientiam sui, sicut id, quod est radix, & principium sui intrinsecum. Sed hæc experimentalis cognitio suę substantię in Angelo est semper manifesta, & intuitiua, quia caret corpore, a cuius conuersione dependeat in cognoscendo; in nostra autem anima potest esse experimentalis cognitio, sed obscura, quantum ad quidditatem, quamdiu sumus dependentes a corpore in cognoscendo.

Iste modus existendi per gratiam in rebus, necessario præsupponit immẽsitatem.

Modus experimentalis cognitionis, necessariò exigit realem præsentiã in esse obiecti.

1674 Talis ergo modus experimentalis cognitionis, & amoris respectu alicuius obiecti cogniti, & amati, vt radicis, & principij intimi sui proprij esse, necessario exigit realem, & substantialem pręsentiam, in esse obiecti, quia aliter non potest esse cognitum experimentaliter, & intime, siue hęc experimentalis cognitio sit adhuc ineuidens, & latens, siue sit intuitiua, & clara, quia est cognitio experimentalis rei sibi omnino intimę, & quę est radix sui esse; sed non exercet pręsentiam solum influendo, & agendo, sed influentiam, & pręsentiam hanc manifestando, & ostendendo, & in ratione obiecti intimi, & præsentis, se fruendo.

Deus ratione suę immensitatis est radix omnis creaturæ, non per modum formæ, sed agentis.

1675 Applicando ergo istam doctrinam pręsentię diuinę, considerandum est, quod Deus ratione suę immẽsitatis, & contactus, quo intime tangit omnes effectus, & dat illis esse, habet se, vt radix omnis creaturæ, & vt vitis influens in palmites. non per modũ formę informantis, sicut anima nostra adest nobis, sed sicut agens, à quo datur, & influit totum esse in creaturas, vt ab vniuersali principio, & radice omnium: sic enim appellatur in scriptura, vt cum dicitur ad Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis suę*: & ad Rom. 11. *Non tu radicem portas, sed radix te*: ad Colossens. 1. *Ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant*; Act. 17. *Non longè est ab vnoquoque nostrum. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus.* Hoc ergo modo existit Deus in omnibus, quasi radix occulta, & principium omnibus dans esse magis intimum, quam forma quęlibet suę materię, & substantia accidenti, quia omnia intime replet, & penetrat dando esse, nec se habet secundùm hanc considerationem, vt amicus conuiuens, aut particulariter se communicans, sed vt principium vniuersale omnium creaturarum in esse; & sic omnibus pręsens, & coniunctus intime est.

Cùm Deus per gratiam manifestatur, id quod est radix, incipit manifestare se, vt obiectum.

1676 Cum ergo mediante gratia se manifestat, incipit id, quod est radix, & principium, comparari vt obiectum se manifestans ipsimet intellectui creato, cui adest, vt radix, & principium influens esse, & sic manifestat seipsum, vt obiectum, non quomodocumque, sed omnino intimum, vt pote radix totius illius esse. Vnde talis manifestatio, & familiaritas, & conuictus necessario importat nouum modum pręsentię, neque solum per modum radicis, & principij influentis esse, sed per modum personę conuiuentis, & seipsum manifestantis

1684 *Confirmatur ex D. Th qui asserit, ad hanc vnionem requiri, vt creatura referatur ad Deum, tanquã ad habitũ per quamdam sigillationem.*

Quarè S Thom. explicans intimiùs quomodo fit ista vnio ad personas missas in animam, dicit citat. dist. 14. quest. 2. art. 2 ad 2, quòd *Non sufficit, noua relatio qualiscumque creaturæ ad Deum, sed oportet, quòd referatur ad ipsum, sicut ad habitum; quia quod datur alicui; habetur aliquo modo ab ipso. Persona autem diuina non potest haberi à nobis, nisi vel ad fructum perfectum; & sic habetur per donum gloriæ, aut secundum fructum imperfectum; & sic habetur per donum gratiæ gratum facientis. Vel potius, sicut id per quod fruibile coniungitur, inquantum ipsæ personæ diuinæ quadam sui sigillatione relinquunt in nobis dona quedam, quibus formaliter fruimur, scilicet amore, & sapientia, propter quòd Spiritus S. dicitur esse pignus hæreditatis nostræ.* Quibus verbis manifeste explicat *D. Th.* quomodo personę diuinę dicãtur habitæ, & possessę ab anima, sicut aliquid fruibile ab ipsa, quatenus sua sigillatione relinquunt in nobis quędam dona.

1685 *Hæc sigillatio est quædam operatio, quibus personæ manifestantur nobis experimentali cognitione.*

Hęc autem sigillato personarum operatio est, quibus personę manifestantur nobis experimentali quadam cognitione, & tactu sui, quibus cognoscimus, animam nostram viuere vita superiori sibi coniuncta, & altiori modo agi, tàm in intellectu, quàm in affectu, seu gustu; vndè & Apost. dicebat: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Et iterum, *Viuo, ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Et iterum Rom. 8. *Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quòd Filij Dei sumus*; quod totum pertinet ad sigillationem quãdam, seu experimentalem tactum, quo personę ipsę per aliquam operationem intimam ita tangunt cor, quòd se manifestant, vt præsentes, tanquam illius viuificationis principium. Operatio autem pertinet ad contactum *Dei*, vt agentis, quod pertinet ad immensitatem: Sed contactus, quo se faciunt sentire personæ diuinę, vt pręsentes, addit supra pręsentiam agendi, quę est pręsentia *Dei*, vt est vnus, pręsentiam manifestandi personas, non manifestatione quomodocumque, sed experimentali, & intima, licèt nondum intuitiua, sicut anima sentitur modo à nobis. Et hoc est esse *Deum*, vt cognitum, & amatum, scil. cognitione, & amore experimentali, & contactum intimum operante in nobis.

1686 *Instabis.*

Dices: Per ipsam missionem personę dicuntur esse in nobis, sicut conuiuentes, & habitantes nobiscum, non vt principium influens, & radix totius esse, quod pertinet ad generalem modum pręsentię immensitatis. Vnde dicuntur personæ, non tàm in nobis esse, quàm nobiscum, sicut cum dicitur Sapien. 7. *Mitte illam de Cælis sanctis tuis, vt mecum laboret.* Et Angelus ad Virginem Luc. 1 *Dominus tecum*; ita vt compareetur per missionem persona diuina ad nos, nõ vt generale principium dans esse, sed vt altera persona particularis nobiscum familiaris, & cohabitans: ergo malè recurrimus ad contactũ illum immensitatis, quo *Deus* tangit per operationem suam creaturas, vt influens, & dans illis esse, & vt radix earum, sed vt persona supponens esse, quia mittitur, vt nobiscum sit, non vt nobis det esse.

1687 *Resp. solum probare, cognitionem hanc experimentalem nõ fieri formaliter per contactum nõ tamen, quod hic contactus non præsupponatur.*

Resp. argumentum probare, quòd missio personarum, & existentia specialis *Dei* in anima, non fiat formaliter per contactum immensitatis, non tamen quod pręsuppositiue non requiratur, sicut ad hoc, vt anima nostra sit nobis præsens obiectiuè, prærequiritur, quod sit præsens informatiuè, & prout sic præsens sentitur ipsa experientia animationis, & motu vitali, cùm tamen aliud sit, animam informare, & dare esse vitaliter, vt forma, aliud obiectiuè appræhendi illam, quæ informans est: & vtraque præsentia informatiua, & obiectiua distinguuntur, potestque vna manere sine alia, sicut in dormientibus, & amentibus anima est præsens informando, non tamen cognoscitur; nec sentitur? Sic in peccatoribus Deus est intime dans esse naturale, imò & dona fidei supernaturalia, sed tamen dormiunt, & non sentiunt vitam Dei. Qui autem euigilat, illuminatur à Christo, & sentit ipsum iuxta illud Apost. *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Quando ergo incipit, quis habere obiectiuam, & experimentalem Dei præsentiam, incipit nouo modo esse in anima, scilicet obiectiuè illemet, qui est per contactum operatiuè, & influendo esse.

Dicitur autem, esse nobiscum, tanquam amicus, & persona conuiuens, & familiaris nobis, non quia desinat per hoc esse radix, & principium vitæ nostræ, sed quia manifestatur, vt persona distincta, imò & tota distinctio personarum manifestatur, vt nos comitans, & assistens, & cohabitans: nec enim ita nobis dat esse, sicut forma, & sicut anima, sed sicut agens, & persona distincta; & sic manifestatur nobis, vt persona conuiuens, & assistens nobis, licèt maneat etiam intimè assistens, vt influens nobis totum esse. Vnde vtrumque significatur in scriptura in hac missione personarum, & quod constillat nobis, vt persona amica, & cohabitans nobis, veniens & mansionem faciens apud nos Io. 14. & quòd intime det nobis vitam, quasi principium, & radix vitæ nostræ, Isai. 57. *In Sancto habitans, & cum contrito, & humili Spiritu, & viuificet Spiritum humilium, & viuificet cor contritorum.* Et iterum Ioan 6. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Missio ergo personæ diuinæ ad inhabitandum est, sed etiam ad viuificandum, & vt viuamus ex Deo, non vt ex forma, sed vt ex agente, & influente vitam æternam. Et sic coniunctio illa specialis per missionem, & gratiam, non potest præscindere a contactu operationis, & immensitatis, sed supra ipsum addere obiectiuam manifestationem, quod nullo meliori exemplo explicari videtur, quàm animæ nostræ, prout informantis, & obiectiuè cognitæ. 1688 *Per hanc vnionem gratiæ est in nobis tanquam Amicus, non quia desinat esse radix vitę nostræ, sed quia manifestatur.*

DVBIVM II.

In quo proponuntur, vt soluuntur obiectiones contra præced. Dub.

1689 *1. Obiectio.*

EX dictis possunt solui quædam minutiores obiectiones, quæ contra sententiam, & Concl. nostram possunt fieri. Nam in primis non apparet, quomodo ipsę personæ mittantur, & procedant ad animam iusti, cum vbique sint, & intime illi præsentes per immensitatẽ. Si autẽ dicatur, quod solutio de nouo sunt, non per hoc, quòd sint de nouo, vbi antea non erant, sed per hoc, quod creaturę ipsæ nouo modo immutentur à personis, & respiciant ipsas, quo antea non respiciebant, quę est solutio D. Thom. dist. 14. quæst. 2. artic. 1. ad 1. & 3 Contra est, quia iste nouus effectus, seu mutatio creaturæ, quę fit per gratiam, est effectus operationis diuinę: ergo modo illo diceretur Deus esse in anima, tanquam medio contactu operationis. Hoc autem etiam pertinet ad immensitatem, nam in omni effectu suo est Deus per essentiam, pręsentiam, & potentiam, etiamsi effectus ille sit supernaturalis, & gratia ipsa, quia effectus, licèt sint nobiliores, non excludunt contactum *Dei*, & dependentia ab influxu dante esse, qui contactus est communis omnis creaturę, & pertinet ad immensitatem ergo per illũ non possunt personę diuinę esse speciali modo in creaturis, & mitti ad illas. Patet hęc Conseq. quia iste effectus, & iste contactus, seu pręsentia est a Deo, inquantum vnus: ergo ex vi illius non est in creatura, vt trinus formaliter, sed solùm concomitanter, & identice, quod non sufficit ad missionem, quia per missionem specialiter sunt personę in anima, & *Deus*, inquantum trinus. *Replica.*

1690 *Confirmatur.*

Conf. quia Deus non potest esse speciali modo in creatura, nisi vel tanquam principium agens, vel tanquam finis fruendus. Vt principium agens est per immensitatẽ ratione suę operationis, & hoc modo non est *Deus* formaliter, vt trinus, sed vt vnus, quia vt vnus operatur. Vt finis, non requiritur, quòd sit realiter substantia *Dei* intra animam, ita

quòd personæ, vt distinctæ, sic specialiter sint intrà; tum quia hoc modo solùm est Deus, vt cognitus, & amatus, hic quidem per species obscuras, in patria autem per propriam, & intuitiuam; ad hoc autem parum conducit præsentia realis, quia etiamsi per impossibile Deus esset distans, amari, & cognosci posset per species alienas, & etiam per propriam in sententia, quæ docet, dari posse speciem creatam, qua videatur Deus. Vndè hoc, quod dicitur de existentia Dei reali intrà animam per gloriam, non habet maiorem certitudinem, quam quod non possit dari species repręsentatiua Dei in se; existentia autẽ Dei in anima per gratiam, cùm per alienas species cognoscatur, nullo modo infert pręsentiam realem, & intimam, per se loquendo, personarum: nam etiã res distans potest intelligi, & amari. Tum etiam, quia Deus, vt finis fruendus non est omninò certũ, quod de necessitate includat personas, cum sustineri possit opinio, quod Deus sine personis videri possit: ergo ex hac existentia Dei in anima per modum finis, nõ infertur per locum intrinsecum, quod mittantur personę, & intimè existant intrà animam, cum non implicet, fruitionem Dei dari non visis personis.

1691
Resp. ille nouus effectus, & immutatio creaturæ, inquantũ effectus, procedit à tota Trinitate, vt manifestatio, est effectus connotatus à missione personæ.

Resp. ad principale argumentum solutione ibi data. Ad replicam Resp. quod ille nouus effectus, & immutatio creaturę, inquantum effectus Dei est, procedit à tota Trinitate, & à Deo, vt vno, vt autem est ratio manifestandi personas, est effectus connotatus à missione illarum, quę ad hoc mittuntur, & procedunt in creaturam rationalem, vt manifestentur. Necesse est autem in omni missione, etiam visibili, vt in ipsa incarnatione, effectum aliquem, & immutationem creaturæ fieri, quæ fit à tota Trinitate, sed quia mediante tali effectu intenditur manifestatio alicuius personę procedentis, dicitur illa mitti, seu procedere in creaturam, vt manifestanda in illa, sicut in effectu gratiæ, licet gratia sit à tota Trinitate, & procedat à Deo, vt vno, tamen ordo creaturæ, & conuersio non sistit in ipsa gratia, sed tendit ad personas, quę sibi manifestantur per gratiam, vt rectè obseruat D. Th. cit. dist. 14. q. 2. art. 1. ad 2. & hac ratione dicitur persona dari, & mitti in creaturam, non solùm dona eius, licet sine illis non detur, nec mittatur. Et sic licet ille contactus Dei in gratiã, & in animam, cui illam infundit, sit contactus operatiuus, & pertineat ad Deum, vt vnum, & immensum, vt effectiue à Deo est, tamen manifestatio Dei, quæ fit per conuersionem creaturæ ad Deum, ortã ex tali gratia, non est Dei manifestatio, solùm vt vnus est, & quoad essentiam, sed etiã quoad personas, quia ad hoc datur gratia, vt manifestentur personæ, sicut per incarnationem effectiue factam a tota Trinitate manifestatur solum verbum, vt persona illius humanitatis; & sicut anima informat corpus per suam substantiam, vt vna, & indiuisibilis est, sed manifestatur, & multiplex in virtute, aliter per visum, aliter per auditum, aliter per tactum, &c.

Contactus Dei in Animam, vt effectus, spectat ad Deum vnum, vt manifestatio ad personas.

1692
Ad Confirm. Resp. Deũ esse speciali modo, vt finem fruẽdum, qui necessariò præsupponit, quòd sit agens primum

Ad Conf. Resp. Deum esse speciali modo in anima, vt finem fruendum, qui necessario præsupponit, & requirit, quod sit agens primum, & dans totum esse, & sic intime præsens in anima. Vnde negamus quod ad talem finem fruendum, & cognoscendum cognitione experimentali, & vt intime dans esse, nõ solùm naturale, sed supernaturale, parum conducat eius realis, & intima præsentia; sicut ad cognoscendam animam, vt viuificãtem corpus experimẽtali quadam præsentia, valdè conducit, quod præsens intime sit.

Ad 1. probationem. Resp. ad cognitione speculatiuam sufficere præsentiã intentionalem; ad experimentalem requiritur vnio interior.

Ad primam replicam dicitur, quòd ad cognitionem, & amorem finis cognitione quasi speculatiua, & purè extrinsecè se habente ad rem cognitam, & amatam, parum cõducit eius realis præsentia intrà cognoscentem, & amantem, sed sufficit intentionalis præsentia. Sed ad cognoscendum, & amandum cognitione, & affectu quodam experimẽtali, & quasi spiritum intus viuificantem, non sufficit intentionalis præsentia cum reali distantia, sed requiritur connaturalitas quædam, & vnio interior, ex cuius gustu, & tactu nascitur illa experimentalis cognitio Spiritus diuini viuificantis cor, sicut ex vnione informatiua animæ nascitur experimentalis cognitio ipsius animæ, vt obiecti, quod est forma internè viuificans, & informans.

Hæc autẽ vnio non impeditur siue Deus cognoscatur per alienas species, vt in via, siue per propriam, vt in Patria

Quod autem hoc fiat cognoscendo Deum per alienas species, vt hic in via, vel per intuitiuam, & propriam, vt in patria, non interest, quia non loquimur solum de manifestatione personarum, vt intuitiua, vel non intuitiua, sed vt experimentali, sicut dicit S. Th. cit. dist. 14. quæst. 2. art. 2. ad 3. Et hęc datur etiamsi res intuitiue nõ videatur in se, sufficit, quod per proprios effectus, quasi per tactum, & viuificationem sentiatur, sicut animam nostram experimẽtaliter cognoscimus, etiamsi intuitiue eius substantiam non videamus. Sic ergo quoad intuitiuam cognitionem, seu visionem per species alienas, videtur Deus in hac vita, & sic pro hac parte non exigit præsentiam realem, sed quoad experimentalem cognitionem Dei, vt viuificantis non, & per modum influentis, & dantis esse intime multo magis, quam anima, licet in genere causæ efficientis, sic requirit præsentiam realem, vt supra explicatum est. Cum autem intuitiue videtur hęc eadem substantia diuina, multo clariùs apparet eius realis vnio pręter præsentiam immensitatis, eo quod certius est, non dari de facto speciem creatam repræsentantẽ Deum in se, & probabilius dari non posse, sed tamen eius intima præsentia per experimentalem vnionem, & connaturalitatem ab hoc non dependet.

1693
Ad 2. Prob. Respondetur.

Ad 2. probat. dicitur, quod quidquid sit, an de potentia absoluta possit Deus videri sine personis, tamen de facto est certum, de fide videri à Beatis. *Hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, inquit Christus ad Patrem Ioan. 17. & connaturaliter id exigit visio beata: ergo Deus, vt de facto, & connaturali modo fruendus, missionem exigit, & manifestationẽ personarũ.

2. Obiectio.

Arg. 2. id quod supra iam insinuatum est, quia inter spirituales substãtias potest dari cognitio perfecta, & amor fruitiuus independenter ab omni loco, & pręsentia reali, vt patet inter duos Angelos, qui possunt se videre, & amare, etiamsi longissime distent, quoad localem præsentiam, & vera amicitia frui, & se communicare per loquutionem, quia localis distantia non impedit loquutionem in Angelis, vt docet S. Th. q. 107. art. 4. ergo multo minùs impedit alias communicationes amicabiles purè spirituales, quia fere omnes ad loquutionem, & illuminationem reducuntur, ergo multo minùs impedietur amicitia vera, & communicatio Dei ad animam ex defectu præsentiæ localis, vnde per impossibile remota immensitate, adhuc Deus diceretur ratione amicitiæ, & amoris coniunctus animæ, ita quod per locum intrinsecum ex vi amicitiæ, & communicationis spiritualis id non requiratur. Sed neque ratione missionis, aut aduentus ad creaturam, quia hęc omnia per absentiam geri possunt, sicut tutor, & legatus rectè dicuntur mitti, licet per absentiã clientis, & domini, negotia tractent. Denique D. Th. non agnoscit præter pręsentiam immensitatis, qua Deus est intra animam, alium specialem modum præsentię in iustis, quam vt cognitum, & amatum, ad hoc autem, vt Deus sit cognitus, & amatus, non exigitur per locum intrinsecum realis pręsentia; ergo pręter pręsentiam immensitatis non ponit D. Thom. aliam realem præsentiam ratione gratię. nec est explicabilis, quę nam illa sit, immensitate, remota.

1. Confirm. exẽplo Tutoris.

2. Confirm: ex D. Th.

1694
Resp. fruitionẽ, & amorẽ inter res spirituales, non habentes inter se dependentiam posse dari sine præsentia reali.

Resp. fruitionem, & amorem inter res spirituales nullam inter se habentes dependentiam, aut ordinẽ, posse dari independẽter a pręsentia, & coniunctione reali, quia vnus fruitur alio, tanquã persona particulari, a qua non habet esse, nec vitam; & sic vtitur, aut fruitur illo, tanquam re sibi externa, & aduentitia. Ad hoc autẽ nõ indigent spirituales substantię præsentia locali, sed colloqui, & cõmunicare

ad-

ad inuicem possunt, & se videre, & amare quacumque distantia non impediente, quamquam ad alias actiones, quæ pendeat à motu locali, non possunt communicare inter se Angeli sine præsentia locali, quæ ad motum requiritur, sicut nec etiam Angeli custodes nobiscum perfectè communicant, nisi frequenter ad nos descendant, nec cum animabus purgatorij, nisi ad illas descendant, vt eas releuent, & in Cælum deferant. Vnde similiter si vnus Angelus amicus alterius velit illum defendere ab alijs, secum portare, & apprehendere debet, illi propinquare, & præsens fieri, sicut è contrario ad arcendum Dæmones ab aliquo loco, vel personas, illas apprehendunt, & mouent de loco, sicut Tob. 8. dicitur, quod *Angelus Raphael apprehendit demonem, & religauit illud*, &c. Quare perfecta amicitia inter Angelos etiam communicationem requirit secundum præsentiam realem, quando opus fuerit, quamquam illa præsentia, non mediante amore fit formaliter, sed medio contactum virtuali, vt infra dicetur.

1695 Communicatio cum Deo non est tanquam cum persona particulari, & extranea:

1695 Cæterum communicatio amicabilis cum Deo, non est tanquam cum persona particulari, & omninò extranea, sed tanquam cum principio vniuersalissimo, & radice totius esse nostri; tàm naturalis, quàm supernaturalis. Vndè non potest præsentia obiectiua, quam habemus de ipso per cognitionem, & amorem præscindere ab ista præsentia, quam præsupponit contactus illius influxiuus totius esse, quod habetur per immensitatem, & super illum contactum addit, quòd obiectiuè etiam sit præsens id, quod operatiuè est intimum, sicut cognitio, & amor circa animam nostram, non est sicut circa rem distantem, sed nobis intimam; & supponitur informatio ipsius intrà nos; superadditur vero cognitio quædam ipsius, quæ si experimentalis est, & penes connaturalitatem ad animã, etiam ex ipso cognoscendi modo petit non esse ad rẽ distantẽ; & hoc modo se habet cognitio, & amor, quo Deus dicitur speciali modo esse in nobis, & personæ mittuntur ad nos, scil. cognitio experimentalis, quæ fit penes connaturalitatem, & vnionem ad Deum, in quo viuimus. Qui modus experimentalis cognitionis, & connaturalitatis, non est inter duos Angelos, quia vnus alteri non dat esse, nec vitam, sed solùm est communicatio, vt ad extraneum. Vndè ex simili communicatione non potest trahi argumentum ad communicationem familiarem cum Deo, quæ est tanquam cum vita vitæ suæ, & principio totius esse sui. Et ideò maximus est iste amor charitatis ad Deum, quia est plusquam animæ, & vitæ propriæ, rei sibi maximè intimæ, & diligibilis.

modus experimentalis cognitionis non est inter duos Angelos.

1696 Ad 1. Confir. de Tutore. Resp. non esse ad rem.

1696 Vndè patet, exemplum de Tutore, & Legato, qui mittuntur, & gerunt negotia, etiam in absentia, nullo modo esse ad rem. Quid enim apparentiæ illę habent cum Deo, qui mittitur, vt habitet cum corde contrito ad viuificandum eum; qui mittitur, vt viuamus in illo, & propter illum, vt agnoscamus eum, & manifestetur nobis per experimentalem cognitionem, & quasi connaturalitatem, qui est intimum principium, & radix totius esse plusquam anima nostra, & plusquam vita nostra? An potest hoc sentiri, & connaturalizari, posita distantia, & absentia reali?

Ad 2. Confirm. ex D. Th sũptam. Resp. D. Th. cognouisse, presupponi debere contactum illũ operatiuũ, & influxiuũ Dei, & ad illũ superaddi istũ modum existẽdi per gratiam

Quòd verò dicitur, D. Thomam non agnouisse, nisi pręsentiam immensitatis, & super hanc solum addere, quòd Deus sit præsens, vt cognitus, & amatus, quod à præsentia reali non dependet; dico quòd D. Th. agnouit quidem, præsupponi debere contactum illum operatiuum, & influxiuũ Dei, qui pertinet ad immensitatem, & superaddi ad illum illum modum existendi per gratiam, sed in hoc non dixisse, quod consistit in qualicumque cognitione, & amore Dei, sed quæ habetur per quamdam experiẽtiam, & connaturalitatem ad Deum, vt ad præsentem per modum agentis, & principij vitæ nostræ, sicut habemus cognitionem de anima nostra, vt viuificante nos per ipsam experientiam vitalium motuum. Et illa experientia sic cognoscitiua Dei, vt nobis per contactum immensitatis coniunctum, est præsentia obiectiua, quam addit gratia super præsentiam illam contactus diuini in his, qui non sentiunt Deum, aut quia non cognoscunt, aut quia experimentaliter non tangunt, nec sentiunt, se ab eo viuificari. Eleganter Aug. tract. 76 in Ioannem: *Ecce fiet in Sanctis cum Patre, & Filio, Sanctus etiã Spiritus mansionem, intus vtrique, tanquam Deus in templo suo Deus Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus S. veniunt ad nos, dum venimus ad eos; veniunt subueniendo, venimus obediendo, veniunt illuminando, venimus intuendo, veniunt implendo, venimus capiendo, vt sit eorum non extranea visio, sed interna, & sit eorum non transitoria mansio, sed æterna*. Requirũtur ergo secundùm Aug. ad istam inhabitationem personarum reciprocæ actiones ex parte Dei, & ex parte nostra. Illas non facit Deus sine contactu immensitatis, & operationis, istas non facimus, nisi tanquam ad intraneum, & ad principium omnis vitæ nostrę ipsam gustando, & experiendo.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum filio conueniat inuisibiliter mitti.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

Conclusio. Filio, ac Spiritui Sancto cõuenit inuisibiliter mitti. Prob. Personis, quibus conuenit ab alio esse, & inhabitare mentem per gratiam, conuenit mitti: hæc enim sunt de ratione missionis diuinæ personæ, vt dictum est. Sed filio, & Spiritui S. conuenit esse ab alio, & inhabitare mentem per gratiam. ergo. patet mi. ex Io. 14. ad eum veniemus, & mansionẽ apud eum faciemus. Patri enim licèt conueniat inhabitare per gratiam, quia tamen ei non conuenit esse ab alio, non dicitur mitti, vt dictum est.

Arg. 1. missio inuisibilis diuinæ personæ attenditur secundùm dona gratię: hæc autẽ omnia spectant ad Spiritum Sanctum, & non ad filium. 1. Cor. 12. ergo. R. dist. mi. dona, vt dona; spectant ad Spiritum Sanctum. conc. quia Spiritus S. cum sit amor, habet rationem primi Doni, & Deus quidquid donat amore donat; dona verò vt sunt dona intellectus, habitus cognitionis. neg. min. sic etiam appropriantur Filio, & secundùm hæc dona attenditur missio Filij.

Arg. 2. ad personam procedentem, vt verbum intellectus, pertinent ea, quæ possunt haberi absque gratia gratum faciente; ad perfectionem enim intellectus spectantia, sunt fides, scientia, prophetia, &c. ergo. Resp. neg. conseq. quia persona Filij non dicitur mitti, quando intellectus cum dono scientiæ prorumpit in amorem, quòd non potest fieri sine gratia gratum faciente. nam ad hoc vt aliqua persona mittatur, necessarium est, vt prius saltem natura ipse, cui persona mittitur; habeat aliquid, per quod Deo assimiletur. ad hoc autem, vt quis Deo assimiletur, siuè cuilibet personæ necessaria semper est gratia gratum faciens: anima enim nostra Deo per gratiam conformatur.

Arg. 3. missio diuinæ personæ est quædã processio, vt dictum est. Sed alia est processio filij; alia Spiritus Sancti. ergo, & alia missio, si vterque mittitur. ergo altera earum superflueret. Resp. dist. mi. processio solùm, neg. processio, cum in habitatio-

ne gratiæ, conced. ac proinde hæ missiones, licèt distinguantur, vt processiones sunt, non tamen secundùm inhabitationem gratiæ; nec vna earum superflueret; quia vna persona ab alia non potest separari; & vna illuminat intellectum, & altera inflammat affectum.

DISPVTATIO CCXXIX.

Vtrum Filio conueniat inuisibiliter mitti.

1697 Omissa missione visibili hic loquitur S. Th. de inuisibili.

OMISSA missione visibili filij Dei, qua missus est à Patre, vt nouo modo esset in hoc mundo scil. per carnem humanam visibilem, vnitam sibi in vnitate personæ, per quod hæc missio dicitur visibilis, quærit hoc art. D. Th. de missione inuisibili per gratiam sanctificantem, de qua supra in vniuersum statutum est, quod conueniat personæ diuinæ hoc pacto mitti, & quidem exclusa Patre poterat esse difficultas in particulari, an soli Spiritui S. conueniret hoc modo mitti, an etiam Filio, atque adeo vtrique personæ, duæ autem conclusiones communiter etiam receptæ ex doctrina D. Th. colligi possunt.

1698 1. Conclusio. Filio, & Spiritui Sācto cōpetit inuisibiliter mitti.

Prima Concl. Vtrique personæ, nempe Filio, & Spiritui S. conuenit inuisibiliter mitti ad sanctificandum hominem, & inhabitando conuenit inuisibiliter mitti ad sanctificandum, & inhabitandum in ipse per gratiam; & ratio sumitur ex dictis, quia vtrique tantũ personę conueniunt omnia requisita ad inuisibilem missionem; vtraque enim inhabitat nouo modo in homine per gratiam, & vtraque habet originem ab aliqua, quare licèt etiam Pater veniat, & inhabitet in anima hominis nouo modo per gratiam, non tamen dici potest mitti quia non habet, à quo procedat, cum à nullo originem habeat.

1699 2. Conclusio. Differunt hæ missiones Filij, & Spiritus Sancti in duobus.

2. Concl. sumitur ex responsionibus ad argumenta, quæ est huiusmodi. Licèt radicaliter, & vltimò tam persona Filij quàm persona Spiritus Sancti dicantur mitti, quia nouo modo inhabitant in homine per gratiã sanctificantem, & ita quantum ad hoc vtriusque missio conueniat, tamen differre in duobus. primò ex parte processionis à mittente, vt habetur ad 3. quarum vna est generatio, altera processio; secundò ex parte donorum, quæ cum gratia communicantur, vt habetur in omnibus argumentis, & præterea in 1. dist. 15. quæst. 4. art. 2. quamuis enim omnia dona in quantum dona, attribuantur Spiritui S. qui habet rationem primi doni, vt suo loco q. 36. dictum est.

Aliqua, & donis appropriātur Filio, aliqua Spiritui Sancto.

Nihilominus aliqua secundum appropriationem attribuuntur Filio, nempe ea, quę pertinent ad intellectum, vt sapientia, cùm Filius procedat, vt Verbum, & vt sapientia, alia verò, quæ pertinent ad voluntatem, vt amor, appropriantur Spiritui S. & ita Filius dicitur mitti secundùm illuminationem intellectus, non quamcumque, sed quę sit efficax principium amoris, & dicitur sapientia, sicut Verbum diuinum procedit vt Verbum, quòd sit principium amoris. at Spiritus S. dicitur mitti secundùm inflammationem effectus, & sic nunquam separatur missio Filij à missione Spiritus S. neque secundùm id, quod dicunt ex parte originis, neque secundùm id quod dicunt ex parte eius, ad quem fit missio, licèt non secundùm eamdam omnino ratione dicatur vtraque persona mitti, licèt vtraque missio communicet in radice, & fine gratię sanctificantis. sed de his latè supra dictum est.

1700 In missione diuinæ personæ semper fit aliqua assimilatio creaturę ad personam missam.

Vndè constat, quòd in missione diuinę personę semper fit aliqua assimilatio creaturę ad personam, quę mittitur, & consequenter manifestatio personę per illa diuina assimilatiua, ad Filium quidem per sapientiam, ad Spiritum verò Sanctum per amorem, & sic Filius mittitur, vt Verbum, & sapientia, Spiritus verò S. vt amor. Notat præterea D. Th. in 1. dist. 15. q. 6. art. 1. ad 1 quòd ad rationem missionis non requiritur cognitio actualis semper, & idem dici potest de amore actuali, sed sufficit cognitio habitualis per habitus scil. infusos adnexos gratiæ, sic enim etiam ad pueros in Sacramento fit missio inuisibilis, & ad alios, etiam si pueros non certò scimus, personam diuinam in nobis inhabitare.

Notat præterea D. Th. in 1. dist. 15. q. 4. art. 2 ad 2 quod missio harum personarum potest considerari, vel quantum ad originem, vel quantum ad dona, quantũ ad primum non potest dici, quod missio Filij sit prior missione Spiritus S. licèt secunda supponat ordinem naturæ primam eo modo, quo supra q. 42. diximus in personis non esse prioritatem, licèt sit ordo: quantum verò ad secundum potest dici, quòd missio verbi sit prior in genere causæ materialis, quia notitia supponit amorem, vel etiam in genere causæ efficientis, potest tamen dici posterior in genere causæ finalis, quatenus notitia ad amorem ordinatur. 1701 Missio personarum potest considerari, vel quantum ad originem, vel quantum ad dona.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum missio inuisibilis fiat ad omnes, qui sunt participes gratiæ.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONCLVSIO. missio inuisibilis dicitur fieri ad omnes, qui sunt participes gratiæ, quando vel nouiter recipiunt gratiam, vel nouo modo eam participant. Prob. ad illos & tunc diuina persona mitti dicitur, ad quos, & quando in eis nouiter habitat, vel nouo modo: missio enim diuinæ personæ, tunc fit, quando incipit nouo modo esse in aliquo in quo prius non erat. Sed quando quis nouiter fit gratiæ particeps, vel quandò eius gratia augetur, tunc Deus in eum nouo modo habitat. ergo.

Arg. 1. Patres veteris testamenti fuerunt participes gratiæ. Sed missio inuisibilis non videtur fuisse facta patribus veteris testamenti. Ex Io: 21. Ergo. Resp. neg. mi. & ad illud Io: intelligendum est de missione Spiritus S. sub visibili signo, quæ facta est in die Pentecostes.

Arg. 2. Profectus in virtutem non est nisi per gratiam, sed profectus virtutis videtur esse continuus, cum charitas semper aut proficiat, aut deficiat: ergo. missio Spiritus S. erit continua. Resp. neg. conseq. quia non mittitur secundum quemlibet profectum, & augmentum gratiæ; sed quando aliquis proficit in aliquem nouum actum, vel nouum statum gratiæ; vt potè cum aliquis proficit in gratiam miraculorum, aut prophetiæ, vel in hoc, quod ex feruore charitatis exponat se martyrio.

Arg. 3 Christus, & Beati plenissimè habent gratiam. Sed missio inuisibilis non fit ad Christum, nec ad Beatos. nam missio fit ad distantes. ergo. Resp. neg. mi. absolutè. & ad prob. quod ad beatus facta est missio inuisibilis in principio beatitudinis. postmodum ad eos fit, non secundùm intensionem, sed extensionem gratiæ, in quantum eis aliqua reuelantur mysteria. Christo verò in principio suæ conceptionis.

Arg. 4. Sacramenta nouæ legis continent gratiam. Sed missio inuisibilis non fit ad Sacramenta nouę legis; ergo. Resp. dist. ma. continent gratiam terminatiuè, neg. ma: instrumentaliter, concedo: missio autem non fit nisi respectu termini: gratia enim est in Sacramentis, sicut forma artificiati est in instrumentis artis, per quendam discursum ab agente in patiens.

DIS-

DISPVTATIO CCXXX.

Verum missio inuisibilis fiat ad omnes, qui sunt participes gratiæ.

1701 Conclusio.

RESpondet D. Th. ad omnes, qui sunt participes gratiæ sanctificantis, fieri missionem diuinarum personarum, cùm sit eadem ratio de omnibus, & respectu omnium verificentur ea, quæ requiruntur ad missionem; solùm hic difficultatem quamdam habent vltima verba in fi. corp. vbi sic habet D. Th. in eo, ad quem fit missio; oportet duo considerare; scil. inhabitationem gratiæ, & innouationem quamdam per gratiam; ad omnes ergo fit missio inuisibilis, in quibus hæc duo inueniuntur. *Difficultas ergo est primò, quid per innouationem per gratiam intelligatur, cum ponatur, tanquam aliquid distinctum ab infusione, & inhabitatione gratiæ, neque videtur, quod possint distingui, tanquam causa formalis, & effectus formalis, ita vt inhabitatio gratiæ sit veluti causa formalis, & innouatio per gratiam sit effectus formalis, sic enim ad rem præsentem non numerarentur hæc, tanquam duo sed tanquam vnum, item innouatio per gratiam non potest intelligi ipsa gratia, vt remissiua peccati, secundùm quòd dicitur; homo peccator innouari, sic enim neque Adamo, neque Angelis in primo instanti fuisset facta missio, & sic repugnaret conclusioni vniuersali.*

Primum difficultas.

2\. Difficultas.

Secundò difficultas esse posset, an propositio illa vltima habeat intelligi in sensu composito, vt scil. vtrumque reperiri debeat ad hoc, vt dicatur fieri missio, an verò in sensu diuiso, vt scil. sufficiat alterum, nempe primum sine secundo, nam secundum sine primo esse non potest, vt mox dicemus, & similis est hæc difficultas illi in physicis, cum dicitur natura esse principium motus, & quietis, an debeant intelligi motus, & quies coniunctiuè, an non.

1703 Ad 1. difficultatem Resp. per innouationem, intelligere D. Thom. gratiæ augmentum.

Ad primam ergo difficul. Resp. per innouationem intelligere D. Th. infusionem Augmenti gratiæ vel conseruationem gratiæ præexistentis, cum profectu tamen in aliquem nouum statum, vel notabilem actum noui, vt cùm aliquis proficit in gratiam miraculorum, & prophetiæ, actus martyrij, ingressus religionis, & similia, in quo casu dicitur maximè, & simpliciter de nouo mitti Spiritus S. vel persona diuina, & sic differt innouatio à simplici inhabitatione & infusione gratiæ colligitur hæc doctrina ex respons. ad 2. vbi docet D. Th. vt supra notauimus, quòd licèt in quolibet augmēto intensiuo gratiæ, dici possit mitti persona diuina, tamē præcipuè cum homo proficit in nouos illos actus, vt vidimus. in supra dictis.

1704 In eo, in quo fit missio, oportet considerare, & inhabitationem gratiæ, & innouationem quandam.

Ad hanc ergo nouam missionem respexit D. Th. cùm dixit in fine corp. quòd in eo, ad quem fit missio, oportet considerare inhabitationem gratiæ, & innouationem quamdam, vt in primo significetur prima missio, in secundo secunda missio, quæ est cum illa innouatione, nam ad primam non est per se requisita illa innouatio, sicuti non fuit in prima infusione gratiæ in Adamo, & Angelis, sed solùm fuit illis facta missio per inhabitationem gratiæ, & de hac secunda missione existimo, ipsum omnino loqui in resp. ad 3. dum ait, beatis fieri missionem inuisibilem in ipso principio beatitudinis, quatenus incipiunt habere nouum statum, & postea etiam fieri nouas, & nouas missiones, non secundùm augmētum gratiæ, sed secundùm quòd aliqua mysteria ipsis reuelantur de nouo vsque ad diem iudicij, quæ omnia pertinent ad secundam missionem, quæ dicitur cum innouatione, seu extensione gratiæ ad aliqua noua dona.

1705 Christo Domino fuit facta missio inuisibilis primo modo.

At verò Christo Domino fuisse factam inuisibilem missionem in principio suæ conceptionis, ratione scilicet humanitatis assumptæ, quod intelligi debet de missione primo modo postea autem non fuisse factam, quia ab instanti suæ conceptionis fuit plenus omni sapientia, & gratia. quod intelligitur de secunda missione. Vbi etiam aduertendum est quòd noua hæc missio dicitur secunda, non quia non possit, quoad numerum fieri, nisi secundò, cùm possit fieri 3. 4. & 5. & sæpiùs fieri; sed secunda non est prima, sicuti pœnitentia, dicitur secunda tabula post baptismum.

1706 Ad 2. difficultatem. Resp. verba D. Th. intelligi debeat in sensu diuiso.

Atque ex his patet solutio alterius difficultatis; illa enim verba intelligi debent in sensu diuiso, vt sensus sit, ad omnes fit missio, in quibus hæc duo distinctè reperiuntur. scil. alterum ex his, & ita sufficit primum sine secundo, sicuti fuit in Christo Domino, vt vidimus ex D. Th. & idem dici potest de Adamo, & Angelis in primo instanti creationis, nec quoad vtramque difficultatem possunt verba D. Th. habere alium congruentiorem intellectum.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum Spiritui Sancto conueniat visibiliter mitti.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COnclusio, conueniens fuit filium, & Spiritum Sanctum visibiliter mitti, Filius, vt sanctificationis Author, Spiritus S. vt sanctificationis donum. Prob. quia cum Deus prouideat omnibus secundùm vniuscuiusq; modum, & modus connaturalis hominis sit, vt per visibilia ad inuisibilia manducatur; ideò conuenienter ei inuisibiles missiones personarum, per visibiles debent esse manifestæ. Sed Spiritus sanctus procedit, vt amor; conuenit esse sanctificationis donū; filio verò inquantum est Spiritus S. principium, conuenit esse sanctificationis Author.

Arg. 1. Persona quæ visibiliter mittitur in mundum, dicitur minor patre: vt patet de filio. Sed nunquam legitur, quòd Spiritus Sanctus sit minor Patre. ergo. Resp. dist. ma. quæ visibiliter mittitur in mundum in vnitate personæ, conced. quia, quòd dicitur de illa creatura assumpta, etiam de illa persona dici potest: quæ fit visibiliter per assumptionem naturæ visibilis in signum tantùm; vt Spiritus S. in specie columbæ, neg. ma.

Arg. 2. si Spiritus S. dicitur mittere aliquam creaturam, quia est in ea signatum in signo: sequeretur, quòd etiam in Sacramētis dicitur missus, quia est ipsis, vt in signis Resp. neg. sequel. quia non in quolib. signo Spiritus Sanctus dicitur mitti: sed requiruntur alia duo. Primum, quòd creatura, in qua fit talis missio, exhibeatur oculis corporeis, defectu cuius visiones propheticæ non dicuntur missiones. alterum est, vt illæ res, in quibus fit talis missio non præextiterint; sed requiritur, quòd fiant repentè, defectu cuius. Petra illa in deserto, de qua dicitur, Petra autem erat Christus, non fuit signum, ideò &c.

Arg. 3. Creatura visibilis secundùm quā fit missio Spiritus Sancti debet significare tantùm ipsam personam Spiritus Sancti, sed nulla creatura repræsentat tantùm personā Spiritus Sancti, cùm sit effectus totius Trinitatis. ergo, Resp. neg. min. & ad prob. quòd illa res, licèt vt effectus sit à tota Trinitate; vt est repræsentatiua, repræsentat tantùm Spiritum Sanctum, nam sicut Pater, filius, & Spiritus Sāctus possunt diuersis nominibus significari; ità possunt diuersis rebus repræsentari.

Arg. 4. missio visibilis personæ diuinæ debet fieri per assumptionem nobilissimæ visibilis

visibilis creaturæ, vt patet in missione Filij; quæ facta est in assumptione naturæ humanæ. Sed Spiritus S. non assumpsit hanc nobilissimam creaturam. ergo. Resp. dist. ma. & ipsam conced. de missione personæ diuinæ, quę fit ad aliquid agendum, vt auctrix sanctificationis: hæc enim missio fit in vnitate personæ, neg. autem de ea, quæ fit tantùm ad significandum, quælibet enim creatura potest esse inditium sanctificationis; & hoc modo fuit missio visibilis Spiritus S.

Arg. 5. per ea, quæ fiunt ministerio Angelorum non dicitur visibiliter Spiritus Sãcti mitti. Sed omnia, quæ diuinitùs visibiliter fiunt, ministerio Angelorum sunt facta. August. 3. de Trin. cap. 4. ergo. Resp. dist. ma. ea, quæ fiunt ab Angelis ad repræsentandum ipsosmet Angelos, vt corpus assumptum ab Angelo Tobiæ. Conced. ma. ea verò, quæ fiunt ministerio Angelorum ad repræsentandum aliquam personam diuinã, sicut fuit Columba Iordanis. neg. ma.

Arg. 6. Ad Christum in Baptismo facta est missio visibilis; & tamen ei tunc non fuit facta missio inuisibilis, sed in primo instanti suę conceptionis. item in primitiua Ecclesia ad multos facta fuit missio inuisibilis, ad quos tamen non fuit facta missio visibilis, quæ tantùm ad Apostolos, & ad alios facta fuit. ergo. Resp. neg. conseq. semper enim per visibilem Spiritus Sancti missionẽ significatur eius inuisibilis missio. Sed non semper è contra. nam huiusmodi manifestatio fit ad vtilitatem Ecclesiæ. quæ principaliter facta fuit per Christum, & Apostolos. nam ad Christum facta fuit visibilis missio ad manifestandam inuisibilem missionem ad eum factam in principio suæ conceptionis.

DISPVTATIO CCXXXI.

Vtrum Spiritui S. conueniat visibiliter mitti.

1707
Concl. affirm. Prob. ex conuenientia.

RΕspondet D. Th. fuisse conuenientem, homini scil. seu in ordine ad homines, vt missio diuinarũ personarum fieret ad ipsos non solùm inuisibiliter per interna dona gratiæ, sed etiam interdum visibiliter, per aliqua scil. externa corpora, vel signa sensibilia, significantia inuisibilem missionem earumdem personarum; id enim est secundum modum connaturalem homini, vt per visibilia ad inuisibilia manuducatur, aliter tamen conueniens fuit, vt mitteretur visibiliter Filius, & aliter Spiritus S. nam cum in sanctificatione creaturæ, in ordine ad quam dicitur mitti persona diuina, non solùm habeatur ab hominibus gratia sanctificans, sed etiam ipsa persona Spiritus S. possideatur, tanquam primum donum, ad quod omnia alia dicunt attributionem in ratione doni.

1708
Quare missio Filij visibilis fuit facta per creaturam rationem, secus missio Spiritus S.

Et cum Spiritus S. procedat à Filio, & ab eo etiam mittatur, conueniens fuit, vt Filius mitteretur in eo signo, & corpore visibili, in quo posset significari, vt sanctificationis auctor, nimpe vt habet D. Th. ad 4. secundum naturã rationalẽ vnitam hypostaticè personæ diuinæ, secundùm quã naturã posset agere, & sanctificare, & sic missio visibilis filij Dei fuit in carne humana natura assupta modo prædicto. at verò licèt Spiritus S. vt causa prima, & increata, simul cum Patre, & Filio dici possit auctor sanctificationis, secundùm quòd præcisè includit donum creatum gratiæ sanctificantis. Non tamen potest dici auctor, secundùm quòd sanctificatio includit, ipsam personam Spiritus S. cum non procedat à seipso, & ideo non fuit necessarium, aut expediens, vt eius missio visibilis fieret per creaturam rationalem assumptam, sed per aliquid sensibile, per quod solùm significetur specialiter, vt donum, & quæ creatura esset solùm indicium inuisibilis missionis eiusdem Spiritus; & sic filius dicitur missus, vt auctor Sanctificationis, at verò Spiritus S. vt indicium, idest vt illud signum ratione cuius dicitur missus, esset nondum indicium missionis inuisibilis eiusdem Spiritus.

Colligitur etiam ex responsionibus ad 2. 3. & 4. quòd ad hoc, vt Spiritus S. dicatur visibiliter mitti, non necesse est, vt signa illa sensibilia necessaria ad hanc visibilem missionem præexistant, imo congruentius est, vt de nouo fiant, siue ab ipso Deo immediatè, siue ministerio Angelorum, non tamen ad Angelos significandos, sed specialiter ipsam personam missam, & vt peracto suo munere, desinant esse, & propterea neque necesse, aut conueniens fuit, vt assumerentur à Spiritu S. in vnitate personæ per vnionem hypostaticam, vt fuit natura humana Christi Domini, qui venerat, vt sanctificationis auctor, & non vt solùm signum in carne assumpta. 1709 Signa, in quibus Spiritus S. visibiliter mittitur, non debent præexistere.

Notat denique D. Th. in resp. ad 6. non esse necesse, missionem personarum semper fieri cum signo sensibili modo dicto, atque adeo semper esse sensibilem, sed id conueniens fuisse, vt fieret Christo Domino, Apostolis, & alijs Principijs Ecclesiæ, vt per hæc visibilia signa, fides aliorum confirmaretur, & propagaretur: cum hac tamen diuersitate, quòd missio Spiritus S. visibilis ad Christum Dominum, qualis fuit in baptismo ipsius per columbam, & in Transfiguratione sub specie nubis lucidæ, non fuit ad ostendendam aliquam inuisibilem missionem, aut augmentum gratiæ, & donorum, quod tunc de nouo fieret, sed eam, quam habuit initio suæ conceptionis; cæteris autem etiam cum augmento gratiæ modo supra explicato. 1710 Non esse necesse missionẽ personarum semper fieri cum signo sensibili.

Notat præterea D. Th. antiquis Patribus ante Incarnationem non fuisse congruum, vt Spiritus S. mitteretur visibiliter, quia nondum erat exhibita missio visibilis Filij, quæ licèt illis aliquæ apparitiones visibiles diuinarum personarum fuerint exhibitæ, non tamen dicendæ sunt missiones, quia non fuerunt ad ostendendam inuisibilem missionem per gratiam, sed ad alios effectus. 1711 Non fuit congruum antiquis Patribus, vt Spiritus S. visibiliter mitteretur.

Atque hæc ex D. Thom. qui toto hoc art. supponit, vt certum, quòd non solum persona Filij missa sit visibiliter in hunc mundum, de quo non est dubium, sed etiam persona Spiritus S. sæpè visibiliter modo explicato missa fuerit, vt constat in exemplis positis de Christo Domino, & de missione ad Apostolos in die Pẽtecostes, & alijs similibus, de quibus poterat esse difficultas, & propterea in titulo articuli solum posuit, vtrum Spiritui S. conueniat visibiliter mitti, sicut è contra art. 5. quia poterat esse aliqua difficultas de Filio, an inuisibiliter mittatur, qua ratione de solo ipso, qu fuit. Vtraque persona Filij, & Spiritus Sãcti, visibiliter missa fuit.

Arg. In sanctificatione non solum mittitur inuisibiliter persona Spiritus S. sed etiam Filij, sed Filius non procedit à seipso, ergo Filius non potest dici missus in hunc mundum, vt auctor sanctificationis, nisi per sanctificationem intelligamus solum gratiam sanctificantem, sed hoc pacto etiam Spiritus S. est auctor sanctificationis. 1712 Obiectio.

Resp. Filium dici missum, vt auctorem sanctificationis, quatenus in sanctificatione datur persona Spiritus S. non verò aliæ personę, atq; adeo secundùm quòd sanctificatio inuoluit donationẽ primi doni increati, quod non conuenit Spiritui S. quamuis verum sit, non posse dici Filium missum, vt auctorem sanctificationis, quatenus sanctificatio inuoluit etiam missionem inuisibilem sui, sic etiam solus Pater est auctor Sanctificationis, qui tamen non mittitur, sed mittit; multa alia circa has visibiles apparitiones Spiritus S. pertinet ad interpretes Sacrę scripturę, & multa habet Suar. l. 12. c. 6. Resp. Filium dici missum, vt Auctorem Sanctificationis.

Notat præterea D. Th. in 1. dist. 15. q. 5. art. 1. quæstiun. 4. quod ad humanam naturam Christi Domini initio suę conceptionis duplex missio facta est, vna visibilis ipsius personæ Filij, quatenus persona sola Filij hypostaticè assumpsit naturam illam in vnitatem personæ, ita vt per illam visibiliter huic mundo de nouo appareret in carne, & [illegible] illa missio 1712 Ad humanã naturã Christi Domini duplex missio facta fuit.

visibilis, non autem, quòd fuerit facta cum aliquo alio signo visibili. Secunda missio fuit inuisibilis per gratiã perfectam, postea verò in ipsius vitæ decursu nulla missio inuisibilis facta est eidem humanæ naturæ, quæ ab initio fuit plena omni gratia, sed solùm missio visibilis Spiritus S. ad ostendendam inuisibilem missionem initio factam, seu ad ostendenda aliqua dona gratiæ, non quæ tunc de nouo conferrentur, sed quæ olim collata fuerant, & tunc in illa natura perseuerabant.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum aliqua persona diuina mittatur nisi ab ea, à qua procedit æternaliter.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

PRima Conclusio. si nomine missionis designetur processio personæ missæ à mittente mitti, conuenit tantùm filio, qui à Patre solo mittitur, & Spiritui S. qui mittitur à Patre, & filio. nam illa persona sic mittitur. quæ est ab alia. 2. Conclusio. si nomine missionis intelligamus esse principium effectus secundùm quem attenditur missio, tota Trinitas mittit personam missam. Quia tota Trinitas concurrit ad operationem talis effectus,

Arg. 1. Pater à nullo mittitur, quia à nullo est ex Aug. 4. de Trin. c. vlt. ergo. Resp. Antec. esse verum sumendo missionem prout dicit ipsam processionem personę ab alia.

Arg. 2. mittens habet authoritatem respectù personæ missæ: sed hæc authoritas respectù diuinæ personæ non potest esse nisi secundùm rationem originis. ergo. Resp. ma. esse veram loquendo de missione prout dicit processionem &c.

Arg. 3. si persona diuina posset mitti ab eo, à quo non est, nihil prohibet dicere, quòd Spiritum S. detur ab homine: Resp. neg. seq. quia homo non est principium Spiritus S. nec effectum gratiæ potest causare.

DISPVTATIO CCXXXII.

An aliqua persona diuina mittatur, nisi ab ea, à qua procedit ęternaliter.

1714 Sensus difficultatis explicatur.

VIdetur D. Th hunc art. instituisse in gratiam D. Augustini, & Magistri sententiarum, & aliorum, qui suo tempore eodem modo loquebantur, at D. Aug. qui l. 2. de Trin. c. 5. voluit Filium non solùm à Patre, sed à se, & à Spiritu S. missum fuisse in hunc mundum, & Spiritum S. etiam à seipso mitti, licèt Pater à nullo mittatur, neque etiam à se; ex quibus duo colligebant auctores cit. quæ non possunt aptiùs exprimi, quàm verbis D. Th. nempe primò, quòd mitti, veluti passiuè in diuinis non conueniat cuilibet personæ, sed solùm personæ ab alio existente (& propterea Patri nullo modo conuenit mitti.)

1715 An mittere cõueniat cuilibet personę.

Secundò, quòd mittere conueniat cuilibet personæ; vtrumque autem, inquit D. Th. habet aliquo modo veritatem, quia cum dicitur aliqua persona mitti, designatur, & ipsa persona ab alio existens, & effectus visibilis, aut inuisibilis, secundùm quem missio diuinæ personæ attenditur, si igitur mittens designetur, vt principium personæ, quæ mittitur, sic non quælibet persona mittit, sed solùm illa, cui competit esse principium illius personæ, & sic Filius mittitur tantùm à Patre, Spiritus S. autem à Patre, & Filio; si verò persona mittens intelligatur esse principium effectus secundùm quem attenditur missio, sic tota Trinitas mittit personam missam. Hæc hoc loco D. Th.

1716 Si missio sumatur secundùm effectû, persona mittit seipsam.

Vndè colligitur, quòd Filius potest dici à seipso missus, & à Spiritu S. si accipiatur missio non secundùm quod importat auctoritatem mittentis, aut originem personæ missæ ad mittentem; sed secundùm effectum, secundùm quem persona dicitur mitti, atque adeò si accipiatur non secundùm omnia, quæ includit missio, & secundùm hanc considerationem non est necessarium, vt persona missa procedat à persona quauis mittente; item neque est necesse, vt persona mittens habeat auctoritatem principij in ordine ad personam missam, sed sufficit, vt sit principium illius effectus, secundùm quem attenditur temporalis missio.

1718 Homines non possunt dici dare, nec mittere Spiritum Sanctum.

Et sic etiam concludit D. Th quòd homines non possunt dici dare, vel mittere Spiritum S. quia vt etiam fatetur in 1. dist. 15. q. 3. art. 1. ad 2. nec Spiritus S. ab ipsis procedit, nec effectum gratiæ causare possunt, secundùm quem attenditur missio Spiritus S. scil. auctoritatiuè causare; quòd requireretur ad missionem, nam ministerialiter possunt dare, vt ipse D. Th. docet 3. p. q. 8. art. 1. ad 1. & alibi, atque hoc pacto D. Th. q. 10. de Pot. art. 4. ad 14. conciliat D. Augustinum supra cit. cum D. Athanas. contrarium docente simul cum aliis Græcis Patribus, qui ea scripturæ loca, in quibus videtur Filius dici missus à Spiritu S. intelligunt, quòad humanam naturam ad prædicandum, &c. aut per Spiritum intelligunt Patrem, vt etiam intellexit D. Hilar. legi potest idem D. Th. opuscul. 1. cap. 14.

1719 Quæres 1. An sit propriè missio, quando mittitur tota Trinitas. Resp. affirm.

Circa hanc D. Th doctrinam duo quæri possunt, primum est, an in eo sensu, in quo dici potest, quod Filius mittit se ipsum, & mittitur à Spiritu S. & vniuersaliter in eo sensu explicato, in quo tota Trinitas dici potest mittere, missio tunc dicatur propriè, an impropriè, quam difficultatem D. Th. hoc loco noluit examinare, sed solùm docuit aliquo modo verum esse, quòd vna persona mittat seipsam, fusiùs autem de illa egit in 1. dist. 15. q. 3. art. 1. & 2. vbi art. 1. concludit, propriè dici posse, & debere, quòd persona mittat seipsam.

Ratio. quia sufficit, vt ratione alicuius verificetur.

Cuius ratio breuiter est, quia quando prędicatur aliquid de aliquo secundùm fieri, vt si dicatur, homo facit parietem album, satis est, si ratione vnius verificetur propositio, vt in exemplo posito, satis est ad veritatem illius propositionis, vt homo albefaciat parietem, etiamsi non faciat ipsum parietem, quòad substantiam suam, vt certum est; cum ergo missio duo inuoluat, progressum ab alio, & effectionem alicuius rei, secundùm quam attenditur missio, ad quem effectum concurrit quælibet persona diuina.

1720 An Personam mittere seipsã sit verum simpliciter, vel secundũ quid.

Hinc fit, vt persona missa dici possit mittere seipsam, etiam propriè, quatenus facit, vt ipsa, quæ est ab alio existens sit nouo modo in creatura, ad quam mittitur; cum ergo hoc loco primæ partis D. Th. doceat, eam propositionem, in qua persona dicitur mittere se ipsum solùm esse aliquo modo veram, at verò loco cit. in primo dicat, esse in sensu etiam proprio veram, videtur posse colligi ex eius doctrina hæc solutio difficultatis, quòd scil. de aliqua propositione, quæ est de prędicato coniunctè explicato, aliud est quærere, an sit vera simpliciter, vel secundùm quid, & an sit vera propriè, an solùm impropriè & metaphoricè, aut latè sumpto vocabulo, nam hęc propositio, Aetiops est homo albus, est vera, propriè, nempe secundùm quid, non autem vera simpliciter, cũ propriè sit albus secundùm dentes, non autem impropriè, similiter cùm paries præexistens fit albus, hęc factio non est factio simpliciter, sed solùm secundùm quid, licèt sit vera factio. Hoc ergo pacto dicendum existimo, quòd cum dicitur filius mittere seipsum, hæc propositio solùm sit vera secundùm quid, non autem simpliciter, quia filius non est principium omnium, quę essentialiter includit missio, sed solùm alicuius, tamen in eo sensu, in quo est vera secundùm quid, est propriè vera, & in proprio sensu vsurpatur, & quidem ad hoc secundùm respexit D Th. loco cit. in 1. at verò ad 1. respexit hoc præsenti loco, quòd etiam constat explicando prędictam doctrinam exemplo nostro, nam mittere in re nostra, est facere, vt persona, quæ est ab alio, seu existens, ab alio, sit nouo modo alicubi, vbi prius

1721 Resp. cùm Filius dicitur mittere seipsũ est propositio vera secũdùm quid.

tali

test esse nisi vnum, sicut si albedo si esset subsistens, non esset nisi vna ex q. 11. art. 3. & 4. ergo.

Arg. 1. habitudo causati ad causam, non est de ratione entis. Quia aliqua entia possunt inueniri absque habitudine ad causam. Sed esse creatum dicit habitudinem causati ad causam. ergo. Resp. dist. ma. habitudo &c. non est de ratione entis communiter dicti prout comprehendit ens per essentiam, & ens ab alio; conced. prout comprehendit tantùm ea, quorum esse non est eorũ essentia, neg. esse enim causatum conuenit necessariò omni enti per participationem.

Arg. 2. Ea, quæ indigent causa effectiua, possunt non esse; sed multa sunt entia creata necessaria, quæ non possunt non esse. ergo. Resp. dist. ma. nam si indigentia causæ efficientis est ex eo, quòd res potest esse, & non esse: sicut corruptibilia indigent causa efficiente. Conced. vel ex eo, quòd res non esset, si causa non esset, quia res est ens ab alio; & tunc negatur.

Arg. 3. mathematicalia non habent causam effectiuam, nam in mathematicis non fit demonstratio per causam agentem, & tamen sunt entia. ergo. Resp. dist. ma. si considerentur materialiter, negatur ma. quia sunt entia ab alio existentia in rerum natura; linea enim in corpore habet causam: si considerentur formaliter, vt abstracta, à materia sensibili: conced. sed nihil contra conclusionem.

DISPVTATIO CCXXXIII.

In qua aliqua notantur pro defensione conclusio D. Thom.

1728 Nota 1. Tot modis di ciens per essentiam, quot modis ens per participationẽ dicitur. Primo modo.

PRO explicatione rationis D. Th. notandum est primò, quòd cum esse tale per essentiam, & esse tale per participationem ex diametro opponantur, quod, modis dicitur vnum, necessarium est dicatur, & aliud seruata tamen oppositione. Vt autem colligitur ex D. Th. quodl. 2. a. 3. & lib. 1. Metaph. lect. 10. in duplici sensu potest dici aliquid per essentiam. Primò, quia illud, quod de tali subiecto prædicatur, est de eius essentia, in quo sensu homo est animal per suam essentiam, & è contrario iuxta hunc sensum dicitur aliquid tale per participationem, quia illud, quod de ipso prædicatur, non est de eius essentia, vt ferrum dicitur ignitum.

Secundo modo dicitur tale ens per essentiam, quia est ipsa essentia.

Secundo modo dicitur aliquid tale per essentiam, quia est ipsa essentia, quæ de illo prædicatur totaliter, & absque aliqua limitatione. In quo sensu homo est animal rationale per essentiam, quia natura, & quidditas animalis rationalis absque aliquo limite conuenit homini. E contrario verò iuxtà istum sensum dicitur aliquid tale per participationem, quia non est totaliter, & absque limitatione essentia illa, quæ de ipso prædicatur, sed limitatè, & quasi partialiter. In quo sensu homo est animal per participationem, quia ratio animalis non conuenit homini secundùm omnem suam amplitudinem, sed limitata, & coarctata per rationale.

1729 D. Th in vtroque sensu dixit Deum esse ens per essentia, & creaturę per participationem.

Cùm ergo D. Thom. in præsentia dicit, Deum esse ens per essentiam, creaturam verò per participationẽ, in vtroque sensu intelligit. Et ratio est, quoniam esse non solum conuenit Deo essentialiter, verùm etiam secundum totam suam amplitudinem, & extensionem sine aliquo termino, & limite. At creaturæ non solùm non conuenit secundùm suam totam latitudinem, verum neque essentialiter.

Scotus minùs sufficienter rẽ hunc explicauit.

Ex quo sequitur, Scotum in 1. d. 2. q. 3. ad 3. principale, & d. 8. qu. 1. minus sufficienter rem hanc explicuisse, dum asserit, Deum in hoc sensu dici ens per essentiam, quia est perfectissimum, & infinitum ens, creaturam verò dici ens per participationem, quia non est totum ens, sed quædam pars entis. Hæc expositio idcircò insufficiens videtur, quia licèt ex illa constet, creaturam esse ens per participationem in secundo sensu, nõ tamen constat, an in primo sensu sit ens per participationem, quia non explicat Scotus, an esse sit de essentia creaturæ alicuius. Sed tamen non acriter reprehendo Scotum in hac parte, quoniam eius explicatio concordat cum modo loquendi Antiquorum Philosophorum, qui referente Aug. Eugubino lib. 3. de perenni Philosophia c. 8. Deum appellabant vniuersum, quasi complectentem vniuersitatem totius entis, mundum vero ornatum dicebant esse quamdam particulam illius vniuersitatis participatam ab ipso Deo.

1730 Nota 2. Quod si dupli ci modo dicitur aliquid tale per essentiã.

Secundò notandum est, quod duplici modo potest aliquid dici tale per essentiam, etiam in vtroque sensu exposito à nobis. Primò formaliter, idest quòd id, quod dicitur tale per essentiam sit tale essentialiter: Sicut homo est animal rationale per essentiam. Secundo modo causaliter, id est, quod id, quod prædicatur de aliquo, sit proprietas, & passio consequens essentiam. Siquidem sit proprietas, & passio inadæquata, illud dicitur tale per essentiam in primo sensu, v. g. Homo dicitur sensibilis per essentiam causaliter, si vero fuerit passio adæquata subiecti, tunc dicitur tale per essentiam causaliter in secundo sensu, v. g. Homo dicitur admiratiuus per essentiam causaliter. In hoc sensu Philosophi sæpè dicunt, ignem esse calidum per essentiam.

Vt aliqua proprietas sit per essentiam, potest extra subiectum reperiri.

Sed obseruandum est, quòd vt proprietas aliqua accidentaria dicatur conuenire alicui per essentiam in secundo sensu, non est necesse, quòd taliter sit adæquata subiecto, vt nullo modo extrà ipsum reperiatur, aliàs enim ignis non est calidus per essentiam in hoc sensu, quia calor extrà ignem etiam reperitur, sed illud duntaxat necessarium est, quòd talis forma accidentaria sit proprietas tantùm illius subiecti, & per se loquendo tantùm ex eius essentia dimanet, ita vt vbicumque reperiatur, sit virtus participata à tali subiecto, & ita contingit in exemplo proposito, quod calor est proprietas solius ignis, & vbicumque reperitur, est virtus participata ab igne. Vnde fit.

DVBIVM VNICVM.

An vera sit Ratio D. Th. quòd Deus sit ens per essentiam, creaturæ verò per participationem.

1731 *Nota. vt aliquid sit ens per essentiam tres exigũ conditiones*

NOtandum est, quòd vt aliquid sit tale per essentiam in secundo sensu in disp. explicato, qui perfectissimus, & proprijssimus est, qui & ad intelligentiam rationis D. Th. potissimum deseruit, tres conditiones necessariæ sunt, iuxtà mentem Caietani in hoc art. Prima, quod sit essentia, & quidditas ipsa, quæ de illo prædicatur. v. g. Deus dicitur bonus per suam essentiam, quia est ipsa quidditas, & essentia bonitatis, & si per impossibile daretur albedo separata, esset albedo per essentiam, quia esset ipsa quidditas, & natura albedinis. Secunda conditio est, quòd illa essentia, & quidditas nullo modo sit coarctata, & limitata in illo subiecto. Defectu huius conditionis anima separata à corpore non est natura rationalis per essentiam, quia natura animæ rationalis est in illa contracta, & limitata per habitudinem ad corpus, quod sua natura respicit.

1732 *Tertia conditio quòd sit naturaliter subsistens.*

Tertia conditio est, quod sit naturaliter subsistens, & non satis fuerit, quod ex modo significandi subsistat, sicut albedo cùm significatur per hanc vocem, habet modum rei subsistentis, sed requiritur, quod subsistat à parte rei. Neque sufficit, quod subsistat per miraculũ, sicut quantitas in Sacramento altaris quodammodo subsistit. Istæ conditiones desumptæ sunt ex D. Th. & quidem primã ponit expresse 2. cõt. Gent. c. 52. ratione vltima, quod adhuc expressiùs asserit 1. metaph. lect. 10. & quodl. 2. artic. 3. in corp. vbi etiam asserit alias duas, quę omnes intelligendę sunt de eo, quod est per essentiam tale formaliter, qui & proprijssimus modus est conueniendi per essentiam, licet etiam secunda

1740 *Resp. actus essend. quo res creata existit, est ens per participationem,*

Resp. neg. Antec. Ad prob. Resp. quód ista ratio D.Th. (quicquid velit Caiet.in hoc art.)extenditur ad probandum,materiam primam esse causatam, seu concausatam à Deo effectiuè. Sed quoniam Philosophi errauerunt circa productionem materię primę; ideò D.Th. constituit specialem art. in quo disputauit de productione materiæ primæ à Deo. Ad 2. prob.Resp. quod actus essendi, quo essentia creata consistit,est ens per participationem, & non per essentiam,& non est suum esse,quidquid Dominus Caiet. dicat,quoniam ipse non subsistit propriè loquendo,sed est quo essentia creata subsistit, atque adeò est actus participatus a Deo,& causatus in ipsa essentia creata, in qua recipitur, tanquam actus in potentia.

4. Obiectio.

Arg. 4. Ratio D.Th.tantòm probat, Deum esse causam omnium rerum, non autem probat esse causam effectricem,quod erat intentum in hoc art. ergo. Prob. Antec. fundamentum rationis huius est. Id quod est tale per participationem,necesse est causerur ab eo,quod est tale per essentiam: Sed hæc propositio non est necessario intelligenda de causalitate effectiua,sed satis aptè explicatur à Cómentator. & a'ijs de causa finali, ergo. Confirm. quia hæc propositio fundamentalis est eadem cum ea,quam habet Arist in 2.met.text. 4. Primum, & maximum in vnoquoque genere, est causa omniũ aliorum illius generis,hæc autem propositio optimè explicatur de causa exemplari,& finali,& non necessario intelligitur de causa effectiua: atque ita communiter solet dici,quòd albedo, quæ est maximus,& supremus color, est causa aliorum colorum, non quidem effectiua,sed exemplaris. Item homo supremus animalium est causa finalis, & exemplaris,non effectiua omnium animalium, non ergo ex hoc propositione colligitur,euidenti Conseq. Deum esse causam effectricem omnium rerum.

1741 *Resp. Rationẽ D.Th. à nobis explicatã conuincere, Deum esse causam effectiuam.*

Resp. quòd ratio D. Thom. vt est à nobis explicata, conuincit Deum esse causam effectiuam, & non solùm finalem. Et similiter propositio fundamentalis de vtraque causalitate,& propriùs de effectiua est intelligenda,vt ex modo loquendi Philosophi elici potest. Etenim dicit,omnia alia causari ab eo,quod est tale per essentiam: Vbi illa dictio, ab, explicat habitudinem causæ effectiuæ. Nam causalitas causæ finalis potius est, quod effectus fit ad causam,quam quod causetur ab ea. Ad Conf neg. quod licet illa propositio assumpta in ratione articuli nõ sit eadem cũ illa Arist.habent tamen magnam affinitatem inter se illæ duæ propositiones, & ita facilis est transitus ab vna ad aliam,quem transitum fortassis fecit Arist.in illo loco.

5. Obiectio.

Arg. 5. contra propositionem fundamentalem. Homo est animal per suam essentiam, & tamen non est causa cæterorum animalium, ergo similiter Petrus est homo per essentiam, & tamen non est causa omnium hominum,ergo. Item ignis est calidus per suam essentiam, tamen non est causa omnium calidorum,nam radijs solaribus redditur subiectum calidum,& ignitum, similiter per motum; & alterationem, subiectum fit calidum,ergo, Denique Arist. optimè calluit hanc rationem articuli,imò ex ipso desumpta est 2.Met.tex. 4. & nihilominus asseruit, aliqua entia esse in rerum natura, scil. incorruptibilia,quæ non sunt à Deo causata efficienter,ergo hæc ratio non est sufficiens ad probandam processionem effectiuam omnium entium à Deo. In oppositum D. Th. hoc art. & locis supra citat.

1742 *Resp illam propositionẽ verificari,quando est aliquid per essentiam in secundo sensu.*

Respond. quòd illa propositio argumenti non verificatur, nisi quando est aliquid tale per essentiam in secundo sensu à nobis exposito in disputat. At homo non est animal per essentiam in hoc sensu,neque Petrus est etiam rationalis per essentiam in eodem sensu. Ad illud de igne Respond. quod calor à quocumque producatur, est virtus participata ab igne, & ita disponit ad formam ignis. Etenim Sol causat calorem,quatenus in sua forma eminenter continet formam,& virtutem ignis: motus autem non causat calorem, nisi in corporibus mixtis,in quibus virtualiter continetur elementum ignis, quod propter suam maximam actiuitatem facilè excitatur ad causandum calorem, & ita corpora cælestia,licet velocissimo ferantur motu, non calefiunt, quia non sunt corpora mixta.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum materia prima sit creata à Deo.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio affirm. Prob. causa entis inquantum ens, vt est Deus; est causa omnium eorum,quæ pertinent ad esse rerum quocumque modo: patet ex differentia inter agens vniuersale, & particulare: hoc enim nõ producit totam entitatem rei, sicut illud. Sed materia prima spectat ad esse rerum materialium.ergo.

Arg 1.omne, quod fit,componitur ex subiecto,& ex alio. 1. phys. t. 62. sed materiæ primæ nullum est subiectum. ergo. Resp. distin. ma. quæ conceditur de factione parculari, siuè accidentali, siuè substantiali, hæc enim cum sit de forma in formam, supponit subiectum,neg. verò de factione vniuersali,quæ est emanatio totius entis à primo principio essendi; per quam producitur materia.

Arg. 2. Primum principium actiuum nõ est factum ab aliquo; ergo neque passiuum. Respond. neg. conseq. quia passio est effectus actionis: Principium enim actiuum est perfectissimum; & cum principiũ passiuum sit imperfectum debet reduci ad principium actiuum tanquam ad perfectissimum.

Arg. 3. quòd est tantùm in potentia, vt est materia, non potest esse factum; nam omne agens inquantum agens est in actu. ergo. Respond. dist. Anteced. non potest esse factum per se, & solitariè sumptum, conced. potest tamen esse factum, secundùm quod est pars eius, quod est in actu: quia licèt omne creatum sit ens in actu, non tamen omne creatum est actus purus, & sic est facta materia prima.

DISPVTATIO CCXXXIV.

An sit verum,quòd dixit D. Th. quòd causa rerum secundùm quod sunt entia necesse est, vt sit causa omnium, quæ pertinent ad esse illorum?

1743

Videtur,quod non Arg. 1. sic. Quod est causa hominis,inquantum homo,non est causa omnium, quæ pertinent ad rationem hominis: non enim est causa materiæ,neque animæ, ergo nec quod est causa entis,inquantum ens,&c. 1.Obiectio.

Arg 2. Arist. 12.met tex.28.ait,quæ generant substantiam sunt causa entis,inquantum ens, & tamen secundùm Arist generans non est causa materiæ generati,ergo. Et 5.met.tex.9.ait,quòd ens simpliciter fit ex non ente simpliciter scil. ex materia, quæ est pura potentia, ergo non requiritur, quod si fiat ens, fiat ex nihilo,vt D.Th dicit. 2. Obiectio.

Arg. 3. Ens simpliciter, & ens in actu sunt idem, sed potest fieri ens, inquantum ens in actu supposita materia, ergo inquantum ens simpliciter non necessariò fit ex nihilo. Prob. Minor. Materia. 3. Obiectio.

secundum se est nõ ens in actu, ergo illa suppositio adhuc fieri potest ens in actu.

1744 *Nota. Fieri dupliciter accipitur à Philosopho per se, & per accidens.*

Pro explicatione notandum est, quòd fieri dupliciter accipitur à Philosophis, uno modo per se, alio modo per accidens. Patet ex 1. Phys. tex. 76. ubi dicitur, fieri aliquid per se, quando fit tale ex non tali, v. g. cum ex nigro fit album, tunc fit album simpliciter; at per accidens dicitur fieri id, quod includitur, & in termino à quo, & ad quem, vt cum fit album, fit coloratum per accidens, quia coloratum iam antea erat id, quod fit album. Ratio huius est, quia sicut agens non intendit per se ad malum, & corruptionem, ita neque per se intendit agere in effectu, quod iam est in illo, hoc enim esset actum agere, & frustra operari. Sed sicut intendit per accidens corruptionem, ita & facere coloratum, dum per se intendit album, quod includit coloratum.

1745 *Agens naturalem nunquã per se producit substantiã, sed talem.*

Hinc sequitur, quod nunquam agens naturale producit per se substantiam, quia non producit ex nõ substantia, quia materia nunquam est sine forma substantiali, sed per se producit substantiam talem ex non tali substantia, scil. hominem ex non homine. Item sequitur, quod nullum agens possit per se producere ens, nisi producat ex nihilo, sed producet per se ens tale ex non ente tali. Vndè denique colligitur, quod causa entis, vt ens est, debet esse causa materiæ primæ simul, quia est pars entis corporalis. Et si materia præcederet; aliquid iam præesset, quod est aliquo modo ens, atque adeò non fieret totum ens de nouo.

Ad 1. Resp. terminus à quo generationis hominis est non homo.

Resp. ad 1. arg. quòd terminus, à quo generationis hominis est nõ homo, in quo nõ negatur, esse id, quod pertinet ad rationem entis, imò neque id, quod pertinet ad rationem generum superiorum ad hominem, sed solùm negatur, quod pertinet ad propriam speciem hominis, & Ad illud, quod generans hominem non est causa animæ rationalis, Resp. quòd est causa animæ quatenus est formæ informantis, id est, est causa, vt vniatur, & informet materiam. Et secundum hoc pertinet ad hominẽ, qui efficitur in actu per generationem.

1746 Ad 2. Resp. nihil est per se causa existentiæ, nisi Deus.

Resp ad 2. arg. & ad primam auctoritatem Arist. dicimus quod non facit contra nos, quia nihil est per se causa existentiæ nisi Deus, qui simul est causa entis, inquantum ens. Resp. 2. quod ibi Arist. loquitur materialiter, & per accidens de existẽtẽ in fieri, sed formaliter, & per se inclusa in re facta, ac si diceret, quòd cum terminus per se ipsius fieri est de prædicamento substãtiæ, tunc talis terminus v. g. equus fit ex non ente simpliciter, id est ex materia, tanquam ex subiecto, quæ est non ens simpliciter, quamuis non sit simpliciter non ens, sed ens in potentia: at verò quando terminus generationis est sub genere qualitatis, vel quantitatis, tunc non fit mutatio ex non ente simpliciter, tanquam ex subiecto, imo tunc subiectum est ens simpliciter, v. g. quãdo fit album per se, subiectum est homo, qui est ens simpliciter. Et per hoc patet ad 2. auctoritatem.

1747 Resp. materia quamuis sit pura potentia non potest tamen esse sine forma.

Respond ad 3. arg. neg. Min. Ad prob. neg. Conseq. quia quamuis materia sit pura potentia secundum suam essentiam, tamen non potest esse sine forma; quarè in termino à quo, si præsupponatur materia, præsupponitur ens in actu. Resp 2. quod etiam si daretur materia sine forma, & ex illa fieret homo, non tamen fieret per se ens, inquantum ens, quia non fit ex simpliciter non ente. Et si dicas, fit ex non ente simpliciter, ergo fit ex non ente, neg. Conseq. si ly, non infinitet totum hoc, ens simpliciter, tunc enim arguitur à superiori ad inferius sine distributione, certum est enim, quòd cum termini finiti se habent, vt superior, & inferior, tunc infiniti se habent contrario, v. g. homo animal, non homo non animal. Sed ens est superius ad ens simpliciter, ergo non ens simpliciter est superius ad non ens.

4. Obiectio.

Superest tamen vnum argumentum: circa illud, quod D. Th. supponit, scil. quod est causa rerum, secundum quod sunt entia, si datur causa alicuius rei, secundùm quod est ens, ergo illa causa erit cuiuslibet entis, atque adeò erit causa sui. Confirm. Nullus homo potest esse causa hominis, inquantum homo, sed tantum huius hominis. Sortes enim non generat hominem, sed Calliam, quia aliàs seipsum generaret; ergo nullum ens potest esse causa entis, inquantum ens, sed inquantum tale, vel tale.

1748 *Resp. ad hoc, quòd cum D. Th. ait, datur causa entis, inquantum ens, ly, inquantum, sumitur specificatiuè, non causaliter, & reduplicatiuè, v. g. Petrus est crispus secundum capillos, vel inquantum habet capillos, specificatiuè vera est, non tamen statim sequitur, ergo omnis habens capillos, est crispus. Item Christus, inquantum homo merebatur, ergo omnis homo meretur, nihil valet. Argumentum ergo benè probat, quod ratio, quare efficitur aliquid; non est, quia est ens, sed non probat, quòd in isto, vel in illo non producatur quidquid habet rationem entis. Sed pro maiori intelligentia argum enti falli vide D. Th. supra q. 13. art. 5. ad 1. ubi docet, quòd agens vniuocum non est causa vniuersalis totius speciei, quia esset causa sui ipsius, & in eo sensu dicit Arist. quod generatur Callias, & non homo. At verò producitur de nouo in Callia ipsa species hominis, & in hoc sensu solemus dicere, quod homo generat hominem, & quod generatur substantia, semper intelligentes in indiuiduo, non vniuer aliter.* Resp. datur causa entis, in quantùm ens, ly inquantum sumitur specificatiuè.

1749 Petes 1.

Petes. An materia prima sit producta à Deo in tempore.

Error aliquorum refertur.

D. Aug. lib. de hæresibus c. 59. refert, hæresim fuisse Seleuci, & Hermiæ, à quibus Seleuciani, & Hermiani Hæretici nominati sunt, qui aiebant, materiam primã non fuisse creatam à Deo, sed coæternam ipsi, ex qua produxit hæc visibilia. Eundem errorem tribuit Chrysost. Valentino, & Marcioni, & Manichæo homil. 2. super Genesim.

Resp. affirm. Prob. ex sãctis Patribus.

Contra quos omnes est veritas catholica, quam Sãcti Doctores ex scriptura, & fide confitentur, materiam primam, quam Græci Hylem vocant, productam à Deo in initio temporis. Sic ait Aug. lib. 1. super Genesim c. 14. catholica fides præscribit, & certissima ratio docet, nullarum naturarum materiam esse potuisse, nisi ab omnium rerum Deo, atque inchoatore Creatore. Id ipsum docet lib. 20. contr. Faust. c. 14. & lib. de Genes. contra Manichæos c. 5. 6. 7. & lib. contr. Fortun. disp. 1. facit hanc rationem, quia aliàs Deus non esset omnipotens & lib. 12. Confess. à cap. 3. & Io. 1. Omnia per ipsum. Et & Ps. 145. Qui fecit Cælum, & terram; mare, & omnia, quæ in eis sunt. Et est definitio Concil. Lateran. habetur cap. Firmiter de Summa Trin. Vtramque de nihilo condit creaturam.

1750 Instabis.

Sed prob. quod materia prima non sit à Deo producta. Nam Arist. 1. Phys. t. 34. sequens communem Philosophorum sententiam dicentium, impossibilem esse productionem alicuius rei ex nihilo, ex hoc infert, statuendum esse quoddam primum subiectum, quod ipse appellat materiam primam, ex quo omnia fiant; ergo materia prima, saltem iuxta mentem Arist. non est facta à Deo.

Resp. explicando illud axioma *ex nihilo nihil fit*.

Resp. quòd illud axioma Philosophorum ex nihilo nihil fit, in duplici sensu est acceptatum ab Arist. Primò, quod nihil fit ex nihilo ab agente particulari, quod operatur per transmutationem, & alterationem subiecti, at respectu vniuersalissimi, qui habet pro obiecto ens, inquantum ens, Arist. nusquam admisit veritatem illius axiomatis Philosophorum. Nota solutionem ad 3. huius articuli.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum causa exemplaris sit aliquid præter Deum.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio affirm. antequam probetur, præmittendum est, quod ad productionem alicuius rei, ideò necessarium est exemplar, vt effectus determinatam formã consequatur: Artifex enim producit determinatam formam in materia propter exemplar ad quod inspicit, his prænotatis. Prob. Concl.

Concl. ille, qui excogitauit ordinẽ vniuersi, est primum principium, ad quod omnium formarum effectuum determinatio reducitur: ordo enim vniuersi in rerum distinctione consistit. Sed Deus per suam sapientiam excogitauit ordinem. ergo.

Arg. 1. Exemplatum habet similitudinem exemplaris. Sed Creaturæ non possunt pertingere ad Dei similitudinem. ergo. Resp. dist. mi. ad Dei similitudinem vniuocam, & specificam: conced. ad Dei similitudinem idealem, & repræsentatiuam. Sicut domus, quæ est in materia, assimilatur domui in mẽte artificis: neg.

Arg. 2. omne, quod habet esse per participationẽ, reducitur ad aliquid per se existẽs: vt ignitum ad ignem. Sed quæcumque sunt in sensibilibus rebus, sunt solùm per participationem alicuius speciei. ergo. Resp. dist. ma. si illud quod habet esse &c. habet esse in materia, vt omnia sensibilia: neg. nam tunc reducitur ad aliquid superiùs, & eminentiùs. 1. ad substantias separatas, & hæc in Deum reducuntur.

Arg. 3. scientiæ, & definitiones sunt de speciebus, non sunt autem de singularibus, cum de singularibus non habeatur sciẽtia: ergo. Resp. neg. conseq. scientiæ enim habẽtur de speciebus, quæ sunt in singularibus, sed per opus intellectus abstrahuntur à conditionibus particularibus.

Arg. 4. D. Dion. c. 5. de diuin. nom. ait quod ipsum secundùm se esse, prius est eo, quod est per se vitam esse, & eo, quod est per se sapiẽtem esse. ergo. Resp. D. Dionys. non intelligere per ly per se esse, aliquas res subsistentes separatas à singularibus. Sed significare ipsum Deum, qui est per se esse, & per se vita.

DISPVTATIO CCXXXV.

Vtrum causa exemplaris sit aliquid præter Deum.

Explicatur titulus.

IN titulo causa exemplaris non est quintum genus causæ: sed coordinatur in 5. Met. inter causas formales: est enim causa formalis res separatur tamen, Nec vocatur exemplar ars factiua rei, sed id ad cuius imitationem ars facit effectum: siuè illud sit res extra animam, siuè intus: siuè sit idem, quod ipsa ars, siuè nõ: formaliter enim loquimur. Præter Deum *autem dicitur directè contra positionem Plat. attributam, de exẽplaribus sensibilium, &c.*

1751 Concl. affirm. Prob. determinatio formæ effectus est à causa exemplari.

In corpore est vna Concl. *Responsiua quæsito. Deus est primum exemplar omnium rerum. Hæc* Concl. *primò prob. secundò prout etiam in rebus creatis: manifestatur illa particula,* primum. *Prob.* Determinatio *formæ, effectus est à causa exemplari, & res naturales determinatas formas consequentur; ergo determinatio formarum naturalium reducitur, sicuti in primum principium, in diuinam sapientiam, quæ ordinem vniuersi excogitauit: ergo in diuina sapientia sunt exemplares formæ omnium rerum, ergo ipse* Deus *est primum exẽplar omnium rerum. Antec pro prima parte declaratur in artificialibus de exemplari, tam intus, quàm extrà. Quoad secundum vero partem manifestum est.* Conseq. *vero prob. quia ordo vniuersi in rerum distinctione consistit.* Conseq. *autem tertia prob. excludendo simul obiectionem quamdam.* Probatio *est, quia illæ exemplares rationes, non sunt aliud realiter à diuina substantia.* Obiectio *verò est, quia huiusmodi formæ sunt multæ, substantia verò Dei vna.* Exclusio *autem obiectionis est, quod multitudo ista non multiplicat diuinam rem, sed respectum ad creatas, seu creabiles res. Deinde declaratur, cur dixerit in* Concl. *ly primum, dicens, quia possunt dari secundaria exemplaria perfectiora, siquidem entia exemplaria dici possunt inferiorum, vt* Philosophi *dicunt.*

1752 Confirmatur, quia videmus, Artifices determinare formas artificialibus secundum quod proponunt.

Circa necessitatem exemplaris causæ scito, quòd determinationem formæ effectus, esse proprium effectum causæ exemplaris, vt in lite ea dicitur, inductiua experientia manifestat. Videmus enim artifices, formas artificialibus determinare, secundum quòd proponunt, petentes huiusmodi artificialia. ipsum autem proponere, quod tale, quod sic tantum, &c. volo: est exemplar dare. ex quo certa datur forma effectus. Verum tamen est, quòd huiusmodi operationem, non exemplar per se ipsum, sed per agens: diuersimodè tamen, quia per agens à proposito immediatè: per agens verò naturale, mediatè, mediante s. datore naturæ. Et sic pro quanto opus naturæ est opus intelligentiæ: exemplaris causa determinans omnibus effectibus formas, necessaria est. Et exemplaris causa sufficientiam agentis, siuè naturalis, siuè à proposito non tollit. Nec ipsa superfluit, sed in suo ordine idem facit, quod agens alio causandi genere facit.

1753 Duplici modo D. Th. procedit ex determinatione formarum ad inferendum, quod sint exemplaria. Primo modo.

Circa radicem conclusionis rursus aduerte, quod quia author supra determinatione formarum naturalium, quam manifestè videmus, fundat processum suum ad ponendum, Deum *esse causam exemplarem, &* Arist. *confutat* Plat. *credentem, exemplaria esse præter particularia agentia, vt res certas formas sortiantur, ne errare hic contingat: dupliciter potest ex determinatione formarum inferri, quod sunt exemplaria. Vno modo sic, quòd ex determinatis formis concludamus determinata exemplaria, tanquam proximas rerum causas. Et sic falsum est: quoniam periret principalis actio agentis, quæ sunt apud nos. Bos enim non generaret bouem.*

Alio modo inquantum ex determinatis formis cõsurgit ordo vniuersi.

Alio modo sic, vt ex determinatis formis, inquantum ex eis consurgit ordo vniuersi, concludamus earum exemplaria in prima causa, quæ ordinem excogitauit vniuersi, tanquam partes ideæ ipsius ordinis. Et hoc est rationabile eo, quòd exemplar alicuius totius perfectè, non huiusmodi, nisi propria partium exemplaria habeantur, & sic manifestè hic proceditur: vnum non aufert causalitas proximarum causarum, sed opus naturæ sit opus intelligentiæ, primæ rationes naturalium operum assignantur. Et sic habes vim primæ Consequentiæ. In responsione ad 2. habes glossam illius propositionis: Omne tale per participationem, reducitur ad tale per essentiam: glossatur enim, vel ad aliquid eminentius continens illud.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Deus sit causa finalis omnium.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

PRima Conclusio Deus agit propter finẽ. nam omne agens agit propter finem; aliàs nõ magis sequeretur hoc, quàm illud, & sic à casu. Deus enim est primum agens. 2. Concl. agere propter finẽ, non eodem modo conuenit agenti primo, & cæteris agentibus. Quia alia agentia à primo sunt imperfecta, & ideò simul agunt, & patiuntur. 3. Concl. diuina bonitas est finis omnium rerum, quia diuina bonitas est illa, quam Deus intendit omnibus creatis communicare; & eandem omnia creata intendunt, prout est eis possibile, consequi.

Arg. 1. Qui agit propter finem, indiget fine; 1. propter finis indigentiam. Sed Deus nullo indiget. ergo. Resp. dist. ma. agere propter finem acquirendum: conc. ma. propter finem communicandum; vt est Deus: neg.

festantis in ratione obiecti, sed ta'is præsentia rea lis, & intima esse debet, quia est manifestatio, non cuiuscuq; obiecti, sed obiecti nobis maximè intimi, & qui cognoscitur, vt radix, & principium totius nostri esse, & per experientiam, & familiaritatẽ sui cognosci, & amari se faciens; sicut substantia Angeli seipsam manifestat, & vnit intellectui, vt obiectum non qualecunque, sed ipsi intellectui intimũ, & tale obiectum sic cognitum, & amatum, vt intimum, & vt principium sui intellectus, etiam inquantum obiectum realiter, & non solùm intentionaliter præsens est, quia seipso, & sua realitate reddit se manifestatum, & cognitum, & experimentali sui cognitione attactum.

1677 *An Deus habeat cõtactum intuitiuum nõ solùm quando clarè videtur, sed etiam quando obscurè cognoscitur? Resp. affirmat.*

Quod vero istum contactum obiectuum rea'em, & intimum habeat Deus, non solùm quando intuitiuè, & clarè videtur, & per modum speciei vnitur, sicut cùm substantia Angeli suo intellectui vnitur, vt obiectum, sed etiam cum fide obscura cognoscitur, & experimentali quadam cognitione occulta attingitur, sicut cùm anima nostra nobis in hac vita manifestatur, constat, quia Deus non solum cognoscitur per fidem, sicut communiter contingit in peccatoribus, & iustis, sed etiam per donum sapientiæ, quasi per gustum, & experientiam quamdam internam, sicut ab omnibus existentibus in gratia, vt docet S. Th. 2. 2. q. 45. art. 4. & 5. & hæc sapientia habetur ex quadam vnione, & connaturalitate ad diuina, id est, ex quadam intima experientia diuinorum, sicut de Ierotheo dicit D. Dionys. c. 2. de diuin. quod *erat perfectus in diuinis, non tantum discens, sed & patiens diuina*, vt ibi affert S. D. art. 2. Pati autem diuina, & experimentalem cognitionem de Deo habere, non solùm pertinet ad statum gloriæ, vbi intuitiuè Deus videtur, sed etiam ad statũ viæ, vbi adhuc Ierotheus erat, & vbi Deus, & si obscurè, & per fidem cognitus, tamen quasi experimentali quodam tactu cognoscitur, & si non visu, sicut animam nostram non videmus, & tamen experientia animationis sentimus, quasi obiectum præsens, quia & informat nos realiter, & informationis indicia nobis præbentat, sic Deus suæ intimæ præsentiæ, quam habet, vt agens, & principium totius esse per immensitatem, nobis specialiter per gratiam demonstrat, tanquam obiectum intimè, & experimentaliter cognoscibile, hic occulte, & per indicia, in patria per visionem, sed tamen iam nobis specialiter, & realiter præsens, & quasi stans post parietem.

1678 *Ratio est quia Deus per donum sapientiæ cognoscitur Deo à Iustitiæ quasi per gustum, & experientiam.*

1679 *Confirm. ex D. Th. qui hunc specialem modum existendi per gratiam, reducit ad cognitionem experimentalem.*

Vnde D. Th. qui hunc specialem modum existendi Deum in nobis per gratiam, dixit esse, inquantum est obiectum cognitum, & amatum, tandem id reduxit ad cognitionem, non qualemcumque, sed experimentalem ipsius Dei, quæ solum habetur per gratiam, & per donum sapientiæ, quo cognoscimus de Deo per quandam connaturalitatem, & coniunctionem cum eo, tanquam viuificante nos, sicut si esset vita vitæ nostræ, & anima animæ nostræ per intimam præsentiam sui, qua influit nobis non solum esse naturale, sed etiam esse gratiæ, quo ipsas personas in nobis, tanquam præsentes agnoscimus, etiam si nondum videamus. Dicit enim sic in 1. dist. 14. q. 2. art. 2. ad 3. quod *Non qualiscumque cognitio sufficit ad rationem missionis, sed solum illa, quæ accipitur ex aliquo dono appropriato personæ, per quod efficitur nobis coniunctio ad Deum secundum modum proprium illius personæ, scil. per amorem, quando Spiritus S. datur; vnde cognitio ista est quasi experimentalis*. Non ergo quolibet modo esse obiectum cognitum, & amatum, sed esse cognitum experimentaliter, & per ipsius præsentiæ tactum, pertinet ad hunc specialem modum, quo persona dicitur missa. Non potest autem cognosci experimentaliter, nisi vt habitus, & possessus, & coniunctus intime, nec coniunctus esse intime, nisi supponendo contactum immensitatis, quo influit esse in animam, non solum esse naturale, quod est commune omnibus, sed etiam esse gratiæ supernaturale, quo ita dat esse supernatura'e, quod se manifestat, vt obiectum ipsi præsens, atque adeo speciali modo dicitur ibi esse, tanquam non solum viuificans influendo, & agendo, sed etiam viuificationem ipsam præsentem prodens, & manifestans, nunc per indicia, & experimentalem coniunctionem ad animam, licet obscuram, in patria vero per intuitionẽ.

1680 *Deus non potest cognosci experimentaliter nisi, vt habitus, & vt possessus, &c.*

Petes *An iste specialis modus existendi in Anima v. g. per gratiam Sanctificantem, necessario Dei immensitatem præsupponat, vt sine illa saluari non possit.* 1681 *Petes.*

Resp. iste specialis modus existendi per gratiam in nobis præsupponit, & requirat necessario præsentiam realem Dei per immensitatem, & sine ipsa saluari non posse, licet sit distincta ab ipsa: nam in primis hæc specialis præsentia supponit, ipsam creaturam habere in se esse productum à Deo, tum naturale, quoad suam naturam, tum supernaturale, quoad gratiam: omnis autem productio Dei, & influxus quoad esse, fit per contactum operationis, qui pertinet ad immensitatem, ita quod etiam ipsa productio gratiæ in anima, quatenus fit per operationem Dei, contactum immensitatis eius requirit, per quem Deus est intimè in ipsa gratia, & in anima, vbi illa producitur, tanquam in effectu suo, & cõseruatur in *esse*: sine quo nulla specialis præsentia dabitur in creaturis. Vnde si per impossibile consideretur Deus sine immensitate, considerabitur, vt non producens in *esse* naturam, & gratiam, & consequenter vt non fundans aliam præsentiam superadditam isti *esse*, & mediante gratia ortum in creatura ex noua habitudine ad Deum. Deinde præsupponitur iste contactus operatiuus Dei, seu contactus immensitatis, tam prout dat *esse* naturale, quam supernaturale per gratiam, quia per gratiam manifestatur Deus, & personæ, non quomodocumque, sed vt experimentaliter cognitæ, & vt intima radix, & principium vitæ animæ, tam in *esse* naturali, quã supernaturali, quatenus ex eius influxu dependet, & deriuatur omne esse, hæc autem deriuatio, & operatio constituit contactum immensitatis.

Resp. iste specialis modus existendi per gratiam, sine præsupposita immensitate Dei in rebus saluari non posse.

[illegible] *Si Deus per impossibile non esset immensus non daretur hæc præsentia experimentalis per gratiã.*

Vt ergo manifestentur personæ, non quomodocumque cognitæ, sed vt intime præsentes, & experimentali cognitione coniunctæ, oportet, quod ista manifestatio fiat secundùm aliquem contactũ præsentialem, quo Deus tangit interius, qui contactus operationis alicuius est, & consequenter ad immensitatem pertinet, quia existentia, & contactus immensitatis in operatione Dei fundatur, vt D. Th. docet supra q. 8. art. 1. ita quod sicut contactus animæ, quo experimentaliter sentitur, etiamsi in sua substantia non videatur, est informatio, & animatio, qua corpus reddit viuum, & animatum, ita contactus Dei, quo sentitur experimentaliter, & vt obiectum coniunctum, etiam antequam videatur intuitiue in se, est contactus operationis intimæ, qua operatur intra cor, ita vt sentiatur, & experimentaliter manifestetur, eo quod *vnctio ipsa docet nos de omnibus*, vt dicitur 1. Io. 4.

1685 *Hæc manifestatio per cognitionem experimentalem exigit aliquem contactum.*

Hoc autem requirit, & præsupponit, Deum operari intus operatione influente intra animam, non solùm *esse* naturale, quod est commune omnibus, etiam non cognoscentibus Deum, sed etiam *esse* supernaturale, ex quo oritur in anima noua habitudo ad Deum, sic intimè operantem, vt cognoscat eum, & afficiatur illi, & ad personas, vt fruendas à se, & sibi intime coniunctas; vt principium influens intime esse naturale, & supernaturale; & sic illo effectu, & cognitione sentit Deũ, vt sibi intime cõiunctum, & experimentaliter notum; quæ experientia sola cognitione non habetur, sed etiam affectu, & gustu, quia est per fruitionem, licet imperfectam, qualis haberi potest in hac vita. Et sic non sufficit cognoscere, & experiri Deum, vt absentem, sicut cognosceretur, si per impossibile immensus non esset, sed oportet habere cognitionem Dei, vt præsentis, & viuificantis, quæ per operationes vitæ supernaturalis habetur. Vita autem supernaturalis, & experientia eius non habetur per solam cognitione, sed per affectum, & gustum, quod pertinet ad charitatem: hoc enim donum nemo scit, nisi qui accipit, vt dicitur Apoc.

Contactus iste requirit, Deũ operari intus operatione influente intrà Animam esse supernaturalem.

Quare

1684
Confirmatur ex D. Th. qui asserit, ad hanc rationem requiri, vt creatura referatur ad Deum, tanquã ad habitũ per quemdam sigillationem.

Quarè S. Thom. explicans intimius quomodo fit ista vnio ad personas missas in animam, dicit citat. dist. 14. quęst. 2. art. 2 ad 2, quòd *Non sufficit, noua relatio qualiscumque creaturæ ad Deum, sed oportet, quòd referatur ad ipsum, sicut ad habitum; quia quod datur alicui; habetur aliquo modo ab ipso. Persona autem diuina non potest haberi à nobis, nisi vel ad fructum perfectum; & sic habetur per donum gloriæ, aut secundum fructum imperfectum; & sic habetur per donum gratiæ gratum facientis. Vel potius, sicut id per quod fruibile coniungitur, inquantum ipsæ personæ diuinæ quadam sui sigillatione relinquunt in nobis dona quedam, quibus formaliter fruimur, scilicet amore, & sapientia, propter quòd Spiritus S. dicitur esse pignus hæreditatis nostræ.* Quibus verbis manifeste explicat D. Th. quomodo personę diuinę dicãtur habitæ, & possessę ab anima, sicut aliquid fruibile ab ipsa, quatenus sua sigillatione relinquunt in nobis quędam dona.

1685
Hæc sigillatio est quædam operatio, quibus personæ manifestantur nobis experimentali cognitione.

Hęc autem sigillato personarum operatio est, quibus personę manifestantur nobis experimentali quadam cognitione, & tactu sui, quibus cognoscimus, animam nostram viuere vita superiori sibi coniuncta, & altiori modo agi, tàm in intellectu, quàm in affectu, seu gustu; vndè & Apost. dicebat: *An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Et iterum, *Viuo, ego, iam non ego, viuit verò in me Christus.* Et iterum Rom. 8. *Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quòd Filij Dei sumus*; quod totum pertinet ad sigillationem quãdam, seu experimentalem tactum, quo personę ipsę per aliquam operationem intimam ita tangunt cor, quòd se manifestant, vt præsentes, tanquam illius viuificationis principium. Operatio autem pertinet ad contactum Dei, vt agentis, quod pertinet ad immensitatem: Sed contactus, quo se faciunt sentire personæ diuinę, vt pręsentes, addit supra pręsentiam agendi, quę est pręsentia Dei, vt est vnus, pręsentiam manifestandi personas, non manifestatione quomodocumque, sed experimentali, & intima, licèt nondum intuitiua, sicut anima sentitur modo à nobis. Et hoc est esse Deum, vt cognitum, & amatum, scil. cognitione, & amore experimentali, & contactum intimum operante in nobis.

1686
Instabis.

Dices: Per ipsam missionem personę dicuntur esse in nobis, sicut conuiuentes, & habitantes nobiscum, non vt principium influens, & radix totius esse, quod pertinet ad generalem modum pręsentię immensitatis. Vnde dicuntur personæ, non tàm in nobis esse, quàm nobiscum; sicut cum dicitur Sapien. 7. *Mitte illam de Cælis sanctis tuis, vt mecum laboret.* Et Angelus ad Virginem Luc. 1. *Dominus tecum*; ita vt comparetur per missionem persona diuina ad nos, nõ vt generale principium dans esse, sed vt altera persona particularis nobiscum familiaris, & cohabitans: ergo malè recurrimus ad contactũ illum immensitatis, quo Deus tangit per operationem suam creaturas, vt influens, & dans illis esse, & vt radix earum, sed vt persona supponens esse, quia mittitur, vt nobiscum sit, non vt nobis det esse.

1687
Resp. solùm probare, cognitionem hanc experimentalem nõ fieri formaliter per contactum nõ tamen, quod hic contactus non præsupponatur.

Resp. argumentum probare, quòd missio personarum, & existentia specialis Dei in anima, non fiat formaliter per contactum immensitatis, non tamen quod pręsuppositiuè non requiratur, sicut ad hoc, vt anima nostra sit nobis præsens obiectiuè, prærequiritur, quòd sit præsens informatiuè, & prout sic præsens sentitur ipsa experientia animationis, & motu vitali, cùm tamen aliud sit, animam informare, & dare esse vitaliter, vt forma, aliud obiectiuè apprehendi illam, et quæ informans est; & vtraque præsentia informatiua, & obiectiua distinguuntur, potestque vna manere sine alia, sicut in dormientibus, & amentibus anima est præsens informando, non tamen cognoscitur, nec sentitur. Sic in peccatoribus Deus est intime dans esse naturale, imò & dona fidei supernaturalia, sed tamen dormiunt, & non sentiunt vitam Dei. Qui autem euigilat, illuminatur à Christo, & sentit ipsum iuxta illud Apost. *Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Quando ergo incipit, quis habere obiectiuam, & experimentalem Dei præsentiam, incipit nouo modo esse in anima, scilicet obiectiuè illemet, qui est per contactum operatiuè, & influendo esse.

1688
Per hanc vnionem gratiæ est in nobis tanquam Amicus, non quia desinat esse radix vitę nostræ, sed quia manifestatur.

Dicitur autem, esse nobiscum, tanquam amicus, & persona conuiuens, & familiaris nobis, non quia desinat per hoc esse radix, & principium vitæ nostræ, sed quia manifestatur, vt persona distincta, imò & tota distinctio personarum manifestatur, vt nos comitans, & assistens, & cohabitans: nec enim ita nobis dat esse, sicut forma, & sicut anima, sed sicut agens, & persona distincta; & sic manifestatur nobis, vt persona conuiuens, & assistens nobis, licèt maneat etiam intimè assistens, vt influens nobis totum esse. Vndè vtrumque significatur in scriptura in hac missione personarum, & quod coassistat nobis, vt persona amica, & cohabitans nobis, veniens & mansionem faciens apud nos Io. 14. & quòd intime det nobis vitam, quasi principium, & radix vitæ nostræ, Isai. 57. *In Sancto habitans, & cum contrito, & humili Spiritu, & viuificet Spiritum humilium, & viuificet cor contritorum.* Et iterum Ioan. 6. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Missio ergo personæ diuinæ ad inhabitandum est, sed etiam ad viuificandum, & vt viuamus ex Deo, non vt ex forma, sed vt ex agente, & influente vitam æternam. Et sic coniunctio ista specialis per missionem, & gratiam, non potest præscindere a contactu operationis, & immensitatis, sed supra ipsum addere obiectiuam manifestationem, quod nullo meliori exemplo explicari videtur, quàm animæ nostræ, prout informantis, & obiectiuè cognitæ.

DVBIVM II.

In quo proponuntur, vt soluuntur obiectiones contra præced. Dub.

1689
1. Obiectio.

EX dictis possunt solui quædam minutiores obiectiones, quæ contra sententiam, & Concl. nostram possunt fieri. Nam in primis non apparet, quomodo ipsę personæ mittantur, & procedant ad animam iusti, cum vbique sint, & intime illi præsentes per immensitatẽ. Si autẽ dicatur, quod solutio de nouo sunt, non per hoc, quòd sint de nouo, vbi anteà non erant, sed per hoc, quod creaturę ipsæ nouo modo immutentur à personis, & respiciant ipsas, quo anteà non respiciebant, quę est solutio D. Thom. dist. 14. quæst. 2. artic. 1. ad 1. & 3.

Replica.

Contra est, quia iste nouus effectus, seu mutatio creaturæ, quę fit per gratiam, est effectus operationis diuinę: ergo modo illo diceretur Deus esse in anima, tanquam medio contactu operatiuo. Hoc autem etiam pertinet ad immensitatem, nam in omni effectu suo est Deus per essentiam, pręsentiam, & potentiam, etiam si effectus ille sit supernaturalis, & gratia ipsa, quia effectus, licèt sint nobiliores, non excludunt contactum Dei, & dependentia ab influxu dante esse, qui contactus est communis omnis creaturę, & pertinet ad immensitatem: ergo per illũ non possunt personę diuinę esse speciali modo in creaturis, & mitti ad illas. Patet hęc Conseq. quia iste effectus, & iste contactus, seu pręsentia est à Deo, inquantum vnus: ergo ex vi illius non est in creatura, vt trinus formaliter, sed solùm concomitanter, & identicè, quod non sufficit ad missionem; quia per missionem specialiter sunt personę in anima, & Deus, inquantum trinus.

1690
Confirmatur.

Conf. quia Deus non potest esse speciali modo in creatura, nisi vel tanquam principium agens, vel tanquam finis fruendus. Vt principium agens est per immensitatẽ ratione suę operationis, & hoc modo non est Deus formaliter, vt trinus, sed vt vnus, quia vt vnus operatur. Vt finis, non requiritur, quòd sit realiter substantia Dei intra animam, ita

quòd personæ, vt distinctæ, sic specialiter sint intrà; tum quia hoc modo solùm est Deus, vt cognitus, & amatus, hic quidem per species obscuras, in patria autem per propriam, & intuitiuam; ad hoc autem parum conducit præsentia realis, quia etiamsi per impossibile Deus esset distans, amari, & cognosci posset per species alienas, & etiam per propriam in sententia, quæ docet, dari posse speciem creatam, qua videatur Deus. Vndè hoc, quod dicitur de existentia Dei reali intrà animam per gloriam, non habet maiorem certitudinem, quam quod non possit dari species repræsentatiua Dei in se; existentia autẽ Dei in anima per gratiam, cùm per alienas species cognoscatur, nullo modo infert præsentiam realem, & intimam, per se loquendo, personarum: nam etiã res distans potest intelligi, & amari. Tum etiam, quia Deus, vt finis fruendus non est omnino certũ, quod de necessitate includat personas, cum sustineri possit opinio, quod Deus sine personis videri possit: ergo ex hac existentia Dei in anima per modum finis, nõ infertur per locum intrinsecum, quod mittantur personæ, & intimè existant intrà animam, cum non implicet, fruitionem Dei dari non visis personis.

Resp. ille nouus effectus, & immutatio creaturæ, inquantũ effectus, procedit à tota Trinitate, vt manifestatio, est effectus connotatus à missione personæ.

1691 Resp. ad principale argumentum solutione ibi data. Ad replicam. Resp. quod ille nouus effectus, & immutatio creaturæ, inquantum effectus Dei est, procedit à tota Trinitate, & à Deo, vt vno, vt autem est ratio manifestandi personas, est effectus connotatus a missione illarum, quæ ad hoc mittuntur, & procedunt in creaturam rationalem, vt manifestentur. Necesse est autem in omni missione, etiam visibili, vt in ipsa incarnatione, effectum aliquem, & immutationem creaturæ fieri, quæ fit à tota Trinitate, sed quia mediante tali effectu intenditur manifestatio alicuius personæ procedentis, dicitur illa mitti, seu procedere in creaturam, vt manifestanda in illa, sicut in effectu gratiæ, licet gratia sit à tota Trinitate, & procedat à Deo, vt vno, tamen ordo creaturæ, & conuersio non sistit in ipsa gratia, sed tendit ad personas, quæ sibi manifestantur per gratiam, vt rectè obseruat D. Th. cit. dist. 14. q. 2 art. 1 ad 2 & hac ratione dicitur persona dari, & mitti in creaturam, non solùm dona eius, licet sine illis non detur, nec mittatur. Et sic licet ille contactus Dei in gratiã, & in animam, cui illam infundit, sit contactus operatiuus, & pertineat ad Deum, vt vnum, & immensum, vt effectiuè à Deo est, tamen manifestatio Dei, quæ fit per conuersionem creaturæ ad Deum ortã ex tali gratia, non est Dei manifestatio, solùm vt vnus est, & quoad essentiam, sed etiã quoad personas, quia ad hoc datur gratia, vt manifestentur personæ, sicut per incarnationem effectiuè factam a tota Trinitate manifestatur solum verbum, vt persona illius humanitatis; & sicut anima informat corpus per suam substantiam, vt vna, & indiuisibilis est, sed manifestatur, & multiplex in virtute, aliter per visum, aliter per auditum, aliter per tactum, &c.

Contactus Dei in Animam, vt effectus, spectat ad Deum vnum, vt manifestatio ad personas.

Ad Confirm. Resp. Deũ esse speciali modo, vt finem fruẽdum, qui necessario præsupponit, quòd sit agens primum

1692 Ad Conf. Resp. Deum esse speciali modo in anima, vt finem fruendum, qui necessario præsupponit, & requirit, quod sit agens primum, & dans totum esse, & sic intimè præsens in anima. Vndè negamus quod ad talem finem fruendum, & cognoscendum cognitione experimentali, & vt intimè dans esse, nõ solùm naturale, sed supernaturale, parum conducat eius realis, & intima præsentia; sicut ad cognoscendam animam, vt viuificãtem corpus experimẽtali quadam præsentia, valdè conducit, quod præsens intimè sit.

Ad 1. probationem. Resp. ad cognitionẽ speculatiuam sufficere præsentiã intentionalem; ad experimentalem requiritur vnio interior.

Ad primam replicam dicitur, quòd ad cognitionem, & amorem finis cognitione quasi speculatiua, & purè extrinsecè se habente ad rem cognitam, & amatam, parum cõducit eius realis præsentia intrà cognoscentem, & amantem, sed sufficit intentionalis præsentia. Sed ad cognoscendum, & amandum cognitione, & affectu quodam experimẽtali, & quasi spiritum intus viuificantem, non sufficit intentionalis præsentia cum reali distantia, sed requiritur connaturalitas quædam, & vnio interior, ex cuius gustu, & tactu nascitur illa experimentalis cognitio Spiritus diuini viuificantis cor, sicut ex vnione informatiua animæ nascitur experimentalis cognitio ipsius animæ, vt obiecti, quod est forma interne viuificans, & informans.

Hæc autẽ vnio non impeditur siue Deus cognoscatur per alienas species, vt in via, siuè per propriam, vt in Patria

Quod autem hoc fiat cognoscendo Deum per alienas species, vt hic in via, vel per intuitiuam, & propriam, vt in patria, non interest, quia non loquimur solùm de manifestatione personarum, vt intuitiua, vel non intuitiua, sed vt experimentali, sicut dicit S. Th. cit. dist. 14. quæst. 2. art. 2. ad 3. Et hæc datur etiamsi res intuitiuè nõ videatur in se, sufficit, quod per proprios effectus, quasi per tactum, & viuificationem sentiatur, sicut animam nostram experimẽtaliter cognoscimus, etiamsi intuitiuè eius substantiam non videamus. Sic ergo quoad intuitiuam cognitionem, seu visionem per species alienas, videtur Deus in hac vita, & sic pro hac parte non exigit præsentiam realem, sed quoad experimentalem cognitionem Dei, vt viuificantis non, & per modum influentis, & dantis esse intimè multo magis, quam anima, licet in genere causæ efficientis, sic requirit præsentiam realem, vt supra explicatum est. Cum autem intuitiuè videtur hæc eadem substantia diuina, multo clariùs apparet eius realis vnio præter præsentiam immensitatis, eo quod certius est, non dari de facto speciem creatam repræsentantẽ Deum in se, & probabilius dari non posse, sed tamen eius intima præsentia per experimentalem vnionem, & connaturalitatem ab hoc non dependet.

Ad 2. Prob. Respondetur.

1693 Ad 2. probat. dicitur, quod quidquid sit, an de potentia absoluta possit Deus videri sine personis, tamen de facto est certum, de fide videri à Beatis. *Hæc est enim vita æterna, vt cognoscant te solum Deum, & quem misisti Iesum Christum*, inquit Christus ad Patrem Ioan. 17 & connaturaliter id exigit visio beata: ergo Deus, vt de facto, & connaturali modo fruendus, missionem exigit, & manifestationẽ personarũ.

2. Obiectio.

Arg. 2 id quod supra iam insinuatum est, quia inter spirituales substãtias potest dari cognitio perfecta, & amor fruitiuus independenter ab omni loco, & præsentia reali, vt patet inter duos Angelos, qui possunt se videre, & amare, etiamsi longissimè distent, quoad localem præsentiam, & vera amicitia frui, & se communicare per loquutionem, quia localis distantia non impedit loquutionem in Angelis, vt docet S. Th. q. 107. art. 4. ergo multo minùs impedit alias communicationes amicabiles purè spirituales, quia ferè omnes ad loquutionem, & illuminationem reducuntur, ergo multo minùs impedietur amicitia vera, & communicatio Dei ad animam ex defectu præsentiæ localis, vnde per impossibile remota immensitate, adhuc Deus diceretur ratione amicitiæ, & amoris coniunctus animæ, ita quod per locum intrinsecum ex vi amicitiæ, & communicationis spiritualis id non requiratur. Sed neque ratione missionis, aut aduentus ad creaturam, quia hæc omnia per ab absentiam geri possunt, sicut tutor, & legatus rectè dicuntur mitti, licet per absentiã clientis, & domini, negotia tractent. Denique D. Th. non agnoscit præter præsentiam immensitatis, qua Deus est intra animam, alium specialem modum præsentiæ in iustis, quam vt cognitum, & amatum, ad hoc autem, vt Deus sit cognitus, & amatus, non exigitur per locum intrinsecum realis præsentia; ergo præter præsentiam immensitatis non ponit D. Thom. aliam realem præsentiam ratione gratiæ, nec est explicabilis, quæ nam illa sit, immensitate, remota.

1. Confirm. exẽplo Tutoris.

2. Confirm: ex D. Th.

Resp. fruitionẽ, & amorẽ inter res spirituales, non habentes inter se dependentiam posse dari sine præsentia reali.

1694 Resp. fruitionem, & amorem inter res spirituales nullam inter se habentes dependentiam, aut ordinẽ, posse dari independẽter a præsentia, & coniunctione reali, quia vnus fruitur alio, tanquã persona particulari, à qua non habet esse, nec vitam; & sic vtitur, aut fruitur illo, tanquam re sibi externa, & aduentitia. Ad hoc autẽ nõ indigent spirituales substantiæ præsentia locali, sed colloqui, & cõmunicare

ad

ad inuicem possunt,& se videre,& amare quacumque distantia non impediente,quamquam ad alias actiones,quæ pendeat à motu locali, non possunt communicare inter se Angeli sine præsentia locali,quæ ad motum requiritur,sicut nec etiam Angeli custodes nobiscum perfectè communicant,nisi frequenter ad nos descendant,nec cum animabus purgatorij, nisi ad illas descendant,vt eas releuent, & in Cælum deferant. Vnde similiter si vnus Angelus amicus alterius velit illum defendere ab alijs, secum portare,& appræhendere debet, illi propinquare,& præsens fieri, sicut è contrario ad arcendum Dęmones ab aliquo loco,vel personas,illas appræhendunt,& mouent de loco,sicut Tob. 8. dicitur, quòd *Angelus Raphael apprehendit demonem, & religauit illud*,&c. Quarè perfecta amicitia inter Angelos etiam communicationem requirit secundum præsentiam realem,quando opus fuerit,quamquam illa præsentia, non mediante amore fit formaliter,sed medio contactum virtuali,vt infra dicetur.

1695 *Communicatio cum Deo non est tanquam cum persona particulari, & extranea:*

Cæterum communicatio amicabilis cum Deo, non est tanquam cum persona particulari,& omninò extranea,sed tanquam cum principio vniuersalissimo, & radice totius esse nostri; tàm naturalis, quàm supernaturalis. Vndè non potest præsentia obiectiua,quam habemus de ipso per cognitionem, & amorem præscindere ab ista præsentia, quam præsupponit contactus illius influxiuus totius esse, quod habetur per immensitatem, & super illum contactum addit,quòd obiectiuè etiam sit præsens id,quod operatiuè est intimum, sicut cognitio, & amor circa animam nostram, non est sicut circa rem distantem, sed nobis intimam; & supponitur informatio ipsius intrà nos; superadditur vero cognitio quædam ipsius,quæ si experimentalis est, & penes connaturalitatem ad animã,etiam ex ipso eo gnoscendi modo petit non esse ad rẽ distantẽ:& hoc modo se habet cognitio, & amor, quo Deus dicitur speciali modo esse in nobis, & personæ mittuntur ad nos,scil.cognitio experimentalis, quæ fit penes connaturalitatem,& vnionem ad Deum, in quo viuimus. Qui modus experimentalis cognitionis, & connaturalitatis,non est inter duos Angelos, quia vnus alteri non dat esse, nec vitam, sed solùm est communicatio, vt ad extraneum. Vndè ex simili communicatione non potest trahi argumentum ad communicationem familiarem cum Deo, quæ est tanquam cum vita vitæ suæ,& principio totius esse sui. Et ideò maximus est iste amor charitatis ad Deum,quia est plusquam animæ, & vitæ propriæ, rei sibi maximè intimæ,& diligibilis.

modus experimentalis cognitionis non est inter duos Angelos.

1696 *Ad 1. Confir. de Tutore. Resp. non esse ad rem.*

Vndè patet,exemplum de Tutore, & Legato, qui mittuntur,& gerunt negotia,etiam in absentia,nullo modo esse ad rem. Quid enim apparentiæ illę habent cum Deo,qui mittitur,vt habitet cum corde contrito ad viuificandum eum; qui mittitur, vt viuamus in illo, & propter illum, vt agnoscamus eum,& manifestetur nobis per experimentalem cognitionem,& quasi connaturalitatem, qui est intimum principium,& radix totius esse plusquam anima nostra,& plusquam vita nostra? An potest hoc sentiri,& connaturalizari,posita distantia, & absentia reali?

Ad 2. Confirm. ex D. Th. sũptam. Resp. D. Th. cognouisse, præsupponi debere contactum illũ operatiuũ, & influxiuũ Dei, & ad illũ superaddi istũ modum existẽdi per gratiam

Quòd verò dicitur,D.Thomam non agnouisse, nisi pręsentiam immensitatis, & super hanc solum addere,quod Deus sit præsens,vt cognitus, & amatus,quod à præsentia reali non dependet;dico quòd D.Th.agnouit quidem, præsupponi debere contactum illum operatiuum,& influxiuũ Dei, qui pertinet ad immensitatem,& superaddi ad illum istum modum existendi per gratiam,sed in hoc non dixisse, quod consistit in quacumque cognitione, & amore Dei,sed quæ habetur per quamdam experiẽtiam,& connaturalitatem ad Deum,vt ad præsentem per modum agentis, & principij vitæ nostræ, sicut habemus cognitionem de anima nostra,vt viuificante nos per ipsam experientiam vitalium motuum. Et ista experientia sic cognoscitiua Dei,vt nobis per contactum immensitatis coniunctum,est præsentia obiectiua,quam addit gratia super præsentiam illam contactus diuini in his,qui non sentiunt Deum,aut quia non cognoscunt, aut quia experimentaliter non tangunt, nec sinunt, se ab eo viuificari. Eleganter Aug. tract. 76 in Ioannem: *Ecce facit in Sanctis cum Patre & Filio, Sanctus etiã Spiritus mansionem,intus vtrique,tanquam Deus in templo suo Deus Trinitas,Pater, & Filius, & Spiritus S. veniunt ad nos,dum venimus ad eos; veniunt subueniendo,venimus obediendo,veniunt illuminando,venimus intuendo,veniunt implendo, venimus capiendo,vt sit eorum non extranea visio,sed interna,& sit eorum non transitoria mansio,sed æterna.* Requirũtur ergo secundùm Aug. ad istam inhabitationem personarum reciprocæ actiones ex parte Dei, & ex parte nostra. Illas non facit Deus sine contactu immensitatis,& operationis,istas non facimus, nisi tanquam ad intraneum, & ad principium omnis vitæ nostrę ipsam gustando,& experiendo.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum filio conueniat inuisibiliter mitti.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

Conclusio. Filio, ac Spiritui Sancto cõuenit inuisibiliter mitti. Prob. Personis,quibus conuenit ab alio esse, & inhabitare mentem per gratiam, conuenit mitti; hæc enim sunt de ratione missionis diuinæ personæ,vt dictum est. Sed filio, & Spiritui S. conuenit esse ab alio, & inhabitare mentem per gratiam. ergo. patet mi. ex Io. 14. ad eum veniemus, & mansionẽ apud eum faciemus. Patri enim licèt conueniat inhabitare per gratiam,quia tamen ei non conuenit esse ab alio, non dicitur mitti, vt dictum est.

Arg. 1. missio inuisibilis diuinæ personæ attenditur secundùm dona gratię: hæc autẽ omnia spectant ad Spiritum Sanctum,& non ad filium. 1. Cor. 12. ergo. R[illegible] mi. dona, vt dona; spectant ad Spiritum Sanctum. conc. quia Spiritus S. cum sit amor, habet rationem primi Doni, & Deus quidquid donat amore donat; dona verò vt sunt dona intellectus, habitus cognitionis. neg. min. sic etiam appropriantur Filio,& secundùm hæc dona attenditur missio Filij.

Arg. 2. ad personam procedentem,vt verbum intellectus, pertinent ea, quæ possunt haberi absque gratia gratum faciente; ad perfectionem enim intellectus spectantia, sunt fides,scientia,prophetia,&c. ergo. Resp. neg. conseq. quia persona Filij non dicitur mitti,quando intellectus cum dono scientiæ prorumpit in amorem,quòd non potest fieri sine gratia gratum faciente. nam ad hoc vt aliqua persona mittatur, necessarium est, vt prius saltem natura ipse,cui persona mittitur; habeat aliquid,per quod Deo assimiletur. ad hoc autem,vt quis Deo assimiletur, siuè cuilibet personæ necessaria semper est gratia gratum faciens: anima enim nostra Deo per gratiam conformatur.

Arg. 3. missio diuinæ personæ est quædã processio, vt dictum est. Sed alia est processio filij; alia Spiritus Sancti. ergo & alia missio, si vterque mittitur. ergo altera earum superflueret. Resp. dist. mi. processio solùm, neg. processio, cum inhabitatio-

ne gratiæ, conced. ac proinde hæ missiones, licèt distinguantur, vt processiones sunt; non tamen secundùm inhabitationem gratiæ; nec vna earum superflueret; quia vna persona ab alia non potest separari: & vna illuminat intellectum, & altera inflammat affectum.

DISPVTATIO CCXXIX.

Vtrum Filio conueniat inuisibiliter mitti.

1697 Omissa missione visibili hic loquitur S. Th. de inuisibili.

OMISSA missione visibili filij Dei, qua missus est à Patre, vt nouo modo esset in hoc mundo scil. per carnem humanam visibilem, vnitam sibi in vnitate personæ, per quod hæc missio dicitur visibilis, quærit hoc art. D. Th. de missione inuisibili per gratiam sanctificantem, de qua supra in vniuersum statutum est, quod conueniat personæ diuinæ hoc pacto mitti, & quidem excluso Patre poterat esse difficultas in particulari, an soli Spiritui S. conueniret hoc modo mitti, an etiam Filio, atque adeo vtrique personæ, duæ autem conclusiones communiter etiam receptæ ex doctrina D. Th. colligi possunt.

1698 1. Conclusio. Filio, & Spiritui Sancto competit inuisibiliter mitti.

Prima Concl. Vtrique personæ, nempe Filio, & Spiritui S. conuenit inuisibiliter mitti ad sanctificandum hominem, & inhabitando conuenit inuisibiliter mitti ad sanctificandum, & inhabitandum in ipso per gratiam; & ratio sumitur ex dictis, quia vtrique tantū personæ conueniunt omnia requisita ad inuisibilem missionem, vtraque enim inhabitat nouo modo in homine per gratiam, & vtraque habet originem ab aliqua, quare licèt etiam Pater veniat, & inhabitet in anima hominis nouo modo per gratiam, non tamen dici potest mitti quia non habet, à quo procedat, cum à nullo originem habeat.

1699 2. Conclusio. Differunt hæ missiones Filij, & Spiritus Sancti in duobus.

2. Concl. sumitur ex responsionibus ad argumenta, quæ est huiusmodi. Licèt radicaliter, & vltimo tam persona Filij quàm persona Spiritus Sancti dicantur mitti, quia nouo modo inhabitant in homine per gratiã sanctificantem, & ita quantum ad hoc vtriusque missio conueniat, tamen differre in duobus primò ex parte processionis à mittente, vt habetur ad 3. quarum vna est generatio, altera processio, secundo ex parte donorum, quæ cum gratia communicantur, vt habetur in omnibus argumentis, & præterea in 1. dist. 15. quæst. 4. art. 2. quamuis enim omnia dona in quantum dona, attribuantur Spiritui S. qui habet rationem primi doni, vt suo loco q. 36. dictum est.

Aliqua, & donis appropriãtur Filio, aliqua Spiritui Sancto.

Nihilominus aliqua secundum appropriationem attribuuntur Filio, nempe ea, quę pertinent ad intellectum, vt sapientia, cùm Filius procedat, vt Verbum, & vt sapientia, alia verò, quæ pertineat ad voluntatem, vt amor, appropriantur Spiritui S. & ita Filius dicitur mitti secundùm illuminationem intellectus, non quamcumque, sed quę sit efficax principium amoris, & dicitur sapientia, sicut Verbum diuinum procedit vt Verbum, quòd sit principium amoris, at Spiritus S. dicitur mitti secundum inflammationem affectus, & sic nunquam separatur missio Filij à missione Spiritus S. neque secundùm id, quod dicunt ex parte originis, neque secundùm id quod dicunt ex parte eius, ad quem fit missio, licèt non secundùm eamdem omnino ratione dicatur vtraque persona mitti, licèt vtraque missio communicet in radice, & fine gratię sanctificantis. sed de his latè supra dictum est.

1700 In missione diuinæ personæ semper fit aliqua assimilatio creaturę ad personam missam.

Vndè constat, quòd in missione diuinę personę semper fit aliqua assimilatio creaturę ad personam, quę mittitur, & consequenter manifestatio personę per illa dona assimilatiua, ad Filium quidem per sapientiam. ad Spiritum verò Sanctum per amorem, & sic Filius mittitur, vt Verbum, & sapientia, Spiritus verò S. vt amor. Notat præterea D. Th. in 1. dist. 15. q. 6. art. 1. ad 1. quòd ad rationem missionis non requiritur cognitio actualis semper, & idem dici potest de amore actuali, sed sufficit cognitio habitualis per habitus scil. infusos adnexos gratiæ, sic enim etiam ad pueros in Sacramento fit missio inuisibilis, & ad alio, etiam si præterea non certò sciamus, personam diuinam in nobis inhabitare.

Notat præterea D. Th. in 1. dist. 15. q. 4. art. 2. ad 2. quod missio harum personarum potest considerari, vel quantum ad originem, vel quantum ad dona, quantū ad primam non potest dici, quod missio Filij sit prior missione Spiritus S. licèt secunda supponat ordinem naturæ primam eo modo, quo supra q. 42. diximus in personis non esse prioritatem, licèt sit ordo: quantum vero ad secundum potest dici, quod missio verbi sit prior in genere causæ materialis, quia notitia supponit amorem, vel etiam in genere causæ efficientis, potest tamen dici posterior in genere causæ finalis, quatenus notitia ad amorem ordinatur. 1701 Missio personarum potest considerari, vel quantum ad originem, vel quantum ad dona.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum missio inuisibilis fiat ad omnes, qui sunt participes gratiæ.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio. missio inuisibilis dicitur fieri ad omnes, qui sunt participes gratiæ, quando vel nouiter recipiunt gratiam, vel nouo modo eam participant. Prob. ad illos, & tunc diuina persona mitti dicitur, ad quos, & quando in eis nouiter habitat, vel nouo modo: missio enim diuinæ personæ, tunc fit, quando incipit nouo modo esse in aliquo in quo prius non erat. Sed quando quis nouiter fit gratiæ particeps, vel quando eius gratia augetur, tunc Deus in eum nouo modo habitat. ergo.

Arg. 1. Patres veteris testamenti fuerunt participes gratiæ. Sed missio inuisibilis non videtur fuisse facta patribus veteris testamenti. Ex Io: 21. Ergo. Resp. neg. mi. & ad illud Io: intelligendum est de missione Spiritus S. sub visibili signo, quæ facta est in die Pentecostes.

Arg. 2. Profectus in virtutem non est nisi per gratiam, sed profectus virtutis videtur esse continus, cum charitas semper aut proficiat, aut deficiat: ergo. missio Spiritus S. erit continua. Resp. neg. conseq. quia non mittitur secundum quemlibet profectum, & augmentum gratiæ; sed quando aliquis proficit in aliquem nouum actum, vel nouum statum gratiæ; vt potè cum aliquis proficit in gratiam miraculorum, aut prophetiæ, vel in hoc, quod ex feruore charitatis exponat se martyrio.

Arg. 3. Christus, & Beati plenissimè habent gratiam. Sed missio inuisibilis non fit ad Christum, nec ad Beatos. nam missio fit ad distantes. ergo. Resp. neg. mi. absolutè. & ad prob. quod ad beatus facta est missio inuisibilis in principio beatitudinis. postmodum ad eos fit, non secundùm intensionem, sed extensionem gratiæ, inquantum eis aliqua reuelantur mysteria. Christo verò in principio suæ conceptionis.

Arg. 4. Sacramenta nouæ legis continent gratiam. Sed missio inuisibilis non fit ad Sacramenta nouę legis; ergo. Resp. dist. ma. continent gratiam terminatiuè, neg. ma: instrumentaliter, concedo: missio autem non fit nisi respectu termini: gratia enim est in Sacramentis, sicut forma artificiati est in instrumentis artis, per quendam discursum ab agente in patiens.

DIS-

DISPVTATIO CCXXX.

Vtrum missio inuisibilis fiat ad omnes, qui sunt participes gratiæ.

1702 Concl. affirm.

*R*Espondet D. Th. *ad omnes, qui sunt participes gratiæ sanctificantis, fieri missionem diuinarum personarum, cùm sit eadem ratio de omnibus, & respectu omnium verificentur ea, quæ requiruntur ad missionem; solùm hic difficultatem quamdam habent vltima verba in fi. corp. vbi sic habet* D. Th. in eo, ad quem fit missio, oportet duo considerare; scil. inhabitationem gratiæ, & innouationem quamdam per gratiam; ad omnes ergo fit missio inuisibilis, in quibus hæc duo inueniuntur. *Difficultas ergo est primò, quid per innouationem per gratiam intelligatur, cum ponatur, tanquam aliquid distinctum ab infusione, & inhabitatione gratiæ, neque videtur, quod possint distingui, tanquam causa formalis, & effectus formalis, ita vt inhabitatio gratiæ sit veluti causa formalis, & innouatio per gratiam sit effectus formalis, sic enim ad rem præsentem non numerarentur hæc, tanquam duo sed tanquam vnum, item innouatio per gratiam non potest intelligi ipsa gratia, vt remissiua peccati, secundùm quòd dicitur; homo peccator innouari, sic enim neque Adamo, neque Angelis in primo instanti fuisset facta missio, & sic repugnaret conclusioni vniuersali.*

Prima difficultas.

2. Difficultas.

Secundò difficultas esse posset, an propositio illa vltima habeat intelligi in sensu composito, vt scil. vtrumque reperiri debeat ad hoc, vt dicatur fieri missio, an verò in sensu diuiso, vt scil. sufficiat alterum, nempe primum sine secundo, nam secundum sine primo esse non potest, vt mox dicemus, & similis est hæc difficultas illi in physicis, cum dicitur natura esse principium motus, & quietis, an debeat intelligi motus, & quies coniunctiuè, an non.

1703 Ad 1. difficultatem Resp. per innouationem, intelligere D. Thom gratiæ augmentum.

Ad primam ergo difficul. Resp. *per innouationem intelligere* D. Th. *infusionem Augmenti gratiæ vel conseruationem gratiæ præexistentis, cum profectu tamen in aliquem nouum statum, vel notabilem actum nouũ, vt cùm aliquis proficit in gratiam miraculorum, & prophetiæ, actus martyrij, ingressus religionis, & similia, in quo casu dicitur maximè, & simpliciter de nouo mitti Spiritus S. vel persona diuina, & sic differt innouatio à simplici inhabitatione & infusione gratiæ colligitur hæc doctrina ex respons. ad 2. vbi docet D. Th. vt supra notauimus, quòd licèt in quolibet augmẽto intensiuo gratiæ, dici possit mitti persona diuina, tamẽ præcipuè cum homo proficit in nouos illos actus, vt vidimus. in supra dictis.*

1704 In eo, in quo fit missio, oportet considerare, & inhabitationem gratiæ, & innouationem quandam.

Ad hanc ergo nouam missionem respexit D. Th. *cùm dixit in fine corp quòd in eo, ad quem fit missio, oportet considerare inhabitationem gratiæ, & innouationem quamdam, vt in primo significetur prima missio, in secundo secunda missio, quæ est cum illa innouatione, nam ad primam non est per se requisita illa innouatio, sicuti non fuit in prima infusione gratiæ in Adamo, & Angelis, sed solùm fuit illis facta missio per inhabitationem gratiæ, & de hac secunda missione existimo, ipsum omnino loqui in resp. ad 3. dum ait, beatis fieri missionem inuisibilem in ipso principio beatitudinis, quatenus incipiant habere nouum statum, & postea etiam fieri nouas, & nouas missiones, non secundùm augmẽtum gratiæ, sed secundum quòd aliqua mysteria ipsis reuelantur de nouo vsque ad diem iudicij, quæ omnia pertinent ad secundam missionem, quæ dicitur cum innouatione, seu extensione gratiæ ad aliqua noua dona.*

1705 Christo Domino fuit facta missio Inuisibilis primo modo.

At verò Christo Domino *fuisse factam inuisibilem missionem in principio suæ conceptionis, ratione scil. eius humanitatis assumptæ, quod intelligi debet de missione primo modo postea autem non fuisse factam, quia ab initio suæ conceptionis fuit plenus omni sapientia, & gratia. quod intelligitur de secunda missione Vbi etiam aduertendum est quòd noua hæc missio dicitur secunda, non quia non possit, quoad numerum fieri, nisi secunda, cùm possit fieri 3. 4. & 5. & sæpius fieri; sed secunda non est prima, sicuti pœnitentia, dicitur secunda tabula post baptismum.*

1706 Ad 2. difficultatem. Resp. verba D. Th. intelligi debeat in sensu diuiso.

Atque ex his patet solutio alterius difficultatis; illa enim verba intelligi debent in sensu diuiso, vt sensus sit, ad omnes fit missio, in quibus hæc duo distinctè reperiuntur. scil. alterum ex his, & ita sufficit primum sine secundo, sicuti fecit in Christo Domino, vt vidimus ex D. Th. *& idem dici potest de Adamo, & Angelis in primo instanti creationis, nec quoad vtramque difficultatem possunt verba* D. Th. *habere alium congruentiorem intellectum.*

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum Spiritui Sancto conueniat visibiliter mitti.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

*C*Onclusio, conueniens fuit filium, & Spiritum Sanctum visibiliter mitti, Filius, vt sanctificationis Author, Spiritus S. vt sanctificationis donum. Prob. quia cum Deus prouideat omnibus secundùm vniuscuiusq; modum, & modus connaturalis hominis sit, vt per visibilia ad inuisibilia mãducatur; ideò conuenienter ei inuisibiles missiones personarum, per visibiles debent esse manifestæ. Sed Spiritus sanctus procedit, vt amor; conuenit esse sanctificationis donũ; filio verò inquantum est Spiritus S. principium, conuenit esse sanctificationis Author.

Arg. 1. Persona, quæ visibiliter mittitur in mundum, dicitur minor patre: vt patet de filio. Sed nunquam legitur, quòd Spiritus Sanctus sit minor Patre. ergo. Resp. dist. ma. quæ visibiliter mittitur in mundum in vnitate personæ, conced. quia, quòd dicitur de illa creatura assumpta, etiam de illa persona dici potest: quæ fit visibiliter per assumptionem naturæ visibilis in signum tantùm; vt Spiritus S. in specie columbæ, neg. ma.

Arg. 2. si Spiritus S. dicitur mittere aliquam creaturam, quia est in ea signatum in signo: sequeretur, quòd etiam in Sacramẽtis dicitur missus, quia est ipsis, vt in signis Resp. neg. sequel. quia non in quolib. signo Spiritus Sanctus dicitur mitti: sed requiruntur alia duo. Primum, quòd creatura, in qua fit talis missio, exhibeatur oculis corporeis, defectu cuius visiones propheticæ non dicuntur missiones. alterum est, vt illæ res, in quibus fit talis missio non præextiterint; sed requiritur, quòd fiant repentè, defectu cuius. Petra illa in deserto, de qua dicitur, Petra autem erat Christus, non fuit signum, ideò &c.

Arg. 3. Creatura visibilis secundùm quã fit missio Spiritus Sancti debet significare tantùm ipsam personam Spiritus Sancti, sed nulla creatura repræsentat tantùm personã Spiritus Sancti, cùm sit effectus totius Trinitatis. ergo. Resp. neg. min. & ad prob. quòd illa res, licèt vt effectus sit à tota Trinitate; vt est repræsentatiua, repræsentat tantùm Spiritum Sanctum, nam sicut Pater, filius, & Spiritus Sãctus possunt diuersis nominibus significari; ità possunt diuersis rebus repræsentari.

Arg. 4. missio visibilis personæ diuinæ debet fieri per assumptionem nobilissimæ visibilis

visibilis creaturæ, vt patet in missione Filij; quæ facta est in assumptione naturæ humanæ. Sed Spiritus S. non assumpsit hanc nobilissimam creaturam. ergo. Resp. dist. ma. & ipsam conced. de missione personæ diuinæ, que fit ad aliquid agendum, vt auctrix sanctificationis: hæc enim missio fit in vnitate personæ, neg. autem de ea, quæ fit tantùm ad significandum, quælibet enim creatura potest esse inditium sanctificationis; & hoc modo fuit missio visibilis Spiritus S.

Arg. 5. per ea, quæ fiunt ministerio Angelorum non dicitur visibiliter Spiritus Sãcti mitti. Sed omnia, quæ diuinitùs visibiliter fiunt, ministerio Angelorum sunt facta. August. 3. de Trin. cap. 4. ergo. Resp. dist. ma. ea, quæ fiunt ab Angelis ad repræsentandum ipsosmet Angelos, vt corpus assumptum ab Angelo Tobiæ. Conced. ma. ea verò, quæ fiunt ministerio Angelorum ad repræsentandum aliquam personam diuinã, sicut fuit Columba Iordanis. neg. ma.

Arg. 6. Ad Christum in Baptismo facta est missio visibilis; & tamen ei tunc non fuit facta missio inuisibilis, sed in primo instanti suę conceptionis. item in primitiua Ecclesia ad multos facta fuit missio inuisibilis, ad quos tamen non fuit facta missio visibilis, quæ tantùm ad Apostolos, & ad alios facta fuit. ergo. Resp. neg. conseq. semper enim per visibilem Spiritus Sancti missionẽ significatur eius inuisibilis missio. Sed non semper è contra. nam huiusmodi manifestatio fit ad vtilitatem Ecclesiæ. quæ principaliter facta fuit per Christum, & Apostolos. nam ad Christum facta fuit visibilis missio ad manifestandam inuisibilem missionem ad eum factam in principio suæ conceptionis.

DISPVTATIO CCXXXI.

Vtrum Spiritui S. conueniat visibiliter mitti.

1707 Concl. affirm. Prob. ex conuenientia.

Respondet D. Th. fuisse conuenientem, homini scil. seu in ordine ad homines, vt missio diuinarũ personarum fieret ad ipsos non solùm inuisibiliter per interna dona gratiæ, sed etiam interdum visibiliter, per aliqua scil. externa corpora, vel signa sensibilia, significantia inuisibilem missionem earumdem personarum, id enim est secundum modum connaturalem homini, vt per visibilia ad inuisibilia manuducatur, aliter tamen conueniens fuit, vt mitteretur visibiliter Filius, & aliter Spiritus S. nam cum in sanctificatione creaturæ, in ordine ad quam dicitur mitti persona diuina, non solùm habeatur ab hominibus gratia sanctificans, sed etiam ipsa persona Spiritus S. possideatur, tanquam primum donum, ad quod omnia alia dicunt attributionem in ratione doni.

1708 Quare missio Filij visibilis fuit facta per creaturam rationem, secus missio Spiritus S.

Et cum Spiritus S. procedat à Filio, & ab eo etiam mittatur, conueniens fuit, vt Filius mitteretur in eo signo, & corpore visibili, in quo posset significari, vt sanctificationis auctor, nempe vt habet D. Th. ad 4. secundùm naturã rationalẽ vnitam hypostaticè personæ diuinæ; secundùm quã naturã posset agere, & sanctificare, & sic missio visibilis filij Dei fuit in carne humana natura assupta modo prædicto, at verò licèt Spiritus S. vt causa prima, & increata, simul cum Patre, & Filio dici possit auctor iustificationis, secundùm quod præcisè includit donum creatum gratiæ sanctificantis. Non tamen potest dici auctor, secundùm quòd iustificatio includit, ipsam personam Spiritus S. cum non procedat à seipso, & ideo non fuit necessarium, aut expediens, vt eius missio visibilis fieret per creaturam rationalem assumptam, sed per aliquid sensibile, per quod solum significetur specialiter, vt donum, & quæ creatura esset solum indicium inuisibilis missionis eiusdem Spiritus; & sic filius dicitur missus, vt auctor Sanctificationis, at verò Spiritus S. vt indicium, idest vt illud signum ratione cuius dicitur missus, esset nondum indicium missionis inuisibilis eiusdem Spiritus.

Colligitur etiam ex responsionibus ad 2. 3. & 4. quòd ad hoc, vt Spiritus S. dicatur visibiliter mitti, non necesse est, vt signa illa sensibilia necessaria ad hanc visibilem missionem præexistant, imo congruentius est, vt de nouo fiant, siue ab ipso Deo immediatè, siuè ministerio Angelorum, non tamen ad Angelos significandos, sed specialiter ipsam personam missam, & vt peracto suo munere, desinant esse, & propterea neque necesse, aut conueniens fuit, vt assumerentur a Spiritu S. in vnitate personæ per vnionem hypostaticam, vt fuit natura humana Christi Domini, qui venerat, vt sanctificationis auctor, & non vt solum signum in carne assumpta. 1709 Signa, in quibus Spiritus S. visibiliter mittitur, non debent præexistere.

Notat denique D. Th. in resp. ad 6. non esse necesse, missionem personarum semper fieri cum signo sensibili modo dicto, atque adeo semper esse sensibilem, sed id conueniens fuisse, vt fieret Christo Domino, Apostolis, & alijs Principijs Ecclesiæ, vt per hæc visibilia signa, fides aliorum confirmaretur, & propagaretur: cum hac tamen diuersitate, quòd missio Spiritus S. visibilis ad Christum Dominum, qualis fuit in baptismo ipsius per columbam, & in Transfiguratione sub specie nubis lucidæ, non fuit ad ostendendam aliquam inuisibilem missionem, aut augmentum gratiæ, & donorum, quod tunc de nouo fieret, sed eam, quam habuit initio suæ conceptionis, cæteris autem etiam cum augmento gratiæ modo supra explicato. 1710 Non esse necesse missionẽ personarum semper fieri cum signo sensibili.

Notat prçterea D. Th. antiquis Patribus ante Incarnationem non fuisse congruum, vt Spiritus S. mitteretur visibiliter, quia nondum erat exhibita missio visibilis Filij, quare licèt illis aliquæ apparitiones visibiles diuinarum personarum fuerint exhibitæ, non tamen dicendæ sunt missiones, quia non fuerunt ad ostendendam inuisibilem missionem per gratiam, sed ad alios effectus. 1711 Non fuit congruum antiquis Patribus, vt Spiritus S. visibiliter mitteretur.

Atque hæc ex D. Thom. qui toto hoc art. supponit, vt certum, quòd non solum persona Filij missa sit visibiliter in hunc mundum, de quo non est dubium, sed etiam persona Spiritus S. sæpè visibiliter modo explicato missa fuerit, vt constat in exemplis positis de Christo Domino, & de missione ad Apostolos in die Pẽtecostes, & alijs similibus, de quibus poterat esse difficultas, & propterea in titulo articuli solum posuit, vtrum Spiritui S. conueniat visibiliter mitti, sicut è contra art. 5. quia poterat esse aliqua difficultas de Filio, an inuisibiliter mittatur, qua ratione de solo ipso, quæsiuit. Vtraque persona Filij, & Spiritus Sãcti, visibiliter missa fuit.

Arg. In sanctificatione non solum mittitur inuisibiliter persona Spiritus S. sed etiam Filij, sed Filius non procedit à seipso, ergo Filius non potest dici missus in hunc mundum, vt auctor sanctificationis, nisi per sanctificationem intelligamus solùm gratiam sanctificantem, sed hoc pacto etiam Spiritus S. est auctor sanctificationis. 1712 Obiectio.

Resp. Filium dici missum, vt auctorem sanctificationis, quatenus in sanctificatione datur persona Spiritus S. non verò aliæ personę, atq; adeò secundùm quòd sanctificatio inuoluit donationẽ primi doni increati, quod non conuenit Spiritus S. quamuis verum sit, non posse dici Filium missum, vt auctorem sanctificationis, quatenus sanctificatio inuoluit etiam missionem inuisibilem sui, sic etiam solus Pater est auctor Sanctificationis, qui tamen non mittitur, sed mittit; multa alia circa has visibiles apparationes Spiritus S. pertinet ad interpretes Sacrę scripturę, & multa habet Suar. l. 12. c. 6. Resp. Filium dici missum, vt Auctorem Sanctificationis.

Notat præterea D. Th. in 1. dist. 15. q. 5. art. 1. quæstiun. 4. quod ad humanam naturam Christi Domini initio suę conceptionis duplex missio facta est, vna visibilis ipsius personæ Filij, quatenus persona sola Filij hypostaticè assumpsit naturam illam in vnitatem personæ, ita vt per illam visibiliter huic mundo de nouo appareret in carne, & propter hoc dicitur illa missio

visibilis 1713 Ad humanã naturã Christi Domini duplex missio facta fuit.

visibilis, non autem, quòd fuerit facta cum aliquo alio signo visibili. Secunda missio fuit inuisibilis per gratiã perfectam, postea verò in ipsius vitæ decursu nulla missio inuisibilis facta est eidem humanæ naturæ, quæ ab initio fuit plena omni gratia, sed solùm missio visibilis Spiritus S. ad ostendendam inuisibilem missionem initio factam, seu ad ostendenda aliqua dona gratiæ, non quæ tunc de nouo conferrentur, sed quæ olim collata fuerant, & tunc in illa natura perseuerabant.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum aliqua persona diuina mittatur nisi ab ea, à qua procedit æternaliter.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

PRima Conclusio, si nomine missionis designetur processio personæ missæ à mittente mitti, conuenit tantùm filio, qui à Patre solo mittitur, & Spiritui S. qui mittitur à Patre, & filio. nam illa persona sic mittitur, quæ est ab alia. 2. Conclusio, si nomine missionis intelligamus esse principium effectus secundùm quem attenditur missio, tota Trinitas mittit personam missam. Quia tota Trinitas concurrit ad operationem talis effectus.

Arg. 1. Pater à nullo mittitur, quia à nullo est ex Aug. 4. de Trin. c. vlt. ergo. Resp. Antec. esse verum sumendo missionem prout dicit ipsam processionem personę ab alia.

Arg. 2. mittens habet authoritatem respectû personæ missæ: sed hæc authoritas respectû diuinæ personæ non potest esse nisi secundùm rationem originis. ergo. Resp. ma. esse veram loquendo de missione prout dicit processionem &c.

Arg. 3. si persona diuina posset mitti ab eo, à quo non est, nihil prohibet dicere, quòd Spiritum S. detur ab homine: Resp. neg. seq. quia homo non est principium Spiritus S. nec effectum gratiæ potest causare.

DISPVTATIO CCXXXII.

An aliqua persona diuina mittatur, nisi ab ea, à qua procedit æternaliter.

1714 Sensus difficultatis explicatur.

VIdetur D. Th. hunc art. instituisse in gratiam D. Augustini, & Magistri sententiarum, & aliquorum, qui suo tempore eodem modo loquebantur, ac D. Aug. qui l. 2. de Trin. c. 5. voluit Filium non solùm à Patre, sed à se, & à Spiritu S. missum fuisse in hunc mundum, & Spiritum S. etiam à seipso mitti, licèt Pater à nullo mittatur, neque etiam à se; ex quibus duo colligebant auctores cit. quæ non possunt aptiùs exprimi, quàm verbis D. Th. nempe primò, quòd mitti, veluti passiuè in diuinis non conueniat cuilibet personæ, sed solùm personæ ab alio existenti (& propterea Patri nullo modo conuenit mitti.)

1715 An mittere cõueniat cuilibet personę.

Secundò, quòd mittere conueniat cuilibet personæ; vtrumque autem, inquit D. Th. habet aliquo modo veritatem, quia cum dicitur aliqua persona mitti, designatur, & ipsa persona ab alio existens, & effectus visibilis, aut inuisibilis, secundùm quem missio diuinæ personæ attenditur, si igitur mittens designetur, vt principium personæ quæ mittitur, sic non quælibet persona mittit, sed solùm illa, cui competit esse principium illius personæ, & sic Filius mittitur tantùm à Patre, Spiritus S. autem à Patre, & Filio; si verò persona mittens intelligatur esse principium effectus, secundùm quem attenditur missio, sic tota Trinitas mittit personam missam. Hæc hoc loco D. Th.

1716 Si missio sumatur secundùm effectû, persona mittit seipsam.

Vndè colligitur, quòd Filius potest dici à seipso missus, & à Spiritu S. si accipiatur missio non secundùm quod importat auctoritatem mittentis, aut originem personæ missæ ad mittentem; sed secundùm effectum, secundùm quem persona dicitur mitti, atque adeò si accipiatur non secundùm omnia, quæ includit missio, & secundùm hanc considerationem non est necessarium, vt persona missa procedat à persona quauis mittente; item neque est necesse, vt persona mittens habeat auctoritatem principij in ordine ad personam missam, sed sufficit, vt sit principium illius effectus, secundùm quem attenditur temporalis missio.

1718 Homines non possunt dici dare, nec mittere Spiritum Sanctum.

Et sic etiam concludit D. Th. quòd homines non possunt dici dare, vel mittere Spiritum S. quia vt etiam fatetur in 1. dist. 15. q. 3. art. 1. ad 2. nec Spiritus S. ab ipsis procedit, nec effectum gratiæ causare possunt, secundùm quem attenditur missio Spiritus S. scil. auctoritatiuè causare; quòd requireretur ad missionem, nam ministerialiter possunt dare, vt ipse D. Th. docet 3. p. q. 8. art. 1. ad 1. & alibi, atque hoc pacto D. Th. q. 10. de Pot. art. 4. ad 14. conciliat D. Augustinum supra cit. cum D. Athanas. contrarium docente simul cum alijs Græcis Patribus, qui ea scripturæ loca, in quibus videtur Filius dici missus à Spiritu S. intelligunt, quòad humanam naturam ad prædicandum, &c. aut per Spiritum intelligunt Patrem, vt etiam intellexit D. Hilar. legi potest idem D. Th. opuscul. 1. cap. 14.

1719 Quæres 1. An sit propriè missio, quando mittitur tota Trinitas. Resp. affirm.

Circa hanc D. Th. doctrinam duo quæri possunt, primum est, an in eo sensu, in quo dici potest, quòd Filius mittit se ipsum, & mittitur à Spiritu S. & vniuersaliter in eo sensu explicato, in quo tota Trinitas dici potest mittere, missio tunc dicatur propriè, an impropriè, quam difficultatem D. Th. hoc loco noluit examinare, sed solùm docuit aliquo modo verum esse, quòd vna persona mittat seipsam; fusiùs autem de illa egit in 1. dist. 15. q. 3. art. 1. & 2. vbi art. 1. concludit, propriè dici posse, & debere, quòd persona mittat seipsam.

Ratio. quia sufficit, vt ratione alicuius verificetur.

Cuius ratio breuiter est, quia quando prædicatur aliquid de aliquo secundùm fieri, vt si dicatur, homo facit parietem album, satis est, si ratione vnius verificetur propositio, vt in exemplo posito, satis est ad veritatem illius propositionis, vt homo albefaciat parietem, etiamsi non faciat ipsum parietem, quoad substantiam suam, vt certum est; cum ergo missio duo inuoluat, progressum ab alio, & effectionem alicuius rei, secundùm quam attenditur missio, ad quem effectum concurrit qualibet persona diuina.

1720 An Personam mittere seipsã sit verum simpliciter, vel secundû quid.

Hinc fit, vt persona missa dici possit mittere seipsam, etiam propriè, quatenus facit, vt ipsa, quæ est ab alio existens sit nouo modo in creatura, ad quam mittitur; cum ergo hoc loco primæ partis D. Th. doceat, eam propositionem, in qua persona dicitur mittere se ipsum solùm esse aliquo modo veram, at verò loco cit. in primo dicat, esse in sensu etiam propriè veram, videtur posse colligi ex eius doctrina hæc solutio difficultatis, quòd scil. de aliqua propositione, quæ est de prædicato coniunctè explicato, aliud est quærere, an sit vera simpliciter, vel secundùm quid, & an sit vera propriè, an solùm impropriè & metaphoricè, aut latè sumpto vocabulo, nam hęc propositio, Aethiops est homo albus, est vera, propriè, nempe secundùm quid, non autem vera simpliciter, cũ propriè sit albus secundùm dentes, non autem impropriè, similiter cùm paries præexistens sit albus, hęc factio non est factio simpliciter, sed solùm secundùm quid, licèt sit vera factio. Hoc ergo pacto dicendum existimo, quòd cum dicitur filius mittere seipsum, hæc propositio solùm sit vera secundùm quid, non autem simpliciter, quia filius non est principium omnium, quę essentialiter includit missio, sed solùm alicuius, tamen in eo sensu, in quo est vera secundùm quid, est propriè vera, & in proprio sensu vsurpatur, & quidem ad hoc secundùm respexit D. Th. loco cit. in 1. at verò ad

1721 Resp. cùm Filius dicitur mittere seipsû est propositio vera secũdùm quid.

1. respexit hoc præsenti loco, quòd etiam constat explicando prædictam doctrinam exemplo nostro, nam mittere in re nostra, est facere, vt persona, quæ est ab alio, seu existens, ab alio, sit nouo modo alicubi, vbi prius

talù

test esse nisi vnum, sicut si albedo si esset subsistens, non esset nisi vna ex q. 11. art. 3. & 4. ergo.

Arg. 1. habitudo causati ad causam, non est de ratione entis. Quia aliqua entia possunt inueniri absque habitudine ad causam. Sed esse creatum dicit habitudinem causati ad causam. ergo. Resp. dist. ma. habitudo &c. non est de ratione entis communiter dicti prout comprahendit ens per essentiam, & ens ab alio; conced. prout comprahendit tantùm ea, quorum esse non est eorũ essentia, neg. esse enim causatum conuenit necessariò omni enti per participationem.

Arg. 2. Ea, quæ indigent causa effectiua, possunt non esse; sed multa sunt entia creata necessaria, quæ non possunt non esse. ergo. Resp. dist. ma. nam si indigentia causæ efficientis est ex eo, quòd res potest esse, & non esse: sicut corruptibilia indigent causa efficiente. Conced. vel ex eo, quòd res non esset, si causa non esset, quia res est ens ab alio; & tunc negatur.

Arg. 3. mathematicalia non habent causam effectiuam, nam in mathematicis non fit demonstratio per causam agentem, & tamen sunt entia. ergo. Resp. dist. ma. si considerentur materialiter, negatur ma. quia sunt entia ab alio existentia in rerum natura; linea enim in corpore habet causam: si considerentur formaliter, vt abstracta, à materia sensibili: conced. sed nihil contra conclusionem.

DISPVTATIO CCXXXIII.

In qua aliqua notantur pro defensione conclusio D. Thom.

1728 Nota 1. Tot modis dici ens per essentiam, quot modis ens per participationẽ dicitur. Primo modo.

PRO explicatione rationis D. Th. notandum est primò, quòd cum esse tale per essentiam, & esse tale per participationem ex diametro opponantur, quod, modis dicitur vnum, necessarium est dicatur, & aliud seruata tamen oppositione. Vt autem colligitur ex D. Th. quodl. 2. a. 3. & lib. 1. Metaph. lect. 10. in duplici sensu potest dici aliquid per essentiam. Primò, quia illud, quod de tali subiecto prædicatur, est de eius essentia, in quo sensu homo est animal per suam essentiam, & è contrario iuxta hunc sensum dicitur aliquid tale per participationem, quia illud, quod de ipso prædicatur, non est de eius essentia, vt ferrum dicitur ignitum.

Secundo modo dicitur tale ens per essentiam, quia est ipsa essentia.

Secundo modo dicitur aliquid tale per essentiam, quia est ipsa essentia, quæ de illo prædicatur totaliter, & absque aliqua limitatione. In quo sensu homo est animal rationale per essentiam, quia natura, & quidditas animalis rationalis absque aliquo limite conuenit homini. E contrario verò iuxtà istum sensum dicitur aliquid tale per participationem, quia non est totaliter, & absque limitatione essentia illa, quæ de ipso prædicatur, sed limitatè, & quasi partialiter. In quo sensu homo est animal per participationem, quia ratio animalis non conuenit homini secundùm omnem suam amplitudinem, sed limitata, & coarctata per rationale.

1729 D. Th. in vtroque sensu dixit Deum esse ens per essentia, & creaturę per participationem.

Cùm ergo D. Thom. in præsentia dicit, Deum esse ens per essentiam, creaturam verò per participationẽ, in vtroque sensu intelligit. Et ratio est, quoniam esse non solum conuenit Deo essentialiter, verùm etiam secundum totam suam amplitudinem, & extensionem sine aliquo termino, & limite. At creaturæ non solum non conuenit secundùm suam totam latitudinem, verum neque essentialiter.

Scotus minùs sufficienter rẽ hunc explicauit.

Ex quo sequitur, Scotum in 1. d. 2. q. 3. ad 3. principale, & d. 8. qu. 1. minus sufficienter rem hanc explicuisse, dum asserit, Deum in hoc sensu dici ens per essentiam, quia est perfectissimum, & infinitum ens; creaturam verò dici ens per participationem, quia non est totum ens, sed quædam pars entis. Hæc expositio idcircò insufficiens videtur, quia licèt ex illa constet, creaturam esse ens per participationem in secundo sensu, nõ tamen constat, an in primo sensu sit ens per participationem, quia non explicat Scotus an esse sit de essentia creaturæ alicuius. Sed tamen non acriter reprehendo Scotum in hac parte, quoniam eius explicatio concordat cum modo loquendi Antiquorum Philosophorum, qui referente Aug. Eugubino lib. 3. de perenni Philosophia c. 8. Deum appellabant vniuersum, quasi complectentem vniuersitatem totius entis, mundum verò creatum dicebant esse quamdam particulam illius vniuersitatis participatam ab ipso Deo.

1730 Nota 2. Quod si dupli ci modo dicitur aliquid tale per essentiã.

Secundò notandum est, quod duplici modo potest aliquid dici tale per essentiam, etiam in vtroque sensu exposito à nobis. Primò formaliter, idest quòd id, quod dicitur tale per essentiam sit tale essentialiter: Sicut homo est animal rationale per essentiam. Secundo modo causaliter, id est, quod id, quod prædicatur de aliquo, sit proprietas, & passio consequens essentiam. Siquidem sit proprietas, & passio inadequata, illud dicitur tale per essentiam in primo sensu, v. g. Homo dicitur sensibilis per essentiam causaliter, si verò fuerit passio adequata subiecti, tunc dicetur tale per essentiam causaliter in secundo sensu, v. g. Homo dicitur admiratiuus per essentiam causaliter. In hoc sensu Philosophi sæpè dicunt, ignem esse calidum per essentiam.

Vt aliqua proprietas sit per essentiam, potest extra subiectum reperiri.

Sed obseruandum est, quòd vt proprietas aliqua accidentaria dicatur conuenire alicui per essentiam in secundo sensu, non est necesse, quòd taliter sit adæquata subiecto, vt nullo modo extrà ipsum reperiatur, aliàs enim ignis non est calidus per essentiam in hoc sensu, quia calor extrà ignem etiam reperitur, sed illud duntaxat necessarium est, quòd talis forma accidentaria sit proprietas tantùm illius subiecti, & per se loquendo tantùm ex eius essentia dimanet, ita vt vbicumque reperiatur, sit virtus participata à tali subiecto, & ita contingit in exemplo proposito, quod calor est proprietas solius ignis, & vbicumque reperitur, est virtus participata ab igne. Vnde sit,

DVBIVM VNICVM.

An vera sit Ratio D. Th. quòd Deus sit ens per essentiam, creatura verò per participationem.

1731 *Nota. vt aliquid sit ens per essentiam tres exigit conditiones*

NOtandum est, quòd vt aliquid sit tale per essentiam in secundo sensu in disp. explicato, qui perfectissimus, & proprijssimus est, qui & ad intelligentiam rationis D. Th. potissimum deseruit, tres conditiones necessariæ sunt, iuxtà mentem Caietani in hoc art. Prima, quòd sit essentia, & quidditas ipsa, quæ de illo prædicatur. v. g. Deus dicitur bonus per suam essentiam, quia est ipsa quidditas, & essentia bonitatis, & si per impossibile daretur albedo separata, esset albedo per essentiam, quia esset ipsa quidditas, & natura albedinis. Secunda conditio est, quòd illa essentia, & quidditas nullo modo sit coarctata, & limitata in illo subiecto. Defectu huius conditionis anima separata à corpore non est natura rationalis per essentiam, quia natura animæ rationalis est in illa contracta, & limitata per habitudinem ad corpus, quod sua natura respicit.

1732 *Tertia conditio quòd sit naturaliter subsistens.*

Tertia conditio est, quod sit naturaliter subsistens, & non satis fuerit, quod ex modo significandi subsistat, sicut albedo cum significatur per hanc vocem, habet modum rei subsistentis, sed requiritur, quod subsistat à parte rei. Neque sufficit, quod subsistat per miraculũ, sicut quantitas in Sacramento altaris quodammodo subsistit. Istæ conditiones desumptæ sunt ex D. Th. & quidem primã ponit expresse 2. cõt. Gent. c. 52. ratione vltima, quod adhuc expressiùs asserit 1. metaph. lect. 10. & quodl. 2. artic. 3. in corp. vbi etiam asserit alias duas, quę omnes intelligendę sunt de eo, quod est per essentiam tale formaliter, qui & proprijssimus modus est conueniendi per essentiam, licet etiam secunda

1740
Resp. actus essend. quo res creata existit, est ens per participationem,

Resp. neg. Antec. Ad prob. Resp. quòd ista ratio D.Th. (quicquid velit Caiet.in hoc art)extenditur ad probandum,materiam primam esse causatam, seu conceausatam à Deo effectiuè. Sed quoniam Philosophi errauerunt circa productionem materię primę; ideò D.Th. constituit specialem art. in quo disputauit de productione materiæ primæ à Deo. Ad 2. prob.Resp. quod actus essendi, quo essentia creata consistit,est ens per participationem, & non per essentiam,& non est suum esse,quidquid Dominus Caiet. dicat,quoniam ipse non subsistit propriè loquendo,sed est quo essentia creata subsistit, atque adeo est actus participatus a Deo,& causatus in ipsa essentia creata, in qua recipitur, tanquam actus in potentia.

4. Obiectio.

Arg. 4. Ratio D.Th.tantùm probat, Deum esse causam omnium rerum, non autem probat esse causam effectricem,quod erat intentum in hoc art. ergo. Prob. Antec. fundamentum rationis huius est. Id quod est tale per participationem,necesse est causerur ab eo,quod est tale per essentiam: Sed hæc propositio non est necessariò intelligenda de causalitate effectiua,sed satis aptè explicatur à Cōmentator.& a'ijs de causa finali, ergo. Confirm. quia hæc propositio fundamentalis est eadem cum ea,quam habet Arist in 2.met.text. 4. Primum, & maximum in vnoquoque genere, est causa omniū aliorum illius generis,hæc autem propositio optimè explicatur de causa exemplari,& finali,& non necessario intelligitur de causa effectiua: atque ita communiter solet dici,quòd albedo, quæ est maximus,& supremus color, est causa aliorum colorum, non quidem effectiua,sed exemplaris. Item homo supremus animalium est causa finalis, & exemplaris,non effectiua omnium animalium, non ergo ex hoc propositione colligitur,euidenti Conseq. Deum esse causam effectricem omnium rerum.

1741
Resp. Rationē D.Th. à nobis explicatā conuincere, Deum esse causam effectiuam.

Resp. quòd ratio D. Thom. vt est à nobis explicata, conuincit Deum esse causam effectiuam, & non solùm finalem. Et similiter propositio fundamentalis de vtraque causalitate,& propriùs de effectiua est intelligenda,vt ex modo loquendi Philosophi elici potest. Etenim dicit,omnia alia causari ab eo,quod est tale per essentiam. Vbi illa dictio, ab, explicat habitudinem causæ effectiuæ. Nam causalitas causæ finalis potius est, quod effectus sit ad causam,quam quod causetur ab ea. Ad Conf neg. quod licet illa propositio assumpta in ratione articuli nō sit eadem cū illa Arist.habent tamen magnam affinitatem inter se illæ duæ propositiones, & ita facilis est transitus ab vna ad aliam,quem transitum fortassis fecit Arist.in illo loco.

5. Obiectio.

Arg. 5. contra propositionem fundamentalem. Homo est animal per suam essentiam, & tamen non est causa cæterorum animalium, ergo similiter Petrus est homo per essentiam, & tamen non est causa omnium hominum,ergo. Item ignis est calidus per suam essentiam, tamen non est causa omnium calidorum,nam radijs solaribus redditur subiectum calidum,& ignitum, similiter per motum; & alterationem, subiectum fit calidum, ergo. Denique Arist. optimè calluit hanc rationem articuli,imò ex ipso desumpta est 2.Met.tex. 4. & nihilominus asseruit, aliqua entia esse in rerum natura, scil. incorruptibilia,quæ non sunt à Deo causata efficienter,ergo hæc ratio non est sufficiens ad probandam processionem effectiuam omnium entium à Deo. In oppositum D. Th. hoc art. & locis supra citat.

1742
Resp illam propositionē verificari,quando est aliquid per essentiam in secundo sensu.

Respond. quòd illa propositio argumenti non verificatur, nisi quando est aliquid tale per essentiam in secundo sensu à nobis exposito in disputat. At homo non est animal per essentiam in hoc sensu,neque Petrus est etiam rationalis per essentiam in eodem sensu. Ad illud de igne Respond. quòd calor à quocumque producatur, est virtus participata ab igne, & ita disponit ad formam ignis. Etenim Sol causat calorem,quatenus in sua forma eminenter continet formam,& virtutem ignis: motus autem non causat calorem, nisi in corporibus mixtis,in quibus virtualiter continetur elementum ignis, quod propter suam maximam actiuitatem facilè excitatur ad causandum calorem, & ita corpora cælestia,licèt velocissimo ferantur motu, non calefiunt, quia non sunt corpora mixta.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum materia prima sit creata à Deo.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio affirm. Prob. causa entis inquantum ens, vt est Deus; est causa omnium eorum,quæ pertinent ad esse rerum quocumque modo: patet ex differentia inter agens vniuersale, & particulare: hoc enim nō producit totam entitatem rei, sicut illud. Sed materia prima spectat ad esse rerum materialium.ergo.

Arg 1.omne, quod fit,componitur ex subiecto,& ex alio. 1. phys. t. 62. sed materiæ primæ nullum est subiectum. ergo. Resp. distin. ma. quæ conceditur de factione parculari, siuè accidentali, siuè substantiali, hæc enim cum sit de forma in formam, supponit subiectum,neg. verò de factione vniuersali,quæ est emanatio totius entis à primo principio essendi; per quam producitur materia.

Arg. 2. Primum principium actiuum nō est factum ab aliquo; ergo neque passiuum. Respond. neg. conseq. quia passio est effectus actionis: Principium enim actiuum est perfectissimum; & cum principiū passiuum sit imperfectum debet reduci ad principium actiuum tanquam ad perfectissimum.

Arg. 3. quòd est tantùm in potentia, vt est materia, non potest esse factum; nam omne agens inquantum agens est in actu. ergo. Respond. dist. Anteced. non potest esse factum per se, & solitariè sumptum, conced. potest tamen esse factum, secundùm quod est pars eius, quod est in actu: quia licèt omne creatum sit ens in actu, non tamen omne creatum est actus purus, & sic est facta materia prima.

DISPVTATIO CCXXXIV.

An sit verum,quòd dixit D. Th. quòd causa rerum secundùm quod sunt entia necesse est, vt sit causa omnium, quæ pertinent ad esse illorum?

Videtur,quòd non Arg. 1. sic. Quod est causa hominis,inquantum homo,non est causa omnium, quæ pertinent ad rationem hominis: non enim est causa materiæ,neque animæ, ergo nec quod est causa entis,inquantum ens,&c. 1743 1.Obiectio.

Arg 2. Arist. 12.met tex.28.ait,quæ generant substantiam sunt causa entis,inquantum ens, & tamen secundùm Arist generans non est causa materiæ generati,ergo. Et 5.met.tex.9.ait,quòd ens simpliciter fit ex non ente simpliciter scil. ex materia, quæ est pura potentia, ergo non requiritur, quod si fiat ens, fiat ex nihilo,vt D.Th dicit. 2. Obiectio.

Arg. 3. Ens simpliciter, & ens in actu sunt idem, sed potest fieri ens, inquantum ens in actu supposita materia, ergo inquantum ens simpliciter non necessariò fit ex nihilo. Prob. Minor. Materia 3. Obiectio.

Concl. ille, qui excogitauit ordinẽ vniuersi, est primum principium, ad quod omnium formarum effectuum determinatio reducitur: ordo enim vniuersi in rerum distinctione consistit. Sed Deus per suam sapientiam excogitauit ordinem. ergo.

Arg. 1. Exemplatum habet similitudinem exemplaris. Sed Creaturæ non possunt pertingere ad Dei similitudinem. ergo. Resp. dist. mi. ad Dei similitudinem vniuocam, & specificam: conced. ad Dei similitudinem idealem, & repræsentatiuam. Sicut domus, quæ est in materia, assimilatur domui in mẽte artificis: neg.

Arg. 2. omne, quod habet esse per participationẽ, reducitur ad aliquid per se existẽs: vt ignitum ad ignem. Sed quæcumque sunt in sensibilibus rebus, sunt solùm per participationem alicuius speciei. ergo. Resp. dist. ma. si illud quod habet esse &c. habet esse in materia, vt omnia sensibilia: neg. nam tunc reducitur ad aliquid superiùs, & eminentiùs. i. ad substantias separatas, & hæc in Deum reducuntur.

Arg. 3. scientiæ & definitiones sunt de speciebus, non sunt autem de singularibus, cum de singularibus non habeatur sciẽtia: ergo. Resp. neg. conseq. scientiæ enim habẽtur de speciebus, quæ sunt in singularibus, sed per opus intellectus abstrahuntur à conditionibus particularibus.

Arg. 4. D. Dion. c. 5. de diuin. nom. ait quod ipsum secundùm se esse, prius est eo, quod est per se vitam esse, & eo, quod est per se sapiẽtem esse. ergo. Resp. D. Dionys. non intelligere per ly per se esse, aliquas res subsistentes separatas à singularibus. Sed significare ipsum Deum, qui est per se esse, & per se vita.

DISPVTATIO CCXXXV.

Vtrum causa exemplaris sit aliquid præter Deum.

Explicatur titulus. *IN titulo causa exemplaris non est quintum genus causæ: sed coordinatur in 5. Met. inter causas formales: est enim causa formalis res separatur tamen, Nec vocatur exemplar ars factiua res, sed id ad cuius imitationem ars facit effectum: siuè illud sit res extra animam, siuè intus: siuè sit idem, quod ipsa ars, siuè nõ: formaliter enim loquimur. Præter Deum autem dicitur directè contra positionem Plat. attributam, de exẽplaribus sensibilium, &c.*

1751 Concl. affirm. Prob. determinatio formæ effectus est à causa exemplari. *In corpore est vna Concl. Responsiua quæsito. Deus est primum exemplar omnium rerum. Hæc Concl. primò prob. secundò prout etiam in rebus creatis: manifestatur illa particula,* primum. *Prob. Determinatio formæ, effectus est à causa exemplari, & res naturales determinatas formas consequuntur; ergo determinatio formarum naturalium reducitur, sicuti in primum principium, in diuinam sapientiam, quæ ordinem vniuersi excogitauit: ergo in diuina sapientia sunt exemplares formæ omnium rerum, ergo ipse Deus est primum exẽplar omnium rerum. Antec pro prima parte declaratur in artificialibus de exemplari, tam intus, quàm extrà. Quoad secundum vero partem manifestum est. Conseq. vero prob. quia ordo vniuersi in rerum distinctione consistit. Conseq. autem tertia prob. excludendo simul obiectionem quamdam. Probatio est, quia illæ exemplares rationes, non sunt aliud realiter à diuina substantia. Obiectio verò est, quia huiusmodi formæ sunt multæ, substantia verò Dei vna. Exclusio autem obiectionis est, quod multitudo ista non multiplicat diuinam rem, sed respectum ad creatas, seu creabiles res. Deindè declaratur, cur dixerit in Concl. ly primum, dicens, quia possunt dari secundaria exemplaria perfectiora, siquidem entia exemplaria dici possunt inferiorum, vt Philosophi dicunt.*

Circa necessitatem exemplaris causæ scito, quòd determinationem formæ effectus, esse proprium effectum causæ exemplaris, vt in litera dicitur, inductiua experientia manifestat. Videmus enim artifices, formas artificialibus determinare, secundùm quòd proponunt, petentes huiusmodi artificialia. ipsum autem proponere, quod tale, quod sic tantum, &c. volo: est exemplar dare: ex quo certa datur forma effectus. Verum tamen est, quòd huiusmodi operationem, non exemplar per se ipsum, sed per agens: diuersimodè tamen, quia per agens à proposito immediatè: per agens verò naturale, mediatè, mediante s. datore naturæ. Et sic pro quanto opus naturæ est opus intelligentiæ: exemplaris causa determinans omnibus effectibus formas, necessaria est. Et exemplaris causa sufficientiam agentis, siuè naturalis, siuè à proposito non tollit. Nec ipsa superfluit, sed in suo ordine idem facit, quod agens alio causandi genere facit. 1752 Confirmatur, quia videmus, Artifices determinare formas artificialibus secundum quod proponunt.

Circa radicem conclusionis rursus aduerte, quod quia author supra determinatione formarum naturalium, quam manifestè videmus, fundat processum suum ad ponendum, Deum esse causam exemplarem, & Aris. confutat Plat. credentem, exemplaria esse præter particularia agentia, vt res certas formas sortiantur, ne errare hic contingat: dupliciter potest ex determinatione formarum inferri, quod sunt exemplaria. Vno modo sic, quòd ex determinatis formis concludamus determinata exemplaria, tanquam proximas rerum causas. Et sic falsum est: quoniam periret principalis actio agentis, quæ sunt apud nos. Bos enim non generaret bouem. 1753 Duplici modo D. Th. procedit ex determinatione formarum ad inferendum, quod sint exemplaria. Primo modo.

Alio modo sic, vt ex determinatis formis, inquantum ex eis consurgit ordo vniuersi, concludamus earum exemplaria in prima causa, quæ ordinem excogitauit vniuersi, tanquam partes ideæ ipsius ordinis. Et hoc est rationabile eo, quòd exemplar alicuius totius perfectè, non huiusmodi, nisi propria partium exemplaria habeantur, & sic manifestè hic proceditur: vnum non aufert causalitas proximarum causarum, sed opus naturæ sit opus intelligentiæ, primæ rationes naturalium operum assignantur. Et sic habes vim primæ Consequentiæ. In responsione ad 2. habes glossam illius propositionis: Omne tale per participationem, reducitur ad tale per essentiam: glossatur enim, vel ad aliquid eminentius continens illud. Alio modo inquantum ex determinatis formis cõsurgit ordo vniuersi.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Deus *sit causa finalis omnium.*

SVMMA ARTICVLI D.Th.

PRima Conclusio Deus agit propter finẽ. nam omne agens agit propter finem; aliàs nõ magis sequeretur hoc, quàm illud, & sic à casu. Deus enim est primum agens. 2. Concl. agere propter finẽ, non eodem modo conuenit agenti primo, & cæteris agentibus. Quia alia agentia à primo sunt imperfecta, & ideò simul agunt, & patiuntur. 3. Concl. diuina bonitas est finis omnium rerum, quia diuina bonitas est illa, quam Deus intendit omnibus creatis communicare; & eandem omnia creata intendunt, prout est eis possibile, consequi.

Arg. 1. Qui agit propter finem, indiget fine; i. propter finis indigentiam. Sed Deus nullo indiget. ergo. Resp. dist. ma. agere propter finem acquirendum: conc. ma. propter finem communicandum; vt est Deus: neg.

neg. ille enim agit propter finem communicandum, qui intendit tantùm communicare aliquam suam perfectionem effectibus, sicut magister, qui communicat scientiam discipulis.

Arg. 2. Agens, & finis generationis, quę est forma geniti, non possunt incidere in idẽ numero ex 2. physic. sed Deus est primũ agens; ergo. Resp. dist. ma. forma geniti, secundùm se, & vt est perfectio generati; non potest esse finis generationis; conced. vt est similis formæ generantis; neg. nam omne agens intendit generare sibi simile.

Arg. 3. Finem omnia appetunt. Sed Deũ nõ omnia appetunt, quia non omnia eũ cognoscunt; ergo. Resp. neg. mi. quodcumque enim bonum appetunt, Deum appetunt, cum omnia bona sit eius participatio; & ad prob. omnia suo modo cognoscunt Deum; per intellectiuam, vel per sensitiuam cognitionem, vel per inclinationem naturalem.

Arg. 4. Deus est causa efficiens: si esset etiam causa finalis; quæ est prima omnium causarũ: vt causa finalis esset prior: & vt efficiens esset posterior; ergo. Resp. si ly priùs, & posterius, se teneant ex parte Dei, neg. seq. ex parte nostri modi intelligendi, pro vt quædam priùs sunt in conceptione nostra quàm aliqua alia; conced. & sic nullum sequitur inconueniens.

DISPVTATIO CCXXVI.

An diuina Bonitas non solùm sit finis creaturarum, sed etiam diuinæ actionis.

1754
Nota 1. quòd manifestatio diuinæ bonitatis non potest esse finis præcipuus diuinæ actionis.

IN hoc art. est dubium graue, vtrum diuina bonitas non solum sit finis creaturarum, sed etiam diuinæ actionis, quia finis est, quod omnia appetunt, sed Deus non appetit suã bonitatem, sed illam communicat, ergo communicatio est finis diuinæ actionis. Antequã argumenta proponantur, nota, quòd quamuis nomine diuinæ bonitatis possit intelligi & ipsa diuina bonitas in se ipsa, & communicatio, & manifestatio eius, sed tamen res est certissima, quòd manifestatio, & communicatio diuinæ bonitatis non potest esse finis præcipuus diuinæ actionis, quia manifestatio bonitatis Dei est aliquid creatum, ac proinde nequit esse finis præcipuus actionis diuinæ. Vide D. Th. de Pot. q. 3. art. 15. ad 14.

1755
Nota 2. Nomine actionis diuinæ non intelligimus actionem trãseuntem.

Secundò, nota, quòd nomine actionis diuinæ in præsentia non intelligimus actionem Dei transeuntem, nam si quæ est actio transiens Dei, illa cum sit recepta in creatura producta, habet citra dubium pro fine diuinam bonitatem, sicut & ipsa creatura, de actione ergo diuina immanente nobis est sermo. Tertio nota, non pertinere ad fidem, quòd diuina bonitas sit finis actionis Dei, nam licèt ex testimonio vt in arg. sed contra, manifestum sit, Deum operari omnia propter semetipsum, tanquam propter finem, tamen ad saluandam illam fidei veritatem satis fuerit dicere, quòd Deus operatur omnia referendo illa in semetipsum, tanquã in vltimum finem ipsarum creaturarum, vt sit ipse Alpha, & ω. Apocal. 21. & 22. idest principium, & finis.

1756
Sentẽtia neg. 1. Obiectio.

His suppositis pro parte negatiua Arg. 1. Actio diuina realiter, & formaliter est ipsemet Deus: sed bonitas diuina non est finis Dei, ergo neque actio diuina.

2. Obiectio.

Secundò. Si diuina bonitas est finis actionis Dei, sequitur, quod est causa finalis: at cum actio diuina sit ipsamet essentia Dei, absurdum est dicere, eam habere causam, ergo. Prob. seq. idem est esse finem, & esse causam finalem, ergo.

Confirm.

Confirm. si bonitas diuina est finis actionis Dei, ergo est id, cuius gratia Deus habet talem actionem: sed hoc est esse causam finalem diuinæ actionis, quia causalitas finis non est alia, quàm esse id, cuius gratia aliquid fit, vt habetur in 2. Phys. t. 29. ergo.

3. Obiectio.

Tertiò id, quod habet finem, ordinatur ad ipsum finem, & est propter illum; sed actio diuina non ordinatur ad bonitatem Dei, neque est propter illam; quia realiter, & formaliter est idem cum ipsa bonitate. Conf. finis realiter differt ab eo, cuius est finis, sed diuina bonitas sola ratione differt ab actione Dei, ergo non est finis eius.

1757
Sententiæ affirm. 1. Ratio.

Sed pro sententia contraria affirmatiua sunt etiam valida argumenta. Primum D. Th. in hoc art. ad probandum, diuinam bonitatem esse finem rerum omniũ assumit hanc propositionem, omne agens agit propter finem, ergo intentum D. Th. est, quòd Deus agit propter finem. Rursus, ergo diuina bonitas est finis Dei, prout agens est, & ex consequenti finis diuinæ actionis.

Confirm.

Conf. D. Th. in art. dicit, quòd idem est finis agentis, & patientis, sed diuina bonitas est finis patientis, nempe creaturæ factę, ergo etiam est finis Dei agentis.

Secunda.

Secundò idem est omninò finis agentis, & rei factæ, sed diuina bonitas est finis creaturæ factæ a Deo, ergo. Prob. Ma. Finis prius est in intentione agentis, quàm res facta ad ipsum ordinetur, quia res facta ex determinatione agentis, refertur ad talem finem, ergo. Conf. Causa efficiens per se subordinatur fini, ergo finis est prima omnium causarum, ergo omne agens, inquantum agens, præsupponit finem, & operatur propter finẽ.

Tertia.

Tertiò. Id est finis agentis, & eius actionis, quod primò mouet ipsum agens ad operandum: sed diuina bonitas est quæ primò mouet voluntatem Dei ad productionem creaturarum, ergo. Prob. Mi. Deus ex summo amore suæ bonitatis voluit seipsum communicare creaturis, & hoc est, quod dixit D. Dionys. c. 4. de diu. nom. quòd diuinus amor non permisit, Deum esse sine germine. Conf. Hæc causalis est vera, quia Deus amauit suam bonitatem amore infinito, voluit se communicare creaturis, sed in hac causalitate non importatur alia causalitas præter finalem, ergo diuina bonitas est finis volitionis, qua Deus se voluit ad extra communicare.

1758
Pro solutione nota, diuinã actionem dupliciter considerari posse.

Pro solutione huius dubij Caiet. in hoc art. dicit, quòd diuina actio potest simpliciter considerari. Vno modo, materialiter, & secundum rem: & in hac consideratione est ipsamet essentia diuina, & nullum habet finem, neque potest dici, Deum agere propter finem sui, sed propter finem creaturarum, vt auctor est D. Thom. supra qu. 16. art. 1. ad 1. Alio modo sumitur formaliter, inquantùm est actio, & hoc modo est finis eius, & causa finalis, propter quam Deus agit, tanquam propter finem suum.

Item, in diuina actione potest considerari, & entitas, respectus rationis; vt entitas, diuina bonitas non est eius causa finalis.

Hæc doctrina Caiet. est satis consentanea veritati, vt probant argumenta facta pro parte affirmatiua. Et D. Thom. in hoc art. & infra qu. 65. art. 2. & qu. 103. art. 2. & in 2. dist. 1. qu. 2. art. 1. præsertim ad vltimum; sed pro eius explicatione nota, quod in diuina actione, sumpta formaliter duo includuntur, & entitas diuina, quæ est intrinseca perfectio, & respectus rationis ad creaturam producendam: qui sanè respectus, licèt non constituat actionem diuinam in ratione actionis, est tamen illi intrinsecum idest, intrinsecè connotatũ. Tunc ergo dico, quòd si diuina actio quantum ad primum, quod includit in se, consideretur bonitas diuina, non est causa finalis, neque finis eius, sicut non est causa finalis diuinæ essentiæ, & perfectionis.

1759
Quantùm ad respectum rationis, diuina bonitas est finis suæ actionis.

Cæterùm si consideretur, quantum ad respectum rationis inclusum, verissimè dicit Caiet. quòd diuina bonitas est finis, & causa finalis eius, quod destinatur in diuinam bonitatem. Et quidem cum finis moueat agentem, non realiter, sed metaphoricè, non est necesse, quòd inter agentem, seu eius operationem, & inter finem sit realis distinctio: sed sat est distinctio rationis, ita vt agens in sua actione habeat aliquam determinationem à fine per respectum, & ordinem ad effectum producendum, & ad dispositionem mediorum, siue illa determinatio fit secundum modum realem, siue rationis: & ita contingit in præsenti, quòd actio di-

uina à bonitate Dei habet determinationem rationis respectu creaturarum.

1760 Diuina bonitas, licèt non sit finis suæ actionis, est tamen Ratio eius.

Cui non placuerit iste modus dicendi, poterit aliter dicere, quod diuina bonitas propriè non est causa finalis actionis Dei: est tamen ratio eius. Volo dicere, quod quemadmodum docent Theologi, quòd immutabilitas diuini esse est ratio æternitatis, quia Deus non esset æternus, nisi esset immutabilis, & si per impossibile distinguerentur realiter in Deo immutabilitas, & æternitas, immutabilitas esset causa æternitatis, ita similiter in præsentia, quod diuina bonitas est ratio actionis diuinæ productiuæ creaturarum, ita quod si realiter distinguerentur, diuina bonitas esset causa finalis huius actionis. Ex hoc sequitur, quòd ista propositio, Deus agit propter suam bonitatem, est vera, si dictio, propter, importet rationem finalizandi, & non causam finalem; qui sensus non est impropriùs. Hæc autem propositio, actio diuina ordinatur ad bonitatem Dei, est falsa: si procedamus in hac secunda explicatione doctrina Caiet. quia hæc propositio denotat habitudinem effectus ad causam finalem. Ex his restant soluta argumenta vtriusque partis.

1761 Omnia agentia præter primum quare à D. Thom. dicantur imperfecta.

Circa rationem D. Th. notandum primò, quod agentia imperfecta vocat S. Doctor hic, omnia agentia præter primum agens, sed non appellat imperfecta, quia secundùm suam speciem habeant defectum: nam homo generans hominem, perfectum agens est secundum suam speciem: sed vocat imperfecta, quia in ratione agentium in communi non habent esse in actu omnino, sed simul sunt in potentia. Et hæc sunt in duplici differentia, quædam enim agendo repatiuntur ad his, in quæ agunt, eo quòd est materia communis agentis, & patientis. Et hæc receptio, non est perfectio agentis. quædam verò sunt, quæ non repatiuntur ab ipsius, in quæ agunt, quia talia agentia non habent materiam, vel habent alterius rationis, vt Angeli, & Cæli.

Omnia agentia imperfecta agunt propter finem ad quirendum.

Circa eamdem rationem nota secundò, quòd omnia hæc agẽtia agunt propter finẽ acquirendum: nam agentia corruptibilia agunt, vt se conseruent secundùm propriam speciem: incorruptibilia verò agunt, vt conseruent suam perfectionem scil. assimilationem ad primam causam in eo, quod operantur, cum illius influxu, qui omnia fecit. Itaque perficiuntur talia agentia, quia cũ agentia recipiunt non solum esse, sed etiam operari actu, quod distinguitur in eis ab essentia.

1762 Pro solutione ad 2. D.Thom in art. Aduertere, quod alter est finis operis, alter est finis operantis.

Circa solutionem ad 2. lege Caiet. sed nota breuiter, quòd duplex est finis in actione: alter est finis operis, & est ille, ad quem opus sua natura immediatè refertur, v. g. in ædificatione domus habitatio commoda est finis operis. Aliter finis est operantis, & est ille, quem principaliter operans intendit, vt vtilitas propria ædificationis domus: sed tria sunt notanda. Primum, quod finis operis subordinatur fini operantis, habetque proinde rationem medij respectu eius. Secundo notandum, quòd aliquando finis operis potest esse bonum separatũ, & extraneum ab operante: finis verò operantis in vniuersum est bonum, & perfectio ipsius operantis, vt constat in exemplo posito. Et in nostro proposito finis operis in creatione est bonum proprium creaturarum: finis vere operantis est ipsamet Dei bonitas.

1763 Deus ita agit propter suam bonitatem, vt non intendat illam acquirere.

Tertiò notandum, quod Deus, inquantum agens, ita agit propter suam bonitatem, quòd non intendit, illam acquirere, aut conseruare, vel augere, sed extendere, & communicare creaturis. Et idcircò nulla est in Deo imperfectio, quòd operetur, propter suam bonitatem. Omnia autem agentia naturalia operantur, vel ad acquirendum, vel ad conseruando perfectionem propriam, in quo attenditur aliqua imperfectio in illis. Lege D. Th. in 1. dist. 2. q. 2. art. 1. & Ferrar. 3. cont. Gen. cap. 17.

Forma generantis, ideo, est finis generationis, quia est similitudo formæ generantis.

Nota eamdem solutionem, vbi D. Th. dicit, quòd forma generati non est finis generationis, nisi inquantum est similitudo formæ generantis. Deinde notandũ, quòd generatio dupliciter considerari potest, vno modo vt est via quædam ad esse: Et sic eius finis est terminus, scil. generatum, & forma generati. Alio modo consideratur generatio, vt est actio ab agente prouenient. & sic finis eius est non absolutè forma geniti, sed quatenus per eam assimiletur genitum agenti. Primo modo forma geniti coincidit cu fine generationis passiuæ. Secundo verò modo, finis generationis coincidit cum forma generantis. Et sic verum est, quòd omne agens operatur propter se ipsum, vel conseruandum, vel communicandum, principalius quam propter rem ipsam factam, & eius formam absolutè. Sed de his Deo dante 1. 2. vbi nostrã sententiam radicitus aperiemus.

QVÆST. XLV. D. Th.

De modo emanationis rerum à primo principio qui dicitur creatio.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum creare sit ex nihilo aliquid facere.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

Concl. affirm. Prob. emanatio totius entis à causa vniuersali, est ex nihilo. hæc enim est differentia inter productionem particularem alicuius entis; & productionẽ entis inquantum ens. illi enim aliquid præsupponitur; huic verò nihil, vt dictum est q. præced. nam creatio est emanatio totius entis à causa vniuersali. ergo.

Arg. 1. ex Aug. aduer. aduers. legis. &c. Creatio est actio, per quam aliquid, ex eo, quod iam est, educendo constituitur. ergo Resp. dist. ly creatio, vel prout significat informationem in melius; sicut solemus dicere, aliquem creari Episcopum. & in hoc sensu loquitus est Aug. hic autem sumitur prout est productio totius entitatis. & sic neg. Antec.

Arg. 2. Actio, qua ex nihilo aliquid fit non habet nobilissimum terminum à quo. ergo, creatio non est actio nobilissima. Resp. neg. conseq. quia mutationes non accipiunt speciem, & dignitatem à termino à quo, sed ad quem: generatio enim substantialis est nobilior alteratione; licèt terminus à quo generationis sit priuatio.

Arg. 3 Propositio, ex, denotat habitudinem alicuius causæ, & maximè materialis. ex ære v. g. fit statua: sed ipsum nihil non potest esse causa. ergo. Resp. neg. simpliciter ma. nam ly, ex, aliquando importat tantùm, Ordinem, vt ex mane fit meridies. ità sumitur, quando dicimus ex nõ ente fit ens.

DISPVTATIO CCXXXVII.

Quid fides doceat de cratione.

Tria docet Catholica fides, Primum, quod detur vna creatio ex nihilo; secundum, quod omnia tam inuisibilia, quam visibilia Deus vnus creauerit, nec ab alio aliquid creatum sit, tanquam à summo principio Tertium, quòd non ab æterno, sed ab initio temporis creatus sit mundus. 1764 Tria docet fides.

Et quidem licèt omnia ista tria definita sint in Concil. Lateran. sub Innocentio III. vt constat ex c. Firmiter, vbi definitur, quòd Deus est creator omnium visibilium, & inuisibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanã, quasi communem

Licèt hæc tria definita sint in Concil. Lateran deducuntur tamen Sacr. Script.

ex

1772 *Vtrumq. consequens esse manifestum absurdum probatur.*

Quod verò vtrumque cōsequens sit manifestum absurdum, & implicatorium, prob. quia processus in infinitū in causis impedit causationē determinatorū effectuū: Si n. vt producatur hic effectus numero, qui modo fit v g. hic ignis, hoc animal, necesse est præcedere infinitas materias, nunquam potest designari aliqua, quæ inceperit: ergo neque effectus iste hic, & nunc incipere poterit. Patet Conseq. quia ea, à quibus dependet hic effectus, vt incipiat, nunquam inceperunt, sed quocumque dato aliud prius, & prius fuit ante sine principio ergo vt iste effectus incipiat, semper restat aliquid accipiendum: ergo numquam verificabitur, quod incipit iste effectus: semper enim aliquid deest, vt incipiat, quia semper restabit aliquid accipere ex requisitis ad incipiendum, cum sint infinita, priusquam hoc fiat, de quo videri possunt, quæ diximus circa similem rationem tom. 1. q. 3. ad probandum, dari vnam primam causam, primumque motorem.

1773 *Si n. daretur processus in infinitum, Deum esse non esset demonstrabile.*

Si enim processus in infinitum admittitur in causis, cessat demonstratio, qua probatur, dari Deū, ergo si ex eodem principio prob. debere dari creationem, tàm demonstrabile est, creationem dari, quàm Deum. Quod vero sit inconueniens, quod deueniatur ad aliquod subiectum primum, quod à Deo non sit factum, patet, quia sic Deus non esset omnium rerum creator, ac per cōsequens, nec omnipotens, quia non posset omnia, nec primum ens. quia non omnia entia essent ex participatione ab ipso. Et vlterius, illud subiectum, vel esset ens potentiale, & limitatum, vel infinitum, & actus purus. Si hoc secundum, esset Deus, & à se, atque adeo non posset esse subiectum primum, ex quo alia fierent, quia subiectum hoc esse debet transmutabile, & consequenter potentiale, & non actus purus. Si primum, ergo haberet esse limitatum, ac finitum, & consequenter ab alio, & non à se, ergo esset ens creatum.

1774 *2. Pars Concl. Prob. quia ipsa materia prima non est aliquid non factum sed est à Deo creata.*

Ex quo sequitur, eadem ratione probari, Deum creare ex nihilo, & esse factorem omnium. Sequitur etiam, materiam primam esse à Deo, & non aliquid non factum, & præsuppositum. Patet hoc, quia necesse est ponere, quòd materia prima non sit purum nihil, sed ens reale, vtpote successiua formarū substantialium, & compositiua cum forma, tanquā cum altera parte totius compositi, & capax existentiæ realis mediante forma, necesse est etiam ponere, quòd sit ens reale extrà Deum, & ens participatum, vtpote ens potentiale, & non actus purus: & similiter, quod à Deo, inquantum primum ens, participatur, & deriuatur omne ens extrà se limitatum, & creatum: ergo oportet ponere, quòd materia prima sit deriuata à Deo, vtpote ens participatū, & non à se, aliàs esset actus purus: Si autem participatum est vtique à primo ente, & à primo principio participari debet, à quo est omne ens, quod quoquo modo participat esse.

1775 *Instabis.*

Statim verò se offerebat difficultas, quomodo materia prima creetur à Deo ex nihilo, cum non sit creabile, nisi ens subsistens, & habens esse per modum totius, vt docet S. Th. q. 45. art. 4. & nos dicemus infrà, imo ex hoc consurgit difficultas, quomodo corpora creari possint, cum constent ex duabus partibus, quarum neutra creari potest, & vna supponitur ad aliam, & totum resultat ex ipsis, & sic ipsū totum supponit aliquid, nempe partes, & sic non videtur fieri ex puro nihilo.

Resp. materiā primā nō creari per se seorsum, sed vt coniunctā formæ.

Sufficit modo dicere, quòd materia prima non creatur per se seorsum, sed vt coniuncta formæ, & sub illa, quia sic creatur, sicut habet esse, non autem habet esse, nisi sub forma, & ideò creatio materiæ semper attingit illam, vt de facto subiectam alicui formæ, ita tamen materia subl unaris formæ subijcitur, quod manet in potentia ad alias, potestque successiue per generationes acquirere nouas formas, & exuere alias, etiam primam, sub qua creata est, quia esse materiæ, vt correspondet creationi, est solum esse potentiale, quod in actu reducibile est per diuersas generationes, quibus diuersæ formæ introducuntur, & reducunt illam potentialitatem in actu; & sic actuale esse, quod habet materia, modo non dependet à creatione, quia hoc actuale esse variatur iuxta variationem formarum, sed potentiale esse non potest habere, nisi in vi actionis creatiuæ, quæ prout tangit materiam, est partialis creatio, seu concreatio. Sed quia potentiale esse non potest sine aliquo actuali in rerum natura inueniri, oportet, quòd illud esse potentiale, seu capacitas, quam omnes habet materia ad omnes formas, & ad esse actuale illorum, quando primo producitur, sub aliqua forma à Deo producatur, quæ sub illam actionem creatiuam tunc cadat, & cum materia concreetur; ita tamen creatur sub illo esse, quod non accipit illud, vt adæquatum, sed vt mutabile, & per aliam formam, cuius etiam est capax, subrogabile, eo quod plurium capax producitur, & non tantū illius primæ, sub qua fuit creata. *Esse potentiale materiæ sub aliquo esse actuali formæ fuit primò productum.*

1776 Tertiam vero partem huius nostræ assertionis, scil. quod non sit demonstrabile per rationem naturalem, mundum factum esse in initio temporis, docet S. Th. q. 46. art. 2. & in 2. dist. 1. q. 1. artic. 5. Et supponit, quod etiam stando in ratione naturali, non potest demonstrari, quod mundus sit ab æterno, nec rationes Arist. id efficaciter probant, vt ostendit S. Th. q. 45. art. 1. easque soluit, imò, vt ibi ostendit, Arist. circa æternitatem mundi præcipuè intendit destruere quorumdam Philosophorum positiones, qui ponebant, mundum incepisse, quibusdam impossibilibus modis, & veritati repugnantibus; quod verò de facto ab æterno mundus fuerit, nusquam demonstratiuè probauit, imo inter problemata dialectica id numerat in lib. 1. Topicorum c. 9. Hoc ergo supposito, quod reuera ita est, quod non possit dari demonstratio, nec ratio aliqua probans, mundū esse ab æterno, cùm id non possit deduci ex quidditate ipsa, & natura mundi, nec ex necessitate Dei agentis, sed ex voluntate eius pendeat, per quam factus est mundus, consequenter neque demonstrari potest per rationes naturales, quod in tempore inceperit, vel in quo tempore, quia res ista omnino dependet ex mera voluntate Dei libera: de libero autem, vt libero, demonstratio dari non potest, & multò minùs de libero diuino ex creaturis, quia nullam necessariam connexionem habet cum illis, sine connexione autem necessaria, demonstratio non subsistit. Rationes autem, quæ multiplicari possunt, vel ad probandum creationem mundi ab æterno, vel conantes demonstrare, quod in tempore sit productus, optimè soluit S. Thom. quæst. 46. art. 1. & 2. & 2. contr. Gent. cap. 34. & 37. & quæst. 3. de Pot. a. 17. & Nos infrà soluemus. *Tertia verò Pars prob. præsupponēdo, quod æternitas mundi, neq. ratione naturali probari potest, neque inceptio in tempore, quia omnia pendent à libera Dei voluntate.*

1777 Arg. 1. ex communi Philosoph. axiomate: Ex nihilo nihil fieri, quod ex natura rei videtur certū; cùm inter nihil, & aliquid nulla sit proportio, nec determinatio ad hoc potius, quàm ad aliud. Confi. quia si Deus crearet ex nihilo, maxime propter rationem D. Th., quam affert q. 44. art. 1. & q. 45. a. 2. quia Deus est causa totius entis, eo quod ipsum est à se, & hoc solum potest esse vnum, reliqua omnia sunt ens per participationem, & sic sunt ab illo, quod est ipsum esse à se, quia omne, quod participatiue est tale, causatur ab eo, quod essentialiter est tale, sicut ferrum esse ignitum, causatur ab igne. Ex hoc autē sequitur, quod Deus operetur ex nihilo, quia qui facit ex aliquo, præsupponit illud, ex quo operatur: Si ergo Deus aliquid præsupponeret, non faceret illud, & sic non faceret omnia. Sed hęc ratio non probat, ergo. Mi. prob. quia in primis non bene infertur, quod ab eo, quod est essentialiter tale, causetur id, quod per participationem est tale, sicut ignis essentialiter est ignis, non tamen omne ignitum causatur ab igne: potest enim causari à Sole, vel per antiparistasim, aut collisionem duorum lapidū sine igne. Item homo essentialiter est anima, non tamen causat omne animatum, & Angelus essentialiter intellectiuus, non tamen causat omnem rationem intelligibilem, nec omnem naturam intellectiuam, sicut est anima rationalis. *1. Obiectio.*

ab omni creatione, & materia faciliùs intelligitur totalitas, & puritas formæ, plerumque hoc, quod est essentialiter esse tale, respectu eius, quod participatiuè est tale, attribuimus formis abstractis, & in abstractione subsistentibus. Vndè etiam non obstat, quod creaturæ habeant suam quidditatem essentialiter, & secundùm connexionem essentialem, fatemur enim, quod habent illã, & essentialiter, id est, intrinsecè, & non accidentaliter illis conuenit sua quidditas, & entitas, sed non purè, & impermixte, sed cum admixtione potentialitatis, & receptione aliqua, & sic sunt participatiuè entia, & causata ab eo, quod purè, & impermixte est ens in actu.

1785 *Ad 2. Replicã Resp. cu Deus sit ens per essentiam, & omnis efficientia fundetur supra actualitatem, sequitur, esse primã causam.*

Ad 2 Instantiam dicitur, Deum esse causam effectiuam, supposito ipsum esse per essentiam, tanquam quid notissimum reliquit D. Th. Nam cum causa efficiens in ratione efficientis fundetur super actualitatem, & perfectionem, quia vnumquodque agit, inquantum ens actu, & per eamdem formam, qua aliquid constituitur in esse, operatur in actu, si Deus est ipsum esse per essentiam, & actus purus, nec potest aliquid actualius excogitari, aut perfectius: ergo neque actiuius, & efficientius, quia tota radix actiuitatis, & efficientiæ, actualitas est. Quod si ad Deũ, qui est summa actualitas, non pertinet actiuitas, & efficientia, ad quem pertinebit? & albedo separata si daretur, eamdem efficiẽtiam haberet respectu alborum, si albedo qualitatis actiua est; & ideæ Platonis efficerent ideata, si & modo essent ideę, quo deberent esse in vi actualitatis suæ, & quales sunt modo in Deo, non quales à Platone ponebantur, vt vniuersalia in prędicando, non in causando.

1786 *Ad 3. Replicã Resp. ex eo, quod De' sit ens per essentiã, sequitur esse causam omnis entis creati.*

Ad 3. Instantiam dico, quòd ex eo, quòd Deus est ipsum esse per essentiam, sequitur, quod sit causa, non solum entis creati, vt habentis esse actuale immediatè in se, sed cuiuscumque habentis esse immediatè, vel mediatè, vt receptiuum eius, vel vt formæ eius, id est vt principium, *quo*, receptiuum, vel formale. Materia autem prima, licèt immediatè in se non habeat esse, nec sit principium *quo* formale illius, habet tamen mediatè, & vt principium *quo* receptiuum; & sic de se dicit ordinem, & capacitatem ad esse, saltem mediatè, id est mediante forma. Et hoc sufficit, quòd sit ens participatum à primo ente, & à primo esse, quia est ens capax esse, & habens ordinem ad esse, saltem mediatè.

1787 *2. Obiectio.*

Arg. 2. nam si ob aliquam rationem ponimus, Deum esse creatorem ex nihilo, maximè ob auctoritatem scripturæ, ex qua motum fuit Concil. Lateran. ad illam definitionem relatam supra in disput. Authoritas autem scripturæ non cogit ad asserendum, quòd illa creatio est ex nihilo, aut quòd omnia compræhendit, aut quòd solus Deus creat; ergo.

Mi. prob. quia verbum *creare*, quo vtitur scriptura, ambiguum est, nec semper sumitur pro rigorosa productione ex nihilo, sed indifferenter applicatur productioni de nouo, etiamsi ex nihilo non fit, vt aliquibus scripturę locis supra ostendimus, & in ipsamet historia productionis mundi vtitur scriptura verbo creandi, etiam vbi clarè constat, non esse productionem ex nihilo, vt patet in opere quintæ diei, cum dicitur, *creauitque Deus cete grandia, & omnẽ animam viuentem, atque motabilem*, quam tamen ex aquis, & non ex nihilo produxit.

1. Probatio mi. Et de homine dicitur, *Ad imaginem Dei creauit illum*, quem tamen de limo terræ produxit: ergo si verbum *creare* indifferẽter sumitur pro productione ex nihilo, & ex aliquo, vndè infertur, quòd illud *In principio creauit Deus*, &c. sumitur pro creatione ex nihilo?

2. Probatio mi. Item ibi habetur in plurali *In principio creauit Elohim*, id est Iudices, *cælum, & terram*, vbi non solus Summus Deus significatur fecisse illa, sed cum aliorum consortio; ergo vel solus non creat, sed alij creatores sunt, aut ibi non intelligitur creatio in rigorosa significatione.

3. Probatio mi. Aut cur in toto rigore intelligitur verbum creare, quod sit ex nihilo, & non in toto rigore intelligitum verbum *Elohim*, seu *Iudices*, quòd comprahendat alios præter Deum? Denique ipsa corpora, & res visibiles non videtur capaces creationis ex nihilo ob rationem supra insinuatam, quia fiunt per suas partes, quarum neutra creatur, non materia, quia de se non habet esse, nec totale esse, cum sit pars, non forma, quia producitur, vt dependens à materia & vnita illi, & educta ex illa: ergo in corporibus non habet locum creatio, & sic non est creator omnium.

Resp. neg Mi. ad prob dicitur, verbum illud *creare*, deberé sumi in toto rigore, quia licet verũ sit, quod verbum *creare* aliquando in scriptura non sumitur pro creatione in toto rigore, sed pro productione facta à Deo cum summo imperio, tamen cũ dicitur *In principio creauit* necessariò intelligitur, nihil ante præcessisse, tùm quia scriptura se explicat dicendo, quod fecit Deus ista ex nihilo 2. Macab. 7. & quòd solus, & nullus alius secum Isa. 44. tùm quia sæpissimè dicitur, Deum creasse omnia, fecisse omnia, &c. 1788 *Resp. ly Creare in illo sacra scriptura loco, debere sumi in toto rigore.*

Qui autem factor est omnium, nihil præsupponit non factum à se, aliàs illud non factum esset Deus, vel si esset creatum ens, Deus non fecisset omnia, si illud non esset factum à se, sed præsuppositum, ergo in principio creandi omnia, necesse est, quod ex nihilo fecerit, & sic illud *In principio creauit* de creatione ex nihilo debet intelligi, licèt post illud principium creatio applicari possit, etiam in his, quæ non ex nihilo fiunt: quamuis homo ad imaginem Dei creari dicitur ratione animę, quæ est ex nihilo. Vndè sufficiens fundamentum habuit in scriptura Concil. Lateranen. vt hanc veritatem definiret; & sic communiter tradidere Patres, cum determinant contra Arium, verbum non esse ex nihilo, seu ex non entibus, sicut ex creatura. Videatur Athanas. lib. de Incarn. Verbi in princ. Cyril. lib. 5. Thesauri c. 4. Chysost. homil. in 2 Genes. Basil. Ambr in suis Hexameron, & alij. *Qui factor est omnium, nihil non præsupponit non factum à se, per quod patet ad 1. Prob*

Ad 2. probat. dicitur, quòd verbum *Elohim* in plurali positum in illis verbis, *In principio creauit Deus*, non significat alios extrà Deum creatores, aut cooperatores creationis, cum constet Isa. 44. quòd Dominus solus extendit Cælos, stabiliuit terram, & nullus secum. Vndè nec dicitur ibi *creauerunt* in plurali, sed in singulari *creauit*, quod est signum, nomen *Elohim* significare non plures creatores, sed vnum principium. Ponitur enim in plurali iuxta Hebraicam phrasim, quæ significat rem magnam per pluralitatem, seu multitudinem, quasi sit sensus, ille Deus, qui est ita magnus, sicut multitudo Deorum, aut Iudicum creauit Cælum. Alij dicunt, ibi insinuari in nomine plurali mysterium Trinitatis, quod nescio, an consueuerit scriptura personas diuinas nomine Deorum appellare. Vt est, argumentum parui momenti est. Ad 3. probat dicemus infrà agendo de his, quæ capacia sunt creari. 1789 *Ad 2. prob. Resp. Elohim non significare creatores extra Deum.* *Ad 3. Prob. infrà Respond.*

DVBIVM II.

Quid sit creatio, & quid significet illud, ex nihilo, in definitione creationis.

CReatio ex communissima sententia rectè definitur, *productio, seu potius factio alicuius rei ex nihilo*. Dixi, *potius factio*, quia factio est proximum genus ad creationẽ, & ad alias mutationis species, quibus res de non esse ad esse traducuntur. Quod, vt exponit Riccard. 2. d 1 art. 1. q. 1. ad 1. significatur Ps. 32 *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt*. Vbi, inquit Riccard. *non intendebat illam ex opposito distinguere; sed notare, quod factio est in plus quam creatio. Vndè secunda pars illius versus videtur specificatio primæ partis.* 1790 *Definitio creationis, explicatur.*

Productio vero non est genus remotum, cum vniuersalius vsurpetur, & extendatur etiam ad actũ, quo res accipit quidem esse, tamen non de non esse termini producti, sed de esse, & substantia principij producentis: quo sensu duas diuinas personas procedentes rectè dicimus esse productas, non autem *Ly Productio non est genus in definitione creationis.*

dicere possumus, esse factas. Bona verò definitio tradenda est per genus proximum, non remotum: sicut homo, v. g. definitur per animal, non per viuens, aut corpus, aut substantiam. In qua quidem definitione, quid sit illud, quod nomine productionis, seu factionis significatur, examinabimus infra quærente, *Vtrum creatio sit aliquid in creatura;* quid præterea sit illud, *alicuius rei*, proprium locum habet infra agente de termino, qui per creationem fit. Nihil ergo aliud superest, quod ad præsentem art. propriè spectet, nisi explicare vltimam particulam: *ex nihilo*, de qua sit.

1791 *Prima Concl.* Ly, ex nihilo, nō *significat habitudinem causæ materialis.*

Prima Concl. non significat positiuā habitudinē causæ materialis, aut alterius cuiuscumq. causæ realis, ac positiuæ. Ita ad 3. illis verbis, *cum dicitur aliquid ex nihilo, fieri, hæc præpositio, ex, non designat causam materialem.* & in eodem sensu scripserat multo ante q. 3. de Pot. art. 1. ad 4. *quod cum sit aliquid ex nihilo, non esse, siuè nihil, non se habet per modum patientis*, nempe subiecti, ac materiæ, vt ipsemet statim explicat, & ad 7. *cùm dicitur, aliquid fieri ex nihilo, sensus falsus est, si præpositio importet habitudinem causæ* qua scil. affirmetur, Nihil, esse causam rei, quæ creatur, quoniam (inquit) *Non ens esse nullo modo potest causa entis.*

Discursus Anselmi iuxta Conclusionem.

Iuxta hanc Concl. ita optimè, atque eleganter discurrit Anselm. in Monolog. c. 7. initio, *Ex quo: umque fit aliquid, id est causa eius, quod ex se fit, & omnis causa necesse est, aliquod ad essentiam effectus præbeat adiumentum: quod sic omnes tenent experimento, vt etiam nulli rapiatur contendendo, vt vix vlli surripiatur decipiendo. Si ergo factum est ex nihilo aliquid, ipsum nihil fuit causa eius, quod ex ipso factum est, sed quomodo id, quod nullum habebat, esse adiuuit aliud, vt perueniret ad esse.*

1792 *Ratio, quia materia est pars intrinseca rei factæ.*

Ratio igitur Conclusionis, quam perspicuè tradit Durand. 2. d. 1. q. 1. num. 5. est, quia materia est pars intrinseca rei factæ, ex qua simul cum forma constatur aliquod totum ens reale, ac positiuum; est n. materia, inquit Philos. 1. Phys. tc. 82. *Subiectum ex quo fit aliquid, cum insit.* Nihilum vero, seu non ens, alicuius entis positiui esse non potest pars intrinseca; sicut nec vniuersaliter aliqua realis causa. *quoniam intelligi non potest*, inquit Anselm. supra, *vt ex eo, quod penitus non est, fiat aliquid. Nihil fit ex nihilo, sicut vox omnium est, quia nihil de nihilo.*

1793 *2. Concl. negatio importata in, nihilo, negat ex, & fieri.*

2. Concl. Cùm per creationem aliquid dicitur, *fieri ex nihilo*, negatio importata in nihilo, non accipienda est, vt negans non solum præpositionem, *Ex*, sed etiam verbum, *fieri*, ita vt significetur, penitus non fieri, nec esse factum, quod dicitur ex nihilo fieri: Sicut de aliquo omnino tacente quis quærat, de qua re loquatur, respondere solemus, loquitur de nihilo: quo etiam modo de Deo possumus dicere, quod de nihilo fit, quia omnino non fit. Hunc sensum iisdem fere verbis excludunt expressè S. Ansel. in Monol. cap. 8. & Th. de pot. quæst. 3. art. 1. ad 7. *quamuis*, vt benè aduertit Thomas, *iste modus loquendi non sit consuetus*. Concl. apud omnes manifesta est, quia nomine creationis nolumus significare negationem omnis factionis: hæc enim negatio fuit per totam æternitatem à parte ante, in qua tamen creationem non fuisse constat ex fide, sed potius inter omnes positiuas, ac reales factionis species, præcipuam quamdam, & omnium primā, atque vniuersalem factionem, qua vt dicitur initio Genesis, creauit Deus Cœlum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt.

Ratio. Quia nomine creationis non significatur negatio omnis factionis

1792 *3. Concl. cum dicitur, aliquid ex nihilo fieri, propositio, Ex, designat ordinem.*

3. Concl. Cùm dicitur, aliquid ex nihilo fieri, præpositio, *Ex*, designat ordinem; sicut cum dicitur, ex mane fit meridies, id est, post mane fit meridies, ita in creatione dicitur aliquid fieri ex nihilo, quia fit post nihilum. Quo sensu illud, *Ex*, non negatur, sed affirmatur, & consequenter ordo remanet affirmatus, & ostenditur ordo eius, quod est, siue alicuius ad præcedens eius non esse, siue ad nihilum illius alicuius, quod creatur. Ita fere ad verbum, tum hic ad 3. tùm de Potent. q. 3. art. 1. ad 7. & sumitur ex Ansel. in Monolog. cap. 8. med. docente. *Non inconuenienter, quæ creantur, dici posse ex nihilo: eo modo, quo dici solet diues ex paupere, & recepisse quis sanitatem ex ægritudine, id est, qui prius pauper erat, nunc est diues, quod antea non erat, & qui prius habebat ægritudinem nunc habet sanitatem, quam antea non habebat. Hoc modo res creari dicuntur de nihilo, id est, quæ prius nihil erant, nunc sunt aliquid.* Quemadmodum etiam, inquit, *aspicientes aliquem de valde humili fortuna multis opibus, ab aliquo, honoribusque exaltatum, dicimus, factus est ille ab isto de nihilo, id est ipso, qui prius quasi nihilum reputabatur, nunc illo faciente verè aliquid æstimatur.*

1795 *Ex nihilo, non accipiendū pro negatione illius tantùm entis, quod per creationem fit.*

In qua significatione nihilum non est accipiendum determinatè, & particulariter pro negatione illius tātum entis, quod per creationem fit, sic enim fieri ex nihilo, non esset proprium creationis, cum quidquid de nouo fit, siue creetur, siue ex subiecto educatur, si verè, ac propriè fit, necesse sit fieri ex nihilo sui, v. g. tàm ex nihilo sui fit anima, quæ creatur, quam forma ignis, quæ educitur ex materia ligni; sed indeterminatè, & vniuersaliter pro negatione, & illius entis, quod per creationem fit, & cuiuslibet alterius entis creati, cuius generis nullum præsupponit creatio per se, & ex natura sua.

Creatio quātū est ex natura sua, nullū ens creatum præsupponit.

Quamuis enim creatio, vt creatio non excludat alia entia præsupposita, cum hodie etiam, & quotidie post infinitas alias res creatas, & factas creentur animæ, tamen nullum ens creatum præsupponit, vt patet in prima creatione Cæli, & terræ post æternitatem, & anima, quæ hodie creatur, eodem modo, quantum est ex natura creationis, potuisset creari ante omnia entia creata, & consequenter ex nihilo vniuersaliter, siuè ex nullo simpliciter ente, tametsi ipsa tempore creatur, nempe anima rationalis, quæ est forma corporis, petat connaturaliter præsuppositum corpus, quod informet. Et hoc secundo modo sumptum nihilum pertinet propriè ad solam creationem, cùm aliæ emanationis, seu factionis species de necessitate, saltem connaturali, præsupponere debeant subiectum, vt generatio, augmentatio, alteratio, de quarum nulla dici potest, sicut dicitur de creatione, quod sit factio ex nihilo, sed ex aliquo, saltem ex subiecto.

1746 *Hæc tria Conclusio confirmatur ex D. Th.*

Atque hanc differentiam non obscurè significatam intelligimus a S. Th. cùm initio corporis docuit, *Emanationem totius entis vniuersalis designari nomine creationis;* ideoque vt postea subdit, *impossibile est, quod aliquod ens præsupponatur huic emanationi.* Et quoniam, inquit, *idem est nihil, quod nullū ens, creatio, quæ est emanatio totius esse, est ex non ente, quod est nihil.* In quo discursu, *Nihil*, positum in creationis definitione clarè sumitur pro negatione totius entis vniuersalis; quam opponit non homini, & non albo, ex quibus particularibus nihilis procedunt aliæ particulares emanationes a creatione, non solum specie, sed etiam genere distinctæ.

1797 *Hæc tertia Concl. vt veritatem habeat, intelligi debet de creatione temporanea*

Hæc tertia Concl. vt veritatem habeat, intelligi debet de creatione temporanea; seu de creatione, non quia creatio est, sed quia temporanea est, vt in Commentario huius art. rectè notat Bañes, præsertim in fine, Molina §. *Iuxta*. & ante ipsos aduertit Capreol. 2. dist. 1. q. 2. art. 3. ad 1. Aureoli contra 4. Concl. Nam si ponatur creatio æterna, quam plerique omnes possibilem esse admittimus, saltem de entibus inuariabiliter permanentibus, nullum in ea cogitari potest præcedens non esse, seu nihilum illius rei, quæ per eam creationem fit, non solum præcedens præcedentia durationis, sed etiam præcedentia naturæ: nihil enim dici potest antecedere natura, quod dici non possit existere simpliciter. At in æternitate existens negatio, sicut quodlibet ens positiuum non potest non existere infinita, æternaque duratione, nam neque duratio formaliter, & virtualiter instantanea, neque finita aliqua duratio habere potest locum in æternitate, quæ est duratio infinita: ergo existente negatione aliqua ab æterno, v. g. Gabrielis, dici non potest ex hac negatione, seu nihilo factus ab æterno Gabriel per creationem: Sic enim in æternitate ponerentur simul

esse

esse Gabriel, & non Gabriel, quod absurdum esse nemo non videt.

1798 *Res, quæ creatur ab æterno quamuis non procedat ex nihilo simpliciter tamen procedit ex nihilo sui.*

Notandum tamen ex S. Thom. 1. dist. 5. qu. 2. art. 2. & acute explicat Scotus 2. dist. 1. qu. 2. *A Respondeo.* Et sequitur Vasq. disp. 172 nu. 11. quod res, quę creatur ab æterno quàmuis non procedat ex nihilo simpliciter, quia de eo, quod est in tota æternitate à parte ante, ac proinde semper habuit esse, dici nō potest, aliquando non fuisse, seu non ens in illa æternitate, loquendo simpliciter, & absque vllo addito, limitans non esse: tamen procedit ex nihilo secundum se, siuè vt loquitur S. Th. *de non esse ex parte sui.* Quod .n. creatur, quantumuis ab æterno creatur, ex eo quod essentialiter sit ens creabile, & potentiale, si præcise in seipso tantùm consideretur, non habet esse, sed indiget alio extrinseco principio, à quo recipiat esse: ergo habet esse nihilum, secundùm se, seu nòn esse ex se, & ratione sui præcise.

1799 *Et sic Nihil si accipiatur pro non esse ex se, benè stat cum esse ab alio.*

Quod quidem non esse ex se, quamuis bene stet cū esse ab alio, & consequenter, cum ipso simpliciter esse, vt per se manifestum est, tamen natura præcedit ipsum esse, quoniam, vt ad hoc probandum acute ratiocinatur S. Thom. ibid. *quod est alicui ex seipso, naturaliter præcedit id, quod est ei ab altero.* Igitur iuxta hanc tertiam Conclusionem sumendo nihilum pro non esse, & intelligendo per illud *ex*, designari aliquem ordinem, secundùm quem per creationem res fiat aliquid post nihilum, siue accipiat esse post nō esse, Cōclusio verificatur vniuersaliter de quacumq; creatione, tam temporali, quam æterna, non eadem tamen ratione; nā temporalis est post nihilum, & post non esse simpliciter, æterna vero post nihilū, & post non esse secundum se.

1800 *4. Conclusio. particula, ex, non sumitur positiuè, vt causa affirmans nihilum.*

4. Conclus. Illud, *ex nihilo* vt docet S. Thom. in fine responsionis ad 3. *importat habitudinem causæ materialis, quæ negatur*, ita vt prępositio *ex*, non sumitur positiue, vt causa affirmans nihilum, iuxta primam Conclus. Sed negatiue vt negata per nihilum. Quare sensus est, creatio est factio rei ex causa quidem efficiente, quæ est Deus, tamen non ex alia causa materiali; seu nullo concurrente, & adiuuante subiecto. Itaque vt idem S. Thom. exponit de Potent. qu. 3. art. 1. ad 7. *ideò dicitur aliquid ex nihilo fieri, quia fit quidem, sed non præexistit aliquid, ex quo fiat:* quemadmodum fiunt quæcumque fiunt, aliter quam per creationem.

1801 *Ratio est quia ly ex nihilo ponitur tanquam vltima differentia, constituens specificam.*

Hęc est acceptio omnium vsurpatissima, & maximè propria creationis; si enim intelligas, tantum rem fieri independenter ab aliquo subiecto substentante esse, ac fieri illius, quocumque tandem alio modo eam fieri fingas, habebis integrum creationis conceptum essentialiter diuersum a quauis alia mutationis, ac factionis specie. Ratio vero probans, hanc acceptionem esse omnium maximè spectandam, imo ipsam solam esse necessariam, ac sufficientem in explicanda creationis definitione, est, quia ibi illud, *ex nihilo*, ponitur tanquam vltima differentia contrahens genericam factionis rationem ad talem determinatam factionis speciē, quam creationē vocamus. Per illud igitur, *ex nihilo*, distingui essētialiter debet creatio à cęteris factionū speciebus. At creatio ita distinguitur maximè, & solùm per habitudinem causæ materialis negatæ.

1802 *Aliæ habitudines, vel illi non conueniūt, vel non sunt illi essentiales.*

Aliæ enim habitudines, de quibus in prima, secunda, & tertia Concl. vel illi non conueniunt, vt habitudo causę materialis affirmatæ in prima, & habitudo factionis negatę in secunda, vel non sunt illi essentiales, & habitudo ordinis in tertia; vel si sunt essentiales, non sunt illi propriæ, sed essentialiter communis reliquis omnibus creaturarum productionibus, vt habitudo essendi ex nihilo sui, secundum se, & quantum est ex natura sua §. *Hæc tertia*, & seq. hoc enim essentialiter competit omni creaturæ, omnique creatæ productioni, non solum temporali, verum etiam æternæ.

Sola habitudo causæ efficientis est illi essētialis.

Sola igitur habitudo ad causam efficiētem tantæ virtutis est, vt nulla ad agendū materiali causa adiuuante indigeat, est creationi essentialis, & propria essentialis, quia si hæc de esse intelligatur, & per actionem educatur aliquid ex præsupposito subiecto adiuuante, ac sustentante, essentialis cōceptus creationis desit, necesse est. Probatur, quoniā huiusmodi independentiā à subiecto, nulla alia creata actio participare potest; omnis .n. alia actio, siue generatio, siue augmentatio, siue alteratio, pendet à præexistente, & sustentante aliquo subiecto.

1803 *5. Conclusio habet quatuor partes.*

5 Concl. quæ ex dictis facile deducitur, Nihilū, ex quo per creationem aliquid fieri dicitur, intelligitur quidem ex imperfecto nostro modo concipiēdi, vt terminus, *à quo*; tamen non est terminus, *à quo*, vere, ac proprie: imo ne impropie quidem, si spectetur creatio, vt creatio essentialiter, quę eterna etiam esse potest, & non creatio, vt temporalis.

Prima pars est D. Thom.

Prima pars habetur hic ad 2. vbi in fine de creatione dicitur, *Id non intelligitur, vt terminus, à quo est simpliciter nō ens.* Nos .n. notioribus mutationibus concipiendis assueti, quibus subiectum de vno termino in alium transit, imaginamur etiam in creatione, minus nobis nota, ipsam rem, quæ creatur, transire de non esse simpliciter, tanquā a termino, *à quo*, ad esse simpliciter, tanquā terminū *ad quem.*

1804 *2. Pars prob. quia cum in creatione nullum detur subiectum, nulla datur ratio termini à quo.*

Secunda pars expressè ponitur a S. Th. de potent. qu. 3. art. 1. ad 11. in secunda responsione. *Id quod fit ex nihilo, dicitur fieri non ab vno termino in alterum, sed secundum effluxum ab agente in factum. Hæc enim duo in generatione naturali inueniuntur, scil. transitus de vno termino in alterum, & effluxus ab agente in factum; quorum alterum tantum est in creatione propriè.* Et art. 2. ad 2. *In generatione est aliquod commune subiectum priuationi, & formæ: & ideo sicut ibi accipitur propriè terminus, sic, & ibi accipitur propriè transitus; quod in creatione non est;* & multis probatur a Durando 2. dist. 1 quæ. 2. nu. 6. & 7. sed ratio præcipua, ac facilior est, quoniam ad propriam rationem termini *à quo*, requiritur subiectum, cui primo insit terminus *à quo*, atque adeo ab illo expellatur terminus *à quo* per aduentum alterius termini *ad quem*, incompossibilis cum termino *à quo*. Proprie enim terminus *à quo*, apud omnes sapientes significat terminum, a quo transit subiectum ad recipiendum in se alium terminum, *ad quem*: quo transitu debet subiectum amittere terminum *à quo*, & acquirere terminum *ad quem*; aliter subiectum non transiret de vno termino ad aliū terminum, sed potius cum vno termino acciperet aliū terminum. Et ideo rectè scripsit Duran. supra, *necesse est in omni actione habente terminos, quod termini sint incompossibiles, & quod vnus pręcedat alium.* Terminus igitur, *à quo*, proprie loquendo, subiectum connotat: Quamobrem cùm in creatione nullum detur subiectum ex Concl. 4. nulla etiam dabitur ratio termini *à quo*.

1805 *3. Pars prob. quia creatio in æternitate non ita tendit in esse, vt habeat præcedens non esse.*

Tertia pars, qua negatur terminus *à quo*, etiam impropriè dictus, consistens in solo ordine præcedentię absque vllo subiecto, inquantum vnus terminus *ad quem*, est post alium terminum *à quo*, nempe nihilum, seu non esse simpliciter, post esse simpliciter, probata remanet ex dictis supra, quoniam creatio in æternitate non potest ita tendere ad esse, vt habeat pręcedens non esse incompossibile cum esse. Quod vltimum addo propter non esse secundum se, quod natura pręcedit quidem esse, tamen remanet cum esse, & ideo omnino caret essentiali ratione termini *à quo*, & habet potius rationem termini *cum quo*: quamuis terminum *à quo*, appellare placeat Vasq. disp. 172. à n. 12. dum egit contra Durandum. Recte igitur Capreol. 2. d. 1. q. 2. art. 3. ad 1. Aureoli contra quartam Concl. negat Aureol. *De ratione formali omnis productionis inquantum huiusmodi, esse, quod sit inter duos terminos.* Satis enim est ad essentialem conceptum creatæ productionis, si per illam res aliqua accipiat esse, quod nō conuenit illi ex natura sua, sed dependenter ab alio extrinseco agente, quamuis hoc esse non accipiatur post non esse.

1806 *4. Prob. quia ante quodlibet esse creatum in*

Quarta demum pars, qua affirmatur impropria ratio termini, *à quo* in creatione temporali, expresse à Capreolo 2. dist. 1. art. 3. ad 1. Aureoli

contra

tempore præcessit in tota æternitate illius nõ esse.

contra quartam Concl. conceditur Aureolo, & est manifesta; quia ante quodlibet esse creatum in tẽpore præcessit in tota æternitate illius non esse simpliciter, seu nihilum incompossibile cum esse simpliciter; ergo ibi sunt omnia requisita ad rationem essentialem termini *à quo*, excepta connotatione subiecti. Est igitur ibi terminus *à quo*, improprie, & incomplete, non complete, ac proprie, & de huiusmodi diminuta ratione termini *à quo*, intelligendus est S. Th. in fine corporis, ita concludens, *sicut igitur generatio hominis est ex non ente, quod est non homo, ita creatio, quæ est emanatio totius esse, est ex nõ ente, quod est nihil.* cum in responsione ad 3. concedit, quod per illud, *Ex nihilo*, in aliquo bono sensu, *ostenditur ordo eius, quod est ad non esse procedens*. Et cum in q. 3. de pot. art. 1 ad 4. docet *quod cum fit aliquid ex nihilo, non esse, siuè nihil, non se habet per modum patientis, nisi per accidens*; hoc est, *ratione subiecti*, cum quo scil. in omnibus naturalibus productionibus non esse rei, quæ producitur, seu priuatio, identificatur, vt ipsemet explicat deinde ad 16. *Sed magis per modum oppositi ad id, quod fit per actionẽ*: hoc est, per modum termini *à quo*, oppositi termino, *ad quem*.

1807 *Idem confirmatur ex D. Anselmo, & Capreolo.*

Similiter intelligi debet Anselm. in Monolog. c. 8 verbis relatis supra in 3. Concl. Porrò per nihilum, componitur terminus *à quo*, non negatur, & actualitas essendi, & simul etiam possibilitas essendi, quæ enim creantur, præsupponi necessario debent creabilia, ac proinde si non actualia, saltem possibilia esse realiter actu. Vndè nemo dixerit, creari chimeras, aut aliud, rationis ens, & vniuersaliter ens implicans contradictionem, vt sit in re extrà intelligentem; sed solum creari entia realia. Quam nihili acceptionem multis acute explicat Capreol. supra ad 4. Aureoli, ita tandem concludens, *Tale ergo natura antequam habeat esse in rerum natura per creationem, est omninò nihil, prout nihil opponitur enti, quod dicit actum existendi extra causam suam, sed non erat nihil, prout opponitur enti, quod dicit quidditatem, vel naturam in se, vel dicit actum essendi in intellectu diuino, vel in potentia productiua Dei.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Deus possit aliquid creare.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Concl. non solùm non est impossibile aliquid à Deo creari, sed necesse est ponere omnia à Deo creata esse. Prob. ab agente, qui agit nullo præsupposito: necesse est omnia creata esse. Sed Deus est agens, qui agit nullo præsupposito. aliàs illud præsuppositum non esset à Deo creatum. Deus enim est causa vniuersalis totius esse. ergo.

Arg. 1. ex nihilo nihil fit est primũ principium antiquorum Philosophi. ergo. Resp. neg. conseq. quia antiqui Philosophi non considerauerunt nisi emanationem effectuũ particularium à causis particularibus. Quod locum non habet in prima emanatione rerũ à causa vniuersali.

Arg. 2. Creatio est mutatio quædam: nã si creare est aliquid facere: ergo creari est aliquid fieri. Sed omne fieri est mutari. ergo. Resp. neg. mi. creatio enim verè non est mutatio. Mutatio enim est rei, quæ aliter se habet nunc, quàm prius se habebat: ac proinde dicit motum, & habitudinem inter agens, & passum. & quia creatio est actio sine motu; ideò propriè non est mutatio; & quia est habitudo creantis ad creatum, & è conuerso, secundùm modum intelligendi dicitur mutatio.

Arg. 3. illud creatur, non potest dici, quòd simul fit, & factum sit: nam in permanentibus, quod fit non est; quod autem factum est, iam est: ergo. Resp. neg. Antec. & ad prob. in ijs, quæ fiunt cum motu, verum est, quod non est simul fieri, & factum esse: in ijs verò, quæ fiunt sine motu: sunt simul, vt patet in illuminatione, & creatione.

Arg. 4. inter ens, & nihil est infinita distãtia. ergo. Resp. neg. Antec. procedit enim hoc ex falsa imaginatione: ac si sit aliquod infinitum medium inter ens, & nõ ens, quod est falsum, cum creatio non sit mutatio, vt dictum est.

DISPVTATIO CCXXXVIII.

An alicuius rei creatio implicet contradictionem.

Concl. negatiua, certa secundùm fidem, vt patet ex discursu paulò ante facto. Probari præterea potest primò, quia mox subijciam, & soluam omnes implicantias. Secundò, creatio non repugnat ex parte sui, inquantum est quædam productio ex nihilo, nam produci est accipere esse, & quod ex nihilo producitur verè, imò magis accipit esse, quàm quod producitur ex aliquo. Neque repugnat ex parte rei productæ: ex eo enim, quod res creetur, & producatur ex nihilo, non amittit esse productum; quoniam produci ex nihilo non negat ipsam productionem, sed negat tantum habitudinem causæ materialis, à qua ipsa creationis productio pendeat, vt supra in dubio, præced. ergo rei productæ, vt producta est, nõ repugnat creari. Neque ex parte Dei producentis, quia, cum Deus habeat virtutem infinitam simpliciter, vt demonstratum est non potest in agendo pendere à concausa creata materiali, sustentante, & adiuuante actionem suam, actionisque suæ terminum: ergo habet virtutem agendi ex nihilo; ergo creandi. & præter ista tria capita repugnantiæ, non apparet aliud caput, vndè aliqua contradictionis ratio contra creationem peti possit. Tertiò acutè arguit Durandus 2. dist. 1 q. 1. num. 10. ex alio fidei articulo. Accidens potest esse sine subiecto, vt patet in Eucharistia: ergo etiam fieri accidentis potest esse sine subiecto, quod fieri, est creari. Ideò enim productio supponit subiectum, quia terminus productionis supponit subiectum ergo cũ terminus possit esse sine subiecto, poterit etiam productio esse sine subiecto. 1808 *Concl. neg. est de fide. Prob. quia creatio non repugnat ex parte sui, neq; ex parte rei creatę, neq; ex parte Creatoris.*

Arg. 1. quod sibi obijcit Durandus supra. Creatio *est quædam actio. Dicit autem* Author *libri sex principiorum c. 2. circa med.* Actionem non quid, *nempe agat*, sed in quid agat exigere: *hoc est, non terminum, sed subiectum, ergo nulla actio dari potest sine subiecto; ergo nec creatio.* 1809 1. Obiectio.

Resp *cum eodem Duran. ad 1. Authorem illum loqui de actione naturali, de qua paulò ante dixerat*, omnis actio in motu est. *Quod non conuenit creationi, quia vt dicitur art. 3. huius corp. & ibi probabitur*, quod creatur non fit per motum, vel per mutationem. *De naturali igitur actione verum est, illam non requirere quid agat, sed in quid agat, hoc est non requirere terminum præexistentem, sed subiectum præexistẽs, ac sustentans, quod supernaturalis, & multo vigorosior creationis actio non postulat.* Resp. Authorẽ illum loqui de actione naturali.

Arg. 2. Quia posita creatione possibili corruunt quædam principia, quæ in Philosophia censentur prima, & innato rationis lumine nobis manifesta: cuiusmodi sunt illa. Ex nihilo nihil fit; omne agens in aliquod subiectum agit. Materia est subiectum omnium mutationum; omnipotentiæ actiuæ debet correspondere potentia passiua; omne mouens prærequirit mobile; omne agens prius disponit materiam, quam inducat formã. Potentia actiua est principium transmutandi aliud, inquantum aliud 5. met. t. 17. 1810 2. Obiectio.

Resp.

Resp. has propositiones esse veras de emanatione effectuum particularium, non de prima.

Resp. cum S. Thom. hic ad 1. & de Pot. q. 3. art. 1. ad 1. & 8. has propositiones esse veras, & vsurpatas ab antiquis & primo Physicorum t. 34. & 35. De emanatione effectuũ particularium à causis particularibus: *quæ scil. vim naturalem ad determinatam potentiam habent, ac proinde postulant, vt aliquo præsupposito subiecto inueniuntur ad agendum*; non autem de prima emanatione ab vniuersali rerum principio, *agente per potentiam supernaturalem, & illimitatam, cuiusmodi est potentia creatiua, & definitio illa potentiæ, inquit S. Th. citata resp. ad* 8. intelligitur de potentia actiua naturali. *Quo non obscurè significat potentiam creatiuam esse supernaturalem, & ideò antea ad 1. docuerat, Deum vt creatorem non esse agens naturale, sed supernaturale aliquo modo.*

1811 3. Obiectio.

Arg. 3. Omne quod fit, habet necessariò potentiam, vt fiat, alioquin aliquid non esset possibile fieri, & tamen actu fieret; quod contradictionem euidenter inuoluit; ergo habet subiectum, in quo sit illa potentia: ergo omne, quod fit, fit ex subiecto, & ex materia.

Resp. Rem dici possibilem fieri non ex aliqua potentia, sed per nõ repugnantiã: vt supra fusiùs q. 25.

Respondet S. Thom. supra ad 2. rem dici possibilem fieri non secundùm aliquam potentiam, sed per non repugnantiam, quia in terminis ipsius enunciabilis non est aliqua repugnantia; *& hoc modo sumitur possibile 5. Metaph. 17. & opponitur impossibili, nec supponit potentiam passiuam in materia, sed actiuam in agente. Quæ responsio vera est, saltem vniuersalissimè intellecta. Si enim omne, quod fit, deberet habere istam potentiam à se distinctam, & consequenter cùm aliquid fit, ipsa etiam potentia fieri deberet, daretur processus in infinitum in huiusmodi potentiis ponendis: quia ipsa etiam potentia esset possibilis fieri; ergo per aliam potentiam, & sic in infinitum; sicut igitur ista potentia fieret, & esset possibilis, non per aliam potentiam, sed se ipsa per non repugnantiam; ita res, & reales essentiæ; eo ipso, quòd essentialiter reales sunt, nullam in seipsis inuoluentes repugnantiam ad essendum, sunt possibiles. Alia enim positiua potentia superaddita, & fundata in essentia, esset extra essentiam, & accidentalis proprietas essentiæ, ac proinde non posset præintelligi in essentia ante ipsum fieri, sicut præintelligitur ipsa essentia, sed ante ipsum fieri præintelligitur res possibilis fieri: ergo esse possibile fieri habetur ante potentiam ad fieri, & sine tali potentia ipsa essentia realis benè, ac sufficienter intelligitur possibilis. Responderi secundò faciliùs potest, quidquid sit de antecedente, & prima Conseq. negandam esse Conseq. secundam. Tunc n. quod fit, non fieret propriè ex subiecto, quòd non contradiceret creationi; sed tantum fieret cum subiecto, quod cum creationis conceptu nullam repugnantiam habet.*

1812 4. Obiectio.

Arg. 4. Distantia de non ente ad ens est infinita: ergo impossibile est, illam pertransire, producendo aliquid ex nihilo, seu deducendo aliquid de non ente ad ens; quòd quidem est creare: ergo hoc est impossibile.

Resp. distantiam, cum sit quid mediatum, non posse esse inter ens, & non ens.

Respondet S. Thom. ad 4. Quòd obiectio procedit ex falsa imaginatione, ac si sit aliquod infinitũ mediũ inter nõ ens nihilum, & ens; quod est falsum. *Quo non obscurè significat, distantiam propriè non esse aliam, nisi mediatam; quæ esse non potest inter ens, & non ens, & vniuersaliter inter quælibet alia duo contradictoria, quæ seipsis immediatè pugnant absque vlla alia re intermedia. Quòd si obiectio procedat etiã de distantia minus propriè sumpta, & immediata, tunc cum S. Thoma de potentia qu. 3. art. 1. ad 3. & clariùs cum Durand. 2. dist. 1. qu. 4. nu. 29. dicendum est, quòd sicut quantitas distantiæ mediatæ sumenda est ex quantitate medij interpositi, siue quantitas sit extensiua, vt in distantia locali, siue intensiua, vt in distantia qualitatum, quæ suscipiunt magis, & minus. Sicut v. g. calidum, vt vnum, à calido vt quinque distat per quatuor intensiones gradus, ita quãtitas distantiæ immediatæ, quæ est inter quoslibet duos terminos contradictorios, qui medium non habent, sumenda est ex maioritate, siue excessu vnius extremi supra aliud.*

1813 Falsum est, quod distantia de non ente ad ens sit infinita.

Quando igitur in maiori dicitur, Distantia de non ente ad ens est infinita, *falsum assumitur, si intelligitur de non ente finito ad ens finitum, v. g. inter album, & non album, & inter Angelum, & non Angelum est distantia finita, tanta scil. quantæ entitates sunt album, & Angelus, quæ entitates finitæ sunt. Si verò intelligantur de distantia inter ens infinitum, & non ens infinitum, vt inter Deum, & non Deum, inter infinitam, & non infinitam albedinem, seu quantitatẽ, & inter omne ens creabile, quod saltem sincategorematicè est infinitum, & nihil creabile, erit quidem distantia infinita: sed tunc distinguo primum Conseq. Quando creatur ens finitum ex nullo ente simpliciter, tunc talis distantia infinita, quæ superatur, non potest transiri successiuè per vnam finitam partem post aliã; benè tamen pertransibilis est tota simul per instantaneam productionem, & intellectionem supra omnes, & singulas partes simultaneè cadentem.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Creatio sit aliquid in Creatura.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

CONcl. Creatio ponit in creatura tantùm relationem. Prob. Productio sine motu, vel mutatione, ponit in re producta relationem tantùm: nam productio duo ponit in passum, motum, qui procedit ab agente in passo; & relationem, qua agens refertur ad passum; & è contra. Sed creatio est productio totius entis absque motu. ergo.

Arg. 1. sicut se habet Relatio actiuè accepta ad Creatorem; ità se debet habere relatio passiuè accepta ad creaturam: sed creatio actiuè accepta non est aliquid in Creatore. ergo. Resp. neg. ma. nam creatio actiuè accepta significat actionem, quæ est diuina essentia cum relatione rationis ad creaturas. Sumpta verò passiuè, importat relationem realem creaturæ ad Deum.

Arg. 2. inter Deum, & creaturam non potest esse medium. Sed si creatio daretur; deberet esse quid medium; quia non potest esse creator, neque creatura. ergo. Resp. dist. mi. si creatio sumatur, quo ad modum significandi, potest esse quid medium; quia sic accepta significatur, vt mutatio, & mutatio est medium inter mouens, & mobile: si consideretur quoad id, quod verè est, non est mediũ, sed passiuè sumpta est creatura, & in creatura. est enim relatio creaturæ ad Deum, vt dictum est.

Arg. 3. Si creatio esset aliquid in creatura, esset simul terminus, & subiectum creationis. quod est impossibile. aliàs idem esset prius, & posterius respectũ eiusdem. Resp. neg. mi. & ad prob. non esse impossibile, quòd creatura dicatur subiectum, & terminus creationis, diuersimode considerata: nam si creatio sumatur, vt mutatio creatura est terminus; sumpta verò, vt relatio, creatura est subiectum.

DISPVTATIO CCXXXIX.

An creatio ex parte Dei sit actio æterna entitatiuè, & temporalis denominatiuè.

1814 Aduerte. e cõsiderari in actione tres habitudines. Prima dicitur *Ad*, secunda *Ab* tertia à quo.

P*Ro intelligentia creationis, vt tenet se ex parte Dei, est aduertendum, quòd in actione tres habitudines considerantur, in quantùm actio præcisè. Prima est ad terminum*, ad quem, *& sic est influxus causæ agentis per modum* Ad *secunda est ad ipsum agens, & sic est influxus causæ agentis, vt dicit* Ab. *Tertia est ad terminum* à quo *& sic non consideratur*

vt

vt influxus, sed vt destructio, vel recessus ab illo termino, quem in illum non influit. sed relinquit, aut tollit. In actionibus autem inducentibus passionem in subiectum, seu materiam inducitur alius respectus illius influxus, vt in passo ab agente, sed hic respectus potius pertinet ad illum, vt passio, vel motus est, quam vt actio, id enim, quod actionis est præcisè, concipitur per hoc, quod sit influxus à causa agente ad aliquem terminum ex termino relicto, seu destructo: Et hic habet respicere terminum ad quem *influendo, & terminum* à quo *destruendo, seu relinquendo, & agens, egrediendo quos respectus explicamus per* ad, *respectu termini, ad quem tenditur, per* Ab *respectu agentis, à quo egreditur, per* Ex *respectu termini* à quo, *qui relinquitur.*

1815 Sensus quęstiỉ explicatur. Nam in agentibus creatis reperitur duplex influxus.

Inquirimus ergo, quid sit in actione creatiua Dei influxus, vt dicit egressionem à Deo, seu prout dicit respectum Ab. *Nam in creaturis agentibus inuenimus hunc influxum, quasi partitum, seu duplex munus habentem, & duplicem formalitatem, nimirum, & actualitatem agentis, quatenus reducitur de potentia ad actum, de otio in operationem. agens enim de se est solùm in actu primo, perficitur autem, & quasi extenditur ad influendum, dum fit in actu secundo, seu reducitur de potentia ad actum, & hęc actualitas, quia egreditur à potentia ipsa, quasi actus secundus à primo, etiam importat* Ab. *Et secundò iste influxus attingit ipsum terminum, quia indicit, & influit esse in ipsum, & vt tenet se ex parte termini, etiam dicit* Ab, *quia etiam terminus mediante influxu egreditur ab agente.*

1816 Influxus pro vt tangit terminum identificatur cum illo; prout est actus secundus agentis pertinet ad agens.

Istæ autem duæ formalitates non sunt in vna, & eadem re, licèt vna sequatur ad alteram, & coordinetur illi; nam influxus prout tangit terminum, identificatur cum illo, & vbi est terminus, est ille influxus, si terminus est in passo, ibi est influxus, si terminus est sine passo, in ipso termino influxus est dans illi esse extra ipsum agens, quando producitur aliquid extra ipsum. Influxus autem ille, prout est actus secundus agentis, pertinet ad ipsum agens, eiusque potentiam, quæ de se est in actu primo, reducit, & constituit in actu secundo: Et sic distinguitur actio, seu influxus vt faciens, & vt effectus, vt faciens est in agente, vt effectus in termino.

1817 Concl. Actio, vt se tenet ex parte Dei, est eius actualitas sine vlla potentialitate. Prob. ex D. Thom. Prima pars.

Dico ergo, his suppositis, quod actio, vt tenet se ex parte Dei, est actualitas eius sine vlla potentialitate, vel actu primo; & sic est actus secundus ex parte agētis se tenens, nec est aliud ab entitate eius, sitque est actus secundus æternus, nec indiget potentia diuina reduci in actum, aut amplius actuari, & perfici, vt influat, sed seipsa influit. Non tamen influxus ex parte termini ipsum tangens, ipsique dans esse ponitur nisi in tempore, & denominatio agendi, quæ est relatio ad creaturam, & ab isto influxu terminatiuo resultat, sine quo nō denominatur agens, temporalis est, non æterna. Sumitur hæc Conclus. ex Caiet. qu. 46. art. 1. explicans solutionem ad 10. D. Thom. estque ipsius D. Th. hic art. 3. ad 1. vbi dicit, quod creatio actiue significat actionem diuinam, quæ est essentia Dei cum relatione ad creaturam. *Et declaratur etiam ab ipso in 2. contr. Gent. cap. 9. quia* Actio, *inquit*, alicuius rei est quoddam complementum potentiæ eius: comparatur enim ad potentiam; sicut actus secundus ad primum, diuina autem potentia non completur alia, quàm seipsa, cùm sit ipsa Dei essentia: Igitur non est aliud potentia, quàm actio. *Confirm. ex hoc, quòd diuina potentia est essentia Dei, & eius agere est eius esse, & eius esse est sua substantia; & sic actio eius est eius substantia. Ac denique quia actio, quæ non est substantia, est accidens, quod inest agenti, vndè cum in Deo non sit accidens, non inest ei actio, sed vt eius substantia.*

Confirm. quia diuina potentia est essentia Dei, & eius agere est eius esse.

1818 Corrolarium. Actio, quę est actus secundus complet potētiam, quę est actus primus.

Ex quibus deducitur, quod secundùm D. Th. actio, prout est actus secundus respectu potentię, quæ est actus primus, complet potentiam, eamque in actum reducit formaliter illi inexistendo, aliàs non benè inferret, quod esset substantia Dei, quia actio inest agenti, & in Deo non est accidens: in agentibus autem creatis ista secunda actualitas etiam effluit, & emanat à prima, seu ab actu primo, eumque actuat, quandiu effectus etiam effluit, & cessat consummato effectu, quia tunc non amplius operatur causa.

Vndè dicit D. Thom. supra qu. 25. art. 1. ad 3. quòd Potentia in rebus creatis non solùm est principium actionis, sed etiam effectus: in Deo autem saluatur ratio potentiæ, quantum ad hoc, quod est principium effectus, sed non quantum ad hoc, quod est principium actionis, quæ est diuina essentia, nisi forte secundùm modum intelligendi, prout diuina essentia potest intelligi, & sub ratione actionis, & sub ratione potentiæ. *Igitur actualitas illa actionis, quæ causam creatam constituit in actu secundo operantem, est à potentia, vt à principio sui, & sic ex illa dimanat: in Deo autem non emanat à potentia: sic enim esset aliquid ab illa distinctum; & cum dicat D. Thom. quod ipsa actio, seu actus secundus agendi est ipsum esse, seu essentia Dei, si actio emanaret à potentia, essentia emanaret ab essentia, quod est implicatorium.* — 1819 In Deo saluatur ratio potētiæ quantum ad hoc, quod est principium effectus.

Ex his ergo fit manifestum, quòd actio Dei, seu creatio, prout est actus secundus ex parte Dei se tenens est entitatiuè æterna, si quidem ista actio, vt ex parte agentis se tenet, entitatiuè est ipse actus secundus agentis, & ipsum esse Dei, non autem aliquid reducens virtutem Dei actiuam de potentia ad actum, de actu primo ad secundum, de otio in operationem sed virtus Dei per se ipsam est in actu secundo, tum essendi, tum operandi, quia est actus purus, & ad nihil actualitatis est in potentia: ergo actualitas illa secunda, qua dicitur potentia esse in actu, inquantum agens, & operans, æterna est in Deo, imò est eius esse, quia in Deo virtus agendi, & substantia, & ipsum esse, & ipsum agere, seu actualitas secunda essendi, & agendi est prorsus eadem, nec per aliam actualitatem est operans, & existens; actualitas autem secunda in agendo est actio; ergo actio in Deo est æterna in sua entitate, & actualitate. — 1820 Ratio Concl. Ista actio creationis, vt ex parte agentis se tenet, entitatiuè est actus secundus.

Dices: Non sufficit hæc actualitas sic considerata, prout est idem cum esse Dei ad constituendam rationē actionis, nam etiamsi Deus nihil vellet de facto producere, sed omnia concludere sub statu puræ possibilitatis, adhuc illa actualitas sic maneret in actu secundo, sicut modò: nec enim ex volitione Dei libera mutari potest, ergo etiam modo datur comparatione ad purè possibilia, sed non dicitur Deus habere actionem ad purè possibilia, sed solùm potentiam: ergo nec ab alio, quousque in re ponantur, & fiant, sed tota illa actualitas respectu rei nondum existentis, & productæ in se, non habet vim actionis, sed solùm virtutis, & potentiæ. — Euasio.

Resp. quòd respectu possibilium sub puro statu possibilitatis actio Dei manet sub eadem actualitate entitatiuè, & ex parte subiecti, non terminatiuè, & ex parte obiecti, quia actio hæc de se respiciens, & complectens omne creabile, determinatur ad particulares effectus iuxta suæ voluntatis decretum, quo operatur, & partitur singulis, prout vult. Et hæc determinatio actionis non addit aliquid supra ipsam, aut supra potentiam, sed est ipsamet actio, vt liberæ volitionis terminatione gaudens, quia actio, qua Deus actualiter dicitur operans, non est alia ab actione immanenti suæ voluntatis, & imperij: & sicut actus voluntatis, qui in se est necessarius sua eminentia determinatur liberè ad has creaturas potius, quam ad illas, cùm tamen posset se determinare ad plures, vel ad omnes, ita actio, quæ de se potest circa omnia possibilia versari, vt liberè determinata respicit istas efficaciter, & explicatè, reliquas quoad sufficientiam actualitatis, & virtutis. Sed hæc applicatio, & efficax determinatio non magis addit supra actualitatem actionis, quam libera determinatio actus voluntatis supra actum voluntatis necessarium. Sed tamen ipsa actualitas actionis secundùm vim actualitatis, quam ipsa applicatio, seu determinatio vt libera æterna est, & æternitate mensuratur. Vndè nec etiam pro hac parte incipit conuenire in tempore, sed ipsa actualitas — 1821 Præcluditur, quia actio Dei respectu possibilium manet sub eadem actualitate, entitatiuè, non terminatiuè.

secunda

secunda actionis Dei, tàm quoad rationem actualitatis, quàm quoad determinationem, & applicationem efficacem respectu harum creaturarum, & non aliarum æterna est, sicut ipse actus liber.

2. Pars conclusionis.

Et ex hoc concluditur, & explicatur secunda pars conclusionis, quòd denominatiuè illa actio nō dicitur de Deo ab æterno, sed temporaliter, scil. quando effectus ipse ponitur exequutiuè in esse in sua propria duratione, & mensura. Et prob. quia denominatio agendi, seu creādi non sumitur ab actualitate actionis, vt in agente est, sed vt terminum tangit, & ponit in esse, seu ab actione, vt consummata est in termino, non vt incipiens ab agente, aut actuans ipsum.

Prob. quia denominatio agendi, vel creandi, non est solùm denominatio in genere causæ formalis, sed etiā effectiuæ.

Et ratio huius est, quia denominatio agendi, vel creandi nō est solùm denominatio in genere causæ formalis, sed effectiuæ, quia reddit, & cōstituit causam efficientem. Ad denominationem autem causæ formalis sufficit, quòd forma sit in subiecto, eamque actuet, & informet; ad denominationem verò causæ efficientis, non sufficit subiectum actuari, & informari à forma, sed terminum effici, & attingi ab efficientia, quia efficiens nō denominatur efficere; sed aliquid ex parte termini, nō ex parte subiecti, quia id, quod efficitur, non est subiectum agens, sed effectus. Si autem nihil ex parte termini efficit, non efficit: ergo vt denominet efficere, oportet quòd effectus sit aliquid factum, & terminus ex vi efficientiæ positus; ergo actio denominat Deū agentem, seu creantem, nisi posito termino, & attacto per ipsam actionem, quia denominatio ista est denominatio, qua dicitur efficiens, non qua solum dicatur actuatus in se, & in actu secundo ad effectum. Licet ergo ista denominatio agendi, & operandi in se sit formalis proueniat à forma inhærente, quæ est ipsa actio, vt est actus secundus agentis, tamen quia est formalis denominatio, non sistens purè in causalitate formali, sed inuoluens se cum causalitatem effectiuam, quia ipsa est causalitas efficiendi, pro hac parte dependet à termino effectiuo, sine quo non denominatur aliquid efficere.

1823 Sunt aliquæ formæ, quæ præbendo suū formalem effectū dependent ab aliquo extrinseco.

Sunt enim aliquæ formæ, quæ in præbendo suum formalem effectum, dependent ab aliquo extrinseco, vt actio ab effectu, passio ab agente, vbi à locante vestitum à veste circundante, & sic de alijs. Et hac ratione actio Dei, quæ ex parte sua est actualitas æterna, vt denominet rem solum Deum actuatum, seu potentiam Dei existentem in actu, sed etiam efficientem, & creantem expectat illationem passionis, seu effectus, vt dicatur aliquid facere, non verò nihil. Solum est difficultas, quomodo in Deo sit ista actualitas actionis in actu secundo ex parte Dei separata ab influxu, vt tangente terminum, & inferrente passionem; quod in agentibus creatis non videmus, & ideò difficile id concipimus in Deo, qui opposito modo se habet in hac parte, quàm creaturæ; Sed hoc melius constabit ex solutione argumentorum.

Instabis.

Dices 1. quomodo actio possit esse sine termino, cum ex intrinseco suo conceptu sit tendentia ad illum, & productio illius; si autem terminum non habet, actu tendentia, & productio actualis ad illum non est; ergo non stat, actionem in actu esse æternam, & effectum temporalem, quod si dicatur, actionem istam non identificari cum termino, sed esse actualitatem agentis; contra est, quia vel actualitas, ista pertinet ad actum primum ex parte agentis, vel ad actum secundum, quo emittitur, & procedit res operata. Si ad actum primum, non est actio, sed virtus, seu potentia; si est actus secundus producendi, & ipsa processio rei operatæ: ergo non est sine termino procedente illa actio, & consequenter si est actio æterna in actu secundo, erit etiam processio creaturarum æterna, quod est hæresis manifesta.

Resp. actionē vt se tenet ex parte agentis, non esse tendentiē passiuam; sed actiuam.

Respond. actionem illam, vt tenet se ex parte agentis, esse tendentiam ad terminum, dist. tendentiam actiuam, concedo, passiuam, seu formalem, nego. Et hæc tendentia tenet se ex parte agentis, & non identificatur cum termino formaliter, sed causaliter, & originatiuè, quia scil. ex ista actualitate originatur ipse influxus, qui cum termino, seu effectu identificatur; & sic causaliter, non formaliter identificatur cum effectu, sed differentia est inter actionem diuinam, & creatam, quòd creata procedit à virtute causæ, tanquam à principio, & reducit illam de potentia ad actum, de actu primo ad secundum. Et quia virtus, seu potentia causæ non est semper in actu secundo, sed quandoque dormit, ideò esse actus secundus non est semper in agente, sed solum dum non est in otio, sed in operatione, & actu.

1824 Est differentia inter actionē diuinam, & creatam; quod actio diuina est ipse actus secundus, secus creata.

At verò actio diuina non procedit à potentia Dei, sed est ipse actus secundus, seu actus purus Dei secundum se, ita vt non indigeat aliquo reducente de nouo actum primum ad secundum, & potentiam ad actum, sed per seipsam est actus vltimus actiuus, quia purus, & sine vlla potentialitate, sed tamen ita eminens, & superior ad effectum, quòd emittit illum, & exequitur quando vult, & prout vult, sicut in Deo est actus liber tantæ eminentiæ, quod non consistit eius libertas in exire, vel non exire à potentia libera, sed postquam est in actu, libertatem habet, vt terminetur, vel non terminetur ad obiectum subijciendo illud sibi, vel relinquendo. Sic actio ipsa ita reddit Deum in actu secundo actiuum, quod tamen ex actiuitate hac in actu secundo potest exire effectus, quo tempore voluerit. nec enim est actualitas per modum actus transeuntis, quæ est alligata effectui, sed per modum actus puri, quæ est independens ab effectu, & effectus sequitur iuxta voluntatem talis actus puri, nec indiget noua determinatione, vt in tempore sequatur actus potius, quam actio, sed sua eminentia, & actualitate complectitur omne tempus, & determinat illud, & sic egreditur actus, quando vult; sicut idem actus sua eminentia est nolitio, & volitio, & seipso determinat, quòd obiectum sit, vel non sit.

Instabis.

Dices 2. Si actio per modum actualis productionis in Deo est ab æterno: ergo & denominatio agendi ab æterno erit, quia non potest intelligi, formam aliquam in subiecto esse actu, & non denominare; sed denominatio agendi est esse Creatorem, & dici creantem, ergo Deus ab æterno creator est, & creans, quod concedi non potest: nihil enim creat ab æterno, ergo creator non est. Vndè huiusmodi denominationes, & relationes ex tempore de Deo dicuntur, vt D. Th. ostendit supra q. 13 art. 7.

1825 Resp. denominationem agendi nō cōuenire Deo ab æterno, quia terminatio est in tempore.

Resp. ex dictis, denominationem agendi non conuenire Deo ab æterno, quia licèt actio sit æterna in Deo, quantum ad actualitatem ex parte agentis se tenentē, non tamen quantum ad omnem conditionem requisitā ad efficientiam consummatam, quia ille influxus, seu actus secundus agentis nondum intelligitur attingere terminum, & ex parte termini se tenere, licèt intelligatur ex parte agentis actuare, seu reddere ipsum in actu secundo: denominatio autem agendi, licèt sit in agente, vt à quo, vel in quo est, requirit tamen attingentiam termini, vt ad quem terminatur, eo quod denominat non purè formalizando, & in vi causæ formalis, sed efficiendo, & constituendo causam, vt efficientem; efficere autem non stat, nisi attingendo aliquid quod fit, tanquam terminum, quia efficere nihil, est non efficere, & efficere aliquid, est terminum attingere. Vndè antequam efficientia attingat aliquid terminatiuè, non denominat subiectum efficere, quamuis denominet ipsum in actu secundo, seu attactum in actu vltimo ad efficiendum: eo quòd illa prima denominatio efficiendi, requirit pro conditione ad denominandum terminatiuam attingentiam termini, & non sufficit actuatio actualitatis actionis, vt ex parte agentis se tenet, sine vlla conditione ad denominandum efficere, quia istæ formæ sunt talis conditionis, quòd non denominant per absolutam sui informationem, sed cum dependentia ab aliquo extrinseco.

Instabis.

Instabis: si dependet aliqua forma ab extrinseco in denominando, etiam dependebit in formando, & ita ante illam conditionem termini extrinseci positam non dabitur talis forma, sicut non datur in creatis actio in agente, antequam detur terminus influxu eodem attactus. In Deo autem non erit ista actio influxus aliquis ex parte Dei, sed solùm ex parte creaturæ se tenens, & denominans extrinsecè Deum.

1826 Resp. in creatis agentibus actio emanat

Resp. in creatis agentibus ita esse, quia cū actio, etiā vt actus secundus agentis est, emanat à potentia, & virtute, quæ est in actu primo, non autem emanat actus

 secundus

a potentia vna cum termino producto, secus in Deo.

secundus sine termino, quia ab eo specificatur, & ad illum essentialiter se habet, consequenter emanat etiam ipse effectus, seu terminus actionis, & sic non vna emanatio sine alia. At verò in Deo non emanat actio, in quantum actus secundus à potentia diuina, sed ipsa secundum se est actus secundus, quia actus purus, & est omninò independens à creatura facienda, nec ab illa specificatur, sed ipse specificat, & determinat creaturam; & sic ad existendum in subiecto non dependet ab attingentia creaturæ, & influxu actuali illius, sed ipsum causat prout voluerit. Nec potest sic actio in sola denominatione extrinseca poni respectu Dei, quia esse in actu 2 ad operandum non est denominatio extrinseca, sed realis actualitas, quia ratione illius operatur causa realiter. Hæc disp. seqq. dubijs explicatur.

Dub. 1. An creatio ex parte creaturæ sit aliquid medium inter Deum, & rem creatam.

Dub. 2. An relatio consequuta ad terminum creationis, qui est res creata sit prædicamentalis, vel transcendentalis. Vbi An Creatio sit mutatio realis de prædicamento actionis.

Dub. 3. in quo soluuntur argumenta contra Conc. præcedentes:

DVBIVM I.

An creatio ex parte creaturæ sit aliquid medium inter Deum, & rem creatam.

1827 *Conc. negatiua*

CONcl. ex parte creaturæ creatio est ipsamet creatura, vt per se immediate dependens à Deo in esse; nec datur aliquod medium inter Deum, & creaturam superadditum ipsi creaturæ, quasi medium influens, & ratio producendi, sed solum importat nouitatem termini facti, vt à Deo cum relatione dependentiæ consecuta, non eum dependentia, vt medium.

Ex D. Th. quia creatio non potest accipi, vt moueri ante terminum motus.

Hæc Concl. est expressa D. Th. q. 3 de Pot. art. 3. & idem confirmat in hac q. 45. art. 3. docet ergo D. Th. in dicto loco, quod *in omni mutatione, & motu est duplex processus. Vnus ab vno termino motus in alium, sicut ab albedine in nigredinem, alius ab agente in patientē, sicut à faciente in factum. Sed hi processus non similiter se habent in ipso moueri, & in termino motus. Nam in ipso moueri id, quod mouetur recedit ab vno termino motus, & accedit ad alterum quod non est in termino motus, vt patet in eo, quod mouetur ab albedine in nigredinem, quia in ipso termino motus iam non accedit ad nigredinem sed incipit esse nigrum. Similiter dum est in ipso moueri, patiens transmutatur ab agente, cum autem est termino motus, non vlterius transmutatur ab agente, sed consequitur factum quandam relationem ad agentem, prout habet esse ab ipso, & prout est ei simile quoquo modo sicut in termino generationis humanæ consequitur natus filiationem. Creatio autem non potest accipi, vt moueri, quod est ante terminum motus, sed accipitur, vt in facto esse. Vndè in ipsa creatione non importatur accessus ad esse, nec transmutatio à creante, sed solummodò inceptio essendi, & relatio ad creatorem, à quo esse habet. Et sic creatio nihil est aliud realiter, quàm relatio quædam ad Deum cum nouitate essendi.* hæc D. Thomas.

1828 *Ex D. Th. Creatio non est aliquid antecedēs ipsum factum esse creaturæ.*

Ex cuius verbis constat, quod non potest intelligi, quod creatio sit aliquid antecedens ipsum factū esse creaturæ, tanquam fieri eius, & consequenter si realiter mediat aliquid inter Deum creantem, & creaturam productam, illud debet antecedere ipsū factum esse creaturæ; & sic vel debet esse antecedens per modum cuiusdam fieri, vel per modum alicuius rei, seu modi in facto esse; neutrum autem intelligi potest, nec omnino concipi, quod id quod purè se habet, vt terminus actionis, sit subiectum eius, sumendo actionem passiuè, siue prout in fieri.

Ratio conclusionis sumitur ex duobus principijs.

Ratio, & fundamentum huius sumitur præcipuè ex duobus. Primum ex eo, quod ista factio, seu dependentia, aut quidquid illud sit, si consideretur, vt tenet se ex parte creaturæ, non potest accipi vt medium, quo res creatur, nisi vel se habeat per modum fieri ipsius creaturæ, quæ est terminus, vel per modum alicuius in facto esse, quod sit entitas inhærens aut modificans ipsam rem creatam, & constituens illam in creato esse. Nam substantia esse non potest, quia hæc indigeret creari in alia creatione, nec virtus efficiens recepta in aliquo, quia in ipsa re creata, quæ est terminus, non potest recipi virtus effectiua sui, in alia autem creatura non potest recipi virtus creandi; modo autem non est præsens difficultas de virtute, sed de actione. Secundum est, quia creatio est influxus vniuersalissimus totius entis, quod fit ex nihilo, & repugnat hunc influxum ita vniuersalem esse creatum, & passiuè recipi in re producta per creationem.

Primum ostenditur sic, quia istud medium, quo res dicitur creari, seu passiuè esse creata, debet recipi in aliquo subiecto, vel inhærendo, si est accidens, vel modificando, si est modus: nam substantia esse non potest: quomodo enim vna substantia est in alio reddens ipsam creatam? & rursus ista substantia cum non esset Deus, deberet esse creata alia ergo creatione, & alia substantia, & esset processus in infinitum, aut deueniret ad substantiam, quæ sine vllo medio passiuè in se recepto crearetur, quod etiam dici posset de illa substantia, quæ primo creatur. Si ergo est accidens, vel modus identificatus cum re creata: ergo vt realiter ibi sit tale accidens, vel modus, debet supponere, quod ipsa res creata, seu subiectum sit existens: nec enim subiectari potest in nihilo, nec realiter esse, nisi in subiecto; ergo non potest esse medium, quo talis res creetur, & ponatur in facto esse: nam medium, quo res fit, antecedere debet ipsam in facto esse, cum accipiatur, vt mediū ad hoc, vt fiat; non potest autem subiectari in illo, nisi sit in facto esse; ergo repugnat, quod id, quod est medium faciendi, recipiatur in ipso facto, & in ipso termino. 1829 *Primum principium prob. quia istud medium, quo res dicitur creari, debet recipi in aliquo subiecto.*

Dices: quod est sicut existentia, quæ recipitur in re, quam existentem reddit, non supponit, sic creatio passiuè sumpta reddit re creatam in facto esse, non in facto esse supponit. 1830 *Euasio.*

Sed contra, quia existentia non se habet per modum influxus, & medij, quo res fit, sed per modum termini, quo redditur formaliter in actu extra causas, seu extra potentialitatem; & ideo pertinet ad ipsas rem creatam, & in illa recipitur, non supponēdo existentem, sed constituendo formaliter, seu terminatiue. At vero influxus ille, seu creatio passiua cōsideratur, vt mediū effectiuū, quo tanquam ratione effectiua ex parte effectus, se tenente ipse effectus creetur, & procedat in esse. Ratio autē effectiua ex parte effectus se tenens, cum sit medium, seu causalitas efficiens, non potest formaliter constituere rem existentē: Sic n. esset existentia effecta, sed effectiue, seu influxiue, quia est medium, vt sit effecta, nō forma. Omne autem effectiuum, & influxiuū per modū causæ efficientis supponit existentiā, & si est efficiēs, vel mod⁹, debet esse in subiecto existēte: ergo si istud mediū influxiuum actus influit, & effectiue mediat ad hoc, vt res fiat, oportet quod existat in aliquo, dū influit, sed non est, quàm terminus ipse, qui creatur, & fit, siquidem fit ex nihilo, & nihil prius, & ante se supponit: ergo vel subiectatur in isto termino iam facto, & in facto esse existente, vel antequā sit in facto esse. Antequam sit in facto esse, est purū nihil: nec enim datur aliquod subiectum, quod sit in potentia, & tēdentia ad ipsum, nec datur fieri, quod antecedat factū esse realiter, cum non fiat per motū, aut mutationē. Si vero subiectatur in ipso termino, vt in facto esse existēti, iam illud nō est mediū, nec ratio, vt terminus ipse fiat, quia quod est in facto esse non potest habere medium, quo fiat, sed solū est in illo aliquid consequutum ad talem terminū in facto esse, & hæc est relatio cōsequuta, nō aliquid antecedens, tanquā medium, vt fiat. Et hac ratione D. Th. hic a. 3. reputat, quod est impossibile, quod eiusdē accidētis, seu actionis, quæ est accidens, idem sit subiectum, quod sustentat accidens existendo, & terminus, qui producitur per talem actionē, & sic supponitur non existens, & si non est existens, non sustentat illam

Præcluditur, quia existentia non se habeat per modum influxus, quo res fit, sed per modum termini.

1831 *Nam vel hic influxus subiectatur in termino in facto esse, vel antequam fiat; & neutrum dici potest.*

1832 *D. Th. reputat impossibile, quod idē sit subiectum, & terminus actionis qui producitur.*

solum

solum ergo vbi supponitur materia, seu subiectum aliquod, ex quo res fiat, & in quo fit mutatio, potest antecedere ipsum factum esse, & se habere, vt medium, vt res fiat, quia vt dicit S. Th. hic art. 3 ad 3. *Si creatio significetur, vt mutatio, habet creaturam pro termino, sed secundùm quid verè est relatio, habet creaturam pro subiecto.* Ergo inquantum fieri, seu inquantum influxus effectiuus in ipsam creaturam, non potest habere terminum pro subiecto, quia nihil comparatur effectiuè, & influxiuè in subiectum, in quo est.

1833 *Confirmatur: quia entitas illa media, non potest esse factio effectiua ex parte agētis*

Confirm. hoc, quia entitas illa media, quæ ponitur inter Deum creatorem, & creaturam factam, ex parte autem creaturæ se tenens, vel est factio effectiuè sumpta ex parte ipsius agentis, vel est factio passiuè sumpta ex parte facti, quod est fieri ipsius, vel est entitas aliqua in facto esse, qua mediante dicitur Deus attingere terminum factum. Primum non est ad rem, quia nunc nō loquimur de eo, quod dicit creatio ex parte Dei agentis: Sic enim non est medium inter Deum creantem, & creaturam factā, sed est ipsa actualitas Dei agentis, & facere eius.

Neque potest esse factio passiuè sumpta ex parte facti, quod est fieri illius.

Secundum dici non potest, cùm in creatione non detur fieri distinctum à facto esse, & medium inter Deum facientem, & rem factam, cùm non detur motus aliquis, vel mutatio in creatione. Et huius ratio est, quia in creatione solùm est transitus de nihilo ad aliquid, illud autem fieri non est purum nihilum, sed tendentia aliqua, & via ad ipsum esse rei creatæ, alioquin si est nihil, non est fieri, sed ipse terminus *à quo* relinquendus: Si autem est aliquid vltra terminum *à quo*, iam est aliquid, saltem vt via, & tendentia ad esse, & nondum ipsum esse, qui est terminus totius factionis, quia est medium ad tale esse; ergo iam ipsum esse prius est in potentia reali, quam in actu, & non solùm in puro nihilo: transire autem de potentia ad actum, est mutari, seu moueri. Nec potest illud fieri, si aliquid reale est realiter inueniri, nisi in aliquo subiecto, & non in nihilo, neque extrà omne subiectum; non est autem in ipso termino, vt facto, seu vt in facto esse, quia est medium ad illud factum esse, & antecedit illud; & iterum quia res in facto esse iam non suscipit ipsum fieri: nec enim fit, neque tendit ad esse, quod est in facto esse, præter ipsum autem terminum in facto esse non restat aliquid aliud, quod sit subiectum, cū fiat ex puro nihilo; atque adeo si quod est subiectum, ipsum etiam fit per creationem: ergo nullibi recipitur tale fieri, & sic est nihilo, atque ad eo nihil etiam est.

1834 *Neque potest esse mediū faciendi rē creatam, & influēs in illam.*

Tertium denique dici non potest, quia entitas illa in facto esse non potest esse medium faciendi rem creatam, & influens in illam, quia talis res in facto esse, siuè sit res, siuè modus, debet esse aliquid factū, & ad illud requiretur alia actio, & aliud medium, eritque processus in infinitum; vel non requiritur, sed per seipsam res illa, seu modus attingitur, tanquam ratio faciendi aliud, & sic immediate fit per actionem creatiuam, ergo id, quod primo attingitur, vt res facta in termino creationis, est modus ille, qui vtique est aliquid minùs, quàm substantia, quæ creatur, ergo non incipit creatio, nec immediate, & formaliter attingit totum ens, & vniuersaliter ipsum ens, sed aliquid particulare, seu quod est minus toto ente; sed formalissima ratio creationis est attingere ens inquantum ens, sub vniuersalissimo influxu totius entis; ergo non debet incipere ab eo, quod est minus, & tanquam pars, sed à toto, vt totum est: ergo non indiget modo illo, seu entitate, vt re prius facta, & attacta, vt media ipsa attingat totum, sed prius attingit totum, vt formalissimum terminum suum, & quidquid illi coniungitur, vt superadditum, & accessorium.

1835 *Item, cùm ille modus non potest esse substātia, erit accidēs inexistens.*

Ac deniq; currit hic ratio facta, quia cum ille modus, seu res in facto esse, non sit substantia per se existens: Sic .n. non posset esse ipsi substantiæ creandæ ratio vt fieret, erit vtique accidens, vel modus; & sic nō potest intelligi, nisi alicui inhærens, seu inexistēs, non alteri, quàm ipsi termino, quia nihil ei præsupponitur: si autem ipsi inhæret, ergo est consequens ad ipsum, & posterius ad ipsum, supponitq; illud esse existens: ergo non est medium, neque ratio faciendi, & ponendi illū in esse.

Ex secūdo capite hoc idem deducitur, quia creatio influit totam entitatem, nihil præsupponens, sed totum faciens in suo termino, & ex hoc dicitur vniuersalissimus influxus, quia omnia prædicata, & entitatem, quæ in termino est, facit, & nihil supponit, & ideo ex modo producendi nullum ens est, quod non possit facere creatio, quia difficultas faciendi aliquod ens, est vel ex defectu materiæ, & dispositionum, vel ex defectu virtutis, non potentis disponere, & ordinare ea, quę facienda sunt: virtus autem, quę ex nihilo facit, non requirit materiam, aut dispositiones ad faciendum terminum; & sic in nullo ente faciendo difficultatē habebit ortam ex defectu materiæ, vel dispositionum, neque ortam ex defectu virtutis, quia virtus, quę potest ex nihilo facere, ex nullo retardari potest, ne faciat, quia nihil requirit ad faciendum, & summam vim, & actualitatem debet habere, quia vincit summam distantiam, & improportionem inter extrema, scil. inter nihil, & ens. 1836 *Secundū Principium Confir. est, quia creatio influit totā entitatem, & nihil præsupponit.*

1837 *Influxus creatiuus, cùm sit vniuersalissimus non potest dari mediante aliquo modo.*

Ex parte ergo virtutis, Qui aliquid potest semel creare ex nihilo, potest & quodlibet ens. Et hac ratione dicitur ille influxus vniuersalissimus, quia est maximus, qui potest dari respectu productionis rei creatę, & limitatę. Ex hoc autem deducimus, non posse communicari talem influxum rei producendę mediante aliquo modo, seu qualibet alia entitate creata, sed ipsam rem immediatè debere emanare ab ipso influxu actiuo Dei, ideoque omnis creatura debet immediatè Deo coniungi, & Deus creaturę immediatè adesse, quia non potest per aliquod mediū creatum communicare, tam vniuersalē influxū.

1838 *Ratio est, quia modus ille medius, est minor entitate, quæ immediatè terminus productur, at proinde non potest esse influxus vniuersalis in totum ens.*

Et ratio huius est, quia causalitas illa, seu modus, aut quidquid illud sit, quod ponitur, vt medium creandi ex parte creaturæ se tenens, est entitas minor tota entitate termini producti, & non adæquās illam, quia se habet, vt modus eius, vel entitas illi inhærens, non sicut ipsa substantia producenda: ergo non potest esse influxus vniuersalis in totū ens, neq; ex nihilo. Patet Conseq. non potest esse influxus in totū ens, quia, & influxus, qui sufficit creare aliquod ens, v.g. formica, sufficit creare quodcumq; ens, etiā Angelum, quia in creatione non attenditur in termino producendo particularis gradus entis, quantū ad nobilitatem, & perfectionē particularem, seu totalitas entis, quia totum ens facit, nihil supponendo, ex quo faciat, vel quod disponat ad talem, vel talem perfectionem faciendam: influxus autem, seu virtus, quæ de se sufficit ad quodcumque creabile, non potest esse aliqua entitas determinata, & limitata, quia non potest limitata virtus adæquare, & recipere totum creabile.

1839 *Confirm. quia virtus diffusa extrà Deū est creata, & effectus Dei, vnde non operabitur in ens, in quātum ens.*

Et hac ratione probauimus tom. 1. q. 3. & 9. non posse aliquam virtutem diffusam extra Deum operari totum ens modo illo vniuersalissimo, quo Deus creat, & creaturæ dependent à Deo, quia virtus diffusa extrà Deum, hoc ipso est virtus creata, & effectus quidem Dei; ergo hoc ipso non operatur vniuersalissimo modo in ens, inquantum ens, sed particulari ad determinatum ens, & multo minùs potest de se in totum ens creabile: ergo idem erit de causalitate creata, quia si virtus creata, & extrà Deum, non habet modum vniuersalem operandi, neq; ipse influxus, & causalitas habebit.

Nec etiam virtus illa diffusa operabitur ex nihilo quia operabitur, vt causalitas recepta

Non operatur etiam ex nihilo, quia influit, & operatur, vt causalitas recepta, scil. inhærens rei, aut modificans, non per se existens: ergo influit ex nihilo, sed ex aliquo subiecto, quia virtus, seu entitas recepta non potest operari, nisi vt existens in eo, in quo recipitur, quia si manet extra illud in alio subiecto, non potest ex illo attingere id, quod extra se est, nisi vel iterū communicando aliam similem influxū, & de illo erit eadē difficultas, vel nullū communicādo, sed in altero manēdo, & sic multo melius id faciet operatio Dei, & actualitas in eo manēdo, & sine alio medio operans. Si ergo recipitur in aliquo, non recipitur nisi in ipso termino creato esse producto, quia ante ipsū nō datur aliquod subiectū, in quo illa

1840 [illegible]

causalitas recipiatur, cum sit causalitas faciendi totum, atque adeo nihil de illa re supponit, cui inhæreat. Si autem inhæret, aut recipitur in ipso termino, & non influit, nisi vt existens in illo, prius ergo est existens modus, quàm influat: ergo & terminus, in quo recipitur, prius est existens, ergo non influit in illud totum esse, nec facit, quod existat. Et præterea omnis virtus, vel influxus, qui operatur, vt receptus in subiecto, operari non potest, nisi ex subiecto, & per mutationem, non ex nihilo, quia semper modus influendi, & operandi sequitur modum essendi ipsius virtutis, aut entitatis, vnde profluit.

1839 Dices: etiam in generatione substantiali actio, seu causalitas agentis identificatur cum termino, & in eo recipitur, & tamen causat illum, nec recipitur in sola materia prima, quia non recipit accidentia, sed totum compositum: Solum enim recipit immediate formam substantialem; ergo bene potest etiam causalitas Dei creantis recipi in termino creato, & tamen influere in illum per modum causalitatis totum esse.

1840 *Resp. in creatione esse relationem sine mutatione: in generatione verò substantiali datur mutatio, ac proinde fieri inhæsiuum.*

Resp. ex D. Th. q. 2. de Pot. art. 3. ad 4. quod *In generatione & est mutatio, & est relatio, qua refertur genitum ad generans. Ratione ergo mutationis non habet subiectum ipsum generatum, sed eius materiam, sed ratione relationis habet subiectum ipsu generatū. In creatione verò est relatio, & nō mutatio, & ideo non est simile.* Ita D. T. Quare in generatione datur fieri, quod est mutari, & factum esse, quod est terminus ex tali fieri resultans. Fieri quod est mutari, si sumatur pro fieri dispositiuo, sic manifestum est, quod dispositiones antecedentes (quæ solùm pertinent ad fieri, nam consequenter sequuntur ad formam iam factam) subiectantur, non in ipso genito, sed in eo subiecto, quod corrumpendum est, & via corruptionis vadit. Fieri vero, seu mutari substantiale, quod est in ipso instanti generationis, in quo materia transit de vna forma substantiali ad aliam, habet pro subiecto materiam, tanquam subiectū *quo* ipsius mutationis, & fieri; sed quia principium *quo* recipiendi non est sine aliquo principio *quod*, quia materia illa ad aliquod compositum pertinet, ideo in illo instanti reali actio illa, & causalitas generationis est in ipso genito, tanquam in subiecto, *quod* inhæsionis in re, quia subiectum, *quod* non potest esse sola materia, sed compositum subsistens.

1841 *In creatione verò neq. datur subiectum quo nec quod ipsius fieri.*

Sed tamen hæc ipsa mutatio, & actio, quæ est in ipso composito, vt in subiecto, *quod* inhæsionis, est prius natura in materia, vt in subiecto *quo* mutationis, & hoc modo antecedit prioritate naturæ istud fieri, seu mutari, quod conuenit materiæ ipsum factum esse, quod est compositum, & forma, vel eius vnio, & bene potest antecedere hoc fieri ex parte materiæ, quia materia per generationem non fit, sed supponitur; & sic potest esse subiectum *quo* mutationis; at vero in creatione etiam materia fit, & est terminus, non subiectum. Vnde neque datur subiectum *quod*, neque *quo* ipsius fieri, & mutationis, nec etiam sub aliqua prioritate, & antecedentia naturæ, quia nullo modo præsupponitur actioni, vt recipiat ipsum fieri ad hoc, vt influat in factum esse; & sic non datur aliquod medium inter creatorem, & rem factam, in quo subiectetur ipsum fieri ad influendum in factum esse, sed totum, quod ibi est, terminus est, & factum esse est: nihil vero est subiectum præsuppositum ipsius fieri: & sic immediate totum ens factum est ab ipsa actiuitate agentis, & influxu eius, vt ex parte Dei se tenet.

DVBIUM II.

An relatio consequuta ad terminum creationis, qui est res creata, sit prædicamentalis, vel transcendentalis. & An si creatio sit actio de prædicamento actionis.

1842 *Concl. Relatio consequuta ad terminū creationis, est accidens prædicamentale.*

CONCL. Relatio consequuta ad terminū creationis, qui est res facta, & producta a creatore, est relatio, quæ est accidens, seu prędicamētalis, nō relatio transcendentalis, seu quæ est ipsa substantia: inseparabilis tamen est ab ipsa creatura, nisi destruatur ipsum eius subiectum.

Opinio Scoti cū suo fundamento refertur.

Hæc Concl. est contra Scotum in 2. dist. 1. q. 5. quem sequitur Vasq. hic disp. 173. cap. 3. & ducuntur eo fundamento, quia ista dependentia, seu relatio creaturæ ad Deum est inseparabilis à creatura, etiam de potentia Dei absoluta; ergo est indistincta entitatiuè. Patet Conseq. quia signum indistinctionis realis inter duo extrema est inseparabilitas, etiam de potentia absoluta; ergo ista relatio entitatiuè est ipsa substantia rei creatæ, & factæ, vt dependens à Deo, quod est esse transcendentalem relationem. Et præterea, quia substantia est prior accidente, tempore, & natura. Si ergo hæc relatio est accidens respectu creaturæ, esset prior tempore substantia creaturę, quam relatio, seu dependentia ipsa a creatore; atque adeo posset intelligi tota substantia rei creatæ sine actuali dependentia à creatore, quod est implicatorium.

1843 *Prob. Concl. ex D. Th. asserēte Creationē dicere relationē prædicamentalem.*

Oppositum tamen huius tenet expresse D. Th. hac q. 45. art. 3. in solut ad 3. vbi ponens argumentum, quod relatio, si est accidens, debet esse in subiecto; si autem res creata est subiectium illius, idem esset subiectum, & terminus respectu actionis, quod est impossibile, respondet, quod *Creatio significata vt mutatio, habet creaturam pro termino, sed secundum quod verè relatio est, habet creaturam pro subiecto, & est prior ea in esse, sicut subiectum accidente.* Expressius in q. 3. de Pot. art. 3. ad 3. vbi inquit, quod *Illa relatio* (scil. creationis) *accidens est, & secundum suum esse considerata, prout inhæret subiecto, posterius est quàm res creata sicut accidens subiecto intellectu, & natura posterius est, quamuis non sit tale accidens, quod causetur ex principijs subiecti.* Et solut. ad 7. inquit, quod *Id ex quo acquiritur relatio creationis, principaliter est res subsistens, à qua differt ipsa creationis relatio, quæ & ipsa creatura est, & non principaliter, sed quasi secundariò, sicut quid creatum.*

1844 *Ratio Concl. quia ista relatio non est aliquid causatum ex principijs subiecti.*

Ratio huius est ea, quæ insinuatur in verbis adductis a D. Th. quia ista relatio non est aliquid causatum ex principijs subiecti, seu naturæ, in qua est, & multo minùs non est ipsa natura, seu substantia rei creatæ in se: ergo non est transcendentalis relatio, sed accidentalis, & superueniens: nam relatio transcendentalis est intima, & imbibita ipsi entitati, nec superadditur ipsi substantiæ rei, sed est ipsamet substantia, vt ordinata per se ad alterum, sicut materia ordinatur ad formam, & è contra, caput ad capitatum, partes ad totum. Et potentiæ, & actus per suam entitatem, & specificationem se habent ad obiecta.

1845 *Sicut esse existentiæ accidētaliter cōuenit creaturæ, sic ista relatio.*

At vero substantia creata neque per suam speciē, & quidditatem est tendentia ad Deum, neque ex principijs eius per necessariam connexionem oritur hæc relatio, seu dependentia, sed accidētaliter creaturæ conuenit, sicut esse ipsum existentiæ, & deriuatio, seu participatio à Deo, quæ libera est, & prædicatum contingens ipsius creaturæ; ergo relatio super eam fundata, accidens est; & sic est relatio de prædicamento relationis. Non tamen potest hæc relatio destrui, nisi destructa creatura, quia relatio non desinit esse, nisi vel ex desitione termini, vel subiecti, seu fundamenti. Terminus non potest desinere, quia est ipse Deus; fundamentum non potest cessare permanente subiecto, quia est ipsa deriuatio, & emanatio à Deo, quæ durat quandiu creatura durat; ergo solum ex desitione subiecti deesse potest.

1846 *Prima ratio fundādi huius relationis non est aliquid absolutum, sed est sicut relatiuum secundùm dici.*

Est tamen aduertendum, quòd omnis relatio, cum exigat fundamentum in suo subiecto, ratione cuius oriatur talis relatio, hoc fundamentum etiā debet assignari pro ista relatione creationis. Et tale fundamentum, seu prima ratio fundandi non potest esse aliquid omnino absolutum, & ad se, neque purè relatiuum, quod est ad terminum, vt existentem, sed est sicut relatiuum secundùm dici, quod in se quidem absolutum est, nec totum eius

esse

esse est ad alterum, dicitur tamen, seu explicatur per aliud, seu per ordinem ad aliud; quam distinctionem expresse ponit S. Thom. supra qu. 13. art. 7. ad 1. vbi inquit, quod *quædam nomina sunt imposita ad significandas ipsas habitudines relatiuas, vt dominus, seruus, Pater, & Filius, & huiusmodi; & hæc vocantur relatiua secundum esse: Quædam verò sunt imposita ad significandum res, quas consequuntur quædam habitudines, sicut mouens, & motum, caput, & capitatum, quæ dicuntur relatiua secundùm dici;*

1847 *Licèt hæ rationes fundandi accidentaliter superueniant subiecto, tamen in se intrinsecum ordinem habent erga aliud.*

Vbi vides, relatiua secundùm dici, vocari ipsa fundamenta relationum, idest, ipsas res, ad quas consequuntur relationes: quæ quidem explicari non possunt omnino ad se, sed ad aliud, licet in se, & quoad suum esse absolutæ res sint. Et ideo illa fundamenta, licèt accidentaliter superueniant subiecto, in quo sunt, tamen in se, & intrinsece ordinem, & dependentiam habent erga aliud, sicut mouens ad terminũ, & ad mobile, & caput ad capitatũ, vt pars ad alias partes, ideoque in se respectus ille trãscendentalis dicitur, & in idẽ coincidit respectu huius fundamenti relatio transcendentalis, & secundùm dici.

Relatio hæc, licèt fundetur in existẽtia creaturæ, ac proinde accidentaliter, dicit tamen ordinem intrinsecum ad Deum.

In creatione ergo, licèt relatio illa fundetur in creatura, vt existenti, & deriuata secundùm esse à Deo, & sic accidentalis relatio sit respectu essentiæ, tamen ipsum factum esse, & ipsa existentia relatiua secundùm dici dicuntur, quatenus creata, & participata à Deo; & sic fundant illam relationẽ accidentalem. Et hac ratione creatura intrinsecam habitudinem habet ad Deum, sicut omnis effectus ad suam causam, quia hoc ipso, quod se habet ad illam sub ratione causæ, vel effectus, & non sub ratione puri termini, respicit non secundùm relationem prædicamentalem, quæ est secundùm esse, sed secundùm dici, seu transcendentalem. Et ideo S. Thom. in verbis supra relatis ex qu. 3. de potent. art. 3. ad 7. assignauit pro fundamento huius relationis, ex quo ipsa relatio acquiritur, ipsam rem, vt subsistentem, id est per se existentem, & ipsam existentiam includentem, quæ vtique, tanquam prædicatum contingens se habet respectu rei creatæ, de se tamen subordinata est ipsi agenti, ab eoq; deriuatur, & per ordinem ad illum dicitur relatio secundùm dici, fundat tamen prædicamentalem respectum, & accidentalem relationem, quia accidentale fundamentum habet.

1848 *Ad Obiectiones Scoti in principio Conclus. Resp. ad 1. inseparabilitatem non esse signum euidens indistinctionis.*

Vndè patet ad fundamenta Scoti, & Vasquez. Ad primum enim fatemur, esse inseparabilem istam relationem à creatura, non destructa creatura, quia ipsum non destrui creaturam, seu permanere in esse, fundamentum est huius relationis, & terminus *ad quem* est ipse Deus, qui deficere non potest. Ex hoc tamen non sequitur, esse idem, & non distingui realiter à creatura, quia inseparabilitas non est signum euidens indistinctionis, sed solùm connexionis necessariæ, sicut in nostra sententia materia non potest spoliari omni forma, & tamen distinguitur realiter ab omni forma, & in sententia Scoti totum non potest separari à partibus vnitis, & tamen sentit ipse differre realiter ab illis; vt contra eum objicit Caiet. in hac qu. 45. art. 3.

Ad 2. Resp. Non requiri, quòd omne accidens sit posteriùs duratione ipsa substantia, in qua est.

Ad 2. dicitur non requiri, quòd omne accidens sit posterius tempore, seu duratione substantia, in qua subiectatur, sufficit, quod sit posteriùs substantia, à qua efficitur, & aliquando etiam substantia, in qua subiectatur, sicut accidens separabile, & aduentitium, non congenitum; quod autem substantia sit prior tempore omni accidenti in se subiectato, non est verum, cùm substantia in ipso primo instanti suæ generationis habeat suas proprietates, vt Sol lucem, ignis calorem, Angelus intellectum, ita vt nullo tempore inueniatur substantia sine illis proprietatibus, nec per vnum instans. Est tamen aliqua substantia prior tempore, seu duratione illis accidentibus, nempe illa, a qua effectiue processit substantia habens prędicta accidentia, quia ab eodem generante procedit substantia, & proprietates eius.

1849 *Petes.*

Petes: *An Creatio sit mutatio realis de prædicamento actionis.*

Resp. Creationem non esse mutationem, licèt ad modum mutationis à nobis intelligatur.

Resp. ex D. Thom. est, creationem non esse mutationem, licèt ad modum mutationis à nobis intelligatur: Docet id in qu. 45. art. 2. ad 2. *Creatio*, inquit, *non est mutatio, nisi secundum modum intelligendi tantùm*. Et qu. 3. de Potent. art. 2. idẽ ostendit. Ratio huius est, quia conceptus mutationis proprius, & essentialis pugnat cum conceptu processionis, & effectionis totalis ex nihilo, ita vt per actionem totum fiat, & nihil præsupponatur. Nam omnis mutatio vel supponit aliquod subiectum, in quo formæ succedant, & transeat de vna ad aliam, vel supponit terminum *à quo*, qui transit in terminum, *ad quem*, sicut in conuersione transubstantiua, & prima, est conuersio formalis, secunda totalis, quia in prima mutatur subiectum penes diuersas formas; in secunda non solum forma mutatur, & conuertitur in aliam, sed etiam subiectum conuertitur in alterum subiectum. Manet tamen in vtraque mutatione, seu conuersione aliquid commune vtrique extremo, in prima mutatione aliquid commune physice, & per modum subiecti receptiui, siuè sit materia prima pro diuersis formis substantialibus, siue subiectum in actu pro diuersis formis accidentalibus, in secunda autem cõuersione manet subiectum commune metaphysice, scil. idem genus, v. g. corpus, substantia, aut etiam ens, quod est commune prædicabiliter vtriq; extremo mutationis, seu conuersionis.

Ratio, quia in mutatione datur vel subiectum, vel terminum à quo.

1850 *In creatione non datur subiectum, nec terminus à quo.*

In creatione autem nihil horum commune datur vtrique extremo. Non primum, quia non datur aliquod subiectum ex quo, & in quo fiat vna forma, seu natura, & expellatur altera; aut saltem, quod mutetur de priuatione ad formam, hoc enim sufficere posset ad mutationem, dummodo subiectum daretur transiens de vno statu ad alium, de priuatione ad formam: creatio autem nullum tale subiectum supponit, sed totum facit ex nihilo Non datur etiam secundus, quia terminus *à quo* creationis est purum nihil, & terminus *ad quem* est ens, inquantum ens: enti autem, & nihilo. non datur aliquod prædicatum commune, siquidem datur pura, & sola contradictio inter nihil, & ens: ergo nullum prædicatum commune. Non ergo saluatur aliqua ratio mutationis, neque physica, neque metaphysica propriè loquendo.

Instabis.

Dices: saluatur mutatio ex parte termini *ad quẽ*, inquantum accipit esse ex non esse, transitus autem de non esse ad esse, aliqua mutatio est, quæ rei immutabili non potest conuenire; & quia anihilatio, quæ est transitus de esse ad non esse, est mutatio, quia res desinit esse; & sic mutatur. ergo etiam e conuerso transitus de non esse ad esse est mutatio, quia est eadem ratio, & eadem contradictio inter vtrumque extremum, nec aliquid commune est illis, etiam quando fit anihilatio: ergo si hæc est mutatio, etiam, & creatio. *Confirm.*

1851 *Resp. argumẽtum solùm probare, in creatione dari mutationem secundum nostrum intellectum, non realiter.*

Resp. probare hoc arg. quod creatio admittit aliquam mutationem secundùm intelligentiam nostram, non realiter vt admittit S. Thom. locis supra cit. vocantur mutatio secundùm intelligẽtiam nostram vicissitudo, seu varatio aliqua in ea, seu nouitas essendi, quæ etiam immutabilitati opponitur, & est quid distinctum a mutatione, dicente Iacobo in epist. Catholica cap. 1. *Apud quem non est mutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, vbi vicissitudo condistinguitur contra mutationem: Et re vera distinguitur, quia vicissitudo est diuersorum statuum alternatio, seu nouitas in esse, quæ attenditur etiam penes esse, & non esse, vt quando aliquid in eodem esse non permanet, sed variatur esse: tunc enim intellectus apprehendit rem sub esse, & sub non esse, licet sub non esse non sit res ipsa, sed defectio rei, seu exclusio rei, at vero mutatio realis, & propria supponit aliquid sub vtroque statu, quod transit de vno in aliud, aut saltem aliquid, super quod cadat variatio, & defectio essendi, quia oportet, quod sit transitus de vno ad aliud, non autem transit quod

non

non est, sed quod est. Itaque ad vicissitudinem sufficit nouitas in esse, seu desitio in esse.

1852 *Ad mutationē requiritur trāsitus de vno in aliud.*

Ad mutationem requiritur successio, seu transitus alicuius de vno in aliud. Si autem ex nihilo fit, non transit, nec succedit aliquid sub hoc, & sub illo; sed solum primo fit, seu incipit aliquid sine hoc, quod præcedat aliquid, cui succedatur, & quod transeat. Vnde ad replicam dicitur, quod accipere esse ex non esse, nihil præsupponendo, non est transitus, nec successio, sed pura inceptio, seu nouitas essendi ex statu negatiuo non essendi. Et hæc etiam rei immutabili repugnat, quia esse immutabile est omnino idem sine vlla potentialitate, sed sub actu puro, quod repugnat vicissitudini, & alternationi in esse. ne enim in Deo non est vicissitudinis obumbratio, quia non est inceptio, aut desitio, seu nouitas alicuius rei in essendo.

1853 *Ad Confirm. Resp. Annihilationem non esse propriè mutationem, sed desitionem.*

Ad instantiam de annihilatione dicitur, quod etiam annihilatio non est propriè mutatio, sed desitio, seu non permanentia in esse, non autem mutatio per modum transitus, & commutationis extremorum, quæ conuenientiam aliquam in eis postulat. Et vno verbo, idem dicendum est quoad hoc de annihilatione, atque de creatione, quia annihilatio est inuerso modo creatio, ita vt id, quod se habet, vt terminus *à quo* in vna, sit terminus *ad quem* in alia, & vice versa.

1854 *Mutatio maius fundamentum habet in annihilatione, quā in creatione.*

Sed tamen mutatio secundum nostrum modum intelligendi maius fundamentum habet in annihilatione, quam in creatione, eo quod annihilatio præsupponit aliquid positiuum, quod desinit esse per annihilationem. creatio autem facit positiuum, quod in eo se tenet ex parte termini *ad quem*. Magis autem attenditur mutatio, quantum ad positiuum ex parte eius, quod præsupponitur, & antecedit, vel ex parte subiecti, vel ex parte termini *a quo*, quam ex parte termini *ad quem*, eo quod in mutatione magis attenditur, quod detur aliquid, quod fiat hoc, vel illud, aut desinat, quam quod de illo aliquid fiat.

1855 *Corrolarium. talis creatio actiuè sumpta non pertinet ad prædicamētum actionis.*

Ex dictis etiam colligitur, ad quod prædicamentum pertineat creatio, an videlicet sit de prædicamento actionis? Quod non procedit de actione actiue sumpta, vt ex parte Dei se tenet: sic enim est ipse Deus, non accidens aliquod, nec entitas pominis in prædicamento: sed difficultas est de actione effecta, prout ex parte creaturæ se tenet. Et dicimus, talem creationem non esse de prædicamento actionis, licet sit vera productio, & inceptio, seu nouitas essendi in ipsa creatura. Ratio est, quia ad actionem de prædicamento actionis requiruntur duæ conditiones, quæ desunt creationi, & solum inueniuntur in mutatione, quæ subiectum supponit. Prima est, quod actio debet se habere per modum tendentiæ, & viæ ad terminum; non per modum actus rationis præsupponentis ipsum in facto esse. Secunda est, quod sit actus accidentalis, & consequenter inhærens, & si est influentia, vel tendentia, inhærendo tendit, & influit.

1856 *Ratio, quia ad prædicamētum actionis solùm spectant actiones, quæ ex materia educuntur.*

Cum autem non detur actio inhærens Deo, quia incapax est accidentium, oportet, quod si actio ista inhæret, extra Deum sit, & consequenter habeat subiectum, non potest autem habere pro subiecto terminum, quem facit, & in quem influit, quia si influit, & facit illum, non supponit, nec inhæret illi, quia non inhæret, nisi existentiæ, vt existens, si quidem ab eo, cui inhæret, esse habet, non autem influit, neque facit, nisi quod nondum existit, & sic repugnat vtramque conditionem coniungere respectu termini creationis: ergo repugnat, quod creatio, vt ex parte creaturæ se tenet, sit de prædicamento actionis. Solùm ergo ad hoc prędicamentum pertinent actiones, quæ in materiam subiectam agunt, & ex illa educunt formas, quod pertinet ad mutationem, quia supponit aliquid, cui inhæreant antecedenter ad terminum suum, saltem vt subiectum *quo*, vt supra explicatum est.

Creatio est actio, quæ est Relatio.

Creatio ergo solùm est accidens inhærens termino habēti existētiā in facto esse, & sic nō est actio, quæ pertinet ad fieri, sed relatio, quæ est depēdentia rei in facto esse.

DVBIVM III.

In quo soluuntur argumenta contra Conclusiones præcedentes.

1857 *1. Obiectio probat creationem esse aliquid distinctū à creatura.*

ARG. 1. ad probandum, creationem esse aliquid distinctum a creatura, tanquam medium, & influxus tendens ad eius esse: etenim in omni causa efficiente debet dari causalitas, & influxus eius in effectum, quia causa sine causalitate non operatur: & hæc causalitas, seu influxus non est ipsemet effectus, cùm effectus ex influxu nascatur, & procedat, nihil autem procedit à seipso, & effectus habet dependentiam a causa, nihil autem dependet a se: ergo iste influxus, & tendentia, seu dependentia debet esse distincta ab effectu producto, & dependenti, tanquam quoddam fieri, seu via, per quam ipse effectus fit. Quod inductione constat in omnibus effectibus causatis à causis efficientibus, in quibus ipsa dependentia, & influxus in effectum, distinguitur ab illo, vt medium ad hoc vt procedat, & fiat talis effectus: ergo idem erit in creatione, quia non minùs est effectus, nec minùs dependens ab influxu, & causalitate suæ efficientis. Nec potest dici, quod hæc dependentia reducitur ad ipsam rē, quæ creatur, & est de essentia eius; quia creatio non est substantia, aut qualitas, sed via ad illam, & productio eius: substantia autem est quid absolutum, & per se stans; ergo creatio, vt actio, & vt dependentia distinguitur a substantia, tanquam via, & ad illam tendentia.

Confirmatur.

Confirm. quia esse actu non est de essentia, & conceptu substantiæ creatæ. ergo nec actu dependere, imo multo minùs ipsa dependentia, quam ipsum esse, quia dependentia est variabilis, manente re in eodem esse, vt patet, quia modo conseruat Deus quantitatem in Eucharistia sine subiecto, distincta conseruatione, qua ante in subiecto eam conseruabat. ergo si e conuerso prius Deus crearet quantitatem extra subiectum, & postea illam vniret subiecto, & conseruaret dependenter ab illo, distincta dependentia conseruaret, quam prius produxerat, & tamen res esset eadem.

1858 *Resp. in omni effectu non deberi dari influxum extra causa receptum; sed sufficere actiuum in causa, vt in creatione.*

Resp. dist. Ma. in omni effectu debet dari causalitas, & influxus, distinguo, influxus non solum actiuus, & tenens se ex parte causæ, sed etiam extra causam receptus, nego: influxus saltem actiuè ex parte causæ se tenens, licèt non sit receptus extra causam, transeat. In creatione solùm datur influxus actiuus, & ex parte causæ se tenens, quia totum facit, & extra se nihil supponit vbi influxus aliquis subiectetur, terminus autem factus, & productus non potest esse subiectum huius influxus, vt est in fieri, & vt productiuus, sed solùm vt supponit terminum existentem, & in facto esse, & tunc iam non datur actio in fieri, & in tendentia.

In alijs actionibus potest dari influxus extra causam receptus.

In alijs autem actionibus præter creationem, quia subiectum supponunt, aut terminū *à quo* positiuum, circa quæ operantur, potest dari influxus, non solùm ex parte causæ se tenens, sed extra causam receptus, & influens. Vnde inductio, quæ in alijs actionibus, & causis efficientibus fieri potest, insufficiens est, cùm procedat in actionibus omnino dissimilibus, & opposito modo procedentibus, ac creatio quoad hanc partem, siquidem procedunt ex aliquo positiuo, creatio vero ex nihilo, & sic inductio ex illis actionibus nihil infert in ista, cum dissimiles sint.

1859 *Instabis 1. Resp. hanc dependentiam esse ipsam relationem.*

Ad id, quod dicitur, hanc dependentiam non esse substantiam, sed viam ad illam. Resp. hanc dependentiam neq; esse substantiam ipsam creatam, quia hæc est effectus, non actio, neque viam, & tēdentiam ad ipsam, quia non habet, vbi recipiatur antequam terminus sit in facto esse existens, & tunc non indiget actione tendente ad factum esse: vnde restat, quod dependentia hæc sit relatio ipsa, qua res in facto esse dependet a sua causa, a qua deriuatur. Hæc autem deriuatio non est aliquid extra

Deum,

Deum, & passiuè receptum in creatura, sed actualitas ipsa Dei infinita, quæ potest totum ens producere, & consequenter sine aliquo medio producendi extra se posito, quia non est vbi ponatur, nec vbi requiescat pes eius.

1860 *Instabis 2.*

Resp. creationem non esse medium ad producendam substantiam, quia ad nullum extremum reducitur.

Nec obstat, quod omnis actio, & tendentia, seu mutatio reducitur ad genus sui termini, vt Philos. dicit in 3. Phys. text. 7. & sic videtur, quod creatio reduci debet ad genus substantiæ. Respondet enim S. Thom. qu. 3. de Potent. ad 3. ad 8. quod *Motus reducitur ad genus sui termini, inquantum procedit de potentia in actum: nam in ipso motu terminus motus est in potentia, & potentia, & actus reducuntur ad idem genus: in creatione autem non est exitus de potentia ad actum, & ideò non est simile.* Quæ ratio D. Thom. adequatissima est, & probat aperte, creationem non esse medium ad producendam substantiam, quia hoc medium debet reduci ad aliquod genus ex suis extremis, vel ad agens, à quo procedit, vel ad terminum, quem causat. Ad agens non potest reduci, quia est aliquid creatum. Nec ad terminum, cùm non se habeat, vt processiò de potentia ad actum, ratione cuius reducitur motus ad suum terminum, quia actus, & potentia sunt in eodem genere.

Ad Confirm. Resp. existentiam non esse de essentia rei creatæ, sed accidentale prædicatum.

Ad Confirm. Resp. quòd esse, seu existentia in actu non est de essentia rei creatæ, sed accidentale prædicatū, & ipsum dependere in facto esse à Deo, etiam non est prædicatum essentiale, quia est relatio superaddita rei creatæ, & accidens illius, non prædicatum essentiale. Hinc tamen non deducitur, quod creatio sit distincta à re creata, taliter quod se habeat, vt quid præuium, & medium, seu via, qua tendatur ad ipsum terminum, vt fieri, ad factum esse, vt tendentia ad actum propter rationem toties ponderatam.

1861 *Instabis. Resp dependentiam ex influxu vniuersalissimo Dei non esse variabilē nisi creatura annihiletur.*

Ad id, quod additur, dependentiam creaturæ esse variabilem ipsa re eadem permanente. Resp. quod dependentia creaturæ à Deo in ratione entis, & vt habet esse ex influxu generalissimo Dei, tanquā à principio totius esse, nullo modo est variabilis, sed dependentię à causis particularibus sunt variabiles, sicut quòd Deus conseruet quantitatē media substantia; cui inhæret, vel lucem medio Sole, à quo diffunditur, hoc variari potest, quia sunt dependentiæ à causis particularibus particulari, & limitato modo causantibus, supra quas omnes est causa vniuersalissima increata, a qua res omnes pro fluunt secundùm rationem totius esse, & ita potest seipso supplere omnem influxum, & dependentiam à causa creata. Cæterùm ipsa dependentia creaturæ à generalissimo influxu Dei, à quo conseruatur in esse, & cuius suspensionem potest res annihilari; hæc variari non potest, nisi annihilata creatura, quia est influxus respiciens indiuisibiliter totum esse rei; & sic si tollatur, annihilatur creatura, non potest autem variari, nisi tollatur, quia si variatur, non permanet idem. Vnde si Deus produceret se solo quātitatem sine subiecto, & postea vniret illam in subiecto, non variaretur concursus vniuersalis Dei conseruantis, sed solùm particulari causæ conseruandam quantitatem de nouo subijcit: cuius signum est, quia adhuc vnitam subiecto Deus annihilare potest: annihilatio autem fit per suspensionē concursus dantis totum esse. ergo ille non variatur, sed perseuerat, etiamsi vniatur quantitas.

1862 *2. Obiectio. probat creationem non consistere in Relatione.*

Arg. 2. Quia relatio non est causalitas, seu ratio agendi, vel influxus causæ in effectum, neque dependentia, quia relatio non est actiua, neque dependētem facit effectum à sua causa, sed supponit, quia in ipsa dependentia fundatur; & iterum hæc relatio est posterior re creata, quia subiectatur in illa; dependentia autem, & emanatio à Deo est prior, quia est via ad terminum, & deriuatio eius à Deo: ergo non potest creatio, vt emanatio, & dependentia rei creatæ à Deo, consistere in relatione, quæ posterior est ipsa re emanante, & resultat posito fundamento, & termino; dependentia autem, quæ est creatio, non resultat ex fundamento, & termino, sed est via, & emanatio rei creatæ à suo principio; nec enim negandum est, emanationem istam dari, quia res creatæ verè sunt emanatæ, & deriuatæ à Deo, ergo datur vera emanatio; ergo prout emanatio est, via est, & ratio, vt res emanatæ sint, hæc autem non est relatio, quæ fundatur in re iam facta, & emanata.

Confirmatur.

Confirm. quia actiones transeuntes non manent in agente, sed in passo, vel termino, qui est extra agens, vt docet Philos. 9. met. text. 16. ergo creatio cum ponat rem factam extra Deum vere in ipso termino existit, sicut calefactio, quia est fluxus caloris ab igne, cum ipso calore identificatur; ergo etiam fluxus creaturæ à Deo cum re creata identificatur. Neq. hoc obstat perfectioni diuinæ, quia actio transiens non perficit agens, sed passum, vel terminum, & quidquid perfectionis in actione est, ab agente est, ergo non magis derogat perfectioni diuinæ, quod actio profluat à Deo, quam quod effectus. Et in ipsis instrumentis, quæ a Deo mouentur magis id patet, quia actio eorum est à Deo, & tamen est aliquid in instrumentis præter effectum ipsum causatum: ergo non repugnat, dari actionem Dei ad extra, sicut, & effectum. Hanc item actionem esse transeuntem patet, quia non est actus immanens intellectus, aut voluntatis, sed potentiæ exequutiuæ ad extra, quæ transeunter operatur.

1863 *Resp. Relationem istam non esse causalitatem Dei in creaturam, sed solùm respicientiam creaturæ factæ.*

Resp. conced. quod relatio illa non est causalitas, neque emanatio, aut influxus Dei in creaturam, sed solum respicientia creaturæ factæ, & productæ, quę respicit Deum per modum dependentis, & deriuatę ab ipso. Et cum dicitur, quod supponit creaturam dependentem, & fundatur super dependentiā, supponit dependentiam ratione ipsius esse recepti, & participati à Deo, concedo: ratione alicuius influxus aut tendentiæ ex parte creaturæ se tenentis, qui sit influxus creatus, & fieri creatum, nego: sufficit enim ad creationem influxus actiuus ex parte Dei se tenens, non in creatura receptus, quia non est vbi recipiatur, cum totum faciat, etiam ipsum subiectū: ex parte autem creaturæ sufficit, quod ipsum esse, & totum ens sit acceptum, & deriuatum ab illo influxu actiuo, tanquam effectus eius, nec aliquid ex parte creaturæ est, quod effectus non sit, & res facta, non influxus, & fieri tendens ad factum esse.

1864 *Relatio hæc est posterior creatura, & est dependentia a Deo per modū respicientiæ.*

Quod autem dicitur, relationem esse posteriorē creatura, fatemur, vt etiam fatetur D. Thom. hoc art. 3. ad 3. & qu. 3. de Potent. art. 3. ad 3. Et concedimus similiter, quod talis relatio non est emanatio, sed dependentia à Deo per modum viæ, & tendentiæ, sed per modum respicientiæ, qua res emanans respicit suum principium, nec datur alia emanatio per modum viæ, & tendentiæ antecedentis rei ipsam creatam, sed solùm datur ipsum esse deriuatum à Deo, cum inceptione, seu nouitate essendi.

1865 *Instabis.*

Resp dari processionem creaturæ à Deo, sed non per modū tendentiæ.

Et cum additur, non posse negari, hanc emanationem, quia datur res emanata, & deriuata a Deo. Resp. dari quidem emanationem, & processionem creaturæ à Deo, sed non per modum tendentiæ alicuius, & vię mediantis inter Deum, vt principium, & rem procedentem, quasi sit processio in fieri, & de potentia ad actum, sed per modum effectus in ratione entis, & in facto esse deriuati, & dependentis ab actiuo influxu Dei sine interuentu alterius tendentiæ mediæ, sicut sine illa procedunt personæ in Deo, & datur in eis emanatio, & processio. Solùm autem vbi datur mutatio, datur ista tendentia media, & fieri respectu rei factæ, quatenus datur subiectum tendens, seu transiens de vno extremo ad aliud: sine mutatione autem processio datur per immediatam deriuationē, & dependentiam noui esse, & rei factæ a suo actiuo effluxu ex parte Dei se tenentis. In personis autem diuinis datur processio, etiam sine dependentia, sed per communicationem eiusdem essentiæ.

1866 *Ad Confirm. Resp. actiones trāseuntes esse mutationes,*

Ad Confirm. Resp. actiones transeuntes, de quibus Philosophus loquitur, & quas ipse agnouit, esse mutationes, non autem simplices dependentias, & receptiones ipsius esse à suo vniuersali principio, & hoc

non autem simplices dependentias.

hoc modo ponitur res creata extra Deum, non per aliquem fluxum medium inter principium, à quo procedit, & rem procedentem: & ita in hoc non tenet exemplum de productione caloris per calefactionem, quia calefactio est alteratio, & mutatio, non processio totius esse. Et non dicimus, quod derogat perfectioni diuinæ ista actio pro ea parte, qua consideratur, vt aliquid effectum, & deriuatum à Deo, sicut causalitas, sed pro ea parte, qua vniuersalis effluxus est, totum faciens, & nihil supponens; & sic non habens vbi subiectetur extra Deum ad hoc, vt faciat, & influat totum esse. Et ad id, quod dicitur de instrumentis Dei. Resp. instrumenta recipere virtutem, seu concursum Dei eleuatiuum ad faciendum aliquid vltra id, quod ex se possunt, sed non ad influendum sine actione immutatiua, seu per actionem creatiuam, & ex nihilo, quia ad hoc non potest dari instrumentum. Et sic non est simile de actione, seu concursu cum instrumentis, & de creatione. Quod vero insinuatur de actione Dei transeunte, & non immanente, iam late diximus qu. 25. agentes de Omnipotentia Dei.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Creare sit proprium compositorum, & subsistentium.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclus. affirm. Prob. illis propriè conuenit creari, & fieri; quibus propriè conuenit esse; quia cum creare sit quoddā fieri, ordinatur ad esse rei. Sed tantùm subsistentibus conuenit esse: siuè sint simplicia vt substantiæ separatæ: siue composita, vt materiales: nam accidentia, & huiusmodi sunt magis entis entia: ergo.

Arg. 1. Esse rei creatæ est creatum, ex Arist. in lib. de causis: ergo non est propriū subsistentium, quia esse rei creatæ non est subsistens. Resp. dist. Antec. esse rei creatæ est creatum, vt quo: conced. vt quod: nego, quia hoc modo tantùm subsistentia dicuntur creata: sicut cum dicimus, quòd primum visibile est color; intelligitur, vt quo: nam vt quod, coloratum est id, quod videtur.

Arg. 2. Quòd creatur est ex nihilo. Sed composita non sunt ex nihilo, sed ex suis partibus componentibus: ergo. Resp. dist. ma. ex nihilo; cum exclusione partium componentium: neg. Cœlum enim est creatum, & est compositum: ex nihilo: idest fieri non ex aliquo præexistenti, conced. & neg. conseq.

Arg. 3. Illud propriè dicitur fieri per primam emanationem, quod supponitur in secunda: sed materia prima supponitur in generatione naturali, & non est subsistens; ergo. Resp. dist. ma. cui, si non addatur, quòd non ratione alterius, ei propriè conueniat esse: vt conuenit subsistentibus: solùm sequitur, quòd concreetur; non quòd creetur: & ita accidit materiæ primæ.

DISPVTATIO CCXXXX.

An Gratia, & quæcumque accidentia, quæ fiunt, vt inhærentia subiecto, etiamsi immediate à Deo fiant, creentur.

1867 Conclus. neg. Prob. à D.Th.

Conclusio. Gratia, & alia dona supernaturalia, & quæcumque accidentia, quæ fiunt, vt inhærentia in subiecto, etiam si immediatè à Deo fiant, non creantur. Sumitur ex D. Thom. hic; specialiter autem, quòd gratia non creetur, sed fiat actione eductiua, docet S. Thom. qu. 27. de verit. art. 3. ad 9. vbi respondet rationi oppositæ, quæ ponebat ideo gratiam non causari à creatura, quia non educitur de potentia materiæ, sed fit per creationem. Et respondet S. D. quod Illa ratio non est vsquequaq; sufficiens: nam creari propriè est rei subsistentis, cuius est propriè esse, & fieri: formæ autem non subsistentes, siue substantiales, siue accidentales, non proprie creantur, sed cōcreantur, sicut nec esse habent per se, sed in alio. Et quamuis non habeant materiam ex qua, quæ sit pars eorum, habent tamen materiam, in qua, a qua dependent, & per cuius mutationem in esse educuntur, vt sic eorum fieri sit propriè subiecta eorum transmutari. *Ita D. Thom. qui etiam videri potest lib. 1. qu. 110. art. 2. ad 3. & qu. 3. de Potent. art. 8. ad 3.*

1868 Ratio. Quia gratia fit in Anima per eductionem eius à subiecto.

Vbi ratio, & fundamentum conclusionis insinuatur; quia gratia fit in anima per eductionem eius de subiecto, & per mutationem verum, & propriam: ergo non per creationem. Conseq. patet, quia creatio est ex nihilo, non ex potentia subiecti educens: quod enim in potentia subiecti, & per transmutationem eius fit, non fit ex nihilo, sed ex aliquo. Antec. vero prob. quia fit, vt dependens à subiecto, siquidem non habet esse per se, sed vt inhærens illi: ergo producitur, vt habens causam materialem receptiuam sui, ergo per transmutationem ipsius subiecti fit, quia ex se non habet illā formam, & modo habet; similiter educitur de potentia subiecti, non quidem de potentia naturali, sed obedientiali, quia anima est subiectum capax illius, dummodo per potentiam supernaturalem fiat, quia ab agēte naturali fieri non potest; & sic neque in potentia naturali subiecti continetur, benè autem in potentia obedientiali, quia secundum potentiam obedientialem recipitur; & sic ex illa educitur. Quod autem ex potentia obedientiali fit, non ex nihilo fit, quia potentia obedientialis non est nihil, sed aliquid.

1869 Opposit. sent. 1. Obiectio. Ex D.Thom probat gratiā concreari.

Contra hanc Conclus. senserunt aliqui antiqui Scholastici, quos citat P. Vasq. hic disp. 174. cap. 1. quorum tamen plurimi non dicunt, gratiam creari, sed concreari, quia propriè accidens non fit per se, sed dicitur aliquid fieri secundum illud. Et D. Thom. hic modo loquendi vtitur, Quid autem intelligatur per hoc, quod est concreari gratiam, cum re vera nullo modo fiat ex nihilo, nec per se sola, nec cum subiecto, aliqui difficultatem inueniunt, & præsertim quia aliquando infunditur gratia seorsum ab omni creatione subiecti, vt cum homo iam existens Baptizatur, aut quouis modo iustificatur: tunc enim quomodo concreatur gratia, cum nulla res, quæ tunc creatur, eiusuè creationi adiuncta sit eius productio? non potest autem dici, quòd creatur gratia, nisi sit aliquid, quod creetur, quia concreari est simul cum alio creari.

1870 Resp. D. Th. dixisse, non solùm gratiā, sed etiā alias formas, siue substantiales, siue accidentales cōcreari, quæ non habent esse per se.

Respond ergo, quod D. Thom. dicit concreari non solùm gratiam, sed etiam alias formas, siue substantiales, quia non habent esse per se. Vnde cum hoc commune sit omnibus istis formis, vt patet in verbis supra adductis ex D. Thom. qu. 27. de Verit. frustra Vasq. supra cit. cap. 2. laborat in impugnando eos, qui dicunt, dari causam gratiæ instrumentalem, scil. Sacramenta, & ex alia parte negant, posse dari instrumentum ad aliquid creandum, quia non potest concreari gratia, nisi simul creetur aliquid totum, quòd simul cum gratia creetur. Cæterùm S. Thom. cum dicit, concreari gratiam, non loquitur specialiter de gratia, sed generaliter de quacumque forma substantiali, accidentali, quæ non creatur, quia non habet esse per se, sed concreatur, quia habet esse in alio, & tamen nō est dubium, quòd aliæ formæ accidentales, vel substātiales possunt produci; Vnde ly produci, vel instrumentaliter produci, non infirmatur per ly concreari, cum æqualiter dicat D. Th. concreari gratiam, & alias formas non subsistentes, accidentales, vel substantiales.

1871 Veritas est, quod substantia aliqua

Veritas ergo est, quòd quando substantia aliqua creatur cum suis accidentibus, & etiam cum gratia v. g. Angeli, vel anima Christi, tunc dicuntur propriè

concreari

v. g. Angelus creatur cum gratia: tunc gratia dicitur concreari.

concreari accedentia, & gratiam, quia vnica, & eadem actione attinguntur (simul condens naturam, & largiens gratiam, dixit Aug. de Angelis) quia eadem actione, qua producitur natura, seu forma, producuntur consequentia ad formam; id est accidentia. Et in tali casu non datur instrumentum ad illam concreationem, sicut nec ad principalem creationem. Cæterum quando gratia subiecto iam producto infunditur, tunc nõ cõcreatur propriè, & strictè loquendo, sed educitur de potentia obedientiali subiecti, & ad talem productionem potest dari instrumentum physicum, quia actio eductiua est.

1872 2. Obiectio probat gratiã non posse educi de potentia subiecti.

Arg. 2. Gratia, & dona supernaturalia non possunt educi de potentia subiecti: ergo debent creari. Conseq. est certa, quia omne, quod producitur, aut fit ex subiecto, & sic est eductio, aut non ex subiecto; & sic est ex nihilo, quod est creatio. Antec. prob. quia illud educitur de potentia alicuius subiecti; quod dependet in suo esse ab illo, & continetur intra latitudinem, & sphæram illius, sed gratia à nulla natura dependet, neque illi est debita, sed superat omnem conditionem naturæ: ergo non educitur de potentia alicuius subiecti, & rei naturalis, alioquin illi rei naturali, à cuius potentia educitur, erit debita, & connaturalis gratia, quod est Pelagianum.

Cofirm.

Conf. quia gratia in scriptura dicitur creari, ergo fit per creationem propriè dictam, quia verba scripturæ in proprietate accipienda sunt. Antec. patet, vt cum dicitur ad Ephes. 2. Creati in Christo Iesu in operibus bonis, *& Ps. 50.* Cor mundum crea in me Deus.

Resp. gratiam educi de potẽtia obediẽtiali eductione supernaturali.

Resp. quòd gratia educitur de potentia subiecti obedientiali, non naturali, & ità educitur eductione supernaturali, non naturali. Et ad prob. dicitur, quòd gratia dependet à subiecto secundùm potentiam obedientialem, & per respectum ad Deum auctorem supernaturalem, non per respectum ad aliquod agens naturale. Imò in hoc consistit potentia obedientialis, quòd reduci non possit ab aliquo agente naturali, sed à supernaturali. Vnde tales formæ non continentur intra latitudinem propriç, & naturalis sphęrç rei naturalis, nec illi sunt debitæ, quia non respicit illas, vt proportionatas, & ab aliquo naturali agente producibiles, sed solùm per ordinem ad agens supernaturale. Et sic non sunt ipsi debitæ, quia solùm de obedientiali potentia sunt educibiles, & per ordinem ad agens supernaturale. Neque circa hoc Pelagiana hæresis aliquid docuit, quia non fuit cum ea controuersia circa eductionem istam: supposito enim quòd non est debita naturæ, nec de potentia naturali, sed obedientiali educitur, nihil cum Pelagio in hac parte sentitur, sed ab eo longè receditur. Et hæc est mens D. Th. quam explicuit q. 3. de Pot. art. 8. ad 3. vbi inquit, quòd Gratia propriè non creatur per modum, quo substantiæ per se subsistentes, creantur; infusio tamen gratiæ accedit ad rationem creationis, inquantum gratia non habet causam in subiecto, nec efficientem, nec talem materiam, in qua sit hoc modo in potentia, quòd per agens naturale educi possit in actum; sicut est de alijs formis naturalibus, *Vnde.*

Ad confirm. Resp.

Ad Conf. Resp. quòd dicimur creari in bonis operibus, & gratiam creari in nobis, quatenus sine vllis meritis nostris datur, & sic pro nihilo datur nobis, & hoc est creari moraliter loquendo, non physicè.

Dub. 1. An Res simplices subsistentes, & composita, vt subsistentia possint creari.

Dub. 2. An materia prima verè, & propriè creatur.

DVBIVM I.

An Res simplices subsistentes, & composita, vt subsistentia possint creari.

1873 *Petes 1.*

PEtes. 1. *An res simplices subsistentes creari possint.*

Resp. affirm. & sumitur ex D. Th.

Resp. neg. res simplices subsistentes, siuè subsistentia completa, & suppositali, siuè non, vt anima rationalis, & quæcumque habent modum essendi sine subiecto, creari possunt. Hæc sumitur ex generali regula D. Th. tam in hac q. 45. art. 4. quam in alijs locis cit. quòd subsistentia, siuè simplicia, siuè composita creari possunt: quia eius propriè, & directè est fieri, cuius proprium est esse, illa autem propriè habent esse quæ existunt, vt *quod*: sic enim in se habent esse: quæ verò solùm existunt, vt *quo*, non propriè dicuntur existere, quia non in se habent esse, sed illis aliquid existit, & illud *aliquid* est quod existit. Quæ regula complectitur generaliter omnia, quæ habent existere vt *quod*, & per se, non vt præcisè coexistens, seù vt principium *quo* existendi se habent.

Ratio verò sumitur ex dictis, quia reales res simplices, & subsistentes, seù ad modum subsistentium se habentes, habent esse per modum rei, non eductæ ex alia, vt ex subiecto, sed in se, & per se subsistentes, & aliàs fiunt ex nihilo, quia ex subiecto non pendent, à quo educantur, & in quo contineantur: ergo non fiunt de potentia ad actum, sed de nihilo fiunt, & immediatè à Deo accipiunt esse: ergo verè, & propriè creantur, quia omnes conditiones veræ creationis in eis concurrunt. Et discurrendo per singula, id manifestatur, quia Angeli, qui sunt formæ simplices subsistẽtes suppositaliter verè, & propriè creantur, quia non fiunt ex aliquo subiecto, nec ex aliquo præsupposito, cum in se partibus careant: in extrinseco autem subiecto non recipiuntur, nec ab eo dependent, cùm sint formæ subsistentes, non inhærentes.

1874 *Ratio est, quia res reales & subsistẽtes habent esse per modum rei nõ eductæ.*

Similiter anima rationalis per se subsistit independenter à corpore, licèt ei vniatur, & infundatur, sed tamen in se habet esse, & separata à corpore subsistit; ergo non educitur de materia, tanquam de subiecto, in quo contineatur, & à quo educatur, nec habet in se partes, ex quibus fiat: ergo fit ex nihilo, quod est creari. Et licèt habeat communicari corpori, hoc non tollit, quin esse suum non sit dependens à corpore, nec ab illo eductum, quia est spirituale, & subsistens in se: ergo non tollit, quominus sit factum de nihilo, & creatum, licèt communicabile.

1875 *Anima rationalis per se subsistit, ideò creatur.*

Tandem formæ substantiales, & accidentales, si sine subiecto, & dependentia actuali à materia, vel subiecto producantur (vt produci possunt) accipient esse à Deo independenter à subiecto, & non vnitum illi: ergo prout sic non educuntur de subiecto; ergo fiunt ex nihilo. Nec obstat, quòd accipiant esse à subiecto dependens ex se, & potens subiecto vniri, licèt actu ei non vnitum; ergo tale esse non est creatum, sed ordinem dicit ad subiectum, cui postulat vniri. Resp. enim, totum hoc habere in aptitudine, & in potentia, actu verò esse independens à subiecto, & produci independenter ab illo, quod est actu educi à subiecto, licèt ei possit vniri, ergo actu non fit ex subiecto, quia illud fit ex subiecto, quod dependenter ab illo, ergo actu fit ex nihilo, licèt cum potentia, & aptitudine, vt reddatur dependens à subiecto, sed tunc conseruabitur perindè, ac si esset eductum ab illo: si verò producitur independenter ab illo, producitur ex nihilo.

Similiter cæteræ formæ substantiales, & accidentales, si fiant independenter à subiecto, creantur.

Petes 2. *Composita subsistentia, etiam vt composita, an verè, & propriè creentur.*

Resp. composita subsistentia, etiam prout composita, verè, & propriè creantur per modum cuiusdem totius, quod primò, & per se fit, non solum ratione alicuius partis, quæ per creationem est, v. g. cùm fuit creatum Cælum, & terra, ipsa terra, vt quoddam compositum est, & per modum totius vnica actione facta est, & similiter Cælum, non quia materia prima eorum creata est, ideò solùm creari dicuntur. Hæc est contrà P. Vasq. vbi supra c. 4. qui sentit singularium partium esse singulas productiones, & alteram totius, quia ex compositione conflatur. Vndè quia hæc productio totius supponit partes, ex quibus fit, & resultat, non fit ex nihilo, sed ex aliquo præsupposito, ergo illa vnio partium, in qua consistit ratio compositi, non est de nihilo; & idem est de conseruatione talis compositi, seù vnionis: illa enim conseruatio, quædam continuatio

Opinio Vazquez cum suo fundamento refertur.

est primæ productionis compositi, & vnionis ex artibus.

Opinio Vazquez est cõtra D. Th.

Cæterum hæc sententia, & eius fundamentum è diametro pugnat cum D. Th. nam art. 4. huius quæst. 45. docuit oppositum, & in solutione ad 2. respondit ad fundamentum ipsum Vasquez: dixit enim in Corp. art. quod *Illis propriè conuenit creari, & fieri, quibus conuenit esse (quod quidem conuenit propriè subsistentibus, siuè sint simplicia, siuè sint composita, sicut substantiæ separatæ*: constat autem, quod esse subsistens, & esse quoddam totum completum, non conuenit partibus, quia entia incompleta sunt, (excipio animam rationalem, quæ in se subsistens est) sed ipso composito, vt quoddam totum est, ergo vt compositum, & vt totum debet terminare creationem, & propriè fieri, & creari: in solut. autem ad 2. soluit fundamentum Vasq. proposuerat enim tale argumentum: *Composita non sunt ex nihilo, sed ex suis componentibus: ergo compositis non conuenit creari*. Respondet ad 2. *dicendum, quòd creatio non dicit constitutionem rei ex principijs praexistentibus, sed compositum sic dicitur creari, quòd simul cum omnibus suis principijs in esse producitur*.

1877 *Ratio Concl. quia creatio est productio totius esse ex nihilo.*

Et fundamentum huius sententiæ est, quia creatio est productio totius entis ex nihilo, ita quod procedat res per creationem secundùm vniuersalissimum influxum totius esse à Deo: ergo illud per se primò creatur, quod per se primò est totum, & habet esse per modum totius: hoc autem est ipsum totum, non partes eius, quia pars, vt pars in composito non habet esse per se, nec induit rationem totius: ergo creatio non potest terminari ad partem, vt habent rationem partis, sed ad ipsum totum, quod est compositum, quia hoc habet esse per modum totius, partes non nisi vt pertinentes ad hoc totum. Ergo illa actio, quæ tendit ad esse, & respicit illud, inquantum totum, & integrum ens, non potest incipere à partibus, & ex illis conflare totum, sed potius à toto descendere ad partes.

1878 *Confirm. & explicatur. quia procedere à partibus ad totũ, est propriũ agentis procedentis ab imperfecto, ad perfectum.*

Quod explicatur amplius, quia procedere à partibus ad totum conflando illud ex coniunctione partium, est proprius modus particularis agentis, & procedentis ab imperfecto ad perfectum, à potentia ad actum, quia partes sunt imperfectiores toto, & in potentia ad illud; omne enim totum est maius suis partibus; quòd si maius: ergo & perfectius. Actio igitur, quæ priùs attingit partes, & ex partibus, conflat, & componit totum, procedit ab eo, quod imperfectum, & potentiale est ad id, quod est maius, & perfectius. At verò creatio non procedit ab imperfecto ad perfectum, nec à potentiali ad actuale, quia est actio agentis infiniti operantis per vniuersalissimum influxum totum esse rei, & totum ens, prout ens est: ergo non incipit à partibus, & inde componit totum, sed immediatè ad ipsum totum respicit, & ad id, quod primò, & per se habet esse, non ad partes, & ad id, quod habet esse secundum quid, & vt *quo*, seu vt pars, non esse simpliciter completè, & plenè, sicut ipsum totum constans ex partibus.

1879 *2. Cõfirm quia istæ partes, ex quibus consurgit totum, non se habent, vt terminus à quo:*

Denique istæ partes, ex quibus consurgit totum, non se habent, vt terminus *à quo*, quia non relinquuntur à creatione, sed comproducuntur in ipso termino *ad quem*: nec se habent, vt subiectum præsuppositum, super quod cadat actio creatiua, & conflatiua ipsius compositi, seu suppositi: id enim proprium est actionis, quæ est mutatio, & generatio, quod ex subiecto, & ex præsuppositis partibus faciat, & construat totum, sicut generatio hominis, aut resuscitatio illius, ergo si in creatione partes non se habent, vt subiectum, seu materia, ex qua educitur totum, nec vt terminus *à quo*: ergo bene compatitur cum hoc, quod compositum fit ex partibus, vt ex constituentibus extremis, quod non fit ex aliquo, vt ex termino *à quo*, vel vt ex materia, à qua educatur ipsum compositum; ergo simpliciter erit ex nihilo, et erit creatio, non eductio, etiam vt tangit compositum.

Quare si illa actio, prout facit compositum, non est creatio, sed sicut generatio, aut resuscitatio, & per modum mutationis se habens, non poterit esse eadem actio cum creatione partium, quia non possunt in vnum consolidari actio mutatio, & actio non mutatio, seu ex nihilo. At vero ipsa partium productio si sumatur per se sola, & prout præcisè partes attingit, creatio non est, quia ipsæ non habent esse simpliciter, nec in se habent illud, saltem perfectè, & completè.

3. Confir. quia sola partium productio, non est. productio completa, & perfecta. 1880

Vnde sola partium productio non est productio completa, & perfecta, nec totius entis, sed est productio procedens de imperfecto ad perfectum, & attingens prius quod potentiale est, quam quod actuale, & totum: constat n., quòd si pars non producitur, vt subsistens in se, & sicut anima rationalis, sed vt coniuncta ipsi toto, actio attingens illam sic, est dependens ab vlteriori terminatione, quia non sistit in productione illius partis, dans illi esse, sed transit ad totum, in quo ipsa pars inuenitur, vt constituens illud. ergo non est actio perfecta in dando esse, sed solùm partialiter se habens, & potentialiter respectù totius entis: quod est concreari, non per se creari; ergo nec in partibus, nec in toto saluabitur creatio propriè, & directè, quæ est creatio totius entis, & actio perfectissima in dando, & influendo esse, & omnino independens, quia est ex nihilo; vnde actio, quę sufficit creare aliquod ens, quãtumuis minimum, v. g. formicam sufficit creare quodcunque ens, v.g. Angelum, quia hoc ipso, quod ex nihilo, & independenter ab aliquo facit, perinde est facere multum, vel paucum.

Obiectio. Probat, quòd composita substantialia non fiunt ex nihil. 1881

Arg. Composita substantialia quantum ad formalitatem suæ compositionis non fiunt ex nihilo; ergo prout sic, non creantur. Conseq. est perspicua & Antec. prob. quia compositum prout tale fit ex partibus, quibus constituitur: ergo presupponũtur partes, saltem prioritate naturæ: ergo pro illo priori non putum nihil, sed aliquid præsupponitur. Ad hoc autem, vt actio dicatur esse ex nihilo, vel ex aliquo, non est necesse, quod illud aliquid duratione pręcedat, sed sufficit, quod prioritate naturæ: ergo si pro illo priori supponitur aliquid, ex quo fiat, nõ fit ex nihilo.

Confirm.

Conf. quia partes non fiunt simul cum toto, siquidem inter totum, & partes datur ordo, & causalitas, quia totum est ex partibus, nec etiam partes sunt posteriores, quia totum componitur ex illis, nõ partes resultant ex toto: si enim supponitur totum, iam partes non indigent resultare; ergo partes pręcedunt; ergo si fit totum ex partibus, fit ex aliquo positiuo pręsupposito, & prioritate naturæ pręcedente: non ergo fit ex nihilo, in quantum est compositum.

Resp. compositi fieri, ex partibus, non tanquam ex subiecto. sed tanquã ex constituentibus. 1882

Resp. neg. Antec. Ad prob. dicitur, quod compositum fit ex partibus, distinguo, tanquam ex constituentibus, concedo, tanquam ex subiecto, à quo educatur aliquid, vel termino *à quo*, qui relinquatur, nego. Quod autẽ in creatione constituit formaliter actionem ex nihilo, est quod res non fiat ex aliqua potentia subiecti, vel ex termino *à quo* positiuo. Quod autem fiat ex aliquo positiuo, tanquam ex constituente intrinseco, & tanquam ex partibus, hoc non tollit, quod fiat ex nihilo.

Ratio est. quia illæ partes cõstituentes tenent se ex parte termini ad quem, qui in creatione est aliquid positiuum. 1883

Cuius ratio est, quia illæ partes, & illa constitutiua tenẽt se ex parte ipsius rei factę, atq. adeo ex parte termini *ad quẽ*. Termin⁹ autẽ *ad quẽ* in creatione aliquid positiuũ est, & solus termin⁹ *à quo* est nihil, & subiectũ nullũ, de quo educatur. Fiũt ergo partes ipsamet actione, qua fit totum, non tanquã ex pręsuppositis in ipso fieri, & produci, sed tanquam ex componentibus, & constituẽtibus in facto esse, quia in ista actione creatiua non prius fiunt partes per ipsam actionem, & postea conflatur totum, sed immediatè attingitur totum, & in eo partes, non prius partes, & ex eis totum, ex eo, quod ista actio est vniuersaliter productiua totius entis, nec procedit ab imperfecto ad perfectum, sicut est processus à partibus ad totum, sed ex sua primaria, & formali ratione, & attingentia respicit id, quod perfectum est, scil. ipsum totum, & vniuersalem influxum ipsius esse, quod conuenit toti: & quia in toto continẽtur partes, tanquam quid incompletum,

pletum, & minus perfectum, attingit illas, vt sunt aliquid ipsius totius, & prout in eo vt imperfectum in perfecto continentur. Ad Conf. Resp. quod in hac actione creatiua partes fiunt, tanquam quid contentum in toto, & deriuatę, seu consecutę ad totum, & minus illo, non vt quid pręsuppositum ad componendum, & causandum totum, licèt enim partes præcedant totum ordine generationis, & processionis de potentia ad actum, & de imperfecto ad perfectum, tamen ordine perfectionis totum præcedit partes, & ipsas causat, & in esse perficit.

1884 *Ad confirmat. Resp. in actione creatiua partes fiunt, tanquam quid contentum in toto.*

Et hoc ideo est, quia esse per se primò cõuenit toti, par tibus autem, vt contentis in toto, eique coexistentib us, & quia esse est perfectissimus actus entitatiuus; ideò communicatio ipsius esse, quod conuenit toti ad partes, vt contentas in toto, & minores toto, est processus ordine perfectionis à perfecto ad imperfectum, & in hoc ordine prius est totum, quàm partes, id est, esse totius est prius, quàm esse partium, quia partes propriè non habent esse, sed subordinantur ipsi esse totius, & ab eo participant. Cæterùm ordine inuerso proceditur à partibus ad totum, tanquam de imperfecto ad perfectum, & de potentia ad actum, quatenus disponuntur, & habilitantur partes ad conflandum, & causandum totum.

1885 *Confirm. Nã actio, quæ procedit de imperfecto ad perfectum, prius attingit partes, quàm totũ.*

Actio ergo, quæ disponendo procedit, & de imperfecto ad perfectum, & de potentia ad actum, prius attingit partes, vt sunt aliquid tendens ad ipsũ totum, & ex quarum vnione totum resultat; & sic præcedunt partes prioritate naturę totum. Et sic procedit generatio, aliæque actiones eductiuæ. At vero actio, quæ procedit influendo totum esse, & ipsum totum faciendo, non prius attingit partes, & ex illis componit totum, quia influxus ipsius esse non prius est ad partes, cùm immediate ipsum esse conueniat toti, & inde communicetur partibus, vt continentur in toto, & sunt aliquid minus toto. Et sic partes secundariò attinguntur, non sicut proprietates, sed vt communicantes in esse totius, & in ipso toto contentę.

1886 *Instabis.*

Nec obstat, quòd etiam in hac actione creatiua totum componitur ex partibus, & partes causant totum, quatenus ex illis conflatur: dicimus enim, quod partes causant totum quidditatiuè, & entitatiuè; & sic producendo totum via perfectionis, & prout est continens ipsas partes, etiam ipsa compositio partium causatur, & ipsæmet partes causant totum in diuerso genere causæ, quia partes quasi materialiter se habent ad totum, & in potentia, & via imperfectionis, totum autem ad partes formaliter, & via perfectionis. Et licèt vtraque ista causalitas, & partium ad totum, & totius ad partes per hanc actionem communicetur, tamen directè, & per se prius attingit id, quod formalius est, & ex parte totius se tenet, deriuaturque ad partes, quàm è conuerso, quia iste processus creatiuus non est de potentia ad actum, & de imperfecto ad perfectum, sed è contra, & ideo non priùs attingit partes, & deinde toto, sed attingit directè totum, & in ipso toto partes, vt componentes totum, & materialiter se habentes ad esse.

Resp. partes causare totum quidditatiuè, & entitatiuè, via perfectionis.

DVBIVM II.

An materia prima verè, ac propriè creetur?

1887 *Conclusio materia prima propriè, & per se non creatur à Deo, sed concreatur, vt dependens à forma in suo esse.*

CONclusio. materia prima non creatur propriè à Deo, & per se, sed concreatur propriè à Deo, & per se, sed concreatur, vt dependens à forma in suo esse; illa autem concreatio non est ex aliquo, sed ex nihilo ex parte termini *à quo*, licèt sit dependens à forma in suo esse ex parte termini *ad quem*. Forma autem substantialis in prima creatione rei compositæ non creatur propriè, nec educitur de potentia materiæ, sed concreatur ad creationem totius. Hæc est contra Vasq. supra cit. loco, qui supponit, materiam non esse purã potentiam in genere entitatiuo, sed in genere formali, & ità putat creari à Deo, sicut creatur anima rationalis, licèt cum dependentia in sua connaturali conseruatione à forma substantiali, cum tamen anima naturaliter possit conseruari sine corpore: imò ratione materiæ dicit conuenire compositis, quod creentur.

Cæterum nostra Concl. est expressa D. Th. qui q. 3. de Pot. art. 1. ad 12. inquit, quod *Neque materia, neque forma, neque accidens propriè dicuntur fieri, sed id, quod fit, est res subsistens, cùm enim fieri terminetur ad esse, propriè ei conuenit fieri, cui conuenit per se esse, scil. rei subsistenti; vnde neque materia, neque forma, neque accidens dicuntur propriè creari, sed concreari.* Et art. 5. ad 3. inquit quod *Materia prima per se non creatur, sed ex hoc non sequitur, quod non creatur sub forma.* Idem docet in hac 1. p. q. 44. art. 2. ad 3. quod *Materia prima est creata, sed non sine forma.* Et in hac q. 45. art. 4. ad 3. cum proposuisset argumentum ad probandum, quod materia prima est, quæ propriè creatur, & non compositum, quæ est sententia Vasq. Respondet, quod *ratio illa non probat, quòd sola materia creetur, sed quod, materia non sit, nisi ex creatione: nam creatio est productio totius esse, & non solius materiæ.* In sententia autem Vasq. sola materia creatur, forma vero educitur, & compositum ex vtriusque vnione conflatur: ergo opponitur sententiæ D. Th. similiter secundùm partem. Conclusionis, quòd formæ in prima productione non sunt eductæ de potentia materiæ, sed concreatæ à Deo, affirmatur clarè à D. Th. infrà q. 65. art. 4 in Corp. vbi inquit, quòd *in prima creaturæ corporalis productione non consideratur aliqua transmutatio de potentia ad actum; & ideò formæ corporales, quas in prima productione corpora habuerunt, sunt immediatè à Deo productæ.*

1888 *Hæc conclusio est expressa D. Th. contra Vasquez.*

In sententia Vasquez, sola materia creatur, forma educitur.

Ratio primæ partis est, quia illud dicitur creari directè, & per se, quod non producitur, vt adiunctum, vel accessorium ad alterum, sed ratione sui, quod enim se habet, vt adiunctum alteri, dicitur concreari, aut comproduci, eo quòd creatio est actio dans esse. Igitur eo modo, quo aliquid habet esse, dicetur creari, scil. si habet esse per se, & directè dicetur primò, & per se creari, si habet esse, vt coniunctum, & coexistens alteri, dicitur concreari, aut comproduci: constat autem, quòd materia essentialiter est pars, & ens incompletum, & in genere entis incompleti est imperfectiùs forma, cum sit in potentia ad illam, & actuetur per illam. Vnde si formæ (excepta anima rationali) non habent esse subsistens, & per se, multò minus materia. Quare potentialitas materiæ vel est tanta, quòd per se, & immediatè caret omni esse, & solùm mediatè est capax illius, scil. mediante forma, vt sentit S. Th vel est talis potentialitas, quòd in se solùm habet esse entitatiuum incompletum: est autem in potentia ad formas, vt cum earum actualitate formali componat totum. Si primum extra controuersiam est, quòd non creetur, nisi sub forma, & dependenter ab illa; & sic concreatur cum illa. Si secundum, solùm accipit esse incompletum, & de se coniungibile cum forma, & non in se subsistens, quia materia si habet esse entitatiuum in se, hoc non est perfectius ipso esse formæ, cùm citra omnem dubitationem forma perfectior sit in ratione entis, quàm materia.

1889 *1. Pars concl. prob. quia illud dicitur creari directè, & per se, quod non producitur, vt accessorium ad alterum.*

1890 *Confirm. quia forma, quæ habet esse incompletum, & non subsistens, non creatur.*

Vndè si forma habet esse incompletum, & non subsistens (præter animam rationalem) & consequenter forma non per se, & directè creatur, sed concreatur in toto, à fortiori materia prima etiam non creabitur, sed concreabitur, etiamsi illi demus tantum esse entitatiuum, quantum habet ipsa forma substantialis: maius enim dare non possumus, alioquin materia perfectior erit forma, & non infimum ens, nec aptum generationi substantiali, si in suo esse est subsistens; & sic esse illi adueniens, & productum per generationem, non erit esse simpliciter: & per se primò, sed accidentale, & secundarium, vtpote aliud primum præsupponens. Quare in omni euentu materia non creatur directè, & per se, sed concreatur, quia non per se, & simpliciter existit, sed coexistit.

1891 *2. Pars Concl. prob. quia in prima rerum corporalium creatione, corpora fuerunt facta per creationem simpliciter.*

Secunda pars Conclusionis probatur, quia in prima rerum corporalium productione non fuerunt facta illa corpora per transmutationem materiæ, sed per creationem simpliciter: ergo formæ non fuerunt eductæ ex materia, sed ad creationem totius concreatæ. Conseq. prob. quia forma non educitur de materia, nisi inquantum materia reducitur de potentia in actum, seu id, quod ex parte materiæ est in potentia ad formam, in actum formæ reducitur: hoc autem sine mutatione materiæ intelligi non potest: nam siuè materia præcedat duratione, & tempore ipsam formæ generationem, siuè solùm prioritate naturæ, tamen si verè forma educitur de potentia materiæ, oportet quòd ipsa materia sub vtroque statu consideretur, scilicet sub statu potentiæ, & sub statu actus, seu formæ, & transeat de vno ad alium, eo quòd non educitur forma de potentia materiæ, nisi prius ipsa forma sit in potentia, & postea in actu; esse autem formã in potentia, est materiam esse in potentia ad formam; requiritur ergo ad eductionem formæ de potentia materię, quod transeat materia de potentia ad actum, & hoc est transmutari, quia aliter est, quàm prius, cùm prius est in potentia, saltem prioritate naturæ, & postea in actu.

1892 *Antecedens prob. quia illa transmutatio non poterat fieri, nec ab agente creato, nec à Deo, immediatè.*

Antec. autem prob. quia illa transmutatio materiæ non poterat fieri ab aliquo agente creato, cùm esset prima rerum productio, & ita non supponebat agens creatum, à quo fieret: & præterea non poterat modo naturali transmutari materia, quia hæc trasmutatio fit mediantibus accidentibus, quibus alteratur, & disponitur materia ad hanc formã potius, quàm ad aliam; tunc autem in illo primo instanti producebatur materia, non seorsum, & per se existens, sed sub forma: ergo non erat locus, vt tunc educeretur ab agente creato illamet forma per transmutationem materiæ. Neque rursum ab ipso Deo immediatè debebat sic educi, quia hoc non esset propriè, & simpliciter creare, nec creare talia corpora, v. g cælum, terram, &c. quia illamet actio, vt creatiua materiæ, non daret illi esse, sed esset dependens à productione formæ, à qua esse haberet, & cum illa productio esset eductio, consequenter creatio, quæ non daret esse, vt creatio materiæ est, esset dependens ab illa actione eductiua, vt cõpleta, & consummata esset in dando esse, siquidem prout creatiue tangit materiam, non dat illi esse, quia iuxta sententiam D. Th. materia non est capax habendi esse, nisi per formam: ergo si hanc habet per eductionem, ipsa actio, quatenus creatiua non dat esse; & sic imperficitur, & impeditur in ratione creandi, siquidem eductione formæ datur esse materiæ, sicque esset, sicut creatio animæ Christi, quæ inquantum creatiò, fuit impedita dare proprium esse, & subsistentiam animæ, & suppleta fuit per assumptionem; ad eum modũ faceret Deus, si crearet materiam, & creatione non attingeret formam, sed eductione: Sic. n. compleretur illa creatio in dando esse, eductione formæ, sicut creatio animę Christi assumptione ad personam, & esse diuinum consummata fuit.

1893 *Potest Deus in instanti generationis creare materiam, sed talis creatio erit dependens ab eductione formę.*

Et hac ratione admisimus supra posse Deum in instanti generationis, quo educenda est forma, creare materiam, ex qua fiat eductio, sed talis creatio non erit completa, sed dependens ab eductione formæ, vt sub illa existat materia, sicut creatio animæ Christi completa est assumptione in subsistere, & in esse. Et qui in schola D. Th. defendunt in speciebus Eucharistiæ pro instanti corruptionis earum poni materiam per creationem, talem incompletã creationem debent ponere. Sed quia hoc minus apparentiæ habet, ideò probabiliùs censuit D. Th. non creari de nouo materiam, sed quantitatem Eucharisticam conuerti in illam ex vi prioris conuersionis, ita quòd conuersione, non creatione fiat, quæ conuersio non dat immediatum esse materiæ, sed subijcit illam formæ, vt ab ea esse habeat. Quia ergo creatio materiæ coniuncta eductioni formæ in instanti creationis minùs connaturaliter se habet, quia necesse est, creationem imperfici, & impediri, ac suppleri per eductionem, ideò ne talem creationem ponamus in initio rerum, sed creationem absolutam, & perfectam, qualem verba scripturæ sonant, cùm dicit *in principio creauit Deus cœlum, & terram*, cùm ex hoc loco colligamus perfectam, & absolutam Dei creationem; ideò ponendum est, quòd formas substantiales tunc non eduxit, sed cõcreauit, directè faciendo, & influendo totum esse ipsi composito, seu supposito, quod simpliciter habet, & accipit esse, partibus autem vt coexistentibus, & contentis in ipso toto.

Arg. Materia prima non potest produci, nisi ex nihilo, cùm non supponat aliam priorem materiã, ex qua fiat; ergo per creationem; ergo secundùm se recipit aliquod esse antecedenter ad esse compositi. Patet Conseq. quia est inintelligibile, quòd creatio terminetur ad aliquod ens, & non det illi esse; ergo si creatio tangit materiam, dat illi esse, aut illa creatio nihil producet. Quod euidentiùs apparet, si fiat materia per creationem, & forma educatur ab aliquo agente creato, sicut fieri potest à Deo; & quotidiè fit in speciebus Eucharisticis, cùm corrũpuntur, & ex his generatur aliquid; tunc in instanti, quo species illæ desinunt, & generatur aliquid ex illis; creatur à Deo materia, quæ seruiat pro compositione ipsius rei genitæ. Neque enim in eo manet quantitas loco materiæ, sed vera substantia materia; ergo in illo instanti generationis ponitur ibi materia, & non nisi per creationem, quia est ex nihilo, & tamen forma non fit tunc per creationem, sed per generationem, & eductionem e subiecto; ergo potest creatio dari præcise ad materiam, & sic dabit illi esse, alia vero actio producit formam, educendo illam è materia. 1894 *Obiectio.* *Probat, Materiam productam ex nihilo.*

Nec potest dici, quod creatio tangit materiam, & dat illi esse, sicut ipsa est capax, id est mediatè, seu mediante forma, à qua producitur materia dependens. Sed contra instatur hoc in primis in casu allato, quando sola materia fit à Deo, & ex illa per generationem fit aliqua forma. Secundo, quia si sic fieret, quælibet forma adueniens daret nouum esse materia, quia esset noua forma; ergo mutaretur materia, quia diuersum esse acciperet. Tertiò, quia tunc materia non conseruaretur, aut dependeret solùm à Deo per creationem, aut conseruationem illius, sed etiam ab agente naturali, quod educendo formam, induceret nouum esse in materiam; & sic mediante tali esse, non à creatione continuata, sed ab isto sic generante dependeret. Quarto, quia aliàs cùm materia crearetur cum forma, non fieret ex nihilo, quia fieret ex forma, vtpote habens esse ex illa. *Solutio.* *1. Replica.* *Secunda* *Tertia.* 1895 *Quarta.*

Conf. quia quando creatur materia, non potest fieri forma per creationem, nisi sit anima rationalis; ergo falsa est secunda pars conclusionis. Antec. prob. quia illa forma fit tunc dependens à materia, & non vt subsistens; ergo fit per eductionem à potentia materiæ, siquidem illa forma educitur, quæ in sui productione fit, vt dependens à materia. *Confirmatur.*

Resp. negando, quòd materia recipiat esse immediatè per creationem, sed mediante forma. Vnde actio attingens materiam nunquam est creatio, sed concreatio, quamuis vt attingit materiam ex nihilo fit, vt à termino *à quo*, sed tamen non ponitur materia in esse, neç redditur producta ex parte termini *ad quem*, nisi vt coniuncta productioni formæ, siuè concreatæ, cùm ipsa materia, si ipsum totũ creetur, siuè eductæ ex materia, si ipsum totum generetur, vt admisso casu, quem affert argumentum de materia subrogata in speciebus Eucharisticis, quando aliquid ex eis generatur. Itaque creatio absolutè dat esse ipsi toti, quod primo, & per se creat, partibus autem non dat esse seorsum, & secundùm se, sed vt in toto, atque ita materiæ non tam dat esse, quàm subesse formæ, seu dat esse dependenter à forma, tàm ab illa, sub qua creatur, quàm à ceteris succedentibus per generationem, & loco prioris subrogatis. Et hoc non est, creationem nihil facere, *Resp. quamuis actio attingat materiam ex nihilo fiat non est creatio, sed concreatio.*

cere, sed est dare esse materiæ, sed mediatè, & dependenter à forma, non immediatè in se, eo quod materia solùm habet esse, vt ens potentiale, & mediante forma actuabili ab existentia, sicut anima est operatiua mediante potentia.

1896 *Ex speciebus Eucharisticis, quando producitur à Deo materia non creatur, sed cõcreatur.*

Et quando producitur à Deo materia in instanti generationis ex speciebus Eucharisticis, si talis productio fit per creationē, nō fit per creationem absolutè, sed dependēter ab eductione formæ, ita quod creatio subijciat materiā formæ, & per eductiuā actionē præbeat esse materiæ, quod per se non præbet, sed actio illa creandi cõiungitur actioni eductiuæ, vt per ipsā consūmetur, & esse præbeat, sicut creatio animę rationalis in Christo non dedit ei subsistentiā, neç in sententia D. Th. existētiam, sed quoad hoc suppleta, fuit, & consummata per assumptionem, quæ subsistentiam Verbi ei vniuit. Quod exemplum ostendit non repugnare, quod vna actio in aliquo esse consummetur per aliam.

Ad i. Replicam Resp.

Ad instantias autem allatas contra hanc responsionem, quod materia prima non accipit esse per creationem mediatè, & dependenter à forma, sed immediatè in se, Ad 1. iam responsum est ex nuper dictis.

1897 *Ad. 2. Replicā per quamcumque formam de nouo aduenientem, accipit materia nouū esse*

Ad 2. dicitur, quod per quamcumque formam de nouo aduenientem accipit materia diuersum esse, & amittit aliud quod habebat per aliā formam, non tamen corrumpitur, aut generatur de nouo, quia nō amittit, nec acquirit ipsam entitatem potentialem, quam habet ad omnes formas, sed intra latitudinem formarum, à quibus potest habere esse, transmutat causas formales, per quas conseruatur in esse. Non dicitur autem, aliquid corrumpi, aut generari simpliciter per hoc, quod transmutet esse, vel modum essendi, si vtriusque est capax, sed si de nouo accipiat esse, ita quòd ante non fuerit, dicitur generari, seu produci, & si amiserit esse, ita quòd aliud non accipiat, dicitur corrumpi, sicut in sententia S. Th. quod humanitas in Verbo non solùm subsistat, sed existat, si humanitas mea assumeretur modò à persona, spoliaretur propria subsistentia, & existentia, nec tamen desineret esse, nec corrumperetur, quia subrogaretur alia loco illius eundem effectum faciens. Itaque materia per quācumque formam potest existere, nec adęquatè per istam determinatam existit, sed per quamcumque earum, quarum est capax, existere potest. Vnde mutatio de vna in alia non est corruptio, seu desitio, & generatio, sed sub diuersis existentijs, & formis continuatio, Et hoc ponit quidem transmutationem in materia, quia subiectum mutationis est, sed non corruptionem, & productionem eiusdem in sua entititate potentiali.

1898 *Ad 3. replicā, Resp. materiā pendere à solo Deo in fieri, seu concreari; in facto esse à forma.*

Ad 3. instantiam dicitur, materiam pendere à solo Deo efficienter, quantum ad ipsum fieri, seu concreari ex nihilo, sed in facto esse pendere à forma, quia sic efficienter est à Deo, quod sit vt subiecta, & dependens à forma, à qua in genere causæ formalis dependet. Agens autem naturale, licet introducat in materiam esse formale, & existentiā, quæ ad eam sequitur, non tamen dicitur producere materiam, aut conseruare simpliciter, quia non est causa ipsius entitatis potentialis materiæ, nec ipsius concreationis ex nihilo, sed solùm formæ, quatenus determinat, & communicat existentiam ipsi toti, & materiæ, Et sic complet productionem eius in esse, quantum ad determinationem existentiæ, ipsam quippe indifferentiam, & capacitatem omnium formarum, quæ est entitas potentialis materię, agens naturale non producit, sed hoc à Deo est ipsi materiæ, cum dependentia tamen à forma producta per agens naturale, vt complente, seu determinante esse, sub quo determinatè materia existit. Vndè agens naturale non simpliciter producit, aut concreat materiam, sed complet, seu determinat quoad esse.

1899 *Ad 4. Replicā Resp. materia non pendet à forma, vt à subiecto.*

Ad 4. dicitur, quod licet materia fiat dependens à forma, vt à determinante esse illius, non tamen vt à subiecto, ex quo fiat, vel vt à termino *à quo*, & ideo talis dependentia non tollit, quin ex nihilo fiat, vt ex præsupposito; & tamen non redditur ex nihilo dependens, sed dependet à forma.

Ad confirm. Resp. non esse idē formam fieri dependēter à materia, ac educi.

Ad Conf. dicitur, quòd non est idem, formā fieri dependentem à materia, & fieri per eductionem: nam si Deus totam substantiam panis conuerteret in totam substantiam lapidis, forma lapidis esset dependens à materia, sed non tamen educta, sed ex conuersione alterius facta. Et si Deus produceret accidens separatum, & postea illud vniret subiecto, faceret dependere, nec tamen educeret. Ad eductionem ergo requiritur, quod forma fiat dependenter à subiecto per transmutationē materiæ, & reductionem potentialitatis eius in actum, non per hoc, quod fiat aliundè, & ei vniatur, etiamsi vniatur ei cum dependentia.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum solius Dei sit creare.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

Prima Conclusio. Solius Dei est creare, nam actio per quam producitur vniuersalissimus effectus. 1. ens, vt ens: est propria vniuersalissimę causę, quę operatur independenter à subiecto. 2. Concl. Creatura quæcumque neque instrumentaliter potest concurrere ad creandum. Quia causa secunda instrumentalis non participat actionem causę superioris, nisi inquantum per aliquid sibi proprium dispositiuè operatur ad effectū principalis agentis, aliàs frustra essent determinata instrumenta determinatarum actionum. Sed creatio est ex nihilo ergo non potest esse aliquod disponibile per actionem instrumentalis agentis: quod operatur dependenter à subiecto.

Arg. 1. potens producere substantias separatas, potest creare, Sed substantię separatę possint facere alias substantias immateriales: cùm sint magis perfectę, quàm homo. ergo. Resp. neg. mi. Ratio autem, quare homo producit sibi simile in natura est: non quia producit naturam absolutè, quia sic esset causa etiam sui ipsius: sed est causa, quòd natura humana sit in hoc homine generato: & sic presupponit determinatam materiam per quam faciat hunc hominem. & quia in substantia immateriali, non potest prę intelligi aliquid, per quod sit hęc, cùm hęc sit tantùm per suam formā: hinc fit vt substantia immaterialis non potest producere sibi simile quò ad esse substantiale.

Arg. 2. maior potentia requiritur ad faciendum aliquid ex contrario, quàm ex nihilo; propter resistentiam contrarij: sed creatura facit aliquid ex contrario, ergo. Resp. ma. tantùm esse veram in actionibus agentium, quę mutuò agunt, & patiuntur ad inuicem; sed difficultas in omnibus agentibus attenditur, secundùm quod patiens elongatur ab actu, Vndè cùm purum non ens magis elongetur ab actu, propterea, neg. ma. absolutè.

Arg. 3. ad faciendum aliquod finitum, sufficit virtus finita. Virtus enim facientis mensuratur ad mensuram eius, quod fit. Sed ens creatum est finitum. ergo. Resp. neg. absolutè ma. & ad prob. dicitur. Quòd virtus facientis non solùm mensuratur ex substantia facti. Sed etiam ex modo faciendi, maior enim calor non solùm magis, sed

citius

citiùs calefacit. Quamuis enim producere aliquem effectum finitum non requirat potentiam infinitam, producere tamen ipsū ex nihilo demonstrat potentiam infinitam.

DISPVTATIO CCXXXXI.

An nulla creatura de facto creauerit?

1900 Concl. neg. certa apud omnes Catholicos. Concl. *neg omninò certa est apud omnes Catholicos: nam vt ait S. Th. de Pot. q. 3. art. 4. initio Corp.* Secundùm fidem Catholicam ponimus, quòd omnes substantias spiritales, & materiam corporalium Deus immediatè creauit; hæreticum reputantes, si dicatur, per Angelum, vel aliquam creaturam aliquid esse creatum. Vnde Damasc. dicit, quicumque dixerit, Angelum aliquid creare, anathema sit. *Idque, vt post multa subdit,* fuit idolatriæ principium dum ipsis creatis substantijs, quasi creatricibus aliarum, latriæ cultus exhibebatur, *& 2 dist. 1. q. 1. art. 3. relata contraria opinione veterum Philosophorum, de illa dixit,* pro hæresi condemnatur, *& in fin. corp. vocat* hæreticum.

Error Arrianorum. *Verùm ex hæreticis Ariani olim filium Dei, & à Deo Patre immediatè creatum, & deinde creantem cætera, etiam ipsummet Spiritum S. sic enim illi dicebant apud Athanas. orat. 3. contra Arianos col. 18.* Deum volentem creatitiam naturam producere, cū vidisset, eam paritatis suæ, & architectationis participem esse non posse, condidit primus, & fecit vnum vnum, eumque appellauit suum filium, & verbum, vt illo condito reliqua per illum condi possent. Hæc, *inquit Athanas.* non solùm dixere, sed & scribere ausi sunt Eusebius, Arius, & qui Idolis sacrificauit, Asterius.

1901 Prob. 1. ex scriptura. *Prob. Concl. 1. quia vt arguit S. Th. 2. cont. Gen. c. 21. fin. Sacra Scriptura Deum omnia creasse affirmat, & nunquam indicat, aliquid creatum à creatura. S. Th. affert tantùm illud Gen. 1.* In principio creauit Deus Cœlum, & terram. *Quem locum explicare voluisse videtur Ecclesia Catholica, cum in suis symbolis non solum fatetur, Deum esse* creatorem Cæli, & terræ, *sed etiam*, visibilium omnium, & inuisibilium. *Qua additione significatur, nihil prorsus fuisse creatum ab alio, quam à solo Deo. Et illud Heb. 3.* Qui omnia creauit, Deus est, *& ideò per creationem, tanquam per aliquid sibi proprijssimum verus Deus distinguitur à falsis Dijs Ps. 95.* Dij gentium Demonia: Dominus autem Cœlos fecit. *Et Hieron. 10.* Dij, qui Cœlum, & terram non fecerunt, pereant de terra, & de sub Cœlo.

1902 Nullibi in Sacr. Scriptura legitur, aliquam creaturam creasse. *Cum igitur nullibi legatur creatura creare, & sæpè soli Deo tribuatur, tàm prima creatio primarum rerū, ad quam euidens est, nullam creaturam potuisse concurrere, quàm reliquorum omnium creatio, certū omnino esse debet, scripturam, cùm Deo tantùm tribuit actum creandi, velle ab eo omnem creaturam excludere, & ita intellexit Irenæus, cum Saturninum, et Basilidem hæreticos dicentes, mundum, & hominem à septem Angelis fuisse factum, vt refert l. 1. c. 22. impugnat deinde l. 2. c. 66 propè fin. ex eo, quòd in scripturis vnus Deus asseritur esse creator omnium: Nam Ecclesiast. 24. Deus vocatur* Creator omnium, *& l. 2. Macab. c. 1. dicitur,* Domine Deus creator omnium. *Et clarius Ecclesiast. c. 1.* Vnus est Altissimus creator, omnipotens, & Rex potens. *&c.*

Alia nomina diuina tribuit scriptura creaturis, nunquā vero, nomen Creatoris. *Et quod prudenter existimandum est, magnam vim addere huic argumentationi, quamuis plerumque alia diuina nomina, etiam ipsummet Dei nomen scriptura tribuat creaturis, tamen nomen Creatoris nulli vnquam tribuit, nisi soli Deo; vt indicaret, creationem esse proprijssimam vnius Dei operationem, & nulli vnquam creaturæ communicatam. Quod omnium clarissimè significatur Isa. 44.* Ego sum Dominus faciens omnia, extendens Cælos, solus stabiliens terram, & nullus mecum. *Et Iob. 9. de Deo dicitur,* Qui extendit cœlos solus.

1903 Prob. 2. ex Patribus. *Prob. Concl. 2., quia eumdem sensum exclusiuum apud alios Patres passim legimus; multi tamen, quos referam in seq. dubijs, asserunt, nullam creaturam posse creare. Multi etiam docent, nullam creaturam de facto creasse. Ex quibus grauissimè Aug. lib. 12. de Ciuit. c. 24. opinionem Platonis dicentis, Deum summum immediatè creasse quosdam Deos, à quibus deindè, & homines, & cuncta mortalia creata fuerint, vocat* errorem; *& subdit,* neque enim fas est vllius naturæ, quamlibet minimæ, mortalisq; Creatorem, nisi Deū credere, ac dicere; *Quod deinde in cap. 25. & 26. pluribus docet, ac probat, & c. 26. ante med. eamdem opinionem vocat* falsissimam; *quoniam inquit,* omnium viuentium, siue in Cœlo, siue in terra, nullus conditor, nisi à quo facta sunt Cœlum, & terram: *pluribusque alijs locis id probat.*

1904 Prob. 3. ratione. Prima Ratio. *Prob. 3. Concl. rationibus: Prima quia ex probandis constabit, creaturam nullo modo posse creare: & consequenter creationem esse actionem solius Dei propriā supra conditionem cuiuslibet creaturæ; ergo fingitur creatura de facto creans. Hanc rationem breuissimè, sed clarissimè tetigit Damasc. supra illis verbis,* Creatura cùm sit, non sunt conditionibus. *Tetigit etiam Cyril. l. 2. contra Iulianum propriùs ad med. quam ad fin. dicens,* Si creare, naturæ magnificę operatio est, & virtus, & vltra mensuram creaturæ, digna est Deo, cur summæ naturæ dignitatem detrahunt, & generationi, & corruptioni obnoxijs donant, vt sibi placet? *hoc est, Angelis ex nihilo factis, & in nihilum conuertibilibus, quibus Iulianus Platonem sequens, mundi creationem tribuebat.*

1905 2. Ratio. *Secunda quia si præscindamus ab impossibilitate, non potest prudenter concedi creaturis, nisi vel ex aliqua ratione, vel ex authoritate extrinseca: sed aduersarij nullam planè rationem probabilem afferunt, nullum etiam proferunt testimonium fide dignum, sed quàmplurima, & grauissima testimonia superiùs in contrarium allata sunt: ergo creatio à creaturis de facto proueniens, non solùm est impossibilis, sed etiam ad libitum conficta. Præsens disp. seqq. dubijs declaratur.*

Dub. 1. An rectè D. Th. probauerit, implicare creaturam creare, vt causam principalem vi propria ex eo, quod actio creatiua exigat virtutem infinitam.

Dub. 2. An rectè probauerit D. Th. implicare creaturam, vt causam principalem vi natiua creare ex eo, quod virtus creatiua est vniuersalissima, ac prima.

Dub. 3. An implicet, dari instrumentum creationis physicum.

DVBIVM I.

An rectè D. Th. probauerit, implicare creaturam creare, vt causam principalem vi propria, ex eo, quòd actio creatiua exigat virtutē infinitā.

1906 Concl. affirm. Concl. est affirmatiua, solida, ac constans D. Th. probatque efficaciter quamlibet creationem cuiuscumque entis determinati, & particularis, hoc ipso, quod nihil præsupponit, vt agat, debere operari infinita virtute.

Prob. nam infinitas virtutis ad creandum, non est pensanda ex infinitate termini ad quem, sed ex modo attingēdi totum ens. Pro quo est aduertendum, quòd infinitas potentiæ, seu virtutis potest pensari, vel ex parte ipsius rei factę in se, vel ex parte ipsius fieri, seu modi faciendi; res quippe facta in se ipsa semper est limitata, & finita, imò tota collectio creaturarum quidditatiuè considerata, finita est in se. Sed tamen amplitudo virtutis, & potentiæ attenditur ex ipso etiā modo faciendi, quatenus debet plura, vel pauciora præsupponere ad operandum, & quanto plura præsupponit, minùs vniuersalis virtus est, quia ea, quæ præsupponit, non efficit; Si vero minus presupponit, plus efficit, & sic magis ampla, & indifferens potētia est ad faciendum, atque adeo si nihil præsupponit, sed totum facit vniuersalius operatur. Quarè infinitas virtutis ad creandum non

non est pensanda ex limitatione, vel infinitate termini *ad quem*, qui producitur, sed ex ipso fieri, & modo, quo producitur, & vniuersalitate, atque indifferentia, quam supponit erga totum ens, hoc ipso, quòd vnum ens facit ex nihilo. In hoc enim principio omnes conueniunt, quod virtus, seu potentia, quæ potest super omnem collectionem entis creati, est infinita. De hoc non est dubium; nec enim aliam maiorem infinitatem habet potentia, & virtus diuina, inquantum virtus, nisi posse super totam collectionem entis creabilis. Subsumimus sub hac maiori: sed hoc ipso, quòd aliqua virtus ex sua formali, & propria ratione potest vnū tantùm ens producere ex nihilo, debet habere vim, & potentiam vniuersalem, & indifferentem ad omnem collectionem entis creati; ergo debet esse infinita.

1907 *Minor prob. quia virtus producentis nō habet amplitudinem, vel limitationem ex termino producto, sed ex proportione, vel improportione termini* à quo

Minor, in qua est difficultas prob. quia virtus producentis, & agentis non habet amplitudinem, & vniuersalitatem in agendo, vel determinationem solùm ex limitatione termini producti in se, sed ex proportione, vel improportione termini *à quo* ad terminum *ad quem*, & materiæ, seu materialium principiorum ad talem rem faciendam, quia cùm terminus, seu res producta, non quomodocumque fiat, sed ex aliquo termino, vnde educitur, seu reducitur ad esse, oportet, quòd in vincēda improportione, seu indifferentia, & distantia termini *à quo* ad terminū *ad quem*, attēdatur maior, vel minor agētis virtus. Quòd si ab vno termino *à quo* non sit maior distantia ad vnum terminum *ad quem*, quàm ad ad alium, eadem virtus, quæ potest vincere distantiam ad vnum terminum, poterit vincere distantiam ad alium, si non sit maior improportio, & difficultas in vno, quàm in alio; sicut si vnum agens potest vincere distantiam vnius leucæ, vbicumque fuerit illa distantia cum simili difficultate itineris, & non alia, poterit illam vincere. Sed sic est, quòd vbi nihil præsupponitur ad operandum, est æqualis distantia, & difficultas ex nihilo ad quocumque ens; ergo virtus, quæ potest vincere distātiam, & improportionem, ac difficultatem ex non esse ad aliquod ens, poterit vincere distantiam, & difficultatem ad quodcumque ens, quia non est maior distantia, & difficultas ad maius ens, quàm ad minus procedendo ex nihilo.

1908 *Confirm. quia nihil, cum sit carētia omnis esse, in illo non datur maior approximatio ad vnum ens, quàm ad aliud*

Prob. mi. quia nihil, est carentia negatiua, & totalis omnis esse, & omnis entitatis: ergo in illo non datur maior approximatio, & determinatio ad vnū ens, quàm ad aliud: ergo agens, quod procedit ex nihilo, procedit ex terminis *à quo*, æquè distante à quolibet ente, & à quolibet esse, ergo ex vi illius nō est magis factibile vnum, quàm aliud ex tota collectione entis factibilis, quia ab omni ente factibili æquè distat, cum æqualem carentiam habeat omne ens factibile, nempe puram negationem, nec habeat determinationem, aut approximationem maiorem ad vnum, quàm ad aliud. Omne autem agens habet virtutem suam conformatam distantiæ, & determinationi, quæ versatur inter terminū *à quo*, & *ad quem*. Vndè educenda est forma, & similiter inter potentiam, seu subiectum ipsum, & formam, quia indè sumitur proportio operandi, & ex proportione maior, vel minor virtus: Ergo illa virtus, quæ operatur, & producit aliquid ex nulla proportione, sed ex puro nihilo, operari potest ex vi sua quodcumque ens, quia æqualis distantia, & improportio est inter nihil, & vnum ens, atque nihil, & quocumque ens; & sic virtus potens vincere distantiam, & improportionem inter nihil, & aliquod ens, debet esse potens vincere distantiam, & improportionem inter nihil, & quodcumque ens; & sic habere potentiam, & virtutem super omne ens.

1909 *Instans.*

Dices, non esse verum, quòd est æqualis distantia, & improportio inter nihil, & vnum ens minimum, atque inter nihil, & ens maximum. Quis enim capiat, non esse maiorem distantiam inter nihil, & Cælum, seu Angelum, aut totum vniuersum, quam inter nihil, & granum milij? hoc enim videtur esse contra ipsum lumen rationis, atque adeò fundamus in re valde dura conclusionem nostram, scil. quòd ad creandum ex nihilo quodcumque ens, necessaria sit infinita potentia, & quòd sit distantia tanta, & tàm infinita inter nihil, & formicā, quàm inter nihil, & totum vniuersum.

Resp. ex nihilo per eandem distantiam producitur formica, ac cælum.

Cæterùm hæc responsio procedit ex infirmitate imaginationis, quæ à generatione rerum paralogizat ad creationem ex nihilo: vt enim fiat granum milij, vel formica ex præparatione, & apparatu eorum, quę requiruntur ad sui consistentiam, sicut fit per generationem, vel artem, & fiat Cælum, vel totum vniuersum ex præparatione etiam materiæ, & eorum, quę requiruntur ad eius compositionem, omninò esset præposterum omni lumini rationis tantum apparatum, & distantiam requirere ad vnū effectum, quantum ad alium. Cæterum in agente ex nulla præparatione, & apparatu materię, sed producente totum, etiam est contra ipsum lumen rationis restringere, & coarctare eius potentiam ad vnum determinatum ens potius, quàm ad aliud, supposito quod operatur, nihil præsupponendo, sed totum operando:

1910 *Ratio est, quia vbi nulla præparatio materiæ præsupponitur; non determinatur virtus agentis ad tātum, vel tantū effectū producendū ex passo.*

Et ratio id manifestè conuincit, quia vbi nulla præparatione, vel apparatus materiæ præsupponitur non determinatur ad tantum, vel tantum effectum producendum ex aliquo extrinseco, seu ex passo, super quod operatur eius virtus, siquidem nullum tale passum, vel materia datur: ergo quòd operetur granum arenæ, vel operetur Cœlum, aut totum vniuersū nō est ex dispositione materiæ, sed ex mera voluntate, & determinatione ipsius agentis: ergo oportet, quòd ista virtus de se sit vniuersalissima, & indifferens ad totū ens, siquidem ab extrinseco passo, vel materia non determinatur, vt tantum, vel tale ens producat, nec in ipso nihilo est maior distantia, aut improportio ad paruum, cū totius entis parui, & magni sit pura carentia, & negatio; & sic non habet maiorē coaptationem, aut determinationem erga vnum, quàm erga aliud.

1911 *Ab intrinseco agētis creatiui, hæc coarctatio non potest accipi.*

Ab intrinseca autem ratione ipsius agentis non potest accipi ista coarctatio, & determinatio ad creandum vnam speciem tantùm entis, & non aliam, quia ratio operādi in agente non potest habere pro formali ratione operandi ipsam speciem, & ad eam determinari, & coarctari, si primò, & per se operatur ex nihilo, quia sic oportet, quod primò, & per se etiam operetur rationem genericam, non solùm quatenus est contenta in specie, sed per se, & directè, quia non præsupponit illam, sed per se facit: ergo nō est factiua primò, & per se, & in quarto modo speciei, seu rationis specificæ, sed etiā rationis genericę, imò, & rationis generalissimę entis, quia illud per se facit, quod per se nō supponit, per se autē nihil supponit, ergo per se etiam genus facit, vt non magis ponderabitur.

1912 *1. Confir. quia omne agens cōmensuratur proportioni, & distantię vincenda inter terminum* à quo, & ad quem.

Et deinde quia omne agens in sua intrinseca virtute commensuratur proportioni, & distantiæ vincendæ inter terminum *à quo*, & terminum *ad quem*, siquidem ad eius rationem, & virtutem pertinet non solùm respicere terminum *ad quem* quomodocumque, sed, vt ex tali termino *à quo* faciendum, quia agens non solùm respicit terminum, sed viam, qua res facienda est, & consequenter distantiam, ac proportionem, quæ est inter terminum *à quo*, & *ad quē*: hæc enim est via ex vno, ad alium. Ab isto autem termino, *à quo*, qui est nihil, tanta indifferentia, & improportio, seu distantia est ad vnum terminum, seu ens creatum, quàm ad aliud, æquè indifferenter se habet ad hoc, quam ad illud, cùm sit pura negatio omnium, nec ex pura negatione possit deduci, & inchoari via magis ad hoc determinatum ens, quàm ad aliud, sed solùm ad quod libet ens, quia nihil supponitur de ente, neque in potentia, neque in actu, sed totum fit; ergo inter istos duos terminos nihil ex parte termini *à quo*, aliquid ex parte termini *ad quem* nulla est determinata proportio, et distincta ad hoc determinatum ens potius quàm ad aliud, ad paruum, quàm ad magnum.

Ergo

1913 *Si hæc distantia est indifferens ad omne ens, ità & virtus agentis.*

Ergo si virtus agentis in sua perfectione, & ratione conformatur distantiæ vincendæ, & pertransfeundæ à termino *à quo*, ad terminum *ad quem*, si ista distantia est ita indifferens, & indeterminata ad omne ens, etiam & ipsa virtus indifferens debet esse ad omne ens. Vndè si ex tali termino *à quo* producit aliquod ens, æquè benè potest quodlibet producere, quia ad quodlibet indifferens est; & sicut terminus *à quo*, est indifferens per negationem, ità efficiens per positionem, non potentialitatis, quia non est materia, sed actualitatis, quia est efficiens, & consequenter est indifferentia vniuersalitatis super omnes ens.

1914 *2. Confirm. distantia inter nihil, & ens non regulatur penes magnū, vel paruum. ipsius rei productæ.*

Denique distantia, seu improportio inter nihil, & ens, quodcumque illud sit, non regulatur penes magnum, vel paruum; magis, vel minus ipsius rei productæ, vt quòd sit granum millij, vel Cælum integrum, sed penes hoc, quòd terminus *à quo*, distat, & nullum eorum supponat; sed omnia faciat: in hoc enim terminus *à quo*, qui est nihil, æquè distat à grano millij, & à toto Cælo, quia etiam in grano millij, & in arena terræ includuntur sua prędicata à genere supremo, & ab ente vsque ad indiuiduationem, sicut includuntur in reliquis entibus, licèt illud granum sit minoris quantitatis.

Ad producendum formicā, & Cælum ex nihilo, nullum prædicatum quiddi tatiuum præsupponitur

Vndè si ad producendum vnum granum, & formicam proceditur ex nihilo, & oportet, quod nullum ex illis prædicatis supponatur, sed omnia fiant, & similiter si fiat Cęlum, & fiat Angelus, nullum ex prędicatis eius communibus, vel particularibus supponitur, sed omnia fiunt; ergo quoad ipsam substantiam rei faciendam tantum distat à nihilo granum millij, quantū totum Cęlum, licet hoc in quantitate excedat, quia nullum prędicatum, etiam commune, & genericum sit in vno, quòd non fiat in alio, & hoc per se primò, quia non solùm fit prędicatum genericum, vt contentum, & identificatum cum specifico, & ratione specifici, sed per se, & ratione sui fit, quia per se non presupponitur gradus genericus, cùm nihil supponatur, ergo per se fit.

1915 *Agens quod habet virtutē ad faciendum gradum genericum per se, habet per se virtutem ad specificum.*

Si autem per se fiunt prędicata communia, & generica, non minus, quàm particularia: ergo agens, quod habet virtutem faciendi per se gradum illum, & prędicatum genericum, debet habere virtutem ad faciendū quodcumque prędicatum specificum sub genere contentum, quia eius virtus non specificatur, & determinatur ex specifico prędicato, sed vniuersalior est, vt pote tangens generalem rationem communem, & per se faciens illam: ergo non est coarctatum ad vnam speciem, ergo si non solùm gradū genericū, sed etiam analogum, facit quod est gradus entis, per se facere omnia sub ente factibili contenta vniuersaliter habet, quod est comprehendere, & respicere omne ens factibile, & virtus respiciens omne factibile infinita est; quod amplius ex seq. Dub. manifestum erit.

DVBIVM II.

An rectè probauerit D. Th. implicare, creaturam, vt causam principalem vi natiua creare, ex eo quòd virtus creatiua est vniuersalissima, ac prima.

1916 *Concl. affirm. quia nulla virtus creata potest esse vniuersalissima influens in esse vt esse.*

CONcl. est affirm. Ratio, seu principium probans, impossibile esse, quòd virtus aliqua creata sit per se creatiua ex propria, & natiua virtute, tanquam causa principalis, participata tamen à Deo, est, quia actio creatiua est vniuersalissima, & influens ipsum *esse* quarto modo per se; nulla autem virtus creata potest esse prima, & vniuersalissima in influendo esse. De hac autem propositione, quòd *esse* est proprius, & per se primò effectus Dei, plura diximus tom. 3. q. 3. & 9. quæ hic presupponenda sunt. Modò solùm oportet videre, quomodo creatio respiciat *esse* existentiæ, non prout tale, vel tale, v. g. prout esse hominis, vel Leonis, vel lapidis, sed absolutè secundùm omnem generalitatem ipsius esse, & secundùm talem influxum in esse, quod per solam suspensionem eius, res annihilabitur nulla entitate, aut esse remanente, neque in actu, neque in potentia. Ex hoc enim deducetur, quod creatiua potentia debet attingere omnem rationem entis in effectu, non prout continetur in hac, vel illa ratione specifica, seu particulari, sed secundùm generalem rationem entis; & sic ad omne ens creabile debet extendi. Vnde,

1917 *Petes 1. Resp. affirmatiuè, quia omnis causa per se nō remittit alteri causæ, id, quod directè efficit in effectu.*

Petes 1. *An ad creandum, ex parte agentis, ipsa virtus, seu forma agendi sit ipsa existentia, quòd nulli creaturæ conuenire potest?*

Resp. ad creandum ex parte agentis ipsa virtus, seu forma agendi est ipsa existentia, quod nulli creaturæ conuenire potest; Explicatur hoc nam vnumquodque agens illud per se, & directè efficit in aliquo effectu, quod non supponit; nec alteri causæ remittit, à cuius concursu dependet, ità quòd licèt plures causæ concurrant ad aliquem effectum, tamen vnaquæque efficit per se primò aliquid, quod ei particulariter correspondet, vniuersalior quidem causa efficiendo id, quod vniuersalioris rationis est in effectu; particularis verò id, quod particulare est, vnaqueque secundùm propriam rationem suam: semper enim vniuersaliores effectus, & qui ad plura se extendunt, & vniuersalioribus causis correspondent.

1918 *Omnis causa, quantò magis particulares, sunt tātò magis dependet à causis superioribus. Deus verò producit sub ratione vniuersali.*

Vndè vnaqueque causa quantò magis particularis, & determinata est, tanto magis dependet à causis superioribus, vt sunt omnes causæ createę à Deo, & ista subordinatio, & dependentia tam essentialis, & per se est in causis particularibus, & habere diuersa prędicata, secundùm quæ correspondet diuersis causis, sicut ignis, qui generatur, correspondet igni generanti secundùm rationem determinatam, & particularem suę speciei; sic enim fit ab igne, & non ab alio agente, & secundùm rationem corporis correspondet Cęlo, & secundùm rationem entis Deo. Et quia Deus producit sub ratione ità vniuersali, & communi, ipse solus sufficit dare esse effectui absolutè, & simpliciter, aliæ verò causę dant esse ex virtute ipsius, & participando ab ipso hoc, quod est causare. Illa ergo causa dicitur causare esse per se primò, & tanquam proprium effectum, quæ in aliquo effectu causat totum, quod pertinet ad esse, & omnia prædicata, quę quomodocumque esse participant, ità quod de eo, quod est esse, nihil supponat ab alia causa attactum, sed totum facit, quia si aliquid supponit, vel alteri causę remittit, & ei correspondet, iam non simpliciter, & absolutè facit esse, sed solùm aliquam particularem rationem essendi.

1919 *Esse simpliciter inquacumque re est effectus proprius Dei.*

Esse ergo in quacumque re est proprius effectus Dei, scil. esse simpliciter, esse vt comprehendit omnia prędicata; esse non secundùm aliquam particularem rationem essendi, aut secundùm aliquem gradum illius, entis, sed secundùm omnes: & sic ab vniuersali influxu deriuari dicitur, quatenus fit ab agente, quod nihilum de illo esse supponit, sed totum facit, & si aliqua alia causa dicitur cum illo agere, est, quia hęc causa participat ab illo hoc ipsū, quod est causare: & sic dicitur, quòd per se primo est effectus talis agentis, quia in tantum est effectus, inquantum fit, & non supponitur, & si quoad omnia fit, & quoad nihil supponitur, sic per se, & directè dicitur esse effectus talis agentis, & non per aliud seu ratione alterius prędicati, vel rationis adiunctę, v. g. quia est esse hominis, vel equi, aut ignis, quia hoc pertinet ad productionem *esse* secundùm determinatam formam, & rationem; & vt correspondet determinatę, & particulari causę. Vnde est effectus causę creatæ ratione formæ, cui adiungitur esse, & sic transmutando formam, faciat esse etiam per transmutationem, non per se totum esse influendo.

1920 *Petes 2.*

Petes. 2. *An esse vniuersalissimè sumptum, solùm possit fieri à virtute creatiua, nec propriè creat, quòd sit non producit esse?*

Resp. affirm. Prob. quia ex

Resp. affirmatiuè Prob. quia ad creationem nihil pręsupponitur, quia est productio ex nihilo; ergo totum

creatio sit productio ex nihilo, producit totum esse.

totum quod est in effectu, de esse facit. Patet Conseq. tum quia quidquid non supponitur factum ab aliqua causa, debet ab ea fieri, aut relinqueretur in effectum: ergo causa, quæ ex nihilo operatur, nihil præsupponit factum: ergo totum facit, tum quia influxus creatiuus talis est, quòd per eius suspensionem res annihilatur: ergo ex tali influxu totum esse pendet, siquidem ex subtractione eius nihil de esse remanet: ergo facit totum esse secundùm omnem rationem entis, siquidem si sic non faceret, non posset ex sola suspensione talis influxus annihilari ille effectus: indiget enim etiam alterius causę influxum remoueri, si ex alia etiam causa penderet secundum aliquam rationem esse istius effectus.

1921 *Influxus creatiuus est ita supremus, vt ei repugnet dependentia ab alia causa.*

Vnde vlteriùs fit, quòd influxus creatiuus ità est vniuersalis, & supremus, quod repugnat compati cum illo dependentiam ab alia causa, nec concursum alterius causę, sed ipsa debet dare totum esse, & totaliter, ità quod si alia causa concurrit, debet esse ex causatione, & participatione eius. Patet hoc, quia influxus creatiuus dat totum esse ex nihilo, itaquod per suspensionem, & remotionem talis influxus decidit res in nihilum: ergo non potest aliquid ex parte illius esse, & illius effectus correspondere alteri causę, nec depędet ab alterius superioris concursu, & influxu, quia si dependeret, non posset ex sola suspensione influxus creantis decidere res in nihilum. Restabat enim recursus ad aliam causam superiorem, cuius influxus si non tolleretur, res nō penitus destrueretur: ergo repugnat, quod influxus creantis sit dependens ab alio superiori, & non sit supremus, siquidem debet esse talis, quod ex suspensione eius res anihiletur: correspondent enim sibi mutuo creatio, & annihilatio: vbi est creatio ex nihilo, cessatio creationis est decidere in nihilum, quia creatio est influxus totius esse, & remoto influxu totius esse, annihilatur.

1922 *Corollarium. Influxus totius esse solùm potest esse à Deo.*

Ex quo deducitur manifestè quòd hic influxus totius esse solùm possit esse à Deo, quia vniuersalissimus est, vt ait S. Th. art. 5. huius q. 45. Et ratio deducitur clarè, quia influxus supremus, & independens à causa superiori non potest esse creatus, sed est proprius solius Dei; influxus creatiuus est ita vniuersalis in ipsum esse, quod repugnat admittere consortium, & dependentiam ab influxu superioris agentis, & causę: ergo repugnat, quod sit influxus creatus, & creatiuus, seu quod sit à causa creata, quia causa creata essentialiter est subordinata causæ superiori.

1923 *Petes 3.*

Petes 3. *An ex eo, quòd iste influxus agentis creatiui attingat esse totum, & totaliter, repugnet ei admittere consortium alterius causæ?*

Resp. affirm. Prob quia cùm influxus creatiuus sit supremus, non potest à superiori causa pendere.

Resp. quod in influxu creatiuo, & vniuersalissimo pręcipuum quod vrgemus in præsenti, est quod est supremus, & independens à superiori causa, ita quod repugnat ei admittere consortium causę, & influxus, à quo dependeat in operando, eo quod si est creatiuus, etiam debet esse annihilatiuus per solam sui suspensionem, aliàs creatiuus non est, quòd vero admittat causas inferiores, dependentes à se, & quibus ipsa causa vniuersalis communicet hoc, quod est causare, & influere, non est contra vniuersalissimam rationem influxus diuini, sed pro illo, quia inter alia, quę causat ille influxus, est quod causę inferiores sint causę, nec in eis aliquid pręsupponit, aut in eis accipit, sed totum, quod causant, dat eis.

1924 *Confirm. quia Deus à se potest anihilare quidquid causatum à causa inferiori.*

Vnde si Deus velit annihilare aliquid causatum per generationem à causa inferiori, quę bene potuit, ac si a se solo causaretur, & tunc per subtractionem influxus etiam suspendit Deus inferiores causas, ne operentur in effectum, quem ipse annihilaret velle. Quod tamen non posset causa creatiua creari, quia dependens esset a superiori causa diuina, cuius influxum suspendere per se non posset; & sic per sui concursus suspensionem, res non annihilaretur, quod est manifestum signum, non esse concursum creatiuum, licet autem influxus Dei nō impediat causas inferiores, sed iuuet, tamen quando operatur creando, non potest admittere consortium, etiam causæ inferioris, quia creatio nihil relinquit in effectu, quod fiat ab alia causa, cùm faciat totum ex nihilo, nec subiectum aliquod supponit, circa quod posset causa creata dispositiuè, & instrumentaliter se habere, vt statim dicemus.

Petes 4. *An quando Res aliqua creata producitur à particulari agente, illud attingat gradum inferiorem, & superiores.* 1925 *Petes 4.*

Resp. Agens determinatum producēdo supremos gradus illos non facit per se primò.

Resp. quod quando forma aliqua producitur à particulari agente secundùm gradum determinatum, facit alios gradus, & prædicata in tali re contenta, & identificata, non per se primò, & formaliter, sed identificè, vt sunt entitatiuè vnum cum alio, & per modum particularem, scil. per transmutationem materię, ac per hoc non omnia facit, scil. ipsum subiectum, seu ens potentiale, quod est materia. Vt autem ea pręedicata superiora etiam per se fiant, operatur causa particularis in virtute causę superioris, cui tanquam altiori conuenit per se respicere vniuersaliores effectus, & rationes. Dicimus in deduci ex ista ratione, quod existentia per se sit forma per se producendi *esse*, & creandi, quòd nulli creaturæ competere potest, quod explicauimus, quia in vnaquaque re formalis ratio agendi est forma illa, qua natura talis rei constituitur: natura enim est principium motus, ac quietis. Existentia autem in nulla re creata potest esse forma constitutiua naturæ, cùm omni creaturę accidentalis sit, & sic potest quidem esse conditio requisita, vt forma operetur effectiuè, quia quod non est, non operatur, non tamen potest esse forma, & ratio operandi, quia in nulla creatura potest naturam constituere, sed ei aduenire, eamque extra causas ponere, quod est pręedicatum accidentale, quidditatem supponens, non constituens; ergo neque constituere potest formam, principiumque agendi. Sed ille dicitur effectus per se, & in quarto modo alicuius agentis, qui correspondet formaliter, & adęquatur formę, quę est principium operandi, quia inde sumitur formalis ratio efficiendi conducens, & coaptans processionem effectus ipsi causæ: ergo repugnat, quod esse, seu existentias sit effectus per se primo, & in 4. modo alicuius agentis creati, quia implicat, quod aliquod agens creatum habeat existentiam pro forma, seu principio formali agendi, sed solùm pro conditione. Quod magis explicatur.

1926 *Corollarium. Existentia est forma per se producens esse.*

Petes 5. *An ex eo, quòd ratio formalis agendi in creatione sit ipsum esse, & qua actio creatiua est substantia, propterea nulla creatura possit propria virtute creare.* 1927 *Petes 5.*

Resp. affirm. Prob quia creatio nō respicit tale ens, vt tale, sed ens, vt ens.

Resp. affirm. Prob. in creatione formalis ratio agendi est seq. quęsito ex ipsum esse, quia creatio nō respicit hanc, vel illam quidditatem, tale, vel tale ens, inquantum tale, pro ratione formali, sed totum ens, atque adeò habet formalem rationem compręhendentem omne ens, & hoc solum est esse; ergo formalis ratio, quam respicit creans primò, & per se est esse, non sicut in generationibus, in quibus respicit esse, vt consequutum, & alligatum alicui formę, & in vi formę, quę producitur; in creatione autem respicitur primo, & per se ipsum esse, forma autem, & species rei, vt quid contentum, & subiectum ipsi esse; ergo oportet, quòd forma, seu principium formale agendi in principio creante sit esse, seu existentia, hæc autem in nulla re creata potest esse forma, & principium agendi, nisi tantùm conditio, quia in re creata supponit naturam constitutam, solùm autem in Deo est essentialis, & intrinseca forma; ergo solus Deus creat, quia solus producit esse, vt 1. & per se, & in 4. modo productum.

1928 *Item. Actio creatiua est substantia, quæ nullius creaturæ potest conuenire.*

Item accumulari potest pro hac parte alia repugnantia, quia actio creatiua non potest esse accidens, sed substantia, in nullo autem creato potest operatio esse substantia, sed accidens: nulla ergo creatura potest creare. Min. patet, quia nulla creatura est actus purus, sed operatio comparatur ad

ad ipsam, vt actus secundus ad actum primum, & vt actus procedens ab ipso agente; ergo non constituit eius substantiam, sed accidit illi, quia procedit ab eo: ergo supponit illud. Et sic agens creatum quandoque est in potentia, quandoque in actu, quod est signum, non esse eius substantiam.

1929 *Maior prob. quia actio creatiua non recipitur in aliquo subiecto extra se.*

Ma. prob. quia operatio creatiua non recipitur in aliquo subiecto extra se, cùm ex nihilo producat; neque in ipso agēte, quia hoc ipso, quod subiectaretur in ipso, tanquam accidens, educeretur ex ipso per mutationem eius, & sic creatio in se esset quædam mutatio agentis, seu creantis. Actio autem, quæ est mutatio in agente, multò magis erit mutatio in ipso termino producto, quia ex vi suæ processionis, & originis procedit vt mutatio, etiam vt est in agente, & procedit de potētia ad actum: ergo etiam in suo termino procedente ab ipsa, se habebit, vt mutatio, & vt respiciens potentialitatem, quam reducat in actum, quia non potest in termino operari, nisi iuxta modum, quem habet ex vi sui principij, à quo procedit: procedit autem vt mutatio agentis; ergo vt mutatio termini producti, quia terminus sic procedit sicut actio, siquidem actio identificatur cum termino: si ergo actio procedit, vt mutatio, ergo terminatur vt mutatio, & sicut recepta in illo termino: ergo non vt ex nihilo.

1930 *Petes 6.*

Petes 6. *An virtus creatiua, si exerceatur in quocumque effectu determinato, exigat virtutem infinitam.*

Resp. affirm. virtutē creatiuam respectū cuiuscumque effectus determinati exigere vim infinitam.

Respond. quòd virtus creatiua, non solùm si exerceatur respectu omnis collectionis creaturarum, sed etiam in quocumque effectu, & in quacumque creatura determinata petit vim infinitam, & sufficientem ad totam creaturarum collectionem ex vi modi producendi, quia hoc ipso, quod producit ex nihilo totum ens, & influit effectum totaliter in effectum æque facilè potest quodcumque ens producere, & tanta difficultas est in producendo ex nihilo minimum ens, ac magnum, vt satis est ponderatum.

Instabit. Resp. inter nihilum, & ens finitum esse infinitam distantiam ratione termini à quo

Et cum dicitur, quod non est distantia infinita inter nihilum, & ens finitum. Resp. quod non est infinita distantia ratione rei factę, seu termini, in quem desinit distantia, sed ratione termini *à quo*, quia non est reperire aliquid, vnde illa distantia incipiat. Et sic nunquam incipit distantia. & si nunquam incipit, est infinita à parte termini *à quo*, quia non habet terminum ex hac parte. Nam infinitas potest aliquando esse à parte ante, aliquando a parte post, sicut si mundus esset ab æterno, haberet infinitatem à parte ante, & Angelus, vel anima nunc producta habent infinitatem à parte post; Deus autem habet infinitatem simpliciter, & ex omni parte. Vndè inter nihilum, & Deum est infinitas ex parte ipsius rei, seu extremi, ad quem est distantia, & hæc infinitas est talis simpliciter.

1931 *Confirm. ex D. Th. asserente inter ens, & non esse infinitam distantiā ex parte non entis.*

Et in hoc sensu dixit D. Th. in 4. distin. 5. qu. 1. art. 3. ad 5. in 2. responsione argumenti; quod *Inter ens, & non ens, non est distantia infinita ex parte ipsius entis, nisi ens sit infinitum: sed verum est, quòd dicta distantia est quodammodo infinita ex parte non entis simpliciter, eo quòd neque determinatam distantiam ab aliquo ente signato transcendit, quia nihil potest, magis distare ab ente, squàm non ens.* Ita D. Th. in 2. solut. licet in primo sequens sententiam Magistri, videatur dicere, quod non est distantia infinita inter ens, & non ens. Quare inter nihil, & rem creatam, solùm est infinita distantia ex parte termini *à quo*, & est distantia negatiua, quia non est vndè incipiat determinata distantia, & sic nunquam incipit distare, & hoc sufficit, vt finita distantia non sit, sed infinita, quia non est initium distantiæ, vbi nihil est, a quo incipiat.

1932 *Petes 7.*

Petes 7. *An sit maioris virtutis creatio Angeli, quàm creatio vnius formicæ?*

Resp. negatiuè, quia creatio nō respicit hāc, vel illam speciem entis, sed ens, vt ens.

Resp. negatiuè quod potiùs non est intelligibile, quod sit maioris virtutis creatio Angeli, quam vnius formicę, vel totius vniuersi, quàm vnius entis particularis, quia creatio per se directè non respicit determinatam speciem rei, quam creat, nec supponit aliquod subiectum, seu materiam, aut dispositionem, ratione cuius determinetur ad hanc speciē potiùs, quàm ad illam; sed ex vi modi operandi respicit totum ens in effectu, quem producit, quia de illo nihil supponit, & ex nihilo facit: ergo totum facit; in illo autem ente sunt quędam prædicata generica, & superiora, quædam specifica, & indiuidualia, si ergo per se omnia respicit, implicat, quod sit solùm productiuum tale agens alicuius speciei determinatæ per se, & sumendo ex illa specie rationem formalem agendi, quia ipsa productio hoc ipso, quod per se operatur rationes superiores, & magis vniuersales, non potest per se primo specificari, & determinari à ratione particulari, & specifica; & sic non debet esse productiua solùm illius, hoc ipso, quod altiorem rationem per se primo attingit, & sub illa procedit, & operatur. Non enim vniuersalis ratio, & superius prædicatum debet produci in abstracto, & in vniuersali; sed tamen dicitur vniuersalior ratio attingi in effectu, quando sub vniuersaliori ratione effectus attingitur: si ergo potentia creatiua per se primo operatur totum, & nihil supponit, repugnat per se solùm esse virtutem ad determinatam aliquam speciem producendum; & sic eadem virtus, quæ creat magis, creat minus, & tam facile est creare formicam, quam Angelum, hoc ipso quod ex nullo præsupposito fit, quia maius, & minus in entibus sumitur ex eorum differentijs specificis, vel genericis, & hæc materialiter se habent in creatione, non vt formalis ratio.

1933 *Productio hoc ipso, quod respicit rationes vniuersales, nō potest specificari à ratione particulari.*

1934 *Petes 8.*

Petes 8. *An possit dari virtus creatiua, quæ sit factiua alicuius determinatæ speciei, & non omnium specierum?*

Ratio dubitandi.

Dices: illa potentia creatiua erit productiua totius entis, & omnium prædicatorum, quæ in tali specie continentur, non extra illam. Vndè licet producat vniuersaliores rationes, seu gradus, & quidquid in tali specie continetur, non sequitur, quod alias species producere possit; sicut etiam virtus factiua tritici e terra, non solùm producit speciem tritici, sed etiam gradum viuentis per se loquendo, non tamen omnia, quæ sub viuente continentur, poterit producere. Sic ergo cur implicabit, communicari à Deo potentiam creatiuam inadæquate, id est, non totius entis in tota sua latitudine, sed totius entis, & omnium graduum, & prædicatorum pertinentium ad aliquam speciem rei, ita quod nihil de ea supponat, sed totum faciat, atque adeo ex nihilo? Vndè non sequitur, infinitam potentiam requiri ad creandum aliquam effectum, quia non sequitur, quod ita potentia creatiua, sit omnis collectionis entium productiua.

1935 *Respondetur. repugnare, potentiam factiuam totius entis, & non omnium aliarum specierum.*

Resp. repugnare, quòd potentia aliqua sit factiua totius entis, seu omnium prædicatorum eius per se primo, & non sit factiua aliarum specierum, sed solùm illius, quam determinatè operatur. Dupliciter enim potest aliquod agens producere gradum superiorem, seu rationem communem. Primo, quatenus alligatum, & inclusum in aliqua ratione, seu forma specifica, & quia à forma eadem proueniunt omnes gradus, tam generici, quàm specifici, quodlibet agens producens formam, producit omnes gradus in tali forma inclusos, seu ab ea prouenientes, & communicatos materię, seu composito. Et hæc quidem productio gradus superioris, per se illum attingit, sed non per se primò, & vt rationem formalem in quarto modo, sed vt inclusum, & alligatum formæ, & gradui specifico, ad cuius attingentiam attingitur superior gradus.

Dupliciter potens agens producere gradū superiorem. Primo modo.

1936 *Alio modo po-*

Alio modo potest attingi gradus superior, non ratione

test attingi, non ratione alterius, sed per se immediatè.

ratione alterius, cui adiungitur; sed per se immediatè, & primò, quia vis agentis, & operationis tanta est, & tàm vniuersalis, vt etiam ipsam entitatem, vt potentialem, & indifferentem ad plura non supponat, sed producat, & faciat: tunc enim impossibile est, quòd illa actio primò attingat, & immediatè per se specificam rationem, & differentiam vltimam, quia cùm ad eam nihil præsupponat, etiam per modum potentialitatis, sed totum ex nihilo faciat, necesse est, quòd antequam attingat differentiam specificam, præcedat attingentia superioris gradus, & entitatis, etiam vt potentialis est, & indifferens ad plura, siquidem ista potentialitas non supponitur, sed efficitur, cùm totum ex nihilo fiat, tàm potentiale, quàm actuale.

1937 *Ratio est, quia qui produceret per creationē Leonem debet producere materiam, & non solùm formam Leonis.*

Cuius signum euidens est, quia qui per creationem produceret Leonem, deberet producere materiam Leonis, & non solùm formam. Si autem producit materiam Leonis, producit in illa potentiam ad omnes formas, quia illa materia, quæ est in Leone, cum sit materia prima, est capax omnium formarum: ergo illa actio creatiua, etiam vt creatiua Leonis, debet esse productiua capacitatis ad omnes formas; ergo non potest per se primò esse productiua gradus specifici, aut gradus superioris, quatenus specifico alligati, & ad formam consequuti, sed priùs, & anterius, debet esse productiua ipsius potentiæ, & capacitatis omnium formarum, quæ est materia, quia priùs attingitur in creatione id, quod est propè nihil, nempe materiam, quàm id, quod est in actu, nempe forma, cùm creatio procedat ex nihilo.

1938 *In omni re, quæ creatur, oportet, quòd fiat gradus, & ratio ipsa generica, ac proinde, actio creatiua habet vim super omnes formas.*

Ex hoc autem, quod manifestum est in creatione rei materialis, quòd per creationem debet attingi materia, eliciamus discursum ad inferendum, quod in quocumque ente, quod creatur, oportet, quod fiat gradus, & ratio ipsa generica, etiam quantum ad id, quod potentialitatis habet genus, ità quòd fiat per se primò, quia nihil talis potentialitatis supponitur in actione creatiua, & sicut fit materia prima in creatione rei materialis, ita & potentia metaphysica, quæ est genus; correspondetque materiæ. Ex hoc autem vlteriùs fit, quòd si actio creatiua non per se primò attingit formam, vel gradum specificum, sed materiam, vel gradum genericum, quatenus potentialis est, & indifferens ad plura, siquidem quantùm ad hanc potentialitatem etiam non supponitur, sed fit; necesse est, quòd talis actio creatiua vim habeat super omnes formas in tali materia contentas, & super omnes differentias specificas in tali genere radicatas, & non solùm producat gradus genericos, & superiores, quatenus in aliqua specie inclusos.

1939 *Ratio praeced. doct. est. quia actio producēs aliquam potentiam ad plura se habentem, non debet coarctari à forma determinata.*

Ratio est, quia actio producens aliquam potentiam ad plura se habentem, & indifferentem, quatenus talis non debet coarctari, & determinari, nec incipere actionem suam à forma aliqua determinata, ad quam dicit illa potentia indifferentiam, cū ex attingentia talis formæ non adæquet indifferentiam, & capacitatem totius potentiæ. Debet ergo operari, non vt alligata, & determinata ad aliquam formam talis potentiæ, sed vt indifferens ad omnes. Ergo si producendo talem potentiam, & capacitatē potest aliquam formam attingere ex illis; ad quas est capax, & indifferens, poterit attingere omnes, quia non est maior ratio, neque maior distantia ad vnam, quàm ad aliam, siquidem processit ex vniuersalitate, & indifferentia super omnes, non ex determinatione ad vnam.

1940 *Quando agens producens aliquam potentiā & nullam ex formis, non tenet discursus praeced. doctrinæ. tenet autē quando formā aliquā attingit.*

Et notanter dico *si potest attingere aliquam formam ex contentis in tali potentia*, quia quando agens producit aliquam potentiam, sed nullam ex formis, seu obiectis, circaquæ potest, producit, non tenet discursus factus, sicut qui producit oculum potentem videre omnes colores, non sequitur, quòd possit omnes colores producere, quia ad generantem nō pertinet producere illam potentiam visiuam, nisi vt tenet se ex parte subiecti generati, cuius potentia est, & proprietas, non quatenus ab obiecto, quod est illi extrinsecum perficit; & ideò non producit tale generans aliquam formam, seu obiectum, quia extrinsecum illi est. Cæterum si aliquod agens producendo potentiam indifferentem, attingit aliquam formam illius (vt re vera attingit creatio) oportet quòd in vi talis actionis possit omnes attingere, quia si virtus productiua illius materiæ, vel potentiæ, tanta est, vt possit totam illam capacitatem, & indifferentiam potentiæ producere, & etiam actualitatem formæ in illa contentæ, vtrumque attingit ex vi suæ virtutis, & actiuitatis ita indifferentis, & vniuersalis, quòd nulli formæ determinatæ alligatur; ergo qua ratione facit vnam, poterit facere omnes, quia virtus vniuersalis est, cùm indifferens sit ad omnes, id est nulli alligata determinatè, & tamen potens actualitatem ipsam formæ producere.

1941 *Ad Rationem dubitādi Resp potentiā creatiuā producentē vniuersaliores rationes, non prout coarctātur ad aliquam speciem*

Ad Rationem dubitandi Resp. quòd non stat, potentiam creatiuam procedentem ex nihilo in sua productione producere vniuersaliores rationes, solùm prout inueniuntur, & coarctantur ad aliquam speciem determinatam ob rationem iam dictam. Nec est simile de generante formam, & in ea tangente gradus tàm specificos, quàm genericos, quia gradus superiores non attinguntur per se primò ab agente particulari, & secundùm potentialitatem, & indifferentiam superioris gradus ad plura, sed quatenus superior gradus alligatus est, & inclusus in specifico, & inferiori, ad quem per se primò respicit agens particulare. Et quòd sit necessariū ad actionem creatiuam attingere per se primò superiorem gradum, vt potentialiter se habet ad plura, iam ostēsum est.

1942 *In gradu superiori duo possunt cōsiderari, & id, quod actualis rationis est; & amplitudinem illius gradus primum attingitur à producente formam.*

Itaque in gradu superiori possumus considerare, & id quod actualis rationis est, licèt imperfectè, & hæc alligatur inferiori, vt contrahenti, & perficienti, quia gradus superior imperfectior est, & contrahibilis ab inferiori, qui perfectior est, vtpotè determinans illum; & possumus considerare amplitudinem illius gradus, seu capacitatem (licèt potentialem) ad plura, sicut materia prima, & habet entitatem imperfectam respectù formæ, à qua determinatur, & actuatur, & similiter habet capacitatem, & extensionem ad plures formas. Gradus ergo genericus, & superior, quantum ad id, quod actualitatis habet, & entitatis in se, simul producitur à producente formam, nec requiritur ad hoc creatio, sed generatio, quia ad hoc sufficit producere formam, ad quam tales gradus sequuntur, prout tales, id est prout magis, vel minus perfecti. Et sic generans triticum non solum producit speciem, & formam tritici, sed etiam gradum viuentis, videlicet prout sequitur ad formam, & in ea includitur; sic enim faciens formam, efficit gradus, qui illam comitantur, & sequuntur.

1943 *Gradus superior secundo modo acceptus, solùm attingitur à producente materiam.*

At verò gradus superior secundo modo consideratus, non per se primò attingitur ab actione generantis, nec à producente formam, quia istam extensionem, & potentialitatem non habet à forma, sed præsupponitur ad formam; sed agens, quod potest producere materiam ex nihilo, potest potentiam capacitatis eius attingere, & similiter generis latitudinem, & consequenter ad omnes formas se extendere, quia non operatur aliquam ex determinatione, & constrictione rationis suæ formalis ad illam, sed ex vniuersalitate, quam habet super capacitatem ad omnes.

1944 *Si vniuersalitas causæ creātis operatur, & potuerit totum ens, quoad omnes gradus, incipere debet à gradu potētiali*

Quòd si vniuersalitas causæ creantis est talis, quod ex nihilo operatur totum ens, tàm potentiale, quàm actuale, cùm generatio è conuerso supponat potentiale, & ex illo educat actuale, tàm quoad gradus imperfectos, quàm perfectos, tàm superiores, quàm inferiores) necesse est, quòd incipiat à potentialiori, & vniuersaliori, scilicet ab ente, vt ens est, quia totum facit in gradibus, etiam quoad potentialitem, & vniuersalitatē, quia nihil supponit: & consequenter talis virtus creatiua si potest in omnes formas, ad quas potentialitas, & capacitas rationis genericæ se extendit, si ipsum gradum entis cum sua potentialitate facit, & ad omnes actualita-

tes,& formas,& ſpecies entis,ſe ex tēdit. & hoc eſſe infinitā potētiā,quę omnes entis collectiones reſpicit.Generans autem,licèt faciat iſtos gradus,& producendo ab imperfecto ad perfectum, poſſit prius attingere gradum imperfectiorem, qui eſt ſuperior, quam perfectiorem,qui eſt inferior, & ſpecificus; tamen quia hos omnes attingit,vt in forma identificatos,& conſequenter è materia eductos, non ipſam amplitudinē potentialitatis, & capacitatis per ſe primò attingendo, inde eſt, quod non incipit à gradibus ſuperioribus vniuerſalitate operationis, & virtutis,ſed imperfectione, & potentialitate eductionis.

1945 *Petes 9.* Petes 9. *An ſi potentia creatiua attingit vniuerſaliſſimum gradum entis, vt ens eſt, attingat quoque ipſum Deum?*

Ratio dubitandi. Quod ſi adhuc dicas,quia ſi potentia creatiua attingit per ſe primò illum gradum vniuerſaliſſimū entis,vt ens eſt,ergo debet attingere Deum. Patet Conſeq.quia Deus continetur ſub hoc prædicato, & gradu vniuerſaliſſimo: ergo ſi illa regula tenet, quod attingens capacitatem vniuerſalem alicuius prædicati,& gradus,attingit quidquid ſub illo continetur: ergo cùm Deus contineatur ſub ente,attinget Deum.

Solutio. Quod ſi dicatur,quòd creatio ſolùm attingit gradum vniuerſaliſſimum creati, non gradum abſtrahentem à creato, & increato,ſed quatenùs ens includitur in ente creabili. *Replica.* Contra eſt,quia hoc modo infringitur ratio D.Th.quia eadem ratione poterit quis dicere,quòd potentia creandi communicata creaturæ,non attingit ens creabile in tota ſua vniuerſalitate,ſed vt includitur in tali ente creato, ad quod,& non ad aliud ſe extendit iſta potentia: Quæ enim in hoc eſt implicatio? cùm ex ratione creationis præciſe non arguatur, quod neceſſe ſit tangere vniuerſalem rationem entis in tota ſua trāſcendentia.

Confirmatur. Et denique Conf.quia licèt bene probetur inter potentiam eductiuam ex ſubiecto, & productiuam ex nihilo nullam dari proportionem,& in hoc ſenſu diſtare in infinitum,tamen inde non infertur infinitas ſimpliciter in potentia, quæ ſola repugnat creaturæ,ſed infinitas ſecundum quid, id eſt, quod ſit potentia alterius ordinis; & ſemper res alterius ordinis,& improportionate, & infinitè excedunt rē inferioris ordinis,& æquiualent infinitis operationibus eius,non tamen petunt infinitatem ſimpliciter,ſicut Angelus excedit omnem vim corpoream, non tamen eſt infinitus, & gratia infinitas res naturales excedit & tamen finita eſt.

1646 *Reſpondetur. creationem debere attingere ens,vt ens, nō repugnans,ſeu creabile.* Reſp.ad principale arg.neg.ſequelam, vt in ſolut. aſſignata negatur.

Ad prob. dicitur, creationem debere attingere ens, vt ens, ſeu totum ens loquendo in terminis proprijs, & habilibus,id eſt ens ſibi non repugnans, & conſequenter creabile. Vnde non dicimus,quod attingit gradum entis communiſſimum, vt etiam communem enti increato,ſed quod incipit ſua formalis ratio,& per ſe primò ab ente creabili, quia in illa altiori abſtractione,vt abſtrahit à creato, & increato non poteſt inuenire rationem ſibi competētem,ſed repugnantem; vndè non reſpicit ens in tali abſtractione,ſed ens creabile in tota ſua latitudine.

Ad Replicam Reſp. ens creatum,vt contractum ſupponere aliquam rationem entis ſuperioris. Et inſtantia contra hoc non valet,quia ens creabile,vt contractum,ſeu vt determinatum, iam ſupponit aliquam rationem entis ſuperiorem creabilem,ſeu habilem attingi à potentia creatiua, quam tamen actio illa non faceret,& ſic non faceret totū ens,quod poſſet fieri,ſed aliquid ſupponeret non factum à ſe,atque adeo non ex nihilo procederet,nec totam potentialitatem,& actualitatem factibilem attingeret. Quòd autem gradum abſtrahentem à creato,& increato non attingat,mirum non eſt,quia illud factibile non eſt: non debet autem creatio attingere,niſi creabile.

1947 *Ad Confirm. Reſp. creationem eſſe alterius ordinis ab eductione; & extendi ad omne ens.* Ad Conf. Reſp.quòd rationes factæ non ſolùm probant exceſſum,& improportionē actionis creatiuæ ad eductiuam, ad quem exceſſum vincendum ſufficeret infinitas ſecūdùm quid,& quòd illa actio eſſet alterius ordinis. Cæterum creatio non ſolùm exigit,quod ſit alterius ordinis,ſed etiam, quod extendatur ad omne contentum ſub ratione entis creabilis,& quòd ſit potentia à nullo dependens in agendo,ita vt per ſolam eius ſuſpenſionem res decidat in nihilum, quod petit infinitatem ſimpliciter.

Ex quibus manent explicatæ implicationes,quas affert D.Th.ad hoc,vt non ſit communicabilis alicui creaturæ potentia creandi, neque adęquatè, & totaliter,id eſt ad omne ens creabile, neque inadęquatè,& partialiter,id eſt,ad producendam creatiue aliquam rem determinatam,& non aliam, cùm in hoc partibilis non ſit potentia creatiua, ſed ſi datur pro indiuiſo,reſpicit totum ens,& vniuerſaliſſimum influxum poſtulat,ſiue hoc, quod depēdeat ab aliqua alia cauſa res ſic producta, cùm ex ſola eius influxus ſuſpenſione res annihiletur. 1948 *Ex quibus manet explicatu, quomodo benè D.Th.oſtēdit, quod alicui creaturæ non ſit communicabilis virtus creatiua adæquatè.*

DVBIVM III.

An implicet,dari inſtrumentum creationis phyſicum.

1949 *Petes 1.* PEtes 1. *quot modis inſtrumentum phyſicum habere ſe debet in ordine ad effectum principalis agentis?*

Reſp. Inſtrumentum phyſicum dupliciter poteſt ſe habere in ordine ad effectum principalis agentis. Reſpondetur Inſtrumentum phyſicum dupliciter poteſt ſe habere in ordine ad effectum principalis agentis. Vno modo,quia conducit ad talem effectum, & principale agens indiget illo ad effectus ſuos producendos,ſicut artifex ad faciendum ſcamnum,vel cathedram,indiget ſcindente. Alio modo,quia communicat in operando cum principale agente,licet principale agens eo non indigeat, tamen ſuam virtutem,aut poteſtatem ei communicat,vt operetur per illum, ſicut Princeps loquitur per interpretem,aut ſcribit per alium, etiā ſi poſſit vtrumque facere per ſe, in creatis tamen cauſis non poteſt inueniri exemplum, quod adæquatè quadret modo operandi cauſarum inſtrumentaliū reſpectù Dei eleuantis,& vtentis illis,eo quod Deus nihil ſupponit in cauſis,quod non det, atque adeo quidquid cauſæ inſtrumentales faciunt ex pura cōmunicatione Dei faciunt,non ex eo,quod aliquid ei conferat. Sed tamen,quia Deus hoc communicat inſtrumentis, vt phyſica inſtrumenta ſunt,vt ex ipſis oriatur,& egrediatur phyſicè effectus (ſi enim moralia inſtrumenta ſunt,non ex ipſis procedit effectus,ſed ad præſentiam eorum ex voluntate, aut pacto Dei,vel ſtatuto ipſius ſit effectus phyſice à ſolo Deo) oportet, quod virtus, ſeu motio à Deo communicata ipſi inſtrumento contemperetur, & conſtringatur ad modum ipſius inſtrumenti, quod cùm creatum ſit,non eſt capax virtutis,& motionis Dei, niſi modo limitato, & proprio ipſius inſtrumenti.

1950 *Inſtrumentum vt attingat effectum principalis agentis debet aliquid ex proprijs agere alias ratio inſtrumenti non poteſt intelligi.* Et rurſum ſi inſtrumentum debet miniſtrare cauſæ principali,& eius actionem,ſeu motionem deferre,& applicare effectui, agendo in hoc vltra proprias vires, oportet, quod non ſolùm virtutem accipiat à principali agente, & ex illa pręcisè agat propria entitate mere paſſiuè ſe habente, ità quod ſolùm eleuetur ad patiendum,& recipiendum virtutem ſuperiorem,ſed oportet, quòd etiam aliquid ex proprijs agat,& illa actio eleuatur ad maiorem, & excellentiorem effectum,quia aliàs non ſe habebit miniſterialiter in ordine ad talem effectum, ſed pręcisè tale inſtrumentum emittet effectum, ſeu pariet illum virtute illi communicata à ſuperiori agente,non autem illi miniſterialiter deſeruiet,ſi ex ſe nullam actionem habet,in qua ei miniſtret. Alias enim vix intelligi poteſt,quomodo ſufficiat ad rationem inſtrumenti, quod de ſe miniſterium importat: hoc autem,quod eſt præciſe emittere effectum per virtutem communicatam ab alio agente,etiam inuenitur in agentibus non inſtrumentalibus,ſicut Luna emittit lucem, non tanquam inſtrumentum, ſed vt luminoſum, & vt principale

agens,

agens, quia illi lux emissa assimilatur, & tamen non illuminat ex proprijs, sed luce recepta à sole, & ferrum calefacit per calorem receptum ab igne, nec tamen se habet, vt instrumentum in calefaciendo, quia sibi vt calido assimilatur effectus ille caloris; vt latius 2. phycorum supponimus ostensum.

1951 *Petes 2.*

Resp. consistere in hoc, quod instrumentum sit agens inferius ad agens principale, & tamen effectus debet physicè procedere à tali instrumento.

Petes 2. *In quo consistat vis rationis D. Th. quæ respondet præsenti dubio negatiuè?*

Resp. tota vis rationis D. Th. ad hoc reducitur, quòd instrumentum physicum debet esse agens inferius ad agens principale, & operari modo inferiori ad illud, & tamen effectus principalis agentis debet physicè, nasci, & procedere à tali instrumento, vt potè vltimatè, & proximè attingente effectum. Quę duę propositiones sunt per se euidentes. Prima ex natura ipsa instrumenti: vt instrumenti; nam instrumentum de se, & ex proprio conceptu semper est aliquid minus suo principali, cùm operetur, vt motum ab illo & subordinatum illi, non quomodocumque, sed vt ministrans & deseruiens illi, aliàs si inferiori modo non operaretur, vel ęquale suo principali, vel saltem, vt causa principalis se haberet, si non æquè primò, tamen vt causa secunda, quæ etiam operatur ex subordinatione ad primam, sed non vt præcisè mota, & ministerialiter operans, sed vt assimilans sibi effectum, non verò soli causæ principali, sicut contingit in instrumento cui effectus non assimilatur, sed principali.

Prima propos. Prob.

1952 *2. Propositio probatur, quia aliàs physicè tale instrumentum non conduceret ad productionem effectus.*

Secunda verò ex ratione ipsa instrumenti physici notissima est, quia si ab eo non procedit physicè effectus, sed solùm à causa principali: ergo instrumentum illud solùm se habebit, tanquam id, ad cuius præsentiam effectus procedit physicè à sola causa principali, ergo tale instrumentum physicè nō conducit ad egressionem effectus, nisi fortè antecedenter disponat physicè subiectum, vt effectus fiat à causa principali, quod in præsenti locum non habet, cùm in creatione non possit pręintelligi aliquod subiectum, quod disponatur ad faciendum effectum creationis, aliàs diceretur semen se habere, vt instrumentum creationis animæ humanę, quia disponit corpus, ad cuius dispositionem Deus illam creat. Neç differret instrumentum physicum à morali, quia influentia moralis in hoc consistit, quod effectus non oriatur physicè ab ipso instrumento, sed ad eius præsentiam, vel orationem oriatur effectus à causa principali. Physicum ergo instrumentum tale esse debet, quòd ab ipso physicè procedat effectus causæ principalis, sicut à securi fit scamnum, licèt virtute communicata à causa principali.

1953 *Petes 3.*

Resp. Inferri primò, quod effectus creatus ab instrumento, necesse est, quòd procedat ab instrumento modo inferiori.

Petes 3. *quid deducatur ex duabus propositionibus D. Th. præcedentis quæsiti, pro Cōclusione nostra negatiua.*

Resp. Ex his duabus propositionibus, quę debēt supponi, tanquam euidentes, & explicantes requisita ad rationem causæ instrumentalis physicæ, infertur per bonam Conseq. quòd si aliquis effectus, qui creatur, procedat ab aliquo instrumento, necesse est, quòd procedat tā ab instrumēto modo inferiori, quàm à causa principali, modus autem inferior est, quia ista modo creato, & limitato agit (si enim inferior est ad Deum, modus, creatus esse debet) Deus autem modo increato, & illimitato, & vniuersalissimo agit. Vnde virtus, seu influxus, aut motio Dei impressa instrumento, oportet quòd contemperet se, & constringatur ad modum ipsius causæ secundę instrumentalis nam si manet illa virtus in tota illa amplitudine, & vniuersalitate, qua procedit à causa prima, non procedit ipse effectus inferiori modo à causa instrumentali, quàm à principali, nec virtus illa erit impressa instrumento, quia non erit aliquid extra Deum, si tam vniuersalis, & illimitata manet in suo modo operandi, sicut est in Deo. Si autem non imprimitur aliqua virtus in instrumento, non poterit ab illo physicè procedere, & exire effectus, quia à virtute propria ipsius instrumenti non potest exire effectus superioris ordinis, & improportionatus, nec contentus in tali virtute inferiori: ergo oportet, quod exeat à virtute maiori communicata instrumento à causa principali, vel non procedere, physicè ab illo, atque procedere à virtute, in qua continetur proportionatè, & physicè.

Infertur secundo, quòd operatio illa instrumentalis, per quam sic procederet physicè res creata, debet esse operatio creata, quæ sit accidens, & indigeat subiecto, in quo existat, & ex quo operetur, & per modum mutationis se habeat. Vnde directè, & implicatoriè pugnat cum ratione creationis. Quòd debeat esse operatio creata, constat quia oritur ab instrumento creato, siquidem hoc ipso quòd instrumentum illud est physicum, physicè procedit effectus ab ipso; ergo & actio, qua vltimatè nascitur, & emanat talis effectus; quòd si emanat ab instrumento creato, ergo non est actio increata, sed creata. 1954 *Infertur secundò, quòd operatio illa instrumētalis creatiua, debet esse operatio creata*

Quod sit accidens, deducitur ex eodem principio; nā actio creata est causalitas agentis procedens ab ipso, tanquam medium, quo effectus ipse producitur: hoc autem medium, seu causalitas neque est substantia operantis, cùm ab eo procedat; neque substantia producta, cùm sit medium, quo procedit, & fit in ipsamet substantia, quæ fit; neque prædicatum eius substantiale: sic enim esset ei intrinsecum, & essentiale, non contingenter conueniens, cùm tamen esse factum sit prædicatum contingens, neç est aliqua substantia tertia, quæ mediet inter substantiam procedentem, & operantem, quia de ratione actionis createç est, quòd emanet ab agente, tanquam via, & causalitas, quæ identificatur cum termino procedente; de ratione autem substantiæ est, quòd sit ens per se existens, aut pars componens in facto esse; & sic non potest esse via, & transitus, sicut est actio, nec componit aliquid cum substantia ipsa operantis, vel cum substantia rei operatæ, quia est quid transiens. 1955 *Iā talis actio creatiua esset accidens quia nullo modo potest esse substantia.*

Ex hoc autem, quod actio illa creata sit accidens, sequitur manifeste, quod indigeat subiecto, in quo inhęreat, quia accidens est. Et similiter subiecto, ex quo operetur, quia medium operandi, & via est, seu fieri ad ipsum effectum; & sic antecedere ipsum debet, quia omne fieri antecedenter se habet ad factum: nec potest antecedenter se habere, nisi illud fieri, & illa via, & illud medium in aliqua entitate exerceatur, quæ potentialiter se habeat, & de potentia ad actum transeat respectu ipsius facti. 1955 *Si Actio illa est accidens, indiget subiecto, in quo inhæret.*

Declaratur hoc, quia hoc ipso, quod actio sit accidens, non solùm tenet se ex parte agentis, vt actus eius secundus, sed etiam ex parte termini facti, vt quodam fieri, & tendentia, seu via ad ipsum terminum; siquidem actio, quæ est accidens specificatur à termino, sicut procedit à principio, & ita dependet ab vtroque, respicitque ipsum terminum, tanquam quædam ipsius factio, quæ cum termino identificatur: non enim talis actio est aliud, quàm terminus, seu res ipsa vt in fieri, nec actio ipsa emanare potest ab agente sine termino per talē actionem procedente, quia ipsa actio emanatio est termini à suo principio, & causalitas, mediante qua causa facit terminum. *Declaratur. Nam hoc ipso, quod actio sit accidens, tenet se tam ex parte agentis, quā termini.*

Et licèt actio etiam constituat ipsum agens in actu secundo operandi; tamen cum non sit actus independens à termino, sed ad ipsum tendens, ab ipsoque specificatus, nec specialiter ab ipso, vt à termino extrinsecùs attacto, sicut obiectum actus cognoscendi, vel amandi, sed vt intrinsecè immutato, & facto, siue producto, aut conuerso per talem actionem, necesse est, dari ibi actionem, quæ sit tendentia, & factio termini, cum eoque identificetur, alias non erit ipsa actio consummata, neque denominare poterit agentem, nisi cum effectu, seu termino identificetur, tanquam factio, & productio eius, quia essentialiter actio, quæ est accidens, dependet à termino, illumque respicit, tanquam id, à quo specificatur, & ad quem est via, & tendentia, & causalitas. Rursus non potest actio ista identificari cum termino, tanquam aliquid consequutum ad terminum, & posterius illo, cùm essentialiter sit causalitas, & factio talis effectus, & consequenter 1957 *Actio quamuis constituat ipsū agens in actu secundo operandi, tamen non præscindit ab identificatione cum termino.*

fit

fit aliquid prius illo, & respiciat illum, vt terminum à se emittendum, & producendum; ergo necessariò postulat subiectum antecedenter ad ipsum terminum faciendum, in quo fit talis actio, prout ex parte ipsius rei factæ se tenet, quia talis actio, prout in termino est, & cum illo identificatur, accidens est, & sic subiectum postulat: ergo talis res facta aliquid sui præsupponit, in quo subiectetur actio illa, quæ accidens est: ergo non potest esse ex nihilo, cùm aliquid præsupponat.

1958 *Instabis*.

Dices: totum hoc in sententia opposita reperitur in creatione, quia etiam dicunt, quod est actio subiectata, seu identificata cum termino, qui creatur tanquam causalitas, & factio eius, & tamen creat illum ex nihilo: ergo in hac sententia non potest conuincere ratio facta, quòd non sit possibile instrumentum creationis. Et dato quod actio creatiua non ponat aliquid in re creata, quod habeat rationem actionis, sed solùm actio teneat se ex parte agentis, cur repugnabit, quòd Deus communicet causæ creatæ instrumentali aliquam rationem actionis longè diuersæ ab ea, quam videmus in rebus naturalibus, scil. actionem, quæ non fit motus, nec ex parte termini se teneat. sed solùm ex parte agentis, indeq; deriuet ex se ad terminum per influxum vniuersalem totius esse.

Solutio replicæ.

1959 *Resp. ex sententia opposita si actio creatiua est accidens, non potest saluari, quod fit ex nihilo*.

Resp. in sententia opposita si admittatur, actionem ex parte termini se tenentem esse accidens, non posse saluari, quòd creatio fit ex nihilo, quia hoc ipso, quod est accidens, non operatur nisi vt subiectata, & consequenter non facit ipsum subiectum, in quo est, sed supponit, & sic non facit omnia talis actio; quod si non facit omnia, non est creatio, quia non est ex nihilo. Vndè quantumcumque opposita sententia teneat, quod creatio est actio subiectata in termino producto, tanquam medium & via, seu tendentia, & fieri ipsius termini, tamen hoc ipso redditur tam sufficiens implicatio, quàm sufficienter per hoc impugnatur præcedens sententia; quod actio illa si est subiectata in ipso termino, tanquam factio illius, & tendentia ad talem terminum, oportet, quod præsupponat subiectum in ipso termino, in quo fit, antequam faciat, & producat id, quod debet producere, atque adeo non faciat totum, quod in subiecto est, quia non facit id, quod præsupponit.

1960 *Implicationes quæ sequerentur ex opposita sententia*.

Quæ Consequentiæ sunt ità præcisæ, quòd quidquid sentiat opposita sententia, tamen implicationem efficacem afferunt ad nō ponendum pro creatione actionem, quæ accidens sit, & consequenter quod repugnat esse in instrumēto, quia in illo non nisi accidens esse potest actio instrumentalis, sed præterea vrget hæc ratio potiùs in instrumentali causa, & in quacumque causa creata, ne creatiuam actionem habere possit, quàm in Deo, quia sententia opposita, quæ ponit, creationem esse tendentiā, & viam, tanquam quædam causalitas, & quoddam, medium, seu fieri ipsius rei creatæ, dicit hanc actionem esse quoddam accidens in re creata emanans immediatè à summa, & infinita actualitate Dei; & sic producitur simul cum ipsa re, quæ creatur hoc accidens, seu hic modus procedēdi à Deo ex nihilo, tanquam modus quidam agendi, habens participatiuè infinitatem quandam ex parte modi agendi, quia oritur ex ipsa infinita Dei actualitate, quæ est immediata ratio agendi, & producendi rem sub illo modo.

1961 *Actio creatiua, quæ est accidens supponit in agente limitationem*.

At verò in causa creata, & instrumentali actio identificata cū termino oritur ex virtute, & actualitate causæ, seu actione agentis, quæ accidens est, & inhærens ipsi agenti, ipsumque reducens de potentia ad actum; vndè in ipso agente supponitur habere limitationem, & constrictionem in modo procedendi; quia se habet, vt accidens inhærens, & reducens causam de potentia ad actum; vndè influxus sequutus ex tali accidente, & identificatus cum termino, non potest esse influxus totius esse, & entis, inquantum ens, sed limitatus, & constrictus, sicut ipsum accidens, & ipsa virtus, & actus secundus agentis, a quo emanat. nec potest ille influxus etiam participatiuè habere aliquid infinitatis, cùm emanet immediatè à principio limitato, & finito, scil. à virtute illa, & actu secundo, quæ aliquid accidentale sunt.

Vndè soluitur secunda replica. & simul Conf. nostra ratio, quia videlicet est impossibile aliud genus actionis fingere, quæ sit accidens, & solùm teneat se per modū actus secundi ex parte agentis, & non teneat se ex parte termini producti, tanquam actio, seu factio identificata cum illo: nam hoc ipso, quod accidens est, talis effectus secundus ex parte agentis se tenens, debet esse dependens non solum à subiecto agente, sed etiam à termino producto, à quo specificatur, vnde oportet, quod identificetur cum illo, nō vt quid consequutum, & posterius termino producto, sed vt factio illius est, & tendentia ad illum, quia prout sic specificatur, dependetque ab illo, quod non currit in actione Dei, quæ est independens ab omni re extra se, & producenda à se, vnde non specificatur à termino, nec se habet, vt factio identificata cū illo, sed immediatè ex se producit, & influit totum esse in rem creatam, non influxu creato rem ipsam faciens, quia talis influxus debet supponere subiectum, in quo fit, non illud facere, influxus autem creatiuus totum facit, & nihil supponit ex parte termini, vndè non potest talis influxus esse accidens subiectatus in termino, sed substantia ex parte agentis infiniti. quia si est accidens, supponit subiectum, & non facit, ac per hoc non creat ex nihilo, faciendo totum ens.

1962 *Ad Replicam Resp. implicat actionem fingere, quæ sit accidens, & teneat se per modum actus secundi ex parte agentis*.

Repugnat ergo, quòd Deus communicet causæ creatæ, etiam instrumentali, vim, seu actionem, quæ sit accidens, et actione accidentali agat, & influat, & ex alia parte, quod creet, & faciat totum, siquidem hoc ipso quod facit, & influit tanquā accidens, debet influere, vt subiectata, & sic saltem subiectum non debet facere, sed supponere, cùm id, quod facit, vt subiectata faciat, & vt accidens, si autem supponit subiectum, & nō facit illud, nō creat.

Actio creatiua, implicat, vt sit accidens.

Petes 4. *An rationes D. Th. demonstrantes impossibilitatem Instrumenti creatiui, remaneant satis explicatæ ex dictis*.

1963 *Petes 4.*

Resp. affirm. Nam ex dictis sequitur manifestè explicatio rationes D. T. & efficacia illius, quę consistit in duabus propositionibus demōstrātibus implicationem, scil. quòd instrumentum operatur dispositiuè ad effectum principalis agentis, & secundò quòd effectus factus à creatione antecedit omnia, quæ in facto esse, esse possunt, quia producit ipsū esse absolutè, vt compræhendit esse potentiale, & actuale, & ita ad hunc effectum nihil potest dispositiuè operari. Non dixit D. Th. quòd instrumentū debet dispositionem aliquā operari ad effectū principalis agentis, nec quod habet dispositionē aliquā ponere in ipsa re, quæ est effectus principalis agentis.

Resp. affirm. Nam implicatio assignata à D. Th. in duabus propositionibus explicatis consistit.

Nihil horum dixit, sed solùm quòd instrumentū debet operari dispositiuè ad effectum principalis agentis, idest ministerialiter se habendo, & inferiori modo in agendo, quàm se habeat ipsum principale agens; vndè virtus, & influxus principalis agentis debet coarctari, & attemperari ad modum ipsius instrumenti, à quo proximè debet nasci, & exire physicè effectus. Quare sufficit ad propositionem D.Th. quòd instrumentum in modo operandi dispositiuè, & ministerialiter se habeat, nō ex parte rei operatę, quasi diuersam rem producat ab effectu principalis agentis, quæ sit dispositio ad illam, & recipiatur in eadem re, vel subiecto, in quo fit effectus principalis agentis.

Sensus D. Th. ostenditur.

Hoc enim nō dixit D. Th. nec ad veritatem propositionis eius requiritur, quia loquitur vniuersaliter de omni instrumento, siue connaturali, siue obedientiali, & solùm supernaturaliter eleuato, respectu quorum instrumentorum non requirit D. Th. quod producant dispositionem aliquam in eodem subiecto, in quo fit effectus principalis agentis, vt patet in operatione instrumentali Sacramentorū, de quibus dicit D.Th. 3. p. q. 62. a. 1. ad 2. quòd *Per propriā operationem*, 1964

Defenditur rationis D. Th.

operationem, quam exercent circa corpus, quod tangūt, asficiant operationem instrumentalem virtute diuina circa animam, & sicut dicit inf. q. 64. art. 4. ad 3. quòd ab igne inferni puniuntur Dæmones in isto aere, licèt actu non alligentur illi igni; & sicut docet 2. 2. q. 178. art. 1. ad 1. quòd per actum immanentem Deus potest operari miraculum in re ad extra; & tamen visio, aut cogitatio nihil operantur ex se, quòd disponat rem ad extra, ad effectum principalis agentis.

1965 *Quid ex D. Th. requiratur ad instrumentalē causam Dei operantis.*

Quarè in sententia D. Th. dubitandum non est; quòd non requiritur ad instrumentalem causam Dei operantis, quòd habeat operationem, quæ propriè, & connaturaliter disponat ad effectum principalis agentis; sufficit, quod habeat quamcumque operationem, etiam circa aliud subiectum, & illa diuinitùs eleuetur ad faciendum quodcumq; opus Deus voluerit, siuè in illo subiecto, siuè in aliquo distanti: Sicut enim potest per ignem existentem Compluti, calefacere lignum, quod est Romæ, ita potest per eundem ignem, qui est Compluti facere miraculum Romę. Et per humanitatem Christi, quæ est in Cælo, certum est operari omnes effectus gratię, etiam qui fiunt in terra, sicut quando erat in terra pendens in ligno fecit miracula in Cælo obscurando Solem.

Petes 5.

Quod si inquiras: *cur ergo non poterit per operationem, quæ hic fit ab homine, vel à ligno, creare Angelum, siquidem necesse non est, quod operetur aliquid illa actio instrumenti in tali re, quæ creatur, aut in subiecto, circa quod fit operatio principalis agentis.*

1966 *Resp. esse necesse, vt illa actio semper modo suo accidentali operetur.*

Resp. quòd etiamsi operatio instrumenti non sit necesse, quod operatur aliquid circa subiectum, in quo est effectus principalis agentis, necessarium tamen est, quòd illa operatio circa quodcumque versetur modo suo, & inferiori ad ipsum Deū, vt principale agens est istius effectus, operetur; & sic etiā respectu obiecti distantis, vel non existentis operetur, tamquam operatio accidentalis exigens subiectum ex parte rei operatæ, atque adeo per modum immutationis procedens, quod totaliter repugnat cum modo creationis, quæ est ex puro non esse, & ex nullo præsupposito. Quare etiamsi instrumentum operetur circa vnum subiectum, non tamen potest circa aliud operari modo non immutatiuo, seu ex nihilo, quia respectu talis operati, essentia se habet, vt accidentalis operatio, & sic physicè procedit illud, ergo vt inhærens termino, ergo vt supponens subiectum, & non vt faciens totum.

Petes 6.

Petes 6. *Quid sit secundùm D. Th. Instrumentum operari dispositiuè ad effectum principalis agentis.*

1967 *Resp. operari dispositiuè ad effectum principalis agētis; dupliciter potest intelligi. iuxta duplicem sententiam.*

Resp. Ex dictis sequi, quid sit apud D. Th. operari dispositiuè ad effectum principalis agentis, hoc est ministerialiter, & inferiori modo ad ipsam causam principalem. Hoc autem secundum duplicē sententiam dupliciter intelligi potest. Quidam .n., etiam inter Thomistas, tenent requiri ad causam instrumentalem, quòd habeat actionem propriam verè elicitam à se, & rigorosè sumptam, quæ licèt non operetur dispositionem aliquam per se conducentem ad effectum principalis agentis, sed omninò disparatam, tamen illa eleuari potest à Deo ad operandum quemcumque effectum voluerit, quia virtus principalis quantò est efficacior, tantò potest vti instrumento minus proportionato, & ita cùm virtus Dei sit summa, & cui nihil obstat, nec resistit, potest vti instrumento, etiam omninò disparato, & nihil conducente, imò contrario ipsi effectui, sicut potest calefacere per aquam, & infrigidare per ignē, & luto cæcitatem aperire, & alia similia. Et hanc sententiam sequuti sumus in physicis.

Prima sententia.

Alij existimant, non requiri ad instrumentum diuinum aliquid propriè, & rigorosè operans, sed sufficere quamcumque entitatē eleuabilem à Deo ad effectum, quem voluerit, etiamsi secundùm propria nihil operetur, & vtrique dicunt, sufficere ad instrumentum, quòd producat eumdem effectum intēdit, quem principale agens, sed inferiori modo, & ministerialiter deseruiendo, non tamen requiri, quòd distinctum effectum, aut dispositionem ad effectum principalis agentis conducentem producat, & similiter in vtraque sententia saluatur, quòd instrumentum operatur dispositiuè ad effectū principalis agentis, licèt dispositionem ad illum conducentem nō operetur, id est, quòd operetur dispositiuè ex parte modi operandi, licèt non ex parte rei operatæ; & hoc sufficit, vt opponatur creationi, quia petit subiectum, & supponit, non facit.

Secunda sententia.

1968 *Quid dicendū sit iuxtà primam sententiā.*

Nam si teneamus requiri, quòd ex propria virtute instrumenti procedat aliqua actio ad hoc, vt eleuetur à Deo, non quidem, quia res operata per illā conducat per se, & cōnaturaliter ad effectum principalis agentis, sed quia conducit, & verificetur, quòd instrumentum operatur vltrà propriam virtutem, & operationem, manifestum est, quòd cùm talis operatio egrediatur ab instrumento, tanquam accidentali quædam operatio, & determinata, atq; constricta ad modum proprium suæ virtutis, suæq; operationis, necessariò operatur per modum operationis subiectæ in aliquo subiecto, secundùm quòd ex parte termini se tenet, & sic solùm per modum mutationis, seu motus se habebit, non faciendo ex nihilo totum ens, sed supponēdo aliquid, scil. subiectum.

1969 *Quid dicendū sit iuxta secūdam sententiā.*

Si verò teneamus, non requiri actionem propriè dictam, & procedentem à propria virtute instrumēti, sed solùm entitatem, quæ obedientialiter eleuetur à Deo ad operandum effectum principalem, tamen illa entitas debet operari inferiori modo ad ipsum principale agens, quia instrumentaliter, & ministerialiter ad ipsum se habet habere, & consequenter illa eleuatio, seu virtus, quam recipit à principali agente debet esse participata, & particularizata, & non tamen vniuersalis influxus, & tàm in actu puro, sicut virtus diuina: Sed potius, vt virtus operans procedendo de actu primo ad secundum: ergo ille actus secundus non erit ipsa substantia instrumenti, & virtutis eius, sed accidentalis actio, seu operatio; ergo operans ex subiecto; & sic supponens subiectum, non faciens, ergo contraponitur creationi, quæ est ex non subiecto, & dispositiuè solùm operatur ad talem effectum ex modo operādi.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum creare sit proprium alicuius personæ.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

Concl. Productio, quæ Deo conuenit, secundùm quod habet esse est communis toti Trinitati: esse enim diuinum, quod est Dei essentia, est toti Trinitati cōmune. Sed Productio esse creaturarum conuenit Deo inquantum habet esse. effectus enim assimilatur suæ causæ, quantùm ad principium operandi, vt patet in igne genito, qui assimilatur igni generanti in forma, quæ est principium, quo ignis generat ignē. creaturæ autem assimilantur Deo in esse. ergo.

Arg. 1. Creatio est ex processionibus diuinarum personarum. nam quod est prius, & perfectum est causa eius, quod est posterius: & imperfectum. ergo. Resp. dist. Ant. ex processionibus formaliter, neg. inquantum includunt essentialia .s. intellectū, & voluntatem; conced. nam Artifex per verbum, & per amorem operatur aliquid.

Arg. 2. Causalitas diuinarum personarum diuersimodè attribuitur personis: nam Patri attribuitur, quòd sit Creator visibiliū, & inuisibilium; filio, quòd per eum omnia

facta

facta sunt. ergo. Respond. dist. Anteced. causalitas &c. diuersimodè propter proprietatem personalem: neg. ratione alicuius attributi essentialis; appropriati potius huic, quàm illi personæ. quod tamen est commune toti Trinitati, conced. & neg. conseq. & quia Patri attribuitur potentia, ideò attribuitur Patri Creatorem esse, & quia filio attribuitur sapientia per quam agens per intellectum operatur: ideò dicitur de filio, per quem omnia facta sunt.

DISPVTATIO CCXXXXII.

Qua ratione diuinę personalitates ad creandum concurrant.

1970 1. Concl. Diuinæ personæ secundùm rationem suæ processionis habent causalitatem respectu creationis rerum.

PRima Concl. *Diuinæ personę secundùm rationem suæ processionis habent causalitatem respectu creationis rerum. Ita ad verbum in secunda parte corp. Quod multi sequentes Capreol. 2. disp. 1 q. 3 art. 1. concl. 2. & art 3. ad 1. Scoti contra 2. Concl. intelligunt de causa exemplari, & probant, quia diuinæ processiones sunt in genere processionis quid primum, & perfectissimum eminentissimè continens in se omnes creatas processiones, quæ sunt simpliciter imperfectæ, ac participatæ. Primum autem in vnoquoque genere est mensura, & exemplum cæterorum sui generis. Et hoc significare videtur S. Th. 1 d. 10. q. 1. art. 1. cum enim initio Corp. præmisisset, quod ex* diuinæ naturę plenitudine, & perfectione, omnis creaturę perfectio, & efficitur, & exemplatur, *paulo post ita subiunxit*, oportet processionem personarum, quę perfecta est, esse rationem, & causam processionis creaturę.

De qua causalitate loquatur D. Th. hoc articulo.

Verum in hoc art. videtur clarè loqui de effectiua causalitate, qua, inquit, Deus est causa rerum per suũ intellectum, & voluntatem; sicut artifex rerum artificiatarum. *Sed loquitur de processionibus, non inquantum sunt meræ relationes personales, sed, inquit,* inquantum includunt essentialia attributa, quę sunt scientia, & voluntas. *Nam Verbum immediatè, & formaliter procedit per intellectum, & ex vi suæ formalis processionis accipit ipsum diuinum intelligere: & Spiritus S. procedit immediatè, & formaliter per voluntatem, & ex vi formalis processionis suæ accipit ipsum diuinum velle.*

2. Cõcl. Nihil personale in diuinis est formalis ratio producẽdi ad extra. contra Henricum.

2. Concl. Nihil personale in diuinis poni potest, vt formalis ratio, siuè vt principium formale producendi ad extra: Sed hoc principium non est nisi essentiale, ac proinde æqualiter commune Patri, Filio, & Spiritui S. Ita planè omnes contra Henricum quodlib. 6 qu. 2. tota distinguit in Deo, non re, sed ratione ratiocinata duas notitias; alteram essentialem, quæ ab ipso dicitur simplex intelligentia, pertinens ad puram speculationem, qua nouit singula simpliciter, & absolute; *alteram personalem, quæ ab ipso dicitur* procedens, et producta, & practica, & ars manifestatiua, declaratiua, dispositiua, & ordinatiua rerum omnium, vt producendarum.

1971 Censura sentẽtiæ Henrici.

Hanc Henrici sentẽtiam, teste Bannes hic, grauissimi Theologi damnant, vt erroneam. *Et ipsemet Bannes dicit,* non satis consentire fidei. *Quam censurã sequitur Zumel in 1 qu. 65. art. 3. quæst. sua 6. Concl. 4. Molina verò vocat* minus tutam in fide, aut erroneã potius. *Quapropter ipsemet Henricus alibi, vt in summa art 54. q. 6. ad 22. & breuius, & clarius artic. 60. q 6. ad 2. eam mutasse videtur, cùm ita scripsit:* ratio creandi, qua plures creant, sic vnica est, quod sub omnimoda ratione vnitatis, omnimoda est ratio creandi plurium. Propter quod & si plures creãt, creant tamen, vt vnum: & ideò non sunt, nisi vnus Creator. *Quod paulò post probat,* ex hoc, quod si per impossibile ponatur esse vnica persona in diuinis absoluta, & nulla relatiua, illa posset creare ratione diuinæ substantię, quę in illa esset. *Et sanè alia prior sententia multum recedere videtur ab ijs, quæ in prima Concl. ex Sanctis Scripturis, Patribus, & Concilijs dicta sunt.*

Henricus mutauit sententiam.

1972 Prima Ratio Conclusionis.

Si enim rationes, secundùm quas creaturæ à Deo producuntur, & formale creandi principium non sunt aliud, nisi sapientia, vt genita, siue vt personalis, ratione ratiocinata distincta à sapientia essentiali, & communi; & amor, vt productus, & procedens, siuè vt personalis ratione ratiocinata distinctus ab essentiali, & communi amore, ergo non creat Deus, vt Deus, secundùm quod commune quid est Patri, Filio, & Spiritui S. quoniam Deus sic communiter acceptus nullam producti rationem importat: ergo tres personæ non sunt vnus Creator, cùm per nullam vnam communem rationem ponãtur creare, aut posse creare, sed per actus, vt productos, qui plures, & realiter distincti sunt. Item personæ productæ sunt duæ, & sunt productæ sub ratione formali, valde diuersa, ita vt vna, & non alia sit Filius genitus: ergo si huiusmodi productiones quasi specie differentes sunt rationes formales, & formalia creandi principia, erunt profectò duo Creatores valde diuersi, & non poterunt eodem modo creare, sicut intellectus, & voluntas satis differenti modo ad creandum concurrunt.

Deus creare, vt Trinus, nõ vt vnus.

1973 Relatio. Contra Henricum

Item si persona Patris consideretur sub ratione communi, & absoluta, qua Deus essentialiter est, & sub ratione propria, & relatiua, qua personaliter Pater est, nihil in se producti habet ergo Pater, vt Pater sub vtraque formali ratione adequatè spectatus, non est sufficiens aliquid creare. Filius quoque, vt Filius, inquãtum non est Spiritus S. non esset principium creandi omnino sufficiens, quia non esset amor procedens, qui etiam est formale creandi principium, & è contra Spiritus S. quia non esset sapientia genita, quæ etiam est formalis ratio creandi, non esset omninò sufficiens creãdi principium. Quæ omnia necessariò deducuntur ex dictis Henrici; & quidem adeò manifestè confundunt, atque euertunt fidei doctrinam Superius traditam, vt non sit verisimile, tam grauem Theologũ in hunc sensum, quem eius verba fideliter relata præ se ferre videntur, lapsum fuisse; sed aliquem alium sensum in sua illa scribendi obscuritate, ac prolixitate latere. Et ideò Vasq. piè dicit, Henricum loquutum per appropriationem.

1974 3. Ratio contra Henricum

Præterea illa distinctio duorum actuum intelligendi, & amandi intrà ipsum Deum, ex se ipsa satis absurda est, vt nunc addo, quod duæ sapientiæ, altera generans in Patre, alia genita in Filio, minus coherenter dicuntur ab Henrico vna in re sapientia. Quamuis enim vna, & eadem omninò res possit esse in vna persona, vt producens, in alia verò, vt communicata; tamen impossibile est rectè cogitare, ac ratione distinguere duas res, alteram vt producentem, non vt productam, alteram productam, & non vt producentem, & non concipere inter illas realem distinctionem propter realem oppositionem, quam inter realiter producens, & realiter productu dari necesse est, alioqui precludimus nobis vnicam viam intelligendi in vno Deo tres realiter distinctas personas.

Confirm.

Diuidendo etiam diuinam sapientiam in speculatiuam, siuè virtute operandi, & in practicam habentẽ operandi virtutem, & hanc ponendo in Filio genito, illam in Patre generante, concipimus Verbum, vt Verbum habere aliquam perfectionem, quam non habet diuinus Patris intellectus, à quo procedit; & consequẽter Patrem, vt Patrem, non esse practicè sapientem, & non cum omni perfectione intellectiua producere suũ Verbum. Idemque proportionaliter dicendum de duobus amoris actibus.

1975 4. Ratio contra Henricũ.

Demum conceptus creatiuæ potentiæ, & actionis, inuoluit quidam oppositionem cum creaturis, ac proinde realem distinctionem ab illis; tamen nullam prorsus intrà ipsum Deum oppositionem importat, nec originis, nec relationis, vt cuilibet terminos cõcipienti manifestum est. Ergo immeritò ponitur, vt connexus cum processionibus, & relationibus, quæ sunt propriæ vnius personæ, non alterius; sed connecti solùm debet cum natura, omnibus diuinis personis communi, quæ sola sit vnicum principium formale, & vnica formalis ratio creandi, vndè tres personæ realiter distinctæ habent, vt sint vnus Creator, vnum creaturarum omniũ

principium,

principium, sicut sunt vnus Deus, vnus Omnipotens, vnus intellectus, vna voluntas, & nos habeamus, vt possimus fateri cum Christo Io 5. quòd omnia, quæ facit Pater, hæc eadem omnia similiter, & eodem prorsus modo faciant Filius, & Spiritus S.

3. Conclusio habet duas partes.

3. Concl. Diuinæ personalitates, vt ratione ratiocinata distinctæ à natura, neque sunt formale principiũ creatiuum, aut pars aliqua huius principij; neque sunt conditiones, aut rationes per se requisitæ ad formalem rationem principij formalis creatiui; sed sunt solùm rationes per se, & connaturaliter prærequisitæ ad materialem, siuè entitatiuam constitutionem principij creatiui. Cum hac distinctione puto, posse benè conciliari diuersas de hac re Doctorum sententias, & tota ferè Concl. significata, & breuiter probata remanet.

1976 1. Pars. Personæ non sunt formale principium creatiuum.

Prima pars negans per se aliquo modo requiri ad formalem rationem principij, patet, quia personalitates non sunt per se prærequisitæ adhoc, vt absoluta natura, quæ est formale creandi principium, existat, quo modo creatum suppositum per se requiritur ad operãdum, neque, vt distinguatur à termino producendo, quo modo diuinæ personalitates sunt per se requisitæ ad diuinas processiones intrà ipsum Deum, neque assignari potest aliqua alia huius necessitatis ratio.

Explicatur, & probatur ex hipothesi impossibili.

Quod explicari, & suaderi potest ex vna hypothesi impossibili; si enim per impossibile daretur vna tantũ diuina persona, vt ponunt Iudæi, & Gentiles Philosophi, vel etiam separaretur Deus ab omnibus personalitatibus, quam separationem per intellectum cum aliquo fundamento in re omnes facimus, tunc remaneret quidem natura diuina entitatiuè, & quasi materialiter imperfecta, hoc est, non cum omni perfectione, quã in genere substantiæ apta est habere quòad totalem suã intrinsecam constitutionem; tamen remaneret omninò perfecta in ratione formali principij operatiui ad extra; ita vt nihil illi deesset, neque vt ratio formalis, neque vt conditio sine qua non, ad actu operandum, quamuis illi deessent tres personalitates ad essendum iuxta suam connaturalẽ exigentiã, & intrinsecã cõstitutionem in genere entis infinitè perfecti. Quod dicitur in secunda parte Conclusionis, & probatum etiam est.

Confirm. ex D. Thom.

Primam partem expressè ni fallor, tenet S. Th. 1. d. 11. q. vnica art. 4. ad 2. dicens, creatio est actus trium personarum, non secundum quod distinctæ sunt, sed secundùm quod vniuntur in essentia; quia etiam per intellectum remota distinctione personarum, adhuc remanebit creatio. *In hoc etiam sensu supra q. 36 a. 1. ad 7. dicit ex aliorum sententia, quod deinde non confutat, & ideò probare videtur, quod* Spiritus S. procedit à Patre, & Filio, vt sunt duæ personæ distinctę, vt dictum est; non autẽ creatura procedit à tribus personis, vt sunt personæ distinctę, sed, vt sũt vnum in essentia. *Quod apertè docuit Anselm. epist. de processione Spiritus S. c. med. dicens,* per hoc, in quo vnum sunt, non per hoc, in quo tres sunt, est Pater, aut Filius, aut Spiritus S. principium, siue Creator.

1977 2. Pars. Personalitates non sunt cõditiones principij formalis creatiui, sed quid materiale requisitum.

Secundam partem de necessitate trium personarum ex parte Creatoris, non quatenus formaliter Creator est; sed quatenus formaliter Deus est, expressè tradunt Scotus, Bañes, Zumel, Bellarm. Molin. Pro eadem secunda parte, & non contra primam accipiendus est S. Th. hic illis verbis circa fin. corp. Deus Pater operatus est creaturam per suum Verbum, quod est Filius, & per suum amorem, qui est Spiritus Sanctus. *Nam statim hanc causalitatem refert ad solas rationes absolutas, & essentiales, quas vi formali suarum processionum accipiunt Filius, & Spiritus S. subdens,* processiones personarum sunt rationes productionis creaturarum, inquantum includunt essentialia attributa, quæ sunt scientia, & voluntas. *nimirum prius natura terminatę ad terminos ipsi Deo intrinsecos, quàm ad extrinsecos terminos extra Deum.*

Prob. 1. pars quia non potest esse personalitas, nec vt talis, nec in genere.

Breuiter igitur arguo pro prima parte, quia si personalitas præcisè considerata, secundum id, quod superaddit naturæ communi, non est formalis ratio, aut formale creandi principium, sed aliqua alia ratio, seu cõditio necessariè prærequisita, & per se, ac formaliter per directum, atque immediatum ordinem ad ipsum creandi actum, hęc conditio, vel est personalitas diuina, quatenus talis, v. g. quatenus paternitas, quatenus filiatio, quatenus spiratio, vel personalitas diuina, vt sic, in genere.

Primum esse non potest, quia tũ creare esset actus notionalis.

Non primum, tum, quia tunc creare esset actus notionalis, & proprius alicuius personę; tum quia aliqua persona, vt distincta ab alia, nõ haberet omne necessariò, & per se prerequisitum ad creandum. Quę duo mẽbra efficaciter confirmari possunt exẽplo actuum generandi, & spirandi, qui sunt notionales, & proprij alicuius personę, & non omnibus personis communes, etiamsi ad illos non concurrãt personalitates, vt principia formalia, sed vt conditiones necessariò prærequisitæ, vt dicunt.

1978 Non secundùm, quia esse diuinum absolutum, est subsistens simpliciter.

Non secundum, quia personalitas, seu personalis substantia non est in diuinis sustentatiua in esse, sicut in naturis creatis; cùm diuinum esse absolutum sit ex se subsistere quoddam perfectissimum, seu perfectionis omninò infinitæ in genere essendi, nullo prorsus sustentamento indigens, vt simpliciter sit, ac maneat: neque etiam est ratio distinguendi creatorem à creatura, sicut est ratio distinguendi Deum generantem, & spirantem à Deo generato, & spirato: Sed est solùm purè terminatiua naturæ, faciens se ipsa formaliter suppositum incommunicabile,

Quod est ratio ad essendum secundũ quid, si præscindatur, remanet simpliciter causa agendi.

Quod autem non est ratio ad essendum simpliciter, sed tantùm ad essendum taliter, nempe incommunicabiliter, non potest dici ita necessarium ad agendum, vt si mente prę̄scindãtur, tunc illud, quod remanet, intelligi debet, remanere insufficiens ad proximè, & immediatè agendum; nam, vt agens intelligatur perfectè dispositum, & vltimatè completum, ad operandum, satis superque est, vt intelligatur esse actu in se, & per se cũ omni formali principio operandi; quod enim prętereà totum hoc sit alijs, vt suppositis, formaliter communicabile, vel incommunicabile, videtur omnino impertinens ad formalem operandi rationem, & faciens totũ ad aliam entitatiuam perfectionem causę operantis.

Nulla est ratio suadens, actionem creatiuam per se formaliter exigere Deum Trinum.

Enim verè nulla apparet probabilis ratio dicendi, quòd vt intelligatur creatura formaliter, & pręcisè pendens à Deo in fieri, & conseruari, & operari, necessariò omninò sit intelligere Deum Trinum personaliter, & non satis sit intelligere vnum Deum imperfectum, & existentem per summet essentiam, & intelligentem, & volentem, & omnipotentem. Certè hoc modo tantùm illum agnoscebant Gentiles Philosophi, quos tamen Paulus ad Rom. 1. ita reprę̄hendit, vt dicat esse inexcusabiles, quia cùm cognouissent Deũ per ea, quæ facta sunt, non sicut Deum glorificauerunt: *supponens scil. Gentiles illos, quibus diuinarum personarum Trinitas ignota omnino erat, nec nota esse poterat ex creaturis, rectè, ac demonstratiuè discurrisse, colligendo vnius Dei, ac primę omnium causę existentiam ex mundi creatione.*

1979 Confirm. ex Apostol.

Quo nõ obscurè significat Apost. creationem non habere aliquam connexionem necessariam, & per se cum Deo, vt trino in personis, sed duntaxat, vt vno in essentia, ac natura: alioquin illi Philosophi essent excusabiles, quòd non potentes ex creaturis agnoscere Trinitatem, non agnouerint ex creaturis necessarium creaturarum principium, si hoc est Trinitas, vt Trinitas, non vt Vnitas.

1980 2. Pars prob. ratione Scoti.

Arg etiam pro secunda parte cum Scoto. Quia quãdo ab eodem vnum simpliciter necessario producitur, & alius contingenter non potest producere illud, ad quod contingenter se habet, nisi prius producto illo, ad quod necessariò se habet, vt maximè quando eadem est necessitas producti, & producentis. *In diuinis autem, inquit,* productum extrinsecũ, *nempe creatura,* contingenter producitur; intrinsecum vero, *nempe Filius, & Spiritus S.* necessario, sic quod ipsum est necessarium eadem necessitate, qua, & producens. Nõ potest ergo inchoari ordo productorum extra, nisi prius terminato ordine productorum intrà.

1981 Confirmat. eadem Ratio Scoti.

Addo ego, quod naturalem prioritatem ordinis producendi magis confirmat, easdem diuinas potentias esse, quibus, & necessariò producuntur personæ diuinæ ad perficiendam intrinsecè ipsam natu-

ram diuinam, non in genere naturæ, sed in ampliori genere substantiæ; & contingenter producuntur creaturæ, nimirum per intellectum, & voluntatem: prius autem connaturali ordine sine dubio est, vt agens per aliquam potentiam faciat id, ad quod naturaliter, ac necessariò est determinatum, vt propriã naturã intrinsecè perficiat, quàm per eamdem potentiam faciat id, ad quod indifferens est, & propria libertate se determinat, & est sibi omninò extrinsecum.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum in creaturis sit necesse inueniri vestigium Trinitatis.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

PRima Conclusio. In creaturis rationalibus inuenitur repræsentatio Trinitatis per modum imaginis. Prob. repræsentatio per modum imaginis est repræsentare causam, quantum ad similitudinem formæ: sicut ignis genitus repræsentat ignem generantem. Sed in creaturis rationalibus inueniuntur processiones secundùm actus intellectus, & voluntatis, vt in diuinis personis; ergo. 2. Concl. in omnibus creaturis inuenitur repræsentatio per modum vestigij. Prob. repræsentare per modum vestigij: est repræsentare causalitatem causæ, non verò formam eius, sicut fumus respectu ignis: sed in qualibet creatura est subsistere in suo esse: & est forma, per quam determinatur ad speciē, & ordo ad aliquid aliud; quæ omnia pendent à tota Trinitate, ergo.

Arg. 1. Trinitas personarum non potest inuestigari ex creaturis, vt dictum est: ergo. Resp. distin. Antec. non potest inuestigari, quòad propria, conced. Antec. non potest inuestigari, quòad appropriata, secundùm quæ attenditur repræsentatio vestigij, neg.

Arg. 2. Si vestigium Trinitatis est in creaturis, illud vestigium erit quoddam creatum. ergo, in vestigio erit vestigium Trinitatis, & sic in infinitum. Resp. dist. Anteced. & conced. vestigium Trinitatis reperiri in qualibet creatura propriè & subsistenter neg. verò reperiri in quolibet eorum, quæ ei insunt. Et quia vestigium non potest dici propriè creatura; ideò in eo non est necesse inueniri aliud vestigium.

Arg. 3. Causalitas creaturarum non pertinet ad relationes, quibus personæ, & distinguuntur, & numerantur: sed ad naturam diuinam: ergo. Resp. absolutè neg. Anteced. nam processiones personarum, sunt causa, & ratio productionis creaturarum, vt dictum est.

DISPVTATIO CCXLIII.

An in creaturis sit necesse inueniri vestigium Trinitatis.

Tota articuli doctrina habet duas conclusiones.

TOta articuli doctrina duabus continetur conclusionibus, quæ nullam habent aut controuersiam, aut difficultatem; & sufficienter explicantur; & magis proprium locum habet infra in quæst. 93. vbi de vniuersa hac materia per nouem articulos exactè disputatur. Indicabo breuiter omnia, quoad fieri poterit, ipsius S. Thom. verbis, ordine, maioris breuitatis, & claritatis gratia, non nihil immutato: addamque nonnulla ex Patribus, præsertim August. qui hac de re omnium copiosissime agit.

1982 1. Conclusio. In creaturis omnibus inuenitur vestigium Trinitatis. Prob. 1.

Prima Conclus. in creaturis omnibus inuenitur repræsentatio Trinitatis per modum vestigij. cuius proprium est repræsentare solam causalitatem causæ, non autem formam eius; sicut fumus repræsentat ignem. Ratio est, quia in qualibet creatura inueniuntur aliqua, quæ necesse est reducere in diuinas personas, sicut in causam. Quælibet enim creatura primo subsistit in suo esse, hoc est, non est ipsum esse subsistens per essentiam, sicut est esse diuinæ naturæ, sed est esse extra essentiam modaliter subsistens, & sustentatum per superadditam subsistentiam, quod est propriè habere esse creatum; & sic demonstrat Patrem, cui appropriatur creatio, inquantum est principium, non de principio.

1983 2. Probatur.

Secundo habet formam, per quam determinatur ad speciem, & sic repræsentat Verbum, secundum quod forma artificiati est ex conceptione artificis; diuinum enim Verbum est quædam exemplaris forma omnium rerum repræsentatiua. 3. Probatur. *Tertio habet ordinem ad aliquid aliud, & sic repræsentat Spiritum S. inquantum est amor; quia ordo effectus ad aliquid alterum, est ex voluntate creantis.*

Hæc tria D. August. vocat vnitatem.

Hæc tria August. lib. 6. de Trinit. fin. & lib. de vera Religione 27. fin. vocat Vnitatem, *qua scilicet vnum aliquid totum creatum constituitur, quod semper est ex multis partialibus rationibus conflatum,* & speciem, & ordinem. *Vocat etiam lib. de natura boni cap. 3. & 23.* Modum, speciem, ordinem. *Per modum, vt reducatur ad primum membrum supra significatum, intelligendus est finis, ac terminus, quem habet omnis creatura per esse participatum, & dependens à Deo Creatore, qui per appropriationem est Pater. Ad hæc etiam tria membra reducuntur illa tria, Numerus, Pondus, & Mensura, quæ ponuntur Sap. 11.* Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti; *Nam mensura refertur ad substantiam rei limitatam suis principijs. Numerus ad speciem, pondus ad ordinem. Reducuntur quoque alia tria, quę ponit Aug. lib. 83. 99. qu. 18 de Ciuit. dicens,* Omne, quod est, aliud est, quo constat, aliud quo discernitur, aliud quo congruit.

Res constat per substantiam, discernitur per formam, congruit per ordinem fini suo.

Constat enim res per suam substantiam, aliquibus principijs constitutam, discernitur per formam, siue speciem: congruit per ordinem fini suo proportionatum. Similiter subdit August. in fin. quæst. cum veritas quæritur, plusquam tria genera quæstionum esse non possunt, vtrum omnino sit, vtrum hoc, an aliud sit, vtrum approbandum, improbandumue sit. *Reuocari demum possunt illa tria, quæ numerat idem August. lib. 6. de Trinit. cap. 10. circa fin. Origo, Pulchritudo, Delectatio.* In illa enim Trinitate, *inquit Aug.* Summa origo est rerum omnium, *quæ appropriatur Patri,* & perfectissima pulchritudo, *quæ appropriatur Verbo,* & beatissima delectatio, *quæ appropriatur Spiritui S.*

1984 2. Conclusio. In creaturis rationalibus reperitur repræsentatio Trinitatis per modum imaginis.

2. Conclus. In creaturis rationalibus, in quibus est intellectus, & voluntas, inuenitur repræsentatio Trinitatis per modum imaginis, cuius proprium est repræsentare suam causam, non solum quantum ad causalitatem, sed etiam quantum ad similitudinem formæ eius, sicut ignis generatus repræsentat ignem generantem; & statua Mercurij Mercurium. Ratio est, quia in his creaturis inuenitur intellectus concipiens, Verbum conceptum, voluntas amans, & amor procedens, quæ sine dubio repræsentant diuinissimam Trinitatem secundum quod intrinsecè in seipsa est. Nam Filius est Verbum conceptum per intellectum à Patre, Spiritus S. est amor per voluntatem à Patre, Filioque procedens. Neque plura hoc loco habet S. Th. sed addenda breuiter videntur, quę his valde connexa sunt, & latè tractantur infra qu. 93. art. 4. 5. 6. 7. & 8.

1985 3. Conc. in homine est imago Dei, vt vnus & Trinus.

3. Conclus. In homine est imago Dei, & quantum ad naturam diuinam vnam, communemque Patri, Filio, & Spiritui S. vt ex scriptura, & Patribus probatum sufficienter est supra quæst. 33. quia etiam

natura

natura humana est intrinsecè intellectualis, & libera; eiusque anima est immortalis, spiritualis, & indiuisibilis, quas perfectiones formaliter habet ipsa natura Dei absoluta: Et quantùm ad Trinitatem personarũ, non solùm secundùm quod tres personæ sunt vnus Deus; sed etiam secundum quod sunt tres personæ inuicem realiter distinctæ. Hoc probat S.Th. supra art. 4. & 5. q. 33.

Vtraque pars probatur à D. Augustino.

Vtramque huius conclusionis partem acutè probauit Aug. lib. 12. de Trin. c. 6. initio ex illo Gen. 1. vbi inquit, Dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem nostram. Paulò post autem dictum est, & fecit Deus hominem ad imaginem Dei. Nostram certè, quia pluralis est numerus, non rectè diceretur, si homo ad vnius personæ imaginem fieret, siuè Patris, siuè Filij, siuè Spiritus S. sed quia fiebat ad imaginem Trinitatis, propterea dictum est imaginem nostram. Rursus autem, ne in Trinitate credendos arbitraremur tres Deos, cùm sit eadem Trinitas vnus Deus, & fecit, inquit, Deus hominem ad imaginem Dei pro eo, ac si diceret, Ad imaginem suam.

1986
Imago Dei Trini presefertur ab homine, quo ad animam.

Imaginem verò Dei, inquantum est Trinus, præsefert homo, vel solùm, vel præcipuè quoad animam rationalem, quam Patres, & Scholastici diuersimodè distribuunt tribus diuinis personis. Primò aliqui animam ipsam assimilant Patri, Verbum Filio, mentem Spiritui S. anima enim quatenus ingenita repræsentat Patrem, Verbum, quatenus genitum, & conceptũ repræsentat Filium. Mens, quatenus vndequaque discurrens, & indiuisibiliter omnia penetrans, repræsentat Spiritum S. quem interprete Cyrillo l. 13. Thesauri c. 2. non longè à princ. & c. 3. paulò post princ. mentem vocat Paulus 1. Cor. 2. fin. vbi nostra vulgata editio habet, quis cognouit sensum Domini? Nos sensum Christi habemus. *Sed vertit Cyril.* mentem Domini, mentem Christi. *Et subiungit*, & intelligit Paulus Spiritum S. qui habitat in nobis.

Mens tribuitur Patri: Notitia Filio; Amor Spiritui Sancto.

Secundò, multò frequentiùs, & aptiùs, mentem tribuunt Patri, notitiam Filio, amorẽ Spiritui S. & sicut hæ sunt tres personę vnius animæ; ita Pater, Filius, Spiritus S. tres personæ vnius Dei. Hanc comparationem omnium copiosissimè explicat August. lib. 9. de Trin. c. 2. fin. & omnibus sequentibus capitibus vsque ad finem libri, vbi ita concludit: Est quædam imago Trinitatis ipsa mens, & notitia eius, quod est proles eius, ac de ipsa verbum eius, & amor tertius; & hæc tria vnum, atque vna substantia. Nec minor proles, dum tantam se nouit mens, quanta est, nec minor amor, dum tantum se diligit, quantum nouit, & quantus est.

Per Animam potest repręsentari Pater, per rationem Filius, per habitum Spiritus Sanctus.

Per memoriam, quam loco mentis ponit etiam frequenter Aug. accipi debet principium omninò completum, & vltimatè constitutum ad intelligẽdum, & producendum verbum. Tertiò Sancti valde communiter in hac imagine immiscent aliquid corporeum dicentes, per mentem, vel animam, vel hominem repræsentari personam Patris, per Verbum, siuè rationem repræsentari personam Filij; per Spiritum oris, siuè habitum repræsentari personam Spiritus Sancti; fundati in illo Ps. 32. Verbo Domini Cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.

1987
4. Conclusio. In homine est peculiariter imago Filij.

4. Concl. quamuis errauerint nonnulli dicentes, hominem esse imaginem solius Filij, & non Patris, nec Spiritus Sancti, quos damnant, & maximè ex prædictis verbis Gen. 1. reijciunt Augustinus l. 7. de Trin. circa fin. l. 12. c. 6. initio, & l. de Genesi ad litteram, imperfecto, circa fin. Cyril. l. 1. contra Iulianum paulò post med. & alij Patres, & S. Thomas infrà q. 93. art. 5. ad 4. tamen doctè dicitur cum nonnullis Patribus, in homine esse peculiarem quandam rationem imaginis ad personam Filij; sicut hæc inter diuinas personas habet rationem imaginis, inquantum homo in eo, quod formaliter est creata imago Dei Patris, est quædam participatio increatæ imaginis, quæ est in solo Filio respectu Dei Patris.

Confirm. ex D. Paulo.

Sicut igitur Paulus ad Ephes. 3. de solo Deo Patre peculiariter dixit, ex quo omnis paternitas in cælis, & in terris nominatur; *& sicut similiter participatione, & imitatione quadam solius naturalis Filij Dei constituitur homo Filius Dei adoptiuus: ita pariter peculiari ratione de Filio, qui solus est increata patris imago, dici potest esse exemplar, cuius imitatione, ac participatione fit in homine creata imago Dei Patris. In hoc sensu Clemens Alexandrinus orat. adhortatoria ad gentes pag. 32. ait*, est Dei imago, eius Verbũ, & Filius lucis lux exemplaris, & archetypa: Verbi autem imago est homo diuino Verbo assimilatus, & Verbi, rationisque particeps.

1588
5. Conclusio homo nõ est propriè imago Trinitatis secũdùm corpus.

5. Concl. In homine præter imaginem Trinitatis secundum animam, de qua dictum est, non est propriè dicta imago Trinitatis secundùm corpus, quo similes sumus bestijs, in quibus est tantum Trinitatis vestigiũ, non imago; neque secundùm tres distinctas personas, nam quilibet homo ex se solus habet prædicta omnia sufficientia ad constituendam veram Trinitatis imaginem. Et ideò etiam de primo, & vno homine Adamo dicitur Genes. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. *Et iterum post pauca*, Creauit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creauit illum. *Quæ omnia fusiùs habentur infra q. 93. a. 6. loquutus sum de imagine propriè dicta; nam per metaphoram distinctis personis solent passim tribui à Sanctis Scripturis, ac Patribus distincta membra corporea, vt digitus Spiritui S. sicut etiã faciei nomen omnes tribuunt Filio, & aliqui etiam Spiritui S. Quæ omnia distinctè persequi nimis longum est.*

1989
In primis humanę naturæ suppositis imaginem Trinitatis adumbrarunt Patres.

Præterea in tribus etiam primis humanæ naturæ suppositis aliquam Trinitatis imaginem adumbrarũt Patres. Quod multis doctè exponit Nazianz. orat. 5. de Theologia pag. 4. Adam quid tandem erat? Figmentum Dei. Quid Eua? Sectum quiddam ex figmento, Quid autem Seth? Vtriusque proles. Non ergo idem tibi videtur, figmentum, Sectum, & genitum? Quid ni? Age eiusdem hæc essentiæ inter se sunt, an diuersæ? Eiusdem. Confiteris ergo fieri posse, vt quæ variè existunt, eamdem tamen essentiam habeant. *Et paucis interiectis.* Eua, & Seth nonne ex eodem Adamo sunt? Vtrum autem ambo ex eo geniti sunt? Minimè. Quid ergo? Altera figmentum est, alter Filius: atqui ambo inter se idem sunt, homines enim nemo est, qui inficietur. Desine igitur aduersus Spiritum dimicare, aut genitus omninò sit, aut consubstantialis non sit. *Et Damasc. l. 1. fidei c. 9. multò post princ.* Sicut Adam ingenitus est, plasma enim Dei est; & Seth genitus, nam Filius Adami: & Eua ex costa Adam procedens, non enim ipsa genita est, nec ipsi natura differunt inuicem (homines enim sunt) sed substantię modo: *ita in diuinis, Pater ingenitus, Verbum genitum, Spiritus S. procedens, sunt distinctæ personæ, non naturæ: & fusius Anselm. de Incarnatione Verbi c. 6. & alij.*

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum creatio admisceatur in operibus naturæ, & artis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONCL. Creatio non admiscetur operibus naturæ, & artis. Sed eis præsupponitur. Prob. in operibus in quibus semper producitur aliquid ex aliquo, non admiscetur creatio. Sed in operibus naturæ, producitur semper aliquid ex aliquo .s. compositum, cuius tantùm est propriè fieri ex materia. ergo.

Arg. 1. in operationibus naturæ, & artis producitur forma, quæ, cùm nõ habeat materiam, quę sit pars sui, non potest produci nisi ex nihilo, ergo. Resp. neg. seq. quia

formæ non producuntur ex aliquo, neque ex nihilo per se. Sed fiunt tantùm per accidens, i. per aliud .s. factis, & productis compositis, & sunt illæ, quibus composita existunt.

Arg. 2. Forma accidentalis nō potest esse productiua formę substantialis: alioqui effectus esset prior sua causa. ergo creatur. Resp. dist. Antec. non potest virtute propria, conced. Antec. virtute substantię neg. & propter hoc, agens naturale licèt agat per qualitates; non solùm facit sibi simile in qualitate; sed etiam secundùm speciem.

Arg. 3. Quędam inueniuntur generata in natura; non ab aliquo sibi simili: sicut patet in animalibus generatis per putrefactionem. ergo. Resp. dist. ly non ab aliquo sibi simili, secundùm speciem, conced. secundùm analogiam, nego: sunt enim producta ab agente vniuersali.

Arg. 4. si in his, quę fiunt à natura non adiungatur creatio, sequitur, quòd ea, quę sunt à natura, non sunt creaturę, quod est hęreticum. ergo. Resp. neg. seq. nam ad hoc, vt aliquid creatura dicatur: non est semper necessarium, vt per creationem producatur, sed sufficit, vt fiat ex aliquo, quod sit per creationem productum.

DISPVTATIO CCXXXXIV.

Aliqua adnotantur circa articulum.

1990 Sensus tituli. *IN titulo hoc, aduerte, quòd quęstio est non de singulis operibus naturæ, & artis. sed de omnibus, aut pluribus operibus: an creatio in omnibus, aut pluribus operibus naturæ, & artis misceatur. dico autem hoc, propter generationem hominis, quoniam de ea nulla hic fit mentio, quia quod in pluribus est tractabatur hic. His dictis.*

1991 Responsio quæsiti. *Responsio quęsiti est, factio formarū, de qua apud omnes fuit, & est maxima quæstio, nō est creatio. Cum .n. communis animi conceptio omniū esset, quod ex nihilo fit, & similiter nihil reuertitur in nihilum, & intelligit D. Thom. ex nihilo sui, & non vt rudes intelligunt, ex nullo presupposito: nam cum viderent formas substantiales precipuè quandoque apparere, & quandoque non, in varias inciderunt opiniones extremas. Siquidem quidam ponentes latitationem, respondebant negatiuè quæstioni, quia negabant omne fieri, ne ponerent aliqua ex nihilo fieri, hos reprehendit D. Th. Ignorantia materiæ. Alij respondebant, quorum numero videntur Plato, & Auicenna ponentes formas propriè fieri, Affirmatiuè; quia fiunt ex nihilo sui: subiecta tamen materia velauit oculos eorum, ne aduerterent, ponere se ex nihilo aliquid fieri, & hos arguit D. Th. Quia nescierunt naturam formæ, quòd scilicet formæ materialis, de qua loquimur, non est fieri, nec esse. Solus celebris ille Aristoteles viam, inuenit, qua, & res verè fierent, & nihil fieret ex nihilo sui, ponendo enim, quod formæ sunt, & non sunt absque generatione, & corruptione; idest, quod earum non est fieri, nec corrumpi: sed quod sola composita fiunt, generātur, & corrumpuntur, omnia saluauit. Semper enim aliquid compositi præest, & remanet .s. materia, & sic Respondetur negatiuè quæstioni: sed non quia nihil fit, sed quia sola composita fiunt, formæ autem sunt ad factionem compositorum, & non sunt ad corruptionem eorundem. Creatio ergo non admiscetur operibus naturæ, sed presupponitur eidem, & sic patent omnia, quæ sunt in littera.*

1992 Nota. *In responsione ad secundum: tractandum esset: an qualitates actiuæ possint inducere formas substantiales virtute substantiarum, sed quoniam inferius, vbi de potentijs Angeli, & Animæ aget, vniuersaliter tractabitur: an substantia creata possit esse immediatum principium alicuius operationis, ideò illuc vsque differt, &c.*

In responsione ad tertium. aduerto duo primò qui cum dicit ad generationem animalium imperfectorum sufficere agens vniuersale, non excludit virtutē proportionalem seminis, quæ est proxima causa generationis sed excludit proximum agēs vniuocum formaliter, à quo deriuata sit vis illa, sicut à boue generante decidit semen deriuatiuum bouis &c. An autem illæ virtutes necessariò ponendæ sint, alterius negotij est. Sat hic quia illæ non excludunt eā sufficientiā agētis vniuersalis, quoniam illæ sunt instrumenta vniuersalis agentis, si sunt, de quibus vide. Auer. 12. Meta. com. 13. secundò, quod quia adhuc non est decisum, an virtus cælestis sit animata, vt possit animal facere, aut virtutem separatæ vitæ sufficienter participans: Idcirco non ad hunc spectat locum, quomodo cęlum viuēs facere potest: suo igitur loco quæstio relinquatur. Nota.

QVÆSTIO XLVI. D. Th.

De principio durationis rerum Creatarum.

ARTICVLVS PRIMVS:

Vtrū vniuersitas creaturarum semper fuit.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

CONclusio. Non est necessarium ponere, quod necessitas creaturarū semper fuerit. Prob. ea tantùm sunt necessariò æterna, quæ sunt necessariò volita à Deo: cum necessitas effectus ex necessitate causę dependeat. Sed Vniuersitas creaturarum non est necessariò volita à Deo: quia absolutè loquendo Deus non potest necessariò velle, nisi seipsum. ergo.

Arg. 1. si mundus fuisset possibilis antequam producatur, igitur ante eius inceptionem fuisset eius materia; materia enim est illa, qua res dicitur possibilis, ergo iam mundus esset antequam esset. Resp. neg. seq. & ad prob. dist. illā propositionem materia est illa, qua res dicitur possibilis, per potentiam passiuam, conced. per actiuam verò negatur. quia sufficit pręexistere potentia actiua agentis, non materia.

Arg. 2. Incorruptibilia non possunt non esse, quia habent virtutem, vt sint semper. ergo. Resp. neg. Antec. & ad prob. habent virtutem vt sint semper, post quā sint, conced. quia ab intrinseco non habent principium corruptionis .s. materiam. Antequam sint, negatur. quia hanc virtutem accipiunt à Deo simul cum eorum esse.

Arg. 3. Nullum ingenitum incæpit. materia, & Cælum sunt ingenita, vt Philosophus dicit. ergo. Resp. dist. ma. ingenitum à se. conced. ingenitum creatum; rursus distinguitur, nunquam incepit per motum, conceditur: per creationem negatur. Sic incepit materia, & cælum.

Arg. 4. si mundus incæpisset esse ante mundi productionem, daretur vacuum, cum vacuum sit spatium capax corporis. quod est impossibile. Resp. neg. seq. tunc enim non erat vacuum, cum vacuum sit spatium capax corporis. Sed erat nihil.

Arg. 5.

Arg. 5. motus semper fuit, & nunquam incepit, ergo. & mobile. Resp. neg. Antec. motus enim non fuit æternus. Arg. 6. Omne mouens, aut est naturale, aut est voluntarium. Sed neutrum incipit mouere, nisi alio motu præexistente. ergo. Resp. Primum agens esse voluntarium: vndè neg. min. nam agens particulare, quod nō producit totam substantiam; & expectat tempus, exigit motum pręexistentem; secùs operatur Primum agens.

Arg. 7. Quod semper est in principio, & in fine semper fuit: Sed tempus semper est in principio, & in fine. ergo. Resp. neg. mi. quę fuit vera in sententia Arist. ponentis mundum ab ęterno.

Arg. 8. Si Deus est prior tempore, natura, & duratione. igitur Deus erit prior, & mundus posterior. Sed prius, & posterius constituunt tempus. ergo. Resp. neg. mi. quia ly prius non constituit prioritatem tēporis; sed ęternitatis, quòd est prior tempore.

Arg. 9. Deus est ęternus. ergo mundus ęternus. Conseq. prob. posita causa efficienti ponitur eius effectus. Respond. neg. conseq. & prob. esse veram de agente naturali; secùs est de voluntario: quia potest talis causa esse, & tamen effectus non sequi, nisi quando est per agentis voluntatem determinatus.

Arg. 10. Cuius actio est eterna, & effectus est ęternus. Sed Actio Dei est ęterna. ergo. Resp. dist. ma. posita actione agētis per naturam sequitur effectus, concedo; posita actione agentis per voluntatem, vt est Deus; negatur.

DISPVTATIO CCXLIII.

An vniuersitas creaturarum semper fuerit.

1993 Concl. negat. Prob. cōgruētissima ac probabilissima ratione.

COncl neg. Prob. consideramus omnes homines infinitos, hactenus corruptos, qui in sententia Arist. fuerunt in toto tempore æterno præterito. Inter hos vel est aliquis immediate creatus à Deo, vel non. Hoc secundum dici non potest, vt optimè adnotauit Durand. 2. d. 1 q. 3. ad 2. quia tota species, ac natura humana prędictorum hominum, etiam seniunctim acceptorum, habere debet causam sui, quia non est ens à se, sed essentialiter dependens à Deo; ergo debent necessariò dari aliqua indiuidua immediatè creata à Deo, & non facta ab alijs indiuiduis per naturalem generationem, v. g. Adamus, & Eua, quæ generauerint, & non genita sint, ità vt nullum aliud indiuiduum detur ante illa, sed sint prima, saltem negatiuè.

1994 Adamus, & Eua vel fuerunt in tempore finito, vel infinito.

Præterea Adamus, & Eua, vel vixerunt tempore finito, vel infinito, si finito, ergo non fuerunt ab ęterno quoniam si durasset v. g. mille annis, ergo non fuissent ante mille annos. Ergo omnes homines sequentes durarunt tempore finito, & à parte post, vt supponimus, incipiendo homines iam prę̨teritos, & à parte antei ergo illorum hominum generationes nō fuerut infinitę. Necessariò igitur si omnes homines generati sunt infiniti, Adamus, & Eua viuere debuissent annis infinitis. Vlterius, vel genuissent statim ac essent, ita vt ne instans quidem possit assignari, in quo post creationem immediatè fuerint, & non generauerint: vel non statim, sed incepissent aliquando generare.

Si generasset primum hominem, omnes homines geniti non essent infiniti.

Non hoc secundu, quia si incepissent generare, ergo generassent primum; ergo omnes homines geniti, non essent infiniti: & si non generarent aliquande post creationem, illud, aliquando, *vel dicit instans, vel tempus finitum. Non instans, quia illùd esset terminus durationis, ante quod non fuissent, & in quo solo non generassent. Quare esset intrinsecum existentiæ Adami, & Euæ, extrinsecum generationi sequenti; ideoque in illo primo essent, immediatè antea non fuissent; in eoque vltimo non generassent, sed generassent immediatè post. Ergo Adamus, & Eua non durassent per ęternitatem: ergo omnes sequentes non fuissent in tempore ęterno.*

Non præcessit tempus finitum.

Non tempus finitum, quia sequeretur etiam durationem existentię primorum hominum non fuisse infinitam à parte ante, vt patet ex discursu immediatè ante facto ergo si generassent post, debuissent expectare per infinitos annos ergo generare debent statim, ac sunt. Rursus, vel genuissent homines finitos, vel infinitos, si primum, sint v. g. decem, ergo genuissent in decem annis, & non prius: ergo non ab ęterno. Item genuissent primum filium, & in primo anno, vt ex se patet: quę omnia ex dictis manifestè repugnant; ergo debuissent gignere infinitos absque vllo principio.

1995 De facto nullus finxit duo prima indiuidua creata durantia infinitè:

Cum igitur cursus ordinarius generationum in mundo de facto existentium, non importet, quòd nullus vnquam finxit duo prima indiuidua creata, durantia per annos infinitos, quę statim ac existunt, generent, & successiuè faciant filios infinitos, demonstratiuè certum esse relinquitur; mundum cum generationibus, prout nunc naturaliter currunt, non potuisse ab Arist. & Peripateticis poni ab æterno, sed rectè à Catholicis diuina reuelatione edoctis, positum esse cum nouitate essendi in aliquo temporis principio.

DVBIVM VNICVM.

In quo soluuntur rationes Arist. probantes mundi Æternitatem.

1996 1. Ratio Arist.

PRima ratio ex Phys. 4. & deinceps, motus est actus mobilis, ergo ante motum datur mobile; ergo si motus non fuit ab æterno, sed aliquis primus motus extitit, dabitur mobile ante primum motum. Vel igitur mobile cæpit esse, ergo per illam generationem, ac motum, & sic ante primum motum daretur alius motus prior, vel non cæpit esse, sed fuit æterno tempore sine motu, quod est irrationabile.

Resp. mobile cępisse esse nō per generationem, & motu, sed per creationem.

Resp. mobile cępisse esse, non tamen per generationem, & motum, sed per creationem, quæ nec subiectum prærequirit, nec motum, aut mutationem includit. Potest autem ratio retorqueri contra suum Authorem. Nam motus æternus est essentialiter motus, ergo si de essentia motus est, vt ante ipsum sit mobile, sequitur, ante motum æternum fuisse, & factum esse mobile, ergo per alterum motum, priore ęterno motu quod est euidenter impossibile.

1997 2. Ratio Arist.

2. Ratio 8. Phys. 1 o. si tempus cępit, ergo aliquando non fuit, & prius fuit non esse, quam esse temporis; sed *Aliquando*, & *Prius*, sunt differentiæ temporis; ergo ante quodlibet tempus fuit semper tempus ab æterno: ergo etiam motus fuit ęternus, tempus enim sine motu non est.

Resp. ly aliquando, & prius significant differentias temporis imaginarij.

Resp. *Aliquando*, & *Priùs* in primo Conseq. non significant differentias temporis veri, ac realis, sed tantum imaginarij; quia vt docet S. Th. q. 3. de Pot. art. 17. ad 20. *Possumus imaginari infinita temporum spatia, ęternitate existente, potuisse reuolui ante temporis inceptionem.* Sicut vt idem explicat hic ad 8. *cùm dicitur, supra Cœlum nihil est: ly supra, designat locum imaginarium tantùm, secundùm quòd possibile est imaginari, dimensionibus, cœlestis corporis dimensiones alias superaddi.*

Ly Antea non fuit tempus, potest sumi negatiuè.

Vel secundo sumi possunt negatiuè, ita vt cum dicitur, Antea non fuit tempus, sensus sit; non præcessit tempus, quod dici possit antea, vel prius, vel aliquando. Quemadmodum cum dixit Philos. 1. Cæli 99. *quòd neque locus, neque vacuum, neque tempus est extra Cœlum*, per illud, *Extra*, intelligi debet

debet hic sensus negatiuus vltra Cælum non reperitur aliquis locus, qui dicitur, extra, in quo sit aliquid: & ita negatiuè hoc explicat S. Th. contr. Gen. c. 36. ad 6. *cum dicimus, tempus habet esse post non esse, intelligimus, quòd non fuit aliqua pars temporis ante hoc nunc signatum: sicut, cùm dicimus, quòd supra Cœlum nihil est, non intelligimus, quòd aliquis locus sit extra Cœlum, qui possit dici supra respectu Cœli, sed quòd non est locus eo superior.*

1998 *3. Ratio Arist. 3.*

3. Ratio 8. Phys. 11. Nullum tempus est sine instanti. Sed quodlibet instans, est finis temporis preteriti, & principium futuri, ergo semper erit tempus ante quolibet tempus.

Resp potest poni in tempore punctu initiatiuum, & non continuatiuu.

Resp. falsam esse min. sicut enim in linea finita, vt exemplificat S. Th. 2. contr. Gent. c. 36. ad 5. ponitur punctum initiatiuum lineæ, & non continuatiuum; ita poni potest in tempore momentum, finis temporis initiatiuum. Præterea instans intermedium continuatiuum, quamuis continuet infinitas priores, & posteriores partes proportionales, minores, & minores semper in infinitum, tamen continuare benè potest tempus prius simpliciter finitum cum tempore posteriori simpliciter finito.

1999 *4. Ratio,*

4. Ratio 8 Phys. 73. & 2. de generat. 56 *Idem & similiter se habens, idem natum est facere.* Sed Deus, qui semper manet, idem omnino immutabiliter, mundum effecit; ergo semper ab æterno effecit mundum.

Resp ma. intellectā de actuali effectione esse simpliciter falsam.

Resp. Maiorem intellectam in sensu minoris de actuali effectione esse simpliciter falsam in causis liberis, cuiusmodi supponimus fuisse Deum in creatione mundi, qui ab æterno quidem absque vlla intrinseca sui mutatione, liberè voluit producere mundum eo tempore, quo productus est: nec cùm produxit, mutatus est, quia illa æterna voluntas semper eadem mansit; & per actum suæ omnipotentiæ exequutiuæ in tempore non factum est aliquid in ipso Deo, sed extra Deum ab ipso Deo.

Agens diuinū immutabiliter creat.

Cùm enim vniuersaliter effectus causæ efficientis, cuiusque actio possit esse transiens extra causam, sicut totalis effectus creationis non potest non esse transiens extra Deum creatorem, potest agens liberum semper in se manere idem, & non semper extra se effectum producere: quoniam hoc actu producere non est per aliquid intrinsece receptum in agente, sed in termino producto extra agens. Et ideo S. Th. 2. contr. Gen. c. 35. initio negat vniuersalem hanc, *omne agens, quod non semper agit, mouetur per se, vel per accidens, quoniam antiquitas, nouitas diuini effectus non demonstrat nouitatem actionis in Deo, cùm actio sua sit sua essentia. Vndè neque nouitas effectus mutationem Dei agentis demonstrare potest.*

2000 *5. Ratio Arist. Resp. neg consequentiam*

5. Ratio 8. Phys. 26 Motus circularis non habet initium, ergo est æternus. Resp. si antecedens intelligitur de initio durationis, petit principium. Si de initio ex parte mobilis, & ex parte circuli, verum est, nam mobile circulare, siue circulus non postulat ex natura sua, vt incipiat motus ex hac, vel illa parte: in hac, vel illa duratione. Sed tunc nullam esse Conseq. constat, quia sequeretur, motum cuiuslibet pilæ rotundæ, qui eadem ratione certum initium non habet, esse æternum. Potest igitur quilibet motus circularis habere initium durationis per extrinsecam determinationem mouentis, quod liberè, quando vult, illum motum causat. Quamquam quod attinet ad Philosophi mentem S. Th. de Pot. q. 3. art. 17. ad 17. docet; *quod Aristoteles non probat ex circulatione motus, eius æternitatem, sed supposito, quod sit æternus, ostendit, quod est circularis, quia nullus alius motus potest esse æternus.*

2001 *6. Ratio Arist.*

6. Ratio 1. Cœli 22. Cœlum, secundùm communem omnium existimationem est locus Dei. *Omnes enim homines eum, qui sursum est locum Deo tribuunt, & Barbari, & Græci quicumque putant esse Deos, tanquam videlicet immortali immortale coaptatum sit.* ergo Cælum ab æterno semper fuit, sicut, & ipse Deus.

Resp. neg. consequentiam

Resp. neg. Conseq. Non enim Cœlum est locus Dei, quasi Deus illo indigeat ad conseruationem, vel ad habitationem: sed, vel quia inter creaturas visibiles nulla est, quæ magis Dei potentiam, ac magnificentiam declaret; vnde est illud Ps. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei.* vel quia in Cœlo peculiariter suam gloriam beatis manifestat.

2002 *7. Ratio Arist.*

7. Ratio 12. Metaph. 30. si Deus non creasset mundum ab æterno, fuisset aliquando causa agens in potentia, aliquando in actu: ergo aliquando non fuisset actus purus, expers omni potentiæ.

Resp. Deum semper fuisse, & esse purissimum actum.

Resp. Deum semper fuisse; & esse purissimum actum, quia semper fuit, & est expers omnis potentiæ passiuæ, ac receptiuæ, quæ solum cum sit ratio recipiendi in se aliquam perfectionem, & actum, contradicit puritati actus: nam potentia actiua, cùm sit ratio communicandi alijs aliquam perfectionem, facit potius ad constituendam infinitam puri actus perfectionem. Quòd vero Deus aliquādo sit actu causa, nihil ponit in Deo, sed tantùm creaturam, & effectum in re à Deo. Dici quoque potest, ac debet Deus ab æterno fuisse in potentia actiua propinqua creandi mundum, si per potentiam propinquam intelligatur potentia, cui nihil deest, vt exeat in actum, quamuis non sequutus sit effectus, quod noluerit illum sequi ab æterno.

2003 *Deus ab æterno fuit sufficiens causa mundi.*

In hoc sensu rectè ait S. Thom. hic ad 9. *Deus ab æterno fuit sufficiens causa mundi: non tamen oportet, quod ponatur mundus ab eo productus, nisi secundum quod est in prædefinitione suæ voluntatis, vt scil. habeat esse post non esse, vt manifestius declaret suum authorem.* Quod etiam docuit 2. cont. Gent. c. 35 ad 3. Si vero per potentiam propinquam intelligatur potentia, ex qua statim effectus prodierit, dicendum non est. Deum ab æterno fuisse in propinqua potentia faciendi mundum, sed potius in potentia remota, nimirum ab effectu, non à completa, & sufficienti virtute faciendi. Quando autem factus est Deus actu efficiens, non est ipse mutatus de potentia in actum, sed est quodammodo mutatus mundus de non esse in esse, siue de statu possibilitatis in statum actualitatis: Deus verò non actu egit per aliquem nouum actum in seipso, sed per actualem mundi creationem extra Deum.

2004 *5. Rati Arist.*

8. Ratio 8. Phys. 48. Deus ex possibilibus facit, id, quod est melius. Sed æternitas mundi est possibilis, & longè meliùs est esse ab æterno, quàm esse in tempore, sicut enim præstat esse simpliciter, quam non esse simpliciter, ita præstat semper fuisse, quam cepisse esse post non esse, ergo Deus mundum condidit ab æterno.

Resp. illud melius sumi posse dupliciter. Primò.

Resp. in maiori illud *melius*, sumi posse dupliciter, primo, pro eo, quod est absolutè optimum, & simpliciter præstantius, & sic maior vniuersaliter est falsa, cùm supra omnes finitas species creatas, sint aliæ creabiles, perfectiores, & perfectiores in infinitum: & ipsæmet res, quæ creatæ sunt cum tanta determinata perfectione, fieri potuerint cum maiori perfectionem. alioquin debuissent Deus creare omnes homines beatos, cum melius simpliciter sit, homines esse beatos, quam miseros.

Secundò decuit enim mundum creari in tempore.

Secundo pro eo, quod spectatis omnibus circūstantijs magis conuenit, & sic vera est Ma. sed falsa Minor. Decuit enim, mundum creari in tempore, quia ex noua mundi creatione magis elucet, Deum esse causam liberam, imò simpliciter Deum esse, & esse causam efficientem, & posse causare res immediate ex nihilo, absque alterius adminiculo; neque vlla re indigere, sed se solo esse beatum, ac perfectum sine creaturis. Sic etiam creaturæ facilius agnoscunt dependentiam, quàm in esse à Deo habent, & se omnino subiacere diuinæ voluntati, cum sciant æterno tempore antea non fuisse ex mera Dei liberalitate, ac voluntate beneficium existentiæ accepisse: *Manifestiùs enim*, inquit S. Thom. hic ad 6. fin. & docet etiam 2. contr. Gent. cap. 3. ad 7. *Mundus ducit in cognitionem diuinæ potentiæ creantis, si mundus non semper fuit, quam si semper fuisset; omne enim, quod non semper fuit,*

fuit, manifestum est habere causam: sed non ita manifestum est de eo, quod semper fuit. Quod si non æternitatis, sed antiquioris inceptionis causam cum Proclo apud Pererium lib. 15. Phys. cap. 4. initio curiosiùs inquiras, nempe cur si mundus cæpit esse, non prius, posteriusuè conditus fuerit? dicendum est cum S. Th. de Pot. qu. 3. art. 14 ad 6. secundi ordinis, huius rei causam moralem latere.

2005 *Impiũ est asserere Deum casu mundum in tali tempore creasse.* Sicut enim impium esset putare, Deum casu, seu fortuitò, & non sine optima ratione mundum in tali tempore determinato procreasse; ita temerarium est, rationem hanc intra diuinæ sapientiæ thesauros reconditam, velle perscrutari: Alioquin ego ab Arist. alysque Gentilibus petam, vt benè instat S. Th. supra, cur mundus, secundùm ipsos ab æterno productus, non sit productus vno digito maior, vel minori cur non plura, maioraue corpora procreata sint à Deo, & alia huiusmodi, quorum causas nemo vere nouit, nisi solus Deus rerum omnium artifex sapientissimus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum mundum incæpisse, sit demonstrabile.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. mundum incępisse non est demonstrabile: sed credibile: 1. Pars. prob. Per medium abstrahens ab hic, & nunc non potest demonstrari nouitas de aliqua re: Nouitas enim includit hic, & nunc: sed si esset demonstrabile ex parte mundi, esset demonstrabile per quidquid est ipsius mundi (nam ex parte causæ productiuæ liberę nõ potest demonstrari nouitas alicuius rei, cum, medium demonstrationis, abstrahit ab hic, & nunc, ergo. 2. Pars patet. quia diuina voluntas potest homini manifestari per reuelationem.

Arg. 1. mundum esse factum, est demonstrabile: quia omne factum habet suæ durationis principium. ergo. Resp. neg. Anteced. & ad prob. dist. propositionẽ: quod est factum per actionem successiuam habet principium præcedens duratione, conced. per instantaneam, sicut fuit factus mundus à Deo, negatur.

Arg. 2. quòd factum est ex nihilo, habet esse post non esse: mundus factus est ex nihilo, aliter enim pręcessisset eius materia. ergo. Resp. quòd qui posuerunt mundum ab æterno, negarent ma: quia ly, ex, significaret non ordinem; sed negationem causæ materialis.

Arg. 3. quòd operatur per intellectum à quodam principio operatur; vt patet in omnibus artificialibus: sed Deus produxit mundum vt agens intellectuale. ergo. Resp. ma. esse veram de intellectu, qui deliberando inuestigat, quid agendum sit: Non autem est vera de intellectu qui absque aliqua deliberatione operatur, vt est diuinus.

Arg. 4. manifestè apparet, artes aliquas, & habitationes regionum ex determinatis temporibus incæpisse. ergo. Resp. ad Antec. quòd ponentes ęternitatem mundi, ponunt aliquam regionem infinitam de habitabili in inhabitabilem, & è conuersò, & sic idem asserunt in artibus.

Arg. 5. certũ est nihil Deo æquari posse. Sed si mundus semper fuisset, æquipararetur Deo in duratione. ergo. Resp. neg. Mi. quia esse diuinum est totum simul, & absque successione, & à se: non autem sic est de mundo.

Arg. 6. si mundus semper fuit, infiniti dies præcesserunt diem præsentem. ergo nunquam fuisset peruentum ad hunc diem, quòd est manifestè falsum. cùm infinita non sit pertransire Resp. neg. conseq. ad prob. dicitur. quòd transitus semper intelligitur de termino in terminum. Quæcumque autem præterita dies designetur, ab illa ad istam sunt finiti dies, qui pertransiri poterunt.

Arg. 7. Si mundus fuisset ab æterno, & generatio esset æterna. ergo in causis efficientibus esset processus in infinitum, quòd improbatur 2. met. Resp. dist. conseq. in causis per se subordinatis, neg. in causis verò per accidens subordinatis, conced. si enim faber operaretur infinito tempore, vteretur infinitis martellis.

Arg. 8. si mundus, & generatio semper fuit, infiniti homines præcesserunt. Sed Anima hominis est immortalis. ergo. Resp. quòd qui poneret mundum ab ęterno, diceret, quòd licèt non fuerit ęternus quòad omnia, quæ in eo sunt, putà quòad homines; fuit tamen ęternus quòad alia.

DISPVTATIO CCXXXXVII.

An mundum incepisse sit articulus fidei.

2006 *Quæ in toto hoc art. continentur, in quinque præcipua dicta distingui commode possunt. Primum, mundum incepisse, & nullam simpliciter creaturam, vt ostenditur vltimis verbis articuli, fuisse factam ab ęterno, esse articulum fidei, quod ostensum, est disp. pręced. Secundùm, nullum fidei articulum posse demonstrari, quod dici videtur in arg. sed contra. Verum qua ratione id intelligendum sit, & quam veritatem habeat, non semel in superioribus explicatum est. Alioquin in hoc ipso art. 2. ad 1. docet S. Th. quoad nos demonstrabile esse, mundum fuisse simpliciter factum à prima aliqua causa, quam nos Deum vocamus; & nihilominus omnes fideles credimus, Deum factorem Cœli, & terræ, visibilium omniũ, & inuisibilium. Et ad 8. posita opinione S. Thomę de impossibilitate animarum infinitarum, conceditur esse demonstrabile quòd mundus cum humanis generationibus non fuerit ab ęterno, quia pręcessissent infiniti homines, ex quibus habentibus singulas animas multiplicatas, & immortales, remansissent iam animę simul actu infinitę; quod Thomistę putant, posse euidenter demonstrari esse impossibile, & tamen non solùm totum mundum, sed etiam ipsam humanamque generationem incepisse diuina fide credimus.* Quinque dicit D. Th. in hoc art. Primum dictum. Secundùm.

2007 *Tertium in causis efficientibus requisitis per se ad effectum, non posse dari processum in infinitum, vt probauimus tom. 1. q. 3. posse verò dari processum in infinitum in causis efficientibus requisitis per accidens ad effectum, sicut ad hoc, vt vnus homo generet Filiũ, per accidens se habet, vt ipse etiam sit generatus à Patre; quoniam etiam si non esset simpliciter generatus, sed aliter factus per creationem, vel si non existeret nunc pater, à quo generatus est, adhuc nunc eodem modo, eundemque filium gignere possit, ita ad 7.* Tertium dictũ.

2008 *Quartum, si demonstrabile est, implicare infinitam actu multitudinem rerum simul permanentium, demonstrabile consequenter esset implicare mundum ab æterno cum æterna generatione hominum; quia cùm animæ nostræ sint immortales, & in singulis hominibus multiplicatæ, necessario sequeretur in quolibet tempore, anteriori, & anteriori in infinitum simul* 4. Dictum.

animas

animas infinitas actu: ita ex S. Th. & Caiet. hic ad 8.

2009 Quintum, non posse simpliciter demonstrari, mundum incepisse in tempore.

Quintum, & vltimum dictum: quod potissimum in toto hoc art. intenditur, & vberem disputandi materiam præbet, non posse demonstrari simpliciter totum hunc mundum excepto homine, incepisse in tempore, & ideò quamlibet creaturam, siue permanentem, siue successiuam, siue spiritualem, & natura sua incorruptibilem, siue corpoream, & corruptibilem, posse esse ab æterno. Mentem enim S. Th. esse non solum negatiuam, inquantum asserit, non posse afferri vllam rationem necessariam, ac demonstratiuá contra possibilitatem æternæ creationis mundi, quia manifestè soluit omnes implicantias, excepta, illa de homine ad 8. sed etiam positiuam; affirmando positiuè possibilem esse mundum ab æterno, ex eo quod per nullam necessariam, & non solubilem rationem demonstrari potest contrarium, patet primò, quia hic est sensus omnium planè Thomistarum. Vndè Caiet. supra hunc sensum positiuum, & affirmatiuum manifestè exprimens, dixit, Concedunt Thomistę mundum potuisse esse ab æterno quoad substantiam, quoad motum Cœli, & generationes omnes præter humanam.

2010 Nō potest demonstrari impossibilitas mūdi ab ęterno.

Secundò, quia hic ad 7. dicitur, Non est impossibile, quod homo generetur ab homine in infinitum. *& ad 8.* Posset dicere aliquis, quod mundus fuit æternus, vel saltem aliqua creatura, vt Angelus, non autem homo. Nos autem intendimus vniuersaliter, an aliqua creatura fuerit ab æterno. *& 2 d. 1. q. 1. art. 5. Corp.* § Tertia positio: *cum retulisset aliquos dicentes*, quòd Deus potuit res ab ęterno produxisse *, subiunxit*, huic positioni consentio. *Et ad 3. secundi ordinis ait*, infinitum esse per successionem non est impossibile. *Et statim explicat, se loqui etiam de infinito* ex parte anterioris.

Ita D. Th. & Thomistę omnes sentiunt.

Igitur absque vllo dubio S. Th. & Thomistę omnes sentiunt, creationis conceptum stare posse cum conceptu æternitatis sine vllo durationis principio; ac possibilem esse ab æterno aliquam creaturam, saltem natura sua permanentem, & incorruptibilem. Item sentiunt, esse etiam posse ab æterno creaturas alias permanentes, natura sua defectibiles; vnum quoque continuum motum, & tempus, plures etiam, & infinitas mutationes, continuò sibi inuicem succedentes in infinitum absque vlla prima, quæ omnia, multùm quidem difficilia, & controuersa ad maiorem omnipotentiæ Dei gloriam, quantum ipsemet imbecillitati meæ donare dignabitur pro viribus explicare, ac tueri suo loco conabor. In quo sanè negotio infinitatis refertissimo, minus laborandum alijs erit, qui infinitatem cum omnibus ferè creaturis misceri posse probabunt. Enim verò cum Thomistis negare omne actu infinitum in rebus permanens, & simul affirmare infinitam durationem creatam permanentem, infinitum motum, infinitum tempus, infinitas generationes rerum corruptibilium, mihi visum semper est durissimum ad intelligendum: & prudenter scriptum reliquit Doctissimus, atque Illustrissimus Cardinalis Tolet. 8. Phys. q. 2. ratione 5. illis verbis, negare infinitum posse à Deo fieri, & cum hoc, mundum posse æternum fuisse, vix capi potest.

Dub. 1. An creatio, vt creatio pugnet cum æternitate.

Dub. 2. In quo adducuntur, ac soluuntur argumenta contra concl. præced. Dub.

DVBIVM I.

An creatio, vt creatio pugnet cum ęternitate?

2011 *Conclus. neg. Prob. quia nullum in creatione inuenitur implicantia caput.*

VNica Concl. neg. Prob. quia si distinguantur, & attentè considerentur omnia, quæ in creatione sunt, nullum in ea solidum implicantiæ caput apparere potest, vi cuius cum ęternitate pugnet. Igitur in creationis natura, superiùs explicata, ac probata, quatuor omninò considerari distinctè possunt. Primo causa efficiens, quæ est Deus. Secundò, ipsa productio simpliciter. Tertiò productio ex nihilo. Quartò terminus ad quem creationis, qui est creatura: ergo si repugnaret æternitas creationi, deberet vtique repugnare ratione alicuius ex his quatuor. Nullius autem ratione repugnat.

Non potest implicare ex parte Dei Creatoris, quia ab ęterno habuit potentiam infinitam.

Non primò ex parte Dei creatoris. Enim verò Deus est ęternus, & semper habuit potentiam infinitam, quæ secundùm veriorem sententiam ad creandum requiritur; ad actum agendum itaque ac agendi potentiam habet, & consequenter ad actu agendum ab ęterno est ex se sufficientissimus, nullo indigens, à nullo dependens, nullum prorsus impedimentum habens. Dices 1. impedimentum esse, quia causa efficiens debet duratione præcedere suum effectum. Sed contra primo, quia vt arguunt S. Th. de Pot. q. 3. art. 13. & 14. & communiter alij eiusdem Conclusionis authores. ex fide habemus, Deum Patrem verè produxisse, ac generasse ab æterno Deum filium. Ergo si non implicauit, generans, & genitum, esse simul coęterna; neque etiam implicabit, causam efficientem posse esse coæternam cum suo effectu. Si enim, inquit S. Th. cit. art. 14. circa med. Corp. *hoc quòd est esse ab alio*, nimirum idem in essentia, vt in diuinis, *non repugnat ei, quod est semper esse*, nec id repugnare debet propter diuersitatem in substantia, quia inquit, *per hoc, quod additur, in substantia diuersum, nulla repugnantia, absolutè loquendo, datur intelligi.*

2012 *Persona ab æterno semper producitur, & ab æterno sunt simul Generans, & genitus.*

Imo melius percipimus, semper produci personam, & simul cum persona produci etiam substantiam, vt contingeret in re ab æterno creata, quam semper produci personam cum substantia omnino improducta; vt in diuinis: vbi principium producens ad intra est persona, non essentia, principium vero producens ad extra est essentia, non persona, vt qu. praeced. diximus quo posito Duran. 2. d. 1. qu. 2. nu. 9. ita bene suadet intentum, *Non minus est potens essentia diuina, quàm persona. Sed persona diuina potest aliam personam diuinam coæternam producere, sicut, & produxit; ergo essentia diuina potest aliam essentiam sibi coæternam producere; non nisi creando, ergo, &c.*

Confirm. in naturalibus effectibus, sunt simul Sol, & lux.

Secundo. idem impedimentum omnes efficaciter impugnant ex ipsismet naturalibus agentibus, in quibus constat, multas causas non præcedere duratione effectus, sed statim ac sunt, esse etiam effectus productos, in eodem enim instanti sunt ignis, & splendor, Sol, & lumen, pes in puluere, & vestigium, & id genus alia. Cum igitur Sol v. g. vt illuminet nullam durationem, ne indiuisibilem quidem, expectare debeat non illuminando, cur Deus omnipotens, & infinitus, & omnino independens in potentia agendi, ęternam durationem expectare necessario debeat, nihil agendo, vt postea agat? Alioquin, vt arguunt S. Thom. & Durand. supra minus potens videretur dicendus Deus, quàm creatura; cùm non possit Deus statim ac est causare effectum, sicut causat creatura.

2013 *Instabis.*

Neque his obstat Philosophus lib. 12. met. tit. 16. vbi inter causam efficientem, & formalem id ponit discriminis, quod forma simul fit cum suo effectu, nempe composito; efficiens verò fit ante suum effectum, non enim vult aliud, nisi formam corruptibilem non posse naturaliter existere non existente composito; quoniam cùm hæc forma non possit naturaliter existere, nisi in materia, & existente forma in materia, existat compositum, fit, vt forma nunquam existat sine composito. At vero efficiens naturaliter existit, & tamen potest illius effectus non existere, vt existentes homines multa possunt efficere, quæ tamen non efficiunt.

Resp. efficientem causam posse existere sine effectu; non verò formam materialem ex Arist.

Quamuis non sit necessarium, semper causam efficientem existere secundùm prioritatem durationis, ante suum effectum, vt patet in causis omnino naturalibus, & non impeditis. Omnis tamen causa præcedit natura suum effectum, ex qua præcedentia non licet colligere existentiam causæ in aliquo priori sine existentia effectus, sed solùm dependentiam effectus a causa, & independentiam causæ ab effectu: prioritas enim, & posterioritas naturæ non dicuntur

dicuntur per ordinem ad entitatem, & non entitatem simpliciter. vt contingit in prioritate, & posterioritate temporis, ac durationis; sed solùm per ordinem ad entitatem independentem, ac dependentem.

2014 *Instabis 2.*

Resp. agens liberum non debet necessariò præcedere electionem.

Dices 2. Deus est ad extra agens liberum; ergo, si non vt agens simpliciter, saltem vt liberum agẽs debet necessariò præcedere duratione suum effectũ. Sed hoc etiam non esse necessarium, patet. Primò, quia vt arguunt S. Thom. hic ad 3. & cit. opusc. Ariminensis 2. dist. qu. 3. art. 1. concl. 3. & Durand. qu. 2. nu. 22. tunc agens liberum, & ex electione anteire debet effectum, cùm ita eligit, vt indigeat deliberatione, & consultatione. vt inuestiget quid agendum sit; vel cùm per nouã voluntaté agit, ita vt de non volente fiat volens, vt cõtingit in creaturis. Hic autem liberè agendi modus à sapientissima, simplicissimaq; æterni Dei intelligentis, ac volentis natura est omninò alienus.

2015 *Confirm. quia ab æterno fuit prædestinatio Virginis, &c.*

Secundò sumo argum. Durand. ibid. nu. 27. Prędestinatio Beatæ Virginis, & aliorum Beatorum fuit æterna, & tamen libera. Item Deus ab æterno liberè voluit producere mundum in tempore; ergo pariter, si Deus creasset mundum ab æterno, nulla esset implicantia, creationem illam esse liberam, & simul æternum. Neque aliquid refert illa disparitas, quam cum Henrico affert Scot. 2. d. 1. quæst. 3. col. 3. & benè confutant Capreolus, & Durand. supra, & Heruæus 2. dist. 1. qu. 1. art. 2. §. *modo restat*; & alij quòd in casu de prædestinatione, effectus prædestinationis non est ab ęterno, sed in tempore: in casu autem nostro ipse effectus creationis ponitur ęternus: *quia*, vt contra hanc disparitatem benè discurrit Duran. *non solùm effectus prædestinationis, qui euenit in tempore, contingenter euenit, & non ex necessitate, puta Sortem saluari; sed ipsum esse prædestinatum saluari, quod est æternum, & non respicit determinatum tempus, liberum fuit, & non necessarium, nisi ex suppositione, sicut Sortem currere posito quod currat.*

Respectus prędestinationis est æternus secundùm Capreolum.

Quamobrem considerando pręcisè, ac directè ipsum respectum prędestinationis ad Petrum, qui respectus est ęternus, inquit Capreol. *eodem modo argueretur contra arguentem, sicut ipse arguit contra nos, quia esse, quòd fuit, quando fuit, necesse est fuisse. Sed illa prædestinatio, & talis respectus ad Petrum fuit in tota æternitate; ergo necessariò fuit. Nec potest respondere, nisi per illam distinctionem de necessitate absoluta, & conditionata, vel, ex suppositione, ideò sicut ratio in illo proposito nihil concludit, ita nec sua in nostro.* Vis igitur argumenti, & paritatis consistit in hoc, quod sicut in velle Dei libero in actu secundo esse liberum, non tollit rationem ęterni, ita in creatione, ratio liberi effectus non contradicit ęternitati ipsius.

2016 *Confirm. 2. quia Deus agẽs liberum, non debet esse minoris virtutis, quàm sit agens necessarium.*

Tertiò optimè arguit idem Durand. nu. 13. & ante ipsum S. Thom. opusc. cit. ex eo, quòd Deus sit agens liberum, non esse debet minoris virtutis, quàm si esset agens necessariũ; nam etiã cum libertate coniunctã habet infinitam omnino potẽtiam, cùm modus agendi liberè non tollat, & minuat agendi vim, sed potiùs eam faciet perfectiorem, & magis independentẽ, atq; eleuatã, & Dominã effectus. *Sed secundùm omnes*, subdit Duran. *Si Deus ageret ex necessitate naturæ, res fuissent ab æterno. ergo non obstante, quod Deus agat per voluntatem, res potuerunt esse ab æterno.*

Confirm. 3. quia aliàs Deus ab æterno esset causa incompleta.

Arg 4. cum S. Th. supra *si aliqua sit causa, qua posita in aliquo instanti, non possit poni effectus eius ab ea procedens in eodẽ instanti, hoc non est nisi quia illi causæ deest aliquid de complemento; causa enim completa, & causatum sunt simul. Sed Deo nunquam defuit aliquid de complemento, ergo causatum eius semper potest poni eo posito, & ita non est necessarium, quod de ratione pręcedat.*

2017 *Confirm. 4. à priori. Nulla causa producens suum effectum subitò; pręcedit suum effectum duratione.*

Arg. 5. a priori ibid. ex S. Th. fusè, & multò breuius hic ad 1. quam solam rationem, vt potissimam proposuit Capreol. 2. d. 1. qu. 1 art. 1. init. *nulla causa producens suum effectum subitò, necessariò præcedit suũ effectum duratione. Sed Deus est causa producens effectum suum, non per motum, sed subitò: ergo non est necessarium, quòd duratione præcedat effectum suum.* Min. & Conseq. ex se patent Maior probant cum inductione, quia v. g. Sol in instanti agens agit, & illuminat statim atq; est; & statim atq; est illuminatio, est etiam lumen: tum ratione, quia agens in eo instanti, in quo est, habet omnia necessaria ad inchoandum actioné suam: ergo in eo instanti potest etiam esse talis actio. Sed hęc, quia ponitur instantanea, esse necessariò debet coniuncta cum toto suo effectu; vndè dici consueuit, quòd in indiuisibilibus, idem sunt fieri, & factum esse; ergo causa in instanti agens, potest statim atq; est, facere effectum suum. Agens verò per motum, & in tempore, vt dicitur hic ad 1. *de necessitate præcedit tempore suum effectum, quia effectus non est, nisi in termino actionis*; ergo si actio est per motum, v. g. vnius horę, non habebitur completus effectus, nisi in vltimò instanti terminatiuo totius horę.

2018 *Secundò non repugnat productio ab æterno ex parte ipsius productionis.*

Pręterea ęternitas creationis repugnare non potest ex secundo capite productionis simpliciter; tum quia in diuinis datur vera productio, ac generatio Verbi æterni; & si formalis, ac realis productio intra Deum datur ab ęterno, non apparet solida discriminis ratio, cur aliqua productio ex eo præcisè, quòd sit extra Deum modò ab eodem Deo omnipotente sit, esse non possit ab ęterno; semper cum ipso Deo, & ab ipso Deo dependens: tum quia conceptus productionis ad extra est conceptus puræ dependentiæ effectus à causa; ergo si causa est æterna, & virtutis actiuæ infinitæ, independentis, & in se quà totaliter completè, ac sufficientis ad agendum extra se, nulla apparet implicantia in hoc præcisè, quòd detur ab æterno etiam dependentia alicuius rei à Deo extra ipsum: tum quia, vt acutè arguit S. Th. de Pot. qu. 3. a. 14. arg. 8. si isti duo termini esse factũ, & esse æternum, seu semper fuisse, repugnarent esse simul in creatura; ergo, inquit, *idem esset dicere creaturam semper fuisse, & factam non esse, quòd patet esse falsum*: tum demum exemplo Aug. sup. si ignis, & Sol fuissent ab æterno, causassent etiam ab æterno splendorem, & lumen; ergo posita de facto causa æterna diuina, nullum inconueniens cogitari rectè potest, si ponamus ab eo etiã procedere ęternã productioné alicuiꝰ effectus.

2019 *Tertiò. Non repugnat ex productione ex nihilo.*

Nulla quoque ostenditur contradictio ex 3. cap. productionis ex nihilo: quoniam, vt probatum est quest. pręced. illud, *ex nihilo* idem est, quòd ex nullo pręsupposito subiecto ad productionem concurrente. Si igitur ab ęterno non fuisset huiusmodi subiectum, vel formaliùs loquendo, non fuisset huiusmodi subiectiuus cõcursus, res potuisset ab ęterno produci ex nullo subiecto, & ex nihilo, ac proindè creari: sed potuit ab æterno nullum esse subiectũ, imò de facto nullũ fuit; ergo illud *ex nihilo*, impedire non potest æternam creationé alicuius effectus.

2020 *Quartò, ęterna creatio non repugnat ex parte creaturæ.*

Postremò ęterna creatio non repugnat 4. ex parte creaturę: quoniam quidquid importat creatura, vt creatura est, totum saluatur, etiam si illi communicetur æternitas: creatura enim dicit primà esse ens; sub qua ratione non repugnet creaturæ æternitas, *quia*, vt benè arguit Durand. 2. d. 1. q. 2. n. 14. *potissimè repugnaret Deo, in quò verissimè saluetur ratio entis.* Secundò, esse productum, & nec cum hoc conceptu pugnat ęternitas.

Esse contingẽs.

Tertiò esse contingens, & dependens, & hoc etiam cum ęternitate saluatur: tum quia si Deus creasset aliquid ab æterno, illud liberè creasset: ergo potuisset non creare, ergo æterna creatura potuisset simpliciter non esse creata; ergo esset ens contingens, & non necessarium simpliciter, tum quia si Sol fuisset ęternus, & consequenter lumen ab ęterno fudisset lumen illud æternum, fuisset à Sole dependens; ęternitas igitur dependentiam non destruit.

Si creatura esset ęterna, esset quid inferius Creatore.

Quarto, esse aliquid inferius Creatore, at si creatura esset æterna, & tandiu duraret, quandiu durat Deus, ac proindè in quantitate durationis esset aliqua ratione æqualis Deo, tamen non solùm

animas infinitas actu: ita ex S. Th. & Caiet. hic ad 8.

2009 Quintum, non posse simpliciter demonstrari, mundum incepisse in tempore.

Quintum, & vltimum dictum: quod potissimum in toto hoc arti intenditur, & vberem disputandi materiam prębet, non posse demonstrari simpliciter totum hunc mundum excepto homine, incepisse in tempore, & ideò quamlibet creaturam, siue permanentem, siue successiuam, siue spiritualem, & natura sua incorruptibilem, siue corpoream, & corruptibilem, posse esse ab æterno. Mentem enim S. Th. esse non solum negatiuam, inquantum asserit, non posse afferri vllam rationem necessariam, ac demonstratiuā contra possibilitatem æternæ creationis mundi, quia manifestè soluit omnes implicantias, excepta, illa de homine ad 8. sed etiam positiuam; affirmando positiuè possibilem esse mundum ab æterno, ex eo quod per nullam necessariam, & non solubilem rationem demonstrari potest contrarium. patet primò, quia hic est sensus omnium planè Thomistarum. Vndè Caiet. supra hunc sensum positiuum, & affirmatiuum manifestè exprimens, dixit, Concedunt Thomistę mundum potuisse esse ab æterno quòad substantiam, quoad motum Cœli, & generationes omnes præter humanam.

2010 Nō potest demonstrari impossibilitas mūdi ab ęterno.

Secundò, quia hic ad 7. dicitur, Non est impossibile, quod homo generetur ab homine in infinitum. *& ad* 8. Posset dicere aliquis, quod mundus fuit æternus, vel saltem aliqua creatura, vt Angelus, non autem homo. Nos autem intendimus vniuersaliter, an aliqua creatura fuerit ab æterno. & 2. d. 1. q. 1. *art.* 5. *Corp.* § Tertia positio: *cum recitasset aliquos dicentes*, quòd Deus potuit res ab ęterno produxisse; *subiunxit*, huic positioni consentio. *Et ad* 3. *secundi ordinis ait*, infinitum esse per successionem non est impossibile. *Et statim explicat, se loqui etiam de infinito* ex parte anteriori.

Ita D. Th. & Thomistę omnes sentiunt.

Igitur absque vllo dubio S. Th. & Thomistę omnes sentiunt, creationis conceptum stare posse cum conceptu æternitatis sine vllo durationis principio; ac possibilem esse ab æterno aliquam creaturam, saltem natura sua permanentem, & incorruptibilem. Item sentiunt, esse etiam posse ab æterno creaturas alias permanentes, natura sua defectibiles; vnum quoque continuum motum, & tempus: plures etiam, & infinitas mutationes, continuò sibi inuicem succedentes in infinitum absque vlla prima, quæ omnia, multum quidem difficilia, & controuersa ad maiorem omnipotentis Dei gloriam, quantum ipsemet imbecillitati meæ donare dignabitur, pro viribus explicare, ac tueri suo loco conabor. In quo sanè negotio infinitatis refertissimo, minus laborandum alijs erit, qui infinitatem cum omnibus ferè creaturis miscere posse probabunt. Enim verò cum Thomistis negare omne actu infinitum in rebus permanens, & simul affirmare infinitam durationem creatam permanentem, infinitum motum, infinitum tempus, infinitas generationes rerum corruptibilium, mihi visum semper est durissimum ad intelligendum: & prudenter scriptum reliquit Doctissimus, atque Illustrissimus Cardinalis Tolet. 8. Phys. q. 2. ratione 5. illis verbis, negare infinitum posse à Deo fieri, & cum hoc, mundum posse æternum fuisse, vix capi potest.

Dub. 1. An creatio, vt creatio pugnet cum æternitate.

Dub. 2. In quo adducuntur, ac soluuntur argumenta contra concl. præced. Dub.

DVBIVM I.

An creatio, vt creatio pugnet cum ęternitate?

2011 *Conclus. neg. Prob. quia nullum in creatione inuenitur implicantiæ caput.*

VNica Concl. neg. Prob. quia si distinguantur, & attentè considerentur omnia, quæ in creatione sunt, nullum in ea solidum implicantiæ caput apparere potest, vi cuius cum ęternitate pugnet. Igitur in creationis natura, superiùs explicata, ac probata, quatuor omnino considerari distinctè possunt. Primo causa efficiens, quæ est Deus. Secundò, ipsa productio simpliciter. Tertiò productio ex nihilo. Quartò terminus ad quem creationis, qui est creatura: ergo si repugnaret ęternitas creationi, deberet vtique repugnare ratione alicuius ex his quatuor. Nullius autem ratione repugnat.

Non potest implicare ex parte Dei Creatoris, quia ab ęterno habuit potentiam infinitam.

Non primò ex parte Dei creatoris. Enim verò Deus est ęternus, & semper habuit potentiam infinitam, quæ secundùm veriorem sententiam ad creandum requiritur; ad actum agendum statim ac agendi potentiam habet, & consequenter ad actu agendum ab ęterno est ex se sufficientissimus, nullo indigens, à nullo dependens, nullum prorsus impedimentum habens. Dices 1. impedimentum esse, quia causa efficiens debet duratione præcedere suum effectum. Sed contra primo, quia vt arguunt S. Th. de Pot. q. 3. art. 13. & 14. & communiter alij eiusdem Conclusionis authores. ex fide habemus, Deum Patrem verè produxisse, ac generasse ab æterno Deum filium. Ergo si non implicauit, generans, & genitum, esse simul coęterna; neque etiam implicabit, causam efficientem posse esse coæternam cum suo effectu. Si enim, inquit S. Th. cit. art. 14. circa med. Corp. *hoc quòd est esse ab alio*, nimirum idem in essentia, vt in diuinis, *non repugnat ei, quod est semper esse*, nec id repugnare debet propter diuersitatē in substantia, quia inquit, *per hoc, quod additur, in substantia diuersum, nulla repugnantia, absolutè loquendo, datur intelligi.*

2012 *Persona ab æterno semper producitur, & ab æterno sunt simul Generans, & genitus.*

Imo facilius percipimus, semper produci personam, & simul cum persona produci etiam substantiam, vt contingeret in re ab æterno creata, quam semper produci personam cum substantia omnino improducta; vt in diuinis: vbi principium producens ad intra est persona, non essentia, principium verò producens ad extra est essentia, non persona, vt qu. præced. diximus quo posito Daran. 2. d. 1. qu. 2. nu. 9. ita bene suadet intentum, *Non minus est potens essentia diuina, quàm persona. Sed persona diuina potest aliam personam diuinam coæternam producere, sicut, & produxit; ergo essentia diuina potest aliam essentiam sibi coæternam producere; non nisi creando, ergo, &c.*

Confirm. in naturalibus effectibus, sunt. n. simul Sol, & lux.

Secundo. idem impedimentum omnes efficaciter impugnant ex ipsismet naturalibus agentibus, in quibus constat, multas causas non præcedere duratione effectus, sed statim ac sunt, esse etiam effectus productos, in eodem enim instanti sunt ignis, & splendor, Sol, & lumen, pes in puluere, & vestigium, & id genus alia. Cum igitur Sol v. g. vt illuminet nullam durationem, ne indiuisibilem quidem, expectare debeat non illuminando, cur Deus omnipotens, & infinitus, & omnino independens in potentia agendi, ęternam durationem expectare necessario debeat, nihil agendo, vt postea agat? Alioquin, vt arguunt S. Thom. & Durand. supra minus potens videretur dicendus Deus, quàm creatura; cùm non possit Deus statim ac est causare effectum, sicut causat creatura.

2013 *Instabis.*

Neque his obstat Philosophus lib. 12. met. tit. 16. vbi inter causam efficientem, & formalem id ponit discriminis, quod forma simul sit cum suo effectu, nempe composito; efficiens verò sit ante suum effectum, non enim vult aliud, nisi formam corruptibilem non posse naturaliter existere non existente composito; quoniam cùm hæc forma non possit naturaliter existere, nisi in materia, & existente forma in materia, existat compositum, fit, vt forma nunquam existat sine composito. At verò efficiens naturaliter existit, & tamen potest illius effectus non existere, vt existentes homines multa possunt efficere, quæ tamen non efficiunt.

Resp. efficientem causam posse existere sine effectu; non verò formalē materialem ex Arist.

Quamuis non sit necessarium, semper causam efficientem existere secundùm prioritatem durationis, ante suum effectum, vt patet in causis omnino naturalibus, & non impeditis. Omnis tamen causa præcedit natura suum effectum, ex qua præcedentia non licet colligere existentiam causæ in aliquo priori sine existentia effectus, sed solùm dependentiam effectus a causa, & independentiam causæ ab effectu: prioritas enim, & posterioritas naturæ non

dicuntur

dicuntur per ordinem ad entitatem, & non entitatem simpliciter. vt contingit in prioritate, & posterioritate temporis, ac durationis; sed solùm per ordinem ad entitatem independentem, ac dependentem.

2014 *Instabis 2.*

Resp. agens liberum non debet necessariò præcedere electionem.

Dices 2. Deus est ad extra agens liberum; ergo, si non vt agens simpliciter, saltem vt liberum agẽs debet necessariò præcedere duratione suum effectũ. Sed hoc etiam non esse necessarium, patet. Primò, quia vt arguunt S. Thom. hic ad 3. & cit. opusc. Ariminensis 2. dist. qu. 3. art. 1. concl. 3. & Durand. qu. 2. nu. 22. tunc agens liberum, & ex electione anteire debet effectum, cùm ita eligit, vt indigeat deliberatione, & consultatione, vt inuestiget quid agendum sit; vel cùm per nouã voluntatẽ agit, ita vt de non volente fiat volens, vt cõtingit in creaturis. Hic autem liberè agendi modus à sapientissima, simplicissimaq; æterni Dei intelligentis, ac volentis natura est omninò alienus.

2015 *Confirm. quia ab æterno fuit prædestinatio Virginis, &c.*

Secundò sumo argum. Durand. ibid. nu. 27. Prędestinatio Beatæ Virginis, & aliorum Beatorum fuit æterna, & tamen libera. Item Deus ab æterno liberè voluit producere mundum in tempore; ergo pariter, si Deus creasset mundum ab æterno, nulla esset implicantia, creationem illam esse liberam, & simul æternum. Neque aliquid refert illa disparitas, quam cum Henrico affert Scot. 2. d. 1. quæst. 3. col. 3. & benè confutant Capreolus, & Durand. supra, & Heruæus 2. dist. 1. qu. 1. art. 2. §. *modo restat*; & alij quòd in casu de prædestinatione, effectus prædestinationis non est ab ęterno, sed in tempore: in casu autem nostro ipse effectus creationis ponitur ęternus: *quia*, vt contra hanc disparitatem benè discurrit Duran. *non solùm effectus prædestinationis, qui euenit in tempore, contingenter euenit, & non ex necessitate, puta Sortem saluari; sed ipsum esse prædestinatum saluari, quod est æternum, & non respicit determinatum tempus, liberum fuit, & non necessarium, nisi ex suppositione, sicut Sortem currere posito quod currat.*

Respectus prędestinationis est æternus secundùm Capreolum.

Quamobrem considerando pręcisè, ac directè ipsum respectum prędestinationis ad Petrum, qui respectus est ęternus, inquit Capreol. *eodem modo argueretur contra arguentem, sicut ipse arguit contra nos, quia esse, quòd fuit, quando fuit, necesse est fuisse. Sed illa prædestinatio, & talis respectus ad Petrum fuit in tota æternitate; ergo necessariò fuit. Nec potest respondere, nisi per illam distinctionem de necessitate absoluta, & conditionata, vel, ex suppositione, ideò sicut ratio in illo proposito nihil concludit, ita nec sua in nostro.* Vis igitur argumenti, & paritatis consistit in hoc, quod sicut in velle Dei libero in actu secundo esse liberum, non tollit rationem ęterni, ita in creatione, ratio liberi effectus non contradicit ęternitati ipsius.

2016 *Confirm. 2. quia Deus agẽs liberum, non debet esse minoris virtutis, quàm sit agens necessarium.*

Tertiò optimè arguit idem Durand. nu. 13. & ante ipsum S. Thom. opusc. cit. ex eo, quod Deus sit agens liberum, non esse debet minoris virtutis, quàm si esset agens necessariũ; nam etiã cum libertate coniunctã habet infinitam omnino potẽtiam, cùm modus agendi liberè non tollat, & minuat agendi vim, sed potiùs eam faciet perfectiorem, & magis independentẽ, atq; eleuatã, & Dominã effectus. *Sed secundùm omnes*, subdit Duran. *Si Deus ageret ex necessitate naturæ, res fuissent ab æterno. ergo non obstante, quòd Deus agat per voluntatem, res potuerunt esse ab æterno.*

Confirm. 3. quia aliàs Deus ab æterno esset causa incompleta.

Arg 4. cum S. Th. supra *si aliqua sit causa, qua posita in aliquo instanti, non possit poni effectus eius ab ea procedens in eodẽ instanti, hoc non est nisi quia illi causæ deest aliquid de complemento; causa enim completa, & causatum sunt simul. Sed Deo nunquam defuit aliquid de complemento, ergo causatum eius semper potest poni eo posito, & ita non est necessarium, quod de ratione pręcedat.*

2017 *Confirm. 4. à priori. Nulla causa producens suum effectum subitò; pręcedit suum effectum duratione.*

Arg. 5. a priori ibid. ex S. Th. fusè, & multò breuius hic ad 1. quam solam rationem, vt potissimam proposuit Capreol. 2. d. 1. qu. 1 art. 1. init *nulla causa producens suum effectum subitò, necessariò præcedit suũ effectum duratione. Sed Deus est causa producens effectum suum, non per motum, sed subitò: ergo non est necessarium, quòd duratione præcedat effectum suum.* Min. & Conseq. ex se patent Maior probant cum inductione, quia v. g. Sol in instanti agens agit, & illuminat statim atq; est; & statim atq; est illuminatio, est etiam lumen: tum ratione, quia agens in eo instanti, in quo est, habet omnia necessaria ad inchoandum actionẽ suam: ergo in eo instanti potest etiam esse talis actio. Sed hęc, quia ponitur instantanea, esse necessariò debet coniuncta cum toto suo effectu, vndè dici consueuit, quòd in indiuisibilibus, idem sunt fieri, & factum esse; ergo causa in instanti agens, potest statim atq; est, facere effectum suum. Agens verò per motum, & in tempore, vt dicitur hic ad 1. *de necessitate præcedit tempore suum effectum, quia effectus non est, nisi in termino actionis*; ergo si actio est per motum, v. g. vnius horę, non habebitur completus effectus, nisi in vltimò instanti terminatiuo totius horę.

2018 *Secundò non repugnat productio ab æterna ex parte ipsius productionis.*

Pręterea ęternitas creationis repugnare non potest ex secundo capite productionis simpliciter: tum quia in diuinis datur vera productio, ac generatio Verbi æterni; & si formalis, ac realis productio intra Deum datur ab ęterno, non apparet solida discriminis ratio, cur aliqua productio ex eo præcisè, quòd sit extra Deum modò ab eodem Deo omnipotente fit, esse non possit ab ęterno; semper cum ipso Deo, & ab ipso Deo dependens: tum quia conceptus productionis ad extra est conceptus puræ dependentiæ effectus à causa; ergo si causa est æterna, & virtutis actiuæ infinitæ, independentis, & in se quà totaliter completè, ac sufficientis ad agendum extra se, nulla apparet implicantia in hoc præcisè, quòd detur ab æterno etiam dependentia alicuius rei à Deo extra ipsum: tum quia, vt acutè arguit S. Th. de Pot. qu. 3. a. 14. arg. 8. si isti duo termini esse factũ, & esse æternum, seu semper fuisse, repugnarent esse simul in creatura; ergo, inquit, *idem esset dicere creaturam semper fuisse, & factam non esse, quòd patet esse falsum*: tum demum exemplo Aug. sup. si ignis, & Sol fuissent ab æterno, causassent etiam ab æterno splendorem, & lumen; ergo posita de facto causa æterna diuina, nullum inconueniens cogitari rectè potest, si ponamus ab eo etiã procedere ęternã productionẽ alicuius effectus.

2019 *Tertiò. Non repugnat ex productione ex nihilo.*

Nulla quoque ostenditur contradictio ex 3. cap. productionis ex nihilo: quoniam, vt probatum est quest. pręced. illud, *ex nihilo* idem est, quòd ex nullo pręsupposito subiecto ad productionem concurrente. Si igitur ab ęterno non fuisset huiusmodi subiectum, vel formaliùs loquendo, non fuisset huiusmodi subiectiuus cõcursus, res potuisset ab ęterno produci ex nullo subiecto, & ex nihilo, ac proindè creari: sed potuit ab æterno nullum esse subiectũ, imò de facto nullũ fuit; ergo illud *ex nihilo*, impedire non potest eternam creationẽ alicuius effectus.

2020 *Quartò, ęterna creatio non repugnat ex parte creaturę.*

Postremò ęterna creatio non repugnat 4. ex parte creaturę: quoniam quidquid importat creatura, vt creatura est, totum saluatur, etiam si illi communicetur æternitas: creatura enim dicit prima esse ens; sub qua ratione non repugnet creaturæ æternitas, *quia*, vt benè arguit Durand. 2. d. 1. q. 2. n. 14. *potissimè repugnaret Deo, in quo verissimè saluetur ratio entis.* Secundò, esse productum, & nec cum hoc conceptu pugnat ęternitas.

Esse contingẽs.

Tertiò esse contingens, & dependens, & hoc etiam cum ęternitate saluatur: tum quia si Deus creasset aliquid ab æterno, illud liberè creasset: ergo potuisset non creare, ergo æterna creatura potuisset simpliciter non esse creata: ergo esset ens contingens, & non necessarium simpliciter; tum quia si Sol fuisset ęternus, & consequenter lumen ab ęterno fudisset lumen illud æternum, fuisset à Sole dependens; ęternitas igitur dependentiam non destruit.

Si creatura esset ęterna, esset quid inferius Creatore.

Quarto, esse aliquid inferius Creatore, at si creatura esset æterna, & tandiu duraret, quandiu durat Deus, ac proindè in quantitate durationis esset aliqua ratione æqualis Deo, tamen non solùm

in reliquis omnibus, vt ex se manifestum est, sed in ipsa etiam duratione non esset simpliciter æqualis: duratio enim diuina, est æternitas irrecepta, & independens, & omninò indefectibilis, alia vero æternæ creaturę duratio, esset quidem quodammodo ęternitas, sed participata, dependens, & defectibilis, saltem extrinsecè per diuinam potentiam, ac proinde potiùs esset ęuum infinitum, quam ęternitas, vt cum Durand. notaui tom. 1. quest. 11.

2021 *Opposit. sent.*

Opposita sententia est Ariminensis 2. d. 1. qu. 3. init. *dicitur à multis solemnibus Doctoribus, quod non fuit, etiam per diuinam potentiam, possibile, aliquam rem, aliam à Deo, fuisse ab æterno*: quos Doctores proprijs eorum verbis refert Carthusian. 2. dist. 1. qu. 4. & postea in col. 15. ità colligit; *Albertus, Bonauent., Petrus de Tarantasia, Riccard., Vldaric Henric concorditer tenent, impossibile esse, creaturam ab æterno fuisse productam. Quibus, & Alexander consentire videtur.*

1. *Obiectio.*

Arg. 1. Non potest produci creatura, nisi priùs præcesserit eius non esse, quia non esse conuenit creaturę de se, cùm secundùm omnes creatura de se sit non ens; esse autem conuenit creaturę ab alio: ergo prius conuenit illi non esse, quàm esse; ergo vel prius duratione, & sic habetur intentum, nempe esse creaturę non semper fuisse ab ęterno, sed in aliqua duratione, antequam haberet esse habuisset non esse: vel prius natura tantum, & consequenter simul duratione: cùm quę solùm natura sunt inuicem priora, & posteriora, eandem durationem communem habeant necesse est, & sic darentur simul duratione esse, & non esse, quę sunt contradictoria.

Explicatur magis contradictio, quia vt sibi obijcit Ocham. 2. d. 1. qu. 8. lat. 4. *quod conuenit alicui naturaliter; sibi conuenit realiter*, sed non esse conuenit naturaliter creaturæ, ergo realiter: debet autem realiter, & in re ipsa dari prius non esse, quam esse, quia non esse conuenit naturaliter, & extra esse vero conuenit contingenter, ab alio extrinsecò. Prius autem sine dubio, debent realiter conuenire, & existere, quæ conueniunt naturaliter, & ex se, siue ex intrinsecis naturæ principijs, quàm quæ cõueniunt contingenter, & ab aliquo extrinseco agēte. Certum autem est, non posse esse ęternum, quod prius in re ipsa habere debet non esse, quam esse.

2022 *Solutio Durandi.*

Respondet Durand. 2. d. 1. qu. 2. nu. 23. & 28. negando, quòd res de natura sua est non ens, &, *quod creatura de se habet non esse*: concedit solùm, *quòd res de natura sua, & de se non est ens eo modo, quo Deus de se est ens*. Eadem in re videtur, tametsi sub alijs terminis responsio Gabriel. 2. d. 1. qu. 3. ad 4. qui hanc propositionem, *non esse conuenit creaturæ de se*, negat, si faciat hunc sensum affirmatiuũ, *creatura est non ens de se, vel secundùm naturam suam*: concedit, si faciat hunc alium sensum negatiuum, *nullum esse conuenit creaturæ de se*. In quo sequitur Ochamum supra cit. & Arimin. 2. d. 1. qu. 3. art. 1. ad 1.

2023 *Reijcitur. quia sunt eædē res significata in vtraq; propositione.*

Hæc vero differentia verbalis, ac logicalis, non videtur satisfacere argumento secundùm rem. Nã istæ duæ propositiones, *creatura de se est non ens*, quæ dicitur falsa, *creatura de se non est ens*, quæ dicitur vera, quamuis secundùm modum significandi differant, quia prima est affirmatiua, secunda negatiua; tamen in vtraque sunt eędem res significatæ, nimirum creatura de se, & negatio entis, quę negatio in prima affirmatiua dicitur esse in creatura, de se, & positiuè, significatur per modum formę inhærentis in subiecto: in secunda vero negatiua supponitur esse in creatura de se, & negatiuè significatur per modum remouentis aliquam formam à subiecto. Omnis .n. negatio, quæ vere est in aliquo subiecto, habet necessario ista duo, & se ipsa formaliter esse in subiecto; & remouere à subiecto rem negatam.

2024 *Hæc non esset vera, creatura*

Ratione primi fieri potest propositio affirmatiua, ratione vero secundi fieri potest propositio negatiua, sed alterum in altero essentialiter includitur, quia nisi in subiecto esset formaliter negatio alicuius rei, non posset per propositionem negatiuam verè negari aliqua res à subiecto: & è contrà, nisi negaretur, & remoueretur aliqua res à subiecto, non posset per propositionem affirmatiuam verè affirmari, esse negationem alicuius rei in subiecto. Sumo igitur propositionem ab aduersarijs concessã, *creatura de se non est ens*. Hæc enim nullo modo dici posset vera, nisi negatio entis, siue existentiæ, esset in creatura de se, quod manifestum est ex inductione in reliquis omnibus negatiuis propositionibus, in quibus si veræ sunt, semper necesse est esse in subiecto, negationem eius, quod in subiecto vere non esse dicitur, v. g. vt vere dicatur, homo non est lapis, Cœlum non est animatum, Deus non est corpus, &c.

de se non est ens, nisi negatio entis esset in creatura de se.

Necesse est verè esse negationem lapidis in homine, negationem animę in Cęlo, negationem corporis in Deo, &c. ergo pariter si verum est, creaturã de se non esse ens, non habere esse, in creatura de se negatio entis, siue existentiæ, sit necesse est; aliter esset impossibile vere negare esse à creatura de se: sicut à contrario, quia in Deo de se, siue ex natura, & essentia sua est esse, nunquam potest vere dici, Deus de se non est ens, aut non habet esse. De hac igitur negatione entis, siue de hoc nõ esse, siue talis negatio affirmetur de creatura secundùm se, siue per talem negationem negetur esse de creatura secundùm se, remanet integra obiectionis difficultas, quia hoc non esse conuenit creaturæ de se naturaliter, & realiter, & priusquam conueniat esse ab alio extrinseco agente acceptum, ergo hoc esse in creatura dari non potest semper, & ab æterno in omni duratione, sic enim conueniret in aliqua duratione cum suo contradictorio non esse.

Verè est negatio lapidis in homine.

2025 *Vera Resp. D. Th. illas propositiones affirmatiuè esse concedendas.*

Concedendum igitur est simpliciùs, ac veriùs cum S. Th. opuscul. 27. post med. quod affirmatiue, *creatura priùs natura est nihil, quã ens. Prius enim inest vnicuique naturaliter, quod conuenit sibi in se, quàm quod solum, & alio habet; esse autem non habet creatura, nisi ab alio, sibi autem relicta in se cõsiderata nihil est. Vndè priùs naturaliter inest sibi nihil quam esse.* Sic etiam in 2. d. 1. q. 1. a. 2. post. med. Corp. affirmatiue dicit, *in re, quę creatur, priùs est non esse quàm esse, non prioritate temporis, vel durationis, sed proprietate naturæ*. Et eodem affirmatiuo modo cum Auicenna loquitur de Pot. q. 3. a. 14. ad. 7. secondi ordinis. Heruæus etiam 2. d. 1. q. 1. a. 3. ad 12. affirmatiuè concedit, *quòd de ratione creaturæ, est non esse absolutè, & simpliciter, sed cum aliqua determinatione, scil. non esse à se*. Et Suar. in Metaph. d. 20. Sect. 6. n. 11. similiter ait, *creatura de se est nihil*. Masius quoque 8 Phys. q. 10. fin. concedit *creaturæ ex se, idest solitariè, conuenire non esse*.

2026 *Ad 1 Obiectionem in forma Resp.*

Hoc concesso, dico ad arg. in forma verum esse Ant. c. & primum Cõseq. nempe, creaturam priùs natura habere non esse, quam esse. Verùm etiam est, quod hoc non est esse simul duratione cũ suo posteriori, nimirum cum esse ęternæ creaturę. Cùm vero subiungitur, sic à nobis poni simul duratione duo contradictoria, id negari debeat, quia, & ad hoc propositum rectè scripsit Gabriel supra, *non esse à se, & esse ab alio non opponuntur, & ideò simul duratione conueniunt creaturę, quia semper creatura non est à se, & semper est ab alio*.

2027 *Non esse de se intrinsecè, & esse ab alio extrinsecè, nullam dicunt contradictionē.*

Quod concedit etiam Heruæus supra, quamuis enim contradictoria sint non esse simpliciter, & esse simpliciter, tamen non esse de se, siue ex vi intrinseca solius propriæ naturæ, & esse ab alio, seu vi alterius extrinseci agentis, nullam dicunt contradictionem, nullam oppositionem, sed maximam coherentiam habent in qualibet creatura, dùm producitur, siue ab æterno, siue etiam in tempore producatur: quemadmodum v g. natura humana Petri propter petreitatem sibi non essentialem, habet extrinsecam repugnantiam ad essendũ in pluribus, sed propter essentiam nõ habet intrinsecam repugnantiam ad essendum in pluribus, vt bene distin-

nè distingui solet in logica; item paries existens albus habet simul esse albũ extrinsecè, & nõ esse albũ intrinsecè, quia ex natura sua non requirit albedinem, cùm possit esse niger.

2028 *Omnis creatura est ens extrinsecè, & non ens intrinsecè.* Sic pariter omnis creatura est ens extrinsecè recipiendo esse ab agente extrinseco, & simul est non ens intrinsecè, quia ex suis intrinsecis principijs nõ exigit habere esse actuale in se, cùm possit ab esse separari, & præcisò omni concursu extrinseco, creatura sibi soli relicta; nec retinere, nec simpliciter habere posse esse, sed necessariò semper esset sub nõ esse. Hanc responsionem innuere videtur S. Th. cit. opusc. 27. dicens, *non enim ponitur si creatura semper fuit, vt in aliquo tempore nihil sit, sed ponitur, quòd natura eius est talis, quod esset nihil, si sibi relinqueretur*. Et affert accommodatum exemplum de Sole, & aere, creatis in eodem instanti; tunc enim aer semper esset illuminatus à Sole, & simul esset ex se tenebrosus, & non illuminatus, alioqui non posset illuminari à Sole, sicut igitur hic aer absque vlla contradictione, nũquam esset simpliciter nõ illuminatus, sed semper esset illuminatus à Sole, nõ illuminatus à se; ità nulla est contradictio, cũ de creatura æterna dicitur, semper in tota æternitate esse, & non esse, non quidem simpliciter, & absolutè, sed esse à Deo, non esse de se.

2029 *Explicatur præsens doctrina optimè à Ioanne de Neapoli.* Quod breuiter, sed perspicuè explicauit Ioãnes de Neapoli sup. ad. I init. propositum, dicens *non esse inconueniens dicere, quòd creatura habeat simul non esse à se, & esse ab alio, scil. à Deo sicut, & aer simul habet lucem à Sole, & ex se est tenebrosus, seu carens luce.* Ex quibus sequitur quod docuit Arimin. 2. d. 1. q. 3. a. 1. ad 8. & ijsdẽ verbis sequutus est etiã Capreol. q. 1. a. 3. ad. 5. aliorũ, Deũ creantem libere ab æterno non transire de cõtradictorio in cõtradictoriũ, sicut nec cũ liberè prædestinat, aut præscit, quia, inquiunt, *si Deus ab æterno produxisset, nunquam fuisset verum ipsum non produxisse, & per consequens non transisset à non producere in producere, vel à non produxisse in produxisse. Eademque ratione addunt infra, quòd vniuersaliter hæc est falsa quidquid est in potentia ad duo contradictoria, si acquirit vnum relinquit reliquum;* quia creatura facta ab æterno, quę potuit fieri, & non fieri, esse, & nõ esse ab æterno, acquirendo esse nunquam reliquisset non esse.

DVBIVM II.

In quo alia adducuntur, & soluuntur argumẽta contra Concl. præced. Dub.

2030 *Petes 1.* PEtes 1. *An Æternitas pugnet cum contingentia creaturæ.*

2. Obiectio. Arg. 2. Ex alio præcipuo aduersariorum fundamento; creatura, vt creatura, essentialiter est ens contingens, hoc est ita pendens à libera Dei volontate in fieri, & in esse, vt possit simpliciter non fieri, & non produci; sed si æternitas coniungeretur cum creatura, hæc esset ens necessarium hoc est, per totam æternitatem non posset non esse. Ergo huiusmodi coniunctio destruit contingentiam, & consequenter essentiam creaturæ. Minor,

2031 *Prima probatio minoris.* quę falsa simpliciter est, probari potest 1. per quinq; rationes, quibus contra nostram Concl. vti solet, si creatura æterna, esset contingens, & potuisset non produci, vel potuisset non produci ante productionem, vel post productionem, vel in ipsa productione, non ante, tunc enim Deus fuisset aliquando potens producere, & non producens; ergo non fuisset semper, & ab ęterno producẽs; ergo res producta, & creatura, & creatio non fuisset ęterna. Non post, quoniam semel productum, per nullam potentiã potest esse productum. Non denique in ipsa productione, quia res dum producitur non potest non produci; si enim non producerentur, essent simul produci, & non produci eiusdem rei, quę sunt contradictoria. Secunda, non potest assignari aliqua du-

2032 *Secunda probatio minor. 2.* ratio, in qua Deus potuisset non creare id, quod ab æterno contingenter, ac liberè creare ponitur. Ergo si Deus crearet ab ęterno, crearet necessariò.

Tertiò creatura eterna non posset etiam per absolutam Dei potentiam, annihilari per totã æternã durationem: fingamus enim, illam annihilari à Deo, vel annihilaretur ab ęterno: & hoc implicat, quia annihilari ab æterno; importat non habere esse ab ęterno; creatura vero ęterna est creatura habens esse ab ęterno; idem igitur haberet, & non haberet esse ab ęterno, quę est aperta implicantia. Vel annihilaretur in aliquo instanti, ante quod non præcesserit infinita duratio, & non hoc est possibile sequeretur enim, totam æternitatem esse finitam durationem ex vtraque parte, ante, & post scil. illo instanti, & alio hodierno; nam constaret ex illa parte ante illud instans, in quo ponitur creatura annihilare, quæ pars finita esse dicitur, & ex alia parte, quæ continetur intra illud instans annihilationis, & aliud hodiernæ durationis; ergo tota æternitatis duratio esset finita. Si igitur annihilanda est creatura æterna, necessariò est expectanda æternitas, & infinita duratio; ergo creatura æterna habere necessariò debet esse omninò indefectibile per æternam, & infinitam durationem; ergo esse simpliciter necessarium; ergo vbi est æternitas, ibi existentiæ necessitas reperitur contradicens essentiali contingentiæ creaturæ. *Tertia probatio minoris.*

Aliter igitur respondendum cum AEgid. 2. d. 1. p. 1. qu. 4. art. 2. tribus columnis ante finem, Durand. qu. 2. ad 3. *Dici debet*, inquit AEgid. *quòd si Deus fecisset mundum ab æterno, potuit non facere, quando fecit, vt potius non facere ab æterno, quod ab æterno ponitur fecisse: non quòd simul potuisset facere, & non facere, sed quia in potestate sua erat alterum horum eligere, & secundam electionem agere.* Et acutè loquitur diuerso modo de creatura, in qua non est libertas, vt fiat, vel non fiat; & de Creatore, in quo tantum est formaliter libertas, vt faciat, vel non faciat. Sic enim subdit non solùm de productione æterna, sed vniuersalius de quauis alia productione in instanti temporis; *si mundus ponitur ab æterno factus, non potest esse non factus, & quandocumque ponitur factus, non potest esse non factus: tamen quandocumque fuit mundus factus, siue ponitur ab æterno factus, siue in tempore, prius non duratione, sed natura fuit in potestate causæ ipsum facere, vel non facere, quàm esset factus. Propter quòd non ex necessitate, sed ex libera Dei voluntate fuit mundus factus.* 2033 *Resp. neg. min Ad 1. probationem si Deus ab æterno fecisset mundum, potuis ab æterno non facere.*

Quamuis igitur implicet, idem simul esse, & non esse, vt creatura creari, & non creari, me currere, & non currere; tamen nulla est implicantia, vt aliquid simul sit, & possit non esse, scil. per respectum ad causam liberam, quæ quia quando facit aliquid, tunc facit per formalem suam libertatem in illud liberè influendo, ita facit, vt tunc maximè cum facit, possit non facere, v. g. non implicat, me currere, & simul posse, non currere, creaturam fieri, & simul posse non fieri; sicut à contrario, aliquid simul non est, & potest esse; vt ego in hac hora, qua nõ curro, possum currere; & Antichristus hodie non creatur; & posset creari, & hic mundus non est creatus vno anno ante, & tamen sine vllo dubio à Deo potuit vno anno ante creari. 2034 *Nulla est implicantia, vt aliquid simul sit, & possit non esse.*

Neque enim sunt contraria, esse & posse non esse, sicut neque contraria sunt, non esse, & posse esse. Hæc igitur simul esse possunt, dummodo res non sit determinata, vel ad esse, vt Deus, vel ad nõ esse, vt chimæra; quam determinationem non habet creatura, quæ ex natura sua est indifferens ad esse, & non esse, ad creari, & non creari. Verum negandum non est, rem quæ siuè in tempore, siuè ab æterno à Deo liberè simpliciter creatur, creari necessario ex suppositione, siue in sensu composito, quia libertas in faciendo; non est libertas ad componendum in re simul facere, & non facere, sed solum ad ponendum in re, vel facere, vel non facere, prout libuerit. De cuius generis necessitate accipiendum est illud Philosophi l. 2. Periher. c. vlt. *omne quod est, quando est, necesse est esse.* 2035 *Non sunt contraria, esse, & posse nõ esse; sicut nec contraria sunt, non esse, & posse esse.*

2036 *Illud non Fieri posse consideratur dupliciter.*

Qua in re diligenter aduertendum est, quod cum dicitur, res posse non fieri, quando fit, illud, *non fieri*, potest considerari dupliciter, primò per se, & absolutè, secundò cum respectu coniunctionis ad fieri, quando igitur res liberè fit, tunc datur potentia ad non fieri primo modo, non autem secundò modo, res enim quando fit, potest quidem simpliciter non fieri, quia sicut in re positum est fieri, in eo instanti potuisset non poni, & tunc non daretur fieri, sed non fieri; non autem existere possunt, simul coniuncta non fieri, & fieri. Quod autem æternitas nihil planè obstet huic libero modo operandi in actu secundò, egregiè suadet Durand. & Capreol. supra exemplo prędestinationis æternæ.

Eadē ratio de prędestinatione ab ęterno, & de æterna voluntate faciendi mundum.

Et eadem ratio est de æterna voluntate faciendi mundum in tempore; verissimè enim, & formalissimè est in Deo ab ęterno velle liberum in actu secundo, quidquid illud sit, vbi non solùm res ipsa extra Deum, ad quam terminatur prædictū velle, potest esse, vel non esse in tempore, sed principalius etiam ipsummet velle rei ad extra, quod ponitur in Deo ab æterno, potuit simpliciter, & absolutè non poni ab æterno in Deo, alioqui non fuisset ab æterno simpliciter, & absolute liberum in actu secundò. Ergo sicut de facto omnes tenemur admittere in Deo ab æterno ista duo simul, velle liberè saluare, seu creare, & posse non velle saluare, seu creare; ita mirum esse non debet, si nos de possibili admittamus simul ab ęterno, liberè creare, & posse non creare.

2037 *Ad 2. Probationem Resp.*

Ad 2. patet ex modo dictis, Deum in ipsa ęternitatis duratione, in qua creat, potuisset non creare; quemadmodum in eadem & voluit actu creare mundum in tempore, & potuit non velle actu creare mundum in tempore. Ad 3. ibi probatum recte esse, creaturam ęternam non posse annihilari, nisi post transactam æternitatem; tametsi assignari nequeat instans, in quo præcisè transacta sit æternitas, & non fuerit ante, & ante in infinitū transacta, & consequenter, non datur præcisè aliquod instans, in quo Deus possit annihilare creaturam ęternam, sed potuit annihilare ante, & ante in infinitum; semper tamen post ęternitatē, vt docent Capreol. sup. ad 4. eorum, quæ proponit 4. loco, & Arimin. sup. ad 15. sicut etiam dicunt aduersarij, creaturam semper, & semper, ante & ante fuisse producibilem, non tamen ab æterno.

Ad 3. Resp. creaturā ęternam non posse Annihilari nisi post transactā ęternitatem.

Non posse annihilari ab æterno creaturam, arguit indefectibilitatem ex suppositione.

Hoc autem non posse annihilari, nisi post æternam durationem, non arguit indefectibilitatem simpliciter, & omnimodam necessitatem creaturę, sed solùm ex suppositione; nam posito quòd Deus liberè voluerit, illam durare ab æterno quę duratio ab æterno essentialiter includitur in creatione æterna, ac proindè posito, quod illa ab ęterno actu duret, non potest Deus non velle, neque creatura non durare. Simpliciter tamen, & absolutè loquendo, & Deus libere voluit creare, & creauit ab æterno, cum potestate, & indifferentia ad oppositum; & per consequens ipsa etiam res creata ab ęterno, potuit non creari ab æterno.

2038 *Instabis.*

Resp. non esse idem, non creare, & annilare.

Dices: Deus ab æterno potuit non creare Angelum, v. g. ergo potuit etiam ab ęterno annihilare. Resp. neg. Conseq. neque enim idem sunt non creare, & annihilare: quoniam non creare, importat puram creationis, & existentiæ negationem, quę potuit esse, & de facto fuit ab ęterno. Quapropter ad posse non creare ab ęterno, requiritur solùm libertas in agente habente potentiam creatiuam ab ęterno, quæ omnia cum sint in Deo, potuit Deus liberè non creare ab ęterno. Annihilare vero importat actionem, seu negationem, ac destructionem quandam, qua tollitur creatio, & existentia rei creatę: & ideò essentialiter præsupponit creatam existentiam, & creationem in actu positam; & præterea dicit negationem creationis, & existentiæ, ad quam negationem, tanquam ad terminum ad quem, annihilatio essentialiter tendit.

2039 *Si Anihilatio*

Si igitur annihilatio est ab ęterno, ergo durat per totam ęternitatem, ergo in tota æternitate datur non esse simpliciter creaturę. Esse autem simpliciter, quod essentialiter pręsupponit annihilatio, non potuit pręcedere ęternitatem; ergo datur in eadem ęternitate, ergo per totam æternitatem fuissent simul permanenter esse simpliciter, & non esse simpliciter eiusdem Angeli; quod cùm manifestè implicet sequitur necessariò, Deum non posse annihilare aliquid ab ęterno. Addidi illud, *permanenter*, vt satisfacerem tacitæ obiectioni de ente successiuo ęterno, v. g. de tempore, si ab ęterno daretur. hoc enim, quamuis nunquam haberet aliquid permanens, sed totum semper esset in continua successione, tamen non propterea haberet simul in æternitate esse simpliciter; & non esse simpliciter, nec, quod idem est, in tota ęternitate simul generaretur, & corrumperetur.

esset æterna: fuisset ab æterno esset simpliciter, & non simpliciter.

2040 *Ens successiuū vt intelligatur fieri, & esse, debet fieri, & esse successiuè.*

Enim vero esse entis successiui, non est permanens, sed succedens: ergo, vt ens successiuum intelligatur fieri, & esse, debet intelligi fieri, & esse successiuè, non autem fieri, & esse permanenter. Ergo tempus æternum, quia semper fieret, & esset successiuè, haberet in tota ęternitate suum fieri, & esse simpliciter: ex eo autem quòd, non permaneret in tota ęternitate, non sequitur, quod simul corrumperetur, & haberet non esse simpliciter: nam non fieri, & non esse permanenter, & si tollat fieri, & esse entis permanentis, tamen non tollit, sed explicat potiùs, & supponit positiuum fieri, & esse entis successiui, in quo fundatur negatio prędicta entis permanentis. Ex qua subtilissima entis successiui natura oritur, vt eius generatio, aut corruptio, poni non possit in aliquo instanti intrinseco, in quo poni quidem potest aliquid permanens totum simul, non autem aliquid succedens per partes, vnam post aliam; sed necessario ponenda sit in aliquo instanti extrinseco, in quo vel vltimò non sit, & immediatè post erit, vel primò non sit, & immediatè antea fuerit; Sed hęc pluribus prosequi, non est huius loci.

2041 *Petes 2.*

Petes 2. *Qua ratione creatura produceretur, & conseruaretur in æternitate.*

3. Obiectio.

Arg. 3. Creatura, vt sit ab æterno, debet creari; sed quidquid creatur, præsertim si fuerit ens formaliter indiuisibile, vt Angelus, vel anima nostra, vel etiam productum, quod multi non improbabiliter concedunt, & putant posse fieri separatum à solo Deo per creationem, debet creari in aliquo primo instanti, siue in aliquo instanti formaliter, & virtualiter indiuisibili: alioquim haberet partes, saltem virtuales, quarum altera crearetur in vna parte virtuali durationis virtualiter diuisibilis, & altera in alia parte eiusdem durationis. Sed in ęternitate manifestè implicat primum instans, vel instans formaliter, & virtualiter indiuisibile; hoc enim est formalissimum incipiendi principium, quòd contradicit cuilibet durationi ęternę à parte ante, sicut finis contradicit durationi ęternę à parte post. ergo implicat, creaturam ab ęterno produci absque vllo durationis principio.

2042 *Resp. falsam esse minorem primam.*

Resp. cum Duran. 2. dis. 1. q. 2. à n. 15. ad 21. quē ad verbum refert, & multum laudat Capreol. q. 1. art. 3. ad 7. Aurelij, cuius est hoc argumentum, falsam esse minorem primam. Creari enim in aliquo primo instanti, vel in instanti formaliter, & virtualiter indiuisibili, non conuenit omni creaturę, nec consequenter creaturę, vt creatura est, sed solùm creaturæ habenti nouitatem essendi.

Quomodo creatura creetur in instanti ab ęterno.

Creatura verò, vt creatura est, creari quidem debet in aliquo instanti, hoc est in aliqua duratione indiuisibili; tamen vel in instanti temporis formaliter, & virtualiter indiuisibili, qua ratione creari debet creatura temporanea, quę producitur cum nouitate essendi; vel in instanti ęternitatis formaliter indiuisibili, virtualiter vero infinite diuisibili; quod instans est ipsamet æternitas, in qua produci debet creatura ęterna, & absque vllo principio, ac nouitate essendi.

Non licet assignare principi.

Cùm igitur æternitas ex natura sua sit quædam duratio, quæ nunquam incepit, aut initium habuit, non

um creaturę ab æterno creata.

non licet in productione creaturæ ab æterno, inquirere, & assignare productionis principium, aut primum aliquod instans, in quo creatura producatur; quandoquidem æternitas, in qua creaturam produci posse dicimus, nullum habet principium, neque prius, aut posterius formaliter. Nec ad intelligendam correspondentiam creaturæ indiuisibilis, etiamsi fuerit punctum, cum duratione virtualiter diuisibili, est necessarium intelligere in illa creatura partem, & partem; sed satis est intelligere totam illam indiuisibilem creaturam, totámque indiuisibilem eius productionem, & ipsam indiuisibilem æternitatem, in qua producitur, correspondere singulis partibus formalibus alterius durationis formaliter diuisibilis. Sic enim indiuisibiliter, & absque vllis partibus in se intellligimus Deum totum correspondere singulis mundi partibus, & totam ipsius æternitatem correspondere singulis partibus temporis, sicut etiam totam animam nostrã singulis partibus corporis. Quapropter Capreol. sup. benè negat Aureolo, *quòd omnis productio creaturæ ex vi, qua est productio creaturæ, habet quod mensuratur instanti transeunte: sed mensurari potest nunc stante, quod potest coexistere infinitis instantibus, & multis, vel pauci nunc temporis fruentibus, secundùm quod placet creanti.*

2043 *In hac re prudenter corrigere debemus imaginationē.*

Qua in re prudenter corrigere debemus imaginationem, rebus diuisibilibus concipiendis assuetã, cui aliqui nimis indulgentes, immeritò pronunciant, hanc obiectionem esse demonstratiuam; hic enim hæretici Arriani demonstratiuè ad hominem impugnandum facere possunt æternam Verbi generationem. Verbum enim, inquiunt, est genitum. ergo in aliquo instanti. ergo in aliquo primo instanti formaliter, & virtualiter indiuisibili; ergo incæpit, & erat, quando non erat. Hanc rationem nullius esse momenti censere omnes debemus. Verum aliter solui non potest; nisi solutione paulò ante data; distinguendo duplex instans, alterum æternitatis infinitum sine vllo principio, in quo diuinum Vebum generatum fuerit: alterum temporis initium, & essendi nouitatem includens, in quo non res æternę, sed temporaneę, & de nouo incipientes producantur, de quo solùm procedi ratio facta.

Ex opposito, sumi posset grauis occasio negandi in Deo actus liberos.

Hinc etiam sumi posset grauis occasio negandi in Deo ab æterno actus liberos, quia etiam Deus in instanti liberè decernit aliquid, ergo sicut diuinum decretum omnino indiuisibile intelligitur esse liberè in instanti diuisibili virtualiter; & non est necessarium intelligere illud in aliquo primo instãti formaliter, & virtualiter indiuisibili: ita potest intelligi creatura libere à Deo procedere ab æterno absque vllo primo instanti: ex quibus duobus exẽplis, ad hanc veritatem persuadendam optimis, & propterea non semel superius inculcatis, animaduertere licet, Christianos Philosophos ad possibilitatem creationis æternæ defendendam valdè propensos esse debere; non solùm quia hoc modo de æterna, infinitaque Dei omnipotentia, honorificentiùs sentimus. Sed multis magis, quia aliter æterna filij Dei productio, & actus liberi diuinæ voluntatis, qui ab æterno in Deo fuerunt, ò potuerunt non esse, faluari, atque intelligi minimè queunt. Vbi etiam acutè aduertendum cum Durand. 2. d. 2. qu. 4. nu. 3. idem esse instans, siue nunc ęternitatis, & ęternitatem, & instans, siue nunc æui, & ęuum; quia æternitas, & æuum sunt ex natura sua durationes indiuisibiles, ergo in illis non possunt assignari, & nunc, siue instans, & aliquid alius præterea; hoc enim necessariò esse deberet extenium, & diuisibile, quo careat.

Æternitas, & æuum, cùm sint mensuræ indiuisibiles, in illis non est assignabile instans, & aliquid aliud.

2044 Petes 3.

Petes 3. *An diuerso modo creatura ab ęterno creetur, quo creatur hodie?*

4. *Obiectio.*

Arg. 3. Creatura æterna nunquam magis creata esset, quo hodie crearetur, quia idem prorsus creatiuæ actionis influxus, quo formaliter res crearet, perseuerare necessario deberet per totam æternitatem; sed hodie non crearetur, sed tantùm conseruaretur; ergo nunquam antea fuisset creata.

Confirm. quia creatura, quæ creata ab æterno ponitur, non potest conseruare in tota æternitate, quia conseruatio essentialiter connotat productionem in aliqua præcedenti duratione, factam; nulla autem duratio cogitari potest ante totam æternitatem; ergo nulla creatura potest permanere in esse ab æterno; ergo nec accipere esse per æternam creationem. *Confirm.*

2045 *Resp. creaturam diuerso modo creari ab æterno, quo creatur hodie.*

Resp. neg. Ma. quamuis enim creatura æterna hodie eodem modo creetur, quo creatur in quocumque determinato instanti, signabili in infinita duratione præcedenti; sicut enim ante hodiernum instans, præcedit aliud, in quo etiam fuit, ita ante quodlibet instans assignabile prius, & prius in infinitum, semper præcedit infinita alia duratio, hoc est, ipsamet æternitas à parte ante, in qua habuit creatura esse) tamen diuerso modo creatur ab æterno, quo creatur hodie. Etenim ab æterno, siue in instanti æternitatis ita creatur, vt ante æternitatem nullum instans signari possit, in quo habuerit, vel non habuerit esse, ęternitas enim quãcumque signabilem durationem compræhendit, hodie verò ità habet esse, vt illud etiam pręhabuerit ante, & ante in infinitum.

Si Deus crearet ab æterno, ille idem influxus hodie perseueraret.

Minor quoque, qua dicitur, quòd creatura ęterna hodie non crearetur, est simpliciter falsa; quia vt rectè dicebatur in maiori obiectionis, hodie etiam perseueraret ille idem influxus, qui est formalis ratio creandi quidquid creatur. Quemadmodum Psal. 2. vt exponunt omnes Patres, & Scholastici, Deus Pater dicit Filio suo, quem ab æterno genuit, *Ego hodie genui te.* Neque ex eo, quod ęterna creatura hodie conseruaretur, potest rectè deduci, quòd hodie non crearetur; quia creatio, & conseruatio sunt vnus, & idem formalis influxus, & differunt solùm extrinsecè penes aliquod connotatum: creatio enim, vt creatio pręcise, dicit solùm accipere esse ex nihilo: conseruatio vero dicit idem, & solùm addit accipere esse, quod etiam antea fuerit acceptum. Connotat igitur, rem pręfuisse in aliqua præcedenti duratione: illud enim omnes dicimus, & concipimus conseruari, quod habuit aliquando esse, in quo nunc etiam perseueret: ergo res siue ab æterno, siue in tempore creata, semper ac conseruatur, & durat idem concursus creatiuus, dici optime potest creari, & non solùm conseruari, vt dicit Capreol. 2. d. 1. qu. 1. art. 3. init. cum S. Thom. Arimin. & Durando.

2046 *Ad Confirm. Resp.*

Ad Confirm. aliqui negant Anteced. dicentes, creationem æternam non differre à conseruatione Sed si de his vocibus rectè loqui volumus in propria significatione sapientibus communiter vsurpata, id negari non potest; quia creatio vt æterna, supra influxum, qui essentialiter includitur etiam in conseruatione, addit actualem negationem connotationis existentiæ pręcedentis; creatio enim ęterna, quatenus ęterna, significat rem ita accipęre esse a Deo, vt nulla signari possit procedens duratio, in qua verum sit dicere, creaturam in illa non extitisse; itaque actu negat huiusmodi connotatum pręcedentis durationis, siue existentię cùm totam possibilem infinitę durationis extensionem ambiat.

An creatio ęterna à conseruatione æterna differat.

2047 *Resp. affirmat. quia creatio connotat negationem existentiæ: conseruatio verò præcedentem existentiam.*

Conseruatio autem actu includit huiusmodi connotatum pręcedentis existentię; creatio igitur simpliciter nihil connotat, sed solùm dicit accipere esse. Creatio vt temporanea, dicit rem non extitisse in duratione pręcedente: contrà vero conseruatio semper dicit, præfuisse existentiam in aliqua pręcedenti duratione. Creatio vero vt æterna, neque includit negationem existentiæ in duratione pręcedente, vt creatio temporanea; neque connotat, rem antea fuisse, vt conseruatio, sed dicit, nullum esset assignabile præcedens durationis momentum, in quo res non existat, & non producatur, cum in tota ęternitate res producatur, & existat, & ante ęternitatem nullum intelligi possit instans, in quo dicere liceat fuisse, vel non fuisse id, quod

creatur

creatur ab æterno; illud enim instans esset quidam terminus durationis à parte ante. Qui terminus repugnat, cum duratione infinita, & æterna à parte ante.

2048 *Conseruatio cū æternitate, in quo sensu pugnet.* Ex quo patet, conseruationē, & æternitatem implicare: nam conseruatio, vt conseruatio supponit creationem præcedentem, ac proinde connotat rem existentem antea; æternitas vero nihil realē ante ipsum factum præsupponere potest. Quæ ratio non habet locum in productione, seu creatione, quia hæc nihil aliud dicit, nisi accipere esse, quod contingere potest sine vlla durationis præcedentia, & essendi nouitate, cùm non connotet aliquid priùs, in quo res præfuerit, vel sub esse, vel sub non esse.

Valet dicere, in instanti æternitatis creatura creatur non conseruatur formaliter. Quarè valebit dicere de creatura æterna, in instanti æternitatis creatur, non conseruatur; & ideò neganda est Conseq. prædictæ confirmationis, cùm ex eo, quod creatura æterna non conseruatur in æternitate, deducitur quod in eadem æternitate non permaneat in esse, nec accipiat esse permanēs, ac proinde non creetur: nam etiam res durans, siue existens per vnum tantùm instans, vt generatio formæ substantialis, & ipsum instans temporis in sententia illud realiter admittente, & Angelus in instanti creatus, & non conseruatus in tempore sequenti, quod nonnulli possibile esse probabiliter putāt, ita existit in aliquo instanti, vt in illo dici nō possit propriè conseruari; quia tunc primò accipit esse, quod antea non præerat.

Quomodo concedi possit conseruatio in æternitate. Quamuis si per conseruationem æternam, intelligamus conseruationem, quæ fit in quocunque instanti determinato, assignabili, illa sine dubio concedenda est in æternitate, siue in creatione æterna, in qua sicut nunquam verum est dicere, nūc creatura incipit, sed semper ante, & ante in infinitum, habuit esse; ita semper in quocumque instanti verum est dicere, nunc creatura conseruatur; quia quolibet assignato nunc, sēper ante illud nunc præcedit esse illius creaturę, quæ præcedentia ad conseruationem requiritur, & in tota collectione, ac latitudine æternitatis reperiri non potest. Posset denique creatio æterna dici etiam conseruatio, si paulo aliter, & largius vsurpetur nomen conseruationis, vt nimirum significetur res illa fieri, vt in ipsa duratione, qua fit non corrumpatur, sic enim creatura æterna conseruaretur in ipsa tota æternitate, quia tunc fieret, & non corrumperetur.

2049 *Conseruatio in hoc sensu præsupponit præcedentem productionem natura, non duratione.* In qua sententia cōseruatio præsupponeret productionem præcedentem natura tantum, non duratione, quia prius natura est rem fieri, cum non corrumpi factum. Verùm cum in eodem instanti rem fieri, & corrumpi, ac proinde esse, & non esse secundùm communissimam sententiam manifestè implicet, hæc conseruationis acceptio, ex eo tantùm, quod in re nō reperiatur quod reperiri repugnat, non videtur a bonis Philosophis vsurpanda: alioqui dici pariter posset conseruari instans, vel instantanea formæ substantialis generatio, vel Angelus durans per vnicum tantum instans. Quæ omnia longe distant a communi modo sentiendi, & loquendi omnium sapientum: qui omnes conseruationem accipiunt, non negatiue pro negatione corruptionis rei existentis; sed positiue pro permanentia, seu perseuerantia, & continuatione in esse antea accepto.

2050 *Petes. 4.* Petes 4. *An æternitas pugnet cum mutabilitate creaturæ.*

Quinta Obiectio. Arg. 5. Creatura, vt creatura, dicit esse aliquid mutabile, ac mobile æternum vero, vt æternum, dicit esse aliquid immutabile, & immobile; quod enim non perseuerat idem in tota æternitate, manifestum est dici non posse esse ab æterno: ergo implicat aliquid esse simul creatum, & æternum.

2051 *Resp. ad creationē ab æterno requiri inuariabilitatem eiusdem esse.* Resp. ad æternitatem cuiuscumque creaturæ necessario requiri, vt illud esse, quod ab æterno accipere dicitur creatura, idem omnino per totam æternitatem inuariabiliter retineat, v. g. si ab æterno accipiat creatura existentiam, vel hæc ab æterno cum aliqua vna intellectione, vel cum quiete, vel cum motu, nulla ratione potest intra ipsam æternitatem, siue ante transactam æternitatem, ab esse, vel ab illa intellectione, vel à quiete, vel à motu deturbari. *per totam æternitatem.*

Mutabile posse sumi dupliciter in actu primo, & in actu secundo. Itaque distinguendum est Antec. obiectionis. Mutabile enim, seu mobile, sumi potest primo in actu 1. pro potentia ad mutationem simpliciter, vel motum simpliciter, & hæc est mutabilitas, quam requirit creatura, vt creatura est, per hanc enim sufficienter distinguitur à Creatore, qui cuiuslibet mutationis est simpliciter incapax. Hanc verò mutabilitatem haberet etiam creatura æterna, tum quia illa poterat, & ab æterno, & simpliciter nunquam fieri, tum quia posset, æternitate tamen præterita, annihilari, retardari a motu, vel intellectione, si ab æterno mota esset, vel intellexisset; item moueri, si per æternam durationem quieuisset 2. in actu etiam 2. pro potentia ad actualem mutationem, quæ semper actu coniuncta sit cum ipsa potentia. & sic non necesse est, esse mutabilem creaturam, imo id implicare etiam potest.

2052 *Sicut implicat me scribente, non scribere; ita implicat creaturā quiescentem in æternitate, in eadē non quiescere.* Sicut enim repugnat, me in hac hora scribentem, non scribere in hac hora, ita repugnat, creaturam in æternitate existentem, vel intelligentem, vel quiescentem, in eadem æternitatē non existere, vel non intelligere, vel moueri, & non quiescere. Atque hanc solam immutabilitatem ex suppositione, quæ creaturę non repugnat, dicunt res æternæ, imo etiam res temporales, vt probauimus. Creatura igitur æterna, quatenus æterna, esset in ipsa æternitate mobilis, & non mobilis, diuersa tamen ratione, mobilis, quoad potentiam simpliciter, immobilis, quoad potentiam coniunctam cum exercitio actus, non simpliciter, sed secundùm quid, hoc est, in a iqua tantum duratione, siue infinita, siue finita.

2053 *Hæc doctrina etiam locū habet in sententia Durandi.* Quæ responsio locum habet, etiamsi in opinione Durandi, vt dicamus implicare motum Cæli æternum, non tamen implicare ab æterno ipsum Cœlum mobile. Quamuis enim implicet potentia ad actum implicantem simpliciter, hoc est, nullo tempore, sub nulla circumstantia possibilem; tamen non censenda est implicare potentia in aliquo tempore, aut in aliqua circumstantia, in qua implicat actus. Enim vero de intrinseca ratione potentię non est actualis coniunctio cum actu, ergo non est impossibile cum potentia coniungi aliquod impedimentum, cum quo implicet actus: satis enim est, illud impedimentum non esse connaturale potentiæ, sed posse ab illa separari.

Etiam in sententia, quæ negat motum ab æterno. Et habemus aptissimum exemplum ad hominem, quoniam aduersarij putant implicare motum, & creationem ab æterno; & tamen de facto est in Deo potentia æterna mouendi, & creandi. Sicut igitur per aduersarios datur in Deo æterna potentia ad actum possibilem; non in æternitate simul cum potentia æterna, sed in tempore post æternitatem; ita mirum esse non debet, si nos ponamus creaturam cum æterna aliqua potentia, quę non in æternitate, sed post æternitatem coniungi potest cum exercitio actus.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Creatio rerum fuerit in principio temporis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio affirm. Prob. nam illud verbum Gen. 1. *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram*. tripliciter exponitur ad excludendum triplicem errorem. Primò enim in principio temporis; ad excludendum errorem dicentium, tempus non habuisse

habuisse principium: 2. exponitur in principio 1. in filio: ad excludendum errorem dicentium: duo fuisse principia, vnum bonorum, alind malorum. 3. exponitur in principio, idest ante omnia creauit Deus Cœlum, & Terram. Ad excludendum errorem dicentium, corporalia fuisse à Deo creata, mediantibus creaturis spiritualibus.

Arg. 1. Actio per quam producitur substantia rerum, non mensuratur tempore. Sed creatio est actio per quam producta est substantia rerum. ergo. Resp. conced. totum; creatio enim non fuit in tempore, quia mensuretur tempore: sed aliquid potest dici creari in tempore, quia simul cum tempore creatur, & hoc verum est. Et secundùm hoc, res dicuntur creatæ in tempore.

Arg. 2. Omne fieri habet prius, & posterius secundùm Arist. sed creari est quoddam fieri. ergo. creatio habet prius, & posterius. ergo non fuit in principio temporis: Resp. dist. Antec. omne fieri per motum habet prius, & posterius, conced. absque motu, vt est creatio, neg. de primo enim fieri, loquutus est Arist.

Arg. 3. Tempus non est creatum in principio temporis. quia diuisibile non est creatum in indiuisibili, ergo non omnia sunt creata in tempore. Resp. neg. ma. & ad prob. quòd tempus producitur eo modo, quo potest esse: & quia non potest esse nisi secundùm aliquod nunc, propterea productum fuit secundùm primum nunc, quòd est principium temporis.

DISPVTATIO CCXXXXVIII.

Vtrum creatio rerum fuerit in principio temporis.

2054 Concl. affirm. est certa secundùm fidẽ. Prob. ex illo Genesis *In principio &c.*

C*oncl. affirmatiua certa secundùm fidem, est eadem omninò cum Concl. art. primi huius q. 46. ibi & authoritatibus, & rationibus sufficienter probata, & defensa contra Gentiles Philosophos. In hoc autem art. arg.* sed contra. *Prob. ex illo Gen.* 1. In principio creauit Deus Cœlum, & Terra: *in cuius loci expositione totum articuli corpus occupatur; illud enim,* In principio, *inquit S. Th.* tripliciter exponitur ad excludendum tres errores. *Primò,* in principio temporis, *ad excludendam huius mundi, & cuiuslibet simpliciter creaturæ æternitatem. & hic solus sensus probat affirmatiuam partem quæstionis propositæ in titulo articuli.*

In principio scilicet in Filio.

Secundò, in Filio, *cui, inquit,* appropriatur principium exemplare propter sapientiam, sicut principium effectiuum appropriatur Patri propter potentiam, *& principium finale appropriatur Spiritui S. propter bonitatem; vt addit Ægid. 2. dis. 1. p. 1. q. 4. art. 3. ad 1. Hunc secundum sensum probat primò ex illo Ps. 103.* Omnia in sapientia fecisti: *hoc est,* in Filio, *vt interpretatur Aug. lib. 15. de Ciuit. c. 32. ante med. & ibi ita vertens,* Omnia in Christo fecisti, *iuxta illud 1. Cor. 1.* Christum Dei virtutem, & sapientiam.

Tertiò, significat an omnia.

Tertiò exponitur, ante omnia: *ad excludendum, corporalia esse creata à Deo mediantibus creaturis spiritualibus: creatis scil. ante Cælum, & terram: quod vltimum posuerunt etiam non nulli ex antiquis Patribus, præsertim Græcis. Has tres expositiones distinctè numerat Aug. l. 1. de Gen. ad literam c. 1. medio. Prima expositio est Augustini l. 12. confessionum c. 20. fine. In principio, idest, inquit,* in ipso exordio faciendi, atque operandi fecit Deus, *&c. significans etiam tertiam expositionem, & vtramque ex alijs hic relatã infra in c. 30. & 31. ait ex propria*

2055 Has tres expositiones habet Augustinus de Principio.

sententia, esse veram, & intentam à Spiritu S. & intellectam à Mose. Athanasij orat. in illud dictum, omnia mihi tradita sunt a Patre meo, *multo post med. probantis per illud,* In principio, *quod opera creata* initium existendi sortita sunt. *Beda in exameron initio, qui hac Dei æternitatem sic acutè deducit,* scriptura primo statim verbo æternitaté Dei creatoris ostendit, Quem enim in principio tẽporum, mundum creasse perhibet, ipsum profectò ante tempora extitisse designat, & aliorum. *Quem librum alij falsò tribuunt Iunilio Episcopo Africano, vt benè notauit Bellarm. in libello de scriptoribus Ecclesiasticis, agens de Iunilio. Quarè cum idem Beda deinde. in Genes. exponens primum verbum, dixit,* Vtique non in principio temporis; Deus enim fecit tempora; & ideo antequam Deus faceret tempora, non erant tempora *non est sibi contrarius, quia vt ex eius probatione patet, vult tantum excludere principium temporis praexistentis ante creationem, & non facti à Deo.* 2056 Confirm. ex Beda, Athanasio, & alijs.

Ad idem verbum, hoc primo modo intellectum, respexisse videtur Io: initio sui Euangelij, dum volens inter alia explicare æternitatem Filij Dei, scribit, quòd In principio, *hoc est, quando esse cœpit omnis creatio, omnis creatura,* erat Verbum: *hoc est præexistebat increatum, & æternum Verbum à Deo Patre in eadem natura genitum, vt exponunt Patres relati.* Idẽ ex D. Ioa. Euang.

Eandem expositionem de principio temporis respexisse etiam videtur Concil. Lateran. sub Innocentio III. c. 1 initio, ita definiens, Deus simul ab initio temporis, vtramque de nihilo condidit, creaturam spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicet, & mundanam. *& amplexati sunt reliqui omnes, & nemo, quem sciam, eam reijcit. Et ideo Bannes hic non exaggeratè scripsisse videtur,* quod esset maximè temerarium, negare primum sensum, qui est de principio temporis. *Immo Valent. hic punct. 1. initio loquens de prædictis verbis Genes. ait,* quo loco principium intelligi initium temporis, ante quod mundus non esset, definitũ est in Concil Lateran. *Sed intelligendus est de re ipsa, quæ dicitur in hac expositione, non de expositione ipsa. Definit quidem Concil. verum creationem fuisse ab initio temporis, non autem definit primũ scripturæ verbum,* In principio, *esse intelligendum de principio temporis, quemadmodum de fide est, omnia facta esse per Verbum, Ioannis 1. Et in Christo Filio Dei condita esse vniuersa. Colos. 1 tamen expositio ipsa non est certa secundum fidem.*

Pro intelligentia autem, huius expositionis notandum ex responsione ad 1. quod non dicuntur in principio temporis res esse creatę, quasi principiũ temporis, creationis sit mensura; sed quia simul cum tempore, Cœlum, & terra creata sunt. *Quod ex responsione ad 3. debet intelligi, non de ipsa diuisibili, & continuata temporis successione secundùm partes priores, & posteriores, quia prima creatio facta est indiuisibiliter, & tota simul, sed de nunc temporis; quoniam inquit S. Th.* nihil est temporis, nisi nunc, non quia in ipso primo nunc fit tempus, sed quia ab eo incipit tempus. *Quam doctrinam sequutus est, & paulò clariùs expressit Ægid. 2. dis. 1. par. 1. qu. 4. art. vlt. ad 3. dicens.* In principio temporis fecit Deus Cælum, & terram, non in principio temporis, tanquam in mensurante, quia nunc temporis non est mensura creationis cuiuslibet creaturæ sed tanquàm in coassistente, quia huius initium temporis fuit coæuum creationi rerum.

2056 Idem confirmat conc. lateranense.

QVÆSTIO XLVII. D. Th.

De rerum distinctione in Communi.

A R-

ARTICVLVS PRIMVS:

Vtrum rerum multitudo, & distinctio sit à Deo.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

CONclusio. Distinctio, & multitudo rerum est ex intentione primi agentis, qui est Deus. Prob. per vnam creaturam cùm diuina bonitas sufficienter repræsentari non possit; producit Deus multas creaturas, vt quòd vni deest ad repræsentandam diuinam bonitatem; suppleatur ex alia. Bonitas enim quæ in Deo est simpliciter, & vniformiter; in creaturis est multipliciter, & diuisim. Vndè perfectiùs participat diuinam bonitatem, & repræsentat eam totum Vniuersum, quàm alia quæcumque creatura particularis. ergo, distinctio, & multitudo rerum est ex Deo.

Arg. 1. agens maximè vnum, semper natum est facere vnum; sed Deus est agens maximè vnus; vt dictum est supra q. 11. ergo. Resp. ma: esse veram de agente naturali, non autem de voluntario. Deus, enim est agens per voluntatem; & cùm non repugnet eius simplicitati plura intelligere; ideò licèt sit vnus, poterit tamen absque præiuditio vnitatis, plura facere.

Arg. 2. Causa exemplaris maximè vna, debet habere exemplatum maximè vnum. Sed Deus est causa exemplaris rerum maximè vna. ergo Resp. ma. esse veram de exemplato perfecto, & adæquato: secùs autem est de imperfectis. Creaturæ enim sunt imperfecta exemplata diuinæ essentiæ. ideò &c.

Arg. 3. Creaturę est vnus finis scil. diuina bonitas, vt supra dictum est. Ergo Creatura, quę est effectus Dei est tantùm vna. Quia ea, quę sunt ad finem proportionantur fini. Resp. neg. conseq. ad prob. dist. ea, quę adæquant finem, debent esse tantùm vna, conced. si non adęquent, negatur. Creaturæ autem non adæquant finem, qui est diuina bonitas, propterea. &c.

DISPVTATIO. CCIL.

An rerum multitudo, & distinctio fit à Deo.

2058 Distribuitur ac expenditur Art. D. Th.

IN titulo quæritur, an distinctio sit à Deo, non quomodolibet, sed vt per se intenta, vt in processu articuli patet. In corpore tria facit. Primò tractat opinionem antiquorum: secundò opinionē Auic. tertiò respondet quæstioni Quoad primum refertur opinio Democriti, & Anaxagoræ, quòd distinctio rerum est à materia sola, & causaliter, vel à materia simul, & agente. Reprehenditur autem vtraque opinio, quoad hoc, in quo communicāt, scil. quòd distinctio est à materia, vt à causa prima, id est irreducibili in aliā priorem causam dupliciter. Primò quia ipsa materia est à Deo. Secundò, quia etiam forma est prior materia; quoniam materia est propter formam.

2059 Refertur Opinio Auicennę.

Quoad secundum refertur opinio Auic. quòd distinctio est ex secundis agentibus: & improbatur dupliciter. Primò, quia hoc est falsum de distinctione incorruptibilium, quoniam à solo Deo fieri possunt. Secundò, quia distinctio rerum esset à casu, & consequenter complementum vniuersi esset à casu, & tenet primò sequela; quoniam quid fit ex concursu multarum causarum agentium, non per se intentarum ab aliquo dirigente eas in vnum, casu fit: secunda autem sequela tenet, quia perfectio vniuersi, in rerum diuersitate consistit.

2060 Concl. affirm. Prob. quia Deus produxit res in esse propter bonitatem communicandā.

Quoad tertium Conclusio responsiua est, distinctio, seu multitudo rerum est ex intentione primi agentis, qui est Deus. prob. Deus produxit res in esse propter suam bonitatem communicandam creaturis: & per eas repręsentandam; ergo produxit multas creaturas, & diuersas, & tenet sequela, quia per vnā creaturam sufficienter repræsentari non potest. Quod probatur, quia bonitas, quæ in Deo est simpliciter, & vniformiter, in creaturis est multipliciter, & diuisim. Conf. quia perfectius participat diuinam bonitatem totum vniuersum, quam quæcumque creatura. Prob. 2. Concl. authoritate scripturæ, Gen. 1. Dixit Deus, &c.

Aduerte. quod D. Th. non loquitur de sufficientia simpliciter

Circa hanc rationem aduerte, quòd cum dicitur, nominatur, aut quærit sufficiēs repræsentatio bonitatis diuinæ, non est sermo de sufficientia simpliciter, quoniam nec mille mundi sufficerent ad id, sed de sufficientia consona perfectioni vniuersi; huc enim tendit ratio, vt hominibus repræsentationem diuinæ bonitatis in rerum vniuersitate per se intentam à Deo fateamur, quia vnica creatura ad huiusmodi repræsentationem non sufficeret.

Exemplar dupliciter Deo attribuitur.

In resp. ad 2. aduerte, quòd exemplar dupliciter Deo attribuit littera vul. Primò ratione substantiæ simpliciter, & sic Deus est vnum exemplar omnium. Secundò ratione substantiæ sic vel sic imitabilis, & sic in mente diuina sunt multa rerum exemplaria iuxta multitudinem idearum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum inæqualitas rerum sit à Deo.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COncl. affirm. Prob. qui est causa principalis distinctionis ipsarum rerum, est etiam causa inæqualitatis. Sed Deus est causa principalis ipsarum rerum. ergo. ma. prob. & declaratur. nam duplex est rerum distinctio: altera formalis, & est, qua res specificè differunt. altera materialis, quæ reperitur in his, quę differunt numero tātùm. illa enim est nobilior materiali; quia est per actum; & ex illa sumitur ratio distinctionis, ac proindè inæqualitatis ex Arist. 8. met. dicente, quòd formę rerum sunt sicut numeri, in quibus species variantur per additionem, vel subtractionem vnitatis.

Arg. 1. Qui omnia facit optima, non est causa inæqualitatis rerum. Vnum enim optimum non est maius altero. Deus facit omnia optima. ergo. mi. prob. quia optimi est optima facere. Resp. neg. mi. ad prob. dist. illa propositionem. Optimum agens producit optimum effectum, quoad totalitatem effectus; quia integrum effectum producit, conced. quoad totalitatem partium, ita vt faciat quamlibet partem optimā simpliciter; neg. tolleretur enim bonitas totius, si partes essent simpliciter optimæ. Si quælibet animalis pars, oculi v. g. haberet dignitatem, pars: enim quęlibet est perfecta in ordine ad totum, secundùm exigentiam totius.

Arg. 2. Qui est maximè vnus, facit omnia æqualia, ęqualitas enim est effectus vnitatis, ex 5. met. Deus est maximè vnus. ergo. Resp. dist. ma. ab vnitate procedit tantùm ęqualitas simpliciter, neg. ab vnitate, enim procedit ęqualitas, & multitudo:

ab

ab vnitate procedit æqualitas, vel simpliciter, vel proportionis; conced. à Deo .n. prius procedit æqualitas simpliciter .s. filius: deinde ęqualitas proportionis, quę reperitur in creaturis.

Arg. 3. Iustitia est ęqualibus æqualia; & inęqualibus inæqualia dare: sed operatio Dei, qua esse rebus communicat, nullam prę-supponit rerum inæqualitatem. ergo. Resp. ma. esse veram in retributione præmiorum; non verò in constitutione rerum; in quibus non est inæqualitas partium per quamcumque inæqualitatem pręcedentem, vel meritorum, vel etiam dispositionis materię: sed propter perfectionem totius.

DISPVTATIO CCL.

Vtrum inæqualitas rerum sit à Deo.

2061 Opinio Origenis refertur.

TItulus intelligẽdus est, sicut præcedens. In Corp. duo facit, primò, tractat opinionem Origenis; secundò respondet quæsito. Quoad primum ponitur in littera opinio Origenis satis clarè continens tria, S. rationales creaturas æquales creatas, & inæqualitatẽ ex lib. arb. & diuersitatem, imo, & creationem corporum ex punitione, & sic respondet quæsito negatiuè. Refertur quoque, & occasio huius opinionis, quia, scil. excludere conatus est opinionem ponentem distinctionem ex contrarietate principiorum boni, & mali, quod videtur fuisse Empedoclis, & Manichæorum, De quibus omnibus, si diffusè tractatum videtur, lege in 2. cont Gen. à cap. 39. vsque ad 46. hic enim hæc breuiter tanguntur.

Contra Origenem arguit D. Th.

Contra hanc autem opinionem Arg. 1. in littera. Quia sequeretur, quòd vniuersitas corporalium creaturarum non esset propter Dei bonitatem communicandã, sed propter pactum puniendum. sed hoc esset inconueniens, probatur auctoritate Genesis, & Aug. Aduerte hic, quòd non excluditur in hac ratione totaliter diuina bonitas, quoniam etiam iustitiæ punitiuæ finis est diuina bonitas, sed excluditur diuina bonitas à solitudine sufficienti.

2062 Differentia inter bona absolutè, & punitiuè.

Hæc enim est differentia inter bona absolutè, & bona non nisi punitiuè, quod primorum ratio sola diuina bonitas est: secundorum verò numquam diuina bonitas causa est, nisi demerito supposito, quod non est à Deo: & propterea in littera non est simpliciter negata diuina bonitas, sed apposita est aduersatiua. scil. sed ad puniendum pactum. Ex hoc enim insinuatur, quid diximus. Manifestatur verò optimè inconueniens ex inducta auctoritate. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona: quæ enim non nisi ad puniendum bona sunt, inter simpliciter bona non connumerantur: quoniam non sunt simpliciter appetibilia.

2063 Prob. quia est causa distinctionis rerum Concl. affirm.

Quoad secundum Concl. responsiua. Sapientia Dei sicut est causa distinctionis rerum, ita & inæqualitatis; & prob. 1. quòd sit causa inæqualitatis: Secundò quòd sicut est causa distinctionis, ita inæqualitatis. Prima Conseq. prob. quia distinctio formalis, est principalis distinctio; quod prob. quia duabus tantùm existentibus distinctionibus scil. numerali, & formali, materia est propter formam; ergo distinctio materialis est propter formalem. Et rursus manifestatur à signo, quod videmus vnitatem, & pluralitatem numeralem esse propter formam specificam.

Sicut est causa distinctionis, ita & inæqualitatis.

Secunda autem Conseq. prob. quia distinctio formalis, semper inæqualitatem requirit, quod prob. dupliciter; Primo, quia formę rerum sunt sicut numeri ex 8. Metaph. Secundò, quia in rebus naturalibus species ordinatę gradatim apparent, vt patet inductiuè. Prob. 2. quod forma sicut est causa distinctionis, ita inęqualitatis sic. Vniuersum non esset perfectum, si vnus tantùm bonitatis gradus inueniretur, ergo perfectio vniuersi requirit inæqualitatem, ergo sic inæqualitas est à Deo propter perfectionem vniuersi, sicut & distinctio. Totus processus patet.

ARRTICVLVS TERTIVS.

Vtrum sit vnus tantùm mundus.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COncl. mundus est tantùm vnus. Prob. omnia ea, quę habent ordinem ad inuicem, spectant tantùm ad vnum. Sed omnia, quæ sunt à Deo creata, habent ordinem ad inuicem; ergo omnia spectant ad vnum mundum: & sic mundus est tantùm vnus, qui vnus dicitur vnitate ordinis, secundùm quod quædam ad alia ordinantur.

Arg. 1. Non est maior ratio, quare Deus vnum, quàm plures mundos producere debuerit; ergo sicut vnum produxit, ita & multos produxit. Resp. neg. Antec. & hęc est ratio, quia debent omnia esse ordinata, & vno ordine, procedit ex multis ad vnum, propter quod Arist. 12. met. ex vnitate ordinis existentis in rebus concludit vnitatem Dei gubernantis.

Arg. 2. meliùs est esse plures mundos, quàm vnum: plura enim paucioribus sunt meliora. ergo &c. quia natura, & multò magis Deus facit, quòd est melius. Resp. neg. conseq. ad prob. natura, & Deus faciũt semper, quod est melius: melius quodcumque, neg. quod potest habere rationẽ finis, conced. multiplicatio enim mundi non potest habere rationem finis; sed tenderet in infinitum.

Arg. 3. multiplicatio secundùm numerũ est ex materia. Sed mundus habet formã in materia. ergo. Respon. dist. ma. est ex materia, quando habetur tota materia, neg. quando materia est in potentia ad aliam formam, conced. mundus .n. constat ex tota sua materia, ideò &c.

DISPVTATIO CCLI.

Vtrum sit vnus mundus tantùm.

IN titulo sermo est de vnitate numerali, & de mũdo non solùm corporeo, sed vniuerso; & de facto, non de possibili; non enim nunc de potentia Dei disputamus, sed de diuersitate inuenta in rebus communi. In corp. duo facit. Primò, respondet quęsito, secundò ex ratione data deducit corollariè, quid alij potuerunt opinari. 2064 Sensus Tituli explicatur.

Quoad primum conclusio responsiua est. quòd mũdus est tantùm vnus, & prob. sic. Quæcumque sunt à Deo, ordinem habent ad inuicem, & ad ipsum Deum, ergo omnia ad vnum mundum necesse est pertinere. Sequela prob. quia mundus iste vnus est vnitate ordinis. Ex hoc autem deducitur secundò corollariè differentia inter Philosophos, scil. quòd illi, qui posuerunt mundi causam, aliquam ordinantem sapientiam, non posuerunt plures mundos: qui verò, res à casu dixerunt, vt Democritus, plures potuerunt dicere mundos. 2065 Concl. affirm. Prob. quia mũdus est vnus vnitate ordinis.

In resp. ad 3. aduerto, quòd tota responsio sumpta est ex Arist. in 1. Cæli, & mundi, verumtamen cùm in littera dicitur, quod non est possibile esse aliam terram, ly possibile non sumitur pro possibili, secundùm actiuã potentiam Dei, neque pro possibili logico, sed pro possibili sumpto ex potentia indita rebus creatis, secundùm quam dicimus, quòd impossibile est, mortuum resurgere. 2067 In respõsione. Ad 3. D. Th. aduerte.

QVÆSTIO XLVIII. D. Th.

De distinctione rerum in speciali.

ARTICVLVS PRIMVS:

Vtrum malum sit natura quædam.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

COncl. malum non est natura aliqua, sed quædam absentia boni. Prob. omne, quod habet rationem appetibilis, est bonũ. Sed esse, & perfectio cuiuslibet naturæ habet rationem appetibilis: omnis enim natura appetit suum esse, & suam perfectionẽ. ergo omnis natura est bona; ac proinde malum non potest significare naturam, vel formam aliquam; sed tantùm absentiam boni.

Arg. 1. Omne genus est natura quædam: dicitur enim in prædicamento, quòd bonũ, & malum non sunt in genere; sed sunt genera aliorum. ergo. Resp. dist. min. sunt genera simpliciter, negatur: genera contrariorum, conced. cùm prima contrarietas sit habitus, & priuatio: dicitur ergo malum genus contrariorum non inquantum malũ; sed inquantum est bonum cum priuatione alterius boni.

Arg. 2. malum est differentia constitutiua in moralibus: differt enim specie malus habitus à bono. ergo. Resp. dist. ma. malum inquantum malum constituit speciem in moralibus, neg. inquantum malum significat aliquod bonum coniunctum cum priuatione alterius boni, & hoc est verum.

Arg. 3. inter bonum, & malum datur medium, & à malo fit reditus ad bonum. ergo malum est natura quædam, quia non opponitur priuatiuè bono, sed contrariè. Resp. dist. Antec. inter bonum, & malum datur medium, & fit reditus &c. in naturalibus, neg. quia opponuntur priuatiuè, in moralibus, conced.

Arg. 4. quod agit, est natura quædam: quod enim non est, non agit. Sed malum agit, quia corrumpit bonum; ergo. Resp. dist. ma. quæ si intelligatur de eo, quod agit formaliter, est falsa. potest enim aliquid agere, quod non sit natura quædam. nam priuatio formaliter corrumpit bonum: Si verò maior intelligatur de eo, quod agit effectiuè, vel finaliter, conced. & tunc minor est falsa.

Arg. 5. Ad perfectionem Vniuersi non spectat nisi, quod est natura quædam: sed malum spectat ad perfectionem Vniuersi ex Aug. in Enchir. ergo. Res. dist. ma. quod spectat ad perfectionem vniuersi per se, est natura quædam, conced. per accidens, vt spectat malum ex Aug. 5. ratione boni adiuncti, neg.

DISPVTATIO CCLII.

Vtrum malum sit natura quædam.

1068 Nota primò, quod de malo tripliciter potest loqui.

DE materia huius quæstionis agit Mag. in 2. d. 34. & ibi Doctores. S. Th. 3. cont. Gen. à c. 4. vsque ad 15. & in quæstionibus de malo. D. Aug. in tractatibus contra Manichæum, specialiter in lib. 1. de lib. arbitr. & lib. 2. de moribus Ecclesiæ. Pro huius articuli explicatione nota primò, quod de malo tripliciter possumus loqui, vno modo secundùm formalem significationem, & sic est priuatio; secunde modo secundùm materialem significationem, vt sumatur denominatiuè à priuatione intrinseca, & sic est aliquid positiuum materialiter, vel substantia, vel accidens, vt oculus est malus, cui est priuatio suæ perfectionis. Tertiò. Sumitur denominatiuè ab extrinseca priuatione, vel quam potest efficere, sicut aqua est mala igni, & stomaco debili, vel cuius est signum, vt malus color, malum verbum, indicium malæ mentis. Prima ergo Concl. S. Th. sumitur primo modo, quæ acceptio formalissima est, & vnde cætera dicuntur mala.

1069 Malum primo modo debet carere bono debito.

Nota 2. quòd vt aliquid dicatur malum primo modo, non sat est, quod careat bono aliquo, quod natum est habere, sed quod debitum sit inesse, v. g. priuatio formæ equi non est malum materiæ primæ, quia secundũ rationem materiæ primæ non est sibi debita, quamuis materia sit apta ad illam, sed priuatio formæ est malum materiæ primæ, similiter priuatio frigiditatis est malum aquæ. Vndè ait Aug. lib. de moribus Manich. c. 2. Quis ita mente cæcus est, vt id non videat, cuique generi esse malum, quod contra naturam eius est? Similiter etiam in moralibus non dicitur actus malus, licèt careat aliqua circumstantia bona, quam posset habere, si non est debita in esse, vt actus charitatis remissus non est malus, licèt sit imperfectus.

1070 Prima Cõclusio D. Th. in art. prob.

Nunc ergo prob. prima Concl. ex Aug. lib. de fide ad Pet c. 21. & lib super Genesim ad litteram in imperfecto c 4. & lib 11. de Ciuit. c. 9. & lib. contra epist. Fund. c. 33. & sæpè aliàs etiam affirmat, & diffinita est etiam à Leone I. contra Priscillianistas in epist. 91. cap. 6. Eamdem sententiam docent Sancti PP. Dionys. c. 4. de diu. nom. D. Damasc. lib. 3. de fide c. 30. D. Anselm in lib. de casu Diaboli. Et certè Concl. est secundum fidem certa in hoc sensu, quo explicata est. Patet Gen. 1. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Et 1. Timot. c. 4. & Eccl. 3. Cuncta fecit Deus bona in genere suo. Vide D. Th. 3. cont. Gen. c. 7. Per hæc conuincitur error Manichæorum asserẽtium esse quandam naturam malam per essentiam suam, à qua effluebant omnia mala, tanquam natura quædam: quem errorem habuerant Gnostici, vt insinuat D. Aug. lib. de Hæres. ad quod vult Deum hæresi 6. & 21. vbi tribuit hunc errorem Cerdoni. Priscillianistæ etiam habuerunt hunc errorem.

1071 1. Obiectio.

Pro maiori explicatione primæ Conclusionis Arg. 1. contra illam. Malum pœnæ est malum: sed est formaliter aliquid positiuum; ergo Conclusio falsa. Prob. Mi. Malum pœnæ est formaliter aliquid positiuum; ergo. Conclusio falsa. Prob. Mi. Malum pœnæ est formaliter ipsa pœna, sicut malum culpæ est ipsa culpa, pœna verò est aliqua entitas, v. g. dolor, tristitia, ergo est positiuum. Resp. quòd positiua pœna includit duo, alterum est motus quidam, seu actus, alterum est, quòd per talem actum aufertur efficienter. Item potest dici mala formaliter à priuatione, quam secum habet intrinsecè, & nomine pœnæ significatur. Vndè sequitur, quòd si dolor, & tristitia non importarent boni priuationem, non essent mala formaliter, neque esset dolor, aut tristitia.

Resp. malum pœne duo includere.

1072 2. Obiectio.

Arg. 2. Ipsum non esse est malum, tamen non est priuatio boni, sed mera negatio, ergo. Prob. Ma. Voluntas naturaliter fugit non esse. ergo est malum Patet Conseq. Quia voluntas sicut non fertur, nisi ad bonum, ita non fugit, nisi malum. Respond. quòd nullum malum potest esse, nisi vbi aliquod bonum est. Ita docet Aug. in Enchirid. c. 12. & 13. & S. Th. a. 3. huius quæstionis. Nihilominus voluntas potest refugere nõ esse, quia non solùm fugit priuationem sui boni, sed negationem. Resp. quòd sicut voluntas aliquando vult aliquid, quod re vera non est bonum, sed quia æstimatur bonum, v. g. qui se interficit, vt careat opprobrijs, ita etiam potest refugere naturali quodam motu ipsũ non esse, quod apprehendit, vt malum.

Respondetur.

Arg. 3.

2073 3 Obiectio. *Arg 3. Actus peccati, v. g. intemperantiæ, est malus, & tamen formaliter dicit aliquid positiuum; similiter odium Dei est malum, & dicit aliquod positiuum; ergo. Respondent ad hoc aliqui, quòd duo considerantur in actu peccati, alterum est ipsa substantia actus, alterũ priuatio conformitatis ad rectam rationem; primum non est malum, nisi denominatiuè, secundum est malum formaliter. Sed contra hanc solut. arg. ex solut. ad 2. S. Th. Odium Dei, & intemperantia est formaliter species peccati; ergo formaliter constituitur per aliquod bonum, cui intrinsecè est adiuncta alicuius boni priuatio: & non denominatiuè solùm. Hoc argumẽtum tangit difficultatem illam celebrem. An actus peccati recipiat speciẽ per se aliquid positiuum, de qua re agitur in 1.2. q. 71. art. vlt. & q. 72. art. 1. & Caiet. ibid. optimè explicat, quo modo species peccatorum constituantur, & distinguantur per aliquid positiuum scil. ex obiecto, ad quod conuertitur voluntas, cui annexa est priuatio rectitudinis. Sed hinc rursus emergit alia difficultas maior; quia sequitur, quòd Deus esset causa illius differentiæ constitutiuæ peccati; & speciei ipsius: Sed de hac quæst. diximus supra tom. 1 qu. 19. & 1. 2. explicabitur planiùs, quod S. Th. docet hic ad 2. Nunc satis est respondere, quòd ratio mali semper in genere est priuatio boni, quamuis talis mali, scil. moralis, qui est actus liberi arbitrij, sit aliquid positiuum.*

Resp. peccatũ constitui per aliquid positiuum. de quo 1.2. D. Th.

2074 Instabis. *Contra id, quod docet S. Th. ad 4. arguitur sic ex 1. 2. q. 75. art. 4. vbi ait S. Th. quòd vnum peccatum potest esse causa alterius peccati, secundùm quadruplex genus causæ, ergo malum potest esse causa efficiens, & finalis. Conf. actus peccati generant habitum peccati efficienter; ergo malum est causa efficiens. Ad hoc resp. quòd omnis ratio efficientiæ realis, & omnis ratio finis debet attribui peccatis, & actibus, siuè habitibus, secundùm quod sunt aliquid positiuum habens formã, & bonitatem, & sic verificatur, quod ait S. Th. 1. a. hic autem loquitur de malo formaliter secundùm rationẽ priuationis boni, & esse.*

Resp. ratio finis attribuitur peccatis secundùm, quod sunt aliquid positiuũ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum malum inueniatur in rebus.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONCL. affirm. Prob. & declaratur à simili. sicut perfectio Vniuersitatis rerum requirit, vt sint non solùm entia incorruptibilia, quæ à suo esse deficere non possunt; sed etiam corruptibilia, quę deficere possunt. ità perfectio vniuersi requirit, vt sint quædam; quę à bonitate deficere possint, ad quod sequitur ea interdum deficere; in quo consistit ratio mali, s. vt aliquid deficere possit à bono; Sed inęqualitas, quę in Vniuerso reperitur, est penes diuersos inæqualitatis gradus. ergo.

Arg. 1. quod reperitur in rebus, vel est existens; vel non existens. Sed malum neque est existens, neque non existens: ex D. Dion. de diu. nomin. ergo. Resp. dist. ly non existens: vel priuatiuè, vel negatiuè: & ad mi. malum licèt neque sit existens, quia non est ens: neque non existens negatiuè; quia non est negatio entis; est tamen non existens priuatiuè; quia est eius priuatio.

Arg 2. quod est ens in rebus, est res quædam, ens enim, & res conuertuntur. Sed si malum esset in rebus, esset ens quoddam; ergo. Resp, dist. ma. quòd est ens in rebus, prout ens dicit entitatem, quæ diuiditur in decem prædicamenta; est res quædam, conced. pro vt, verò ens significat veritatẽ propositionis; quo modo malum est ens in rebus, negatur.

Arg. 3. In eo, quod est optimum, nullum reperitur malum. Sed omnia, quæ Deus facit, sunt optima. ergo. Resp. dist. ma. sunt optima; secundùm rationem totius, conced. secundùm rationem partium, neg. quia Deus, & natura non facit melius in vnaquaque parte; nisi in ordine ad totum, vt supradictum est.

DISPVTATIO CCLV.

Soluuntur aliquæ obiectiones contra D. Thom. doctrinam.

CONTRA solutionem ad secundum Arg. sic. Malum formaliter nullam entitatem dicit in rebus, ergo est falsa propositio hæc, Malum est. 2075 Obijcies 1.

Si dicas, quòd verbum, Est, solum dicit compositionem mentis sequitur, quòd chimæra est, quia in mente componitur cum esse. Resp. quòd cum ait S. Th. ens significat veritatem propositionis, quæ in compositione consistit, non intelligitur, quòd in sola compositione consistit veritas, tanquam in mensura, sed tanquam in subiecto, aliàs omnis compositio esset vera. At verò ad veritatem compositionis affirmatiuæ sat est, ita esse in re, sicut per illam significatur, & aliquando significat esse aliquid realiter existens in rebus, vt Petrus est. Aliquando verò asserit esse in rebus non aliquid reale formaliter, sed remotionem alicuius formæ cum aptitudine reali, & sic dicuntur esse priuationes in rebus formaliter, vt cæcitas est in Petro, At negatio mera, vt non ens, non est nisi obiectiuè in intellectu.

Resp. veritatẽ non consistere in sola compositione.

Nota circa solut. ad 3. causas, quarè Deus permittit mala, & peccata in mundo. Prima est, quia vt habetur Sap. 8 disponit omnia suauiter, idest vnamquamque rem gubernat iuxta naturam ipsius rei; vnde necessaria facit necessariò euenire, & contingentia contingenter: naturam liberam non cogit, nec detinet, quominus operetur liberè secundùm suam conditionem, & sic permittit mala, ne tollat libertatẽ arbitrij defectibilis à bono, vt volentis deficere.

Assignantur causę, quare Deus permittit mala.

Secunda causa est propter perfectionem, & pulchritudinem vniuersi, nisi enim esset corruptio quorumdam, non conseruaretur ita in rebus corporalibus, v. g. si non esset persequutio bonorum, non perficeretur, nec palam fieret virtus sapientiæ. Sic Paulus ait: Necesse est hæreses esse, vt ij, qui probati sunt, manifesti fiant.

2076 Confirmatur ex D. Aug. *Vide Aug. in Enchirid. c. 11. vbi ponit hanc causam; & lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 18. sic ait. Neque enim Deus vllum non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præsciuisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum vsibus commodaret. Atque ita ordinem sæculorum, tanquam pulcherrimum carmen ex quibusdam antithesis honestaret. Et c. 23. exemplum adducit imaginis, quę ex colore nigro suo loco posito pulchriter apparet. Sic explicat illud Ecclesiast. 33. Contra malum bonum est, & contra mortem vita. Sic etiam contra virum iustum peccator, & sic intuere in omnia operata altissimè duo contra duo, & vnum contra vnum. Id ipsum docet Aug. lib. 17 de Ciuit. Dei cap 11. Denique tertia ratio est, vt palam fiat multa, ac infinita perfectio diuinæ simplicitatis, & bonitatis, vt appareat, quòd simul est misericordia, & iustitia.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum malum sit in bono, sicut in subiecto.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONCLVSIO est affirmatiua. Prob. Priuatio quælibet est in bono sicut in subie-

biecto. Nam subiectum formæ est bonum, quando non est subiectum ens in potentia simpliciter, vt materia: sed ens in actu simpliciter, & secundùm quid in potentia. Sed malum est priuatio quædam. nam malum importat remotionem boni non negatiuè, sed priuatiuè. ergo malum est in bono, sicut in subiecto.

Arg. 1. Malum non est existens, neque in existentibus, vt Dyon. dicit. ergo malum non est in bono, sicut in subiecto. Resp. neg. conseq. quia Dyonis, noluit dicere, quòd malum nullo modo sit in rebus; sed tantùm quòd non est in rebus sicut earum pars, vel sicut passio naturalis.

Arg. 2. Non ens non est in ente sicut in subiecto. Sed malum est non ens, & bonum est ens. ergo. Resp. dist. ma. Non ens negatiuè nullo indiget subiecto, concedo ma: Non ens priuatiuè, nego: hoc enim est in eodem subiecto, in quo est forma.

Arg. 3. Vnum contrariorum non est in altero, tanquam in subiecto. Sed malum, & bonum sunt contraria. ergo. Resp. dist. mi. omne malum contrariatur omni bono, neg. mi. tale malum contrariatur tali bono, conced: mi. igitur istud malum, quod alicui bono contrariatur, non est in eo, sicut in subiecto; sed est in aliquo alio bono; sicut cęcitas non potest stare cum visu, qui ei opponitur, potest tamen stare cum organo visus, cui non contrariatur.

Arg. 4. sicut id, in quo est albedo, potest dici album; sic in quo est malum, posset dici malum: & sic, si in bono esset malum, bonum malum dici posset, contra id, quod dicitur Isai. 5. Resp. dist. seq. bonum posset dici malum, dupliciter, vel in eo, quod est bonum; & hoc prohibetur per Prophetam, vel ratione mali adiuncti, & sic bonum potest dici malum.

DISPVTATIO CCLIV.

1077 Conclusio. Aliqua notantur circa Articulum.

Titulus clarus est. In corpore vnica est Conclusio responsiua quæsito affirmatiuè: Malum est in bono, vt in subiecto. Prob. Malum est bonis remotio, non negatiuè, sed priuatiuè. ergo malum, & bonum priuatum, sunt in eodem subiecto scil. ente in potentia, simpliciter non secundum quid ergo malum est in bono, sicut in subiecto: Antecedens quoad 1. partem prob. ducendo ad impossibile duplex. Primum est, quod ea, quæ nullo modo sunt, essent mala: secundum est, quòd omnia essent mala; Quoad tertiam verò ex sufficientia bimembris distinctionis ipsius remotionis boni. Prima conseq. prob. quia priuationis, & formæ idem est subiectum scil. ens in potentia simpliciter vel secundùm quid. Secunda verò; quia vtrumque est bonum, & de ente quidem in potentia secundùm quid prob. quia est ens in actu, actus autem bonitas quędam est. de ente verò in potentia simpliciter, quia bonum dicitur sicut, & ens, ac per hoc, sicut ens in potentia ens quoddam est, ita bonum in potentia, est aliquale bonum.



ARTICVLVS QVARTVS

Vtrum malum corrumpat totum bonum.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Bonum formæ totaliter tollitur per malum, Prob. quia quod est malo oppositum, totaliter tollitur per malum. Bonum, quod est subiectum mali, non tollitur, neque diminuitur per malum, Prob. quia per tenebras licèt tollatur lux, quę est bonum sibi oppositum, nihil tamen tollitur, aut diminuitur aeris. Bonum, quod est habilitas subiecti ad formam non tollitur totaliter per malum, sed tamen diminuitur. 1. Pars. patet. quia substantia rei semper manet, manente re; Habilitas enim subiecti ad suam formam, est de eius substantia. 2. pars. etiam constat. Nam habilitas per dispositiones disponentes subiectum ad formam, augetur, & quantò plures sunt, tantò magis crescit. ergo per dispositiones contrarias diminuitur.

Arg. 1. Vnum contrariorum totaliter corrumpit aliud. Sed malum, & bonum sunt contraria. ergo. Resp. dist. mi. malum, & bonum, quod est forma; sunt opposita, conced. bonum verò quòd est subiectum, & habilitas formaliter non contrariantur, nec totaliter tolluntur per malum.

Arg. 2. malum adimit bonum ex Aug. ergo adimit omne bonum. Resp. conced. Antec. de bono, quod malo contrariatur; & negatur de bono, quod est subiectum; sicut bonum, quod est habilitas, cum sit media inter subiectum, & actum: ex ea parte, quâ attingit actum, diminuitur per malum, sed ex ea parte, qua tenet se cum subiecto, remanet.

Arg. 3. Illud, quod semper adimit aliquid ab aliquo finito, tandem illud totaliter consumit. Sed malum quandiu est, semper adimit bonum, quod est finitum. ergo. Resp: Ad mi. quòd licèt ista habilitas sit quoddam bonum finitum, diminuitur tamen in infinitum, non per se, sed per accidens, inquantum contrariæ dispositiones in infinitum augentur.

DISPVTATIO. CCLV.

Aliqua notantur circa Articulum.

In hoc art. notandum est. Primò, quòd sicut malum non destruit bonum, in quo est, ita nec potest destruere totam bonitatem ipsius subiecti; destruit tamen aliquam, illam scil. cui opponitur, sicut cæcitas destruit visum, vt asserit D. Th. in prima Concl. sed aduertendum est, quod quando malum fuerit consummatum totaliter, destruit hoc bonum, cui opponitur, vt patet in cæcitate; quando verò non fuerit consummatum, sed tantum inchoatum, tunc non destruit totaliter illud bonum, sed inchoatiuè, vt patet in tenebris, in crepusculo diei, aut noctis, quæ non totaliter tollunt lumen. Malum primi generis solet appellari priuatio in priuato esse, vt mortus, cæcitas: malum verò inchoatum solet appellari priuatio in priuari, vt ęgritudo, quæ est quasi in fieri, & in via ad tollendam totaliter bonam corporis dispositionem. 1078 Nota 1. malum non posse destruere totam bonitatem subiecti.

Secundò

2079 1. Nota triplex bonum posse inre considerari.

Secundò notandum est, quod triplex bonum possumus commeaturi in aliqua re, scil subiectum, formam seu potentiam, & habilitatem subiecti ad formam, v. g. homo est bonum, vt subiectum; visus vt potentia, proportio hominis ad hanc potentiam est bonum, quod appellatur habilitas, de quo loquitur quarta Concl. art. & de quo est tota difficultas in hac parte.

2080 3. Nota. D.Th. nomine habilitatis intellexisse quãdam proportionem subiecti.

Notandum, est tertiò, quòd Durand in 2. dist. 34. q. 4. non benè calluit mentem D. Th. in hoc art. putat enim Durand. quòd habilitas de, qua loquitur hic D. Th est vel potentia, vel habitus illi superadditus, & ita dicit Duran quòd eiusmodi habilitas si accipiatur pro potentia, quæ est habilitas remota, nec tollitur, nec minuitur; si verò, accipiatur pro hab. tu superaddito, quæ est habilitas proxima, non solùm minuitur, sed destruitur totaliter. Eadem ferè fuit. intelligentia Scoti in 2. d. 35. q. 2. Cæterum D. Th. nomine habilitatis, nec intelligit potentiam, nec habitum sed quandam proportionem subiecti ad formam, siue forma sit potentia, siuè actus, siuè habitus, v. g. in natura animalis est quædam proportio ad potentiam visiuam, quam cæcitas priuat.

2081 Explicatur in potentia visiua, in qua est quædam proportio, & habilitas ad actũ videndi.

Item in potentia visiua est quędam proportio; & habilitas ad actum videndi; item in intellectu, & voluntate est etiam proportio, seu habilitas ad habitus scientię, & virtutis. Et hæc quidem proportio non est realiter distincta ab ipso subiecto proportionato, sed ratione distinguitur. Habilitas enim potentiæ visiuę ad visionem sola ratione differt ab ipsa potentia; non enim est aliud, quàm quædam commensuratio, & proportio potentiæ ad actum visionis: & idipsum dicendum est de habilitate, quam habet natura animalis ad potentiam visiuam. Ex dictis sequitur. Primò, quòd habilitas hæc est medium inter subiectum, & actum, seu formam, vt docet D. Th. ad 2. secundò sequitur, quod habilitas hæc diminuitur, non ex parte subiecti, sed ex parte actus: quoniam subiectum manet inuariatum in se.

2082 Naturalia post peccatũ integra manent minuitur autẽ ex parte actus habilitas

Vt enim docet D. Dionys. 4. cap. de diu. nomin. naturalia post paccatum integra manent (quod etiam habet; verum in Dæmonibus, vt ipse dicit) minuitur autem ex parte actus, per appositionem extrinseci impedimenti, quo impeditur subiectum, ne reducatur in talem actum, v.g. Diaphanum impeditur per corpus opacum interpositum inter ipsum, & solem, ne reducatur in actum luminis: similiter potentia visiua potest impediri per appositionem alicuius humoris excedentis, ne exeat in actum visionis. Et his exemplis apparet, quòd habilitas, quantum est ex parte subiecti, nihil minuitur. Sicut per appositionem corporis opaci non minuitur habilitas, quæ est in Diaphano ad recipiendam lucem.

2083 Diminutio habilitatis ex parte actus potest crescere in infinitũ.

Tertiò sequitur, quòd hęc diminutio habilitatis ex parte actus potest crescere in infinitum, eo quod in infinitum possunt apponi impedimenta plura, & plura, vt explicat D. Th. ad 3. At si diminutio habilitatis fieret ex parte subiecti, non posset crescere in infinitum: quoniam non aliter fieret, quàm per remotionem, & subtractionem illius inclinationis, quam subiectum habet ad actum, at omne finitum per ablationem finiti, tandem finietur.

Quincuplex bonum possumus in Anima cõsiderare.

Quartò nota; quòd quincuplex bonum in anima possumus considerare. Primum, est recta operatio: secundum, habitus bonus superadditus naturæ: Tertium, potentia naturalis; & essentia. Quartum, potentia obedientialis: Quintum, inclinatio naturalis ad bonum secundùm habitum naturaliter inditum. Quintò nota, quòd tum potentia obedientialis ad gratiam, & alios habitus infusos, quàm etiam naturalis inclinatio ad benè operandum, habent duplicem respectum: alterum ad subiectum, in quo est, alterum ad formam, seu operationem; ad quam est.

Differẽtia inter hæc bona.

Est autem differentia, quod secundum primum non potest tolli, nec minui, respectu verò secundi potest impediri, ne exeat in actum. Notandum sextò, quòd homo in hoc differt à quibusdam rebus inferioribus se, & superioribus, quòd res aliæ, v. g. ignis, & Angelus nõ egent ad suas operationes naturales exequendas, nisi potentijs, & virtutibus naturaliter inditis: homo verò insuper opus habet acquirere aliquas formas, vt per eas operetur v. g. ad intelligendum acquirit species, ad operandum rectè secundùm voluntatem opus habet virtutum habitibus, his suppositis sit.

DVBIVM VNICVM.

An malum corrumpat actum bonum.

PRima Concl. Primùm illud bonum, quod diximus in disp. scil. recta operatio totaliter destruitur per malam operationem sibi contrariam; hoc est, quod simul esse non possunt mala operatio, & bona operatio sibi contraria, v.g actus temperantię, & actus intemperantiæ. Probo quia duo actus contrarij non possunt esse simul. Si dicas, in gradibus remissis, benè possunt esse. Resp. quod in contrarijs, quæ nõ sunt actiones, & motus verũ est, at in motibus est impossibile, esse simul calefieri, & frigefieri, quia implicat simul accedere, & recedere; sicut conformari rectę regulæ, & deuiare ab illa, est impossibile. Aduerte tamen, quòd hęc Cõcl. est intelligenda, si mala operatio, & bona operatio accipiantur moraliter, nam si bona operatio sumatur secundùm bonitatem physicam, non totaliter destruitur, v.g. idem actus secundùm substantiam potest manere malus moraliter, vt velle cęnare carnes, bonum est feria quinta. At si voluntas perseueret, & actus vsque ad feriam sextam mala est operatio. 2084 *1. Concl. Recta operatio totaliter destruitur per malum.*

2. Concl. Habitus bonus superadditus aquisitus potest non solum minui, sed tandem totaliter corrumpi per malos actus. Pob. quia contrarij actus generant habitum contrarium; igitur si habitus contrarius generetur perfectè totaliter destruetur bonus. De infusis verò certum est, quòd per mortale peccatum totaliter destruuntur excepta fide, & spe, quæ totaliter non destruuntur, nisi per actũ infidelitatis, & desperationis: de quibus suo loco. *2. Concl. habitus bonus acquisitus potest minui, & corrumpi.*

3. Concl. essentia animę, & potentię illius, nec minuuntur, nec corrumpuntur. Prob quia hæc sunt incorruptibilia, & nisi per annihilationem non possunt non esse. Item non habent contraria, ergo. Et de his intelligitur D. Dionys. cùm ait, quod naturalia manent integra.

4. Concl. Potentia obedientialis ad gratiam, quę est aptitudo ad illã recipiendam, nunquam minuitur, nec destruitur, si solùm comparetur ad potentiam Dei absolutam, qui ita facilè potest Dęmones iustificare, atque iustos glorificare. Dico de potentia absoluta, nam si consideretur secundum potentiam ordinariam, & legem factam, tunc dicendum est, quòd in hac vita nũquam totaliter destruitur, quia semper est locus misericordię, & minuitur per peccata mortalia ea partes qua talis aptitudo respicit gratiam. Ratio est, quia quo plura sunt peccata, eo magis alõgatur homo à Deo, qui est principium gratiæ, & eo magis est inuisus, & inhabilis, vt fiat gratus: sicut quo magis aliquid est frigidũ, eo est minus habile, vt fit calidum: at vero per finalem impœnitentiam totaliter destruitur potentia obedientialis ad gratiam secundum legem ordinariam. Prob. quia secundùm legem, qui est in Inferno non est habilis ad gratiam, sed totaliter est sine spe veniæ; ergo. *3. Concl. Essentia Animæ, nec minuitur, nec minuitur, nec destruitur.*

2086 *5. Concl Synderesis ex parte, qua respicit non minuitur: secus ex parte obiecti.*

5. Concl. Inclinatio naturalis ad bonum secundùm habitum naturaliter inditum, scil. synderesim conscientiæ, ex ea quidem parte, qua respicit animam, tanquam subiectum, in quo est, & a qua dimanat naturaliter, nec corrumpi nec minui potest, quia propria passio est animæ incorruptibilis, sicut lumen primorum principiorum speculabilium, ita lumen primorum principiorum practicorum; at ex parte, qua respicit obiectum, & actum circa obiectum, potest minui, quę minutio potius est secundum impedimenta extrinseca, quam respectu subiecti, cui inhæret. Non enim remittitur habitus, sed impeditur actus, seu ligatur actus, id quod experientia docet.

Nam

2087 *Ratio quia cõsuetudo facit homines ineptiores ad bona.*

Nam cõnsuetudo peccandi facit homines ineptiores ad bona, ad quę ante consuetudinem erant naturaliter promptiores: imò tantum poteſt creſcere conſuetudo, vt ferè ſuffocata ſit ſynderesis ad aliquod opus bonum contrarium malæ conſuetudini. Eſt enim conſuetudo altera natura. Sic explicatur illud Ieremię 13. Si poteſt Æthiops mutare pellem ſuam, ſic & vos poteritis benè facere, cũ didiceritis malè. Primò, quia certè naturaliter non poteſt homo redire ad gratiam. Secundò, quia nec aliquod bonum contrarium conſuetudini poteſt homo facere ſine ingenti difficultate.

Obiectio. Sed pro maiori explicatione Concluſionis Arg. contra illam prob. quòd habilitas, ſeu inclinatio, quam habet voluntas ad actum virtutis, minuatur non ſolùm ex parte actus, ſed etiam ex parte ſubiecti: eſt argumentum. Per peccata generantur in voluntate habitus vitioſi, qui inclinant voluntatem ad actus vitioſos: hæc autem inclinatio ad vitioſum minuit inclinationem, quam ſua natura voluntas habet ad actus ſtudioſos: ergo ex parte ipſius voluntatis minuitur habilitas ad actum virtutis.

2088 *Resp. 1. licèt per habitus vitioſos diminuatur habilitas ad ſtudioſos, tamen non corrumpitur.*

Reſp. cum D. Th. in 3. cont. Gen. c. 12. vbi eſt videndus Ferra. ſcil. quòd quamuis admitteremus, per peccata, & per habitus vitioſos diminui habilitatem ad actus ſtudioſos ex parte ſubiecti, id eſt ex parte voluntatis, inferendum eſſet, quod aliquando tandem conſumi poteſt inclinatio, & habilitas voluntatis ad actum virtutis, quoniam hęc inclinatio, & habilitas, eſt infinita ſyncathegorematicè, propter extenſionem, & perfectionem potentiarũ rationalium, voluntatis, ſcil. & intellectus, & ita in infinitum poteſt minui.

Ratio quia habitus vitioſi nõ opponitur formaliter operationi ſtudioſæ.

Prętereà habitus vitioſi, quamuis admittamus, quod poſſunt totaliter auferre inclinationem, & habilitatem, quam habet voluntas ad habitus virtutis, non tamen inde colligitur, quòd poſſint totaliter auferre inclinationem, & habilitatem, quã voluntas habet ad operationes ſtudioſas: quoniam habitus vitij non opponitur formaliter operationi ſtudioſæ, ſed habitui virtutis. Etenim oppoſitio formalis ad actum virtutis ſolũ reperitur in actu contrario vitioſo. Quo circa ſicut habitus vitioſus etiam ſi creſceret in infinitum, nunquam perueniret ad hoc, vt eſſet actus, & operatio vitioſa, neque haberet illam actualitatem in actu vitioſo, quam habet operatio: ita quamuis creſceret in infinitum nunquam poſſet totaliter deſtruere inclinationem, & habilitatem, quam habet voluntas ad operationem ſtudioſam.

1289 *Resp. 2. habitur vitioſos poſſe corrumpere inclinationem, quam habitus ſtudioſi faciunt in voluntate.*

Reſp. 2. quod habitus vitioſi ſi comparentur ad inclinationem, quam habitus ſtudioſi faciunt in voluntate, poſſunt illam & minuere ex parte ſubiecti, & totaliter deſtruere: & hoc eſt quod D. Th. dicit. in art. quod malum deſtruit totaliter bonum, cui opponitur formaliter: habitus autem vitioſus formaliter opponitur habitui virtutis, & ex conſequenti etiam opponitur inclinationi ſtudioſæ habitualı, quam habitus virtutis cauſat in voluntate. Cæterum ſi habitus vitioſus comparetur ad inclinationem radicalem, & eſſentialem, quę eſt in voluntate ad opera virtutis, non minuit illam ex parte ſubiecti, ſed illæſam relinquit, minuit autem ex parte actus ſtudioſi per modum impedimenti appoſiti. Igitur habitus vitioſus ita ſe habet in voluntate reſpectu operationis ſtudioſę, ſicut ſe habet in potentia viſiua humor ſuperfluus, qui illam impedit, ne poſſit exire in actum viſionis, quòd quidem non facit minuendo virtutem viſiuam, ſed impediendo illam. Et in hoc ſenſu intelligitur noſtra Concl.

2090 *Petes.*

Petes. *An adeò poſſint creſcere habitus vitioſi, vt homo non poſſit per naturam redire ad virtutem.*

Sententia Ariſtotelis refertur: cum ſuo fundamento.

Quod videtur affirmaſſe Ariſt. 3. Ethic. c. 5. & in ſacris litteris frequenter affirmari videtur, Ierem. 13. ſi poteſt Æthiops mutare pellem ſuam: & ad Hebr. 6. Impoſſibile eſt eos, qui ſemel. &c. Conſ. ratione. Calor ſuſceptus in aqua naturaliter impedit, ne ad frigiditatem redeat: ergo habitus vitioſus naturaliter impedit reditum ad virtutem. Non defuerunt Doctores, qui dixerunt, habitum vitioſum adeo creſcere poſſe, vt naturaliter ſit impoſſibilis reditus ad virtutem.

Cęterùm ſecundùm fidem aſſerendum eſt, quòd quandiù homo perſeuerat in ſtatu vię cum auxilio diuino ſpeciali poteſt reparari à vitio ad virtutem; *Resp. ſecundũ fidem aſſerendum eſſe, hominem in via cũ auxilio diuino ſpeciali poſſe redire ad virtutem.* quia alias homo eſſet conſtitutus extra ſtatum ſalutis, quod de homine viatore nulla ratione dici poteſt. Verum eſt, quòd adeo poſſent multiplicari, & creſcere vitia, vt ſint quaſi conuerſa in naturam voluntatis, & ex conſequenti difficilimum erit redire ad virtutem, niſi adſit ſpecialiſſimus Dei fauor: & hoc eſt, quod dicitur ſap. c. 12. Naturalis facta eſt malitia eorum, quia non potuerunt conuerti: Nihilominus nunquam poteſt totaliter corrumpi ſynderesis circa tale obiectum bonum, quin naturaliter aliquando poſſit aliquod deſiderium, ſaltem bonum elicere. Quamuis non eſſet error aſſerere, quod circa tale obiectum propter nimiam aſſuetudinem malã non poteſt naturaliter aliquem actũ bonum elicere, ſimpliciter tamen loquendo fateri oportet, quod voluntas vitioſa poteſt relinquere, & ſequi virtutem. Teſtimonia Sacrę ſcripturæ in contrarium citata, difficultatem habent, & non impoſſibilitatem.

Ad rationem verò neg. Conſeq. Ratio diſcriminis eſt, quoniam habitus, ſiue ſtudioſi, ſiue vitioſi, qui ſunt in voluntate, naturaliter ſubijciuntur libertati volũtatis, & ita dici ſolet, quod habitibus vtimur, cũ volumus; at calor ſuſceptus in aqua naturaliter ipſum immutat, neque ſubijcitur eius inclinationi. Reſp. 2. quod in illo exemplo magis explicatur veritas noſtrę doctrinę, quia aqua poterat ſe reducere ad ſuam frigiditatem ſeparata ab igne, quantãcumq; intenſionẽ habeat in illa calor ſuſceptus propter naturalem inclinationem, & habilitatẽ, quæ manet radicaliter in natura aquæ reſpectu frigiditatis. 2091 *Ad fundamentum Ariſt. Reſp. habitus ſtudioſi, ſiue vitioſi ſubijciuntur libertati.*

Ex dictis deducitur, quòd habilitas naturalis ad bonum non minuitur reſpectu inhæſionis ſubiecti, ſicut frigiditas remittitur, ſed ſolùm dicitur minui, quia impeditur, & ligatur potentia per malos actus, & habitus. ſed contra. Habitus contrarius corrumpit bonum habitum, ſed habitus vitij eſt contrarius habitui, & inclinationi naturali ad bonum, ergo. Poteſt etiam dici, quod habitus vitij ſpecialis non contrariatur, niſi habitui ſpeciali virtutis, intẽperantia temperantiæ, ſed habitui ſynderesis, vel inclinationi naturali voluntatis ad bonum non dicitur contrariari per ſe, & immediatè, ſed ſolùm quia contriatur, & deſtruit temperantiam, quæ eſt effectus conformis ſynderesi, & inclinationi naturali voluntatis, & ad hoc explicandum eſt optimum exemplum huius art. quòd ſicut minuitur habilitas aeris ad lucem recipiendam à ſole per multa impedimenta, tamen nunquam corrumpetur, quia non eſt minutio reſpectu ſubiecti (manet enim diaphaneitas æqualiter) ſed reſpectu actualis lucis, quæ eſt conformis diaphano. Vide S. Th. q. 2. de malo art. 11. & 12. 2092 *Corollarium habilitas naturalis per habitus vitioſos impeditur, & ligatur.*

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum malum conuenienter diuidatur per pœnam, & culpam.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

PRima Concl. malum, per quod ſubtrahitur à creatura rationali forma, vel aliqua pars ſpectans ad eius integritatem, habet rationem pęnæ. Prob. id, quod eſt contrarium voluntati, eſt malum pœnæ: de ratione enim pœnę eſt, quòd ſit contra voluntatem: ſed carentia formæ, vel aliqua pars,

pars spectans ad rei integritatem, est contraria voluntati; ergo. &c. 2. Concl. Malum tollens operationem, vel omninò, vel eius rectitudinem, dicitur malum culpę. Prob. Nam per defectum rectæ operationis, cuius rationalis creatura est Domina, redditur culpabilis. 3. Concl. Malum creaturę rationalis, sufficienter diuiditur in pœnam; & culpam. Prob. Priuatio actus, & perfectionis creaturæ rationalis sufficienter diuiditur in pœnam, & culpam. Sed omne malum repertum in creatura rationali, est vel actus primi priuatio, quę habet rationem pœnę, vt est mors; vel actus secundi priuatio, quæ dicitur culpa; ergo.

Arg. 1. Defectus, qui reperiuntur in omnibus creaturis, scil. quòd se in esse, ex se conseruare non possint: habent rationem mali: sed huiusmodi defectus non habent rationem pœnę: ergo. Resp. neg. ma. quia non posse se, ex se conseruare, non est defectus, nec malum in creatura: nam malum est priuatio boni, & non pura negatio.

Arg. 2. In rebus irrationalibus inuenitur corruptio, & alijs defectus, qui rationem mali habent: qui defectus in ipsis non possunt habere rationem pœnę, & culpę. ergo. Resp. ad ma. Pœnam, & culpam non diuidere malum simpliciter, sed tantùm malum in rebus voluntarijs.

Arg. 3. Tentatio est quoddam malum: sed non est culpa, nec pœna; Non est culpa, nam tentatio cui non consentitur, non est peccatum. Sed materia exercendæ virtutis. Nec pœna, pœna enim subsequitur culpam. Resp. dist. ma. Tentatio, cui non assentitur, est malum, nego: est autem malum culpæ prout importat prouocationem ad malum.

Arg. 4. Omne, quod nocet, est pœnale. Sed omne malum nocet: vt Aug. dicit. ergo. omne malum est pœnale; & sic diuisio est superflua: Resp. dist. mi. Omne malum nocet vel agenti in se; vel agenti in sua actione: primum est pœnę: Si verò noceat agenti in sua operatione dicitur culpa.

DISPVTATIO. CCLVI.

Vtrum malum sufficienter diuidatur per pœnam, & culpam.

2693 Hæc diuisio est mali moralis,

Notandum est hic, quòd hæc diuisio mali in culpam, & pœnam non est diuisio communis mali, sed limitata ad malum morale, vt constat ex Corp. articuli. Et aduerte, quòd cùm auctore August. lib. 1. retract. c. 9. pœna non possit esse, nisi respectu culpæ, ex necessitate dicendum est, quòd sicut culpa non reperitur, nisi in creaturis rationalibus, ita similiter neque pœna, vndè mala naturalia, quæ contingunt creaturis irrationalibus, nequeunt appellari mala pœnæ.

3094 Obiectio.

Arg. contra istam diuisionem, secundùm quòd à S. Th. explicatur: Priuatio pecuniarum, & famæ, & honoris, est malum; & tamen non est culpa, neque pœnæ; ergo. Prob. min. quia non est priuatio operationis rectæ, & voluntarię, neque alicuius formæ, quæ pertineat ad integritatem rei, ergo. Resp. quòd S. Th. per subtractionem formę, & integritatis rei non solum intelligit formam physicam, & partes integrales, seu potentias naturales, sed etiam nomine formę, & integritatis includit omnia, quæ quomodolibet sunt debita in esse, vel possideri à creatura rationali.

Resp.

Malum pœnę requirũtur, vt correspondent cu pæ, vel actuali, vel originali.

Aduertendum secundò, quòd vt propriè sit aliquid malum pœnæ, duo requiruntur. Primum est, necessarium esse, quòd malum pœnæ correspondeat culpæ vel actuali, vel originali. Sic Aug. lib. 1. retract. c. 26. & lib. contra Fortunatum Manichæum disp. 1. Et ita D. Greg. in præfatione libri moral. c. 9. optimè explicat, quo pacto omnia mala, quæ in hominibus reperiuntur, sunt pœnę originalis culpę. Cęterum non est necesse, vt illud subiectum, in quo reperitur malum pœnæ fuerit aliquando subditum culpę, vel actuali, vel originali, sed satis fuerit, quòd vel esset obnoxium, quantum erat ex sua natura, originali peccato contrahendo, vt dicunt aliqui de B. Virgine cùm dicimus, illam fuisse preseruatam ab originali; vel quòd susceperit ad se ipsum originale peccatum, non quidem quantum ad infectionem culpæ, sed vt pro illo satisfaciat. Et ita est dicendum de Christo Domino, quòd fuerunt in illo pœnalitates correspondentes originali culpę. Secundùm quod requiritur, vt propriè aliquid sit malum, pœnę, est, quòd sit inuoluntarium. Sic docet S. Th. in 2. d. 36. q. 1. a. 4. & D. Ansel. lib. de Conceptu virginali 1. 41.

2095 2. Obiectio. Resp. Voluntarium dupliciter sumi, simpliciter, & secundùm quid

Sed contra hoc Arg. Christus Dominus maximas pœnas pertulit, & tamen voluntariè, & sine culpa, & Martires etiam voluntariè, & gaudentes passi sunt multa mala, ergo. Resp. quòd inuoluntarium dupliciter sumitur, vno modo simpliciter, quod nullo modo est volitum; alio modo secundùm quid, quòd absolutè quidem consideratum sine circumstantia extrinseca non esset volitum: at ex circumstantia est volitum. Vt qui proijcit merces in mare, ne pereat ipse.

Et hoc inuoluntarium sufficit ad rationem pœnę, & hoc habuit Christus, & Martyres: diligebant enim propriam vitam, & corpora. Cęterum non opus est vt pœna respiciat propriam culpam, sed potest quis pro alio satisfacere. & denique omnes pœnalitates vitę præsentis sunt pœna saltem peccati originalis. Vltimò notandum quòd hæc distinctio mali in culpam, & pœnam, est accipienda formaliter. Vt enim disputatur 1. 2. q. 87. art. 2. aliquando possunt coincidere secundùm rem malum culpę, & malum pœnę, etenim aliquando peccatum posterius, pœna est prioris peccati.

2096 3. Obiectio.

Cõtra id, quòd D. Th. dicit in Corp. articuli, quòd malum pœnę consistit in priuatione formę suę partis integrantis naturam, malum verò culpę consistit in priuatione actualis operationis. Arg. 1. peccatum originale non consistit in priuatione actualis operationis, similiter peccatum manens in voluntate per modũ habitus transacto actu peccati, non est priuatio actualis operationis, sed habitualis rectitudinis, ergo hæc doctrina non est vniuersaliter vera.

2097 4. Obiectio.

Arg. 2. Nam ex hac doctrina sequitur, quòd pœna est maius malum, quàm culpa, quòd est falsum, ergo. Prob. sequela: nam forma constituens perfectionem subiecti est maius bonum, quàm actualis operatio, ergo pœna, quæ est priuatio formę, maius malum est, quàm culpa, quæ est priuatio operationis.

Ad 3. Resp. Peccatũ originale, & actuale est culpa,

Ad 1. Resp. quòd tam originale peccatum, quàm habituale, transacto actu peccati, habet, quòd sit culpa per ordinem ad priuationem, quæ fuit in actuali operatione, quam priuationem retinet virtualiter imbibitam ipsum habituale, seu originale peccatum; aliàs enim non esset verè peccatum.

Ad 4. operatio quatenus est coniunctio ad vltimum finẽ, est maius bonum quã forma.

Ad 2. Resp. quòd operatio licèt entitatiuè considerata non sit tantùm bonum, quantum est forma naturalis, quæ dat esse rei, tamen quatenus est coniunctio ad vltimum finem, & ad summum bonum, est maius bonum, quàm forma: quoniam includit in se illud bonum, cui coniungitur, imò apud Philosophos morales finis, & consequutio finis, & coniunctio ad ipsum, non reputantur duo bona, sed vnicum bonum tantùm. Et quoniam culpa est priuatio operationis secundùm posteriorem rationem, idcirco simpliciter est maius malum, quàm pœna.

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum plus habeat de ratione mali pœna, quàm culpa.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONcl. Culpa habet plus de ratione mali quàm pœna, non solùm sensus, sed etiam damni. Prob. illud, ex quo aliquis fit malus, plus habet de ratione mali, quàm illud, ex quo aliquis non fit malus. Sed ex malo culpę aliquis fit malus, non autem ex malo pœnę, secundùm illud Dyo. 4. cap. de diu. nomin. *Puniri non est malum, sed fieri pœna dignum, ergo.*

Arg. 1. Sicut se habet meritum ad premium, ita culpa ad pænam. sed premium est maius bonũ, quàm meritum. ergo. Resp. neg. ma. nõ eodem enim modo culpa est ad pœnam, sicut meritum ad premium. nam meritum intenditur propter premium: culpa verò non est propter penam, sed potiùs pæna inducitur, vt culpa vitetur.

Arg. 2. Agens est maius bonum, quàm Actio; sed pœna opponitur agenti, & culpa actioni, vt dictum est: cùm pœna tollat actũ primum, culpa secundum. ergo. Resp. neg. ma. Nam ordo actionis, qui tollitur per culpam, est perfectius bonum agentis, cùm sit perfectio secunda. quàm bonum, quòd tollitur per pœnam; quòd est perfectio prima.

Arg. 3. Illud, quod priuat fine, est maius malum. quòd priuat tantùm ordine ad finem. Sed pœna priuat fine: visionis enim diuinæ priuatio est quædam pena: ergo. Resp. ad min. quòd tam pœna, quàm culpa priuat fine; Pœna quidem secundùm quod homo remouetur à fine, Culpa verò, secundùm quod actio non ordinatur ad debitum finem.

DISPVTATIO CCLVII.

Vtrum habeat plus de ratione mali pœna, quàm culpa.

2098 Ens simpliciter, & bonum simpliciter, nõ conuertuntur.

PRo explicatione primę rationis, vide S. Th. supra q. 5. art. 1. ad 1. vbi docet, quòd quamuis ens, & bonum conuertantur, tamen non conuertnatur ens simpliciter, & bonum simplititer; nam ens simpliciter dicitur ex primo actu substantiali; bonum autem simpliciter ex vltimo, quia ratio boni est ratio vltimi finis. Vnde in homine maius bonum est recta operatio voluntatis, quàm recta compositio naturæ, & ex consequenti maius malum erit, quod priuat rectitudine rationis.

Obiectiones contra rationem D. Th. Confirm.

Dubium est Vtrum priuatio diuinæ visionis, quę est maxima pæna, sit maius malum, quàm culpa. Arg. 1. pro parte affirmatiua. Carentia diuinæ visionis est priuatio summi boni, ergo est summum malum. Conf. Peccatum priuat nos rectitudine, & conformitate ad summum bonum, & hęc pæna priuat nos summo bono, ergo. Secundò. Maius malum, est priuari merito, quàm pręmio; sed priuatio, & carentia visionis diuinæ est priuatio meriti, ergo. Tertio. Nam culpa venialis non est priuatio rectitudinis, & conformitatis ad summum bonum, nam aliàs destrueret charitatem, ergo saltim culpa venialis non est tantùm malum, atque priuatio diuinę visionis.

2. Obiectio.

Tertia.

2099 Nota. Duplici amore, amicitiæ scil. & concupiscentiæ, tendere creaturã in Deum.

Pro expositione nota, quod dupliciter tendit creatura rationalis per amorem in Deum. vno modo amore amicitiæ, quatenus per charitatem vult bonum Deo propter ipsum Deum, & quantum est ex tali amore ea bona, quæ Deus habet, conferret ei, si posset, & augeret. Altero modo per amorem concupiscentiæ, quia homo vult ipsum Deum, tanquam bonum proprium sui ipsius, scil. pro sua vtilitate, pro sua beatitudine. Prior amor melior est, quia Deus ipse, secundum quod in se est, maius bonum est, vt pote infinitum, quam secundum quòd à creatura participatur per gratiam, & gloriam, tanquam bonum creaturę. Hinc est, quòd maius malum est peccatum, quia est priuatio maioris boni, scil. charitatis, vt tendentis in Deum secundum quod in se est, quàm malum pœnę summum, scil. quod priuat visione Dei, & habitibus gratiæ, & virtutum, quatenus hæc sunt bona creaturę vtilia, & delectabilia. Et sic intelligitur solutio ad 3. Vide S. Th. q. 1. de malo art. 3. ad 3. & 4.

2100 Ad 1. Resp. carentia visionis beatæ est priuatio summi boni nostri

Ad argumentum. 1. Resp. quòd diuinæ visionis carentia est quidem priuatio summi boni, non quidem prout est in se summum bonum, sed prout est summum bonum nostrum, vt iam dictum est, quatenus est obiectum spei; peccatum verò mortale est priuatio eiusdem summi boni, quatenus est in se summum bonum, prout est obiectum charitatis. Et enim peccatum mortale, qua ratione includit odium Dei participatiuè, aduersatur diuino bono in semet ipso. Etenim si attendamus ad effectum peccati, mortalis culpa est destructiua totius diuini boni. At diuinum bonum secundùm se consideratum excellit semet ipsum, quatenus est bonum nostrum perficiens, & eleuans naturam nostram. Et ità culpa est longè maius malum, quàm carentia diuinę visionis.

2101 Ad Confirm. Resp. peccatũ tollit ipsum diuinũ bonũ.

Ad Conf. Resp. quòd peccatum non habet suam malitiam potissimum, quatenus tollit rectitudinem nostrę voluntatis, prout ipsa rectitudo est bonum nostræ voluntatis: sed quatenus tollendo rectitudinem voluntatis, tollit ipsum diuinum bonum secundùm seipsum, quantum est ex affectu peccantis.

Ad 2. Resp.

Ad 2. Resp. quòd ratio mortalis culpę non consistit essentialiter in priuatione meriti, nam hæc priuatio potius concomitatur essentiam peccati, quàm sit ipsum peccatum; sed consistit essentialiter in priuatione summi boni.

Ad 3. Resp. culpa venialis maius malum est, quàm priuatio visionis beatæ.

Ad 3. Resp. quòd culpa venialis maius malum est, quàm priuatio diuinę visionis, quia licèt non tollat rectitudinem substantialem voluntatis ad Deum vltimum finem, disponit tamen ad priuationem huius rectitudinis, imò est aliqualis priuatio rectitudinis, non quæ aduersatur habitui charitatis, sed actui quantum ad feruorem eius. Ex his sequitur, quòd diuisio mali in culpam, & pœnam, est diuisio analogica, sicuti diuisio boni in bonum honestum, & delectabile, & vtile: quia malum culpę est simpliciter, & omnibus modis malum: at pœna est malum imperfectum, & quasi secundùm quid respectu culpę.

QVÆSTIO IL. D.Th.

De causa mali.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Bonum possit esse causa mali:

SVMMA ARTICVLI. D.Th.

PRima Concl. omne malum necessariò habet aliqualiter causam, Prob. Defectus, quo res deficit à sua naturali dispositione, & actione, necessariò est ab aliqua causa. trahente rem extra suam dispositionem. 2. Concl. Causa mali non potest esse nisi Bonum. Prob. Nam Enti solùm conuenit esse causa: non ens enim non agit. 3. Concl. Bonum

Bonum est causa mali in genere causæ materialis. Prob. quia Bonum est subiectum mali, vt dictum est. 4. Concl. Bonum non est causa formalis mali. Prob. quia malum est priuatio formæ. 5. Concl. Bonum non est causa finalis mali. Prob. quia malum est magis priuatio boni ad finem debitum. 6. Concl. Bonum est causa efficiens mali nõ per se, sed per accidens. Prob. Omne malum est, vel ex virtute agentis, vel ex debilitate virtutis. Sed vtrumque est à bono tantùm per accidens: Agens enim tantùm intendit producere suam formam; per accidens verò expellit contrariam & similiter malum, quod prouenit ex defectu virtutis est per accidens. nam esse deficiens accidit bono, cui per se competit.

Arg. 1. Matth. 7. Non potest arbor bona, malos fructus facere. ergo. bonum non est causa mali. Resp. dist. Anteced. Arbor bona scil. voluntas bona nõ producit actum moralẽ malũ cõced. & tamẽ ipse motus malæ voluntatis causatur à creatura rationali, quę bona est. & sic est causa mali per accidẽs.

Arg. 2. Vnum contrariorum non potest esse causa alterius. Sed malum est bono contrariũ. ergo. Resp. dist. ma. vnũ contrariorum non est causa mali per se, concedo: per accidens, nego: Nam frigidum exterius ambiens, causat calorem interius.

Arg. 3. effectus deficiens non est nisi à causa deficiente. Malum est effectus deficiens. ergo. Resp. neg. ma. Nam in naturalibus corruptio ligni est effectus malus, qui tamen est ex magna virtute ignis: & licèt aliquando fit ex defectu virtutis, iste tamen defectus est ab aliqua alia causa, quæ virtute sua per accidens producit talẽ defectum.

Arg. 4. quòd caret causa, non est à bono. Sed malum caret causa teste Dyonisio. ergo. Resp: dist. min. malum caret causa per se; concedo: caret causa per accidens, nego.

DISPVTATIO. CCXLVIII.

An bonum possit esse meausa ali.

2102 Concl. est affirm. Prob. quia malum est defectus boni debiti.

T*Itulus, vt iacet: de causa in communi sumendus est. In corp. duo facit: primò respondet quæsito in communi affirmatiuè. Secundò, in speciali secundùm singula genera causarum. Quoad primum Concl. responsionis est, Causa mali est bonum. Prob. sic. Malum est defectus boni debiti, ergo omne malum habet aliquam causam: ergo causa mali est bonum. Prima Conseq prob. causa defectus à naturali, & debita dispositione nécessariò prouenit ex aliqua causa trahente rem extra suam dispositionem. Prob. hoc inductiuè. Primò in malo rei, exemplo motus grauis, secundò in malo actionis, quoniam non nisi ex impedimento prouenit. Secunda autem Conseq. prob. quia esse causam soli bono conuenit, quod dupliciter prob. Primò vniuersaliter. quia esse causam conuenit soli enti, ergo soli bono. Et tenet sequela. quia omne ens inquantum huiusmodi, est bonum: Secundò, in singulis generibus causarum, quia agens, finis, & forma perfectionem, & consequenter bonitatem importans. Materia quoque boni rationem habet, prout potentia bonum est, omnis igitur causalitas bono soli conuenit.*

2103 Quatuor conclusiones ponit D.Th. in 2. Prima 2.3.

Quoad 2. ponit quatuor Conclusiones, iuxta quatuor genera causarum prima est iuxta causam materialẽ bonum est causa mali materialiter, prob. quia est eius subiectum. Secunda est: malum non habet causam formalem prob quia est priuatio formæ. Tertia est: malum non habet causam finalem. Prob. quia est priuatio ordinis ad debitum finem, ac per hoc boni vtilis, idest ad finem.

Quarta est: malum habet causam efficientem, non per se, sed per accidens: Et hanc manifestat distinguẽdo sic: malum actionis, & malum rei diuersimodè causantur; Nam malum actionis causatur ex defectu principij principalis, vel instrumentalis: malum verò rei, non curando, vtrum illa res sit effectus proprius agentis, vel non, causatur tripliciter, quandoque ex virtute agentis, quandoque ex defectu agentis, quandoque ex defectu materiæ. Hac distinctione stãte, prob. quòd nunquam malum habet causam efficientem, nisi per accidens, & primò quidem, quando causatur ex virtute agentis, quia agens per se intendens inducere formam propriam, per accidens, intendit nocere oppositæ. Secundò reducit cæteros modos in vnũ, quod est agens esse deficiens: & probat intentum sic, Esse deficiens accidit bono, ergo malum secundùm nullum modum habet causam, nisi per accidens. Et tenet sequela; quia bono per se competit agere. Quarta. malũ habet causam efficientẽ per accidẽs.

Reductio autem præfata fit sic, reliqui modi continebant malum, aut effectum proprij, aut actionis: Sed defectus est effectus proprij vel ex defectu actionis, vel ex defectu passionis, & hoc quidem ex materia, ille verò ex defectu actiui principij procedit, & vterque rursus constituit causam deficere, ergo omnis modus, quo malum prouenit, ad deficere agentis reducitur, vndecumque oriatur defectus. Et sic author omnia membra totius diuisionis perlustrauit, ad duo reducere scil. malum effectus extranei, & malum effectus proprij, in hoc enim est malum actionis comprehendit, quòad causam. In responsione ad 3. aduerte, quod cũ dicitur, quòd defectus subiectionis regulæ, non est culpa: sed eum sequitur culpa. potest benè, & malè intelligi. Si intelligatur de defectu tali absolutè: verum dicitur. Si autem de defectu hoc, idest applicato ad hunc operantem sine regula, falsum est: quoniam ex ipsa applicatione ad hunc, nũc sic operantẽ, culpæ rationẽ sortitur. 2104 D. Th. omnia mala reduxit, ad malum effectus extranei, & proprij.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum summum Bonum, quod est Deus, sit causa mali.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

CONcl. 1. Malum actionis non reducitur in Deũ, tanquam in causam. Prob. Malũ actionis prouenit ex defectu virtutis agentis. in Deo enim nullus est defectus. 2. Conclus. Malum rei in rebus naturalibus inuẽtum, quod in aliquarum rerum corruptione consistit; reducitur in Deum tanquam in causam. Prob. quia Deus causat aliquã formam, scil. ordinem vniuersi, qui requirit, quòd aliqua possint deficere. 3. Concl. Deus est causa mali rei, quod reperitur in rationalibus quod dicitur pœna. Prob. Quia ordo iustitię, punitiuę spectat ad ordinẽ Vniuersi, quod Deus est causa.

Arg. 1. Esaię 43. *Ego Dominus &c. & creans malum.* & Amos 3. *si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* ergo. Resp. Authoritates illas loqui de malo pœnæ, cuius Deus est causa; non autem de malo culpæ.

Arg. 2. Effectus causæ secundæ reducitur in causam primam. Sed malum est effectus boni. ergo. Resp. dist. ma. Effectus causæ secundę deficientis, reducitur in causam primam non deficientem, quantum ad id, quod habet entitatis, & perfectionis: cõcedo:

cedo: non autem quantum ad id, quod habet de defectu.

Arg. 3. Qui est causa salutis omnium rerum, est etiam causa perditionis, & mali. ex Arist. 2. phy. ergo. Resp. Anteced. esse verum de agente, qui in agendo potest deficere. Submersio enim nauis attribuitur causæ, ex eo, quod non agit, quod requiritur ad salutem nauis.

DISPVTATIO CCLIX.

Vtrum summum bonum, quod est Deus, sit causa mali.

2105 Concl. D. Th. est certa secúdum fidem.

Vtraque Concl. D Tho. est certa secundùm fidē; & prima prob. ex illo Isa 45. Ego Dominus creans lucem, & formans tenebras faciens pacem; & creans malum. Et 1. reg. c. 2 Ipse mortificat, & viuificat. Quidam Hæretici, qui vocabantur Colluthiani, docuerunt contra istam Concl. vt refert D. Aug lib. de hæresi c. 65 Lactantius Firmianus in lib. 2. institut. c. 9. attentè legendus est: Fauet enim nonnihil huic errori. Nihilominus circa hanc primam Concl. aduertendum est, quòd respectu mali pœnæ, si loquamur in genere moris; Deus est absolutè causa, & prob. quoniam ex sua prouidentia, & iustitia infligit pœnā pro culpis, & quandoque etiam absque culpa propter gloriam Dei, vt contigit in cęco nato apud Io. c. 9. aut propter manifestationem alicuius virtutis eximiæ, vt contigit Iob.

2106 Procedit Cōclusio de malo pœnæ, quod, non est simul malū culpæ.

Loquimur autem in præsentia de malo pœnę; quod non est simul malum culpæ. Etenim quandoque vnū peccatum est pœna alterius, & tunc illa pœna non est volita a Deo neque Deus est causa illius mali, nisi tātùm permissiuè. Cæterum si loquamur de causalitate per modum naturæ, Deus non semper est causa mali pœnæ præsertim illius mali, quod prouenit ex defectu agentis, vt est claudicatio. Etenim Deus est causa totius entitatis, & perfectionis quæ reperitur in quolibet operante, defectus autem, & imperfectio non debet referri ad Deum, sed ad causas particulares deficientes: Illius autem mali, quod prouenit ex parte effectus, videlicet ex contrarietate formę, eo quòd huiusmodi malum non prouenit ex defectu, & debilitate agentis, quin potius ex perfectione, & virtute eius (vt aduertit D. Th. art. præced.) cuiusmodi est corruptio,

2107 Defectus actionis refertur ad causas particulares deficientes.

Deus dici potest causa per accidens, vt author naturæ. Verumtamen non in eo sensu dicitur causa per accidens huiusmodi mali, quia contingat præter eius voluntatem, & intentionem: sed quod Deus, vt author naturæ, non intendit per se illud malum; sed ratione boni naturalis, cui illud malum adiungitur.

Corruptio nō est volita propter se, sed propter generationem.

Corruptio enim non est volita propter se, sed propter generationem, cui adiungitur. Illorum verò malorum, quæ contingunt ex defectu agentis, posset etiam dici Deus in hoc eodem sensu causa per accidens remota, solùm ex hoc, quòd virtutis defectus, qui reperitur in quocumque operante naturaliter, tandem prouenit ex aliqua qualitate positiua, quæ corrumpit aliā qualitatem sibi contrariam, quæ pertinebat ad bonam dispositionem illius causę naturalis. Quo circa sicut corruptio aquæ in generatione ignis, tribuitur Deo, vt causæ per accidens, ita defectus virtutis tibiæ, ex quo prouenit claudicatio, potest etiam, tanquam ad causam remotam reduci ad Deum; & hæc est ratio, propter quam potest esse Deus causa moralis cuiuscumque defectus naturæ, quia potest esse causa naturalis, saltim per accidens, cuiuscumque naturalis defectus: & ita potest illos referre ad finem moralem.

2108 3. Concl. in corpore est de fide.

Secunda etiam Concl. est de fide, & manifestior, quā quæ probatione egeat. Nam si Deus est causa peccati, & mali culpæ: Deus esset contra se, sed prob. ex illo Rom. 9 Nunquid iniquitas est apud Deum? Absit. Et alibi: quæ conuentio lucis ad tenebras? & Sap. 11. Nihil odisti eorum, quę fecisti. Et c. 14. Odio sunt Deo impius, & impietas eius, ergo Deus non est causa mali culpæ. Prob. Oseæ 13. Perditio tua Israel ex te, tātum modo in me auxilium tuum.

Vbi est aduertēdum, quòd respectu mali culpę, Deus nullo modo est causa, neque per se, neque per accidens, quoniam tota ratio mali huiusmodi consequitur ex defectu voluntatis, & non ex entitate eius positiua, quam habet voluntas à Deo, neque Deus est causa huius mali indirectè; eo quòd purè negatiuè se habet, quatenus non confert auxilium efficax, quo posito, non sequeretur malum culpę. quoniam impediretur à Deo. At quoniam Deus non tenetur conferre istud auxilium, non est concedendum, quòd sit ipse causa mali indirectè, quoniam causa indirecta alicuius effectus, apud morales Philosophos illa censetur, quę non facit aliquod opus, vel non impedit, quando potest, & tenetur facere, vel impedire. 2109 Deus nullo modo est causa mali culpæ

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum sit vnum summum malum, quod sit causa omnis mali.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Non potest dari vnū principium omnium malorum, sicut datur vnum principium omnium bonorum. Prob. Non potest dari malum per essentiam. Quia omne ens, inquantum ens est bonum. ergo non potest dari summum malum. quia si esset summum malum, esset ens per essentiam, sicut summum bonum.

Arg. 1. contrarij effectus habent contrariam causam. Sed malum, & bonum sunt contraria. Ergo. Resp. dist. ma. contrarij effectus habent cōtrarias causas, proximas, & particulares, concedo: tamen, quia conueniunt in genere vno, & in ratione essendi, oportet deuenire tandem ad vnam causam communem primam productiuam omniū.

Arg. 2. datur summum bonum. ergo & summum malum. cùm sint contraria, vt dicitur 2. Cæl. Resp. neg. conseq. malum .n. non contrariatur omni bono, sed tantùm illi bono, cuius est priuatio.

Arg. 3. datur bonum, & melius per respectum ad optimum. ergo debet dari malum, & peius per respectum ad aliquod summum malum. Resp. neg. conseq. Nam forma intenditur per maiorem accessum ad terminum perfectum: priuatio enim intenditur per maiorem recessum à termino perfecto, & sic non est eadem ratio.

Arg. 4. Omne, quod est per participationem, reducitur ad illud, quod est tale per essentiam. Sed Res, quę sunt malæ apud nos, sunt malæ per participationem. ergo. Resp. neg. mi. Nullum .n. ens est malum per participationem, sed per per priuationem participationis bonitatis.

Arg. 5. Quod est per accidens, est vt in paucioribus: Sed malū est in pluribus. ergo. Resp. simpliciter neg. mi. Nam generabilia, & corruptibilia, in quibus tantùm contingit esse malū, sunt modica pars totius vniuersi.

Arg. 6. malum effectus reducitur in malum causæ; sed non est procedendum in infinitum: ergo. Resp. neg. conseq. Nam in causis malis non est procedere in infinitum, sed reducuntur omnia mala in aliquā causam bonam, ex qua sequitur malum per accidens.

DISPV-

DISPVTATIO CCLX.

An sit vnum summum malum, quod est causa omnis mali.

2110 Titulus quærit de causa efficiente.

TItulus directè quærit de causa efficiente In corp. duo facit: Primò respondet quæsito vnica conclusione negatiuè. Secundò radicem erroris aliter opinantium ostendit. Quòad 1. Conclusio est. Non datur vnum summum malum, primum principium omnium malorum, sicut è contra, datur vnum summũ bonum. Prob. tripliciter: Primò, quia non datur malum per essentiam, idest aliquid per essentiam malum. Secundò, quia non datur malum summum, idest integrum. Tertiò, quia hęc duo repugnant, primum principium, & malum, & omnia clarè patent in littera.

Narrantur quorumdam errores.

Quòad secundum, narrantur errores, & confutantur ex vna communi radice. Errarunt ponentes duo prima principia, bonum, & malum in duobus. Primum est, aliqua natura est in se mala. Secundum est, prima principi: sunt contraria. Ratio primi erroris fuit, quia considerauerunt naturam aliquam, putà igneam, vt nociuam huic.

Confutantur.

Confutatio autem eius est, quia simpliciter debet considerari, vt pars totius vniuersi: quoniam sic omnis res ordinatissimè suum locum obtinet, atque bona est. Ratio verò secundi erroris fuit, quia effectus contrarios in causas tantùm contrarias, reducere nouerunt. Confutatio verò eius est, quòd reducenda sunt contraria in communem, & vniuersalem causam: quod prob. quia omnia contraria conueniunt in aliquo, putà genere, & subiecto. Par enim est iudicium de vnitate formæ, & agentis, cùm similia sint actiui, & passiui, prædicata prædicta cum debeant adequari: & manifestatur in corpore cœlesti respectu inferiorum.

Communis autem ratio horum, & similium errorum est: quia particulares causas, & non vniuersalē causam entium in eo, quòd entia attigerunt. Omnia enim ad vnum essendi principium reducuntur: quoniam omnia in participatione esse conueniunt, vt patet ex supradictis.

Instantia. 2111

In resp. ad secundum, dubium occurrit: quoniam in art. vltimo præcedentis quæstionis malum culpæ opponitur propriè bono increato, non vt in nobis, sed vt in seipso: hic autem dicitur, & probatur, quòd bono increato nullum malum opponitur, non videntur ergo stare hæc duo simul.

Resp.

Ad hoc breuiter dicitur, quòd malum opponi increato bono, potest intelligi dupliciter, scil. formaliter, vel obiectiuè. Formaliter quidem est impossibile, malum aliquod opponi diuino bono, propter rationem in littera tactam, scil. bonum habens malum formaliter oppositum, exigit potentiam, circa quam habet fieri malum: Deus autē est actus purus, ergo, &c. obiectiuè autem, malum culpæ opponitur bono diuino in seipso quod optimè probatur ex obiecto charitatis. Vult enim explicitè, vel interpretatiuè quilibet peccans, quantum in se est, Deum non esse vltimum finem: quod est opponi ei obiectiuè secundùm id, quod in se est: sicut è contra. Amans ex charitate vult Deo quidquid est: & ei debetur. Et sic non repugnant dicta.



QVÆSTIO L. D. TH.

DE SVBSTANTIA ANGELORVM ABSOLVTE.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angelus sit omnino incorporeus.

SVMMA ARTICVLI D. Th.



Conclusio. Necesse est ponere in vniuerso aliquas naturas incorporeas. Probatur. Tunc vniuersum est perfectum, cùm perfectè Deo assimilatur: quia id, quòd præcipuè Deus intendit in rebus, est bonum, quòd in assimilatione ad Deum consistit: sed si non ponantur creaturæ intelectuales, non potest vniuersum esse perfectè simile Deo. Ergo debent dari tales creaturæ intellectuales Mi. probatur: Tunc effectus perfectè assimilatur suę causę, quando ipsã imitatur secundùm illud, per quòd causa producit effectus, sicut calefactibile tunc assimilatur calefacienti, cùm participat calorem, per quem calefaciens calefacit. Sed Deus producit vniuersum per intellectum, & voluntatem. ergo. Ad hoc, vt vniuersum sit Deo simile, debent poni creaturæ intelligentes, & volentes, quæ, vt patet, sunt incorporeæ.

Arguitur primò ex Damasceno lib. 2. Hortod. fid. dicente, quòd Angelus incorporeus, & immaterialis dicitur, quantùm ad nos, sed comparatus ad Deum corporeus, & materialis inuenitur. Resp. Angelum Deo comparatum esse corporeum; Dupliciter potest intelligi vno modo, vt Angelus verè habeat aliquid de natura corporea; & sic falsum est; alio modo, vt dicatur corporeus, eo, quod non sit ita omninò simplex, vt Deus; sed aliquam admittat compositionem metaphysicam ex esse, & essentia, & secundùm hunc modum, Angelus Deo comparatus dicitur corporeus.

Arg. secundò. Nihil mouetur nisi corpus ex 6. Physi. Sed Angelus est substantia immaterialis semper imobilis, vt dicit Damasc. Ergo. &c. Resp. disting. mai. illud, quod mouetur motu propriè dicto, de quo est sermo 3. Physic. conc. mai. quæ negatur de motu impropriè dicto, vt est intelligere, & velle, respectu cuius Angelus est substantia semper mobilis; vnde neg. conseq.

Arg. tertiò. Circumscribi est proprium corporum. Sed omnis creatura certis suę naturæ circumscripta est limitibus ex D. Amb. lib. de Spir. Sanc. Ergo. &c. Resp. disting. mai. Circumscribi terminis localibus est proprium corporum, conced. nam circumscribi terminis localibus est esse conclusum in aliquo loco. Circumscribi verò terminis essentialibus, idest ex genere, & differentia, est commune omni creaturæ; & soli Deo conuenit esse terminis essentialibus incircumscriptum.

DISPVTATIO CCLXI.

An dentur Angeli, substantiæ intellectuales omnino inextensæ.

2112 Concl. affirm. 1. Ratio.

Conclusio affirmatiua est de fide. Ita D. Thom. hic, & communiter omnes Theologi. Probatur. 1. Similitudo perfecta vniuersi, vt est effectus Dei, petit, vt quoad aliquas creaturas sit similis suæ causæ in eo, quod ei est ratio agendi. Ergo cùm Deus, quippe naturæ intellectualis, agat solùm per intellectum, & voluntatem, oportet, vt in vniuerso aliquæ reperiantur creaturæ purè intellectuales. seu habentes naturam purè intellectualem, & intellectum ei correspôdentem, & solummodo per illum, & voluntatem agentes.

1. Instantia.

Dices primò: hoc ipso, quòd Deus agit liberè non sufficienter probari aliquid egisse, scilicet naturam intellectualem, nisi desumatur, vel ex scriptura, vel ex traditione, & Patribus. &c. Dissoluitur. *Resp. Rationem D. Th. virtualiter ex scriptura, & Patribus procedere. Ex scriptura enim, & Patribus habetur vniuersum esse à Deo productum; hoc supposito, optimè infertur productum fuisse cum omnibus gradibus, ex eo, quòd isti ad eius spectant perfectionem, vt benè D. Th. notauit supra, quæst. 22 art. 4,*

2113 2. Instantia.

Dices secundò. Domus producta per intellectum artificis est similis formæ intelligibili, quæ est ratio agendi, non verò cæteris alijs rationibus agendi: Intellectus enim non est ratio agendi in Deo per modum formæ intelligibilis.

Præcluditur.

Resp. licèt ad similitudinem vtcumq; sufficiat, vt effectus sit suæ causæ similis secundùm rationem agendi tantùm, vt patet in exemplo de domo: Ad similitudinem verò perfectam effectus cum causa, qualis est inter vniuersum, & Deum, exigitur similitudo possibilis secundùm modum essendi, quem habet forma intelligibilis: qui modus in Deo est ipsa substantia Dei, intellectualis completa. Forma enim agentis perfecti recipitur in effectu perfecto secundùm modum essendi, quod est in agente, sicut forma ignis geniti eundem modum essendi habet cum forma ignis generantis.

2114 3. Instantia.

Dices tertiò: Forma intelligibilis, cui assimilatur vniuersum, in Deo est idea Diuina. Idea autem diuina cùm se habeat per modum obiecti cogniti, est attributum ab intellectu, & sapientia Dei distinctum.

Dissoluitur.

Resp. Esto ita sit, de quo tamen fusè tom. 1 quæst. 15. Attamen, quia vniuersum debet esse perfectè simile Deo: debet participare diuinas ideas secundùm modũ essendi: Ac proinde debet dari creatura purè intellectualis, in qua modus essendi diuinarum idearum exprimatur. Adde, quòd Idea sola non est forma intelligibilis respectu diuini intellectus, cùm hæc sit diuina essentia, vnde si vniuersum, vt sit perfectè simile Deo, debet participare puritatem, & intellectualitatem completam subsistentem in linea intellectiua, & entitatiua.

2115 2. Ratio.

Probatur 2. Concl. In homine, qui dicitur Microcosmos *epilogus, seu mundus paruus, vel vniuersum paruum, dantur omnes gradus essendi, viuendi, sentiendi, & intelligendi adunati, ergo in vniuerso magno, debent dari diuisi, & distincti, aliàs non esset cur totum vniuersum diceretur magnum, & homo vniuersum paruum. Ergo debent dari creaturæ purè intellectuales in vniuerso.*

2116 1. Instantia.

Dices. Quamuis manus, vel pes ad hominis integram pertineant perfectionem, non tamen ex eo, quòd

ex

ex aliqua constet reuelatione hominem esse productum, propterea conuincitur productum fuisse cum manibus, & pedibus, ergo & simili &c.

Dissoluitur. *Resp. neg. conseq. quia licet id, quod pertinet ad complementum alicuius naturæ particularis, potest aliquando ex concursu, aut defectu alicuius causæ secundæ iuxta suauē ordinem diuinæ prouidentiæ deesse; non tamen id, quod pertinet ad complementum naturæ vniuersalis; siue huius vniuersi quia adhuc id, quod aliquando deest naturæ particulari, vt accidit in monstris spectat ad ordinem vniuersi, & non est contra naturam vniuersalem, vt notauit D. Thom. de potentia quæst. 6. art. 2. ad 8. cæterum, si deficeret id, quod pertinet ad perfectionem naturæ vniuersalis, vt si deesset aliquis gradus intellectualis, tunc non posset huius defectus ordinari ad perfectionem naturæ vniuersalis, ideò non potest dari, nec est admittendus.*

2117 3. Ratio. *Probatur 3. Concl. In vniuerso ad hoc, vt sit perfectū, & perfectè simile Deo, concedendi sunt speciales gradus essendi, viuendi, & sentiendi, qui sunt minùs perfecti: ergo concedendus est gradus purè intellectualitatis, qui est magis perfectus. Quam rationem tradit D. Thom. Dist. 2. cap 75. his verbis: quantò aliqua sunt superiora in entibus, tantò magis pertingunt ad similitudinem diuinam. Videmus enim res quasdam infimi gradus participare diuinam similitudinem, quantùm ad esse tantùm, veluti inanimata: quędam verò quantùm ad esse, & viuere, vt plantę, quædam autem quantùm ad sentire, vt animalia. Supremus autem modus est per intellectum, & maximè Deo conueniens, suprema igitur creatura sunt intellectuales,*

2118 1. Instantia. *Dices primò. Esse intellectuale per modum actus purissimi constituit in Deo gradum diuinę intellectualitatis: & tamen hic nō communicatur: ergo ex eo, quòd esse intellectuale sit supremus omnium graduum, malè colligitur esse aliquibus creaturis communicatum.*

Dissoluitur. *Resp. esse intellectuale per modum actus purissimi non solùm dicit gradum intellectualitatis vt sic, sed etiam modum illius, nempe contractum ad lineam diuinitatis propriam, & alteri incommunicabilem: Ratio verò D. Thom. procedit de gradu intellectualitatis, vt sic, non contracto.*

2119 2. Instantia. *Dices secundò. Hinc fieri, non pertinere ad rationem vniuersi, quòd alicui creaturæ in eo contentę, debeantur communicari gratia, & gloria, & aliqua dona supernaturalia, siquidem hęc sunt participationes gradus intellectualitatis, non vt sic, sed prout est contractus in Deo.*

Dissoluitur. *Resp. Aliud esse, an ex aliis capitibus pertineat ad perfectionem vniuersi communicatio gratiæ, & gloriæ, vnionis hypostaticæ, & aliorum donorum supernaturalium: aliud verò: an ex vi rationis factæ in hoc articulo ad probandum dari in rerum natura Angelos, id conuincatur: Dicimus ergo, quòd ex vi huius rationis id non sequitur; quamuis ex vi illius sequatur dandos esse Angelos, qui sint incorporei. Vtrùm autem ex aliis capitibus id colligatur, constabit ex his, quę alibi, Deo dante, dicemus.*

2120 3. Instantia. *Dices tertiò. Hic gradus supremus intellectualitatis in homine reperitur: ergo ex eo, quòd debeat necessariò communicari ad perfectionem vniuersi, non infertur; dandos esse in rerum natura Angelos, ne perfectio dicti gradus desit vniuerso.*

Dissoluitur. *Resp. quòd ex eo, quòd in homine, qui est mundus, seu vniuersum paruum, gradus intellectualitatis adunatè reperitur cum aliis gradibus, optimè infertur dandus esse separatim in aliqua mundi creatura, vt pote in Angelo, vt perfectio magni vniuersi in illo saluetur.*

Confirm. *Confirmatur; quia quandocumque datur aliqua creatura, seu gradus distinguibilis per plures modos, aut differentias essentiales, oportet, quòd si inueniatur secundùm imperfectiorem modum, aut differentiam, vtpote in homine gradus intellectiuus; quòd inueniatur secundùm perfectiorem in Angelo. Nam cùm vtrumque sit possibile, natura non est magis sollicita circa imperfecta, quàm circa perfecta.*

2121 Vrgebis. *Vrgebis ex eo, quòd omnes gradus sint vniti in homine, qui est mundus paruus, non sequitur in vniuerso dandum esse gradum sentiendi, qui non sit simul viuendi, & essendi: ergo neque sequitur dandum esse gradum intelligendi, qui non sit simul sentiendi.*

Respondetur. *Resp. neg. conseq. quia Ratio 2. nostrę Concl. procedit, seruatâ natura cuiusunque gradus: taliter, quòd illi separati in vniuerso reperiuntur, qui in homine reperiuntur adunati, quique separabiles fuerint: & quia gradus intelligendi separabilis est, tam à gradu locomotiuo, quàm sensitiuo, rectè deducitur, esse dandum sic in vniuerso. Secus illi, qui non sunt separabiles:*

2122 Oppos. sent. 1. Obiectio. Respondetur. *Oppositum sentent. tenuerunt saducei, quos refert D. Thom. hic pro qua: arguitur primò ex illo Gen. 6* videntes Angeli Dei filias hominum, &c. *Ergo Angeli sunt corporei. Resp. neg. Conseq. nam ibi non de veris Angelis, sed de hominibus nobilibus, & potentibus, vel de fortibus, aut bonis, aut filiis Seth. est sermo, vt docent Chrysostomus homil. 22. in Gen. Aug. lib. 15. De ciuit. Dei cap. 23. & alij.*

2123 2. Obiectio. *Arguitur 2. Ex Tarasio Patriarca in Conc. Niceno act. 5. asserente:* quod Angelos pingere oporteat, quando circumscibi possunt, & vt homines apparuerunt: *ergo Angeli sunt corporei.*

Respondetur. *Resp. neg. conseq. quia ratio proposita à Tarasio Patriarca non est, Angelos esse depingendos, quia seipsis loco circumscribi possunt: sed reddere hunc sensum* quando circumscribi possunt, vt homines appareant. *Idest Angelos pingere oportet, non quia sunt corporei, sed quia corporei apparuerunt.*

2124 3. Obiectio. *Arg. 3. Dæmones torquentur igne inferni. Matt. 25. ergo sunt extensi per quantitatem, quia id, quod non est extensum per quantitatem, non potest recipere actionē corporeā. Resp. nego conseq. quia Dęmones non cruciantur per hoc, quod in se recipiant actionem corpoream, quomodo autem fiat hic cruciatus, solet commodiùs explicari infra. quæst. 64. art. 4.*

Respondetur. *Vndè quando Dæmones fugantur rebus corporeis, hoc fit, tanquam instrumentis diuinę virtutis, vel quatenùs sunt contrariæ aliis rebus, quibus velut signis rerum spiritualium ipsi alliciuntur. Ita D. Th. infra; quæst. 115. artic. 5. ad 3. hæc disp. in seq. dub. diuiditur.*

Dub. 1. An constet ex Sacra scriptura dari Angelos, substantias videlicet intellectuales completas, hominibus nobiliores.

Dub. An 2. aliqua ratione naturali possit cognosci, dari substantias immateriales omnino completas, nempe Angelos.

Dub. 3. An ex perfectione vniuersi rectè probet D. Th. dari Angelos.

Dub. 4. An possit dari aliqua ratio demonstratiua de existentia substantię intellectualis completę, nempe Angeli.

DVBIVM I.

An constet ex Sacra Scriptura, & Conciliis dari Angelos, substantias videlicet intellectuales completas, hominibus nobiliores.

2125 Petes 1. Resp. Nomen, Angelus, Gręcis esse nomē officij, non naturæ. PEtes 1. *Quid significet hoc nomen Angelus?* Resp. Nomen *Angelus*, Græcis esse nomen officij, non naturæ: est enim idem, quod nuntius, siuè minister. Sic enim docuit Ambrosius ad Heb. 1. explicans illud: *qui facit Angelos suos spiritus*, inquit enim: *Quæris nomen naturę? Spiritus. Nomen officij? Angelus. Spiritus enim est, eo quòd est; Angelus verò eo, quòd agit, & nunciat: idcirco, & si semper spiritus sit, non tamen semper Angelus.*

2126 Ratio est, quia ex Apost. omnes sunt administratorij Spiritus. Cuius sane ratio est. Quia, vt Apostolus tradit ad Hebræos 1. omnes sunt administratorij spiritus, in hęreditatem missi. Socrates, Angelos, Dęmones vocat. Nam apud Platonem in dialogo conuiuij, siue de amore, de Angelis sic loquitur: Dæmon, medius est inter mortales, & Deos, ille enim humana ad Deos, diuina verò ad homines defert. Horum quidem pręces, & sacrificia: illorum autem pręcepta, sacras solemnesq; institutiones, & ordinem denuntiat. Et rursùs: Deus quidem homini non

non miscetur, sed per Dæmones commercium, & colloquium inter Deos, hominesq; perficitur. Hac ratione nomen (*Angelus*) translatum est ad significandos homines iustos; eos præcipuè, qui diuinā voluntatem annunciant. Sic docet August. homil. 2. in Apocalypſ. et D. Ambr. loco commemorato. Sic etiam sacra scriptura frequenter homines iustos, diuina legatione fungentes, Angelos vocat. Nam Matth. 11. Ioannes Baptista à Christo dictus est Angelus: Ecce ego mitto Angelum meum: ob id, quod Christi aduentum mundo nunciauit. Et Christus, quatenus homo, dictus est magni consilij Angelus, Isaię 9. quia lętissimum attulit nuntium de gratia, & amicitia reconciliationis cum Deo. Sic etiam Sacerdotes, & Prælati scientia pollentes, quorum interest Christiano populo diuina nūtiare placita, Angeli dicuntur. Malachiæ c. 2. Legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.

2127 *Vox Angelus etiam sumitur ad significādos Dei ministros*

Itaque vox (Angelus) etiam sumitur ad significandos Dei ministros, qui eius legem, & voluntatem nobis denuntiant. Verò Platonici, Angelos inferiores Dęmones appellabant, idest scientes: superiores vero Deos. Et ob id Apuleius librum conscripsit de Deo Socratis: idest de Angelo Socratis. Lege August. 8. de ciuit. cap. 13. & lib. 9. cap. vltimo. Quo loci asseuerat, in sacro eloquio, iustos, appellari Deos; & bonos Angelos itidem Deos nuncupari: iuxta illud Prophetæ Psal. 49. Deus Deorum Dominus: idest Angelorum. Neque solùm homines iusti, Angeli dicuntur; sed etiam alioquin homines nequam; pręsertim, qui alios peruertunt. Cęterùm non absolute Angeli dicuntur: sed ex additione. Dicitur enim peruersus homo, qui supplantator est, Angelus satanę. Sic aduertit Ireneus lib. 4. aduersus hęreses capite penultimo, & vltimo. Et in hoc sensu Theodoretus, & Theophilactus interpretantur dictum Pauli 2. Cor. 12. Datus est mihi Angelus Satanę, qui me colaphizet. Explicant enim de prauis hominibus, & aduersarijs Pauli, qui illum, vt à vera prædicatione, cessaret, conturbabant. Quibusdam etiam placuit: quòd Angelus, diceretur etiam de rebus inanimis; vt de vento, & igne. Psal. 103. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Dicuntur ergo Angeli, quia illis vtitur Deus ad sumēdam iustam vindictam de sceleratis hominibus. Sed notat Arnobius in illo psal. sed profectò Paulus ad Hebræos 1. hunc versum de Angelorum intelligit natura. Et sic interpretantur omnes Sancti Patres non autem de rebus inanimis.

2128 *Nomen, Angelus, à Theologis Scholasticis receptū est, vt propriū naturę spiritualis.*

Aduerte, quòd nomen (Angelus) quamuis nomen officij sit, vti diximus: tamen iam à Theologis Scholasticis, à Hieronymo etiam, & August. receptum est, vt proprium naturæ spiritualis, ad Angelorum naturam ostendendam. Quarè nomen, Angelus, significat naturam quandam intellectualem, optimā mente præditam, ab humano consortio semotam, & corporeitatis prorsus expertem. Et ob id D. Dionysius ait, quòd Angelus est imago Dei, manifestatio occulti luminis, speculum purum, splendidissimum. Sic enim sumitur, Angelus, in hac materia. Nam de Angelorum missione, & legatione ad homines, infra differit S. Th. qu. 112. hic verò de eorum natura. A Philosophis autem, & Peripateticis alijs vocibus nominantur: nempe, substantiæ separatæ, intelligentiæ, virtutes cælorū motrices.

2129 *Petes 2. Resp. affirm. & prob. ex varijs locis sacrę scripturæ.*

Petes 2. *An sit de fide dari Angelos?*

Resp. Si nomine Angeli intelligamus creaturam per se subsistentem intellectualem, superiorem, & excellentiorem homine: siuè habeat aliquem modum corporis, siuè non: de fide est, quod Angeli sunt. Itaque sub isto nomine certissimum est de fide, Angelos esse, & à Deo conditos: & quod sunt substantiæ dignitate excellentes omnia hæc inferiora, quæ cernimus. Probatur hæc conclusio: Nam quod sint constituendi intellectuales Angeli, ex plerisq; locis sacrarum literarum liquet: in quibus tribuitur illis, quòd docent, & instruunt homines, eosque alloquuntur; quæ non possent efficere, nisi haberent intellectum, & essent in rerum natura. Præterea de Angelis dicitur in scriptura sacra, quòd laudant Deum, & vident illum. Matth. 18. Angeli eorum semper vident faciem Patris mei. Et Psal. 8. dicitur: Minuisti eum paulò minùs ab Angelis. Quem locum Paul. interpretatur de Christo ad Hebræos 1. Et in Prophetis maximè Daniele, Ezechiele, & Apocalyp fit frequens mentio de Angelis: oppositum, dicitur hæresis Sadducæorum, Actorum 23. Matth. 1. legimus, quòd Angelus Domini apparuit Ioseph Et Luc. 1. quòd missus est Angelus Gabriel ad Mariam Virginem. Et de fide est (vt ex traditione Ecclesiæ habemus) Gabrielem esse vnum de spiritibus cælestibus, excellentiorē in sua natura hominibus. Et in antiquo testamento, in Thobia, in Exodo, & in diuersis locis, idem legimus. Vnde Moyses, quamuis in principio Genesis nominet cælum; quia rudi populo loquebatur, tamen secundùm Patrum sententiam, etiam intellexit Angelicam creaturam.

Tandem hæc conclusio diffinita est cap. Firmiter de Summa Trinitate, & fide Catholica: vbi sācitur, Deum creasse ex nihilo substantiam spiritualem, idest Angelicam. Huius sententiæ est D. Aug. 11. de Trinitate cap. 9. qui nomine cæli, Genesis 1. Angelos significari dixit: cùm legimus: In principio creauit Deus cælum, & terram. Verùm est, alios docuisse, quòd Moyses fecit mentionem de Angelis nomine aquarum super cælestium: cùm dixit: Fiat firmamentum, & diuidat aquas ab aquis. Et huius sententiæ fuit Hierony. Psal. 103. Sed veriorem Theologi peritissimi docent fuisse scientiam: quod Moyses consultò reticuit sermonem de Angelis: quia Iudaicus populus ad quem loquebatur, erat valde pronus ad idololatriam: ne audientes Hæbrei substantias illas præstantissimas, quas Angelos vocamus, recederent à cultu veri Dei. Ita sensit Theodoretus quæst. 2. in Genes. & Chrysost. homil. 2. in Genesim, & Cyrillus lib. 2. contra Iulianum. 2130 *Hæc concl. definita est, cap. Firmiter de sum. Trin.*

Petes 3. *An certum sit, & deducatur ex Scriptura Angelos esse omninò spirituales, & sine vllo corpore?* 2131 *Petes 3.*

Resp. Ita certum esse, & deduci ex scriptura Angelos esse omninò spirituales, & sine vllo corpore, quòd oppositum omninò est temerarium, & probabile est esse erroneum, & hæresi proximum. *Resp. affirm.*

Ratio est, quia absolutè scriptura eos vocat spiritus, & definitio Ecclesiæ videtur intellexisse hanc spiritualitatem in sensu proprio eo etiam modo, quo anima rationalis definitur esse immortalis, & independens à corpore in Concilio Lateran. sub Leone X. sess. 8. constat primùm ex scriptura Psal. 103. & ad Hebr. 1. *qui facit Angelos suos spiritus*: quem locum adducit S. Thom. *in hoc art. 1. in argumento, sed contra*, ad probandum Angelos esse incorporeos, & ad idem vtuntur illo loco multi SS. PP. vt Hilarius. 5. *de Trinit. circa finem*. Hieron. *supra cap. 63 Isaię*, Ambrosius *in 1. ad Hebr.* nec tamen improbabilis est expositio, quæ dicit, ibi sumi spiritum pro vento, seu aere, ita vt sit sensus, qui facit Angelos suos veloces, quasi ventum, & ministros suos, quasi ignem, vbi etiam sumitur ignis pro igne corporeo: quę expositio placuit S. Thom. *super cap. 1. ad Hebr. lec. 3.* vbi inquit, *Angelos secundùm quòd sunt nuncij assimilari aeri, quia nuntij debent bene recipere, & referre, quę nunciant; secundùm verò, quod sunt ministri comparantur igni, qui summè est actiuus, & sic debent esse ministri*. *Ratio est, quia absolutè scriptura vocat eos spiritus: & Ecclesiæ definitio, hanc spiritualitatem, intelligit in sensu proprio.*

Nihilominùs sæpè alias scriptura nominat Angelos spiritus absolutè, & sine comparatione ad aerem, vel ventum, vt ad Hębreos 1. *Omnes sunt administratorij spiritus*. Apoc. 1. *Et à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt*, Lucę 11. *Assumit alios septem spiritus nequiores se*. Vbi cum simpliciter, & sine addito scriptura loquatur, sumit illud Verbum spiritus in omni proprietate pro substantia spirituali, quia eodem modo vocat Angelos spiritus, *Pluribus in locis scriptura nominat Angelos spiritus absolutè.*

spiritus, sicut Deus, & animæ humanæ spiritus dicuntur, vt Ioan 4. *spiritus est Deus*, & de animabus nostris Danielis 3. *Benedicite spiritus, & animæ Iustorum Domino* Matth. 27. *clamans voce magna emisit spiritum*. Quibus locis sumitur spiritus pro substantia spirituali propriè, aliàs ex istis locis non probares sufficienter animam nostram esse spiritualem, & independentem à corpore, sicut diffiniuit Concilium Lateranen. vbi supra.

2132 *Videtur constare hæc veritas ex Definitione Ecclesiæ cap. firmiter.*

Deniq; quod amplius est, sic videtur intellexisse Ecclesia: definit enim *in c. firmiter* de summa Trinitate, *quòd Deus simul ab initio temporis vtramq; de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicèt, & mundanam, & deindè humanam, quasi communem ex spiritu, & corpore constitutam*. Vbi pondero Concilium loqui de spirituali creatura pro incorporea, non autem sumere spiritum pro aere, vel corpore subtili, quia condistinguitur spiritualis creatura contra corporalem, ventus autem, seu aer, vel quodcumq; aliud corpus subtile sub corporali creatura continetur: ergo spiritualis creatura, quæ est Angelica, vt supponitur in Concilio, non sumitur pro spiritu, qui est corpus subtile. Vndè multò minùs probari debet, quod aliqui dixerunt, Angelos ex aere esse factos, cùm Concilium dicat spiritualem creaturam, siue Angelicam, de nihilo esse factam. Et denique pondero loqui Concilium de Angelica, & spirituali creatura, non compoſita ex admixtione alicuius corporis, sed ab omni corporeitate absoluta, quia condistinguit ab illa creaturam humanam, vt constitutam ex spiritu, & corpore: ergo supponit, quod illa, quam dixerat spiritualem, & Angelicam, non est constituta ex spiritu, & corpore, aliàs esset sicut humana creatura: ergo cùm dicatur spiritualis creatura, non corporea, erit spiritualis purè, non autem composita ex spiritu, & corpore.

2133 *Oppositum huius veritatis est plusquã temerarium est. n. proximum hæresi.*

Ex quo colligitur hanc veritatem ita esse certã, quòd opposita plus quàm temeraria est, & vel erronea, vel proximè ad hæresim accedens, eò quòd Concilium videtur omnia illa sub definitione sua comprehendere, non solùm obiter tangere. Dicit enim in initio totius clausulę sic. *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur*; quæ verba ad definitionem pertinent, & sic quæcumq; sub illa clausula comprehenduntur, & ad illam pertinent, sub eadem confessione, & definitione comprehendi videntur. Concilium autem sub ista clausula eum eodem tenore verborum ponit ea, quæ spectant ad Trinitatem personarum, & attributa diuina, atq; illa, quæ pertinent ad creationem rerum spiritualium, & temporalium, dicendo vnum vniuersorum principium creator spiritualium, & corporalium, qui suà omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramq; de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, Angelicam videlicèt, & mundanam, quæ omnia eodem tenore verborum dicuntur, ac proindè eodem modo videntur sub illa definitione comprehendi, nec est aliquod verbum in tota serie textus, propter quod dicamus quædam verba illius clausulæ definitionem fidei importare, alia verò non.

2134 *Non est omnino certum hãc rẽ esse definitam*

Cæterùm non est omninò certum, rem hanc esse definitam ab Ecclesia, quia directè intentio Concilij solùm est definire Deum esse vniuersalem rerum omnium creatorem in initio temporis. Quam vniuersitatem creaturarum comprehendit Concil. sub creatura spirituali corporali, & ex his cõposita. Quomodo verò creatura illa, quæ spiritualis dicitur, spiritualis sit, an per omnimodam separationem à corpore, an cum aliqua corporis inclusione, non videtur pertinere ad directam intentionem Concilij, sed obiter tangi: & sic existimant graues Auhtores rem hanc nondum esse definitam ab Ecclesia, vt Cano *lib. de locis c. 5. quæst. 4. in fine*. Sixtus Senensis *lib. 5. Bibliot. annotatione* 8. Carranza *annotat. ad 7. synodum actione* 5. Suar. *lib. 1 de Angelis c. 6.* Vasq. *disp* 178. c. 2. & D. Thom. 2. 29 c. 91. in fine, licet pro errore damnet eos, qui dicunt spiritum non esse, non tamen vocat errorem positionem eorum, qui dicebant nullum spiritum sinè corpore dari, præter Deum. Res tamen ad minùs temeraria est, vel etiam, vt diximus, erronea, quia Concilium multùm in id ponderat, & est iam cõmunis Theologorum sententia, præter *supra* relatos. Sed quia possent aliqui subterfugere dicendo Angelos esse quidem spiritus, sed non alios, quàm animas hominum separatas, ideo contra hanc positionem.

Petes 4. *An sit de fide, vel ex fide deducatur Angelos non esse animas separatas à corporibus humanis: sed distinctas substantias separatas?* 2135 *Petes 4.*

Resp. esse de fide, vel per euidentem consequentiam ex princip. js fidei deduci.

Resp. De fide esse, aut saltèm per euidentem consequentiam ex principijs fidei deduci, Angelos, de quibus loquitur scriptura, & de quibus loquimur in præsenti, non esse animas separatas à corporibus humanis: sed distinctas substantias separatas. Circa hoc videtur errasse Philo. *in lib. de Gigantibus*, qui Angelos, Genios, & animas non re differre, sed nominibus dixit. Origenes etiam sensit, animas, & Angelos esse eiusdem speciei, & ab initio æquales fuisse creatos, sed ex diuersitate meritorum processisse, quod quidam spiritus sint missi in corpora, eisq; vniti, alij non. Contra quem videndus est S. Thom. 1. *p. quæst.* 75. *art.* 6. & 2. contra *Gentiles cap.* 94. Sed, & S. Chrysostomus *in cap.* 8 *Matth. dicit esse perniciosum dogma dicere, quòd animæ morientium fiunt Dæmones*, vt refert S. Thom. *opusc.* 15. *c. vltimo*. Ostenditur autem per euidentem consequentiam esse contra scripturã hunc errorem, quia de fide constat omnes homines esse resurrecturos, 1. Corinth. 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*: ergo in vnoquoque homine erit sua anima, quæ separata fuit per mortem, & suum corpus, aliàs non resurgeret idem homo numero, qui vixit. Rursùs constet, quod resuscitatis omnibus hominibus, adhuc dabuntur Angeli, & Dęmones: ergo Angeli, & Dęmones aliquę substantiæ sunt præter omnes animas hominum. Erunt quidem Angeli, *tum quia, venturus dicitur Christus in maiestate sua, & Sanctorum Angelorum?* Luc. 9. ille autem aduentus erit in resurrectione omnium hominum: tum quia Matth. 22. dicitur, quòd *In resurrectione non nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli in Cœlo*: ergo Angeli distincti erunt ab hominibus, & animabus, etiam post resurrectionem. Similiter Dæmones diuersi erunt ab hominibus damnatis: nam post resurrectionem dicitur ipsis damnatis: *Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*. Matth. 25. ergo præter homines resuscitatos, quibus illa verba dicentur, & consequenter præter animas eorum, dantur aliqui spiritus, qui sunt Dæmones.

2136 Contrarius sensus, est error euidenter contra scripturam

Petes 5. *An sit de fide, vel per euidentem consequentiam ex principijs fidei deducatur, Angelicam creaturam esse omnium supremam inter eas, quę à Deo conditę sunt?* 2137 *Petes. 5.*

Resp. esse de fide, vel euidenter ex principijs fidei deduci, vt constat ex pluribus sac. script. locis

Resp. esse de fide, vel per euidentem consequentiam ex principis fidei deduci Angelicam creaturã esse omnium supremam inter eas, quæ à Deo conditę sunt inter substantias vniuersi. Nam sicut dicit August. 11. *de ciuit. c.* 15 *Angelica creatura omnia cætera, quæ Deus condidit naturæ dignitate præcedit*. Constat hoc, quia Angeli sunt perfectiores natura corporea, quia sunt perfectiores natura humana, iuxta illud Psalm. 8 *minuisti eum paulo minùs ab Angelis*: & 2. Petri 2. *Angeli virtute, & fortitudine cùm sint maiores*. homo autem est perfectior omni creatura corporea: ergo si Angeli sunt supra homines, sunt supra omnem creaturam corpoream, & consequenter supra omnem creaturam simpliciter, quia omnis creatura, vel est corporea, vel incorporea, vel ex illis composita, vt homo, sicut dicitur in Concil. Lateran. *in cap. firmiter*, de summa Trinitate. Minor probatur, nam respectu creaturæ corporeæ corruptibilis, & pertinentis ad hæc inferiora, constat hominem esse superiorem illis, iuxta illud Genesis. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibus*

latilibus cœli, & bestijs, vniuersęq; terræ, omniq; reptili, quod mouetur in terra. & Psal 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius.* Vnde etiam sequitur quòd sit superior corporibus cælestibus: tum quia cœlum ordinatur ad seruiendum homini pro habitatione, vbi erunt corpora Sanctorum post resurrectionem: tum quia Deuteron. 4. dicitur *non esse adorandum Solem, & Lunam, & omnia astra cœli, quia creata in ministerium omnium gentium:* quod vtiq; ministeriū inferioritatem dicit, quia ad orationem, seu cultum non admittit. Angeli autem licet dicantur missi in ministerium, tamen adorari passim in scriptura inueniuntur, sicut Genes. 18. Abraham adorauit tres Angelos, & Iosue 5. Cecidit pronus in terram, & adorauit Angelum: ergo certum est Angelos esse superiores cælis, & alijs creaturis corporibus, ac etiam ipsis hominibus, ergo sunt supremi omnium creaturarum.

2138 *Quæres.* Quod si dicatur, vndè cōstat nobis de fide, quòd supra Angelos non sit aliqua alia creatura simpliciter perfectior, sicut per gratiam Beata Virgo, & humanitas Christi excedunt omnes Angelos?

Dissoluitur. id constare manifeste ex definitione Concil. Lateran. Resp. id constare manifestè ex definitione citata Concilij Lateran. *c. firmiter*: ibi enim definitur Deum esse principium omnium creaturarum, dicendo, quòd *est vnum omnium vniuersorum principium, creator omnium visibilium, & inuisibilium, spiritualium, & corporalium, qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis vtramq; de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, Angelicam, videlicèt, & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem spiritu, & corpore constitutam.* Ex quo fit argumentum: Concilium numerat in hoc loco omnia genera creaturarum, aliàs non sufficienter ostenderet Deum esse creatorem omnium, si omitteret aliquam creaturam supra omnes istas: sic enim non ostēderetur Deus esse creator illius. Sed inter omnes quas hic numerat, Angelica est suprema, vt probatum est: excedit enim corpoream, & similiter constitutam ex corpore, & spiritu, qualis est homo: ergo est suprema inter omnes creaturas simpliciter. In cuius etiam confirmationem dicitur Iob 40. Loquendo de Diabolo: *Ipse principium viarum Dei*, Idest omnium processionū Dei ad extra primus.

2139 *Instantia.* Dices in synodo Generali actione 5. cuiusdam Ioannis Episcopi testimonium approbatum est à Sancta synodo dicentis Angelos posse depingi, quia corporei sunt, & pictura ipsa imitabiles. Quod vtiq; de corporeitate vera procedit, nam aliàs frustra illa ratio adduceretur ad probandū, quod possint depingi pictura verè, & propriè corporali, qualis est apud nos.

Dissoluitur. nam illud testimonium non fuit approbatum à Concilio Resp. in primis, quòd illud testimonium non fuit approbatum à Concilio: sed Patriarcha Tarasius, postquam lectus est liber, in quo continebatur illud testimonium, significauit synodo, & dixit, quod *Ille pater ostendit in illo libro, quòd, & Angelos pingere oporteat quando circunscribi possunt, & vt homines apparere.* Et synodus respondit: *Etiam domine.* Itaque synodus non approbat illum librum Episcopi Ioannis, vbi illud testimonium habetur, sed solùm respondet Patriarchę quòd iā habetur in illo libro, sicut ipse dixit. Vnde non oportet, quòd rationem illam approbauerit quare Angeli deberent depingi, scilicet quia sunt corporei, sed solùm illud testimonium acceptauit, quantùm ad hoc, quod est Angelus, posse depingi, quia circunscribi possunt, & quia apparuerunt in figura humana, quod totum verum est: sed quòd ipsi sint corporei hoc non approbauit Concilium: sufficiebat enim pro illo articulo, qui tunc tractabatur in Concilio, nempe de adoratione imaginum, & quòd licitè possent depingi imagines Angelorum, quod ita asseruisset ille Episcopus, cuius testimonium recitabatur, & quod Angeli apparuissent in forma corporea, licet in se corporei non sint. Quòd verò etiam admiserit Concil. rationem ibi insinuatam, quod Angeli corporei sint, non solùm in apparentia, & in corporibus, quæ assumunt, sed etiam in substantia sua, hoc neq; Concilium admisit, neq; pertinebat ad suum institutum.

DVBIVM II.

An aliqua ratione naturali possit cognosci, dari substantias immateriales omnino completas, nempe Angelos.

2140 *Concl. est affirm. Prob quia datur natura corporea sola, ergo & spiritualis sola sine corpore.*

Conclusio est affirmatiua, ita communiter omnes Theologi. Probatur. Nam in homine reperitur corporea natura, intellectui coniuncta: & rursùs in rebus inuenitur natura corporea, quæ minùs sibi sufficit, quàm intellectus solus: vt de se patet: ergo etiam reperitur natura spiritualis sine corpore. Dices: Homo non intuetur ipsos Angelos intuitiuā cognitione: ergo non potest colligere quòd sint, nisi per effectus, & a posteriori: sed nullus effectus est, qui certò, & necessariò nos ducat in illorum cognitionem. ergo. Patet manifestè. Quia si aliquis esset, maximè motus cœlorum: sed ille effectus non deducit nos euidenter demonstratiuè in eorum cognitione. Primò, quia soli Deo potest tribui. Secundò, quia posset quis dicere, quod cœli mouentur suà natura, atq; formà: ergo. Resp. quod, quamuis ista ratio non sit demonstratio: nihilominùs satis consentaneè iuxta lumen naturale rationis, ostendit Angelos esse in vniuerso. Sic enim colligit Arist. 12. Meta. c. 7. & 8. Physic. Euidens est corpora cælestia moueri: sed non à semetipsis mouentur: ergo mouentur ab Angelis, & intelligentijs motricibus. Et quidem hęc ratio efficacissima esset, si modò constaret certò de veritate minoris: de qua inter antiquos Philosophos, cōtrouersia, & lis erat. Veruntamen immoderati ingenij est, eandem certitudinem, & claritatem in omni materia poscere. Arist. 1. de cœlo. c. 9. dicit, super cœli ambitum esse quædam entia diuina incorporea, nullis perturbationibus obnoxia, beatam vitam ducentia. Et Plato, & symposio, in præcipuè in Tymeo, ponit minores quosdam Deos suos à summo opifice, & præfectos gubernationi rerum humanarum. Et S. Thom. 2. contra Gent. c. 46. & 48. & de Potentia. quęst. 6. artic. 6. adducit plures rationes, quibus probat Angelos esse, quæ licèt hominem importunum non conuincant: bene tamen hominem cordatum, iuxta regulam Arist: 1. Ethic. cap. 3. Et sic constat, & fide, & ratione naturali Angelos esse. Augustinus Eugubi. lib. 6. de Perenni Philosophia, colligit multa Philosophorum testimonia, quibus affirmatur Angelos esse.

2141 *Confirm. ex his, quę videntur in arreptitijs, & Dæmoniacis hominibus.*

Potest etiam veritas hæc confirmari ex his, quæ didicimus in arreptitijs, & Dæmoniacis hominibus. Videmus enim agrestes homines cùm Dæmonibus agitantur, mira, & occulta dicere, latinè loqui, & occulta hominum pandere. Quia in re insinuatur, quòd ipsius phantasia, & lingua à superiori spiritu commouetur, & excitatur: qui cùm non possit esse Deus, sequitur quòd est Angelus. Tandem ratio D. Thom. in artic. ad rem hanc stabiliendam, vrget. quæ ita procedit. Ordo vniuersi postulat, vt in eo reperiantur creaturę aliquæ, quę Deo assimilentur in ea re, secundùm quam Deus mundum producit: Sed Deus producit, & causat vniuersum hoc intellectu suo, & imperio mentis eius: ergo reperiuntur creaturæ intellectuales, quę Deo assimilantur, quatenùs intellectiuus est. Persuadetur maior. Quia ad rationem vniuersi exigitur, quòd in eo sint creaturæ, quę assimilentur Deo perfectiori modo, quo reperiri potest ad Deum assimilatio: sed talis assimilatio, est secundùm illud, quo Deus causat ipsum vniuersum: ergo.

2142 *1. Obiectio.*

Arguitur. 1. Ex eo, quòd Dæmones torquentur igne corporeo: ergo ipsi habent aliquod corpus.

Resp. spiritus pati ab igne corporeo instrumentaliter. Resp. Nego consequentiam. Nam spiritus patiuntur ab igne corporeo, vt instrumentum est diuinæ operationis alligantis eos, & cruciantis per illum ignem corporeum: non autem, quòd ignis ille

illi ratione suæ actiuitatis corporeæ agat in ipsos: alioquin probaretur etiam, quod anima humana non esset substantia spiritualis, quia quando separata est, etiam cruciatur igne illo. De modo autem, quo ignis ille agit in spiritus diuina virtute, dicemus infra.

2143 *2. Obiectio.*

Arguitur secundo. Dęmones fugantur aliquibus rebus corporeijs, vt fumo iecoris piscis cuiusdam: Tob. 6.

Resp. res corporeas non operari in Dæmones virtute propria, sed virtute diuina.

Respondetur ex D. Thom. *quæst. 6. de potentia, art. 10. & hic quæst. 115. artic. 5.* quòd huiusmodi res corporeę non operantur in ipsos Dæmones virtute propria, sed vel virtute diuina, seu superioris Angeli, qui potest cogere ipsos Dæmones, vel quia ipsi Dæmones alliciuntur rebus corporalibus, tanquam signis quibusdam, quia exhibentur eis in signum honoris diuini; cuius sunt cupidi, vt ex D. August. *ibi* docet 21. *de ciuit. cap.* 6. Quare fumus illius iecoris Tobiæ 6. non fugauit Dæmonem virtute sua corporea, sed vt dicitur capit. 8. quando Tobias protulit partem iecoris, posuitq; eam super carbones viuos, *tunc* (inquit textus) *Raphael Angelus apprehendit* Dęmonium *& religauit illud in deserto superioris Aegypti*. Non ergo fumus iecoris fugauit Dæmonem, sed ad positionem illius (& fortasse propter mysterium, quod significabat) virtute superioris Angeli, scilicet Raphaelis, Dæmon ille apprehensus, & religatus est.

2144 *3. Obiectio.*

Arguitur tertio. Ob melodiam Cytharæ Dauid spiritus malus recedat a Saul 1. Reg. 16.

Resp. pulsante Cytharam Dauid, recedebat spiritus malus virtute diuina.

Resp. Quod Spiritus ille malus recedebat canente Dauid, & pulsante cytharam virtute diuina, vel propter hymnos illos, & psalmos, quos canebat Dauid, qui erant verba sacra, ad quorum deprecationem virtus diuina fugabat Dæmones: vel etiam disponebat animam Saulis per musicam, vt reduceretur ad statum magis pacatum: & sic excitaretur magis ad Deum, & minùs esset dispositus, vt spiritus malus exagitaret illud: id enim virtute musicę fieri posse, & propter hoc excogitatum esse, quod in omni cultu diuino aliquid consonantiæ musicæ exerceatur, vt animus hominis excitetur ad Deú, docet S. Thom. *super Ps. 32.* explicans illud verbum *Confitemini Domino in Cythara*, &c.

DVBIVM III.

An ex perfectione Vniuersi rectè probauerit D. Thom. dari substantias immateriales completas, nempe Angelos.

2145 *Concl. affirm.*

Conclusio est affirmatiua. Rectè ex probatione vniuersi probauit D. Thom. dari quasdam substantias completas intellectuales: ad cuius intelligentiam

Petes 1.

Petes 1. *An vniuersi perfectio exigat omnes gradus rerum, ac omnes modos possibiles à Deo fuisse productos?*

Resp. perfectionem Vniuersi expostulare omnes gradus creabiles, velut partes eius integrantes.

Resp. Vt aduertit hic Caietanus, & post eum alij Expositores quos postulat vniuersi perfectio gradus omnes creabiles veluti partes eius integrãtes in eo, tanquam in suo toto conclusas, non tamen exigit modos omnes essendi iuxta singulos gradus, aut creaturarum omnium species possibiles à Deo produci: Cuius differentiæ rationem affert Caietanus, quòd rerum gradus, nimirum communicabiles finiti sunt, tàm actu, quàm potentia, & in his supremus, ac Deo simillimus est intellectualis, vt latè docet August. lib. 4. de Trinitate: At essendi modi secundùm singulos rerum gradus, & si finiti sunt actu, sunt tamen per Dei potentiam in infinitum multiplicabiles, saltem in supremo rerũ gradu, potest enim Deus quolibet Angelo creato perfectiorem producere specie, ac essendi modo differentem vsq; in infinitum. Cùm autem vniuersi perfectio in eo perfectam constituat ad Dei similitudinem, tunc erit vniuersum Deo perfectò simile, cùm intra suarum partium ordinem gradus omnes possibiles à Deo produci concluserit, ac secundùm diuinæ perfectionis, ac bonitatis similitudinem receperit. Productos autem à Deo fuisse gradus omnes entium significauit supra Diu. Thom. quæst. 22. artic. 4. vbi sic loquitur: *Post bonitatem diuinam, quæ est finis à rebus separatus, principale bonum in ipsis rebus existens, est perfectio vniuersi, quæ quidem in ipsis rebus existens, est perfectio vniuersi, quæ quidem non esset, si non omnes gradus essendi inuenirentur in rebus: Vnde ad diuinam prouidentiam pertinet, omnes gradus entium producere.* Hæc ibi, suspicio autẽ illa Caietani verba, *nisi fortè in thesauris esse per essentiam latrat aliquid*, scilicet alius gradus, vt probabilis, ac pietatem olens accipienda est, quo modo etiam intelligenda sunt dicta D. Thom. in 1. sentent. distinct. 44. quæst. 1. artic. 2. & infra quæst. 25. artic. 6. ad 3. Vbi significat asseri posse probabiliter, non omnes rerum gradus à Deo fuisse productos, nec omnes ad vniuersi perfectioné esse necessarios. Quam opinionem, veluti probabilem supra defendimus in allegata quæst. 25. artic. 6. Sed opposita sententia probabilior est.

Petes 2.

Petes secundò. *Quinam sit gradus in eo supremus ex ijs, qui sunt vniuerso communicabiles?*

Resp. Gradus supremus in Deo, communicabilis creaturæ, est ille, quem Filio communicauit.

Resp. Gradus in Deo supremus ex ijs, qui sunt vniuerso communicabiles, ille nobis habendus est, quem Deo filio generatione per se primò communicat Deus Pater: Quod enim maximè proprium, ac nobilissimum est naturæ, per se primò communicatur actu generationis: constat autem ex supradictis quæst. 27. filium in diuinis, qui & modo suæ processionis, vt verbum, quod actum intelligendi terminus est, & obiectum ad intra procedere, & ex identitate perfecta diuinæ intellectionis eum esse perfectè similem, & eandem esse numero verbi, dicentisq; naturam, ac proinde vi processionis eiusdẽ non solùm, vt verbum à dicente, sed etiam, vt genitum à Patre procedere. Ex ijs itaq; gradibus, qui per infinitam potentiam sunt vniuerso communicabiles, supremus, omniumque nobilissimus est intellectualis, quem soli gradus Deo proprijssimi, minimeque communicabiles videntur excedere, vt puritas actus, & Deitas, quos tamen magis arbitror, esse supremos naturæ intellectualis essendi modos quàm distinctos ab ea gradus: sicut enim immaterialitas, ita puritas actus ad intellectualitatis naturam, & modum, vt eius propria radix, & ratio pertinet. Deitatis autem nomen à prouidentia deductum, supremum intellectualis naturæ modum videtur exprimere, cuius est vniuersa condere, conseruare, & in fines suos dirigere: Puritas igitur actus, & deitas, non ideò communicari non possũt creaturis, quia gradus sint intellectualitate maiores, sed quia supremi sunt illius essendi modi soli primo enti connaturales, ac proprijs, quibus eius quasi species, ac essentialis differentia designatur.

Petes 3.

Petes tertiò. *An rerum omnes gradus possibiles ad vniuersi perfectionem sint necessarij?*

Resp. affirm. Prob. 1. quia ad hoc, vt Vniuersum sit vltimò perfectum; oportet creaturas redire ad suũ principium.

Respond. affirmatiuè. Prob. primò adhoc, vt vniuersum creaturarum vltimam perfectionem consequatur, oportet creaturas ad suum redire principium: ergo necesse fuit ad creaturarum perfectionem aliquas esse creaturas intelligentes. Antecedens probatur: quia tunc effectus maximè perfectus est, quando in suum redit principium, quod manifestatur exemplo circuli, & motu circulari, nam ille inter omnes figuras, hic inter motus est maximè perfectus, eo quod sit in vtroque reditus ad principium redeunt omnes, & singulę creaturæ, in quantùm sui principij similitudinem secundùm suum esse, & suam naturam, in quibus quandam perfectionem habent, at intellectus Dei creaturam productionis principium est: ergo: maior probatur: Quia tunc omnes effectus perfecti sunt, cùm maximè similantur causæ agenti; domus, quando maximè similatur arti, & igni, cùm maximè similes est generanti.

2146 *Prob. 2. Quia summa*

Prob. 2. Postulat vniuersi summa perfectio simi-

Perfectio Vniuersi, exigit similitudinem Creaturæ ad Deum.

litudinem creaturæ ad Deum, non solùm secũdùm formam in Deo agente præexistentem, qua agens agit, sed etiam secundùm eundem essendi modum eiusdem formæ, quantùm possibile est: At forma, qua Deus agit creaturas, est forma intelligibilis in ipso: ergo oportet ad summam perfectionem vniuersi esse aliquas creaturas, in quibus secundùm esse intelligibile, forma diuini intellectus exprimatur, quod est esse creaturas secundùm suam naturã intellectuales. Maior probatur, quia similitudo effectus ad causam agentem attenditur secundùm formam effectus, qui præexistit in agente, quæ forma recipitur nonnunquam secundùm eundem essendi modum, quo est in agente, vt forma ignis generati eundem habet essendi modum cum forma ignis generantis: quandoq; verò secundùm aliũ essendi modum, vt forma domus, quę modum habet essendi intelligibilem in mẽte artificis, & recipitur secundùm modum essendi materialem in domo, quæ est ad extra. Et ex his duobus similitudinis modis longè perfectior est primus, quàm secũdus: igitur postulat vniuersi summa perfectio similitudinem creaturæ ad Deum, non solùm secundùm formam &c.

2147 *Petes 4.*

Petes quartò. *Quenam sit differentia inter intellectum diuinum producentem res in esse, & intellectum artificis artificiata producentem?*

1 Resp. notando differentiã inter intellectum diuinum, & intellectum artificis.

Resp. Notandam esse diligenter differentiam inter diuinum intellectum, quo res omnes producũtur in esse, & intellectum artificis, quo producuntur artificiata: Nam diuinus intellectus idem est realiter, quod eius operatio, siuè actiua productio, quę est practicum intelligere. Et præterea idem est diuinus intellectus cum specie intelligili, quę est principium intellectionis, & cum forma ideali, quæ simul cum intellectu principium est rerum immediate productiuũ, quę realiter etiam idem est cum specie intelligibili: Sed in artifice creato realiter distinguuntur intellectus, intelligere, productio artificiati, species impressa, & exemplar, siuè idea, qua producitur artificiatum, quo fit, vt intellectus artificis non sit proximum, & immediatum principiũ productionis artificiati; sed executiua potentia, cuius actus est actiua productio. Diuinus autem intellectus, qui realiter idem est, quòd eius operatio, principium est immediatũ productionis creaturarum.

2148 *In vniuerso debet esse perfecta Dei similitudo secũdũ gradum intellectus.*

Cùm itaq; Deus per suum intellectum, vt proximum, & immediatum principium produxerit vniuersum, veluti totale, ac perfectum opus, consequẽs est, in eo similitudinem esse necessariò secundùm gradum, & virtutem intellectiuam, effectus autem artificis creati, cùm ab eius intellectu non exeat, vt formali, ac immediato principio, similitudinem cũ artifice non requirit secundùm intellectum. Nec eadem est de singulis vniuersi partibus ratio, quæ de ipso toto, quoad eius vnam partem; hęc enim similitudo in effectu Dei totali necessaria est; quia perfectam, idest secundùm omnes gradus requirit cum Deo similitudinem, singulę vero partes, quãuis in suo genere sint perfectę, vnius tamen totalis effectus, & absolutè perfecti rationem non habent, atque ideò perfectionis intellectualis naturæ minimè sunt capaces; sed vnicuiq; sufficit gradum, vel modum essendi in Deo virtualiter, & eminenter contentum, iuxta mensuram in rationibus idęalibus præfinitam participare, & secundùm illum Dei assimilari. Si namque singulę partes secundùm intellectualem naturam Deo assimilarentur, nulla graduum esset in rebus distinctio, ac proinde perfectio tolleretur vniuersi, quę ex multiplici graduum diuersitate consurgit.

2149 *Petes 5.*

Petes quintò. *An ad vniuersi perfectionem requiratur, vt sint aliquę creaturæ intellectuales, nullam prorsus habentes cum materia connexionem: sed sint in se ipsis completè subsistentes?*

Resp. affirm. quia si vniuersu est perfectè

Resp. affirmatiuè: Ita D.Th. hic prob. Nam si bonum, & perfectionem Deus intendit vniuersi, & hæc in assimilatione ad Deum perfecta consistit, necesse est in hoc vniuerso, quod cernimus, gradus omnium entium possibilis adunari. Videmus autem in vniuerso corporeorũ entium gradus, & naturas in suo esse completè subsistentes ad inuicem separatas, igitur, & incorporeæ, ac intellectualis naturæ gradus erit in vniuerso completè in se ipso subsistens, nullam ex sui natura cum substantia corporea connexionem habens, aut ordinem essentialem; Cùm enim in intellectuali natura, veluti in supremo creaturæ vertice, quàm maximè splẽdeat diuina bonitas, & vniuersi perfectio, hanc meritò diuina prouidentia priùs, ac magis intendit, ac voluit, quàm aliam quãlibet inferioris ordinis creaturam: siquidem ex ea complementum, & perfecta totius vniuersi ad Deum similitudo dependet; Quòd etiam hic in secunda probatione significat D. Thom. dicens *hoc ipsum, quòd intellectus est altior sensu, rationabiliter ostendit esse aliquas res incorporeas à solo intellectu comprehensibiles*, idest penitùs à corpore separatas.

simile Deo, in eo omnes gradus debent reperiri.

2150 *Posita substantia spirituali, quæ sit pars corporis, rationabile est, dari perfectam,*

Propterea, vt hic aduertit Caietanus, & latiùs explicat in dicto articulo primo sequentis quæstionis, posita in vniuerso natura intellectuali, quæ sit pars substantiæ corporeæ, rationabile est, poni substantiam intellectualem creatam corpore nobiliorem, & à corpore penitùs absolutam. Nam, si natura per plures modos, aut essentiales differentias, distinguibilis sit in rerum natura, secundùm imperfectiorem modum, & differentiam, debet, & multo magis esse secundùm imperfectiorem essẽdi modum, seu differentiam. Primò, quia maior est naturæ, & eius auctoris circa perfecta, quàm circa imperfecta sollicitudo. Secundò, quoniam ea, quæ sunt in entibus imperfectiora, ad ea, quæ magis perfecta sunt, veluti ad fines ordinantur. Tertiò, quia differentiæ communem aliquam diuidentes naturam simul natura sunt; modi verò diuidentes analogum ordinem habent secundùm priùs, & posteriùs; diuidere ac proinde posterius infert priùs, absq; ordinatis enim, ordo non est.

2151 *Instantia v*

Dices: Satis perfectum esse futurum vniuersum, si aliqui Dei effectus similes Deo in intelligendo, tam etsi non etiam in illo modo intelligendi planè independenter à corpore: ergo: Probatur antecedens. Quia non est necesse, vt vniuersum quouismodo sit perfectum; sed satis est, si suo modo sit perfectum. Nam etiam esset perfectius, si in illo essent aliæ perfectiores creaturæ, quàm sint Angeli, vel alius gradus superior intellectuali, qualẽ Deus sua infinita sapientia, & potentia cõdere potest, nec tamen ideirco necesse est tales creaturas, aut gradus esse.

Resp. Vniuersum non debebere esse perfectum quo ad omnem modũ essendi.

Respondetur falsum esse antecedens. Ad probationem dico non esse vniuersum quouismodo perfectius esse, scilicèt, quoad omnem essendi modum, id enim est impossibile, cùm sint infiniti possibiles essendi modi, oportere tamen simpliciter esse perfectum, tale autem esse nõ posse, nisi gradus omnes rerum possibiles in se contineat, ex quibus supremos, ac omnium optimus est intellectualis. Quare falsum est posse gradum alium à Deo fieri superiorem, cùm nec diuinitas ad superiorem pertineat gradum; sed in intellectuali natura, siuè gradus sit supremus, ac simpliciter infinitus essendi modus.

2152 *Petes 6.*

Petes sextò: *An ratio D. Th. quæ probat necessarium esse constituere creaturam incorpoream, optima sit, & valde consentanea rationis lumini.*

Resp. affirmatiua quia perfectio vniuersi consistit in assimilatione ad Deum.

Respond. affirmatiuè, vt ex dictis: quia, sic colligit D. Thom. *Necesse est vniuersum esse perfectum: ergo perfectè simile Deo: ergo simile Deo secundùm intellectiuam naturam.* Ex hoc colligitur optimè: *Ergo necesse est constituere in vniuerso creaturam incorpoream.* Patet prima consequentia. Quia perfectio vniuersi consistit in assimilatione ad Deum, quæ præcipuè est intenta à Deo in rebus creatis: ergo vniuersum necesse est, sit simile Deo secundùm intellectiuam naturam. Patet consequentia. Quia Deus agit

agit secundùm intellectum,& voluntatem. Et aduerte D. Thom. artificiosè satis voluisse probare, quòd intra vniuersum debet reperiri creatura aliqua integra,& totalis,quę proprium habeat locum in vniuerso, & quæ secundùm se totam reponatur intra gradum naturę intellectualis: quod quidem est valde rationi consentaneum. Quia in inferioribus gradibus rerum reperiantur, quàm plurimæ naturæ totales, & completæ: cur in supremo gradu, in quo ampliùs perfectio vniuersi splendet, & virtus primi agentis, non debet reperiri natura aliqua integra totalis, & completa, quæ perfectè participet gradum intellectualitatis?

2153 *Quare effectus creati non assimilentur intellectui diuino, vt habet rationem potentiæ. Sed vt habet rationē artis.*

Quarè,licèt effectus à Deo causati, per se primò non assimilentur diuino intellectui, secundùm quòd habent rationem potentiæ: sed assimilentur formæ intellectiuæ,nempe diuinæ arti,quę est principium formale *quo* productiuum creaturarum: caeterùm diuina ars,duo habet. Primum,quòd est spiritualis forma omninò immaterialis. Secundùm verò, quòd est identicè, & formaliter idem cum natura intellectuali diuina, & cum diuino intellectu. Vt igitur effectus Dei perfectè assimiletur huic formæ, etiam quantùm ad modum essendi: Exigitur,quòd sit effectus spiritualis, & immaterialis: & rursùs,quòd formaliter sit natura intellectiua intellectu, & voluntate pollens. Et ex hoc colligitur, quòd similitudo perfecta effectus ad causam, non est illa, qua effectus assimilatur causæ in ratione agendi: sed qua assimilatur causę in ea forma,per quam operatur causa, & in modo essendi. Et quoniam hoc est effectus totalis Dei, ab ipso intentus per se primò: optimè colligitur, quòd in illo debet reperiri huiusmodi perfecta assimilatio ad suam causam,cùm illa sit possibilis, & vniuersum sit capax illius.En Candide Lector quo pacto ratio D.Th. conuincat id,quòd intendit in artic.

2154 *1. Obiectio.*

Arguitur primò. Quia ex eo sequitur, Deum produxisse in vniuerso creaturam perfectissimam, qua aliam perfectiorem producere nō potest: quod apertè est falsum,& militat contra ea, quæ diximus supra q.25 art.6. Vbi sancitum est,Dei potentiam in creatione vniuersi exhaustam non fuisse: sed magis quacunque perfectissima creatura signata, posse aliam, atq; aliam perfectiorem producere (syncategorematicè,quod aiunt) in infinitum.

Resp. aliud esse loqui de gradibus rerū;aliud verò de speciebus.

Respondetur, quod aliud est loqui de gradibus rerum, aliud verò de speciebus sub quolibet gradu contentis. Et quidem ratio vniuersi poscit,vt intra ipsum contineatur supremus gradus rerum, qui communicari potest, quo altior esse non possit ex communicabilibus ad extra: & hic est gradus intellectualis. Veruntamen S.Th.non docet, quòd iste gradus de facto sit comunicatus in perfectissima specie,qua perfectior dari non possit per diuinā potentiam. Imo potiùs sub quolibet gradu rerum possent produci infinitæ aliæ species syncategorematice,longe perfectiores his,quæ factę sunt. Vndè ad argumentum patet solutio:negando sequelam.

2155 *2 Obiectio.*

Arguitur secundo. Quoniam ratio D.Th.solùm conuincit, in vniuerso inueniri creaturas aliquas intellectiuas,& volitiuas; & consequenter immateriales: at ex hoc non colligitur,quod sit Angelus: sed satis erit,quod sit anima rationalis, quæ intellectiua est, & spiritualis.

Resp. Anima rationalis non est verè intellectualis, sed rationalis precisè.

Respondetur,quod rationalis anima non est verè intellectualis: sed rationalis præcise. Et quoniam discursus D.Thom.in artic. efficaciter ostendit intra vniuersum debere constitui creaturam intellectualem: idcirco non fit ratione D.Th.,quod reperiatur intra vniuersum rationalis anima. Sed oportet vlterius constituere excellentiorem creaturam,quæ sit intellectualis secundùm naturam,quā Angelum appellat D.Th.Cæterum hæc solutio non debet probari viris doctis:quia vere rationalis anima continetur in gradu intellectualis naturæ. In quo sanè cum Angelis conuenit: licet in gradu intellectualitatis infimum gradum obtinet. Vnde,D. Greg. homil.29. super Marcum, explicans cap.16. nomine omnis creaturę. ait, quòd intelligitur homo: quia aliquid habet homo omnis creaturæ. Habet enim homo,cōmune esse cum lapidibus,vigere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis. Quocirca, Caietanus in hoc artic.meliùs respondet, quòd rationalis anima non est natura totalis,sed partialis: quæ secundùm se intra vniuersum proprium habeat locum. Ratio autem D.Th.ostendit,quòd intra vniuersum debet reperiri creatura aliqua totalis cōpleta per se subsistens:quæ proprium habens locum in vniuerso,secundùm se totam reponatur in gradu naturæ intellectualis. Quod sanè valde est rationi consonum, quia, si in gradibus inferioribus reperiuntur naturæ totales,cur in supremo gradu,in quo magis splendent perfectio vniuersi, & virtus primi agētis, non oportet,vt reperiatur natura completa, & integra, quæ exactè participet hunc gradum intellectualitatis.

Arguitur tertiò. Effectus causæ ęquiuocæ non potest habere perfectam assimilationem cum sua causa; sed vniuersum hoc respectu Dei est effectus causę æquiuocæ; ergo non potest habere perfectā assimilationem cum Deo: ruit igitur fundamentū D.Th. Maior huius discursus ostenditur. Quia æquiuoca causa est,quæ producit effectum alterius rationis,& inferioris ad ipsam. 2156 *3.Obiectio.*

Respondetur,quòd non est contra rationē causæ æquiuocæ,producere effectum sibi similem in forma,qua ipsa causa æquiuoca agit: ita vt effectus,& causa formaliter habent denominationem eandē:si tamen illa forma, prout est in effectu, non attingat eam perfectionem,quam habet forma secundùm quod est in causa. Nam sol non solùm est causa æquiuoca,quatenùs producit effectum, quem non formaliter, sed virtualiter continet: sed etiam est causa æquiuoca respectu lucis,quam producit in diaphano:esto lux formaliter reperiatur in Sole. Eo quòd lux producta in diaphano, nō potest attingere vnquam eam perfectionem,quam lux habet secundùm quod est in Sole. Quòd,si hoc verum est in Sole respectu luminis, multò certiùs est in Deo respectu creaturarum. Quoniam perfectio in creaturis producta, quantamcumq; similitudinem habeat cum perfectionibus Dei, longè tamen distat à perfectione,quam res habent in Deo: imò neque est illis communicabilis tanta perfectio,& similitudo,etiam per absolutam Dei potentiam. Et idcirco necesse est,vt omnis perfectio creata relata adDeū, habeat similitudinem deficientem. *Resp. Non esse contra rationē causæ producere effectum sibi similem in forma.*

Arguitur quartò. Ex eo,quòd in vniuerso reperiatur creatura intellectualis,non colligitur efficaciter,quòd sit omninò incorporea,nullam habens dependentiam,aut consortium naturale ad materiā, & corpus: igitur ex discursu D.Th.non satis ostenditur Angelum esse omninò incorporeum. Patet antecedens. Quoniam rationalis anima,intellectiua est: & nihilominùs dicit habitudinem, & cōnexionem ad materiam.Et confirmatur. Quia ad rationem intellectionis, solùm requiritur, vt organo corporeo non exerceatur:non tamen,quòd non habeat dependentiam aliquam,seu naturalem ad corpus habitudinem. Quod liquet in intellectione animæ nostræ,dum corpori est immersa. Igitur ex ratione intellectionis,non colligitur efficaciter omnimoda Angeli immaterialitas. 2157 *4. Obiectio.*

Respondetur: quòd incorporeum accipi potest tribus modis in pręsenti. Primò pro eo, quod est omninò indiuisibile,siuè per se, siuè per accidens. Punctus.n. in linea,dicitur incorporeus; & similiter anima rationalis.Secundò id vocatur incorporeum, quod habet operationem prorsus independentem à corpore: non solùm tanquam ab organo, & instrumento: sed omni quocumque alio modo. Tandem tertio aliquid est incorporeum,ob id,quòd nullum naturale commercium habet cum corpore:neq;in esse,neq;in operari,neq;alia ratione. Et quidem D.Th. contendit probare Angelum esse *Resp. Incorporeum accipi potest tribus modis in præsenti*

incorporeum primo, & secundo modo: quoniam de tertio modo incorporeitatis agit quæst.51.artic. 1. Vnde ad argumentum, & eius confirmationem dico, quòd ex intellectuali operatione imperfecta, qualis est intellectio animę rationis, quæ conuenit naturæ partiali: non colligitur, quòd natura intelligens est omnino, & totaliter incorporea, independens à corpore. Cæterùm ex operatione intellectuali perfecta, quæ procedit à natura totali, & completa in genere intellectualium: optimè colligitur, plenaria immaterialitas, & totalis à corpore independentia: eo, quòd talis operatio ex proprio genere suo habet, quod sit omnino immaterialis. Et idcircò constituta in gradu perfecto sui generis, nullam dependentiam poterit habere à corpore. Secùs verò est de rationali anima, quia in genere intellectualium habet infimum locum.

2158 *5. Obiectio.*

Arguitur quintò. Nam quamuis effectus assimilari debeat suæ causæ in ratione agendi: non tamen oportet, vt assimiletur illi in modo essendi: Domus enim exterior, assimilatur arti, & ideæ, quæ est in mente artificis, non tamen est illi similis in modo essendi, cùm idæa spiritualis sit: Ergo, quamuis mundus iste assimiletur Deo, quantùm ad rationem operandi, non tamen oportet assimiletur illi in modo essendi immaterialitatis, & spiritualitatis. Ecce ratio D. Thom. nihil videtur concludere. Aliàs sanè dicendum esset, quòd quicumq; particularis effectus ipsius Dei, assimilatur ei in modo essendi, etiam quantùm ad id, per quod Deus operatur effectum ipsum, quod est absurdum. Quoniã res pure materiales Deo in modo essendi non assimilantur.

Res. Perfectam similitudinem effectus ad suã causam assimilari causæ in ea forma per quam operatur causa.

Respondetur, quod perfecta similitudo effectus ad suam causam, non illa est, qua assimilatur causæ in ratione agendi. Sed qua assimilatur causæ in ea forma, per quam operatur causa, tanquam per principium formale, *quo*, & in modo essendi. Et quoniam ipsum vniuersum est totalis effectus Dei, & ab eo per se intentum, prudenter dicitur, quod in eo debet reperiri hęc assimilatio perfecta ad suam causam, supposito, quòd est possibilis, & quòd vniuersum est capax illius: vt re vera est. Et cùm arguitur, quòd aliàs quilibet effectus particularis assimilaretur Deo etiam in modo essendi, & quantũ ad id, per quod Deus operatur: Respondetur, negando sequelam. Primò, quia non quicunq; effectus particularis Dei, est capax assimilationis ad ipsum Deum, secundùm supremum gradum intellectualitatis, propter materialitatem, quam habet effectus. Cæterùm totum vniuersum collectiuè sumptum, secundùm aliquam sui partem capax est huius perfectę assimilationis. Secundò, negatur etiam sequela. Quia vniuersum, secundùm se, est effectus per se primò intentus à Deo, atq; adeò postulat assimilationem perfectissimam, qualis possibilis est ad Deum. Cæterùm creaturæ particulares sunt effectus à Deo intenti secundariò, & propter totum, & ob id in qualibet creatura particulari non debuit exprimi similitudo perfecta ad Deum, sed id quidem pertinebat ad totum vniuersum, vt sic

2159 *6. Obiectio.*

Arguitur sextò. Licèt totus mundum assimilari Deo, quantùm ad id, per quod Deus operatur, tanquam per operationis principium formale; non tamen fatendum est, quod assimilatur Deo, quantùm ad potentiam, per quam operatur, quæ est intellectus diuinus: igitur non ostendit ratio proposita D.Tho. aliquam necessario partem vniuersi Deo assimilari in intellectu, & voluntate. Patet antec. Quia necesse non est effectum assimilari causæ in operatione potentiæ, sed sufficit assimiletur in principio formali, quo ipsa causa operatur, vt satis liquet in naturalibus effectibus rerum.

Resp. Effectum Dei assimilari diuino intellectui pro vt habet rationem artis.

Respondetur, quod effectus Dei per se primò nõ assimilatur diuino intellectui, prout habet rationé potentię, sed assimilatur formæ intellectiuę, hoc est diuinę arti, quę est principium formale *quo* productiuum creaturarum. Cæterùm diuina ars duo habet, & quòd est forma spiritualis immaterialis prorsus, & prętereà, quod est formaliter, & identicè idem cum natura intellectuali diuina, & cum diuino intellectu. Vt igitur effectus Dei assimiletur perfectè huic formę, etiam in modo essendi, requiritur, vt spiritualis sit effectus, & immaterialis, & prætereà, vt sit formaliter intellectiua natura, intellectu, & voluntate pollens, vt latiùs docuimus in hoc dubio, conclus. secunda.

DVBIVM IV.

An possit dari aliqua ratio demonstratiua de existentia substantiæ intellectualis completę, omninò inextensę, nempe Angeli.

2160 *D. Th. multas tradit rationes præter supradictam, ex quibus aliqua esse demonstratio à posteriori.*

Diuus Thomas opusc. 15. initio, & 2. contra Gen. cap.46.& hoc etiam articulo multis rationibus hanc veritatem probare nititur: quarum aliquę sunt optimę, & rationabiles congruentię, & valde probabiles discursus. Illa mihi videtur demonstratio esse ab effectu, & signo, qua etiam vtitur D.Thom quia scimus omnibus temporibus aliqua apud nos contingere, & contigisse, quæ necessariò, vt à causa principali debent fieri ab aliqua substantia intellectuali, homine superiori, quã vocamus Angelum, seu Spiritum: ergo talis substantia datur: Antec. probatur in arreptitijs, seu possessis à Dęmone, & in multis maleficijs, & operibus magorum, quamuis enim in vtrisq; aliqui effectus possent tribui causis corporalibus, & naturalibus: aliqui tamen non possunt, quales sunt, cùm homines rudes, & indocti disputant de rebus altissimis, varijs linguis loquuntur, longe absentia referunt, & aliqua alia prædicunt, & operantur, quę nulla ratione naturali ab istis sciri potuerunt, aut fieri possunt naturaliter. Item quando magi, & venefici operãtur solo verbo, vel signo magnos effectus in corpora valde distantia, quorum aliqua refert D. Th. qu. 6. de pot. art. 5. & iam pleni sunt multorum libri. Et confirmatur ex Idolis, in quibus statuę ligneę, vel ferreę loquuntur, & prędicunt absentia, & alia similia faciunt, vt habetur tàm in sacris, quàm in prophanis historijs, quę certum est non fieri ab hominibus, cùm excedant hominis virtutem: neque immediatè à Deo, quia multa, vel non fiunt sine peccato, vel certè indecens esset diuinæ Maiestati ea per se operari quare necesse est, vt fiãt ab aliqua substantia intellectuali homine superiori quoad naturam.

2161 *Euasio.*

Sed respondere aliquis posset, hos effectus fieri ab influentijs cęlorum, vel certè ab animabus separatis eiusdem rationis cum animabus hominum: sed hę responsiones sunt omninò irrationabiles: nam vel cęli per has influentias agunt in virtute intelligentiarum, vt aliqui putant, & tunc ea respõsio admitteret intelligẽtias, vel virtute propria corporea, & sic impossibile est illos effectus à corporibus procedere, cùm sint operationes intellectuales, vel illas inuoluant. Illud etiam de animabus dici non potest: vel enim esset anima per se separata, atq; adeò perfectè incorporea, & homine nobilior, vel per accidens, sicuti essent animę mortuorũ, hę autem non possent ita dominari in corpus, & animam hominis viuentis, & hos effectus præstare, quos videmus. Imò animas separatas non posse mouere corpora, docet D.Th infra q.117.art 4. necesse est ergo, vt sint substantiæ homine præstantiores, cùm ab effectibus cognoscatur nobilitas principij.

Præcluditur quia talis euasio admitteret intelligentias, quas negat.

2162 *Petes.*

Prætereà petere aliquis posset, *An ratio Aristotelis ex motu cęlorum ducta ad probandas intelligẽtias, sit demonstratiua.*

Resp. neg. Nam motus omnium Cœlorum à solo Deo fieri potest.

Resp. non esse ad probandas intelligentias distinctas à Deo, nam sine dubio motus omnium cælorum posset à solo Deo fieri, quamuis congruentissimum sit, & valde rationabile fieri medijs creatis intelligentijs. Prætereà non ita facile euidenter demonstratur cælos non posse moueri à propria forma,

ma, licèt etiam sit ratio valde efficax, qua probatur non posse.

Alia ratio D. Th. proponitur.

Similiter quæri posset, an ratio, qua vtitur D.Th. hoc loco sit demonstratiua, quę breuiter est huius modi. Prima causa, quę est Deus, operatur per intellectum, & voluntatem; ergo est possibilis aliquis eius effectus, qui sit illi similis in esse intellectuali; causa enim intendit assimilare aliquo modo sibi effectum, & hoc videtur pertinere ad integritatem, & perfectionem vniuersi, intelligere autem non est actus corporis, vt probatur in materia de anima: ergo talis creatura erit incorporea, & quidem perfectè incorporea, si habeat perfectum intelligere: quæ ratio D.Tho. inuoluit aliqua alibi probata, nēpè, quòd hæc creatura non est homo. Licèt enim homo cōueniat cum Angelo in eo, quòd habet intellectum, & voluntatem, in quo etiam assimilatur Deo intelligenti, & volenti, tamen intelligere hominis non est perfectum in genere intellectionis, cùm aliquo modo dependeat homo in intelligendo à rebus inferioribus, nempe à corpore, & phantasmatibus: cùm ergo intelligere secundùm se dicat hanc imperfectionem, erit possibilis aliqua creatura, quæ sit purè intellectualis, qualis est Angelus, maximè cùm sit possibilis creatura imperfectè intellectualis, erit possibilis alia, quæ careat tali imperfectione, cùm intelligere ex se non exigat hanc imperfectionem.

2163 *Rationem D. Th. esse efficacissimam, nobis non tamen omnino demonstratio.*

Dico ergo hanc rationem D.Tho. esse efficacissimam ad probandam possibilitatem Angelorum, nō tamen nobis omnino demonstratiuam, dico nobis, quia in seipsa est demonstratiua, licèt nobis non appareat euidenter eius veritas à priori, vel rectè per se ipsam, posset enim aliquis respondere, hanc creaturam, quæ sit similis Deo in esse intelligentis, & volentis, esse solùm hominem. Neque enim facilè demonstratur, quòd intelligere creatum nō necessario inuoluat hanc imperfectionem alicuius depēdentiæ à corpore, vt est in homine: Neque verò à D. Th. hæc ratio affertur, vt perfecta demonstratio in ordine ad nos; sed vt efficax ratio; & quamuis aliquis posset hac ratione argumentari. Cùm videamus de facto dari creaturam intelligentem, & volentem, qualis est homo, non posset assignari implicantia, cur non possit dari alia creatura purè intellectualis, & incorporea, atq; adeò, quæ sit homine nobilior: ergo talis creatura est possibilis. Hic modus argumentandi non esset demonstratio, licèt nos non possemus talem implicantiam assignare, vt sæpè alibi dictum est in similibus. Addo, quod solùm hæ rationes probarent tales creaturas esse possibiles, non tamen de facto esse, licèt valde congruum sit ad perfectionem vniuersi esse.

Potest fieri aliqua demonstratio à priori de hac re, & ostenditur.

Illud tamen aduertendum est, posse fieri aliquā demonstrationem à priori de hac re per regressum demonstratiuum, si enim demonstratum est ab effectu, quòd de facto datur aliqua substantia creata intellectualis, homine nobilior, possit inferri per necessariam consequentiam; ergo Deus, qui est causa omnis creaturæ, erit intelligens, & volens perfectissimo modo, & consequenter agens per intellectum, & voluntatem perfectiùs, quàm homo, quod D.Th. ponit in suo antecedente; posteà verò per regressum demonstratiuum potest fieri hic syllogismus. Deus est agens per intellectum, & voluntatem perfectissimo modo: Ergo potest producere aliquam creaturam intellectualem sibi similem perfectiori modo, quàm sit homo, qualis de facto est Angelus, sicuti ex eo, quod Luna sphericè augeatur in lumine, inferimus esse rotundam, & per regressum ex eo, quod est rotunda, inferimus augeri sphericè, & sic in alijs similibus. Illud ergo, quod quæsiuimus est, an præscindendo ab eo argumento sumpto ab effectu, & signo, possit assignari aliqua alia ratio, quæ sit nobis demonstratiua ad probandam existentiam Angelorum, quod negamus. Suarez disp. 33. met. sect. 1. nu. 3. tanquam rationem à priori, & demonstratiuam affert illam, quia scilicet non potest assignari repugnantia ex parte Dei, neq;

2164 *Suarez demonstratio reijcitur.*

ex parte talis creaturæ: Ergo illa est possibilis, maximè cùm detur anima rationalis, quæ est substanstantia spiritualis incompleta, in progressu autem probationis totam vim habet eius ratio ex argumento, quo vtitur hoc loco D.Th., & quamuis Suarez lib. 1. de Angelis, cap. 6. repetat eandem rationē, nihil tamen dicit, an sit, vel non sit demonstratiua, & demum ibi concludit, quòd, cùm ex vna parte non implicet talis creatura, & ex alia parte pertineat ad perfectionem vniuersi dari, quod, inquam, de facto detur, sicuti etiam argumentatur D. Tho. hoc loco; sed tamen existimo illam rationem non esse demonstratiuam, quamuis reuera nullus hominum posset assignare implicantiam: cùm enim intellectus humanus non sit regula veritatis, non sequitur, quòd, si homo non potest, neq; scit assignare implicantiam possibilitatis, alicuius rei, quod illa res sit euidenter possibilis; sed deberet esse nobis notum euidenter, quòd talis res non repugnet.

2165 *Ratio D. Th. secundum se est efficacissima, non verò secundū Nos demōstratio.*

Quantùm verò spectat ad rationem D.Th. dico esse efficacissimam, non autem omninò secundùm nos demonstratiuam; quamuis enim concedatur, quòd intelligere in genere, vt præscindit à creato, & increato, nō dependeat à corpore, & præterea, quòd intelligere creatum non dependeat à corpore, vt à subiecto inhæsionis formæ, vel potentiæ intellectiuæ, aut ipsius intellectionis, non tamen facilè demonstratur, quod nullo modo dependeat à corpore, cùm in hoc dependeat aliquo modo à corpore, & demonstratio deberet esse metaphysica, & valde abstracta, quales difficilè fiunt circa res, à nostris sensibus remotas, quarè aliquis posset fateri impossibile esse, dari aliquam substantiam creatam purè spiritualem, & consequenter etiam accidentia talia; licèt quia reuera non potest intellectus inuenire huius rei implicantiam, & ex alia parte virtus diuina est infinita, & aliquid est in rerum natura, quod imperfectè sit spirituale, nempe homo, omninò irrationabiliter negatur posse esse aliquam substantiam pure spiritualem, modo supra explicato, atq; adeo homine nobiliorem, quales dicimus esse Angelos.

2166 *Vis rationis D. Th. ostenditur.*

Sed vlterius vis argumenti D.Thom. hoc pacto ostendi potest. Substantia intellectualis, cuius intelligere nullo modo dependet à corpore, debet esse omninò incorporea, & spiritualis; sed talis est Angelicum intelligere; ergo &c. antecedens videtur certum ex Philosophia, & constat primo ex homine, quia enim hominis intelligere aliquo modo dependet à corpore, ideò à posteriori colligimus hominem non esse substantiam purè spiritualē, & ratio vniuersalis videtur esse, quia propria operatio substantiæ intellectualis, vt sic, est intelligere, & velle: si ergo in his proprijs operationibus aliqua substantia non dependet à corpore, non erit secundùm suum esse corporea, nam modus intelligendi non potest esse perfectior modo essendi, neq; habere perfectiorem abstractionē, vt alibi probatū est.

2167 *Euasio.*

Et quamuis aliquis respondere possit indigere corpore talem substantiam ad motum localem.

Præcluditur, quia motus localis nō est propria operatio intelligentijs.

Hæc tamen non est solida responsio, quia motus localis non est propria operatio intelligentis; sed communis ex operationibus autem ex proprijs præcipuè colligi debet perfectio principij, & naturæ, tum quia potest moueri Angelus, etiamsi non habeat corpus. Quarè maior propositio videtur sufficienter probata: minor vero probatur, quia si intelligere Angelorum depēderet à corpore, vel dependeret, vt à subiecto recipiente, quod dici non potest, nam etiam in nobis intelligere non est operatio organica, recepta scilicet in organo corporeo, aut in anima, in quantùm est forma alicuius organi particularis, sic .n. esset pura sensatio, neq; esset omnium rerū, & maximè vniuersaliū neq; dici potest, quod dependeat à corpore, vt ab obiecto interno, sicuti dependet intelligere nostrum à phantasmatib⁹, & cōsequēter tāquā à medio necessario ad recipiēdas species intelligibiles, vt accidit nobis, vndè respectu nostri dicitur, quòd nihil est in intellectu

Ma. & mi. propositio rationis D. Th. probatur.

quin

quin priùs fuerit in sẽsu: hoc.n. pacto Angelus haberet organa, & sẽsus internos, & externos, & cõsequẽter corpus mixtum heterogeneum, & esset verè, & propriè animal, & indigeret cibo corporo ad nutrimentum, & esset mortalis, haberet propriam figuram, & membra, quę omnia gratis, & sine fundamento dicerentur. Hæc tamen ratio deficit à demonstratione, quia aliquis posset omnia illa concedere, præsertim, quę sunt necessaria ad hoc, vt intellectus aliquo modo dependeat à corpore. Vndè aliqui putarunt de facto Angelos esse animalia rationalia homine perfectiora, immortalia tamen, & non indigere nostro cibo, quia eorum corpus sit diuersę rationis à nostro, & neq; compositum ex elementis, & natura sua incorruptibile, & inseparabile ab anima, quæ difficile demonstratiuè impugnari possunt.

2168 *Confirm. prædicta veritas, Si Angelus haberet corpus per extensum, posset mori. quod est omnino falsum.*

Vlteriùs etiam confirmari potest prędicta veritas, quia, si Angelus haberet corpus extensum quantitate, eius corpus esset diuisibile in partes, saltem à Deo, & ita posset Angelus mori per diuisionem sui corporis, vt accidit homini, cùm tamen hic argumentemur contra illos, qui putant Angelos esse immortales, imò, & admittunt scripturas sacras, sed negant esse omnino incorporeos. Item, si Angelus haberet corpus quantitate extensum, nõn posset penetrare alia corpora, cùm quantitas sit principium impenetrabilitatis, neq; possent plures Angeli esse in eodem homine, aut loco, & tamen Lucæ 8. habetur in homine vno fuisse legionem demonum. Item in scripturis Angeli dicuntur deicedere de cœlo, & in cœlum ascendere, cum tamen cęlum sit corpus solidum, sed tamen neq; hæ sunt demonstrationes, nam ad primum possent respondere aduersarij, Angelos esse corruptibiles in ordine ad Deum, quamuis sint incorruptibiles per causas creatas. Item ad secundum dicere possent, Angelis naturaliter deberi vim, & dotem penetrabilitatis, & agilitatis, quæ nostris corporibus beatis debetur supernaturaliter, & hoc propter diuersitatem essentialem corporis, & animæ ipsorum, & consequenter impenetrabilitatem non esse proprietatem quantitatis, nisi inquantùm est in corporibus corruptibilibus, aut sensibilibus habentibus densitatem, vel raritatem, qualia non sunt illa corpora, vel certè si esset philosophus gentilis, negaret Angelos penetrare corpora, quamuis propter maximam ipsorum corporum subtilitate videantur penetrare: quamuis ergo prædictæ rationes, & alię similes sint efficaces, non tamen sunt demonstratiuæ; sufficit ergo, quod veritas conclusionis nostræ tum ex auctoritate, tum ex ratione efficaciter probata sit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Angelus sit compositus ex materia, & forma.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

PRima Conclusio. in Angelis non est materia, quæ sit eiusdem rationis cum nostra: Prob. nam si formę spirituales, ac materiales recipiuntur in materia eiusdem rationis, aut recipiuntur in eadem parte materiæ, aut in diuersis: Non primum, aliàs spiritualia, & corporalia essent idem numero: cùm essent in eadem parte materiæ. Quòd verò non possit recipi in diuersis, Prob. quia tunc materia esset quanta, & substantię spirituales essent quantæ, & corporeæ, quod est falsum.

Secunda Conclusio. In Angelis nulla omnino est materia. Prob. substantia habens operationem purè immaterialem, est omnino immaterialis, nam operatio cuiuslibet rei est secundùm modum substantiæ eius. Sed substantiæ immateriales habent operationem immaterialem, nempe intelligere. ergo.

Arg. 1. Angeli sunt compositi ex genere, & differentia. Sed Genus sumitur à materia, & differentia à forma ex Arist. 8. Meth. ergo: Resp. dist. mi. quæ est vera in rebus materialibus; in immaterialibus verò, quatenus intellectus noster considerat rem illam, vt est determinans, desumit ab ea rationem differentię, vt verò est determinabilis desumit rationem generis.

Arg. 2. In Angelis reperiuntur recipere, & substare: quia intellectus Angelicus recipit formas intelligibiles, quibus etiam substat. Recipere enim & substare sunt proprietates materiæ: ergo. Resp. dist. Mi. recipere, & substare materialiter, & in esse materiali, conced. intentionaliter verò, & intelligibiliter negatur. & hoc modo conuenit Angelis.

DISPVTATIO CCLXII.

An Angelus sit compositus ex materia eiusdem rationis cum nostra, vel ex materia spirituali.

Petes 1. An Angelus sit compositus ex materia eiusdem rationis cum nostra, & sua forma spirituali. 2169 Petes 1.

Resp. neg. ita D. Th. & communiter Thomistæ. Prob. obiectum intellectionis est penitus immateriale, cùm sit abstractum ab omni indiuiduatione, ac proinde ab omni materia, quæ est indiuiduationis principium: ergo ipsa intellectio erit penitus immaterialis; quia intellectio, & quilibet alius actus recipit suam speciem ab obiecto. Sed operatio cuiuslibet rei est secundum modum substantiæ eius, quæ est talis operationis principium. ergo si intellectio est actio penitus immaterialis, substantia, quę est eius principium, debet carere omni materia.

Resp. negatiuè quia obiectū intellectionis est penitus immateriale.

2170 1. Instantia.

Dices 1. Materia est etiam principium naturę specificæ, & materialis, vt abstracta à conditionibus indiuiduantibus ergo ex eo, quòd obiectum intellectionis sit abstractum à materia, prout est principium indiuiduationis, non sequitur esse omnino abstractum à materia.

Resp. ad Antec. D. Thomam in hac probatione, nomine obiecti omninè abstracti à materia, non vult excludere materiam communem, sed solum illam, quæ impedit, quominùs obiectum sit simpliciter in gradu immaterialitatis, hæc autem est materia, quę est principium indiuiduationis, quæque est receptiua formę, ac limitatiua; vt fusè dixi tom. 1. q. 14. art. 1. ex quo fit vt obiectum abstractum à tali materia sit simpliciter, & absolutè immateriale, ac proinde eleuatum supra materiam, & omninò intelligibile.

Præcluditur. quia D. Th. exclusit materiā quæ est principium indiuiduationi.

2171 2. Instantia.

Dices 2. Angelicæ intellectionis obiectum directum est etiam singulare materiale; ex eo, quod Angelus directè illa singularia cognoscit. ergo non bene probatur intellectionem Angeli penitùs immaterialem per abstractionem obiecti à materia, quæ est indiuiduationis principium.

Resp. neg. conseq. Nam licèt potentia directè attingens singulare materiale tantum, non debeat esse omninò spiritualis in sua entitate, vt in sensibus patet: quando tamẽ attingit taliter singulare materiale, quòd simul possit se extendere, ad percipiendas rationes vniuersales abstractas à singularibus, vt accidit in Angelis; optimè infertur, talem potentiam debere esse spiritualem. defectu enim huius spiritualitatis, sensus externi, & interni directè attingentes singularia materialia, non possunt se extendere ad percipiendas rationes vniuersales materiales abstractas à materia.

Præcluditur. quia potentia attingens singulare, & vniuersale, est spiritualis.

Dices 3. Si ex eo, quòd obiectum intellectionis est omninò

omninò immateriale prout hæc immaterialitas dicit abstractionem à conditionibus materialibus, colligitur, intellectionem, & substantiam Angelicam esse immaterialem; fiet inde, talem intellectionem, & substantiam esse materialem, ex eo quòd eius obiectum est etiam materiale singulare.

Præcluditur. quia Angelus attingit materiale singulare, & rationes cõmunes.

Resp. neg. seq. Ratio autem, quare in Angelo non sequatur dandam esse materialitatem aliquam ex eo, quòd attingat materiale singulare, hæc est, quia ita attingit illud, ut possit etiã rationes cõmunes à cõditionibus materialibus abstractas, attingere, quòd non accidit in sensibus necessariò materialiadstrictis.

4. Instantia.

Dices 4. In homine datur intellectio, & similiter forma intelligibis recipitur in intellectu humano secundùm rationem formæ: & nihilominùs homo est compositus, ex materia & forma ergo similiter Angelus.

Præcluditur.

Resp. neg. conseq. Quia intellectio, forma intelligibilis, & intellectus recipitur in intellectu humano secundùm unam partem, & secundùm hanc, est immaterialis; in Angelo verò secundùm se totum debet esse immaterialis.

2173 2. Ratio.

Prob. 2. Concl. Nam forma intelligibilis recipitur in intellectu & substantia intellectuali secundùm ipsã rationem formæ. Nam forma non limitatur, quo ad suam universalitatem, & amplitudinem nisi per materiam, ut late tom. 1. q. 14. art. 1. ostendimus. ergo quòd secundũ se totũ fuerit intellectuale, ut in Angelo cõtingit, erit secundũ se totũ expers prædicta materia.

Euasio.

Dices. forma intelligibilis limitatur in esse entitatiuo per hoc, quòd recipitur in intellectu: ergo hæc limitatio non excludit omnem compositionem ex materia; quia si carentia limitationis esset causa carentiæ compositionis ex materia etiam, limitatio esset causa compositionis ex illa.

2174 Præcluditur.

Resp. neg conseq. & ad prob. dicimus, ad limitationem in esse entitatiuo, sufficere, ut aliquid recipiatur in alio tanquam in subiecto, ad quod non est necessaria materia prima, ad limitationem verò in esse repræsentatiuo est necessaria materia prima: quia hæc coarctat amplitudinem actus nempe formę, & ubi non datur limitatio in esse repræsentatiuo, ut in forma intelligibili Angelica contingit, ibi datur omnimoda immaterialitas.

2175 2. Euasio.

Vrgebis. Species intentionalis coloris recipitur in duplici oculo eadem numero in esse repræsentatiuo, atque adeò in hoc esse non limitatur; & nihilominùs oculus non est simpliciter immaterialis, ergo id, quod non limitat in esse repræsentatiuo, non sequitur esse simpliciter immateriale.

Præcluditur.

Resp. quòd visus propter aliquam immaterialitatem, quam habet, non limitat in esse repræsentatiuo secundùm quid speciam coloris, ut obiectio probat, limitat tamen simpliciter, quatenus non potest talis species repręsentare colorem sine indiuiduatione. Illimitatio enim simpliciter in esse repræsentatiuo, tantùm arguit omnimodam immaterialitatem.

2176 3. Euasio.

Iterum urgebis. species Angelica non repræsentat naturam humanam sine singularibus, atque adeò non recipitur sine hac limitatione simpliciter.

Præcluditur.

Resp. per speciem Angelicam repręsentari simul naturam humanam cum omnibus suis singularibus, in quo maior amplitudo, & illimitatio resplendet: & ille modus talis repręsentationis est talis conditionis, ut possit prædicta species deseruire Angelo ad cognoscendam naturam communem siue singularibus, quod non accidit in sensibus.

2177 Petes 2.

Pete 2. An substantia Angeli sit expers materię, quę sit eiusdem rationis cum nostra, vel diuersæ, & etiam materię spiritualis.

Resp. affirm. quia Angelus cum sit inextensus est expers quantitatis.

Resp. Angelus est expers materia, vel eiusdẽ, vel diuersę rationis cum nostra. Prima pars prob. Quia cùm Angelus sit inextensus per quantitatem non poterit diuidere sibi partem materiæ, in qua forma recipiatur: materia enim seclusa quantitate in partes diuidi non potest; ut suppono ex physicis. ergo si recipitur in materia eiusdem rationis cum nostra, recipietur utique in eadem parte materiæ, in qua recipitur forma corporalis nostra: hoc autem stare non potest, tum quia darentur duæ formæ substantiales in eadem materia; tum quia idem indiuiduum esset corporale per formam & spiritualem.

2178 2. Pars prob. quia illa materia reciperet alias formas.

Secunda Pars prob. Ad hoc, ut materia diuersæ rationis à nostra, esset materialis, deberet reperiri in ea capacitas ad recipiendas alias formas præter Angelicam, quæ essent materiales, aliàs non esset materialis hæc materia, & condistincta à spirituali. ergo vel illas reciperet in eadem parte materiæ, vel in diuersis; Non in diuersis, quia materia non est diuisa in partes nisi per quantitatem: & Angelus est inextensus quantitatiuè: non in eadem, quia tunc illud indiuiduum esset simul corporale, & spirituale, quod est absurdum.

2179 1. Euasio.

Dices 1. Materia illa communis Angelo, & rebus corporeis, sic diuisa est, quòd per receptionem quantitatis factam est una pars materię rerum corporalium reliquum verò materię, hoc ipso, quòd remansit sine quantitate, est distinctum ab eo, quod mansit sub quantitate, & sic est materia rei spiritualis, nempe Angeli: ac proinde cessat inconueniens in hac ratione adductum.

Præcluditur. quia materia illa Angeli esset diuisibilis quantitatiue.

Sed Contra est quia per hanc Euasionem non subterfugitur, quia materia Angeli sit diuisibilis quantitatiuè, quamuis non sit actu diuisa. Nam cùm sit una secundùm se, & ante receptionem quantitatis, non est maior ratio, quare secundùm hanc portionem potiùs, quàm secundùm illam, queat esse affecta quantitate. Ponere autem substantiam Angeli diuisibilem quantitatiue, non minùs inconueniens est, quàm ponere eam actu diuisam. siquidem potentia, & actus illi correspondens ad eundem ordinem rerum spectant.

2180 2. Euasio.

Dices 2. Non esse inconueniens, quòd materia Angeli sit diuisibilis quantitatiuè secundùm se, & in sensu diuiso, licèt in sensu composito, idest ut informata forma Angeli, nequeat per quantitatem diuidi.

Præcluditur.

Sed contra est Materia, quę secundùm se est capax quantitatis, est prima radix illius: ergo nequit materia adhuc ut informata forma Angeli, esse incapax quantitatis, si semel secundùm se erat capax illius; quia forma connaturalis materię, cùm eam perficiat, non tollit ab ea, quod sit radix eorum quæ ab ipsa connaturaliter, ut à primo principio quod manant.

2181 2. Pars Prob. 2. qui.

Prob. 2. Concl. Prædicta materia, ut sic dicamus materialis, siue eiusdem, siue diuersæ rationis cum nostra; vel postulat ex natura sua quantitatem, ut sit in rerum natura, vel solùm habet indifferentiam, ut iuxta exigentiam formæ vel habeat quantitatem, vel careat ea? Si primum, ergo naturaliter non potest informari forma Angeli, cùm hæc sit incapax quantitatis: secundum dici non potest: Nam cùm hi modi sint incompossibiles, & oppositi non potest eadem entitas utrumque exigere.

2182 Euasio.

Dices. licèt materia, ut actuata per formam, petat determinatum modum essendi: ipsa verò secundùm se, cùm sit entitas imperfecta, & potentialis, nullum ex his duobus modis essendi postulat determinatè, sed ab utroque abstrahit, ut ita possit esse subiectum tam formæ materialis, quàm spiritualis.

Præcluditur.

Sed contra est. Quia cùm isti modi essendi, diuisibiliter videlicèt, & indiuisibiliter, diuidant omnem modum essendi conuenientem cuiuis rei creatæ, vel increatæ, nequit ulla res in particulari, quantumuis sit potentialis, habere unum, vel alterum indifferenter, sed determinatè petit unum ex illis: sicut, quia esse per se, & esse in alio diuidunt omne ens siue creatum, siue increatum; idcirco nullum ens in particulari, quantumuis potentiale, est dabile, quòd non dicat determinatè, vel modum essendi per se, vel modum essendi in alio, seu rationem substantię, vel accidentis.

2183 Opposita sent.

Oppositam sententia tenuit Auicembron apud D. Th. hic pro qua Arg. 5. ex Aug. lib. 12. confess. c. 21. Deus fecit materiam communem visibilium & inuisibilium. *ergo. Resp. D. August. nomine* materiæ visibilium, & inuisibilium, *non intellexisse materiam primam, sed informitatem quandam proportionaliter conuenientem materię corporeæ, & substantiæ spiritualis; est enim informis materia corporalis, quia caret omni specie, cùm sit pura potentia: dicitur etiam*

informis

informio substantia Angelica, secundùm quod non est conuersa ad Verbum à quo illuminatur, quòd pertinet ad materiam intelligibilem.

2184 1. Obiectio. *Arg. 1. Ens substantiale diuiditur in duo extrema: sue hunc in actum purum, nempe Deum, & potentiam puram, quæ est materia nostra prima: ergo Angeli includunt materiam primam, cùm sint entia substantialia media inter extrema iam dicta ac proinde debent participare ex vtroque extremo.*

Respondetur. *Resp. neg. conseq. & ad prob. dicimus, quòd quando medium est superioris rationis, & gradus, & duo extrema ita se habent, vt vnum sit perfectissimum, & aliud imperfectissimum, vt accidit in casu nostro, tunc medium, scil. Angelus, non participat de extremo omnino imperfecto, sed de perfectissimo, cum elongatione tamen ab illo: Nam quæ sunt superioris rationis, & gradus non oriuntur ab imperfectis.*

2185 2. Obiectio. *Arg. 2. Angeli sunt simul in actu, & Potentia respectu suarum operationum, ergo habent diuersas partes, secundùm quarum vnam sit in actu, & secundùm alteram in potentia: ergo habent materiam, siquidem substantia, quæ habet diuersas partes non potest non habere materiam.*

Respondetur. *Resp. neg. conseq. si nomine diuersarum partium partes Physicæ intelligantur; concedenda verò, si nomine partium diuersarum solùm intendatur, debere dari realem distinctionem inter esse in actu, & in potentia; inter agens, & passum. quòd totum conceditur in Angelo, respectu intellectus, & voluntatis intellectionis, & volitionis.*

2186 3. Obiectio. *Arg. 3. Omnis substantia creata, oportet, vt distinguatur à creatore: sed creator est vnum tantùm: ergo oportet, vt omnis substantia creata non sit vnum tantùm: sed composita ex materia, & forma.*

Respondetur. *Resp. neg. 2. partem conseq. Nam licèt Angelus nõ sit compositus ex materia, & forma; potest autem, esse compositus ex essentia, & existentia, & sic ex alia potentialitate, & actu; ac proinde in Angelo non erit vna tantùm simplex realitas, & entitas; sed multiplex realitas, & entitas.*

2187 Petes. 3. *Petes* 3. An Angelus sit physicè compositus ex materia prima purè spirituali, & sua forma.

Resp. *Resp. neg. ita D. Th. & communiter Thomistæ Prob. 1. Materia prima etiam si sit spiritualis, sicut est principium singularitatis, sic limitat principium media illa cognoscens, vt non possit attingere, nisi tantùm singulare, & non vniuersale abstractum: ergo cùm res intellectualis debeat esse talis conditionis, vt possit media sua intellectione attingere rem huiusmodi vniuersalem; tanquam proprium obiectum, consequens est, vt si secundum se fuerit intellectualis, vt est Angelus; secundùm se totam debeat esse expers cuiuscumque materiæ primæ adhuc spiritualis.*

1. Ratio. *Dices. Angelum debere esse expertem materiæ primæ corporalis, nam hæc est radix indiuiduationis, & limitat principium media illa cognoscens ad attingendum tantùm singulare. non verò infertur, Angelum carere materia spirituali; quia hæc, quia spiritualis non limitat principium media illa cognoscens ad attingendum solùm singulare.*

2188 Instantia. *Resp. vtrumque inferri; quia cùm materia prima spiritualis sit pura potentia excludens omnem actum entitatiuum; Nam potentia transcendentaliter potentia, non potest contrahi transcendentaliter per actum, qui non sit transcendentaliter potentia. ergo illa erit principium indiuiduationis substantialis, ac proinde limitationis, & singularitatis.*

2189 Confirm. 1. *Confirm. quia sicut materia nostra corporalis actuata per animam concurrit ad actionem corporalẽ, nempe olfactionem: ex eo quòd anima sola non olfacit, sed coniunctum ex Anima, & materia; & ideò limitat eam ad olfaciendum tantùm singularia, non verò rationes communes, & vniuersales: ita, quia materia illa spiritualis, si daretur, tunc ipsa materia non vtcumque sed per modum puræ potentiæ esset radix indiuiduationis, & simul concurreret cum forma Angeli, vt solùm singularia, non verò rationes communes perciperet.*

Confirmatur 2. & explicatur, ex discrimine, quòd intercedit inter subiectum spirituale v. g. substantiam Angeli vt est radix limitationis suorum accidentium, spiritualium, & inter materiam primam, vt est etiam radix indiuiduandi, & limitandi formam. Nam subiectum spirituale non est radix limitationis, & indiuiduationis per modum puræ potentiæ, sed per modum potentiæ admixtæ actualitati, & ideo non limitat summè, sed relinquit satis amplitudinis in suis accidentibus, ratione cuius posset se extendere ad cognitionem vniuersalium. 2190 Confirm. 2.

2191 Confirm. 3. *Ceterum materia prima est radix indiuiduationis, & limitationis per modum puræ potentiæ; & propterea, quia proprium est potentiæ limitare, & potentia pura, eo proinde summè, summè limitare iuxta suam naturam; consequens est, vt licet, prædicta materia, quia est capax recipiendi formam (cognoscitiuã) non tollat ab eis, quod sint cognoscitiuæ, & vnà cum illis ad cognitionem concurrat, nihilominus limitat illas intrà latitudinem formarum cognoscentium summè, & ita quatenus concurrit cum eis, solùm potest esse in infimo gradu cognoscendi, nimirum in gradu cognoscendi sensitiuo, qui solùm ad singularia se extendit.*

2192 2. Ratio. *Prob. 2. Conclusio. Nam vel Angeli constant materia prima spirituali, à qua eorum forma sit naturaliter separabilis vel inseparabilis. Non primum, aliàs essent naturaliter corruptibiles; sicuti homines. Non secundum, aliàs non esset forma, per se subsistens Angelorum forma, vt de se patet, & inductiuè in aliis formis inseparabilibus cernitur; esse autem angelicã formam subsistentem constat ex se, & ex iis, quæ infra q. 52 dicemus.*

2193 Instabis. *Dices: Angelorum formã esse supernaturaliter separabilem, naturaliter verò inseparabilem; at si separaretur supernaturaliter, exerceret omnes suas operationes, quod non accidit v. g. forma equi, propterea forma Angeli, licèt naturaliter inseparabilis, esse tamen per se subsistens.*

Respondetur. *Sed contra est, quia in formis signum indicans eas esse subsistentes, tantùm est, quòd sint naturaliter separabiles à materia, non verò, quod supernaturaliter possint, vt sic separatæ operari, vt patet in forma ignis, quæ si eum suo calore à materia separaretur supernaturaliter, tunc sic separata posset operari, & nihilominus non esset per se subsistens.*

2194 Opposit. sent. 1. Obiectio. *Oppositam sententiam tenet D. Bon. 2 dist. 3. a. 1. q. 2 Et aliis. Aug. 1. Philos. 8. met. ait,* quod si qua substantia est sine materia, statim est ens, & vnum, & non est ei alia causa, vt, sit ens, & vnum. *Sed omne creatum habet causam sui esse, & vnitatis: ergo.*

Respondetur. *Resp. ex D. Th. de spir. creaturis art. 1. ad. 5 quòd Philosophus loquitur ibi, non de causa agente, sed de causa formali. Illa enim, quæ sunt composita ex materia, & forma statim sunt ens, & vnum: quia materia est ens in potentia & fit ens actu per aduentũ formæ, quæ est ei causa essendi: sed forma non habet sic esse per aliam formam. Vnde si sit aliqua forma subsistens, statim est ens, & vnum, neque habet causam formalem sui esse: habet tamen causam influentem ei esse, non autem Causam mouentem, quæ reducit ipsam de materia præexistenti in actum.*

2195 2. Obiectio. *Arg. 2. secundùm communem doctrinam Philosophi, actus & potentia sunt in eodem genere, hoc est, vbicumque aliqua forma, debet etiam reperiri materia illi proportionata: & eiusdem generis cum forma: ergo eo ipso, quòd detur forma spiritualis intrà genus substantiæ, debet dari materia spiritualis.*

Respondetur. *Resp. neg. conseq. Nam illud axioma scil. quòd actus, & potentia sunt sub eodem genere non intelligitur de quocumque actu, sed solùm de actu receptibili, aut dependente à materia: forma autem Angeli, neque est receptibilis, neque dependet à materia, & ideo non oportet, quòd sit aliquod genus, sub quo contineatur cum materia.*

2196 3. Obiectio. *Arg. 3. Angeli constant ex genere, & differentia secundùm omnes Peripateticos, & Theologos: ergo ex materia saltem spirituali. Nam genus, & differentia non est vnde sumatur in Angelo, seclusa materia saltem spirituali.*

Resp.

Respondetur.

Resp. neg. conseq. & ad prob. Genus, & differentiam in Angelis sumi ex tota essentia: genus quidem ab illa secundùm quod consideratur elongata ab existentia, differentiam verò ab eadem tota essentia, secundùm quod consideratur, magis appropinquata existentiæ.

Dub. 1. An Angelus constet ex materia corporali, & forma.

Dub. 2. An Angelus constet ex forma, & materia spirituali.

Dub. 3. An Angelus sit compositus ex genere, & differentia; ex actu, & potentia; ex essentia, & existentia.

DVBIVM I.

An Angelus sit compositus ex materia corporali, & forma.

2197 *Petes 1.*

Resp. materiã pertinere ad genus substantiæ, esse partẽ compositi, suscipere formã immediatè substãtialem.

PEtes 1: *Quænam sint conditiones materiæ propriæ, & impropriæ, & quotuplex sit forma?*

Respond. Ex D. Thom. de spiritualibus creaturis quæst. vnica, artic. 1. quód materia propriè accepta, est quidem ens ad genus substantię pertinens: quod ex se caret omni forma, atque actualitate substantiali: est tamen ens quoddam aptum, & habile ad suscipiendam omnem formam, quia est pura potentia substantialis; & est in eodem genere cum forma substantiali, & est pars substantiæ: si quidem actus, & potentia sunt in eodem genere. Habet propterea materia conditionem hanc, quòd non est immediatè susceptiua formæ accidentalis: sed substantialis. Tertio habet, quòd naturaliter non potest esse sine forma substantiali: neque etiã potest habere simul plures formas substantiales. Quia huius est conditionis, vt omnem formam, quam recipit, contrahat, & indiuiduet: cùm ipsa sit radix, & principium indiuiduationis.

2198 *Materia ab intrinseco habet determinare*

Ex quo quartò colligitur, quòd materia, quæ verè, & propriè materia est, ex intrinseca conditione habet, quod limitat, & determinat formam susceptam: & consequenter facit illam indiuiduam. Propterquam causam, materia propriè dicta non recipit formam secundùm propriam rationem formæ, hoc est non recipit formam secundùm amplitudinem, & vniuersalitatem ipsius formæ, vt sic: sed potiùs determinat, & limitat illam. Nam, vt docet S. Thom. solutione ad vltimum huius articuli, forma in sua specie considerata, & secundùm se, nullam limitationem habet: sed tota limitatio à materia desumitur. Altero modo materia dicitur impropriè, & metaphoricè, nimirum omne id, quod recipit aliud, & ab eo patitur: quæ non est aliud, quàm receptiua potentia formæ, siuè accidentalis, siuè spiritualis. In quo sensu intellectiua potentia, quatenùs est receptiua intellectionis, & specierum, appellari potest materia; & essentia appellatur materia, respectu existentiæ, & genus appellatur materia, respectu differentiæ.

Materia propriè, & impropriè accepta æquiuocè dicitur.

Cæterùm hæc appellatio est valde impropria. Et idcircò S. Thom. de ente, & essentia capit. 5. ait, quód materia, æquiuocè dicitur materia propriè, & impropriè accepta. Quare proprietates illæ, quę per se conueniunt propriæ materiæ, necesse non est, vt conueniant materiæ metaphoricæ. Vndè, materia metaphoricè sumpta, potest esse accidens, & potest existere absque omni actualitate: vt patet de intellectu hominis, qui à principio habet se tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum. Præterea hominis materia potest simul actuari pluribus speciebus in actu primo. Et tandem hæc materia metaphorica, potest suscipere formam secundùm rationem formæ: hoc est secundùm omnem amplitudinem, quæ conuenit formæ: vt infra dicemus. Atq; ita intellectus recipit speciem intelligibilem secundùm propriam rationem formæ.

Quartò aduerte, quód triplex est gradus formarum. Primus quidem earum, quę prorsùs pendent à corpore, & in esse, & in operari; & tales sũt formæ rerum corruptibiliũ; vna rationali dempta. Secundus gradus est earum, quę secundùm naturę ordinem fieri non possunt, nisi in corpore, & in sua operatione aliqualem habent à corpore dependentiam, saltèm tanquam ab obiecto sibi coniuncto: tamen simpliciter in suo esse à corpore non pẽdent, imò in aliqua operatione sibi propria à nullo instrumento corporeo pendent: Et talis est rationalis anima, quæ sanè immaterialis est secundùm substantiam: est tamen secundùm quid, & aliqualiter corporea forma: cuius plereque operationes à corpore pendent, & de cuius intrinseca ratione est, quód sit forma, & actus corporis, & materiæ. Tertius gradus est formarum, quę nullo modo à corpore pendent, aut à materia: neque in esse, neque in operari: & eiusdem formæ, sunt purissimæ, & immateriales, quas Angelos vocamus. Et sanè cùm in vniuerso reperiantur formæ primi, & secũdi generis, rationabiliter etiam affirmatur reperiri formas tertij generis: alioqui vniuerso deficeret hæc forma creabilis: & consequenter esset imperfectum ipsum vniuersum. 2199

Gradus formarum est triplex primus earum, quę pendent à corpore. aliæ nõ pendent simpliciter à corpore &c.

2300 *Petes 2.*

Petes 2. *An Angelus sit compositus ex materia propriè, seu corporali? Qualis eiusdem, vel diuersæ rationis cum nostra.*

Resp. neg. Nam si esset eiusdẽ rationis cum nostra non posset informari forma angelica

Respondetur negatiuè. Ita D. Thom. hic. Probatur. Nam, si in Angelis esset materia corporalis, non posset eadem pars, seu entitas materiæ informari à forma Angelica spirituali, & à corporali: Sic enim resultaret vnum per accidens ex duplici forma spirituali, & corporali, quia haberet duplicem speciem, cùm vnaquæque forma suam speciem daret. Quare, sicut anima hominis, quæ spiritualis est, nullo modo informat materiam cum alijs corporalibus formis constituentibus diuersam speciem; sed habent suam materiam segregatam ab alijs, ità, si Angelus componeretur ex materia nostra, & forma spirituali Angelica, non deberet eandem materiam informare, quàm aliæ formæ corporales; sed partem aliquam seorsum. Si autem materia illa, quæ informaretur forma Angeli, esset diuersa, & segregata à materia, quę est sub forma corporea: ergo etiam erit capax, vt diuidatur ab illa parte materiæ, quæ est in corpore eo modo, quo vna pars materiæ diuiditur ab alia, scilicèt per quantitatem: nec enim alio modo materia, quæ in nobis est, diuiditur, & segregatur in portiones materiæ, quæ sunt sub diuersis formis, nisi per quantitatem. ergo, si portio materiæ, quæ informatur ab Angelo segregata est, & diuisa ab ea, quę informatur formis corporeis, ratione quantitatis, diuisa erit, & segregata: ergo Angelus, qui est compositus ex tali materia, actu est diuisus ab alijs corporibus per quantitatem.

2301 *Materia, quæ est eiusdem rationis cum nostra est capax quantitatis.*

Et vlteriùs, cùm illa materia sit eiusdem rationis cum nostra, capax erit quantitatis, sicut nostra, saltèm radicaliter: imò, si actu est diuisa vna pars materiæ ab alia per quantitatem, actu debet habere illam, aliàs non dicitur diuidi per illam, si non afficitur illa. Sed Angelus, vt ostensum est, est omninò incorporeus, cùm sit substantia intellectualis perfecta, cui intellectualitati obstat corporalitas, redditque minùs perfectam substantiam intellectualem: ergo repugnat etiam, quód Angelus sit compositus ex materia simili nostræ; sed pro eodem debet reputari, quod careat corporeitate, & quód careat materia, quia non potest materia secundùm aliquam partem sui vniri spirituali formę Angeli, nisi separetur per quantitatem, atq; adeò efficiatur illa; vbi autem est quantitas, ibi est corpus.

2302 *Nec potest esse materia diuersæ rationis*

Alterum principium, quod tangit spiritualis materiæ impossibilitatem, vt distinctæ à corporali, traditur à D. Thom. *in dicto opusculo 15. capit. 7.* cuius

cum nostra, vt dub. seq. patebit clarius. quia excederet totā materiam corporalem.

ius vis consistit in hoc, quòd si materia illa distinguitur à tota materia corporali, neque potest in corporibus inueniri, necesse est, quod sit spiritualis: ergo oportet, quòd excedat materiam corporalem, non solùm ratione diuersæ potentialitatis, sicut materia cælestis excedit sublunarem in sententia, quòd ab illa distinguitur specie; sed etiam ratione maioris abstractionis, & actualitatis eo, quòd materia illa non est corporea; sed spiritualis, vt (ponitur:) ergo abstrahit ab omni ratione corporea, & excedit illā, siuè sit forma, siuè materia, quia entitas spiritualis altioris ordinis est, q̃ corporalis: ergo quælibet substantia spiritualis, vt spiritualis sit, depurari debet ab omni eo, quod corporeum est, & altioris, ac perfectionis ordinis esse: sed forma corporea est actus, & non pura potentia, sicut materia: ergo si excedatur à materia spirituali, quia spiritualis substantia est, oportet, quòd illa materia spiritualis quia spiritualis substantia est, quod actualior sit, seu magis habeat de actu, quàm quęlibet forma corporea. Si autem non est pura potentia, sed habet in se actualitatem, quatenus est perfectior quacumque entitate corporali, siuè forma, siuè materia: Ergo non potest esse materia substantialis constituens cum forma compositum substantiale per se, quia de ratione formę substantialis componentis substantialiter, & per se vnum, est quòd det primum esse, quia, si dat esse substantię, illud debet esse primum, quia illud dicitur substantiale, quòd substat alijs, & est fundamentum cæterorum, & consequenter est primum: ergo materia cum qua componit forma substantialis, dando primum esse, necesse est, quòd sit pura potentia, & nullum habeat actum; aliàs, si habet illum, forma illi adueniens non dat primum esse, siquidem superuenit materiæ habenti actum, & esse. Et hoc currit in quacumque materia, siue spirituali, siue corporea hoc ipso, quòd est materia ordinata ad componendum cum forma vnum ens substantiale, & per se, accipiendo primum esse ab ipsa forma.

2003 *Petes 3.*

Petes 3. ***An ex eo, quòd anima rationalis separata careat omni materia: rectè probetur, Angelos carere prorsus omni materia corporali.***

Resp. affirm. quia si Anima separata caret omni materia potiori iure dāda est forma prorsus immaterialis.

Respondetur affirmatiue. Probatur. Rationalis anima à corpore separata, caret omni materia: mortuis enim hominibus dantur animæ omni vacantes materia, quę iam naturaliter vniri non possunt corporibus: habent tamen operationes proprias intellectus, & voluntatis: Ergo potiori iure est constituenda forma aliqua completa, & totalis immaterialis prorsus. Si enim datur partialis forma habens hanc immaterialitatis perfectionem, ratio etiam postulat, vt detur forma totalis, cui conueniat omnis perfectio immaterialitatis completæ. Quod verò anima separata careat omni materia, patet. Nam aliàs sequeretur in homine duplicem esse materiam, alteram corruptibile corpus: alteram verò, quam secum defert anima separata, consequens, aut est plus, quàm falsum: Item: iste gradus immaterialitatis completæ requiritur ad perfectionem vniuersi: ergo in superiori natura, qualis est Angelica, necessariò reperitur Etenim anima rationalis, partim à materia pendet in suis operationibus: necesse est enim intelligentem phantasmata speculari: partim verò non pendet à corpore, cùm ipsa sit per se subsistens. Ergo, cùm Angelus sit superior homine, necessariò debet habere operationes non deqendentes à materia. Pręterea vbi datur infimum in formis creatis, debet etiam dari supremum, Vt inde consurgat mirabilis pulchritudo: ergo debet dari aliquà forma carens omni prorsus dependentia à materia.

2004 *Philosophi, & Sancti non tribuunt Angelis operationes à materia dependentes.*

Profectò est mirabile, quod Philosophi, & Sancti antiqui, qui tribuunt Angelis materiam, non tribuunt illis operationes à materia dependentes: sed omnes dicunt esse independentes. Quod, si hoc secundùm fatentur, necesse est consequenter affirment huiusmodi Angelos, atque formas completas non habere aliquod corpus, neque aliquam materiam. Quod euidenter ostendo. Quoniam omnis materia ordinatur ad formam, vel conseruandam, vel ratione operationis; ad nihil enim aliud subseruire potest; ergo eo ipso, quod datur aliqua forma non dependens à materia, neque in conseruari, neque in operari; caret omni materia. Et hęc est ratio D. Thomæ contra Auicenbron. Durand. in 2. distinct. 3. quamuis sentiat cum Sanctissimo Pręceptore: impugnat tandem quandam rationem Diu. Thomæ. Ait enim, quòd intelligere hominis est immateriale, & tandem inde non sequitur, quòd homo sit immaterialis: ergo ex intellectione immateriali Angeli non colligitur, quòd Angelus sit immaterialis. Respondet Caietanus huic obiectioni, quòd nomine Angeli omnes intelligunt substantiam completam in sua specie: Et idcirco, si operatio est immaterialis, in se Angelus etiam est immaterialis. At verò, quoniam operatio hominis non est immaterialis: nisi ratione speciei, & non ratione generis: idcirco non valet: Operatio hominis est immaterialis: ergo homo est immaterialis. Quoniam antecedens, solùm respicit differentiam: consequens verò respicit etiā genus. At operatio Angeli, vtroque modo, & ratione speciei, & ratione generis est immaterialis: vndè in Angelo valet consequentia.

A ijs Theologis placet; quòd Sanctissimus Præceptor in hoc articulo solùm intendit probare, quòd forma Angeli est immaterialis, & tunc colligit benè suam conclusionem ex immaterialitate actus. Quo modo infra quæst. 75. postquam quæsiuit, vtrùm anima sit corpus? quærit: An sit composita ex materia, & forma? Et hoc modo id, quod quærit Sanct. Thom. est: An natura, quæ in Angelo est intelligens, sit composita ex materia, & forma: siuè in Angelo sit alia natura, siuè non? Quia de hoc quæst. sequent. artic. 3. disputationibus. Et isto pacto argumentum Durandi nullam habet vim; & ratio Sanct. Thomæ est optima, & efficax. 2305 *Quid Alij Theologi asserant.*

Petes 4. ***An ex eo, quòd Angeli intelligere sit perfectum, rectè deducatur, carere omni materia corporali.*** 1306 *Petes 4.*

Respondetur affirmatiuè. Probatur intelligere perfectum, quæ est operatio maximè propria substantiæ intellectualis, qualis est Angelus, quantùm ex se, non indiget vlla materia substantiali propriè dicta, scilicèt realiter distincta à forma intellectiua: sed est operatio prorsus abstracta à tali materia: ergo etiam esse Angelicum debet esse similiter abstractum, & independens à simili materia: consequentia est certa, & probata secundùm Diu. Thom. ex ijs, quæ diximus supra; quod scilicèt modus intelligendi non excedit modum essendi, vnde hoc loco à D. Thom. non probatur, sed supponitur: antecedens verò probari primo potest ex ijs, quæ paulo ante diximus: nam vel intelligere Angelicum dependet à materia, vt à subiecto recipiente, vel vt ab obiecto interno, & medio ad recipiendas rerum species: non primum, quia neq; in nobis intelligere, quod est imperfectius, recipitur, vt in subiecto in aliqua materia distincta realiter ab anima nostra, multo ergo minus in Angelis: neque secundum, quia non potest rationabiliter assignari, quomodo ad recipiendas rerum species indigeat Angelus materia realiter distincta à forma, cùm ea materia ponatur esse æque spiritualis, sicut, & forma, aut quid sit hoc obiectum internum, propter quod indigeat tali materia, in nobis enim satis id constat propter sensus corporeos externos, & imaginationem, quod non accidit in Angelo, nisi incidatur in absurda præcedentis articuli: ex qua ratione probabiliter infertur implicare contradictionem, quòd detur aliqua substantia purè intelligens, quę componatur ex materia, & forma substantiali realiter distinctis.

Resp. affirm. Prob. quia intelligere perfectum, quantum est ex se, non indiget vlla materia substantiali.

Sed vlteriùs idem probat D. Thom. quòd scilicèt intelligere 2307 *Confirm. quia*

obiectum intellectionis perfectæ est omnino immateriale.

intelligere perfectum, quantùm est ex se, sit pænitùs operatio immaterialis, modo explicato, ex eo, quia eius obiectum est immateriale, vbi etiam supponit, quòd operatio naturalis, & eius naturale obiectum sint in eadem abstractione, vt suo etiam loco dictum est; probat autem, quòd obiectum intellectionis sit immateriale, quia quo res magis abstrahit à materia, est magis intelligibilis, obiectum ergo perfectæ intellectionis erit perfectè immateriale: Antecedens vlteriùs probat, quia formæ indiuiduales, quæ dicuntur formæ in materia, non sunt obiecta intellectus. Vbi indicare videtur D. Thom. eam vniuersalem doctrinam sæpè à se traditam, quòd singulare nõ sit obiectum intellectus, scilicet primarium, & per se; sed vniuersale, quod quantùm est ex se, præscindit ab omni vera, & propria materia, dico quantùm est ex se, quia vniuersale imperfectum, quale est rerũ sensibilium, vt animal in communi &c. non præscindit à materia sensibili in communi; sed solùm à materia singulari, alia autem magis vniuersalia præscindere possunt ab omni materia propriè dicta.

2308 *Cõfirm. 2. quia obiectum intellectus creati per se primò est immateriale.*

Breuiter ergo sic dicta ratio D. Thom. formari potest. Obiectum intellectus etiam creati per se primò est vniuersale, quod præscindit, quantùm est ex se, ab omni materia propriè dicta: ergo intelligere etiam creatum si sit purum intelligere, vt supponimus esse in Angelo, est operatio ex se immaterialis, est consequenter substantiam purè intelligens etiã creata, qualis est Angelus, erit immaterialis. Deficit autem hæc ratio à perfecta demonstratione, quia aliquis posset negare vniuersale præscindere ab omni materia propriè dicta; sed sufficere, quòd præscindat à materia singulari, si sit vniuersale propriè, est vniuocum, si autem sit analogum, qualia sunt prædicata communia Deo, & creaturis non præscindere perfectè, & ex parte, scilicet in quantùm referatur ad Deum, vt sic autem solùm imperfectè cognosci ab intellectu creato, & per modum rei materialis, vt etiam constat ex ijs, quæ alibi dicta sunt neq; tamen propterea ratio D. Thom. non est sufficiens, & efficax: quia multa ex his responsionibus gratis, & sine fundamento inuenta sunt. Atq; hæc circa primam difficultatem.

Petes 5.

Resp. negatiuè. Ratio dubitãdi quia Angelus in genere aliquam habet compositionem.

Petes 5. *An ex eo, quòd Angelus habeat aliquam cõpositionem, deducatur habere materiã similẽ nostræ.* Resp. neg. Prob. proponendo rationem dubitandi Nam Angelus in genere aliquam habet compositionem, alioquin si omni compositione careret in genere substantiæ, æquaretur simplicitati diuinæ, quantùm ad id quod substantiæ est; sed materia non est aliud, quàm potentia substantialis pertinens ad compositionem: ergo, si in genere substantiæ admittunt potentialitatem, etiam admittunt rationem materiæ. Vndè remota materia non apparet quomodo distinguatur Angelus à Creatore, & ab eius simplicitate, si nulla duplicitas inuenitur in substantia Angeli tamquam partes eius, sed totum, quod substantia est, simplex est. Nec poterit esse medium inter purum actum, & puram potentiam, nisi participet vtroq; extremo; sed purus actus est Deus, & pura potentia est materia: ergo Angelus, qui est mediũ inter illa de vtroq; debet participare: & sic aliquid debet habere de materia.

2310 *Confirm. 1.*

Confirmatur, quia Angelus est compositus ex genere, & differentia, cùm sit in prædicamento substantiæ, & per varias species distinguatur: sed genus sumitur à materia, & differentia à forma, & non sumitur à materia, quæ est subiectum accidentium; sed quæ est subiectum formarum substantialium, quia genus substantiale est. & sic à materia substantiali debet sumi: ergo in Angelis datur materia substantialis, & similis nostræ, quia per eam conuenit vniuocè in genere cum substantia corporea. Nec sufficit dicere, quòd conueniunt in materia metaphysica, non physica; nam materia metaphysica est ipsum genus: ergo si hæc sumitur à materia metaphysica, idem erit dicere, quòd genus sumitur à materia, ac dicere, quòd genus sumitur ex genere.

Confirm. 2.

Secundò cõfirmatur ex illo dicto August. 12. *confessionum cap. 21. quòd Deus fecit materiam communem visibilium, & inuisibilium*: nomine autem inuisibilium intelliguntur Angeli, & similiter Boetius *in 1. de Trinit. dicit.* quòd forma simplex subiectum esse non potest; sed Angelus est subiectum multorum accidentium: ergo non est forma simplex: ergo aliquid compositũ ex materia, & forma.

2311 *Responsio ad rationẽ dubitandi, & cõfirmationes, & satisfit quæsito. Nam Angelus in genere substantiæ habet aliquam compositionem.*

Respondetur, quòd Angelus in genere substantiæ aliquam habet compositionem, non quidem ex partibus substantialibus, quia est sola forma subsistens: sed ex ipsa forma, & subsistentia, ex substantia, & esse, quod etiam pertinet ad compositionem substantialem, & intra genus substantiæ, quia subsistentia licèt non sit pars compositiua substantiæ, est tamen terminus, & similiter ipsa existentia. Et hæc etiam vocatur compositio metaphysica, in quantùm distinguitur à partibus physicis & sic natura substantialis dicitur materia metaphysica respectu subsistentiæ, & existentiæ, id est, res terminabilis ab illis. Et prætereà etiam in genere substantiæ habet potentialitatem, quatenùs est subiectum accidentium: nam esse subiectum pertinet ad substantiam, caret tamen subiecto susceptiuo formæ substantialis, non tamen ex hoc æquatur simplicitate diuinæ, etiam in genere substantiæ, quia substantia diuina, nec ad partes, nec ad subsistentiam, nec ad existentiam, nec ad accidentia, vel operationes est in potentia: & sic est actus purus, etiam in genere substantiali: materia autem dicitur potentia substantialis, non quomodocumque, sed in ordine ad componendum cum forma substantiale, tanquam eum parte, & principio specificationis, cum duo componit ipsam naturam, seu speciem. Potentia autem ad recipiendum existentiam, & subsistentiam, qui sunt termini substantiales, etiam substantialis potentia est. Vndè, vt distinguatur simplicitas Angeli à simplicitate substantiæ diuinæ, non indiget habere partes duplicatas, nec materiam compositiuam naturæ; sed sufficit habere substantiam, quæ non sit ipsum esse; sed sit in potentia ad esse, & ad subsistere, vt bene tradit D. Th. *opusc. 15. c. 8. solutione ad quartum, & de hac materia loquitur D. Aug. & Boetius.*

2312 *Petes 6.*

Resp. negatiuè quia genus sumitur ab ipso toto; prout in eo est aliquid potentiæ, & actus determinatus.

Petes 6. *An ex eo, quòd Angelus constet ex genere, & differẽtia, sequatur, cõstare ex materia nostra.* Resp. negatiuè. Probatur. Nam genus, vt infra dub. 3. huius quæst. non sumitur à materia physica, quæ est altera pars compositi: sed ab ipso toto, quatenùs in eo inuenitur aliquid de potẽtia, & aliquid de actu determinatè, & cõtrahẽte hanc potentiam. Nec dicim⁹ genus proximè sumi à materia metaphysica, quæ est ipsummet genus; sed ab ipso met toto, quatenùs habet rationem potentialitatis, respectu alicuius gradus, seu prædicati contrahentis: ad quod etiam conducit ipsa potentialitas substantiæ ad suum esse, & ad suum subsistere, quia quod est in potentia ad existentiam, & subsistentiam, potest concipi sine indiuiduatione, & consequenter in abstracto. Et vlteriùs in ipsa ratione abstracta potest concipi aliquid, quod est commune cum multis, & quod est proprium istius. Et illud commune dicitur potentiale, & genericum, & loco materiæ habetur. Vndè non sumitur genus à se ipso, quãdo dicitur sumi à materia metaphysica, quia sumitur à potentialitate alicuius naturæ, secundùm quã conuenitur cum pluribus. Quæ potentialitas etiã vocatur materia metaphysica, quia non est potentialitas ad componendum cum forma substantiali, quæ est materia physica, sed est potentialitas vnius prædicati ad aliud, vel ipsius naturæ ad esse, vel ad subsistere. Constat autem, quòd in accidentibus datur genus, & differentia intra suam propriã quidditatem, & lineam, & tamen in sua quidditate non componuntur ex materia, licèt accidens dicat ordinem ad subiectum, vt ad causam materialem: non ergo genus sumitur semper ex materia physica.

DVBIVM II.

An Angelus constet ex forma, & materia spirituali.

2313 *Concl. Negatiua Prob. quia operatio propria substantiæ immaterialis est intelligere: intelligere autem est operatio immaterialis omnino.*

COnclusio est Negatiua S.Th. hic. Probatur. Operatio propria intellectualis substantiæ est intelligere: intelligere autem est operatio immaterialis, quia perficitur per denudationem sui obiecti à conditionibus materiæ, non solùm, vt materia dicit corporeitatem; sed prout dicit modum recipiendi coarctatum ad formas proprias, id est, ad recipiendum formas entitatiue, & ad componendum vnum tertium, siuè substantiale, siuè accidentale, non vt fiat alia a se, vt natura cognoscens: Et breuiter patet, quia intellectus recipit species intentionales modo immateriali, quia non recipit illas, sicut materia recipit formam ad constituendam vnam tertiam entitatem; sed recipit illas repræsentatiuè, ita vt, totum, quod est in obiecto, fit in intellectu: & sic intellectus fiat aliud à se. Ergo operatio intellectus, tàm ex parte obiecti, quòd potest intelligere in vniuersali, quàm ex parte modi recipiendi species, & informationes obiecti repræsentati in illis, immaterialis est, quia modus recipiendi informationem obiecti non est secundùm materiales conditiones: Et obiectum in vniuersali abstrahit à conditionibus indiuidualibus, quæ sunt materiales conditiones. Ergo, si operatio intellectualis non exigit materiam, præsertim quãdo ita perfectè est, sicut in Angelo, neq; etiam substantia eius eam exigit, quia substantia, seu natura est radix, & principium operationis: ergo, si ad operationem illam intelligendi non exigitur materia, neq; ad constituendum eius principium in ipsa ratione naturæ spiritualis id exigetur. Et si fuerit perfecta in ratione intellectuali, & in spirituale, neq; ex illa componi, neq; cum illa componere, seu illi vniri exiget, sicut exigit anima nostra, propter imperfectionem suam in intelligendo, & dependẽtiam in accipiendo obiecta a sensibus.

2314 *Confirm. quia conditio materiæ opponitur immaterialitati.*

Vlteriùs vero deducitur implicatio, & repugnantia spiritualis materiæ ex hac parte, & sistendo in hac ratione intelligibilitatis: quia ipsa conditio materiæ primæ, vt sic in communi sumptę, etiam si abstrahat à corporea, & spirituali directè opponitur spiritualitati: ergo repugnat materiam primam esse spiritualem. Conseq. patet, quia ratio contrahens non debet repugnare, & opponi rationi communi contrahibili, cùm simul vniatur, & cõponant. Antec. vero patet, quia modus materiæ primæ in communi sumptæ est esse receptiuam formarum stricto, & coarctato modo, scilicet faciendo illas sibi proprias, & componendo aliquod tertium entitatiuum ex eis, siue substantiale, siuè accidentale: modus vero spiritualis, prout talis, est excedere istum modum sic strictum & posse recipere formas intẽtionaliter, id est cum tanta amplitudine, vt faciat alia à se, & vniat sibi res, etiam quæ secum non componunt; sed extra se sunt obiectiue, & intelligibiliter, quia spiritualitas fundat intelligibilitatem: ergo modus spiritualitatis pugnat cum modo materiæ primę.

2315 *Petes 1.*

Petes primò. *An materia spiritualis in Angelis sit impossibilis ex eo, quod esset actualior quacumque forma corporea?*

Resp. affirm. Prob. quia si materia illa distinguatur à tota materia corporali, est spiritualis, & actus.

Resp. affirmatiuè ita D.Thom. opusc. 15. cap. 3. Probatur. Si materia illa distinguitur à tota materia corporali, neq; potest in corporibus inueniri, necesse est, quòd sit spiritualis: ergo oportet, quod excedat materiam corporalem, non solùm ratione diuersæ potentialitatis, sicut materia cælestis excedit sublunarem in sententia, quod ab illa distinguitur specie, sed etiam ratione maioris abstractionis, & actualitatis eo, quòd materia illa non est corporea, sed spiritualis, vt ponitur; ergo abstrahit ab omni ratione corporea, & excedit illam, siue sit forma, siue materia, quia entitas spiritualis altioris ordinis est, quam corporalis: ergo quælibet substantia spiritualis, vt spiritualis sit, depurari debet ab omni eo, quod corporeum est, & altioris, ac perfectioris ordinis esse: Sed forma corporea est actus, & non pura potentia, sicut materia: ergo, si exceditur à materia spirituali, quia spiritualis substãtia est, oportet, quod illa materia actualior sit, siuè magis habeat de actu, quàm quælibet forma corporea.

Si materia illa esset actus, non faceret vnum per se.

Si autem non est pura potentia, sed habet in se actualitatem, quatenùs est perfectior, quacumque entitate corporali, siuè forma, siuè materia: ergo nõ potest esse materia substantialis constituens cum forma compositum substantiale per se, quia de ratione formę substantialis componentis substantialiter, & per se vnum, est, quod det primum esse, quia, si dat esse substantiale, illud debet esse primum, quia illud dicitur substantiale, quod substat alijs, & est fundamentum cæterorum, & consequenter est primum: ergo materia cum qua componit forma substantialis dando primum esse, necesse est, quod sit pura potentia, & nullum habeat actum, alias, si habet illum, forma illi adueniens non dat primum esse, siquidem superuenit materiæ habenti actum, & esse. Et hoc currit in quacumq; materia, siuè spirituali, siuè corporea hoc ipso, quod est materia ordinata ad componendum cum forma vnum ens substantiale, & per se, accipiẽdo primum esse ab ipsa forma.

2361 *Instantia.*

Dices: Materia illa spiritualis non est actus spiritualis, sed in potentia, sicut materia nostra non est actu corp⁹, sed in potẽtia, quia susceptiua est formæ corporeæ: & tamen cũ hoc stat, quod sit perfectior materia, & altior, quàm corporea, quia dicit ordinẽ ad formam altiorem, sc. ad spiritualem, & modo altiori, quàm nostra, sicut in opinione S.Th licet materia cœli est nobilior sublunari nõ tamẽ desit ordinatio, & directio conueniens in finem, quam solã dicit D.Th. addere prædestinationem supra scientiã cognoscentem quid agendum sit.

2317 *Praeluditur. quia materia spiritualis semper esset perfectior materia corporali, ac proinde haberet actualitatẽ.*

Sed contra est, quia licet vna materia possit differre ab alia per ordinem ad formam extrinsecam, quam recipit, & penès modum diuersum recipiendi, tamen semper in se debet supponi, quòd sit pura potentia in genere substantiali, eo quod potest cõponere cum forma substantiali recipiendo ab ipsa primum esse simpliciter; hoc autem non consequitur si semel ponimus dari materiam spiritualẽ, quia licèt intelligi possit, quod in comparatione ad formas spirituales sit in potentia, vel imperfectior illis, tamen comparatione ad naturam corpoream necessario debet habere maiorem perfectionem, quàm illa, quia eleuatur supra omnem ordinem naturę corporeę, & abstrahit ab omni imperfectione corporalis naturæ: ergo hoc non potest intelligi, nisi habeat actualitatem entitatiuam, & substantialem, qua excedat actualitatem naturæ corporeę, quia per solam puram potentiam nõ posset habere perfectionem supra totam actualitatem ordinis corporei: perfectio enim sequitur ad actualitatem, non ad potentialitatem in entibus, sicut etiam videmus, quòd intellectus possibilis nostræ animæ, licet sit in pura potentia intelligibili ad omnes formas intelligibiles, tamen quia spiritualis entitas est, excedit in perfectione omnes formas corporeas, & habet actualitatem perfectiorem illis: ergo similiter materia spiritualis, licet esset in potentia ad formas spirituales, tamen in se deberet habere actualitatem superantem omnem actualitatem corpoream, & consequenter in genere substantiæ deberet habere aliquem actum: & sic non potest componere cum forma substantiali accipiendo ab ipsa primum esse simpliciter in genere substantiæ.

2318 *Non est simile de materia cælesti, & sublunari, & de hac materia.*

Vnde patet, non esse simile de materia cælesti, & sublunari, nam materia cælestis cùm corporea sit, non est necesse, quod habeat eleuationẽ secundum actualitatem supra formas corporeas: sed quod maneat in pura potentia, solùmque distinguatur à materia sublunari per ordinem ad diuersam formã, quam recipere potest, & diuersum modum recipiendi illam, quàm materia sublunaris, scilicet modo

do incorruptibile: materia autem spiritualis, si daretur, ex vi suæ spiritualitatis non solùm eleuaretur supra materiam corporalem: sed etiam supra formas corporales, vt ostensum est: quod non posset esse, manendo in pura potentia substantiali: sed retinendo actualitatem, etiam formalem, scilicet supra illas formas.

2319 *Petes 2.*

Petes 2. *An materia spiritualis in Angelo sit impossibilis, quia impediret intellectualitatem in se, & quia superaret omnem actum corporeum?*

Resp. implicare materiam spiritualem, tum quia impediret intellectionem tum &c.

Respondetur: Implicationem materiæ spiritualis iam à nobis esse traditam, tum ex eo, quod impedit intellectualitatem, saltem in se, quam non deberet impedire, si spiritualis: tum quia superaret omnem actum formalem corporum, vt explicauimus: licet enim ad intelligibilitatem non conducat quæcumque materia, nec etiam materia ipsa corporalis impediat intellectualitatem ex parte formæ, quæ sibi vniretur, sicut non impeditur intellectualitas nostræ animæ ex eo, quod vniatur materiæ corporali, tamen materia non solùm impedit intellectualitatem, quia corporea est; sed quia modo entitatiuo recipit formas, id est in ordine ad cōponendum vnum tertium, & non modo intelligibili, id est ad repræsentandum in se, & transformādum repræsentatiuè obiecta. Vnde materia quæcumque etiam spiritualis, si daretur, recipit formas coarctando illas ad se, & ad proprium esse, quod opponitur, seu impedit modum recipiendi intelligibiliter, qui petit amplitudinem ad recipiendum non solum formas; sed etiam alienas, vt ex D. Tho. expendimus *præcedenti tomo* disp. 16. art. 1.

Confirm. quia modus recipiendi intelligibiliter, est oppositus modo materiali.

Vnde cum materia spiritualis, si daretur, etiam hoc modo entitatiuo reciperet formas, & non solum modo intelligibili, licet non excluderet formam intellectualem, tamen in ipsa impediret spiritualitatem, quia spiritualitas est ratio intelligibilitatis, & quod non est in seipso intelligibile, aut intellectuale, non est seipso, & in substantia spirituale: modus autem recipiendi intelligibiliter, & proprius spiritualitatis est oppositus modo recipiendi materiæ primæ: ponderatum est, quia materia prima solùm recipit formas entitatiue ad componendum cum illis aliquam tertiam entitatem, modus verò recipiendi spiritualiter, & intelligibiliter est recipere alia à se, & non ad componendum, neq; coarctando formas ad se non ergo potest esse modus sic oppositus materiæ primæ, ei conuenire.

2320 *Instabis. Respondetur.*

Ad id, quod dicitur de repugnantia istius materiæ ex parte ordinis eius ad formam, dicimus ex parte huius ordinis non repugnare, quod dentur materiæ specie diuersæ. Repugnare autem, quod aliqua materia sit pura potentia in genere substantiali, & sit eleuata, & perfectior omni actualitate corporali: sic enim non potest manere pura potētia in substantia, cùm ista perfectio non possit conuenire, nisi ratione actualitatis formalis, vel plusquam formalis, quia excedit formas corporeas.

Instabis. Respondetur. de ratione generis non esse, esse compositū ex materia.

Ad conuenientias verò, quæ afferuntur pro hac materia statuenda. Respondetur nullas esse: constat enim non esse productam talem materiam ex rationibus allatis ex D. Th. & fatemur substantiam Angeli poni in prædicamento. Negamus autem, quod de ratione substantiæ, quæ est genus, sit esse compositam ex materia, & forma, nec id intendit Boetius, vt rectè explicat D. Thom. quæst. 1. de spiritualibus creaturis art. 1. ad 13. cùm substantia prædicamentalis sit de cōsideratione Metaphysici, non Physici, qui considerat materiam: & sic sensus Boetij est, quod Philosophus relicta substantia incompleta, quæ sunt extrema, & partes componentes, vt materia, & forma, agit solum in prædicamentis de substantia totali, & completa, qualis est composita ex materia, & forma. Non tamen ex hoc deducitur, quod substantia spiritualis completa, etiam careat materia, non sit in prædicamento, cùm genus non sumatur à materia physica, vt explicatum est, & constat in accidentibus.

2321 *Instabis 3.*

Dices. Actus, & potentia sunt in eodem genere: sed in genere spirituali datur actus: ergo.

Resp. illud axioma non procedere de actu completo, & subsistente.

Resp. Illud axioma procedere de actu receptibili in aliqua potentia, non autem de actu completo, & subsistenti, cui non debet correspondere materia, seu potentia susceptiua. Et sic non sequitur dari materiam spiritualem, quia datur actus substantialis spiritualis, cùm hic actus sit completus, & subsistens. An verò semper potentia, & actus sint in eodem genere, & quomodo illud axioma intelligendum sit iam explicuimus, quod intelligitur de potentia per se ordinata ad actum, & ad quē dicit essentialem ordinem. Vel etiam, quòd in quocumque genere inuenitur potentia, & actus, non tamen intelligitur, quod si in aliquo genere est actus totalis, & completus debeat in eo genere inueniri potentia, quæ sit materia componens, & recipiens talem actum.

DVBIVM III.

An Angelus sit compositus ex genere, & differentia: ex actu, & potentia: ex essentia, & existentia.

2322 *Concl. Angelus est compositus ex genere, & differentia.*

CONclusio. Angelus est compositus ex genere, & differentia. Itaq; nulla est Angelorum species, quæ non habeat genus, & differentiam. Ista tamen compositio non est duarum rerum: sed duorum conceptuum obiectiuorum. Et prętereà in Angelis non sumitur ab alio genus, & ab alio differentia: sed ab vna, & eadem re diuersimodè concepta. Et consequenter, quamuis compositio ex genere, & differentia reperiatur in Angelis: non tamen seruat eundem modum compositionis sicut in rebus materialibus: Quia non sumitur genus, & differentia ab alio, & ab alio: sed ab vna, & eadem re. Quoniam vnaquæque rerum immaterialium, secundùm se ipsam tenet determinatum gradum in entibus: in rebus vero materialibus, vt docet Sanctissimus Præceptor in hoc articulo, aliud est, quod determinat ad specialem gradum entis, nempe forma, & aliud, quod determinatur, nempe materia. Et idcirco ab alio sumitur genus, & ab alio sumitur differentia in illis. Hęc conclusio est contra Durand. in dist. 3. qu. 1. qui negat Angelum constare ex genere, & differentia: quamuis admittat, quod Angelus est in genere, & in prædicamento. Cęterùm hæc sententia secum pugnat: & in hac re est falsa, & sibi contraria. Quia si Angelus est in genere, euidens est constare ex genere, & differentia.

2323 *Prob. quia Angelus non est ipsum Genus generalissimū, ac proinde est sub genere subalterno.*

Quod ostendo. Quoniam Angelus non est ipsū genus generalissimum: ergo si est in genere, & in aliquo genere subalterno: sed omne genus subalternum constat ex genere superiori, & differentia: ergo &c. Item: In vnoquoque Angelo est aliquid commune vniuocum cum alijs: scilicèt esse spirituale, esse intellectuale, & immateriale, & est etiam aliquid proprium per quod distinguitur essentialiter ab alijs Angelis: ergo in vnoquoque Angelo intelligere oportet compositionem ex genere, & differentia. Et ita docet Sanctissimus Præceptor non solùm in hoc articulo sed etiam de ente, & essentia capite sexto, & de spiritualibus creaturis in articulo primo ad vigesimum quartum argumentum. Et Aristoteles sentit nobiscum 8. Metaphy. text. 17. Et persuadetur etiam: Quoniam quilibet Angelus est determinatus ad certum gradum perfectionis: ergo est in specie. Patet consequentia. Quia, vt docet D. Thom. in hoc art. esse in specie, est esse limitatum ad certum gradum perfectionis. Quod si est in specie, constat ex genere, & differentia. Et confirmatur. Quia ratio generis non potest reperiri in aliqua specie, nisi determinetur per differentiam. Nam rogo: Quomodo potest reperiri ratio generis, & eius amplitudo in specie, & in indiuiduo: sine eo, quod talis natura generis sit determinata? Ergo ratio generis, sub qua Angelus continetur in quacumque Angelica specie per differentiā reperitur determinata: Sed aduerte, quod quando

Sanctis-

Sanctissimus Præceptor ait, in rebus materialibus aliud esse illud, à quo sumitur genus, scilicet materiam: aliud verò, à quo sumitur differentia, scilicet formam: quod per materiam intelligit D. Thom. non materiam nudam: sed materiam cum aliquo esse signato quantitatiuo, idest materiam præhabens quantitatem.

2324 *Petes 1.*

Petes primò. *An in rebus immaterialibus inueniatur distinctio fundamenti proximi, & remoti generis, & differentiæ.*

Resp. negatiuè quia in rebus immaterialibus non inuenitur distinctio fundamenti proximi & remoti &c.

Resp. negatiuè. In rebus immaterialibus non inuenitur distinctio fundamenti proximi, & remoti, generis, & differentiæ: Sed ab eadem natura cõcepta determinabili conceptu, sumitur ratio generis, concepta verò conceptu determinatè, sumitur ratio differentiæ. Quod est dicere genus sumitur ab eo, quod est, vt potentiale: differentia verò ab eo, quod est vt actuale. Quare certa est generalis regula, quòd genus, & differentia sumuntur in omnibus rebus à tota rei essentia secundùm elongationem, & propinquitatem ad ipsum esse existẽtiæ. Sanè differentia est completiua generis in hoc sensu: quia vnita, & coniuncta generi, ponit genus in eo statu, vt fit proprium susceptiuum ipsius esse. Et idcirco ita esset completiua generis, vt constituat susceptiuum propriũ ipsius esse. Ita docet Caietanus de ente, & essentia cap. 6 Ait enim, quòd vltima differentia, cùm sit constitutiua speciei, & proprium illi inter entia gradum ponet: vltimum cõplementum ipsius essentiæ est ad hoc, quòd fit. Quoniam vltra eam, indiuiduum, nullum aliud intrinsecum complementum expectat, vt sit. Hæc conclusio est Sanctissimi Præceptoris de ente, & essentia cap. 6. & secundò contra Gentiles, cap. 95. Vbi ait, quod ex ipsa ratione naturæ absolutè, & indeterminatè consideratæ, sumitur genus: ex terminatione autem eius secundùm quod est in tali gradu entis, sumitur eius differentia specifica.

2325 *In duobus conueniunt, & in vno differunt Genus, & differentia in materialibus, & immaterialib.*

Ex quibus omnibus colligitur, quod in duobus conueniunt genus, & differentia: in rebus materialibus, & in rebus immaterialibus, & in vno differunt. Conueniunt enim primò, quòd in vtrisque genus determinabilem naturam dicit: differentia autem naturam determinantem. Secundò conueniunt in hoc, quòd natura à qua proximè sumitur ratio generis, & ratio differentiæ, in vtrisque rebus est vna, & eadem. Differunt tamen ex parte eius à quo primordialiter, & originaliter sumitur genus, & differentia in rebus materialibus, & spiritualibus. Quoniam originatiuè genus, & differentia sumuntur à diuersis partibus: nempe à materia, & forma in rebus materialibus: in rebus autem immaterialibus sumuntur non quidem à diuersis partibus, cùm spiritus sint naturæ simplices sine compositione materiæ, & formæ: sed ab ipsa sola natura speciei diuersimodè concepta. Quare accidit generi, & differentiæ vt sic, determinationem, quam differentia importat ex alio principio causari, quàm generis naturam.

2326 *Petes 2.*

Petes secundò. *In rebus spiritualibus, & immaterialibus à quo sumatur genus, & differentia?*

Resp. Aduertendo primò, quòd vna quaque species continet id, quod est commune, & determinatum gradum.

Resp. Aduertendo primò, quòd vnaquæque species non solùm continet id, quod sibi commune est cum alijs: sed præterea continet determinatum gradum. Et ista duo in specie sunt vna, & eadem res: nempe natura specifica. Sicut natura sensitiua in homine secundùm quam conuenit cum brutis, & natura intellectiua secundùm quam distinguitur ab eis in homine: sunt idem, quod humanitas: neque realiter distinguuntur. Quæ duo, licèt sint vna res: intellectus tamen potest de illa re formare plures conceptus: quorum vnus includat id, quod multis est commune, qui est genericus conceptus: alius verò includat gradum, quo ab alijs sub illo communi distinguitur, & iste est conceptus differentialis. Et præterea intellectus format tertium conceptum specificum, vtramque simul perfectionem comprehendens. Hoc autem non solùm inuenitur in rebus materialibus: sed etiam in immaterialibus, & spiritualibus: cùm inter illas sit distinctio specifica, & habeant aliquid in quo conueniant inter se, & aliquid in quo distinguantur secundùm determinatos gradus entis.

Aduerte secũdò ex S. Th. de spiritualibus creaturis articulo primo ad vigesimum quartum, & in 2. dist. 3. quæst. 1. artic. 5. quod in rebus materialibus duo sunt à quibus ratio generis sumitur, & duo etiam sunt, à quibus sumitur ratio differentiæ: nẽpe id, à quo proximè sumuntur, & id, à quo remotè, & originaliter. Proximum à quo sumuntur, ex ipsa natura speciei, quæ apta nata est fundare diuersos conceptus: & sic proximè, & immediatè ab vna, & eadem re sumitur genus, & differentia, puta ab illa entitate, quæ est humanitas, à quo sumitur animal, & rationale, & tum animal, quàm rationale significant illam: sub alia tamen, & alia ratione. Animal quidem, vt sensitiua est natura: rationale verò, vt intellectiua est. Id autem, quòd primò, & originaliter fundat, & genus, & differentiam est materia, & forma: Etenim ordine quodam materia recipit ab vna, & eadem forma diuersas perfectiones, & sub vna perfectione comparatur ad alteram, sicut potentiale ad actuale, & sicut perfectibile ad perfectionem, & sicut determinabile ad determinans. Forma verò est, quæ terminat potentialitatem materiæ, dando illi esse, & cõplementum. Et sic natura imperfecta à materia habet, quod sit possibilis ad esse perfectum: in quãtùm potentialitas materiæ non completur per illud esse imperfectum; sed magis disponitur ad esse perfectum: sicut in progressu generis per formam imperfectam disponitur ad perfectam: esse autem perfectum habet ab ipsa forma. Quòd igitur sit actualitas, & terminatio, à forma procedit: in quãtum forma per tale esse complet, & terminat potentialitatem materiæ, & esse imperfectum illius. — 2327 *Nota 2. In rebus materialibus sunt duo à quibus sumitur ratio generis duo à quibus ratio differentiæ.*

2328 *Optimè docet D. Th. quod in materialibus Genus sumitur à materiali.*

Et idcirco optimè D.Th. docet, quod à materia sumitur genus in rebus materialibus, seu à materiali. Quia sumitur à tota natura speciei, vt potentialis est: proximè quidem à natura per nomen generis significata; à materia verò (in sensu explicato) sumitur remotè, & originaliter, tamquam à prima origine potentialitatis naturæ. & similiter ab ipsa eadem natura specifica, vt actualis, est, & determinans, sumitur proximè differentia: tamquam à natura, nomine differentiæ significata: à forma verò, sumitur remotè, & originaliter, tamquam à prima origine actualitatis. Et quoniam in rebus spiritualibus, & immaterialibus non reperitur huiusmodi distinctio, quia in eis non est ista compositio materiæ, & formæ ex pluribus partibus: idcirco ratio generis in naturis spiritualibus, sumitur dumtaxat ab ipsa natura solùm, vt concepta conceptu determinabili: & sumitur ratio differentiæ ab eadem, vt concepta conceptu determinatè. & ita sit, vt in rebus immaterialibus non sit distinctio inter proximum, & remotum fundamentum generis, & differentiæ. Quæ doctrina fundatur in sententia D. Th. de ente, & essentia cap. 6. Vbi Caietanus nobiscum sentit. Inquit .n. quòd genus sumitur à tota essentia, vt habet rationem perfectibilis, tamquam à re formaliter significata, & denominata ab ipso: à materia verò, tanquam à radice sui formalis significati. Et similiter inquit, quod differentia sumitur à tota essentia, secundùm vlteriorem perfectionem, tanquam à re formaliter significata, seu denominata ab ipsa; à forma tamen, vt à radice sui formalis significati. Non enim materia, quæ est altera pars hominis, denominatur genus, neq; forma differentia: sed ipse homo, vt animal, generis denominationem sortitur: vt rationalis verò, differentiæ denominationem habet. Et ob id; quia materia, & forma fundant radicaliter genus, & differentiam: ideo diximus, quod in rebus materialibus est distinctio proximi, & remoti fundamenti generis, & differentiæ: quod non contingit in rebus spiritualibus. De qua re legendus est Arist. 8. metaph. tex. 9. Et tandem

2329 *Prob. in rebus immaterialibus, Genus sumi à ratione perfectibili; & differentiam à perfectiuo.*

tandem collegit Caietanus, quod ex substantijs materialibus ad immateriales ascendendo: non dicimus genus sumi à materia in illis, neq; differentiam, à forma quia his partibus carent res spirituale. Et ita restat, vt tam genus, quàm diefferentia sumatur à tota essentia, non solùm formaliter: sed etiam radicaliter in eis. Et sic habes optimè lector lucem, qua videas quomodo sumitur genus, & differentia in rebus immaterialibus: non quidem ab alio, & ab alio; sed ab vno, & eodem: vt interpretati sumus.

2330 *Petes 3.*

Petes ter iò: *An Angelus sit compositus ex actu, & potentia, ex essentia, & existentia?*

Resp. affirm. Nota. quod essentia Angeli est id, quod est: esse verò est id, quo est.

Resp. Angelum esse compositum ex esse, & essentia, & ex actu, & potentia. Hanc conclusionem tenet D. Thom. in hoc artic. solut. ad 3. Ait enim, quòd ipsa forma Angeli, seu essentia est id, quod est: ipsum autem esse Angeli est, quo substantia est. Sicut cursus est, quo currens currit. Et propter eandem causam comparantur essentia, & esse: sicut potentia, & actus. Obserua tamen, quòd dupliciter aliquid dicitur esse potentia. Vno modo, quia nullo modo est actus, neque in se, neque respectu alterius: ita vt repugnet ei aliquid à se distinctum actuare: & isto pacto sola prima materia est simpliciter potentialis. Altero modo dicitur aliquid esse potentia simpliciter, quia non se solo potest existere. Itaque est purum potentiale: non quidē, vt potentiale opponitur simpliciter actui: sed, vt opponitur huic actui, qui est existere. Et sic essentia dicitur esse potentia simpliciter, respectu existentiæ: licet in se sit actus. Et ob id, vt est potentialis, est prior; respectu ipsius esse: non quidem, quod sit actu sine esse; sed quòd præintelligitur ante esse potentia ad ipsum esse.

2331 *Ratio Concl. quia solus Deus est sua essentia, & suum esse.*

Quo posito probatur Conclusio, quia propterea Deus intelligitur habere in sua natura infinitas perfectiones, quoniam sua essentia est vnum esse, & suū subsistere: & ideò illud esse debet esse infinitum, quia in nullo recipitur. Sicut separata albedo, & separatus calor habent in sua natura omnes perfectiones possibiles requisitas intra speciem suam: quia non limitantur per aliquod subiectum in quo recipiantur. Ergo, si in Angelo non esset compositio inter essentiam, & esse ipsius: sed potiùs essentia Angeli esset suum esse: sequeretur, quod tale esse Angeli esset infinitum: & consequenter in sua natura haberet infinitas perfectiones. Patet consequētia. Quia esse separatum, est Deus. Item: si Angelus non esset compositus ex esse, & essentia: sequeretur, quòd esse creaturæ esset eadem res cum essentia creaturarum. Patet. quia nullam faceret compositionem cum essentia. Et ex hoc sequeretur, quod esse non est receptum realiter in essentia; quia eadem res non recipitur in seipsa. Tunc vltra: Si ipsum esse non est receptum in essentia: erit igitur illimitatum, & infinitum simpliciter: sicut ipse Deus.

2332 *Quęcumq; quidditas creata relata ad esse, sēper habet rationem potentiæ, non verò esse ipsius Dei ad suū esse.*

Attende tamen, quòd vniuersæ istæ rationes, quibus persuadetur conclusio, in eo fundantur: quod quæcunque quidditas, vel natura, quantumcunque secundùm rationem quidditatiuam sit actualis: relata tamen ad esse, habet rationem potentiæ. Sapiētia namque, & bonitas actuantur per hoc, quòd est esse: similiter etiam humanitas, & equinitas. Et idcirco, esse, est actualitas cuiuscumque formæ: & nulla natura significatur in actu vltimato, nisi prout significatur esse in actu exercito. Rursùs aduerte, hanc esse differentiam inter esse Dei, & esse aliarum rerum, si referatur ad essentiam, & quidditatem, quòd esse Dei, est quidquid est ipsius Dei: & ita hęc propositio, Deus est, est in primo modo dicendi per se. Aliarum autem esse, etiam respectu essentiæ Angelicæ, non ita se habet: Sed distinguitur ab essentia, & quidditatibus rerum. Vnde, esse Dei, absolutè loquendo, & simpliciter, est proprius terminus quæstionis, Quid est: & secundùm quid est terminus quæstionis, An est: scilicet, vt fundat veritatem propositionis. Esse autem aliarum rerū, nullo modo pertinet ad quæstionem. Quid est: sed simpliciter, & secundùm rem ad quæstionem, An est. Ac proinde cum de alijs rebus scimus. An est: non solùm cognoscimus, & scimus esse, quod significat veritatem propositionis: sed etiam ipsum esse rei: eo quòd scitur secundùm proprium modum, quod scibile est.

2333 *De esse Dei nō scimus absolutè, quid sit, vt scibile est.*

Cùm verò scimus de Deo, An est; dicimur scire esse, quod significat veritatem propositionis: non autem scimus absolutè esse Dei, vt scibile est: scilicet, vt pertinens ad quod quid est. Sed tantùm scimus secundùm quid: videlicèt quantùm sufficit fundare veritatem propositionis huius, Deus est. Vndè quamuis per demonstrationes naturales perueniamus ad cognoscendam hanc veritatem, quòd esse est de quidditate Dei, & quòd est ipsū esse subsistens infinitum, immutabile, æternum: tamen vniuersa hæc confusè cognoscimus, & per quandam negationem, vel similitudinem ad creaturas: & non per proprium conceptum exprimentem quidditatem, sicuti est. Nam de alijs rebus possumus scire ipsum quidquid est; etiam si non cognoscamus actualem existentiam: quoniam hæc extrinseca est quidditati. De Deo autem, distinctam cognitionem quidditatis illius habere non possumus, nisi distinctè, & apertè cognoscamus ipsum esse Dei subsistens: quod est impossibile habere ex creatura cognitionem, quantùmlibet distinctam.

2334 *Angelus necessariò est compositus ex esse, & essentia. quia existentia est extra essentiā.*

Ex his candide Lector facilè intelliges, quòd Angelus necessario debet dicere compositionē ex esse, & essentia: cuius oppositum dixit Marsilius, credens essentiam in Angelis esse idem omninò cum existentia. Dicendum est enim, quod dempto Deo, in omni creatura differunt essentia, & existentia. Quia, existentia est extra essentiam cuiuscumque creaturæ: vt ostendit Sanctissimus Præceptor de ente, & essentia, cap. 5. & secundo contra Gentiles, cap. 52. Capreolus in primo distinct. 8. quęst. 1. Cùm igitur Angelus non sit suum esse, verè componitur ex existentia, & essentia: quia existentia est forma, & actualitas ipsius essentiæ. D. Thom. secūdò contra Gentiles, capite 52. ostendit, essentiam in Angelis, ab esse illorum distingui: & ideò Angelos non adęquare diuinam simplicitatem: quamuis sint immateriales. Et tandem ratione septima eiusdem capitis ita argumentatur: Esse conuenit Deo secundùm propriam naturam: ergo omnibus alijs per participationem conuenit: ergo impossibile est, quòd substantia alterius entis a primo, sit ipsum esse. Patet prima consequentia. Quia, si aliquid alicui conuenit secundùm suam propriam naturam: id non conuenit alijs, nisi per modum participationis: sicut calor alijs corporibus ab igne conuenit. Secunda verò consequentia probatur. Quoniam id, quod conuenit alicui per participationem, non est substantia eius.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Angeli sint in aliquo magno numero.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio est affirm. Prob. Quantò aliqua sunt in entibus perfectiora, tantò in maiori excessu sunt creata. Sed Angeli sunt perfectissimi, ergo. min. prob. Quia cùm perfectio Vniuersi sit à Deo principaliter intenta, quæ sunt perfectiora, debent esse creata in maximo excessu: vt patet in corporibus cęlestibus, quæ, quia sunt perfectiora corruptibilibus corporibus, excedunt incomparabiliter ipsa in magnitudine.

Arg. 1. Numerus est species quantitatis Sed Angeli sunt incorporei. ergo. Resp. dist. ma. Numerus transcendentalis est species

cies quantitatis, Neg. ma. Numerus prędicamentalis, conced. in Angelis enim est numerus transcendentalis, qui sumitur ex distinctione formarum.

Arg. 2. Quantò aliquid est propinquius vni, tantò minùs est multiplicatum. Sed Angelus est Deo, (qui est maximè vnus) propinquior cæteris creaturis. ergo. Resp. dist. ma. tantò minùs est multiplicatum, idest habet minimum de multitudine, scilicet de compositione; conceditur; nam quãtò aliquid est Deo propinquius, debet esse simplicius; non verò, vt in paucis saluetur.

Arg. 3. Numerus causarum ex numero propriorum effectuum colligitur. Sed motus corporum cęlestium, qui videntur esse proprij effectus Angelorum, non sunt in magno numero. ergo. Resp. neg. mi. quia effectus substantiarum separatarum non solùm sunt motus corporum celestium, sed multa alia; quia non sunt ordinatę ad motus corporum cęlestium, tanquam ad vltimum finem.

Arg. 4. Radius multiplicatur secundùm multiplicationem recipientium. Sed Angeli sunt quidam radij diuinę bonitatis ex Dionysio. ergo &c. hæc autem recipientia non possunt esse nisi corpora cœlestia, quæ non sunt in aliquo magno numero. Resp. distinctionem Angelorum non esse ex corporibus cœlestibus, nec ex materia, sed secũdùm diuinam Sapientiam diuersos ordines substantiarum spiritualium excogitantem.

DISPVTATIO CCLXIII.

An numerus Angelorum excedat multitudinem omnium specierum creatarum.

2335 Concl. affirm. Prob. *Conclusio est affirmatiua S. Thomas hic, & communiter Thomistæ.*

Prob. 1. magis est aliquid multiplicabile secundùm esse *intelligibile, quàm secundùm* esse *materiale, vt patet, tùm in linea finita, cui potest fieri additio vsque in infinitum secundùm intellectum, non autem materialiter: tum etiam in raritate corporum, velocitate motuum, & diuersitate figurarum, in quibus etiam augmentum potest fieri in infinitum secundùm intellectum, quamuis sic impossibile in natura sit esse materialiter. ergo* esse *intelligibile, & id, quod secundùm suam naturam est in tali* esse, *vt sunt Angeli, erit magis multiplicabile, quàm* esse *materiale, & id, quod secundùm suam naturam est in tali* esse, *vt sunt omnes species materiales. ergo de facto ita est; cùm Angeli sint perpetui; & in perpetuis est idem esse, & posse.*

Confirmatur. *Confirm. licèt species, seu natura lapidis v.g. in intellectu sit tantùm vna, secundùm rationem specificã, & secundùm* esse *specificum; attamen secundùm* esse *numerale, & secundùm* esse *apprehensum potest magis per intellectum, aut imaginationem multiplicari, quàm secundùm* esse *materiale, & extra intellectum, ac proinde proui habet* esse *intelligibile in specie impressa, vel expressa est magis multiplicabilis, quàm vt habet* esse *materiale.*

2336 1. Euasio. *Dices 1. anima rationalis secundùm suam naturã est in esse intelligibili, & arena maris sub* esse *materiali, & tamen illa, non magis, quàm hæc, est multiplicabilis.*

2337 Præcluditur. *Resp. multiplicationem animarum non fieri nisi dependenter à corpore, vt à prima radice multiplicationis, & indiuiduationis numeralis earum, & ideò non esse capaces multiplicationis, vt præcisè pertinent ad ordinem intelligibilem; ac proinde in eis non est necessarium, vt verificetur propositio D. Thom., quæ tantùm petit esse veram in his, quę præcisè, pertinent ad ordinem intelligibilem, vt in Angelis contingit.*

2338 2. Euasio. *Dices 2. non rectè probari Angelos esse de facto multiplicabiles, quia in perpetuis non differt* esse, *& posse. Siquidem si hæc ratio aliquid valeret probaret vtique de facto esse infinitos Angelos: quia sunt possibiles, & in perpetuis idem est esse, ac posse.*

Præcluditur. *Resp. neg. sequelam, Quoniam cùm genus naturaliter loquendo petat ad sui conseruationem plures species, cõsequens est, vt genus ex natura sua magis multiplicabile, exigat plures species, & ad hoc, vt connaturaliter conseruetur. Cumque ex alio capite huiusmodi genus, seu gradus esse mensuraretur Æuo, in quo non est variatio, & successio quo ad* esse *rei mensuratæ per illud, necesse est, vt hæc potentia naturalis, quàm prædictum genus habet, adhoc, vt multiplicetur in plures species, sit semper ad actum reducta: multiplicatio verò earundem specierum actù infinita implicat.*

2339 Petes. *Petes 1.* An entia perfectiora, vt sunt Angeli v.g. per se intenta, quò sunt perfectiora, ac nobiliora, eo sunt in maiori excessu creata.

Resp. affirm. Probatur. *Resp. affirm. Prob. Tum quia maxima perfectio Vniuersi, quam Deus in productione illius intendit, per se postulat, vt entia per se intenta, quò fuerint perfectiora, eò plus multiplicentur, aut in maiori magnitudine producantur; quia eo ipso entia per se intenta, & ipsũ vniuersum ex se coalescens, erit saltem extensiuè perfectius. Tum etiam, quia videmus corpora cælestia, quia sunt per se intenta, & perfectissima esse creata in magno excessu secundùm magnitudinem.*

Aduerte. *Vnde Aduerte, quod in illa propositione, non est sermo de perfectione per se non intenta ab Authore naturæ. qualis est multiplicatio indiuidualis: Neque taliter accipienda est, quod semper, & quibuscumque occurrentibus circumstantijs debeat verificari; hoc .n. apertè falsum est, vt conuincunt plures instantię infra referendę.*

2340 Sensus propositionis D. Th. aperitur. *Sed sensus illius dumtaxat est. Quòd entia perfectiora per se intenta qualia sunt species à Deo producta, quò sunt nobiliora, eò sunt ab ipso in maiori excessu creata, vel secundùm magnitudinem si sint corporea; vel secundùm multitudinem si sint incorporea nisi vel peculiaris natura alicuius rei oppositũ petat; vel aliunde hoc impediatur, ex eo, quod reliquę partes vniuersi aliquo modo læderentur, tunc enim impediretur maior perfectio intensiua vniuersi, quę ex diuersis speciebus consurgit, quęque præcipuè intenditur: vel tandem propter alias causas naturaliter occurrentes. quæ omnia cùm non militent in Angelis, cùm de facto species Angelorum omnes alias à Deo productas incomparabiliter superent. Neque ex suis peculiaribus conditionibus petant oppositum; optimè assumitur à D. Th. illa propositio ad inferendum species Angelicas de facto superare in multitudine reliquas omnes creatas.*

2341 1. Instantia. *Dices 1. contra illam propositionem. aurum, & gemmæ nõ sunt in maiori excessu à Deo creata, quàm ferrum, & lapides.*

Dissoluitur. *Resp. peculiarem naturam auri, & argenti petere, vt in minori quantitate à Deo producantur, & ratio à posteriori esse potest; quia cùm non viuentia petant intrinsecum suæ magnitudinis, & paruitatis terminum, non minùs, quàm viuentia, vt suppono ex dictis in physicis, signum est, quòd hoc, quod de facto in auro, & prædictis gemmis communiter experimur, oriatur ex peculiari, & intrinseca natura ipsorum.*

2. Instantia. *Instabis 2. Ex perfectioribus animalibus sæpæ pauca, vt Elephas, & Phænix, quæ auis perfecta, & vnica tantummodo in rebus reperitur: è contra verò ex imperfectis innumera, vt culices, & muscæ.*

Dissoluitur. *Resp. illam multiplicationem imperfectorum animalium supra perfectam, vtpote materialem, & indiuidualem non esse per se intentum ab Authore naturæ. Adde has bestiolas multiplicari adhuc secundùm numerum, propter alias causas naturaliter concurrentes: ex eo, quòd fiunt ex putrefactione terræ, & mediantibus certis influentijs cælestibus, quæ contingunt dari in tanta quantitate, quanta satis sit ad hoc, vt*

detur

detur maiorum harum bestiolarum multiplicatio.

2342 3. Inastntia. *Instabis 3. Corpora viuentia perfectiora sunt non viuentibus, nempe corporibus cælestibus, à quibus in magnitudine superantur.*

Dissoluitur. *Resp. corpora viuentia non excedere in magnitudine calestia; ex eo, quòd tanta quantitas, quanta est illa, quam habent cœli, est extra terminum magnitudinis, quam exigunt eorum formæ ad proprias operationes exercendas.*

2343 4. Instantia. *Instabis 4. Astra, & Planetæ sunt corpora distincta speciei à suis orbibus, & illis perfectiora, habent .n. nobiliora accidentia, & virtutes perfectiores) suntq; per se intenta, cùm sint incorruptibilia: non autem excedunt quantitatem suorum orbium, vt per se patet. Tandem Luna non adæquat quantitatem terræ, licèt sit illa perfectior.*

Dissoluitur. *Resp. Astra creata esse in minori quātitate, seu magnitudine, quia id eorum peculiaris natura, & forma exigebat. Sicut ob hanc eandem rationem Luna, quæ est perfectior, quàm terra, producta fuit in minori quātitate, quàm illa hoc autem potest colligi à posteriori, ex eo, quod de facto data est illis ea quantitas, quàm habent, & non maior, neque minor. Nam cùm sint incorruptibilia, & neque augmentum, neque decrementum in se ipsa naturaliter recipiant, signum est illam quantitatem à Deo accepisse de facto, quàm eorū formę naturaliter exigebant. Sed de his in seq. Dub.*

5. Instantia. *Instabis 5. Ordo vnionis hypostaticę, & tres personæ diuinæ incomparabiliter excedunt in dignitate species creatas, & tamen non excedunt illas in numero.*

Dissoluitur. *Resp. D. Th. loqui de speciebus à Deo factis, quas non est inconueniens multiplicari. Vnde, quia personæ diuinę non sunt factæ, vnionem verò hypostaticam multiplicari est inconueniens: Tum quia Vnio hypostatica ex natura sua est perpetua, & vnica dumtaxat vnio, qua Verbum est vnitum humanitati, erat sufficiens ad remedium generis humani, quod fuit finis proximus per se intentus à tali Vnione. Tum quia cùm sola natura humana sit, quam congruebat assumi à Verbo Diuino, vt ostendunt Theologi 3. p. q. 4. art. 1. si vniones hypostatica multiplicarentur, essent tantùm ex hoc capite numero distinctæ, nos autem loquimur de perfectione specifica.*

6. Instantia. *Instabis 6. Omnes Angeli debent influere in hæc inferiora, ne sint frustrà in hoc vniuerso, nam totum Vniuersum est vnum vnitate ordinis: vnde si aliqui Angeli non agerent in hæc inferiora, non dicerent ordinem ad totum Vniuersum, & sic essent frustra. Sed qui influunt tantùm sunt 47. quia 47. sunt motus orbium cęlestium. teste Arist. 12. met. c. 8. ergo.*

Dissoluitur. *Resp. non esse necessarium, vt omnes Angeli immediatè influant in hæc inferiora, adhoc, vt non sint frustra in hoc vniuerso; sed sufficit, quòd Supremi Angeli influant in medios, & hi in vltimos, & sic mediatè in hæc inferiora influunt. videatur D. Th. infra qu. 66. art. 3. ad 1.*

7. Instantia. *Instabis 7. quantò aliqua sunt vni primo principio propinquiora, tantò sunt minoris multitudinis, vt patet in numeris. Angeli autem inter omnes species creatas; sunt Deo propinquiores. ergo.*

Dissoluitur. *Resp. concedendo maiorem de minori multitudine in sua compositione; negando eam de minori multitudine suppositorum, in quibus eorum natura saluetur. Siquidem maior propinquitas ad Deum aufert multitudinem in compositione physica ex materia, & forma substantiali, quia tollit prædictam compositionem; non autem habet auferre compositionem metaphysicam, aut ex subiecto, & accidente; nam carentia compositionis metaphysicæ in entibus completis arguit infinitatem per essentiam, vt tom. 1. q. 3. fusè ostendimus.*

Dub. 1. Quid sit certum in fide circa Angeli multitudinem.

Dub. 2. Quomodo intelligenda sit illa Propositio D. Th. quanto aliqua sunt magis perfecta &c.

Dub. 3. An sit maior numerus Angelorum, quàm vniuersorum hominum existentium, pręteritorum, & futurorum.

DVBIVM I.

Quid sit certum in fide circa Angeli multitudinem.

2344 Petes 1. PEtes 1. *An numerus Angelorum in sacro eloquio significatus excedat numerum specierum rerum corporalium; & hoc sit de fide.*

Resp. quòd numerus Angelorum excedat numerum specierum rerum corporalium, nō est certum in Scriptura. Resp. quòd Numerus Angelorum quantus significatur in sacro eloquio excedat numerum specierum rerum corporalium: non est de fide; est tamen valde consentaneum doctrinæ Sanctorum, & D. Dionysio: imò est valde consonum fidei. Probatur hęc conclusio: Quoniam non habetur in scriptura, neq; colligitur apertè ex illa, neq; est diffinitum per Ecclesiam: quòd iste numerus Angelorum sit maior, quàm numerus omnium specierum inferiorum. Ait tamen D. Diony. quòd multitudo Angelorum excedit constrictam multitudinem inferiorum. Certè, si non essent plures Angeli, quàm sint species sensibiles: non videtur, quòd essent tot, quot dicuntur esse à Daniele Propheta: quia numerus specierum sensibilium non videtur esse ita magnus. Vndè Iob. 25. dicitur, quòd non est numerus militum eius: id est Angelorum: vt interpretatur D. Gregor. lib. 27. Moralium cap. 7. Quarè, valdè consentaneum est rationi naturali, dicere numerū Angelorum excedere numerum omnium specierū inferiorum. Quàm rem ostendit mirabilibus coniecturis, & congruentijs D. Th. de Potent. q. 6. ar. 6. est expressè 2. contra Gentes, cap. 92. Pręcipua verò ratio est, quàm in hoc articulo commemorat Doctor Sanctus, fundata in propositione illa, scilicèt, quod quantò aliqua natura perfectior est alijs, tantò illas excedit in numero, aut in quantitate.

2345 Petes 2. Petes secundò. *An sit ex fide certum Angelos constituendos esse in aliquo magno, & ingenti numero?*

Resp. affirm, quia in Scriptura nominātur exercitus Angelorum. Resp. affirmatiuè: Fides certa est Angelos esse constituendos in quodam magno, & ingenti numero. Probatur: Quoniam in sacro eloquio nominantur exercitus Angelorum; vt patet Luc. 2. & Ps. 148. Laudate eum omnes virtutes eius: in hebræo, Omnes exercitus eius. Et Psal. 76. Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium. Quem locum interpretantur Sancti de Angelis comitantibus Christum in sua Ascentione. Pręterea Apoc. 5. Vidi, & audiui vocem Angelorum multorum, & erat numerus eorum millia millium. Et Daniel. 7. dicitur. Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Vbi ponitur numerus finitus pro numero indeterminato: iuxta illud Psal. 67. commemorati: Currus Dei decem millia, &c. Ita interpretatur Hierony. dicens, quòd ponitur numerus determinatus, & finitus Angelorum, pro numero indeterminato. Id ipsum docet Hugo commentarijs ad D. Diony. 14. c. de cęlesti hierarchia: vbi Dionysius iterum repetit, quod docuerat cap. 9. eiusdem libri. Profectò, ex communi intelligentia Sanctorum, vniuersa hęc scripturæ loca, secundùm proprietatem sermonis, sunt accipienda: ita vt Angelorum nomine intelligantur spirituales substantiæ, & immateriales, & non irrationales rerum virtutes, vt Rabbi Moyses pessimè interpretabatur.

2346 *Explicatur sēsus D. Th. circa multitudinem Angelorū.* Cùm verò D. Th. in artic. dicit, non esse consuetū in litteris sacris virtutes, & creaturas irrationales, Angelos appellari: id solùm voluit significare, quod iste sensus non est admodùm frequens in scriptura sacra. Sed nomine Angelorum sacræ litteræ, vt plurimùm designant intellectuales substātias. Iob. 25 legimus: Nunquid est numerus militū eius? Quarè locum Gregorius interpretatur de Angelis. Postremò, singulis hominibus, & singulis prouincijs (vt colligitur ex Danielis historia, & ex cōmuni Sāctorū sententia) singuli Angeli deputātur imo, & singulis rerū speciebus, & colligitur ex D.

 Th.

cies quantitatis. Neg. ma. Numerus prędicamentalis, conced. in Angelis enim est numerus transcendentalis, qui sumitur ex distinctione formarum.

Arg. 2. Quantò aliquid est propinquius vni, tantò minùs est multiplicatum. Sed Angelus est Deo, (qui est maximè vnus) propinquior cæteris creaturis. ergo. Resp. dist. ma. tantò minùs est multiplicatum, idest habet minimum de multitudine, scilicet de compositione; conceditur, nam quãtò aliquid est Deo propinquius, debet esse simplicius; non verò, vt in paucis saluetur.

Arg. 3. Numerus causarum ex numero propriorum effectuum colligitur. Sed motus corporum cęlestium, qui videntur esse proprij effectus Angelorum, non sunt in magno numero. ergo. Resp. neg. mi. quia effectus substantiarum separatarum non solùm sunt motus corporum celestium, sed multa alia; quia non sunt ordinatę ad motus corporum cęlestium, tanquam ad vltimum finem.

Arg. 4. Radius multiplicatur secundùm multiplicationem recipientium. Sed Angeli sunt quidam radij diuinę bonitatis ex Dionysio. ergo &c. hæc autem recipientia non possunt esse nisi corpora cœlestia, quæ non sunt in aliquo magno numero. Resp. distinctionem Angelorum non esse ex corporibus cœlestibus, nec ex materia, sed secũdùm diuinam Sapientiam diuersos ordines substantiarum spiritualium excogitantem.

DISPVTATIO CCLXIII.

An numerus Angelorum excedat multitudinem omnium specierum creatarum.

2335 Concl. affirm. Prob.

Conclusio est affirmatiua S. Thomas hic, & communiter Thomistæ.

Prob. 1. magis est aliquid multiplicabile secundùm esse *intelligibile, quàm secundùm* esse *materiale, vt patet, tùm in linea finita, cui potest fieri additio vsq; in infinitum secundùm intellectum, non autem materialiter: tum etiam in raritate corporum, velocitate motuum, & diuersitate figurarum, in quibus etiam augmentum potest fieri in infinitum secundùm intellectum, quamuis sit impossibile in natura sic esse materialiter. ergo* esse *intelligibile, & id, quod secundùm suam naturam est in tali* esse, *vt sunt Angeli, erit magis multiplicabile, quàm* esse *materiale, & id, quod secundùm suam naturam est in tali* esse, *vt sunt omnes species materiales. ergo de facto ita est; tùm Angeli sint perpetui; & in perpetuis est idem esse, & posse.*

Confirmatur.

Confirm. licèt species, seu natura lapidis v. g. in intellectu sit tantùm vna, secundùm rationem specificã, & secundùm esse *specificum; attamen secundùm* esse *numerale, & secundùm* esse *apprehensum potest magis per intellectum, aut imaginationem multiplicari, quàm secundùm* esse *materiale, & extra intellectum, ac proinde prout habet* esse *intelligibile in specie impressa, vel expressa est magis multiplicabilis, quàm vt habet* esse *materiale.*

2336 1. Euasio.

Dices 1. anima rationalis secundùm suam naturã est in esse intelligibili, & arena maris sub esse *materiali, & tamen illa, non magis, quàm hæc, est multiplicabilis.*

2337 Præcluditur.

Resp. multiplicationem animarum non fieri nisi dependenter à corpore, vt à prima radice multiplicationis, & indiuiduationis numeralis earum, & ideò non esse capaces multiplicationis, vt præcisè pertinent ad ordinem intelligibilem; ac proinde in eis non est necessarium, vt verificetur propositio D. Thom., quę tantùm petit esse veram in his, quę præcisè, pertinent ad ordinem intelligibilem, vt in Angelis contingit.

2338 2. Euasio.

Dices 2. non rectè probari, Angelos esse de facto multiplicabiles, quia in perpetuis non differt esse, *& posse. Siquidem si hæc ratio aliquid valeret probaret vtique de facto esse infinitos Angelos: quia sunt possibiles, & in perpetuis idem est esse, ac posse.*

Præcluditur.

Resp. neg. sequelam, Quoniam cùm genus naturaliter loquendo petat ad sui conseruationem plures species, consequens est, vt genus ex natura sua magis multiplicabile, exigat plures species, & ad hoc, vt connaturaliter conseruetur. Cumque ex alio capite huiusmodi genus, seu gradus esse mensuraretur Æuo, in quo non est variatio, & successio quo ad esse *rei mensuratæ per illud, necesse est, vt hæc potentia naturalis, quàm prædictum genus habet, adhoc, vt multiplicetur in plures species, sit semper ad actum reducta: multiplicatio verò earundem specierum actù infinita implicat.*

2339 Petes.

Petes 1. An entia perfectiora, vt sunt Angeli v. g. per se intenta, quò sunt perfectiora, ac nobiliora, eò sunt in maiori excessu creata.

Resp. affirm. Probatur.

Resp. affirm. Prob. Tum quia maxima perfectio Vniuersi, quam Deus in productione illius intendit, per se postulat, vt entia per se intenta, quò fuerint perfectiora, eò plus multiplicentur, aut in maiori magnitudine producantur; quia eo ipso entia per se intenta, & ipsũ vniuersum ex se coalescens, erit saltem extensiuè perfectius. Tum etiam, quia videmus corpora cælestia, quia sunt per se intenta, & perfectissima esse creata in magno excessu secundùm magnitudinem.

Aduerte.

Vnde Aduerte, quod in illa propositione, non est sermo de perfectione per se non intenta ab Authore naturæ. qualis est multiplicatio indiuidualis: Neque taliter accipienda est, quod semper, & quibuscumque occurrentibus circumstantijs debeat verificari; hoc .n. apertè falsum est, vt conuincunt plures instantię infra referendę.

2340 Sensus propositionis D. Th. operitur.

Sed sensus illius dumtaxat est. Quòd entia perfectiora per se intenta qualia sunt species à Deo productę, quò sunt nobiliora, eò sunt ab ipso in maiori excessu creata, vel secundùm magnitudinem si sint corporea; vel secundùm multitudinem si sint incorporea nisi vel peculiaris natura alicuius rei oppositũ petat; vel aliunde hoc impediatur, ex eo, quod reliquę partes vniuersi aliquo modo lęderentur, tunc enim impediretur maior perfectio intensiua vniuersi, quę ex diuersis speciebus consurgit, quęque præcipuè intenditur: vel tandem propter alias causas naturaliter occurrentes. quæ omnia cùm non militent in Angelis, cùm de facto species Angelorum omnes alias à Deo productas Incomparabiliter superent. Neque ex suis peculiaribus conditionibus petant oppositum: optimè assumitur à D. Th. illa propositio ad inferendum species Angelicas de facto superare in multitudine reliquas omnes creatas.

2341 1. Instantia.

Dices 1. contra illam propositionem. aurum, & gemmæ nõ sunt in maiori excessu à Deo creata, quàm ferrum, & lapides.

Dissoluitur.

Resp. peculiarem naturam auri, & argenti petere, vt in minori quantitate à Deo producantur, & ratio à posteriori esse potest; quia cùm non viuentia petant intrinsecum suæ magnitudinis, & paruitatis terminum, non minùs, quàm viuentia, vt suppono ex dictis in physicis, signum est, quòd hoc, quod de facto in auro, & prædictis gemmis communiter experimur, oriatur ex peculiari, & intrinseca natura ipsorum.

2. Instantia.

Instabis 2. Ex perfectioribus animalibus sępe pauca, vt Elephas, & Phœnix, quæ auis perfecta, & vnica tantummodo in rebus reperitur: è contra verò ex imperfectis innumera, vt culices, & muscæ.

Dissoluitur.

Resp. illam multiplicationem imperfectorum animalium supra perfectam, vtpote materialem, & indiuidualem non esse per se intentam ab Authore naturæ. Adde has bestiolas multiplicari adhuc secundùm numerum, propter alias causas naturaliter concurrentes: ex eo, quòd fiunt ex putrefactione terræ, & mediantibus certis influentijs cælestibus, quæ contingunt dari in tanta quantitate, quanta satis sit ad hoc, vt

detur

2342 *detur maiorum harum bestiolarum multiplicatio.*

3. Instantia. *Instabis 3. Corpora viuentia perfectiora sunt non viuentibus, nempe corporibus cœlestibus, à quibus in magnitudine superantur.*

Dissoluitur. *Resp. corpora viuentia non excedere in magnitudine cælestia; ex eo, quòd tanta quantitas, quanta est illa, quam habent cæli, est extra terminum magnitudinis, quam exigunt eorum formæ ad proprias operationes exercendas.*

2343 4. Instantia. *Instabis 4. Astra, & Planetæ sunt corpora distinctæ speciei à suis orbibus, & illis perfectiora, habent .n. nobiliora accidentia, & virtutes perfectiores) suntq; per se intenta, cùm sint incorruptibilia: non autem excedunt quantitatem suorum orbium, vt per se patet. Tandem Luna non adæquat quantitatem terræ, licèt sit illa perfectior.*

Dissoluitur. *Resp. Astra creata esse in minori quãtitate, seu magnitudine, quia id eorum peculiaris natura, & forma exigebat. Sicut ob hanc eandem rationem Luna, quæ est perfectior, quàm terra, producta fuit in minori quãtitate, quàm illa hoc autem potest colligi à posteriori, ex eo, quod de facto data est illis ea quantitas, quàm habent, & non maior, neque minor. Nam cùm sint incorruptibilia, & neque augmentum, neque decrementum in se ipsa naturaliter recipiant, signum est illam quantitatem à Deo accepisse de facto, quàm eorũ formę naturaliter exigebant. Sed de his in seq. Dub.*

5. Instantia. *Instabis 5. Ordo vnionis hypostaticę, & tres personæ diuinæ incomparabiliter excedunt in dignitate species creatas, & tamen non excedunt illas in numero.*

Dissoluitur. *Resp. D. Th. loqui de speciebus à Deo factis, quas non est inconueniens multiplicari: Vnde, quia personæ diuinæ non sunt factæ, vnionem verò hypostaticam multiplicari est inconueniens; Tum quia Vnio hypostatica ex natura sua est perpetua, & vnica duntaxat vnio, quæ Verbum est vnitum humanitati, erat sufficiens ad remedium generis humani, quod fuit finis proximus per se intentus à tali Vnione. Tum quia cùm sola natura humana sit, quam congruebat assumi à Verbo Diuino, vt ostendunt Theologi 3. p. q. 4. art. 1. si vniones hypostaticæ multiplicarentur, essent tantùm ex hoc capite numero distinctæ, nos autem loquimur de perfectione specifica.*

6. Instantia. *Instabis 6. Omnes Angeli debent influere in hæc inferiora, ne sint frustrà in hoc vniuerso, nam totum Vniuersum est vnum vnitate ordinis: vnde si aliqui Angeli non agerent in hæc inferiora, non dicerent ordinem ad totum Vniuersum, & sic essent frustra. Sed qui influunt tantùm sunt 47. quia 47. sunt motus orbium cœlestium, teste Arist. 12. met. c. 8. ergo.*

Dissoluitur. *Resp. non esse necessarium, vt omnes Angeli immediatè influant in hæc inferiora, adhoc, vt non sint frustra in hoc vniuerso; sed sufficit, quòd Supremi Angeli influant in medios, & hi in vltimos, & sic mediatè in hæc inferiora influunt. videatur D. Th. infra qu. 66. art. 3. ad 1.*

7. Instantia. *Instabis 7. quantò aliqua sunt vni primo principio propinquiora, tantò sunt minoris multitudinis, vt patet in numeris. Angeli autem inter omnes species creatas; sunt Deo propinquiores. ergo.*

Dissoluitur. *Resp. concedendo maiorem de minori multitudine in sui compositione; negando eam de minori multitudine suppositorum, in quibus eorum natura saluetur. Siquidem maior propinquitas ad Deum aufert multitudinem in compositione physica ex materia, & forma substantiali, quia tollit prædictam compositionem; non autem habet auferre compositionem metaphysicam, aut ex subiecto, & accidente; nam carentia compositionis metaphysicæ in entibus completis arguit infinitatem per essentiam, vt tom. 1. q. 3. fusè ostendimus.*

Dub. 1. Quid sit certum in fide circa Angeli multitudinem.

Dub. 2. Quomodo intelligenda sit illa Propositio D. Th. quanto aliqua sunt magis perfecta &c.

Dub. 3. An sit maior numerus Angelorum, quàm vniuersorum hominum existentium, præteritorum, & futurorum.

DVBIVM I.

Quid sit certum in fide circa Angeli multitudinem.

2344 Petes 1. PEtes 1. *An numerus Angelorum in sacro eloquio significatus excedat numerum specierum rerum corporalium; & hoc sit de fide.*

Resp. quòd numerus Angelorum excedat numerum specierum rerum corporalium, nõ est certum in Scriptura. Resp. quòd Numerus Angelorum quantus significatur in sacro eloquio excedat numerum specierum rerum corporalium: non est de fide; est tamen valde consentaneum doctrinæ Sanctorum, & D. Dionysio: imò est valde consonum fidei. Probatur hęc conclusio. Quoniam non habetur in scriptura, neq; colligitur apertè ex illa, neq; est diffinitum per Ecclesiam: quòd iste numerus Angelorum sit maior, quàm numerus omnium specierum inferiorum. Ait tamen D. Diony. quòd multitudo Angelorum excedit constrictam multitudinem inferiorum. Certè, si non essent plures Angeli, quàm sint species sensibiles: non videtur, quòd essent tot, quot dicuntur esse à Daniele Propheta: quia numerus specierum sensibilium non videtur esse ita magnus. Vndè Iob. 25. dicitur, quòd non est numerus militum eius: id est Angelorum: vt interpretatur D. Gregor. lib. 27. Moralium cap. 7. Quarè, valde consentaneum est rationi naturali, dicere numerũ Angelorum excedere numerum omnium specierũ inferiorum. Quàm rem ostendit mirabilibus coniecturis, & congruentijs D. Th. de Potent. q. 6. ar. 6. est expresśe 2. contra Gentes, cap. 92. Præcipua vero ratio est, quàm in hoc articulo commemorat Doctor Sanctus, fundata in propositione illa, scilicet, quod quantò aliqua natura perfectior est alijs, tantò illas excedit in numero, aut in quantitate.

2345 Petes 2. Petes secundò. *An sit ex fide certum Angelos constituendos esse in aliquo magno, & ingenti numero?*

Resp. affirm. quia in Scriptura nominãtur exercitus Angelorum. Resp. affirmatiuè: Fides certa est Angelos esse constituendos in quodam magno, & ingenti numero. Probatur: Quoniam in sacro eloquio nominantur exercitus Angelorum; vt patet Luc. 2. & Ps. 148. Laudate eum omnes virtutes eius: in hebræo, Omnes exercitus eius. Et Psal. 76. Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium. Quem locum interpretantur Sancti de Angelis comitantibus Christum in sua Ascentione. Prętereà Apoc. 5. Vidi, & audiui vocem Angelorum multorum, & erat numerus eorum millia millium. Et Daniel. 7. dicitur. Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei. Vbi ponitur numerus finitus pro numero indeterminato: iuxta illud Psal. 67. commemorati: Currus Dei decem millia, &c. Ita interpretatur Hierony. dicens, quòd ponitur numerus determinatus, & finitus Angelorum, pro numero indeterminato. Id ipsum docet Hugo commentarijs ad D. Diony. 14. c. de cęlesti hierarchia: vbi Dionysius iterum repetit, quod docuerat cap. 9. einsdem libri. Profectò, ex communi intelligentia Sanctorum, vniuersa hęc scripturæ loca, secundùm proprietatem sermonis, sunt accipienda: ita vt Angelorum nomine intelligantur spirituales substantiæ, & immateriales, & non irrationales rerum virtutes, vt Rabbi Moyses pessimè interpretabatur.

2346 *Explicatur sẽsus D. Th. circa multitudinem Angelorũ.* Cùm verò D. Th. in artic. dicit, non esse consuetũ in litteris sacris virtutes, & creaturas irrationales, Angelos appellari: id solùm voluit significare, quod iste sensus non est admodùm frequens in scriptura sacra. Sed nomine Angelorum sacræ litteræ, vt plurimùm designant intellectuales substãtias. Iob. 25 legimus: Nunquid est numerus militũ eius? Quarè locum Gregorius interpretatur de Angelis. Postremò, singulis hominibus, & singulis prouincijs (vt colligitur ex Danielis historia, & ex cõmuni Sãctorũ sententia) singuli Angeli deputantur imo, & singulis rerũ speciebus, & colligitur ex D.

Th. infra quæst. 113. & quæst. 103. vbi de rerum gubernatione agitur præsertim artic. 5. & 6. ergo fides est certa, quod Angeli sunt in magno, & ingentissimo numero.

2347 *Petes 3.*

Petes tertiò. *An sit veritas valde fidei consona asserere numerum Angelorum excedere numerum animarum rationalium?*

Resp. affirm. prob. ex modo loquendi scripturæ.

Resp. affirmatiuè. Dicere, quod numerus Angelorum excedit numerum animarum rationalium, est veritas valde fidei consona: tum propter modum loquendi scripturæ sacræ, quæ vehementer extollit Angelorum numerum, tunc etiam, quoniam singulis hominibus, & animabus deputantur ad custodiam singuli Angeli. Imo verò Angeli etiam superiores deputantur diuersis prouincijs. Sed nihilominus hæc veritas non est plane de fide, neque habemus diffinitioné Ecclesiæ in hac parte. Quare, licet fide credamus rationales animas habere Angelos sibi ad custodiam deputatos: non tamen ex eadem fide est certum, quod vnus, & idem Angelus non sit Custos plurium animarum successiuè. Nam posset quis dicere, quod vnus Angelus deputatur ad custodiam plurium hominum, & animarum.

DVBIVM II.

Quomodo intelligenda sit illa propositio D. Th. Quantò aliqua sunt magis perfecta, tantò in maiori excessu sunt à Deo creata.

2348 *Petes 1.*

PEtes 1. *Quænam distinctiones de partibus vniuersi debeant præsupponi, vt difficultatis punctum enodetur?*

Resp. præsupponendo tres distinctiones pro explicatione conclusionis.

Resp. Esse aliquas necessario præsupponendas distinctiones de partibus vniuersi. Sit igitur prima distinctio: Partes huius vniuersi sunt in duplici differentia. Quædam ad primam eius integritaté, & substantialem perfectionem pertinent vt intellectuales substantiæ, cælestes orbes, & elementa: Quædam autem ad secundariam tantùm attinet eiusdem vniuersi perfectionem, ad cuius substantialem perfectionem, veluti profluentes passiones comparantur: hæ vero sunt vniuersa mixta, quæ in sphæra sublunari ex elementis per cælestium sphærarum influxum generantur. Secunda distinctio est: Duplex est multitudo: Vna consurgens ex vnitatibus, siue rebus vnis specificè distinctis ad inuicem: sicut multitudo specierum ab vno genere: Altera ex solo numero distinctis consurgens vnitatibus: sicut multitudo indiuiduorum sub vna specie; vel etiam sub vno genere, vel etiam analogo. Tertia distinctio est: Perfectio, siue nobilitas entis, seu partis vniuersi secundùm duo potest attendi: nimirum secundùm gradus rerum specificos: quatenus vna species nobiliori constituitur differentia, quàm alia. Alio modo secundùm gradus ordinis in vniuerso, quatenùs scilicet vna res propriæ sui gradus excellentia sic totam alicuius genericæ latitudinis perfectionem excedit, vt nihil vniuocum Physicè sit illi cum ea commune, sicut immateriales substantiæ, nimirum Angeli respectu corporũ, & cælestes orbes respectu corruptibilium.

2349 *Petes 2.*

Petes secundo. *An illa propositio: quantò aliqua sunt magis perfecta, tantò in maiori excessu secundùm magnitudinem, aut secundùm multitudinem sunt creata à Deo, intelligẽda sit de perfectione secundùm gradus ordinis in vniuerso?*

Resp. affirm. Prob. ex comparatione corporum incorruptibilium cum incorruptibilibus, & substantias immateriales cum materialibus.

Resp. affirmatiuè. Probatur hoc ex littera comparante corpora incorruptibilia corruptibilibus, & substantias immateriales rebus ex materia, formaque compositis, constat autem ex dictis cælestia corpora à sublunaribus, & immateriales substãtias à corporeis secundùm gradum ordinis esse differentes: atque ideo nomine rerum, vel substantiarum perfectiorum in vniuerso intelligit substantias pertinentes ad primam perfectionem vniuersi: quamuis non omnes absolutè loquendo. Sed eas tantùm, quæ speciales constituunt gradus. Et quoniam elementa non habent gradum ordinis altiorem gradu mixtorum, cum quibus in materia, & genere Physico conueniunt: Imo, & eorum materia sunt: ideò in textu sola nominantur cęlestia corpora; & sola cęteris in perfectione, & magnitudine comparantur: Quamuis etiam elementa, qua ratione secundùm se tota sunt incorruptibilia, & cælestium virtutum quodammodò sunt instrumenta, dignitatem iam dictam cęlestium corporum imitentur: vt scilicet quantò vnum est altero superius, atque perfectius, tantò sit maius suę quantitatis excessu: & eadem imo potiori ratione cęteras superent rerum materialium species, quæ secundùm dictas rationes sunt elementis ignobiliores: sic enim elementa cum cælestibus sphęris quodammodo computantur, eorumque nobilitate dignantur, quãuis præcisis his rationibus, & absolutè loquendo sint mixta nobiliora simpliciter elementis. Nec verùm est, quod ait Molina, aquam minorem esse terra quantitate, vt certissimis demonstrationibus, & experimentis demonstrant Cosmographi. Quod autem ait de forma nobilitate respectu superiorum corporum [illegible], & voluntario dictum [illegible].

2350 *Petes 3.*

Petes tertio. *An eadem propositio intelligenda sit de multitudine specifica rerum materialium, ad quam fit comparatio?*

Resp. affirm. Prob. quoniam virtualiter cõtẽta in aliqua causa non ponunt in numerum.

Resp. affirmatiuè: multitudinem specificam rerum materialium, ad quam proximè, & immediatè fit comparatio in conclusione, & in probatione tertię partis maioris, esse multitudinem specificam non solùm cęlestium corporum, sed etiam rerum omnium materialium. Hoc dictum est cõtra Caietanum asserentem in conclusione, ac proinde etiam in probatione predicta fieri comparationem ad primas vniuersi partes formaliter, & explicite: ad reliquas vero rerum species virtualiter, & implicite, eo, quòd in actiua cęlestium corporũ virtute contineantur. Quæ doctrina nunquam mihi placuit. Quoniam virtualiter contenta in aliqua causa non ponunt in numerum, nec cum illa causa, nec inter se, simpliciter loquendo: cùm effectus omnes in vna, & eadem causa contenti vt sic, sint realiter, & actualiter idem, non solùm cum ipsa causa: sed etiam inter se, vt patet de rana, mure, & vermiculo existentibus in virtute Solis, & est communis Philosophorum, & Theologorum doctrina supra q. 4. artic. 2. igitur ex hoc, quod immateriales substantiæ ob sui perfectionem, ac nobilitaté excedunt in multitudine cęlestia corpora, non potest legitima, & formalis consequentia deduci, quod specierum etiam corruptibilium multitudinem superent in earum virtute contentam: hęc etenim cõtinentia virtualis ad perfectionem attinet cælestiũ corporum: ac proinde magis eos assimilat in perfectione substantijs separatis, & consequenter tanto minorem infert in eis, scilicet separatis multitudinem, quanto per hanc specierum continentiam sunt cęlestia corpora ipsis immaterialibus substantijs similiora. Fit ergo substantiarum separatarum comparatio ad rerum omnium materialium species immediatè iam enim diximus in maiori, sermonem esse de perfectione secundùm gradus ordinis in vniuerso: constat autem Angelos secundùm sui ordinis gradum nobiliores esse toto gradu ordinis specierum omniũ corporearum, tam corruptibilium, quàm incorruptibilium.

2351 *Obiectio.*

Arguitur. Maior illa propositio de primis vniuersi partibus intellecta verissima est, & satis sufficiens propositio: ergo. Probatur antecedens. Quoniam ex hoc non solùm concluditur, quod numerus Angelorum, idest intellectualium substantiarũ, excedit numerum cęlorum, & elementorum: sed etiã, quòd incomparabiliter excedit cæterorũ materialium specificam multitudiné: ergo. Probatur hoc assumptum: Quia longe plus distant substantiæ spirituales a corporalibus, quam quæcumque corpora inter se: At inter superiora, & inferiora corpora intuemur excessum magnitudinis incomparabiliter: ergo ex maiori sic intellecta

conclu-

concluditur, non solùm, quòd numerus Angelorũ excedit numerum cælorum,& elementorum: sed quòd etiam incomparabiliter excedat cæterorum materialium specificam multitudinem.

2352 *Resp. neg. Ant. quia ignobiliora sunt propter nobiliora.*

Resp Falsum esse antec. Ad eius probationem negatur assumptum. Ad cuius probationem negatur consequentia: & ratio negationis est: quoniam, vt ait S.Thom. in 2. cont. gent. cap. 92. sæpè allegato: ignobiliora sunt propter nobiliora, atq; ideò oportet, vt nobiliora, quasi propter se existentia multiplicentur, quantùm possibile est: Nam, vt ibi notat Ferrariensis: ea, quę sunt ad finem, accipiunt limitationem,& determinationem ex fine, quia tot & tanta quæruntur, quanta sufficiunt ad ipsum finem: finis autem ipse in infinitum quæritur: vt etiam ait D.Tho. Rom. 12. lect. 1. & 1. Corinth. 11. lect. 3. Quæritur enim sanitas non in hoc, aut in illo determinato gradu; sed quanta haberi potest: constat autem primas partes vniuersi substantiam integrantes esse propter se, & esse quodammodò fines cæterarum, reliquas autem esse propter eas. Cùm itaque fit comparatio inter primas vniuersi partes quoad multitudinem, & perfectionem gradibus procedentem, debet intelligi de ea perfectione, quæ partibus conuenit vniuersi: vt primæ sunt: & proinde, vt sunt propter se, & consequenter etiam reliquarum fines: non autem debet, aut potest extendi ad eas partes, quæ non sunt primæ, nec intentæ propter se; sed propter alias: cum in eis perfectio earum propria non fit ratio multiplicationis: sed tota ratio multiplicationis in eis ex fine petenda sit.

Quid inferatur ex hoc, quòd Angeli plus distent à naturis corruptibilium, quàm à cælestibus sphæris.

Quamuis igitur longè plùs distent Angeli à naturis corruptibilium, quàm à cælestibus sphæris, nõ tamen, secundùm formalem consequentiam, licet inferre, longè maiorem esse separatarum substantiarum multitudinem, quàm fit numerus corruptibilium naturarum: quoniam vt totus discursus secundùm Caietanum non in quacunque partium perfectione fundatur, sed in ea, qua partes constituuntur, vt primæ,& consequenter, vt sint propter se,& aliarum fines: cùm præsertim ex hac ipsa radice non inferatur numerus; sed magnitudo tantùm in cælestibus sphæris. Fit igitur tàm in conclusione articuli, quàm in maiori comparatio Angelorum immediatè cum omnibus rerum materialium naturis, vt affirmat nostra conclusio cum Ferrariensi,& alijs: & hoc idem concludit argumentum Caietani, nimirùm Angelorum multitudinem specificę rerum omnium multitudini immediatè comparatam, esse maiorem: sunt enim singulæ rerum species indiuiduorum fines: & secùdùm hanc rationem sunt propter seipsas intentæ: quamuis, vt minùs principales ad alias principaliores ordinentur.

2353 *Petes 4.*

Petes 4. An illa propositio intelligenda sit de vtroq; excessu secundùm magnitudinem, & multitudinem coniunctim?

Resp. neg. Prob. quia in nobilissimis creaturis quales sunt Angeli, nõ est magnitudo quantitatis cõtinua

Resp. negatiuè. Probatur. 1. quia S.Thom. ponit eam disiunctiuè. Secundò: quia in nobilissimis creaturis, quales sunt Angeli, non est magnitudo quantitatis continuę, de qua loquitur textus Quòd, si dicas in eis esse magnitudinem perfectionis: præterquamquod litteræ sensum destruis, negationem etiam eidem addis, & vim probationis eneruas. Sensus enim esset. Quantò aliqua sunt magis perfecta, tantò maiori excessu perfectionis sunt creata, quod esset idem de eodem prædicare. Secundo probatur idem dictum: Quia cælestia corpora non excedunt generabilium species multitudine. Sed ait Syluester: Stellas esse quædam cęlestia corpora, & specie differre: At hoc falsum est; cùm in octaua sphæra de fixa non differant à reliquis eiusdem sphæræ partibus, nisi densitate: inter se vero virtutibus influendi distinguantur: quod illius indicat orbis nobilitatem: qui diuersis suis partibus, veluti organis vtitur ad suæ virtutis influxum in sublunaria transmittendum: sicut idem hominis corpus plurimos habet partes, sic à natura dispositas, vt apta sint in instrumenta vnius animę ad multiplices eius operationes exercendas: sicut ergo non dicimus partes illas organicas humani corporis, vt aures,& oculos specie differre; quamquam figura, & dispositionibus valde differant: sic nec eiusdẽ globi stellas asserendum est, esse specie differentes ob solã influendi diuersitatem.

2354 *1. Obiectio.*

Arguitur. Omnes stellæ sunt species: ergo rationabile est, quòd illi spiritus respectu omnium corporalium sint creati in vtroq; excessu, scilicet continuo,& discreto: ergo: maior propositio intelligitur de vtroque excessu, licet in conclusione non inferatur, nisi de numerali: quia alius non est ad propositum quęstionis.

Respondetur.

Respondetur falsum esse antecedens, vt supra probauimus. Sed contra responsionem hanc videtur esse doctrina D.Th. de spirit. creat art. 8. ad 10. vbi sic loquitur: *Plures tamen videntur esse species corporum animatorum, quàm inanimatorum: præcipuè si corpora cælestia sint animata, & omnes stellæ ad inuicem specie differant*: quòd, si dicas, conditionalem esse locutionem, reijcitur statim hęc responsio ex articuli eiusdem argumento 2. cum sua responsione, argumentum est: *Sicut inferiora elementa sunt ornata plantis,& animalibus, & cælum syderum stellis, Sole,& Luna, ita etiam cælum empyreum ordinatum est Angelis: sed in plantis,& animalibus inueniuntur multa eiusdem speciei, similiter etiam videtur, quòd omnes stellæ sint vnius speciei: quæ communicant in vna forma nobilissima, quæ est lux: ergo. &c.* Responsio verò est: *Dicendum est, quòd ornamẽta terræ,& aquæ, quia corruptibilia sunt, requirunt multitudinem in eadem specie: corpora autem cælestia etiam sunt diuersarum specierum; lux enim non est forma substantialis eorum, cùm sit qualitas per se sensibilis: quod de nulla forma substantiali dici potest: & præterea non est eiusdem rationis lux in omnibus: quod patet ex hoc: quòd diuersorum corporum superiorum radij diuersos habent effectus.* Hæc ibi D. Th. Igitur secundùm D Tho. stellæ singulæ sunt ad inuicem specie differentes: de illis enim loquitur argumentum.

Replica.

2355 *Dissoluitur. quia corpora cælestia sunt diuersarũ specierum,& consequenter etiã stellæ ad diuersa corpora pertinentia.*

Respondetur: Admissa priori solutione, D.Tho. in argumento illo 2. loqui de cęlo sydereo, prout complectitur Solem,& Lunam, & stellas omnes, tàm fixas, quàm erraticas, & obijcere, quòd sint vnus speciei, eo quòd in ipsa luce, veluti vna forma conueniant: responsio autem est, corpora cęlestia esse diuersarum specierum,& consequenter etiam stellas ad diuersa corpora pertinentes esse diuersarum specierũ: vt Sol, Luna, Saturnus, Iupiter, Mars, & singuli alij planetæ: Cùm itaque stellæ fixæ non ad diuersa: sed ad idem pertineant celeste corpus, scilicet octauam sphęram, cuius sunt partes, nulla inter eas erit specifica differentia: sed numerica tãtùm eo modo, quo partes eiusdem corporis numero distinguuntur ad inuicem: Quod autem asserit D.Thom. de differentia lucis in corporibus superioribus, referendum est ad corpora secundùm se tota, vel ad sydera, quæ partes sunt diuersorum corporũ: Quòd, si lucis hæc specifica diuersitas ad singulas etiam, vel plures extendatur stellas octauæ sphęrę: dicendum est ex ea diuersitate deduci solùm cælestis illius corporis perfectionem: quod tot partibus, velut organis vtitur ad producendos apud nos varios suæ virtutis effectus. Sicut anima nostra, cuius diuersæ sunt specie potentię ad multipliciter exercendas suas operationes pluribus vtitur sui corporis partibus, veluti organis ad eas, veluti fines diuersis figuris, & qualitatibus à natura dispositis.

2356 *2. Obiectio.*

Arg. 2. Maior assumit excessum disiunctiuè, videlicet secundùm magnitudinem, vel secundùm multitudinem: ergo non potest inferre excessum Angelorum respectu corporum, nisi disiũctiuè, scilicet secundùm magnitudinem perfectionis, vel secundùm numerum: ergo malè infertur determinatè excessus numeralis. Resp. ex littera, quòd sicut in corporibus attẽditur excessus secundùm magnitudinẽ, ita in incorporeijs potest attendi secundùm multitudinem.

Respondetur.

 Sed

Sed contra: Quia, licet hoc esse possit, non tamē est necessarium ita esse; sed dici poterit etiam in corporeis excessum attendi secundùm magnitudinem perfectionis, quæ respondet magnitudini quãtitatis.

2357 *Dissoluitur, quia formæ, quæ sunt extra materiam, habent esse vniuersalius.*

Respondetur primò rationem esse probabilem, non autem demonstratiuam. Secundò dico propositionem illam. *Sicut in corporibus attenditur excessus secundùm magnitudinem, ita &c* probatam fuisse à D.Thom. in dicto cap. 92. hoc argumento. Formæ, quæ sunt extra materiam habent esse completius, & vniuersalius, quàm formæ, quæ sunt in materia, quæ recipiũtur in materia secundùm eius capacitatem: ergo non sunt minoris multitudinis, quàm sint species rerum materialium. Probatur consequentia: Quia etiam species rerum materialium non multiplicantur per materiam; sed per formam.

2358 *Petes 5.*

Petes quintò. *An D.Th. Conclusio, vt iacet, sit de fide: an verò fidei, ac doctrinæ Sanctorum valdè congruens.*

Resp. Conclusionem D.Th. nõ esse de fide, esse tamen valde congruentē fidei.

Resp. Conclusionem D.Th. vt iacet, non esse de fide, esse tamen valde fidei congruentem, & doctrinæ Sanctorum, ac Dionysij præsertim apprimè cõsentaneam: adeo, vt eam negare non nihil temeritatis esse videatur. Probatur prima pars. Quoniam speciebus rerum materialium maiorem esse numerum Angelorum scriptura non docet; neq; potest ex ea deduci per necessariam, & euidentem consequẽtiam: neque hoc Ecclesia definiuit. Secunda pars probatur ex lib Iob 25. cap vbi dicitur. *Nunquid est numerus multitudinem eius*, idest Angelorum, vt exponit Gregorius lib. 17. Moral. cap. 7. & Psal. 76. *Currus Dei decem millibus multiplex millia letantium*, quibus verbis Hieronymus, & alij Sancti Patres Angelorum dicunt maximã multitudinem significari. Danielis. 7. dicitur. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Quorum verborum sensum exponit infra D. Th. quæst. 112. artic. 4. ad 2. & Dionysius in allegato cap. 14. Gregorius 17. Moralium, & Hier. in comment. dic. cap. dicentes Angelorum multitudinem numero materialium specierum longè esse maiorem, & poni numerum determinatum pro indeterminato. Matth. 26. Petrum alloquens Christus sic loquitur: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquã duodecim legiones Angelorum?* Quibus verbis non omnem Angelorum militiam sed partem eius aliquam à Patre mittendam insinuat.

2359 *Ex pluribus scripturæ locis constat, cælestium multitudinem numero specierum materialium esse maiorem.*

Ex his diuinæ scripturæ locis pręcipuè satis elucet, cælestium multitudinem numero specierum materialium esse maiorem: Quis enim specificæ rerum materia constantium multitudini numeros illos omnem humanæ intelligentiæ modum excedentes, putet verè posse congruere, addita præsertim Dionysij, Hieronymi, & aliorum Patrum expositione? Sed ait Vasquez, Dionysium non significare maiorem esse multitudinem Angelorum numero corporum, sed eam numerari à nobis non posse, quauis numeri multiplicatione, qua in rebus corporeis numerandis vti consueuimus: vt centenario, vel millenario &c. id enim significant illa verba: *Infirmam, & constrictam excedentes nostrorum materialium numerorum commensurationem*, vbi loquitur, inquit, non de rebus numeratis: sed de numero ipso, quo numeramus. At non sincerè de mente tanti Patris differit Vasq. Præmiserat enim Dionysius: *Hoc etiam dignum, & mea quidem sententia spiritualis consideratione scriptura diuina cum singulorum numerum tradunt, mille millia eorum esse dicere, & decies centena millia; quibus numeros maximos, quos adhibemus, in se reflectunt, & augent, atq; his planè declarare cœlestium natura: qui à nobis numerari nõ possunt ordines.* Vbi ex hoc, quod Sacræ litteræ, maximos numeros, quibus vti consueuimus, in se reflectunt, asserit cælestes ordines declarari, qui à nobis numerari non possunt: Vult igitur Dionysius Angelorum multitudinem esse à nobis simpliciter innumerabilem. quod autẽ ait verba illa: *Infirmam, & constrictam* &c non de rebus numeratis; sed de numero ipso, quo numerus, esse intelligenda, non solùm sensui; sed & verbis ipsis aduersatur apertè: quę numeros nostros, numeros materiales appellat: certum est autem numerum, quo numerauimus, non esse materialem: sed intelligibilem? Infimos igitur, & constrictos numeros, nostros materiales vocat Dionysius comparatiuè tantùm ad innumerabilem cælestium spiritum multitudinem: nullus verò Philosophorum dixit vnquam, aut sapienter dicere potuit, rerum corporearum species nostrorum omnium numerorum, quibus etiam reflexis vti consueuimus, excedere quantitatem.

2360 *Defenditur sẽsus D. Dionysij contra Vasq.*

DVBIVM III.

An sit maior numerus Angelorum, quàm vniuersorũ hominum existentium, præteritorum, & futurorũ.

Conclusio est affirmatiua: Et quamquam proposita difficultas nulla firma possit authoritate, certaue ratione definiri: multa tamen adduci possunt adeo consona veritati: vt prudentis, ac benè dispositi viri mentem deflectant. Ac primo discursus authoris superiùs explicatus; quo numerũ probat Angelorum esse longè maiorem, quàm sit materialium omnium specierum multitudo, probat etiam satis euidenter vniuersis hominibus esse maiorem. Nam ex partibus per se, siuè primò, siuè secundariò ad mundi perfectionem attinentibus illas affirmat S Th in excessu maiori secundùm magnitudinem, aut secundùm multitudinem esse creatas à Deo, quæ magis perfectæ sunt: constat autẽ ex quæst. 23. artic. 7. inter omnes corporeas creaturas homines principaliùs ordinari ad bonum vniuersi, igitur cum ait D.Th. *Quantò aliqua sunt magis perfecta, tantò in maiori excessu sunt creata: quia perfectio vniuersi est illud, quod præcipuè Deus intendit.* Nomine eorum, quæ perfecta sunt, & ad vniuersi perfectionem pertinent, non solùm rerum omnium species; sed etiam omnes, & singulos homines intellexit: ac proinde maior erit numerus Angelorum, quàm tota sit, non solùm specierum omnium corporeum: sed etiam omnium hominum multitudo: sicut ob eandem causam oportet esse maiorem hominum multitudinem numero specierum omnium corruptibilium. 2361 *Concl. affirm. Prob. 1. quia quantò aliqua sunt magis perfecta, tantò in maiori numero sunt creata*

Colligitur hæc veritas euidentius ex 3. ratione D.Thom. in 2. cont. gen. cap. 92. vbi nobiliora ex eo probat multiplicari, quantùm possibile est, quòd propter se sunt existentia, & ignobiliorum fines esse videantur, subsumens intellectuales substantias omnibus corporibus esse nobiliores, vt immobile, & immateriale mobili, & materiali: Certum est autem singulos homines, qui secundùm partem intellectiuam sunt immortales, esse propter se magis, quàm cælestia corpora. *quæ creauit Deus in ministerium cunctis gentibus*, vt dicitur Deuter. 4. & fines esse non solùm cęlestium corporum: sed etiam cæterarum omnium corruptibilium creaturarum, vt affirmat expresśe D.Th de potent. quæst. 3. artic. 18. ad 5. Eius verba sunt: Vndè ex hoc probatur esse homo finis *creaturarum. finis autẽ, licèt sit primus in intentione, est tamen vltimus in operatione: vndè, & homo vltimò factus est.* Hęc ibi: quod etiam satis perspicue declarant Sacræ litteræ in vniuersi dominio homini in cætera animantia à Deo concesso Genesis primo: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli* &c. & Psal. 8. *minuisti enim paulò minùs ab Angelis, & gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius* &c. Quibus verbis ad litteram describitur dignitas hominis naturalis: in cuius vsum, & commodum creatæ sunt omnes corporeæ creaturæ, tàm corruptibiles, quàm incorruptibiles. Cùm igitur in textu cõparantur Angeli, vt nobiliores omnibus corporeijs creaturis, quæ ad vniuersi perfectionẽ pertinẽt, saltem secundariã per se, 2362 *2. Ratio. Quia, cùm Nobiliora sint propter se existentia, debent supra ignobiliora multiplicari.*

In Gen. describitur ad litteram dignitas hominis naturalis.

se, & directè, quales sunt omnes perpetuitatem habentes, vt species: & his omnibus fit homo nobilior: cui non solùm secundùm speciem conuenit esse perpetuum; sed etiam secundùm indiuidua: quorum animę sunt immortales, & corpora, quæ quamuis nunc morti sint obnoxia: sunt tamen in extremo temporis proprijs animabus copulanda, & ad vitam immortalem reparanda: consequens est Angelorum multitudinem esse maiorem, non solũ numero specierũ omniũ corporearũ, sed vniuersa etiam hominum multitudine pręsentes, præteritos, ac futuros complectente.

2363 *3. Ratio quia singuli Angeli ex infimo tantùm Angelorũ ordine, sunt hominibus ad custodiam deputati.*

3. Ratio. Quia singuli Angeli ex infimo tantùm Angelorũ ordine singulis hominibus ad custodiã deputantur: ita vt idẽ Angelus non sit pluriũ hominũ custos, neq; simul, neq; successiuè: igitur, plures incõparabiliter sunt Angeli, quàm homines. Consequentia patet: Quia soli infimi ordinis Angeli adequant hominum numerum, & superest ad huc innumera superiorum ordinum multitudo. Antecedens autem probatur. Primò: quia non decet eosdem Angelos à principio vsq; ad finem mundi esse in continua custodia. Secundò: quia quilibet Angelus in die iudicij cineres colliget huius tantùm hominis, scilicet à se custoditi: cuius etiam comes erit in iudicio. Secundum argumentum est. Demus vnum Angelum plures homines successiuè custodire, ad huc supersunt superiores octo chori beatorum Angelorum, & Dæmones omnes, qui videntur esse tertia pars totius multitudinis Angelorum, iuxta illud Apoc. 12. *Draco traxit secum tertiam partem stellarum*: Maior est igitur numerus Angelorum, quã hominum. Vltimum est ex reuelatione S. Brigitę: quam narrat Carthusianus in Dionysiura cap. 14. Huic enim Sanctæ dicitur à Deo fuisse reuelatum, multò plures esse Angelos, quàm homines: ita vt decem possint cuilibet hominum in custodiam deputari: pręter quos ad huc sunt Angeli mali.

2394 *1. Obiectio.*

Arguitur. Probabile est ex hominibus tot vt minimum saluari, quot Angeli ceciderunt: sed tertia pars Angelorum cecidit, & plures, quàm duæ partes, imo quàm quadraginta partes hominum damnantur. Ergo pauciores sunt Angeli, quàm homines, qui sunt, fuerunt, & erunt. Prima propositio probatur ex Psal. 109. *Implebit ruinas*: & ex communi Theologorum sententia: & declaratur. quòd illam particulam, vt minimum: quoniam Anselm. lib. 1. cur Deus homo cap. 18. August. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 1. in Enchirid. cap. 28. & 29. & Gregorius hom. 34. in Euangelia, & alij plures affirmant multò plures hominum saluari, quàm fuerint Angeli desertores: secunda verò propositio patet ex illo Apoch. 12. *Draco traxit secum tertiam partem stellarum*: Altera pars habetur in Euang. Matth. 7. *Lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta porta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam.* Et declaratur: Quia præter multos Christianos, & Hæreticos: quorum maxima est multitudo, est numerus infidelium propemodùm infinitus.

Resp. locum illum habere varias expositiones.

Respondetur ad primam propositionem, eius oppositum esse probabilius. ad probationem dico, locum illum habere varias expositiones. Nam Hieronymus exponit de ruinis hominum non credentium: August. de ruinis cuiuslibet peccatoris: apud Caietanum non habetur ruinas; sed corpora, atq; ita significat resurrectionem mortuorum. Ad secundam propositionem dico, locum illum Apoc. 12. de tertia parte stellarum variè à Doctoribus exponi: Quidam enim de hominibus: & quidam de Angelis, alij de Angelis simul, & hominibus exponunt. Rupertus interpretatur de parte filiorum. Israel: quos ibi duodecim stellarum figura significat. Quod autem affirmant Anselmus, Augustinus, & Gregor. nihil officit: quia certum non est tertiam Angelorum partem, cecidisse: forsitan enim, qui ceciderunt, nec decima, nec vigessima, nec centessima pars numeri sunt Angelorum.

Secundum argumentum est ex authoritate Gregorij Hom. 34. in Euang. vbi ait, tot ex hominibus esse saluandos, quot Angeli remanserunt: cùm ergo plures sint damnandi, vt ante diximus: sequitur longè maiorem esse numerum omnium hominum, quàm Angelorum. Respondetur cum D. Thom. supra quæst. 23. soli Deo cognitum esse numerum electorum, & ideo Gregorij dictum probabili tantùm nititur coniectura. Cui verò sententia placuerit opposita, rationibus in eam productis satisfaciat.

2365 *2. Obiectio.* *Respondetur.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Angeli differant specie.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Impossibile est Angelos multiplicari sub vna specie. Prob. Conuenientia in specie oritur à forma, & distinctio secundùm numerum fit à materia. Sed Angeli non constant materia, & forma, vt dictum est. ergo. Confirm. impossibile est esse duas albedines, aut duas humanitates separatas eiusdem speciei, cùm distinctio earum formarum fit à subiectis, vel suppositis. Sed Angeli sunt formę separatę. ergo.

Arg. 1. Quæ conueniunt in nobilissimo sui, conueniunt in vltima differentia constitutiua. Sed Angeli conueniunt in nobilissimo sui, scil. in intellectualitate. ergo. Resp. dist. mi. quod conueniunt in nobilissimo sui, scil. in nobilissima natura, conueniunt specie, negatur: in nobilissimo gradu naturæ, conueniunt specie, conced. Sed negatur minor, quia Angeli, licèt conueniant in natura intellectuali, non verò in gradu naturę intellectualis.

Arg. 2. Quæ differunt tantùm secundùm magis, & minus, non differunt specie. Sed Angeli differunt per hoc, quod vnus est alio simplicior, & perspicacioris intellectus. ergo. Resp. dist. ma. secundùm magis, & minus, quod est ex intensione, & remissione eiusdẽ formę, conceditur; quod est ex maiori, vel minori perfectione diuersarum formarum, negatur. Angeli enim differunt secundo modo.

Arg. 3. Omnes Animę sunt vnius speciei. ergo pariter omnes Angeli quia Angeli, & Animæ ex opposito diuiduntur. Resp. neg. conseq. Ad prob. licèt Angeli, & Animæ ex opposito diuidantur, tamen quia Angeli longè perfectiores sunt, ideo in eis nobilior modus multiplicandi ponendus est.

Arg. 4. Perfectiora secundùm naturam magis debent multiplicari. Sed Angeli sunt natura perfectissimi. ergo. Resp. dist. ma. perfectiora &c. debent multiplicari secundùm speciem, conceditur: secundùm numerum negatur, multiplicatio enim quę dicit perfectionem in creatis, est multiplicatio specifica.

DISPVTATO. CCLXIIII.

An Angeli de facto omnes differant speciei

2366 Petes 1.

Petes 1. An Angeli de facto differant omnes specie.

Resp. affirm. ita D. Th. hic & omnes Thomistæ. ostenditur Resp. affirm. Probatur.

ostenditur per plures congruentias. Primo; illa sola videntur multiplicari secundùm numerum in vnica specie, quæ sunt corruptibilia: vt natura speciei, quæ non potest conseruari in vno, conseruetur in pluribus Sed Angeli sunt incorruptibiles, vt infra. ergo.

Confirmatur. *Confirm. quia sol, luna, & cælestes orbes omnis corruptiones expertes, in vnico indiuiduo à Deo conditi sunt: eò quod in vnico indiuiduo natura speciei valet conseruari, sed eadem est ratio de Angelis: ergo. Anima verò rationalis, licèt sit incorruptibilis, quia non est completa, sed forma corporis, ad multiplicationem corporis multiplicatur.*

2367 Instabis. *Dices. Stellæ cæli sunt formæ subsistentes incorruptibiles, & nihil minus, solo numero multiplicantur, quia communicant in vna forma nobilissima, quæ est lux. ergo.*

Respondetur. *Resp. vel stellæ fixæ sunt inter se, & cum cælo sidereo continua, vel solùm contiguæ: si primum, verum est, quod non distinguuntur specie, non tamen erunt substantiæ completæ, sed partiales. Si verò erunt contiguæ, tunc differunt specie. & negatur minor. quia lux non est forma substantialis earum, cùm sit qualitas per se sensibilis, quòd de nulla forma substantiali dici potest.*

2368 Prob. 6. *Secunda congruentia. Bonum, & perfectio vniuersi consistit in ordine per se, qui in ipso reperitur, non vero in ordine per accidens, Nam bonū vniuersi est duplex, quoddam separatum, scilicet Deus, qui est sicut Dux in exercitu; & quoddam in ipsis rebus, hoc est, ordo partium vniuersi, sicut ordo partium exercitus, est bonum exercitus. Sed ordo specificus, cum sit ordo formalis est ordo per se, & perfectionis; distinctio verò numerica, cum sit materialis est ordo per accidens, ergo supremæ pars vniuersi quales sunt Angeli debent de supremo ordine, & per se participare, idest de specifico; non verò de materiali, & per accidens.*

2369 1. Euasio. *Dices 1. In vniuerso datur ordo per se, & ordo per accidens, ac proinde aliqua species Angeli poterit numericè multiplicari.*

Præcluditur. *Resp. neg. conseq. quia cùm Vniuersum, quia vniuersum est, habet vtrumque ordinem: atque adeò, quia constat partibus inferioribus, & superioribus. ideò ea, quæ ei conueniunt per accidens respectu partium inferiorum, non possunt competere partibus superioribus, vt sunt Angeli.*

3. Euasio. *Dices 2. quantò aliquo sunt superiora, sunt propinquiora Deo, in quo nulla est diuersitas; sed magis sunt diuersa, quæ differunt numero, & specie, & faciunt ordinem per se, quam quæ differunt numero, & conueniunt specie, & faciunt ordinem per accidens. ergo.*

Præcluditur. *Resp. illam propositionem maioris, esse intelligendam, saluis naturis rerum. Vnde si vna natura Deo comparatur, in illa quo fuerit maior propinquitas, erit minor diuersitas. At verò si plures simul conferantur specie diuersæ, non poterit per propinquitatem tolli talis diuersitas. Et sic in primo Angelo, qui est Deo propinquior nulla est diuersitas specifica, non verò in reliquis.*

2371 4. Euasio. *Dices. 3. Homines sunt entia perfectiora, quàm cæli, ac proinde sunt perfectior pars vniuersi, tamen in hominibus non attenditur ordo vniuersi per se, sed per accidens: ergo neque in Cælis, ac proinde neque in Angelis.*

Præcluditur. *Resp. neg. conseq. quia, cùm perfectio Vniuersi, vt est quoddam totum, coalescat ex concatenatione partium illius; illa pars censenda est perfectior, non quæ perfectior est in gradu essendi, sed quæ est per se intenta ad hoc, vt cæteræ partes ei subordinantur, & ab ea pendent; & quia homines à Cælis, & Cæli ab Angeli in hac concatenatione pendent; non è contra: propterea in Cælis, & Angelis solùm, vt in partibus vniuersi perfectioribus ordo per se reperitur.*

2372 5. Euasio. *Dices 4. Si omnes Angeli de facto differunt specie, immaterialitas Angeli superioris differret specie ab immaterialitate intellectus Angeli inferioris, cùm species intelligibilis, & intellectus sint eiusdem immaterialitatis, cùm essentia illius. ac proinde Angelus inferior non poterit quidditatiuè intueri superiorem.*

Præcluditur. *Resp. neg. conseq. quia gradus intelligibilitatis in esse repræsentatiuo in Angelis non sumitur ab immaterialitate specifica huius, vel illius Angeli, quia hæc accidit differentia esse repræsentatiuo, & dicitur immaterialitas in esse entitatiuo: Ad cognitionem autem quidditatiuam sufficit conuenientia in gradu immaterialitatis intelligibilis, (scil. in hoc, quod est esse separatum ab omni materia physica, licèt non à potentialitate, in quo omnes Angeli conueniunt) cum virtute intellectiua, & specie intelligibili Angeli inferioris videantur ea quæ diximus tom. 1. q. 1 . art. 2.*

2373 6. Euasio. *Dices. 5. Angeli differunt penes esse magis, vel minùs intellectiui; sed esse magis, vel minùs intellectiuos, tantùm dicit rationem accidentalem, sicut esse magis, vel minùs calidum, vel album.*

Præcluditur. *Resp. importare differentias essentiales, quia proueniunt ex gradu diuersarum formarum, non ex diuerso modo participationis vnius, & eiusdem formæ: siquidem adueniunt essentiæ non vltimo completæ in suo gradu intellectualitatis, sed incompletæ, & indeterminatæ.*

2374 6. Euasio. *Dices 6. esse magis; vel minùs intellectiuum, non sunt gradus extra intellectualitatem, vt sic. siquidem quæcumque ratio intellectualitatis est actu, & formaliter intellectualitas; cùm tamen rationes differentiales debeant esse extra genus.*

Præcluditur. *Resp. in essentia completa intellectualitatis duo posse distingui. Primum id, quod præcisè requiritur, & sufficit ad habendā naturam intellectualem, quod est esse principium potentiarum, & hoc est genus intellectiui. Secundum est, certus, & determinatus modus participandi intellectualitatem, & est id, quod constituit principium potentiarum tantæ, vel tantæ perfectionis; & hic est gradus differentialis extra conceptum generis.*

2375 7. Euasio. *Dices. 7. Sicut Angeli conueniunt in intellectualitate, ita & Animæ in rationalitate. ergo sicuti intra latitudinem rationalitatis nullæ sunt differentiæ specificæ, sed ipsa est vltima; ita in gradu intellectualitatis.*

Præcluditur. *Resp. neg. paritatem. & Ratio disparitatis est Quia rationalitas, vt conuenit homini, habet rationem extremi, & termini, vel supremi in ordine naturarum corporearum; vel infimi in ordine substantiarum spiritualium quia natura corporea in rationalitate attingit infimum substantiarum spiritualium. De ratione autem extremi, & vltimi est carere secundùm se latitudine, alias esset, & non esset vltimum, secùs verò contingit in gradu intellectualitatis completæ, vt patet. cum sit medius inter Deum, & homines.*

2376 Petes. 2. *Petes 2.* An sub eadem specie atoma potuerint esse plures Angeli secundùm potentiam Dei ordinariam.

Resp. Negati. Probatur. *Resp. neg. ità D. Th. hic, & communiter Thomistæ. Prob. Natura speciei in Angelis est forma irreceptibilis in materia: formæ autem irreceptibili in materia repugnat diuidi in plura indiuidua, vt patet exemplo Albedinis adducto à D. Th. in præsenti, quæ si esset à subiecto tam actu, quam aptitudine separata, repugnaret illi, vt sic, diuidi indiuidualiter.*

1. Confirm. *Confirm. 1. Ad diuersitatem modorum substantialium indiuiduantium requiritur; quòd singula ex illis indiuiduis participent naturam specificam limitatè, & non adæquatè, alioquin illi modi non essent inter se inæquales, & distincti. Sed vbi natura specifica habet* esse *omninò separatum à materia, nihil reperitur à quo valeat huiusmodi limitatio prouenire: nam cùm vnumquodque limitetur per suum oppositum, limitatio actus, seu naturæ specificæ, necesse est fieri per potentiam, seu materiam.*

2377 2. Confirm. *Confirm. 2. Tum quia, sicut forma receptibilis in materia habet vnde indiuiduetur, hoc ipso, quòd sit receptibilis potiùs in hac materia, quàm in illa: ita forma irreceptibilis in omni materia habet vnde indiuiduetur, hoc ipso quòd in nulla sit receptibilis, & sit* quodquid est *Tum etiam. quia sicut compositum ex materia, & forma inde habet, quòd sit hoc, vnde ei prouenit, quod neque in subiecto sit, neque de subiecto dicatur: ita forma simplex, & completa, ac per se subsistens.*

sistens, qualis est Angelus, inde habebit, quod sit hæc, vnde ortum ducit, quod neque sit in subiecto, neque de subiecto dicatur.

1277 3. Confirm. *Confirm. 3. quia aliud est, an natura specifica v. g. Angeli Michaelis, adæquatè intellecta secundùm omnia, quę ex genere suo pertinent ad lineam naturæ, prohibeatur ex parte rei conceptæ esse in multis: aliud an concepta præcisè secundùm id, quod exprimit, vt quodammodo æquiualet, & correspondet naturæ specificæ rerum materialium, concipiatur expressè, vt habens aliquid, quod prohibeat eam esse in multis. Et si ergo prædicta natura secundùm posteriorem rationem, & vt subest prædicto conceptio expresso, & inadæquato sui, nihil exprimit, quod prohibeat eam esse in multis: quia tantùm exprimit seipsam; vt comparatur ad suum genus, & suam differentiam atomum, nihil exprimendo de sua differentia indiuiduali, & an sit, vel non sit receptibilis in aliqua materia, secundùm quam rationē concipitur expressè, vt indiuidua, & singularis: in quo sensu dixit D. Th. q. vnica de spiritual. creat. art. 8. ad.* Natura huius Angeli nō prohibetur esse in multis, ex hoc, quod pertinet ad rationem speciei, sed ex eo quod pertinet ad rationem indiuidui. *Cęterum hæc omnia sunt per opus intellectus. in quo non repugnat dari natura vniuersalis Angelica, vt suppono ex dictis in logica. Nam realiter, & secundùm priorem considerationem, ac proindè secundùm omnia, quę importat realiter, absque distinctione virtuali, habet aliquid ex parte rei conceptę prohibens illam esse in multis realiter. scil, realem irreceptibilitatem respectu cuiuscumque materię.*

2378 Oppos. sent. 1. Obiectio. *Oppositam sententiam tenet Scotus, Durandus, Vasquez, Suarez, & alij relati à N. Salmant. hoc trac. 8. disp. 6. Dub. 7. §. 84. Arg. 1. Natura diuina, quia infinita, seu purus actus includit in sua essentia indiuiduationem: ergo cum natura Angelica non sit purus actus, neque infinita, non includet in sua essentia indiuiduationem, sed erit in potentia ad illam.*

Respondetur. *Resp. dist. ly,* quia, *nam si importat rationem à priori, absolutè, talē concedimus: si importet rationē adæquatam, negamus: quia ratio adæquata propterquam natura diuina est indiuidua, non est præcisè, quia est actus purus, & infinita, nam sufficeret, si esset separata à materia, tam actu, quam aptitudine, vt Angeli. Vndè ratio infinitatis, & actus puri. est ratio adæquata, quare natura diuina non possit esse vniuersalis neque secundùm rationem, quod non prohibet irreceptibilitas in Angelo.*

2379 2. Obiectio. *Arg. 2. Si quis concipiat naturam Angeli quoad omnia prædicata essentialia; & sine negatione diuisibilitatis in plura eiusdem rationis, formabit verum conceptum naturę Angelicę, vt natura est, & tamen in huiusmodi conceptu non includitur actu differentia indiuidualis.*

Respondetur. *Resp. dist. ly conceptum, verum cum fundamento in natura Angelica, negatur, ex imperfecto concipiendi modo nostri intellectus, conceditur. ac proinde natura specifica, & indiuidualis Angeli neque virtualiter distinguuntur.*

2380 Petes 3. *Petes 3.* An posita indistinctione virtuali inter naturam specificam, & indiuidualem in Angelis, detur verus conceptus speciei realis atomę in Angelo; & conceptus speciei vniuersalis.

Resp. assirm. Prob. 1. *Resp. affirm. Prob. 1. de conceptu veræ speciei realis atomæ. hæc enim tres conditiones requirit, quarū prima est, quod secundùm suum formale constitutiuū, importet determinatum, & finitum gradum entis; per quam excluduntur transcendentia. Secunda, quod hic gradus sit formalis sufficiens ad constituendam naturam, prout est principium potentiarum; per quam excluditur indiuiduum materiale. Tertia, quod sit determinatus gradus formaliter, ita vt natura per eū constituta, non sit vlteriori gradu formali determinabilis, per quam excluditur natura generica: hæ autem omnes conditiones per se conueniunt naturæ specificæ Gabrielis, vt per se patet. ergo.*

2381 Prob. 2. *Prob. 2. de specie vniuersali. Nam licèt secundùm rem sint idem formalissimè ratio specifica, & indiuiduatio in Angelo absque distinctione virtuali, tamen propter imperfectionem nostri modi concipiendi, potest intellectus noster concipere vnum munus inadæquatum illius rationis, altero non concepto expressè, & sic concipiendo naturam specificam, potest illam postea referre ad rationem indiuidualem, & formare vniuersale.*

Petes. 4. An ex eo, quòd in Angelis detur *esse*, quod se habet, vt quid formale ad essentiam Angeli & essentia, quæ se habet, vt quid materiale respectu talis *esse*, detur principium à quo sumi possit multiplicatio indiuidualis? 2382 Petes 4.

Resp. negatiuè. Nam esse est omninò extra essentiam, tam in rebus simplicibus, quàm compositis quia essentia prædicatur in quid; esse *vero conuenit rei contingenter, & spectat ad quæstionem* An est: *& sic non potest esse principium formale intrinsecum talis vnitatis specificæ, ac proinde neque essentia Angeli collata cum eo, non possit dici principium materiale in ordine ad talem vnitatem.* Resp. Negat.

Petes 5. An carentia materiæ in Gabriele v. g. prohibeat plura indiuidua sub eadem specie; ita prohibeat vnicum indiuiduum sub eadem specie. 2383 Petes 5.

Resp. neg. Probatur. Nam, & si materia sit principium indiuidualis pluralitatis purè numericæ, & indiuidualis; non tamen pluralitatis indiuidualis, quæ simul sit specifica, & numerica absque distinctione virtuali: quarè cum Angelus non habeat indiuiduationem, quæ præcisè sit indiuiduatio, sed quæ simul absque distinctione virtuali habeat esse indiuiduationem, & naturam specificam, idcircò eius indiuiduatio non sumitur à materia, sed aliunde, nempè ex eo, quod sit forma irreceptibilis in omni materia. Resp. Negat.

DVBIVM VNICVM.

An sit per diuinam potentiam possibilis multiplicatio numerica eiusdem speciei in Angelis.

Conclusio est affirmatiua: Ita D. Th. h. c. & communiter recentiores Thomistæ probatur Philosophi lumine naturali agnouerunt dari vnū Deum, non solum in specie: sed etiam numero, quia hoc pertinet ad plenā cognitionē diuinitatis: eius si enim plures Deos agnoscerent, non attingerent verā diuinitatem: ergo ratio, qua perueuerunt lumine naturali ad cognoscendum Deum esse vnum, & immultiplicabilem, etiam numero, omnino admittēda est; sed hæc ratio est ob carentiam materiæ, & ordinis ad materiam; ergo carentia materiæ est principium omnimodæ indiuisibilitatis materiæ. Primùm antecedens est certum, & cōstat ex Apost. ad Romanos 1. vbi inquit, quod *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas, itaut sint inexcusabiles, quia cùm cognouisset Deū, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentiū.* Ergo constat ex Apost. cognouisse Philosophos veram diuinitatem Dei, & consequenter vnitatem eius, quia si non cognouissent, vt vnum, neque cognouissent, vt verum. Sed Aristoteles, qui precipuè de Deo cognouit, & inuestigauit, deduxit esse vnum numero, quia caret materia, quę est principium diuisionis numericæ: ergo eius cōsequentia admittenda est: ergo similiter bene deduxit D. Th. quod, si Angeli carent materia, & ordine ad materiam, etiam carent principio diuisionis numericæ, illiq; repugnant: aut si ista consequentia in Angelis non tenet, eneruatur principium, quo in doctrina peripatetica, & in solidiori Philosophia naturali probatur vnitas numerica veri Dei sine quo vera eius diuinitas non esset agnita à Philosophis, quod tamen est contra Apostolum. 2384 *Conclusio affir. Prob quia Philosophi admiserunt Deu esse vnum, quia caret materia.* 2385 *Constat ex D. Paulo, cognouisse Philosophos verum Dei vnitatem, & diuinitatē.*

Dices: Arist. per materiam non intellexisse hæcceitatem, sed materiam illam, quæ est pars compositi, vt reddit naturam materialem, & corporeā; 2386 *Euasio.*

Sed

Præcluditur; quia si Philosophus nomine materiæ intelligit hæcceitatem petit principium.

Sed contra est, quia, si Philosophus nomine materiæ, intelligit hæcceitatem, petit principium, & non probat intentum: dicit enim, quòd ideò Deus est vnus numero tantùm, quia non habet materiam. Si ergo nomine materiæ intelligit hæcceitatem, sensus est: ideo Deus est vnus numero, & non plures, quia non habet hæcceitates, seu differentias indiuiduales: Sed hoc ipsum est probandum, quia de hoc est difficultas, quare non sint in Deo plures differentiæ indiuiduales: ergo petit principium. Et secundò confirmatur, quia Philosophus probat non habere Deum materiã, quia est actus, seu forma pura, & incorporea; ergo id intelligit per materiam, per cuius carentiam redditur Deus incorporeus, seu spiritualis, & forma pura: sed non redditur spiritualis, & incorporeus per carentiam hæcceitatis; nam per carentiam huius, dicitur aliquid vniuersale, non incorporeum, vel spiritualem, neq; actus purus: ergo Philosophus loquitur de vera materia substantiali, per cuius carentiam res dicitur incorporea, & de vera potẽtialitate, per cuius carentiam dicitur actus purus, seu spiritualis.

2387 *Petes 1.* Petes primò. *An substantiæ possint se ipsis, & per proprias entitates multiplicari numero, sine ordine alicuius principij materialis?*

Resp. neg. quia sine qualibet differentia indiuiduali indiuidualiter sumpta, saluatur species.

Resp. neg. Probatur. Etenim differentiæ indiuiduales, & indiuidualiter multiplicantes taliter se habẽt, quod sine qualibet illius determinatè sumpta, saluatur species, seu quidditas specifica alicuius substantiæ, & tamen ipsa diuisio, & multiplicatio substantialis est, sicut Petrus, & Paulus differunt tãquam duæ substantiæ realiter distinctæ, & tamen non specificè diuersę: ergo oportet pro principio, & radice huius distinctionis, accipere aliquid, quód in se substantiale sit, diuidatq; substantias realiter: & tamen eius diuisio materialiter, & per accidens se habet ad speciem, ita vt sine tali multiplicatione, & diuisione in qolibet indiuiduo, possit saluari specifica natura, nec requiratur quodlibet determinatũ indiuiduum in quantùm tale ad saluandam rationem specificam: atq; adeò non sit differentia indiuidualis constitutiua diuersę naturę: sed eiusdem multiplicatiua materialiter, & non quantũ ad speciẽ.

2388 *In quo distinguuntur differentię indiuiduales à specificis.*

In hoc enim distinguũtur differentię indiuiduales à specificis, quòd, & si possit sine qualibet illarum saluari genus, & quantùm ad hoc dicuntur generi accidere, tamen constituunt intrinsecè quidditatẽ, & naturam specificam in ratione quidditatis, & naturæ, tanquam vltimæ differentiæ essentiales, faciẽtes formaliter, & quiddatiuè differre naturã, ideoq; debent prouenire ab ipsa entitate rei, secundùm rationem aliquam formalem, vt formalis est: indiuiduales autem differentiæ, si multiplicantur in aliqua natura, oportet, quòd ita conueniant entitati, quod entitatiuè quidem, & substantialiter illam diuidant, & multiplicent, non tamen constituant naturam in ipsa ratione quiddatiua, & formali, quia differentia speciei atomę est vltima in genere quidditatiuo, & essentiali, cuius manifestum signum est quia duo indiuidua nõ differunt quidditatiuè, & essentialiter, licèt diuersę substantię sint: ergo necesse est, quòd faciant differentiam materialem in ipso genere substantiæ.

2389 *Indiuidua in natura specifica habent se, sicut partes integrantes in vno supposito.*

Vndè in natura specifica habent se indiuidua sicut partes integrales in vno supposito, quę sunt quidem substantiales, tamen multiplicatio earum non requiritur per se ad ipsam quidditatem totius: & ideo diuersa indiuiduant resultant per diuisionem partium integralium, quód est signum ita multiplicari indiuidua, & diuidere ipsam naturam specificã, sicut partes integrales se habent ad ipsã substantiã totius, & sicut partes integrales non multiplicantur sine materia, ita neq; indiuidua sine diuisione materiali. Malè ergo dicitur, quòd quælibet entitas se ipsa indiuiduatur, & multiplicetur, non assignando aliud principiũ pro multiplicatione, quã ipsam entitatem secundùm se, quia entitate, & datur principium constituendi, ac distinguendi formaliter, seu specificè ab alijs speciebus, & datur principium multiplicandi substantiam sine distinctione, & diuisione specifica. Et hæc duplex distinctio non potest ab eisdem principijs prouenire, quia principia constitutiua speciei, quæ nos dicimus formalia, quia forma est, quę dat speciem rei, ita distinguunt substantiã, quod diuidunt quidditatẽ specificè, entitatiuè. At verò principia indiuidualia ita multiplicandi substantiam, quod non distinguunt quidditatiuè, & specificè ipsam naturam, neq; formam in ratione, & officio formæ, quod est dare speciem; sed solùm diuidunt naturam materialiter: ergo debent tales differentiæ indiuiduales sumi penes principia materialia, seu ordinem ad materiam, non per formam, secundùm quod exercet officium formæ, & specificationis.

Distinctio specifica, & indiuidualis non potest ab eodẽ principio formaliter prouenire.

2390 *Petes 2.* Petes secundò. *Quomodo hic discursus possit applicari substantiæ Angelicæ.*

Resp. applicatur Angelis, ostendẽdo quòd principia multiplicationis indiuidualis illis repugnet.

Resp. Hic discursus applicatur speciebus Angelicis, ostendendo, quód principia multiplicationis indiuidualis illis repugnent, quia principium indiuidualis multiplicationis non potest esse sola entitas rei considerata secundùm se: sed iuxta munus, & officium, quod facit diuisio indiuidualis, vt distinguitur à diuisione specifica, quia videlicèt, ita diuidit substantiam substantialiter, quòd non formaliter, & quidditatiuè, seu specificè ergo non sufficit ad hoc forma, seu principium formale, vt exerceat munus, & officium formæ, quod est specificare, & formaliter constituere, ac distinguere: sed debet esse entitas, seu forma, vt non exercet officium formæ: sed per ordinem ad materiam, vel ratione alicuius materialis principij distinguitur: Diuisio enim materiæ sic distinguit substantiam, quòd non diuidit speciem specificè. Sed natura Angelica non solùm excludit materiam, & principia materialia substantialia à sua compositione: Sed etiam à sua connotatione, quia neq; componitur ex materia, nec est forma receptibilis in illa, aut dicens aliquem ordinem ad illa, quia quicumq; ordo ad materiam, est tanquam ad recipientem: ergo debet esse ordo alicuius rei receptibilis: ergo formæ omnino irreceptibiles, sicut sunt Angeli, carent omni ordine ad materiam: ergo carent omni principio multiplicandi materialiter substantiam, & non specificè: quia remoto omni ordine ad materiam, solùm restat forma in ratione, & officio formæ, hoc est in ratione specificandi, & formalizandi: hoc enim est munus formæ, scilicèt dare speciem rei. ergo non potest intelligi, quòd forma sub hoc respectu, & consideratione formæ, & sine vllo ordine ad materiale principiũ diuidatur, & non specificè, & formaliter.

2391 *Angeli excludunt materiã, & à sua constitutione, & à sua connotatione.*

2392 *Petes 3.* Petes Tertiò. *An ab eadem entitate totali, secundùm eundem respectum, & ordinem, sumatur ratio generis, speciei, & indiuidui?*

Resp. ab eadem entitate sumi rationem generis, speciei, & indiuidui; sed non ab eadem formaliter.

Resp. Verum esse, quòd ab eadem entitate, totali sumitur ratio generis, speciei, & indiuidui: sed non secundùm eundem respectum, & ordinem, nec secundùm easdem formalitates, vel conditiones, quia ad hoc, vt sit principium gradus generici, vel specifici, sufficit forma secundùm officium formæ, seu formalem rationem magis, vel minùs contractè, seu determinatè accepta: atq; adeò secundùm statum magis potentialem, & indifferentem, quód pertinet ad rationem generis, vel magis determinatum, & actualem, quód pertinet ad rationem speciei, quia tam genus, quàm species constituunt, ac diuidunt quidditatiuè, eorumq; variatio, additio, vel multiplicatio variat essentiam quidditatiue. Ad gradum verò indiuidualem requiritur forma, non secundùm officium formæ, qui est modus constituendi formaliter specificè: sic enim repugnat, quòd multiplicatio formæ, secundùm hoc munus, est officium formæ, possit esse radix, & principium, seu ratio distinguendi aliquam substantiam, non formaliter, & specificè, sed substantialiter, & indiuidualiter, cùm sub ista formalitate, & consideratione forma solùm exerceat illud, quod est formæ, & specificationis.

2393 *Forma, quando*

Oportet ergo, quòd si forma indiuiduaturi extrahatur

individuatur extrahitur à formalitate formalizandi.

hatur ab ista consideratione formalizandi, & specificandi, quod est proprium munus formæ, & accipiatur secundùm ordinem ad materiam, vel secundùm conditiones diuisibilitatis substantialis, penes principia materialia, eo quòd principium, seu ratio multiplicationis indiuidualis intrinsece, & per se requirit illas duas conditiones, scilicet; quòd sit ratio multiplicandi substantialiter, & non formaliter, seu specifice, quod solùm inuenitur in principio substantiali materiali, quatenùs est capax plurium partium, quæ in eodem toto coniunctæ, integrant ipsum substantialiter, & tamen sine aliqua illorũ, potest saluari natura illa, vt homo sine brachio, vel sine manu: diuersæ autem constituunt diuersa indiuidua, seu supposita, quæ essentialem quidditaté speciei non variant, licèt substantialiter multiplicent: quare illæ naturæ, quæ puræ formæ sunt, ita quod omni ordine ad materiam carent, carent etiam omni principio multiplicandi indiuiduationem, & per hoc solùm, quòd sunt irreceptibiles, & incommunicabiles in se vnicam suam indiuiduationem accipiunt.

2394 *Confirmatur. quia multiplicatio indiuidualis in eadem specie exigit radicem multiplicationis in natura.*

Confirmatur; quia multiplicatio per varia indiuidua eiusdem speciei exigit præter entitatem indiuidualem, principium aliquod, & radicem in natura, ratione cuius fit multiplicabilis in substãtia, & non in specie. Itaque in natura Angelica indiuiduatio datur; sed vnica, non multiplicata, & hæc indiuiduatio sumitur ab eadem entitate, seu forma, quatenùs irreceptibilis est; & incommunicabilis alicui materiæ, quia forma completa est, & subsistens. Et sic ex eodem principio formali, non quatenùs multiplicabilis est formaliter; sed quatenùs incommunicabilis, & irreceptibilis est, in se redditur vltimatè indiuiduatus. Cæterùm multiplicatio indiuiduationis nõ posset habere pro principio id, quod est ratio formalis specificationis; sed sub diuersis respectibus, & considerationibus, entitas aliqua est multiplicabilis specificé, & numericé. Itaque aliud est dicere in eodem indiuiduo, seu subiecto, sumitur ab eadem entitate gradus specificus, & indiuidualis, aliud verò, quod ab eodem principio, sumatur multiplicatio indiuidualis, & specifica. Hoc secundum est manifesta implicatio, & non potest verificari in aliqua natura, siue spirituali, siue corporea, cùm petant oppositas cõditiones isti duo modi multiplicandi. Primum etiam in Angelis inuenitur: Sed, quia ille gradus indiuidualis sumitur à forma, vt irreceptibilis, & incommunicabilis est materiæ, & ista incommunicabilitas non est alicuius rei habentis partes materiæ, quarum diuisio non multiplicat specificam naturam, sed alicuius formæ omnino separatæ, quæ, si diuiditur, & formaliter, & multiplicabitur: inde est, quòd principium indiuiduationis in Angelo caret omni ratione multiplicationis in indiuiduo, licèt in se indiuiduum sit.

2395 *Petes 4.*

Petes quartò. ***An plures hæcceitates possint conuenire de possibili eidem speciei Angelicæ?***

Resp. Neg. Prob. quia plures hecceitates non possunt conuenire alicui naturę, nisi ratione alicuius principij indiuidualis.

Respondeo negatiuè. Prob. quia diuersæ hæcceitates non sunt aliud, quàm plures indiuiduationes, seu plures differentiæ indiuiduales substantiales: istæ autem non possunt conuenire alicui naturæ, nisi ratione alicuius principij, ex quo habeant multiplicari, & conuenire tali naturæ, sicut differentiæ specificæ, & genericæ, ex aliquo principio sumuntur. Non est ergo dubium, quin, si plures hæcceitate conuenirent alicui naturę, & inuenirentur in Angelo, multiplicarentur numericè; hoc enim non aliud est, quam dicere, quod, si haberet plures indiuiduationes, seu plures differentias indiuiduales multiplicaretur indiuidualiter. Sed quia argumentum non ostendit, quod tale principium detur in Angelo, ideò negamus suppositum, nempe quod dentur plures hecceitates, aut dari possint, supposito, quod non habet principium, vndè illæ resultent: sicut si homo haberet hinnibilitatem, esset sicut equus, & si haberet alas, esset auis, tamen habere, illa repugnat sibi; & si in eodem Angelo essent plures differentiæ specificæ, idem Angelus differret specie: sed est impossibile, quod idem Angelus id habeat. Sic hæcceitates purificatæ repugnant Angelo, quas tamen si haberet, plurificaretur.

2396 *Petes 5.*

Petes quinto. ***An sicut substantia Angeli est capax plurium accidentium, numero distinctorum, vt sunt plures actus intellectus &c. Ita sit capax plurium accidentium ipsam numericè diuidentium?***

Resp. substantiã Angelicam non esse capacem plurium accidẽtium diuidentium illam subiectiuè.

Respond. Substantiam Angelicam esse capacem diuersorum accidentium, siue specie, siue numero distinctorum, pertinentium ad idem subiectum, non tamen diuidentium illud, & indiuidualiter multiplicantium: non enim accidentia, seu proprietates indiuiduales sunt principia multiplicandi indiuidua, siquidem multiplicatio indiuidualis substantialis est, & non potest pro principio, & radice habere accidentia: sed illæ accidentales proprietates sunt effectus consequi, vel conditiones requisitæ ad indiuiduationem, vndè præsupponunt principium substantiale, quod habet capacitatem, & radicem distinguendi substantiam entitatiuè, & non specifice, quod non conuenit formali principio, vt formale est, nec substantiæ ipsi, vt materiale susceptiuum est accidentium, nisi aliquid amplius habeat, scilicet partes, quę per talia accidentia signari, & diuidi possunt, sicut materia prima habet partes diuisibiles: & sic quantitate signari possunt. Et ex talibus partibus sic diuisis resultare possunt diuersa illa accidentia, & proprietates indiuiduales, ita quod tota substantialis distinctio indiuiduorum reducatur per se ad diuersum principium substantiale: accidentia autem, & proprietates etiam, quibus designatur illa indiuiduatio solùm se habent, vt conditiones requisitæ, vel conditiones ad talem indiuiduationem, vel multiplicationem.

2397 *Accidentia in Angeli substantia non supponunt capacitatem, vt illam diuidant.*

Vndè cùm in Angelis proprietates illæ, seu accidentia non supponant in substantia habilitatem, seu capacitatem, vt diuidi possint entitatiuè materialiter, & non formaliter specificé, consequenter plurium accidentium receptio non est signatura, & diuisio plurium indiuiduorum substantialiter: nec enim quælibet receptio diuersorum accidentium constituit, aut designat diuersa indiuidua substantialia, cùm constet idem subiectum, sine vlla diuisione sui, susceptiuum esse plurium accidentium. Ita ergo pluralitas præcisè ex eo, quod recipiatur in substantia, non importat, neque facit distinctionem, & multiplicationem indiuidualem, nisi addatur principium materiale, quod sit partiale substantialiter, & tunc diuersa accidentia, seu proprietates designabunt, non constituent illa plura indiuidua.

2398 *Petes 6.*

Petes sexto. ***An substantia Angeli sit capax plurium personalitatum succedentium in eadem natura, respectu eiusdem indiuidui, non verò diuersorum? Ex quo arguatur multiplicatio numerica.***

Resp. affirm. Nec talis multiplicatio arguit multiplicationem indiuidualem.

Respond. affirmatiuè. Itaque eadem substantia, seu natura indiuidualis habet in se principium habendi subsistentiam, tanquam terminum, taliter, quod, si ille terminus tollatur, resultat alius pertinens ad idem indiuiduum, quia nascitur ab eisdem principijs indiuidualibus. Vndè talis multiplicatio subsistentiarum non infert multiplicationem indiuiduorum, quia sunt subsistentiæ eiusdem indiuiduationis, quarum vna subrogatur in locum alterius, vt pertinens ad idem indiuiduum, sicut resultat frigus in aqua, tanquam pertinens ad eandem aquam, & ab eadem linea, si auferretur punctus terminans, resultaret alius: Vnde talis Angelus a quo plures resultarent personalitates, seu subsistentiæ, non esset diuersa persona; sed eadem, quia illæ plures personalitates non constituunt diuer-

sæ in officio constituendi personam, licet entitatiuè diuersę sint, quia succedunt, & oriuntur ex eisdem principijs indiuidualibus. Subsistentiæ autem, quæ constituerent diuersas personas, etiã multiplicarent diuersa indiuidua, quia orientur ex diuersis principijs indiuidualibus. Et talis multiplicatio subsistentiarum cum respectu ad diuersa principia indiuidualia, vt continentes diuersas personas repugnant Angelo.

2399 *Diuersæ subsistentiæ, non constituentes diuersas personas, non repugnant eiusdem Angelo.*

Diuersæ autem subsistentię cum respectu ad eadem principia indiuidualia, & non constituentes diuersas personas: sed sibi succedentes in officio, & munere constituendi eandem personam, non repugnant Angelo, quia sic pertinent ad idem indiuiduum. Et ex eadem ratione apparet, quod subsistentia, vt subsistentia, non multiplicat indiuidua, quia non est principium indiuiduationis: sed terminus. Vnde nisi supponat diuersum principium indiuiduandi, per se solùm non multiplicat indiuidua: Et sic videmus, quod eadem subsistentia diuina potest plures naturas specie, aut numero diuersas assumere, nec tamen facit vnam indiuiduam naturam ex omnibus illis, & e conuerso plures subsistentiæ eandem naturam possunt assumere, nec tamen plurificant illam: ergo ex subsistentijs non sumitur multiplicatio indiuiduorum.

2400 *Soluitur fundamentum Durãdi probantis multiplicationem numericã Angelorum.*

Ex eadem doctrina soluitur fundamentum Durandi in 2. dist. 3. quæst. 3. probantis posse Deum multiplicare Angelos, quia potest multiplicare actiones annichilando modo Angelum, & posteà producendo: Sed dico, quod illa multiplicatio est circa eundem Angelum producendum, & reproducendum, non circa distinctos numeraliter diuersos, sicut circa idem numero corpus Christi versatur actio generatiua in Incarnatione, & transubstantiatiua in Eucharistia. De existẽtia vero dicimus, quod illa non resultat ex proprijs principijs naturæ: sed à Deo datur, & recipitur in natura: & ideò hęc multiplicari potest toties, quoties Deus voluerit annichilare, & reproducere eundem numero Angelum. Non tamen multiplicatio existentiarum multiplicat indiuidua; sed supponit ex principijs substantialibus multiplicata, si talis multiplicatio possibilis est.

2401 *Petes 7.*

Petes septimò. *An ex eo, quòd in Angelo reperiatur vera indiuiduatio sine materia: rectè deducatur, materiam non esse principium multiplicationis indiuidualis?*

Resp. neg. quia indiuiduatio sine multiplicatione naturæ non exigit materiam.

Resp. negatiuè. Quia indiuiduatio sine multiplicatione naturæ non exigit materiam, neque materiale principium, neque ordinem ad illud: sed sufficit formam ipsam esse completam, & irreceptibilem, seu non dicere ordinem ad aliquid in quo recipiatur: sed in se manere: hoc enim ipso habet in se vim indiuiduandi, quia habet vim constituẽdi gradum vlteriùs incommunicabilem: & sic solùm prædicabilem de vno, quod est ipsamet ratio indiuiduationis: quod totum patet in Deo, qui habet indiuiduationem, & singularitatem sine aliqua materia, vel ordine ad illam, & sine aliqua capacitate multiplicationis. At verò ad indiuiduationem multiplicabilem numericè non sufficit incõmunicabilitas naturæ, & formæ: sed requiritur materia diuisibilis, seu ordo ad illam, quia requiritur principium fundans diuisionem substantię sine diuisione, & distinctione speciei formali. Tale autem principium non est sola incommunicabilitas formæ: sed debet esse aliqua substantia, seu principium substantiale diuisibile tali modo. Forma autem, si incommunicabilis est, non est diuisibilis in quantùm incommunicabilis: & sic non est diuisibilis materialiter. Solùm ergo erit diuisibilis in vi formæ, & modo formali, quod est specificè esse diuisibilem.

2402 *Remota materia, & omni ordine ad materiam, manet remotum omne principium*

Remota ergo materia, & omni ordine ad materiam manet remotum omne principium diuisionis numeralis, non specificæ, & consequenter non dabitur in Angelo principium talis multiplicationis indiuidualis, licet detur principium indiuiduandi sine materia. Quare in rebus corporeis nõ ideo materia est principium multiplicationis, quia est principium indiuiduationis quomodocumque, sed quia est principium indiuiduationis, & diuisibilitatis materialis, quæ est diuisibilitas substantialis sine diuisione, & distinctione formali. Indiuiduatio enim absolute sufficienter fit per principium incommunicabilitatis in aliqua substantia etiamsi sit in ipsa forma, quia hoc ipso, quod est incommunicabilis, constituit gradum indiuiduum. Multiplicatio autem plus petit, quàm incommunicabilitatem, scilicet diuisionem tali modo factam.

multiplicationis principium.

2403 *Petes 8.*

Petes octauo. *Quomodo anima rationalis indiuiduetur per ordinem ad materiam: cùm indiuiduatio non conueniat substantiæ per ordinem ad alterum, sed per ordinem ad se?*

Resp. hoc esse, quia ordo formæ ad materiã est transcendẽtalis.

Resp. Hoc ita esse, quia ordo formæ ad materiã non est relatio prędicamentalis: sed transcendentalis, pertinetque ad ipsum genus substantiæ incompletæ: & licet substantia dicatur ad se, tamen substantia incompleta, & partialis non est purè ad se, completè, & determinatiuè, sicut substantia completa: sed dicit ordinem ad aliam partem, & totum, etiamsi substantialis pars sit. Vnde anima, quæ est substantia incompleta, ipsa sua natura substantiali non est omnino ad se: sed ad alterũ, cui coaptatur, & coordinatur, non vt relatio prædicamentalis: sed vt pars, & ideo potest indiuiduari per ordinem ad corpus, cuius est forma substantialis, & consequenter multiplicata materia, multiplicabitur etiam anima, in quantùm forma illius est, quod totum non currit in Angelo.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Angeli sint incorruptibiles?

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Angeli secundùm suam naturã sunt incorruptibiles; Prob. Omnis corruptio fit per hoc, quod forma separatur à materia; hoc autem non potest fieri in forma subsistente. ergo. 2. Prob. à forma non potest separari esse, quia formæ conuenit esse per se, & non per aliud. Sed Angeli sunt subsistentes formæ, ergo. 3. Prob. species, & ratio operationis ex obiecto comprahenditur; & operatio rei indicat modum essendi rei, cùm vnumquodque operetur inquantum est actu. Sed substantię Angelicę operatio est supra tempus, cùm sit intelligere. ergo.

Arg. 1. ex D. Damasc. Angelus est substantia immortalis gratia, & non natura. ergo. Respond. dist. Antec. & loquendo de immortalitate perfecta, conced. hæc .n. dicit omnimodam immutabilitatem. Loquendo verò de imperfecta, quæ secum compatitur aliquam mutabilitatem accidẽtalem, negatur. hanc enim habet Angelus à natura.

Arg. 2. ex Plat. in Tym. vbi dicit: ò Dij Deorum, opera dissolubibilia natura, hi autem Dij sunt Angeli. ergo. Resp. quod Plato per Deos non intelligit Angelos, sed corpora cœlestia, quę existimabat esse composita ex elementis.

Arg. 3. Quod in nihilum redigi potest, non est incorruptibile. Sed Angeli in nihilum redigi possunt. ergo. Resp. dist. mai. non est incorruptibile ab extrinseco, concedo: quia habent causam suæ necessitatis potest

test in nihilum redigi : ab intrinseco, negatur : Solùm enim sequitur, quod Angeli dependeant à Deo, non verò, quòd sint natura corruptibiles.

DISPVTATIO CCLV.

An Angeli sit ex natura sua incorruptibiles ?

2404 Concl. affirm. Probatur. *Conclusio affirm. ita D. Thom. hic, & communiter Thomistæ. Prob. Ad hoc, vt aliquid sit corruptibile natura sua, requiritur in ipso aliqua potentia passiua ad non esse, & non sufficit esse in Deo potentiam actiuam ad eius destructionem, quia tunc non esset ex natura sua. Sed nihil in creatis potest dici realis potētia passiua ad non esse præter materiam primam: ergo Angeli, qui carēt materia prima sunt ex natura sua incorruptibiles.*

Confirmatur. *Confirm. Nulla potentia, seu inclinatio est primariò ad non esse : nam cùm non esse sit malum, nequit esse obiectum primarium inclinationis naturalis, sed solùm secundariò, & quasi per accidens, inquantùm scilicet est potentia ad aliud esse distinctum ab eo, quod habet, & incompossibile cum illo. At hoc modo sola materia prima est potentia ad non esse : quia tantùm ipsa est potentia ad formam substantialem incompossibilem cum forma, qua informatur : ergo. &c.*

2405 Petes 1. *Petes 1.* An illa non repugnantia, quam habent Angeli, vt possint à Deo annihilari fundetur in aliqua potentia physica ad non essendum.

Resp. neg. Probatur. *Resp. negatiuè. Prob. Nam vt dixi qu. 25. supra. Sicut Res non dicuntur creabiles, aut producibiles ex aliqua reali, & physica potentia, quam habent ad essendum, aliàs haberent potentiam realem ad essendū antequam essent; sed denominantur tales ex non repugnantia terminorum, & ex potentia extrinseca actiua Dei. Eodem modo philosophandum est de annihilatione Angelorum, quòd illi non habent potentiā physicam, & naturalem ratione cuius sint annihilabiles, sed dicuntur tales ex absoluta Omnipotentia Dei, & ex habitudine terminorum, quia non implicat Deū, qui suo liberoat b. conseruat omnia, subtrahere illum, quo sublato Angelus annihilatur.*

Confirmatur. *Confirm. Angelus dicit ordinem ad esse omninò indefectibile ex natura sua, idest, cui esset debitum, vt non deficiat ex suppositione, quod semel produceretur : ergo Angelus ex natura non habet potentiam passiuā ad esse non omninò indefectibile : Sicut, vt calor esset ex natura sua non calefactiuus, non sat est, vt aliquando per subtractionem diuini concursus, aut propter aliud impedimentum extrinsecum non calefaceret, sed requireretur, quòd esset ei debitum non calefacere: Angelo autem ex suppositione, quòd semper producitur, debitum est, quòd semper sit.*

2406 Ratio. *Ratio huius debiti est aperta. Tum quia eius esse mensuratur Aeuo, quod à parte post est incorruptibile, vt tom. 1. q. 10 cum D. Thom. ostendimus. Tum, quia vel Angelus respicit suum esse, vt expletiuum appetitus, quem habet quoad omnia sua substantialia ad essendum; vel non. Si primum, tunc prædictum esse erit talis conditionis, vt sit ei debitum, vt semper sit, aliàs non esset expletiuum appetitus, quo ad omnia substantialea ad essendum: Si autem non sit expletiuum appetitus quo ad omnia substantialia, quæ illi rei competunt, necesse est, vt ille appetitus sit potentia passiua ad aliud, & esse aliud substantiale adhoc, vt expleatur, quod est proprium materiæ primæ.*

2407 Petes 3. *Petes 2.* An ex eo, quòd Angelus habeat esse per se subsistens, neque propria, neque impropria corruptione : seu neque per se, neque per accidens sit corruptibilis ex natura sua.

Resp. affirm. *Respond. affirm. Quod non sit corruptibile propria corruptione per accidens, seu ad corruptionem alterius,* Prob. *Quia eo modo, quo res habet esse, potest generari, & corrumpi. Et ideò forma per se existens, vel corrumpi nequit, vel per se corrumpitur. Neque enim talis forma est corruptibilis propria corruptione terminata ad ipsam per se. Nam cum careat materia, neque esse est per se separabile ab essentia, neque forma tribuens tale esse est separabilis, cùm sit per se subsistens. Quòd verò nulla forma per se subsistens sit ex natura sua corruptibilis propria annihilatione, patet. Nam, vt docet* D. Thom. *infra quæst. 104. Annihilatio est actio miraculosa, ac proinde ēnaturaliter loquendo nulla res per annihilationē desinet.*

Dices. De qualibet re creata existere prædicatur per accidens; nam non est de essentia alicuius formæ creatæ, nec fluit ab illa, vt passio, ex eo, quòd nulla res creata est sufficiens sibi causa, vt sit. 2408 Instabis.

Resp. aliquid conuenire alicui per se stat dupliciter, scilicet vel per se simpliciter, vel per se physicè. Ille prior modus conueniendi per se, competit ex habitudine terminorum, sicut quinario per se competit esse imparem : vnde ità necessariò competit, vt non supponat aliquid non necessarium, nec posset res cui conuenit, esse sub opposito eius, quod illi conuenire dicitur, vt in exemplo allato quinarij cernitur, & hoc modo existere *per se conuenit Deo. Posterior verò modus conueniendi per se physicè, non competit ex habitudine terminorum, sed aliquid non necessarium supponit: & propterea res potest esse sub opposito eius, quòd ei per se conuenire dicitur; quamuis facta illa suppositione non necessaria, tunc id, quod hoc modo per se competit, debeat necessariè necessitate naturalis cursus conuenire. Et hoc pacto supposita libera productione Angeli à Deo, existere per se conuenit Angelo, & propterea loquendo de prima perseitate, dicunt Patres, & Scriptura, quod solus Deus est immortalis, & incorruptibilis, Angeli verò, quia habent incorruptibilitatem à Deo, dicuntur incorruptibiles ex gratia scil. ex dono gratuito creationis.* Respondetur.

2409 Petes 4. *Petes 3.* An Angeli sint corruptibiles, vel incorruptibiles respectù diuinæ potentiæ ?

Respondetur *Resp. cum distinctione, aut enim intelligitur de diuina potentia absoluta, vel de ordinaria. Sed de absoluta fatendum est natura sua non esse incorruptibiles; scilicet nihil in se habere ratione cuius eis repugnet à Deo destrui de potentia absoluta, quod sanè verum est. Cæterum ex hoc non licèt inferre Angelos esse ex natura sua corruptibiles; Sed solùm deducitur eos non habere ex natura sua incorruptibilitatem, cum hoc addito, nempè* respectu Omnipotentiæ absolutæ Dei. *Quia ad primum necessarium esset, illos habere in seipsis intrinsecè principium corruptionis, ratione cuius supposita creatione non esset debita perpetua conseruatio in esse, quod est falsum. ad secundum satis est, non habere repugnātiam, vt annihilentur prout clauduntur sub absoluta Dei omnipotentia, & dicuntur incorruptibiles sine repugnantia ad non essendum; Deus verò cum omnimoda repugnantia. Si autem interrogatio intelligatur secundo modo nimirum de potentia ordinaria, dicendum est Angelos ex natura sua esse incorruptibiles, quia quæ facturus est Deus secundùm ordinem naturalem in rebus inditum, considerari possunt ex ipsis rerum naturis, hoc est, ex eo, quod est conueniens, & consentaneum naturis earum : creaturarū autem naturæ hoc demonstrant, vt nulla earum in nihilum redigatur, quia vel sunt immateriales, & sic in eis non est potentia ad non esse; vel sunt materiales, & sic saltem remanent semper secundùm materiam, quæ incorruptibilis est.*

DVBIVM VNICVM.

An Angeli ex eo, quòd sint annihilabiles à Deo, sint dicendi absolutè, & simpliciter incorruptibiles.

Respond. affirmat. Ita D. Thom. hic, & communiter Thomistæ contra Vasq. hic disp. 182. cap. 2. Probatur, quia tunc aliquid habetur per gratiam, vt distinguitur à natura, quādo est supra principia ipsius naturæ, & supra exigentiā ipsius naturæ, licet etiam ipsa natura creata sit quoddam beneficium libere collatum à Deo, quod tamen simpliciter non dicitur gratia, quia licet totum, quod natura ex Dei participatione, & deriuationeēt, quia ipsamet 2410 *Concl. affirm. Prob. quia incorruptibilitas in Angelo non est supra principia naturæ licèt ipsa natura sit quoddā beneficio.*

met

met voluntas Dei dat quibusdam naturis necessitatem, & exigentiam alicuius rei, a ijs verò contingentiam, non dicitur facere gratiam, & beneficium condistinctum à natura in eo, quod ei datur iuxta exigentiam, & necessitatem talis naturæ, sicut non est gratia, quod Sol oriatur, & illuminet, vel quòd ignis calefaciat, quia licèt totum hoc ex libera Dei emanatione dependeat, tamen quia fit iuxta exigentiam, & proportionem naturæ, non dicitur fieri ex gratia superaddita naturæ. Tunc autem dicitur Deus prębere necessitatem naturæ, & non ex gratia superaddita aliquid illi conferre, quando facit naturam sine potentia, vel inclinatione ad oppositũ: sed solùm cum ordine ad vnum, licet hoc vnum Deus ipse possit tollere, si velit: Sed quod non tollat, non est gratia superaddita materię: sed in ipsamet naturæ largitione continetur, quæ solùm generalissimo modo dicitur gratia, non gratia, vt distinguitur à natura, de qua solùm loquimur in præsenti, quando disputamus vtrùm Angeli sint incorruptibiles per naturam, vel per gratiam, id est per gratiam, vt condistinctam à natura, & superadditã illi.

2411 *Petes 1.*

Petes primò. ***An concursus Dei conseruantis incorruptibilitatem Angeli sit gratia simpliciter, an verò gratia creationis, sicut concursus ignis ad calefaciendum?***

Resp. esse gratiam creationis, quia igni nõ dicitur fieri gratia per hoc, quod detur sibi concursus ad calefaciendum

Respondendũ, nõ esse gratiam simpliciter; sed debitum naturæ, ac proinde gratiam creationis. Probatur. quia Igni, vel Soli non dicitur fieri gratia per hoc, quod detur sibi concursus ad calefaciẽdum, vel illuminandum, quia hoc est debitum naturæ ex vi suæ primæ creationis, licet liberè conferatur a Deo, etiam supposita creatione: Sed hoc totum pertinet ad gratiam creationis, quæ non est simpliciter gratia, quia non est distincta, & superaddita naturæ: & sic non appellatur à Patribus simpliciter gratia: sed gratia creationis. Sed supposita creatione Angeli, & aliarum rerum incorruptibilium, similiter non requiritur gratia superaddita naturę, vt conseruatur in esse magis, quàm requiratur concursus ignis ad comburendum: sed sufficit gratia indistincta à collatione naturę, & primæ creationis: ergo Angeli non sunt per gratiam incorruptibiles: sed per naturam, licet à Dei voluntate productam, sicut ignis non est calefactiuus per gratiam: id esset magnum absurdum) sed per naturam, licet totum hoc ex libero Dei concursu, & beneficio pendeat. Nobis autem sufficit contra Vasq. probare, quòd Angelus ita sit incorruptibilis per naturam, & non per gratiam, sicut ignis est calefactiuus per naturam, & non per gratiam.

2412 *Prima creatio Angeli nõ fuit gratia superaddita naturę.*

Minor probatur, quia prima creatio Angeli non fuit gratia superaddita naturæ; sed fuit solùm gratia creationis, qua producta est natura. Conseruatio autem in esse non est aliud, quàm continuatio primæ creationis: ergo non est alia gratia, & beneficium à gratia creationis: continuatio enim ista non fit contra aliquam naturam, seu formam, quę petat non continuari talem gratiam primę creationis, nec contra potentiam aliquam, quę sit in ipsa natura Angeli ad oppositum: sed iuxta inclinationem ipsius naturę ad suum esse, quia non est minor, quàm ad suum operari: sed multò intimior, quia vnaquæque res naturaliter inclinatur ad conseruandum suum esse, multo magis, quàm ad operari, quia operari sequitur esse. Sed ignis habet ex vi suę primę creationis inclinationem naturalem ad suum operari: & ideo concursus ei debitus ad calefaciendum non est gratia superaddita naturę, & dono creationis: ergo, si inclinatio naturę Angeli ad suum esse, quod habet à Deo, non est minor, quàm inclinatio ignis ad suum operari, quod etiam habet ex concursu Dei, cur dicemus non esse istam conseruationem naturalem, & non ex gratia superaddita naturę, sicut illa operatio ignis, & concursus ad illam est naturalis, & non gratuitus?

Et in hoc sensu loquuntur Patres, nempe de gratia largè accepta, quando dicunt res omnes, etiã Angelos per gratiam Dei conseruari, & permanere in esse, id est ex voluntate Dei per quam sunt omnia iuxta illud Apoc. 4. *Tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Non autem loquuntur de gratia distincta à dono creationis, cùm re vera per donum creationis acceperint esse, & id, quod naturæ est, non aliquid superadditũ naturæ. Et licèt donum creationis non vocetur à Patribus simpliciter gratia, quando agunt de gratia ad salutem requisitam contra Pelagium, tamen quando non agunt contra ipsum; sed de eo, quod est in re, simpliciter vocant. 2413

In quo sensu loquuntur Patres quando dicunt Angelos Dei gratia conseruari.

2414 *Petes 2.*

Petes secundò. ***An Angeli ex natura sua potentia actiua, vel passiua petant durationem crastinam, an ex gratia.***

Resp. Angelum propriè loquẽdo, non habere durationẽ crastinam, neque hesternam.

Resp. Angelum non habere durationem crastinam, neque hesternam propriè loquendo, quia nõ mensuratur præterito, & futuro, quod pertinet ad tempus: sed æuo, quod est supra tempus, & non habet præteritum, neque futurum: & sic iuxta naturam suam, supposita creatione, petit hanc durationem continuatam, & perseuerantem per modũ æui, non potentia actiua, qua se conseruet in esse; sed potentia passiua, qua recipit conseruationem. Et cùm instatur, quòd Angelus existens non recipit conseruationem crastinam, quia non est distincta ab existentia, & conseruatione hodierna. Respondetur, quòd non recipit illam de nouo; sed recipit continuationem eius, & ad istam continuationem inclinatur ex natura sua, sicuti quælibet res inclinatur ad sui conseruationem, quæ non est inclinatio ad recipiendum de nouo; sed ad continuandum esse, iam receptum, & ad non habendum contrarium. Inclinatio autem naturalis non solùm est ad recipiendum aliquid de nouo; sed etiam ad quiescendum in recepto, sicut res, quæ acquisiuit suum finem, quiescit in illo. Et D. Th. supra quæst. 19. artic. 1. dicit. ***Quòd qualibet res hanc habet habitudinem ad suam formam naturalem, vt quando non habet ipsam, tendat in eam, & quando habet, quiescat in ea.***

2415 *Deus non infert violentiã Angelo per anihilationẽ, nec cuicumque rei naturali.*

Nec tamen Deus violentiam inferret Angelo per anichilationem, nec cuicumque rei naturali tollẽdo ab illa esse, quia Deo, vt primo principio omnia obediunt, & nihil illi resistit, siuè efficiendo, siuè tollendo ab eis; & sic propriè non fit violentia à Deo, quia licèt faciat cõtra inclinationẽ propriã naturalẽ, non tamen contra vniuersalẽ naturę ad obediẽdum creatori, quando operatur, vt primum principium omnium, sicut nec aquæ, fit violentia ascendendo ad replendum vacuum, licèt sit contra inclinationem particularem eius, quia in hoc seruit vniuersali bono naturæ, ad quod magis inclinatur; & quandiu fit aliquid iuxta inclinationem, saltem vniuersalem non fit violentia.

QVÆSTIO LI. D.Th.

De comparatione Angelorum ad corpora.

ARTICVLVS PRIMVS:

Vtrum Angeli habeant corpora naturaliter sibi vnita.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COnclusio. Angeli non habent corpora sibi naturaliter vnita. Prob. In quocumque

cumque genere inuenitur aliquod imperfectum, oportet preexistere aliquod perfectũ in genere illo. Sed in natura intellectualī inuenitur aliquod imperfectum, scil. animæ nostræ existentes in potentia in genere intelligibilium, propterea habent corpora sibi naturaliter vnita, ergo, in eodem genere debent dari substantię perfectè, quas Angelos dicimus, quę non sint corporibus naturaliter vnitę.

Arg. 1. Ex Origene, Bernardo, & Aug. asserentibus, Angelos habere corpora naturaliter vnita. Resp. Origenem deceptum fuisse, sequentē antiquorum Philosophorum opiniones. Verbum Bernardi, & Aug. exponitur, quod Spiritus creati indigeant corporali instrumento, non naturaliter vnito, sed ad aliquid assumpto.

Arg. 2. Omne animal rationale componitur ex anima, & corpore. Sed Angelus est animal rationale, ex Greg. ergo. Resp. neg. min. Diuus enim Gregorius nominat Angelum animal rationale, metaphoricè, propter similitudinem rationis.

Arg. 3. Perfectior est vita in Angelis, quàm in Animabus. Sed Anima habet vitam tantæ perfectionis, vt etiam viuificet corpus. ergo, Resp. dist. conseq. ergo Angelus, quia perfectior debet viuificare corpus, formaliter, neg. effectiuè, conced nam viuificare effectiuè dicit perfectionem simpliciter; quæ Deo etiam conuenit viuificare verò formaliter, solùm dicit perfectionem secundùm quid.

DISPVTATIO. CCLXVI.

An Angeli habeant corpora sibi vnita naturaliter.

2416 Explicatur sensus difficultatis.

REsp. Angelos non esse corporeos, imò neq; compositos ex materia, & formas Visus est hic articulus, vel esse superfluus, vel solùm poni ad maiorem explicationem: sed re vera non est ita, cùm hic articulus contineat difficultatem diuersam à præcedentibus. Ibi enim propriè quæsitum est, an sub nomine Angeli significetur aliqua substantia, vel omnino corporea, vel saltèm composita ex anima spirituali, & corpore, sicuti est homo, aut certè ex aliqua alia materia, & aliqua forma substantiali, & determinatum est, nihil tale esse Angelos: sed esse formas simpliciter spirituales per se subsistentes: hoc ergo posito, nunc quæritur, an posito, quòd hoc nomen, Angelus, significet hanc formam prædictam, non autem aliquod compositum, hæc tamen forma naturaliter exigit vniri alicui corpori, siue vt forma informans, siue saltem, vt forma assistens, atq; adeò, an habeant Angeli aliqua corpora, etiam completa, & perfecta naturaliter sibi vnita: quo pacto posuit Aristoteles intelligentias naturaliter Cœlo affixas, vt formas assistentes, & alij etiam, vt formas informantes: hoc ergo pacto disputat hoc loco D. Th. vt constat ex tota quæstione, vbi inuestigat modum, quo Angeli vniuntur corporibus, & in illis operantur. Vndè etiam alijs in locis distinxit hanc difficultatem à prædictis, vt quæst. de spirit. creat. & in 2. dist. 8. quæst. 1. vbi arti. 1. expressè ponit prædictam distinctionem. & secundo con. gen. cap 56. 90. & 92. & alibi.

2417 Nota. habere corpora naturaliter vnita, ly, *naturaliter*, stat dupliciter

2418 An Angelus sit forma, assistēs, vel informans

Pro solutione difficultatis sciendum est, quòd dupliciter potest intelligi, Angelos naturaliter habere corpora sibi vnita, primò vt particula illa naturaliter, idem sit, ac ex necessitate naturæ ipsorum, quia scilicet id exigat eorum natura, & ad id ex intrinseco indigentiam, & ordinationem habeat: vndè neq; naturaliter produci possit sinè tali vnione ad tale corpus, & si esset sinè illo, non esset in suo perfecto statu, & semper retineret inclinationem naturalem ad illud, vt ad suum corpus, quo pacto anima rationalis dicitur naturaliter habere corpus sibi vnitum, & esse forma corporis: secundò, itaut non repugnet posse Angelum suis viribus naturalibus vnire se alicui corpori, tanquam motorem, & formam assistentem, & in illo, & per illud aliquid operari, licèt non possit illud informare, & quidem in primo sensu quærit hoc loc. D. Th.

2419 Cōclusio neg. Prob. quia nulla forma per se subsistens, vnitur naturaliter alicui materia.

Eius autem vnic conclusio hęc est. Angelos non habere vlla corpora, quibus naturaliter vniantur, neq; vt formæ informantes, neq; vt assistentes, quod probat vnico argumento, sępè supra tacto, quòd potest in hanc formam faciliorem redigi: Nulla forma, maximè, si sit spiritualis, & per se subsistens vnitur naturaliter alicui materiæ, vel corpori primo illo modo, nisi propter indigentiam talis corporis ad suam propriā, & perfectam operationem, vt supra ostensum est: sed forma spiritualis ex sua generica ratione spiritualitatis, & immaterialitatis, non indiget corpore ad suam propriam operationem, quæ est intelligere: ergo talis forma, quantùm est ex sua ratione vniuersali, & generica non vnitur naturaliter corpori, quòd, si aliqua talis forma vniatur, vt est anima rationalis, id oritur ex eius imperfectione in genere spiritualitatis, quia existit in potentia ad recipiendas species per obiecta sensibilia. Vndè non habet in sui natura plenitudinem scientiæ, sed etiam acquirit per sensus corporeos: si ergo in genere intellectualis formæ datur aliquid imperfectum, quod est anima, propter quod naturaliter vnitur corpori; ergo omnino dari potest in eodem genere aliquid perfectius, quod non vniatur corpori, & tales formas dicimus esse Angelos: vndè constat, quomodo D. Thom. doceat accidere naturæ spirituali in genere habere corpus, sicut animali habere alas, & consequenter non conuenire omni tali naturæ, sed alicui propter imperfectionem in tali genere. Minorem autem positam in argumento probat D. Th. ex natura intellectionis, quę non est ex se actus corporis, neque virtutis corporeæ, vt dicit se dicturum infra, & aliqua etiā supra diximus, & consequenter per accidens est intellectioni, quòd in aliquo dependeat a corpore.

2420 Cōfirm. quia forma Angelica non indiget corpore in sua operatione.

Hoc ergo argumento directè, & immediatè probat. D. Th posse dari aliquas substantias spirituales, quæ non sint naturaliter vnitę corpori, quòd autem Angeli sint tales, inde infert, quia nos per Angelos, has substantias intelligimus, & posset directè idem inferri mutato argumento in hunc modum. Illa forma vnitur naturaliter corpori modo primo prædicto, quæ in sui propria, & perfecta operatione indiget corpore aliquo modo: sed formæ Angelicæ omnes prorsùs sunt tales, vt non indigeant corpore ad suam propriam operationem, quæ est intelligere; ergo nullus Angelus vnitur corpori naturaliter: vtraque autem præmissa à nobis supra probata est, quia reuera idem argumentum probat Angelos non esse compositos ex corpore, & spiritu, & pariter probat formas Angelicas non vniri naturaliter alicui corpori: & sic constat: qualis sit integer D. Th. discursus.

2421 Euasio.

Sed respondere aliquis posset, argumentum D. Th. valere ad probandum Angelos non vniri naturaliter corpori, vt formas informantes, non autem, vt assistentes; satis enim rationabiliter videtur ea ratio conuincere, quòd forma, quæ vnitur corpori, vt informans, dependeat in sui operatione aliquo modo à corpore: non autem videtur ita apertè conuincere de forma assistente.

Præcluditur. quia ratio D. Th. nō minus concludit de forma informante, ac de assistente.

Sed tamen respondeo non minùs efficaciter concludere eam rationem de forma assistente, imò verò efficaciùs. Nam, si aliqua forma est tantùm assistens, necessariò ipsa per se erit ens actu completum, & perfectum in suo genere, & consequenter Angelus erit substantia spiritualis simplex, & perfecta in esse substantiæ spiritualis; ergo non potest in ipso poni naturalis necessitas, & exigentia ad vnionem cum corpore propter bonum solius corporis: sic enim corpus deberet esse nobilius ipsa forma assistente, tanquam finis ipsius,

quando-

quandoquidem hæc naturalis necessitas esset in Angelo solùm propter bonum ipsius corporis, & non propter bonum, & perfectionem ipsius Angeli, vel certè si esset propter bonum ipsius Angeli, deberet Angelus indigere hoc corpore ad suam perfectionem, & operationes, multò autem magis absurdum est, quòd forma per se subsistens, & completa in esse spirituali, indigeat corpore ad suas proprias operationes, & perfectionem, quam forma incompleta, & informans. Quare ex hac parte efficacius concludit argumentum, Angelos non uniri naturaliter corporibus, vt formas assistentes, quàm vt informantes, sicuti magis absurdum est formas perfectas indigere corpore, quàm imperfectas ad suas operationes. Quòd, si dicas, Angelos vniri corporibus propter bonum vniuersi, maximè si essent formę cœlorum, & elementorum. Respondeo ad hoc non esse necessarium ponere in Angelo hanc naturalem vnionem, quæ derogat eius perfectioni; sed sufficere, si per electionem, & voluntatē possit vniri corporibus, & illis assistere ad bonum vniuersi, vbi opus erit, id enim magis proprium est, & consonum substantiæ purè spirituali, vt maximè constat in Deo primo omnium rerum motore.

ARRICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Angeli assumant corpora.

SVMMA ARTICVLI. D.Th.

CONclusio, Angeli assumunt corpora. Probatur visione corporali exteriori non videtur nisi corpus. Sed Angeli non sunt corpora, nec habent corpora naturaliter vnita, & tamen videntur visione corporali, vt constat ex Sac. Scrip. ergo Angeli assumunt corpora.

Arg. 1. in Angelis nihil est superfluum: sed cùm virtus Angeli omnem corporis virtutem excedat, nō indiget corpore. ergo. Resp. dist. mi. non indiget corpore assumpto Angelus, propter seipsum, concedo: propter nos, negatur; vt ostendat intelligibilem societatem futuram cū hominibus in alia vita.

Arg. 2. Angelus non potest vniri corpori assumpto, vt forma: quia hoc est contra ea, quę diximus supra. Nec, vt motor, alias omnia corpora mota ab Angelo, dicerentur assumpta. Resp. corpus assumptum non vniri Angelo, vt formæ; neque solùm vt motori, sed sicut motori repręsentato per corpus mobile assumptum.

Arg. 3. Angeli non assumunt corpora de aere, & de aqua: quia non subito disparerent. non de igne, quia comburerent ea, quę tangent. Non de aere, quia aer, est infigurabilis. ergo. Respond. Angelos assumere corpora de aere, qui quando condensatur, & figurari, & colorari potest.

DISPVTATIO. CCLXVII.

An Angeli assumant corpora?

2422 Conclusi est affirm. de qua quatuor quęruntur.

R*Esp. Conclusionem D. Th. esse affirmatiuā, quod probatur ex sacris litteris, vt videbimus. Solent autem circa hunc articulum quatuor quæri. Primum, an ita Angeli assumāt corpora, vt aliqua apparitio corporea Angelorum, vel Dęmonum, quæ legitur in Sacris litteris, aut etiam in alijs historijs fide dignis, facta sit per assumptionē veri corporis: secundum, quid requirantur, vt dicatur Angelus assumere corpus: tertium, quale sit tale corpus assumptum. Vltimò, an Deus ipse aliquando in corpore assumpto apparuerit.*

2423 Quæres. 1. An aliqua apparitio Angelorum fuerit facta per verā corporis assūptionem.

Circa primum sciendum est, quòd quatuor ferè modis potest intelligi Angelus, vel Dæmon apparere alicui in aliqua figura corporea (quod necesse est, vt faciat, si velit nobis apparere, cùm non possit à nobis cognosci, prout est in se, & per propriam speciem, vt alibi dictum est) primò per immutationem factam in sola imaginatione, & phantasia, & sensu interno, quo pacto etiam phrenetici, aut similibus morbis laborantibus apparent aliqua sensibilia, quę re ipsa non sunt extra imaginationem: vt etiam accidit dormientibus: Secundò per immutationem humorum factam in ipsa potentia sensitiua externa, ob quam obiecta externa alio modo appareant, quam in se sint, vt etiam contingit in quibusdam morbis oculorum, aut certè per aliquam illusionem externi sensus, ortam ex aliqua medij perturbatione, aut externorum corporum veloci mutatione, occultatione. &c. vt solent facere præstigiatores.

2424 Ad notantur non nulla.

Tertiò per assumptionem, & formationem veri corporis alicuius existentis extra sensum, & habentis illam figuram, sub qua apparet, licèt non sit interiùs tale essentialiter, quale apparet v.g. apparet; & habet formam hominis non tamen est homo. &c. Quartò per assumptionem, & obiectionē veri corporis alicuius, quòd nō solùm secundùm figurā & formam externam; Sed etiam interius sit substantialiter tale, quale verè apparet, vt si Dæmon assumeret cadauer alicuius hominis, aut aliud simile corpus, & illud ipsum obijceret videndum; & se in illo.

Aliorum Opinio refertur, & reijcitur.

His positis refert D. Th. fuisse quorundam opinionem Angelos semper primo modo apparuisse, atq; adeò eorum apparitiones non fuisse per assumptionem alicuius corporis extra ipsum cognoscentem; sed per solam imaginariam visionem, aliquos verò auctores huius sententiæ refert hic Vasquez. cap. 1. & Suar. lib. 4. de Angelis. cap. 33. & alij. Contraria autem sententia, scilicèt Angelos, & Dæmones sæpè apparuisse in veris corporibus assumptis Tertio modo ex prędictis. Adeò est communis DD. cum D. Th. hoc loco, & in 2. dist. 8. & Sanctorum item Patrum, vt aliqui existiment id esse certum secundùm fidem, vt loco citato Suar. 1. fatetur; licet postea solùm doceat non posse sinè magna temeritate negari. Ratio autem huius rei sumitur ex eo, quia in Sacris litteris sæpe leguntur Angeli, vel Dæmones, ita sensibiliter apparuisse, vt non possit congruè talis apparitio dici fuisse facta per illusionem sensus externi, vel interni; sed per obiectionem veri corporis, maximè, quia has apparitiones communiter Patres, ita explicarunt. Quales fuerunt tres viri, qui apparuerunt Abrahæ. Genes. 18. & duo, qui apparuerunt Loth. cap. sequent. Item Angelus, qui luctabatur cum Iacob. Genes. 32. & Raphael, comitatus est Tobiam in lib. Tob. Item Gabriel, qui apparuit Virgini: & eodem modo Dæmon, qui tentauit Euam, & alius, qui tentauit Christum Dominū, & alia similia, quòd D. Th. confirmat à signo, quia illud, quòd solà imaginatione videtur sicuti non est, nisi in imaginatione eius, à quo videtur, ita non videtur à omnibus alijs, sicuti videbantur Angeli, qui etiam exteriùs loquebantur, & alia similia opera faciebant. Vndè rectè infert, quòd repugnat modo loquendi scripturæ sacræ hæc omnia per solam imaginariam visionē explicare: multa alia legite apud authores citatos;

2425 Vera sentētia SS. PP. & D. Th. statuitur. affirm.

Ratio. quia in Sacris litteris sæpe legimus, Angelum sensibiliter apparuisse.

2426 Obiectio.

Sed obijci solet quidam textus Concilij Anciani, vt refertur in Can. Episcopus 26. quæst. 5. *vbi definitur, Lamias, seu Sagas, & Striges, quę referunt se multa, orbis partes peragrare, & multa videre per solam imaginationem illusionem Dæmonis, ea omnia videre: vndè videtur inferri, quòd saltem Dæmones non possunt assumere vera corpora: sed neganda est consequētia: illud autem deffinitum est in Concilio ibi, in quibusdam casibus particularibus ibi relatis, in quibus prudenter iudicari potuit contigisse ea omnia, vel alia per solam imaginationem, sicuti reuera non rarò accidit quibusdam mulierculis, quę vi quarundam vnctionum, & à Dæmone similibus illusionibus illuduntur, non autem quia Dæmon nō possit aliquod corpus assumere, & illud obijcere videndum, aut etiam corporaliter aliquem deferre in varia loca, sicut re ipsa sæpè deferi,*

Resp. neg. conseq. quia illi sunt aliqui casus particulares.

2427 defert, de qua re plura habet Suar. tom. 1. de relig. trac. 3. lib. 2. cap. 16.

2 Quæres.

Resp. D. Th. exigere duas conditiones. Prima, vt vniatur tāquam motor; secunda, vt represētet seipsum.

Circa secundum quæsitum, quid scilicèt requiratur ad hoc, vt in proprio, & rigoroso sensu dicatur Angelus assumere aliquod corpus D. Th. hoc loco duas conditiones exigit, quas communiter cæteri admittunt. Prima est, vt Angelus vniatur illi corpori, tamquam motor, & forma assistens. Secunda, vt per tale corpus velit Angelus aliquo modo repræsentare se ipsum, & suam personam, & ita per illum operari, ac si esset proprium corpus ad ostendendas, seu repræsentandas, & significandas suas inuisibiles proprietates, & operationes, & volitiones: etiamsi nesciat hoc ille, cui Angelus apparet, vel loquitur &c. Primum requiritur, vt possit illud corpus dici sumi ab Angelo: secundum verò, vt propriè dicatur assumi, quia assumere est ad se sumere, vt in illo, & per illud veluti in propria persona operetur: sic ergo congruè dicitur Angelus ad se assumere corpus, quando illi vnitur, & illo vtitur ad suas inuisibiles operationes, & proprietates repræsentandas, veluti in proprio corpore: hoc autem facit Angelus non propter se: sed propter homines, vt docet D. Th. hic ad primum, non enim alio modo potest nunc familiariter, & modo humano nobiscum conuersari.

2428 Angeli, licet sint motores cęterorum: quare cœlos nō assumunt?

Ex quibus sequitur Angelos motores cœlorum, aut aliorum corporum custodes, licèt sint illis vniti, vt motores, & assistentes, non tamen dici propriè assumere cœlos, quia non vniuntur illis ad suas inuisibiles operationes repræsentandas, ac si essent propria corpora: sed simpliciter ad illos mouendos &c. similiter Dæmones in corporibus obsessis, quæ torquent, non dicuntur in hoc sensu assumere illa corpora etiamsi interdū loquantur illis, quia non ita illis vniuntur vt veluti in propriis corporibus appareant, ac si essent propria corpora, vt bene aduertit D. Th. in 2. dist. 8 quæst. 1. art. 2. Et propterea ibi art. 2. requirit, vt corpus assumptum formetur ab Angelo ad hunc finem, vt illo veluti in proprio corpore appareat, scilicet per se loquendo. Vndè neque dici potest Angelos in hoc sensu assumere corpus, si solùm aliquod corpus transferat de vno loco in alium, è quibus constat, quid in similibus dicendum sit.

Vnio Angeli ad corpus assumptum, est merè localis.

Similiter circa hoc, tanquam certum tenendum est, hanc vnionem Angeli ad corpus assumptum esse merè vnionem localem, per quam Angelus se applicat illi corpori, de qua quomodo fiat, dicemus infra. Quarè falsa est opinio Tertulliani in lib. de carne Christi, vbi docet Angelos assumere corpora vniendo illa sibi hypostaticè; in quod inclinat Origenes, tom. 2. in Io. in illa verba. Ecce ego mitto Angelum meum &c. vbi ait Ioannem Baptistam, & Malachiam fuisse Angelos incarnatos: nam certissimum est apud Patres, & Doctores, vnionem hypostaticam fuisse singularem in Christo Domino, & de possibili prorsus implicat, aliquam creaturam posse sibi naturaliter vnire hypostaticè aliquod corpus alienum: imò probabiliùs existimo implicare etiam contradictionem de potentia absoluta: Demum certissimum est hanc vnionem non esse formæ informantis, & substantialem, cùm etiam hoc implicet Angelo: & colligi potest ex dictis. Quarè restat, quòd sit mer[è] vnio localis, & accidentalis.

2429 Quęres.

Opinion. Tertulliani, & aliorum rejiciuntur.

Circa tertium quæsitum, scilicèt quale nam sit corpus hoc assumptum ab Angelo, similiter falsæ sunt, vel minùs probabiles hæ opiniones. Prima eiusdem Tertulliani loc. cit. scilicèt, quòd Angeli ex nihilo forment, & assumant sibi hæc corpora, vel certè ex corpore cœlesti. Nam primum implicat posse fieri naturaliter ab eorum virtute, nisi fortè Deus crearet illis talia corpora, quod non est necessarium: secundum verò est falsum, nisi fortè ponatur cœlum constare ex materia fluida, condensabili, & rarefactibili. Item secundò falsa est opinio, quòd corpora ista sint verè talia interiùs, qualia apparent exteriùs, vt si appareant esse corpora humana, verè, & substantialiter sint talia, nam non posset Angelus de nouo facere talia corpora, quæ non possunt fieri naturaliter, nisi per veram generationem ex causa corporea determinata, & quamuis Angelus possit assumere aliquod verum cadauer inuentum, aut

Angeli nō formant corpora

simile corpus, tamen bono Angelo id nō expedit, neq; solet ita esse, vt aduertit D. Thom. art. seq. ad. 1. Et confirmatur à signo, quia talia corpora facillimè euanescunt, & iterum appareant ad arbitrium Angeli, & cedunt percutientibus, aut resistuat, & alia similia habeat, quæ non contingerent, si essent verè talia, qualia apparent. De qua re plura habet D. Th. art. illo tertio in secundo, neq; ex hoc sequitur Angelos decipere nos, quasi velint significare se habere vera corpora, aut illa esse talia, qualia apparent, vt enim benè aduertit D. Th. art. cit. ad primum non ad hanc rem id faciunt boni Angeli; sed, vt suas inuisibiles proprietates, & operationes proprias nobis materialibus per signa sensibilia manifestent, cùm hic modus sit nobis proportionatus. Vndè demùm omnino falsa esset illa opinio, si quis diceret hæc corpora esse verè Angelorum corpora, vt constat ex dictis.

Quarè circa hoc vera, & communis est D. Thom. sententia hic ad tertium, & alij locis cit. scilicèt hæc corpora assumpta ab Angelis fieri ex aere taliter disposito, vt condensari possit, & hanc, vel illam figuram accipere, vt ex reflexione varia luminis appareant varij colores, vt videmus in Iride, & nubibus, & in aqua condensata, quæ fit alba. Ratio autem huius rei est, quia nulla aptior, & promptior materia ad hoc assignari potest: Vndè talia corpora facilè possunt euanescere, & habere duritiem, vel mollitionem ex diuersa consideratione, imò & colores aliqui possunt esse veri, & reales, alij verò solùm apparentes: hanc tamen existimo esse differentiam inter corpora assumpta à Dæmone, & Angelo beato: nam præter id quod possunt Angeli in hæc corpora virtute sua naturali, vt fatetur D. Th. loc. cit. in 2. art. 2. ad 2. sæpe etiam supernaturali virtute, quam D. Thom. hic ad 2. & 3. appellat virtutem diuinam, possunt, Deo supernaturaliter concurrente, addere aliquam perfectionem, ad perfectam eorum corporum informationem, quòd non posset sola virtute naturali, vt perfectiùs, & decentiùs repræsentent ipsos Angelos, qualia sunt insolitum lumen, etiam in tenebris, quod Dæmon non posset facere per illusionem, aut per imaginariam visionem, aut adducendo verum corpus luminosum, vndè corpora ab Angelis assumpta sola virtute naturali defendi possunt non esse verè talia, vt exemplo quodam refert Caietanus 2. 2. quæst. 95. art. 3. & multi alij, ex quibus etiam colligit Vasquez. hic cap. 2. sufficiens indicium Resurrectionis Christi fuisse illud, cùm Christus Dominus discipulis suis dixit. Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet: spiritus, inquam, etiam in corpore assumpto, nisi forte assumeret tale aliquid verum corpus, quale erat illud Christi Domini. Demùm quòd aliqui dicunt circa verba illa D. Th. virtute diuina, quòd D. Th. ea posuerit, ac si diceret permissione diuina: videtur valde violentum textui, vt patet legenti, & sinè dubio valde congruentior est nostra interpetratio, quam etiam sequitur Suarius loc. cit. cap. 37. in fine.

2430 Vera respōsio D. Th. est. hęc corpora ex aere taliter disposito, vt condensari possit.

Angeli assumunt corpora luminosa, non verò Dęmones.

2431 Instabis.

Dices, potest ne Angelus facere, vt corpus ab eo assumptum videatur ab aliquibus, a quibus ipse voluerit tantùm, & non ab alijs.

Resp. Angelū posse virtute diuina suspendere speciem corporis.

Respondeo Angelum bonum posse id facere directè, & immediatè virtute diuina, scilicèt vel Deo suspendente concursum, ne tale obiectum producat species: nisi vbi Angelus voluerit, vel certè per virtutem supernaturalem Angelo communicatā, ad hoc, vt perfectè dominetur in tale corpus. Dæmon autem non potest hoc facere eo pacto; sed solùm per aliquam medij perturbationem, aut positionem alicuius naturalis impedimenti circa Oculum, aut in oculo videntis, aut per similes illusiones: & idem dici potest de alijs similibus, quæ contingere possunt circa hæc corpora: illud demùm aduertendū est talia corpora solere dici phantasmata, vel phantastica, non quia non sint vera corpora extra cognoscentem, sed quia non sunt talia, qualia apparent, & facilè euanescunt.

ARTI-

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Angeli in corporibus assumptis exerceant opera vitæ.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio est Neg. Prob. Corpora, per quæ possunt exerceri opera vitæ, habent vitam. Sed corpora assumpta ab Angelis non habent vitam. ergo. prob. ma. Quia dicitur in lib. *de som. & vig.* quod cuius est potentia, eius est actio. Vbi igitur non est vita, ibi non possunt esse opera vitalia.

Arg. 1. fictio esset, si corpus ab Angelis assumptum, quod viuum videtur, & opera vitæ habens, non viueret. ergo. Respond. neg. seq. Quòd sicut in scriptura non est fictio, vt intelligibilia per sensibilia describantur; ita non repugnat veritati, vt corpora ab Angelis assumpta, videantur homines viuentes, & non sint, non enim assumuntur, nisi vt per proprietates, & opera hominum; proprietates, & opera spiritualia Angelorum designentur.

Arg. 2. frustra in corpore assumpto per Angelum formarentur oculi, & nares &c. nisi per ea Angelus sentiret. ergo. Resp. per illa organa Angelum non sentire; sed per ea virtutes spirituales Angelorum innotescunt, per oculum v.g. designatur virtus cognoscitiua Angeli, &c.

Arguit. 3. moueri motu progressiuo est opus vitæ, vt dicitur *2. de Anima*: sed Angeli in corporibus assumptis mouentur motu progressiuo. ergo. Respond. dist. ma. moueri, vt à motore coniuncto, est opus vitæ conced. Non sic autem mouentur corpora assumpta ab Angeli, quia Angeli non sunt formæ talium corporum.

Arg. 4. locutio fit per vocem, quæ est sonus ab ore animalis prolatus; sed Angelos loquutos fuisse, constat ex Scrip. ergo. Resp. dist. min. Angelos propriè loquutos fuisse per corpora assumpta, neg. Similitudinariè, inquantum aliquid agunt simile locutioni, per sonum formatum in aere similè vocibus.

Arguit. 5. Comedere, est opus vitę. Sed Angeli in corporibus assumptis comederunt, ergo. Resp. neg. min. Nam comedere propriè non conuenit Angelis: quia comestio importat sumptionem cibi conuertibilis in substantiam comedentis, quod non potest fieri in comestione Angelorum: vnde eorum comestio solùm fuit figuratiua spiritualis comestionis.

Arg. 6. Generare hominem est opus vitæ. Sed Angeli possunt generare in corporibus assumptis. ergo. Respond. neg. min. Nam licèt de Angelis malis dicatur, quòd sint incubi, & succubi, non tamen generant per semen ab eis decisum, sed aliunde desumptum.

DISPVTATIO. CCLXVIII.

An Angeli in corporibus assumptis opera vitæ exerceant.

REspondet D. Thom primò Angelos in corporibus assumptis, seu per ipsa corpora assumpta, nullum opus vitæ exercere posse, secundùm propriam rationem talis operis; secundò posse tamen exercere aliqua opera secundùm aliquid, quod habent commune cum operibus vitæ, vnde videantur, & appareant, ac si essent opera vitæ, hæc autem opera reducuntur ad varios motus locales, vt constabit, quæ etiam sententia communis est, & certa in se ipsa, licèt in nomine sit aliqua controuersia. 2432 Conclusio D. Th. habet duas partes.

Quantùm ergo ad rem ipsam constat doctrinam D. Thom. quoad primam partem veram esse, considerando omnes operationes vitales nobis notas, quæ reducuntur ad tres illas classes; vel enim sunt animæ vegetatiuæ, vel sensitiuæ, vel rationalis. Quòd ergo vniuersaliter nullum ex his operibus possit Angelus exercere per corpus, & in corpore assumpto, quatenus vitalia sunt. Probat D. Thom. hoc argumento, quia non est actus vitalis secundus sine actu primo, qui est vita. Sed illa corpora non habent vllam vitam, neque vegetantem, neque sentientem, neque intelligentem; nulla enim anima informatur, vt supponimus, neque enim Angelus est, aut esse potest forma informans tale corpus: ergo nullas operationes vitales, secundùm propriam rationem vitalitatis habere possunt, nisi fortè Angelus assumeret verum corpus viuum: tunc autem non Angelus: sed illud viuens assumptum exerceret in suo corpore opera vitæ: quamuis autem Angelus assistens in corpore assumpto intelligat, tamen cùm eius intellectio nullo modo dependeat ab illo corpore, non dicitur exercere illam in illo corpore, & per illud corpus, hoc enim significat dependentiam aliquam operis vitalis à corpore coniuncto: quod autē nulla creatura possit opera vitæ exercere sine vita, & potentia vitali certum est apud omnes philosophos, & Theologos: imò multi putant ad implicare prorsus contradictionem: imò vlteriùs rectè aduertit D. Tho. in secundo d. 8. quæst. 1. artic. 2. hæc inferiora corpora non esse subdita Angelis naturaliter, nisi solùm quoad motum localem, & alia, quæ ad talem motum naturaliter consequi possunt: quarè Angelus præter modū non potest per se immediatè quicquam producere, & imprimere in hæc inferiora, nisi applicando actiua passiuis; vt etiam saepè habet D. Th. quæst. 3. de malo artic. 4. operationes autem vitales, vt sic non possunt fieri per applicationem actiui ad passiuum, nisi posito principio vitali, vt diximus, & ita Angelus in corpore assumpto non potest tal a opera exercere.

1. Pars Prob. considerando, omnes operationes vitales reduci, vel ad Animam vegetatiuam, vel sensitiuam, vel intellectiuam.

Nulla creatura potest exercere opera vitæ sine vita, quia sunt ab intrinseco.

Secunda verò pars doctrinæ D. Th. constat hoc modo: Videmus aliqua opera vitæ habere posse aliquid commune cum alijs operibus non vitalibus, & quòd potest realiter separari à differentia vitali, hoc ergo opus potest ab Angelo fieri in corpore assumpto, secundùm illud commune v.g. locutio, vt est operatio vitalis, siue vt procedens à vita intellectuali, dicit duo, vnum est ipsa aeris percussio talis; vnde talis sonus resultat, qualem habet aliqua vox significatiua: Alterum est, vt talis aeris percussio fiat à principio intelligente, & informante tale corpus, per quod formatur illa vox, media imaginatione, & quibusdam determinatis instrumentis, & illud primum potest realiter separari ab hoc secundo, & ita potest Angelus in corpore assumpto loqui, non prout loquela est actus vitalis; Sed prout dicit illud commune separabile ab actu vitali. 2433 2. Pars Prob. quia aliqua opera vitæ possunt habere aliquid commune cum operibus non vitales.

Item comestio, vt est actus vitæ duo dicit, primò acceptionem, & fractionem cibi, & transmissionem ad interiores partes, quæ omnia materialiter consistunt in quodam motu locali. 2434 Comestio in corpore assumpto ab Angelo non est vitalis.

Secundò dicit talem cibi sumptionem esse à principio intrinseco naturaliter coniuncto, & potente conuertere cibum in suam substantiam, operando ad id per 2435 Difficultas.

quædam

quedam terminata organa: poterit ergo comestio fieri ab Angelo in corpore assumpto primo modo accepta, non autem secundo, vtrumque autem exemplum, & doctrinam positam habet D. Th. hic ad quartum, & quintum, vbi obiter notat, quòd comestio Christi Domini post resurrectionem fuit vera comestio, quia quantùm erat ex natura humanitatis eius, poterat ille cibus in eius substantiam conuerti; licet actu non conuerteretur. Vndè vniuersaliter inferri potest; quòd illa opera vitæ, quæ includunt motus locales separabiles à differentia vitalitatis, potest Angelus exercere quoàd illos motus, vt sic. Vndè patet sensus, & ratio doctrinæ D. Th.

2435 Difficultas. *Difficultas autem circa nomen, & modum loquendi est, an comestio, locutio, & deambulatio, quæ fiunt ab Angelo in corpore assumpto, modo explicato, dicenda sint verè talia secundùm substantiam, licèt non secundùm modum, v. g. an sit vera comestio secundùm substantiam, an verò neque secundùm substantiam, neque secundùm modum: sed solùm similitudinariè, & metaphoricè sint talia.*

Resp. si per illas particulas, secundùm substantiã, & modum, intelligantur tùm substantia, & modus vitalitatis, illa opera non esse talia, nisi metaphoricè, & similitudinariè, & adhoc inclinat D. Th. in responsionibus citatis: Et confirmatur ex cap. 12. Tobiæ, & ita existimo dicendum esse absolutè: Si verò per substantiam intelligamus solam materialitatem illius motus localis, & per modum, propriam differentiam, quam habent in corpore viuo, tunc dici posset illas operationes esse verè tales secundùm substantiam, non autem secundùm modum: sed reuera hic modus secundus loquendi non est ita proprius sicuti primus, quarè absolutè existimo dicendum esse cum D. Th. Reliqua, quæ ipse habet in responsionibus ad argumenta facilia sunt. Resp. illa opera secundùm modum vitalitatis, non sunt talia, nisi metaphoricè.

QVÆSTIO LII. D.Th.

De loco Angelorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angelus sit in loco:

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Concl. Angelo conuenit esse in loco, æquiuocè tamen respectu corporis. Prob. Angelus est alicubi non per contactũ dimensiuæ quantitatis, cùm careat quantitate; sed per applicationem virtutis ad locũ. ergo, Angelus est in loco æquiuocè respectu corporis. Ex quo duo sequuntur; Primũ, quòd Angelus non commensuretur loco, sicut corpus. Secundum, quòd Angelus non continetur à loco, sed potiùs locum cõtinet.

Arg. 1. Incorporalia non sunt in loco ex Boetio, & Arist. ergo: Resp. dist. Antec. non sunt in loco per applicationem quantitatis dimensiuæ, conced. per applicationem suæ virtutis, neg. Boetius, & Arist. sunt intelligẽdi primo modo.

Arguit. 2. Omne, quod est in loco, habet situm. quia locus est quantitas habens positionem. Sed Angelo non conuenit habere situm. ergo. Resp. dist. ma. quod est in loco per quantitatem dimensiuam, habet sitũ, conced. per applicationem virtutis tantùm, neg. Angeli sunt in loco, secundo modo tantùm.

Arg. 3. quod est in loco, mensuratur, & cõtinetur à loco, ex Arist. 4. phys. Sed Angelus non potest contineri, nec mensurari loco; ergo. Resp. ma. esse veram de eo, quod est in loco per quantitatem dimensiuam; Angelus verò est in loco per applicationem suæ virtutis.

DISPVTATIO CCLXIX.

An absolutè loquendo Angeli sint in loco, & æquiuocè cum corpore. Vbi An substantia Angeli sit ratio formalis proxima existendi in loco.

Conclusio: *Absolutè loquendo Angeli sunt in loco: Hæc conclusio simpliciter pertinet ad fidem. Vndè D. Thom. in 1. distinct. 37. quæst. 3. artic. 1. dicit esse hæreticam opinionem quorundam Philosophorum dicentium, quòd Angeli, vel Intelligentiæ nullo modo sunt in loco. Dicit autem Diu. Thom. esse hæreticam, quia secundùm fidem nostram ponimus Angelos immediatè circa nos operari. Et hoc constat ex fide ex pluribus locis scripturis, in quibus referuntur aliquæ actiones Angelorum factæ immediatè circa nos, & mouendo se de loco ad locum, sicut Genes. 18. & 19. dicitur* Angelos venisse ad Abraham, & Loth. & Iudicum 2. *dicitur* Angelum ascendisse de Galgalis ad locum flentium. *Et Tobiæ dictum 8. dicitur, quòd* Raphael Angelus apprehendit Dæmonem, & religauit illum in deserto superioris Aegypti. *Et Apocal. 12. dicitur de Diabolo, & Angelis eius.* Neq; locus inuentus est eorum ampliùs in cœlo. *Et infra:* Et proiectus est in terra, & Angeli eius cum eo missi sunt. *Et Lucæ 10.* Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem. *Item communiter docent Patres, vt Nazianzenus relatus à Diu. Thom. loco citato distinct. 37. Athanas. in epist. ad Serapionem, Basilius* De Spiritu Sancto *cap. 16. Greg. lib. 2. moral. c. 2. & homil 24. in Euang. Damasc. lib. 2. de fide cap. 3. & lib. 1. c. 17.* 3436 Concl. affirm. est de fide, & constat etiam ex SS. Patrib.

Et ratio est manifesta, quia Angeli non sunt vbique, sed mouentur, habentque propinquitatem, & distantiam, & etiam contactum ad corpora, vt patet ex multis operationibus Angelorum, quæ in prædictis locis scripturæ, & in aliis referuntur, & quia spirituales substantiæ ex natura sua operatiuæ sunt circa corpora, illaque possunt regere, ac mouere, id enim non repugnat spirituali substantiæ, cùm videamus animam nostram esse spiritualem, & vniri corpori, illudque regere, ac mouere: ergo Angeli, qui sunt perfectiores spiritus, multò meliùs poterunt corpora mouere, eaque tangere, non quidem informando, sicut anima, neque contactu quantitatis, quia carent illa: sed contactu alicuius virtutis, vel spiritualitatis, qua supra ipsa corpora operari possunt. Sed hoc ipso, quòd possunt vniri corpori, vel iuxta illud poni, aut tangere, & ab illo recedere, & distare, oportet, quòd dicant præsentiam, vel absentiam ad locum, in quo est tale corpus: Ergo Angelis conuenit esse in loco. Sed duo sunt aduertenda. 2437 Ratio. Quia Angeli non sunt vbique, mouetur, habentque distantiam ad corpora.

Primum est, quòd Angelis debet conuenire causa effectiua, qua ponantur in loco, vel ab eo recedant, quæ est voluntas, cum sufficienti potestate ad immutandum corpora, & mouendum se circa illa, vel accedendo, vel recedendo, aliàs essent Angeli substantiæ immobiles, & cùm non sint vbique non possent operari in diuersis locis, ad quæ esset opus accedere, vel recedere. An verò ista potestas effectiua sit ipsa voluntas cum imperio practico intellectus, ita quòd per actum immanentem moueat corpora, an verò per virtutem superadditam, quæ sit vis motiua distincta ab intellectu, & voluntate, postea attingetur. 2438 Causa effectiua, qua Angeli ponuntur in loco, vel ab eo recedũt, & voluntas.

Secundum est, quòd Angeli non possunt esse in loco eo modo, quo sunt corpora, quia ista existunt in loco, tanquam commensurata illi, iuxta mensuram quantitatis ad quantitatem, seu ad superficiem corporis Angeli nõ sũt in loco eo modo, quo sunt corpora.

ris locantis, unde sunt contenta in loco tanquam mensuratum sub mensura quantitatiua. Angeli autem carent quantitate, & consequenter omni tali commensuratione: sed solùm debent esse in loco, tanquam aliquid superius, & independens ab illo, non vt commensuratum illi, sicut anima nostra est in corpore, & sicut ipsum corpus Christi hoc ipso, quod est in Sacramento, non modo quantitatiuo, sed ad modum rei spiritualis, non est ibi tanquam in loco eo modo, quo corpora; sed longè diuerso, ita Angeli longè alio modo sunt, quàm res corporeæ in loco, & ita esse in loco non potest vnicè, & vniuocum modum significare pro Angelis, & pro corporibus. Et hac ratione D. Thom frequenter dicit, quod Angelus est in loco æquiuocè, ac corpus, vt patet in hac quæst. 52 artic. 1. & quæst. 53 artic. 1. & in 2. dist. n. 37 supra cit. Vbi id confirmat ex Nazianzeno.

2439 Petes. *Petes.* An substantia Angeli secundùm se, & remota operatione sit formalis, & immediata ratio contactus virtualis ad locum.

Resp. Negat. *Respond. negatiuè. ita D. Thom. hic, & infra quæst. 52. art. 2. & quæst. 76. art. 6. ad 3. & communis inter Thomistas contra Scotum 2. dist. 2. q. 6.*

2440 Ratio. Quia contactus Angeli, & præsentia eius ad corpus, est aliquid accidentale, & variabile. *Fundamentum huius conclusionis est, quia contactus Angeli, & præsentia eius ad corpus, est aliquid accidentale in Angelo, & variabile, quia potest modo esse in vno loco, modò in alio, & modò esse in maiori, modò in minori corpore multò meliùs, quàm anima rationalis, quæ aliquando informat paruum corpus, aliquando maius, illique assistit: ergo non potest talis præsentia, & contactus fieri immediatè per ipsam substantiam Angeli. Patet consequentia, quia vnio, seu contactus accidentalis non potest fundari immediatè in ipsa substantia, in quantùm substantia est, quia substantia non potest vniri alteri rei, nisi tanquam substantia incompleta, scilicet forma, aut materia, vel tanquam completa, scilicet, vt subiectum, vel vt efficiens, quia omnis ista coniunctio debet esse in aliquo genere causæ, & non est causalitas substantiæ præter istas.*

2441 Angelus non vnitur loco tanquam substantia incompleta. *Primo modo non potest vniri Angelus corpori, & illud tangere, tùm quia est substantia completa, tùm quia nec est forma corporis, nec eius materia. Secundo modo non vnitur tanquam subiectum corpori, cùm corpus non sit eius accidens: Ergo vnitur, & tangit, vt efficiens, & agens: ergo mediante virtute, & operatione non per substantiam suam. Item substantia in suo esse substantiali semper manet eadem in Angelo: Ergo non potest esse ratio existendi modo diuerso in loco, seu commensuratione ad alterum, vt modo sit in loco maiori, & modò in minori, sine aliquo superadditio, quo ista variatio fiat: nam, & corpus ipsum non tangit locum per suam substantiam: sed per quantitatem.*

Euasio. *Dices: Substantiam Angeli secundùm se non habere istam variationem: Sed solùm diuersam applicationem suæ voluntatis, quæ ad determinatum locum applicari potest, aut ad alium determinari. Et iuxta diuersam determinationem potest applicari maiori, vel minori loco, magis, vel minùs adæquato sibi; sicut etiam anima rationalis per suam substantiam immediatè informat corpus, & potest modò informare corpus maius, modò minùs, non tamen sequitur, quòd ista vnio, & præsentia fiat mediante aliquo accidente: sed per ipsam animam immediatè solùm, supposita diuersa dispositione corporis. Et eadem ratione corpus Christi Sacramentatum potest modò vniri maioribus, modò minoribus speciebus, iuxta quod tales species illi applicantur, & iuxta voluntatē consecrantis, vel diuidentis species.*

2442 Præcluditur. quia si substātia Angeli per se est ratio existendi in loco, per se esset capax inæqualitatis. *Sed contra est, quia, si substantia Angeli per se immediatè est ratio existendi in loco, non iuxta dispositionem loci, cui vnitur: sed iuxta suam voluntatem, necesse est, quod ipsa ratio formalis existendi in loco, & tangendi, sit per se ipsam capax huius inæqualitatis, non solùm autem id reducatur ad voluntatem Angeli, vt ad rationem formalem, quia ista voluntas solùm est applicatiua, & per modum causæ efficientis se habet in constituendo Angelum in loco: nam, si se haberet per modum causæ formalis, hoc ipso incideretur in sententiam D. Thom., quòd Angelus esset in loco per operationem suæ voluntatis. Quare voluntas Angeli solùm effectiuè, & applicatiuè se habet ad talem contactum: supponit ergo rationem formalem per quam contactus fiat. Si ergo contactus inæqualiter fieri potest iuxta applicationem ipsius Angeli, nunc in magis, nunc in minùs, necesse est, quòd ipsa substantia Angeli non sit immediata ratio ponendi in loco, quia substantia in se est vna, & eiusdem rationis, nec potest magis, vel minùs habere ex ipsa ratione substantiæ, & sic applicatio illius non potest esse, nisi iuxta naturam eius, quæ semper est vna.*

Exemplum autem de anima rationali, & de corpore Christi Sacramentato non quadrat, quia anima rationalis non est pro libito suo in maiori, vel minori corpore, vnde non indiget ratione formali subordinata ipsi voluntati, & applicabili ab ipsa ad diuersam materiam, & locum: sed ipsa vnio animæ est naturalis, ita quòd materia apponitur ipsi formæ cum dispositionibus requisitis, vt informetur ab illa: & sic prout maior, vel minor materia illi apponitur, ipsa magis, vel minùs corpus informat, eique assistit, & vnitur, quia vnio illa est per modum substantiæ incompletæ informantis, non vt substantiæ completæ tangentis, sicut Angelus. Et similiter corpus Christi ponitur sub speciebus iuxta modum materiæ consecrabilis, ita quòd sub tantis speciebus continetur corpus Christi, quanta fuerit materia, quæ ibi apponatur consecranda, & conuertenda in corpus Christi. Exemplum de Anima rationali, & de corpore Christi, positum in Euasione, reijcitur.

2443 Præsentia Animæ rationalis, & corporis Christi Sacramenti, quomodo fiat immediatè per substantiam. *Quare vtraque præsentia tàm animæ rationalis, quàm corporis Christi potest fieri immediatè per substantiam sic inuisibiliter se habentem, & tamen esse ad maiorem, vel minorem quantitatem corporis, vel specierum, quia talis præsentia non habetur per positionem, & copulationem ipsius animæ ad corpus, vel corporis Christi ad species: Sed per coniunctionem ipsius materiæ, vel vniendæ, & informandæ ab anima, vel consecrandæ, & conuertendæ in corpus Christi, & iuxta diuersam quantitatem ipsius materiæ sic vnitæ, vel conuersæ dicitur esse anima, vel corpus Christi in maiori, vel minori quantitate præsentia quadam per accidens in ipsa anima, resultante ex vnione substantiali, quæ potest esse ad maius, vel minus non ex se solùm, aut per contactum proprium: sed ex quantitate materiæ sibi vnitæ, vel consecratæ.*

At verò Angelus opposito modo procedit: nam etiam stante eadem quantitate corporis non sibi vniti substantialiter, potest contactu suo attingere, & applicari magis, vel minùs, in maiori, vel minori quantitate corporis: Ergo oportet, quòd ratio formalis huius contactus, non sit substantia vnibilis in vi substantiæ: sed in vi alicuius accidentalis virtutis, plùs, vel minùs applicabilis.

Dub. 1. An ratio formalis, & immediata Angelo, existendi in loco, sit vbi Angelicum, vel vnio ad spatium.

Dub. 2. An sola virtus Angeli præcisa operatione sit ratio formalis Angeli ad locum.

Dub. 3. An, quando modo præternaturali est in loco, vt Dæmon in igne inferni, sit ibi per passionem.

Dub. 4. An ex præsentia Angeli ad locum propriè resultet in Angelo Vbi intrinsecum.

DVBIVM I.

An ratio formalis, & immediata Angelo existendi in loco, sit Vbi Angelicum, vel vnio ad spatium.

2444 *Sententia Suarez refertur, ac Molinæ asseratum*

SEntentia est Suar., quòd Angeli sint in loco per aliquam formam sibi superadditā antecedētem ad eorum operationem, quæ immediatè recipitur in ipsa substantia, quæ forma non est aliud, quam

modus,

Angelos esse in loco per formā superadditam.

modus, seu præsentia, aut vbi Angelicum, quod est sibi formalis ratio existendi in loco, nec aliam assignat rationem formalem, quæ sit fundamentum huius præsentię, seu *vbi*, & formalis ratio contactus, in quo valde ab ipso dissentimus. Hoc autē *vbi*, seu præsentia est modus quidam intrinsecus cum connotatione, seu dependentia ad spatium determinatum diuisibile, licèt ex parte subiecti indiuisibilis sit: & ita variato spatio, quod connotat tanquam terminum, variatur iste modus, seu præsentia intrinseca, & hoc fit ad voluntatem Angeli. Et quia connotat, seu recipit determinatum spatium, dicitur præsentia diffinitiua, id est determinata ad tale spatium, & consequenter potest ratione talis determinatæ præsentiæ habere propinquitatem, & distantiam, etiam sine interuentu corporum, quibus coexistunt. Ita Pater Suarez lib. 4. de Angelis cap. 2. & 3. & cap. 7. & 8. & anteà eam explicuerat in metaph. disp. 51. sect. 3. & 4. Eademque est sententia Molinæ super hanc quæst. 52. art. 1. disp. 1. memb. 5. Arrubal disput. 154. cap 3. Granadus tract. 9. dist. 3. sec. 2. & aliorum.

2445
Sententia Vazquez asserit, Angelum non posse esse præsētem in spatio, nisi mediante aliquo corpore, cui vniatur.

Alia sententia est, Angelum non posse esse præsentem in spatio, nisi mediante aliquo corpore, cui vniatur. Et in hoc conuenit cum anima rationali, quæ etiam non potest esse præsens loco, & spatio, nisi mediante corpore, cui vnitur. Neque corpus Christi Sacramentatū est præsens spatio, nisi mediantibus speciebus quantitatiuis, quibus vnitur. Ita Angelus nō redditur præsens loco per se ipsum immediatè; sed mediante vnione eius ad corpus. Sed quia ista vnio Angeli non est informatiua, sicut animę, nec Sacramentalis, sicut corporis Christi ad species, restat, quod sit vnio operatiua, quatenùs Angelus per operationem aliquam, circa corpus producit modum quendam spiritualem in seipso, per quem vnitur corpori, cui sic vnitus redditur pręsens loco, vbi est corpus. Ita P. Vasquez hic dis. 188. cap. 7. & 195. c. 4. quem latissimè impugnat Suar. vbi sup. c. 6.

Sententiā Vazquez sequitur Alarcon.

Et sententiam Vasquez sequitur Alarcon. tract. 6. de Angelis dis. 6. cap. 5. & 6. qui cùm in cap. 2. retulisset sententiam Thomistarū, qui dicunt Angelum esse in loco per operationem transeuntem, & contactum virtutis, in eamque efferatus falsam esse censet, imò risu quodam exciperet eorum responsionem, qui dicunt operari Angelos in aliquibus corporibus aliquas qualitates occultas: mitior tamen factus in cap. 5. docet operationem istā transeuntem in corpus, vel applicationem virtutis, quam Philosophi, & Theologi antiquiores posuerunt pro præsentia Angelorum ad locum, venerandam, & sequendam esse sentit, quia sic conducit ad opinionem P. Vasquez: non vt Angelus per operationem, vel applicationem virtutis habeat rationem contactus, vt dicunt Thomistæ: sed vt Angelus per talem operationem producat illam vnionem ad corpus, qua mediante existat in loco, vt dicit Vasquez.

2447
Concl. reijcitur sententia Suarez, & Vazq. vt insufficiētes

Dicendum est tamen sententias Suarez, & Vasquez supra relatas non explicare sufficienter pręsentiam Angeli in loco, & rationem formalem existendi in illo. Et quidem sententia P. Suarez, quæ est etiam Molinę, explicat quidem formam ipsam *vbi* intrinseci, quo Angelus formaliter redditur pręsens loco, non tamen explicat fundamentum istius præsentię, & rationem formalem habendi cōtactum ad corpora, & loca, quibus Angelus assistit: sine contactu autem non potest explicari, quomodo, & qualis sit illa pręsentia Angelica, & in quo distinguatur à pręsentia corporali. Nam, quod Angelus habeat pręsentiam ad loca, in quibus est, vel ad quæ mouetur, nulli dubium esse potest: sed tota difficultas est in explicando modum, quo ista pręsentia ponitur, & distinguitur à pręsentia corporali, quod sine aliqua ratione contactus intelligi non potest, quia iuxta modum habendi contactum erga alias res, variatur modus habendi pręsentiam, sicut alio modo habet præsentiam vnum corpus ad alterum per quantitatem, qua illi commensuratur: Alio modo anima rationalis, quę habet contactum ad corpus informando: Alio modo spiritus increatus per immensitatem: alio modo spiritus creatus per contactum virtutis, non molis, nec quantitatis: ergo oportet explicare, in quo cōsistat ille diuersus contactus, & diuerso modo factus ab vno, & ab alio, ratione cuius illa diuersa præsentia resultat.

2448
Relata sententia est diminuta, quia explicat pręsentiā Angeli in loco, non verò contactum.

Itaque hęc sententia in eo est diminuta, quia explicat pręsentiam, seu *vbi* in Angelo: sed non contactum erga corpora, cùm tamen non possit explicari vnum sine altero, quia pręsentia localis, seu *vbi* resultat ex aliqua coniunctione ad locum, & hæc coniunctio sine contactu non fit. Et pręterea, quia Angelus potest agere in corpora, & mouere illa de loco ad locum, & mouere se in talibus locis, & corporibus: ergo oportet, quòd habeat aliquem contactum ad talia corpora, in quę agit, & habendo contactum, habet præsentiam: ergo non sufficit explicare existentiam Angeli in loco, per hoc solùm, quòd habeat *vbi*, seu pręsentiam ad locum, sed etiam oportet explicare, quomodo habeat contactum, sine quo non est pręsentia. Denique *vbi* est modus existendi in loco, qui resultat ex accessu, & coniunctione rei locatę cum loco, quę coniunctio per aliquem contactum, vel vnionem fit, in corporibus quidem per contactum circumscriptiuum, quo tangitur, & commensuratur vna quantitas alteri: in anima autem nostra erga corpus per informationem: in corpore Christi Sacramentato, per colligationem cum speciebus, quatenùs continetur sub illis loco substantię conuersę: ergo etiā in Angelo oportet assignare modum habendi contactum, & coniunctionem cum corpore, vt resultet *vbi*. Ponere autem *vbi*, seu modum pręsentię non resultantem ex coniunctione ad corpus, & ad locum, est tollere rationem *vbi*, & aliam rationem pręsentię inducere, quæ non est pręsentia localis, seu *vbi*: & ideò sine explicatione contactus Angeli, insufficiens est sententia, quę solùm explicat hanc existentiam, seu contactum in loco per pręsentiam in loco: nihil .n. aliud est *vbi*, quod ponit Suarez, quàm præsentia in loco.

2449
2. Pars Concl. contra Vazq. Prob. quia multùm derogat perfectioni Angelicæ, quod dependeat ex vnione ad corpus, vt existat in loco.

Secunda pars conclusionis contra sententiam Vasq. in primis probatur, quia multùm derogat perfectioni Angelicę, quod ad existendum in loco dependeat ex vnione ad corpus. Quod grauiter repręhendit D.Th. q. 3. de potentia art. 19. vbi inquit. *Quidam antiqui dixerunt, quòd illud, quod non est in loco, non est, vt in 4. Physic. dicitur. Et ex simili errore quidam moderni dixerunt, quod Angeli absque creatura corporali esse non possunt, intelligentes Angelos tanquam ea, quæ imaginauerunt similiter distincta, quod quidem præiudicat sententiæ antiquorum, qui Angelos ante mundum fuisse posuerunt: præiudicat etiam dignitati Angelicæ naturę, quæ cùm naturaliter sit prior, quàm creatura corporalis, nullo modo à creatura corporali dependet.* Ita D.Th. ergo in sententia Vasq. in qua Angelus non potest per seipsum assistere loco, nisi priùs vniatur corpori, præiudicatur dignitati Angelicæ, quia non potest per se ipsum independēter à corpore, seu vnione ad corpus pręsens esse alicui loco.

2450
Confirm. quia Angelus ex se, & non ratione corporis adiuncti, est forma actiua corporū, ac motiua

Deinde, quia Angelus ex se, & nō ratione corporis adiuncti, est forma actiua, & motiua corporū immediatè, sicut patet, quòd Angeli mouent Cęlos, & ipsa corpora possunt assumere, & immutare illa: naturaliter enim natura corporalis regitur per spiritualem, vt sæpiùs ex August. docet D. Th. ergo oportet, quòd Angelus seipso, & non solùm ratione corporis adiuncti possit assistere ipsi corpori, & mouere illud, & mouere se ipsū: ergo etiā mutare, locū, quia motus localis circa locum est, & sicut forma spiritualis informans, quæ est anima rationalis habet per se immediatam habitudinem ad corpus, ita forma spiritualis actiua, & motiua corporum debet habere immediatam habitudinem ad corpus, quod potest mouere: ergo per se ipsum Ange-

1. Confirm. lus,& non mediante corpore sibi vnito,potest præsens,vel absens reddi alicui corpori,seu loco. Confirmatur hoc: quia omnis vnio supponit extrema vnibilia, id est habilia, & apta, vt vniantur, & sic oportet, quòd ipsa vnio fiat inter extrema secundùm aliquam proportionem, quam habent inter se, sicut vniuntur aliqua tanquam forma, & materia, actus,& potentia, vel tanquam agens, & passũ, vel vt duæ quantitates contiguæ, & commensuratæ. Oportet ergo explicare qualis sit ista vnio Angeli ad corpus, & in quo fundetur,non autem solùm in communi dicere,quòd per vnionem ad corpus est in loco. Potest enim hæc vnio bené, vel malè explicari, aut nihil de illa explicari: Si enim est per modum formæ, & materiæ,aut quantitatis, vel partium se commensurantium est falsa,cùm nihil tale sit inter Angelum, & corpus. Si est vnio causa agentis, & operantis ad passum, mediante operatione, est nostra sententia,sed hęc sententia nihil horum dicit, nihil est.

2451 2. Cõfirmatur. nam hac sentẽtia Vazquez, incidit in sententiam,quam intendit euitare; nempe, Angelum esse in loco per operationẽ. Denique hæc sententia, ponendo istum modũ vnionis, incidit in sententiam, quam vult euitare, & impugnare,scilicèt,quòd Angelus existat in loco per contactum,& operationem virtutis: nam ideo Authores oppositi negant rationem formalé præsentiæ Angelicę esse operationem, quia ad operationem requiritur simultas, seu coniunctio operantis cum passo; sed ille modus,quo Angelus vnitur loco, consequitur ad operationem Angeli, quia scilicet per voluntatem suam producit illum modum vnionis ad corpus mediante quo substantia Angeli vnita corpori existit in loco: Ergo non potest ille modus vnionis esse ratio formalis Angelo existendi in loco. Patet consequentia, quia ante illum modum requiritur operatio productiua illius,& vnitiua ad talem locum: ergo pręcedit simultas,seu coniunctio Angeli agentis,seu producentis modum illum respectu corporis, in quo illum producit: Ergo & pręsentia. Nam coniunctio, seu simultas agentis cum passo non potest intelligi sine pręsentia, & contactu erga passum. Restat ergo explicare, quando Angelus producit istum modum vnionis in corpore, quomodo habet contactum erga illud,reddit turque illi præsens, & coniunctum, vt producere possit illam vnionẽ ad illud corpus,nisi per virtutem ipsam operatiuam, quæ est virtualis contactus formæ spiritualis actiuę. Restat etiam alia difficultas in ista sententia, quando Angelus,non voluntate sua actiua, sed vi alterius, passiuè in se recepta, alligatur alicui corpori, sicut Tobię 8. dicitur,quod Raphael Angelus alligauit Dæmonium in deserto superioris ægypti: quomodo tunc existat in loco per vnionem ab illo productam,& non per voluntatem propriam, & quomodo possit imprimi ille modus in Angelo ab alio superiori,vt alligetur,& vniatur corpori; non ergo, vniuersaliter est verum, quod Angelus existit in loco per modum vnionis ad corpus sua productũ voluntate.

2452 3. Cõfir. quia est inconueniens: Angelũ non per se, sed per accidens in loco. Ac denique confirmatur,quia inconueniens est, quòd substantia Angeli,quę est nobilissima, non possit per se esse in aliquo loco,nisi per accidens. Et sequela patet,quia antequam Angelus vniatur corpori: non potest esse in loco, & remoto omni corpore,& in vacuo Angelus non potest moueri, quia non potest esse in loco,& consequenter neque illum acquirere,quod est moueri: ergo per se,idest ratione sui,non est in loco,vel non adest, aut tangit locum, sed solùm per aliud,idest, per corpus, cui vnitur. Hoc autem esse inconueniens constat,quia Angelus per se, seu ratione sui, est superior omni corpore, potestque illud mouere,mouet enim cælos: potest ergo comparari ad aliud per modum motoris; atque adeo medio modo se habet inter Deum, qui est productor ipsius corporis in se, & animę, quę est informatiua corporis: Sed Deus ratione sui habet præsentiam ad corpus, per immensitatem, & operationem; qua est productor corporis: anima etiam per se, inquantùm informatiua est, potest habere præsentiam ad corpus: ergo similiter spiritus non informator corporis, vt anima, nec productor corporis,vt Deus; sed motor illius, potest per se habere immediatam præsentiam, seu contactum ad corpus,quia motor illius est, non solùm quia vnitus, nisi vnio illa, sit ipse contactus mouentis, seu agentis,quod est esse per operationẽ in loco.

DVBIVM II.

An Ratio formalis existendi connaturaliter in loco, sit Angelo operatio formaliter transiens.

2453 Conclusio. CONclusio. Ratio formalis contactus Angeli ad corpus,in quo fundatur vbi, seu præsentia Angelica,si connaturali modo fiat, est virtus operatiua Angeli ad corpus,in quo, vel ex quo agit, ita quod eadem virtus, & operatio Angeli, & est applicatio Angeli, & formalis ratio existendi in corpore.

2454 Petes 1. Petes primò. *Quomodo explicetur, & intelligatur hæc conclusio?*

Resp. Angelum bene posse, mediante virtute à se diffusa, operari in locum remotum. Resp. Explicari hoc modo. Dicimus enim *ex quo,vel in quo agit Angelus*, idest, vnde incipit operatio illius, Nam bene potest, mediante virtute, à se diffusa, operari in locum remotum, atque adeò nõ existet in illo per præsentiam suæ substantiæ, & tamen operari in illud.Sed tamen, quia non incipit inde operatio Angeli; sed solùm ibi terminatur, non dicitur esse vbi operatur quomodocumque, sed vbi incipit operatio, hæc conclusio aliqualiter conciliat diuersas Thomistarum opiniones, & explicat sensum D. Th. Inter Discipulos enim. S.D. est differentia in hoc,quòd aliqui existimant requiri ad hoc,quòd Angelus sit in aliquo loco operationem propriè, & formaliter dictam: Alij sufficere operationem largo modo sumptam, idest applicationem ordinatam ad operandum. Caietan. autem in præsenti artic. 1. § *Sed aduertendum*, vtrumque conciliare intendit, supponens, quòd in Angelo est duplex præsentia, scilicet, præsentia ordinis,& pręsentia operationis. Prima est pręsentia inchoata, & incompleta, seu in actu primo,quæ solùm dicit ipsum actum practicum intellectus, & expeditionẽ voluntatis ad operandum aliquid, seu in aliquo corpore. Secunda verò est præsentia operationis, quando, scilicèt,actualiter incipit operari in aliquo passo, redditur ibi substantia Angeli completè collocata: tunc enim est perfectè coniunctus ipsi corpori,atque adeò præsens illi,ea pręsentia, quæ Angelo competere potest,qualis est continentis ad contentum,agentis ad passum,quæ tunc est perfecta,quando actu elicit operationem ex passo: tunc autem inchoata,quando coordinatur,seu applicatur illi vt eliceat.

2455 Petes 2. Petes secundò. *An conclusio sic explicata sit de mente D. Th.*

Resp. affirm. nã D. Th. perpetuò docet, Angelũ esse in loco per contactum virtutis. Resp. affirmatiuè: hæc conclusio sic explicata est de mente D. Th. qui perpetuò docet Angelum esse in loco per contactum virtutis, vt patet in hac quæst. 52. artic. 1. condistinguit contactum quantitatiuum contra contactum virtutis: & sic concludit, quòd per applicationem virtutis Angelicæ ad aliquem locum, qualitercumque dicitur Angelus esse in loco corporeo. Et quòd hæc virtus, qua Angelus habet contactum,non possit explicari de virtute radicali, quæ est substantia Angeli; sed de formali, quæ est potentia superaddita, ostendit locus supra citatus ex quæst. 76. artic. 6. quòd,quia Angelus vnitur,vt motor, vnitur per potentiam, vel virtutem: anima autem, quia vnitur, vt forma, vnitur per essentiam suam, idest, per substantiam suam: Ergo condistinguit vnionem Angeli per virtutem ab vnione per substantiam, quæ est virtus radicalis: ergo illa virtus, qua Angelus vnitur, est virtus formalis. Item in 1. distin. 37. quæst. 3. art. 1. inquit quòd *Angelus, & quælibet substantia spiritualis non potest esse in corpore,*

pore, vel in loco, nisi per operationem, quę effectum aliquem in eo causat. Operatio autem, quæ effectum causat in corpore, est propria operatio, & procedit ab Angelo mediante virtute operatiua: ergo per istam virtutem superadditã, Angelus, est in loco, sicut corpus per quantitatẽ superadditam.

2456 *Confirm. ex eodem S. Doctore, quod loco contactus quãtitatiuæ in Angelo est quantitas virtutis.*

Quod expressit etiam D. Th. in q. 1. art. 4. vbi inquit, quod *Contactus corporis est per quantitatem dimensiuam, quæ in Angelo non inuenitur, cùm sit incorporeus: sed loco eius est in eo quantitas virtualis, sicut ergo corpus est in loco per contactum dimensiuæ quantitatis, ita Angelus est in loco per contactum virtutis. Siquis autem velit virtutis contactum operationem vocare, propter hoc, quòd operari, est proprius effectus virtutis, dicatur, quòd Angelus est in loco per operationem. ita tamen, quòd per operationem non intelligatur sola motio: sed quæcunq; vnitio, qua sua virtute se corpori vnit, vel præsidendo, vel continendo, vel quocumq; alio modo*. Vbi D. Thom. non excludit operationem Angeli, qua vnitur, & fit pręsens corpori, quando dicit per operationem non intelligi solam motionem: sed docet, quod, vt Angelus sit in loco, non requiritur operatio, quæ est motus localis, & quòd corpus ipsum, cui assistit, moueatur localiter: sed sufficere quamcunque aliam actionem, qua se determinat, & applicat circa aliquod corpus, etiamsi actio illa motus localis non sit, sicut, citato loco ex dist. 37. dicit, quod *Angelus est in loco, quatenus operatur circa aliquod corpus locatum, vel motum, vel lumen, vel aliud huiusmodi, cui tamen esse non confert*.

2457 *Petes 3.*

Petes tertio. *Quomodo probetur Conclusio sic explicata?*

Resp. Rationẽ Esse, quia formalis ratio, qua Angelus est in loco, non debet cõtineri à corpore locante,

Resp. Probari hac ratione. Formalis ratio, qua Angelus existit in loco debet esse talis, quòd non contineatur, nec mensuretur corpore locante: sed quòd contineat corpus, & fundet vbi, non circumscriptiuum, nec subiectum legibus loci, & extensionis: sed superiùs loco, sicut anima nostra, est in corpore, vt superior, & continens illud: sic enim à fortiori debet Angelus esse in corpore, seu in loco, superiori modo, quàm anima, scilicèt, non vt informans; sed vt motor. Tale autem fundamentum, & ratio habendi contactum non est sola substantia Angeli, propter rationem supra dictam, quia, si substantia Angeli vnitur corpori locanti à se distincto, & vnio accidentalis est, oportet fundari in aliqua ratione accidentali superaddita substantiæ: corpus autem cui Angelus coniungitur, tanquam loco, substantia est. Non ergo potest substantia Angeli illi vniri, nisi mediante aliqua accidentali ratione, qua accidentaliter comparetur ad tale corpus. Non potest autem fundari in aliquo accidente ipsius Angeli per se, & formaliter commensurabili corpori, quia hoc esset quantitas: nec enim alio accidente commensurabilis est formaliter quantitas corporis locantis. Debet ergo esse accidens virtualiter commensurans Angelum corpori. Nec est alia virtus, sic commensurans, quàm virtus operatiua, vel receptio passiua ab alio operante:

2458 *Confirm. quia Angelus est substantia completa.*

Et horum omnium ratio est, quæ iam supra est insinuata, quia Angelus est substantia completa. Vndè non potest vniri accidentaliter alteri, nisi vel tanquam causa effectiua operatione sua, vel tanquam subiectum accidenti, vel sicut ea, quę commensurantur quantitate, vt vestes corpori, locus locato, vel ea, quæ loco appropinquant, vt plura, quæ in aceruo coniunguntur, quæ est coniunctio locorum. Per commensurationem quantitatis, vel distantiæ localis Angelus nõ vnitur loco, quia caret quantitate. Nec tanquam subiectum accidenti, quia corpus non subiectatur in Angelo, nec e contra: ergo, vt efficiens passo, vel passum agenti.

2459 *Petes. 4.*

Petes quartò. *Cur requiratur operatio formaliter transiens, & non sufficiat formaliter immanens?*

Resp. non sufficere immanentem, quia hęc potest esse solùm per intellectum, & voluntatem in Angelo.

Resp. Non sufficere operationem immanentem, quia hęc solùm potest esse in Angelo per intellectum, aut voluntatem, operatio autem intellectus, & voluntatis compatitur cum absentia rei, circa quam versatur, nec requirit physicam præsentiam obiecti; sed intentionalem: cùm possimus intelligere, & amare rem absentem & dato, quòd intellectio versetur circa rẽ præsentẽ, vt quando est intuitiua, tamen adhuc nõ ponit in ipsa re, nisi denominationem extrinsecam, qua re redditur visa, quod non pertinet ad constituendum formaliter rem in loco: sed supponit esse pręsentem localiter. Requiritur ergo ad illam coniunctionem, & contactum virtualem aliqua operatio transiens, vel passio à tali operatione proueniens, quia in hac concurrunt conditiones requisitę ad rationem formalem existendi in loco. Nam primò requirit præsentiam, saltem in ea parte immediata, vndè incipit motus. Secundò operatio Angeli est superior, ad corpus, cùm sit actio rei spiritualis, vel si Angelus alligatur corpori, manet illi subiectus, nõ per commensurationem ad eius quantitatem: sed per subiectionem ad actionem corporis, vt instrumenti diuini. Tertio commensuratur Angelus virtualiter rei extensæ manendo indiuisibilis in se, quia subijcit sibi corpus tanquam superior illo in agendo plus, vel minùs secundùm efficaciam suã, sicut anima cõmensuratur extensioni rei corporis, subijciendo illud sibi per informationem: ergo habet omnes conditiones, vt resultet *vbi* spirituale, & habeatur contactus, quo indiuisibilis substantia extenso corpori sit præsens plùs, vel minùs iuxta virtutem, & efficaciam operationis suę:

2460 *Petes 5.*

Petes quintò *Quomodo Angeli sint in Cœlo Empireo, & quid in illo operentur*.

Resp. posse producere aliquã lucem, aut augere eam, quam habet Empireum.

Resp. Posse producere aliquam lucem, aut augere eam, quam illud Cœlum habet: nam quod Angeli possint in corporibus lucem producere, affirmat S Thom. in 1. dist. 37. quæst. 3. art. 1. in corp. & hoc conueniens est pluribus testimonijs scripturę, in quibus dicuntur aliqua loca sensibiliter ab Angelis illuminata, vt actorum 12. *Angelus Dñi astitit, & lumen refulsit in habitaculo carceris. & Lucæ 2. Angelus Dñi stetit iuxta illos, & claritas Dei circũfulsit illos.* Et Matth. 28 *erat autẽ aspectus eius sicut fulgur.* Licèt autẽ possint Angeli pducere lucẽ, non tamen immediatè poterunt alias qualitates alteratiuas producere, v g calorem, aut frigus nisi applicando actiua passiuis, eo quòd lux est qualitas cœlestis, & magis pertinens ad qualitates intentionales: & ideò congruentiùs est ab Angelo produci quàm qualitates elementales. Ex hac autem lucem corpus illud cœleste maximè condecoratur: nam si de Beatis dicitur Apoc 21. quod *Afferent gloriam suam, & honorem in illam*, idest in ciuitatem cœlestem, multò magis Angeli luce sua speciali gloriosissimam efficient habitationem illam, & quia lux illa superioris perfectionis est, etiam cõducere poterit ad aliquas influentias cœli empyrei in corpora inferiora, quia licèt illud cœlum sit immobile motu locali, tamen aliquid influere in hęc inferiora pertinens ad dignitatem, seu permanentiam docet S. Th. 1. p. q. 66. art. 3. ad 2. retractans oppositum, quòd tenuerat in 2. dist. 2. q. 2. art. 3. Nec obstat, quòd cœlum illud non emittit lucem suam ad nos: hoc enim ideò est, quia illud corpus est subtilissimum: lux autem nõ eiaculatur radios, nisi sit in corpore denso, sicut sunt astra, & Planetę, quibus astris caret illud cœlum: tamen nihil obstat quominùs illa lux vt potè corporis, ita nobiles suas occultas qualitates influat in hęc inferiora, ad quòd plurimum adiuuari poterit à perfectione lucis angelicę, qua decoratur.

2461 *ex hac luce Empireum maximè decoratur.*

2462 *Petes. 6.*

Petes sexto. *Quomodo Angelus sit in vacuo; an sit in illo tanquam in loco? & in conuexo cœli empirei quomodo sit.*

Resp. Angelum posse esse in cõuexo Cœli Empyrei positiuè.

Resp. Angelum ex D. Th. quodlib. 6. a. 6. posse esse in conuexo cœli empirei, id est, in vltima superficie, vbi adhuc non est vacuum: sed ibi terminatur vltimum corpus, vbi adhuc operari potest,

&

& contactum habere virtutis, atque adeò esse ibi, vt in loco positiuo. Si verò demus Angelum totaliter poni extra hunc mundum, aut fuisse productũ à Deo ante hunc mundum visibilem, talis Angelus non esset ibi tanquam in loco saltem completè: & iuxta modum contactus sui, qui est cõtactus operatiuus, vndè vbi nihil est, non tangit: nec aliàs replet illud vacuum, sicut corpus. Posset tamen habere ibi aliquam præsentiam ordinis, seu in actu primo, quatenùs posset formare dictamen de operando in tali, vel tali parte spatij illius vacui determinatè, si ibi adesset corpus, ita quod ex vi talis dictaminis, si poneretur corpus, determinatè operaretur, & tangeret illud. Nec posset tunc inter duos Angelos in spatio illo positos fundari aliqua distantia positiua, & formalis, quasi inter terminos extensionis, & mensurationis: Sed solùm distantia negatiua, & imaginaria, non fundata super Angelos: Sed in ipso spatio imaginario, qualis modo datur, etiamsi ibi Angeli non sint: sicut enim Angelo assistente alicui corpori, non ab ipso Angelo, sed à corpore sumitur distantiæ mensura, & extensio, ita remoto corpore, & considerato solo spatio imaginario, non ab ipso Angelo: sed à spatio sumitur imaginaria distantia.

2463 *Esset tamen in vacuo non completè, sed præsẽtia ordinis.*

Quod verò dicitur Angelum posse moueri per vacuum, si agatur de motu continuo positiuo trãseunte per medium, negatur sic posse Angelũ moueri, quia non mouetur, nisi secundùm aliquem contactum virtualem, & actiuum: nec enim repletiuum spatij habere potest, actiuum autem in vacuo non potest exercere, cùm ibi nihil sit, in quo agat. Secùs est de corpore, quod non habet contactum actiuum; sed repletiuum spatij. Vndè potest diuersas repletiones mutare, & induere propinquitatem, vel distantiam ad aliud corpus, quæ etiam acquiritur per motum. Et ideò remoto omni alio corpore, non posset moueri, quia non haberet quid acquireret per motum; At verò motu non discreto non transeunte per medium, bene posset Angelus existens in vacuo moueri ad corpus distans, eo modo, quo dicemus infra. Et sic non est inconueniens, quod secundùm motum continuũ, minùs possit Angelus moueri in vacuo, quàm corpus, quia nobiliori motu mouetur, scilicet per contactum virtualem, non repletiuum loci, & illius motus vacuum non est capax, nec tamen manet immobilis, quia motu discreto moueri potest.

Angelus vtpotest moueri per vacuum actiuè, sed solum ad corpus distãs.

2464 *Petes 7.*

Petes septimò. *An si Angelus cessaret ab omni operatione, esset nullibi?*

Respondetur nullum debere censeri inconueniens, quòd Angelus maneat in hoc vniuerso absq; omni loco positiuo; id enim expressè admittit S. Th. in 1. dist. 37. art. 1. ad 4. (*Hoc* (inquit) *non reputo inconueniens, quòd Angelus sine loco non possit esse, & non in loco, quando nullam operationem circa locum habet, nec est inconueniens, vt tunc nusquam, vel in nullo loco esse dicatur, sicut etiam non est inconueniẽs, quòd nullo colore coloratus esse dicatur, sed tamen hoc non est imaginabile, quia imaginatio continuum non transcendit*). Itaque illud magnum absurdũ, quod aliqui reputant, quòd Angelus possit non esse in loco, est inconueniens imaginationis, non rationis: ratio enim dictat, quòd substantia purè spiritualis, sicut Angelus, nullo modo subijcitur loco, neq; dependet ab illo, aut commensuratur; sed potiùs se habet, vt quædam vis actiua in illud, superior omni corpore: & sic contactus eius ad corpus debet esse per modum actiuitatis, & hæc, cùm operetur ex subiectione ad voluntatem liberam, potest cessare omninò, & sic manebit Angelus sine cõtactu erga illud corpus, quod est manere sine cõiunctione, seu præsentia positiua ad corpus, quia hæc per aliquem contactum fit, sicut etiam Deus, si velit destruere omnes creaturas, non erit in loco positiuè: sed solùm in se ipso, sicut modo non est positiuè in spatijs imaginarijs.

Resp. Non esse inconueniens, Angelum manere in hoc vniuerso absque omni loco positiuè.

2465 *Angelus si nihil operetur*

Angelus ergo, si nihil velit operari erga corpus, solùm poterit ibi esse præsens, præsentia ordinis, idest in actu primo & secundùm potestatem & ordinem ad talem locum, non secundùm applicationem & contactum in actu secundo. Quando verò dicitur, quod illud, quod nullibi est, neque est, intelligitur quando nullibi est, nec formaliter, nec radicaliter, ita quod neq; secundùm capacitatem ordinetur ad locum. Si autem de se potest esse, si velit, & in actu primo & potestatiuè, est in aliquo loco; sed de facto & applicatè non vult illum tangere, quia independens est ab illo, non sequitur, quod nihil sit, ex eo, quod alicubi formaliter nõ sit.

erga corpus, est ibi præsens præsentia ordinis.

2466 *Petes 8.*

Petes octauo. *An si Angelus præsideat alicui loco, & nihil ibi operetur, sit ibi tanquam in loco?*

Resp. Quòd secundùm D. Th. Angelus est in loco, non solum per motionem corporis: sed quocumq; modo operetur in illo, vel vniatur illi, aut præsideat illi: sed tamen, si præsideat sine aliqua operatione erga corpus, qua tangat illud, solùm habebit præsidentiam ordinis, & in actu primo, quæ pertinet ad illud dictamen practicum, quo Angelus ordinatur erga aliquem locum: si autẽ præsideat operando aliquid applicatiuè, & in exercitio erga locum, erit in illo per positiuum contactum, & præsentiam formalem: & similiter si vniatur illi vnione aliqua passiua, per quam existit modo præternaturali in loco. Et ad id, quod dicitur de approximatione, seu coniunctione ad locum antecedenter ad operationem iam diximus, eadem operatione Angelum posse se applicare, & tangere locum, & operari effectum ex illo, & in illo.

Resp. Angelum in tali casu solum habere præsentiam ordinis, & in actu primo.

Quod habet Angelus propter eminentiam suã, & superioritatem erga corpus ad quod non habet contactum, nisi per modum virtutis actiuæ, non subiectiuæ corpori, neque dependentis ab illo, itaut priùs indigeat illi commensurari, & applicari, quàm operari. Itaque coniunctio, & applicatio agentis ad passum, tunc antecedit operationem eius, quando fit per commensurationem, & coaptationem quantitatiuam agentis cum passo, & tunc sequitur operatio; quando verò agens est omninò superius ad passum, ita quod non indiget illi commensurari per quantitatem, tunc non priùs vnitur, quàm operetur: sed ipsa operatione subijcit sibi passum, & ex illo elicit effectum.

Applicatio ad passum tunc antecedit operationem, quãdo fit per commẽsurationem.

DVBIVM II.

An sola virtus Angeli, præcisa operatione, sit ratio formalis actualiter, ac formaliter applicatiua Angeli ad locum.

2467 *Concl. neg. explicatur.*

Conclusio est negatiua: patet ex modò dictis in præced. quinto quæsito. Sola virtus Angeli non potest esse actualis. Ex quo colligitur, quomodo nõ sola virtus Angeli possit esse actualis sine operatione, quæ aliquo modo coniungat spatium ipsum loco. Nec dico, quòd operatio solùm se habet, vt applicans, virtus autem Angeli, vt ratio, qua habetur contactus: sed operatio ipsa se habet, vt applicatio suæ substantiæ, à qua erit, vt formalis ratio actualis tangendi corpus, seu locum; sicut, si quantitas esset actiua in tangendo alterum corpus, non tangeret entitatiuè, vt sic dicam; sed operatiuè, & operando tangeret, seque applicaret. Quod colligitur ex duobus.

2468 *1. Ratio. Si operatio Angelica esset solùm applicatio, & non ratio formalis, plures Angeli possent esse in eodem loco.*

Primò, quia in sententia D. Th. artic. 3. huius qu. 52. ideò non possunt plures Angeli esse in eodem loco, quia virtus Angeli tangit locum per modum continentis perfecti: vnde, cùm non possint plures causæ completæ, & perfectæ, operari circa eandem rem, nec etiam poterunt plures Angeli esse in eodem loco: quæ ratio nihil probat, si operatio ipsa solùm se haberet, vt applicatio virtutis, non vt formalis ratio existendi in loco: nam, si operatio solùm se habet, vt applicatio, posset responderi, quod causæ completæ operantes in actu, & applicatæ repugnant quidè respectu eiusdem effectus, vel passi: sed operantes virtualiter, seu in actu primo tantùm non repugnant, nisi

solùm,

solùm, quando operantur in actu. Et sic, sin operatio se habet, vt applicatio, & virtus ipsa, vt in actu primo applicata est ratio formalis existendi in loco, possent duo Angeli esse simul in eodem loco, si applicarent virtutes suas ad locum, non autem operarentur effectus, sicut si homo applicaretur alicui loco, non tamen operaretur circa illum: tota enim repugnantia plurium causarum circa eundem effectum est ex operatione, non ex applicatione virtutis. Quarè, si ratio illa probat non posse plures Angelos esse simul in eodem loco, oportet, quòd formalis ratio non sit sola virtus applicata: sed etiam operatio, quia ex operatione formaliter sumitur repugnantia operandi eundem effectum, & consequenter existendi plures Angelos in eodem loco: illa est autem formalis ratio existendi in loco, vndè sumitur repugnantia coexistendi cum altero, & causandi cum altero.

2469 *2. Ratio quia si virtus, & non operatio esset ratio formalis; Angelus non esset modò in maiori, modò in minori loco.*

Secundò idem colligitur, quia Angelus potest intra sphæram suæ virtutis esse in maiori, vel minori loco, vt asserit S. Th. in hac quæst. 52. artic. 2. & constat, quia Marc. 5. dicitur fuisse in vno homine legio Dæmoniorum: & cùm quilibet Angelus maius spatium occupare possit, quàm anima humana, quæ est illi inferior, oportet, quòd, si in vno homine erat legio Dæmonũ, occuparent minorem locum, quàm possent occupare: virtus autem Angeli non potest minor esse, vel maior in se, bene tamen operatio eius circa corpus potest versari, & applicari circa maius, vel minus spatium: ergo ipsa operatio, & non solùm virtus est ratio formalis existendi in loco, vt possit contrahi, vel extendi talis assistentia Angeli ad locum, sicut in anima nostra ipsa actualis informatio est ratio formalis habendi præsentiam ad corpus, & non solũ substantia, vt potens informare, ideoq; aliquando anima informat exiguum corpusculum, vt in infante, aliquando maius, iuxta actualem capacitatem, & informationem, quæ est ratio habendi istam præsentiam, & contactum informatiuum ad corpus; ita Angelus, qui est forma non informans corpus: sed operans in illud, per ipsam operationem maiori, vel minori corpori redditur præsens, secundùm quod incipit à maiori, vel minori parte. Vbi aduerte posse Angelum diffundere virtutem suam ad effectus faciendos, etiã vltra locum vbi adest, licet substantia non sit præsens toti illi corpori, sicut Angelus mouens cœlum non est in toto cœlo: sed in vna parte, vndè motum diffundit.

2470 *Confirm. quia quando Angelus operatur per actionem transeuntem, illa actio eductiua non operatur nisi dependenter à corpore.*

Et ita S. Th. in hac quæst. 52. art. 1. dicit, quòd *ad totum corpus, & si per virtutem suam applicatur Angelus, correspondet ei vt vnus locus, eò quòd non applicatur virtus eius, nisi ad id, quòd primò mouetur ab ipso.* Et de Anima Christi Domini dicit D. Th. 3. part. q. 52. art. 2. quòd *In aliqua parte inferni fuit per suam præsentiã, & substantiam, in alijs per operationem, seu effectum*, eò, quòd substantia fuit in aliqua parte immediatè, in alijs mediatè, idest, per effectus suos. Intelligimus ergo, quòd quando Angelus operatur in corpore per actionẽ transeuntem, cùm illa actio, vt pote eductiua, non possit operari, nisi dependenter à corpore, & consequenter debeat coniungi corpori, à quo immediatè educit effectum, ibi adest tota virtus, & substantia Angeli: vndè primò incipit eius operatio transiens, quia vbi primò incipit operatio, oportet quòd sit virtus, & principium, à quo immediatè effluit, & consequenter etiam passum, à quo educit suum effectum.

2471 *Virtus contactiua, & applicatiua ex parte Angeli est indiuisibilis.*

Cùm ergo virtus sit indiuisibilis ex parte Angeli, dicetur applicari toti illi corpori, quo primò vtitur ad elicientiam actionis, sicut anima applicatur toti illi corpori, quod informat, & viuificat. Et sic subiectio corporis ad virtutem indiuisibilẽ Angeli, & ad operationem eius, vt primò exeunt à virtute, & substantia Angeli, & simul à corpore, à quo educit effectum, est ratio, quæ constituit contactum spiritualem, seu virtualem Angeli. In corpore autem vlteriori, per quod diffundit suam virtutem post primam elicientiam operationis nõ ponitur præsens substantia Angeli per se, & immediatè: sed mediatè, idest, mediantibus effectibus suis. Ad immediatam autem præsentiam virtus operatiua præbet fundamentum, quia præbet quantitatem virtualem, id est virtutem potentem tangere corpus, & actu se coaptantem tanto, vel tanto corpori, quatenùs ipsa ratio agendi fundat præsentiam ad passum per modum formæ continentis actiuè ipsum, non rei contentæ, & circumscriptæ à loco, cui vnitur.

2472 *Contactus virtualis Angeli non habet pro ratione formali aliquid antecedens eius operationem.*

Quare contactus Angelicæ virtutis nõ habet pro ratione formali, & fundamento aliquid antecedens virtutem operatiuam, & eius operationem: sed eadem Angeli operatio, cùm procedat à forma, seu virtute agenti independente à commensuratione cum loco, nec loco subiecta: sed quæ subijcit sibi locum, oportet, quòd contactum faciat operando, idest, subijciendo sibi locum, seu passum, vndè operetur: non subijcit autem, nisi agendo: sed illa operatio respicit duos effectus. Primus est subijcere sibi passum coniungendo illud sibi, vt formæ agenti independenti ab eius commensuratione. Secundus est ipse effectus, quem ex tali passo educit. Et ponimus primum effectum ex necessitate, quia spiritus est forma purè agens in corpus, non substantia illi commensurata: vndè non nisi agens do illud sibi vnit, & subijcit, & sic tangit operatiuè, non quantitatiuè, seu commensuratiuè.

2473 *Instabis.*

Et si dicas: quid facit Angelus in corpore per hunc contactum? Respondeo ponere corpus applicatum, seu vnitum sibi, vt ex eo agat in tanto, vel tanto spatio, vel parte: in applicatione enim passi ad agens duo inueniuntur. Primum, distantia localis, & commensuratio vtriusq; in loco. Hanc non habet spiritus. Secundum, est coordinatio, & subiectio ad agens, vt ex illo agat, per quod ponit ordinationem, seu modum quendam, & subiectionem passi ad effectum ex illo educendum, sicut virtus fæminæ subijcitur virtuti masculi, non solùm localiter: sed causatiuè, ordinando illam ad effectum. Hoc secundum causat contactus virtutis Angeli in corpore, deinde educit effectum.

Resp. Angelum per contactum vnire sibi corpus, ac applicare.

DVBIVM. III.

An quando Angelus modo præter naturali est in loco, vt Dæmon in igne inferni, sit ibi per passionem, & non per operationem, & quomodo anima separata sit in loco.

2474 *Concl. affirm. Prob. quia aliquando applicatur alicui corpori per actionem superiorẽ.*

Conclusio est affirmatiua: quando Angelus est in loco modo præternaturali est in illo per passionem, & non per operationem. Constat, quia aliquando alligatur alicui corpori per operationẽ superiorem, siue à Deo inferente illi torturam per ipsum corpus, tanquam per instrumentũ, siue ab alio superiori spiritu. sicut supra diximus ex illo loco Tobiæ 8. vbi dicitur quòd *Angelus Raphael alligauit Dæmonium in deserto superioris ægypti*: sed tamen Angelus tunc non est connaturaliter in loco: sed præternaturaliter, seu violentè, sicut anima non est connaturaliter, nisi in corpore, quod viuificat, & informat: extra illud vero est præternaturaliter, aut violentè.

Angelus est in loco per operationem; Dæmon verò in inferno per pati.

Vndè Caietanus in hac quæst. 52. art. 3. docet Angelos naturaliter locari in loco per operationẽ; Dæmones verò per pati potiùs, quàm per agere. Sed de hoc pleniùs agemus infra circa quæst. 64. tractando de pœna Dæmonum per ignem: hanc enim ferè semper explicat nobis scriptura per modum alligationis, & detentionis, qua Dæmones cruciantur in illo igne, vt 2. Petri 2. *Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*: & in Canon. Iudæ. *Vinculis æternis sub caligine reseruauit*: & Actorum 2. *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quòd impossibile erat teneri, illum ab eo.* Quomodo autem possit corpus alligans

allipans Angelum ex tali contactu producere in eo vbi spirituale? dicitur hoc ideò esse, quia agit, vt instrumentum Dei, vel superioris virtutis, quæ tali instrumento vtitur ad ponendum in Angelo aliquid spirituale, vt ibi dicemus.

2475 *Quomodo resultet in Angelo virtualis contactus passiuus.*

Ac proinde ex tali effectu spirituali posito in Angelo ab aliquo corpore, vt instrumento diuinæ virtutis, resultat in Angelo virtualis contactus passiuus ad illud corpus, cui tanquam instrumento alligatur à Deo Angelus, & producit in illo effectum illum spiritualem, siquidem ille spiritualis effectus habet ordinem ad instrumentum corporeum, à quo fit, & non potest habere contactum cum illo corpore, nisi virtualem, in quantùm est effectus spiritualis à tanto, vel tanto instrumento factus, & illo alligans spiritum, quia ad hoc fit ille effectus, vt Angelus alligetur corpori, & non possit vti suis potentijs, vt voluerit: & ideo ad tantùm corpus habebit contactum virtualem, Angelus ad quantùm fuerit alligatus per illum effectum passiuè receptum in Angelo: & sic non correspondet corpori per commensurationem, sed per virtualem contactum spiritualis effectus subijcientis, & alligantis Angelum tanto, vel tanto corpori, vt impeditiuo suarum operationum, quatenus est instrumentum Dei. Quis autem effectus sit ille, quem ignis ponit in Angelo, quando torquetur, vel detinetur à corpore.

2476 *Obiectio.*

Arguitur: Angelus potest alligari alicui corpori nihil in ipsum agendo, sicut Dæmon alligatur igni inferni, in quo nihil operatur: ergo operatio non potest esse formalis ratio existendi in loco. Nec potest dici, quòd est in loco per passionem: nam id, quod est formalis ratio alicuius, ita est requisita, vt ea deficiente, effectus formalis deficiat. Si ergo formalis ratio essendi in loco est operatio in Angelo, non potest per passionem in eo existere.

1. Confirm. Et propterea in animabus separatis patet, quòd aliquando sunt in loco, vbi nihil operatur, nec tamen patiuntur, sicut animæ, quę sunt in Limbo, *2. Confirm.* & olim erant in sinu Abrahæ, vbi nihil patiebātur, & tamen ibi erant nihil operando: quid enim ibi operabantur? & ipsa anima Christi descendens ad *3. Confirm.* inferos in aliqua parte inferni, fuit secundùm substantiam, in alijs vero per operationem, seu effectus, vt docet S. Th. 3. p. quæst. 52. art. 2. ergo di- *4. Confirm.* stinctus modus existendi est per substantiam, à modo existendi per operationem. Item licèt Dæmones patiantur ab igne, tamen prius est esse alligatos igni, quàm pati ab eo, vt docet S. Th. in 4. dist. 44. q. 3. art. 3. quæst. 3. ergo ipsa passio resultans ab actione ignis, non est illis ratio formalis essendi in illo loco, quia quando ignis agit, iam est illis coniunctus. Denique illa pœna, & actio ignis in Dæmones æque torquet ipsos sibi propinquos, & à se distantes, sicut torquet Dæmones in hoc aere existentes: ergo non est ratio existendi in loco ipsis spiritibus, siquidem compatitur passio illata ab igne cùm distantia eorum.

2477 *Resp. Angelū esse in loco violente per passionem; non contradicit esse in loco per operationem.*

Resp. Angelum esse in loco per operationem, præternaturaliter autem, vel violenter per passionem. Neq; hoc est mutare rationes formales existendi in loco: sed proportionatè assignare illas, sicut corpus naturaliter existit in loco per extensionem, supernaturaliter autem per indiuisibilitatē, sicut corpus Christi in Sacramento. Addo, quòd spiritus alligati corpori fortasse non ita alligantur quòd priuetur omni operatione in ipsummet corpus, ita vt purè existant per passionem: sed aliquid permittuntur operari, & si non ad voluntatem suam, sed magis, vel minùs, prout fuerit strictior, vel minùs stricta alligatio, per quam illud corpus, vt instrumentum Dei impedit, & coercet virtutem operatiuam Angeli, sicq; causat in illo maiorem, vel minorem pœnam. & ad hoc moueor, quia multi Dæmones sunt in isto aere, qui cruciantur ab igne inferni, & tamen permittuntur aliqua operari circa ista corpora. Quid ergo nos vetat intelligere, quod illi, qui sunt intra terram in ipso inferno aliquid permittantur operari in ipsomet igne in quo sunt, & in alias animas, vel Dæmones, torquendo illos? Et in hoc dabitur latitudo, itaut, qui habent minorem pœnam, minùs coerceantur, & impediantur ab operando in illo corpore, cui sunt alligati. Qui autem acerbiorem pœnam sentiunt, multò magis impediti sunt ab operando. Quòd, si totaliter impediantur agere, & purè passiue sint alligati illi corpori, erit cruciatus vehementissimus, sicut in nostro corpore experimur quod quando per externas pœnas, vel per intrinsecam distemperationem humorum ita facultates naturales præmuntur, vt suas naturales operationes exercere non permittantur, est accerbissimus cruciatus: sic existimandum est, quòd secundùm, quòd potentia spiritualis magis, vel minùs impeditur à sua libertate operandi, & intellectus magis fatigatur in applicatione vehementi ad cogitandum de illa pœna, tantò acerbior est cruciatus, eò quod dolor obiectiuus consistit in mala dispositione facultatis, & potentiæ præternaturali, & violenta, sicut delectatio in connaturali. Et licèt nobis occultum sit quid operentur Dæmones in illo igne, cui alligati sunt, tamen promptum est cogitare, quòd sicut Dæmones in isto aere, vel terram aliquid operantur, ita aliquid poterunt operari circa illum ignem, vel mouendo se, vel mouendo ignem, aut animas, aut alios Dæmones.

2478 *Ratio essendi in loco per passionem, admittit latitudinē, ita vt qui habent minorem pœnam, minùs coerceantur.*

2479 *Ad 1. Confirm. Resp. Animas in sinu Abrahę si nihil operabantur, erant ibi per passionē.*

Ad instantiam de animabus in Limbo, dicemus circa tertiā confirm. Interim sufficit dicere, quòd si animæ in sinu Abrahæ nihil ibi operabantur, existebant per passionem in illo loco, idest per detentionem, non quidem pœnalem: sed carcere quodam honorario, quia non permittebantur inde exire, & sic quasi vinctæ erant ibi, vt insinuatur in illo Zacarię. 9. *Tu autem in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu*, in quo non erat aqua: Et idem significant illa verba Lucæ 16. vbi Abraham loquitur ad diuitem damnatum. *Inter vos, & nos Chaos magnum firmatum est, vt hi, qui volūt hinc transire ad vos, nō possint, neque inde huc transmeare*. Ergo etiam ad alia loca pœnalia non poterant illæ animę moueri: sed erant impeditæ, non quidem ex natura sua: sed ex ordinatione diuina, alioquin non peteret Diues, vt Lazarus mitteretur ad se, & ad domum patris sui, si non possent animæ moueri: ergo erant animę ibi detentæ, & sic passiuè existentes in loco. An verò possint actiuè operari circa alia corpora, & sic per modum agentis poni in loco, dicemus respondendo ad tertium exemplum, vbi etiam de animabus in Limbo.

2480 *Ad 2. Confirm. Resp. Animam Christi in limbo produxisse lucem exteriorem.*

Quod verò attinet ad animam Christi Domini, quando descendit ad Limbum Patrum: S. Th. in 3. dist. 22. quæst. 2. art. 2. quæstio. 1. sentit, quòd etiam lucem sensibilem, & exteriorem produxit in illo loco, qua illum illustrauit. Quando verò in 3. p. qu. 52. distinguit, quòd ad quędam loca inferni descendit anima Christi secundùm essentiam suā: ad alia per effectus suos, manifestus est sensus, quod ibi erat præsens. secundùm essentiam suam, vbi operabatur immediatè, v. g. lucem illam producendo, vel aliquid simile: in alijs autem locis pęnalibus erat per effectus mediatos, quia spiritus inferni increpauit, seu vt dicit D. Petrus epist. 1. cap. 3. His, qui in carcere erant spiritibus veniens prędicauit: sicut sol visceribus terrę est per effectus mediatos: in isto verò aere per lucem manifestantem pręsentiam eius.

Ad 3. Confirm. Resp. explicando sensum D. Thomæ.

Quod vero additur ex D. Th. in 4. dist. 44. dicimus S. D. non ibi dicere, quòd priùs sit spiritum esse ligatum igni, quàm pati ab eo: sed solùm dicit, quòd res corporea habet ex sua natura, quod spiritum loco definiat: sed non quòd detineat, vel alliget illi loco. sed hoc superadditur illi igni, vt est instrumentū diuinę iustitię, quod sic detinet spiritum, & ita efficitur ei pænalis, retardans eum ab executione proprię voluntatis, ne scilicèt possit operari vbi vult, & secundū quod vult. Vbi D. Th. nihil aliud docet, quā doctrinā hucusque traditā.

Deni-

Ad 3. Confirm. Resp. ignis inferni non est ratio locandi Dæmones in hoc aere.

Denique ad id, quod additur de actione ignis inferni in Dæmones existentes in hoc aere non vrget: dicimus enim, quod ille ignis non est ratio ponendi spiritum in loco per passionem, nisi quando detinet illum apud se, & ligat, ne alibi operetur. Si autem alibi operari permittit, sicut Dæmones, qui sunt in isto aere, erit quidem illi pœnalis secundùm quod, vel minùs restringit operationem eius in alio loco, ne iuxta voluntatem suam faciant, non est ratio ponendi illum in loco distanti, quia non operatur aliquam passionem immediatè in eo receptam; sed in loco illo distanti ponetur spiritus per operationem, quam ibi exercere permittitur ab igne, qui ex hoc illi pœnalis redditur.

2481 *Petes.*

Petes. *An anima separata sint in loco per operationem.*

Resp. adducendo opinionem Negatiuam.

Respond. Non deesse, qui existimant animas separatas per se ipsas moueri non posse, eo, quòd circa nullum corpus operari possunt, vt agendo, & mouendo illi assistant, & præsentiam acquirant: sed moueri dicuntur, quia portantur ab Angelis, & sic solùm passiuè assistunt in loco, non actiuè, sicut dicitur de anima Lazari. Lucæ 16. *Factum est, vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* De Anima autem Christi, quia certum est secundùm fidem descendisse ad inferos, & iterum ascendisse ad sepulcrum, dicunt non fuisse motam naturaliter, nisi, vt instrumentum verbi diuini. Quorum fundamentum est, quia anima separata non potest per se mouere aliquod corpus, vt docet D. Thom. citat. quæst. 117. artic. 4. infra. Ergo neque potest se mouere per modũ agentis, seu per modũ contactus actiui erga corpora solùm, ergo mouebitur ab alio.

2482 *Resp. Animam rationalem esse substantiã per se mobilẽ: quia in separationis statu, habet se sicut spiritus.*

Cæterùm dicendum hoc non posse stare: Sed animam rationalem esse substantiam per se mobilem, quia in separationis statu habet se sicut spiritus, & ad modum spiritus operatur. Est autem inconueniens, quòd spiritualis, & intellectualis substantia in vi status separationis deterior, & imperfectior reddatur corpore se mouente, & ipsa non possit, nisi tantùm moueri, frustra etiam daret illi natura appetitum, seu voluntatem circa res absentes, & loco distantes, & priuaret illam potentia motiua executiua talis voluntatis; sed deberet expectare, si quis Angelus, vel Dæmon vellet illam ferre: quod certè esset deficientissima prouidentia in substantia ita nobili; quòd verò habeant volũtatem existendi in loco distanti, patet: Nam animæ, quę sunt in Purgatorio desiderant esse in cœlo, & anima illa diuitis petebat, vt mitteretur ad se anima Lazari, & ad domum patris sui: & illi respondit Abraham, quod *Chaos magnum firmatum erat inter illa loca, vt hi, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transmeare.* Supponit ergo, quod volebant; sed impediebantur naturaliter; ergo possunt animæ separatæ velle mutare loca: non ergo à natura debet eis denegari potentia loco motiua, seu executiua, quibus concessa est voluntas, cùm etiam animalia vilissima, quæ appetitũ habent, & sensum de re absenti loco motiua sint, vt dici solet in libris de anima.

2483 *Quomodo intelligendus est D. Th. quando negat animabus separatis vim loco motiuam.*

Hæc, & alia ibi ostendimus, & explicauimus S. Thom: quod quando negat animabus separatis vim loco motiuam, loquitur de illis in ratione formarum, non in quantùm operantur, vt spiritus in vi status separationis, vt bene notat, & sentit Caietanus 3. p. q. 52 artic. 2. §. quoad 3. quarè cùm anima, in quantùm forma, habeat vim mouendi corpus viuificatum à se in statu separationis, habet vim spiritus, vt possit etiam mouere corpora non viuificata à se, aut in eis aliquid operari, sicut ad intelligendum accipit species infusas ratione status illius. Quare non est, quod negamus animas posse habere contactum virtualem ad corpora, quæ non informant, & mouere illa, ac mouere se per contactum, & assistentiam ad illa, licèt multo infirmior sit vis motiua naturalis in anima, quàm in Angelo, & præternaturaliter esse poterunt per detentionem, & allegationem passiuam, sicut de Angelis dicemus infra.

2484 *Instabis.*

Quid verò in Limbo operentur animæ paruulorum, aut quomodo ibi sint.

Resp. si Animæ separatæ nihil possunt agere circa corpora, nec sũt ibi per actionem.

Resp. Quòd, si animæ separatæ nihil possunt agere circa se, vel circa corpora, non est dicendum, quod sint ibi per aliquam operationem; sed omninò animæ sunt extra locum ex sua natura, dicuntur autem ex diuina ordinatione esse in istis, vel illis locis alligatæ, vel receptæ, quatenùs ibi Deus aliquid operatur circa illas, aut quatenùs vident se proportionem habere dignioribus, vel indignioribus locis: Nam vt dicit D. Thom. in adid. q. 69. ar. 2. ad 2. *Quædam animæ cum quibusdam locis magis conueniunt vt sunt animæ spiritualiter illuminatæ cũ corporibus luminosis: animę verò obtenebratę per culpam cum locis tenebrosis.* Si autem animæ separatæ agunt, vel mouent aliquod corpus, & se ipsas possunt animæ in Limbo aliquem motum exercere circa illa loca, quamuis propter generalem naturę defectum, quę est culpa originalis non possint circa quęlibet loca operari, vel motum habere; sed tantùm circa illa tenebrosa: Et sic sunt in loco modo spiritualibus substantijs conuenienti, vt ibidem dicit D. Th. ad 1.

DVBIVM IV.

An ex præsentia Angeli ad locum propriè resultet in Angelo vbi intrinsecum, & ad quod prædicamentum spectet.

2485 *Conclusio ex cõtactu virtuali resultat in Angelo Vbi intrinsecum, quod propriè non est de prædicamẽto Vbi.*

Conclusio. Ex contactu virtuali, vel spirituali Angeli ad locum per operationem in ipso, resultat in Angelo vbi intrinsecum, quod propriè non est de pręedicamento vbi; sed reductiuè: Est enim directè pręsentia agentis ad passum, & secundariò locati ad locum, quà tale passum est in loco, vtrumque tamen facit modus ille intrinsecè receptus in Angelo, qui vocatur abusiuè vbi. Hęc est contra P. Suarez lib. 4. de Angelis cap. 2. num. 9. vbi tenet, vbi Angelicum pertinere ad pręedicamẽtum vbi, & cap. 8. num. 3. apertè admittit posse fundari distantiam, propinquitatem inter duos Angelos, aut inter vnum Angelum, & corpus, quod vtique petit vbi ita proprium, sicut vbi corporum, quatenùs ponit situm, & distantiam localem, licèt desit circumscriptio corporis locantis. At verò P. Vasquez hic disputat. 195. censet vbi Angelicum esse solùm denominationem extrinsecam, quia ipse non aliam pręsentiam agnoscit, quàm vnionem Angeli ad corpus, præsentiam autem ad locum solùm dicit esse mediatam, quatenùs illud corpus, cui Angelus adest, est in loco, quod totum nos dicimus fieri proximè, & formaliter per illum modum, qui est pręsentia intrinsecè resultans in Angelo, licèt contactus, ex quo ista præsentia resultat, sit virtus ipsa operans Angeli.

2486 *Prob. Vbi intrinsecum reperiri in Angelo, quia Angelus verè, & propriè mouetur.*

Nihilominùs, quòd in Angelo debeat dari vbi, seu pręsentia intrinseca iam supra in principio art. Supposuimus, & ostendimus, eo, quòd Angelus verè, & propriè mouetur in se ipso siquidem eius substantia manet immobilis, nec simul est in cœlo, & in terra; sed verè, & propriè descendit de cœlo, vt scriptura sæpè loquitur, & anima Christi verè, & propriè descendit ad Inferos, vt est articulus fidei: ergo oportet, quod per istum motum Angelus aliquid acquirat, vel perdat, cùm propriè mutetur de vno loco ad alium, & hoc, quod per motum acquiritur, seu perditur, non in ipso loco, seu corpore subiectatur, quia locus non mouetur; sed est immobilis, id autem, quod mouetur est Angelus, ergo in ipso Angelo, non in loco, seu corpore circumstante debet poni terminus productus per motum. Cùm ergo Angelus per illũ motũ acquirat præsentiã ad diuersum locum, consequenter id, quod acquirit in se per motũ, præsẽtia localis est, & hæc vocatur vbi.

2487 *Petes 1.*

Petes 1. *An hoc, vbi Angelicum sit de prædicamẽto vbi, & an vbi Angelicũ, & corporeũ æquiuocè dicãtur?*

 Resp.

Resp. hoc Vbi angel cum non esse de prædicamento Vbi. prob. 1. quia Vbi prædicamentale facit præsentiam distantiæ in loco.

Respond. hoc *vbi* angelicum non esse de prædicamento vbi: ita D.Thom. opusc.38. tract. de *vbi* c.1. & in hac quæst.52.art.1 affirmat angelicum, & corporeum æquiuocè dicantur.

Ratio autem est, quia *vbi* prædicamentale est illud, quod primò, & per se directè facit præsentiā loci, seu distantiæ in loco, non autem aliud genus præsentiæ, v.g. agentis ad passum, vel formæ ad materiam, licet talis præsentia ex consequenti inferat præsentiam localem, sicut videmus, quod præsentia est coniunctio animæ ad corpus, in quantū informat illud, non est primò & per se præsentia vbicalis, licet non possit informare, nisi in aliquo loco; & præsentia vestis ad rem vestitam, licet fine loco esse non possit, per se tamen, & directè non constituit rem in loco, seu vbicatam, sed indutam: Ergo similiter, si contactus angeli est contactus virtutis operatiuæ erga corpus, vel passiuè receptus ab alia virtute superiori, oportet, quod præsentia, seu modus præsentiæ, quæ ex tali contactu resultat ad corpus, primò, & per se fit præsentia virtutis agentis ad passum, vel e contra, & secundario fit ad locum, eo quod tale passum est in loco, sicut anima rationalis infunditur corpori, primò, & directè hab.t præsentiam informationis, non vbicationis, licet ex consequenti fit in loco corporis, cui vnitur, quod autem anima spiritualis facit informando corpus, angelus facit agendo, quia est forma actiua, non informatiua.

2488 *Instabis.*

Et si dicas: Ergo non est necesse Angelum acquirere vbi intrinsecum præter ipsam operationem contactus ad corpus, sicut anima rationalis ex eo, quod informat corpus non acquirit vbi intrinsecū in corpore.

Resp. neg. conseq. quia angelus est in corpore mobilis, quia potest per motū locale separari

Resp. negatur conseq. quia angelus est in corpore mobiliter, quia potest per motum localem separari à corpore, & ab alio recedere, & alium locū acquirere, vnde oportet, quod eius contactus ad corpus talis conditionis fit, quod in ipso angelo aliquam præsentiam ponat, quæ possit requiri, vel perdi, & quia hæc reddit præsentem loco, saltem secundario, ideo ponimus vbi intrinsecum in angelo, licet, quia resultat ex contactu virtutis operatiuæ, prius efficiat præsentiam agentis, seu operātis erga passum, quàm locati erga locum. Anima autem est informatiua in corpore immobiliter, nisi dispositiones corporis remoueantur, & sic non potest per motum localem recedere à corpore, & aliud acquirere, & sic ex vi informationis non oportet, quòd acquirat vbi, seu præsentiam, quæ possit motu locali in ipsa anima subiectatn immediate acquiri, vel perdi; Sed quidquid de loco acquiritur, vel perditur, in corpore subiectatur, & corporaliter, ac circumscriptiuè fit: Solùm ergo extrinsece tangit animam. Angelus verò non circumscriptiua corporis locatione mouetur; sed per se ipsum ab illo recedit, vel illud tangit.

2489 *Prob. 2. quia vbi prædicamentale habet duas conditiones.*

Denique probatur hæc pars, quia *vbi* prædicamentale duas conditiones habet, quæ desunt vbi angelico. Prima est, quod secundùm illud mensuratur distantia, vel propinquitas vnius ad aliud, quia distinguuntur diuersa *vbi* secundùm diuersas distantias. Secunda est, quod per *vbi* habetur circumscriptio corporis locati à locante, vndè definitur *vbi* prædicamentale, quod est circumscriptio passiua corporis locati à corpore locante prouenienis. Istæ autem duæ conditiones desunt *vbi* angelico, & sic non competit illi definitio, *vbi* prædicamentalis. Et quidem hæc secunda conditio, manifestum est, quod non conuenit angelo, quia circumscribi non potest à corpore id, quod illi non commensuratur, nec sub modo mensurationis eius continetur. Prima etiam conditio deest, quia vnus angelus non potest directè, & ratione sui fundare distantiam erga alium, ita quod, remoto corpore, possit ista distantia mensurari, inter angelum, & angelum: ergo non habet *vbi* distantiale, vt sic d cam; Et ratio est, quia distantia est quædam extensio spatij, vel negatiua, si spatium fuerit vacuum, vel positiua, si plenum.

2490 *Angelus non fundat distantiam, extendendo se per locum*

Hanc autem extensionem, seu distantiam non potest facere angelus extendendo se per spatium, eò, quòd caret extensione; Neque potest fundare illam per modum extremi, seu termini, ita vt ab ipso possit tendi funiculus, seu mensura distantiæ, quia sicut distantia diffunditur per spatium, & per partes eius, ita terminatur in termino talium partium, seu diffusionis earum in quem desinit situatio, seu positio partium in spatio: & ita terminus ille habet positionem, seu situationem, cùm in ipsum continuatio spatij, & distantiæ terminetur. Angelus autem est extra omnem situationem, & positionem, & non solùm tanquam pars; sed etiam tanquam terminus indiuisibilis habens positionem in continuo: ergo non potest ab eo sumi mensura, tanquam ab extremo, & termino distantiæ, sicut inconuenienter diceretur, quòd à visione beatifica Christi Domini, qui est in cœlo, potest sumi mensura, & funiculus distantię vsque ad terram, eo quòd visio illa spiritualis, est extra omnes terminos situationis, & distantię, licèt subiectum in quo exercetur in aliquo loco sit.

2491 *Petes 2.*

Petes secundo. *An ponendus sit in Angelo modus aliquis, qui non solum sit vbi, quod acquiritur per motum localem: sed etiam sit ipsa quantitas virtualis Angeli, fundans tale vbi, cui potest attribui distantia virtualis.*

Resp. negatiuè. quia tali modus vel caret fundamento: vel idem facit quod virtus operatiua.

Respond. negatiuè. Probatur: quia talis modus, vel caret fundamento, vel idem facit erga locum, quod virtus operatiua, & eius operatio: debet enim talis modus reddere angelum præsentem aliqua speciali præsentia distincta à circumscriptione, quatenùs scilicet non debet contineri à loco; sed locum sibi subijcere, & continere, quia spiritui debetur esse, non subiectum loco, si connaturali modo in loco existit. Hoc autem meliùs facit vis operatiua, quia locus, & quodcunque corpus subijcitur angelo tanquam agenti: ergo ratio subijciendi sibi locum debet esse ipsa virtus operatiua, quia hæc pertinet ad rationem agentis, vt agens est: Deinde quia ille modus non est substantialis, quia nec est subsistentia, neque existentia, neque vnio substantialis. Est ergo accidentalis: ergo debet identificari cum aliquo accidente, & non immediatè afficere substantiam, sicut figura non afficit substantiam immediatè: sed mediante quantitate, & intensio afficit mediante qualitate, & *vbi*, & situs mediante circumscriptione: & sic omnis modus accidentalis mediante accidente, cum quo identificatur, afficit.

2492 *Effectus illius modi, est similis effectui quantitatis in corpore.*

Effectus autem illius modi est similis effectui quantitatis in corpore, cùm dicatur esse quantitas virtualis: ergo potiùs debet esse accidens, quàm modus: & tale accidens non potest esse aliud, quàm virtus operatiua. Denique ille modus, si pertinet ad quantitatem virtualem, debet esse vnus pro omnibus locis, sicut quantitas in corporibus est contactiua omnium locorum, & corporum: Ergo non poterit Angelus pro libito se accommodare maiori, vel minori corpori intra suam sphæram, & reddi præsens maiori, vel minori loco, sicut per quantitatem molis non potest corpus modo maiori, modò minori loco attemperari. Quod tamen facilè potest Angelus per operationem in corpus, tangendo sua operatione modò maius corpus, modò minus, prout voluerit: & ita operatio, prout incipit ab aliqua determinata parte corporis, illi assistente reddit angelum, & præsentem.

2493 *Instabis.*

Quod, si dicas, quia ex tali operatione nō potest resultare *vbi* intrinsecum in angelo, quia hoc non potest esse, nisi spirituale, cùm fit in ipso angelo receptum, non potest autem ex actione illa, quę tangit corpus resultare *vbi* spirituale, quia talis actio, cùm tangat corpus, non producit in illo corpore, nisi aliquid corporale, ex effectu autem corporali non potest resultare *vbi* in angelo.

Resp. Vbi sequitur actionem

Resp., quod *vbi* resultat, & consequitur actionē angeli, prout ab angelo est, non ex effectu passiuo, quem

Angeli, prout ab Angelo est.

quem relinquit in corpore, quia modus illius vbicationis est modus existendi in loco per modum continentis, & agentis, non contenti, & commensurati à loco. Quando autem Angelus præternaturaliter existit subiectus loco, & passiuè alligatus illi, iam diximus, quòd non sequitur talis passiua existentia in loco ex actione propria corporis, vt corporea est: sed ex spirituali operatione superioris virtutis, vt instrumentaliter exerceatur per corpus.

Vrgebis.

Adhuc autem multi inueniunt difficultatem, quomodo illud *vbi* Angeli sit indiuisibile, quia in Angelo est, & correspondeat diuisibili, & extenso loco, cui Angelus præsens est formaliter per tale *vbi*.

Resp. Vbi subiectiuè, & indiuisibile, & spirituale.

Sed respon. quòd illud *vbi* subiectiuè idest, vt tenet se ex parte Angeli, in quo subiectatur, est indiuisibile, & spirituale: sed terminatiuè, idest, ex parte termini, quem tangit est diuisibile, & extensum, sicut etiam ipsa operatio Angeli, & substantia accomodatur rei diuisibili per superioritatem in ipsam, & in se indiuisibilis est, & anima nostra corpori diuisibili accommodatur, & sic in ipsa anima est vnio ad corpus, illa spiritualis est, & terminatur ad rem extensam, & *vbi* Sacramentale corporis Christi est indiuisibile, & terminatur ad species diuisibiles, eisq; assistit.

2494 *Petes 3.*

Petes tertio. *An Angeli possint fundare distantiã, & propinquitatem ratione sui: itaut hæc præsentia per modum distantiæ, aut indistantiæ sit sicuti corpora.*

Ratio dubitãdi affirmat.

Ratio dubitandi affirmat, quia Angeli possunt fundare distantiam, & propinquitatem, etiam ratione sui: ergo non solùm habent *vbi*, & præsentiam per modũ actionis, aut passionis: sed per modum distantiæ, aut indistantiæ. Antecedens probatur: nam, si sunt duo Angeli, alter in cœlo, alter in inferno, plùs distant, quàm duo existentes in aere, & non solùm ratione corporum, cùm ipsi independentes sint à corpore: ergo per seipsos. Cuius etiam signum est, quia, si Angelis sic existentibus annichilarentur omnia corpora, magis distãtes manerent Angeli, qui anteà erant in cœlo, & in inferno, quàm qui erant in aere: ergo ratione sui capaces sunt huius distantiæ, aliàs non posset Deus destruere corpora, nisi destrueret Angelorum *vbi*, & præsentiam.

Confirm.

Confirmatur. Quia, si Angeli ponerentur à Deo extra totum mundum visibilem, vel crearentur ante mundum visibilem, non essent substantiæ immobiles, aliàs dependerent in motu à natura corporea. Si autem mouerentur, aliquid deberent acquirere per motum, quod non posset esse, nisi aliqua distantia, vel propinquitas: ergo sunt capaces *vbi* distantialis.

2995 *Resp. Angelos illos non fundare distantiã in se immediatè, sed mediante corpore, in quo sunt.*

Resp. Angelos illos non fundare distantiam in se immediatè: sed mediante corpore, aut spatio, in quo sunt, quia sicut in se positionem non habent in loco, ita neque distantiam, aut propinquitatem, quæ positionem aliquam, seu situationem importat. Solùm ergo ratione corporis, cui assistunt, distantiam fundare possunt positiuam, & formalem, vel ratione spatij distantiam imaginariam. Et hoc modo dicerentur magis distantes Angeli, qui sunt in cœlo, & inferno, quàm qui sunt in aere. Si autem annichilarentur omnia illa corpora interiacentia, non manerent illi Angeli distantes, vel propinqui positiua distantia; sed negatiua, ratione spatij vacui, seu imaginarij, quod maneret: ratione autem sui vnus Angelus non distat, neque indistat ab alio, sicut Angelus se extendens ad totam suam sphæram non dicitur secundùm vnam partem, qua correspondet multis partibus sine positione ad partes, sicut anima existens in pede non distat à seipsa, vt existente in capite, cùm tamen pars vnius, & eiusdem corporis distet ab alia, sic duo spiritus non sunt capaces distandi inter se ratione sui: sed ratione corporis, quod tangunt, vel spatij in quo remanent, non quia ipsi dependeant à loco, vt sint; sed vt tangentes sint, quia non possunt contactum habere, si nihil tangunt.

Ad confirmationem. Respond. Quòd Angeli extra omne corpus positi non sunt mobiles motu contactus virtualis, & consequenter, nec possunt acquirere *vbi* ob defectum materiæ, circa quam sit contactus, sicut si non essent corpora, animæ non essent informantes, nec modo informatiuo ob defectum materiæ. Posset tamen vnus Angelus tunc agere in alium actione morali, vel illuminatiua, & ex consequenti detinere illum per imperiũ practicum formando, & excitando in illo tàm vehemens dictamen per imperium suum, vt non auderet, vel non posset inferior Angelus moueri ex defectu dictaminis ad se mouendum impeditus ex imperio alterius.

2496 *Ad confir. Resp. Angelos extra omne corpus positos, non esse mobiles.*

ARRICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Angelus posit esse in pluribus locis simul.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

PRima Concl. Angelus non est vbique. Prob. ideò Deus est vbique, quia habet virtutem, & essentiam infinitam, & est vniuersalis causa omnium, & propterea sua virtute omnia cõtingit: Sed Angelus habet essentiam, & virtutem finitam, ergo. 2. Cõcl. Angelus est in vno loco particulari. Prob. Quidquid comparatur ad vnam virtutem, oportet, vt vnum aliquid comparari ad ipsam; Sicut enim vniuersum ens comparatur, vt vnum aliquid ad vniuersalem Dei virtutem. Vnde cùm Angelus non possit habere nisi vnum effectum particularem, cùm eius virtus sit causa particularis, & finita, non poterit esse in pluribus locis simul, sicut non potest habere simul plures effectus.

Arg. 1. Anima est tota in toto, & tota in qualibet parte. Sed Angelus non est minoris virtutis, quàm sit Anima. ergo. Resp. neg. conseq. quia diuersæ partes corporis non sunt diuersa loca animæ, sed reputantur vnus eius locus totalis.

Arguit. 2. Angelus est simul in toto corpore assumpto, & in qualibet eius partes. Sed partes corporis assumpti, considerantur, vt diuersa loca; ergo. Respond. neg. min. Nam omnes partes corporis assumpti reputantur, vt vnus locus totalis Angeli.

Arguit. 3. Angelus aliquando operatur simul in pluribus locis, vt patet de Angelo subuertente Sodomam, qui simul subuertebat totam ciuitatem. ergo. Respond. neg. conseq. Quia illæ diuersæ partes loci, cui Angelus applicat suam virtutẽ, est vnus locus totalis ipsius.

DISPVTATIO. CCLXX.

An Angelus possit esse in majori, vel minori loco intra eandem sphæram, & ob quam rationem.

COmmunis Theologorum sententia est, Angelum intra sphæram suæ virtutis nõ coarctari ad existendum in loco determinato: sed posse esse in maiori, vel minori, licèt Vasquez in præsenti disp. 181. c. 1. ex Greg. referat opinionem cuiusdam Hibernici in 1. distinct. 8. q. 2. qui dicebat Angelum ita postulare sibi determi-

2497 *Cõcl. angelus intra sphęram suæ virtutis non coarctari ad locum determinatum.*

determinatum locum, vt neque in maiori, neq; in minori esse posset: Imò dicebat locum Angeli esse circularis figuræ. Quòd, si Angelus aliquando assumit corpus minoris quantitatis, quàm possit, dicebat substantiam illius, aliqua ex parte esse extra tale corpus. Et eandem sententiam tribuit Bassolio in 2. dist. 2. quæst. 4. artic. 1. præsertim in solutionibus argumentorum. Scotus verò in 2. dist. 2. quæst. 6. §. De isto artic. dixit Angelum habere locum determinatum versus maximũ; ita quòd non posset esse in minori, licèt §. sequenti fateatur rem hanc esse dubiam.

Aliorum opinio refertur.

Alij existimant Angelum habere determinationẽ loci versùs maximum, non tamen versùs minimum: sed posse esse in minori, & minori in infinitum. Pro qua sententia Vasq. citat plures, ex Antiquis, Bonauent. Gabrielem. Maiorem; Marsilium, & alios. Ipse autem Vasq. ibidem cap. 2. sentit habere quidem terminum quoad maximum existentiam Angeli in loco, & posse in minori collocari: esse verò incertum vtrùm versùs minimum habeat aliquem terminum, an verò possit esse in minori, vel minori loco in infinitum.

2498 Sensus D. Th. explicatur.

Sensus autem D. Tho. manifestus est in hac quæst. 52. art. 2. Vbi inquit, quòd Non est necesse, quod Angelo determinetur vnus locus indiuisibilis, secundùm situm: sed vel diuisibilis, vel indiuisibilis, vel maior, vel minor secundùm quod voluntariè applicat suam virtutem ad corpus maius, vel minus: & sic totum corpus, cui per suam virtutem applicatur, correspondet ei, vt vnus locus.

2499 Ex doctrina D. Th. duo deducuntur; & vnum est valde controuersum.

Ex quo duo deducuntur, in quibus communiter auctores conueniunt: in vno verò est maior difficultas. Primum est, quòd, cùm virtus Angeli sit limitata, non potest esse in quocumque loco quantùmuis maximo, sed in loco finito, & determinato: alioquin esset vbique, si determinatum locum non haberet, quod esset incidere in opinionem Durandi supra reiectam de existentia Angeli vbique. Secundum est, quòd intra illam sphæram, cui potest Angelus assistere, non tenetur semper toti illi præsens esse, & illum tangere: sed posse esse in minori intra talem sphæram. Quam sententiam, non solùm discipuli D. Th. communiter: sed etiam alij auctores supracitati præter Hibernicum, & Bassolium sequuntur. Et conuincuntur ad hoc tùm exemplo animæ rationalis, quæ aliquando informat corpus minus, aliquando maius intra suam sphæram: & tamen quando informat minus corpus, non collocat substantiam suam extra illud in aliquo loco sibi correspondente, vt impleat totam suam sphæram, siquidem anima non potest esse, nisi informando, vel separata: modò autem separata non est, cùm informet corpus nostrum: Extra illud autem non informat illud corpus, nec est extra illud, tanquam separata, quia vnita est corpori, nec partim vnita, partim separata, cùm careat partibus.

Eadem substantia Animæ modo in minori corpore, modo in maiori.

Eadem ergo substantia animæ modò est in minori corpore, modò in maiori: ergo similiter poterit Angelus esse. Sicut etiam, quia corpus Christi est in Eucharistia ad modum spiritualis substantiæ, modò correspondet minori hostiæ, modò maiori. Ex scriptura etiam colligimus fuisse in vno homine legionem Dæmonum; Marc. 5. & Lucæ 8. & similiter Dæmonia de Maria Magdalena exiisse: quòd stare non potest, nisi illi spiritus in minori parte corporis essent, quàm secundùm se esse possint, cùm aliquando vnus Angelus in maiori corpore appareat. Nos autem colligimus locum Angeli maiorem, vel minorem ex corporibus, in quibus manifestantur.

2550 Petes 1.

Petes primò. Quare Angelus possit esse in minori parte, seu loco: quàm possit esse intra suam sphæram?

Resp. Aliorum sententia non soluit hanc difficultatem.

Resp. Qui sentiunt Angelum esse in loco per suam substantiam, vel per aliquod vbi, *seu modum intrinsecum antecedenter ad omnem operationem, & contactum Angeli difficilè possunt reddere huius rei rationem, quia substantia non potest mutari, in quantùm substantia est, ita vt modò correspondeat maiori spatio, modò minori. Ipse autem modus, seu* vbi *intrinsecum non potest modò esse maius, modò minus, nisi detur aliqua causa, & principium fundans talem mutationem: hoc autem non potest fundari in ipsa substantia secundùm se sumpta, quia substantia de se est indifferens, vt sit in maiori, vel minori loco: ergo oportet aliquid superaddere, quod talis varietatis sit ratio, & fundamentum, vt mox dicemus.*

2501 Petes 2.

Petes secundò. An causa huius maioris, vel minoris præsentiæ, sit tantùm ipsa voluntas Angeli? vt assignat Suarez lib. 4. de Angelis c. 11.

Resp. neg. quia voluntas non potest pro sua libertate esse in maiori, vel minori loco.

Respond. negatiuè. Probatur, quia voluntas est quidem sufficiens causa effectiua motus, & applicationis Angeli ad locum, non tamen potest ipsa pro sua libertate immutare modum, quo res aliqua existit in loco, sicut nos etiam libera voluntate mouemur ad loca, nõ tamen possumus in minori, aut maiori loco esse pro nostra voluntate: Sed debemus accomodare nos loco iuxta modum extensionis, & commensurationis ad locum. Si autem possemus in maiori, vel minori loco pro nostro arbitratu constitui, deberet in ipso corpore assignari etiam aliqua ratio, seu commensuratio, ratione cuius posset modò maiori loco correspondere, modò minori. Cùm ergo Angelus ita possit existere, oportet præter voluntatem, quæ est causa effectiuè applicans virtutem motiuam Angeli, assignari ex parte ipsius Angeli rationem, per quam est habilis ad existendum in maiori, vel minori loco.

2502 Petes 3.

Petes tertiò. An causa huius minoris præsentiæ, sit ipsa indiuisibilitas substantiæ Angeli, vel vbi, vt assignat Arrubal.

Resp. negatiuè quia hæc ratio est communis omnibus Angelis.

Respond. negatiuè. Probatur, quia hæc ratio est communis omnibus Angelis, quòd habent indiuisibilitatem, & tamen vnus potest occupare maiorem locũ, quàm alius, quod non potest prouenire, nisi ex aliqua maiori virtute, seu ratione positiua: nam indiuisibilitas, quæ est negatio quantitatis æqualis est in omnibus: Similiter stante eadem indiuisibilitate in vno Angelo potest modò esse in maiori loco, modò in minori: Ergo oportet assignare rationem, vndè illa indiuisibilitas, sic potest variare modum præsentiæ, & non eandem semper habere, cùm tamen indiuisibilitas, seu carentia quantitatis eadem omninò sit. Nec denique ipsum vbi, seu modus præsentiæ, aut vnionis potest esse ratio, & fundamentum huius diuersitatis: nam hoc est, quod inquirimus, ex quo principio proueniat, quòd istud vbi *aliquando sit maius, vel minus, id est, maiori loco, vel minori correspondeat, vel etiam ipsa vnio ad corpus, cur modò sit ad tantùm corpus, modò ad minus. Dicere ergo, quòd ratio, & principiũ huius est ipsum vbi, est petere principium, quia de hoc inquirimus.*

2503 Petes 4.

Petes quartò. An causa huius minoris præsentiæ in eodẽ loco sit ipse contactus Angeli per modum virtutis agentis?

Resp. affirm. quia cõtactus angeli est contactus formæ agentis, & virtuti eius ad passum.

Respond. affirmatiuè. Probatur: Nam contactus Angeli est contactus formæ agentis, & virtutis eius ad passum, in quantùm illud sibi coniungit, vt ex ipso, vel in ipso incipiat aliquid operari, ita quòd ex illo educat aliquem effectum per virtutem suam. Et cùm virtus ista sit purè actiua, & non quantitatiua, seu in quantitate existens, non priùs applicatur, quàm agat: sed agendo applicatur, vt supra diximus, quia in agendo non dependet à commensuratione quantitatiua cum passo, tanquam à conditione requisita: Sed est virtus subijciens sibi passum ad operandum ex illo. Non autem subijcit illud sibi informando, sicut anima nostra: sed operando, & agendo ex illo, ita quòd eadem operatio Angeli propter eminentiam suam, quia est actio virtutis liberæ, & independentis à conditionibus, & quantitate corporis, non aliter commensuratur corpori, quàm subijciendo illud sibi, non autem priùs se illi commensurando per aliquod accidens, non actiuũ.

2504 Corpus per quantitatem applicatur corpori, priusquam agat.

Sicut corpus per quantitatem applicatur, & commensuratur corpori, priùs, quàm agat. Et quia non est in manu agentis corporei dilatare, vel coarctare istam quantitatem, per quam est in loco, ideò non potest esse in loco maiori, vel minori, nisi iuxta exigentiam suæ quantitatis: Angelus autem non supponit aliquod accidens, vel aliquam rationem antecedentem

cedentem ad suam virtutem, per quam commensuretur loco; sed priùs, & immediatius contactus Angeli ad corpus est per ipsammet virtutem actiuam, vt subjicientem sibi tale passum, & quia virtus actiua non subjicit, nisi operando, oportet, quòd ipsa operatio habeat duo officia, & facere effectum ex subiecto, & subiectum ipsum sibi coniungere, & subjicere, quatenùs ex illo vult operari, & hoc munus est priùs quã ipsa productio effectus. Virtus autem Angeli operatur ex directione voluntatis, quę potest applicare illam, & moderari, seu temperare ad tantum, vel tantum effectum, & consequenter potest applicare virtutem ad tantum, vel tantum passum, prout voluerit circa illud, vel ex illo operari.

2506 Petes 4.

Petes quintò. An Angelus possit se constituere in indiuisibili, non solùm in superficie, & lineã, quę quoad aliquid sunt indiuisibiles, sed etiam in puncto.

Resp. referendo sententiã Vazques.

Resp. Vasquez hic disp. 192. cap. 2. tenet cùm Scoto in 2. dist. 2. quæst. 6. 9. Ad propositum nihil in hac re compertum esse, & fundamenta S. Th. qui tenet Angelum esse in loco per contactum operationis, infirma esse ad probandum posse Angelum esse in puncto, quia non potest virtus Angeli, aut operatio eius recipi in puncto, neque per punctum posse deriuari, & communicari virtutem Angeli in reliquum corpus: ergo non potest Angelus poni in puncto ratione operationis suæ, quia punctum non est capax talis operationis.

Vera sententia D. Th. locum angeli posse esse diuisibilem, & indiuisibilem

Nihilominùs expressè D. Th. in hac quæst. 52. ar. 2. affirmat, locum Angeli posse esse diuisibilem, & indiuisibilem. Idem affirmat in 1. dist. 37. quæst. 3. art. 2. & hoc probatur, quia ex parte Angeli nulla est dependentia à partibus continui, & ex alia parte potest aliquis effectus eius terminari ad punctum: nihil enim inconueniens, quòd possit aliquod corpus tangere aliud in puncto, & moueri per puncta, vt est communis casus in philosophia, si corpus perfectè sphæricũ tangat perfectè planum: vnde enim probatur dari indiuisibilia in 6. physic. quia talis globus tangeret perfectè planum in indiuisibili, & moueretur ex parte, quia tangeret planum motu discreto saltando partes,

2507 Prob quia ex parte angeli nulla est dependentia ex partibus continuis.

& solùm tangendo indiuisibilia. sed dari talia duo corpora, scilicet perfectè sphæricum, & perfectè planum non repugnat siue per naturã, siue per artem, & operationem ipsius Angeli, siue etiam ab ipso Deo immediatè. ergo non repugnabit tunc etiam Angelum vniri illi corpori sphærico, & mouere illud maiori velocitate, vel minori per illud corpus planum, tangendo id, in quo fit motus, vel contactus corporis sphærici; ergo si solùm tangit in puncto, solùm Angelus constituet se in puncto: ergo non est cur negemus, quòd Angelus possit se constituere in puncto, & mouere in puncto, si id potest corpus.

Non repugnat angelum applicari soli puncto.

Præterea non repugnat, quòd Angelus possit designare aliquod punctum in loco, vel in lapide, & illud extrahere, seu corrumpere, vt resultet aliud punctum loco illius: ergo poterit tunc applicari soli puncto. & in illo operari aliquem effectum, vel extrahendo illud, vel designando, aut aliquid simile, vel etiam mouendo corpus motu aliquo discreto, sicut mouetur corpus ipsum, quando est perfectè sphæricum in perfectè plano.

Dub. 1. An Angelus possit esse simul in pluribus locis sibi adæquatis per diuinam Dei omnipotentiam absolutam.

Dub. 2. An Angelus possit esse simul in pluribus locis inadæquatis.

DVBIVM I.

An Angelus possit esse simul in pluribus locis sibi adæquatis per diuinam Dei omnipotentiam absolutam.

2508 *Sentẽtia D. Th. est quòd vnus Angelus non potest esse in pluribus locis sibi adæquatis*

SEntentia D. Th. est, quòd vnus Angelus non potest esse in pluribus locis sibi adæquatis, quod omnino certum est, supposito, quod Angelus habeat limitatam virtutem, & efficaciam, seu rationem existendi in loco: nomine enim adæquati loci intelligimus maximum locum, quem potest tali virtute, vel ratione attingere. Vndè, si est maximus, in quem potest? non potest in vi naturalis virtutis in alio extra illum siue adæquato, siue inadæquato existere. Quæ ratio in omnium sententia procedit: nam siue substantia Angeli, siue vnio ad corpus, siue modus aliquis præsentiæ, siue ipsa operatio sit ratio existendi in loco, constat, quod, quidquid ponatur, totum est finitum: ergo debet habere terminum, quo adæquetur talis finita ratio & consequenter ex vi illius rationis non potest vltra illam adæquationem, seu terminum existere: ergo idem est existere in pluribus locis adæquatis, atq; excedere terminum adæquatum suæ limitatę virtutis. Si autem hoc semel potest excedere, non restat aliqua ratio, vndè limitetur: & sic poterit esse vbique.

2509 *Difficultas est respectu Dei potentiæ absolutę. An possit angelus existere vltra locum adęquatum.*

Difficultas verò est respectu potentię Dei absolutæ, an possit Angelus existere vltra locum adæquatum naturalem extendendo virtutem contactiuam taliter, vt sinè vlla additione substantiæ vltra proprium, & adæquatum locum excurrat: hæc enim addi non potest, cùm sit indiuisibilis, & partes non admittat, quę sequuntur materiam. Si autem adderetur angelo virtus vltra limitationem naturalem, quam de se habet, iam inciperet pro loco adæquato habere maiorem sphæram, quàm antea habebat. Et sic nunquam videtur verificari, quòd angelus sit in duplici loco adæquato formaliter loquendo, si existit in loco per virtutẽ operatiuã, bene tamẽ in duplici loco materiali, id est in eo, quod antea erat locus adęquatus naturali limitatione suę virtutis, & vltra illũ in alio, qui sibi cõuenit per virtutẽ superadditã: sed tamẽ supposita ista additione & augumẽto virtutis iam sibi cõuenit pro loco adæquato aliquid amplius, quam antea. Vnde hac suppositione facta mutatur terminus adæquatus loci angeli, & incipit habere nouã sphęrã, & terminum, & posito intra illum erit intra locum adęquatum, intra quem poterit esse in minori, qui inadæquatus erit termino, quem nunc habet supposita additione virtutis, licet respectu virtutis minoris, quæ anteà erat, adæquatus fuerit. Si autem non fiat aliqua additio virtutis, vel operationis secundùm quam potest habere contactum ad locum: sed maneat eadem, quæ anteà erat, non poterit per modum operationis esse in alio loco, quàm qui tangitur à tali virtute.

2510 *Conclusio. Non potest angelus de potẽtia Dei absoluta, existere in duplici loco formaliter adęquato.*

Quarè vnico verbo Resp. quòd in nostra sententia de existentia Angeli in loco mediante contactu virtuali operationis non potest Angelus esse in duplici loco adęquato formaliter, idest in aliquo loco vltra terminum, qui sibi competit ex virtute contactiua naturali, vel superaddita à Deo: bene tamen potest esse vltra locum adæquatum suæ propriæ, & naturali virtuti si illa à Deo augeatur: nulla tamen superaddita virtute, non poterit Angelus esse in aliquo loco vltrà adæquatum terminum suæ virtutis, quam habet. Patet hoc, quia contactus iste, de quo loquimur, est contactus operatiuus, qui necessario fit per virtutem aliquam, & operationem procedentem ab ipso Angelo: ergo, si talis virtus non superadditur, non poterit habere contactum operatiuum vltra terminum proprium. Si autem non potest vltra illum operari, neque potest tangere, quia tangere, est operari. An vero possit esse in duplici loco, in vno per actionem connaturaliter, in alio per passionem præternaturaliter, non apparet aliqua implicatio, vt dicemus in solutione argumẽtorũ, sicut corpus potest esse quantitatiue in loco per modum connaturalem, & indiuisibiliter, seu sacramentaliter in alio loco, vt contingit in corpore Christi.

1. *obiectio.*

Sed objicies: nã repugnat angelum sine additione virtutis poni in alio loco à Deo: ergo potest esse in duplici loco formali adęquato. Antec. probatur, quia Deus potest facere, q ignis, qui calefacit hic Genuę, calefaciat Romæ, nulla superaddita virtute.

virtute: ergo etiam poterit facere, quòd Angelus, qui operatur hic operetur in Cœlo, nulla virtute superaddita: sed per se Angelus habet contactum ad locum per operationem: ergo poterit habere ad illum duplicem locum; vbi operatur sine additione virtutis: vbi autem habet contactum angelus, habet etiam præsentiam localem: ergo potest esse in duplici loco adæquato formaliter.

Confirm.

Confirm. quia angelus potest esse in loco per passionem, sicut per operationem: ergo poterit Deus facere, quod angelus patiatur in inferno, & operetur in Cœlo; & sic vtrobique erit eius substantia secundùm diuersas rationes existendi in loco.

2511 *Resp. quòd bene potest Deus facere, quòd virtus angeli hic existens operetur in cœlo; sed non æquè immediatè.*

Resp. Quòd bene potest Deus facere, quòd virtus angeli hic existens operetur in Cœlo; sed non æquè immediatè, atq; hic, nisi addatur distincta virtus, per quam inde etiam incipiat operari immediatione suppositi, sicut hic: sicut etiam ignis existens hic potest operari Romę, vbi non existit, non tamen operabitur Romę immediatione suppositi, si ibi collocetur à Deo, tanquam in loco; sed solùm dicitur operari Romæ, quia ponit ibi calorem sine transitu per aerem medium: & hoc ideo est, quia immediata applicatio, seu operatio immediatione suppositi non est quęcunque operatio agentis, sed illa vnde primò egreditur motus ab agente, & passo. Nam potest autem duplex operatio æquè primò, & immediatè oriri ab aliquo agente ex duplici passo distante, supposito, quod tota eius virtus adæquatur isti loco, & ob additur illi maior virtus, vt alteri etiam loco assistitat, tanquam ad sphæram suam pertinente; itaut etiam ab illo æque primò incipiat, quarè, si virtus diuina facit, vt operetur angelus in loco distante, vltra propriam sphęram, sine additione nouæ virtutis, ille effectus erit mediatus, perinde, ac si virtus angeli per diffusionem sui tangeret illum locum: id autem, quod Deus supplet est, vt sine diffusione virtutis per mediū operetur angelus hic existens in loco remoto: constat autem, quod substantia angeli non collocatur in loco per virtutem diffusam; sed vt primò operantem, & egredientem ab ipso agente: potest enim diffundi virtus, & effectus angeli etiam vltra locum, vbi est eius substantia. Sed si illi superadderetur tanta virtus, vt posset immediatè incipere suam operationem à maiori sphęra, ita vt inciperet ab eo loco, in quo nunc est, & ab alio, qui sibi ante erat distans, tunc non repugnabit, quòd angelus sit etiam in illo loco per suam substantiam, quia tunc haberet maiorem sphęram.

2512 *Ad Confirm. Resp. nullum esse inconueniens, angelum esse in dupl ci loco naturaliter & supernaturaliter.*

Ad Confir. Resp. Nullum esse inconueniens, quòd Angelus sit in duplici loco diuinitus, in vno connaturaliter, & per operationem; in altero præternaturaliter vel supernaturaliter per passionem; neq; hoc est contra D. Th. quia solùm loquitur de duplici loco connaturali, & de existentia in loco per operationem: sic etiam in corporibus non repugnat, quod per vnam rationem formalem v. g. per circumscriptionem sit corpus in vno loco, & in alio per modum Sacramentalem. Et similiter, si vellet Deus conuertere substantiam panis hic existens in substantiā angeli existentem in cœlo, sicut conuertit eam in corpus Christi existens in cœlo: tunc substantia angeli esset in cœlo, & hic, non tamen vtrobique modo connaturali. Vt tamen passio constituat angelum in alio loco oportet, quod ita retineat angelum apud se in vi passionis, quod non impediat ipsum operari alibi, vt ibi connaturaliter existat; sed detineat sine alligatione potentiarum, sicut erant animę in sinu Abrahæ.

DVBIVM. II.

An Angelus possit esse simul in pluribus locis inadæquatis.

2513 *Concl. Naturaliter loquendo non potest angelus discontinuare locum suum, neque intra, neque extra suam sphæram.*

Res ista omnino nobis occulta est: verosimilius tamen videtur, quod naturaliter loquendo non potest angelus discontinuare locum suum, neque intra suam sphæram, neq; extra; sed hoc ipso, quòd determinatur ad operandum, debet vnica operatione, & ex vna determinata parte maiori, vel minori, vel ex tota sua sphæra, prout voluerit inchoare operationem suam, & consequenter ibi solùm collocare substantiam suam, quia hęc collocatur per operationem, vbi immediatè, & primo incipit, ex aliquo passo, quatenùs reddit illud sibi coniunctum ad operandum ex illa, hęc resolutio habet pauciora inconuenientia, & est conformior D. Th. dicit enim art. 2. in fine quæst. sv. *quod totum illud, cui angelus applicatur reputatur vnus locus, licèt sit continuum:* ergo quòd continuū non fuerit non apparet quomodo reputatur, vt vnus locus. Sed in hoc non facimus tantam vim, sicut in ipsa ratione D. Th. *qua vtitur in illo artic. quòd, quia virtus Angeli finita est, non se extendit ad omnia; sed ad aliquid vnum determinatum: oportet enim quidquid comparatur ad vnam virtutē vt vnum aliquid, comparari ad ipsam.* Si autem angelus potest æquè primò incipere diuersas operationes a diuersis locis partialibus, non subsistit ratio D. Th. quia illa plura loca neq; continuitate sunt vnum, cùm sint diuisa, & discontinua, neq; ordine cùm non deriuetur operatio ex vno ad aliū; sed æquè primò incipiat ab vtroq: aliàs non collocaret vtrobiq; suam substantiam, quia ibi solùm collocatur, vnde primo incipit motus, & operatio, non vbi diffunditur. Quod autem vterq; locus contineatur intra sphæram angeli parùm interest, siquidem non vtitur tota illa sphæra tanquam vno; sed tanquam pluribus diuisim se habentibus.

2514 *Inconueniens, quod sequitur si angelus discontinuaret operationes, ac præsentiam localem.*

Vnde semper vrget illud inconueniens super allatum, quòd si angelus potest intra suam sphæram discontinuare operationes, & præsentiam localem, incipiendo æquè primò à plurimis locis inadequatis plures operationes, non potest assignari ratio, quarè non possit æquè primò illas incipere à locis distantissimis, & quæ sunt extra suam sphæram, dummodo ita sint inadæquata illa loca, quàm si coniungerentur, non facerent maiorem terminū; quàm sphęrę suę, vt si potest angelus esse in vna leuca, & potest operari in extremitatibus, relictis locis inter medijs, non videtur aliquid obstare, quominùs possit vnam extremitatem operari in cœlo, & aliam extremitatem in terra, quia vtraq; extremitas, si iungeretur, non faceret plus quàm leucam. Quod verò inter media loca quæ relinquuntur ab Angelo, sint plura, vel pauciora magis distantia inter se, vel minus, omnino impertinenter se habet, quia, si semel potest discontinuare operationes suas operando in vna quaque indequate, parùm refert, quòd multùm, vel parùm discontinuentur.

2515 *Ratio Concl. Natura agentis particularis expostulat per vnicam virtutē, vnica operatione operari, nec potest duas operationes æquè primò elicere.*

Ratio autem à priori est, quia natura agentis limitati hoc videtur postulare, quod, si operaretur per vnicam virtutem, operetur etiam vnica operatione, nec possit duas æquè primò elicere, quæ inter se ordinatæ non sint, sed si plures operationes ęque primo elicit, semper reducuntur ad diuersas virtutes, vt si homo simul videt, & loquitur, & ambulat, ista fiunt per diuersas virtutes: nulla tamen virtus æquè primò incipit plures operationes; sed si plures effectus facit, ordinatè procedit in illis, & non ęque primò plures operationes elicit, quia natura semper studet vniri, in exigente, finita, & limitata natura. Ita perpetuò D. Th. negat plura, vt plura posse simul intelligi: & multo minùs operari, quia intellectus liberior est in apprehendendo, quàm virtus operandi, præsertim cùm angelus per imperium practicum operetur ad extra, & per ipsum imperium moueat cœlum, vt docet D. Th. opusc. 11. art. 3. sed non potest angelus simul plura, vt plura intelligere, vt docet D. Th. infra quęst. 58. art. 2. ergo non potest ęquè primo plura vt plura operari. Vt autem angelus simul esset in pluribus partibus, & locis inadæquatis intra eandem sphęram, deberet ęque primò habere plures operationes, vt plures, quia neq; essent ordinatę

ordinatę inter se,& cõnexę,seu vnitæ ex parte operationis, neque ex parte continuitatis loci: ergo nullo modo potest sic poni, seu operari in pluribus locis inadęquatis: videmus enim,quòd anima rationalis, vt informet aliquas partes per modum vnius, non sufficit partes ipsas esse intra sphęram suę extensionis: sed oportet,quòd inter se sint cõtinuę,& vnitæ:ergo etiam spiritus non informans; sed agens, qualis est angelus, vt assistat intra suam sphęram pluribus partibus,oportet, quòd illę sint continuatæ, & vnitæ inter se, non solùm intra suam sphęram contentę,& si discontinuatim, sicut nec potest plura,vt plura, etiam inadęquatè simul intelligere in sententia D.Thom.Et ideò hæc ratio fortiùs me inclinat ad istam partem, iuxta sensum S. Doctoris,& eius principia.

2516 *Instabis.*

Dices. Angelus ita existit in loco, quòd totus existit in toto,& totus in qualibet parte: ergo etiãsi aliquibus partibus illius totius non existeret, nihil propterea deperiret Angelo, nec appareret, in quo fundetur essentialis dependentia Angeli à cõtinuitate assistentię in loco.

Confirmatur. Et cõfirmatur exemplo presentię corporis Christi in Eucharistia: potest enim esse in vna hostia, & in alia, quantumcumque distanti: ergo id non repugnabit Angelo, qui etiam existit totus in toto, & totus in qualibet parte, sicut corpus Christi.

Resp. Nihil deperit Angelo ex eo, quòd sit in pluribus locis.

Resp. Quod nihil deperit angelo ex eo, quod sit in pluribus locis, siquidem non diuiditur: deperit tamen vnitati operationis,quia si est in diuersis locis inadæquatis, non potest habere operationem, vt vnam, hoc est, neque entitatiuè vnam, neque ordine vnam. Plures autem operationes,vt plures, non potest habere Angelus,nisi pluribus virtutibus operetur ad extra. Nobis autem non constat Angelum plures virtutes habere ad operandum circa corpora,& tangendo illa. Nec propter hoc ponimus angelum dependentem à quãtitate loci, quia non dependet ab eo,quantùm ad commensurationem: sed solùm,vt à conditione requisita ad vnitatem operationis eius,quia pluribus locis discontinuis non potest vnica operatione incipere, licet vterque ille locus intra suam sphæram cõtineatur, quia non coordinantur inter se illæ inadęquatæ operationes,cùm non continuentur.

2517 *Ad Confirm. Resp. esse dispa rem rationem de corpore Christi in Eucharistia,& de Angelo in loco.*

Ad id verò,quod dicitur de corpore Christi in Eucharistia.

Respondetur esse disparem rationem: tum quia id,non fit in virtute naturali: sed supernaturali, de quo in præsenti non loquimur: diuinæ enim virtuti non repugnat,quòd Angelus simul sit in pluribus locis per plures immediatas operationes, secundùm plures virtutes: vel in vno per operationẽ, in altero per passionem: tum quia in Eucharistia non ponitur corpus Christi per aliquam operationem suam, sed per hoc,quòd panis conuertatur in ipsum,vel quantitas specierum diuiditur:& sic etiã potest Deus ponere angelum in pluribus locis per hoc,quod res diuersorum locorum conuertantur in ipsum. In præsenti autem solùm loquimur de modo connaturali,quo angelus existit in loco, scilicet per operationem: hęc enim diuiditur, si ęquè primò procedit à pluribus locis.

Instabis 2.

Dices secundo. Angeli, qui excæcauerunt simul Sodomitas,Genes.19. Simul omnes excæcauerunt, & tamen illi erant loco distantes inter se, nec operabantur angeli aliquid in locis inter medijs: ergo erant simul in pluribus locis inadæquatis: & eodẽ modo angelus, qui occidit milites Sennacherib, Esaiæ 37. Simul omnes occidit,qui tamen erant in diuersis locis castrorum, & in intermedijs, nihil angelus operabatur. Eodem modo angelus superior,qui preficitur à Deo vni integro regno, vel prouincię, potest simul occurrere negotijs,quæ in tali loco geruntur,licèt inter se sint discontinua, & loco distantia, aliàs non sufficienter prouideretur custodiæ illius regni per Angelum: ergo oportet, quod possit esse in pluribus locis discontinuis. Denique Angelus potest se mouere de vno loco ad alium, non transeundo per medium: ergo etiam existere in locis extremis, non existendo in locis intermedijs.

Respond. Angelos efficientes illum effectum, qui in scriptura narratur,non constare, quod fecerint illum in omnibus illis hominibus vnico, & indiuisibili instanti: sed tanta celeritate,vt moraliter reputetur in instanti fieri: & sic quasi in ictu oculi, & breuissimo tempore potuerunt angeli omnes illos Sodomitas percutere cæcitate,& omnes milites exercitus Assyriorum simul interficere simultare breuissimi temporis, non simultate instantis physici,& operationis. Qua ratione Patres hanc Angelorum celeritatem ita exagerant, vt videantur vbique esse, vel momento omnibus adesse, sicut Hieron. epist. 53. *contra Vigilantium*, explicans illud: *sequuntur Agnum quocumque ierit*, affirmat angelos summa celeritate vbique esse. Et Nazianzenus. Orat. 34. in fine inquit: *Angelos omnibus impigrè adesse,tum ab ministerij promptitudinem:tum ob natura tenuitatem*. Et acutè Turtullianus in Apologetico cap. 22. *Omnis spiritus*, inquit, *ales est: hoc Angeli, & Dæmones,igitur momento vbiq; sunt*. 2518 *Resp. Angelos non constare effecisse vnico instanti illum effectum,quem scriptura commemorat.*

Quarè bene potuerunt illi Angeli breuissimo tempore,& quasi simultate imperceptibili percurrere illos homines inter se distantes, effectum cæcitatis, vel mortis per motum,operando de vno in alium. Quòd, si persistatur dicendo, quòd vnico instanti physico omnes illos effectus simul effecerunt: tunc dicendum est, quod in toto illo loco operabatur vnus angelus diuersos effectus ex vnica operatione prouenientes, videlicet intra corpora hominum motum aliquem, quo mouerentur, vel cæci fierent: & in aere intermedio aliquem alium motum, vel effectum prout vellent: Sicut Sol vnica operatione producit in aere lucem,in terra herbam,in visceribus terræ aurum, &c. Similiter Angelus custos vnius regni, vel prouinciæ potest adesse diuersis locis eiusdem prouinciæ, simultate temporis breuissimi, vel si sunt simultate instantis physici, erunt in intermedijs locis, operando aliquid aliud, continuatum tamen, vel coordinatum effectui,quem operantur in extremitatibus distantibus, sicut de effectibus Solis dictum est. 2519 *Angel. simultate imperceptibili percurrrit plures homines inter se distantes.*

Dices: Potest Angelus intra suam sphæram discontinuare operationes, & præsentiam localem, incipiendo æquè primò à pluribus locis inadæquatis plures operationes, non potest assignari ratio quare non possit ęquè primò illas incipere à locis distantissimis, & quæ sunt extra suam sphęram, dummodo ita sint inadęquata illa loca,quod,si cõiungerentur, non facerent maiorem terminum, quàm sphæræ suæ, vt si potest angelus esse in vna leuca,& potest operari in extremitatibus, relictis locis intermedijs, non videtur aliquid obstare,quominùs possit vnam extremitatem operari in cœlo, & aliam extremitatem in terra, quia vtraque extremitas, si iungeretur, non faceret plùs, quàm leucam. *Instabis 3.*

Resp. Benè posse angelum se mouere de vno loco ad alium sine medio per modum discretum, quatenùs vult operari in vno loco distanti,& non in intermedijs: Sed tunc quando transit angelus ad locum distantem,relinquit priorem, quem habebat. Cæterùm simul existere in locis distantibus requirit,quod simul exeant plures operationes ab vno angelo non continuando,vel coordinando vnã alteri: quod omninò est inconueniens in agente per modum virtutis finitæ, & limitatæ: Vndè videbimus,quòd in motu discreto angeli potest moueri ad quamcumque distantiam, sine termino, & sic potest descendere de cœlo in terram, nihil de intermedijs corporibus attingendo; Authores autem oppositi non concedunt, quod potest Angelus simul existere in locis inadæquatis ad quamcumque distantiam; sed solùm intra sphæram suæ limitationis; Similiter concedimus, quod Angelus liberè operatur in termino adæquato totius, quæ sphæræ, vel in parte illius maiori, vel minori, prout voluerit, vel etiam abstrahere se 2520 *Res. bene posse Angelum se mouere de vno loco ad alium sine medio per motũ discretũ.*

se ab omni operatione: si tamen de facto voluerit applicare suam virtutem, & operari in dicto loco, non debet pluribus operationibus simul, sed vnica, se applicare: hoc autem stare non potest, si diuidat loca inadæquata, quia tunc incipit vna operatio ab vna parte loci, & alia ab alia parte, non communicando, nec coordinando illas inter se, neq; continuando vnam cum alia.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum plures Angeli possint simul esse in eodem loco.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio. Duo Angeli non possunt esse simul in eodem loco. Prob. impossibile est duas causas completas, & immediatas esse vnius, & eiusdem rei. quia vnius rei est tantùm vna proxima forma; & tantùm vnum proximum efficiens. ergo plures Angeli non possunt esse in eodem loco. Nam Angeli sunt in loco per continentiam in genere causæ effectiuæ.

Arg. 1. ideò plura corpora non possunt esse in eodem loco simul, quia replent locum. Sed Angeli non replent locum. ergo. Resp. neg. conseq. quia non posse plura esse simul in eodem loco, non solùm potest prouenire ex hoc quòd replent locum, sed ex alijs causis: Angeli verò licèt non repleant locum: non possunt tamen esse simul in eodem loco, quia sunt causæ completæ.

Arg. 2. Plus differunt Angelus, & corpus: quàm duo Angeli. Sed Angelus, & corpus possunt esse simul in eodem loco. ergo. Resp. dist. ma. plus differunt Angelus, & corpus in genere substantiæ, quàm duo Angeli; concedo: in esse simultatis locabilis, neg. quia Angelus, & corpus nõ sunt codẽ modo in loco; ideò in loco vbi est corpus per repletionẽ loci, potest esse Angelus per applicationem suæ virtutis. Duo verò Angeli sunt in loco per applicationem suæ virtutis.

Arg. 3. Anima, & Dæmon possunt esse in eodem loco: quia interdum Demon illabitur corpori: ergo duo Angeli etiam idem poterunt. Resp. neg. conseq. Nam Anima, & Dæmon possunt esse in eodem corpore; quia non sunt ibi eodem modo: Anima enim est forma corporis non autem Dæmon.

DISPVTATIO. CCLXXI.

An plures angeli possint esse simul in eodem loco materiali, & formali.

2521
Petes 1.

PEtes primò. An plures angeli possint esse simul in eodem loco materiali?

Respondetur.

Resp. In eodem loco materiali non repugnat, absolutè loquendo, plures Angelos, vel plures spiritus esse, si operentur diuerso modo, vel diuersos effectus, non autem respectu vnius, & eiusdem effectus in ratione continentis talem locum. Constat hoc ex solutione ad 3. D. Th.

1522
Petes 2.

Petes secundò. An duo angeli, tanquam duę causę totales, & perfectę possint esse simul in eodem loco formali?

Resp. Repugnat quod duo Angeli existãt in eodem loco formaliter.

Resp. si Angeli existant in loco secundùm contactũ operatiuum eiusdem effectus, & se habeant tanquã causæ completę, & perfectæ, id est, totales, talis effectus, repugnat, quòd duo angeli simul sint in eodem loco formali. Vocatur locus formalis ipse effectus, seu contactus, ratione cuius formaliter sunt in loco, eò, quòd, vt diximus, locatio angeli non respicit directè spatium: sed agentiam, seu contactum, & simultatem agentis ad passum: locus autem materialis dicitur corpus illud, seu spatium, in quo exercetur.

2523
Ratio est quia non potest idẽ effectus numero exire à duabus causis totalibus.

Ratio est, quia non potest idem effectus numero exire à duabus causis totalibus, & adæquatis creatis, cùm ergo angeli, iuxta nostram sententiam, sint in loco tanquam formæ, seu virtutes actiuæ, & per contactum actiuum, iuxta hoc regulandum est, an possint plures angeli esse in eodem loco formali, videlicèt, an possit idem effectus procedere à duabus causis totalibus. Quod quia in omnium sententia certum est, saltèm naturaliter id esse impossibile, quia ad minùs est superfluum, & superfluitatem natura abhorret, non solùm in istis causis inferioribus: sed multò magis in entibus perfectissimis, sicut sunt angeli: Et in nostra sententia, etiam de potentia absoluta id videtur impossibile, loquendo de causis creatis adæquatis, ideò absolutè existimamus non posse plures angelos esse in eodem loco formali, quando operantur, vt causæ completæ, & adæquatæ eundem effectum, quia locus formalis Angelorum, vt diximus, est effectus, seu contactus virtualis angeli ad passum. Qui verò tenent angelum existere in loco ratione suæ indiuisibilis substantiæ, vel modi superadditi ergo locum, non apparet: qua ratione negari possint, plures Angelos posse in eodem loco, seu spatio, cùm non appareat in tali substantia, vel modo spirituali repugnantia aliqua, & positio respectu eiusdem loci corporalis, cùm non habeant quantitatem, qua se inuicem excludant.

2524
Petes 3.

Petes tertiò. An angeli, licèt de facto, & ordinariè non sint in eodem loco formali, possint tamen prętenaturaliter, & per accidens.

Resp. de facto angelos quasi præternaturaliter esse in eodem loco formaliter.

Resp. De facto, & ordinariè angelos absolutè, loquendo esse quasi prętenaturaliter, & per accidens, in eodem loco formali vt si duo Angeli, plures vt partialiter, & inadæquatæ ad eundem effectum concurrant, vel vnus sit in eodem loco per passionem, & alius per operationem. Primum constat ex doctrina D. Th quia angeli sunt in loco, & tangunt illum per modum continentis perfecti, quia cùm sint entia suprema in vniuerso, non operantur tanquam agentia insufficientia, nec decet eorum dignitatem, (præsertim in bonis angelis) quòd operentur, sicut agentia partialia per se loquendo, quia hoc sonat quandam insufficientiam.

Per se, & ordinariè loquẽdo, quilibet Angelus operatur, vt agens perfectum.

Vndè per se, & ordinariè loquendo, quilibet angelus operatur, vt agens perfectum, & perfectè continens effectum. Nec obstat, quòd Deus cooperatur simul cum creatura: Hoc enim non facit Deus, vt partialis causa: sed vt prima, & superior, quæ facit, vt causę inferiores faciant. In genere autem primæ causæ est solus, & non est alius prętet eum. Cæterùm per accidens non repugnat, quòd accommodent suam virtutem, quæ aliàs esset sufficiens ad totum effectum, & attemperent illam, vt partialiter coniungatur cum alio ad eundem effectum faciendum: quia cùm sint agẽtia libera, possunt moderatione vti in exercitio suæ virtutis: & sic coaptare illam cum virtute alterius in ordine ad eundem effectum. Et tunc dicitur esse in eodem loco formali, id est, in eodem effectu, seu contactu partialiter, & inadæquatè procedente à multis.

2525
D. Th. loquutus est hic solùm de modo existendi in loco connaturaliter.

Quarè D. Th locutus est hic solùm de modo existendi in loco connaturaliter, & ordinariè, vt bene aduertit Caietanus. Supra eundem art. tum quia D. Th. non posuit conclusionem de possibili: sed de inesse: & sic non loquebatur de eo, quod absolutè posset fieri. Tum quia loquitur expresè de pluribus motoribus perfectis, & completis. Quòd autem Angeli semper sint agentia perfecta, & totalia, non habetur, nisi ex quadam conuenientia, quia sunt supremæ causæ in vniuerso, & consequenter semper operantur perfectè, quod non esset, si operarentur partialiter. Quod

tamen

tamen non procedit de possibili: sed de eo, quod modus connaturaliter postulat. Cùm enim sint causæ liberæ, bene possunt virtutem suam contemperare, & non vti illa secundùm totam sufficientiam: & sic operari poterunt eundem effectum numero per inadæquatas operationes.

Obiectio. *Nihilominùs tota hæc resolutio D. Thom. & eius ratio displicuit P. Vasq: disput. 193. cap. 2. & 3. Et primò obiicit contra ipsam conclusionem, quia non est superfluum, nec impossibile plures Angelos esse in eodem loco physicè, cum constet eundem hominem posse intra se habere plures Dæmones, sicut Lucæ 8. dicitur, quòd Erat in homine legio Dæmoniorum, & in arreptitijs, plures Dæmones esse solent: ergo id negandum non est. Nec valet distinctio Caiet. & Ferrar. de loco materiali, & formali: Nam si semel concedatur posse duos Angelos esse in eodem corpore, dicendum est, quòd sunt in eodem loco formali, quia ad rationem formalem loci non spectat fundamentum, & contactus existendi in illo, quod est operatio: Sed materialis locus Angeli est ipsa latitudo, vel longitudo corporis; formalis autem ratio est respectus distantiæ ad puncta fixa, sicut in loco corporum superficies ambiens est locus materialis, respectus autem ille est formalis ratio.*

Confirmatur. *Confirmatur: Quia vnus Angelus potest expellere alium de loco, aut detinere, quod non posset esse, nisi simul coexisterent in eodem loco. Certè existente Angelo custode in nobis, vel circa nos, potest Dæmon accedere ad tentandum, aliàs non posset tentare Dæmon, nisi absente Angelo: Ergo possunt simul illi spiritus esse in eodem loco.*

2526 **Resp. plures spiritus posse esse in eodem loco materiali, operando diuersas res.** *Respondetur ex dictis. Plures spiritus posse esse in eodem loco materiali, operando diuersas res, seu effectus: posse etiam partialiter coniungi, & contemperare suas virtutes in ordine ad eundem effectum numero producendum, potuisse etiam plures Dæmones esse in eodem homine vnoquoque occupante, seu operante in aliqua parte, valdè parua corporis, specialiter illam torquendo: neque oppositum huius probat Vasq. aut aliquam rationem contra id affert. Potuerunt etiam, vt supra dicebamus, in eadem parte, aut toto corpore simul esse tanquam in materiali loco, seu materia suæ operationis: sed diuersos effectus, seu torturas inducendo, aut partialiter ad eundem concurrendo: partialiter enim concurrere non est inconueniens in Dæmonibus, qui principatum, ac dignitatem suam non seruant.*

2527 **Locus Angeli spiritualis est formaliter per operationẽ virtutis.** *Quod verò dicit contra distinctionem de loco materiali, & formali, friuolum est, quia licèt in loco corporum respectus ad puncta fixa, sit aliquid formale respectu superficiei ambientis, tamen locus Angeli spiritualis est formaliter, & secundùm operationẽ virtutis. Totum autem illud, quod in loco corporeo est superficies, & respectus distantiæ ad puncta fixa materialiter, & secundariò se habet in loco Angeli: ipsa enim Angeli substantia non potest immediatè, & directè fundare respectum distantiæ ad talia puncta: & ideò, quod formale est in loco corporum, materialiter se habet respectu loci Angeli: formale verò loco Angelici est id, quod ad spiritualitatem pertinet, scilicèt contactus virtualis, & operatio virtutis: vndè resultat* vbi *Angelicum, quod directè non est ad spatium, seu distantiam: sed secundùm habitudinem agentis ad passum, continentis ad contentum, sicut præsentia animæ ad corpus, & corporis Christi ad species pro materiali respiciunt distantiam ad puncta fixa spatij huius vniuersi, quatenùs corpus, cui adest, in loco est.*

2528 **Ad Confirm. Resp. Angeli expellentis operatio, nõ est simul cum operatione expulsi.** *Ad Confirm. Respond. Quòd, quando vnus Angelus expellit alium physicè à loco, & non solùm moraliter per imperium, tunc operatio Angeli expellentis non est simul cum operatione Angeli expulsi, quia potiùs, si expellit illum, non est cum illo, nec supponitur priùs tangere alterum Angelum, quàm expellere, quia iste contactus est actiuus: & sic priùs inducit effectum operationis, qua expellit, quàm simul coexistat cum expulso. Quòd, si tandem necesse sit Angelum expellentem alium à loco, tangere simul eundem locum, vt alter expellatur, id facit per contactum superioris virtutis, ita vehementem, & contrarium contactui Angeli expellendi, quod non permittat illum esse simul in eodem loco. Vndè talis contactus expulsiuus alterius Angeli non sufficit, quòd sit superioris virtutis, & diuersæ speciei, vt sit in eodem loco simul cum altero contactu: sed debet esse contrarius, & oppositus illi, aliàs non expellet illum, quia hæc expulsio non est per quantitatem: sed per contrarietatem operationum, & effectuum.*

2529 **Contactus angelici expulsiui nõ sunt simul cum re expulsa.** *Vndè non oportet, quòd tales contactus expulsiui sint simul cum re expulsa: sed ad positionem vnius tollatur alter. Et ad id, quod dicitur de Angelo Custode, dicitur, quòd etiam ipso non recedente, potest dare locum Dæmoni tentãti, quatenùs ex diuersis partibus intra eundem hominem possunt inchoare suas operationes, & immutare corpus; seu phantasiam, vnus ad suggerendum bonum, & alter malum. Sed tamen dum vnus suggerit vnum præparando tales, vel tales species, potest alter alias species oppositas præparare, vt viuaciùs moueant: & sic circa diuersa operari simul.*

QVÆSTIO LIII. D.Th.

De Motu Angelorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angelus possit moueri localiter.

SVMMA ARTICVLI. D.Th.

PRima Conclusio. Angelus Beatus potest moueri localiter, æquiuocè tamen respectu corporis. Prob. quia corpora cùm sint in loco per quantitatem dimensiuam, secundùm continuitatem magnitudinis, fit continuitas in motu locali corporis. Angeli verò cùm sint in loco per contactum virtualem, eorum motus non est secundùm exigentiam loci, nec habet continuitatem à loco. 2. Concl. Motus localis Angeli nihil aliud est; quàm diuersi contactus diuersorum locorum, succesiuè, & nõ simul. Prob. quia Angelus non est in loco nisi per contactum virtutis; & non potest esse in pluribus locis. 3. Concl. Motus Angeli potest esse continuus, & non continuus. tum quia Angelus potest applicare totam suam virtutem loco diuisibili, & illum successiuè dimittere: tum quia potest simul dimittere totum vnum locum, & alteri simul se applicare.

Arg. 1. Omne, quod mouetur, partim est in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*: Sed Angelus est impartibilis: ergo. Respond. ma. Arist. intelligendam esse de motu continuo: quia quòd mouetur motu continuo, partim est in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*, quæ ratio non habet locum in Angelis, dum mouentur motu discreto.

Arg. 2. motus est actus imperfecti *ex 3. physic.* Sed Angelus præcipuè Beatus non est imperfectus. ergo. Respond. dist. ma. & conceditur de motu, qui est actus entis existentis in potentia: Negatur verò de motu,

motu, qui fit per applicationem virtutis, & existentis in actu: & sic Angelus mouetur localiter.

Arg. 3. Motus non est nisi propter indigentiã. Sed Sanctorum Angelorum nulla datur indigentia. ergo. Respond. eodem modo: motus, qui est actus existentis in potentia, est propter indigentiam: Secus est motus, qui est actus existentis in actu: tunc enim mobile non mouetur propter sui indigentiam, sed propter alterius indigentiam.

DISPVTATIO CCLXXII.

An Angelus moueatur localiter.

2530 Quid intelligamus per moueri localiter.

SI per moueri localiter intelligamus transitum Angelicæ substantiæ de vno loco, in alium locum, ita vt nunc Angelus habeat applicatam suam substantiam vni loco, alio relicto, ita certum est Angelos moueri posse localiter, & sæpè moueri, vt contraria opinio censeatur communiter periculosa in fide, & temeraria, qualis fuit opinio Durandi, qui consequenter ad ea, quæ supra dixerat de loco Angelico, docuit Angelum nõ moueri de loco ad locum ratione suæ substantiæ: Sed solius operationis receptæ in loco, & cum eadem absurditate, & temeritate dixit consequenter, Animam Christi Domini non descendisse ad Inferos quoad substantiam: sed solùm quoad operationem.

Concl. affirm. est omninò certa.

2531 Prob. quia ex Scrip. constat, Angelos verè deserere, & acquirere diuersa loca.

Doctrina verò D. Thom. & communis probatur ex scripturis, ex quibus constat Angelos verè deserere, & acquirere diuersa loca ratione suæ substantiæ, præsentiæ, vt de Angelis, de cœlo ad infernum præcipitatis, & ex hoc aere præcipitandis, de quorum primò dicitur Isai. 14. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer *&c. Luc.* 10. videbam Sathanam tanquam fulgur de cœlo cadentem. *Apoc.* 12. neque inuentus est amplius eorum locus in cœlo: *huc transferri possunt, quæ supra diximus de Angelis assumentibus corpora, in quibus mouentur de loco ad locum, & similia, multa passim habentur in scripturis de Angelis, qui dicuntur huc, illuc moueri, mitti, transire de loco in locum, quæ omnia explicare per solam operationem transeuntem, est apertam inferre vim sacris litteris contra communem Patrum, & Doctorum sententiam.*

Ratio naturalis est, quia Angelus non est vbique.

Ratio naturalis huius rei est, Quia Angelus non est vbique per suam substantiam, neque est alligatus certo loco, à quo discedere non possit: ergo poterit ex vno loco in alium transire, neque est vlla ratio cur talis virtus motiua sui denegetur Angelo. Legi potest Vasq. hic disputat. 194. Suarez. lib. 4. de Angelis per totum, & alij communiter, neque est vlteriùs immorandum in hac re certa. Sed obijcies primò.

2532 1. Obiectio.

Etiam Filius Dei in scripturis sacris dicitur mitti, & tamen non est motus de loco ad locum: ergo neque Angeli.

Resp. aliã esse rationem Filij Dei, & angelorum.

Respond. aliam esse rationem Filij Dei, & Angelorum: nam de illo scimus esse immensum, & vbique secundùm substantiam, cùm sit Deus. Quarè eius missio est accipienda, quasi absolutè inceperit esse, vbi non erat; sed solùm, quòd nouo modo, & hoc non per sui mutationem: sed alterius, quod de creaturis, & Angelis non possumus dicere: neque nos ex hoc solùm colligimus Angelos moueri, qui vtcumque dicuntur mitti; sed ex alijs locis, vt iam vidimus.

2533 2. Obiectio.

Obijcies secundò. Angelus non indiget motu locali propter vllam sui perfectionem: ergo non habet talẽ potentiam motiuam.

Resp. neg. cõseq. quia cùm angelus non possit operari in distans, indiget motu locali.

Respondeo, negando consequentiam, cùm enim angelus sit agens liberum, & possit operari in corpore, neque possit agere in distans sine medio, indiget hac potentia ad aliorum perfectionem, seu ad operandum in alia, & veluti ad gubernandum, & hoc voluit D. Thom. ad 3. vbi proptereà docet motum angeli esse motum existentis in actu, & non in potentia, in hoc scilicèt sensu, nempe esse actum mobilis, quod per talem actum, non sit in via ad acquirendum aliquem terminum, quo perficiatur, vel in suis qualitatibus, & perfectionibus alteretur; sed quo vtatur ad alia perficienda, vel mutanda, seu quo perficiat, quod est proprium existens in actu, & in eodem sensu dicit ad secundum, quòd motus angeli non est actus imperfecti, scilicèt mobilis, quod per illum motum ordinetur ad se perficiendum; sed est actus, scilicèt perfecti, & existentis in actu, vt diximus, quia est solum ad alia perficienda, & mouenda.

2534 Quando motus angeli, est successiuus, ei conuenit definitio Aristotelis.

Cæterum quando motus angeli est cõtinuus, & successiuus, conuenit illi definitio Aristotelica in hoc, quòd est esse actum existentis in potentia, & actum imperfectum, vel imperfecti, in alio tamen sensu, quia scilicèt cùm habeat partes extra partes, & non sit totus simul, sequitur, quòd mobile dum est sub illo, non habeat totum terminum illius acquisitum, nempe locum, atque adeò existit in potentia ad vlteriorem terminum; & hoc modo omnis motus est actus in potentia, & imperfectus, vel imperfecti, scilicèt non habentis totum terminum illius motus: In quo sensu idem D. Thom. in primo distinct. 37. quæst. 4. artic. 1. ad primum docet, motum localem Angeli esse actum existentis in potentia, & actum imperfecti.

2535 3. Obiectio.

Dices tertiò, Potest ne angelus dici moueri localiter propriè, an solùm æquiuocè? nam D. Thom. hic solùm dicit æquiuocè moueri localiter, sicuti supra dixerat, æquiuocè esse in loco.

Resp. Angelus non est purè æquiuocè in loco cum corpore: sed habent aliquam conuenientiã analogicam.

Respond. hac in re non esse controuersiam, nisi de nomine illud tamen primò aduertendum est, D. Thom. per particulam illam, æquiuocè, non intelligere puram æquiuocationem, qua ratione canis cælestis æquiuocè dicitur canis cum cane terrestri: nam certum est motum Angeli, & corporum habere aliquam saltèm conuenientiam genericam, analogicam sub nomine motus localis, quatenùs vterque est operatio loci acquisitiua: sed accipere æquiuocationem latè, vt etiam includit analogiam iuxta modum loquendi Arist. in anteprædicam. cap. 1.

Motus localis Angelorũ cõparatus ad corporis motum, non est vniuocè motus.

Docet ergo Diu. Thom. motum localem Angelorum comparatum ad motum corporum nõ esse vniuocè motum: Nam motus localis corporum propriè dictus est talis, per quem mobile commensuretur loco, aut spatio, à quo successiuè continetur, talis autem non est motus angeli, maximè si loquamur de motu discreto, qui componitur ex indiuisibilibus: neque enim motus angeli potest habere commensurationem ad locum, neque loco contineri, cùm potiùs angelus sit in loco, quia contineat locum, vt supra vidimus, neque in hoc sensu D. Thom. rationabiliter reprahendi potest, si autem per motum localem propriè dictum intelligamus operationem acquisitiuam loci, seu spatij quomodocumque, & per quam mobile quomodolibet transeat de vno in alium locum, poterit angelus dici propriè moueri, vt expressè fatetur D. Thom. loco cit. in primo ad quintum.

Dub. 1. Quid sit ratio motus Angelici, & quot modis aliquid possit moueri per accidens, & an Angelus moueatur intrinsecè.

Dub. 2. An *Vbi* Angelicum intrinsecum consistat in aliquo modo intrinseco importante respectum distantiæ ad puncta fixa, sicut corpus.

Dub. 3. An Angelus moueri possit motu continuo, & discreto.

DVBIVM. I.

Quid sit ratio motus Angelici, & quot modis aliquid possit moueri per accidens; & an Angelus moueatur intrinsecè?

2536 Petes 1. Resp. motũ Angeli in loco esse.

PEtes primò. *Quid sit motus Angeli?*

Resp. D. Thom. hic docere motum Angeli in loco nihil aliud esse, quàm diuersos contactus diuersorum

uersorum locorum successiuè,& non simul. Cuius definitionis terminos explicat, dicens motum Angeli nuncupari contactum: eò, quòd Angelum esse in loco nihil aliud sit, quàm virtualiter tangere locum: esse verò diuersorum locorum successiuè: quia non potest Angelus esse simul in pluribus locis, atque ideò necessarium esse diuersa loca tangi successiuè, idest immediatè, & consequenter se habendo. Nam, si diuersa loca tangeret media intercedente quiete, non essent tales contactus Angeli motus.

2537 *Petes 2.*

Resp. Operationem, siuè contactum Angeli posse dupliciter considerari, & vt egreditur ab Angelo, & vt terminatur ad operatū in loco.

Petes secundò. *Motus Angeli in loco in quo sit tanquam in subiecto?*

Respond. Operationem, siuè contactum Angeli, ratione cuius in loco constituitur, & mouetur, dupliciter posse considerari: Vno modo, prout egreditur ab essentia Angeli media potentia: Alio modo, vt terminetur ad operatum in loco: non definitur Angelus ad locum,& eadem ratione non cōuenit Angelo moueri per operationem, vt exit ab essentia præcisè: sed prout terminatur ad operatum in loco. Qua distinctione hic etiam vtitur Caietanus, dicens in motu Angeli semper interuenire diuersitatem contactus,& operationis ex parte patientis: vel secundùm se,vt cùm Angelus vnā mouet aquam, partem attingendo post partem: vel in ordine ad extrinsecum: vt cùm vnum aliquem aliquem lapidem, aut hominem defert de loco ad locum: non tamen necessariò diuersitatem in his concurrere operationis ex parte operantis: quamuis impossibile esse non constet. Ponit igitur motus aliquid in Angelo, quod est eius operatio, siuè ea sit actus voluntatis, aut intellectus, quod est imperium, siue sit actus executiuæ potentiæ: & aliquid etiam ponit in in passo, quod successiuè contingitur, aut mouetur: ita vt ex vtraque constet ratio motus Angeli, ex illo scilicèt, vt inchoatione, siuè principio, ex hoc autem, scilicèt passione, seu terminatione, & effectu producto, vt formaliter actionem terminante, veluti complemento, & consummatione: cōpletur enim ratio motus Angelici successiua terminatione operationis ad operata locis, ac sitibus ad inuicem ordinata: est igitur inchoatiuè motus in Angelo, completiuè autem est in corpore.

2538 *Petes 3.*

Resp. motus Angeli, prout est ab Angeli non spectat ad genus quantitatis.

Petes tertiò. *An motus Angeli continuus sit in genere quantitatis?*

Respond. Motus Angeli, prout exit ab Angelo, & eius actio est immanens, siuè transiens metaphysicè sumpta, ad genus quantitatis minimè pertinet: vt verò terminatur ad corpus, & effectum habet in eo receptum, extensa est, & quanta per accidens, sicque per accidens est in genere quantitatis: quamuis, inquit Ferrariensis, fortasse dici possit operationem Angeli in passo receptam, licèt, vt accidens quoddam rei quantæ, sit quanta per accidens quantitate de genere quantitatis, vt tamen operatio est, & motus continuus Angeli, non esse in genere quantitatis; sed continuam continuitate transcendente: quemadmodum etiam successio operationum immanentium in Angelo motum eius discretum constituentium non pertinet ad genus quantitatis: nec tempus mensurans huiusmodi motum,& in genere quantitatis; sed est numerus transcendens: cùm quantitas, quæ prędicamentum est, inueniatur solùm in rebus materialibus.

2539 *Petes 4.*

Resp illud moueri per accidens, quod per alterius motū illi coniunctū, mouetur.

Petes quartò. *Quid sit aliquid moueri per accidens.*

Respond. Aliquid dupliciter posse moueri: Vno modo per se, alio modo per accidens: Dicitur illud per se moueri, quod proprio, non alterius motu mouetur. Per accidens autem id moueri dicitur, quod per alteri us illi coniuncti motum mouetur. Contigit autem aliquid alteri coniungi quinque modis. Primus est accidentis cum subiecto,& è contra. Secundus est partis integralis cum toto, & è contra. Tertius formæ cum materia: qui duplex est, iuxta duplicem formarum ordinē; earum scilicèt, quæ per actionem agentis naturalis educuntur de sinu materię, & earum, quę de foris veniunt, ac sola Dei creatoris operatione producuntur: quales sunt animæ rationales. Quartus est motoris coniuncti cum mobili, vt nautæ cū naui, & intelligentię cum orbe, vel cum corpore delato, aut etiam assumpto. Quintus, & postremus est ineffabilis vnio corporis Christi cum speciebus panis in Sacramento Eucharistiæ.

His igitur omnibus, & singulis modis, quibus potest vnum alteri mobili, seu moto coniungi, potest etiam eo moto moueri per accidens, & iuxta coniunctionis diuersitatem consurgit varietas motus per accidens. Mouetur igitur primo per accidens forma quęuis accidentalis ad motū subiecti, quod informat: nam mota niue mouetur candor, & moto artifice, mouetur ars. Secundò, moto accidente, putà calore aquæ per frigefactionem, mouetur per accidens eius subiectum, scilicèt aqua: & eodem modo dici potest materia moueri subiectiuè, & per accidens mutata forma actione generantis. Tertio, moto toto integrali dicitur eius pars moueri per accidens: sicut caput ad motum animalis. Quartò, mota parte dicitur totum moueri per accidens, scilicèt ratione partis: dicitur enim animal moueri moto pede, vel cauda. Quintò, moto corpore dicitur anima rationalis, vt anima rationalis est, moueri per accidens motu locali corporis, quamuis illi secundùm se non congruant locus, situs distantia, aut motus corporeus. Sextò, mota naui, dicitur moueri nauta, & moto corpore ab Angelo delato, vel assumpto dicitur Angelus moueri per accidens. Denique motis speciebus Sacramentalibus, mouetur per accidens corpus Christi sub illis existens. Omnes autem hactenùs enumerati modi, quibus aliqua dicuntur moueri per accidens, ad quatuor videntur redigi posse differentias.

2540 *Multipliciter contingit aliquid moueri per accidens.*

2541 *Quædam mouentur per accidens intrinsecè, quia in se se recipiunt motum.*

Quædam enim mouentur per accidens intrinsecè, quia scilicèt recipiunt in se ipsis formaliter motum: & hoc pacto mouetur accidens omne corporeum, quod est quantum, & extensum per accidens ad motum corporis: pars integralis ad motum totius, & totum ad motum partis, & materia in se ipsa recipit mutationem formæ, & motor corporeus, vel quoduis aliud corpus, corpori moto coniunctum: his omnibus enim formaliter in est motus, quamuis non per se primò, nec adæquatè. Quædam autem mouentur per accidens extrinsecè tantùm; quorum triplex videtur esse differentia. Nam quædam mouentur hoc modo satis impropriè: vt motores inferiorum ordinum mouentur per accidens secundùm Arist. motis eorum sphęris, raptu primi cœli motu diuino: qui tamen secundi motores, nec subiecta sunt diurni motus, nec locum, aut situm mutant: Sed in eadem cęli plaga, punctoque consistunt. Quædam verò propriè mouentur extrinsecè per accidens, vt Christi corpus in Sacramento, & Angelus in delato, vel etiam assumpto corpore: locum enim mutat, licèt per accidens. Adhuc autem, & magis propriè moueri per accidens congruit animæ rationali, quæ nō solùm, vt motor, sed etiam, vt forma substātialis moto corpori copulatur.

2542 *Petes 5.*

Resp. in Angelo, quando mouetur de loco ad locum datur intrinseca mutatio.

Petes quinto. *An motus iste localis sit intrinsecus in Angelo, & intrinsecum terminum producat?*

Respond. Quòd in Angelo, quando mouetur de loco in locum datur intrinseca mutatio, & aliquid de nouo produci, & relinqui in Angelo, quando mouetur, si moueatur per se, & non solùm per accidens. Hæc tamen mutatio non acquirit aliquid intrinsecum in Angelo, quod pertinet ad existentiam spatij, & distantiam, vel propinquitatem penes puncta aliqua fixa: sed producit aliquid pertinens ad contactum actiuum, quo Angelus tanquam forma actiua applicatur diuersis corporibus existentibus in diuersis spatijs, & subijcit ea sibi tanquam passum agenti, & quia talia

talia corpora sunt in diuersis distantijs, dicitur consequenter, & mediatè respicere distantiam: sicut si posset anima rationalis informare diuersa corpora, transeundo de vno in aliud, non acquireret primò, & per se distantiam; sed vnionem, seu coniunctionem informatiuam, & ex consequenti distantiam: & idem esset si Christi corpus in Sacramento relinqueret istas species, & poneretur sub alijs.

2543 *Motus verè, & propriè ponit aliquid in Angelo, quia Angelus verè mouetur.*

Quod enim mutatio, seu motus in Angelo ponat aliquid intrinsecum in ipso, & non solùm in spatio, seu corpore, vt putauit Caietan. hic q. 53. artic. 1. constat, quia Angelus verè, & propriè mouetur de loco in locum: vbi autem est mutatio, ibi est motus: si autem tota mutatio passiua esset in spatio, seu corpore, Angelus solùm moueret actiuè, non autem moueretur verè, & propriè, quod est incidere in sententiam Durandi impugnatam. Nec obstat, quod Angelus in suo motu locali non perficitur à loco; sed perficit locum: licet enim non perficiatur à loco materiali, sicut corpora, quæ à loco dependent, & in loco conseruantur, & sic acquirunt perfectionem, ex motu tamen Angelus potest acquirere perfectionem ex loco formali, id est, ex ipsa operatione, qua immutat, & perficit locum, quia ista actualis operatio pertinet ad perfectionem agentis: Nullum enim genus creatum operatur actu, quin perficiatur in hoc, quod est agere in actu secundo, quantumcumque illa actio sit perfectiua alterius: & quia ista perfectio agendi non potest esse in Angelo, nisi dependenter ab aliquo passo, ex quo educit suum effectum, oportet, quod acquirat aliquam præsentiam, seu coniunctionem resultantem ex contractu suo virtuali, quod vocamus *vbi* Angelicum, quod non consistit in pura denominatione extrinseca.

2544 *Instabis.*

Resp. Vbi dicit formã extrinsecam, quia est dependens ab aliquo extrinseco, nempe à loco.

Nec obstat, quòd aliquando D. Thom. docet per motum localem non acquiri aliquid intrinsecum: sed motum localem esse ad formam extrinsecam, vt docet infra quæst. 110. artic. 3. ex Philosopho 8. physic. tex. 59. hoc enim est commune tam locali motui corporis, quàm spiritus: dicitur autem corpus in motu locali esse in potentia ad aliquid extrinsecum, scilicet ad locum, quia forma, seu vbi, quod acquiritur per motum localem non est forma in se absoluta, sicut in alteratione est qualitas, & in augumentatione quantitas; sed est dependens ab aliquo extrinseco, à quo accipitur denominatio, sicut esse vestitum à veste, & esse locatum à loco ambiente, non tamen ipse locus denominat, nisi mediante aliquo modo intrinsecè recepto in corpore locato per quod dicitur sub esse loco. In Angelo autem non est modus, quo dicatur subesse loco; sed quod subijcit sibi locum; redditur tamen illum tangens virtuali suo contactu, eique coniunctus.

DVBIVM II.

An vbi Angelicum intrinsecum consistat in aliquo modo intrinseco, importante respectum distantiæ ad puncta fixa, sicut corpus.

2545 *Concl. est negatiua.*

CONclusio. Tale *vbi* Angelicum, seu terminus intrinsecus, qui acquiritur in Angelo per motum, non consistit in aliquo modo intrinseco, importante respectum distantię ad puncta fixa, aut dicente per se, & immediatè ordinem ad existentiam, & distantiam loci, quam Angelus suo motu acquirit, & ità vniuocè conueniat cum motu corporeo; In quo contradicimus sententiæ P. Vasq. hic disputat. 195. cap. 4. & Molinæ super quæst. 52. artic. 1. Vasquez enim dixit, quòd, quando Angelus per se mouetur, debet quidem dari variatio modi intrinseci in ipso Angelo, idest, illa vnio, seu modus, quem ipse dicit producere Angelum in se, vt sit in loco: sed tamen docet, quod motus localis Angeli non consistit formaliter in variatione illius modi; sed in intrinseca quadam denominatione distantiæ à pũctis fixis, ac proinde terminus

Refertur opinio Vazquez, & Molinæ.

motus non est ille modus realis, sed distantia illa. At verò Molina tenet, quod motus angeli est continua acquisitio existentiæ angeli in alia, ac alia parte spatij, quæ est in substantia angeli, tanquam in subiecto, pertinetque ad prædicamentum *vbi*. Vndè id, quod Vasquez ponit in extrinseca denominatione distantiæ, cuius variatio acquiritur per motum angeli, id Molina videtur ponere in forma aliqua denominante intrinsecè, & constituente angelum præsentem in diuersis partibus spatij secundùm diuersam distantiam.

Cæterùm neutra sententia substinenda est, quia angelus est forma actiua, sine quantitate, & non tangit corpus, neque illi redditur præsens per aliquid, quo illi commensuretur, idest per aliquid antecedens operationem, seu applicationem virtutis. Vndè non est in angelo aliquid, quod immediatè directè fundet distantiam, siuè ad partem spatij, siue ad puncta fixa, vt supra satis ostendimus, quia omnia ista fundantur in aliqua extensione, aut commensuratione cum loco. Angelus autem non est substantia subiecta loco, Sed locum sibi subijciens, & continens: Ergo motus angeli non subijcitur legibus loci materialis extẽsi, nec primo, & per se ordinatur ad acquirendam distantiam, vel propinquitatẽ, aut commensurationẽ cum loco, cùm abstrahat ab omnibus conditionibus loci, & quantitatis: & sic est incommensurabilis ipsi, nec potest respicere locum tanquam mensuram suę potentiæ. 2546

Reijcitur vtraque sententia, quia Angelus est forma actiua sine quantitate.

Quare motus corporis, & spiritus non possunt vniuocè conuenire in acquirendo terminum localem, nec in habendo contactum ergà corpus. Quia motus corporis acquirit *vbi* circumscriptiuum, quod est commensuratum loco, & ab illo dependens, & distantiam, seu extensionem in illo habens: *vbi* autem angelicum non potest habere talem commensurationem, quia contactus angeli non est per modum extensionis, seu commensurationis ad extensionem corporis, & cùm distantia non possit intelligi, nisi ratione extensionis, siquidem maior, vel minor distantia, mensuratur per extẽsionem, consequenter dicendum est, quod angelus, qui omnis extensionis expers est, non potest moueri localiter ad hoc, vt acquirat aliquam distantiam, seu existentiam, vel præsentiam ad locum, secundùm extensionem loci: Ita quod antecedenter ad operationem, & contactum virtutis acquiratur in angelo aliqua presentia commensurabilis distantiæ spatij, quæ commensuratio actiua non sit; sed antecedens ipsam operationem, seu actiuitatem agendi, sicut corpora antequam operentur, priùs commensurantur quantitati spatij, vt ex illa operentur, eo, quòd applicatio corporum ad operandum est dependens à quantitate, quæ actiua non est; sed antecedit operationem. 2547

Motus corporis, & spiritus nõ possunt vniuocè conuenire.

Non est autem commensurabile aliquid ad distantiam, & extensionem spatij antecedenter ad operationem, nisi per aliquam extensionem, cùm ipsa distantia quædam extensio sit, nec possit coaptari aliquid ad extẽsionem, nisi vel virtualiter, quia virtus subijcit aliquam extensionem, & distantiam sibi, vel formaliter, quia antecedenter ad virtutem, & operationem illi coaptatur, & commensuratur, & hoc non potest intelligi, nisi per aliquam extensionem. Quarè cùm angelus antecedenter ad virtutem operatiuam, qua subijcit sibi corpus, & extensionem eius non habeat aliquid, quo passiuè, & formaliter coaptetur extensioni loci, consequenter, nec motus eius acquirere potest aliquam præsentiam, seu existentiam, quæ immediatè dicat rationem distantiæ, seu commensurationem eius ad partes, extensionem spatij, vel ad puncta fixa, quia ista puncta solùm respiciuntur ratione elongationis, vel approximationis, quæ pertinet ad rationem distantiæ, & extensionis, cuius omnino expers est angelus. Quare motus angeli non potest habere terminum intrin- 2548

Non est commensurabile aliquid ad distantiam spatij, antecedenter ad operationẽ, nisi per aliquam extensionem.

intrinsecum, qui vniuocè conueniat cum termino motus localis corporum: haberet autem, si acquireret distantiam aliquam, ad puncta fixa immediatè in se, vel existentiam ad partes spatij antecedenter ad operationem; sed id, quod acquirit per motum est modus aliquis, qui resultat ex coniunctione formæ angelicę in quantùm actiua est ad corpus, & ad extensionem eius tamquam ad passum, quod sibi subijcit, & ex quo incipit operari, quia si contactus angeli est contactus virtutis, cõsequenter modus, qui resultat in angelo ex tali applicatione ad agendum circa tantam quantitatem corporis, debet esse modus coniunctionis agentis cum passo, non extensionis cum distantia.

2549 *Non est inconueniens quod ex coniunctione agentis cũ passo, resultet in agente aliquis modus.*

Non est autem inconueniens quòd ex coniunctione agentis spiritualis cum passo, resultet in ipso agente aliquis modus præsentiæ, & coniunctionis cum tali passo, qui modus immediatè, & per se pertinet ad præsentiam, seu coniunctionem agentis in ratione, & linea agentis cum passo, consequenter autem, & mediatè importat ordinem distantiæ, vel indistantiæ, ratione ipsius corporis, cui vnitur, sicut anima rationalis ex eo, quòd vnitur corpori, acquirit modum aliquem, seu statum existendi in corpore, informando illud, quem non habet, quando existit separata, qui modus subiectiuè est in ipsa anima, qui non est modus importans *vbi*, seu distantiam ad puncta fixa, & ad locũ immediatè, vt ex parte animę se tenet: sed immediatè importat habitudinem formę informantis erga corpus, in quo habetur ipsa præsentia, & distantia ad locum, non ratione sui, sed ratione corporis.

2550 *Confirm. exẽplis Animæ rationalis & corporis Christi sub speciebus.*

Et si posset anima de vno corpore ad aliud transire, mutaret immediatè, & per se istos modos informationis, non tamen immediatè acquireret distantiam, vel propinquitatem erga locum; sed mediatè, & ex consequenti, quatenùs illa informatio est ad corpus in aliquo loco. Et similiter, si corpus Christi sub speciebus posset transire ad alias species, illisq; coniungi, mutaret vniones, seu presentias ad species, non acquireret distantiam, vel propinquitatem localem immediatè, & ratione sui: sed mediante quantitate specierum, quibus sub esset. Sic angelus, quia est forma actiua superior omni corpore, quando mutat applicationem, & coniunctionem erga corpora, non mutat propinquitatem, vel distantiam localem fundatam in se: sed presentiam agentis erga passum, & mediante tali passo, cui assistit, dicit respectum ad distantiam, vel propinquitatem loci. Quando autem angelus, anima, & corpus Christi Domini non mutant coniunctionem ad corpus, vel species, quibus sunt coniuncta, & tamẽ ipsa corpora mouentur tunc res mouẽtur illę ꝑ accidens, id est ꝑ aliud, & mutant locũ, non ad quẽ immediatè dicunt respectum: sed ad quem dicit respectum ipsum corpus, cui sunt coniuncta: & sic non est necesse, quòd tunc acquirant *vbi* intrinsecum, seu modum intrinsecum suæ personę, quia ille motus corporis non potest acquirere modum, & præsentiam indiuisibilem, & spiritualem, quam habent Angelus, & anima, & corpus Christi.

DVBIVM III.

An angelus moueri possit motu continuo & discreto.

2551 *Petes 1.*

PEtes primò *An angelus moueatur motu continuo: & vndè sumenda sit continuitas motus angelici.*

Resp. referendo opinionem Bannes, ac Zumel.

Resp. autem Bannes, & Zumel ad continuationem motus angelici non sufficere continuationem spatij: sed requiri continuitatem, non quidẽ mobilis, id est angeli, cùm sit angelus omnino indiuisibilis: sed temporis mensurantis applicationẽ virtutis angelicę ad locum secundùm diuersas partes loci, quibus successiuè se applicat angelus. Nam, si existat angelus in loco sibi adæquato, & alterum locum adæquatum veluti acquireret, qui priori sit immediatus, id autem efficit relinquendo simul totum locum priorem, & acquirendo simul totum alterum locum, motus ille non erit continuus: sed discretus, vt infra patebit, & tamen continuitas hic est magnitudinis. Addunt prætereà spatij continuitatem secundùm se non esse necessariam, vt motus angeli sit continuus: nam, si fuerit Angelus in aliquo loco adæquato, vel inadæquato, et velit acquirere locum alium distantem, & non immediatum priori loco, & hoc faciat successiuè, relinquendo priorem locum, motus hic erit continuus & tamen spatium non erit continuum: igitur spatij continuitas, ad motus angelici continuitatem non requiritur.

Sed quamquam verum est angelum secundùm substantiam suam, & virtutem, prout in eo est, esse prorsùs inextensum, & indiuisibilem: certum tamen est in doctrinâ D. Th. superiùs explicata angelum per suę virtutis contactum, & operationem in loco constitui, nõ prout operatio egreditur ab essentia: sed quatenùs ad operatum in loco terminatur, vt ait D. Th. in primo sent. dist. 37. q. 4. art. 2. & Ferr. in 3. cõt. gent. cap. 102. sic autẽ operatio sumpta extensa est, ac diuisibilis: cũ sit accidens quoddam, corporeum in re quanta receptum, & consequenter extensum per accidens, ac diuisibile, vt in pręcedenti dubio notauimus. Cùm itaque ratio locandi angelum prædicto modo sit extensa, consequens sit, vt angelus in loco constitutus vt sit, idest, sub ea ratione formaliter, qua in loco est, ac vt vnum quid cum sua ratione locandi consideratus, sit quodammodo quantus, extensus, ac diuisibilis: ac proinde, quamadmodum ad motus localis corporei continuitatem necessaria est tam magnitudinis, quàm eius, quod super ea mouetur, extensio, ac partibilitas, sic, vt angelus motu continuo moueatur, necessaria est non solùm extensio, ac diuisibilitas magnitudinis, cuius partes successiuè tangendo pertransit Angelus; sed quędam in Angelo, non quidem secundùm se; sed quoad id, quod ei ratio locandi est, extensio partibilitasq; requiritur.

2552 *Impugnatur sententia Bannes, & Zumel quia operatio Angeli, prout recipitur in loco, est diuisibilis.*

Quæ tamen in Angelum verè, ac propriè non redundat, cum non in ipso: sed in externo corpore, vt in subiecto, siuè passo virtutis Angelicæ terminetur operatio, & relinquatur effectus: Cuius extensio, dum secundùm priorem sui partem in priori parte magnitudinis successiuè deperditur, & tantùndem in alia subsequenti parte magnitudinis coalescit, motum constituit Angeli continuũ: sicut motus corporei cõtinuitas, ex moti corporis, & magnitudinis simul partibilitate consurgit: vt enim ait Arist. in 6. Physic. & S. Th. hic ad primũ, omne, quod mouetur, dum mutatur, secundùm aliquid sui, est in vno termino, & secundùm aliquid est in altero: atq; ideo omne, quod mutatur, necesse est esse diuisibile. Quamuis igitur Angelicę substantiæ nullæ sint partes, dicitur tamen Angelus, dum mouetur partim esse in terminô à quo, & partim in termino ad quem: Itaut partialitas non referatur ad substantiam Angeli; sed ad locum, vt ait S. Th. Angelus enim à principio sui motus continui est in toto loco diuisibili à quo incipit moueri; sed dum est in ipso moueri, est in parte primi loci, quem deserit, & in parte secundi loci, quem occupat. Potest autem Angelus partem duorum locorum occupare, quia potest suæ virtutis contactum ad locum diuisibilem applicare: sicut corpus hoc idem potest suę magnitudinis applicatione: hoc autem ipso, quod loco diuisibili virtus applicatur Angelica, sit eadem virtus diuisibilis, & extensa per accidens, qua ratione terminatur ad passum, & in eo recipitur: cùm igitur huius ratione locetur Angelus, sequitur Angelum simul cum ratione locandi sumptum, vt sic, esse quantum, extensumq; per accidens: quamuis, vt ante diximus quantitas hæc, & extensio non redundet in Angelum

2553 *Cõfirm. quia in Angelo non reperitur aliqua partibilitas, neque secundùm substantiã, neque secundùm durationem.*

2554 *Potest Angelus partem duorũ locorum occupare, quia potest suæ virtutis contactum ad locũ diuisibilem applicare.*

Angelum secundùm se nec eius effectui conueniat secundùm se, siue per se, sed tantùm per accidens: est ergo necessaria quantitas, & extensio non ex parte tantùm magnitudinis; sed etiam ex parte mobilis Angeli, modo dicto: hoc autem interest inter Angelum, & corpus, quod quantitas, quæ est corpori ratio locandi est in ipso corpore existens, eidem per se conueniens, & eadem inuariata perseuerat in toto motu, à quo realiter est distincta: actio verò, siue qualitas, quæ est Angelo ratio locandi in ipso loco, est pro diuersitate motus, siue partium eius diuersa, nec realiter à motu distinguitur: sed formaliter tantùm, vt constat ex definitione motus Angeli adducta superius, vt enim successiua est, rationem habet motus, vt autem operatio est, Angeli passum contingens ratio locandi est, nec vlla per se quantitatis habet extensionem; sed per accidens tantùm, quanta est ex quantitate subiecti.

2555 *Motus continuo Angelorũ, priorem locum deserentium; est vnus continuitate contactus.*

Igitur corporis, & angeli, ac motus vtriusq; similitudinem prosequendo dicendũ est cũ Ferran. in dicto cap. 102. quod sicut in motu corporeo magnitudo super quam fit motus, cum vnitate continuatis pluralitatem habet partium, sic ad inuicem distinctarum, vt vna non sit alia; ita corporis motus super magnitudine continuatis habet vnitatem cum pluralitate partium, quarum singulę partiales, quidam sunt motus, singulis magnitudinis partibus coaptati. Quò fit, vt corpore trãslato de extremo ad extremum datæ magnitudinis sit ibi vnus totalis motus, partiales autem plures totum illum vnum integrantes: quemadmodum, & vna totalis magnitudo ex pluribus constat partibus, quarum vnaquęq; est magnitudo. Hinc igitur ad motum angeli corporeo similem proportionaliter ascedendo dicimus in angeli motu continuo priorem locum successiuè deserentis, & posteriora successiuè, secundùm ordinem partium occupantis vnum esse continuitatem contactum, operationemq; totalem vni plurium locorum continuitati respondentem, cuius tamen operationis, prout in subiecto, siue loco recipitur, plures sunt partes iuxta numerum partium magnitudinis, quibus applicatur. Vna est igitur in Angeli motu continuo totali operatio, siue contactus partiales autem plures.

2556 *Confirm. quia sicut non repugnat, Animã rationalẽ informare plures partes corporis per augmentationé. ità &c.*

Confirmatur, & magis explicatur præsens doctrina: Quia sicut non repugnat animam rationalem successiuè informare diuersas partes corporis per augumentationem, ita non repugnabit Angelum successiuè applicare partibus continuis spatij, incipiendo operationem suam à partibus immediarioribus: & sic continuando operationes suas per applicationem ad aliquam partem aliquotam, & determinatam, & post ad aliam etiam determinatam immediatè sequentem. & sic cõtinuo mouebitur penès partes aliquotas se applicando: nam ad partes proportionales, & indeterminatas non potest substantiam suam continuo diuersis operationibus applicare, quia non possunt partes istæ diuersis operationibus tangi, quia infinitæ sunt, & diuersis operationibus sigillatim vnaquæquę attingi non potest.

2557 *Ad hoc, vt substantia Angeli existat in loco; requiritur quòd virtus eius applicetur cõtinuò ipsis partibus.*

Requiritur autem ad hoc, quòd substantia Angeli existat in loco, quòd non solùm eius virtus ab eo diffusa continuatim per partes se extendat. sed quod virtus eius, quæ est in eius substantia, & vnde incipit operatio, applicetur continuò ipsis partibus: quod non potest esse, nisi diuerso modo incipiendo operationes suas. Et hæc diuersa inceptio non potest esse numerando partes improportionales, quæ continuatim sequuntur, bene tamen applicando se partibus determinatis, & continuatim ad partes immediatas etiam determinatas se applicando. Quòd non accidit in anima rationali, quæ in augmentatione paulatim informat partes materiæ alimenti, secundùm partes proportionales, quia introducitur in materia iuxta modũ, quo materia se disponit, scilicet vniformiter difformiter, & per partes proportionales, ingrediendo materia, non sicut Angelus applicando sibi passum vndè operationem incipit. Hoc ergo modo Angelum se applicare continuò partibus per motum neq; repugnat ex partè ipsius Angeli, cùm à qualibet parte corporis possit incipere aliquando operationem suam, & sic continuò applicari diuersis partibus; Neq; etiam id repugnat ex parte corporis, cùm omnes eius partes etiam si sint continuæ æquè subijcibiles sunt ipsi Angelo.

Instabis 1.

Quòd si dicas, requiri ad motum continuum, quod mobile partim sit in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*, quod Angelo non conuenit, quia est indiuisibilis. Imò ex hoc ducitur argumentum contra ipsum motum Angeli absolutè,

Instabis 2.

quia Angelus debet se mouere, cùm sit viuens: ergo debet habere partem mouentem, & partem motam, cùm omne, quod mouetur, ab alio moueatur, quod non apparet quomodo distinguatur in Angelo.

2556 *Ad 1. Instantiam Respond.*

Ad priorem partem difficultatis Resp. ex D.Th in hac quæst. 53. art. 1. ad. 1. Angelum non esse partim in termino *à quo*, & partim in termino *ad quem*, ex parte sui, sed ex parte corporis, seu spatij, cuius partem immediatam deserit, & partem immediatam acquirit. Vndè obiter colligitur, quòd cùm D. Th. hic expresse posuerit motum continuum in Angelo, non refert, quòd negauerit illum in 1. dist. 37: sic enim id correxit.

Ad 2. Instantiam Resp. Arrubal, & Reijcitur.

Ad posteriorem partem dubij. Respondet P. Arrubal hic dis. 159. c. 2. quòd in Angelo, qui est substantia indiuisibilis, non est necesse distinguere partem mouentem, & partem motam: sed sufficit recipi motum in substantia, & effici à virtute ipsius substantiæ. Cæterùm licèt verum sit non esse in Angelo parte, inconuenienter tamen dicitur motum effici à virtute ipsius substantiæ, & recipi in substantia Angeli, quia nulla virtus, vel accidens existens in aliquo subiecto effectiuè agit in illud, ita quòd distinguatur virtus efficiens à substantia recipiente, quia virtus alicuius substantiæ non agit, nisi vt recepta in substantia ipsa, & consequenter substantia per talem virtutem est, quæ agit, sicut calidum est quod calefacit, non calor: sed calor agit vt *quo* calidum, vt *quod*; & sic substantia cum virtute agit, illa vt principium *quod*, ista *vt quo*: vtrumq; tamen vt vnũ agens, non vnum vt agens, aliud vt recipiens: ergo non se habet substantia solùm, vt recipiens, & virtus, vt efficiens.

2559 *Vera Responsio in Angelo pars mouens, & pars mota non distinguitur formaliter.*

Vndè respondetur, quòd in Angelo non distinguitur pars mouens, & pars mota formaliter: sed virtualiter, quia sunt diuersi actus in voluntate, & intellectu, vel etiam in potentia motiua, si ab istis distinguitur, quorum vnus oritur, & mouetur ex alio, sicut electio ex intentione, & ex electione, imperium, & ex imperio applicatio ad executionem, & executio operetur erga aliud, scilicèt erga corpus ex qua operatione resultat etiam ipsum Angelum mouentem coordinari, & pręsens fieri ipsi corpori. Quarè non est inconueniens, quòd quando aliquid mouet aliud à se ex consequenti resultat in se aliquis modus, seu terminis motionis, sicut est ipsum *vbi*, quia hoc non est primò, & per se esse mouens, & motum: sed primò, & per se distinguitur mouens, & motum. & deinde ex ipso moueri resultat aliqua mutatio, seu ordinatio, & pręsentia in eo, qui mouet, quia sic se applicat ad mouẽdum alia à se per diuersos actus, quorum vnus est pars mouens, & alius pars mota, seu ratio mouentis, & moti, licèt ipsa substantia sit mouens, & mota, vt *quòd* secundùm diuersa, seu secundùm ordinem ad diuersos actus.

2560 *Quæres.*

Quod si vlterius inquiras, an in motu continuo Angeli debeant esse plures operationes, vel vna tantùm.

Resp: motus Angeli continuus potest cõtingere vnica, & pluribus operationibus.

Respondetur, vtroque modo posse contingere motum continuum, vt ex Caiet. docet P. Suarez lib. 4. de Angelis c. 20. ita quòd, si diuersis operationitur velit Angelus cõtinuò moueri, oportebit, q diuersæ operationes respiciant cõtinuationẽ spatij,

&

& attingat diuersas partes designatas, seu aliquotas diuersis operationibus non disparatè se habentibus: sed coordinatis, & ipsâ cõtinuatione spatij intēdētibus, ita q̃ quãdo assistit vni parti, velit immediatam occupare, & posteà aliã immediatã vsq; ad certũ terminũ: & sic efficitur motus continuus propter cõtinuitatem spatij, licèt operationis, quæ continuitatem illam consumunt, sint diuersæ, inter se tamen ordinatæ. Sit verò sit vnica operatio, tunc habebit continuitatem, non formaliter, & ex parte operationis; sed virtualiter, quia operatio illa indiuisibilis attingit continuum spatium per modum vnius, volendo omnes illos contactus vsque ad talem terminum; & sic etiam dabitur tempus continuum, non secundùm prius, & posterius in ipsamet operatione, quia vnica, & indiuisibilis est; sed secundùm prius, & posterius in ipso effectu, & re operata, quatenùs vnica operatione vult Angelus plures partes alicuius spatij attingere, non omnes simul habendo: sed vnam immediatè, & ordine quodam post aliam: & sic continuatim mutat loca, licèt operatio non mutetur, quia vnica operatio plures effectus continuatos, & subordinatos habere potest.

2561 Petes 2. Petes secundò. *Quæ sit ratio diuersi motus continui? & discreti.*

Resp. Nota. 1. motus angeli discretos nihil aliud esse quàm diuersos contactus successiuè succedentes.

Resp. Hanc difficultatem habere propriam sedē in articulo immediatè sequenti. Altera verò controuersiæ pars, quæ de motu Angeli discreto est, eiusque naturam inquirit, propriam habet etiam sedem in articulo immediatè sequenti. Sufficit hic nobis tria tantùm ad præsentis articuli intelligentiam maximè necessaria breuiter attigisse. Primum est, motum Angeli discretum nihil aliud esse quàm diuersos contactus successiuè, quibus priori loco simul toto dimisso alteri toti se simul applicat: posse vero tales contactus, ac proinde motum Angelo conuenire, probatur ratione D. Tho. vnico argumento efficacissima: Angelus in loco constituitur per liberum suæ voluntatis, ac intellectus imperiũ, quo non pendet à loco; sed illi maximè dominatur: igitur per talem actum toti loco simul; idest secundùm omnes eius partes accepto, se poterit applicare, ac posteà totum illum simul deserere, & alteri toti simul se applicare. Antecedens patet ex supradictis in quæst. præced. Consequentia euidens est: Nam, cùm ex parte angeli sit plena libertas, & virtus ne dum sufficiens; sed excedens, & nulla sit ex parte effectus contradictio, aut impedimentum, vel absurditas, poterit angelus simul totum æquè, ac partem post partem loci dimittere, & totum alium simul æquè, ac partem eius post partem occupare.

2562 2. Nota. *Loca, quibus applicatur Angelus successiuè, non possunt esse nisi finita.*

Secundum est, loca, quibus applicatur angelus successiuè motu discreto, esse non posse, nisi finita in quacumque data magnitudine: vt probat efficaciter S. D. in artic. sequenti: Quæ tamen dupliciter ad inuicem possunt esse distincta; Vno modo, vt nullus inter ea locus mediet totaliter ab eis distinctus: sicut in magnitudine trium cubitorum in tres partes æquales distincta, pars vnius cubiti mediat inter duas alias partes eiusdem mensuræ. Si verò diuidatur in duas tantùm partes æquales, aut inæquales, nulla pars inter eas erit media: Sed erunt ad inuicem contiguæ, siuè magis continuæ. Alio modo possunt ea diuersa loca sic ad inuicem esse distincta, vt vnus, vel plura loca medient inter ea: vt patet in exemplo allato de magnitudine trium cubitorum, & potest aliud adduci de magnitudine decem cubitorum in decem partes æquales re, vel cogitatione distincta; in qua duæ extremæ partes, siuè loca sic ad inuicem distant, vt actò medient eiusdē mensuræ partes, siuè loca. Cùm itaque mouetur Angelus, subtrahendo virtutem suam ab vno toto loco simul, alteri se toti simul applicando, siuè mediata sint ea loca, siue immediata, est motus propriè, at verè discretus. Apparet tamen euidentius in eo motu discretio, quo vno, vel pluribus interpositis locis medijs de primo statim mouetur in vltimum, illo vno, vel pluribus, qui medij sunt, prætermissis.

Tertium est Angelum, qui motu discreto mouetur, dici posse moueri tàm in successione vnius termini ad alium, vt ait D. Thom. in primo sent. dist. 37. quæst. 4. artic. primo ad tertium, quam dum est in termino à quo, & dum est in termino ad quem: vt hic affirmat S. Thom. ad primum, & explicat optimè Caietanus, & post eum Zumelus in sua q. 3. ad hunc art. Sed de hoc in sequenti, vel in tertio differemus articulo. 2563 3. Nota.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Angelus transeat per medium.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Concl. Si Angelus mouetur motu continuo necessariò transit per medium; Secùs si moueatur motu non continuo. 1. Pars prob. id, quod mouetur motu continuo, priùs peruenit ad medium, quàm ad extremum. ergo, non potest Angelus moueri motu continuo, quin transeat per medium. 2. Pars prob. Si Angelus suo motu non continuo per transiret omnia media existentia inter extrema alicuius magnitudinis, sequeretur, quòd numeraret infinita in actu; quod est impossibile.

Arg. 1. Omne, quod pertransit medium, prius pertransit locum sibi æqualem, quàm maiorem. Sed locus æqualis Angelo, est locus punctalis. ergo. Respond. hoc argumentum valere, quandò locatum commensuratur loco secundùm magnitudinē, quod non est verum in Angelis.

Arg. 2. Anima nostra sua cogitatione potest tranire de vno extremo in aliud, nō pertranseundo medium. ergo multò magis hoc potest Angelus. Resp. neg. conseq. Nam dum Angelus mouetur localiter, eius essentia applicatur locis: Anima autem essentia non applicatur rebus, quas cogitat, sed potiùs res cogitatæ sunt in Anima; vnde non est eadem ratio de Anima, & de Angelo.

DISPVTATIO CCLXXIII.

An repugnet Angelum moueri de vno loco ad alium non transeundo per medium.

2564 Petes 1. Petes primò. An, & quomodo inter duo loca, sint infinita loca media.

Resp. adducēdo dubitandi. *Respond. Dubitationem hic excitare Caietanum de prima illa propositione assumpta in probatione secundæ conclusionis D. Thom. videlicèt*: Inter quælibet duo extrema loca sunt infinita loca media, siue accipiantur loca diuisibilia, siuè indiuisibilia. *Ratio verò dubitandi est, quia constat inter duas medietates alicuius continui nullum inueniri medium diuisibile: sed medium tantùm vnum esse posse diuisibile rationem habens termini communis vtramque medietatem copulantis.*

2565 Pro resolutione duo notanda sunt. *Pro cuius resolutione duo notanda sunt: Primum est aliud esse loqui de partibus, putà de duabus medietatibus magnitudinis bicubitalis, & aliud esse loqui de locis cubitalibus, vel etiam minoris quantitatis actu designatis, vel possibilibus designari in eadem magnitudine bicubitali: Nam locorum pluralitas distantiam situalem necessariò postulat vnius ab alio: plures verò partes eiusdem continuæ magnitudinis, qua ratione sunt partes, non necessariò distant ad inuicem, vt patet de duabus medietatibus ad inuicem continuatis;*

vis: atq; idea, vt sic non duorum locorum: sed vnius tantùm loci rationem habent. Quare distinguendo cum Caietano dicimus duas partes continuæ magnitudinis dupliciter sumi posse: vno modo ex ea parte, qua continuantur, vel contiguantur: & sic duorum locorum, inter quæ fit motus, rationem habere non possunt: cùm in vno sint loco formaliter: alio modo sumi possunt ex ea parte, qua distant aliqualiter ad inuicem, & sic inter eas infinita sunt media tam diuisibilia quàm indiuisibilia, vt probatur in textu, & ex vna in aliam potest esse motus localis, & in hoc sensu loquitur hic de partibus S. Th. locorum non autem partium vtens vocabulo;

2566 Inter duo aliqua loca duplicem esse posse locorũ pluralitetem.

Secundò considerandum est inter duo aliqua loca dupliciter esse posse locorum pluralitatem: vna est eorum, quæ totaliter ab inuicem sunt distincta, nec vnum aliquid alterius occupat, siue participat, & hæc necessariò finita sunt: sicut in magnitudine decem cubitorum sunt, aut describi possunt decem loca sic ad inuicem distincta, vt vnum ex alterius parte non constet. Alia potest esse eorum locorum pluralitas, quorum vnus aliquid alterius, siue magis aliorum occupat, & participat, vt ex gradu in magnitudine bicubitali duo tantùm esse possunt loca corporis cubitalis omnino distincta: sed plura, imò infinita possunt esse, quorum vnum aliquid alterius, vel aliorum occupat. Nam existente corpore cubitali in prima medietatè magnitudinis bicubitalis, si parùm moueatur, vt digiti quantitatem occupat secundæ medietatis, & tantundem relinquat de priori medietate, tunc erit corpus in alio loco, & si progrediens adhuc aliam digitalem occupet quantitatem, erit in alio loco: & sic loca mutabit, donec ad extremum terminum perueniat quantitatis bicubitalis.

2567 Secundus locus, quem Angelus acquirit, non est totaliter distinctus à primo.

Vbi perspicuè constat secundùm locum non esse totaliter distinctum à primo: sed maiorem eius partem in se concludere, & partem occupare subsequentis, & sic de singulis. Cùm autem sit, qualibet magnitudo diuisibilis in infinitum, iuxta partium eius infinitatem, erunt etiam mobilis infinita loca, sicut diximus ad inuicem participantia. Ex quo patet quomodo in magnitudine bicubitali duo loca cubitalia, quorum vnus est in prima medietate, & alius in secunda, distent ad inuicem; nam, si considerentur, vt partes eiusdem continuæ magnitudinis, vt continua est, non distant: si verò considerentur vt loca, cùm inter ea sint infinita loca participantia, sic maximè distant, & extrema sunt vnius continui motus localis, & hoc videtur significare voluisse Caietan.

2568 Petes 2.

Petes secundò. An Angelus possit sic moueri motu discreto, vt non pertranseat per medium?

Resp. posse Angelum sic moueri motu discreto, vt non pertranseat per medium.

Resp. posse Angelum sic moueri motu discreto, sinè hoc, quòd pertranseat per aliquod medium, quodcũq; illud sit, siue communicans siue non communicans, siue intra suam sphæram, siue extra. Est expressa sententia D. Th. nam in ista q. art. 2. inquit, quod moueri de extremo in extremum, & non per medium, potest conuenire Angelo, *& in 1. dist. 37. q. 4. art. 2.* Angelus, *inquit,* potest transire de loco in locum ita quod transeat omnia media, & potest esse quod transeat de loco in locũ sine hoc, quod sit in aliquo mediorum. *Et idem habet in 1. ad Anibal dist. 37. quæst. 2. art. 1. ad 4 Et quolib. 1. art. 5. vbi inquit,* quod Angelus, si vult potest moueri de vno extremo ad aliud, absque hoc, quòd pertranseat medium. *Vndè patet, quòd quando D. Th. admittit motum Angeli posse esse continuum, & discretum, vt in hac quæst. 53. art. 1. & 2. & dist. 37. c. q. 4. art. 1. & alibi sæpè non solùm loquitur discretione ex parte durationis; sed etiam ex parte loci, seu medij, vt in præfatis verbis videbimus. Et ita, vt supra diximus D. Th. communiter sequuntur eius discipuli, aliiq; Theologi, quos citant NN. Carmelitani Salmantic. trac. de Angelis disp. 3. dub. 5.*

2469 Ratio à priori est quia Angelus non est in loco per cõtactũ quantitatiuum.

Ratio autem, & fundamentum huius sententiæ à priori illa, est quam perpetuò D. Th ponit quia Angelus non est in loco per contactum quantitatiuum, qui commensuretur loco, vel ab eo dependeat; sed potest vnico, & indiuisibili modo, æquè primo comparari ad plures partes corporis. Sicut enim anima rationalis comparatur ad corpus, quod informat indiuisibili modo, & quæ primò assistens tali corpori, & similiter Corpus Christi speciebus panis, ita Angelus, qui est forma actiua spiritualis respectu corporum, potest vniri alicui corpori, & partibus eius, æquè primò, & indiuisibili quodam modo, propter spiritualitatem suã, quæ superior est extensione corporis, circa quod operatur. Ergo ad deserendum illud corpus, & coniungendum se alteri, non obligatur prius coniungi partibus immediatis, & deinde remotioribus; sed potest æquè primò, & indiuisibili modo totum ipsum locum deserere, & alteri vniri: alioqui non indiuisibili modo se coniungere corpori, si non posset pluribus partibus corporis simul, & vnica indiuisibile præsentia, seu contactu, se coniungere: ergo potest Angelus independenter à partibus intermedijs alicui corpori extremo se coniungere.

Probatur conseq. quia, si semel habet Angelus talem vim præsentiæ, quòd potest simultaneè, & indiuisibili modo pluribus partibus corporis se applicare, non tenetur paulatim partes spatij acquirere, & alias deserere: ergo potest simul totum spatium, quòd occupat deserere, & simul idest, indiuisibili quodammodo totum aliud acquirere: si namque semel potest omnes partes, quas occupat simul, & indiuisibiliter deserere nihil illi obstat, quo minus possit etiam simul, & indiuisibiliter totum spatium simul acquirere, & illi ad esse. Tunc autem, quando deserit totum locum, quem occupat, nullo modo est ligatus, vel dependens ab alijs partibus immediatis, & coniunctis loco, quem anteà occupabat: ergo potest præsentiam suam adhibere partibus, seu spatio distanti, & non coniuncto illi, quem anteà occupabat: Vndè enim talis obligatio proueniet Angelo, si nullo modo continetur, ab hoc, nec subiacet illi; sed potest indiuisibiliter, & simul totum locum, quem habebat deserere, aut occupare. 2570 Prob. conseq. quia Angelus non tenetur paulatim partes spatij acquirere, & partes: deserere.

Confir. quia operatio Angel., quæ habet contactũ ad corpus, ita libera est, quod potest à quacũq; parte vniuersi inchoare suam operationem, & super quodcumq; corpus habet potestatem, vt illi se applicet, non quidem tanquã forma informans; sed tanquam forma agens, & præcipuè quia est agens omni corpore superius, & nulli alligatum loco corporeo & sinè extensione illi commensurata: ergo Angelus, qui habet contactum ad vnam partem spatij, quia ex illa inchoat operationem suam, potest à tali operatione omnino cessare, & inchoare suam operationẽ à corpore distanti, & non ab intermedio, quia sua virtute non vult aut non potest aliquid operari circa corpus intermedium: ergo hoc ipso, quòd substantia spiritualis Angeli est forma actiua, ita eleuata, & libera quòd potest à quacumq; parte corporis in hoc vniuerso suam inchoare operationem, & illi coniungere tanquam passo, & materiæ, ex qua operetur, neq; ad hoc indiget dispositione corporali ex parte materiæ; sed virtutis suæ applicatione, poterit etiam se mouere ad quodcũque corpus distans independenter ab intermedijs, quia non semper vult applicare suam virtutem corporibus intermedijs, & motus Angeli sit secundùm diuersã applicationẽ suæ virtutis ad corpus, ex quo operatur non per dependentiam, & commensurationè, ad illud corpus. 2571 Cõfirm. operatio Angeli, est ita libera, vt possit à quacumque parte vniuersi inchoare operationem.

DVBIVM VNICVM.

An ex aliquibus effectibus, vel exemplis constet ratio huius motus discreti in Angelo independenter à spatio intermedio? Vbi quomodo tempus Angeli sit independens à nostro.

COncl. est affirmatiua. Probatur; Nam Angelus occupans totam magnitudinem suæ sphæræ, potest in minori se ponere, & alias partes relinquere, & è conuersò existens in minori parte potest in tota sua sphæra se ponere: hoc autem non facit Angelus per contractionem aut dilatationem suæ substantiæ; sed per indiuisibilem contactum suæ præsentiæ, quo potest indiuisibili modo nunc plures 2572 *Cõclusio affirm Prob. nam Angelus occupans totam suam sphæra, potest in minori se ponere.*

plures,nunc pauciores partes suæ sphæræ tangere. Ergo in retrahendo, vel dilatando suę substantię præsentiam non dependet à partibus inter medijs, alias non posse vnico,& indiuisibili modo ab alijs partibus se retrahere,vel ad alias extendi,nisi priùs partes intermedias paulatim ingrederetur, vel egrederetur, quando minùs spatium occupat ab illo,quod anteà occupabat, vel è contra. Quod tamen magnum inconueniens est, quia sicut Angelus potest in aliqua sphera suæ magnitudinis simul,& indiuisibili modo poni, ita potest ad minorem locum se retrahere, non per partes spatij se retrahendo; sed simul vnica,& indiuisibili præsentia, minori loco assistendo,& reliquas partes omittendo; ergo eodem modo poterit Angelus diuersum locum occupare, omittendo omnia loca intermedia,quia, si non dependet in retrahendo se, & occupando minorem locum in partibus intermedijs,nec etiam dependebit in occupando distinctum locum.

2573 *Confirm. aliquibus exemplis præsēs doctrina*

Iuuatur etiam hoc aliquibus exemplis: Nam corpus Christi modo indiuisibili assistens speciebus,si diuidantur illæ species,assistit in parte distāti,vbi species diuisa ponitur,& non in corpore intermedio. Item,si anima rationalis, vt supra diximus,posset de suo corpore migrare in aliud immediate informaret illud, etiam, si esset distans non informando prius, corpora intermedia; Ergo similiter Angelus poterit vniri corpori distanti non informatiue,sed actiuè, non vniendo se, vt agens corpori intermedio,quia non vtitur corpore intermedio, tanquam passo ex quo operationem eliceat.

2574 *Angelus potest transire de loco ad locum sine medio, quia dū mouetur localiter, nō acquirit propinquitatē, vel distantiā.*

Quare tota intelligentia huius motus discreti sine medio reducitur ad hoc; quod intelligamus motum Angeli non esse primo,& per se motum localem acquirentem distantiam, vel propinquitatem,vt supra iam diximus; sed quod primo,& per se est vnitiuus virtutis operatiuæ Angeli ad passū, respectu cuius Angelus est forma actiua, superior independens ab omni commensuratione, distantia,vel extensione passi; Et habet pro materia,cui potest coniungi ad operandum quodcumq; corpus ab eo mobile. Et ideò in toto vniuerso potest se applicare,& coniungere, cuicumque corpori voluerit sine dependentia ab eo, quod deserit, vel à spatio,quod deserit,& ideò potest sine hoc, quod vniatur,& operetur ex corporibus intermedijs incipere operationem suam à corpore distanti,quia Angelus non vincit distantiam per remotionē, vel propinquitatem spatij,sed per vnionem, & applicationem suæ virtutis,& operationis ad passum,ex quo vult operari, siuè in ratione distantiæ, sic ei propincuum,siuè remotum hoc enim ipsi Angelo, & vt agenti per accidens est, sicut exemplo de anima nostra in informando diuersa corpora, & non intermedia manifestatur. Quod, si Angelus preternaturaliter ponatur in loco,non per operationē, sed per passionem,seu contactum passiuum multò meliùs potest intelligi,quòd Angelus moueatur nō transeundo per medium, quia potest ab alio Angelo,vel à Deo alligari ad aliquod corpus, v. g. ad ignem inferni non aligando illum corpori intermedio,v. g. terræ, vel aquæ, & sic contactus eius passiuus immediatè potest esse ad aliquid distans, & non ad intermedia,quia id fit virtute diuina.

2575 *Petes 1.*

Petes 1. *Quomodo ex dictis colligatur, tempus Angeli componi, & sit distinctum,& independens à tēpore nostro.*

Resp. tempus Angeli non dependere à nostro, quia caret partibus.

Resp. Ex dictis facilè colligi, quomodo tempus angeli componatur, & sit distinctum, & independens à tempore nostro,nec illi simile, sicut neque motus eius,cùm spiritualis sit,nō est similis motui nostro,vt S.Th. aduertit in hac q.53.a.3. loquendo tàm de tempore,& motu cōtinuo,quàm discreto; constat autem,quòd tempus est numerus,& mensura motus secundùm durationem,& qualis fuerit motus,tale erit tempus. Motus autem angeli non constat partibus,quia est operatio indiuisibilis; sed componitur ex pluralitate operationum,quarum quælibet in se est indiuisibilis, & ideò vocatur instans,neq; motus iste ordinatur primo,& per se ad vincendam distantiam spatij; sed ad coniungendū se per modū formæ actiuæ alicui corpori, cui per accidens est,quod sit distans, vel propinquum: & ideò neq;tempus eius propriè,& directè habet velocitatem,& tarditatē in transeundo,nam vt benè aduertit S. Th. in hac q.53. a. 3. ad 1. *Velocitas motus angeli non est secundùm quantitatem suæ virtutis, sed secundùm determinationem suæ voluntatis:* Et sic nō cōueniūt proportionaliter angelus,& corpus in ratione mouentis,& mobilis; sed solùm ratione magnitudinis,in qua fit motus: Angelus .n. iuxta suam voluntatem applicat se vbi vult,& quomodo vult, & inde sumitur velocitas durationis sui motus,non ex quantitate virtutis vincentis distantiam spatij,aut resistentiam mobilis. quæ doctrina D.Tg. valde notabilis est pro huius rei explicatione.

Igitur tempus discretum angeli est illa duratio, quæ componitur ex pluribus instantibus, seu operationibus,quarum vna sequitur post aliā ex parte angeli sic elicientis illas; sed tamen ex parte effectuum,quos faciunt,non continuantur immediatè.Neq; per mediatas partes alicuius spatij applicant angelum,motus autem continuus angeli differt ex parte effectuum,quos per suam operationem,seu motum angelus facit,quia operatur effectus immediatè se habentes,seu in partibus immediatis spatij se continuantes, & angeli presentiam illis vnientes istæ;Autem operationes angeli indiuisibiles sunt in se,quia non sunt operationes procedentes de potentia ad actum,& per partes succedentes procedentes,sed sunt actus perfecti: Sed quia successione carent,vocantur instantia,non tamen est necesse,quòd correspondeant vnico instanti nostri temporis,quod est ex omni parte indiuisibile tàm formaliter,quàm virtualiter; sed possūt durare secundùm correspondentiam ad multum tempus nostrū,vt si angelus perseueret vno die in sua operatione indiuisibili sine aliqua eius mutatione,vel successione partium. Vnde talia instantia,seu operationes,quæ vt procedunt ab Angelo, sunt indiuisibiles formaliter,dicūtur virtualiter diuisibiles,quia æquiualent,& correspondent durationi indiuisibili nostri temporis,quamdiu angelus vult illam operationem durare. 2576 *Tempus discretum Angeli est illa duratio,quæ componitur ex pluribus instantibus.*

Petes 2. *Quenā sit differentia inter Angeli coexistētiam ad partes temporis, & ad partes spatij.* 2577 *Petes 2.*

Resp. Esse disparē rationē inter coexistentiā angeli ad partes tēporis,& ad partes spatij, quia partes spatij permanēter existunt,& à parte rei,& quælibet est capax assistētię angeli,nec ipse angelus per cōmensurationē ad earū quantitatē coexistit: sed indepēdenter ab extēsione spatij:potest ergo assistere,cui voluerit sine trāsitu per partes. At verò tēpus futurū nondum est,nec est capax,vt ei coexistat angelus antequā sit in re:nec.n.in duratione angeli existit antequā in se:id .n.est propriū æternitatis: Debet ergo angelus expectare præsentiā partis futuræ,vt ei coexistat,quia ante nō est capax. Vndè angelus nō coexistit tēpori per operationē,& cōtactū suū in ipsū:sed per merā concomitantiā ad tēporis decursum decursus autem temporis fit per præsens ad futurum,& non aliter: hoc ergo debet expectare angelus, vt ei coexistat. At verò coexistentia ad spatium non est sola concomitantia in existendo: sed est applicatio, & contactus Angeli ad spatium,& ad corpus, vt ex illo, & in illo operetur. Non obligatur autem virtus Angeli propter suam immaterialitatem, & eminentiam ad adhibendum contactum suum, iuxta commēsurationem loci, & extensionem corporis: & ideò potest. *Resp. esse disparem rationem inter existētiā Angeli ad partes temporis,& ad partes spatij*

Petes 3. *quenam sit differentia inter animam informātem corpus,& Angelum dū mouetur localiter.* 2578 *Petes 3.*

Resp. esse disparem rationem inter angelū,& animā,quia anima,est forma corporis,& existit in illo *Resp. differentiam esse, quia*

An non dependet à dispositionibus, dum informat; non sic Angelus à loco

solùm informando. Vt autem informet vnum corpus non transeundo ad aliud, dependet à dispositionibus requisitis, vt materia vniatur formæ, quia solùm potest informare corpus organicũ: istæ autem dispositiones cùm sint corporeæ, & modo extenso recipiantur in corpore, dependent à continuatione partium corporis earumque colligatione, sine qua non est rectè dispositum corpus, & consequẽter dependet à partibus intermedijs, sine quibus non fit continuatio, neque cõmunicatur virtus vitalis, quæ residet in spiritibus, & sanguine, quæ omnia cùm corporea sint, nõ possunt communicari partibus extremis sine dependentia à medijs, quia modo extenso se communicant res corporeæ: at vero Angelus non existit, neque coniungitur corpori, vt forma, sed vt motor, & vt agens independenter à quacumque dispositione corporis. Vnde potest ad quamcumque partem corporis voluerit se applicare, & inde inchoare operationem suam.

2579 *Petes 6.*

Petes 6. *An ad hoc, vt Angelus non pertranseat medium, dum mouetur localiter, exigat infinitam virtutem.*

Resp. Angelum posse moueri in infinitum syncategorematicè.

Resp. Angelum posse moueri motu continuo, vel discreto in infinitum syncategorematicè, quia ex nulla parte positus est terminus, intra quem non possit moueri, si velit; neque ex parte sui, quia non fatigatur in mouendo; neque ex parte termini, quia nullus ei repugnat ratione cuiuscumque distantiæ. Sed tamen quicumque motus in singulari determinatum terminum habet, & finitus est, vt supra diximus. Ad hoc autem, vt sine medio moueatur, non requiritur virtus infinita, sed sufficit independentia a commensuratione loci, vt possit sine transitu per illum poni in illo distanti.

2580 *Petes 7.*

Petes 7. *Quinam sit sensus D.Th. hic ad 2. dum ponit differentiam inter animam, quæ potest sua cogitatione transire de extremo ad extremum sine medio, & inter motum Angeli.*

Resp. D.Th. in illo argumento loqui de motu continuo.

Resp. quod in illo argumento D. Thom. loquitur de motu continuo, & vult ostendere, quod etiã in illo potest angelus transire de loco ad locum sine transitu per medium, eo quod anima sic potest cogitare de locis extremis non cogitando de medijs, quod vtique potest anima facere etiam per cognitionem continuam motus continui, rectè ponit differentiam D.Thom. inter cogitationem, & motum, quod illa cogitatio licèt non continua, non tamen applicat substantiam ipsis rebus, sed trahit res ad se, potest autem trahere ad se cogitatio continua res non continuas. Per motum autem continuum non potest applicare spatijs non continuis substantiam suam, quia hoc est cõtra ipsam rationem continuitatis ex parte motus.

2581 *Petes.*

Petes 8. *An ex eo, quòd Angelus non possit pertransire de tempore præterito in futurum; Similiter non possit de extremo spatio ad extremum nisi per spatium inter medium.*

Resp. esse disparem rationẽ inter existentiam Angeli ad partes temporis, & spatij

Resp. esse disparem rationem inter coexistentiã Angeli ad partes temporis, & ad partes spatij, quia partes spatij permanenter existunt, & à parte rei, & quælibet est capax assistentiæ Angeli, nec ipse angelus per commensurationem ad earum quantitatem coexistit, sed independenter ab extensione spatij, non potest ergo assistere cui voluerit sine transitu per partes. At vero tempus futurum nõdum est, nec est capax, vt ei coexistat angelus antequam sit in se, nec enim in duratione angeli existit, antequam in se: id enim est proprium æternitatis. Debet ergo angelus expectare præsentiam partis futuræ, vt ei coexistat, quia ante non est capax. Vnde angelus non existit tempori per operationẽ, & contactum suum in ipsum, sed per meram cõcomitantiam ad temporis decursum: decursus autem temporis fit per præsens ad futurum, & non aliter: hoc ergo debet expectare angelus, vt ei coexistat.

2582 *Coexistentia ad spatium, est contactus Angeli ad spatiũ.*

At verò coexistentia ad spatium non est sola cõcomitantia in existendo, sed est applicatio, & contactus angeli ad spatium, & ad corpus, vt ex illo, & in illo operetur. Non obligatur autem virtus Angeli per suam immaterialitatem, & eminentiam ad adhibendum contactum suum iuxta commensurationem loci, & extensionem corporis, & ideò potest applicare suam virtutem in ratione formæ agentis, corpori extremo, & non corpori intermedio. Quod verò ordo constitutus à Deo inter partes vniuersi sit ordo situalis, quem non potest angelus prætermittere; dicimus hunc ordinem esse positum à Deo quoad ipsas partes vniuersi inter se, vt quod ignis sit sursum, & terra deorsum, & hoc non potest angelus prætermittere faciendo, quod ipsæ partes quantitatiuæ inter se collocentur sine partibus intermedijs; sed tamen quoad existentiã Angeli ad tales partes vniuersi.

Petes 9. *An ex eo, quod angelus non possit mouere aliquod corpus de extremo ad extremum, V.G. Lapidem, non transeundo per medium; neque se ipsum possit sic mouere; & an sit potius ordo à Deo, vt prius angelus tangat partes intermedias, quàm extremas, quia ad hoc in vi suæ immaterialitatis nulla ratione obligatur.* 2583 *Petes 8.*

Resp. angelus non tollit à corpore modũ extensionis.

Resp. quod angelus non potest mouere corpus tollendo ab illo modum proprium, quem habet ex sua propria extensione quantitatiua, ratione cuius subiacet commensurationi loci, nec potest moueri corpus motu locali nisi per contactum quantitatiuum, nec iste contactus haberi potest, aut intelligi, nisi cum dependentia à commensuratione loci, & secundùm leges distantiæ, & propinquitatis. Vnde S.Thom. in hac quæst. 53. art. 2. absolutè negat corpori, quod possit moueri motu discreto, & id absolutè concedit spiritui, quia corpus, & mensuratur, & continetur sub loco non verò spiritus. Quare si angelus mouet aliquod corpus, non potest nisi motu continuo illud mouere, & se ipsum ad motum illius.

Petes 10. *An angelus possit extra suam sphæram collocari in puncto distanti, quin collocetur in spatijs intermedijs.* 2584 *Petes 9.*

Resp. Aliorum opinionem referendo.

Resp. Aliquos existimare, non posse angelum moueri motu discreto ad quamcumque distantiã, sed solùm quando punctum distans non distat extra sphæram suæ actiuitatis, sed continetur in loco, quem potest occupare. Cæterum motus discretus angeli non fundatur in quantitate suæ virtutis neque regulatur secundùm sphæram suæ actiuitatis, sed solùm propter independentiam à commensuratione ad locum, nec in posse moueri sine transitu per loca media, fundatur in maiori, vel minori velocitate; qua mouetur angelus, aut in minori, vel in maiori virtute, & actiuitate secundùm quod habet maiorem, vel minorem sphæram, quam simul potest actuare; sed fundatur in sola superioritate, quam habet ad locum continendo illum, & non contentus sub eo. Vnde S. Thom. in hac qu. 53. art. c. 2. ex hoc præcisè, quod substantia angeli non est subdita loco, vt contenta, sed superior eo, vt continens, infert quod in potestate eius est applicare se loco, prout vult, vel per medium, vel sine medio; nec in hoc ponit aliquam differentiam respectu locorum, quæ sunt intra sphæram, vel extra sphæram angeli, sed absolutè dicit, quod absque medio potest se applicare loco, prout vult.

Impugnatur, quia motus discretus Angeli non fundatur in quantitate

2585 *Confirm. quia velocitas motus Angeli non est secundùm quantitatem suæ virtutis.*

Et præterea, quia sphæra actiuitatis angeli mensuratur secundùm quantitatem virtutis eius, secundùm quam potest maiorem, vel minorem sphæram occupare; sed velocitas motus angeli non est secundùm quantitatem suæ virtutis, sed secundùm determinationem suæ voluntatis, vt expressè dicit S. Thom. in hac quæst. 53. art. 3. ad 1. Ergo etiam, quod moueatur motu discreto omittendo plura media (quod etiam pertinet ad velocitatem motus angeli,) non regulatur penes quantitatem virtutis, sed secundùm determinationem suæ voluntatis; ergo neque attenditur penes loca contenta intra suam sphæram, vel extra, quia continentia sphæræ; & quod sit maior, vel minor, regulatur secundùm quantitatem virtutis, non secundum de-

termina-

2586 *Vera responsio in motu discreto nulla datur sphæra in Angelis.* terminationem voluntatis.

Quare dicendum est, quòd in motu discreto nulla datur sphęra in Angelis, sed ad quodcumque passum, siuè intra, siuè extra sphæram suam potest se applicare, prout voluerit, quia hoc non fundatur in maiori virtute motiua, & actiuitate, qua potest circa maius passum, vel minus operari, & illi simul assistere; sed fundatur in omnimoda independentia, & superioritate à commensuratione loci, quòd omnibus angelis, & spiritibus commune est inquãtùm sunt formæ actiuæ immateriales; nam ad vin cendam dependentiam à locis inter medijs, vt transeatur ad extremum, nihil conducit velocitas, vel actiuitas virtutis; sed hæc solùm seruit, vt distantia illa pertranseatur breuiori tempore; ad hoc verò, vt nullo modo pertranseatur, velocitas, seu actiuitas, nihil conducit, sed solùm independentia à cõmensuratione loci. Vnde cùm angelus nullis legibus loci sit adstrictus, & ex quocumq; corpore possit sibi constituere passum, ex quo operetur, poterit pro sua voluntate applicare se corpori sine dependentia ab eius distantia inter media.

2587 *Ratio est, quia ad relinquendã totam suã sphęram, quam occupat, non indiget Angelus attingere corpus.* Ratio est, quia ad relinquendam totam suam sphæram, quam occupat Angelus, ad collocandum se in alia, non indiget attingere corpus immediatũ, seu partes illius: ergo potuit independenter à partibus immediatis, & coniunctis termino suę sphæræ, aliam acquirere, & occupare. Qua ergo ratione potest immediatas partes relinquere, & ad distantem sphæram transire, potest quascumque intermedias relinquere, & ad quamcumque distantiam se applicare, quia non est maior ratio, quòd sit independens applicando se ad corpus à partibus immediatis, & non sit à quibuscumque alijs intermedijs, cùm hoc non innitatur virtuti, & actiuitati se mouendi, sed independentiæ à commensuratione loci.

2588 *Instabis.* Et cùm dicitur, quod Angelus collocat se in spatio mediante operatione: Ergo non potest in quamcumque distantiam operari.

Resp. Resp. quòd collocat se in loco mediante operatione quatenus independens est à commensuratione loci, non quatenus vincens est resistentiam, seu distantiam medij. Et quia talis independentia est à quacumque commensuratione, & distantia loci, potest à quacumque parte voluerit inchoare operationem suam, & ibi collocare se ipsum.

2989 *Petes 10.* Petes 10. *An in quolibet motu debeat dari aliqua successio, & aliquod moueri ante mutatum esse.*

Resp. in motu continuo, ad quodlibet mutatum esse, præcedit moueri successiuè. Resp., quod in motu continuo ad quodlibet *mutatum esse* præcedit *moueri* per modum successionis, & continuitatis, non tamen in motu discreto, eò quod in motu continuo mutatum esse, non est pars motus, sed terminus eius, & ita extrinsecè se habet ad ipsum motum; in motu autem discreto non pręcedit aliquod *moueri* ipsum mutatum esse, quia motus discretus in Angelo non habet mutatũ esse pro termino extrinseco, sed pro parte componente ipsum, eo quòd motus discretus componitur ex duplici instanti sine aliquo medio continuante, quia si daretur continuatiuum intermedium, ille motus non esset discretus, sed continuus, & ita motus discretus componitur ex duplici operatione indiuisibili, seu duplici instanti, quorum vnum succedit alteri immediatè, & primum instans definit *per vltimum esse*, & ex illo, vt definente, & altero instanti, vt succedente componitur motus ille discretus; & sic non est motus, qui consistit in aliqua tendentia intermedia inter terminum *à quo*, & terminum *ad quem*, sed consistit in acquisitione instantanea vnius termini, seu *mutati esse*; non absolutè, sed ex termino *à quo* definente *per vltimum esse*, & ex illo instanti definente, & isto de nouo posito, tanquam ex duabus partibus indiuisibilibus, seu duobus instantibus componitur istud genus motus.

2590 *Instabis.* Instabis, Angelus acquirit in motu locali aliquã distantiam, & propinquitatem, ad puncta fixa, ergo oportet, quod acquirat illam distantiam iuxta leges ipsius distantiæ, quæ consistit in hoc, quòd nõ possit attingere distans, quin attingatur propinquum.

Resp. motum Angeli primò, & per se non tendere ad distantiam, vel proquinquitatem, quia hęc in ipso Angelo, qui est purus spiritus fundari nõ potest; sed primò, & per se tendere ad coniunctionẽ virtutis actiuę Angeli cum corpore, quod, quia in aliqua distantia est, ex consequenti dicitur Angelus acquirere, vel perdere distantiam ratione corporis, cui coniungitur. Neque fundamus istam independentiam Angeli à distantia, & spatio intermedio, in eo solùm quod fiat per voluntatem Angeli liberè operantem tanquam à causa efficiente, & applicãte, sed ex eo, quod fit mediante contactu virtutis omninò spiritualis independentis ab omni commensuratione loci. Homo autem licèt liberè moueatur, tamen contactus eius ad locum, est omninò corporeus, quia mediante corpore mouetur, & mediante quantitate ponitur in loco; & ita nõ est deobligatus à legibus loci, sed omninò illi subiectus, quia corporeus est, quòd non currit in Angelo. *Resp. motum Angeli primò, & per se non tendere ad distantiam, vel propinquitatẽ.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum motus Angeli sit in instanti.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Concl. 1. Motus Angeli non est in instanti; sed in tempore. Prob. in motu Angeli sunt plura *nunc* sibi succedentia; Nam in motu Angeli est assignare *nunc*, in quo immediatè vltimò fuit, & *nunc* in quo est in termino. ergo. 2. Concl. motus Angeli si sit continuus est in tempore continuo; si verò sit non continuus, est in tempore non-continuo. Prob. quia continuitas temporis est ex continuitate motus. *ex 4. phys.*

Arg. 1. Virtus Angeli mouentis seipsum improportionabiliter excedit virtutem mouentem aliquod corpus. ergo motus Angeli improportionabiliter excedit motum corporum; ac proinde fit in instanti. Resp. dist. ma. quæ conceditur de motu Angeli discreto, non quia fit in instanti; sed quia est alterius rationis à continuo: Si verò sermo sit de continuo, est proportionabilis tempori mensuranti propter proportionem magnitudinum, in quibus est motus.

Arg. 2. Motus Angeli est simplicior quacumque mutatione corporali. Sed illuminatio fit in instanti: ergo. Resp. neg. conseq. non enim est eadem ratio de illuminatione, & de motu Angeli: tum quia illuminatio non est motus, sed terminus: tũ quia illuminatio non est terminus motus localis, sed alterationis.

Arg. 3. Angelus, dum mouetur; vel partim est in termino *a quo*, & partim in termino *ad quem*; Et hoc non, alias esset partibilis. Ergo in toto illo tempore pręcedenti quiescit in termino *a quo*, & mouetur in vltimo instanti. Respond. si sermo est de motu discreto, Angelus in vno instanti est in termino *a quo*, & in altero in termino *ad quem*; Si verò de motu continuo Angelus in toto tempore pręcedenti variatur per infinita loca, vt dictum est.

DISPVTATIO CCLXXIV.

An motus Angeli possit fieri in instanti.

2591 Petes 1.

PEtes 1. De sensu quæsiti, an procedat de instanti Angelico, an de nostro.

Resp. dupliciter posse controuerti, an motus Angeli fit in instanti.

Resp. vt sensus difficultatis huius percipiatur, aduertendum est dupliciter posse controuerti, an motus Angeli fit in instanti. Primò, loquendo de instanti non solùm Angelico; sed etiam nostro; secundò, loquendo de instanti Angelico tantùm. Tunc instans in Angelis dicitur non solùm indiuisibile ex parte sui, sed etiam ex parte nostri, quando operatio Angeli, quæ secundùm se indiuisibilis est, non correspondet in sua duratione, nisi tantùm instanti nostri temporis: tunc autem instans Angelicum discōuenit ab instanti nostro, quando non correspondet in sua duratione solùm instanti nostri temporis, sed perseuerat, & & durat etiam per partem temporis nostri.

Operatio Angeli, qua motus eius mensuratur, est indiuisibilis.

Itaque operatio Angeli; qua motus eius, & tempus, seu duratio numeratur, in se semper est indiuisibilis, pro vt ab Angelo procedit, nec à nostro tempore, & successione eius dependet; sed tamen, quia coexistit duratio Angeli, & operatio eius nostro tempori, quia concomitanter se habent istæ durationes, ideò potest coexistere duratio Angeli, & similiter duratio operationis durationi temporis nostri, vel in multum, vel in parum: & aliquando potest duratio operationis Angelicæ coexistere durationi vnius tantùm instantis nostri.

Sensus quæstionis explicatur.

Quando ergo inquiritur, an possit motus Angeli fieri in instanti, præcipuè controuertitur hoc de instanti Angelico, non de instanti nostri temporis; nec enim mensuratur operatio Angeli instanti nostro; sed sicut est supra omne tempus, ita super omnia instantia temporis nostri. Itaque sensus controuersiæ est, vtrum motus Angeli vnica eius operatione perfici possit; atque adeò vnico instanti Angelico, siue correspondeat, & coexistat tempori nostro, siue non, sed solùm instanti.

2592 Petes 2.

Petes 2. An Angelus possit se poni in aliquo loco per simplicem mutationem, an per motum propriè dictum.

Resp. per simplicem mutationem idem esse, ac per vnicam mutationem.

Resp. per simplicem mutationem idem est ac per vnicam mutationem; Per motum propriè dictum idem est, quòd per transitum de vno loco ad alium constantem duplici mutatione, altera, qua deseritur vnus locus; altera, qua acquiritur alius. Tunc erit vnica, & simplex mutatio in acquisitionem loci, si præsupponatur Angelus absolutus ab omni loco, & incipiat de nouo esse in loco positiuo; hoc solùm fiet per simplicem, & vnicam mutationem, quia acquiritur taliter locus de nouo, quòd non relinquetur locus aliquis positiuus, sed à simplici negatione existendi in loco, de nouo collocatur in loco. Tunc autem erit verè, & propriè motus, quando est inter duo loca positiua relinquendo vnum, & acquirendo alium: tunc enim necessariò interuenit duplex mutatio illius duplicis loci scil. desitio, seu derelictio vnius, & acquisitio alterius.

2593 An vnicum instans Angeli possit amplecti tam desitionem, quàm acquisitioné loci.

De hoc ergo motu currit difficultas, vtrum possit vnico instanti, seu operatione Angelica fieri, ità quòd complectatur illud instās, & illa operatio tam desitionem vnius loci, quàm acquisitionem alterius; Et dato quòd vnica operatio non sufficiat complecti vtramque mutationem vtriusque loci, seu termini à quò, & ad quem; *an saltem sola acquisitio termini* ad quem, *quæ vnica operatione, instantique perficitur, habeat vim motus, seu acquisitionis, & tendentiæ ad terminum. existentia verò in termino* à quo *non pertinet ad motum, sed ad quietem, quia tota duratione ante existentiam, & acquisitionem termini* ad quem *existit mobile in termino* à quo, *& in hoc sensu vltimò controuertitur* à D. Thom. *in hac qu. 53. artic. 3.*

2594 Petes 3.

Petes 3. An Angelus per simplicem mutationem possit acquirere locum instantaneum.

Resp. affirm.

Respond. affirmat. Angelus per simplicem mutationem, quæ motus non sit, potest acquirere locum, & applicare substantiam suam toti suæ sphæræ instantanea actione, non solùm quæ sit instans Angelicum, id est vnica, & indiuisibilis operatio circa locum, sed etiam quæ correspondeat vnico instanti nostri temporis.

Prob. conclus. assignando casus in quibus hoc potest fieri sine motu. Primus casus.

Probatur hæc conclusio assignando casus, in quibus hoc potest fieri sine motu, & per vnicam, ac simplicem mutationem; Primus est quando à Deo ponitur Angelus subitò, & instantaneè in aliquo loco, ad quem antea non se mouebat v. g. si Angelus de nouo creetur in aliquo loco, vel si reproducatur, vel aliquid conuertatur in ipsum per transubstantiationem, vel fiat præsens alicui loco per subitam positionem in illo, totum hoc fit à Deo sine motu in vnico instanti, etiam correspondente instanti nostri temporis, quia creatio, & transubstantiatio sine motu sunt; & quia ponunt rem à se attactam in aliquo loco, consequenter in instanti tribuunt illum ipsi Angelo.

2595 Secūdus casus si Angelus desistat ab omni loco positiuo, poterit se applicare alicui loco, quem voluerit.

Secundus casus est: supposito, quod Angelus est in loco per contractum suæ virtutis, & per operationem suam, potest Angelus desistendo ab omni operatione manere sine loco positiuo, & actuali, sicut D. Thom. *admittit fieri posse:* in 1. distin. 37. quæst. 3. art. 1. ad 4. *Et nos supra diximus. In tali casu potest Angelus applicare se alicui loco, quem voluerit ex non loco, seu ex non existentia in hoc loco: ergo non duplici mutatione positiua, sed vna. Patet conseq. quia tunc datur mutatio ex parte loci, qui acquiritur, quia de nouo acquirit locum, quem antea non haberet; non tamen datur mutatio circa locum, qui relinquitur, quia non datur talis locus, cùm supponatur Angelum in nullo loco positiuo existere, sed abstinere se ab omni loco: ergo talis acquisitio loci non constat duplici mutatione: ergo ex hac parte non est motus, quia non est de positiuo, in positiuum. Rursus illa acquisitio loci de nouo potest fieri tota simul, & non per partes, quia Angelus indiuisibili operatione, & vnica potest se applicare illi loco non paulatim, & per partes, quia non commensuratur partibus spatij; sicut anima potest vniri in instanti omnibus partibus corporis, quando mortuus resurgit. Ergo etiam Angelus potest se applicare indiuisibili, & vnica operatione al cui passo. & si ex parte termini* à quo *non habeat aliquam mutationem, quia non habet locum positiuum, quem relinquat; restat quòd simpliciter illa mutatio in tali casu sit instantanea.*

2596 Petes 4.

Petes 4. An Angelus possit totam suam substantiam applicare, & diffundere per suam sphæram in instanti.

Resp. Angelū posse totam suam substantiam diffundere per suam sphæram sine successione.

Resp. affirm. Angelus potest totam suam substantiam applicare, & diffundere per suam sphæram sine vlla prorsus successione, sed in instanti etiam respectu nostri temporis. Probatur, quia ex parte suæ operationis, potest Angelus vnica operatione totam suam sphæram velle occupare, vt si ex tota sua sphæra velit inchoare actionem suam, sicut anima nostra vnico instanti occupat totum corpus suum informando, sic Angelus agendo; & tota illa actio vna est, quia totum illud continetur intra sphæram virtutis Angeli, & operationis eius, & sic potest vnica, & indiuisibili operatione ex parte sui totam illam sphæram occupare; similiter potest id fieri per durationē correspondentem vnico instanti nostri temporis, quia connaturaliter loquendo, Angelus nullam habet resistentiam, neque aliquod contrarium, quod per successiuam mutationem tollendum sit: Ergo potest vnico instanti per totam sphæram diffundi, quantum ad acquisitionē ipsius loci: licèt si derelinquat alium locum positiuum, debet præsupponi alia mutatio, & aliud instans desertionis loci prioris, cum instanti acquisitionis loci noui, vt mox dicetur. Sed tamen ipsa acquisitio totius sphæræ, & occupatio illius non requirit tempus, sed in instanti potest id fieri.

2597 Explicatur exemplo lucis.

Quod explicatur exemplo lucis, quę vnico instanti diffunditur per sphæram totam luminosi, etiam si id fiat per continuā multiplicationem lucis, eò quod lux

non

non habet cōtrarium, quod per successionem tollatur; sed solùm tenebras; virtus autem, & operatio Angeli efficacior est ipsa luce, & minùs illi resistit corpus, quam ad hoc quod est ad applicare se illi, immò vt supra diximus ex D. Thom. Angelus potest operari lucem in aliquo corpore; ergo tunc non minùs instantaneè poterit Angelus toti illi loco circumfundi, quàm lux ipsa diffundi.

2598 Si Angelus paulatim velit partibus suæ sphæræ applicare, tunc motus ille erit diuisibilis.

Quod si Angelus velit paulatim, & continuò partibus suæ sphæræ se applicare, tunc ille motus cōtinuus ex parte spatij, seu effectus, quem in eo ponit, diuisibilis erit, & successiuus; poteritque correspondere durationi temporis nostri; sicut etiam anima potest crescente corpore per augmentū se vnire successiuè, & iuxta motum augmentationis. Alioquin si tali motu continuo moueretur Angelus in instanti nostro, posset Angelus in eodem instanti simul esse in cœlo, & in terra, & in aere intermedio, siquidem omnia illa vnico instanti pertransiret; cùm tamen vt inquit Damasc. lib. 2. de fide c. 3. Angelus non possit simul esse in cœlo, & in terra: ergo non potest vnico instanti secundùm motum continuum tangere omnia loca media, quæ sunt inter cœlum, & terram; & eadem ratione non poterit pertransire motu continuo ea loca, quæ sunt post suam sphæram ad collocandum se in alio; licèt quando applicat se alicui corpori, tanquam sphæræ, in qua existit, possit totam illam sphæram suæ operationis vnico instanti occupare, & attingere, non tamen de vna sphæra ad aliam per intermedia corpora motu continuo pertransire vnicò instanti, & simul, quia hoc opponitur ipsi continuationi, & successioni.

2599 Petes 5.

Petes 5. Si motu proprio, & verò moueatur Angelus, an moueatur in instanti.

Resp. si Angelus moueatur motu propriò dicto, tunc motus ille nō erit instanti.

Respond. si motu proprio, & verò moueatur Angelus, & non simplici, & vnica mutatione, siue sit motus continuus, siue discretus, non potest moueri in instanti, sed necessariò motus Angeli debet componi ex pluribus instantibus, seù operationibus Angelicis, & vbicumque sunt plura instantia, ibi est tempus. Hæc conclusio est, quam præcipuè intendit S. Thom. in hoc artic. 3. vt patet ex calce corporis artic. vbi aduertit, quòd tempus illud, quo mensuratur motus angeli, siue sit continuum, siue discretum, est aliud à tempore nostro, quia non dependet à motu cœli, ergo loquitur de tempore Angelico, quod constat ex instantibus Angelicis. Nam vbi sunt plura nunc succedentia, ibi de necessitate est tempus: in motu autem Angeli sunt plura nunc sibi succedentia. Nam in motu Angeli est assignare nunc in quo vltimo fuit, & nunc de nouo acquisibile: ac proindè erunt tunc diuersa nunc sibi succedentia, quæ continuationem important, ac proindè non potest esse in instanti; siquidem tempus nihil aliud est, quàm numerus motus secundùm partem priorem, & posteriorem.

2600 Vt Ratio D. Th. attingatur, aduertere oportet; an Angelus ante illud instans moueatur, vel quiescat.

Vt autem ratio, & fundamentum Diu. Thomæ, quòd comprahendit vtrumque motum tam continuum, quàm discretum, & profundè attingit naturam motus, in formam reducatur, & explicetur aduerte, quòd cùm motus Angeli suam propriam habeat mensuram, (quæ tamen coexistens, & correspondens est tempori, & durationi nostræ;) & illa componatur ex operationibus Angeli, earumque durationibus, sicut nostrum tempus ex partibus; oportet considerare non solùm illam vnicam operationem, & instans, quo terminat motum, & acquirit terminum ad quem; sed etiam videndum est, vtrum Angelus immediatè ante illud instans moueatur, vel quiescat: si enim immediatè ante mouetur, motus non fit vnico instanti, siquidem immediatè ante vltimum instans mouebatur, & sic non in solo instanti datur motus, sed ante illud: idem est autem moueri in tempore, & non moueri in vnico solo instanti. Si autem immediatè ante illud instans vltimum acquisitiuum termini quiescebat, vel illa quies mensurabatur alio instanti distincto, quòd desinit per vltimum esse, & succedit aliud, & tunc datur tempus compositum ex illis duobus instantibus, quia in vno deserit terminum à quo, & in alio acquirit terminum ad quem, & consequenter desitio in vno, & acquisitio in alio constatur ex duplici instanti, atque adeò est tempus Angelicum in illo motu: motus enim constare debet ex derelictione vnius termini, & acquisitione alterius.

2601 Si quies antecedens illud vltimum instans mensureretur tempore, tūnc motus Angeli fieret in instanti.

Si autem quies antecedens illud vltimum instans mensuratur tempore, ita vt tempore antecedente quiescat Angelus in illo loco, & in vltimo instanti illius temporis inueniatur in alio loco, sine dubio si hoc ita esset, motus ille diceretur esse in instanti, quia ex toto illo tempore, seu duratione solùm vltimum instans deseruit pro mutatione, seù motu: quidquid autem est ante vltimum instans fuit pro quiete, & non derelinquitur ille terminus à quo in toto illo tempore, vel instanti antecedenti, sed quiescit sub illo termino à quo solùm autem vltimum instans deseruit pro derelictione termini à quo, & acquisitione termini ad quem, supposito quòd tum tempus antecedens ante vltimum instans est tempus quiescendi, non verò mouendi, & derelinquendi terminum à quo: hoc autem D. Thom. reputat impossibile, & in hoc ponit totam vim suæ rationis eo quòd solùm isto modo potest fingi, quòd motus fit in instanti: non sufficit autem ad motum distinguere in eodem instanti temporis duo instantia naturæ, ex quibus componatur motus, in quorum vno relinquat terminum à quo, & in altero acquirat terminum ad quem, vtrumque tamen sit clausum intra idem instans durationis.

2602 Ratio D. Th. est, quia videtur impossibile, quod aliquid quiescat sub termino à quo, & in vltimo instanti aliter se habeat.

Igitur S. Thom. ad hoc punctum reducit suam probationem, vt ostendat impossibile esse, quòd aliquid quiescat sub aliquo termino à quo, seù sub aliqua forma in tota duratione alicuius temporis, & in vltimo instanti claudente, & terminante illud tempus aliter se habeat, seu moueatur, loquendo naturaliter, seù conformiter ad naturam motus, & mobilis. Ratio autem huius est, quia instans designat factum esse, & non solùm fieri rei: ergo si toto tempore antecedenti non datur fieri, & moueri, sed quiescere; in vltimo autem instanti datur mutatio ad alium terminum: ergo in illo instanti dabitur factum esse sine fieri antecedente. aut erit simul in eodem instanti fieri, & factum esse ex natura rei, si ex ipsa natura non postulat, quòd antecedenter detur fieri. Vbi autem in eodem instanti ex natura rei est simul fieri, & factum esse, tollitur successio ex ipsa natura actionis, & consequenter non est motus de positiuo in positiuum, sed simplex mutatio de non esse ad esse.

2603 Impossibile est, quòd motus detur in instanti, si toto tempore antecedente quiescit mobile.

Quare impossibile est, quòd motus detur in instanti, si toto tempore, & duratione antecedente quiescit mobile sub aliqua forma, seù termino, quia non potest aliqua actio ex natura sua in eodem instanti coniungere fieri, & factum esse, nisi ex non esse ad esse procedat, & successionem tollat, quia pertinet ad eandem formam, quæ in instanti fit per seipsam, tollere negationem oppositam; non autem potest sine diuersa mutatione tollere oppositam formam positiuam: & Ideò non potest toto tempore antecedente quiescere sub vna forma opposita, & in vltimo instanti congiungere destructionem illius, & positionem alterius sibi contrariæ, aut à se distantis, secus est si toto tempore antecedenti moueatur, & non quiescat, quia quandiù mouetur, est mobile sub alia, & alia dispositione: hoc enim est essentialiter moueri, sicut è contra, quiescere, est habere se nunc, sicut prius. Vnde potest id, quod mouetur manere in vltimo instanti in aliqua forma, in qua non erat prius, quia priùs non quiescebat, sed mouebatur ad illam.

2604 Si mobile toto tempore quiescat in vltimo instanti nō potest dari mutatū esse.

Quod si quiescat, & non sit in motu, & fieri, seù tendentia ad oppositam formam, non potest intelligi, quòd in vltimo instanti detur mutatum esse, seù terminus motus, nisi sit aliqua mutatio instantanea producens terminum, non ex

aliquo

aliquo contrario, neque ex aliqua distantia, seu latitudine vincenda; sed purè ex non esse, quia ad tollendum non esse formæ, sufficit ipsa positio formæ, & non requiritur alia mutatio; ad tollendam verò formam oppositam, requiritur eius mutatio, non quies sub illa. Et quidem iuxta exigentiam causarum naturalium fieri aliter non potest, quia dependent ab accidentibus, & dispositionibus contrarijs, vel ex aliqua distantia loci, vel latitudine vincenda; sicut si generatio substantialis fiat in instanti, præsupponit antecedenter alterationem, sub qua aliter, & aliter se habet forma præcedens, & passum est in moueri, *& transitu, non in puro quiescere, etiam respectu ipsius generationis.*

2605 Confirm. exẽplo luminosi illuminantis, vbi antea non illuminabat.

Et similiter si luminosum illuminat, vbi ante non illuminabat, supponit præcessisse aliquem motum ipsius luminosi, vel eius generationem ad hoc, vt illuminet, vbi ante non illuminabat; & sic nunquam est in pura quiete mobile ante vltimum instans mutationis instantaneæ; sed vt inquit D. Thom. in hoc artic. 3. mutationes istæ instantaneę semper sunt terminus alicuius motus continui præcedentis. *Deus tamen, qui est supra omnes leges causarum naturalium potest ex puro non esse, & ex pura quiete mobilis sub aliqua forma nulla alteratione, motu, aut dispositione præcedente nouam formam introducere per mutationem purè instantaneam sine alteratione, aut dispositione antecedente.*

DVBIVM VNICVM.

An licèt ab Angelo vterque motus tàm continuus, quàm discretus non possit fieri in instanti, hoc tamen magis conueniat motui continuo.

2606 *Concl. diuerso modo philosophandum est circa motũ continuum, & circa discretum.*

CONcl. diuerso modo est philosophandum circa motum illum continuum, & circa discretum, nam licet vterque motus conueniat in hoc, quod non possit fieri in vnico instanti, id tamen multò fortiùs apparet in motu continuo, quàm in discreto, nam in motu continuo non solum obstat pluralitas instantium, seu operationum ex parte ipsius Angeli, & ordo inter terminum *à quo* derelictum, & terminum *ad quem* acquisitum, sed etiam ordo prioris, & posterioris ex parte effectuum, quos ponit motus continuus angeli in ipso spatio, seu corpore, per quod transit. Vt enim dicit S. Thom. in hac quæst. 53. art. 2. *Si motus sit continuus non potest Angelus moueri de vno extremo in alterum, quin transeat per medium;* quia, vt dicitur in 6. Physic. *medium est in quod prius venit, quod continuè mutatur, quàm in quod mutatur vltimò*: ordo .n. prioris, & posterioris in motu continuo est secundum ordinem prioris, & posterioris in magnitudine, vt dicitur *in 4. Physic.*

2607 *Quando Angelus mouetur motu cõtinuo, vel omnia loca attingit vnica, vel diuersa operatione.*

Itaque quando angelus mouetur motu continuo, vel omnia loca, quę acquirit partialiter vsq; ad vltimum vnica operatione formali tangit, quæ virtualiter, & ratione effectuũ æquiualet pluribus, vel diuersis operationibus, quæ formaliter diuersæ sunt, licet coordinatæ ad vnum finem. Si hoc secundum, manifestè sunt plura instantia, non vnicum in toto illo motu, & sic non fit motus in instanti, sed in pluribus instantibus, seu operationibus, quibus continuum illud tempus constat continuitate coordinationis, & diuisibilitate effectuum. Si est vnica operatio, & instans, licet virtualiter multiplex in acquisitione terminorum, tamen ad minus hoc instans, & operatio acquisitiua supponit aliud instans, quo primus terminus *à quo* est relictus, & cum illo motus componitur ex pluribus instantibus, vt de motu discreto dicemus.

2608 *Petes 1.*

Petes 1. *An in toto illo instanti, seu duratione, qua Angelus est in termino* a quo *quiescat sub tali termino* à quo.

Resp. neg. non .n. in motu discreto quiescit Angelus sub vna forma.

Respond. negatiuè, nempe quòd in motu discreto quiescat Angelus duratione tota illius instantis sub vna forma. Et cùm dicitur, quod in illo instãti non mouetur ab illo loco, distinguo, non mouetur completè, & terminatiuè, ita quod acquirat in illo instanti terminum *ad quem*, concedo; non mouetur inchoatiuè, & desinẽdo esse sub termino *à quo*, nego. In illo enim instanti non solùm est angelus in illo loco, sed etiam desinit esse in illo, quia illud instans desinit per *vltimum sui esse*. Quando autem aliquod subiectum est sub aliqua forma, vel termino, non solùm existendo, sed etiam desinendo esse in illo, vtique non quiescit sub tali forma, siquidem non eodem modo se habet, quia est, & desinit esse per *vltimum esse*. Hoc autem non est eodem modo se habere, & consequenter non quiescere, & ideò illa desitio prioris instantis *per vltimum esse*, licèt in se considerata non sit motus; Est tamen quædam inchoatio motus, & veluti dispositio remouens terminum oppositum, & impedientem transitum ad alium locum, & consequenter prout est desitio vltima illius instantis, nõ est quiescens mobile sub illa forma; sed inchoans, & disponens motum ex illa, quatenus est derelictio talis termini.

Quod si desineret esse sub illa forma per appositionem noui termini ita quod primum esse illius noui termini, esset primum non esse termini præcedentis, tunc motus ille diceretur fieri vnico instanti, quia idem instans esset inceptio vnius, & desitio alterius; primum esse illius, qui de nouo acquiritur, & desitio alterius, qui præcedit. Cæterum respectu formæ tenentis se ex parte termini *à quo*, quæ debet desinere, necessarium est, quod toto tempore antecedente non quiescat, sed disponatur, & tendat, & ordinetur ad inceptionem illius noui termini, si iuxta modum, & dispositionem causarũ naturalium producendus sit, vt supra pōderauimus: An verò, quia in motu discreto Angeli desitio prioris instantis est per *vltimum esse* illius, & inchoatio alterius instantis per *primum esse sui*, non autem illud secundum instans incipiens est *primum non esse* alterius; Ideò motus ille temporis discreti, qui constat ex desitione vnius instantis, & inceptione alterius, non dicitur vnico instanti fieri, sed pluribus constare, qui se habent sicut partes illius motus non termini extrinseci. 2609

Si motus desineret esse sub illa forma per appositionem noui termini, tunc motus ille fieret in instanti.

Vasquez autem, qui existimat primũ esse vnius instantis Angelici esse primum non esse antecedentis; Ideò soluat motum discretum esse in tempore, quia in quolibet loco, in quo mouetur angelus discretè, existimat debere quiescere per tempus, & sic in quouis loco, in quo angelus desinit esse per *primum non esse*, necessario fuit per tempus, ac proinde per tempus quieuit; & sic ponit in tempore discreto plures mutationes non vnum motũ, vt affirmat *in hac disput. 197. cap. 4.* Hoc tamen fundamentum eius non admittimus, quod non posse aliquid detinere per *vltimum esse*, sed solùm per *primum non esse*, vt tractat *disp. 229. cap.* 10. & nos infra contra ipsum ostendemus hęc non posse subsistere. 2610

Opinio Vasq. refertur, et reijcitur.

Petes 2. *An in motu discreto dicatur Angelus moueri non in altero duorum instantium, sed in successione, seu coniunctione duorum instantium.* 2611

Petes 2.

Responderur affirmatiue; in motu discreto dicitur Angelus moueri, non in altero duorum instãtium, sed in successione, seu coniunctione duorũ, vt dicit S. Thom. *in 2. dist. quæst. 4. art. 1 ad* 3. non quia partialiter in singulis instantibus aliquid motus habeat, sed quia ille motus dependet a duplici instanti, in quorum vno desinit esse in vno loco, & in altero incipit esse in alio; & omnis motus dependet ex derelictione vnius termini, & acquisitione alterius. Quod si hæc desitio vnius fieret per *primum non esse sui*, atq; adeo per *primum esse alterius* sine dubio totum illud pertineret ad vnicum instans, scilicet desitio, & acquisitio. Sed tunc non posset iuxta legẽ, & modum causarum naturalium subito, & instantanee acquirere vnum terminum, & tollere alterum positiuum sine aliqua dispositione, & motu præuio, ratione cuius mobile nõ poterit esse sub quiete oppositæ formæ positiuæ.

Resp. in motu discreto Angelum moueri in successione duorum instantiũ.

Nunc

Nunc autem cùm in priori instanti, quo Angelus est, seu operatur, in vno loco desinat esse in illo per vltimum non esse, quia operationes illæ indiuisibiles sunt, & priuilegio instantium gaudent, quæ desinunt per *vltimum sui esse*, & noua operatio incipit in alio instanti Angelico.

2612 *Desitio vnius loci, & acquisitio alterius nō mensuratur vnico instanti.*

Ideo desitio vnius loci, & acquisitio alterius motu discreto facta, non mensuratur vnico instanti; sed ex illo duplici componitur, & vt supra aduertimus, etiam in primo instanti, quo existit angelus in termino *à quo*, verificatur, quòd non totaliter Angelus quiescit, quia licèt nondum habeat tunc voluntatem efficacem existendi in alio loco determinato, habet tamen voluntatem desinendi esse in isto instanti, quantum ad hoc, quòd est esse in tali loco, & quatenus illa operatio habet in illo instanti *vltimum sui esse*; & vt derelictiua illius loci, iam est inchoatio, & dispositio ad essendum in alio, quatenus est remotiua istius habendo in illo *vltimo esse*, & sic pro hac parte habet sufficientem rationem inchoationis motus, saltem virtualiter, & dispositiuè, quatenus vltima decisio termini *à quo*.

2613 *Petes 3.*

Petes 3. *An quando aliquid acquiritur totum simul, & non per partes, tunc vnico instanti mensuretur corrumpi, & primum esse rei generatum.*

Resp. quando aliquid acquiritur totum simul, tunc vnico instanti mensuratur desitio vnius, & generatio alterius.

Resp. Quod quando aliquid acquiritur totum simul, & non per partes taliter, quod ipsum acquirere est alicuius corrumpi, & *primùm esse* rei generatæ; tunc vnico instanti mensuratur desitio vnius, & generatio alterius, & sic non fit per motum, sed per simplicem mutationem. Si autem tota desitio vnius, & tota acquisitio alterius pertinet ad diuersa instantia, tunc non fit motus vnico instanti, sed dup'ici, atque adeo in tempore, saltem discreto, quia vbi sunt plura instantia, ibi est tempus, aut saltem non est vnicum instans tantùm. Non ergo requiritur ad motum, quod partialiter fit in duobus instantibus, sed sufficit, quod in duobus instantibus fit desitio vnius, & acquisitio alterius, & sic saluatur, quòd motus discretus habet tempus, quo mensuratur, scilicet compositum ex illis duobus instantibus, in quorum vno datur desitio, & in altero acquisitio termini, licèt non sit aliquod tempus intermedium, quo partialiter moueatur Angelus, sed partes istius motus sunt totalis, & indiuisibilis derelictio, & totalis acquisitio termini duobus instantibus facta, & ex vno instanti, seu operatione dicitur disponi, seu moueri ad aliam, quatenus prior operatio in priori instanti facta, habet in eodem instanti *vltimum esse sui*, & consequenter disponitur ad alterius operationis dispositionem.

2614 *Instabis.*

Ad id verò, quod dicitur potest de motu continuo resp. S. Thom. *in hac quæst. 53. art. 3. ad 3.* quod Angelus est partim in vno locorum continuorum, non quod substantia illius sit partibilis, sed quia virtus sua applicatur ad partem primi loci, & ad partem secundi. Itaque Angelus totus est in termino *ad quem*, & totus derelinquit terminum *à quo*, sed non totaliter, quia effectus ei us in spatio, & operatio illius, seu applicatio ad illud corpus fit per partes non ipsius Angeli, sed magnitudinis, seu spatij cui applicatur, quatenus applicat parti vnius loci virtutem suam, & parti sequenti applicatur cōtinuo post illam. Sicut etiam anima, quæ spiritualis est, applicatur partibus corporis, & incipit esse in aliquibus, ad quas de nouo augmentatur homo, & desinit esse in alijs, quatenus applicat suam informationem, non partim existendo in vna, & partim in altera, quia in se partes non habet, sed quia tota existit in qualibet parte, sed non totaliter, & secundùm omnem modum, & virtutem, & effectum.

Resp. Angelus partim est in vno loco continuo partibiliter effectiuè.

2615 *Petes 4.*

Petes 4. *An si in aliquo tempore mobile quiescat, necesse sit, vt etiam in vltimo instanti terminatiuo illius temporis quiescat.*

Resp. si in aliquo tempore quiescit mobile, etiam in vltime instanti terminatiuo quiescere debet

Resp. verum esse, quod ad quietem sufficit, quod res se habeat nunc, sicut prius. Necesse est autem, quod si aliquo tempore quiescit mobile, etiam in vltimo instanti terminatiuo illius temporis quiescat, & non aliter se habeat, quàm prius non tùm propter ipsam rationem quietis, quasi necessariò extendi debeat ad illud instans terminatiuum, quàm ex eo, quòd deficit ibi ratio motus hoc ipso, quod quiescit toto tempore antecedente, & deficiente motu, non potest in vltimo instanti terminatiuo dari *mutatum esse*, seu aliter se habere, quia iuxta causas naturales ad omne *mutatum esse* præcedit motus, & non quies; (licet de potentia absoluta, & supra leges naturæ hoc non requiratur). Nec potest in illo instanti terminatiuo incipere motus, & existere, quia motus in instanti non incipit intrinsecè, sed extrinsecè. Vnde quantumcumque post illam quietem per totum tempus antecedens inciperet motus in vltimo instanti terminatiuo, adhuc in illo instanti non existeret motus, quia solùm incipit extrinsecè in instanti: ergo, adhuc pro illo instāti se habet, sicut antea, cum nō dabatur motus. Ergo necesse est, quod in illo instāti adhuc quiescat, etiamsi ab illo instanti incipiat moueri extrinsecè, idest immediate post.

2616 *Vrgebis.*

Ad id autem, quod vrgetur in casu opposito, nēpe si toto tempore antecedenti moueretur, quod in instanti terminatiuo non moueretur.

Resp. quòd in illo instanti nō moueretur formaliter, & quantum ad partes motus.

Resp. quod in illo instanti non moueretur formaliter, & quantum ad partes motus, sed terminatiuè, & quantum ad *mutatum esse*, quod est in instanti vltimo: motus enim terminatur intrinsecè per instans, & in illo instanti aliter se habet, quàm prius terminatiuè, licèt non motiuè, quia in illo instanti datur terminus motus, qui immediatè antea non dabatur: Ergo in ratione terminandi motum aliter se habet in isto termino, quam prius. Cæterùm quies non habet terminum *ad quem* tēdat, quia, quies non est tendentia, sed consistentia. Vnde in instanti terminatiuo totius temporis, in quo quieuit, nō potest aliter se habere, quàm prius, sed eodem modo, quia, vt supponitur immediate antè quieuit, & nullus fuit motus. Vnde neque in instanti terminatiuo potest dari *mutatum esse*, quia ad omne *mutatum esse* præcedit motus secundùm leges naturæ, & sic non potest aliter se habere, tunc quàm prius per modum *mutati esse*, nec etiam per modum motus, quia ille non incipit in instanti intrinsecè, sed immediatè post: Ergo in illo instanti nullus est motus, sed immediatè post erit, ergo est adhuc quies in illo instanti. Et sic ratio S. Thomę est euidens demonstratio, loquendo secundùm leges naturæ, vt S. Doctor loquitur.

2617 *Petes 5.*

Petes 1. *An sicut angelus de nouo intelligens, aut volens aliquod obiectum, non est necesse, quod tempore antecedente moueatur ad illud intelligendum; ita etiam non sit necesse, quòd quiescens in toto aliquo tempore, quiescat etiam in vltimo instanti illius.*

Resp. esse disparem rationē. nam intellectio non mensuratur tempore per se, sed per accidens.

Respond esse disparem rationem; nam intellectio non mensuratur tempore per se, & ex natura sua, quia indiuisibilis actio est, sed per accidens, vt in nobis, propter dependentiam à phantasmatibus, à quibus accipimus species. Et in tali intellectione philosophandum est, sicut de alijs motibus tempore mensuratis, quod non est possibile, quod intellectus tempore præcedenti quiescat, non accipiendo species, & in vltimo instanti terminatiuo illius temporis sine alio motu phantasmatum illas habeat. In intellectu autem angelico non dependente ab aliquo sensu in intelligendo, sed simplici, & indiuisibili operatione procedente, non potest dici, quod toto tempore præcedente quiescat sub vna intellectione, & in vltimo instanti terminatiuo fit sub alia, quia non datur tempus præcedens, sed instans præcedens illā intellectionem, cùm ex vna operatione indiuisibili intelligendi transeat ad aliam, quod est transire de instanti ad instans, & tunc dicendum est, sicut supra diximus de motu discreto, quod constat ex duobus instantibus, non tanquam ex terminis extrinsecis, sed tāquam ex partibus componentibus, & illud primum instans, quia non solùm est ad quiescendum, sed etiam ad desinendum, quia desinit

finit illa operatio per vltimum sui esse; ideò illa prima intellectio, sub qua dicitur quiescere Angelus, non habet purè, & precisè quietem, sed etiã virtualiter habet rationem motus, seu inchoationis, & dispositionis ad intellectionem sequentem, quatenus dat vltimam esse alliquiori intellectioni, & sic disponit, vt transeat ad aliam relinquendo priorem, sicut de motu discreto dictum est.

2618 *Petes 6.*

Petes 6. *Motus discretus angeli, an incipiat in primo instanti secundùm se sumpto, aut in secundo secundùm se.*

Resp. quod motus discretus Angeli non incepit in primo instanti.

Resp. quod motus discretus Angeli non incipit in primo instãti secundùm se sũpto, neq; in secũdo secundùm se, sed in coniunctione vtriusque & ille ordo prioris instantis ad coniũgendum se, cum secundo, seu ad transeundum in secundum, dicitur inceptio motus discreti: ordinatur autem primum instans ad secundum, quatenus in illo primo instanti datur vltimum esse illius operationis instantaneę, & ex decisione illius incipit ordinari Angelus ad incipiendam aliam operationem, & incipit componi motus discretus, quatenus ponitur pars quędã illius, quæ est illud primum instans cum desitione, & vltimo esse sui, vt ordinetur ad inchoandam operationem sequentẽ, quæ est aliud instans, & altera pars motus illius discreti.

2619 *Instabis 1.*

Vnde quando dicitur, quod si in illo instanti primo incipit motus, discretus toto tempore, seu duratione antecedente quiesceret Angelus, & in vltimo illius instantis inciperet moueri, quod est contra rationem D. Thom.

Resp. Angelum in vltimo illius instantis non reperiri sub alia forma.

Respond quòd Angelus toto illo instanti est sub illa forma, seu in illa operatione, & loco, & in vltimo illius instantis non inuenitur sub alia forma, sed inuenitur in vltimo esse talis instantis, seu operationis, quia cum sit operatio instantanea definit per vltimum sui esse, & in alio instanti sequenti incipit esse sub alio loco, & in illo ponitur: vnde non currit ibi ratio D. Thom. quòd non potest aliquid toto tempore antecedenti quiescere, & in vltimo terminatiuo illius esse sub alia forma: hoc enim non currit in prædicto casu, quia non datur tempus antecedens respectu illius secundi instantis, nec respectu prioris in quo Angelus dicatur quiescere, & in terminatiuo illius mouere, sed in toto instanti priore existit sub vna operatione, & habet *vltimum esse* in illa, & sic ratione illius vltimi esse, quatenus vltimum est, disponitur, seu ordinatur, vt in altero instanti sit in alio loco, & sic non quiescit tota illa duratione pro ea parte, qua in illa habet vltimum esse.

2620 *Instabis 2.*

Nec tamen potest dici, quod solùm in vltimo instanti terminatiuo illius prioris durationis instantaneæ aliter se habeat.

Resp. in tali duratione instantanea non est dare vltimum instans.

Quia in tali duratione, & operatione instantanea nõ est dare vltimum instans terminatiuum, & partes temporis antecedentis, sed totum illud est vnicum instans, in quo illa operatio habet esse, & vltimum esse, & consequenter toto illo instanti quiescit, & definit quiescere, quia habet vltimum esse quiescendi, & sic non interrumpitur quies, nec ponitur motus in aliquo terminatiuo huius prioris instantis, sed definit illa quies per vltimum esse illius in eodemmet instanti, & quatenus est vltimũ esse quietis, & desitio illius, virtualiter mouetur, id est disponitur, seu ordinatur ad sequentem operationem, seu ad instans immediatum, quod coniungitur priori non aliqua simultate coexistentiæ, sed consequutione operationis, quatenus ex desitione vnius incipit duratio operationis alterius, & ex tali desitione vnius, vt coordinatæ ex voluntate Angeli ad inchoationem alterius, dicitur cõponi ille motus discretus, & ordinari illud instans per voluntatem Angeli ad alterum, quia vt vnum alteri succedat, optima dispositio est desitio prioris, & esse in vltimo.

2621 *3. Instabis.*

Et ad id, quod additur, quòd istud instans antecedens coexistit durationi nostræ, & sic correspondebit instanti temporis, in quo desinit, & tempori antecedenti, in quo durat, & quiescit, sicque correspondebit toto tempori quiescendo, & instanti terminatiuo non quiescendo.

Resp. illud instans Angeli correspondere nostro instanti modo indiuisibili.

Respond. quod illud instans Angeli correspondet nostro tempori modo indiuisibili ex parte sui, & ita correspondet tàm tempori, quàm instanti terminatiuo, existendo indiuisibiliter sub eadem forma, seu operatione, sed taliter, quod in illo instanti terminatiuo non mouetur actu, & formaliter, nec aliter se habet, sed habet *vltimum esse* illius instantis, seu operationis, & quatenus est *vltimum esse* talis instantis dicitur virtualiter disponi, & incipere moueri ad sequentem operationem, quatenus desitio vnius remotio impedimenti ad habendam alteram operationem.

2622 *Instabis 4.*

Et ad vltimam instantiã, in qua dici potest, semper sequi ex correspondentia ad nostrum tempus, quod duo instantia nostra erunt immediata, vel quiescet toto tempore Angelus in vna operatione, & in vltimo instanti erit in alia.

Resp. neutrum sequi si primũ instans Angeli correspondeat nostro tempori.

Respond. neutrum sequi, quia si primum instans Angeli correspondet nostro tempori, & instanti terminatiuo illius inclusiuè, ità quod illi instanti correspondeat *vltimum esse* operationis Angelicę, non incipiet moueri Angelus immediatè post operationem suam coexistendo instanti nostro, quia non datur immediatè post, sed incipiet operationẽ, in se quidem indiuisibilẽ, & instantaneam ex parte Angeli, non tamen correspondentem instanti nostro in sui inceptione, sed tempori, quia illud datur, & non instans immediatè post desitionem prioris instantis. Si autem velit angelus secundùm operationem suam inchoare à correspondentia instantis nostri, debet terminare vltimum esse præcedentis, non in instanti, sed in tempore, seu in correspondentia ad tempus, nam in se, & ex parte sui illud instans Angelicum semper indiuisibile est, vel si velit illud terminari in instanti nostro, & sequentem operationem incipere etiam in correspondentia ad nostrum instans, debet inter illa duo instantia se suspendere ab omni operatione ad extra: vnde nunquam duo instantia nostra erunt immediata.

2623 *Corollarium. velocitas Angeli, licèt excedat velocitatẽ corporis, quando est continua, non potest fieri in instanti.*

Denique ex dictis colligitur, velocitatem motus angeli etiam quando mouetur motu continuo, licèt excedat improportionabiliter velocitatem cuiuscumque corporis, non tamen ideò posse fieri in instanti, quia etiamsi corpus nullam inueniat resistentiam vincendam numquam tamen velocitate sua poterit peruenire ad hoc, vt fiat in instãti, quia esse in instanti est extra latitudinem, & essentiam motus, & sic quantumcumque velocitas crescat, cùm sit velocitas in genere motus, non potest peruenire ad hoc, vt fiat in instanti, quia hoc esset destruere essentiam motus, & transire ad aliam lineã, & genus alterius actionis; & licet virtus mouendi sit finita, tamen proportio ipsius ad diuisibilitatem spatij, ratione cuius illa distantia per motum vincitur, est diuisibilis in infinitum syncategorematicè: vnde potest in infinitum secundùm diuisibilitatem proportio illa ad diuisibilitatem spatij magis, ac magis vinci. Quando autem mouetur motu discreto angelus non vincit diuisibilitatem spatij per motum, sed subitò ponitur in alio loco, non transeundo per medium; sed tamen tunc habet aliud genus motus, nempè discretum, quod non constat ex velocitate partium motus, sed ex decisione vnius instantis, & inceptione alterius, vt dictum est, & ideò in corpore glorioso, quod mouetur motu continuo non dmittit D. Thom. motum in instanti, sed in breuissimo tempore, quod magis, ac magis in infinitum abbreuiari potest, & diuidi, vt docet in addition. qu. 84. art. 3.

QVAEST.

QVÆSTIO LIV. D.Th.

De his, quæ pertinent ad virtutem cognoscitiuam Angeli.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrũ intelligere Angeli sit eius substantia.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

COncl. est negatiua. Prob. impossibile est, vt quod non est actus purus, sed habet aliquid de potentia admixtum, sit sua actualitas: cùm actualitas potentialitati repugnet. Sed solus Deus est actus purus: ergo in solo Deo actio est eadem cum ipso Deo, sicut suum esse est idem cum sua essentia.

Arg. 1. intellectus agens est sua actio ex Arist. 3. *de Anima*, ergo multò fortiùs intellectus Angeli, cùm sit simpliciter. Resp. dist. Antec. est sua actio, quasi eius actio sit sua essentia, neg. per concomitantiam, quia scilicet eius actio statim concomitatur intellectum agentem, conced. & hoc multò meliùs dici potest in intellectu Angelico.

Arg. 2. sicut se habet viuere ad *esse*; sic se habet vita ad essentiam. Sed viuere est *esse* viuentis ex Arist. 2. *de Anima*, & intelligere est viuere. ergo. Respond. neg. ma. Nam *esse* se habet ad essentiam, vt receptum ad recipiens; Vita autem non sic se habet ad viuere; quia tàm vita, quàm viuere dicunt actum viuendi: vita quidem in abstracto, viuere autem in cõcreto. Vnde non sequitur, quod si viuere est *esse* viuentis, quòd vita sit essentia.

Arg. 3. Quandocumque extrema sunt vnum, medium inter ea non differt ab ipsis. Sed in Angelis idem est intellectus, & res intellecta, adminùs inquantum intelligit suam essentiam. ergo. Respond. ma. esse veram de vero medio; Intellectio autem, cùm sit actio immanens non est realiter media inter agens, & obiectum; sed potiùs est effectus consequens vnionem obiecti cum intellectu.

DISPVTATIO CCLXXV.

Distinguuntur multiplicia significata trium vocum huius art. quæ sunt abstractum, subsistere, & intellectio.

2624
Prima distinctio.

PRima distinctio est: *Abstractum esse potest aliquid à contrahente dupliciter: Vno modo à cõtrahente receptiuo; sicut albedo, abstracta ab hoc, & ab illo subiecto, vel forma ab hac, & ab illa materia; Alio modo à contrahente specificante; sicut animal abstractũ à rationali, & irrationali.*

2625
Secunda distinctio.

Secunda distinctio est: Primo vel secundo modo potest aliquid esse dupliciter abstractum: vno modo secundùm rem: Alio modo secundùm modum concipiendi.

Tertia distinctio. Subsistere dupliciter sumitur, vt dicit quid negatiuum, & quid positiuum.

Tertia distinctio est: Subsistere dupliciter sumitur, vno modo, vt affirmationem præcisè significat existendi in rerum natura, & negationem sustentationis in alio quomodocumque; & hoc modo diceretur etiã albedo diuina virtute à nive, aut quouis alio subiecto separata, subsistere, & similiter humanitas, aut quælibet alia natura, siuè forma, siuè diuina natura virtute posse ab indiuiduali materia separari: diceretur esse subsistens. Alio modo accipitur subsistere, prout importat quendam naturalem, & positiuum entis modum, cui naturaliter congruat prædicta negatio.

Differunt hi duo modi subsistendi dupliciter.

Differunt autem hi duo modi subsistendi dupliciter. Primo. Quia primus modus communis est omnibus naturis, & formis, quibus sic per intellectum abstractis conuenit, secundus autem specialis est, solis realiter, & naturaliter subsistentibus congruens. Secundò quia primus non oritur ex rei perfectione, sed potest, vel ex diuina potentia, aut ex conceptione intellectus oriri, vt exẽpla superius adducta declarãt. Secundus autem ex summa rei sic naturaliter subsistentis perfectione deriuatur. Dico autem summam perfectionem iuxta naturæ subsistentis capacitatem. albedo namque si naturaliter esset subsistens omnem infra latitudinem albedinis perfectionem sibi vendicaret, essetque infinita secundum quid.

Sapientia, si est naturaliter subsistens, vt diuina, est infinita simpliciter.

Sapientia verò si naturaliter sit subsistens, cùm sit perfectio simpliciter, sitque capax ex sua ratione formalis perfectionis omnis simpliciter, erit infinita simpliciter, vt patet de sapientia diuina, quæ simul est etiã substantia, intellectus, voluntas, existentia, & quælibet alia perfectio, quæ Deo conuenit, siuè formaliter, siuè virtualiter, & adeò, est infinita simpliciter, vt supra attiuimus ex Caietano q. 12. art. 7. & q. 28. a. 2. Ex eadem enim radice nimirum infinitate simpliciter, qua naturaliter sibi vendicat identitatem cum subsistentia, siuè substantia, haberet etiam identitatem cũ alia quauis perfectione simpliciter. Ex hac differentia sequitur alia, nimirum, id, cui secundo modo conuenit subsistentia, esse tale per essentiam additis conditionibus supra positis q. 4. art. 2. & 44. art. 1. quod verò primo modo subsistit, tale per essentiam non est, vt ibi diximus.

2626
4. Distinctio. Subsistere potest alicui conuenire dupliciter formaliter, & identice.

Quarta distinctio, est, subsistere potest alicui conuenire dupliciter, scil. formaliter, & identicè. Dicitur illud subsistere formaliter, quod ex perfectione propria sibi vendicat subsistere. Id autem identicè subsistit, cui non ex ratione, seu perfectione, propria conuenit subsistere, sed ex eius perfectione cui realiter idem est. Vterque modus vnico declaratur exemplo: si albedo, & nigredo naturaliter subsisterent, color diceretur identicè subsistere, quia realiter idem est albedini, & nigredini subsistentibus, sed albedo, & nigredo dicerentur formaliter subsistentes, quoniam ex perfectione propria sibi subsistere vendicaret.

2627
5. Distinctio. Subsistere per se potest quatuor modis alicui rationi formali cõuenire.

Quinta distinctio est subsistere per se, prout dicit substantiæ modum, potest quatuor modis alicui rationi formali conuenire. Primò, vt superius suo inferiori, sicut homini, q sub substantia veluti inferior, sub superiori collocatur conuenit esse subsistens, eò quod in homine ratio substantiæ claudatur intrinsecè. Secundò, vt inferius suo superiori, sicut subsistere conuenit enti, quatenus ratio entis ad substantiam extenditur, cui per se primè subsistentia cõuenit. Tertiò potest alicui rationi formali conuenire subsistentia, vt modus eius intrinsecus, sicq; sapientiæ, & cuilibet aliæ diuinæ perfectioni simpliciter infinitæ tribuitur subsistentia veluti modus, & complementum eius intrinsecum. Vltimò potest alicui identicè conuenire subsistẽtia, quia scilicet realiter idem est cum aliquo propriè, ac formaliter subsistente, sicut Diuinæ relationes subsistere dicuntur identicè, quia realiter idem sunt, cum diuina substantia, cui per se primò conuenit subsistentia.

2628
6. Distinctio. dupliciter dicitur aliquid subsistere, vel in se, vel in alio.

Sexta distinctio est: Subsistere potest aliquid dupliciter scilicet in se, & in alio. Dicitur in se ipso subsistere, quod à nullo mendicat subsistentiam, sed ex sui propria perfectione subsistit, sicut si homo per se subsisteret ab indiuiduis separatus. Id autem in alio subsistit, quod intimum est alteri primò subsistenti; sicut in Petro subsistit homo, quia in Petro subsistente clauditur essentialiter homo. Vt autem hic obseruat Caietanus, differunt hi duo modi, secundùm se dupliciter: primò, vt quod perfectum, & imperfectum in eodem genere, quia longè perfectius est in se ipso subsistere, quam subsistentiam ab alio mendicare. Secundò differunt, vt prius, & posterius cùm in omni genere sit prius, id, quod est per se, eo, quod est per aliud, vt dicitur in 2. Physic. text. 66. Deinde differunt in ordine ad substantiam, quoniam ad esse substantiam sequitur subsistere, siuè in se, siuè

Differunt hi duo modi, &

quò ad perfectum; & imperfectū, & in ordine ad substantiam.

in alio, ad esse autem substantiam perfectibilem, siuè determinabilem formaliter per differentiam, vt animal ad hominem per rationale, vel contrahibilem indiuidualiter per materiam, vt homo ad hunc hominē per has carnes, & hæc ossa sequitur subsistere in alio. Ad esse verò substantiam adeò completam, vt excludat omne determinatiuum, siuè contrahens tàm formale, quàm materiale, sequitur substinere in se ipso. Omitto distinctionem illam, videlicet subsistentiam alicui perfectioni posse conuenire dupliciter, scilicet per se, & per accidens, nam, vt hic aduertit Caietanus subsistere, prout dicit substantiæ modum, nulli potest perfectioni conuenire per accidens formaliter, aut idēticè, cùm nulli rei tribui possit, nisi, vt essentialis eius conditio.

2629 7. Distinctio. Intellectio tribus modis cōtrahi potest primò per subiecta. 2. per obiecta. 3. per differentias ei' diuisiuas.

Septima distinctio est: Intellectio tribus modis distingui, siuè contrahi potest, primò per subiecta, & sic distinguitur per Angelicā, & humanam. Et hæc distinctio est, per extrinseca, & per accidens; alioquin idem subiectum esset differentia per se accidentiū diuersorum generum non subalternatim positorum. Secundò per obiecta; & sic distinguitur penes terminos intellectioni proportionatos sub diuersis rationibus formalibus terminantes; Sicut cum distinguitur intellectio in actum intelligendi proportionatum intelligibili relucenti in phantasmate, qualis est intellectio nostra, aut proportionatum intelligibili relucenti in se ipso, Qualis est intellectio Angeli cuius obiectum proportionatum est substantia propria, & hæc est diuisio per se, nam, licèt obiecta etiam primaria sint extrinseca, ac proinde non sint per se, & essentialis differentiæ actuum intelligendi, potentiæ tamen, & actus ordinem habent essentialem ad proprium obiectum suū formale, à quo quidem ordine differentiæ sumuntur essentiales actuum intelligendi; & sicut non absque differentijs essentialibus, ita nec absque tali ordine concipi, definiriuè posset actus intelligendi, vt probat hic eruditè Caietanus. Tertiò potest contrahi intellectio per differentias eius per se diuisiuas, sicuti genus, aut analogum per suos modos, Et quoniam differētia per se diuisiuæ superioris, illa sunt, quæ superius secundum eius propriam rationem formalem diuersificant, vt ait Arist. in 7. Metaph. tex. 43. & in primo de partibus animalium cap. 3. cùm ratio formalis intellectionis tota consistat in ordine ad obiectum eius, etiam per se differentiæ, siuè modi erunt res per se, & essentialiter respicientes diuersas rationes obiecti, vt obiectum est, diuidentesque intellectionē, vt genus, vel magis, vt analogum quoddam commune ad multas intellectionum species, siuè naturas.

2630 8. Distinctio. intelligere Angeli tripliciter sumi potest.

Vltima distinctio: Intelligere Angeli tripliciter sumi potest, Primò, vt intelligere est absolutè: Secundò, vt est tale intelligere, scilicet proportionatum intelligibili in se ipso relucenti, & aliquid potentialitatis habenti. Tertiò, prout est intelligere habens tantùm perfectionis simpliciter. Ratio huius distinctionis est: Quoniam intelligere Angeli quoad eius intrinseca præcisè consideratum, habet tria. Primum, quod sit intelligere: Secundum, quod sit tale scilicet proportionatum intelligibili tali. Tertium, est modus perfectionis simpliciter: quem modum non solùm intrinsecè claudit intelligere absolutè, sed etiam intelligere tale; secundùm enim vtramque rationem, modum aliquem importat perfectionis simpliciter. quamuis, vt tale, aliquid etiam habeat imperfectionis admixtum.

Dub. 1. In quo singula dictarum in disp. distinctionum membra, singulis propositionibus discursus D. Th. huius art. applicatur.

Dub. 2. An prima Ratio D. T. rectè probet, intelligere Angeli non esse eius substantiam.

Dub. 3. Secūda, & tertia Ratio D. T. propugnatur.

DVBIVM I.

In quo singula dictarum in disp. distinctionum membra singulis propositionibus discursus D. Tho. huius art. applicantur.

2331 *Prima Concl.*

DIco primò, nomen abstracti significare ex parte nostra modum concipiendi, ex parte verò rei, de qua sermo est, scilicet intellectionis Angeli, modum essendi, & abstractionem in communi ab omni contrahente, tàm receptiuo, quàm specificāte. Secundò dico, subsistere hic sumi, prout importat quendā naturalē, & positiuū entis modū, cui naturaliter est annexa negatio sustentationis in alio. *Secunda.*

Tertiò dico, hic sumi subsistere, prout dicit modum intrinsecum illius rationis formalis, cui conuenit, & pro subsistere non identicè tantùm, sed formaliter, & in se ipso; numquam enim potest intellectio, aut quæuis alia perfectio simpliciter, quæ ex sua ratione sit à genere substantiæ extranea, vēdicare sibi subsistere identicè, nisi simul etiam formaliter sit subsistens, quod est habere subsistentiā, vt modum intrinsecum; Subsistere namque quocumque modo non potest perfectioni simpliciter extraneæ à genere substantiæ conuenire, nisi ex magnitudine infinitæ perfectionis, quam nequit habere, nisi in actu puro, in quo sicut vna est perfectionum omnium entitas, sic vnica est ratio formalis secundùm se: Omnis igitur talis perfectio subsistens, identicè subsistit etiam formaliter, & in se ipsa, vnde. Quartò dico eamdem vocem hic sumi pro subsistere in se ipso. Quintò dico, sumi hic intelligere, non prout est intelligere absolutè, nec vt tale, sed medio modo, videlicet prout est intelligere habens tantùm perfectionis simpliciter; itaut dictio illa intelligere, in subiecto posita supponat pro intelligere, & modo suæ perfectionis simpliciter. *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.*

Singula vero singulis in discursu positis propositionibus applicando.

Dico sextò, maiorem illam, si intelligere Angeli esset substantia, esset tantum vnum, interpretandam esse de intelligere, prout habet tantum perfectionis simpliciter, itaut sit sensus, si intelligere tantæ perfectionis est, vt cùm ex propria ratione non sit de genere substantiæ, hanc perfectionem simpliciter sibi vendicet, quæ est esse substantiam, necesse est etiam, vt sit tantùm vnum. *Sexta.*

2632 *Septima si intelligere Angeli esset sua substātia, esset subsistens.*

Septimò dico propositionem illam ad huius probationem assumptam videlicet: *Si intelligere angeli esset sua substantia, oporteret, quòd intelligere Angeli esset subsistens:* Intelligendam esse de intelligere eodem modo, nimirum, vt habet totum perfectionis simpliciter. & de subsistere, vt dicit modum positiuum rei naturalem, & quasi intrinsecum, cui naturaliter sit annexa prædicta negatio, & de subsistere in se ipso, itaut sit sensus, si intelligere Angeli esset tantæ perfectionis, vt vendicaret sibi substantialitatem, siuè esse substantiam, esset subsistens in se ipso. Cuius conditionalis veritatem subtiliter explicat Caietanus dicens: sicut in eius antecedente duo continentur alterum explicitè; videlicet, si intelligere Angeli esset substantia, & alterū implicitè, videlicet, si intelligere Angeli esset tantæ perfectionis, vt vendicaret sibi esse substantiam,

2633 *Intelligere esse substantiā, conuenit ex alteri' perfectione.*

Ita in eiusdē cōsequente duo contineri, alterum explicitè, videlicet esset subsistens, accipiendo subsistens, communiter, siuè differenter ad subsistere, quocumque modo, siuè in se, siue in alio; & alterum implicitè, videlicet esset subsistens in se ipso, & quemadmodum, inquit explicitum sequitur ex explicito, ita implicitum sequitur ex implicito. Quòd autem illud implicitum in antecedēte contineatur, probatur: quia duæ istæ perfectiones, scil. intelligere, & esse substantiam, disparatæ omninò sunt, nec identitatē sibi vendicant ex proprijs rationibus, neq; ex eo, quòd sunt perfectiones simpliciter, alioquin etiam in nobis idem essent realiter, atq; ideo si coniunguntur identicè, id eis propter alterius, vel vtriusq; magnitudinem perfectionis conuenire necesse est. Implicitum autem, ex implicito consequi probatur. Primo

Quia si intelligere tantæ perfectionis esset, vt perfectissimā sibi naturā vendicaret, qualis est natura substātiæ, sequitur etiā, vt modū eius perfectissimū sibi vendicaret, quod est subsistere in se ipso. 2. Quoniā intelligere perfectio simpliciter est independens à *Si intelligere vendicaret sibi naturam perfectissimam, sibi et*

materia

substantiam, & subsistentiā vendicaret.

materia secundùm rationem, & secundùm *esse*, si igitur ex propria perfectionis huius ratione identitaté sibi vendicaat substantia naturarum omnium perfectissima ab ipso intelligere secundùm se prorsus extranea, sequitur illud etiam esse tantæ perfectionis, vt nullo contrahente materiali, siuè receptiuo, vel formali determinatiuo valeat limitari; Quod enim determinabile est, perfectum omninò non est, cum esse mendicet à contrahente. Quod limitatiuū non admittit, ex sua ratione substantia quæ est talis perfectionis, cuius esse nō est à cōtrahente dependens: ac proinde, quæ subsistat in se ipsa.

2634 *Octaua. Omne abstractum secūdùm modum concipiendi est tantùm vnum.*

Octauò dico, Propositionem istam; *Omne abstractum subsistens est tantùm vnum*, intelligendum esse de abstracto secundùm modum concipiendi à quocumque contrahente tàm receptiuo, quàm specificante, si in tali abstractione verè, & realiter subsisteret, itaut sit sensus: Omne, quod concipitur, aut concipi potest abstractè ab omni limitatiuo formali, & materiali, si sic abstractè ponatur subsistens, non potest esse, nisi vnum. Probatur exemplo coloris, qui concipi potest abstractè, tàm ab essentialibus differentijs, specificè distinguētibus, quàm à subiectis numeraliter ipsum multiplicantibus. Si ergo color sic abstractè conceptus ponatur subsistens erit tantum vnus, tàm formaliter, quàm numeraliter, eo, quod omni careat distinctiuo tàm formali, quàm numerali.

2635 *1. Corollarium Intelligere subsistens non est tantùm vnum, gratia formæ.*

Ex dictis sequitur primò, propositionem illam; *intelligere subsistens oportet esse tantùm vnum, quoad id, quod importat explicitè*, non esse veram gratia formæ, quoniam hæc vniuersalis est falsa formaliter, Omne subsistens est tantùm vnum; nam sub qualibet specie substantiæ corruptibilis multa subsistunt; sed vera est tantùm gratia materiæ, non quidem specialis in subiecto positæ, quæ est intelligere, sed gratia materiæ generalis huius scilicet, quod est esse abstractum: in quo genere, si ponatur intelligere, erit tantùm vnum. Vera est ergo dicta propositio gratia materiæ, idest de intelligere vt in genere abstractorum est. Si verò, quod implicitè claudit dicta propositio, significetur explicitè sub hac forma: Intelligere in sua abstractione subsistens potest esse tantum vnum, erit vera gratia formæ, quia vera formaliter est hæc vniuersalis: Omne abstractum subsistens oportet esse tantùm vnum, quæ est propositio S. D. in textu.

2636 *2. Corollariū. Si intelligere Angeli nō est substantia, prout dicit perfectionem; neque vt est inuolutū imperfectionibus.*

Secundo sequitur, rationis huius efficacitati nō obstare, quod non probauerit expressè D. Thomas intelligere Angeli, prout tale est, non esse substantiam. Nam, si intelligere Angeli secundùm eam rationem, qua dicit perfectionem simpliciter non est substantia, minus erit substantia secundū eam rationem, qua non nihil imperfectionis admittit; iam autem diximus, intelligere angeli, absolutè sumptum, siuè secundum omnem rationem perfectionis simpliciter in eo clausam non posse gradum substantiæ sibi vendicare, multò minùs ergo poterit esse substantia, qua tale genus intelligere est imperfectionem habens limitatiuè differentiæ. Probatur prima propositio: quoniam esse substantiam dicit, perfectionem simpliciter, ergo si intelligere Angeli, &c. Præterea: Substantia Angeli rationem includit cum additione specificæ differentiæ, sicut intelligere angeli claudit intelligere cum additione differentiæ contrahentis. Si ergo intelligere angeli absolutè sumptum non habet, vt sit substantia, nec etiam intelligere, vt tale erit substantia talis. Præterea: Tale igitur non potest esse talis substantia, nisi sit substantia, non potest autem intelligere esse substantia, nisi sit infinitum simpliciter, vt ante diximus, nec potest intelligere angeli esse substantia, nisi sit ipsius Angeli substantia, ac proinde ex vnius negatione alterius negatio sequitur differenter: Est igitur efficax discursus D. Thom. probantis intelligere angeli ratione suæ perfectionis simpliciter, non esse substantiam.

Tertiò, sequitur euidenter in textu deduci ex abstractione, & subsistentia intellectionis Angelicæ ipsius vnitatē, & ab vnitate indistinctionem à substantia Dei, & alterius Angeli, & in tertia ratione negationem graduum intelligendo perfectiùs, & minùs perfectè. Nam, si intelligere Angeli naturaliter esset subsistens, eam omnem sibi perfectionem vendicaret, quę potest intellectioni congruere secundùm se; omnis enim perfectio simpliciter capax est ex suo genere infinitatis simpliciter: est autem intellectio perfectio simpliciter. Cùm igitur intellectio ex propria sua ratione non sit de genere substantiæ, si tantæ fuerit perfectionis, vt hanc perfectionem simpliciter, quæ est esse substantiam, sibi vendicet; ex eadem perfectione quamlibet aliam perfectionem simpliciter intimè sibi copulabit; Omnis igitur Angelica intellectio, si ponatur eadem esse cum Angeli substantia, erit infinita simpliciter tàm ipsa, quàm substantia. 2637 *3. Corollariū. Si intelligere Angeli esset subsistens, vendicaret sibi omnem perfectionem excogitabilem.*

Et quia sic esset naturaliter subsistens, abstracta ab omni contrahente, vna formaliter, ac numeraliter tantùm esset, & consequenter idem esset, quod Deus, & quilibet Angelus intelligens, ac proinde, nec vnus Angelus ab alio, nec aliquis à Deo distingueretur, & consequenter etiam, vt infert tertia ratio non essent diuersi gradus in intelligendo perfectiùs, & minus perfectè. Nam vnitas abstracti simplicissima gradus omnes excludit; Sicut etiam, si ratio substantiæ, siuè substantialitas subsisteret abstracta ab omnibus differentijs ipsam cōtrahentibus, vna tantùm esset, nec vllos gradus maioris, ac minoris perfectionis admitteret.

Si intellectio angeli esset naturaliter subsistens, esset Deus.

Vt autem scopulos difficultatum euadas, & faciliùs, & euidentiùs argumenta dissoluas, memento, ex impossibili posito sequi statim aliud impossibile, vtramque partem contradictionis inuoluens. Cùm itaque, sit impossibile simpliciter intelligere angeli idem esse realiter, quod eius substantia, mirandum non est, aliud ex eo impossibile deduci, quod vtramque coniunctionis partem inuoluit; Ex eò namque, quod intelligere Angeli tantæ perfectionis esse ponitur, vt vendicet sibi identitatem cum substantia, sequitur illud esse subsistens formaliter in se ipso, abstractum ab omni limitatiuo, & contractiuo; & consequenter esse vnum tantùm, & esse idem, quod Deus, vt patet ex dictis: At ex eo, quod supponitur esse intelligere Angeli, (de hoc enim solo quæritur, & disputatur) sequitur, illud non esse subsistens formaliter in se ipso, sed identicè tantùm, & in alio, scilicet in substantia angeli subsistente; & sic non esse abstractum ab omni contractiua differentia, sed determinatum ad genus, & speciem, sicut, & ipsa angeli substantia; nec esse vnum tantùm, sed multiplex, & à Deo distingui; sicut multiplicatur, & distinguitur per differentias angelica substantia. 2639 *Ex vno impossibili sequitur aliud, vtramq; partem contradictionis inuoluens.*

DVBIVM II.

An prima ratio Diu. Thom. rectè probet intelligere Angeli non esse eius substantiam.

Conclusio est affirmatiua. Prob. adducendo primam rationem, actio est actualitas virtutis, sicut *esse* est actualitas essentiæ, sed impossibile est, quod id, quod non est actus purus sit sua actualitas: Ergo, solus actus purus, qui est Deus, est in sua substantia suum esse, & suum agere. Minor prob. Quia actualitas potentialitati repugnat: Ergo impossibile est, quod id quod non est purus actus, sed habet potentialitatem admixtam, sit sua actualitas: ergo repugnat, quod per suammet substantiam sit suum esse, & suum agere. 2640 *Concl. affirm. Prob. adducendo primam rationem D. Th.*

In hac ratione illa maior propositio, nēpè quod actio est actualitas ita virtutis, *sicut, quod esse est* *Maior propositio rationis*

 actualitas

D. Th. non habeat difficultatē

actualitas substantiæ: difficultatem non habet, quia vtrumque se habet tamquam actus vltimus, seu actus secundus in suo genere: sicut enim quæcumque substantia, vel essentia, tunc ponitur vltimatè in actu, quando fit extra causas, ita virtus operans tunc est vltimatè in actu, quando operatur actù, ita quòd fieri in vno, & facere in altero est vltimū, quod intenditur: neque enim amplius intenditur circa aliquam formam, seù naturam, nisi, vt ponatur in actu extra, & si quid de est, est, quia illud manet in potentia, & nondum est in actu. Et similiter circa vim operatiuam nihil amplius intenditur, quàm quod exeat in actum, & dicatur operans, & si aliquid de est in ratione producendi, est, quia respectu illius non producit in actu, sed remanet in potentia, seu deffectu ad producendum.

2641 *Ratio D. Th. est valde efficax, & procedit de omni agere, & de omni virtute.*

Nihilominus dicendum est, rationem Diui Th. esse valde efficacem, & vniuersaliter procedere de omni agere, & de omni virtute actiua, sicut de omni esse, & de omni substantia. Nec est explicandus Diu. Th. & eius ratio de sola natura intellectuali, & operatione intellectiua; sed vniuersalizauit suam propositionem de omni agere, & de omni virtute actiua. Et intelligentia, & vis rationis D. Thoma videtur solùm consistere in vnico verbo, nempe quòd id, quod non est actus purus, sed habet potentialitatem admixtam, non potest esse sua actualitas vltima: addendo enim ly *vltima*, propositio est firma, & nullo modo potest instari, vt statim ostendemus. Debet tamen hoc necessariò subintelligi ex propositione maiori: Dicit enim D. Thom. quod *actio est actualitas virtutis, sicut esse est actualitas essentia*. constat autem, quòd actio est actualitas virtutis vltima, & terminatiua, non prima, & specificatiua; sicut *Esse* est actus vltimus seù terminans, non primus seù constituens substantiam. Cùm ergo sub ista propositione sublumit D. Thom. minorem scilicet, *quòd id quod non est actus purus, non est sua actualitas*; debet in eodem sensu procedere, atque in maiori, scilicet, quòd nō potest esse sua actualitas vltima, de qua loquutus fuerat in maiori.

Declaratur, & efficaciter probatur sensus rationis D. Th.

Quod autem sic intellecta propositio sit constans, & firma, & eius probatio efficax, nempe quia actualitas repugnat potentialitati, idest actualitas vltima, declaratur sic: Quia quidquid est admixtum potentiæ, nec est potentia pura, nec actualitas pura, sed actualitas cum imperfectione, & consequenter cum ordine, & capacitate ad vlteriorem actualitatem; sed vltima actualitas non est vlterius in potentia ad aliam actualitatem, quia aliàs non esset vltima: ergo si illa actualitas mixta potentiæ, esset sua actualitas vltima, non esset in potentia ad vlteriorem actualitatem; & sic non esset ex se actus admixtus potentiæ, sed actus sine potentia ad vlteriorem actum: ergo esset actus purus.

2642 *Instabis.*

Dices: vt aliquid sit actus purus, non sufficit, quòd sit actus sine potentialitate ad vlteriorem actum; sed requiritur etiam quod non sit actus receptus in anteriori potentia, sicut ipse actus vltimus; vt *Esse*, & operatio, & si non possint existere in potentia ad vlteriorem actum, non tamen sunt actus puri in nobis, quia recipiuntur in aliqua potentialitate, & subiecto, ex quo contrahunt limitationem, & impuritatem. Ergo insufficienter probat D. Thom. quod aliquid erit actus purus, si sit sua actualitas vltima, quia potest stare, quod ista vltima actualitas, & prima, cum qua identificatur, recipiantur in aliqua potentia, v. g. in materia.

Respond. nihil aliud est, quòd aliquid sit sua actualitas, quā quòd illa actualitas sit sua substantia.

Sed contra est: quia nihil aliud est, quod aliquid sit sua actualitas, quā, quòd illa actualitas sit eius substantia; & sic, si aliquid est sua actualitas vltima, illa non potest recipi in aliqua potentia; quia actualitas vltima operandi, si recipitur, non potest recipi, nisi in potentia operatiua, seù in ipso operante, in quantum operans est, seù inquantum est potens ad operandum, non vt est in potentia ad essendum: nisi forte actio consideretur, vt entitas est in passo extra operantem; sed de hac non potest esse dubitatio in presenti, quia hoc ipso, quod est extra ipsum operantem, & virtutem eius, (siquidem est in passo,) non potest esse substantia ipsa operantis. Si ergo sumatur pro actione, vt est in operante, est impossibile, quod sit eius substantia, si recipiatur in aliqua potentia operatiua, seù in ipso subiecto, vt est operans in potentia; quia principium operans, seù potentia operatiua, vel est forma, si est principium *quo*, vel suppositum, si est principium, *quod*. Si ergo actio, seù operatio quę est actualis vltima recipitur in potentia, vt operatiua, seù principio operandi *quo*, recipitur in forma substantiali; (in accidentali enim non potest;) ergo ipsa non est substantia constituens; quia non potest forma, seù substantia constituens, supponere formam substantialem, quia hæc constituens est. Si recipitur in supposito operante, seu principio *quod*, non solùm supponit substantiam cōstitutam, sed etiam terminatam, & subsistentem; ergo ipsa operatio, seu actualitas vltima nōn potest esse substantia operantis, si recipitur in potentia, seu principio operante.

2643 *Vltima actualitas, quā vltima, repugnat potentialitati.*

Quapropter cùm D. Th. probauerit, actualitatem vltimam, hoc ipso, quòd actualitas vltima est, repugnare potentialitati, ita quòd non possit recipere vlteriorem actualitatem; & ex eo, quòd substantia sit, seù subsistens sit; per se notum est, quòd recipi non possit; aut si recipitur, distinguetur à potentia, seù virtute operatiua, quæ radicaliter est substantia operans, manifestè deducitur, quod talis actualitas caret omni potentialitate, tam præsupposita, vt recipiatur, quàm vt recipiat, & consequenter est actus purus.

2644 *Actio est actualitas vltima respectu virtutis.*

Et aduerte, quòd non probauit D. Th. operationem non esse substantiam operantis, quia egreditur ab illo; quod videbatur facilioris probationis esse, & conformiùs ad naturam operationis: esset enim hęc probatio magis superficialis, & minùs efficax, quia, qui ponerent actionem esse substantiam agentis, hoc ipso negarent talem actionem egredi ab operante, neque id esse de cōceptu actionis, quæ est substantia: vnde esset petitio principij probare, quòd non sit substantia, quia egreditur ab illa. Probauit ergo D. Thomas hanc veritatem ex alio principio, quod à nemine negari potest, scilicet, quòd actio est actualitas vltima respectù virtutis, seù potentiæ operatiuæ, sicut *Esse* respectù essentiæ; hoc enim est per se notum, quia est vltimo intenta ab operante, in quantum operans est, & ita ex hoc principio optimè processit ratio D. Thoma.

2645 *Petes 1.*

Petes 1. *An id quod est sua vltima actualitas, idest sua operatio, non possit habere potentiam ad alias actualitates.*

Resp. affirm. quia id, quod est sua actualitas vltima nō potest habere potentiam ad alias actualitates.

Resp. affirm. Id enim, quod est sua actualitas vltima, idest sua operatio, vel suum *esse*, non potest habere potentiam ad alias actualitates, quia vltima actualitas ad nihil vlterius est in potentia. Vnde ex genere suo non limitatur per hoc, quod recipiat, sed per hoc, quod recipiatur. Quare si sit subsistens, atque adeò irrecepta, neque limitatur ex potentialitate recipiente, neque ex potentialitate, in qua recipitur; & sic remanebit actus purus. Non enim negamus, quòd id, quod est potentialiter admixtum, sit aliqua actualitas, nempe aliqua forma, seù actus primus; sed negamus, quod sit sua actualitas vltima; ita quod sua operatio, seù esse sit substantia, seù subsistens. Et ex hoc bene infertur, quòd non sit in potentia ad aliquem actum, licèt ex eo, quòd aliquid mixtum potentiæ sit sua actualitas non vltima, sed aliquis actus primus, vel forma, non inferatur, quòd sit actus purus. Vnde non oportuit probare, quod etiam si sit aliqua actualitas, non sit sua operatio, quia D. Thom. assumebat in maiori, quod non est sua actuatitas vltima, atque adeò ibi probatum manebat, seù rectè inferebatur, quod non est sua operatio, quia operatio est actualitas vltima in agendo.

Petes

1646 *Petes 2.*

Petes 2. *An si aliqua substantia sit sua intellectio, suaque operatio, quantum ad aliquam operationem, erit etiam sua operatio quantum ad omnes.*

Resp. affirmat. si aliqua substantia est sua operatio quantum ad unam intellectionem, erit quoad omnes.

Resp. affirm. dicimus enim, quòd si aliqua substantia est sua intellectio, seù operatio, quantum ad aliquam intellectionem, etiam erit quantum ad omnes: tum quia est eadem ratio de vna, atque de alijs, cùm sit omnes eiusdem generis: tum quia non potest operans habere plures intellectiones, seù operationes, quæ sunt plures substantiæ, cùm ipsum operans non possit habere, nisi vnam substantiam, seù essentiam: ergo non poterunt tunc esse plures intellectiones, quarum quælibet sit substantia operantis, sic enim haberet plures substantias, seù essentias. Nec etiam potest intelligi, quòd sit in potentia ad ipsum esse, seù subsistere: quia hoc ipso, quòd supponitur actualitatem illam vltimam esse substantiam, hoc ipso supponitur ex se esse subsistentem: nam substantia incompleta esse non potest, cùm hæc non sit vltima actualitas, sed forma constitutiua essentię, quæ est actus primus, vel materia prima, quæ est pura potentia. Præter constitutionem autem naturæ per istas substantias incompletas, non restat alia substantia incompleta, quæ superaddatur, quia vltra constitutionem substantiæ, seù naturæ, non est vlterius considerare partem constituentem; idem autem est incompleta substantia, ac pars substantialis constituens. Vndè si operatio est substantia operantis, est tota ipsa substantia subsistens, quia illa est res, seù substantia operans.

2647 *Operatio, subsistens, & vltima actualitas non potest esse in potentia ad esse.*

Quòd vero sit in potentia ad *esse*, etiam non cõuenit tali actualitati hoc ipso, quod est operatio subsistens, quia non est operatio exiens tanquam actio, quia substantia est; & sic non procedit, nec habet *esse* procedens, vt actio; quia si eius *esse* procederet, etiam vt actio, procederet, non subsisteret; nec tanquam effectus, sed actio; & aliàs est actualitas vltima in genere operandi: non ergo est in potentia ad *esse*, sed in ipsa erit *esse*, hoc ipso, quòd est actualitas vltima subsistens, quia vltima actualitas in genere operandi, vel supponit *esse*, si ab ipso procedit, & sic non constituit illud; vel ipsa dat *esse* operanti; & sic, esset subsistens, quia substantia est ipsum *esse* subsistens, quòd est actus purus; tunc autem si non supponit *esse* in operante, ipsa seruit pro *esse*, & est subsistens. Et prętereà, quia si illa actio subsistens, & substantia ipsa operantis est, sequitur, quòd tantùm sit vna actio, sicut est vna substantia, & non specificabitur ab obiecto, quia substantia specificabilis non est: ergo *esse* illius actionis non erit determinatæ speciei, hoc ipso, quod est subsistens, & pręsertim si sit actio intelligendi, quæ ad omnia obiecta, & ad omnia etiam se extendit.

2648 *Substantia, quæ à nullo specificatur, & habet actualitatē, & eius esse speciem determinatam non habet.*

Vndè si est substantia, à nullo specificatur, & habet actualitatem super omnia, & consequenter nec eius *esse*, seù existentia determinatam speciem habebit; & sic erit existentia subsistens, & infinita, seù non limitata ad aliquam speciem; tale autem *esse* non est productum, neque ad illud actio illa erit in potentia, quia solùm esse, quod est determinatæ speciei, potest esse limitatum, & productum. Vndè sequitur, quòd non potest dici illam vltimam actualitatem esse in potentia obiectiua, scilicet in potentia, vt producatur in *esse*, licèt non in potentia subiectiua id est ad hoc, vt aliquid vlterius recipiat. Contra enim est, quia illa actio si est in potentia obiectiua, vt producatur, & procedat, vel debet procedere à solo Deo, vel etiam a creatura operante. Si à creatura operante, non erit substantia eius, si quidem ab ea procedit, & sic supponit eius substantiam, non constituit. Si à solo Deo, erit substantia, vt effectus procedens à Deo: non autem erit operatio creaturę, quia operatio est actualitas vltima in operando, & hęc supponit actualitatem vltimam ipsius operantis in essendo, quia operatio sequitur *esse*: si vero non supponit *esse*, & substantiam operantis, sed illam constituit: ergo est ipsum *esse* operantis, & sic illa substantia est *esse* subsistens, quia operatio, quę est eius *esse*, subsistens est; *esse* autem subsistens est actus purus, vt infrà dicemus.

Petes 3. *An omnis actualitas potentialitati repugnet secundùm D. Thom.* 2649 *Petes 3.*

Resp. Actualitatem repugnare potentialitati; quæ est in potentia ad talem actualitatem.

Resp. probationem D. Thom. *actualitas potentialitati repugnat*, non posse intelligi nisi respectu actualitatis, ad quam est in potentia, non autem respectu omnis actualitatis, quia potest esse, quòd ipsa potentialitas aliquid actualitatis in se habeat, vndè probatio D. Thom. non consistit in hoc, quod *omnis actualitas repugnet potentialitati*; sed actualitas, de qua ibi loquitur est actualitas vltima, seù illa, quæ est actus secundus, de hac enim ibi erat sermo; hæc autem repugnat potentialitati ad vlteriorem actum, si quidem in sua linea est vltima; potest tamen admisceri potentialitati, si recipiatur in aliquo subiecto potentialitatem habentę. Si autem est subsistens, & non recepta, ex omni parte caret potentialitate. Vndè signanter non dixit D. Thom. in illa probatione, quod *potentialitas repugnet actualitati*, sed quòd actualitas potentialitati repugnat, quia videlicet loquebatur de actualitatę vltima, quę est operatio, vel *esse*, seù existentia, & sic non restabat probandum D. Thom., quod potentialitas Angeli, supposito quod est aliqua actualitas, licèt non omnis, non esset illa actualitas, quæ est agere: hoc enim non intendebat probare D. Thom. neque ad eius spectabat intentum, sed solùm probare quod illa actualitas, de qua ibi agebatur, nempe actualitas vltima, si sit subsistens, repugnat potentialitati, & consequenter est actus purus. Ad hoc autem nihil refert, quòd potentialitas repugnet omni actualitati, vel alicui, sed solùm quod actualitas illa, de qua ibi agebatur, potentialitati repugnet.

2650 *Petes 4.*

Petes 4. *An ipsa operatio possit esse aliqua substantia incompleta, ad quam sit aliqua potentia substantialis.*

Resp. hoc ipso, quòd substantia Angeli est sua operatio, non est substātia incompleta.

Resp. neg. Nam hoc ipso, quòd substantia Angeli est sua operatio, non oportet probare, quòd talis operatio non sit aliqua substātia incompleta, ad quam sit in potentia, quia licet verũ sit, quod detur potentialitas ad aliquid substantiale, siue ad substantiam incompletam, quæ sit forma, siuè ad aliquid substantiale, quod sit modus, tamen operatio non potest hoc modo se habere, vt iam supra insinuatum est, quia substantia incompleta nõ potest esse actualitas vltima; sed vel materia, vel forma, quorum prima est pura potentia, & secunda est actus primus, & hoc ideò, quia substantię incompletę dicuntur partes constituentes ipsum totum in ratione essendi, vnde cùm operatio non sit pars constitutiua essentię in ratione essendi, non potest se habere, vt substantia incompleta, idest forma, vel materia. Et prętereà quia si est substantia incompleta, ordinatur ad aliquod totum constituendum, quòd est perfectius, & maius ipsa, quia omne totum est maius, seù perfectius sua parte: ergo non est vltima actualitas, cùm sit in potentia ad maiorem actualitatem, seù perfectionem, scilicet ad ipsum totum.

2651 *Intentum D. Th. est probare; quòd operatio creata non sit substātia operantis.*

Nec refert ad intentum articuli, quòd illa operatio sit modus, vel realitas aliqua substantialis, sicut existentia, nec onerandus est D. Thom. ad hoc probandum, quia tantùm intendit ostendere, quòd non sit ipsa substantia operantis: si autem habemus, quòd distinguitur ab illa, siuè sit substantia incompleta, siue modus substantialis, siue accidens, non pertinet ad hanc probationem, quia non intenditur hic illud positiuum, quod est operatio, an sit accidens, vel non, sed solùm illud negatiuum, quod non sit substantia ipsa operantis. Aliundè vero constat, quòd non sit substantia incompleta, quia non est materia, neque forma constituens naturam in esse naturę, sed solùm actualitas constituens operantem in actu operandi; nec modus substantialis, quia non est existentia, vel

vel subsistentia, aut vnio, quæ solùm agnoscimus esse modus substantiæ; nec enim ordinatur operatio, ad ipsam substantiam substantialiter constituendam, vel modificando, vel componendo; sed est actualitas eius vltima.

2651 Petes 5. *Quando dicitur, quòd actus purus est sua actualitas, an sit ibi aliquid per modum actuantis, & aliquid per modum actuati.*

Resp. negat. quia actus purus est sua actualitas simpliciter, & absolutè.

Resp. Quòd dicendo, quòd *actus purus est sua actualitas*, non significatur, quod est ibi aliquid per modum actuantis, & aliquid per modum actuati, sed simpliciter, quòd est sua actualitas per modum actus puri, & per modum summæ simplicitatis, non per modum alicuius compositionis: nec enim ly, *sua*, cùm dicitur, quod *est sua actualitas*, importat respectum actuantis, sed solùm quòd est sua, tanquam substantia, & essentia sua, per vnitatem, & identitatem, sicut dicitur, quòd *Deus est sua essentia, & suum esse*, sine vllo respectu actuantis. Et similiter cùm dicit D. Thomas, quod *actio, est actualitas virtutis, & esse est actualitas essentiæ*, non intelligit, quòd sit actualitas per informationem, vel compositionem, aut per summam simplicitatem, vel identitatem, sed loquitur absolutè, & in communi abstrahendo ab omnibus istis modis; sed solùm affirmat, quòd *est actualitas virtutis*, siuè hoc sit per modum informationis, & actuationis, vt in nobis; siuè per modum summæ simplicitatis, & identitatis, vt in Deo. Et quando dicitur, quòd ea quæ se habent, vt proprius actus, & propria potentia solùm identificantur in actu puro, intelligitur hoc remotis imperfectionibus, idest nō remanente potentialitate (aliàs enim non identificarentur,) sed remanente toto hoc per modum summæ, & puræ actualitatis.

DVBIVM III.

Secunda, & tertia ratio D. Thom. propugnantur.

Proponuntur secunda, & tertia Ratio D. Thom.

Secunda ratio D. Thom. est, quia *si intelligere Angeli esset sua substantia: ergo esset subsistens, sed intelligere subsistens, non potest esse nisi vnum, sicut nec aliquod abstractum subsistens: ergo non distingueretur substantia Angeli; neque à substantia Dei, neque à substantia alterius Angeli, ex quo sequitur*. Tertia ratio, quæ est confirmatio præcedentis, *quia si Angelus esset suum intelligere, non posset inueniri in Angelis diuersus gradus in intelligendo, cùm ista diuersitas proueniat, ex diuersa participatione ipsius intelligere.*

2653 Petes 1. *An idem sit formam esse subsistentem, & esse subsistentem in abstractione formali.*

Resp. aliud esse formam esse subsistētem, aliud, esse subsistentem in sua ratione formali.

Resp. aliud esse formam esse subsistentem, aliud esse subsistentem in abstractione formali, nam ad hoc, vt forma sit subsistens non requiritur, quod sit vna, neque, quod contineat aliquam perfectionem sui generis, sed potest etiam includendo limitationem, & imperfectionem aliquam, subsistere, quia natura, seù forma substantialis est, sicut videmus animam subsistere, & Angelum, & multas naturas corporeas, quæ tamen suas retinent imperfectiones cum tali subsistentia: nam ad hoc, vt subsistant, sufficit, quod habeant esse per se, & incommunicabile alteri, siue sit perfectum, siue imperfectum, & limitatum: at vero forma subsistens in abstractione formali, debet esse forma purificata ab omni eo, quod formale non est, idest ab omni materialitate, seù ab omni conditione materiali, & potentiali sui generis, & in hac purificatione est subsistens, idest nō cōmunicabilis alteri: talis enim forma ex eo, quod est abstracta, seù purificata ab omni materialitate sui generis, nihil habet de imperfectione, & potentialitate aliena, quia si est subsistens, non communicat alteri, & sic nihil ex eius communicatione contrahit. Vndè restat, quod talis forma sic est abstracta, & subsistens debeat continere totam perfectionem illius generis, & debet esse vna, & immultiplicabilis, quia omnis multiplicatio debet fieri per aliquid extraneum, seù quod sit extra conceptum talis rei, quæ multiplicatur. Nam talis multiplicatio debet fieri per aliquam differentiam contrahentem, vel materiam recipientem.

Differentia contrahens, si contrahit genus, est extra conceptum generis, ita si contrahit speciem. 2654

Et quidem differentia contrahens, si contrahat genus, est extra conceptum generis, si vero contrahat speciē, multò magis est extra conceptum speciei, quia sumitur à principijs materialibus, quę extra cōceptum speciei, & quidditatis sunt. Similiter materia, seù subiectum, recipiens est extra conceptum formę receptæ, vnde hoc ipso, quod contrahitur, vel recipitur talis forma, hoc ipso extraneatur à propria formalitate, & non manet abstracta, seù purificata in abstractione formali, neque in illa subsistens, siquidem communicatur alicui rationi extraneæ. Adde quòd omnis multiplicatio, siue specifica, siuè generica aliquam limitationem, & imperfectionem inuoluit, quia aliquid debet esse in isto, quod non in illo, si sit multiplicatio: ergo limitatè habet hoc, & limitatè habet illud, cùm vnum careat eo, quod aliud habet. Relinquitur ergo tanquam certum, quod omne abstractum abstractione formali, si subsistat in tali abstractione, non potest esse nisi vnum, & immultiplicabile.

Petes 2. *An intelligere limitetur ex duplici principio, scilicèt ex obiecto, à quo specificatur, & ex subiecto à quo sumit indiuiduationem.* 2655

Resp. intelligere limitari ex duplici principio, & ex obiecto, & ex subiecto.

Resp. affirmat. intelligere enim ex duplici principio limitatur, scilicet ex obiecto, à quo habet specificationem, & ex subiecto, à quo habet indiuiduationem, & si est subsistens, caret vtraque. Caret quidem specificatione, quia substantia non est ad aliud, sed ad se, & sic species illius non sumitur ex tendentia ad aliud, quia repugnat substantiam consistere in tendentia, & ordine ad alterum, sed in se, & per se est. Vnde perfectio, quæ competit alicui formæ ex ordine ad alterum, hoc ipso quod redditur subsistens, debet competere per se, & in se, & ita si specificatio formæ est ab obiecto, & per tendentiam in illud, si natura illa, & forma substantialis est, & subsistens, hoc ipso specificatio illa subsistens debet esse, & non ad alterum.

Relationes diuinæ habent perfectionem, & esse subst à tiale non in ordine ad aliud.

Quòd si verum est dari in diuinis relationes, quæ substantiales sunt, & tamen sunt ad alterum, hoc non est, quia specificationem, & perfectionem sumant per dependentiam ad alterum, etiam correlatiuum, sed habent vnam, & eamdem substantiam, & perfectionem essentialem, solùmque opponuntur in ipso exercitio respiciendi, & hoc totum habent, propter infinitam eminentiam diuinæ naturæ, cui identificantur. Vnde, si hoc ponitur tali modo in ipso intelligere, hoc ipso debet poni infinitas in tali ratione intelligendi, sed tamen si datur specificatio, & essentialis perfectio in ipso intelligere per ordinē ad obiecta, hoc ipso debet tale intelligere esse dependens ab obiecto, & importare tendentiam, seù habitudinem transcendentalem ad illud. Et hoc repugnat conceptui substantiæ, quæ in sui specificatione, & natura non potest esse ordinata ad alterum, sed subsistens in se, licèt infinitas diuinæ naturæ identificet sibi relationes eiusdem substantiæ, seu correlatiui exercitij.

Intelligere subsistens non potest esse specificabile ab obiecto.

Quare si datur intelligere subsistens non potest esse specificabile ab obiecto. Similiter non potest tale intelligere esse multiplicabile ex parte subiecti, sed carere debet multiplicatione indiuiduali quia cùm intelligere dicatur esse ipsa substantia intelligentis, impossibile est, quod multiplicetur intelligere in eodem intelligente, aliàs multiplicarentur substantiæ & sic redderetur multiplex intelligens, sicut est multiplex intellectio, quia idem substantialiter essent tunc intelligens, & intelligere: non ergo stat, multiplicari ipsum intelligere substantiale, & non multiplicari intelligens. Si ergo intelligere, substantia intelligentis est, vnum esse debet, sicut ipse intelligens: nec enim in tali casu erit actio procedens, intellectio, sed erit ipsamet substantia

substantia intelligentis, quæ implicat procedere à se.

2656 *Petes 3.*

Petes 3. *An ex dictis euidenter sequatur, quod si intelligere sit subsistens, sit vnum; sicut, & esse si est subsistens.*

Resp. affirm. implicat enim quid intelligere subsistens, sit Angelicum, vel humanum.

Resp. affirmat. ex his duobus quæsitis sequitur cum præcisa æuidentia ratio D. Th. quæ tam efficaciter probat, quòd intelligere quodcumque, si est subsistens, est vnum, quàm quod *Esse*, si est subsistens, est vnum, imò tunc implicat, quod intelligere subsistens sit Angelicum, vel humanum, sicut implicat, quod *Esse* subsistens sit hominis, vel æqui, vel Angeli; sed si est esse subsistens, est esse purum, eò quod *Esse* secundùm conceptum suæ actualitatis, est actus entis, vt ens est: limitatur autem, & contrahitur penes naturas, & essentias, in quibus recipitur, sicut est esse hominis, & esse lapidis, & esse Angeli. Quare remoto omni recipiente, & posito esse subsistenti, reddit ipsum esse in suam amplitudinem, quia non est à quo limitetur. Similiter intelligere est, actus vltimus in linea intelligibili, quę ambit totum ens: omne enim ens est intelligibile, limitatur autem specificatiuè ex obiecto specificante, & indiuidualiter ex obiecto exercente, & producente intellectionem. Vnde si remouetur omnis specificatio, & exercitium producendi; & emittendi intellectionem, reducitur intelligere in ipsam vniuersalitatem lineæ intelligibilis, & sic est vniuersaliter perfectum in illa linea, sicut actus purus intelligendi.

2657 *Ratio D. Th. est, intelligere subsistens, cùm sit substantia non specificatur ab alio.*

Formatur ergo probatio S. Th. sic, intelligere subsistens necessariò debet attingere aliquod obiectum, quia si intelligit, aliquid intelligit, non verò nihil, sed non specificatur tale intelligere ab aliquo obiecto, vt ostensum est, quia substantia non specificatur ab alio: ergo tale est intelligere, sine vlla specificatione, & limitatione desumpta ab obiecto: ergo est actus secundus in linea intelligibili extra omnem speciem, quia species intelligendi non sumitur, nisi ab obiecto: ergo caret omni limitatione prouenienie à cõtractione specifica, & ex multiplicatione per ipsam. Non sufficit autem dicere, quòd specificaretur à se ipso, vt obiecto, sicut intelligere diuinum, quod habet se ipsum pro obiecto. Non sufficit hoc, quia intelligere est operatio immaterialis amplectens omne intelligibile, aliàs si solùm posset intelligere seipsum, & non alia obiecta, & in se esset limitatum, vt Angelus, non infinitum sicut Deus; imperfectius esset hoc intelligere, quàm intelligere humanum.

Intelligere subsistens caret etiam limitatione proueniẽte ex parte subiecti.

Et infinitũ intelligere, quod potest omnia entia attingere caret etiã limitatione proueniente ex receptione in aliquo subiecto, seù principio materiali, quia subsistit in ipsa actualitate, seù actu secundo intelligendi: ergo caret omni principio extraneo dante potentialitatem, & imperfectionem tali actualitati intelligibili. ergo est abstractum intellectualitatis subsistens in ipsa abstractione, quia actualitas intelligibilitatis habetur per abstractionem à materia. seù per ipsam immaterialitatem: ergo intelligere subsistens est actualitas vltima, seù actus secundus in ipsa immaterialitate subsistens: ergo ambit omnem perfectionem illius generis, sine admixtione alicuius extranei, seù specificatiui contrahentis, quia in ipsa immaterialitate, & actualitate intelligibili subsistit: ergo non potest multiplicari in genere intelligibili, quantum ad perfectionem quia omne colligit, & adunat in se, dum abstrahit, & purificatur ab omni limitatione specificationis, & potentialitate receptionis, quod est esse actum purum in genere Intelligibi.

2658 *1. Corollarium substantia Angeli, seù eius intelligere non distingueretur à substantia Dei.*

Ex hoc autem bene sequuntur reliquæ consequentiæ D. Th. Prima est, quòd *non distingueretur substantia Angeli; seù substantia illius* intelligere à *substantia Dei*. Hoc patet, quia includeret totam perfectionem in esse intelligibili: purificata omnipotentialitate, & contractione specifica illius; sed substantia, seù natura Dei nihil aliud est, quàm intelligere in tota sua perfectione, & sine vlla potentialitate: ergo illud intelligere subsistens esset natura Dei.

2. Corollarium

Secunda consequentia est, quòd *non distingueretur à substantia alterius Angeli*. Patet. quià quælibet substantia Angli esset suum intelligere, & intelligere subsistens esset vnum: ergo omne intelligere Angelorum esset vnum: ergo, & omnis substantia, quia intelligere Angelorum substantia est.

3. Corollarium in illo casu, non esset diuersus gradus magis, vel minùs perfectus in Angelis.

Tertia consequentia: *non esset tunc diuersus gradus magis vel minus perfectus in Angelis*. Patet hoc, quia non daretur aliqua forma, seù natura per modum actus primi, respectu talis actus secundi, qui esset intelligere: ergo neque diuersus gradus, quia graduatio est penes diuersas naturas, seù formas, quæ se habent, vt actus primus ad intelligendum; ipsa autem actio intelligendi, si est subsistens, seù substantia ipsa intelligentis, non est nisi vna, vt ostensum est; ergo in ipsa non sunt plures gradus, quia nec plures specificationes, seù species. Naturæ autem, seù species, quæ constituunt diuersos gradus per modum actus primi, tunc non dantur: ergo in tali casu, non darentur plures gradus intelligendi secundùm maiorem, vel minorem perfectionem.

2659 *Instabis. diuersis exemplis. 1. Exemplum.*

Instatur aliquibus exemplis: nam albedo si esset abstracta, & subsistens, esset quidem vna in ratione albedinis, sed non in ratione, & genere coloris: posset enim esse alij colores abstracti: ergo similiter si intelligere Gabrielis esset abstractum, esset vnum in specie intellectionis Gabrielis, non in toto genere intelligendi. *Secundum.* Item non sequitur Gabriel est natura specifica subsistens: ergo intellectualis natura, & non solum, Gabrielis natura est vna, & immultiplicabilis: anima rationalis est forma per se subsistens: ergo immultiplicabilis; & albedo est per se subsistens, ergo color ille identificatus, & non solùm albedo, erit vnus numero, Quare, vel omnis forma subsistens ex hoc quod est subsistens est tantùm vna, & hoc est falsum, vt patet in tam multis formis subsistentibus, quæ tamen multiplicantur; vel solùm intelligere hoc priuilegium habet, quod si est subsistens, est vnum, & de hoc oportet reddere rationem.

2660 *Respond. ad 1. exemplum. Si albedo esset abstracta, esset vna specie albedinis, & non alterius qualitatis.*

Resp. ad primam de Albedine, si esset abstracta, dicimus quod solùm esset vna specie albedinis, & non in genere coloris, vel alterius qualitatis, quia non abstraheret nisi in illa ratione specifica albedinis. Cæterùm intelligere hoc ipso, quod redderetur subsistens, seù substantia, careret omni principio specificante, quod est obiectum; & sic abstraheret in ipsa actualitate, tollendo omne contractiuum, & limitatiuum in ratione specifica; & sic esset vnum, & ambiret omnem perfectionem non solùm alicuius speciei intelligibilis, qui eam non haberet: sed totius generis intelligibilis. Dicere autem quod esset intelligere Gabrielis in specie illius, & quòd esset intelligere subsistens, esset repugnantia, quia tale intelligere subsistens non specificaretur ab aliquo extra se, nec à se solùm, quia intelligere Gabrielis non est solùm potens intelligere se, id est, substantiam ipsam Gabrielis, sed etiam alia. Hoc ipso autem, quod intelligeret alia, & non specificaretur ab illis, esset intelligere extra omnem speciem, vel in sua substantia haberet vnde omnia intelligeret perfectè, & distinctè, quod nulli substantiæ creatæ conuenire potest, si autem intelligeret solam substantiam Gabrielis, non esset intelligere perfectum.

Ad 2. Exemplum. Respondetur.

Ad secundum exemplum dicitur, quòd natura specifica Gabrielis est subsistens, & similiter anima rationalis, non tamen subsistunt in ipsa abstractione formali, sed in concretione, & mixtione aliarum rerum, quæ in se recipere possunt accidentia, & existentiam, &c.

ARTI.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum intelligere Angeli sit eius esse?

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONCL. est negatiua. Prob. Si aliqua actio esset idem cum *esse* agentis, vel talis actio est immanens, vel transiens. Sed de neutra hoc verificari potest, nam actio transiens est effluxus ab agente in actum, & hic non est esse agentis, hoc enim est intra ipsum agens: Actio verò immanens est infinita; quia obiectum ipsius intelligere, & velle est ad omnia; *esse* verò cuiuscumque creaturæ est determinatum secundùm genus, & secundùm speciem: ergo.

Arg. 1. Viuere viuentibus est *esse* ex Arist. 2. *de Anima;* sed intelligere est quoddam viuere: ergo. Resp. Viuere dupliciter potest sumi: aliquando pro *esse* viuentis: & in hoc sensu est vera maior, & falsa minor: aliquando pro operatione vitæ, per quam demonstratur aliquid esse viuens, & tunc minor est vera; & in hoc sensu non est loquutus Arist. in maiori.

Arg. 2. Sicut se habet causa ad causam, ita effectus ad effectum: sed forma, per quã Angelus est, est eadem cum forma; per quã intelligit ad minus seipsum; ergo. Resp. ad min. quòd quamuis forma, per quam Angelus est, sit eadem secundùm rem, non tamen secundùm eandẽ rationem est ei principium essendi, & cognoscendi; nam essentia est ratio totius *esse*, non autem totius intelligere, nam Angelus non potest omnia intelligere per suam essentiam; vndè non sequitur, quòd in Angelo sint idem esse, & intelligere.

DISPVTATIO CCLXXVI.

Explicatur fundamentum discursus D. Thom. scil. quòd intelligere Angeli non sit eius esse.

2661 Concl fundamentum discursus D. Th. potest esse duplex. Primum est.

CONCL fundamentum discursus D. Thom. duplex esse potest. Primum est hæc propositio. Determinatum essentialiter secundùm *esse* specificũ, non est res determinabilis per plura *esse* specifica. *Probatur quoniam eius oppositum duplicem implicat contradictionem: nam si determinatum essentialiter secundùm* esse *specificum, potest esse res determinabilis per plura* esse *specifica, sequitur, eandem rem esse quidditatem completam formaliter vltimo complemento formali, & non esse completam vltimo cõplemento formali, quæ duo sunt extrema contradictoria. Præterea sequitur, eandem rem esse duas naturas oppositas; quoniam esset idem cum duobus oppositis differentiis naturam illam genericam determinabilem diuidentibus, quemadmodum, si superficies esset idem, quòd natura coloris, consequens fieret, eandem superficiem esse simul albedinem, & nigredinem, in quibus reperitur natura coloris; id autem implicat contradictionem; quia nigredo negationem continet albedinis, & è contra.*

2662 Secundũ fundamentum. Quæcumque habent diuersas differentias essentiales, nõ sunt idem realiter.

Alterum fundamentum esse potest, hæc propositio. Quæcumque diuersas habent differentias essentiales, specificas; non sunt idem realiter: *quæ probatur ex eiusdem contradictionis consequentia, quam primò diximus ex priori fundamento deduci; nimirũ eandem rem esse quidditatem completam essentialiter vltimo complemento formali, & non esse completam essentialiter vltimo complemento formali. Sed quia de intelligere sermo est, quòd multis immò infinitis essentialibus, specificisque differentiis est determinabile, veluti genus ad species, prima tantùm propositio proprium erit discursus huius litteræ fundamentum, quanquam vera sit etiam secunda. Duas tamen necesse est vtrique propositioni conditiones, siuè limitationes adiungere. Prima est, nomine differentiarum eas hic tantùm intelligi, quæ rationem aliquam addunt realem supra naturam per eas determinabilem, quales non sunt differentiæ boni per se diuisiuæ respectu entis, & modorum eius, quibus idem sunt omnino realiter. Secunda conditio est, hic sermonem esse de identitate per se, eò quòd omne per accidens excluditur ab ente.*

2663 Alij Autores ponunt tertiã conditionem.

Qui verò putant relationẽ idem esse realiter cum fundamento, tertiam prædictis conditionem adiungent ad veritatem vtriusque fundamentalis propositionis subsistendam, & dicent, vtramque de absolutis dumtaxat esse intelligendam; quam tamen conditionem efficaciter excludit Caietanus hoc argumento; Quia scilicet prædicta non euadit absurda, & illud præsertim, quòd eadem res esset idem cum duobus oppositis naturis, vt exempli gratia, albedo idem esset, quòd natura similitudinis, & dissimilitudinis, illata sunt enim illa inconuenientia ex propriis, formalibusque rationibus generis, & infimæ differentiæ, ac speciei per eam constitutæ, quæ tam absolutis, quam relatiuis constat esse communia, non autem gratia materiæ absolutæ, & respectiuæ.

2664 Discursus huius articuli nõ fundatur in prima propositione, secundùm totam amplitudinẽ.

Denique obseruandum est, non esse necessarium discursum huius articuli fundari in prima propositione secundùm totam eius amplitudinem, quamuis vera sit, etiam sic accepta; sed limitanda est ad rem genericam, & rem, siuè res specificas alterius ordinis; qualia sunt in proposito intelligere, & esse Angeli, hoc enim ad ordinem substantiæ, illud autem ad prædicamentum attinet qualitatis.

2665 Petes 1.

Petes 1. Quomodo intelligatur illa propositio discursus Diu. Thom. quòd non potest aliquid esse alicuius speciei determinatæ, & alterius indeterminatæ.

Resp. illã propositionẽ D. Th. intelligi de speciebus perfectis.

Resp. pro intelligentia rationis D. Thom. oportet aduertere quòd illa propositio, in qua fundatur tota vis rationis eius, quod non potest aliquid esse alicuius speciei determinatæ, & alterius indeterminatæ, etiam identicè, *intelligi debet de speciebus perfectis absolutis, & actualibus: nam si sunt species imperfectæ, sicut modi, oportet quòd entitatiuè, quantum ad realitatem, identificentur cum aliqua entitate reali, determinatæ speciei, quia cùm modus non sit realitas, non distinguitur à re cuius, est modus realiter, & entitatiuè; & ità manet indistinctus realiter, & entitatiuè, & consequenter identificatur cum ipsa re, cuius est modus. Vndè non inhæret illi, sicut reliqua accidentia, sed se ipso illi coniungitur, quòd est entitatiuè identificari, aliàs sequeretur processus in infinitum: quia cùm ipsa inhærentia, quidam modus sit, si inhæret per aliam inhærentiam, ista rursus inhærebit per aliam; & sic in infinitum: nec potest separatim existere à subiecto, sicut accidentia, quæ inhærent; licèt subiectum possit manere sine modo per corruptionem ipsius modi, seù alicuius ad illud requisiti.*

2666 Species relatiuę identificari possunt cũ fundamento.

Similiter species relatiuæ identificari possunt cum fundamento, quòd est determinatæ speciei, & entitatis in se, quia non distinguuntur à fundamento tamquam realitas, sed tanquam modus: Nam si realitas sit, nullo modo identificabitur cum illo, sed accidentaliter illi aduenict, sicut plures species accidentales adueniunt subiecto habenti suam speciem entitatiuam determinatam ab illis distinctam. Denique intelligitur propositio Diu. Thom. de speciebus actualibus, non potentialibus: nam esse plura in potentia, & indeterminatè se habere ad plures species, quas potest recipere, non est esse, neque identificari cum talibus speciebus, sed habere potentiam ad illas.

Potentia

Potentia autem, & indeterminatio ad plura accidentaliter aduenientia, non repugnat cum vnitate, & determinatione eius, quod est in potentia intellectiua; & substantia intelligens est in potentia ad plures intellectiones. Et hoc modo ipsum Esse *Angeli actu constituit entitatem in existendo, & potentialiter se habebat ad operandum, seu intelligēdum de hoc autem modo nullus dubitat, quod aliquid possit esse actu vnum in substantia, & in potentia multiplex respectu accidentium, & operationum, quarum species potest recipere. Sed aliud est recipere species diuersas; & aliud identificare, & esse idem cum illis. Hoc secundum est, quod negatur, de primo verò non dubitatur. Quòd verò propositio D. Thom. debebat intelligi de speciebus perfectis absolutis, & actualibus, constat manifestè, quia loquitur de intelligere, seu de actibus immanētibus, q sunt realitates, actus secūdi, & nō potentialitates; & de talib⁹ quærit, an sint idē cū ipso* esse *Angeli.*

DVBIVM VNICVM.

An ex præcedenti supposito in disp. constet efficacia rationis D. Th. in hoc artic.

2668 *Resp. affirm. Prob declarando, & adducendo rationem D. Th.*

RESp. affir. Ratio ergo D. Th. ex præced. supposito sic declaratur, quā sit efficax, nā si intelligere Angeli esset eius *Esse*, vel tale intelligere esset vnius tantùm speciei, & vnicum existens attingeret omnia obiecta, quæ Angelus potest attingere, vel tale intelligere esset multiplex, & diuersas species habens respectu diuersorum obiectorum, sicut nūc habet intelligere nostrum, & Angelicum, & nō obstante hac diuersitate specifica in ipso intelligere, adhuc identicè, & entitatiuè diceretur esse vnum cum ipso *Esse* Angeli. Si primum dicatur, destruitur ipsa ratio intellectionis, quæ diuersificatur penes obiecta, & non potest vnum existens attingere omnia obiecta, quæ sunt ab intellectu attingibilia, quia intellectus Angeli propter suam vniuersalitatem potest attingere omne ens, imò eleuati potest ad videndum Deum in se. Vnde, sicut non potest dari vna species, quæ repræsentatiuè contineat omne ens, nec vna virtus naturalis, quæ possit intelligere Deum in se; ita nec potest dari vnum intelligere, quod se extendat ad omnia entia intelligibilia, quia maior actualitas requiritur in ipso intelligere in actu secundo, quàm in ipsa specie repræsentante, vel virtute eliciente.

2669 *Si intelligere Angeli esset eius esse, sequeretur, quòd Angelus naturaliter esset beatus.*

Imò sequeretur hinc, quòd Angelus naturaliter esset Beatus, quia si eius intelligere, esset vnum ad omnia, quæ potest intelligere, quia est eius *Esse*: ergo intelligere Beatificum, etiam erit eius *Esse*, si quidem ponitur, quòd omne intelligere eius est vnum, & illa visio est eius intelligere; atque adeò erit aliquid naturale in Angelo, quia *Esse* Angeli naturale illi est, id est, ipso dono creationis habitū. Et eodem modo non potest esse vna tantùm realitas numero intelligere Angeli, etiam si sit superaddita ipsi esse, quia nulla realitas naturalis est, quæ omnia obiecta attingat, in quæ potest Angelus vi, tam naturalis, quàm supernaturalis ordinis. Si verò ponitur, quòd intelligere Angeli est multiplex in specie, ita quòd diuersificatur penes diuersitatem obiectorum, repugnat, quod sit ipsum *Esse*, quia cùm intelligere non sit modus, sed realitas, hoc ipso, quod est multiplex species, & multiplex realitas: sequitur, quòd non potest esse entitatiuè vnū, & idem cum esse Angeli, quod est vnum.

2670 *Nulla entitas creata potest in se adunare plures species reales.*

Tum etiam, quia nulla entitas creata potest in se adunare plures species reales propter limitationē, & finitatem suam, quia vnaquæque res creata, cōstat ex suo genere, & differentia; multæ autem species multas habent differentias, & plura constitutiua. Imo nec in Deo sunt species, seu quidditates rerum, nisi sub aliqua eminentia superiori, quæ est illarum principium, & remota omni potentialitate, imperfectione, & diuisione. Quod verò plures species manentes in sua pluralitate, & diuisione limitata adunentur, & identificentur cum entitate, seu actualitate vna, & vnius speciei, nec etiam in Deo inuenitur; quia repugnat ex vna parte species manere diuersas, & limitatas inter se; & ex alia esse vnam, & eandem entitatem, etiam infinitam, cum qua identificentur. *Quæcumque enim sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se* eo modo, quo in illo tertio vnum sunt, quod axioma in creatis nullam patitur instantiam. Ergo si intelligere Angeli remanet multiplex, & diuisum secundùm diuersas species, non potest identificari cum ipso *Esse* Angeli, aut si species sunt ipsū Esse, sūt idē inter se, & consequenter non sunt plures species reales, sed, vel erunt modi, quòd repugnat realitati intellectionum; vel erunt vna, & eadem species, seu realitas specifica, quòd est incidere in primum membrum impugnatur.

2671 *Petes 1.*

Petes 1. *Quomodo albedo, & relatio in ea fundata identificantur, & albedinis non est, nisi vna species, relationis verò plures, vt similitudo, & dissimilitudo, æqualitas, mensurabilitas, &c. item locus, & superficies identificantur, & superficies est vna, locus verò multiplex.*

Resp. hoc esse, quia relatio cōstituit speciē relatiuam, solùm modaliter diuersam à fundamento.

Resp. hoc esse, Quia relatio constituit speciem relatiuam solùm modaliter diuersam à fundamēto. Et pro hac parte non repugnat identificari entitatiuè, licèt non modaliter. Et sufficit distinctio modalis, vt dicantur illæ relationes diuersæ specie inter se modaliter, licèt entitatiuè, identificentur cū fundamento. Quòd si relationes sunt realiter distinctæ à fundamento non currit argumentum, quia tunc non identificantur cum fundamento, sed præbent illi diuersas species accidentales, cùm etiā idem subiectum recipiat diuersa accidentia specie distincta, quæ non sunt idem cum ipso subiecto. Similiter ad exemplum de superficie, & loco, dicimus, quòd locus non addit supra superficiem nisi aliquem modum, vel relationem secundùm situationem, vel distantiam spatij, & ista relatio, seu modus distantiæ potest variari secundùm diuersas species, non variata specie superficiei; sicut de reliquis modis, vel relationibus dictum est.

2672 *Instabis.*

Ad exemplum, quod potest adduci de substantia Angeli, & potentialitate ad diuersas species intelligibiles, vel ad accidentia, vel etiam de potētia obedientiali ad diuersas species supernaturales.

Resp. ibi non identificari diuersas species.

Resp. quòd ibi non identificātur cum specie determinata substantiæ, diuersæ species actuales accidentium, sed solùm potentialitas ad illa suscipienda, quæ potentia suscepti ua non importat diuersas species, licèt suscipiat illas, quia suscipit illas vno modo, scil. per sustentationem, & inhærentiam in se, & solùm est multiplex in potentia, non in actu. Ratio autem D. Th. procedit de diuersis speciebus actualibus, vt ostensum est.

2673 *Petes 2.*

Petes 2. *Quomodo ens, verum, & bonum sint identicè eadem entitas; & tamen possint esse diuersæ species boni, & veri; manente eadem entitate; sicut bonum diuiditur per honestum, vtile, & delectabile, non autem ens; & verum per diuersas intelligibilitates, licèt sit eadem entitas.*

Resp. quòd illæ differentiæ boni, solùm sunt respectiuæ.

Resp. Quòd illæ differentiæ, & species boni solùm sunt respectiuæ. Dicitur enim aliquod bonū honestum, vel delectabile secundùm diuersos respectus ad voluntatem, quia honestum respicit cōformitatem rationis, & delectabile complacentiā fruitionemq; appetitus, vnde si manente eadem entitate dicitur vna, & eadem res delectabilis, & vtilis, aut honesta, solùm arguit diuersas species relatiuas, quas non repugnat identificari cum eadem realitate, vt de alijs relationibus à nobis dictum est. Si verò non sit eadem res honesta, & delectabilis, sed diuersæ, tunc non currit argumentum, quia non identificantur in eodem esse, & identitate.

2674 *Petes 3.*

Petes 3. *An ex eo, quòd substantia Angeli, quæ simul est forma naturalis, & intelligibilis respectu sui, sequatur, quod intelligere, & Esse Angeli possint identificari.*

Resp. hoc non sequi, propter disparitatis rationem.

Resp. nō sequi ex hoc, quòd intelligere, & *esse* Angeli possint identificari, etiā loquēdo de intelligere non in tota sua latitudine, sed de intellectione suæmet essentiæ. Et ratio disparitatis est, Quia, vt substantia angeli sit species respectu sui, non requiritur nisi, quòd sit immaterialis ipsa substantia, &

 intel-

intellectui coniuncta: cùm enim vnaquæque res per seipsam sit obiectum intellectus, quia verum est passio entis, ratione cuius quodcumque ens dicitur intelligibile; etiam substantia angeli per se ipsam habet rationem obiecti, & intelligibilis; & vlterius, quia spiritualis substantia est, non indiget specie intelligibili superaddita, quæ illam constituat intelligibilem in actu, eo quod per se ipsam spiritualis, & immaterialis est: Cæterum intelligere est actus secundus, tendens ad aliud obiectum, vt specificabilis ab illo: Esse autem Angeli non potest habere specificationem ab ipsa natura tāquàm ab obiecto, quia solùm ipsum *esse* habet actuare essentiam, constituendo illam extra causas: tendētia autem ad ipsam, vel ad obiectum cognitum nō est *esse*, sed operari, quod alio modo significatur ab obiecto, quàm *esse* a natura, & consequenter aliā speciem habet. Duæ autem species non possunt simul identificari. Et deinde, quia intelligere supponit intellectum, cuius est actualitas, distinctum ab ipsa natura, cuius actualitas est *esse*. Vnde non potest tale intelligere identificari cum *esse*, quia intellectus, & *esse* non identificantur, intelligere autem est actualitas pertinens ad intellectum.

2675 *Confirm. quia licet intelligere sit finitu in Angelo, habet tamen ordinē ad obiecta infinita.*

Confirmatur, quia licet intelligere sit finitum entitatiue in Angelo, habet tamen ordinē ad obiecta infinita ratione cuius vnum, & idem intelligere non potest omnia talia obiecta comprehendere, sed diuiditur per multas species, secundùm diuersa obiectā, à quibus specificatur, & ita licèt nunc, quodlibet intelligere Angeli sit finitum, & sint plures intellectiones finitæ, tamen si vnicum intelligere sufficeret ad omnia obiecta intellectus attingenda, infinitatem deberet habere in actu, quia intellectus habet infinitatem in potentia, cùm possit extendi ad totum ens, & si illud intelligere haberet in actu, & simul totum, quod intellectus habet in potentia; Vnde non potest ipsum *esse* Angeli, quod est vnum, esse vniuersaliter totum suum intelligere. Si autem intelligere est multiplex secundùm speciem, non potest identificari cum *esse*, quod vnum est, vt probauimus; Nec in tali casu procedit Argumentum contrariorum, quia intelligere si est multiplex, & diuersę speciei, licet sit finitum entitatiuè, & infinitum solū obiectiuè, quatenus circa infinita obiecta potest versari, tamen est multiplicis, & diuersę speciei, quia ex diuerso obiecto species variatur, & hoc intelligitur etiam nomine indeterminatæ speciei; & hoc ipso, quod intelligere est multiplex in specie, non potest identificari cum illo *esse*, quod est vnum tantùm, & determinatę speciei, quidquid sit de in infinitate, nam hoc ipso, quod est multiplex species, vera, & realis, & non solum modalis, non potest identificari cum *esse*, quod entitatiue est vnum.

2676 *Instabis.*

Quod autem dici potest, etiam *esse* Angeli habere infinitatem, tùm æquiualentem respectu pluriū actuum, quorum est radix, & obiectorum, quæ per tales actus intelliguntur.

Resp hanc infinitatem solum esse potentialē, non actualem.

Resp. hanc infinitatem solùm esse potentialem non actualem, sicut esset, si ipsum *esse* Angeli esset actu omne suum intelligere formale; vel si identificaret sibi omnes species intellectionis, quę possunt esse in Angelo, & illæ species diuersæ essent, vt ostensum est: ad id vero, quod dici potest in sententia ponente, quod intelligere Angeli est vnius esse, non specificaretur intelligere ab obiecto. Respond. hoc esse impossibile, nisi ponatur vnum tantùm intelligere in Angelo respectu omnium obiectorum, quæ intelligere potest. Vnica enim intellectio esse non potest, cùm intellectio liberè producatur, vel cesset, vna sit naturalis, & altera supranaturalis, quæ ex natura conuenire non potest; & naturalis intellectio non potest omnia obiecta distincte cōpræhendere, cum non sit vna species, quæ omnia obiecta clare, & distinctè comprehendat. Si autem sunt plures intellectiones, illæ non fundantur in eadem specie intelligibili, quia non datur vna species, quæ omnia obiecta possit repræsentare distinctè naturalia, & supernaturalia: fundantur ergo in diuersis speciebus, & istæ in diuersis obiectis, quorum vices gerunt: Ergo ab obiectis specificantur actus illi.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Potentia intellectiua Angeli sit eius essentia.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio Negatiua. Prob. secundùm diuersitatem actuum est diuersitas potentiarum, cùm proprius actus semper respondeat propriæ potentiæ. sed potentiæ operatiuæ, & essentię in creatis sunt diuersi actus; nam actus essentiæ est *esse*, quod in creatis ab essentia distinguitur: Actus autē potentiæ est operatio, quę realiter distinguitur ab *esse*, vt dictum est. ergo.

Arguit. 1. ex D. Dionys. qui in suis libris multoties nominat Angelos mentes, & intellectus. ergo. Resp. neg. conseq. quia non nominātur mētes, & intellectus, quasi essētiā sit idem, quòd eorū intellectus, sed quia cognitio eorū nō est partim in actu, & partim in potētia, sicut cognitio Animæ nostræ.

Arg. 2. Forma simplex secundùm Boetiū non potest esse subiectum; sed Angelus est forma simplex. ergo. Resp. ma. esse veram de forma simplici, quę est actus purus, & de hac loquitur Boetius: Angelus autem est forma simplex, sed non est actus purus, propterea potest esse subiectum suarū potentiarū, quę sunt accidentia consequentia speciē.

Arg. 3. materia prima est sua potentia. ergo multò magis Angelus, quia est simplicior materia. Resp. neg. conseq. quia potentia materię est ipsum esse substantiale materiæ: potentia verò operatiua Angeli non est ipsum esse substantiale, sed accidens.

DISPVTATIO CCLXXVII.

An ratio D. Th. rectè probet, quòd potentia intellectiua Angeli, non sit eius substantia.

CONcl. *est affir. Prob. ratione illa generali, qua ostēdit D. Th.* nullā substantiā creatā esse virtutē, seu potentiā, qua operatur, *Quæ ratio cōstat duplici cōsequentia: Prima est* Potētia dicitur per ordinē ad actū: *ergo oportet, quòd secundum diuersitatē actuū sit diuersitas potentiarū. Vnde communiter dicitur, quod proprius actus respōdet propriæ potētiæ.* 2. *conseq.* in omni re creata essētia cōparatur ad Esse, sicut potētia ad actū, & actus ad quē cōparatur potētia operatiua est operatio; *sed intelligere, seu operatio, &* Esse *nō sūt idē in Angelo, nec in quacūq. re creata: Ergo neque potentia ad tales actus sunt idē: Ergo differt in Angelis essentia, seu substantia, & potentia, seu virtus intellectiua.* 2677 Concl. affirm. Prob. quia nulla substantia creata est virtus operatiua; & constat duplici propositione.

Pro intelligētia rationis D. Th. nō oportet aliud fūdamētū iacere, quā id, quod cōtinetur in prima propositione, quā assumit, ex qua oritur vis omniū cōsequentiarū, scil., quod cū potētia dicatur ad actū, oportet, quòd secūdū diuersitatē actuū sit diuersitas potētiarū: *loquitur. n. de potētia essētialiter ordinata ad actum, & de actu adequato talis potētiæ: potētia. n. quę dicitur ad actū, est potētia, cuius tota essētia est ad actu. Si autē tota essētia est ad actum, tota entitas cōsistit in ordine ad ipsū actu, quia essētia rei, & entitas idē sūt, quare nō possumus dicere, quod potētiæ idētificētur in aliqua entitate, & tū secūdum se dicāt essētialē, & adequatā specificationem respectu diuersorū actuū, quia specificatio, & essētialis ratio eorum est entitas eorū, & sic diuersificari in specificatione, & in entitate, idem est.* 2678 Secundùm distinctionem actuum oportet, quòd sit distinctio potentiarum.

Cùm autem sit duplex potentia scilicet passiua, & actiua, vtraque quidem respicit actum, vt perfectionē suā, & ad illum per se ordinatur, & essentialiter, vnde actus per se dicit potentiam, vt perfectibilem à tali actu. Est enim aliqua potentia passiua, quæ tamen non 2679 Duplex est potentia, actiua scil. & passiua, & vtraq. respicit actum.

con-

constituitur essentialiter per recipere actũ, nec specificatur per ipsum, & est alia potentia passiua, quæ per se immediatè ordinatur ad actum ex essentiali ratione; v. g. materia prima est pura potentia cuius tota essentia consistit in receptibilitate formæ, & ab ipsa recipit determinationem specificam, & actualem in esse, quia potentialitas materiæ per formam actuatur, & reducitur ad aliam speciem actualem, & ad illud Esse, *cuius habet formam. Similiter substãtia totalis, & subsistens per se dicit potentiam ad* Esse, *quia dicitur substantia essentialiter ens, quod per se potens est habere* Esse, *& ipsum posse habere* Esse *per se, est ei essentiale, licèt ipsum esse actu habere, sit ei contingens.*

2680 De essentia substantiæ primò, & per se, est, posse recipere *esse*.

Potentia ergo, seu posse habere Esse, *essentiale illi est. Non tamen ratio intrinseca substantiæ primò, & per se sumitur ex eo, quòd recipit accidentia sustentando illa in* Esse, *& non præcisè recipiendo actuationem ab illis. Sustentatio autem in* Esse, *supponit, quòd sustentans, & substans tali formę habeat* Esse *perfectiùs illa forma, quia accidens habet* Esse *secundùm* quid, *dependens ab* Esse *substantiæ, tanquam ab eo, quod est per se. Similiter actiua potentia alia est, quæ de se est in actu primo, & ordinatur ad actum secundum tanquam ad proprium actum, & specificatiuum sui; et hæc est potentia actiua creata. Alia est potentia actiua, quę non est in actu primo, nec ordinatur, vel specificatur per se ab actu secundo, sed est ipsemet actus secundus, qui est actus purus. & talis potentia est substantialiter actiua, quia est substantialiter ipsemet actus, nec ordinatur ad illum, tanquã ad aliquid distinctum à se, à quo specificetur.*

2681 Vtraq; Propositio D.Th. cõstat. Prima quidẽ, quia constat, dari aliquas potentias primo ordinatas ad actum.

Igitur vtraq; consequentia D.T. *ex dictis ostenditur efficax, & certa. Prima quidem, quia constat dari aliquas potentias, quæ immediatè ordinantur ad aliquem actum, quia ex sua essentiali, & propria ratione talem ordinem dicunt: ergo oportet, quòd penes tales actus sibi proprios, & immediatos, & ad quos essentialiter se habent, seu à quibus specificantur; distinguantur, & diuersificentur. Quòd si diuersificantur essentialiter, seu specificatiuè, oportet, quòd etiam entitatiuè, quia secundùm diuersam essentiam, & speciem sumitur diuersa entitas, quia tota entitas in specie, & quidditate consistit. Vnde prima consequẽtia manet firma, quia si talis potentia datur, quæ de se immediatè, & essentialiter, ex proprijs dicatur ad actum, & ex ipsa actuum diuersitate formaliter, & in ratione actuandi, & immutandi potentiam, sumatur diuersitas potentiarum, etiam sumitur consequenter diuersitas entitatiua, quia entitas in specie, & quidditate consistit. Quòd si habeat aliam entitatem, in qua multiplex potentia identificetur, quæ solùm formaliter distincta inter se sit; talis entitas aliam speciem habebit, antecedenter ad speciem talium potentiarum, & illa species entitatiua non erit primò, & per se potentia ordinata ad aliquem actum; sed habebit primò, & per se aliam speciem, cui formalitates illæ potentiarum, quasi secundariò, & accessoriè adiũgentur, & de tali specie non loquimur in præsenti, nec currit ratio facta.*

2682 2. Propositio D.Th. fundatur in hoc, quód substantia per se, & immediatè, est potẽtia ad *esse*.

Secunda verò consequentia D. Thom. *fundatur in hoc, quòd essentia, seu substantia per se, & immediatè est potentia ad* Esse, *tanquam ad immediatum perfectiuum sui, & potentia operatiua est immediatè, & per se ordinata ad operationem, tanquam ad perfectionem, & specificatiuum sui, quando ista potentia se habet in actu primo, & actus secundus se habet, vt accidens illius; Quæ duæ propositiones manifestæ sunt in substantia creata, quæ vel dicit materiam, vel formam, vel substantiam completam, & subsistentem. Materia est entitatiuè ipsa potentia essentialiter ordinata ad* Esse *formale, quod datur per formam; forma autem est quasi specificans ipsam materiam, tanquam actus, ad quem immediatè, & per se ordinatur, non tanquam potentia. Rursus substantia completa, vel subsistens immediatè, & per se est capax ipsius* Esse, *seu existentiæ, quia licèt existentia sit prædicatum accidentale substantiæ, & cuiuscumque entis creati, tamen habere potentiam, & capacitatem ad habendum* Esse, *siuè dependentia ab alio priori sustentante, sed immediatè, & per se, proprium est substantiæ, & discernit essentialiter, & intrinsecè illam ab accidente. Ipsa substantia intrinsecè constituitur per potentiam, & ordinem ad* Esse, *vt patet ex eius definitione, quia substantia est ens per se existẽs, idest postulans per se existere.*

2683 Licèt substantia per eandẽ formam sit capax existentiæ prius ordinatur ad *esse*, quàm ad operari.

Et licèt substantia per eandem formam sit capax existentiæ, & sit principium operationis, tamen prius, & immediatiùs ordinatur ad Esse, *quàm ad operari, quia prius est existere, quàm operari; & ad substantiam primò, & per se pertinet ordo ad* Esse, *quia substantia habet esse per se, vt constat ex sua definitione, quòd est ens per se; & deinde dicit rationem sustentantis, seu sustentatiui accidentium, & ideò per se primò habet esse potentia receptiua, & in ratione recipiendi prius, & immediatius se habet ad* Esse, *quàm ad accidentia, quæ supponunt* Esse, *quia prius est subsistere in se, seu existere per se, quàm substare alijs. Sed tamen tàm subsistere, quàm substare facit substantia non radicaliter, sed formaliter, & immediatè non mediante alia entitate, seu principio, quia* Esse *immediatè conuenit naturæ, seu formæ, quia ipsa est principium, quo aliquid est, & ideo oportet, quòd ipsa substantia, seu natura immediatè recipiat ipsum* Esse, *& dicat ordinem ad illud, quia est primus actus, quem potest recipere forma, seu natura, & cùm sit substantia, recipit illud per se, & immediatè sine dependentia ab alio sustentante.*

2684 Prob. Substantiam creatam per se, & immediatè esse potentiã passiuã respectu *esse*.

Ex his autem propositionibus sic explicatis, colligitur manifestè secunda consequentia D.Thom. *videlicet, quòd actus, ad quem per se immediatè comparatur substantia, est* Esse, *ad quod se habet, vt potentia passiua, si est substantia creata, quia substantia in hoc discernitur ab accidente, quia est primum ens, & per se existens, non substentatum ab alio, sed in se recipiens* Esse *immediatè. At verò operatio, cùm sit in rebus creatis distinctus actus ab ipso* Esse, *& accidens sequutum post* Esse, *oportet, quòd potentia substantiua, vt substantia est, non sit immediatè ad ipsum operari, eò quòd in quantum substantia, ordinatur ad actũ, qui fit* Esse, *quia solùm per ordine ad ipsum constituitur subsistens, vt substans. Igitur actus, qui est operari, non pertinet ad formalem, & essentialem rationem substantiæ, vt substantia est, quia si in ratione substantiæ constituitur primum ens per ordinem ad* Esse, *quidquid non pertinet ad* Esse, *sed est actus distinctus ab* Esse, *non pertinet ad constituendam substantiam informali ratione substantiæ; sed supponit illam constitutam, quia iam supponit* Esse, *& ordinem ad* Esse, *in quo perficitur ratio entis, vt substantis, & subsistentis, vt infra amplius declarabitur. Ergo cùm operatio, &* Esse *sint actus diuersi in rebus creatis; & vnus, nẽpe* Esse, *præcedat alterũ, scil. operari oportet, quòd ea, quæ immediatè ordinantur ad tales actus, & per modum potentiæ se habent ad illos, etiam distinguantur inter se; et sic cùm substantia essentialiter in ratione substantiæ, sit solùm ordinata ad* Esse, *quod per se recipit, non verò specificetur primò, & per se ab operari, quia iam per ipsum* Esse *supponitur in ratione substantiæ specificata, & constituta, consequitur, quòd principium, quod per se primo specificatur ab operatione, sit aliud à substantia. Hoc autem principium datur, quia operatio est actus distinctus ab* Esse; *& sic distinctam potentiam specificare potest: potentię enim ex diuersitate actuum diuersificantur vt supra dictũ est.*

2685 Operatio, & *esse* sunt act⁹ diuersi increatis.

DVBIVM VNICVM.

Expenduntur amplius fundamenta D. Thom. quare potentia intellectiua Angeli non sit eius essentia.

2686 *Petes 1.*

PEtes 1. *An diuersitas potentiarum sumatur ex actibus adæquatis, vel inadæquatis.*

Resp. diuersitatem potentiarum sumi ex actibus adæ-

Respond. ex actibus adæquatis. Nam in prima consequentia, vt in præced. disp. dictũ est, loquitur D.Th. de actu adæquato, ad quem per se ordinatur aliqua potentia, ex talium enim actuum diuersitate

quæ's ad quas per se ord non tur potentiæ,

ipsæ potentiæ diuersificantur. Non autem stare potest, quod diuersæ potentiæ habentes diuersos actus adæquatos, à quibus specificantur, & distinguuntur, sint vna, & eadem entitas, nisi supponatur illa entitas, in qua vniuntur, habere aliam speciem priorem, non desumptam ab istis actibus potentiarum: repugnat autem, quod primo, & per se sumantur species, & distinctiua potentiarum ab actibus, seù obiectis specificantibus. & illa inter se non distinguantur entitatiuè, si aliquam speciem priorem non supponunt, in qua vniantur; si verò eam supponunt, non primo, & per se specificantur, & distinguũtur per ordinem ad actus, & cõsequenter non erunt potentiæ perfectibiles, & constituibiles per ordinem ad illos, cùm tamen constet substantiam essentialiter dici ens per se, & in ordine ad esse, & operatiuum, quod est actus primus, specificari per ordinem ad operationem, non autem dari potest aliquid anterius in ordine ad quod sumatur species illius entitatis, quæ esset simul substantia, & potentia operatiua.

2687 *Petes 2.*

Petes 2. *An repugnet quòd eadem entitas sit actiua potentia respectu vnius, & passiua respectu alterius; actiua respectu operationis, & passiua respectu esse: sicut intellectus noster, qui est potentia actiua, respectu specierum, & passiua respectu intellectionis.*

Respond. Non posse potentiã passiuam, & actiuam inadæquatè se habere ad constituendam potentiam.

Resp. Non posse passiuam, & actiuam potentiam inadæquate se habere ad constituendam substantiam, & potentiam operatiuam; sicut intellectus passiuè se habet respectu specierum, & actiuè respectu intellectionis, & disparitas est; quia actus isti, scil. *Esse*, & operari se habent ex propria ratione, tanquam adæquati in specificando: vterque enim est actus vltimus in sua linea, & completus, nec in specificando potentiam dependet ab altero; constat enim, quod tota specificatio substantiæ completur, & sistit in ipso *Esse* ante operari; siquidem cùm operatur, vel quando operationem respicit, iam speciem constitutam habet totam, siquidem ratio substantiæ consistit in hoc, quod sit ens per se, & petat existentiam per se; & sic intra limites ipsius *Esse*, & in ordine ad *Esse* species, ratio quę substantiæ continetur: nec pro specificatione sua ab aliquo extra se dependet, aut ab alio specificatur, quia substantia est ad se, & per se, & in hoc sistit in linea, & genere substantiæ; imo cùm operatio talis, vel talis speciei in creaturis procedat à tali, vel tali principio, cuius est actio totam speciem, & essentiam illius principij supponit constitutam, vt ab ea exeat.

2688 *Actus, qui est operari, non potest specificare substantiam, vt substantiam.*

Quare ille alius actus, qui est operari, iam non potest specificare substantiam in ratione substantię quia illam iam specificatio non pertineret ad rationem entis ad se, & per se, sed habentis se ad alterum, & dependentis in essendo. quale est accidens. Vnde non potest actus operandi etiam inadæquatè concurrere, & se habere in ordine ad specificandum substantiam intra lineam substantię; & ita si specificat, aliud genus entis specificare debet, scil. potentiam, quę sit accidens; eò quòd potentia, quæ est substantia, & se habet ad *Esse*, non est specificabilis in quantum substantia, ab eo, quod est extra se, & non pertinet ad *Esse*.

2689 *Quomodo potentia intellectiua, vt passiua, & actiua specificetur.*

At vero in intellectu esse receptiuum specierũ, & actiuum intellectionis possunt esse inadæquatæ rationes eiusdem potentiæ, quia illæ duæ rationes ordinantur vltimatè ad vnum actum, qui est intelligere: receptio enim specierum est receptio alicuius, quod se habet, vt actus primus, & ordinatur ad intelligere, vt ad actum vltimum, & secundũ. Vnde, cùm ibi vnum sit propter aliud, & ordinetur ad aliud, & ipsa potentia intellectiua, cum non sit substantia, sed virtus operatiua, bene stat, quod tàm in ratione passiuæ, quàm actiuæ, specificetur adæquatè, quia ibi passiuum ordinatur ad actiuum; species enim intelligibilis est repræsentatio obiecti, quæ nisi actuet intellectum, non potest conducere ad intelligendum, & ideo potentia intellectiua debet specificari ab obiecto, sed duplici ordine inadæquato, requisito tamen ad intelligendum, & in ipso ordine intelligibili, scil. quòd patiatur intelligibiliter, & repræsentatiuè ab obiecto, & per actum secundum tendat ad illud, eique vniatur; & sic, cùm vna ex his rationibus per se ordinetur ad aliam, ex vtraque resultat adæquata ratio talis potentiæ.

2690 *Quare in nulla substantia creata eminenti, potest esse vnica ratio essendi, & operandi*

Ex quo obiter colligitur ratio, quare nulla substantia creata possit ita esse eminens, & excellens, quod in vnica ratione vniat esse substantiam, & esse operatiuam; eò quod non potest in aliqua creatura operatio, & existentia esse idem: sed *Esse*, & operari differunt, vt supra ostensum est, ita quod operatiò sit actus secundus supponens constitutam speciem, & quidditatem operantis. Substantia autem creata, hoc ipso quod creata est, dicit potentiam ad *Esse*, quia eius ratio essentialis, & intrinseca consistit in hoc, quod sit ens per se, seù cui debeatur esse per se, & potest esse per se: ergo talis potentia, seù tale posse, vt pertineat ad lineam substantiæ, non potest ordinari essentialiter, nisi tantũ ad *Esse*, non ad operari: nam substantia non sumit suam essentiam, & rationem per ordinem ad aliud extra se, sed ad se, & ad suum *Esse*, quia sistit in hoc, quod est ens per se, & hoc est ei essentiale, & proprium, prout distinguitur ab accidente ergo vbicumque operatio fuerit extra substantiã; & extra ipsum *Esse* substantiæ, non potest substantia esse potentia ordinata, & specificata per ipsum operari, sed per ipsum esse, vt distinguitur ab operari: ergo non potest per se ipsum esse potentia operatiua, immediatè, quia operatiua potentia, seù id quod immediate, & formaliter operatur, per se ordinatur ad actum, qui est operatio, non ad actũ, qui est esse: potentia autem substantiæ in creatis ordinatur ad esse, quod non est operari, igitur si non potest dari creatura ita eminens, quod in se vniat ipsum esse, & operari, ita non potest dari substantia ita eminens quòd sit substantia, & potentia immediatè operatiua. An vero possit substantia respicere substantiale esse, vt specificatiuum, operationem vero secundario, & mediate non vero per modum specificatiui dicemus infrà.

2691 *Vbi operatio est extra substantiã, non potest substantia esse potentia specificata ab illa.*

2692 *Petes 3.*

Petes 3. *An accidens sit immediatum principium essendi, & operandi.*

Resp. Accidens non esse principium immediatum essendi simpliciter.

Resp. neg. Accidens non est per se principium essendi, nec immediatum, sed essendi secundùm quid, & in alio. Etiam accidens habet esse non recipiendo, nec sustentando illud, sed vt sustentatum ab alio à quo dependet scil. à substantia, quæ per se existit, & per se dicit immediatum ordinem ad *Esse*, quia ab alio sustentante non dependet, sed est primum, & per se principium existendi, non solùm, vt radicaliter existens, sed formaliter, & per se primò. Ad replicam verò quæ contra hanc solutionem fieri potest, quod etiam accidens non est principaliter, & primò operans, sed quasi instrumentaliter, & vt virtus substantiæ, distinguo; accidens non est principaliter, & primò operans, vt *quod*, & vt principium radicale operandi, concedo; vt virtus, & principium immediatè specificabile ab operatione, nego. Et in hoc est disparitas inter *operari*, & *Esse*, quòd potentia specificabilis ab esse, & primò, & per se ordinata ad ipsum, debet esse id, quod principaliter, & per se existit, & hęc est substantia; potentia autem specificabilis ab operari, & quæ per se primò ad aliud ordinatur, debet esse accidens seù principium *quo* operandi, non principium radicale, & operatiuum, vt *quod*.

2693 *Ratio est, quia habere esse primè, & per se, spectat ad primam rationē entis.*

Et hoc ideo, quia primò & per se, seù proximè, & immediate habere *Esse* pertinet ad fundamentũ, & primam rationem entis, quæ est substantia, immediatè autem, & proximè operari pertinet ad vltimum, quod est virtus, à qua immediate exit actio. Nam *Esse* est primum, quod requiritur, vt res sit extra nihil; & id, quod primò, & per se, & vt sustentans cętera, habet hoc esse, est substantia, & ideò *Esse* pertinet formaliter, & non solum radi-

caliter

caliter ad substantiam: At verò operari non pertinet ad id, quod est primum in ente, sed ad vltimũ, quia operari sequitur *Esse*, & ideò ad substantiam solùm operari pertinet radicaliter, formaliter verò pertinet non ad id, quòd radix, & fundamentum, & substans est in essendo, sed ad id, quod vltimum, seù consequutũ, & secundarium; quia sicut operatio sequitur *Esse* ita operatiuum sequitur ad entitatiuum, & potentia operãdi ad potentiam essendi, quod est pertinere formaliter, & proximè ad id, quod est virtus, & potentia operandi, vt quo; radicaliter verò ad id, quod se habet, vt *quod*, & in ratione existendi fundamentum, & substantia est,

1694 *Petes 4.*

Petes 4. *An sit perfectior potentia passiua, quàm actiua in creatis; & an sicut substantia est immediatam potentia passiua ad esse, sit immediata potentia actiua ad operationem.*

Resp. potentiã passiuam immediatam ad esse, esse perfectiorem actiua.

Resp. quòd licèt potentia passiua inquantum talis imperfectior videatur quàm actiua, si eodem modo comparentur ad actum, tamen passiua potentia, quæ se habet in ordine ad *Esse* tali modo, id est, primo, & per se, sine dependentia ab alio priori sustentante, sed per modũ subsistentis, & existentis per se, perfectiùs quid est, quàm potentia actiua immediatè, & proximè operans, & specificabilis ab operatione. Et quia pertinet ad substantiam immediatè, & per se comparari & specificari ab ipso *Esse*, vel ab actu essendi; non autem specificari per ordinem ad aliquid extra se, quia est ens in se, & per se; ideò potentia passiua sic ordinata ad *Esse*, immediatè, & proximè conuenit substantiæ; non autem proximè ordinari, & specificari ab operatione, quia hoc est specificari ab alio extra se, idest ab accidente, quod est extra genus substantiæ.

1695 *Substantia, vt substantia non specificatur ab alio extra se.*

Ipsa ergo substantia non specificatur ab alio extra se, seù extra suam quidditatem, sed substantia completa sumit essentialem rationem substantiæ per ordinem ad *Esse*, cuius est capax, & immediatè recipit illud; materia verò per ordinem ad formam, quæ est principium dandi *Esse* formale. Et sic est immediatè potentia passiua, quia ordinatur ad habendum *Esse* in se, quod immediatè recipitur in substantia, & ente. Ponere autem, quod substantia specificetur ab ipso *Esse*, seù essentialem rationem dicat ad *Esse* per modũ potentiæ ad existendum per se: Dicat autem ordinem ad operari, sine aliqua specificatione ab ipso, sed tanquam ad aliud mediatum, & secundarium, est dicere, quod actus operandi, etiam in creaturis, in quibus est distinctus ab *Esse*, non sit sufficiens specificare potentiam, quæ ad illum comparatur, & cuius est proprius, & per se actus; quod est negare potentias specificari ab actibus, cùm tamen videamus, ex diuersitate operationum distingui principia operatiua, & posse separari vnum ab alio, sicut principium audiendi à principio videndi, quia non solùm, actus videndi, sed potentia ad videndum deest cæco, & non deest illi substantia; vt latiùs persecuti sumus *in lib. de ani. qu. 2. art. 2.*

1696 *Petes 5.*

Petes 5. *Cùm operari immediatè Deo conueniat, & accidenti; cur ergo conuenire non possit immediatè substantiæ creatæ.*

Resp. rationẽ esse, quia Deo conuenit per seipsum operari.

Resp. rationem esse, quia Deo conuenit per se ipsum operari tali operatione, quæ non distinguitur ab eius *Esse*, neque ab illa tanquam ab aliquo distincto potentia specificari potest: accidenti autem conuenit operari immediatè operationem distinctam à se, tanquam principio immediatè specificabili, & dependenti à tali operatione, vt distincta à se, quod maximè distat à Deo: substantia autem creata non potest peruenire adhoc, vt habeat operationem indistinctam à se, sicut Deus; nec tantam imperfectionem habet, quod stante operatione distincta, specificetur ab illa, & essentialiter ordinetur ad illam, quia hoc est extra lineam substantiæ, quæ solum est ad se, & per se existens non ab alio, & ad aliud specificabilis. vnde debet esse media inter Deum, & accidens, vt operetur per aliquid distinctum à se

1697 *Petes 6.*

Petes 6. *An substantia sit immediatum principium alterius substantiæ.*

Resp. neg. substantia est productiua alterius substantiæ media operatione.

Resp. negat. substantia enim dicitur productiua alterius mediante operatione accidentali à se distincta, licet effectus productus sit substantia. Sicut autem non repugnat, quòd mediante actione accidentali producatur substantia; ità non repugnat, quòd mediante potentia accidentali producatur; quia tàm potentia, quàm operatio operantur in virtute substantiæ, quia virtus non est aliquid superadditum ipsi potentiæ, sed ipsamet potentia, vt radicata in substantia, ab eaque dependens, & dimanans: si enim dicitur substantia agere per illam tanquam per aliud sui: similiter propriæ passiones dicuntur emanare à substantia, non per propriam, & veram actionem procedentem ab ipsa essentia, sed procedentẽ ab ipso agente, quæ primò, & per se terminatur ad essentiam, & ratione connexionis, quam habet cum passionibus, transit ipsa actio ab essentia ad passiones; & transitus ille, vt fundatus in ipsa connexione essentiæ, dicitur emanatio ab essentia, vt diximus, *citatis locis præsertim quæst. 2. de anima.*

1698 *Substantiã habet influxũ in suam potentiam distinctũ ab influxu in effectum.*

Item ipsa substantia non habet influxum in suã potentiam, & virtutem distinctum ab influxu, quo ipsamet virtus influit in effectum, sed vnicus, & idem influxus pro indiuiso exit à substantia, vt à principio, *quod*, radicaliter solùm operatiuo, & à principio *quo*, vt operatiuo proximo: non quia prius exeat influxus à substantia, & recipiatur in potentia, & ab illa exeat in effectum: talis enim modus influendi proprius est vnius causæ superioris in aliam inferiorem, tanquam in causam, & virtutem distinctam, non autem principij radicaliter operatiui in suammet virtutem, quia sic necesse esset, virtutem, qua aliquid operatur, recipere aliquid actualitatis à suo principio redicali, quod est impossibile, cum principium radicale non operetur indistinctè, à principio *quo* operandi; sicut nec substantia existit independenter à principio *quo* essendi, quod est forma: sed solum ille influxus, qui pro indiuiso procedit à principio radicali, & proximo, dicitur procedere secundum diuersos respectus, & dependentias à principio *quo*, & *quod* in emanando.

1699 *Petes 7.*

Petes 7. *Si substantia Angeli est immediatum principium respectu suæ intellectionis, cum sit species intelligibilis suppositum, quæ actiuè ad intellectionem concurrit, cur non poterit esse etiam immediatè operatiua.*

Resp. speciem non influere in actum nisi media potentia, & si est accidens per se.

Resp. disparitatem esse, quia ille influxus speciei intelligibilis est in genere repræsentatiuo, & per modum obiecti, quod non influit in actum nisi influxu participato à potentia, & mediante ipsa, tanquam proximè influente, quando species est substantia, non accidens superueniens potentiæ. Dato enim quod species influat in genere causæ effectiuæ in actum, (quod non est omnino certum) non tamen est necesse, quod species semper influat effectiuè, vt principium proximum effectiuum, sed si sit accidens poterit proximè influere superaddendo potentiæ determinationem influxiuam, si vero sit substantia, influet, & determinabit radicaliter, mediante tamen potentia, vt proximo influxiuo, quatenus illa potentia emanat à substantia, non solum tanquam à principio radicali intelligendi, sed etiam, vt ab obiecto intelligibili, à quo emanat determinata obiectiuè, & non solum subiectiuè.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum in Angelo sit intellectus agens, & possibilis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio negatiua Prob. In his, qui sunt intelligentes, non in potentia; sed

sed semper in actu, & eorum intelligibilia non sunt in potentia intelligibilia, sed in actu, non est ponendus intellectus agens, & possibilis, qui solùm ob dicta duo capita admittitur in nobis: sed Angeli non sunt intelligentes in potentia tantùm, sed in actu: & eorum intelligibilia sunt actu intelligibilia, quia Angelus intelligit principaliter res immateriales: ergo.

Arg. 1. In omni natura est aliquid, quo est omnia facere, & aliquid quo est omnia fieri, vt dicitur 3. *de Anima*. Sed Angelus est natura quædam: ergo. Resp. Aristotelem non loquutum esse de omni natura absolutè; sed solùm in omni natura, in qua, contingit esse generari, vel fieri, vt ipsa verba demonstrant.

Arg. 2. Recipere est proprietas intellectus possibilis, & illuminare intellectus agētis, vt dicitur 2. *de Anima*. Sed Angelus recipit illuminationem superioris, & illuminat inferiores: ergo. Resp. ad ma. quòd proprietas intellectus agentis non est illuminare intelligentem, sed intelligibilia in potentia; proprietas verò intellectus possibilis est, quòd sit in potentia respectu naturalium cognoscentium, neutrum autem horum accidit Angelo, vt consideranti patebit.

DISPVTATIO CCLXXVIII.

An in Angelo sit intellectus agens, & possibilis.

1700 Concl. neg.

Conclusio est negatiua, ex ratione enim intellectus possibilis, & agentis, & ex Angelici intellectus excellentia probatur in Angelo non esse intellectum agentem, & possibilem. Vndè.

Petes 1.

Petes 1. Quid sit intellectus possibilis, & An propriè in Angelis reperiatur.

Resp. ex Arist. accipiendo rationem intellectus possibilis.

Resp. ex Arist. in tertio de anima textu quarto, *intellectus possibilis nullam habet naturam, nisi quod possibilis est vocatus: quo modo verò sit possibilis explicat in textu quinto vbi docet:* ideò possibilem esse, quia non est actu aliquid entium antequam intelligat, *& addit*, animam esse locum specierum, non totam, sed intellectiuam, & non esse actu, sed potentia species; *& textu sexto docet:* animam intellectiuam locum esse formarum, & habere formas non in actu, sed in potentia: *Ex quibus colligitur intellectum apud Arist. ob eā tantum causam dici possibilem, quòd nullam sibi congenitam rei cuiusuis intelligibilis habeat speciem, sed eas multiplici generatione factus in actu, successiuè recipiat: sed considerandum est.*

1701 Dupliciter possunt alicui intellectui species esse congenitas.

Posse dupliciter alicui intellectui species esse congenitas, siuè coæuas: vno modo per se, alio modo per accidens, ille solus intellectus species habet per se coæuas, qui ex actualitate, & perfectione substantiæ, cuius est virtus, hoc sibi vendicat, vt ex ea fluat non informis, sed omnium rerum naturaliter à tali substantia cognoscibilium, formatus, siuè speciebus exornatus; & talis intellectus haud rectè, sed impropriè potest vocari possibilis eo quod rerum omnium naturaliter cognoscibilium congenitas habeat formas, siuè naturas in esse cognoscibili; possibilis autem intellectus nullam habet naturam, nisi quòd possibilis sit vocatus; adeò vt eius natura, siuè quidditas sit pura potentia respectu omnium intelligibilium; ac proindè sibi dimissus, statum etiam per aliquā temporis durationem, habeat potentialem, sitque vt tabula rasa, in qua nihil omninò depictum est, sed depingi facilè potest, vt ait Arist. tertiò de Anima.

1702 Arist. docet intellectus

Docēt autem communiter Metaphysici cum Arist. duodecimo diuinorum textu trigesimonono, & *cum Authore* libri de causis, *substantiarum omnium separatarum intellectus formis rerum intelligibilium naturaliter ab initio suæ conditionis esse perfectum.*

substantiarū separatarum ab initio esse perfectos.

Cōsequens igitur est earum intellectus non posse verè, ac propriè dici possibiles, sicut, nec congruè cœlum respectu suæ figuræ diceretur possibile, quamuis sit eius, vt forma receptiuum, & ad eam veluti potentia ad actum comparetur. Ille verò intellectus species habet coæuas tantùm per accidens, cuius natura in ordine intellectuum, pura potentia est; sicut materia prima in ordine entium, est pura potentia, sed ex speciali Dei bonitate, ac prouidentia non permittitur statum habere potentialem, quem sibi videtur secundùm cursum ordinis sui, naturaliter postulare: sed infusis præter, ac supra omnes naturæ leges communes, intelligibilibus rerum formis ad similitudinem eleuantur intellectus Angelici: quales extitere intellectus Adæ protoparentis, & Christi Domini Saluatoris, vt probat S. D. infrà quæst. 94. art. 3. & tertia parte qu. 12.

1703 Petes 2.

Petes 2. An positio intellectus agentis in Angelis sit superflua & impertinens.

Resp. in Angelis non esse necessarium intellectum agentem, sed esse superfluū.

Resp. Aff. in Angelis non est necessarius intellectus agens, vt deducit hic scitè Caietanus, quia sicut natura non deficit denegando necessaria, ita non abundat largiendo superflua; atque adeò nulli rei, ex cuius natura pullulet perfectio propria, collatæ sunt ab Authore naturæ virtutes, quibus suam sibi perfectionem acquireret; superfluè namque daretur illi rei virtus, qua posset suam perfectionem sibi comparare, si naturaliter ea carere non posset, sed ad eius essentiam necessariò consequeretur, nam & si posset Deus ignē sine calore, & Solem sine splendore producere, non tamen oportuit igne, aut Soli, aut alteri ab illis extrinsecis creatæ naturæ collatas fuisse virtutes, quibus in igne, at sole posset effici calor, aut splendor, sic itaque, quamuis posset Angelus à Deo sine speciebus imò, & sine intellectu produci, non tamen oportuit, vt esset angelica natura perfecta, collatam Angelo fuisse virtutem intellectus agentis, qua species rerum intelligibiles sibi posset acquirere: confert enim rebus natura facultates ad perfectiones illas consequendas, aut alteri conferendas, quæ cum rebus non sint congenitæ, & ad quoddam naturale pertineant complementum, possunt ab eis naturaliter abesse.

1704 Ratio est, quia munus intellectus agentis est, facere intelligibilia in actu, quæ erant tantùm in potentia.

Sed iam ex intellectus agentis natura demonstrandum est, hanc insitam Angelo non esse facultatem. Vt autem ait Arist. in tertio de anima intellectus agens est, sicut habitus, & lumen: eiusque munus est ea, quæ sunt potētia tantū intelligibilia, facere, vt actu sint intelligibilia: *quemadmodum etiā lumen hoc sensibile quodammodo facit, vt qui colores sunt in potentia, sint actu colores; Quapropter ibidem Philosophus eiusdem intellectus necessitatem in anima nostra demonstrans, artis materiæ ad actū reducenti similem illum esse pronunciat; sic enim ibi discurrit: In omni natura, qua scilicet quandoque est in potentia, & quandoque in actu, & consequenter in qua contingit esse generari, vel fieri (vt hic ad primum exponit Sanctus Doctor) oportet esse aliquid quasi materiale, quòd sit in potentia ad omnia, quæ illius sunt generis; & aliquid, quòd sit agens reducens potentiam ad actum; sed anima secundùm partem intellectiuam quandoque est in potentia, & quandoque in actu: ergo necesse est in anima esse aliquid instar materiæ, quòd sit in potentia ad omnia intelligibilia, & hic est intellectus possibilis, & aliquid, quasi agens quod eam potentiam ad actum reducat, hic verò est intellectus agens.*

1705 Petes 3.

Petes 3. An ex duplici necessitate, quam posuit Arist. de intellectu agenti in homine, constet impertinentia talis intellectus respectu Angeli.

Resp. affirm. duplicem n. assignat Arist. necessitatem intellectus agentis.

Resp. affirmat. duplicem assignat Arist. intellectus agentis necessitatem; altera est ex parte possibilis intellectus, qui, cum sit omnia fieri, quandoque est in potentia, & quandoque in actu, atque ideò congruit illi fieri, & generari, & quia generatio perfectæ naturæ qualis est intellectualis, proximum agens requirit

quirit vniuocum, ideò non nisi ab intellectu, qui sit eiusdem substantia virtus, reduci potest naturaliter intellectus possibilis in actum, vt scilicet fiat, & sit actu ipsum intelligibile, ad quod erat in potentia. Altera necessitas est ex parte obiecti, intellectui nostrò proportionati, quod est quidditas, siuè natura rei materialis, quæ non subsistit extra animam actu immaterialis intelligibilis: sed est extra animam intelligibilis tantùm in potentia; fit autem per lumen intellectus agentis actu intelligibilis, vt explicant latè Caietanus, & Bannes infra qu. 79. art. 3. & Ferrariensis qu. ad 3. de anima; vt autem probat hic S. Doctor, vtraque necessitas deest in Angelis, quia nunquam sunt intelligentes in potentia, & obiectum intellectus eorum est actu secundùm se intelligibile, hæc enim est propria ipsius intelligentis Angeli substantia, vt hic Affirmat Caietanus, & colligitur ex D. Thoma sup. qu. 12. art. 4. & *in infra* quæst. 55. art. 1. ad 3. & 56. art. primo.

2706 Obiectum duplex est adæquatum, & proportionatum: obiectũ proportionatum intellectus Angelici, est propria substantia.

Ad cuius euidentiam recolenda est doctrina illa communis de duplici obiecto, scilicet adæquato, & proportionato, siuè motiuo, adæquatum omnis intellectus obiectum est ens, inquantum ens, sub ratione veri, atque ideò per hoc non possunt ab inuicem intellectus specie distingui: proportionatum autem, siuè motiuum, aut quasi motiuum obiectum intellectus Angelici, est propria cuiuslibet Angeli substantia: sicut quidditas rei materialis est obiectum motiuum, & proportionatum intellectus humani. Et quoniam adæquatum obiectum non attingitur nisi, vt modificatum in obiecto proportionato, siuè motiuo, aut quasi motiuo; ideò dici congruè potest, obiectum cuiuslibet intellectus proprium esse ens modificatum in eius obiecto proportionato, siuè motiuo, aut quasi motiuo. dico autem quasi motiuo, quia substantia propria, verbi gratia, Gabrielis, quæ est obiectum intellectus eius proportionatum, non habet verè, & propriè respectu eius formaliter rationẽ motiui: quia tunc solùm mouetur intellectus ab obiecto, cùm de potentia reducitur ad actum primum per speciem ex obiecto, ac intellectu agente resultãtem: sed quoniam (vt infrà dicemus) à propria substantia semper cognita mouetur intellectus Angeli ad alia quandoque cognoscenda in actu secundo; dicitur secundùm hanc rationem, esse motiuum intellectus obiectum, propria cuiuslibet Angeli substantia; Quæ dici posset etiam motiuum eiusdem intellectus ad actum primum virtualiter, seù conditionaliter, quia videlicet, si mouendus esset intellectus ab aliquo obiecto ad actum primum, non nisi à propria substantia moueretur: sicut intellectus humanus à quidditate sensibili.

2707 Obiectum adæquatũ in ratione obiecti motiui, est ipsamet substantia Angeli, terminatiuum verò est ens.

Obiectum igitur per se primò adæquatum in ratione motiui naturalis intellectus Angelici est ipsius Angeli substantia propria, quæ quamuis sit in essendo singularis; continet tamen omnia naturaliter ab Angelo cognoscibilia, non quidem in esse naturali formaliter, aut virtualiter: sed in esse tantùm repræsentatiuo virtualiter: Nam superiorum, & inferiorum species habet ex ipsa pullulantes, quibus superiora repræsentat, quasi, vt effectus causam, quia nimirum inferiora superioribus comparata, proportionem quandam habent, & similitudinẽ effectus ad causam; è contra verò, ad inferiora comparantur, vt causæ; licèt nulla sit inter ea propria, ac realis causalitas, & dependentia. Sed quadam tantùm naturæ similitudo, cognitionem efficiens; quo modo S. Doctor infra qu. 56 art. 2. ad 2. exponit illa verba libri de causis: omnis intelligentia scit id quod est supra se, inquantum est causata ab eo, & quod est sub se, inquantum est causa eius; *sic enim ait:* Ratio Causæ, & causati non facit adhoc, quod vnus Angelus alium cognoscat, nisi ratione similitudinis, in quãtum Causa, & causatum sunt similia; & ideo si inter Angelos ponatur similitudo absque causalitate, remanebit in vno cognitio alterius.

2708 Obiectũ adæquatum terminatiuum intellectus Angelici est ens vniuersale non abstrahens à singularibus.

Quamuis autem obiectum intellectus Angelici adæquatum in ratione terminatiui, sit ens, quod est vniuersale, non est tamen à singularibus abstractum: vt enim ait in quæstione sequenti Sanctus Doctor art. 3. ad primum. Accidit vniuersali, vt à singularibus abstrahatur in quantum intellectus ille cognoscens, à rebus cognitionem accipit; si verò sit aliquis intellectus à rebus cognitionem non accipiens, non erit abstractum à rebus, sed quodammodo antè res præexistens, vel secundùm ordinem causæ, sicut vniuersales rerum rationes sunt in verbo Dei; vel secundũ ordinẽ naturę, sicut vniuersales rerũ rationes sunt in intellectu Angelico; *hæ ibi: sunt igitur Angelorum species vniuersales in repræsentando, nec tamen aliquo intellectus actione à rebus acceptæ, sed prius natura, quàm res naturales à Deo crearentur, Angelorum mentibus inditæ; Quamobrem, vt hic aduertit Caietanus, ex vniuersalitate repræsentationis, aut etiam prædicationis, non rectè infertur necessitas intellectus agentis; sed ex obiecto tantùm intellectus, quatenus est in rerum natura motiuum intellectus, & perfectiuum, quale nullum est obiectum intellectus Angelici.*

2709 Intellectus agens quare non est perfectio intelligẽtis.

Neque facultas species abstrahendi, quæ dicitur intellectus agens, perfectio simpliciter est intelligentis; sed animæ nostræ congruit, eò quòd infimum tenet gradum in ordine substantiarum intellectualium, quæ nullum est intelligibilium actu, sed omnia in potentia, & ideò virtus ei data, est intellectus agentis, vt singulas à rebus materialibus species abstrahendo, successiuè fiat singula. Pertinet igitur intellectus agens ad perfectionem tantùm propriæ perfectionis acquisitiuam, quæ perfectio est secundùm quid; *non autem ad perfectionem* simpliciter, *atque ideò non congruit Angelo, cui repugnat acquisitio cognitionis.*

2710 Petes 4.

Petes 4. Ex perfectione, & dignitate intellectus Angelici, rectè probetur impossibilitas intellectus agentis in Angelis.

Resp. affirm. quia perfectiones, quæ in inferiorib⁹ sunt distinctę, sunt adunatę in superioribus.

Respond. affirmat. Videmus enim in ordinatis ad inuicem rerum gradibus, quibus vniuersi perfectio constituitur, eius perfectiones, quæ in inferioribus sunt distinctę, in vnam superioris gradus simplicem perfectionem adunari; Virtutes enim elementorum multiplices vis vna præhabet longè altiùs sphæra cælestis: & vna facultas sensus communis vim simplicissimè continet quinque sensuum corporis nostri; similiter itaque mentis, seù intellectus Angelici plenitudo, diuisam intellectus nostri potentiam in agentem, & possibilem, in vna præhabet altiori virtute; quę iuxta modum Angelicæ naturæ congruentem, longè nobiliores operationes exercet, quàm sit phantasmatum illuminatio, & specierum à rebus intelligibilibus abstractio, & primorum principiorum euidentia, discursusque, iudicium, & similia, quæ nostro congruunt intellectui, qui gradum tenet inter omnes intellectus infimum.

2711 Confirm. ex S. Thom. quia quanto Angeli sunt superiores, tantò per species magis vniuersales intelligunt.

Confirmatur hic discursus ex simili processu S. Thomæ quæstione sequenti articulo tertio, vbi probat superiores Angelos intelligere per species magis vniuersales, quàm inferiores, sic verò loquitur: Ex hoc sunt in rebus aliqua superiora, quod sunt vni primo, quod est Deus propinquiora, & similiora; in Deo autem tota plenitudo intellectualis cognitionis continetur in vno scilicet in essentia diuina, per quam Deus omnia cognoscit; Quæ quidem intelligibilis plenitudo in intelligibilibus creaturis inferiori modo, & minus simpliciter inuenitur. Vndè oportet, quòd ea, quę Deus cognoscit per vnum, inferiores intellectus cognoscant per multa, & tanto amplius per plura, quantò amplius intellectus inferior fuerit. sic ergo quanto Angelus fuerit superior, tanto per pauciores species vniuersitates intelligibilium appręhendere poterit. *Hæc ibi S. Doctor. Ex eadem igitur virtutis plenitudine, ac simplicitate, quæ in superioribus intelligentium gradibus maior est, quàm in inferioribus, deduci potest facilè vnitas intellectus e virtutis, quæ in intellectu nostro omnium infimo diuisa est in agentem, & possibilem, ob causas ex doctrina Philosophi, & S. Thom. superius assignatas, quæ omnes imperfectiom important intellectui nostro propriæ. Videnda sunt, quę scribunt hic Caietanus, Bannes, & Zumel, qui materiam hanc explicant accuratè.*

ARTI-

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrū in Angelis sit sola intellectiua cognitio

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio Affirm. Prob. illæ solæ vires ponendæ sunt iu Angelo, quarum operationes non exercentur per organa corporea. Sed omnium virium operationes exercentur per organa corporea, præter operationes virium intellectiuarum, quę sunt intellectus, & voluntas, vt patet in nobis. ergo, in Angelis ponendæ sunt tantùm vires intellectiuæ.

Arg. 1. ex D. Aug. 8. deciu. Dei. quod *Angelus est vita, quæ intelligit, & sentit.* ergo. Resp. neg. cōseq. quia Angelus propriè non sentit, sed dicitur tantùm sentire secundùm quandam similitudinem.

Arg. 2. Ex D. Isydoro dicente: quod *Angeli multa nouerunt per experientiam.* Sed experientia habetur per cognitionem sensitiuam. ergo. Resp. experientiam Angelis attribui posse per similitudinem cognitorum, & non per similitudinem virtutis cognoscitiuę.

Arg. 3. Ex Dyonis. afferente, quòd *in Dæmonibus est phantasia proterua.* ergo. Resp. neg. conseq. quia phantasia attribuitur Dæmonibus, ex eo quod falsam habent practicam existimationem de vero bono; & sic attribuitur per aliquam similitudinem.

DISPVTATIO CCLXXIX.

An sit in Angelo potentia motiua distincta ab intellectu, & voluntate.

2712 Concl. neg.

COnclusio est negatiua: Ex Angelorum enim natura spirituali probatur nullam eis aliam inesse potentiam, præter intellectum, & voluntatem. vndè.

Petes 1. An actio cuiuscumq; rei ex eius forma specifica, tanquam ex primo principio deriuetur?

Petes 1.

Resp. affirm. Actio cuiuscumque rei, ex eius forma tanquā ex primo principio deriuatur.

Resp. Affirmatiuè. Actio cuiuscumque rei ex eius forma specifica, tanquam ex primo principio deriuatur; sicut calefactio, quæ fit ab igne, in formam eius substantialem reducitur, vt in primum principium, a quo dependent etiam illa accidentia, quę virtutes sunt, & proxima agendi principia. Et quia forma non eodem modo conuenit rebus compositis, ac rebus simplicibus; ideò nec his, atque illis eodē modo congruit operatio. Rebus enim simplicem habentibus naturam, omnis actio conuenit secundùm modum, & proprietatem illius naturę; in habentibus autem compositam naturam inueniri potest quadam actio ad naturam in compositione præcipuam minimè pertinens, exempli gratia. omnis actio ignis cuius natura simplex est, est secundùm proprietatē, & modum naturæ ignis; & non omnis actio igniti gladij, quòd est compositum, ad ignis naturā, siuè modum pertinet; inclusionē .n. ignitē habet gladius, nō secundùm ignis naturā, aut modum, sed secundùm ipsam gladij formam, & proprietatem.

2713 In substantijs spiritualibus iuxta diuersitatem naturæ erit diuersa actio considerāda.

Sic igitur in substantijs spiritualibus iuxta differentem earum naturam, scil. simplicem, at in se ipsa subsistentem, aut corpori copulatam, & cum eo tertiam naturam constituentem, ac proindè non totaliter intellectualem, erit etiam actionis diuersitas meditanda. Anima .n. humana, cùm sit forma corporis, ac substātiarum intellectualium infima, non est totaliter intellectus, sed intellectualitatem participat; atque adeò virtutes habet, & actiones aliquas ad intellectualem naturam, vt sic minimè pertinentes; quales sunt potentia vegetatiuæ, & sensitiua, & earum actus; sed Angelus plena, totalique intellectualis naturæ fulget dignitate, atq; adeò, oportet omnem eius operationem esse secundùm intellectum, siuè secundùm modum, & proprietatem intellectuali naturæ. Et quia intellectus non agit, nisi media voluntate; necesse est, vt quidquid Angelus agit, agat per imperium voluntatis; cùm autem virtus, media sit inter essentiam, & operationem, necesse est, cuiuslibet agentis essentiæ virtutem, & operationem esse proportionatam, atque adeò superioris Angeli virtus, cuius est essentia, nobilior est etiā, & efficacior sicut ad intelligendum, ita ad agendum in res exteriores. Nullius autem Angeli essentia est infinita. & consequenter etiam virtus omnis Angeli, & operatio determinatam habet effectuum latitudinem.

Petes 2. An virtus motiua in Deo, & in Angelis à virtute exequutiua distinguatur? 2714

Petes 2.

Resp. negat. vbi nota, quod virtus loco motiua distinguitur in imperantem, & exequentem.

Resp. negatiuè. Ad cuius euidentiā considerandum est, virtutem motiuam vniuersaliter acceptam, distingui in imperantem, seù efficientem motum, & in exequentem; quæ duæ virtutes in anima nostra sunt distinctæ realiter. Prima .n. consistit intellectu practico, & cogitatiua, ac appetitu rationali, & sensitiuo. Secunda verò virtus corporea est, existens in musculis, neruis, & nexibus membrorum, per quam redduntur apta ad obediendum virtutibus prædictis, motum imperantibus. In Angelis autem, qui spirituales omninò substantiæ sunt, & multò magis in Deo, eadem realiter virtus est, quę motum imperat, & exequitur.

2715 Quæres. Resp. cum distinctione, nā exequutio, quæ actio est, potest sumi dupliciter.

Si autem interroges, num actus imperij, & executiones idē sint in Angelis, & in Deo? Distinguendum est: nam executio, quæ actio est potest sumi dupliciter; vno modo pro actione Metaphysica, quæ perfectio agētis est, & sic idem est realiter, quòd actus imperij, qui, licèt sit actus intellectus, & voluntatis, est tamen actio transiens efficaciter, & actualiter, quatenus habet effectum extra productum; alio modo sumi potest executio pro actione physica, seù elementanter sumpta, quę est motus, seù mutatio in materia, vel effectu recepta ab actione metaphysica dependens, vt eius effectus, & sic realiter ab ea distinguitur, & per consequens ab imperio: & in hoc non differunt Deus, & Angelus, quidquid dicat Capreolus in allegata qu. 2.

2716 Magna differentia est inter exequutionem Dei, & Angeli.

Sed magna differentia est inter Deum, & Angelum, vt ait S. Doctor de malo quæstione sextadecima art. 9. ad. 7. *Nam Deus est ipsa voluntas, & sicut voluntas potest indifferenter velle quodcumq; bonum extra Deum; sic Deus in essentia sua continet eminenter omne bonum à Deo diuersum, & ideò voluntas secundùm eam rationem, qua virtus est, siuè potentia, illud omne creabile efficere potest, quòd potest cadere sub* Dei *voluntate; Angelus autem non est sua voluntas, sed habet voluntatem à natura determinata, seù finita secundùm cuius modum voluntas, vt ante diximus, operatur, ideò, licèt voluntas, vt voluntas est, sit infinita simpliciter obiectiuè; qua ratione tamen est operatiua potentia, limitatam habet obiecti latitudinem iuxta modum naturæ agentis Angeli, vt etiam aduertit Capreolus in dicta qu. 2., soluens argumentum Henrici: Cùm tamē fiat vna res in Angelo voluntas, & motiua potētia Pro cuius explicatione.*

Petes 3. An intellectus possit extendi ad obiecta sensitiuarum potentiarum. 2717

Petes 3.

Resp. quando potentia respicit obiecta diuersa sub aliqua ratione communi, tunc potest exercere actus genere differentes.

Resp. posse vnam aliquam potentiam secundùm rē se extendere ad actus genere differentes, vel ad obiecta diuersa secundùm genus, quando ea respicit sub aliqua ratione communi ad duo genera; sicut, exempli gratia, intellectus ad obiecta sensitiuarum omnium potentiarum extenditur, quæ genere differunt, eò quòd ea respiciat sub vna communi ratione entis, aut veri; extenditur etiam idem intellectus ad actus genere differentes, quæ sunt apprehensio discursiua, & non discursiua, quatenus sub vna aliqua communi ratione continentur, sic itaque voluntas Angeli ad duos actus genere differentes extenditur, qui sunt velle, & mouere, quatenus in vnam, vtriq; communem rationem conueniunt, quæ est impulsio, vel tendentia ad rem, vel largitio, aut communicatio, hęc .n. omnia, & similia ad officium attinent voluntatis. Et confirmari potest hæc veritas ex prædictis hoc argumētō; quòd infert

Capreolus

Capreolus ex Durando ſicut enim (inquit) ſe habet omnis cognitio noſtra ad intellectum Angeli ; ſic omnis vis motiua noſtra ſe habet ad vim motiuam Angeli; ſed omnia,quæ nos ſenſu,& intellectu cognoſcimus,Angelus ſolo intellectu cognoſcit ; Ergo à ſimili, quidquid nos voluntate,aut alia vi motiua facimus, Angelus per voluntatem perficit .

2718 Petes 4.

Petes 4.Quomodo intelligendum ſit illud dictū Ariſtotelicum , per actionem immanentem nihil producitur .

Reſp. dictum Ariſt. intelligi de actione immanente, vt immanens eſt.

Reſp.Dictum illud Ariſt. nono Metaph. & primò. Ethic, videlicet per actionem immanentem nihil producitur,*intelligendum eſſe de actione immanente,in quantum immanens eſt,& in ſpecie de intelligere,& velle in quantum huiuſmodi,vt ait Capreolus , quem ſequitur Ferrarienſis* in qu.decima ſeptima ad tertium de anima;*vel,quod in idem reddit,dicendum eſt,dictas actiones non eſſe tales,quæ ex natura, vt tales ſunt,relinquunt effectum extra operantem , vt ait Capreolus,intelligere tamen,& velle diuinum, & Angelicum ex eminenti ſua perfectione vim habent operatiuę,ſiuè productiua potentia ; quamobrem dici poteſt cum eodem Capreolo ; Ariſt. ibi loqui de velle,& intelligere tantùm humano .*

QVÆSTIO LV. D.Th.

De medio cognitionis Angelicę.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angeli cognoſcant omnia per ſuam ſubſtantiam .

SVMMA ARTICVLI. D.Th.

COnclusio Negatiua . Prob. forma,quę non continet omnia,adquę ſe extendit potentia,cuius eſt forma,non poteſt perfectè complere talem potentiam. Sed eſſentia Angeli,quæ ſe habet, vt forma reſpectu intellectus Angelici, in actu intelligendi,nō continet omnia,ad quæ ſe extendit potentia intellectiua Angelis, quia obiectum intellectus Angelici comprehendit omne ens. ergo .

Arg. 1. ex D.Dyon.cap.7.de diu. nomin. dicente,quòd *Angeli ſciunt ea,quæ ſunt in terris ſecundùm propriam naturam mentis.* ergo . Reſp, ly *ſecundùm naturam mentis* non ſignificare medium cognitionis , ſed vim cognoſcitiuam , quæ Angelo conuenit ſecundùm ſuam naturam .

Arg. 2. ex Ariſt. 2. met. dicente , quòd *in his,quæ ſunt ſine materia,idem eſt intellectus,& quo intelligitur* . ergo.Reſpond. Antecedens eſſe verum formaliter , & in genere intelligibili , in quo ſunt magis vnū intellectus,& res intellecta , quàm materia & forma . Falſum verò in genere entis, & realiter .

Arg. 3. In ſubſtantia Angeli ſunt omnia ſecundùm modum intelligibilem : Nam inferiora in entibus ſunt in ſuperioribus eſſentialiter . ergo . Reſpond. diſt. Antec. ſuperiora,& inferiora ſunt in Angeli eſſentia ſecundùm communem rationem tantùm, conced. & hoc non ſufficit , vt Angelus omnia per ſuam eſſentiam cognoſcat ; ſecundùm proprias,negatur; quia hoc modo ſolùm ſunt in Deo.

DISPVTATIO CCLXXX.

An ſubſtantia angeli habeat rationem ſpeciei intelligibilis reſpectu proprij intellectus ,

COnclusio affirm. eſt D.Thom. hic , & communis inter Thomiſtas . Subſtantia Angeli habet rationem formæ, ſeu ſpeciei intelligibilis , quia intellectus redditur intelligibiliter perfectus,& actuatus ab ipſa ſubſtantia,non ſolùm,vt ſubiecto radicali ſui , ſed vt obiecto intelligibili,& determinante intellectum ad intelligendum ſe . Et per eandem ſubſtantiam , tanquam per ſpeciem cognoſcit Angelus accidentia ſua naturalia,ſibique debita ; ſupernaturalia autem non niſi per ſpecies ſuperadditas . 2719 Concluſio eſt affirm. & cōmunis inter Thomiſtas .

Prima pars huius concluſionis , quæ principalis eſt, ſumitur ex Diu. Thom.citatis locis , vbi iam expreſsè affirmat . Et vnica ratio, & fundamentum eſt , quia in ſubſtantia Angeli inueniuntur ea,quæ requiruntur ad munus ſpeciei intelligibilis reſpectu cognitionis ſui: Ergo ſeipſum per ſuammet ſubſtantiam cognoſcit,tanquā per ſpeciem.Conſeq.eſt manifeſta,quia adhoc ponitur ſpecies,vt loco obiecti ſubrogetur,reddēdo illud intelligibile in actu, & repræſentatum, ſeù præſens intellectui : ergo ſi ipſa ſubſtantia , & entitas obiecti totum hoc facere poteſt ſine ſpecie , ſeu qualitate , aut vi ſuperaddita , fruſtrà talem ſpeciem adhibemus , eiuſque repræſentationem ſubrogamus loco obiecti , cùm id faciat per ſe ipſum . Prob. quia in ſubſtantia Angeli inueniuntur ea , quæ requiruntur ad munus ſpeciei .

Hoc enim , quòd eſt ſubrogari pro altero , ſolùm fit in caſu , quo illud, pro quo ſubrogatur, per ſeipſum non poteſt , aut non æquè benè poteſt id facere , ſicut ſubſtitutum , ſeù vicarium ſuum . Aut ſi ponitur ſpecies ſuperaddita , cùm obiectum id poſſit facere per ſe ipſum, non eſt ex neceſſitate talis ſpeciei , ſed ſine ipſa fieri poſſet tota illa actuatio , & informatio obiecti per ipſam ſubſtantiam immediatè . Quòd ſi fieri poteſt , eadem difficultas eſt : nam hoc poſſibili poſito , difficultates , quæ modo militant , & mouent oppoſitos authores , etiam in illo caſu mouebunt, ſi quidem hoc ipſo , quòd poteſt ſe habere , vt ſpecies, quid prohibet , quòd de facto ſic fiat , & tunc difficultates veniunt ſoluendæ . 2720 Subrogari loco alterius fit in caſu , quo illud,pro quo ſubrogatur , per ſeipſum non poſſit exercere illud munus .

Anteced. autem prob. quia inter conditiones requiſitas ad ſpeciem intelligibilem aliquæ ſunt , quæ manifeſtè conueniunt ſubſtantiæ Angeli in ordine ad ſuum intellectum , aliæ de quibus difficultas eſt, conueniunt quidem ſubſtantiæ Angeli tres , ſcilicet eſſe intelligibilem in actu per ſe , non per aliquid ſuperadditum , quia eſt per ſe immaterialis , & ſpiritualis ; ſpecies autem intelligibilis non aliter reddit obiectum intelligibile in actu , quàm per hoc , quòd eſt depurata à tali modo, & conditione in repræſentando , & conſequenter in eſſendo , quia tota eſſentia ſpeciei repræſentatio eſt , & ſic ſpiritualizatur . 2721 Antecced.prob quia aliquæ conditiones ſpeciei intelligibilis conueniunt manifeſte Angelis. 2722 Prima conditio.

Secunda conditio ſequitur ex hac , ſcilicet , quòd talis ſpiritualis ſubſtantia proportionatur ſuo intellectui , quia eſt proprium ſpecificatiuum illius , & ita ſpiritualis in actu , ſicut ipſemet intellectus , quia ab illa emanat : ergo eſt omninò illi proportionata . Secunda .

Tertia conditio , quòd ſit illi intimè præſens , & vnita , etiam manifeſtè conſtat , cùm ipſa ſubſtantia ſit immediata radix , à qua emanat intellectus , & ipſe intellectus illi inhæreat , & conſequenter non minùs intimè ſibi ſunt præſentia , & vnita , quàm ſpecies ſuperaddita intellectus , imò magis , quia licèt ſpecies superueniens intellectui , inhæreat illi , tamen non emanat ab intellectu , vt à radice , ſicut propriæ paſſiones ab eſſentia , & ità non habent ſpecies ſuperuenientes tantam connexionem cum intellectu , & conſequenter nec tam intimam vnionem , & præſentiam , ſicut intellectus cum ſubſtantia ſua ſpirituali , à qua emanat . Vndè pro hac parte non deeſt vnio , & præſentia ſufficiens inter ſubſtantiam, & intellectum , vt ſpecies eius eſſe poſſit . Iſtæ tres conditiones ſunt benè notæ . Tertia eſt , quod ſpecies ſit intime præſens potētiæ.

2723 Petes.

Petes. An substantia angeli sit proprio intellectui vnita, non solùm subiectiuè, & entitatiuè, sed etiam obiectiuè, & intelligibiliter, & quomodo hoc fiat?

Resp. affirm. substantia spiritualis nō solùm subiectiuè, sed etiam obiectiuè se habet ad intellectum.

Resp. affirm. itaque substantia spiritualis non solùm subiectiuè, sed obiectiuè se habet ad intellectum, & in quantum subiectiuè, sic sustentat, & recipit intellectum entitatiuè, quia intellectus illi inheret; in quantum verò obiectiuè, sic comparatur ad intellectum, vt actuans, & determinans illum intelligibiliter, ibique non operatur, vt substantia, sed vt intelligibile determinans; cùm alia sit vnio, & coniunctio in ratione entis, & alia in ratione intelligibilis, & secundum primam concurrit substantia per modum sustentantis, & subiecti; secundùm verò alteram per modum obiecti specificantis, & determinantis obiectiuè ad intelligendum. Vnde S. Thom. qu. 8. de verit. art. 6. ad . dicit; quod, Essentia angeli, quamuis non possint comparari ad intellectum eius, vt actus ad potentiam in essendo; comparatur tamen ad ipsam, vt actus ad potentiam in intelligendo, *Et solut ad 6. inquit,* quod essentia angeli est in intellectu eius, sicut intelligibile in intelligente, intellectus autem in essentia, sicut potentia in substantia.

2724 Quæres. Quomodo fiat ista actuatio ex substantia angeli refluente super intellectum angeli?

Sed quia difficile intelligitur, quomodo ista actuatio fiat à substantia ipsa, quasi superueniente, & refluente super intellectum, etenim prius intelligatur à substantia Angeli entitatiuè considerata emanare intellectus, quasi proprietas eius, deinde verò intellectu sit considerato in potentia, & adhuc informi, sicut ei infunduntur species aliarum rerum, ita ei substantia ipsa se super infundat, seu actuet illum alia vnione, quam habebat ex vi entitatis, vt sustentantis, & recipientis intellectum sibi inhærentem: hoc enim difficile intelligitur, quod fiat à substantia ipsa secundùm suam intelligibilitatem præcisè, & non secundùm realem entitatem, cùm munus speciei, & intelligibilitatis non separetur à realitate, nec possit intelligi realis vnio etiam intelligibilis, quin exerceatur secundùm aliquam realem entitatem, saltem præsuppositiuè; realis autem entitas substantiæ, vt intelligibiliter superunitur intellectui iam existenti, & sibi inhærenti, non apparet quo genere causæ vniatur illi: quia in genere causæ materialis vnit sibi intellectum entitatiuè, non et vnitur intentionaliter, & obiectiuè, quia in quantum obiectum non sustentat in Esse, sed vt subiectum: in genere autem causæ formalis non apparet, quomodo possit substantia realiter actuare, & informare ipsum intellectum, qui est accidens sibi inhærens.

2725 Difficultas ponderatur.

Dicere autem, quòd sufficit assistentia, & præsentia substantiæ, non assignando in quo genere causæ talis substantia coniungatur, & determinet intellectum, est nihil dicere, quia id, quod se habet, vt species non solùm per extrinsecam assistentiam, sed per intrinsecam vnionem, debet actuare, & determinare potentiam: intrinseca autem vnio, & determinatio in aliquo genere causæ esse debet, & sic currunt difficultates positæ quæ non euacuantur dicendo, quòd substantia Angeli intimè assistit, & præsens est, non autem explicando, quomodo præsens sit.

Responsio. Substantiam Angeli informare intelligibiliter intellectum, per identitatem.

Propter hoc videtur mihi subtilissimè attigisse Caietanus modum huius actuationis, dum super quæst. 56 sequentem artic. 1. *proponens hanc eandem difficultatem, quomodo possit substantia Angeli informare intellectum realiter in esse intelligibili, respondet,* quod substantia Angeli informat intelligibiliter intellectum, non per inhæsionem, nec per informationem, sed per identitatem. *Et cùm vrgetur hoc amplius, quia intellectus est qualitas distincta realiter à substantia Angeli: Ergo non identificantur, nec per identitatem coniungi possunt. Respondet,* quod identificatur intelligibiliter cum ipsa substantia intelligente, seu cum ipso radicali principio intelligendi, quatenus ab illa substantia fluit vis intellectiua, non indigens respectu sui specie superueniente, sed ab ipsamet substantia, obiectiuè determinata.

Itaque vno verbo, substantia Angeli, vt obiectū, & vt obiectiuè intelligibilis informat per identitatem ipsum intellectum radicalem, idest ipsammet substantiam, vt est radix, & principium intellectus, non autem informat ipsam potentiam intellectiuam in se, sed ex tali identitate substantiæ in ratione obiecti intelligibilis; & subiecti intellectualis, effluit potentia intellectiua, vt virtus intelligendi à subiecto, & vt determinata intentionaliter ab obiecto, quod est ipsamet substantia; & sic non indiget ad determinationem erga obiectum alia informatione ipsius substātiæ superaddita intellectui, nec alia specie accidentali superaddita, quia iam ipsa potentia intellectiua emanat à sua radice, & principio, vt determinata, & completa ad se ipsam intelligendum. 2726 Substātia angeli, est obiectum informās per identitatem eius intellectum radicalem.

2727 Ratio est. Quia substantia Angeli, vtpotè spiritualis, est per seipsam intelligibilis.

Ergo est considerandum, quod substantia Angeli, quia immaterialis, & spiritualis est, per se ipsam est acta intelligibilis, & intellectiua, & esse intelligibilem pertinet ad principium obiectiuum intelligendi, esse autem intellectiuam pertinet ad principium subiectiuum, à quo egreditur operatio intelligendi, vt à principio radicali. Et sic, cùm ipsa substantia sit radicaliter suus intellectus, identificantur in intellectu radicali, qui est ipsamet substantia Angeli, duæ illæ rationes, seu formalitates, & obiecti intelligibilis, & subiecti intelligentis; Vnde, cùm in vna radice intellectus istæ duæ rationes concurrant per identitatem, scilicet ratio obiectiua, & subiectiua, intelligibilis, & intellectiua; quando à tali radice intellectuali emanat potentia intellectiua, emanat, & vis intellectiua, seu operatiua intellectionis, & vt determinata, & completa obiectiuè à se ipsa, vt ab obiecto intelligibili.

2728 Exemplificatur exemplo potentiæ visiuæ, si emanaret à substantia animæ sensitiuæ.

Sicut si potentia visiua emanaret, à substantia animæ sensitiuæ, & simul à specie coloris, & luce emanaret, vt determinata ad videndum talem colorem, nec indigeret specie superaddita ad videndum colorem illum, quia iam in ipsa emanatione determinationē haberet ex ipso obiecto intentionali emanando: perinde enim est habere determinationem per superuenientem informationem, atque habere per præuenientem emanationem, quia emanando accipit à sua radice, & principio, & quidquid perfectionis in eo est, & eo modo, quo potest habere: & sic species substātia facit per emanationem in intellectu proprio, quidquid species accidens per inhæsionem.

2729 Instabis.

Ad id autem, quod dici potest de anima nostra, quòd pro præsenti statu non est præsens, & vnita intellectui obiectiuè, licèt sit vnita subiectiuè, & vt sustentans illum.

Resp. pro hoc statu, illam vnionem obiectiuam esse in virtute.

Respond. quòd pro hoc statu illa vnio obiectiua, & in ratione speciei, ibi est in virtute; sicut status separationis ibi est in virtute, sed nō in actu manifestatur, etiāsi actu iā existat in intellectu propter conuersionē eius ad sensibilia, ex qua impeditur intelligere se ipsā immaterialiter, purè per se ipsam. Itaque intellectus, vt emanat ab anima, emanat, vt à radice intelligente, & vt ab obiecto intelligibili, sed non actu manifestante intelligibilitatem suam purè spiritualiter, & per se immediatè pro isto statu, sed impedita manet intelligibilitas ob conuersionem ad sensibilia; & ideò illa coniunctio ad intellectum intima, tàm in ratione intellectualis, quàm intelligibilis, non operatur manifestationem vsque ad statum separationis.

Dub. 1. An substantia Angeli actuet intellectū formaliter, An verò identificetur cum illo radicaliter, vbi, cur non possit esse species alterius intellectus.

Dub. 2. An Angelus per eandem substantiam; tanquam per speciem, cognoscat sua accidentia naturalia, supernaturalia vero per species superadditas.

Dub. 3. An Angelus indigeat speciebus accidētalibus superadditis, ad cognoscenda alia obiecta extra se.

DVBIVM I.

An substantia Angeli actuet intellectum formaliter, an verè identificetur cum illo radicaliter. Vbi cur non possit esse species alterius intellectus.

2730 *Concl. substantia Angeli non actuat intellectum formaliter, sed radicaliter.*

COncl. constare ex dictis in disp. praeced. quòd substantia Angeli non actuat intellectũ formaliter, sed identificatur radicaliter cùm illo, seu in sua radice, & exinde dimanat intellectus, vt virtus intelligendi determinata, & completa, non solùm ex parte subiecti, & in ratione vis intellectiuæ, & elicitiuæ suæ operationis, sed etiam ex parte obiecti intelligibilis, vt determinatè erga tale obiectum; quatenus ab ipsa substantia dimanat, vt à radice intelligendi, & vt formaliter in se intelligibili, vt explicatum est.

Instabis. Quod si instes: nam non sufficit obiectum in esse obiecti, seu in esse intelligibili identificari cum intellectu radicali, idest, cum ipsamet substantia, vt radix est intellectiuæ virtutis, sed oportet, quòd cum ipsamet potentia radicata, & emanante, & nõ solùm cum ipsa eius radice vniatur, & identificetur; siquidem intellectio Angeli, qua intelligit se, deberet procedere ab ipsa intellectiua virtute proximè, & immediate, & non solùm à radicali, quæ est ipsa substantia. Ergo oportet, quòd ipsa virtus intellectiua proxima, & formalis, sit determinata proximè, & formaliter ab obiecto, quia *à potentia, & obiecto paritur notitia*, non autem paritur nisi à potentia proxima, & formali, ergo etiam ab obiecto proximè, & formaliter eam determinante, & actuante. Quòd si identificatur, vel vnitur intellectui, erit vnio in esse intelligibili, sicut per alias species intellectus vnit sibi obiecta repræsentata in esse intelligibili. Nec repugnat, quod illa vnio, qua substantia vnitur intellectui suo, sit virtualiter duplex; alia, qua vnitur ei, vt subiectum radicale sustentando, & emittendo illam à se per emanationem; alia, qua vnitur ei, vt obiectum determinãdo, & specificando obiectiuè; Sicut in nostra sententia, existentia, quæ ab essentia distinguitur, vnitur ei dupliciter, & tanquam subiecto, quod est in potẽtia ad *esse*, illudque recipit, & tanquam principio specificanti ipsam existentiam, quia existentia hominis, v. g. habet speciem existentiæ humanæ, qua distinguitur ab existentia equi ex ipsa essentia, quam actuat, & à qua determinatur ad hanc speciem.

2731 *Resp. non sufficere identificationem obiecti cum virtute radicali intelligendi sine dimanatione intellectus à substantia.* Resp. non sufficere identificationem obiecti cũ virtute radicali intelligendi sine dimanatione ipsius vis intellectiuæ à tali identificatione, & vt participante ab ipsa substantia id, quod virtutis est in eliciendo, & id, quod obiecti est in determinando. Illa autem identificatio obiecti cum virtute radicali, simul cum emanatione potentiæ ab ipsa, participando vtramque perfectionem, & in ratione intelligibilis obiectiuè, & in ratione intellectiui subiectiuè sufficit, vt talis intellectus determinatus maneat ab obiecto, procedatque illa cognitio à potentia, & obiecto, quia ad hoc, vt ab obiecto procedat, sufficit, quod ipsa substantia mediante intellectu influat in actum, non solùm, vt intellectiua radicaliter est, sed etiam, vt intelligibilis: vt statim dicemus vt autem determinet intellectũ in esse intelligibili, non requiritur, quòd vniatur illi entitatiuè per superadditam vnionem, vt explicatũ est; nec quod identificetur cum intellectu identificatione aliqua entitatiua, vt de se notum est; cùm intellectus sit entitas realiter distincta à sua substantia, etiam vt intelligibili est.

2732 *Post emanationem intellectus ab essentia non apparet alia vnio formalis in esse intelligibili.* Nec deniq; fit aliqua alia identificatio, seu vnio formalis in esse intelligibili superueniens intellectui post emanationem à sua radice, quia hæc non apparet, quo modo fiat, sine noua actione, & applicatione, in qua fundatur vnio: nam etiam ipsa essentia diuina, quando de nouo vnitur intellectui Beati, per nouam actionem, & applicationem, qua immutatur intellectus Beati, fit illa vnio; in essentia autem Angeli non fit noua immutatio, & applicatio essentiæ suæ ad intellectum, vt in ratione obiecti ei vniatur. Restat ergo, quod fiat identificatio, & vnio radicalis, & virtualis secundùm quod ipsa substantia, vt radicaliter intellectiuam, est etiam formaliter, & actu intelligibilis, & ex tali radice sic intellectiua intelligibilis emanat potentia, etiam intelligibiliter determinata, & non solùm, vt vis intellectiua, & elicitiua; potestque trahere, & participare ad talem emanationem, obiectiuam determinationem formaliter in se, ab intelligibilitate substantiæ radicali; sicut trahit vim eliciendi, & operandi intellectionem, ab eius intellectiua vi radicali.

2733 *Confirm. hec doctrina exemplo existentiæ, quæ non recipit essentiam. Sed recipitur in essentia.* Quòd verò dicitur de existentia, quod eadem vnione, qua cõiungitur essentiæ, & recipitur in illa, vt in causa materiali, etiam specificatur, seu determinatur ab illa, vt à formali; dicimus ita esse, & inde explicari nostram sententiam, quia sicut existentia specificatur, & determinatur ab essentia, non per hoc, quod essentia superueniat existentiæ, eique, vt causa formalis de nouo vniatur ipsa existentia, materialiter suscipiente essentiam, & specificationem eius; sed per hoc, quòd existentia ista, quæ resultat ex productione talis essentię, adæquatur illi, & sic modificatur in ipsa receptione à specificatiuo huius essentiæ, participatque, & ebibit existentia ab ipsa essentia determinatam illam speciem; ita intellectus, ex hoc, quòd dimanat à substantia, in qua non solùm est intellectiua vis radicaliter, sed etiam intelligibilitas obiectiuè, quia immaterialis, & spiritualis est in actu, ex hac emanatione ebibit, & participat non solùm intelligendi virtutem ab illa radice, sed etiam determinationem obiectiuam ab illa intelligibilitate, & sic manet actuata, & determinata à sua substantia, vt ab obiecto, non per informationem superuenientem, sed per emanationẽ à tali substantia, etiam, vt habente rationem obiecti intelligibilis, vt dictum est.

2734 *Petes 1.* Petes 1. *An speciei intelligibili prout abstrahit à substantiali, & accidentali, conueniat eodem modo influere effectiuè in actum.*

Resp. speciei intelligibili, prout abstrahit à substantiali, & accidentali, cõuenit influere effectiuè in actum. Resp. speciei intelligibili, prout abstrahit à substantiali, & accidentali, conuenire influere effectiuè in actum; sed modus influendi non potest eodẽ modo se habere, quando est accidens, & quando substantia; quando enim est accidens subordinatur potentiæ, & influit in actum tàm proximè, & immediate in actum, quàm potentia. Quando autẽ est substantia influit in actum mediate, & radicaliter, sicut ipsamet substantia, quæ est virtus radicalis, cui identificatur ipsa met substantia, vt est ratio intelligibilis obiectiua, & exinde emanat intellectus ipse, vt participans à substantia vtramque rationem, & virtutis operatiuæ, & determinationis obiectiuæ, & sic operatur proximè intellectus, vt determinatus, & perfectus obiectiuè per suam substantiam in emanatione ab ipsa, & sicut ex vi ipsius emanationis semper, quod influit intellectus in actum vitalem, influit, & operatur mediante illo substantia in eundum actum, quatenus radix illius est; ita semper, quòd influit intellectus in intellectionem sui, influit etiam, & operatur substantia in eumdum actum, non solùm, vt subiectum, & radix vitalis est, sed vt obiectum intelligibile, tali radici identificatum, & sic vt species sui concurrit ad intellectionem, non subordinata potentiæ, sed subordinans sibi potentiam, quatenus subordinatur illi, vt radici intelligendi, & vt obiecto intelligibili idẽtificato eidem radici.

2735 *Non est inconueniens, quòd potentia intellectiua in eliciendo actus, subordinetur obiecto, et subiecto.* Nec est inconueniens, quòd potentia intellectiua in eliciendo actum, subordinetur obiecto, sicut, & subiecto intelligenti, seu radici intellectualitatis: Nam obiectum de se est actus ipsius potentiæ, eamque perficit, & determinat. Vnde quando obiectum per intelligibilitatem substantialem concurrit, subordinabit sibi potentiam intel-

intellectiuam, non ipsa substantia, seu obiectum potentiæ intellectiuæ subordinabitur, sicut concursu essentię diuinæ cum intellectu Beati in ratione speciei impressæ, non ipsa species subordinatur intellectui creato, sed intellectus illi: Ergo nō est de essentiali ratione speciei, quòd ipsa influat in actum ex subordinatione ad potentiam, sed potest etiam è conuerso contingere, nempe esse subordinationem potentiæ ad obiectum, quando ipsa potentia emanat à substantia, non solum, vt à subiecto, sed etiam, vt à subiecto sui, & hoc modo explicat Caietanus qu. 56. art. 1. exemplum D. Thomę de calore, quod non minùs erit forma operans calor subsistens, quàm calor inhærens, quia si calor, inquit Caietanus, subsisteret in igno, vt identice se habens cū illo, nō minus calefaceret, quàm si esset inhærens; & similiter si species visibilis esset per se subsistens per identitatem in vidente, esset nihilominus principium formale visionis in eo. Cur ergo species substantiæ Angeli cùm sit idem, quod ipsa substantia, non operabitur, vt principium formale intellectionis suæ, non immediatè influendo formaliter in actum, sed radicaliter, quatenus ab ipsa substantia etiam, vt intelligibili, emanat potentia, vt intelligibiliter determinata, et sic mediante tali emanatione, seu potentia emanāte influit obiectum ipsum in actum radicaliter, non formaliter. Ipsa vero potentia, prout sic perfecta, & determinata ex vi suę emanationis influit formaliter, vt vntus, vt determinata, vt habens à subiecto vim elicitiuam, & ab obiecto determinationem vi ipsius emanationis.

2736 *Nec oportet, quod ipsa potentia se habeat indifferenter, indigeatq; à specie superueniente determinari.*

Nec oportet, quòd ipsa potentia se habeat indifferenter, indigeatque à specie superueniente determinari, quia respectu cognitionis sui non est potētia illa indifferens, sed ex vi suæ emanationis determinata. Quodsi dicatur ipsam substantiam, vt obiectum intelligibile immediatè influere in actū, quia licet substantia per se ipsam non sit operatiua elicitiuè, benè tamen influere potest obiectiuè: hoc quidem non haberet tantùm inconueniens, si aliàs posset componi iste influxus obiectiuus cum informatione potentiæ, quam substantia non potest habere: nam obiectum non potest influere in actum seorsum à potentia, sed pro indiuiso cum ipsa, seù vnito, & indiuisibili influxu, & sic non sufficit, quod obiectum influat, vt assistens, sed oportet, quòd intimè actuet, & afficiat potentiam, vt ex ipsa, & potentia vnicus, & indiuisibilis influxus nascatur; quod esse non potest, nisi vel potentia determinetur ab obiecto per intrinsecam actuationem, & informationem ab eo, sicut species superueniens potentiæ, illique vnita formaliter; quod in substantia respectu intellectus proprij non potest intelligi; vel e conuerso, quod potentia emanet ab obiecto, quod est idem cum subiecto intelligente, & in hac emanatione maneat determinatus intellectus, & completus obiectiuè, qui emanat à substantia etiam, vt obiectum intelligibile est.

2737 *Petes 2.*

Petes 2. *Sicut substantia Angeli potest esse species sui intellectus; cur non possit consungi, & esse species intellectui alterius Angeli.*

Resp. Non posse, quia substantia vnius Angeli non potest informare intellectum alterius.

Respondetur. Ex dictis constare, Quòd substantia Angeli non potest seruire pro specie alicui intellectui, nisi, vel informando illum; vel è contra per hoc, quod intellectus inhæreat illi, & emanet ab illo. Substantia vnius Angeli non potest informare intellectum alterius Angeli: Si enim non potest informare proprium intellectum, cui intimior est, quantò minùs poterit informare alienū? Et inconuenientiæ, quæ inueniuntur in hoc, quod substantia, vt ab extrinseco veniens, sit forma informans intellectum, inueniuntur in hoc, quod informat alienum intellectum. Et reducitur adhoc, quia omnis informatio intelligibilis supponit aliquam entitatiuam coniunctionem in aliquo genere causæ, vel agentis, sicut Deus intime adest intellectui creato, dando illi *esse*, & anima suo intellectui, quia affluit ab illa; vel materialis recipiendo intellectum; vel formalis sicut species accidentalis inhæreret entitatiuè intellectui. Nullo autem modo, nec in genere alicuius causæ præsupponi potest aliqua vnio entitatiua inter substantiam Angeli; & alienum intellectum, vt dese constat, & ideò neq; intentionaliter potest illum informare. Et quod non possit emanare intellectus alienus à substantia alterius Angeli, manifestiùs est, quàm vt indigeat probatione, cùm hoc ipso, quod alterius sit, ab alio dimanet non à se, et sic non est possibile, quòd substantia vnius Angeli possit esse species, & informare intellectum alterius Angeli; sed indiget specie superaddita.

2738 *Petes 3.*

Petes 3. *An substantia Angeli respectu proprij intellectus possit esse species expressa, sicut est impressa.*

Resp. neg. quia non est per suā substantiā suum intelligere, & sua operatio.

Resp. Negatiuè Angelus per suam substantiam non potest esse species expressa, sicut est impressa, vt expresse docet S. Thom. 4. contra Gentil. cap. 11. quia non est per suam substantiam intellecta, seu terminus intellectionis, in quo consistit species expressa, eo quod esse terminum intellectionis, supponit ipsum intelligere, cuius est terminus, & à quo redditur intellecta, nec intelligere quomodocumque, sed etiam dicere, quia per dicere exprimitur verbum, seu species expressa, cùm autem intelligere, & dicere sint aliquid accidētale ipsi Angelo, quia operatio eius, & intelligere non potest esse eius substantia, repugnat, quod terminus dictus, seu expressus per dictum dicere, sit substantia, et sic non potest esse species expressa: benè tamen impressa, quia hæc non se habet, vt terminus alicuius operationis, sed vt principium. Quód autem substātia ipsa ante omnem operationem sit principium intelligendi per propriam intelligibilitatem, quā in se habet, & non ex aliquo superaddito, sicut ex se, & non ex superaddito est immaterialis, & spiritualis, nulla repugnantia est. Nec potest poni instantia de ipsa diuina essentia, quę habet in intellectu Beati vicem speciei expressæ, vt diximus *præcedenti tom. q. 12. art. 2.*, & tamen non procedit, nec est formata, aut dicta per intellectum Beati, sed solùm extrinsece contemplata: Ergo similiter essentia Angeli per hoc, quod sit extrinsecè contemplata, erit species expressa illius. Negatur Conseq. quia essentia diuina est suum intelligere, & intelligi, et sic per se ipsam est intellecta in actu secundo, quod est esse speciem expressam, & non per aliquod aliud intelligere in esse intellectu constituitur. Vnde solùm communicatur, & applicatur intellectui Beati, & non per illū reddita est species expressa. Essentia autem Angeli non est suum intelligere; vnde esse actu intellectam, & terminum intellectionis, & vt speciem expressam non per se habet, sed per speciē accidentalem superadditam. Videantur ea, quæ diximus loco citato.

DVBIVM II.

An Angelus per eandem substantiam, tanquam per speciem cognoscat accidentia sua naturalia; supernaturalia verò non nisi per species superadditas.

2739 *Concl. est affir.*

Conclusio est affirmatiua. Angelus per eandem substantiam tanquam per speciem, cognoscit accidentia sua naturalia, sibique debita; supernaturalia autē non nisi per species superadditas.

Prob. de accidētibus naturalibus à priori. Quia accidētia continentur in substantia.

De accidentibus Angeli, distinguimus accidētia naturalia, sibique proportionata, & supernaturalia, dicimusque pro prioribus non indigere speciebus superadditis, sed per suam substantiam ea intelligere, sicut accidentia alterius Angeli per speciem repræsentantem substantiam alterius Angeli. Pro secundis autē indigere specie superaddita, vt ea propria cognitione cognoscat. Igitur quoad accidentia naturalia probatur conclusio ratione à priori, & à posteriori. A priori quidem, quia accidentia cōtinentur in substantia, & operationes in potentijs

tanquam

tanquam in radice, & cauſa propria, & adæquata; ſed cognitio Angeli, cùm ſit perfecta, & comprehænſiua, tangit effectus in cauſis, & per cauſas: Ergo Angelus cognoſcit ſua accidentia incipiendo à radice, cauſaque ipſorum creata, & adæquata (nam increatam cognoſcere, non eſt Angelici intellectus, ſed beati,) conſtat autem proximam, & adæquatam cauſam, & radicem accidentium eſſe ſubſtantiam, à qua oriuntur: ergo per ſpeciem eius cognoſcit Angelus accidentia ſua. Patet conſequentia, quia ſpecies Angelicæ ſunt perfectæ, & compræhenſiuæ rei naturalis, quam repræſentant: ergo oportet, quod in cauſa repræſentent effectus, & in ſubſtantia proprietates, & accidentia, non autem de his ſingulis ſeorſum ſpecies habeant, quia ſic componerent cognitionem ſuam ex multarum ſpecierum aggregatione, cùm quælibet perfectè repræſentet totum, quod ei conuenit, ſicut per compoſitionem in nobis, aut diſcurſum congregatur in cognitione.

2740 *Si intellectus angeli exigeret ex natura ſua ſpecies accidentium, exigeret diſcurſum.*

Si autem Angeli intellectus exigeret ex ſua natura ſpecies, ita imperfectè repræſentantes, quod vna repræſentet ſubſtantiam, & non proprietates, & accidentia; alia ſola accidentia, & non ſubſtantiam; ex ſua natura intellectus ille exigeret compoſitionem, & diſcurſum ad habendam cognitionem perfectam, quæ conſiſtit in cognitione rei, & ſuarum proprietatum, & in cognitione effectuum per ſuas cauſas, & radices, ſiquidem non poſſet talem perfectam cognitionem habere, niſi congregando eam ex pluribus ſpeciebus, quarum quælibet imperfectè repræſentaret; ex collatione autem earum reſultaret perfecta cognitio, qui eſt modus, quo nos cognoſcimus per diſcurſum, licèt efficaciùs Angeli diſcurrerent, eo perfectius; ſed tamen diſcurrerent ex natura ſua, quod negatur communiter à Theologis *infra qu.* 52. neceſſe eſt ergo, vt hoc inconueniens euitemus, quod ſpecies Angeli tales ſint, quod repræſentando ſubſtantiam) etiam accidentia, quæ ei conueniunt, aut debentur, & quidquid exigitur ad compræhenſionem rei, repræſentent. Et ſic etiam ſubſtantia ſua, quæ deſeruit ſibi pro ſpecie, non ſolùm ſe ipſum, ſed etiã accidentia ſua naturalia repræſentare debet, quia ſicut illa ab ipſa ſubſtantia, & in ipſa habent eſſe, ita, & intelligibilitatem, ac per hoc intelligibilitas eius efficax eſt ad repræſentandum intelligibiliter accidentia ſua, quia perfectè ea continet in ſe, & quia ſic requiritur ad ſui compræhenſionem.

2741 *2. Prob. à poſteriori, ſi intellectus angeli haberet ſpecies de accidentibus, de quolibet haberet ſpeciem.*

A poſteriori autem deducitur ratio, quia ſi de accidentibus debet intellectus Angeli habere ſpecies, de qualibet oportet dicere, quod ſpeciem habeat ſeorſum, vt illud cognoſcat: nec enim eſt maior ratio de vno, quàm de alio. Sic autem ſequeretur proceſſus in infinitum; aut ſiſtendum erit in aliquo accidente, quod per ſe ipſum ſine ſpecie ſuperaddita, cognoſci poſſit, vt obiectum, & res cognoſcibilis, vt *quod*. Patet hoc manifeſtè, quia ſi aliquod accidens v. g. potentia, intellectus, vel eius operatio, aut ſpecies, ſeu verbum indiget ſpecie ſeorſim, & diſtincta illorum repræſentatiua, vt cognoſcantur: ergo etiam ſpecies iſtæ, quibus talia accidentia repræſentantur, indigebunt ſpecie alia, quia etiam ipſæ ſpecies cognoſci poſſunt tanquam obiecta, & res cognitæ; licèt enim ſint ratio cognoſcendi alia, tamen etiam poſſunt cognoſci, vt *quod*, & vt obiecta, & non ſolùm, vt *quo*: ergo pari ratione de illis dabuntur aliæ ſpecies, & de iſtis aliæ; & ſic in infinitum, aut dabitur aliqua ſpecies, & aliquod accidens, quod ſe ipſo informet ad cognitionem ſui intellectum, & eadem erit ratio de alijs accidentibus ſpiritualibus, imò, & de ipſa ſubſtantia, quæ non minùs ſpiritualis, & intelligibilis eſt in actu, quàm alia accidentia, & ad rationem ſpeciei perinde eſt, quod entitas illius ſit ſubſtantia, vel ſit accidens. Aduerte tamen, quod cùm dicimus ſubſtantiam repræſentare ſua accidentia, potentias, intellectum, & ſpecies per ſe ipſam, loquimur de intellectu in ſtatu connaturali, & pro vt habet hæc accidentia ſibi coniuncta, & ſpecies infuſas: id enim requiritur, vt neceſſaria conditio: ſi enim produceretur ſubſtantia ſine voluntate v. g. aut intellectus ſine ſpeciebus, non cognoſcet per ſubſtantiam ſuam iſta accidentia, niſi in potentia, & imperfectè, ſicut nunc ſe habet ad illa.

2742 *De accidentibus ſupernaturalibus. Prob. quia ipſa ſubſtantia angeli, & aliæ ſpecies naturales, ſunt inferioris ordinis.*

Loquendo autem de accidentibus ſupernaturalibus, quæ infunduntur Angelo, ſi cognoſcantur quidditatiuè, & vt ſunt in ſe, requirerent ſpecies ſuperadditas, nec ſufficit ad illa cognoſcenda ipſa ſubſtantia Angeli loco ſpeciei, neque aliæ ſpecies naturales Angeli, quia iſta omnia improportionata ſunt, & alterius ordinis à gratia, & accidentibus ſupernaturalibus: ergo non poſſunt illa repræſentare quidditatiuè, vt ſunt in ſe; ergo indigebit ſpeciebus proportionatis, & eiuſdem ordinis cum gratia ad cognoſcendum illa ſupernaturalia quidditatiuè; & ſicut ad cognoſcenda iſta miſteria gratiæ habuit anima Chriſti ſcientiam infuſam, nec ſufficere poterat acquiſita, ſic ſpecies naturales Angeli non poſſunt ſufficere ad miſteria ſupernaturalia cognoſcenda, ſed requiruntur infuſæ, & eiuſdem ordinis.

2743 *Confirm. quia angeli cognoſcunt myſteria gratiæ, vt alijs communia.*

Et deinde, quia Angeli cognoſcunt gratiam, eiuſque myſteria, non ſolùm prout ſunt in ſe, & prout ſunt accidentia ſibi inhærentia, ſed prout ſunt cõmunia alijs, & exiſtunt in alijs: ergo poſtulant habere ſpecies repræſentatiuas talis gratiæ, quia prout eſt in alijs, non poteſt cognoſci, niſi per ſpecies ſuperadditas: nec enim per gratiam, quæ eſt in altero, poteſt eam intelligere, ſiquidem ſibi non eſt vnita; nec per gratiam, quæ eſt in ſe, poteſt eam, quæ eſt in altero, cognoſcere; quia plerũque eſt in altero perfectior, & cum aliquibus donis, vel ſpecialibus modis, quibus non eſt in ſe: Ergo ſpecies ſuperaddita indiget ad cognoſcẽdam gratiam, quę eſt in altero; ſimiliter ergo ex eadem ſpecie poterit cognoſcere gratiam, quæ eſt in ſe, cũ ſit eiuſdem quidditatis: nec poteſt Angelus vti gratia, & habitibus ſupernaturalibus in ſe exiſtentibus loco ſpeciei ad intelligendum illa, ſiquidem non poſſunt iſta intentionaliter informare intellectum, niſi aliquam vnionem entitatiuam habeant ad ipſum in aliquo genere cauſæ, vt ponderatum eſt; multi autem ex his habitibus non habent coniunctionem entitatiuam cum intellectu, vt habitus, qui ſunt in voluntate, & gratia ipſa, quæ eſt in ipſa ſubſtantia.

2744 *1 Obiectio.*

Solùm poſſent obijcit duo; Primum eſt de habitibus ſupernaturalibus, qui ſunt in intellectu, vt fides, lumen gloriæ, & ſimiles; ſi enim per inhærentiam ſunt entitatiuè coniuncti intellectui, & alias ſunt per ſe intelligibiles, & actu immateriales: Ergo poſſunt loco ſpeciei deſeruire.

2. Obiectio.

Secundum eſt de ipſis ſpeciebus ſupernaturalibus, quia ſequitur proceſſus idem in infinitum, quem in ſpeciebus naturalibus inferebamus; aut ſiſtendum eſt in aliqua ſpecie, quæ per ſe ipſam ſeruiat intellectui, vt ſpecies ſuimet, & idem dici poterit de reliquis accidentibus ſupernaturalibus, quæ in ipſo intellectu ſunt.

Ad 1. Obiect. Reſp. eſſe diſparem rationem de habitus ſupernaturalibus, ac de ſpeciebus intelligibilibus.

Reſp. ad primum eſſe diſparem rationem de habitibus ſupernaturalibus etiamſi intellectui inhæreant, atque de alijs ſpeciebus; nam habitus ſupernaturales, qui ſunt in intellectu, ſicut, & alia accidentia, non cognoſcuntur, niſi ex ſua radice, & cauſa ab Angelo, cùm eius cognitio petat eſſe perfecta; & ſic attingere rem per cauſas, & Radices ſuas. Radix autem habituum ſuper naturalium eſt gratia, quæ in re ſupernaturali ſe habet, tanquam eſſentia, & habitus reſpectu potentiarum, & propriæ paſſionis. Vnde ſi ad cognoſcendam gratiam indiget Angelus ſpecie ſuperaddita, etiam per eandem attinget habitus, qui ſunt in intellectu, & voluntate, & dimanant à gratia, & conſequentur etiam operationes, quæ ex talibus habitibus proueniunt. Itaque ſi Angelus intelligeret habitus intellectuales ſibi infuſos immediatè in ſe ipſis

ipsis, argumentum vim haberet, & difficile redderetur ratio, cur non posset Angelus intelligere tales habitus sine specie superaddita. Cæterum autem cùm intelligat illos per suam causam, & radicẽ, à qua emanant, quæ est gratia, vel cui subordinantur, quia iste est connaturalis modus cognoscendi in Angelo, consequenter debet vti ad eorũ cognitionem specie illa repræsentatiua gratiæ in eius penetratione, & connexiones, & tales habitus ita cognoscuntur.

2745 *Ad 2. Obiect. Resp. species supernaturales cognosci ex eadem radice, ac habitus ipsi quibus deseruiunt.*

Et ex hoc Resp. ad secundam instantiam de speciebus: Dicimus enim, quod species istæ, cùm supernaturalis sint, ex eadem radice, & causa cognoscũtur, qua habitus ipsi, quibus deseruiunt; & sic per speciem repræsentatiuam gratiæ, vt infunditur Angelis, vel in eo statu, & perfectione, in qua habet annexas species ordinis supernaturalis, repræsentatur etiam quidditas, & natura specierum, quatenus annexæ de facto sunt ipsi gratiæ pro tali statu. Si autem species ipsæ insusç intelligerentur seorsum à sua radice, cui connectuntur, quæ est gratia, sequeretur ille processus in infinitum, sicut sequitur in speciebus ordinis naturalis, si ipsæ cognoscerentur ab Angelo non in sua radice, cui cõnectuntur, & debentur, scilicet in essentia, & intellectu; sed secundùm se seorsim, & per alias species, vt ostendimus supra.

2746 *Ex dictis manent soluta omnia quæ Vasq. adducit.*

Ex his manent soluta omnia, quæ adducit Vasquez. disp. illa 204 cap. 2, tanquam difficultatem facientia contra hanc sententiam, quod substantia Angeli deseruiat pro specie intelligibili ad cognitionem sui: ostendimus enim, quomodo id fieri possit, & quomodo substantia non solùm assistat, sed etiam vere determinet, & perficiat intellectum, non solùm, vt eius radix, & subiectum, sed etiam, vt obiectum, qui sub vtraque ratione ab illa substantia emanat, & perficitur ab ipsa, tum in essendo, tum in intelligendo in intellectualitate actiua, & intelligibilitate obiectiua, vtriusque perfectionem, & determinationem ei communicans per ipsam emanationem à tali principio, quia vtramque habet in se substantia Angeli.

DVBIVM III.

An Angelus indigeat speciebus accidentalibus superadditis ad cognoscenda alia obiecta extra se.

2747 *Concl. est affir. & communis. Prob. quia intellectus est potentia rerum attractiua.*

Conclusio est affirmatiua, & communis inter Thomistas. Augelum indigere speciebus accidentalibus superadditis ad cognoscenda alia obiecta extra se, idque efficaciter conuinci non minùs in Angelis, quàm in nobis. Et quidem hæc indigentia specierum, vel probanda, & conuincenda est pro omnibus potentijs cognoscitiuis generaliter tàm in Angelis, quàm in nobis; vel quia, & si concedatur in nobis, negatur tamen in Angelis, sicut facit Vasquez. De primo non est in præsenti agendum; sed in libris de anima latè à nobis ostensum est, Necessariò requiri istas species ad formandam cognitionem: quia hæc est natura facultatis cognoscitiuę, quòd requirat concursum obiecti ad suum actum, non quomodocumque, sed intra se appræhendendo, & habendo illud. Vnde hæc est communis omnium conceptio, distingui potentiam cognoscentem ab appetente, quod illa trahit res ad se, ista verò fertur ad res extra, quia appetitus fertur pondere ad sua obiecta; intellectus verò similitudine. Vnde intra se format similitudines, & ideas, & repræsentationes rerum, & quotidiana experientia videmus, & ille melius intelligit, qui similitudines, & imagines rerum viuaciores format, & rebus ipsis conformiores.

2748 *Confirm. quia potentia cognoscitiua ex vi sua est formatiua similitudinum.*

Quare potentia cognoscitiua ex vi sua, & propria, a que essentiali ratione assimilatiua est, seu formatiua similitudinum, & trahens obiecta ad se per apprehęhensionem, quod certè trahi non potest nisi secundùm aliquam repræsentationem, seu similitudinem, & esse intentionale, nam in proprio, & entitatiuo esse constar non posse, intrare obiecta exteriora intra mentẽ, eique vniri. & casu quo possent, illa vnio magis esset destructiua entitatis intellectus, & constructiua alterius tertię, non autem deseruiet cognitionis, pręsertim intellectuali, quæ fit secundùm esse immateriale, & à conditionibus materialibus abstractum; neo enim obiecta vniuntur potentiæ, vt cum illa componant tertiam aliquam entitatem, sed vt potentia obiectũ illud appræhendat, & totum, quod est in obiecto, penetret, & ingrediatur; cognoscendo; & sic cognoscitiue cognoscens fit cognitum, & vnum, atq; idem repræsentatiue cum obiecto, quod non est aliud, quàm ex obiecto, & potentia non fieri vnã tertiam entitatem compositam, (nec enim ad entitatem componendam ordinatur cognitio) Sed ipsam potentiam appræhensiuè, & repræsentatiuè assimilari, & vniri rei cognitæ, & hoc vniri sine cõpositione entitatis tertiæ, vocamus vnum fieri.

Et præsertim Vasquez conuincitur has species ponere in sensibus internis, & in intellectu humano ipsis alligato, quia multa cognoscimus in absentia obiectorum, & de his, quæ non sunt, quod vtiq; fieri non potest, nisi aliqua similitudo impressa in nobis remaneat. de his n. quæ nũquã videm', non possumus sic formare similitudinẽ: signũ ergo est dari in nobis huiusmodi species. Constat autem intellectum separatum, siuè Angeli, siue animę recordari rerum absentium, vel pręteritarum: nam animæ diuitij damnati dictum est. Luc. 16. *Recordare fili, quid recepisti bona in vita tua*; & ipse quinque fratrum, quas in mundo reliquerat, recordabatur. Angeli similiter præterita cognoscunt, & futura diuinant, non solùm boni Angeli, qui ea possunt videre in verbo, sed etiam Dęmones, qui naturali sua virtute multa ex his penetrant, & coniectant, hominibusque siuè falso, siuè verè annunciant, quòd vtique sine appræhensione non possunt: ergo neque sine specie. Quomodo enim talia obiecta ipsis pręsentia sunt nisi in aliqua similitudine repręsentante? Aut si id conuincit in sensibus internis, & in intellectu nostro, cur non in spiritu separato? Dicere enim quod sufficit obiectum esse intra latitudinem obiecti intellectus, sunt meræ nugę.

2749 *Conuincitur Vasq. qui ponit species in sensibus internis.*

Nam intra latitudinem obiecti intellectus est omne ens, seu omne intelligibile, ad quodcunq; enim obiectum potest extendi potentia intellectiua. Non autem sufficit aliquid in se esse intelligibile, seu ens, vt statim intelligatur ab Angelo, alioquin quodcunque possibille posset nunc intelligere, prout vellet, quia quodcunque possibile est intra latitudinem obiecti intellectus, pręsertim si sit possibile ordinis naturæ. Quare ergo non intelligit illa, sed solum hæc determinata, si sufficit contineri intra latitudinem obiecti, nec requiruntur species? Dicere vero, quod remanet aliquis habitus, vel determinatio ex intiutiua cognitione, futile omnino est, & sine fundamento: quid enim est ille habitus, vel determinatio, si repræsentatio non est? Si enim habet effectum repręsentatiouis, scilicet rem præteritam, vel absentem reddere intellectui præsentẽ, cur repręsentatio non erit? Aut, quòd est fundamentũ ad ponẽdũ habitũ sine repræsentatione, & negare repręsentationem ex cognitione intuitiua relictam? Cùm habitus sine repræsentatione solùm se habeat, vt virtus alliciтiua, ad faciendum autem obiectum pręsens, seù præsentatũ potentiæ non deseruiat.

2750 *Intra latitudinem obiecti intellectus Angelici, est omne ens, & tamen nõ cognoscitur omne ens.*

Petes 1. *An species, quę est similitudo petat identitatem specificam entitatiuam cum eo, cuius est species.* 2751 *Petes 1.*

Resp. similitudinem repræsentatiuam nõ requirere conuenientiam vniuocam entitatiuam in natura cum re repræsentata, sed solùm similitudinẽ entitatiuam accidentalem, & intentionalem, sicut vna imago repræsentat suum prototypum. Quod autem dici potest sufficere obiectum esse proposi-tum

Resp. similitudinẽ repræsentatiuã non exigere conueniẽtiam vniuocã entitatiuã, sed vniuocam intentionalem.

tum ad extra, vt attingatur à potentia cognoscente manifestè conuincitur esse falsum, quia si sufficit esse existens in rerum natura, restat tunc assignare, quomodo cognoscantur res non existentes, vt præteritæ, & futuræ, formando immediatam cognitionem de illis, & non in alio, prius cognito: sicut quãdo immediatè recordamur Petri mortui, nisi ponendo species? Si dicatur sufficere, quòd aliquid sit intelligibile, seù possibile, etiam si existens non sit, sequitur, quod Angelus intelligeret omnia possibilia, quia omnia sunt intelligibilia ex se. Si vero dicatur, requiri possint in aliqua distãtia proportionata, vt cognoscantur ab intellectu, manifestè falsum est, cùm possit Angelus intelligere abstrahendo à loco, & tempore, sicut sunt vniuersalia, & possunt non solùm res indistantes, sed etiam absentes, imò non existentes intelligere. Ac denique quidquid sit de omnibus istis, requiritur tamen ad intelligendum, quod obiectum trahatur intus ad ipsum intellectum, sibique intimè præsentetur, itaut ab ipso intellectu, & obiecto pariatur notitia, quòd cùm non possit fieri per ipsam entitatem obiecti ad extra, necesse est, quòd fiat per aliquam similitudinem, quæ gerat vices ipsius obiecti in se,

Instabis. Quod si instes. Quid sit ista similitudo, quæ nõ fundatur in conuenientia entitatiua naturæ, sed solùm in repræsentatione obiecti. Nam etsi manifestum sit, imaginem externam repræsentare suum prototypum, hoc tamen ideò est, quia illa imago exterior repræsentat sola accidentia rei repræsentatæ, & ideò conuenit cum illis entitatiuè; at verò species intelligibilis non solùm repræsentat exteriora accidentia, sed etiam interiorem substantiam; & sic oportet, quod habeat conuenientiam cum substantia, & natura rei repręsentatæ, si est similitudo illius. Et si dicatur, quod est similitudo repręsentatiua, inquirimus quid sit hoc, quod dicitur, *repræsentatiua*. Si enim mediante similitudine repræsentat, priùs præsupponitur similitudo cũ natura, quàm fundetur repræsentatio; & talis cõuenientia inter speciem, & naturam non inuenitur; vel si est aliqua alia similitudo explicetur quid sit esse repræsentatiuam? aut quid addat supra similitudinem entitatiuam. Hoc, quod dico, *repræsentatiuam*? ita quòd non exigatur conueniẽtia in natura, & entitate.

2752 *Resp. Similitudinem intentionalem non dici accidentalẽ, quia sola accidentia repræsentat.* Respondetur, similitudinem intentionalem, non dici accidentalem, quia solùm repræsentat accidẽtia, sicut imago exterior, cùm etiam ipsa substantia, & quidditas magis intima ab intellectu penetretur, eique repræsentetur; atque adeò speciem ad id requirat. Dicitur ergo intentionalis similitudo, quatenus adhoc est instituta à natura illa entitas, quam vocamus speciem, vt loco obiecti subrogetur in intellectu, & eius proprium munus sit, vices obiecti gerere; Et quia vices obiecti gerit sine conditionibus materialibus, sed purè cognoscibiliter, aut spiritualiter, seu in alio modo, quàm in sua entitate res inuenitur; ideò illa similitudo dicitur intentionalis, & repræsentatiua, non verò similitudo entitatiua, & vniuoca in eadem entitate, & natura, sicut duo homines, aut duo lapides; quia eius munus est naturam repręsentare, idest præsentem, & coniunctam reddere intellectui, seu potentiæ, sine hoc, quod habeat eandem entitatem, seu eundum modum essendi, quem res habet in propria natura, vel in propria materia. Qualitas ergo habens hoc munus, & officium quod est rem præsentem, seu coniunctam reddere potentiæ in alio esse, seu modo essendi, quàm in propria entitate, scilicet intelligibili modo, seu ad cognoscendũ tantùm ordinate, & a conditionibus materię segregatè, hoc vocatur similitudo repræsentationis, non similitudo, & conuenientia entitatiua in eadem natura. Licet sit formalis, & vniuoca intentionaliter, vt diximus *tom. 1. q. 12. art. 2.*

2753 *Petes 2.* Petes 2. *An hæ species superadditæ sint acquisitæ, vel infusæ.*

Resp. species Angelis superadditas, non esse acquisitas, sed à solo Deo infusas. Respondetur species Angelis superadditas, non esse acquisitas, sed à Deo infusas, non supernaturaliter, sed cõnaturaliter, quia naturali modo repræsentant, & de rebus naturalibus sunt, & naturali virtuti intellectus debitæ, & proportionatę, sicut etiam debetur concursus causę primę ipsi Angelo, & alijs causis debetur concursus aliarum causarũ superiorum, quiquidem est propria passio inferioris causæ, nec ab ea dimanat, sed à superiori; & tamen debetur ipsi ex colligatione, & subordinatione causarum inter se. Itaque potest esse aliquid debitũ alicui naturæ, & tamen non oriri ex principijs proprijs, sed ab extra, fieretq; illi violentia, si negetur talis forma, vel concursus, si quidem etiam respectu passiui principij potest violentia dari, vt diximus in Physica, & Anima rationalis debetur corpori organizato, & disposito, ita vt esset miraculum illi non infundi, & tamen non oritur ex proprijs principijs, sed ab extra venit, & motus debetur cælo, licèt à motore extrinseco proueniat. Sic enim intellectui debetur concursus ex parte obiecti ad intelligendum, qui fit per repręsentationes, & species, sicut materiæ debetur forma ad componendũ rem naturalem; Sed est hæc differentia, quòd intellectus infimus, id est, animę nostræ formatur, & mouetur immediatè ab obiectis ipsis corporalib⁹ mediantibus sensibus; & ideo vnitur connaturaliter corpori ad species accipiendas. Spiritus verò separati, quia perfectiores sunt, non accipiunt perfectionem suam, & repręsentationem obiectorum ab ipsis obiectis corporalibus, sed ab eorum radice, & à principio, Quod est Deus, & ab ideis diuinis; quia cùm sint perfecti spiritus, & perfectè segregati ab omni corpore, non conuertuntur pro intelligentia accipienda ad ipsa corpora, sed ad spiritũ factorem corporum, qui est Deus, à cuius ideis accipiunt similitudines ad intelligendum superiori modo, quàm nos ab ipsis obiectis, vt infra dicemus. Atque ita sunt eis debitæ istę species passiuæ, vt ab alio; non actiuæ, vt a se.

Petes 3. *An Angelus, quia est imago Dei, iuxta illud Ezech. 28. Tu signaculum similitudinis plenus sapientia, & perfectus decore: possit Deum, & alia à se repræsentare.* 2754 *Petes 3.*

Resp. Angelum sine speciebus superadditis, nõ sufficere ad repræsentandũ Deum, & alias res distinctè, & perfectè. Resp. Angelum sine speciebus superadditis non sufficere ad repræsentandum Deum, & alias res, perfectè, & distinctè, sed solùm imperfectè, & confusè. Et licèt Deus non repræsentetur per aliquã creaturam, vel per speciem creatam quidditatiuè, & vt est in se, sed confusè, & imperfectè; & in hoc genere imperfectæ, & abstractiuæ cognitionis essentia Angeli melius repræsentet Deum, quàm alij effectus, quia similior est Deo, illique propinquior; tamen respectu aliarum rerum, de quibus potest Angelus habere perfectam, & compræhensiuam notitiam, non sufficit essentia ipsius Angeli, sed indiget speciebus superadditis distinctè repręsentantibus. Etenim non potest res vna repræsentare aliam perfectè nisi, vel ratione conuenientiæ, & similitudinis cum illa, vel ratione causalitatis in illã, vel quia est effectus illius, & procedit ab illa. Nullo autem ex his modis potest essentia Angeli repręsentare sufficienter, & perfectè alias creaturas. Nam Angelus non procedit ab illis, vt effectus, sicut procedit à Deo; & ideò licèt hac ratione possit repræsentare Deũ, sicut effectus eius, non tũ potest sic repræsentare alias creaturas, quia ab eis non procedit. Similiter neque est causa aliorum, nam multæ res ab Angelo fieri non possunt, vt res spirituales, & ordines gratię, & cœlum, & alia omnia, quæ per creationem solùm fieri possunt, & sic non potest illa cognoscere in se ipso tanquam in causa. Aliæ vero res, quæ per generationem, & motum fiunt, non possunt ex virtute angeli etiam ad eas concurrentis per motum suum, perfectè cognosci, tum quia nõ causat totum, quod in re illa inuenitur, & ex qua componitur, quia non causat materiam; & sic ex vi suæ virtutis non habet perfectã illius cognitionem; tum quia non causat formam virtute

virtute sua immediata,sed applicando actiua passiuis,& præcisè per motum localem.eo modo, quo cœlum mouet.

2755 *Angelus non cognoscit ex vi suæ virtutis,et causalitatis res quæ per generationem, & motum fiunt.*

Vnde angelus non cognoscit ex vi suę virtutis, & causalitatis formas istas,& effectus, quantum sunt in se,sed quantum pendent à motu locali, & ab actiuis,& passiuis, quæ applicantur. Et ad instantiam,quæ potest fieri de Sole,respodetur, quòd compręhendens Solem, videt in illo virtutem illâ causatiuam talium formarum,& effectuum, quia hęc virtus in Sole est,non in angelo, licèt requirat motum angeli,vt causet illa virtus,quia non sufficit causare mutationes horum inferiorum nisi secundum diuersos aspectus,& positiones,& coniunctiones astrorum,& hæc sine motu fieri non possunt. Comprehendens autem angelum non videt in illo virtutem causatiuam istorum effectuum, sed solùm motiuam,& applicatiuam illius virtutis à qua causantur; Et ideo ex vi illius, effectus ipsi non possunt perfectè videri,sed solùm in quadam confusione,& ratione communi. Denique si attêdatur sola conuenientia, & similitudo angeli cum alijs rebus,constat, quòd non potest perfecte illas compręhendere, quia in multis prædicatis non conuenit cum illis,sed longè illis dissimilis est; & sic in vi conuenientię entitatiuę, & similitudinis, non potest illas perfectè cognoscere. Nec in vi huius posset etiam Deum cognoscere, nisi valdè confuse; sed quia ex alia parte est Dei confusus, sed valde perfectus effectus,potest ex vi sui cognitione plus per essentiam suam de Deo cognoscere,quàm ex alijs effectibus.

2756 Petes 4.

Petes 4. *An potentia intellectiua sine speciebus, contineat omne ens,sicut potentia effectiua,seu operatiua effectuum.*

Resp. neg. quia potentia intellectiua sine speciebus,dicit solùm ordinē ad obiecta,vt pura potentia.

Resp. negatiuè. Et redditur disparitas inter potentiam cognoscitiuam secundùm se sine speciebus,& potentiam factiuam, seu operatiuam effectuum,quod potentia cognoscitiua sine speciebus non continet obiecta sua,neque dicit ordinem ad illa nisi,vt pura potentia in genere cognoscibili,nô vt in actu, & determinatè,ac distinctè ea continês; actuatur enim,vt determinatur potentia per obiectum. Vnde ex vi compręhensionis talis potentię, solùm cognoscuntur obiecta,vt contenta in illa sub quadam potentiali,& confusa ratione. Si verò sumatur potentia cognoscitiua, vt repleta, & actuata speciebus,sic cognoscit perfectè obiecta per ipsas species: Sicut etiam intellectus per ipsas ideas,quas format, & per artem,qua dirigit,cognognoscit idęata,& arte facta,sed hęc supponunt species,sine quibus neque intellectus format ideas, neque ars dirigit artefacta. At verò potentia actiua etiam se sola, & sine alio additto dicit ordinê,& proportionem ad suos effectus per modum actiuitatis, & virtutis, à qua fiunt, & consequenter per modum actualem, non potentialem. Vnde mediante ipsa sunt cognoscibiles actus perfectè,& distinctè, & secundùm continentiam actualem, prout in causa continentur magis, vel minus perfectè, secundùm quòd ipsa causa magis,vel minùs influit in effectus ipsos, quos secundùm actiuitatem, & actualitatem continet, non secundùm potentialitatem, & imperfectionem.

2757 Petes 5.

Petes 5. *An Angelus, qui per suam substantiam comprehendit omnia accidentia sibi conuenientia, etiam compręhendat suas species per suam substantiam.*

Resp. substantiam,& intellectum Angeli posse considerari in dupleci statu.

Resp. substantiam, & intellectum Angeli posse considerari in duplici statu. Vno modo secundû se præcisè, antequam intelligantur in illo species, quas connaturaliter exigit ille intellectus, sed solû secundum suam substantiam, & potentiam, & hoc modo non potest substantia, & intellectus seruire ad cognoscendas omnes species sibi connaturales, & proportionatas perfectè,& côpletè, & quidditatiuè, quia sub hac côsideratione solùm se habent in potentia passiua, & potentiali ad tales species, sicut, & ad obiecta earum, & ita non amplius potest intellectus ex vi suæ substantiæ sic consideratę, cognoscere,quàm de ipsis obiectis,scilicèt,quod est potentia ad illa. & sub habitudine puræ potentię in esse intelligibilis ad tales species, & ad talia obiecta se hebet; habitudo autem puræ potentiæ non potest distinctè, & determinatè manifestare formas, ad quas est in potentia, sed solùm potentialiter. & indeterminatè, & in confuso, quod est solùm in cômuni manifestare eas,& quoad *an est*, alio modo possunt considerari substantia, & intellectus Angeli, non solùm secundùm se pręcisè, & sine speciebus, sed cùm illis, & prout habent illas à Deo, qui est status connaturalis talis intellectus. Et sic substantia intellectiua,& intellectus Angeli, vt completus, & actuatus speciebus est sibi ratio, & medium cognoscendi perfectè ipsas species, & earum repræsentationes, & obiecta,quia sic iam supponûtur species in intellectu, & ipsa substantia intellectiua supponitur perfecta, & côpleta in suo genere intellectiuo,& in statu suo connaturali habendo species, & sic ipsa, vt actuata speciebus, & non sine illis,est ratio,& medium cognoscendi se, & species, quę in se sunt perfectè, & quidditatiuè, non ipsa sola, & prout in potentia ad species.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Angeli intelligant per species à rebus acceptas.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio Negatiua. Prob. Ea, quæ habent *esse* non dependens à corpore, nec in corpore receptum,sed à corpore totaliter absolutum,non accipiunt suam perfectionem à corpore. Sed substantię intellectuales perfectæ, quales sunt Angeli, non habent *esse* dependens à corpore, nec in corpore receptum; sed à corpore totaliter absolutum: ergo naturales perfectiones ipsarum inter quas sunt species, per quas intelligunt,quæ sunt perfectiuæ intellectus, non sunt acceptę à corpore.

Arg. 1. Species, quæ sunt in intellectu Angeli,non sunt exemplar rerum; quia tunc esset causa rerum, quòd est falsum: ergo sunt per modum imaginis, & sic causatæ à rebus; Resp.neg. vlt. seq.nam imago rei,non est necesse,vt semper sit desumpta à rebus,cuius est imago; & species existentes in Angelo non sunt desumptæ à rebus,sed acceptæ à Deo.

Arg. 2. lumen intellectus agentis animæ nostrę abstrahit species à phantasmatibus. ergo multò magis lumen intellectus Angelici,cùm sit fortius. Resp. neg.conseq.quia intellectus Angeli,cùm sit perfectus,non indiget speciebus à rebus abstractis,sed eas habet naturaliter congenitas.

Arg. 3. Si Angelus non accipit species à rebus. ergo frustra mouetur localiter. Resp. neg. conseq. nam supponitur vnum falsum,quòd Angeli moueantur localiter, vt acquirant cognitionem; cùm non propter hoc moueantur localiter,sed ad operâdum in loco.

DISPVTATIO CCLXXXI.

An Angeli intelligât per species à rebus acceptas.

EX doctrina præcedentis Articuli constat, Angelos non omnia intelligere per suam essentiam, indigent 2758 *Quatuor modis Angeli pos*

fiat accipere species à rebus.

indigent ergo speciebus intelligibilibus ad aliqua cognoscenda; Vnde consequenter quærit D. Thomas à quanam causa Angeli habent tales species, & quomodo; & respondet, habere naturaliter à Deo in sui creatione, & probat ex diuersitate corporũ superiorũ, & inferiorum per quamdã comparationẽ, & ex diuersitate animæ nostræ, & Angelorum facili quodam deductione, Vt autem veritas huius doctrinę constet, considerandum est, quot modis intelligi posset, quòd angeli habeant suas species naturales, vt exclusis ijs, quę videntur minus probabiles, appareat veritas cõfirmata; potest ergo his modis intelligi, quo pacto Angeli acquirant species intelligibiles rerum;

Primo modo. Primò, si ponamus obiecta ipsa cognoscibilia per se immediatè producere species in intellectu Angeli eo modo, quo obiecta sensibilia producunt species in sensus externos.

Secundò. Secundò, si non per se immediatè, sed veluti per quemdam intellectum agentem, itaut sit quędam potentia in Angelo, quæ ad præsentiam obiectorum illuminatorum per eam determinetur, & producat species intelligibiles eorundem obiectorum in intellectu Angeli, eo modo, quo in nobis intellectus agens ad pręsentiam phantasmatum illuminatorum producit species in intellectu nostro possibili.

Tertiò. Tertiò, si intelligamus has species connaturaliter fluere ab ipsa Angeli essentia veluti quasdam eius proprietates, & accidentia, sicut ex anima fluunt nostræ potentiæ.

Quartò. Quartò, si intelligamus produci à Deo immediatè in intellectu Angeli, tanquam accidentia quædam debita ab authore naturæ, quemadmodum producitur ab ipso anima rationalis in corpore disposito, neque videtur esse posse alius modus huius productionis specierum.

2759 1. Concl. Angelus non potest recipere species suas ab obiectis primo modo explicato.

Dico ergo primo. Angelus non potest recipere species suas, vniuersaliter loquendo; ab obiectis primo modo explicato, est Opinio commũnis cum D. Tho. maximè loquendo de obiectis materialibus, & ratio etiã communis sumitur ex Diu. Thom. quæst. 8. de verit. art. 9 quia res corporea non potest naturaliter per se agere immediatè in subiectum spirituale; Vnde etiam in anima nostra; quamuis sit forma informans materiam, propterea ponitur intellectus agens immaterialis ad producendas species, etiam si ipsæ species aliquo etiam modo dependeant à materia, ne scilicet, res purè materialis per se immediatè agat in subiectum spirituale; multò ergo magis id negari debet Angelo, prorsus abstracto à materia corporea; & huc etiam spectat secunda ratio posita in hoc articulo à D. Thoma, si enim angeli per corpora aliquo modo acciperent species, & perfectionem suam in esse intellectiui, omninò deberent esse corporei, saltem tanquam formæ informantes, vt supra vidimus; atque hæc de obiectis corporalibus; vtrum autem vnus angelus possit immediatè imprimere sui speciem in intellectum alterius, non ita facilè ostenditur, sed etiam id probabiliùs negatur, si enim angelus deberet sui speciem producere, non posset illam producere in distans, hoc enim nullum agens creatum facere potest naturaliter, si autem intercederet aliqua distantia corporea inter vnum, & alium Angelum, deberet Angelus speciem sui producere, etiam in medio corporeo; vel ergo illa esset accidens spirituale, & sic non posset educi de potentia medij materialis, sed deberet creari, quod est impossibile; vel esset accidens materiale, & sic non esset species Angeli, qualis esse deberet, neque apta ad finem, ad quem ponitur; vt ergo Angelus possit producere sui speciem in Angelo, deberet esse illi intrinsecè præsens, & sic Angelus non posset naturaliter saltem primò intelligere alium Angelum distantem, quod videtur incongruum, satis ergo probabiliter dicitur, non esse in Angelis hanc vim producendi speciem sui in alijs, sed hoc proprium esse rerum materialium, & sensibilium, lege Suariũ lib. 2. de Angelis c. 5. n. 23.

2760 2. Concl. Angelus non acquirit species à rebus secũdo modo explicato.

Dico secundò, Angelum non acquirere species à rebus corporeis secundo modo explicato; Hæc conclusio est contra Scotum, & alios, quos refert, & confutat Vasquez hic disputat. 201., & Suarez lib. 2. de Angelis capit. 3. & alij. &c. Probatur præcipuè ex rationibus Diu. Thom. si enim Angelus hoc secundo modo acciperet species à rebus corporeis, sequeretur, quod corpus concurreret in genere causæ efficientis, aliquo saltẽ modo, vt influendo, vel saltem determinando ad earum productionem; quemadmodum in nobis phantasma aliquo modo concurrit ad productionem nostrarum specierum in intellectu possibili, vt volunt aduersarij; sed consequens est absurdum; ergo. minor probatur, sic enim eadem res purè spiritualis, & omninò abstracta à materia corporea, vt sunt Angeli, qui neque sunt formæ informantes, dependeret in sua intrinseca perfectione, & operatione sua perfectissima à corpore aliquo modo in genere causæ efficientis, quod existimari debet absurdum; facilè enim hoc deduci posset, ipsos debere esse corporeos, vt constat ex ijs, quæ supra de Angelorum immaterialitate dicta sunt, quæ ratio in re philosophica firmissima esse debet, sicuti enim res se habet ad Esse, ita & ad operari, & è contra, quare si aliqua substantia in sui perfectissima operatione dependet à corpore, omninò debet esse corporea.

Et confirmatur ex alia Diu. Thom coniectura, quia corpora superiora, nempe cœli habent suam intrinsecam, & formalem perfectionem ab initio, & ita dicuntur habere potentiam in sui natura totaliter completam per formam, non autem eodem modo corpora inferiora, quorum potentia non totaliter perficitur per vnam, & primam formam, vt patet; Sic ergo congruenter dicitur, quod substantiæ spirituales superiores, vt sunt Angeli, habent potentiam intellectiuam, naturaliter completam ab initio per species naturales, non item anima rationalis, quæ est substãtia intellectiua inferior, atq; adeò nos accipimus species à rebus successiuè, non item Angeli. 2716 Conf. ex alia D.Th. conicctura.

Secundò confirmatur eadem conclusio simili coniectura, quæ superior, quia si Angelus deberet accipere species à rebus corporeis, non posset intelligere rem aliquam distantem, nisi se illi loco applicaret, quod videtur valde alienum ab intellectu purè spirituali, etiam si loquamur de prima cognitione; Sic enim angeli, quando fuere creati, nihil naturaliter cognouissent, nisi id, quod erat illis loco præsens, cùm tamen neque noster intellectus dependeat à loco, nisi per accidens ratione sensus. Multa alia in confirmationem huius rei affert D. Thom. 2. con. ge. cap. 96.

Dico tertiò. Angelus non habet species suas naturales per naturalem emanationem à sua substantia, & essentia, sed ab extrinseco immediatè impressas, quæ est etiam sententia communis cum D. Thom. contra Bannes hoc loco, & alios, quos citat Vasquez cap. 3. loco citat. quæ etiam doctrina efficaciter probari potest vno supposito de quo supra, & colligitur ex Diu. Tho. quæst. sequent. artic. 2. ad 4. quòd scilicet substantia Angeli ex se præcisè sit prorsus indifferens ad habendas species harum potiùs, quàm illarum creaturarum; itaut adeò perfecta, & absoluta sit eius essentia, & adeò vniuersalis eius potentia intellectiua, vt præcisè ex se non dicat potius ordinem ad hanc rerum vniuersitatem, quàm ad aliam; Vnde si Deus creasset alium mundum, & alios angelos ab his diuersos, ad huc angelus Gabriel v. g. qui nunc creatus est, si fuisset in illis circumstantijs creatus, naturaliter intellexisset illum mundum, & illos angelos, non autem istos, & haberet species illius mundi, & non istius; & si de facto Deus nunc in hoc mundo crearet alias species, hæ naturaliter ab angelo cognoscerentur, neque potest id rationabiliter negari, hoc ergo posito, sequitur, quod si species naturales essẽt, vel vt potentię, & proprietates naturaliter, & necessariò fluentes, vel emanantes ab essentia angeli, posita essentia huius angeli, deberent naturaliter, & necessariò ab illa fluere omnes species rerum omniũ, quas naturaliter posset angelus cognoscere in quibuscumque circumstantijs crearetur, quæ essent infinitæ. Neque enim posset assignari congruens ratio, cur potius hæ species fluerent ab eius essentia, quàm aliæ, cùm non liberè sed ex naturæ necessitate fluere deberent; ergo omnes prorsus emanarẽt, sicuti emanãt à natura omnes eius proprietates, vt ab anima

2762 4 Concl. Angelus nõ habet species suas naturales per naturalem emanationem.

omnes potentiæ, & hoc ergo satis sufficiens iudicium, & argumentum à posteriori est, species Angelorum non fluere immediatè ex eorum essentia, sed imprimi ab extrinseco, vt dicemus.

2763 4. Concl. Species Angelorũ infunduntur immediatè à Deo.

Dico ergo vltimò; Angelorum species infundi immediatè à Deo, vt à prima causa operante connaturaliter iuxta exigentiam naturæ Angelicæ, cui cùm sit intellectiua, connaturale est habere species, sine quibus intelligere non potest, & connaturaliter etiam est illi, exigere, vt illæ species infundantur, quæ considerato statu, in quo creata est, sint illi necessariæ ad explendam naturalem capacitatem sui intellectus, vt in tali statu, & quia congruenter non possunt hæ species illi tribui ab alia causa, nisi à suo creatore, hinc ex deductione iam facta, rectè dicimus ab illo tribui, & quidẽ statim initio suæ creationis, cum intellectus Angeli sit perfectus, neque expectet, & accipiat species à rebus. Hæc doctrina est etiam D. Thom. hoc loco, vbi sic concludit. Et ideo Angeli suam perfectionem intelligibilem consequuntur per intelligibilem effluxum, quo à Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectuali natura, & idem habet ad primum, & qu. seq. art. 2. ad quartum, & alibi, quæ etiam doctrina est communis, & patet ex prædictis, quia nullus modus aptior potest esse productionis talium specierum & confirmatur sententia Ezechielis 28. vbi in persona Regis Tyri dicitur de Angelo malo Tu signaculum similitudinis plenus sapiẽtia, & decore, & infra. Perfectus in vijs tuis fuisti à die conditionis tuæ, & in hoc sensu dicitur in lib. de caus. lect. 10. quod omnis intelligentia plena est formis; vbi plura D. Tho. legi potest Suarez lib. 2. de Angelis cap. 6.

2764 1. Obiectio.

Sed contra prædicta obijci potest locus Diu. August. 12. de Trinit. cap 7. vbi ait, Quod ex veritate rerũ, quæ in tempore contingunt, efficiuntur carnales res hominum, & reliquorum animalium, & etiam cælestes sensus Angelorum, igitur Angeli, sicut, & nos accipiunt species à rebus.

Respondetur. Responsio tamen est Diu. Augustinum locutum esse in eorum sententia, qui putabant, Angelos habere corpora, & sensus corporeos, in qua videtur tunc fuisse, licèt sub dubio, & idẽ dici potest ad aliquos alios Patres, de quibus diximus supra.

2. Obiectio.

Secundò præcipuè obijci potest aliud argumentum, quod multa capita habere potest, sumptum tamen ex eo, quòd Angeli initio non cognouerint omnia prorsus, quæ in discursu temporis cognoscunt, & cognoscent etiã naturaliter; licèt ab initio cognouerint omnes species rerum creatarum, siuè corporalium, siuè spiritualium, & indiuidua substantiarum, tunc existentia, & præsertim ea, quæ sunt necessaria, & incorruptibilia tamen non cognouerunt tunc omnia indiuidua futura, præsertim ea, quæ casu contingunt, aut dependent à libera hominum, aut Angelorum voluntate, vt infra dicetur. Vnde oritur grauis, & difficilis controuersia, quomodo scilicet Angeli in discursu temporis hæc indiuidua postea cognouerint, an per species concreatas sibi ab initio, an per alias de nouo acceptas; & si primum cur illæ species tunc repræsentarẽt res istas futuras, sicuti nunc, & an hoc oriatur ex aliqua mutatione facta in ipsis speciebus, & similia, quæ necessariò supponunt eã notitiam, quomodo scilicet Angeli cognoscant, vel non cognoscunt futura, & quæ; ideò longè faciliùs, & commodiùs prædictæ difficultates infra expedientur, cùm de huius modi Angelorum cognitione sermo erit; nos satis sit, probasse, quòd Angeli ad minimum habuere concreatas species, ad cognoscendas essentias rerum creatarũ, quas aliqui vocant species quidditatiuas, & propterea ad cognoscenda indiuidua, tunc præsentia, & præsertim incorruptibilia, quas aliqui vocant species intuitiuas, quia repræsentant res existentes, vt existentes: verũ verò habuerint species ad cognoscendas res futuras, quas aliqui vocant abstractiuas, quia nõ repræsentant res, vt existentes in se ipsis, vel in suis causis, & an hæ species quidditatiuæ, intuitiuæ, & abstractiuæ sint vna realiter, & eadem species dicetur infrà loco prædicto.

2765 Resp. nobis sat est probasse, Angelos habuisse species concreatas ad cognoscendas essentias rerũ creatarum.

2766 3. Obiectio.

Vltimò obijci solet, quòd non sit minùs potens intellectus Angelicus, quàm humanus, sed humanus potest ex sensibilibus abstrahere, & producere species intelligibiles, ergo, & Angelicus.

Resp. D. Th. ad secundum, neque humanum intellectum posse abstrahere species immediatè ab ipsis obiectis sensibilibus, sed medijs phantasmatibus, in quibus obiecta sensibilia sunt, modo quodam spiritualiori; si n. abstraherentur species intelligibiles, quæ sunt simpliciter spirituales immediatè ab ipsis rebus, esset veluti quidam transitus ab extremo ad extremum sine medio; At verò angelus caret hoc medio scil. phantasmate, & ita eius intellectus, licèt sit perfectior, & potentior humano, non tamen illud potest, quia caret ea imperfectione, quæ est in homine, scilicet organo corporeo, quæ tamen imperfectio est necessaria ad illã operationẽ: subdit præterea D. Tho. quod etiam si posset Angelus abstrahere species intelligibiles à rebus materialibus immediatè, non tamen id faceret, quia non indigeret, cùm alius modus sit illi connaturalis, vt alibi explicatum est; quod autem non indigeret, iam probabimus, si n. hoc determinato modo indigeret omninò esset corporeus quia necessariè dependeret à corpore, sicuti etiam ex prædictis de motu Angelorum sequitur, quod si motus in suo motu necessario deberet sequi leges loci, deberet esse quantus, & extensus, ex eo tamen, quòd possit, si velit, Non sequitur, quòd indigeret. Resp. D. Th. neque humanũ intellectum posse abstrahere species immediatè ab ipsis obiectis sẽsibilibus. Si Angelus posset abstrahere species à reb⁹, non tamen abstraheret, quia eis non indigeret.

DVBIVM VNICVM.

An species Angelicæ sint propriæ passiones in rigore loquendo, vel accidentia inseparabilia.

2767 Concl. Species Angelicæ in rigore loquendo, non sunt propriæ passiones, sed accidentia inseparabilia, ità D. Th.

CONclusio. Species Angelicæ in rigore loquẽdo non sunt propriæ passiones, sed accidentia inseparabilia. Sumitur hæc assertio ex D. Thom., Qui docet, species angelicas effluere à Deo, & ab ideis diuinis in mentem Angelorum. Videndus est in hac q. 55. art. 2. vbi inquit, quòd suam perfectionem Angeli consequuntur per intelligibilem influxum, quo à Deo species rerum cognitarum acceperunt simul cum intellectuali natura. Vnde Aug. dicit in secundo super Genesim ad literam, quòd cætera, quæ infra Angelos sunt, ita causantur, vt priùs fiant in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere suo. Similiter infra q. 49. art. 4. distinguit D. Th. duplicem modum cognoscendi, vnum per abstractionem à phantasmatibus, alium per influentiam specierum à Deo, quia sicut Deus per suam essentiam, inquantum est causa vniuersalium, & indiuidualium principiũ, cognoscit omnia, & vniuersalia, & singularia; ita substantiæ separatæ per species, quæ sunt quædã participatæ similitudines illius diuinæ essentiæ possũt singularia cognoscere: est tamen differentia inter Angelos, & animas separatas, quòd Angeli per huiusmodi species habent propriam, & perfectam cognitionem de rebus, animæ verò separatæ confusã. Et eodem modo docet has species à Deo deriuari in mentem Angeli, infra q. 57. art. 2.

2768 D. Th. sequuntur omnes Th.

Et sequuntur D. Th. communiter eius discipuli, vt videri potest apud Ferrar. 2. contra Gent. cap. 98. §. ad secundum dubij euidentiam Zumel in præsenti quæst. 55. art. 2. qu. 2. licet oppositum reputet probabile, Suarez lib. 2. de Angelis c. 7. Nauarrete Tom. 3. controu. 51. NN. PP. Carmelitani Salmantic. tract. de Angelis disp. 5. dub. 4. Quamuis M. Bannez super hanc quæst. 55. art. 2. dub. 2. & Paulus Nazarius ibidem controuersia 2. oppositum teneant, pro eodemque citari solet Capreolus in 2. dist. 3. q. 2. Caietan. quæst. 54. art. 4. & inf. quæst. 79. art. 2. & 3. p. 9. art. 3.

2769 Ratio Concl. est quia essentia Angeli non est radix, & principium omnis intelligibilitatis.

Ratio nostræ assertionis est, quia essentia Angeli, licet sit radix, & principium virtutis intellectualis habentis in se capacitatem, & potentiã, vt species omnium recipiat, non tamen est radix, & principium omnis intelligibilitatis obiectorum, à qua potest actuari: Ergo non possunt species istæ dimanare tanquam propria passio ab ipsa substantia, vel intellectu Angeli. Patet consequentia, quia species istæ non sunt aliud, quàm ipsamet obiecta, quæ repræsentant in esse intelligibili: Ergo

si sunt

si sunt species propriæ,& immediatè repræsentantes talia obiecta,oportet,quòd propriam,& immediatam talium obiectorum intelligibilitatem,immaterialitatemque contineant. Ergo in tantùm poterunt dimanare species intelligibiles ab aliqua radice,seu principio, in quantum intelligibilitas obiectorum continetur actu, vel virtute, aut eminentia in tali principio, & radice. Sed substantia Angeli non potest continere actu, vel eminenter intelligibilitatem propriam omnium obiectorum, quæ potest intelligere; Sicut,nec omnium quidditates,& perfectiones: Ergo non potest esse radix, & principium,vnde emanent species omnes propriæ earum rerum,quas potest intelligere.

2770 *Minor prob. quia substātia angeli, tàm entitatiuè,quā intelligibiliter est limitata.*

Minor prob. Nam substantia Angeli tàm entitatiuè,quàm intelligibiliter est limitata,& redacta ad suum genus, & differentiam: Ergo non potest continere in se proprias perfectiones aliarum rerum,neque propriam intelligibilitatē in eo, quod proprium illarum est,& differunt ab ipsomet Angelo: in hoc enim distinguitur ab illis,& coarctatur, & limitatur erga illas,nec habet eminentiam illam infinitam, quam Deus habet in quantum est principium,& causa omnium entium, & quarumcumque differentiarum; & sic per se continet omnia,quia causat omnia: Angelus autem quamuis sit perfectissimum ens, non tamen est principium,neque causa omnium aliorum, quæ potest intelligere,& sic non continet omnium perfectiones,& quidditates etiam in eo,quod proprium, & peculiare earum est,& in quo differunt à se: Ergo neque continet propriam,& specialem earum intelligibilitatem: Ergo neque potest esse radix, & principium,vt à se dimanent species propriæ, & per se repręsentatiuæ aliorum obiectorum,etiam in eo,in quo differunt inter se,& ab ipso Angelo.

2771 *Si species emanaret,& repræsentarent tantùm secundùm modum substātia angelica, tūc res propriè non cognoscerētur.*

Quòd si solùm est principium,& radix specierū repræsentantium alia obiecta secundùm intelligibilitatem ipsius Angeli,& è cuius substantia emanant,non secundùm propriam ipsius rei, quæ intelligitur; tunc ex vi talis speciei, non cognosceet rem illam propria cognitione, sed ad instar suæ substantiæ,& secundùm id, in quo conuenit cum illa,non secundùm sibi propria. Vnde ad cognoscendum propriè,& quidditatiuè res alias, indigebit speciebus,quę à se non dimanent. Et præsertim hoc apparet in speciebus, quas inferiores angeli habent de superioribus: istæ enim cùm exigant eleuatiorem intelligibilitatem,nullo modo possunt contineri intra substantiam inferioris angeli, nec illorum esse radix,& principium,à quo emanent.

2772 *Instabis.*

Nec potest dici,quòd continentur in virtute ipsius intellectus,quæ habet efficaciam ad intelligendū perfectè illa obiecta.

Respondetur.

Contra enim est, quia intellectus habet hanc efficaciam,suppositis speciebus ad elicientiam intellectionis; non autem habet efficaciam, vt species dimanent à se,quia remotis speciebus intellectus,solùm est in pura potentia intelligibili ad illas.

Confir. quia si substantia angeli contineret intelligibilitatem omnium obiectorum, visa essentia, in ipsa omnia cognosceret.

Confirm. Quia si substantia angeli continet in se intelligibilitatem omnium obiectorum, possentq; ab ea dimanare species omnium,vt propriæ passiones illius: Ergo,qui comprahenderet illam substantiam,in ea comprahenderet omnes istas species,quæ sunt eius proprietates: qui enim comprahendit aliquam essentiam, in ea omnes proprietates cognoscit,quæ in tali radice continentur: Ergo etiam cognita,& comprehensa substantia angeli, omnes tales species comprahenderentur quantum ad omne illud,quod ex tali essentia, vt à radice trahunt,& participant; Sicut omnes aliæ proprietates,quæ ab essentia dimanat ex comprehensione essentiæ, cognoscuntur quidditatiuè, & propriè,ac distinctè in se: Ergo si species illæ sunt proprietates dimanantes ab essentia, & intellectu Angeli; visa,& comprehensa essentia sua, illas cōprehendet,& cognoscet. Visis autem,& comprahēsis speciebus,videntur obiecta in illis contenta, & repræsentata: Ergo per essentiam suam potest Angelus omnia obiecta extra se videre,sicut,& omnes species,& repręsentationes talium obiectorū. Hoc autem negat S.Th. in *art. 1. huius q. 55.* quòd Angelus per essentiā suam possit omnia alia obiecta cognoscere propria,& distincta cognitione, quia sic contineret aliorum quidditates, & naturas in se perfectè,nec indigeret speciebus superadditis, quia idem esset comprehendere essentiam,ac videre species ipsas obiectorum: Ergo non possunt tales species emanare,sicut proprietates ab essentia.

Dices: Emanare illas species à substantia angeli entitatiuè,non intentionaliter,& repræsentatiuè, & sic visa essentia,videntur species entitatiuè, & vt qualitates sunt,non repræsentatiuè, seu vt obiecta repræsentant. 1. Euasio.

Vel secundò, licet emanent à substantia angeli,non tamen repræsentat illas formaliter ipsa essentia,sed radicaliter,seu virtualiter:vnde visa essentia,non sequitur,quòd videātur species illę formaliter in se, & vt tangunt repręsentatiuè sua obiecta,sed solùm,prout tenent se ex parte subiecti,& quantum ad id,quod est radicalis, & virtualis continentię;non secundùm id, quod habeat ex parte obiecti,quod pertinet ad repræsentationem. 2. Euasio.

2773 *Præcluditur. 1. Euasio. quia repræsentatio intentionalis est essentialis speciei.*

Sed contra primam solutionem est, quia repræsentatio intentionalis est essentialis,& intrinseca speciei,& per illā distinguitur vna species ab alia, siquidem ex obiectis sumit specificationem, & distinctionem: Ergo repugnat dicere,quòd emanant species ab essentia,quantum ad suam entitatem,nō quoad suam repræsentationem, cùm hæc repræsentatio intrinseca illis sit,& ad eorum essentialem rationē pertineat. Aut si entitas illa specierū emanat ab essentia angeli,non autē repræsentatio, seu intelligibilitas earū:à quo ergo principio repręsētatio specierum est? An entitatem habent à subiecto,cui insunt,repræsentationem verò à solo Deo? Cur ergo nō habebunt entitatē,& realitatem etiā à Deo,siquidem repręsentatio illa, entitas rea lis est,cùm non sit aliquid rationis in ipsa specie? Si ergo nō potest emanare repręsentatio, & intelligibilitas speciei à substantia angeli,quia in ea nō cōtinetur,nec etiam entitas,seu realitas talis repræsentationis emanabit,quia nec etiam ista continebitur in tali radice,cùm non sit aliud repræsentatio speciei,quàm eius entitas,& eius entitas repręsentatiua sit.

2774 *2. Euasio Præcluditur. quia res cognoscitur distinctè, & propriè per causas suas.*

Contra secundam autem solutionem manifestè instatur,quia constat res cognosci distinctè, & propriè per causas suas,imo tunc est scientifica,& propria rerum cognitio,quando per suas causas cognoscitur; & tamen effectus in causis non continentur,nisi radicaliter,& virtualiter: neo enim formaliter sunt nisi in se,& extra causas, in illis autē solùm continentur in virtute,& in radice:ergo cōtinentia radicalis,& virtualis sufficit ad manifestādam proprietatem,seu effectum formaliter, & propriè,vt est in se. Ergo si species se habent, vt proprietates essentiæ in angelo,non obstante, quod ibi contineantur radicaliter,cognoscentur per ipsā essentiā distinctè,& propriè, & formaliter, si essentia ipsa cōprahendatur,& habeat speciem,qua cognoscitur,vel pro specie seruit. Nam,& ipsæ proprietates,quæ ab essentia dimanant,non aliter in ea continentur,quàm sicut in radice,& virtute, & tamen per comprahensionem essentię cognoscuntur propriè,& formaliter in se,quia totum,quod in se formaliter sunt,virtualiter continetur in essentia, & per eam tamquam per medium perfectè continens,& emittens tales proprietates, attinguntur; Sicut per quamlibet aliam causam sui effectus. Ad ipsam autem essentiam non est necesse ponere, speciem cùm per seipsam intelligibilis sit, rationē speciei habeat.

2775 *Conf. ex D.Th. qui docet, quòd si Deus creasset plures Angelos, plures Angelis species indidisset.*

Denique D.Thomas dicit infra quæst. 56. art. 2. ad 4. *Quod si Deus instituisset plures Angelos, vel plures naturas creare, plures species intelligibiles mentibus Angelicis indidisset.* Inquiro ergo: Si plures naturæ fierent in vniuerso, an ex natura,& essentia angeli dimanarent plures species intel-

intelligibiles, quàm modò dimanarunt, vel non. Si non dimanarent: Ergo respectu illarum naturarũ, quæ de nouo crearentur, deberent dari species à Deo infusæ, & non dimanantes ab essentia Angeli; Sicut ergo respectu illarum non haberet natura vim, vt emanarent ab illa species; sic neque vim habet, vt dimanent species aliorum obiectorum; quia quod ista obiecta, quæ modò sunt oreentur, vel alia tunc crearentur, pendet ex mera voluntate Dei; quod autem natura vim habeat ad habendũ, vel non habendum species tanquam proprietates, dependet ex naturali colligatione, & connexione inter essentiam illam, & species, & nõ ex sola libera productione Dei circa obiecta extrinseca; nec intelligi potest, quod ex sola libera volũtate Dei producendi speciem formicæ, substantia Angeli habeat naturalem connexionem cum specie formicę, & ab ipsa emanet; & voluntate Dei remota, & nollente formicam producere, non esset illa naturalis connexio; cùm emanatio proprietatum ab aliqua essentia, pertineat ad necessariam connexionem prædicatorum, & sic non potest variari ex sola libera voluntate extrinseca, qua Deus producit, vel non vult producere aliquam creaturam.

2774 *3. Euasio.* Si vero dicatur, quod in illo casu dimanarent nouæ species à substantia angeli respectu creaturarum, quæ tunc de nouo fierent à Deo; vel quòd *4. Euasio.* modo iam dimanarunt omnes illæ species etiam respectu rerum possibilium, licèt non possit vti illis, quousque tales reproducantur, pertineantque ad vniuersum, in quo est talis Angelus, vtraque respõsio claudicat.

2775 *Præcluditur. 3. Euasio.* Prima, quia ponit emanationem alicuius proprietatis non fundatam in naturali connexione cũ essentia, sed dependentem ab extrinseca voluntate Dei producentis, ita vt Deo producente obiecta illa, emanent illæ species; non producente, retrahantur; quod est merum figmentum, & contra omnem philosophiam de emanatione necessaria proprietatum; satiúsque est dicere, quod tales species à Deo infundantur.

2776 *4. Euasio præcluditur quia si emanarent ab essentia angeli, angelus haberet actu infinitas species.* Secunda vero. Quia si nunc iam emanarunt species ab Angelo respectu omnium possibiliũ, habet ergo infinitarum rerum species actu positas in suo intellectu, quia non est maior ratio, quod aliquorum entium species habeat, & non aliorum. Et sic compręhendendo essentiam suam, infinitorũ entium cognitionem habebit. quia omnium illarum specierum notitiam ex sua essentia capiet; siquidem omnes ab illa emanant. Frustrà autem dicitur, impediri Angelum, vti talibus speciebus ad cognoscendas res, quę non sunt huius vniuersi, si potest in sua essentia omnes illas species cognoscere, & mediantibus illis cognitis cognoscere quidquid repræsentant, & sic cognoscere in actu, quidquid intellectus capax est cognoscendi, quod totũ sequitur, si sunt species istæ proprietates dimanantes ab essentia: compręhensa enim illa, omnes illę species compræhenderentur.

2777 *Species ergo sunt à Deo infusæ, & connaturaliter exiguntur ab intellectu Angeli, & accidentia inseparabilia.* Quare dicendum est, quod sunt istę species infusæ à Deo, & connaturaliter petuntur ab intellectu Angeli, tanquam accidentia inseparabilia, ita quod intellectus ille emanet ab essentia Angeli, vt capax specierum; sicut cœlum producitur, vt capax motus, & naturaliter illum exigens, quatenus per motum suum est primum alterans, & mouens hęc inferiora, quod non potest facere, nisi motum. Sic Angeli sunt substantiæ intellectuales perfectæ, & ab omni materia, & corpore separati. Vnde eorum intellectus emanat, vt capax specierum, & potens connaturaliter habere illas, non acquirendo ab obiectis, sed à primo spiritu, qui est omnium obiectorum principium, à quo accipiunt ab initio illas, quæ sibi debentur, quæ ab obiectis positis in vniuerso accipere deberent, si essent acquisitiuis specierum ab obiectis. Sed loco obiecti accipiunt species à primo principio, & à primo intelligibili, quod est causa omnium obiectorum, & ab illius ideis exemplantur species in mentes Angelorum, quia petunt produci ab illo summo spiritu, vt perfecti in suo genere intelligibili, & non cum ignorantia, & defectu, & consequenter cum lumine, & speciebus.

Sed obijcies: Nam D. Thomas probat infra *quæst. 64. artic.* 1. cognitionem naturalem Dæmonum non esse diminutam, quia consequitur naturam ipsam Angeli, qui secundùm suam naturam est quidam intellectus, vel mens: propter simplicitatem autem suæ substantię nihil potest ab eius natura subtrahi, sumpta pro actu secundo cognoscẽdi; Sic .n. nõ consequitur naturã, sed ex applicatione voluntatis, quia cognoscit, quod vult; nec ex subtractione huius, aut cessatione ab actu cognoscendi, subtrahitur aliquid de simplicitate substantiæ, seu naturę: Ergo loquitur S. D. de cognitione in actu primo, scilicet pro speciebus: Sic .n. consequitur ad naturam Angeli, quia naturaliter emanat ab illa: Ergo species se habent, vt propriæ passiones Angeli. Quod ipsum videtur explicasse D. Thom. sup. *quæst.* 54. *art.* 4. dum inquit: *quòd in Angelo non generatur scientia, sed naturaliter adest*; Ergo non imprimitur ab extrinseco, sed à natura. 2778 *Obiectio.*

Confirm. Nam aliàs si istæ species non resultarent per emanationem ab essentia Angeli, maximè, quia non haberent connexionem necessariam cum intellectu Angeli: nam si haberent, dimanarent. Si autem non habent connexionem naturalem: Ergo neque exigentiam per se, & connaturalem. Vnde sequitur, quòd sicut infunduntur istæ species à Deo nunc, ita possent non infundi sine vlla violẽtia facta ipsi naturæ, quia non est violentia, vbi nulla est in contrarium renitentia, aut exigentia naturæ. Similiter non essent naturales Angelo, quia non est naturale principium, à quo emanent, & sic vel essent supernaturales, vel præternaturales. 2779 *Confirm.* *1. Probatio.* *2. Probatio.*

Vnde sequitur vlterius, quod non debentur ex vi creationis Angelo, quia ea debentur, & fiunt ex vi creationis, quę exiguntur à natura, & pertinent ad eam, vel consequuntur ad illam, quæ vero non se habent, vt propriè passiones, non fiunt ex vi creationis, seu generationis rei, quæ tota sistit in productione substantiæ, & propriarum passionum. *3. Probatio.*

Deniq; si nõ sunt proprię passiones, sequitur, quòd considerata natura Angeli secundùm se, & ante infusionem istarum specierum sit imperfectior anima humana: nam anima, licèt ex se non habeat species, habet tamen instrumenta acquirendi illas, scilicet intellectum agẽtem cum phantasmatibus, Angelus verò caret omni instrumento acquirendi species, & aliàs ex natura sua non dimanant, sed infunduntur liberè à Deo iuxta numerum obiectorum, quibus caret; & sic, si non caret nisi vno Angelo, & vno corpore, solùm vnam speciem ei infunderet, circa reliqua verò entia esset ignorans. *Tertia Prob.*

Resp. sensum D. Th. manifestum esse, quòd cognitio naturalis dicitur, consequi naturam angeli, quatenus principia huius cognitionis sunt debitę naturæ, eamque consequuntur, vel per dimanationem, sicut potentia intellectus, vel per passiuam exigentiam respectu Dei infundentis, sicut species: nam etiam passiua exigentia, qua aliqua natura postulat passiuè aliquam formam, seu perfectionem, sufficit, vt dicatur aliquid consequi ad naturam consequutione debiti, non emanationis; sicut ad naturam cæli consequitur moueri, & non quiescere, licèt ille motus fit ab alio, & sicut ad naturã stellarum consequitur lumen, seu splendor, qui tamen prouenit eis à Sole illuminante: & potentia visiua connaturaliter petit videre, & ad illius naturã cõsequitur visio, mediante tamen specie visibili, quã ex se non habet, sed ab obiectis haurit. Eodem modo intelligitur, quòd dicit D. Tho. *quod scientia naturaliter adest Angelo*, vbi ly *naturaliter*, contraponitur huic, quod est per acquisitionem, & discursum, non tamen dicit, quod est per emanationem, 2780 *Resp. cognitionem naturalẽ sequi naturam angeli, quia principia cognoscendi sunt debita naturæ Angelicæ.*

tionem. Ad est etiam naturaliter, quia cum ipsa creatione prima Angeli data est à Deo infundenre species, & secundùm exigentiam naturalẽ ipsius intellectus Angelici, licèt passiuam ex parte intellectus suscipientis, vt declaratum est.

2781 *Ad Confirm. Resp. non esse connexionem actiuam inter substantiam Angeli, & species.*

Ad Confirm. Resp. non esse connexionem, quasi actiuam inter substantiam Angeli, & species, cuius est capax, sed quasi passiuam, & secundùm debitum, & exigentiam, vt ipsi infundantur. Et talis connexio passiua non facit emanationẽ formę à subiecto, sed exigentiam, & debitum connaturale, sicut dictum est.

Ad 1. prob. Respond.

Et ad probationem primam, qua dicitur, quòd posset Deus non infundere species Angelo; & sic, careret illis sine vlla violentia. Resp. ex suprà dices, quòd fieret violentia Angelo, si species naturalis ordinis ei denegarentur, eo modo, quo violentia potest fieri à Deo, idest operando præter naturam, seù exigentiam naturæ non renitente, & resistente natura, sicut cùm negat concursum igni parato ad comburendum, aut si corpore disposito, & organizato, non infunderet animam rationalem, in quibus casibus agitur præter ordinem exigentiamque naturæ, licet natura ipsa suo authori non resistat, sufficit, quòd oppositum naturaliter petat, & in id inclinetur, & ei denegetur, quæ est renitentia connaturalitatis.

Ad 2. prob. Respond.

Ad secundam probationem sæpius dictum est non esse has species supernaturales, licèt immediatè à Deo infundantur, quia dantur iuxta capacitatem, & exigentiam, seù inclinationem naturalẽ ipsius Angeli, & à Deo authore naturæ, non operante iuxta potentiã obedientialem, sicut etiam anima creatur à solo Deo, & infunditur corpori, nec tamẽ supernaturalis est eius creatio.

2782 *Ad 3. prob. Resp. deberi ex vi creationis non solùm proprias passiones, sed etiam accidentia inseparabilia.*

Ad tertiam probationem dicitur deberi ex vi creationis, non solùm proprias passiones, sed etiã accidentia inseparabilia, & connaturalia, & requisita ad perfectionem naturæ pro eo statu, quia ad generantem pertinet dare suo effectui non solùm formam, & proprietates eius, sed etiam requisita, vt in debito statu collocetur, sicut Deus in ipso instanti creationis debet tribuere Angelo motionem, & concursum ad operandum, quia pro eo statu est debitum ei operari, nec tamen cõcursus ille est propria passio. Et motus cordis tribuitur viuenti à suo generante ex vi generationis, & motus cæli ipsi cælo; & tamen neuter motus est propria passio, cùm motus cæli sit à motore extrinseco motus cordis sit vitalis, elicitiuè proueniens a viuente, licèt motiuè à generante, & ita cùm sit actio, seù motus elicitus à viuente propriè non est passio emanans. Itaque pertinet ad operationem, vel ad generationem primam, non solùm eadem productione attingere proprietates emanantes à natura, sed etiam accidentia, aut modos requisitos, vt pro illo statu constituatur in sua perfectione debita, & cùm Angelus debeat pro illo instanti operari cognoscendo, oportet, quòd illi tribuantur species, sine quibus non cognoscit.

2783 *Ad 4. prob. Resp. Angelum non esse inferiorem anima humana, quia de iure exigit tales species.*

Ad vltimam probationem dicitur, quòd non est Angelus secundùm se, & per se inferior anima humana, quia licèt de facto illi Deus denegaret species, tamen de iure, seù connaturaliter ab eo exiguntur, & petit eas habere perfecto modo immediate à Deo. anima vero non nisi imperfectè, & ab obiectis eas accipiendo per intellectum agentem. Quòd si comparamus Angelum denudatum speciebus à Deo, cum anima se illis vestientem beneficio intellectus agentis, quid mirum, quod Angelus per accidens, & præter naturam habeat statum imperfectiorem, cùm tamen ex sua natura perfectiorem exigat. Sed si volumus iustam comparationem facere, consideremus animam sine intellectu Agente, vel sine concursu Dei, vt intellectus agens eliciat species, sicut eas denegat Angelo, & videbimus quis perfectior maneat? Nam, quod anima nostra beneficio intellectus agentis acquirit, Angelus beneficio Dei creantis habet. Quod si Deus non crearet vniuersum, sed solùm tantum Angelum, vel corpus, non esset Angelo debitum plura cognoscere naturaliter, quàm creaturam, quæ est. Vnde si tantùm est vna creatura, illius tantum habebit speciem, nec plures ei debentur pro illo statu, tam modico, sed hoc est per accidens, & relinquitur ab arte.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum superiores Angeli intelligant per species magis vniuersales, quam inferiores.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio Affirmat. Prob. quantò aliquis intelligens est Deo propinquior, tantò per pauciora intelligit: nam Deus omnia intelligit per vnicam essentiam suam: sed Angeli superiores sunt Deo propinquiores; quia ex hoc in rebus aliqua dicuntur superiora, quia sunt vni primo, quod est Deus, propinquiora. ergo, &c.

Arg. 1. Vniuersale videtur esse, quod à particularibus abstrahitur: sed species, quę sunt in intellectu Angeli, non sunt à singularibus abstracta. ergo. Resp. ad Ma. non esse de ratione vniuersalis, vt à singularibus abstrahatur; sed hoc ei accidit, inquantum intellectus accipit cognitionem à rebus; intellectus verò Angeli est quodamodo extra res prexistens.

Arg. 2. Quod cognoscitur in speciali, perfectius cognoscitur quàm quod cognoscitur in vniuersali, quia cognoscere aliquid in vniuersali, est quoddam medium inter potentiam, & actum. ergo. Resp. Anteced. esse verum, quando aliquid cognoscitur in vniuersali ex parte rei cognitæ; ex parte verò medij cognoscendi, perfectiùs est cognoscere aliquid in vniuersali.

Arg. 3. sequeretur, quòd Angeli superiores non possent cognoscere per proprias rationes, ea, quę cognoscuntur ab Angelis inferioribus: quia idem non potest esse propria ratio multorum. ergo. Resp. neg. seq. ad prob. dicitur quod si illud est excellens, vt est ratio vniuersalis in mente Angeli, idem potest esse ratio multorum.

DISPVTATIO CCLXXXII.

Explicatur sensus, & status difficultatis, & ostenditur in quo consistat similitudo Angelorum ad Deum.

Considerandum est primò speciem intelligibilem posse dupliciter plurium esse quidditatum repręsentatiuam: vno modo formaliter, sicut vna species domus in speculo plures illius partes formaliter repræsentat: Alio modo virtualiter, seù causaliter, tantũ, vt quemadmodum semen dici posset similitudo rei generandæ non formalis, sed causalis, quia scilicet eius virtute generatur animal, quod generanti est formaliter simile, ita species impressa sit quoddam seminale principium verbi, quod est species expræssa, quæ est formalis obiecti similitudo, ipsa verò species impressa est res formalis, & virtualiter, seù causaliter repræsentatiua, quia causat verbum, & formaliter repręsentat rem. 2784 Nota 1. Speciem intelligibilem dupliciter posse plurium quidditatum esse repræsentatiuam.

Sed

Item adhuc dupliciter posse repręsentare.

Sed praterea dupliciter ad huc intelligi potest speciem esse plurium quidditatum formaliter repræsētatiuam vno modo, quoad solam aliquam naturam illis communem: sicut species, qua nobis animal repræsentat, non est hominis, & Leonis distinctè repræsentatiua; Alio modo quoad proprias etiam singularum quidditatum differentias, quibus ab inuicem distinguuntur.

Quæstio est de repræsentatione formali.

Quæstio hæc est de repræsētatione formali quidditatum, quoad proprias earum differentias, & conditiones: quidquid sit de repræsentatione illa virtuali, quam solam non nulli ex recentioribus agnoscunt in specie intelligibili.

2785 Nota 2. Diuinarum perfectionū, quasdam esse communicabiles creaturis, quasdam incommunicabiles,

Secundo obseruandum est cum Caietano, diuinarum perfectionum quasdam esse creaturis communicabiles, vt sapientia, bonitas, & existentia, quasdam autem incommunicabiles, vt deitas, infinitas, puritas actus, & intelligere omnia per substantiam suam, & alia huius modi: Ex hac perfectionum diuinarum distinctione, sequitur alia quadam in creaturis Deo similioribus differentia: nam secundùm perfectiones creaturis communicabiles dicuntur creaturę Deo appropinquare, quatenus earum rationes formales magis participant in semetipsis; at secundùm perfectiones minimè communicabiles dicuntur magis appropinquare, quatenus magis recedunt ab oppositis: Exempli gratia, dicitur Gabriel præ cęteris Angelis esse Deo propinquior secundùm sapientiam, quia sapientiæ, quę Deo per se primò conuenit, maior est in eo participatio: secundum Deitatem autem, & puritatem actus dicitur idem Angelus esse Deo propinquior, quia magis elongatur à non esse, & à materia siuè potentialitate.

2786 Nota 3. Ad genus perfectionū diuinarum pertinere intelligere, & intelligere omnia.

Tertiò. sciendum est, ad genus diuinarum perfectionum simpliciter pertinerè, non solum intelligere, sed etiam intelligere omnia, siuè multa per vnum, sed diuersa ratione. nam intelligere secundum se perfectio quædam est; atque adeò directè, & secundum se constituit in ordine perfectionum, sed intelligere omnia per vnum, vt sic, distinctam ab intelligere perfectionem non exprimit, sed eiusdem modum, & supremum, quasi gradum importat, ac proinde non directè, sed magis reductiuè ad genus attinet perfectionum simpliciter sicut modi, & complementa substantię, vt existentia, & substantia, siuè personalitas reductiuè tantùm in genere substantiæ collocantur.

2787 Nota 4. Supremꝰ substantias esse similes Deo secūdùm omnes perfectiones.

Quarto notandum est, supremam vniuersi partem idest substantias spirituales, siuè Angelos similitudinem ad Deum ex sui natura sibi vendicare, secundùm omnes omninò perfectiones simpliciter, & non secundùm aliquas tantùm, ita vt quilibet Angelus, siuè supremus, siuè medius aut etiam infimus perfectiones omnes diuinas simpliciter in se participet, & secundum eas Deo assimiletur iuxta modum, & gradum ordini suo congruentem; Cuilibet enim inest existentia, bonitas sapientia, & virtus operatiua magis, aut minus perfecta, prout maior, aut minor fuerit naturæ dignitas & excellentia.

2788 Fundamētum D. Th. explicatur, *Angeli, quantò superiores, &c.*

Et huic vt fundamento pręcipue nititur ratio S. D. in textu, qua probat Angelos quantò superiores, tantò per pauciores species intelligere; *vis enim eius præcipua ex illo deriuatur principio, videlicet: Et hoc sunt in rebus aliqua superiora, quod sunt vni primo, quod est Deus propinquiora, & similiora: Quæ propositio arctata ad supremam vniuersi partem de propinquitate, & similitudine accipienda est secundùm omnes perfectiones simpliciter, non enim est maior ratio de vna, quàm de alia: sed tota difficultas est an hęc perfectio, quę est repręsentare, vel intelligere omnia, siuè multa per vnum sit alicui rei creatæ communicabilis; Negat enim Scotus id effici posse sed oppositum affirmat S. Thomas, & alij Doctores, & Ecclesię Patres*

Dub. 1. An dari possit vna species intelligibilis, quæ sit plurium quidditatum, aut rerum repræsentatiua.

Dub. 2. An species Angelicæ quantò superiores, tantò sint vniuersaliores, etiam respectu diuersarum quidditatum.

Dub. 3. Quomodo species Angelicæ dicantur vniuersaliores in repręsentando.

Dub. 4. An hæ species sint vniuersaliores, quia aliquem gradum, seu naturam repræsentant; An vero ex eo, quòd plures res sub vniuersali medio repræsentent.

Dub. 5. An secundùm differentiam specificam vnius Angeli, correspondeat eleuatior modus cognoscendi, & An detur Angelus, qui vnica specie omnia cognoscat.

Dub. 6. An repugnet, ea omnia, quæ vnica specie repræsentantur, vnico actu adæquato ab Angelo intelligi.

DVBIVM I.

An dari possit vna species intelligibilis, quę sit plurium quidditatum, aut rerum repręsentatiua.

COnclusio. affirmatiua est D.Th. hic, & communis inter Thomistas. Vnde.

2789 Petes 1.

Petes 1. *An vna, & eadem species ob sui excellentiam possit esse similitudo diuersorum, & quomodo accipienda sit hęc excellentia.*

Resp. prænotando, duplex esse genus entiū, eorum scil quæ sunt, & quæ repræsentant.

Resp. prænotando duplex esse entium Genus eorum scilicet, quę naturæ Auctor intendit, vt sint, & eorum, quæ primò idem Author instituit, vt alia repræsentent: de quibus latè, & subtiliter disserit Caietanus hic circa responsionem ad tertium argumentum D. Thomę, vbi etiam notanda est distinctio, & Ratio S. D. qua non solum defendit, sed etiam probat idem sumi posse, vt rationem propriam, & similitudem diuersorum.

Ratio S. Thom.

Distinctio est: idem esse propriam rationem, aut similitudinem diuersorum contingit dupliciter: vno modò, adæquatè, & hoc est impossibile; implicat enim contradictionem, alio modo inadæquatè, & tunc secundo distinguendum est; aut enim illud, quod sic ponitur propria ratio multorum est excellens, aut non: si non est excellens, nullo modo potest esse, aut intelligi, vt plurium ratio propria: si verò sit excellens, potest accipi, vt propria ratio, & similitudo diuersorum, sicut vniuersalis prudentia, quæ in homine est, quoad omnes virtutum actus, sumi potest, vt propria ratio, & similitudo particularis prudentiæ, quę est in Leone ad actus magnanimitatis, & eius quæ est in vulpe ad actus cautelæ: & essentia diuina ab infinitam suæ perfectionis excellentiam accipitur, vt ratio, ac similitudo propria singulorum entium, quæ sunt in ea, tanquam in causa.

2790 *Species Angelica ob excellentiam suam naturalem potest esse propria, & inadęquata similitudo multorum.*

Similiter itaque species angelica ob excellentiā suam naturalem propriam potest esse multorū inadæquata similitudo, qua singula cognoscantur ab angelo propria cognitione: sed, cùm excellentia duplex intelligi possit in specie, altera in essendo, & altera in repræsentando, de priori excellentia litteram hanc exponit Caietanus, quē alij sequuntur interpretes. Hæc autem excellentia potest in angelica specie Intelligibili dupliciter considerari. Primo respectu rerum, siuè quidditatum repręsentatarum; & ista quoad essendi solùm modum est intelligenda, quatenus species angeli superioris modum habet essendi altioris ordinis, quàm sit modus essendi rerum omnium tàm corporearum, quàm etiam incorporearum scil. angelorum ad inferiores ordines pertinentium: nam quò fuerit vnius intellectualis substantię gradus alterius substantię gradu sublimior, eò nobiliores ab ea species emanabunt intelligibiles, quarum essendi modus ex ipsius substantię dignitate dependet, & eam induit, & eundum ingredietur ordinem, cuius etiam est vltimum, & intrinsecum complementum; vt hic aduertit Caietanus: ob hanc igitur excellentiam potest vna species angelica multorum esse propria ratio, & distincta similitudo: secundò intelligi potest excellentia speciei cōparatione aliarū specierum intelligibilium, & ita consideranda est

excellentia

excellentia tàm in modo essendi, quàm in ipsa perfectione essendi.

2791 *Propria, & essentialis speciei perfectio in ipsa repræsentatione cōsistit.*

Propria namque, & essentialis speciei perfectio in ipsa repræsentatione consistit; eius enim quidditas est ipsa ratio similitudinis, & repræsentationis: eius igitur esse, est ipsum repræsentare; Est enim relatiuum transcendens cuius proprium esse est ad aliud esse non tamen præcisa causalitate: id enim soli conuenit relatiuo prædicamentali; & ideò per se primò dicuntur intentæ species, vt repræsentent, sicut per se primò dicitur intentus homo, vt sit animal rationale. Igitur quo fuerit excellentior essentia, siuè natura speciei intelligibilis eò plura poterit obiecta specie distincta repræsentare: exempli gratia singulæ species intellectus humani, quæ gradum habent infimum inter species, singulas tantùm rerum naturas repræsentant; ità vt vna Leonem, alia Bouem, & alia canem intelligamus.

2792 *Species, quo altioris ordinis, eò distinctius, ac perfectiùs repræsentat.*

Igitur species vnà tantum altioris ordinis puta species infimi Angeli aut infimæ Hierarchiæ, cuius est essentia longè præstantior, trium dictarum munus obire potuit, tres illas rerum naturas distinctè repræsentando: iam enim diximus, speciei naturam, & essentialem eius perfectionem in ipsa repræsentatione consistere; igitur, quò fuerit speciei natura perfectior, plurium erit obiectorum repræsentatiua; cùm enim species ad repræsentandum per se primò sit instituta (quo munere supplet, quòd substantiæ deest cognoscitiuæ) quò fuerit altior in essendo, eò etiam erit extensior in repræsentando: substantia verò per se primò ad essendum, non autem ad repræsentandum est producta, & ad vnam essendi differentiam determinata; & ideò nec multas potest habere rerum essentiales differentias, nec plura distinctè repræsentare. Neque ex maioris speciei perfectione colligitur solùm repræsentatio clarior, sed etiã, vt modò diximus, extensior: Ad perfectionem enim simpliciter, & ad excellentiam pertinet intellectus, non solùm eam limpidiùs intelligere quidditatem, quàm minùs clarè percipit intellectus inferior, sed etiam per eandem speciem cognoscere plures alias, quæ distinctis speciebus alteri inferioris ordinis intellectui præsentantur: vt patet ex discursu præsentis articuli, quò probatur conclusio, vt ex relata paulò ante doctrina responsionis ad tertium D. Thomę.

2793 *Modus quicumque intelligendi perfectior, dependet radicaliter ex simplicitate medij.*

Modus enim quicumque intelligẽdi perfectior dependet radicaliter ex simplicitate medij; nam quò magis fuerit vnita virtus intelligendi, eò perspicaciùs attinget obiectum; sicut Sol vna simplici sua virtute in his corruptibilibus effectus operatur, quibus vix inferiorum piures sufficiunt potentię corporum; sicut etiam vir vnus egregię fortitudinis magni ponderis molem facilè defert, quàm duo, vel tres simul ex communi hominum cętu vix è loco mouerent. Hanc veritatem pluribus argumentis, & exemplis suadent Bannes, & Zumel, sed optima sunt, quę tanguntur in textu; Ferrariensis in secundo contra Gentiles cap. 98. §. ex istis patet, &c. lungo satis, & erudito discursu nititur probare excellentiam speciei, de qua hic loquitur S. D. intelligendam esse non in essendo, sed in repręsentando. Verè tamen in substantia non differt à sententia Caietani, pro vt à nobis est explicata, nec vacat, aut expedit, nec vtriusque dicta referre, & conciliare.

2794 *Petes 2.*

Petes 2. *An species repræsentatiua in se vna existens, possit plura, tanquam inadæquata obiecta repræsentare.*

Resp. affirm. cũ S. Th. hic prob. à priori, à simili, & ab inconueniẽti.

Resp. Affirmat. S. Thom. enim, & cùm eo communis sententia fatetur dari species vniuersales in Angelo, quod ad minus intelligi debet de speciebus vniuersalibus complectentibus plura singularia: Nam si pro quolibet singulari indiget distincta, & diuersa specie, nulla restat vniuersalitas in speciebus. Sequuntur Sanctũ Thomã omnes eius discipuli, & communiter Theologi, quorum plures in hac parte citat, sequiturque P. Vasquez hic disp. 202. cap. 1. Suarez lib. 2. de Angelis cap. 14. Alarcon. tract. 6. de Angelis disp. 3. c. 3. Et fundamentum est tùm à priori, tùm à simili, tùm ab inconuenienti.

2795 *Ratio à priori, quia non repugnat adæquatum obiectum alicuius speciei continere plura indiuidua.*

A priori quidem, quia non repugnat adæquatum obiectum alicuius speciei continere plura indiuidua, aut quia ex illis de facto componitur, aut, quia in illa diuisibilis est, sicut vnus mons, aut cumulus, aut domus ex pluribus indiuiduis constat, puta ex pluribus lapidibus, aut granis terrę, lignis, & arboribus, quę omnia vnica specie repręsentantur; nam, & vnica visione etiam à nobis videntur, etiam cùm distinctè, & non confusè attinguntur. Quis enim dicat non posse vnica visione videri montem, aut iam puteũ, qui ante oculos est, vbi concurrunt plures arbores, animalia, homines, simulque distinctè videntur, pręsertim ab acuto visu, & species attingi potest, & tamen diuisibile est in plura indiuidua aquæ: absurdum autem videtur, quòd aqua illa diuisa non possit vnica visione, & specie videri, cum diuisa est, & plura indiuidua habet, cùm autem est adunata, possit. Non ergo est inconueniens, quòd vna species repręsentat plura indiuidua, & vna cognitio ea attingat. Species ergo Angelicę, quæ incomparabiliter altiores, & perfectiores sunt speciebus nostris; poterunt plura indiuidua in vna specie adunare.

Prob. à simili, quia non repugnat, vnam potentiam, & vnum habitum versari circa plura indiuidua.

A simili idem deducitur, quia videmus, quòd non repugnat vnam potentiam, vnum habitum, vnum actum versari circa plura, & varia indiuidua: ergo neque repugnabit vnam speciem repręsentare plura. Patet conseq. quia repręsentatio non minus adunare potest ordinem ad obiecta, quam virtus, vel potentia: sicut enim plura obiecta adunari possunt in aliqua ratione formali, vt attingantur sub illa ab aliqua virtute, vel potentia, ità possunt adunari sub aliqua intelligibilitate, seù ratione intelligibili, vt repręsententur, vel quia habent inter se conuenientiam, & similitudinem, vel quia habent continentiam in aliqua ratione, sicut partes continentur in toto, & sicut plura indiuidua ordinari possunt ad aliquam causam, vel finem, aut aliquam aliam rationem, sub qua perfectè contineantur, & sic sub illa repręsententur etiam distinctè, & propriè, quia sic continentur ibi, sicut proprietates continentur in natura, & sicut ternarios continentur in senario, & imperfectum in perfecto: ergo non repugnabit, quòd ista plura, quę sic materialiter plura sunt, formaliter adunentur in aliquo, in quo repręsententur, vt contenta. Similiter vnus actus cognitionis potest plura obiecta attingere cognoscẽdo, vt constat ex dictis: ergo etiam poterit vna species attingere repræsentando. Conseq. Patet, quia vnica cognitio egreditur, & formatur ab vnica specie, vel saltem non repugnat ab ea formari: ergo si non repugnat vnam cognitionem attingere plura obiecta, neque repugnabit vnam speciem ea repręsentare.

2796 *Prob. ab inconuenienti, quia si quòdlibet singulare indigeret sua specie, in infinitum species multiplicarentur.*

Denique ab inconuenienti eadem veritas probatur; tùm quia si quodlibet singulare indigeret sua specie, deberent istę species in infinitum multiplicari in Angelo, quia infinita sũt indiuidua possibilia; de facto vero erũt infinita saltem accidentalia, quia per totam ęternitatem infinitæ operationes sunt in Angelis, & hominibus. Tum etiam quia adhuc ad cognoscendum vnum, & idem indiuiduum non sufficiet vnica species, quia etiam contingit in eodem indiuiduo concurrere diuersa accidentia, variasque operationes, quorum singula vel indigent singularibus speciebus, vel non. Si indigent, non poterit etiam vnum indiuiduum substantię perfectę cognosci ab Angelo compręhensiue, nisi per plures species. Vndè numquam dabitur vna species, quę sufficiat ad compręhensionem perfectam etiam vnius indiuidui, quia nullum est indiuiduum, cuius compręhensio non depen-

dependeat ex pluribus accidentibus, & respectibus, si non indiget: ergo qua ratione possunt plura accidentia, & operationes repræsentari vnica specie, quatenus pertinent ad eandem singularem substantiam, etiam poterunt plures illæ substantiæ indiuiduæ vnica specie repræsentari, quatenus coordinantur sub eadem natura, vel sub aliquo tertio, in quo continentur, vel tanquam sub causa, vel tanquam sub fine, aut sub aliquo alio ordine, aut ratione, vt postea amplius explicabitur.

2797 *Petes 3.*

Petes 3. *Species Angeli intelligibilis, quomodo vna existens, sit plurium quidditatum repræsentatiua, & quomodo?*

Resp. posse nos intelligere tribus modis speciem vnam quidditates repræsentare. Primus modus.

Resp. posse nos intelligere, tribus modis speciem vnam plures quidditates repręsentare: Primus est, vt eas immediatè, ac primo repræsentet, itaut plures illæ quidditates simul sumptę, sint vnum obiectum adęquatum speciei intelligibilis: Qui dicendi modus placuit Soncinati, & alijs supra notatis, sed reijcitur à Bannes. Confutabitur autem eisdem argumentis, quibus vltimus modus comprobabitur.

Secundus est, vt species vna plures quidditates repræsentet.

Secundus modus est, vt species vna plures quiditates repræsentet immediatè, idest non media ratione communi formali, quæ sit priùs repræsentata, non tamen immediatè, idest non media ratione formali *sub qua* plures illæ quidditates attingantur: Quem dicendi modum tamquam omniũ optimum sequuntur Theologi supra notati, videlicet Bannes, Zumel, Vasquez, & Albertinus: sed opinionem hanc existimo minùs esse probabilem, & communibus mætaphysicæ principijs minimè consentaneam: vt patet ex ijs, quę scribit amplissime Caietanus de duplici ratione formali, quæstione *prima art. 3.* comparantur enim illæ duæ rationes formales respectu cuiuslibet intellectus, vt subiectum, & eius propria passio, quorum vtrumque est ab altero inseparabile. Igitur, si species intelligibilis plures respicit quidditates sub vna communi ratione formali, *sub qua*, necesse est, vt in eis etiam repræsentet communem aliquam rationem formalem, quæ scilicet primò repræsentetur, & per actum intelligentis attingatur. Sed huius sententię falsitas elucescet apertiùs ex statim adducendis pro tertio modo.

2798 *Tertius est, vt repræsentet plures quidditates, media vna ratione communi.*

Tertius igitur modus est, vt species Angelica nõ immediatè plures repræsentet quidditates, sed mediante vna communi ratione formali generica, aut quasi generica per se primò, & immediatè repræsentata. Qui modus placuit Caietano, & Ferrariensi, & existimat eam Bannes esse probabilem; Ad cuius euidentiam considerandum est speciem intelligibilem dupliciter esse posse rationis communis repræsentatiuam; vno modo cum abstractione à particularibus quidditatibus, aut indiuiduis sub ea communi ratione contentis; sicut species animalis in intellectu nostro rationem repręsentat animalis communem, abstrahendo à singulis eius speciebus, & differentijs. Alio modo species intelligibilis potest communem rationem formalem repræsentare non in abstractione, sed in concreto, idest secundùm totam eius latitudinem, & actualem existentiam ad omnia sub ea contenta diffusam; & hoc modo species Angeli communẽ pluribus quidditatibus rationem repręsentat: Deus enim Angelicis mentibus earum rerum, siue naturarum; aut rationum species impressit, quas in eodem temporis instanti creauit, vt essent realiter existentes in vniuerso; non existunt autem communes rerum naturæ, siuè rationes à specificis, aut ab indiuidualibus differentijs separatę, sed in singulis sunt speciebus, & indiuiduis actu distributæ; atque ideo species etiam illæ intelligibiles, sic rerũ communes rationes primò, & immediatè repræsentant, vt earum etiam species, & indiuidua simul offerant intellectui.

Alio modo species intelligibilis potest cõmunem rationẽ formalẽ repræsentare.

2799 *1. Prob. hic quartus modus dicendi, quia vnitas potentia consideranda est secundùm vnitatem obiecti formaliter sumpti.*

Probatur autem hic modus dicendi. Primò: quoniam, vt ait Sanctus Doctor supra quęstione prima articulo tertio, *vnitas potentiæ, & habitus considerandа est secundùm vnitatem obiecti formaliter sumpti*; igitur eadem ratione vnitas formalis speciei intelligibilis sumenda est ex vnitate formali obiecti per eam repræsentati: probatur illatio ex paritate rationis: sicut enim potentię, & habitus intrinsecum, & essentialem habent ordinem ad obiectum, cui naturaliter commensurantur, ita species intelligibilis, quæ per se primo ad repræsentandum est instituta, essentialem habet ordinẽ, & commensurationem ad obiectum, quod ex sui natura repræsentat, ac proinde ex eius vnitate formali suam specificam accipit vnitatem.

2800 *2. Prob. quia sicut ad vnitatem motus requiritur vnitas termini; ità ad vnitatem operationis, vnitas obiecti.*

Secundò prob. idem dicendi modus: quia D.Th. infra quęstione quinquagesima octaua, articulo secundo, respondens quæsito cur Angelus possit multa simul intelligere, sic ait. *Sicut ad vnitatem motus requiritur vnitas termini, ita ad vnitatem operationis requiritur vnitas obiecti*. Ex quo deducit Angelum ea tantùm simul cognoscere, quæ per vnam speciem repręsentantur: quia nimirum ea sola conueniunt in vna ratione formali obiecti, primo, & adequatè per speciem repræsentante, vt etiam notauit Ferrariensis in secundo contra Gentiles capitulo centesimo primo, alioquin ratio D. Thomæ nihil concluderet.

2801 *3. Prob. quia quando vnum est ratio intelligendi aliud, vnum eorum erit quasi formale, & alterum materiale.*

Pręterea: S.Thomas de veritate, quęstione octaua articulo quarto decimo ad sextum respondens argumento probanti Angelum plura simul intelligere, quia seipsum semper intelligit, & quandoque etiam intelligit alia, respondet dicens: *si aliqua duo ita se habeant, vt vnum sit ratio intelligendi aliud, vnum eorum erit quasi formale, & aliud quasi materiale, & sic illa duo sunt vnum intelligibile cum ex forma, & materia vnum constituatur; vnde intellectus, quando intelligit aliquid per alterum, intelligit vnum tantùm intelligibile; sicut patet in visu; lumen enim est, quo videtur color, vnde se habet ad colorem, quasi formale, & sic color, & lumen sunt vnum tantùm visibile. & simul à visu videntur: essentia autem Angeli est ei ratio cognoscendi omne quod cognoscit, quamuis non perfectè, propter quod formis superadditis indiget: cognoscit enim omnia per modum substantiæ suæ, vt dicitur in libro de causis, & secundùm propriam virtutem, & naturam, vt dicit Dionysius 7. capite de diuinis nominibus; vnde cum intelligit se, & alia non intelligit simul multa, nisi vt vnum.* Hæc ibi: & similia habet in 2. contra gentil. cap. 10. quo loco videndus est Ferrariensis. Ex quibus perspicuè patet D. Thomam vnitatem obiecti per speciem intelligibilem repræsentati sustinere, vt argumento satisfaciat, probanti posse multa simul Angelum intelligere, quia multa simul Angelo repræsentantur.

2802 *4. Prob. quia diuina essentia Beatis in se vna existens, omnia repræsentat.*

Postremò: Diuina essentia, quæ species est intellectus diuini intellectus, & beatorum, vnum per se primò, vt obiectum, & immediatè repræsentat, quod est ipsa diuina natura, in qua cætera mediatè repræsentantur, & cognoscuntur à Deo, & à Beatis, vt contra Scotum ostendimus supra quæstione 12. art. 8. Dubio 2. igitur eadem ratione species Angelica ab essentia diuina, vt ab exemplari formata, vnum aliquod obiectum formale per se primò repræsentat.

DVBIVM II.

An species Angelicæ, quantò superiores, tantò sint vniuersaliores etiam respectu diuersarum quidditatum.

2803 *Concl. affirm. Prob. quia species repræsentatiuæ obiectorum, possunt esse magis, vel minùs spirituales, iuxta immaterialitatẽ intellectus.*

Conclusio est affirmatiua. ita D.Th. & communiter Thomistæ. Ratio autem conclusionis positę sumitur ex eo, quia species repręsentatiuæ obiectorum possunt esse magis, vel minùs spirituales, & immateriales, quàm alię, iuxta quod intellectus ipse, quem actuant, magis immaterialis, & spiritualis est. Et constat quòd de eadem re sensibili, & materiali, dantur in nobis diuersę species visibiles in oculis, & perfectiores, magisque subtiles

tiles in imaginatione; spirituales autem in intellectu: signũ ergo euidens est de eadẽ re formari species diuersæ immaterialitatis, & perfectionis in repræsentãdo: Et consequenter sub altiori ratione formali attingi obiectũ ab vna specie, quã ab alia, nec solũ coarctari ad intelligibilitatẽ, vel immaterialitatẽ, quã obiectũ fundat de se: sicut sub altiori ratione repræsentatur color, vt imaginabilis, quã, vt visibilis: Ergo similiter in ipsis intellectibus separatis, quanto vnus intellectus est altior, & simplicior, tantò species repræsentatiuæ obiectorum erũt subtilioris, & perfectioris intelligibilitatis, & immaterialitatis, quã species intellectuũ inferiorũ: ergo obiecta ipsa sub diuersa intelligibilitate, & immaterialitate sunt repræsentabilia, atq; adeò in aliquo intellectu superiori habebunt maiorẽ immaterialitatẽ in modo repręsẽtãdi, quã obiecta ipsa de se fundãt, sicut res corporeæ nõ fundãt de se tantã immaterialitatẽ, & intelligibilitatẽ, quantam habet intellectus angeli superioris, v.g. Cherubini, & Seraphini; & cõsequẽter neq; tantã, quãtã habẽt species, quibus tales intellectus vtuntur ad obiecta cognoscenda, eò quòd proportionari debent species intelligibiles in immaterialitate, & simplicitate ipsi immaterialitati, & simplicitati intellectus.

2804 *Species repræsentatiuæ possunt esse altioris immaterialitatis, quàm ipsum obiectum.*

Si autem semel conuincimur, quod species repręsentatiuę alicuius obiecti possint esse altioris immaterialitatis, quàm ipsum obiectũ de se fundat, consequenter debemus conuinci, quod possit dari species repræsentatiua, quæ plures, & diuersas quidditates vniat, sub vnica ratione formali compręhendente illas, quia possunt illę plures quidditates cõuenire in illa altiori immaterialitate, & in quantum vestiuntur tali immaterialitate, repræsentari sub vnica specie, sicut ea quæ in diuersis sensibus exterioribus diuersis speciebus repræsentãtur, sub altiori ratione repræsentari possunt in sensu communi, & in imaginatione. Vndè si potẽtia intellectiua est altior, & efficacior, magisque cõpræhensiua, quã inferior, cõsequenter postulabit species nõ solùm magis immateriales, sed etiã magis vnitiuas, & efficaciores in repręsẽtãdo vnitiuè, & cõpræhensiuè sua obiecta, quã intellectus inferior, desumiturq; hæc maior immaterialitas non ex adæquatione ad ipsum obiectũ, cuius species est, sed ex alio altiori principio, vt infrà dicemus.

2805 *Euasio.*

Sed dices, rationem hanc, aut nimis probare, aut nihil: Nã si efficax est, probat cuiuscũq; intellectus speciẽ respectu rerum, sibi inferiorum, esse tantũ vnã, quia immaterialitas talis intellectus vna est, species autẽ illi deseruientes eandem induunt immaterialitatẽ, quia proportionantur tali intellectui, quẽ informãt: ergo si ideò obiecta repræsentãtur vnitè, & sub vnica ratione, quia sub altiori immaterialitate repræsentãtur à speciebus, cõsequẽter si illa immaterialitas est vna, sicut & ipsius potentiæ, etiã species erit vna, & sic omnes Angeli respectu inferiorũ rerũ tantũ habebũt vnicã speciẽ.

Confirmatur. Et instatur vlteriùs in speciebus infusis animæ Christi: Nam tales species supernaturales sunt, & sub lumine supernaturali repræsentant, præsertim res supernaturales, & ordinis gratiæ, & tamen nõ vnitè, & vniuersaliter repræsentant res illas, sicut species Angelicæ, sed multipliciter, & diuisim, sicut docet S. Th. 3. p. qu. 11. art. 6. ergo ex maiori immaterialitate sub qua species repræsentant obiecta, non potest earum vnitas, & vniuersalitas in repræsentando inferri.

2806 *Resp. non esse de ratione species adæquari propriæ intelligibilitati cuiusuis obiecti.*

Resp. rationẽ factã solùm probare, quòd datur sufficiẽs fundamentũ ex parte specierũ, quę ad intelligẽdũ requirũtur in Angelo, vt nõ quælibet species debeat adęquari intelligibilitati proprię huius, vel illius obiecti, quòd repręsẽtat, sed potest sub aliqua altiori intelligibilitate, & spiritualitate, quã sit intelligibilitas propria huius obiecti, illud repręsentare, atque adeo, quòd possit in aliquo medio eleuatiori, & vniuersaliori repręsentare plura obiecta, quatenus sub illa maiori, & eleuatiori intelligibilitate plura obiecta possunt conuenire, quòd est intentũ D. Th., quòd scilicet species istæ sunt vniuersaliores ex parte medij, seu rationis formalis, sub qua ræpresentantur; non verò vniuersaliores solùm ex parte rei cognitæ.

At verò, quòd ita eleuetur ista repræsentatio, quòd per vnicã speciem possint omnia obiecta inferiora repræsentari, dependet ex alio principio, videlicet, quòd intellectus ille sit ità efficax etiam respectu omniũ sibi inferiorũ, quòd possit in vnica repræsentatione, & vnico actu adequatè correspondente illi speciei, omnia inferiora cõpręhendere: hoc .n. nõ sequitur ex præcisa immaterialitate intellectus, qua excedit, & superat obiectorum inferiorum immaterialitatẽ, & intelligibilitatẽ; sed vlteriùs attendẽda est ipsa intellectus vis, & efficacia, aut debilitas maior, vel minor, secundũ quã lumẽ illius, & vigor potest accomodari cũ minori repræsentatione, magisq; particulari, & nõ cũ maiori, & magis vniuersali, quia illa debilior virtus, & lumen intellectus cũ tã vnita, & vniuersali repræsentatione confusiùs se habet, sicut de anima rationali docet S. Thom. infrà qu. 89. art. 3. & 4. quòd per species infusas habet cognitionem minùs perfectam, quàm Angeli, etiã respectu rerũ materialiũ, quia habet minorẽ efficaciã intellectus; Angeli verò per huiusmodi species habẽt perfectã, & propria cognitionẽ de rebus; & tamen animę separatæ habent immaterialitatẽ supra omnia corpora. *Quod vna species plura repræsentet prouenit ex efficacitate intellectus, qui vnus existens, omnia intelligit.*

Eadem ergo ratione intellectus alicuius Angeli inferioris propter minorem efficaciam, & vigorẽ sui intellectus, non poterit in vnica specie omnia sibi inferiora cognoscere propriè, & distinctè, quæ fortassè poterit Angelus superior, licèt inferior Angelus in immaterialitate excedat obiecta sibi inferiora, quia nõ omnis maior immaterialitas respectu obiectorũ infert in ipsa actiuitate, & vigore intellectus, modũ tam vnitum, & efficacẽ, quòd possit omnia illa vnico intuitu attingere, vel vnica repręsentatione, quia hoc dependet ex alijs rationibus, scil. ex maiori perfectione, actiuitate, & maiori assimilatione, & accessu ad Deum, vnde sumitur diuersus gradus, & perfectio in Angelis etiã sub eodem immaterialitatis genere. 2807 *Angelus inferior propter minorem efficaciam sui intellectus, non potest in vnica specie omnia intelligere.*

Instantia autẽ de speciebus infusis animę Christi non obstat, sed confirmat, quòd dicimus. Nam licèt species illæ sub altiori lumine, & maiori immaterialitate repręsentent, tamen, quia intellectus animæ de se minùs efficax, & vigorosus est, quàm Angeli, indiget sibi particularizari, & proportionari repræsentationes rerum, vt propriam, & claram cuiusq; notitiam habeat, qui ex sua natura inclinatur ad habẽdum species desumptas ab obiectis, aut si fuerint infusæ, quòd adequatur intelligibilitas earum obiectis ipsis, tũc ex superiori principio sumatur, scil. ab idæis diuinis, vt infrà dicemus. Quare maior, & altior vniuersalitas in repręsentando ex parte specierum, sufficienter probatur ex ratione adducta, quòd non sit impossibilis. Quòd verò cuilibet intellectui habenti immaterialitatem supra sua inferiora sufficiat tàm vnita, & vniuersalis ratio repręsentandi, qualis est in vnica specie respectu omnium inferiorum, dependet ex maiori, & altiori efficacia intellectus in tali immaterialitate repertus, ad hoc, vt possit se accomodare cum illa repręsentatione, aut magis particularizata indigeat etiam respectu inferiorum, sicut exemplo animę separatę comprobatur. 2808 *Ad Confirm. Resp. species infusas Animæ Christi, altiori lumine, & maiori immaterialitate repræsentare.*

Denique constat, quod potest dari conceptus aliquis repręsentans modo magis vnito, & vniuersali plures, & diuersas quidditates, sicut potest dari vna scientia adunans sub altiori lumine diuersas quidditates rerum: ergo etiam possunt dari species impressę magis vniuersalis, & modo vnito repræsentantes. Patet conseq., quia non minùs repræsentatiui sunt conceptus, quàm species: ergo si ex parte repręsentationis nõ repugnat conceptus esse magis vniuersales in repræsentando, neq; repugnabit, quòd species impressę sint etiam magis vniuersales in repręsentando: pręsertim quia spe- 2809 *Potest dari conceptus aliquis repræsentans, modo magis vnito, & vniuersali, plures, ac diuersas quidditates.*

cies impreſſę proportionantur conceptibus, quia ex illis formantur conceptus, tamquam ex principio repręſentatiuo: Ergo ſicut dantur talis conceptus vniuerſales repræſentãdo plures quidditates, etiam & ſpecies. Antecedens autem conſtat, quia licet plura, vt plura non poſſint vnico conceptu attingi, bene tamen plura per modum vnius, etiam ſecundùm quod apprę henduntur per modum diſtinctionis, & differentię, vt Docet Sanctus Thom. infra quęſt. 58. a. 2. & 4. & qu. 85. art. 4. ad 4. Ergo poteſt intellectus plures quidditates differentes ſub vnico conceptu attingere, ſecundùm ipſam cõparationem differentię inter ſe. Similiter conſtat, quod ſcientia, quanto eſt abſtractior, & altior ſub vna intelligibilitate, & lumine plura attingit, ſicut Metaphyſica ad plura extenditur, quàm Phyſica, & ars architectonica ad plura ſe extendit, quã ars miniſterialis, & inferior: Ergo ſimiliter non repugnabit, quòd ſub aliquo medio, & intelligibilitate altiori, aliqua ſpecies repręſentet plura, etiam proprie, & diſtincte, ſecundùm quod ex tali intelligibilitate altiori illuminari, & manifeſtari poſſunt, etiam ea, quę propria ſunt talium quidditatum.

DVBIVM III.

Quomodo ſpecies Angelorum dicantur vniuerſaliores in repręſentando.

2810 *Concluſio.*

CONcluſio eſt, ſpecies Angelorum dici vniuerſaliores in repræſentando, non quia plures repræſentent poſſibiles rerum quidditates, ſed quia plures repræſentant rerum ſpecies actu exiſtentes.

Nota 1. quæſtionem eſſe de Angelis de facto exiſtentibus.

Aduertendum eſt primò, quæſtionem hic eſſe de Angelis à Deo creatis, nunc exiſtentibus, ſtante ordine naturis eorum ingenito, nõ autem de alijs, qui perfectiores, & perfectiores his, qui modo ſunt vſq; in infinitũ, poſſent à Deo creari; ſic .n. alius, & à præſenti longè diuerſus eſſet rerũ ordo, & ſubſtãtiarum præſertim intellectualiũ: & conſequenter etiam de ſpeciebus intelligibilibus eorum mentibus impręſſis eſſet aliter philoſophandum.

Nota 2. Eſſe ſpeciei quidditatiuũ in ipſa repræſentione conſiſtit.

Secundò ſupponenda ſunt hic omnia, quæ diximus in præced. Dub & ea, quę nõ minùs eruditè, quã ſubtiliter adnotat Caietan. pro defenſione cõcluſionis, & probationis eiuſdem, & circa reſpõſionẽ ad tertiũ argumentum D. Th., quibus adde doctrinã Ferrarienſis in allegato cap. 96. ſ. ex iſtis patet; vbi eandem reſpõſionem declarat, interpræ-tationẽ Caietani reijciẽs: ſed vna verè eſt vtriuſq; ſentẽtia, & verborũ ſola contentio eſt; nã eſſe ſpeciei quidditatiuũ in ipſa repræſentatione conſiſtit, ac proinde loqui de ſpeciei excellentia in eſſendo, eſt loqui de eiuſdẽ excellẽtia in repręſentãdo. Caietani tñ interprętatio ſubtilior, ac planior eſt, & vim diſcurſus in ea reſpõſione clauſi declarat apertiùs.

2811 *Nota 3. Triplicem eſſe vniuerſalitatẽ in eſſendo, in cauſando, in repræſentando*

Tertiò notandũ, triplicẽ eſſe vniuerſalitatẽ. Prima eſt in cauſando, ſicut dicimus Deũ eſſe vniuerſalẽ entiũ causã, & primũ cęlũ vniuerſalẽ cauſam motuũ, & generationũ. Secunda eſt in prædicãdo; quæ ſpeciebus, & generibus, & analogis etiã rationibus cõuenit per intellectus noſtri cõſiderationẽ à rebus abſtractis. Tertia eſt in repræſentãdo: Quę duplex eſt, altera qua res, ſiuè ratio ſola cõmunis precifis eius diferentijs, ſiuè modis ipsã diſtingnẽtibus repræſentatur; ſicut ſpecies animalis ſolã animalis naturã abſq; differentijs eã diuidentibus intellectui noſtro repræſentat: altera, qua non ſola repræſentatur natura cõmunis, ſed omnes eius differẽtię, ſiuè rationes, aut modi non minùs perſpicue, quàm, ſi diſtinctis intellectui ſpeciebus offerẽtur. Omitto vniuerſalitatem in eſſendo chimericã, quàm idæis Platonici tribuebant, quęſtio noſtra eſt de vniuerſalitate ſpecierum in repræſentando diſtinctè naturã aliquã cũ omnib⁹ eius differẽtijs.

2812 *Nota 4. Quatuor modis ſpeciem dici vniuerſalem in repræſentando diſtinctè.*

Quarto conſiderandã eſt, poſſe quatuor modis ſpecie dici vniuerſalẽ in repręſentando diſtinctè. Primò, quia plures in ea relucent quidditates actualiter exiſtentes, Secundò, quia repręſentant plures quidditates non actu productas, ſed tantùm poſſibiles. Tertiò, quia plures repræſentat rerum rationes intrinſecas, aut extrinſecas, naturales, aut ſupernaturales. Quartò, quia naturã ſpecificã repræſentãt cũ omnibus, aut aliquibus eius indiuiduis. Poſtremò ſecundùm Banneſium dici poteſt ſpecies vniuerſalis, quia ſimplicior eſt, & ſub ratione ſimpliciori repræſentat eaſdẽ res, quas repræſentat ſpecies Angeli inferioris eiuſdẽ ordinis, quo modo ſpecies ſenſus cõmunis dicitur vniuerſalis reſpectu ſpeciei viſus, quoniam vtraq; repreſentat albedinem, ſed illa ſimpliciùs. Verùm hic vniuerſalitatis modus nimis videtur improprius, & à cõmuni ſapiẽtum ſenſu remotus. Nec ſpecies ſenſus communis propter maiorẽ ſimplicitatem dicuntur vniuerſales, ſed quia diuerſa ſenſibilia ſimul quinque repræſentant cùm ſcil. ſenſus cõmunis differentiam agnoſcit inter obiecta diuerſorum ſenſuum, vt inter colorem, & ſonum.

2813 *An dicti omnes vniuerſalitatis modi cuilibet Angelicæ ſpeciei conueniant.*

Hac diſtinctione præmiſſa, videndum eſt, an dicti omnes vniuerſalitatis modi cuilibet Angelicæ ſpeciei conueniant, & ſecundùm quem modũ vna ſpecies Angelica ſit vniuerſalior altera. Et primum quidem vniuerſalitatis modum in præcedenti Dubio probauimus ſpecies Angelicas ex naturali ſua perfectione ſibi vẽdicare, & quia ratio ibidem adducta eſt vniuerſalis ad ſpeciem omnium ordinum Angelorum, ideò non videntur excipiendæ ſpecies Angelorũ infimæ hierarchiæ. Quòd nõ obſcurè ſignificatur in textu; declarans .n. S.D. quo ſenſu ſpecies ſuperioris Angeli ſint vniuerſaliores, ait, oportet, quòd eius formæ ſint vniuerſaliores, quaſi ad plura ſe extendentes vnaquæq; earũ. Ex quibus ſic argumentor: aut illa dictio, plura, refertur ad indiuidua, aut ad ſpecies rerũ poſſibiles, aut ad rationes, ſiuè modos plures eidem rei conuenientes, aut ad ſpecies rerũ actu productas: ad nullũ trium priorũ poteſt referri, igitur ſpecies reſpicit actu productas. Maior patet ex ſufficienti diuiſione. Minoris prima pars probatur: quia ſpecies quælibet Angeli etiam omniũ infimi ſingula ſub natura ſpecifica comprę henſa repræſentat indiuidua, igitur in eorum repræſentatione vna non eſt vniuerſalior altera. Reliquas duas partes ſtatim dicenda comprobabunt.

2814 *Euaſio.*

Sed dices, D. Thom. hic loqui de Angelis ſuperioribus tantùm ſecundùm ordinẽ, vel hierarchiã, non autem, quoad ſolam ſpecificam differentiam.

Præcluditur, quia concluſio D. Th. prob. ex gradibus eſſentialibus Angelicæ naturæ ſimpliciter, ſecundùm quod vnus altero Deo proximior eſt.

At facilè reijcitur hęc ſolutio. Primò: quia nullũ habet in littera fundamentum; nulla namq; fit hic ordinis, aut hierarchię diſtinctio. Secundò: Quoniã ex gradibus eſſentialibus Angelicæ naturæ ſimpliciter, ſecundùm quos vnus altero Deo proximior eſt, tota vis argumenti dependet, quo probatur concluſio, non autem ex tali, vel tanta graduum differentia. Tertiò: quia S.D. in 2. contr. gent comparans intellectũ noſtrum omnibus ſubſtantiarum ſeparatarũ intellectibus, ita loquitur: *Intellectus autem noſter, quia infimum gradum tenet in ſubſtantijs intellectualibus, adeò particulares ſimilitudines requirit, quòd vnicuique cognoſcibili proprio oportet reſpondere propriam ſimilitudinem in ipſo; vnde per ſimilitudinem animalis non cognoſcit rationale, & per conſequens nec hominem, niſi ſecundùm quid; ſimilitudo autem intelligibilis, quæ eſt in ſubſtantia ſeparata, eſt vniuerſalioris virtutis ad plura repræſentanda ſufficiens, & ideò non facit imperfectiorem cognitionem, ſed perfectiorem; eſt enim vniuerſalis virtute ad modum formæ agentis in cauſa vniuerſali, quæ, quantò fuerit vniuerſalior, tantò ad plura ſe extendit, & efficaciùs producit. Per ſimilitudinem igitur vnam cognoſcit, & animal, & differentias animalis, aut etiam vniuerſaliori modo, & certiori ſecundùm ordinem ſubſtantiarum prædictarum.* Hæc ibi S.D., quib⁹ verbis apertè ſignificat, ſolam humanæ mentis ſpeciem intelligibilem vnius eſſe tantum quidditatis repræſentatiuam, eò quod infimum inter ſubſtantias intellectuales fuerit ſortita gradum, quamlibet autem ſubſtantiæ ſepa-

ratæ

ratę speciem intelligibilem plures ex sui natura speciis sub vno aliquo genere comprahensas repræsentare. Colligitur hęc eadē veritas ex discursu eiusdem S. Doctor. de verit. qu. 8. art. 10. ad 3.

2815 2. Enasio.

Obijcies fortasse verba Diui Thomæ in eadem quæst. art. 14. dicentis, *quemlibet Angelum per eandem formam multa simul intelligere, adminus omnia singulari a vnius speciei*.

Præluditur; quia D. Th. intendit, multa posse simul Angelum intelligere, siuè numero, siue specie distincta.

Sed per hęc verba nihil aliud intendit, nisi multa posse simul Angelum intelligere, siuè sint specie, siuè numero solo differentia, sic enim proposito ibi quęsito satisfacit, an scilicet Angeli simul multa cognoscant: an autem illa multa specie, vel numero solo distinguantur, impertinens est, & merè per accidens respectu quæsiti & conclusionis illius articuli. Secundùm autem vniuersalitatis modū negant Thomistę communiter & alij recentiores angelicę speciei conuenire, quòd scilicet possibiles aliquas repręsentet rerum quidditates. Ad cuius euidentiam scito, aliud esse loqui de Angelis à Deo creatis, & ordine naturis eorum ingenito, & aliud esse loqui de Angelis, qui pręter hunc rerum ordinem possunt à Deo creari. Nam, vt hic recentiores aduertunt perfectio cognitionis Angelicę plena consistit in intelligentia naturarum ad ordinē vniuersi pertinentium; vt enim ait Augustinus lib. 10. super genesim ad litteram cap. 8. res à Deo creatæ priùs conditæ sunt in ipsa cognitione Angelorum, quia scilicet rerum species intelligibiles inditæ fuerunt mentibus Angelorum prius natura, quam secundùm proprium esse res ipsę subsisterent: verum igitur tantum nunc existentium species cognitioni debentur Angelorum. Et Confirmatur: quia species Angelorum sunt quędam naturales proprietates ex eorum essentia dimanantes, ac proinde, sicut Angelorum essentię, sic & eorum species intelligibiles factę sunt huic vniuerso naturaliter proportionatæ, non autem creaturis, per Dei potentiā absolutam produci possibilibus; proportio verò tota speciei in obiecti distincta, perfectaque reprę sentatione consistit.

2816 Petes 1.

Petes primò. *An species Angelorum dicantur vniuersaliores, quia plures rerum species repræsentant, aut quia plura indiuidua.*

Resp. Species Angelorum nō ideò solùm dici vniuersales, quia plures rerum rationes repræsentent.

Resp. species Angelorum non ideò solùm dici vniuersaliores, quia plures rerum rationes, aut indiuidua repręsentent: Vndè nota quòd tertius vniuersalitatis modus videtur nō displicuisse Capreolo propter verba D. Thomæ de verit. qu. 8. art. 11. ad secundum vbi ait; *Species intellectus Angelici superioris dici magis vniuersales, non solùm, quia plurium rerum cognitionem causat, sed quia per pauciores formas superior Angelus ad eadem cognoscenda perficitur, & etiam ad perfectiùs cognoscendum, quia nimirum superior Angelus plures etiam rationes ex eisdem rebus intelligit.* Sed quid nomine rationum intelligat S. D. explicat in eadem quęst. art. 4. ad 1. dicens: *Non oportet quòd Angelus sciens rem aliquam, sciat omnes rationes intelligibiles de ipsa, & si fortè sciat omnes naturales proprietates, quæ comprahensione essentiæ cognoscuntur, non tamen scit ea secundùm omnes rationes, quibus subsistit ordini diuinæ prouidentiæ, quæ vna res ordinatur ad varios euentus, & de his rationibus Angeli inferiores à superioribus, vel supremis illuminantur.* Hæc ibi, ex quibus patet primò, mentem D. Th. nō esse species intelligibiles superiorum Angelorū nō esse vniuersaliores ob eam præcisè causā, quod plures rationes de eadem re cognita repræsentet, sed ex duplici causa simul iuncta, quia videlicet plurium rerū cognitionem causant, & plures etiā rationes Angelus ex eisdem rebus intelligit.

2817 S. Thomas loquitur locis citatis de rationibus supernaturalibus tantùm.

Secundò Patet, D. Thom. loqui de rationibus tantùm supernaturalibus, vt patet ex vltimis verbis. Ad rationes autem supernaturales intelligendas nō infunduntur Angelis nouę species, sed prę existentibus speciebus nouum additur lumen supernaturale, quo vigoratur intellectus, & species vna, vel plures simul intellectus Angelici vim accipiunt repręsentandi rationes diuinitùs reuelatas. Quamuis etiam congruè dici possit, ibi sermonem esse de rationibus naturalibus rei cōuenientibus in ordine ad diuinam prouidentiam naturalem, idest qua rebus prouidet, aut prouidere potest secundū legem, & ordinem singulis vniuersi partibus definitum; hanc enim legem, & ordinem, & rationes eius, prout ab ęternis dependet rationibus Prouisoris, Angelus ille perfectius intelligit, qui Deum naturali cognitione perspicaciùs intuetur; igitur quò fuerit Angeli natura sublimior, eò plures rerū rationes, prout ex ordine diuinæ prouidentię procedunt, poterit intueri. Neque Capreolus de speciebus vniuersalioribus loquebatur in alio sensu, nec rationum vocabulum apud eum alias, quā supernaturales rerum rationes, aut naturales, modò iam declarato, significat, nec de Angelis existentibus, sed de produci possibilium loquebatur.

Quare frustra laborant recentiores contra Capreolum, & eius opinionē minus fideliter referunt. Et quia probabile est. Angelum inferiorem secundum hierarchiam nō comprehendere superiorem, congruè dici potest speciem intelligibilem, qua Angeli infimę hierarchię intelligunt Angelum supræmæ hierarchię, plures rationes intelligibiles ordinis naturalis reprę sentare Angelo supremo infimę hierarchię, quàm repræsentet infimo eiusdem infimæ hierarchię.

Frustra recentiores laborāt contra Capreolum.

Iam verò quartum vniuersalitatis modum pręcisè sumptum, nullius nunc existentis Angeli speciebus conuenire secundùm mētem Angelici nostri Doctoris, satis perspicuè patet ex eius doctrina supra notata, quæ etiam est scientia philosophi, & Commentatoris in 12. metaph. text. 44. vt subtiliter probat ibi Soncinas qu. sua 60. Non sunt igitur species Angelorum etiam infimi ordinis ea tantū ratione vniuersales, quòd naturam specificam simul, & eius indiuidua repræsentent, sed etiam, quia per quamlibet earum, quilibet Angelus plures rerum materialiū intelligit quidditates. Is. n. congrue videtur Angelicæ naturę gradus dignitatis, qui non solùm eam ab anima mortali corpori copulata distinguat, sed etiam ab ea penitus à corpore separata, cui sic substanti tribuitur indidua per speciem quidditatis multa cognoscere: Nam quod Angelica species vniuersa sub communi natura contenta repræsentet, naturaliter indiuidua, non satis Angelicæ mentis speciem ab animæ rationalis separatæ specie distinguit.

2818 *Quartus vniuersalitatis modus pręcisè sumptus nullius existentis Angeli speciebus conuenire potest.*

Oportet .n. proportionaliter speciem à specie, & naturam à natura distingui, vt quantò nobilitatis excessu natura pręcellit naturam, tanto species sit intelligibili specie præstantior, est autem longè minor distantia dignitatis inter species, quarum vna cuncta naturaliter indiuidua repræsentet, altera verò solùm aliqua per quasdā ad singula determinationes offerat intellectui, quā sit inter animam nostram separatam, & angelum etiam infimæ hierarchię, vt facilè patet vtriusque rationes, modos, proprietates, & conditiones consideranti. His adde secundùm improbabilem philosophorū sententiam, celestes sphęras esse animatas anima intelligente. Huius igitur species erunt mediæ inter species animæ nostrę separatæ, & species infimi angeli, ita vt eas excellant, & his vero deficiunt: Constat autē, suprà gradum repræsentationis aliquorū indiuiduorū modo prædicto, qui conuenit speciebus animæ nostrę separatæ aliū nobiliorē, & immediatū repræsentationis gradū esse non posse, nisi eū, qui speciei cōuenit intelligibili vniuersa naturaliter indiuidua naturę specificæ repræsentanti. Nō est igitur hic modus infimæ substātiæ spirituali, & multò minùs toti infimi ordini, vel etiā hierarchiæ tribuendus, sed anima cæli improbabilem illam opinionem admittendo.

2819 *Oportet proportionaliter speciem à specie distingui, & natura à natura.*

Petes 2. *Quomodo superior Angelus creabilis à Deo vsq; in infinitū intelligat per pauciores species.*

2820 Petes 2.

Resp. de speciebus angeli supremi, & aliorū etiā eō nobiliorū à Deo producibiliū, pauca summa cū

Resp. præstando nullā

 breui-

Angelum comprahēdere totum ens, nisi per plures similitudines.

breuitate dicenda sunt. Ac primò certum est secundùm Diu. Thomam in 2. contra gentil. cap. 98. nullum Angelum compræhendere totum ens nisi per plures similitudines, quia similitudo totius entis esse non potest, nisi natura simpliciter infinita, quæ non determinatur ad aliquam speciem, vel genus entis, sed est vniuersale principium, & vir tus actiua totius entis, qualis est sola virtus diuina, vt ibidem ait Sanctus Doctor. igitur primus Angelus plures habet necessariò similitudines siuè species, & ad minus, duas, scilicet essentiam suam, qua se ipsum, & Deum cognoscit, & speciem aliam inditam, qua cæteras inferiores creaturas intelligat. Secundò constat apud eundem S. Doct. in sequenti quæst. art. 2. ad quartum. si Deus nouam aliquam creaturã, ac præsertim Angelum supremo nunc existente nobiliorem adiungeret vniuerso, speciem eius repræsentatiuam singulorum Angelorum mentibus additurum.

In Angelo illo nobiliori producto essent pauciores species per additionem pluralitatis, non per minorationem dualitatis.

Ex quo sequitur, in Angelo illo nobiliori de nouo producto pauciores esse futuras species intelligibiles, quã in Angelo, qui nunc supremus est, qui iam non duas tantùm, sed tres haberet species, quibus intelligeret, qui vero de nouo crearetur duas tantùm haberet scilicet essentiam suã, & speciem superadditam, cętera simul omnia distinctè repręsentantem. Et ita dicendum est de alio, & alio nobiliori vsque in infinitum à Deo producibili, pauciores enim semper essent species intelligibiles in Angelo de nouo producto, non per minorationé dualitatis specierum in ipso, sed per additionem pluralitatis in inferioribus, vt inquit Caietanus. Nullus enim Angelus inferior potest vnica specie plures Angelos superiores intelligere, cùm etiam, vt ante diximus sit probabilis eorum opinio, qui dicunt Angelum inferiorem non compręhendere superiorem, vt infra.

DVBIVM IV.

An hæ species sint vniuersaliores, quia aliquem gradum, seu naturam genericam repræsentant? An ex eo, quòd plures res sub vniuersali medio repræsentent.

2811 *Varij modi dicendi non adducuntur.*

Varij sunt modi respondendi, quos latissimè referunt, & tractant N. PP. Carmel. Salmant. *tract.* 17. *de Angelis disp.* 5. *D.* 5, *nu.* 107. *vsque ad* 138., *&* *Nauaret. hic contr.* 52. nos omnibus persatis breuiter respondemus ex doctrina Diu. Thom. Duo.

1. Conclusio. Species Angelorum non dicuntur vniuersaliores, quia obiectum aliquod repræsentant in vniuersali.

Primum est, quòd species Angelorum non dicuntur vniuersaliores, quia obiectum aliquod repræsentent in vniuersali, quod sit abstractum ab inferioribus, & vniuersale in prędicando, vel aliqua natura, & gradus genericus contrahibilis ad inferiora: sic enim, vt probat argumentum, solùm cognoscerentur res inferiores in confuso, & potentialiter, quia solùm attingerentur, vt contentæ in tali natura, & gradu superiori. Vnde hunc modum repręsentandi vniuersaliter apertè excludit Diu. Thomas *in hac quæst.* 55. *art* 3. *ad* 1. *& qu.* 8. *de verit. art.* 10. *ad* 1., & expressiùs *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 1. vbi dicit, quòd formæ Angelorum non sunt vniuersales neque sumpto vniuersali pro ipsa natura, quæ est in particularibus, licèt in eis non sit, secundùm rationem vniuersalitatis; neque sumpto vniuersali pro vniuersali per abstractionem.

Species dicuntur vniuersales ratione medij per quòd repræsentant res ipsas.

Solùm ergo dicuntur species Angelorum vniuersales ratione medij per quod repręsentant res ipsas vsque ad proprias essentias illorum. Et hoc medium quanto est vniuersalius, tantò perfectiùs, & intimiùs repræsentat res, quæ sub illo compręhenduntur, sicut causa quanto est vniuersalior, tanto vehementiùs influit in effectum, & intimiùs, ac profundiùs illum attingit, eò quòd talis causa est actiuior, & perfectior, & sic vniuersalitas eius est vniuersalitas actiuitatis, quæ ad plures rationes se extendit. Et ad hunc modum habent species Angelicę modum repręsentandi perfectioré, exprimendo in se repręsentatiuè id, quòd causa vniuersalior habet actiuè, & ad eum modũ attingendo plura obiecta in repræsentando, sicut causa vniuersalior attingit in causando, causa autem vniuersalis nõ attingit effectus suos solùm in communi, & in confusò, sed vsque ad particularia propria descendit, sic species illa vniuersalior in repræsentando attingit omnia particularia ex parte rei cognitæ.

2. Conclusio. hoc medium vniuersale, nõ habet ex parte obiecti aliquã vnitatem rationis.

2812 Secundùm, quod ex D. Thoma accipimus est, quòd non oportet hoc medium vniuersale, sub quo species Angelicę repræsentare dicuntur modo vniuersaliori, accipere ex parte alicuius rei, seù obiecti, quòd habeat vnitatem per modum rationis, quę, quasi sit res aliqua, quæ directè, & per se repręsentetur, tanquam res repræsentata, & cognoscibilis, & sub illa alię res contentæ repræsententur, sed sufficit ponere vnam rationem formalem, sub qua tales species repręsentent plures, ac diuersas quidditates, vel rationes intelligibiles. Quæ ratio formalis, *sub qua* non est aliud quàm respectus, & habitudo ad idęas Diuinas secundùm diuersum modũ quo causantur, & deriuantur res in hoc vniuerso: ab idęis enim diuinis exemplantur res in sua propria natura existentes in mentibus Angelorum tanquam in similitudine intentionali repręsentatę. Hanc enim esse mentẽ Diu. Thom. constat ex pluribus eius locis, in quibus ex S. August. affirmat similitudines, quæ sunt in mentibus Angelicis, esse quasdam similitudines deriuatas ab idæis diuinis, ità quòd sicut ab idęis procedunt res, vt existant, aut subsistant in proprijs entitatibus, ità etiam, vt repręsententur in mentibus Angelorum, vt patet *in hac quæst.* 55. *art.* 2., & *quæst.* 57. *art.* 2. *ad* 2., & *quæst.* 8. *de verit. art.* 10. *&* 11., & multis in locis, vbi tractatur de modo, quo Angeli cognoscunt singularia: semper enim recurrit ad hoc quod formę, seù similitudines intellectus Angelici sunt exemplatę ab idęis diuinis: Vndè sicut illę causant res, non solùm quoad formam, sed etiam quoad materiam, & indiuiduationis principia, & quoad omnes rationes, quę in vnaquaque re inueniuntur, ità similitudines repręsentatiuę in Angelis omnia repręsentare possunt, quæ sunt in aliqua re, siuè pertineant ad indiuiduationem, siuè ad specificationem, siue ad aliàs latentiores rationes: & de his tanto plures, vel pauciores rationes vnica similitudine explicari possunt, quantò similior est idęis diuinis causantibus tales res, & ab illis perfectiùs, & intimiùs exemplantur, & quasi sigillatur in mente Angeli.

Con firm. hec 2. Concl. ex D. Thom: pluribus in locis.

Confirm. 2. ex D. Th. quia id, quòd est ratio plurium, non potest esse ratio adæquata, sed inadæquata.

2813 Explicans autem D. Thom. quomodo hoc medium, & hæc ratio, à qua deriuãtur istę species ab idęis diuinis, potest esse ratio repræsentandi plura in speciebus Angelicis; atq; ideò constituere species vniuersales, idest, non adęquatè se habentes ad particularia obiecta, sed inadęquatè, multaq; complectentes, sic dicit *in quæst.* 8. *de verit. citata art.* 10. *ad* 3. *id quod vnum est, non potest esse ratio propria plurium, si sit eis adæquatum; sed si sit superexcedens, potest esse propria ratio plurium, quia continet in se vniformiter propria vniuscuiusque, quæ in eis diuisim inueniuntur. Et hoc modo essentia diuina est propria ratio rerum omnium; quia in ipsa vniformiter præexistit, quidquid diuisim in omnibus creaturis inuenitur,* vt Dionys. *dicit. Et similiter cum formæ intellectus Angelici sint excellentiores rebus ipsis, vt potè diuinæ essentiæ propinquiores, non est inconueniens, si vna forma intellectus Angelici sit propria ratio plurium secundùm diuersas eius habitudines ad res diuersas, ex quibus habitudinibus consurgit pluralitas idęarum. Sed formæ intellectus nostri accipiuntur ex rebus. Vndè non sunt superexcedentes rebus, sed quasi adæquatæ quantum ad repræsentationem, licèt sint excedentes, quantum ad modum essendi, quia immateriale esse habent.* Ità

Sanctus

S. Thomas. Quarè in eius sententia, & pro eius sensu percipiẽdo, duplex ordo intellectuum considerandus est. Nam intellectus humanus de se naturaliter inclinatus est adsumendas species ab obiectis, & quia obiecta de se non possunt imprimere nisi speciem talis intelligibilitatis, qualem ipsa fundant; ideò natus est intellectus formari speciebus adæquatis ipsis obiectis, à quibus eas haurit; & tales species habent semper aliquid, quod repræsentet, tamquam rem vnam repręsentatam, à cuius vnitate accipiunt vnitatem repræsentationis, quia sic obiectum vnum est.

2824 *Quando à Deo infunduntur species animæ humanæ, siuè naturales, siuè supernaturales, in modo repræsentandi se adaptant connaturali modo intellectus humani.*

Vnde fit, quod quando à Deo infunduntur species animæ humanæ pro isto statu, siuè sint naturalis ordinis, & per accideus infusæ (idest, quę alias possent non infundi, sed acquiri) siuè sint supernaturalis ordinis, & per se infusæ à tamẽ in modo repræsentandi se adaptant ipsi connaturali modo intellectus humani, vti videlicet tales species sint adæquatæ ipsis obiectis, & vnaquęque ad naturam obiecti adaptata, & concisa, ideò que anima Christi licèt perfectiores, & limpidiores species in scientia infusa receperit, quàm Angelus, fuerunt tamen magis particularizatæ, & coaptatę ipsis obiectis. At verò intellectus Angelicus ex natura sua est independens ab obiectis, quantum ad hoc, quod est non sumere species ab ipsis. Vnde non coaptantur species suę intelligibilitati, quæ est in obiectis, nec ad earum vnitatem respicitur vnitas rei repræsentatę, sed desumit species, seu similitudines suas, vt deriuatas ab ideis diuinis, quæ sunt principia rerum ipsarum, seu obiectorum, sicut si aliquis ad cognoscendam Domum nõ respiceret eam, prout est in ipsis lapidibꝰ, & lignis iam fabricata, sed prout est in aliqua copia descendente ab idea artificis, in qua perfectè figuraretur magis, vel minus vnitè, sicut domus ducentorum cubitorum potest in vno palmo perfectè delineari, desumendo id ab idea artificis. Et tunc non consideratur vnitas speciei ex vnitate, vel multiplicitate rei repræsentantę, sed ex modo, quo ab arte delineatur, & adunatur sub quadam vniuersalitate, & vnitate ipsius artis, sic delineantis. Sicut ex vno sigillo, vel typo potest exprimi figura, quæ simul repræsentet hominem, & æquum, & arborem, quia non attenditur hæc vnitas ex ipsis rebus, sed ex modo, quo deriuatur à sigillo, & vniuntur in eo. Et ita S. Thomas *in 2. distinct. 3. q. 2. ad primum*, dicit, quòd, *Est quoddam vniuersale ad rem*, idest vniuersale per modum causæ, *quod est prius re ipsa, sicut forma Domus in mente ædificatoris, & per hunc modum sunt formæ vniuersales rerum in mente Angeli, non ita, quòd sint operatiuæ, sed operationis similes. Et art. 3. seq. in fine corporis, inquit, quòd formæ, quæ sunt in mente Angeli, sunt simillimæ rationibus idealibus in mente diuina existentibus, sicut deductę immediatè exemplariter ab eis.*

2825 *Res à diuina mẽte profluũt, & res in propria natura, & materia, sicut domus ab artifice.*

Itaque vno verbo, à diuina mente tanquam ab artefice profluunt, & res in propria natura, & materia, sicut domus ab artifico in lapidibus, & lignis, & profluunt imagines repræsentatiuæ talium rerum, sicut ab artefice fit in papyro, vel cera, aut ære incisio, & copia domus faciendæ, quam typum, seu modellum vocamus; & hæc nõ desumit suam vnitatem ex re ipsa fabricata, vt in se, sed ex vnitate, & modo, quo est in mente artificis. Et quia artifex sua idea potest adunare plura, vel pauciora alicuius artificij, vel edificij secundũ diuersas habitudines, potest etiam magis, vel minus adunare res repręsentatas in vna similitudine, & sicut potest vno typo coniungere plures partes vnius domus, ita plures domus provna ciuitate, aut plures ciuitates pro vno regno; licet quia hæc in materia aliqua pinguntur non ita perfectè exprimantur: Deus autem, qui depingit intelligibiles intentiones in mente Angeli, ex suis ideis eas imprimit cum perfectissima repræsentatione, & eum ea adunatione, & vnitate, qua in ideis adunantur, seu simili ad illas, & participata ab illis.

Obiectio.

Sed dices: Vnde habemus, quod Deus infundit Angelis species sic deriuatas à suis ideis; & non vt adæquatas ipsis obiectis? hoc enim non nisi diuinando dici potest. Et dato, quod ita sit, adhuc nõ sequitur intentum.

Confirm.

Nam ideæ diuinę considerari possunt, vel vt attingunt res ipsas ideatas, & multiplicantur secundùm habitudines ad ipsas, vel ex parte Dei, secundùm quod illa omnia sub vno modo cognoscendi, & operandi compræhendit. Si considerentur ideæ, secundùm quod distinguũtur penes ideata diuersæ ideæ, sicut sunt res ipsæ ideatæ, vt ex D. Thom. supra diximus, & sic tot erunt species in Angelo, quot sunt ideæ multiplicatæ ad multiplicationem ideatorum, quod est per inde, atque accipere species ab obiectis. Sic enim multiplicantur ideæ, sicut obiecta ipsa. Si vero considerentur ideę ex parte ipsius Dei, & modi cognoscendi illius, & operandi, sic non multiplicantur ideæ, sed sunt vnum, & ita si species Angelicę pro hac parte imitantur ideas, vna species erit in omnibus non multiplex, quia modus idearum vnus est.

2826 *Resp. primò nullum est incõueniẽs, quòd Deus formet species angelicas ex ideis diuinis.*

Resp. quod in primis hoc nullam habet repugnantiam, quod Deus ex suis ideis, ex quibus vniuersam creaturam format, formet etiam intelligiles species, & mentibus imprimat Angelorum, ita quod in eis formet intelligibilem mundum, sicut extra format illum in sua materia. Quod verò ita de facto fecerit, non diuinando dicitur, sed cum maximo fundamento, tùm quia expresse asseritur à Sancto August. 2. de Genesi ad litteram cap. 8, vt affert illum locum S. Th. *hic q. 55. art. 2.* Quod, *Deus priùs ex rationibus, per quas condidit creaturas, fecit eas in cognitione, seu mente Angelorum, ac deinde in se ipsis.* Dicitur etiam Angelus, *signaculum similitudinis plenus sapientia*. Ezechiel. 28. quasi in ipso suæ creationis initio sigillatus sapientia à Deo, quod est ex eius ideis, & scientia participare formas suas intelligibiles, quibus sapientia formatur. Congruum quoque est naturę eius, quia cùm sit forma purè intellectualis, & spiritualis nec sensus habeat, quibus ab obiectis corporeis hauriat species, nec aliæ spirituales substantiæ creatæ eius menti illabi possunt, vt eum forment, oportuit à summo spiritu, qui omnium obiectorum continet rationes, formari, eique species imprimi à tali spiritu summo deriuatas, & hoc est ab eius ideis deriuari similitudines in angelos, quia purè spiritualis est, & à spiritu conditore non ab obiectis formari debet.

2827 *Ad confirm. Resp. ideas quãuis multiplicẽtur ex parte connotati, et habeant summã ex parte verò Dei, vnitatem.*

Ad id verò, quod dicitur de multiplicatione idearum, respondemus quodlibet ideæ multiplicentur per connotationem, & habitudinem ad res in se, ex parte autem Dei, & modi intelligendi eius habeant summam vnitatem, in mente tamen Angelorum deriuantur pro captu suo non solum ita diuisæ, sicut res ipsę ideatæ, sed cum aliqua vnitate, seu adunatione ex parte modi idearum, quia repræsentant res, vt producuntur à Deo, & sic ex ipso modo producendi, quem repræsentant, vnitatẽ sortiri possunt, quia sub illa habitudine repręsentant sub qua descendunt à Deo. Sed tamen, quia sunt similitudines deficientes ab ipsa simplicitate, & infinitate diuinarum idearum, vt sunt in Deo, non possunt illum vnicum modum, qui ex parte Dei se tenet, vnico, & adæquato modo repræsentare, sed diuerso, vnaquęque iuxta modum, & captum suũ. Et sic quia ideę diuinę causant res non solùm secundùm habitudinem, & dependentiam ab ipso Deo, qui summè, & infinitè vnus est, sed secundùm habitudines diuersas ad causas, & fines magis particulares, vel etiam magis vniuersales; ideo nõ solum attenditur distinctio idearum secundùm diuersitatem ipsarum rerum procedentium, sed etiã secundùm diuersos respectus, & modos procedendi, & secundùm diuersas habitudines ad diuersos fines: hæc omnia ad ideas pertinent. Et quia possunt deriuari ab illis ideis similitudines magis etiam, vel minus vniuersales in repręsentando res sub illa deriuatione, qua fluunt à Deo, sub habitudine magis, vel minus ampla, & vniuersali, sicut artifex, quo superior est, potest efformare similitudinẽ

vnius

vnius domus, secundùm quod in se est quoddam particulare ædificium, vel secundùm quod conducit ad ciuitatem, sicut est arx; vel totius ciuitatis, aut integri exercitus, vel classis secundùm quod conducit ad bonum regni.

2828 *Secundùm diuersas habitudines fit vniuersalior repræsentatio, & similitudo.*

Et sic secùdùm diuersas habitudines fit vniuersalior repræsentatio, & similitudo. Sic ab ideis diuinis possunt in mente Angeli deriuari similitudines lapidum, vel herbarum, vt conducunt ad medicinalem virtutem, vel vt pertinent ad climata huius regionis, potiùs quàm illius, & similiter similitudines auium, quatenus tali regioni deseruiunt, aut tali ciuitati, aut situi, vel etiam secundùm quod pertinent ad ornatum integri elementi, verbi gratia aeris, vel terræ, vbi est altior, & vniuersalior finis; vel etiam secundùm quod fiunt à causis vniuersalibus, aut denique secundùm alias diuersas habitudines, & fines, qui variari possunt modo, quo ista deriuantur à Deo. Quod vnico verbo dixit S. Thom. *Quæst. illa 8. de verit. art. 10. ad 3. Quod, vna forma intellectus angelici est ratio propria plurium secundùm diuersas eius habitudines ad diuersas res, ex quibus habitudinibus consurgit pluralitas idearum.* Nota hoc benè.

2829 *Concedimus species angelicas non esse vniuersales ex eo, quod aliquam naturā in vniuersali repræsentant.*

Vnde concedendo, quod species Angelicæ non sunt vniuersales, ex eo quòd aliquam naturam in vniuersali, seu gradum aliquem genericum directè, & per se repræsentent, vt expressè talem vniuersalitatem repręsentandi excludit S. Thomas *in 2. dist. 3. qu. 2. art. 2. ad 3.* Sed ex eo, quod repræsentant plures res sub aliquo vniuersali medio, idest quatenus descendunt à Deo, & ab ideis diuinis secundum diuersas habitudines, vt declaratum est, conformiter ad captum, modumque ipsius Angeli. Vnde non oportet istis speciebus assignare vnā rationem, tanquam obiectum, *quod*, seu ex parte rei cogitatæ, & rationis formalis, *qua*, sed tanquā obiectum *quo*, & ex parte rationis formalis *sub qua*, scilicet quatenus res illæ descendunt à Deo sub tali, vel tali habitudine, & ordine magis, vel minus vniente res illas in ratione deriuandi à Deo.

2830 *Instabis.*

Instabis; nullus modus, aut accidens, aut conditio, aut respectus, vel nulla causa, aut ratio creata potest adunare perfectè in intelligibilitate plures quidditates.

Res. ratio creata secundùm se, non potest esse ratio adunandi plura.

Resp., quod conditio, aut respectus, seu ratio aliqua creata, si sumatur secundùm se, non potest esse ratio adunandi perfectè in repræsentatione plura obiecta; Si autem sumatur non præcisè secundùm se, sed vt descendens à Deo, & ab ideis diuinis; Sic potest esse ratio repræsentandi plura perfectè, & distinctè, quia perfectè, & distinctè descendunt à Deo, & ab ideis diuinis. Vnde non oportet vnitatem huius repræsentationis sumere ex aliqua vnitate rerum repræsentatarū in se, sed ex vnitate, & modo exēplaris, à quo deriuantur; sicut sigillatum sumit vnitatem à sigillo, licet res valdè diuersarum figurarum exprimat. Et ista ratio sub qua, non est repręsentabilis, *vt quod* sed, *vt quo*, & hoc sufficit ad vnitatem repræsentationis sic sigillatæ à diuino exemplari, & idea.

2831 *Vrgebis.*

Vrgebis; duæ quidditates specificæ repręsentari possunt per duas species adęquatas, nec habere possunt aliquid in quo in aliquo adunentur, quod perfectè, & distinctè illas repræsentet, quę est replica Arrubalis *disp. 165. c. 1.*

Resp. illas quidditates non esse repræsentabiles per diuersas species adæquatas.

Respond. quod illæ quidditates sunt repręsentabiles per diuersas species adæquatas, si secundū se, & secundùm inferiores, & proprias rationes considerentur, quæ ex obiectis ipsis desumuntur, illisq; adæquantur. Si autem repræsententur secundùm altiorem rationem scilicet, vt procedunt à Deo, seu ab ideis diuinis, & secundùm similitudinem, & sigillationem ab ipsis sic possunt repræsentari in superiori ratione, & tamē repręsentari propriè, & distinctè, quia non repræsentantur ibi vt in gradu, & prædicato superiori, sed vt in causalitate, & processu ab exemplari superiori, in quo vniri possunt illæ res, quæ alias in se sunt diuersæ secundùm diuersas habitudines magis, vel minus vniuersales secūdùm quas ab illis procedunt: Sicut arborem, & lapidem, & fluuium possunt repræsentare distinctè figuræ, & picturæ, si res illę secundùm se considerentur, sed si in vno sigillo, seu typo ista omnia adunētur, vnica sigillatione possunt imprimi, & repręsentari.

2832 *Ex hoc non infertur res videri in Deo ab angelis, sed in similitudinibus.*

Nec ex hoc inferri potest, quód videntur in ipso Deo, seu in ideis, vt tenent se ex parte ipsius Dei, quia videtur in similitudinibus, seu per similitudines deriuatas ab ipsis ideis, quæ non repræsentant ideas ipsas, vt sunt in se, & ex parte Dei, sed res ipsas ideatas prout procedunt, & dependent passiuè à Deo, quod totum pertinet ad ordinem naturalem, prout tales creaturæ erant à Deo ad componendum hoc vniuersum, & sub diuersis respectibus, seu finibus sub quibus istæ, vel illæ creaturæ adunantur, & producuntur, repræsentari possunt, sicut res sigillata non repræsentat sigillum, vt est aureum, vel æreum in se, sed prout recipitur impressio eius in sigillato.

DVBIVM V.

An secundùm differentiam specificam vnius Angeli, correspondeat eleuatior modus cognoscendi, ac species, & An detur angelus, qui omnia, vnica specie cognoscat.

2833 *Concl. secūdùm differentiā specificam vnius Angeli, eleuatior modus cognoscendi repræsentat.*

Conclusio sine dubio probabilior est, quod secundùm differentiam specificā vnius Angeli, eleuatior modus cognoscendi, & vniuersalior species correspondet, & cùm quilibet Angelus habeat diuersam naturæ speciem, quilibet superior in specie, habet aliquam superioritatem in modo repræsentandi specierum. Et ad hoc facit doctrina S. Thomæ, qui *in hac q. 55. art. 3.* absolutè, & sine distinctione, docet quod Angelus, quò superior, eò per pauciores species intelligit: est autem superior, etiamsi non hierarchia, aut ordine, sed etiam specie inæqualis superior sit. Et *quæst. 8. de verit. art. 10.* inquit, quod, *quantò in Angelo fuerit plus de actu, & minus de potentia, tantò emanatio huiusmodi rationum*, intellige emanationem à Deo non à natura Angeli, *minus in ipso multiplicabitur*. Quę ratio currit respectu cuiuscumque Angeli specie diuersi ab alio; quæcumque differentia specifica facit Angelum esse superiorem alio, & plus habere de actu, & magis participare diuinam similitudinē, quæ sunt rationes minùs multiplicandi species, & perfectiùs participandi similitudinem diuinam.

2834 *Confirm. ex D. Thoma.*

Vnde procedit argumentum, quo vtitur D. Th. *q. de anima art. 1. in corp. & ad 5.* nam angeli hoc ipso, quod differunt specie differunt etiam in participatione diuinæ similitudinis, & magis, vel minus ad eum accedunt: Ergo etiam differunt in participanda similitudine diuinarum idearum: Ergo oportet, quòd simpliciori modo repræsētet species perfectioris Angeli, atque adeo, & modo vniuersaliori, qui magis vnitus, & simplex est, siquidem participatio illa idearum actualior est, & minus habet de potentia: ergo magis vnita, & simplex est repræsentatio.

2835 *Instantia.*

Quod si inquiras: Si ita est, quòd Angeli, ex eo quod superiores, & actualiores in sua natura pauciores habent species, & quantò inferiores, tantò plures habent, cur etiam non dicemus, quód Angeli quantò inferiores, tantò plures potentias habent ad intelligendum, & quantò superiores, minùs. Si verò in inferioribus est vna potentia, sicut in superioribus, sed potentia inferiorum est minùs actualis, & efficax, magisque potentialis, potentia vero superiorum magis vigorosa, & formalior, cur etiam non dicemus idem de speciebus, quod æquè numero species erunt in superioribus, & in inferioribus, sed in superioribus magis perfectè, & vnitè, in inferioribus minus.

Resp. potentiā

Respond. Quod potentia intellectiua non potest magis

intellectus non posse multiplicari in superioribus, quã in inferioribus.

magis multiplicari in superioribus Angelis, quàm in inferioribus, imò quàm in hominibus, quia potentia est vis intellectiuæ naturæ per modum virtutis ex parte naturæ, & subiecti, quæ potest in totum ens, eò, quòd omne intelligibile est obiectum adæquatum eius. Vnde non habet per quid diuidatur, & multiplicetur in eodem subiecto, si quidẽ est potentia vniuersalissima, & virtus tendens ad omne ens hoc ipso, quòd intellectiua est; Solùm autem differt in diuersis naturis ex diuerso modo, & actualitate, qua magis, vel minus immaterialiter tendit in sua obiecta. At verò species non se habent sicut ipsa potentia, quę respicit obiectum per modum vniuersalis tendentię in quodcumque intelligibile, sed sunt repręsentationes ex parte obiecti se tenentes, tanquam vice obiecti subrogatę in potentia, quę determinant indifferentiam potentiæ; & sic ex diuerso modo repræsentandi diuersa obiecta, diuersificantur.

2836 *Quare aliquæ species possint complecti plura, aliæ pauciora obiecta.*

Et licet possint aliquæ species complecti plura obiecta in manifestatione, seu modo manifestandi superiori, aliæ pauciora, hoc ideò est, quia obiecta illa vniuntur in aliqua ratione manifestabili, & intelligibili superiori prout in se obiecta conueniunt, vel ab ideis diuinis exemplantur. Sed negamus posse easdem numero species ęquè poni in intellectu inferiori, atque in superiori, quia si superiores, & vniuersaliores sunt, non repræsentabunt inferiori intellectui distinctè, & propriè res ipsas, sicut superiori, quia improportionatæ illi sunt; & ideo ad habendam propriam cognitionem oportet multiplicari species. Et quia proprium munus speciei est, repræsentationem obiectorum propriã facere; ideò simpliciter oportet multiplicari species in inferioribus, vbi nõ potest distincta notitia, & repræsentatio obiectorum fieri, nisi multiplicatis, & diuisis speciebus, vt in nobis constat: quod non currit de potentia ipsa, seu virtute intelligẽdi, ad quam non pertinet distinctè obiecta manifestare repræsentando, sed solùm secundùm suum modum in illa tendere, actum eliciendo.

2837 *Instabis.*

Dices, perueniri posse ad Angelum, qui omnia intelligat vnica specie.

Resp. loquendo de angelis inferioribus, id non sequi, quia de quolibet superiori debet inferior habere speciem distinctam.

Respondeo Primò id non sequi in Angelis inferioribus respectu superiorum, quia de quolibet superiori debet inferior habere speciem distinctam, non eandem cum specie rerum inferiorum. Cuius ratio est, quia Angeli superiores excedunt virtutem Angeli inferioris: Ergo oportet quòd, vt repræsententur intellectui inferioris secundùm capacitatem eius, quilibet repræsentetur secundùm distinctam speciem, non autem omnes superiores Angeli per modum vnius inter se, & multo minùs, vt vnum rebus inferioribus: Nam si quilibet Angelus superior est excedens, & improportionatus capacitati inferioris, si plures vniantur in vna ratione superiori, illa magis conducet ad improportionandum, quàm ad coaptandum angelos superiores inferioribus. Vnde, & Angeli superiores, quando illuminant inferiorem rationes illas superiores multiplicant, & diuidunt, vt ab inferiori capi possit, vt ex D. Dyonis. docet S. Th. *infr. q. 106. art. 1.* quòd exemplo nostri intellectus comprobatur, quia tardiores intellectus non possunt ita vnitè intelligere, sed indigent diuidi sibi, & multiplicari ea, quæ intelligere volunt. Quare nunquam stare potest, quod Angelus inferior, qui habet alium superiorem, possit intelligere omnia obiecta, quæ sũt extra se per vnicam speciem: Nam etiam dato, quod inferiora sibi intelligenter per vnicam speciem, tamen superiores naturas per distinctas species debet intelligere; & sic nunquã omnia per vnicam speciem.

2838 *Loquendo verò de angelo supremo respectu omnium infra se, duplex est modus dicendi.*

Loquendo ergo de Angelo supremo respectu omnium infra se, vel de quolibet Angelo respectu suorum inferiorum (nam seipsum quilibet Angelus cognoscit per propriam substantiam loco speciei) duplex est modus probabilis respondendi, qui in re tam obscura, & nobis impenetrabili sufficiens iudicari debet. Primus censet, non esse inconueniens, quòd quilibet Angelus intelligeat omnia sibi inferiora per vnicam speciem, nec id videtur superare capacitatem intellectus Angeli, eò quòd habet perfectionem superantem omnia illa, quæ sibi inferiora sunt; & sic non repugnat, quod per vnam speciem sibi proportionatam omnia illa possit vnire in repræsentatione. Pro quo modo dicẽdi. P. Suarez *lib. 2. de Angelis cap. 16 nu. 15. & 16.* Citat Caietanum, & nonnullos Thomistas aliosq; authores. *Primus modus*

Instantia contra primum modum.

Et si instetur, quod Angelus inferior si intelligit omnia sibi inferiora per vnam speciem: Ergo Angelus immediatè illi superior intelliget eadem inferiora sine vlla specie, vel per suammet substantiam, quia debet intelligere altiori modo, & per pauciores species, nec est aliquis altior modus, quàm per nullam, vel per suam substantiam, aut si intelligit per vnam, sicut inferior, habebit æqualem speciem cum illo respectu inferiorum.

2839 *Resp. quòd semper angelus superior retinet speciem vniuersaliorem, quàm inferior*

Resp. facilè, quòd semper Angelus superior retinet speciem vniuersaliorem, quàm immediatè sibi inferior, eò quod complectitur plura in illa vnica specie, quàm inferior, nempè omnia, quæ inferiori Angelo repræsentantur in sua specie, & superaddit aliquid aliud, nempe ipsummet Angelum inferiorem, quem cum reliquis rebus inferioribus repræsentant: respectu autem superiorum Angelorum habebit species distinctas, & sic semper superior angelus habebit pauciores species, quàm inferior, nam angelus inferior habebat de illo superiori angelo speciem, & de omnibus sibi inferioribus aliã, seipsum autem per suam substantiam intelligit. Angelus autem superior de se ipso non habet speciem accidentalem, sed se intelligit per suam substantiam. De angelo autem inferiori, & reliquis rebus habet vnã tantùm speciem. De superioribus autem tot habet, quot sunt superiores, sicut etiam habebat inferior angelus. Deueniendo autem ad angelum supremum ille intelliget etiam omnia inferiora sua per vnicam speciem, & seipsũ per suam substantiam.

2840 *Si crearetur alius angelus superior, tunc desineret esse supremus ille alius.*

Si autem crearetur alius angelus superior, & tunc desineret esse supremus ille alius inferior, inferiora omnia etiam per vnicam speciem intelligeret, in illa tamen includet etiam angelum, qui anteà erat supremus, quia sibi inferior est, & in hoc excedet speciem illius, quia hæc repręsentabat omnia inferiora illi angelo, sed non ipsummet angelum, quia cognoscebat se per suam suam substantiam. Et vlterius ille angelus superior, qui de nouo creatur habebit pauciores species, quàm ille, qui antè erat supremus, quia ille hoc ipso, quod creatur angelus supra ipsum, hoc ipso recipiet speciem repræsentantem sibi ipsummet superiorem; & sic iam habebit duas species vnam de superiori, alteram de omnibus inferioribus: ille autem, qui de nouo creatur solùm habet vnam de omnibus inferioribus, nullam autem de aliquo superiori.

Secundus modus asserit esse valde difficile admittere, quod vnus angelus possit per suam speciem omnia inferiora intelligere.

Alij verò existimant valdè difficile, quod vnus Angelus possit per suam speciem omnia sibi inferiora intelligere: Sic enim minimus angelus omnia corpora vnica specie intelliget, quod videtur valdè incredibile, & ideò dicunt, quòd nunquam peruenitur ad aliquem angelum, qui vnica specie omnia inferiora cognoscat.

2841 *Prima Ratio.*

Primò quidem, quia vniuersalitas specierum, vt sit maior non est necesse, quòd plures species rerũ adunet, & repræsentet, sed sufficit, quòd circa eamdem res plures rationes intelligibiles penetret, vt docet S. Thom. *qu. 8. de verit. art. 16. ad 1.* id est plures respectus ad causas latentiores, vt mox dicemus, vel etiam plura indiuidua ex possibilibus possit in eadem re penetrare.

Neque hic 2. modus est contra rationem comprahensionis.

Neque hoc contra rationem compræhensionis est, vt objicit Suarez citatus, quia licet quilibet angelus compræhendat inferiorem naturam, intelligitur hoc de comprehensione absoluta, quantum ad ea, scilicet, quæ absolutè, & in ordine ad se conueniunt

ueniunt rei: Non autem de compræhensione respectiua, quia non videt omnia, quæ tali naturæ possunt conuenire respectu aliarum causarum superiorum verbi gratia respectu superiorum Angelorum, qui aliqua poterunt causare erga talem naturam, quæ non poterit causare Angelus inferior, eaque non ita perfectè intelligit inferior angelus, sicut superior. Itaque ita latentes rationes, & connexiones causarum non æquè percipiunt omnes: & ideò in hoc potest crescere maior vniuersalitas specierum compræhendendo plures rationes etiā respectu eiusdem rei, ad quas tamen inferior angelus pluribus speciebus indigebit, si eas distinctè, & perfectè debet cognoscere. Et sic non quælibet vniuersalitas maior specierum exigit plures quidditates adunare, sed sufficit plures rationes eiusdem.

2842 *2. Ratio. quia plures quidditates spirituales non possunt perfectè in vna adunari specie.*

Secundò, etiamsi quilibet angelus superior habeat speciem magis vniuersalem in hoc, quòd plures quidditates specificas adunet in ea, & sic addēdo vnam quidditatem alteri, possit perueniri ad vnum angelum, qui omnia corporalia vnica specie intelligat, tamen non eadem facilitate plures quidditates spirituales perfectè adunantur in vna specie, proportionatè ad capacitatem intellectus superioris propter maximam perfectionem spiritualiū substantiarum, quarum accidentia, & affectiones, seu operationes intelligibiles, & voluntariæ, sunt maioris multitudinis, & latentioris profunditatis, & superioris perfectionis; & ideò magis indigent multiplicatione specierum, vt distinctè cognoscātur. Fortassis etiam inter ipsas res corporeas aliquæ sunt tantæ perfectionis, quod non possunt ità facilè penetrari vnica specie simul cum alijs, sed indigent pluribus. Itaque in istis aliquid sic, vel sic ampliùs determinare, omninò incertum est, cū omnibus manifesta non sit mensura, quia singulos angelos Deus mensus est. Sufficit aperire viam ne deueniatur adhoc, vt angelus se, & omnia tàm inferiora, quàm superiora vnica specie cognoscat.

DVBIVM VI.

An repugnet, quòd ea omnia, quę vnica specie repræsentantur, vnico etiam actu adęquato ab Angelo intelligantur.

2843 *Concl. Non repugnat, quòd omnia ea, quæ vnica specie repræsentantur, vnico etiā actu adæquato ab angelo intelligantur.*

COnclusio est affirmat. Non enim repugnat, quòd omnia ea, quæ vna specie repræsentātur, vnico etiam actu adæquato ab angelo intelligantur; dummodo in ipsis rebus sint conditiones debitæ, & requisitæ, vt res possint attingi ab angelo, scilicet, quòd non sint intra causas, nec ad genus moralitatis pertineant, sed ad genus naturale, & tanquam aliquid huius vniuersi: potest etiam angelus vti aliqua specie inadæquatè ad intelligendū aliquid in tali specie contentum, & non omnia. Quocumque verò modo, siue in ipsa repręsentatione speciei, siue in ipsa cognitione, non sequitur infinitas. Constat hoc ex D.Thom. Nam *infra q. 58. art. 2.* resoluit, quod, *angeli omnia illa simul possunt intelligere, quæ vna specie cognoscuntur, non illa, quę diuersis*. Idem autem est apud Diu. Thomam simul intelligere, & vno actu intelligere: Nam de cognitione, qua cognoscunt angeli res in verbo dicit ibi, quod *simul omnia cognoscunt, quia non erunt volubiles cogitationes ex alijs in alias redeuntes, sed omnem scientiam nostram vno simul conspectu videbimus*; Ergo idem est simul cognoscere, & vno actu cognoscere, quia in patria vno actu cognoscuntur omnia in Deo. Similiter, quod possit angelus inadæquatę vti specie illa, quam habet, docet Sanctus Thomas *in qu. 8. art. 13. ad 2. & 4.* vbi ait posse angelum in vna specie ad diuersas cognitiones habēdas, & ideò Angelus, qui videt in alio species, quas habet, non videt cogitationem, & vsum earū, quia potest vti specie illa in hanc, vel illam partem.

2844 *Ratio est, quia species proportionatur lumini, & potentię, videatur, si debita, & proportionata est illi*

Ratio autem huius est, quia species proportionatur lumini, & potentię, cui datur, si debita, & proportionata illi est. Ergo si vtatur intellectus sua virtute, & lumine adæquatè, poterit omnia illa adæquatè, quæ in tali specie repręsentantur, & cōsequenter vnico actu videre: Sed quia vis intelligendi in suo exercitio subditur moderationi voluntatis, potest vti aliqua specie, & lumine nō adæquatè, sed per inadæquatos conceptus, vel vnum tantùm obiectum intelligere, vel non omnes rationes intelligibiles de eodem. Et sic potest præscindere diuersos conceptus, & prædicata, quę rebus conueniunt, sicque formare conceptum de genere, aut specie, alijsque gradibus seorsum vnum ab alio, vel etiam accipere aliqua accidentia vnius rei, & non alia, loquendo de consideratione actuali, quam pro libito exercere potest, supponendo tamen, quod habet compręhensiuam cognitionem de rebus, tùm habitualiter in vi specierum, & efficaciæ luminis, quia potest proximè intelligere adęquatè, & perfectè rem sibi proportionatam; tùm quia actualiter vtitur tali compręhensione, quando perfectè, & adæquatè se determinat ad aliquid; tùm denique, quia licèt in specie repręsentante plures quidditates, non semper respiciat ad omnes simul, vtendo adæquatè tali specie, tamen si aliquā illarum intelligat, compręhensiuè, & plenè intelliget, quantum est ex vi luminis, licet pro libito, & applicatione voluntatis possit omittere in consideratione aliqua ex pertinentibus ad talem rem.

2845 *Instabis.*

Quod verò infertur pro inconuenienti, sed poterit angelus cognoscere, vel illa species repręsentare infinita.

Resp. hoc non sequi, quia angelus de facto non cognoscit nisi ea, quæ ad hoc vniuersum naturaliter spectant.

In primis, quod attinet ad infinitum actu. Numquam hoc sequitur, quia Angelus non cognoscit da facto, neque species sibi repręsentant, nisi ea, quę ad hoc vniuersum in ordine naturali spectant: hęc enim est eius sphæra, & propria limitatio, vt *sequenti disput.* dicemus. In hoc autē vniuerso nunquam actu, & simul erunt infinita; quod est infinitum categorematicè. Quod verò sint finita in potentia, aut possint infinita succedere, & illa omnia possit angelus per eandem speciem successiuè intelligere, nihil inconueniens est, neque hoc arguit infinitatem simpliciter, sed secūdùm quid, sicut eadem potentia intellectiua potest infinitas intellectiones successiuè elicere, & idem cęlum infinitas circulationes, & illuminationes habere, si durat motus eius in ęternum.

Licet repræsētare vnum indiuiduum, sit perfectio, repræsentare verò infinita, & infinita perfectio determinata.

Deinde dicitur, quod licet repræsentare vnum indiuiduum, vel vnam speciem sit perfectio, & repræsentare aliam maior perfectio, tamen repręsentare infinita est infinita perfectio, distinguo, est infinita perfectio, in genere determinato superabili, & vincibili per perfectionem finitam superioris ordinis, concedo; est perfectio infinita simpliciter, & non contenta sub aliquo superioris ordinis, nego, In his enim calculationibus incidit defectus, quia numeratur perfectio ex accretione maioris excessus in aliquo genere inferiori, quæ quidem non pertransitur infinito modo, sed in aliquo finito superioris ordinis continetur, ea enim, quę inferioris generis, seu ordinis sunt, licèt in infinitum multiplicari possint in se, tamen non requiritur ad illa vincenda infinitus transitus, sed sufficit poni aliquid superioris ordinis, quod hoc ipso, quod superioris ordinis est, licèt sit finitum in se, ęquiualet infinitis ordinis inferioris, id est toti generi inferiori, quia omnia superat in perfectione, sicut Rex ęquiualet omnibus subditis, & superat in dignitate, & cęlum infinitis corruptibilibus sibi inferioribus; & sic de alijs.

2846 *Infinita repræsentationes ordinis inferioris, exceduntur per vnam superioris ordinis.*

Quare infinitæ illę repręsentationes de indiuiduis, vel de speciebus modo inferiori factis exceduntur per vnam repræsentationem altioris ordinis deriuatam ab ideis diuinis, quę plura illa in vnū adunare potest. Nec obstat, quod dicitur, speciem quæ pręsentat duas, vel tres quidditates posse etiam repræsentare in infinitum, respondetur enim, quod cùm istæ plures quidditates repræsententur, quatenus

tenus

tenus vnitur, sub aliqua ratione formalis *ly vna*, siuè sit ratio *sub qua*, siuè ratio, *quę*, limitatur semper species repræsentatiua, & non admittendũ plures quidditates, quàm quæ sub illa formali ratione contineri possunt, quæ finita est; & ita à qualibet quidditate repræsentata inadæquatè limitatur illa species, & ab omnibus, & contentis sub illa ratione formali adæquatè.

QVÆSTIO LVI. D.Th.

De cognitione Angelorum respectu immaterialium.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angelus cognoscat se ipsum.

SVMMA ARTICVLI. D.Th.

COncl. Angelus intelligit seipsũ per suã substantiã. Prob. Ad hoc, quòd aliquid sit formale principium intelligendi, quatuor conditiones debet habere. Prima est, vt illud, quòd est principiũ intelligẽdi sit in ipsa intellectione. 2. quòd tale obiectũ se habeat, vt forma, qua potẽtia operatur. 3. quòd tale principiũ moueat potentiã. 4. quòd inhæreat ipsi intelligẽti: harũ autẽ quatuor conditionum duæ primę sunt sẽper necessariò requisitę, quę conueniunt substantiæ Angeli, vt consideranti patebit, vltimę verò non sunt necessariæ, ergo &c.

Arg. 1. cognita substãtia, cognoscũtur virtutes. Sed Angeli ignorãt proprias virtutes ex Dyon. *6. c. cœlest. Hierar.* ergo. Resp. neg. mi. ad prob. dicitur. Quòd littera illa est antiquę translationis, quę corrigitur per nouã, in qua dicitur: Prętereà, & ipsos, scil. Angelos, cognouisse proprias virtutes.

Arg. 2. Nullũ singulare est intelligibile. Sed Angelus est quoddã singulare. aliàs Angel⁹ nõ ageret, cùm actus sit singularium subsistentiũ. ergo. Res. ma. esse verã se singularib⁹ materialibus; falsam verò de immaterialibus, hæc .n. sunt cognoscibilia, Angeli autem sunt singulares spirituales.

Arg. 3. si Angelus intelligeret seipsũ; ageret, & pateretur à se ipso, cùm intelligere sit quoddã pati, *ex 3. de Anima*. Sed hoc est impossibile, quia nihil mouetur à seipso. ergo. Resp. neg. seq. & ad prob. tũc intellect⁹ patitur ab intelligibili, quando est in potẽtia ad illud: intellect⁹ autẽ Angelicus nõ est in potentia respectu proprij intellectus.

DISPVTATIO CCLXXXIII.

Proponuntur, & explicantur quatuor principia Caietani, & declaratur modus, quo Angelus se ipsum cognoscit.

2847 Primum principium Caiet. modus intelligendi est iuxta modũ, quo intelligens est ipsũ intelligibile.

AD *quęsitę veritatis euidentiam considerandũ est, naturam cognoscitiuam, vt cognoscitiua est, intentam a natura fuisse per se primò; vt esset omnia per eam cognoscibilia, siuè per speciem illi superadditam, vt latè superius ostendimus, quæst. 12. & 13. per Caietanum, qui propositam difficultatem hic explicat eruditè quatuor propositis fundamentis, siuè principijs. Primum est,* oportere intelligentem habere in se naturã intelligibilis, & esse ipsum intelligibile, & cõsequenter etiam modum intelligẽdi esse iuxta modum, quo intelligens est ipsum intelligibile. *Angelus autem idem est, quod sua substantia, tàm secundùm eius esse naturale, quàm secundùm eius esse intelligibile (idem enim sunt esse naturale, & intelligibile in substantia immateriali completa subsistente; vt probat S. Thomas sup. quæst. decima quarta articulo primo) atque adeò substantiam suã, siuè seipsum nulla mediante specie, sed per ipsammet substantiam immediatè cognoscit. Cum cęteris verò naturis non est idem angelus, nec in esse naturali, neque in esse intelligibili, nisi media specie superaddita, & ideò non per suam, aut per earum essentias, sed per species intellectus superadditas, eas intelligit. Secũdum est,* intelligentẽ, siue cognoscentẽ, eodẽ modo se habere ad actũ cognoscendi, siue naturas cognoscibilium habeat in sui substantia, siuè in ipsa tantùm cognoscitiua potentia; *Quo fit, vt in præposita difficultate nihil omninò referat distinctio, vel idẽtitas intellectus angeli cum essentia; siuè namque distinguatur, siuè non distinguatur pro vno semper computanda sunt perfecto, & integro intelligente substantia intelligentis, & intellectus. Ad hoc enim instituta est intelligentes creati natura, vt sit omnia intelligibilia: Sed, quia finita est, non potest omnia formaliter, nec eminenter continere, atque adeò necesse fuit supplere per additam ex ipsa natura fluentem intelligendi facultatem, realiter ab ea distinctam, eò quòd essentialiter finitę naturæ competere minimè potuit. Est igitur intellectus proprium intellectualis naturæ complementum, vt ipso mediante siuè magis supplente, seu complente, & quasi vicem ipsius substantiæ gerente fiat omnia, vel vt ex eo simul cum substantia intellectuali per eum completa constituatur vnum intelligẽs, quod esse valeat omnia intelligibilia, siuè per substantiam, siuè per intellectum. Vt n hic aduertit Caietanus. Considerãdum est intelligere primò esse opus substantiæ intelligentis, & ideo perfectior est actus intelligendi, si substantia intelligentis sit ipsum obiectum intelligibile per identitatem; ita vt vim habeat simul intelligentis, & obiecti, quàm, si realiter sit ab obiecto distincta, & solùm vim habeat operantis, media verò potentia fiat ipsum obiectum.*

2848 2. Principiũ. Intelligentem eodem modo se habet ad actum intelligendi, siue habeat naturas cognoscibiliũ in sui substantia, siue in potentia.

Tertium Caietani fundamentum est, substantiam angeli, quia subsistentiam habet in esse immateriali completam, esse simul intellectiuã, & actu intelligibilẽ; *& ideò ex ea fluere vim, qua se ipsã intelligat absq; alia formatione per speciẽ: eo quòd angeli substãtia speciẽ omnẽ præueniat, & munus eius suppleat excellenter determinando, & modificãdo vim intellectiuam magis, siuè meliùs, quàm fieri possit per accidens quodcumq; superadditum, cùm sibi magis intrinseca sit substantia, quàm sit, aut esse possit eidem intrinsecum accidens eius potentiæ superadditum.*

2849 3. Principium. Substantia angeli est simul intellectiua, & actu intelligibilis.

Vltimum eius fundamentum est, intellectũ angeli ab eius *essentia fluere, prout est actus intelligibilis, & magis intimiusq; formari per eam in genere intelligibili, quàm per quamcumq; speciẽ intentionalẽ illi superadditã, ac propterea non esse distinguendum inter intellectum, & intelligentem, vt sic sed esse velut vnũ considerandum; Ne dum angeli substantiam, & eius intellectum, vt duo quasi seorsum posita, & aliqua simul vnione copulanda contemplamur, deceptionem vulgaribus communem incurramus.*

4. Principium Intellectũ angeli ab eius essentia fluere, pro est actu intelligibilis.

Ad eius ampliorem euidentiam scito, substantiam angeli, & eius intellectum dupliciter posse comparari: Vno modo prout diuersarum naturarum entia sunt; illa .n. substantia est, hic autem accidens: Alio modo, prout ad vnius substantiæ intelligentis perfectionem concurrunt, modo iam exposito. Primo modo, realẽ sibi vendicant distinctionem. Secundò vero modo nullam distinctionẽ requirunt, sed magis identatem, non quãcumque, sed in ordine entis intellectiui, vt intellectiuũ est, nam vt antè diximus intellectus vices, ac munus supplet angelicæ substantiæ in eius loco præstans, quod non potest ipsa secũdùm se. Et quia intellectus potentia est intellectiua, substãtia vero est intelligibile, necesse est eorũ vnitatẽ esse cũ informatione vnius respectu alterius, nẽpe intelligibilis scil. substãtiæ respectu intellectus, q postea est ipsũ intelligibile. At qualis sit hæc

2850 Substantia angeli, & eius intellectum dupliciter comparari.

 informa-

informatio, non est facilè declarare; Sed ex ipsius Angeli e natura perfectione videtur huic dubitationi posse satisfieri. Est enim angelus natura, siuè substantia intellectualis, & intelligibilis completè subsistens, potentiam habens intelligendi, cuius obiectum proportionatum est ipsa intelligentis substantia, ac proinde conuersiuus est naturaliter intellectus in ipsum angelũ intelligentẽ ad eum primò intelligendũ.

2851 Conuersio intellectus Angeli in sui essentiam, fit per hoc, quod intellectus intelligẽdi eiusdem sit substantiæ.

Fit autem hæc cõuersio per hoc, quòd intellectus est virtus intelligendi illius eiusdẽ substantiæ, quæ est eius obiectum naturale, & quæ est ipsum intelligens sibi magis idẽ in esse intelligibili, quàm alteri cuicumque rei ab eius natura distinctæ; Ex hoc .n. habet intellectus, qui virtus est talis substantiæ, vt eam sibi præsentem habeat in esse intelligibili in actu secundo, nõ minùs, quã lux obiecta virtuti visiuæ fit illi eẽet p̄lens in esse visibili, vt actu videatur. Non est .n. de formarũ separatarum natura, potentiaq; iudicandum, sicut de formis materiæ concretis, aut earum virtutibus iudicamus; harum .n. obiecta propter earum imperfectionem sunt extrinseca; non .n. potest oculus, aut intellectus noster directè, ac immediatè seipsum, aut animæ substantiã, cuius est virtus, intueri, sed externos primò calores videt oculus, & rerum extra animam existentium sensibilium quidditates primò cognoscit intellectus, quibus mediantibus ad animæ suæ substantiã, & sui naturam contemplandam motu quasi reflexu, conuertitur. At immaterialis substantia separata completè subsistẽs, vim habet intellectiuã naturaliter in se ipsã primò conuersã hoc ipso, quod naturaliter est intelligibilis, simul, & intellectiua, ita vt ad eundem essendi modũ, & ordinẽ pertineat, vt intellectiua, ad quẽ pertineat, vt intelligibilis, ac proinde vt sit obiectu sui intellectus naturaliter proportionatum, vt probat Sãctus Doctor supra q. 12. art. 4.

2852 Discrimen assignatur inter intellectum substantiæ separatæ, & Animæ nostræ coniunctæ.

Hoc igitur interest inter intellectũ substantiæ separatæ, & intellectũ animæ nostræ cõiunctæ, quod intellectus substãtiæ separatæ ex duplici parte directè, ac immediatè respicit intelligibile Nã primo respicit ipsũ intelligens, à quo veluti fonte deriuatur, itaut hoc ipso, quod talis substãtiæ virtus est ex ea naturaliter emanãs ipsã primò respiciat, ac præsentẽ habeat in esse intelligibili, non minùs, quàm sit illi præsens in esse naturali; deinde per additas species in alia conuertitur intelligibilia. Duplicẽ igitur habet respectũ instar Iani Bifrõtis intellectus Angeli, alterũ ad se ipsũ ob dictã caussã, & alterũ ad extrinseca. Qui duo respectus, ac modi intelligẽdi sũt valdè diuersi, sicut, & modi, quibus illi præsẽtia fiunt hinc, & inde posita intelligibilia, maximè differũt; Habet .n. intellectus angeli præsentẽ substantiã, & angelum ipsum: quoniam est virtus eius naturalis, non quomodocumque, sed quatenus substãtia, & angelus est intelligibilis, simul, & intellectiuus; cætera verò sũt illi præsentia per additas species in eo receptas. Et hoc est, quod in quarto supra notato fundamento significare voluit Caiet. et prosequitur, intellectum angeli ab vtroq; intelligibili informationẽ habere valde differentẽ, eam scilicet, quã habet à substãtia propria, & eam quamlibet ab extrinseco intelligibili.

2853 Petes.

Petes. Explicari vberius, quomodo essẽtia angeli sit iforma intelligibilis proprij intellectus.

Resp. prænotando, quod intellectus nihil aliud est, quam vitalis vis intellectionis.

Resp. Prænotandũ intellectũ, vt intellectus est, nihil aliud habere nisi, quòd sit vitalis potestas ad talẽ operationẽ exercẽdã, quæ est intellectio, & ad nullũ obiectum ex sui ratione formali sibi determinationẽ vendicare, sed eam ab obiecto recipere, siuè sit illi naturaliter vnitũ per speciẽ, aut per essentiã, aut per identitatẽ, siuè successu tẽporis illud, aut eius speciẽ in se recipiat: fit autẽ vnio intelligibilis cum intellectu per hoc, quòd vnum sit alterum in esse intelligibili: Cùm itaque non alio modo informetur intellectus ab intelligibili nisi per hoc, quòd illud habet sibi coniunctum, vt idem in esse intelligibili: sequitur, vt quò fuerit maior, aut intimior vnio, eò sit perfectior informatio: Cùm itaq; longè sit maior vnio inter intellectũ Angeli, & eius substantiam, quæ est illius obiectum proportionatum, quàm inter eundum intellectum, & aliarum rerum naturas, aut earum species, consequens, est etiam, multò perfectiùs eum à substantia propria informari, quàm à quouis alio intelligibili. Sed

2854 Cauenda est ambiguitas in nomine informationis.

Cauenda est ambiguitas in nomine informationis; Nam secundùm vsum philosophorum, communem realem distinctionem importat inter informationis subiectum, & formam; vt patet discurrenti per formas, tàm substantiales, quàm accidentales, & earum subiecta. Verum aliud est loqui de informatione secundùm esse naturale, & aliud secundùm esse intelligibile; illa namque distinctionem exigit in vtroque extremo realem; hæc autem sola distinctione formali ex natura rei contenta est; Et prouenit hæc differentia ex alia priori; quia scilicet per naturalem informationem resultat vnum tertium, quasi totum ex partibus; per intelligibilem autem informationem nõ fit vnum tertium, sed vtrumque extremum fit aliud, aut naturaliter est aliud: in proposito tamen idest in Angelo distinguitur realiter essentia informans ab intellectu per eam informato.

2853 Potest intelligibilis informatio fieri quatuor modis.

Potest autem intelligibilis informatio fieri quatuor modis. Primus, omniumque notissimus ille est, qui fit per speciem ab obiecto, & à cognoscẽnte, & ab eius intellectu distinctam. Secundus est, qui fit per extrinseci intelligibilis essentiam intellectui immediatè coniunctam; quòd in sola supernaturali, & beatificata visione contingit Tertius modus fit per identitatem obiecti in esse naturæ, & in esse intelligibili cum substantia intelligentis, vt paulò ante declarauimus. Vltimus modus esse, aut fingi potest per identitatem obiecti secundùm esse naturale, & intelligibile cum intellectu: vt enim hic aduertit Caietanus ex. 2. de anima, siuè constituamus animæ substantiam habere in se ipsa clausas intrinsecè naturas obiectorum, siuè ponamus potentiis animæ cognoscitiuas tales habere naturas, idest indicium. quo ad hoc, quod est, cognoscentẽ posse cognitionis actu exercere, aut non posse.

2856 Nihil refert ad propositã difficultatem distinctio, vel identitas intellectus cum angelo.

Quamobrem, vt ait Caietanus nihil refert ad propositam difficultatem distinctio, vel identitas intellectus cum angelo, sed in hoc vno tantùm erit posita differentia, quòd posita reali distinctione intellectus ab essentia, sola constituetur secundùm esse intelligibile identitas formæ scilicet essentiæ, & informati, scilicet intellectus, remouente eorum distinctione reali secundùm esse naturæ; quæ tamen distinctio non erit inter intelligentem, scilicet, Angelum, & ipsum intelligibile scilicet eius substantiam, quæ est angelus ipse; posita verò intellectus, & substantiæ identitate reali, idem etiam erunt realiter, tàm in esse naturæ, quàm in esse intelligibili, forma, quæ est essentia, & informatum, quod intellectus, & tamen ibi vera poterit esse formalis distinctio ex natura rei; quam nos realem metaphysicam nuncupamus; quæ necessariò constituenda est inter essentiam cuiuslibet rei creatæ, & eius potentiam, eò, quòd potentia transcendentalem, & essentialem habet ordinem ad obiectũ; quòd essentiæ spiritualis substantiæ completæ minimè congruit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum vnus Angelus alium cognoscat.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio affirmat. Prob. ea, quorũ rationes sunt in intellectu cuiuslibet Angeli, à quolibet Angelo cognoscuntur. Sed rationes omnium Angelorum sunt in intellectu cuiuslibet Angeli: Nam rationes omnium rerum, tàm corporalium, quàm spiritualium fuerunt influxæ à Deo intellectui cuiuslibet Angeli, ex D. Aug. 2. *super Gen. ad litteram.* ergo quilibet Angelus omnes alios cognoscit.

Arg. 1. si intellectus humanus haberet in se aliquam naturam, de numero naturarum sensibilium, non posset alias cognoscere, nam Arist. 3. de Anima, ait; intus existẽs prohibet extraneũ: sed Angelus habet in se naturam determinatam. ergo. Resp. neg. conseq.

consequ.& Ratio dispa ritatis est; quia naturæ corporeæ distinguuntur iu natura, proptereà vnam aliam prohibet; Angeli autem non distinguuntur in natura, sed in gradu.

Arg. 2. Vnus Angelus non est causa alterius Angeli, nec ab eo causatus: ergo vnus Angelus nō cognoscit alium. Resp. neg. cōseq. quia quando cognoscens habet cogniti similitudinem, siuè sit causa cogniti, siuè non, adhuc ipsum cognoscet.

Arg. 3. Vnus Angelus non cognoscit aliū per essentiam cognoscentis, quia tunc non haberet de alio, nisi communē cognitionē. Nec per essentiā cogniti; quia essentia vni' Angeli non est intra cognoscentē per illapsum. Nec per speciem, quia species illa non differret ab essentia Angeli, ergo. Resp. cognoscere per speciem, quæ cùm non sit subsistens, potest esse in intellectu alterius Angeli, & sic differt secundùm esse naturale, & intentionale.

Arg. 4. Vnus Angelus nō habet speciem innatā alterius Angeli, aliàs si Deus nūc de nouo crearet aliquem Angelum, nō posset cognosci ab his, qui nunc sunt. Nec acquisitā, aliàs superiores nō cognoscerēt inferiores, à quibus nihil accipiūt, ergo. Resp. habe re speciē innatā. Et ad prob. dicitur quòd Deus vnamquamque creaturā fecit, proportionatā vniuerso, secundùm quòd facere disposuit: & ideò si Deus instituisset plures Angelos, vel naturas rerum, plures species intelligibiles mētibus Angelicis impressisset.

DISPVTATIO CCLXXXIV.

An Vnus Angelus possit alium cognoscere per essentiam ipsius Angeli cognoscentis, aut Angeli cogniti.

2857 Concl. plures habet partes.

Concl. Angelum non cognoscere, nec posse cognoscere alterū Angelum per essentiam ipsius Angeli cognoscentis, aut angeli cogniti, & oppositam sententiam non esse probabilem.

Prima est. Superior, ac inferior angelus per intelligētis essentiam non cognosci.

In examinandis, ac definiendis proposita Disputationis difficultatibus, quæ multiplices in eius priori, ac præcipua parte continentur, non est nobis necesse multum laboris insumere, cùm ex maiori parte veterum, & recentiorum Theologorum studio, ac diligentia fuerint definita. Nam primò superiorem, aut inferiorem Angelum per intelligentis essentiam non cognosci, satis constat ex articulo primo quæstionis præcedentis, quod etiam probat efficaciter S. D. Capit. nonagesimo octauo, secundò contra Gentiles, & de veritate quæstione octaua art. septimo, *& pluribus Argumentis confirmat Bannes Dub. primò, & Zumel. qu. prima.*

Secunda: Nullum angelum ab alio cognosci per essentiam angeli cogniti.

Deinde nullum Angelum ab altero cognosci per essentiam Angeli cogniti, probant eisdem locis vberrimè S. D., & expositores prædicti, qui pluribus etiā argumentis ostendunt, vnum Angelum alterum non cognoscere per species ab eo abstractas, aut ab eo in intellectum cognoscentis immissas. Vasquez, denique phantasiam, specierum excludit necessitas, quam probant animastici in quæstionibus ad tertiū de Anima, & Bannes infrà quæst. 85. art. 1. ad quos Lectorem remitto: huius enim difficultatis examen, ac definitio ad præsentem locum minimè pertinet; superest ergo nobis secunda tantùm controuersiæ pars, breuiter attingenda, cùm prædictorum, & aliorum etiā expositorum diligentia mirificè fuerit illustrata, & fortassis plenè definita.

2858 Difficultas.

Est igitur quæstio: Num sit possibile, vnum angelum cognoscere alterum per substantiam ipsius Angeli cogniti, vnitam intellectui cognoscentis in ratione speciei intelligibilis, vel etiam per substantiam ipsius Angeli cognoscentis, vt speciem distinctè repræsentantem.

Resp. notādo sententiā D. Th.

Pro cuius aliquali resolutione, attendendus est primò modus loquendi S. Tho. in prædicto art. septimo, quæst. octaua de veritate; non enim affirmat simpliciter, argumentis illis posse satisfieri, quibus ibidem probat vnum angelum non posse alterum angelum per suam, nec per ipsius angeli cogniti substantiam intelligere, sed tantùm ait, ad eas aliquo modo posse responderi, qua loquendi forma satis apertè significat, responsiones argumentis illis diluendis afferri possibiles, non esse plenè, neque verè sufficientes: sed primo aspectu dumtaxat verisimiles, nec esse solidas, ac reales, sed apparentes; atque adeò non anxie nobis esse laborandum in exquirendis solutionibus, quibus ea confutari possint argumenta, & opposita sententia valeat sustineri.

2859 Nota 2. Quæ scribunt Valentia, & Vazquez.

Secundò videnda sunt: Quæ scribunt Valentia, & Vasquez in quæst. præcedente, articulo primo contra vim rationis Diu. Thomæ, qua probat, Angelum non omnia cognoscere per suam substantiam, quibus ibi satisfecimus; ex illis enim expositoribus colligi poterunt apparentes quædam, sed minimè solidæ responsiones ad eas, & similes alias rationes probantes non esse possibile, vnum Angelum per suam substantiam alterum Angelum saltem superiorem cognoscere, quibus adde, quæ scribit Vasq. super hoc articulo capitulo primo suæ disput. 205.

Nota 3. Quæ scribit Zumel in 1. concl. huius artic.

Tertiò legenda sunt, quæ notat Zumel in sua quæstione prima ad hunc articulum in prima conclusione post Ferrariensem in dicto Capitulo nonagesimo octauo, vbi satis acutè defendit conclusionem illam videlicet: Sententia, quæ docet, non esse impossibile prorsus, quod Angelus cognoscat angelum per essētiam ipsius cogniti, non est adeo euidenter falsa, vt argumenta eius sint omninò in efficacia, ac proinde non apparet simpliciter impossibilis ille modus dicendi.

Nota 4. Quę dicta sunt to. 1. qu. 12. art. 2. de vnione diuinę essentię cum intellectu Beati.

Quartò videnda sunt ea, quæ supra notauimus to. 1. art. 2 quæst. 12. de modo vnionis diuinæ essentiæ cum intellectu Beati, & de concursu cum ea ad actum visionis: Ex quibus habetur primò, essentiam angeli non posse esse formam intelligibilem alicuius intellectus. Secundò formam omnem intelligibilem vniri intellectui, vt principium formale, & effectiuum actus visionis, quod tamen negant asserentes, vnum angelum posse alterum intueri per eius essentiam. Tertiò non sufficere præsentiam localem, siuè indistantiam secundùm substantias Angelorum cognoscentis, & cogniti, vt opinantur Zumel, & Molina. Sequitur euidenter hoc tertium ex duobus prædictis, si namque necesse est formam omnem intelligibilem vniri intellectui, vt principium formale, & non potest angeli substantia alterius intellectus esse forma, consequens est, vnius angeli substantiam esse non posse alterius intellectui rationem intelligendi, ac proinde non sufficere præsentiam illam localem, vt vnus angelum aliū per eius essentiam intueatur.

2860 Resolutio difficultatis. merè accidentalis est localis propinquitas vnius angeli respectu alterius ad intellectionem.

Igitur merè accidentalis, ac impertinens est localis illa propinquitas, quod etiam hac vnica ratione probatur: Nam Angelus Angelo propinquus in loco non est, nisi quatenus sua virtute corpus attingit corpori proximum, in quod alius Angelus operatur: at non est necesse, sed merè per accidens est, quòd Angelus intelligens angelum, operetur extrinsecus, & existat in loco; ergo propinquitas illa localis hic interuenit merè per accidens. Probatur minor: Quoniam operatio prior, & immanens Angeli nobilissima, qualis est intellectio alterius angeli, non pendet ab operatione posteriori, & minùs nobili, qualis est operatio transiens. Et confirmatur: Quoniam, vt sæpe diximus in quæstione quinquagesima secunda, potest angelus esse nullibi, quòd ex eo patet etiam perspicuè, quòd potuit Deus solam spiritualem producere creaturam absque corporea, & nunc productam corpoream creaturam potest annihilare, nec tamen quicquam naturalis perfectionis tolleretur ab angelis, ac eius præsertim, quæ ad operationes pertinent immanentes.

DVBIVM VNICVM.

An Angeli inferiores comprehendant superiores.

2861 *Concl. negat.*

Prob. quia intellectus angeli inferioris nō habet substantiam eiusdem perfectionis cū superiori.

COnclusio est negatiua, ita Nazarius hic, Suar. disp. 35. met. sect. 4. n. 4. & alij.

Primum fundamentum deducitur ex eo, quòd intellectus Angeli inferioris non habet substantiā, & naturam adæquatam in perfectione, & actualitate Angelo superiori: Ergo neque in virtute, & efficacia intelligendi: Ergo neque in ipsa cognitione, & sic ex proprijs operando non potest ipsum comprehendere, quia non potest adæquare, & cōprehendere, adæquare est, sicut, neque oculus infirmus, & debilis potest perfectissimum visibile, & perfectissimam lucem adæquare, & plenè exhaurire. Totus discursus legitimus est, & propositiones eius negari non possunt, siquidem constat substantiam Angeli inferioris esse inæqualem cum superiori in perfectione, cùm sint diuersæ speciei, & aliqui etiam sint diuersi in ordine, aut hierarchia; quòd tamen non facit maiorem diuersitatem, quā in specie, quia omnes Angeli eiusdem generis sūt, licèt intra hoc genus, quædam species magis distent ab alijs, quàm aliæ.

2862 *Euasio.*

Igitur si diuersę speciei sunt, & inęquales: ergo inferior non adæquat superiorem, licèt superior non solùm adęquet, sed excedat illam.

Præcluditur.

Quòd si dantur aliqui angeli eiusdem speciei, vt multi sentiunt contra Diu. Thomam, de illis non procedit difficultas, quia solùm est quęstio de angelis inferioribus respectu superiorum, non de æqualibus. Reliquę vero propositiones ex ista robur accipiunt, quia virtus Angeli intellectiua, & actus cognoscendi eius sequuntur ad hanc radicē propriæ naturæ, & iuxta eius modum, sic est modus intelligendi, quia natura dicit intellectualitatem radicabilem, radicali autem intellectualitati debet conformari actualis, seu formalis.

Confir. quia species superioris angeli sunt vniuersaliores, & immaterialiores respectu inferioris.

Et confirmatur, atque vrgetur hæc ratio ex simili consequentia, quam format Sanctus Doctor *in quæst. 16. de malo art. 8.* Componens species intellectus superioris. consequentia est huiusmodi: *In vno quoque intellectu species intelligibiles superioris intellectus sunt vniuersaliores, & ideò non possunt comprehendi per species intelligibiles inferioris intellectus: & ideò inferior intellectus non potest eas perfectè cognoscere.* Vbi Sanctus Doctor tradit generalem doctrinam de quocumque intellectu non autem solùm de intellectu humano, nec de solis speciebus intellectus humani collatis cum speciebus Angelorum, vt aliqui dicunt, nón veró de speciebus Angelicis superioris, & inferioris angeli collatis inter se. Nam licèt Diuus Thomas applicet postea istam doctrinam ad probandum, quòd Angeli boni, vel mali possunt cognoscere species in anima nostra existentes, tamen adhoc affert doctrinam generalem de quocumque intellectu, & de quibuscumque speciebus superioris intellectus respectu inferioris, Ergo sine fundamento aliquo id restringitur ad solum intellectum humanum respectu Angelici: imo nihil probaret D. Thom., quia si intendit probare, quòd intellectus Angelicus, quia superior est, comprehendit species intellectus humani, & adhoc affert pro probatione, quod species superioris intellectus sunt vniuersaliores; & ideò non possunt comprehendi per species intelligibiles inferiores, bene autem potest intellectus superior comprehendere species inferioris, intelligendo per superiorem, Angelicum, & per inferiorem, humanum; Sensus esset, quod quia species intellectus Angelici comprehendunt species humani, ideo intellectus Angeli comprehendit species humani, quod esset probare idem per idem.

2863 *Formatur argumentum ex prædicta ratione D. Th.*

Ex hac ergo doctrina D. Thom. fit argumentū, D. Thom. ponit illam causalem, ideò non possunt per species intelligibiles inferioris intellectus, cōprehendi species superioris intellectus, quia vniuersaliores sunt: Ergo etiam intellectus Angeli inferioris non comprehendet intellectum superioris, quia vniuersalior est. Nam eadem proportio, quæ est inter species superioris, & inferioris, est inter intellectum superioris, & inferioris, præsertim, quia inferior Angelus non potest intelligere superiorem, nisi per species sibi infusas: Ergo si iste secundùm D. Thom. non comprehendit species superioris intellectus, neque etiam cōprehendunt intellectum superioris Angeli. Et saltem hoc habemus ex D. Thom. quod Angelus inferior non comprehendit omne ens naturale, quia species superioris Angeli naturalis ordinis sunt, & tamen eas non comprehendit angelus inferior.

Respondebis essentiam Angeli superioris, & eius intellectualitatem, & intelligibilitatem entitatiuè sumptam materialiter esse excedentem, & inadæquatam Angelo inferiori, non tamen formaliter, & in linea intelligibili: intelligibilitas enim formalis consequitur ad radicalem, seu entitatiuam. Benè autem stat, quòd aliquid sit superior, & inæquale alteri in ipsa intelligibilitate entitatiua, seu radicali, & materialiter sumpta, sed possunt plures res intelligibiles in esse rei inæquales, conuenire in eadem intelligibilitate formali, & consequenter Inferior intellectus comprehēdere superiorem, quia adhoc sufficit, quod adęquetur ipsi in linea intelligibili, licèt non in esse entitatiuo; & similiter dices species inferioris Angeli non comprehendere species superioris, quia species non sunt ens naturale, sub ordine, & linea entitatiua, sed sub ordine, & linea intelligibili, & quādo dicit D. Thom., quòd angelus inferior comprehendit totum ens naturale intelligitur de ente naturali, vt dicti nō ab ordine intelligibili, & prout est solū in linea entitatiua. Nec oportet ad comprehensionem angeli superioris comprehendi species illi infusas, quia non sunt accidentia, seu proprietates ab eius essentia fluentes, sed quæ veniunt ab extra, & per infusionem Dei. Vnde sufficit ad comprehensionem superioris angeli, comprehendere intellectum eius nudè, & in se non autem species eius. *Euasio.*

2864 *An comprehēsa essentia angeli superioris, debeāt species superioris comprehendi.*

Cæterùm ista responsio in intelligibilis videtur, & implicatoria. Nam intelligibilitas formalis omninò sequitur ad radicalem, & entitatiuam, illique proportionatur. Neque enim potest esse immaterialitas, seu spiritualitas in esse rei excedens, & inæqualis alteri, & eius intelligibilitas formalis æqualis cum intelligibilitate sui inferioris, quia intelligibilitas ista formalis se habet, vt proprietas quædam consequuta ad radicalem, & tota entitas intellectiua radicalis petit habere aliquam intelligibilitatem sibi propriam, & adæquatam, quam non habet altera species, seu entitas intellectiua, quia vnicuique rei conuenit sua intelligibilitas passiua propria, sicut conuenit sua intelligibilitas actiua, seu intellectualis, quæ est ipsemet intellectus, si substantia intellectiua sit. Ergo non stat, quòd intelligibilitas passiua formalis propria, & per se correspondens intelligibilitati radicali sit eiusdem rationis, & æqualitatis cum intelligibilitate formali alterius rei, si ipsæ intelligibilitates radicales, seu entitatiuè acceptę sint inæquales in esse entis. Imò, cùm id, quód intelligitur in obiecto, non sit intelligibilitas formalis tantum, sed entitas ipsius, quia hæc pręcipuè intenditur cognosci: si hæc inadęquata, & inæqualis est cognitioni rei inferioris, non manet comprehensa ab illa, quantumcumque dicatur inferior cognitio adæquari intelligibilitati illi rei superioris.

2865 *Præcluditur, quia intelligibilitas formalis omninò sequitur ad entitatiuam, & radicalem.*

Nam illa intelligibilitas formalis, vel manifestat totam entitatem rei superioris, eamque adęquat, tanquam propria illius, vel non; si non adęquat, ergo nequeest propria intelligibilitas rei superioris, neque sufficit ad cōprehensionem illius, quia illa est propria intelligibilitas alicuius rei, quę totam ei reddit intelligibile, & manifestam, quia si ali-

2866 *Conf. Nam vel illa intelligibilitas formalis adæquat totam entitatem rei, vel non.*

si aliquid illius relinquit non manifestatum, nec intelligibile respectu illius, diminuta est; & ideò adhuc maiorem intelligibilitatem res illa exigit; & sic illa non erit propria eius, nec comprehensiua, quia non est adequata illi. Si autē illa intelligibilitas adæquat, & manifestat totam rem illam superiorem, eamque reddit intelligibilem: ergo non potest esse æqualis, & adęquata formali intelligibilitati; & intellectualitati rei inferioris, quia Angelus inferior per propriam intelligibilitatem suam formalem, etiam comprehensiuè cognitam, non potest adæquare totam entitatem rei superioris, eamque manifestare, & intelligibilem reddere: ergo neque species, sibi proportionatas, & proprias, quia istæ adęquantur, & proportionantur intelligibilitati formali Angeli inferioris, cui infunduntur.

2867 *Resoluitur difficultas in sua fine. Nomine entis naturalis comprehensibilis ab inferiori Angelo, venit ens naturale intelligibile.*

Quòd verò dicitur de speciebus, quòd non comprehenduntur ab inferioribus, quia non sunt ens naturale, sed intelligibile, omnino implicatorium, & repugnans dictis aduersariorum. Nam in sententia contrariorū quando Dicit S. Thomas, quòd ens naturale est obiectum intellectus Angeli, ab eoq; cōprehenditur nomine entis naturalis nō solū intelligit ens naturale, materiale, & de se nō intelligibile in actu, sed etiam immateriale, & intelligibile, siquidem in sensu horum authorum substantias spirituales, & immateriales, etiam superiores comprehendit Angelus, etiam inferior. Si ergo nomine totius entis naturalis intelligit D. Thom. etiam ens intelligibile, seu materiale, etiam species deseruientes huic intellectuali naturę pertinebunt ad ordinem entis naturalis, & ad obiectum comprehensionis Angeli, tanquam aliquid illius, licet deseruiant ad lineam intelligibilitatis potius quàm ad lineam entitatis: hoc enim non obstante Angelus superior ex vi sua, qua comprehendit inferiorem, etiam eius species cognoscit, & comprehendit, vt D. Thom *citato loco* fatetur, siquidem eius intelligibilitatem, & non solum entitatem comprehendit: linea enim intelligibilis, & quidquid ad illam lineam pertinet, cùm sit aliquid ipsius entitatis, ad eius comprehensionem pertinet: ergo signum est species etiam pertinere ad obiectum comprehensionis Angeli.

2868 *Tam ens, quā species sunt, & pertinent formaliter, ad obiectum formale intellectus.*

Respectù verò Angeli superioris dicunt aduersarij, quòd essentia Angeli in esse entitatiuo, & in intelligibilitate radicali, seu materialiter sumpta est inadæquata, & superior intelligibilitate entitatiua Angeli inferioris; est tamen illi æqualis, & eiusdem rationis intelligibilitas formalis superioris Angeli cum intelligibilitate inferioris, & ob hoc comprehendi potest ab illo; sed species per se pertinēt ad ordinem intelligibilē formalem, vt distinguitur ab entitatiuo quod S. D. ponit per obiecto comprehensiuo Angeli: ergo tibimet contradicis, dum ponis modò, quòd species non comprehenduntur, quia non pertinent ad ordinem entitatiuū, postea autē dicis, quòd intelligibilitas Angeli superioris entitatiuè est inadęquata Angelo inferiori; intelligibilitas autem formalis adęquata est; ergo ex hac parte potiùs species deberent comprehendi, quàm essentia Angeli; quia pertinent species ad lineam formalis intelligibilitatis, & illa est adequata inferiori.

2869 *2. Euasio.*

Dicere autem quòd licèt hoc verum sit, tamen deficit vna conditio ne possint comprehendi species superiores ab inferiori Angelo, quæ non deest, vt possit comprehendi essentia, nempè quia species illæ, vt pote vniuersaliores, non possunt vnico, & simplici actu perfectè cognosci ab inferioribus, benè tamen essentia.

Praeluditur, quia hæc est petitio principij: nam species superioris Angeli etiam pertinet ad intelligibilitatē formalem.

Hoc est plenè voluntaria petitio principij. Nam si essentia entitatiuè sumpta, ipsaque intelligibilitas in esse rei considerata est superior, & inadęquata inferiori, & vniuersalior, quam illa, ipseque intellectus superioris Angeli vniuersalior etiam est, intelligibilitas verò formalis est adæquata, & species pertinent ad intelligibilitatem formalem, cur species, licet vniuersaliores non vnico simplici actu ab inferioribus attingentur, benè tamen essentia, & intellectus superior, qui etiam vniuersalior est? De hoc enim debet reddi ratio, non verò solùm id responderi, vt effugiatur vis rationis, quę cogit dicere, quòd species vniuersaliores non possunt vnica specie, & cognitione Angeli inferioris attingi, cùm eadem cogat, & conuincat, quòd essentia ipsa, & intelligibilitas in esse rei, quę vniuersalior est, radicaliter non attingatur vnico actu, & specie, quia magis inadæquata est intellectui inferiori entitatiuè.

2870 *Si comprehenditur intellectus necessario debent comprehendi species, quas exigit.*

Denique, quòd attinet ad species ipsas vniuersaliores, quòd debeant comprehendi, si comprehenditur intellectus eam exigens, negari non potest, quia non potest comprehendi virtus intellectus, & capacitas eius, nisi comprehendatur obiectum formale in quod tendit: inde enim pendet vniuersalitas eius, & modus, seu eminentia, & immaterialitas; quia in illud potest: inde enim pendet specificatio eius; sicut non potest, comprehendi potentia, & virtus oculi, nisi cognoscatur obiectum eius, in quod potest, scilicet, lux, & color, & modus, quò potest, scilicet quod sit talis perfectionis in videndo; scilicèt acutioris visus, vel minùs acuti, &c. Sed comprehenso obiecto, & modo, quo virtus intellectus potest in suum obiectum, comprehendi debent species, quarum est capax, & modus earum, scilicet, quòd sint tantę, vel tantę vniuersalitatis, quia species non sunt aliud, quàm ipsum obiectum in esse intelligibili, & modus specierum in vniuersalitate, & immaterialitate proportionatur obiecto formali in ratione intelligibilitatis: ergo repugnat comprehendere intellectum Angeli superioris, & obiectum eius formale, & vtriusque eminentiam, & non species, quarum est capax, siuè videantur, vt infusæ de facto ipsi Angelo, sinè non: sufficit enim, quòd cognoscat illas, vt possibiles, & debitas ipsi Angelo, earumque vniuersalitatem comprehendat.

2871 *Si Angelus superior dicit inclinationē ad accidentia, talis inclinatio debet cognosci in comprehensione.*

Quare dato, quòd non pertineat ad comprehensionem Angeli superioris videre, quòd de facto ipsi conueniant accidentia, quæ ab extrinseco adueniunt, tamen si dicit inclinationē, & proportionem ad illa, debet cognoscere eorum propriam rationem, saltem quatenus debita illi, & possibilia illi, quia hæc proportio, & capacitas intrinseca est intellectui. Comprehendet ergo inferior Angelus superiores species saltem in esse possibili, & vt debitas superiori intellectui, quidquid sit an cognoscat, si de facto sint infusę, vel non; hoc enim non requiritur, & sufficit nobis sic illas correspondere in esse possibili.

2872 *Falsum est, quòd ad comprehensionem alicuius rei non requiratur, quòd cognoscātur etiā accidentia.*

Deinde falsum est, quod ad comprehensionem alicuius rei non requiratur, quod cognoscantur etiam accidentia sibi debita, & ab extrinseco aduenientia, licèt non fluant ab intrinseco, tanquam proprietates. Nam si comprehendatur cœlum, etiam motus eius debet cognosci, licet ab extrinseco motore veniat, quia pertinet ad eius perfectionem, in quantum est causa generationis istorum inferiorum per motum Angeli. Et qui comprehenderet potentiam materiæ, etiam deberet cognoscere animam rationalem, ad quā est in potentia, licet illa per creationem sibi infundatur ab extra. Et qui comprehenderet potentiam obedientialem, etiam formas supernaturales deberet cognoscere, licet non fluant ab illa, sed ab agente supernaturali fiant in illa. Requiritur ergo ad cōprehensionem alicuius rei cognoscere omnia accidentia, quæ sunt ei debita, & cum quibus habet porportionem, etiamsi non profluant ab essentia, sed ab extrinseco veniant.

2873 *Petes 1.*

Petes 1. *An hæc conclusio possit secundò ab inconuenientibus probari.*

Resp. affirm. Primum inconueniens, quia Angelus inferior non potest

Resp. Affirmat. Ab inconuenienti enim deducitur nostra sententia; nam in primis non potest Angelus inferior comprehendere species intelligibiles superioris Angeli, vt ostendimus, neque hoc inconueniēs ab oppositis authoribus euitatur. Tum

comprehendere species superioris.

Tum quia id expresse affirmat D. Thom. *in quæst. 16. loco supra citato*. Tum quia, vt ponderandum est, comprehensio alicuius rei debet esse cognitio adæquata non solùm suæ quidditatis, sed etiam omnium perfectionum, quę sibi debentur, vel ad quas dicit ordinem, & respectũ: ergo ad cõprehendẽdũm intellectũ Angeli superioris, requiritur, quod etiã cõprehendat species eius, quę eiusdem sunt cum illo perfectionis, & vniuersalitatis.

2874 *2 Inconueniens, quia si Angelus inferior comprehenderet superiorem, etiam cognosceret perfectè Deũ, sicut superior.*

Alterum inconueniens est, quia sequitur ex opposita sententia, quod si Angelus inferior comprehendat superiorem virtute sua, etiam ex comprehensione illius, tanquam ex effectu perfectiori cognoscat Deum tantùm, quantùm ipse Angelus superior cognoscit de Deo ex cognitione sui. Vnde omnes Angeli æquè perfectè cognoscent Deum naturali cognitione, quia comprehendunt omnes quantuncumque sint superiores, & consequenter ęquè perfectè attingunt Deum, vt repręsentabilis est ex talibus effectibus Et licet semper remaneant superiores in esse entis respectu inferiorum, tamen si in esse intelligibili eos adęquant, & comprehendunt id, quod sufficit ad comprehensionẽ eorum, sufficit ad ęqualem cognitionem Dei, quia hæc fundatur in cognitione comprehensiua effectus repræsentantis Deum, & sic tam Beatus, & felix erit beatitudine naturali inferior Angelus, quam superior, quia hæc consistit in cognitione naturali Dei, & tantùm comprehendit, seù cognoscit de Deo propria, & naturali virtute Angelus inferior, quàm superior, cùm tamen negari nõ possit, quod fœlicior sit Angelus superior, quàm inferior in ordine naturali.

2875 *Se quereretur etiam, quòd Angelus inferior non indigebat illuminatione superioris.*

Imo supposita lege Dei, quòd dona gratuita infunduntur Angelo iuxta capacitatem naturalium, si naturalis virtus Angeli inferioris petit comprehendere superiorem, etiam secundùm ordinem gratiæ, petit comprehendere gratiã superioris, & cõsequẽter nõ indigebat illuminatione superioris ad hoc, vt cognoscat inferior ea, quæ superiori reuelantur, & infunduntur secundùm ordinem gratiæ, ac proinde cessabit omnis ratio, & fundamentum ponẽdi illuminationem in Angelis, quia scilicet veritatem, quam superior cognoscit inferiori manifestat, supponendo, quòd inferior eam non comprehendit: ergo signum est, quod etiam in naturalibus non comprehendit Angelum superiorem ex sua virtute precise, sicut nec in supernaturalibus.

2876 *Petes 2.*

Petes 2. *An Angelus inferior de facto ex confortatione, & illuminatione superioris superiorem comprahendant.*

Resp. ex illuminatione superioris Angeli, inferior, eum comprehendit ex parte rei cognitæ.

Resp. ex illuminatione superioris Angeli, inferiores cognoscere omnes perfectiones naturales superioris, ac per hoc ex parte rei cognitę illum comprehendũt, quia omnes perfectiones, & modos eius attingit, licet ex parte modi cognoscendi, semper fit diuersitas in superiori, & inferiori, sumitur hęc assertio ex D.Th. *infrà qu. 106. art. 4.* vbi docet, quod Angeli superiores de omnibus, quæ cognoscunt, illuminant inferiores, ità vt easdem res cognoscant inferiores, quæ cognoscunt superiores, licet superiores semper eminentiùs cognoscant, & diuerso modo, te tenente ex parte cognoscentis. Vnde sumitur ratio pro ista parte, quia Angelus superior per illuminationem manifestat totum, quod ipse cognoscit ex parte rei cognitæ ipsi inferiori, licèt accomodando illud iuxta modum, & capacitatem inferioris: sed sufficit ad cõprahensionem alicuius obiecti, quod cognoscatur, quantum ad quidditatem, & quoad omnes perfectiones, & modos sibi conuenientes, attingendo totum hoc ex parte rei cognitæ, licèt ex parte ipsius cognoscentis diuersus modus, & perfectio detur in superiori, quã in inferiori: ergo &c.

2877 *Min. prob. quia comprehensio obiecti solùm requirit, quod adequetur tota intelligibilitas obiecti.*

Min. prob. quia comprehensio obiecti solùm requirit, quod adæquetur tota intelligibilitas obiecti quantum ad omnia, quę sibi conueniunt, ita quod nihil de his lateat videntem, licet possit in hoc dari diuersa perfectio cognitionis, & comprehensionis in intellectu magis perfecto, sicut patet, quod duo Angeli vnus superior, & alter inferior, vterque comprehendit eandem rem corpoream, seù aliam, quæ vtrique inferior est, licèt superior Angelus eandem inferiorem perfectiori modo attingat, & magis immateria i ex parte ipsius cognoscentis, quam Angelus inferior: ergo signum est, sufficere ad comprahensionem angeli superioris, quod cognoscat illum inferior quoad omnes perfectiones, & modos ex parte rei cognitæ per illuminationem ortam, & participatam ex superiori angelo, licet ex parte cognoscentis semper angelus superior eminentiori modo cognoscat idemmet obiectum, quàm inferior.

2878 *Ad istam comprehensionem no requiritur, quod cognoscãtur actus liberi.*

Neque ad istam comprahensionem requiritur, quod cognoscantur ex vi talis comprahensionis actus liberi ipsius Angeli. Nam isti semper eximuntur à comprehensione naturali alicuius naturæ intellectiuæ, naturalis enim comprahensio solùm ea petit attingere, quæ ad naturalem ordinem spectant in re comprahensa, non ad moralem, vel supernaturalem. Cuius manifestum signum est, quod etiam Angelus superior, qui sine dubio cõprehendit inferiorem, nõ tamen eius actus liberos ex vi huius naturalis cognitionis attingit: ergo nõ requiritur ad comprehensionem, de qua loquimur, cognitio actuum liberorum.

1879 *Petes 3.*

Petes 3. *Quomodo intelligatur authoritas illa D. Th. ex 2. contra Gentes cap. 96. quę videtur contraria nostrę sententię.*

Resp. adducendo in contrarium authoritatem D. Th.

Resp. referẽdo Authoritate D.Th. sumi ex 2. cõtra Gentes, cap. 96. vbi inquit S. D. quod, *Ex hoc quod substantia aliqua est intellectualis comprehensiua est totius entis. Vnde cum substantia separata per suam naturam non sit actu comprehendens totum ens, ipsa in sua substantia considerata, est quasi in potentia ad similitudines intelligibiles, quibus totum ens cognoscitur, & illę similitudines erunt actus eius, in quantum est intellectualis*, & similiter *cap. 99. seq.* inquit quod, *Cùm intellectus Angelorum sit perfectus naturali perfectione, vt potè totus in actu existens, oportet, quod suum obiectum, scilicet ens intelligibile vniuersaliter comprehendat*, Et infrà, *quia verò intellectus substantię separatę, est in actu habens omnes similitudines, ad quas est in potentia, habet virtutem comprehendendi omnes species, & differentias entis; necesse est, quòd substantia separata quęlibet, cognoscat omnes res naturales, & totum ordinem earum.*

2880 *Ex Verbis relatis D. Thom tribuit vnicũque substantia separata vim comprehẽsiuã.*

Quibus verbis manifestissimè D. Thom, tribuit cuicumque substantiæ separatæ vim comprahensiuam totius entis, scilicet creati, & naturalis, vt se explicat *in his vltimis verbis citatis. ex c. 99.* nec solùm dicit, quod sub obiecto intellectus Angeli comprahenditur omne ens, sed ipse est comprehensiuus omnis entis: ergo male negamus non comprehendere Angelos superiores, cùm ipsi pertineant ad ordinem entis intelligibilis ordinis naturalis. Nec dici potest, quòd Angeli inferiores comprahendant superiores ex illuminatione superiorum. Obstat enim locus *suprà* citatus ex D. Thoma *infra qu. 109. art. 3. ad 2.* vbi docet, quòd *secundùm ea, quę ad naturalem cognitionẽ pertinent, non est necessaria manifestatio veritatis, nec in Angelis, nec in Dæmonibus, quia hęc statim à principio nouerunt, & ideò secundum ista non est illuminatio in Dęmonibus.* Ergo. si ex sua natura inferiores Angeli non comprehendunt superiores, neque ex illuminatione superiorum eos comprahendunt.

2881 *Prima solutio nomine, totũ eus, totum intelligibile, non intellexit D. Thom. omnẽ vniuersalitatẽ*

Respondetur. Quod in primis, si in istis authoritatibus verbum comprehendendi sumatur in toto rigore pro comprahensione perfecta, & adæquata, non potest intelligi illud verbum, *totum ens, totum intelligibile*, in omni vniuersalitate, cùm dicit D. Th. quod est comprahensiua totius entis, quia sub ratione totius entis, non potest intelligi ens morale, seù liberum (cogitationes cordis,) eos supernaturale, nec eus diuinum; hęc enim tria ex-

cipiuntur

cipiuntur à cogitatione naturali Angeli. Dicunt ita esse, quia D. Th. solùm loquitur de ente naturali, & sic intelligendus venit, quia *c. 99. citato*, dicit, quòd comprehendit substantia separata omnes species, & differentias entis, & si necesse est, quòd cognoscat omnes rei naturales.

2882 *D. Thom. intelligitur de omni ente naturali sub illa vniuersalitate.*

De naturalibus, ergo solùm loquitur quando dicit, quòd vniuersaliter omnes ens comprehendit, sed si ita est, quòd glossatur D. Th. de omni ente naturali, & creato, quando dicit, quod Angelus comprehendit totum ens; quare etiam non glossabitur, & restringetur ad totum ens naturale, sibi inferius, quia dicit idem D. Th. *in quaest.* 1 & *de malo supra cit.* quòd per species inferiores non comprehenduntur species vniuersaliores superioris intellectus, vel etiam glossare possumus *ly comprehendere*, quòd sumatur non in rigore pro cognitione adæquata, & addentem super quidditatiuâ, sed pro comprehensione communiter dicta idest apprehensione rei. Quare verba D. Th. propter suam magnam amplitudinem capacia sunt istarum glossarum, & restrinctionum ex his per quæ se explicat in alijs locis.

2883 *2. Solutio. D. Thom. nomine comprehensionis non vtitur in rigore, de comprehensione perfecta.*

Veritas tamen est, quod nomine comprehensionis non vtitur Diu. Thomas in rigore, prout comprehensiua cognitio sumitur in præsenti pro adæquata, & perfecta, vltra quidditatiuam; sed communiter pro cognitione assecutiua rei perfectè, etiam citrà comprehensionem. Et hoc sumitur tum ex intento D. Thom. tum ex modo loquendi promiscuè, vtentis nomine comprehensionis, vel cognitionis in eisdem locis. Ex intento D. Thom. nam in illis locis non disputat, nec tractat de comprehensione Angeli, secundùm quod comprehensio addit supra quidditatiuam cognitionem, sed solùm intendit *in cap. 98.* ostendere, quod Angeli non intelligunt alias substantias spirituales per suam essentiam, sed per species superadditas, & *in cap. 99.* quòd cùm intelligant totum ens, necesse est etiam, quòd intelligant substantias materiales, quia perfecta sunt, & in actu respectu totius intelligibilis; & sic vniuersaliter comprehendunt, idest, complectuntur, & se extendunt etiam ad substantias materiales.

2884 *In neutro loco D. Th. loquitur de comprehensione intensiua, & quoad perfectam adæquationē cum obiecto.*

Quare in neutro loco S. T. loquitur de comprehensione intensiua, & quoad perfectam adæquationem cum obiecto, sed in primo ostendit habere debere species ad intelligendum alias res, quia per essentiam suam non cognoscit, aut comprehendit nisi se ipsum; est autem intellectus Angeli totius entis comprehensiuus, idest cognosciriuus: ergo debet habere species aliorum entium ad inferendum enim, quod debet istas species habere, non conducit, quòd apprehendat alia, sed quòd cognoscat. Et in secundo loco solùm probat, quod ad res materiales se debet extendere, quia perfectus est in genere intelligibili, & debet totum ens vniuersaliter comprehendere, vbi *ly comprehendere*, non refert quòd sumatur pro comprehensione rigorosa, sed sufficit, quòd sit cognitio complectens, seu extendens se ad totum ens: hoc enim illi intento tantùm deseruiebat. Vnde vt in ipso contextu cerni potest, modo vtitur D. Thom. verbo comprehendi, modo cognoscendi, & sic promiscuè accipit *ly comprehendere*, pro eo, quod est cognoscere.

2885 *Nec contra hanc expositionem oppositi Authores aliquid afferunt, quod impugnatione indigeat.*

Nec contra hanc expositionem oppositi authores aliquid afferunt, quod impugnatione indigeat, sed tantum, quod D. Thomas reddit rationem, qua e Angelus comprehendit totum ens, videlicet, quia est perfectus perfectione naturali in suo intellectu, & conuenit in gradu immaterialitatis cum quouis ente naturali, quod nihil probare natum ostendemus, soluendo rationem, id enim solùm probat, quod cognoscit omne ens, sed non omne eque, perfectè.

2886 *Potest adhuc dici: quod quilibet Angelus comprehendit inferiora; superiora verò ex confortatione.*

Addo denique, quod si tenaciter insistatur in eo, quod D. Thomas loquitur de comprehensione stricta, & rigorosa, potest adhuc saluari, dicendo, quòd quilibet Angelus comprehendit totum ens, sed non æqualiter, & eodem modo, sed se, & inferiora sibi ex virtute propria; superiora autem ex illuminatione, & manifestatione superiorum. Nec obest locus allatus *ex quaest.* 109. infrà, quia iam supra hunc locum abundè explicauimus, quod negat S. Th secundùm naturalia istæ fieri illuminationes à superioribus, ita quod de nouo fiant istę illuminationes, sed non negat ab initio fuisse factas, cùm aliàs fateatur illuminationes fieri secundùm ea, quę pertinent ad statum naturæ, & gratiæ, & gloriæ, vt ibi retulimus, & ostendimus ex eodem D. Thoma.

2887 *Petes 4.*

Petes 4. *An ex eò quòd Angelo inferiori sit connaturaliter debita species, & cognitio superioris; Angelus inferior superiorem comprehendat.*

Resp. negat. proponitur tamen ratio dubitand pro affirmatiua.

Resp. negatiue proponitur tamé ratio dubitandi pro affirmatiua. Quia Angelo Inferiori est connaturaliter debita species superioris, & ipsum cognitum connaturaliter est in cognoscente, & ipsa etiam cognitio rei superioris connaturaliter est in intellectu inferioris: omnis enim quidditas, omnes perfectiones, & modi rei superioris, sunt obiectum proportionatum intellectui Angeli inferioris: ergo habet omnia requisita, & sufficientia, vt Angelus inferior superiorem comprehendat. Conseq. patet, quia ad comprehendendum obiectum aliquod sufficit, quòd nihil illius sit tàm in quidditate, quàm in perfectionibus, & modis, quod non sit tali intellectui proportionatum, & consequenter nihil illius lateat intellectum inferioris.

2888 *Prob. consequentia.*

Et similiter, quòd species repræsentatiua illarum perfectionum, & modorum sit connaturaliter in Angelo inferiori: sic enim signum est, quod obiectum repræsentatum per talem speciem non est supra eius naturam, nec improportionatum illi, si quidē connaturaliter inest ipsi inferiori. ergo attingit totum, & totaliter quod in illo obiecto est, quia totum, & totaliter sumptum, connaturaliter in illo est. Anteced. autem probatur: nam Angelo inferiori datur connaturaliter, & à principio species repræsentans Angelum superiorem tanquam species de obiecto naturalis ordinis, & pertinente ad propriam sphæram intelligibilem inferioris Angeli; sed Angelus inferior est intellectus perfectus, & in actu non procedens de potentia ad actum, sicut intellectus noster: ergo petit talis intellectus actuari perfectè circa illud obiectum, cuius species sibi traditur, aliàs non peteret intellectus Angeli perfectè se habere circa omne obiectum, quod sibi connaturale, & proportionatum est, quod est habere se in potentia, erga illud, atque adeo posse acquirere maiorem cognitionem, & proficere in illa, quòd est habere radicem, & fundamentum discurrendi.

2889 *Resp. Angelo inferiori esse debitam speciem superioris iuxta modum inferioris, ac proinde cum aliqua confusione.*

Resp distinguendo anteced. angelo inferiori est connaturaliter debita species, & cognitio superioris repræsentans angelum superiorem iuxta modum inferioris, & consequenter cum aliqua confusione, & potentialitate, & inadæquatione ad ipsum, concedo, repræsentans angelum superiorem iuxta modum ipsius superioris, & consequēter cùm adæquatione, & perfecta distinctione erga ipsum, nego; similiter angelus superior, & omnes eius perfectiones sunt obiectum proportionatum, & ordinis naturalis, & pertinens ad hoc vniuersum, distinguo, proportione omnino adæquata, nego anteced. proportione inadæquata, & aliquam confusionem admittente ex parte inferioris, concedo, ergo sufficit ad comprehensionem, distinguo conseq. sub ista confusione, & inadæquatione per illuminationem superioris, concedo: stante illa, nego, & sic erit comprehensiuus angeli superioris mediatè, & per confortationem intellectus sui ab angelo superiori factam, non immediatè, & ex vi propriæ virtutis, & proprij modi cognoscendi.

2890 *Ad prob. con.*

Et ad probationem conseq. dicitur, quod ad com-

seq. Resp. ad comprehensionem requiri, quòd obiectum sit proportionatum cognoscenti, iuxta modum rei cognoscendæ.

comprehensionem alicuius obiecti sufficit, quòd obiectum, & quidquid in illo est sit proportionatum ipsi cognoscenti, distinguo, sit proportionatũ adæquatè, & perfectè iuxta modum rei cognoscendæ, concedo, inadęquatè, & imperfectè, & iuxta modum, & coarctationem, seù confusionẽ cognoscentis, nego; & sic obiectum superius, & species eius inest connaturaliter angelo inferiori iuxta modũm ipsius inferioris nõ verò iuxta modum superioris. Quòd autem in est connaturaliter iuxta modum recipientis non sequitur, quòd totaliter comprehendat illud totalitate adęquationis, sed solùm iuxta modum suum, nisi talis modus superiori modo se habeat ad id, quod naturaliter ei inest: Et licèt connaturaliter ei conueniat, & sic non sit supra naturam eius quantum ad conuenientiam, & ordinem naturę, nec quantum ad specificationem obiecti, est tamen quantum ad modum, quia semper modus obiecti est superior, & connaturaliter se habet ad tale subiectum non quomodocumque, sed iuxta modum capacitatemque illius: sicut lux connaturaliter recipitur in luminoso, & in diaphano, sed in diaphano iuxta modum inferiorem, & non adæquatè, nec ad modum, quo est in luminoso.

Petes 5.

Petes 5. *An species Angeli superioris detur inferiori, vt proportionata intellectus inferioris, an vt super excedens; ac proinde, vt incomprahensibilis naturaliter.*

Resp. speciem superioris Angeli semper dari inferiori, vt superexcedentem.

Resp. semper dari, vt super excedens, & sic semper manet extra comprehensionẽ illius, quantum est ex vi proprię virtutis, nisi superioris illuminatio excedat. Et cùm dicitur, quod Angelus inferior est intellectus perfectus, & non procedit de potentia ad actum, distinguo, est perfectus iuxta modum suum inferiorem, & confusiorem respectu superioris, concedo, vltra modum suum, nego, neque enim ex hoc sequitur discursus in Angelo, quia non quælibet imperfectio, & habere se in potẽtia ad aliquod intelligibile, fundat discursum, sed habere se in potentia non vnico intuitu actuabili, sed per circuitum, & pluralitatem illationis. Nam inferiores Angeli sunt illuminabiles à superioribus, illuminantur autem respectu eorum, ad quæ sunt in potentia, & actu, non cognoscunt; vel non perfectè, nec tamen propterea discurrunt, etiã quando illuminantur; nec enim sunt in ignorantia priuatiua idest respectu eorũ quorum cognitio sibi debetur, & quam possunt per collationem acquirere, sed sunt in ignorantia negatiua, seù nescientia, quæ simplici illuminatione tollitur. Nam ergo quęlibet potentialitas ad intelligendum sufficit ad discursum, sed aliqua sufficit ad illuminationem sine discursu, scilicet quando est in potentia ad cognoscendum per illuminationem simplicem, & vnico intuitu faciendam: tunc enim, & si actuatur, & perficitur à superiori per illuminationem, sed non discurrit, quia non per collationem, & illuminationem actuatur.

2892 *Instabis.*

Dices Angelus superior, & omnes eius perfectiones sunt proportionatum obiectum inferioris, vtpote ad ordinem naturalem pertinentes.

Resp. iam dictum esse, quòd sunt obiectum proportionatum iuxta modum inferioris.

Resp. iam dictum esse, quod sunt obiectum porportionatum, applicatum tamen iuxta modum inferioris, non superioris. Vnde aliud est esse obiectum porportionatum, quoad specificationem, quia scilicet intra sphæram specificationis eius sunt aliud quoad adęquationem, & perfectionem, qua discernitur, & adæquatè penetrat, & videt omnia illa, sicut omnes colores, & lux sunt obiectum proportionatum, idest specificatiuum visus, sed tamen non quilibet visus potest æquè discernere, & adęquare se cuicunque luci, & cuicunque colori, sed iuxta modum, & capacitatem suam, licèt, totũ, quod in illa luce, & colore est, visibile sit, & proportionatum sit specificatiue, non semper adæquatè, & comprahensiue. Sic omnia, quæ in Angelo superiora sunt naturalis ordinis, sunt proportionata angelo inferiori proportione specificationis, non proportione adęquationis, & perfectionis in discernendo se iuxta modum, & capacitatẽ inferioris.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Angeli per sua naturalia Deum cognoscere possint.

SVMMA ARTICVLI D. TH.

CONclusio. Angelus cognoscit Deum aliquo modo per sua naturalia. Prob. cognoscens naturaliter imaginem, naturaliter etiam cognoscit id; cuius est imago, pro vt in tali imagine repræsentatur. Sed Angelus naturaliter cognoscit suam essentiam, in qua imago Dei est impressa. ergo Angelus naturaliter Deum cognoscit, pro vt sua essentia est Dei similitudo.

Arg. 1. Ex D. Dyon. cap. de diu. nomin. vbi sic ait. *quod Deus est super omnes mentes incomprahensibili virtute collocatus*, & postea subdit, *quod quia est supra omnem substantiam, ab omni cognitione est segregatus*. ergo. Resp. D. Dionys. loqui de cognitione comprehensionis.

Arg. 2. Quod distat in infinitum, non potest attingi. Sed Deus in infinitum distat ab intellectu Angeli. ergo. Resp. ad Mi. quòd ex hoc, quod essentia Angeli, & eius intellectus in infinitum distant à Deo, solùm sequitur, quòd non possit ipsum comprahendere, nec per sua naturalia eum videre, non verò, quod nullam habeat eius cognitionem.

Arg. 3. Cognitio, quam Angelus naturaliter habet de Deo, non est facialis, vt patet: neque specularis, quia cùm non accipiant diuinam cognitionem à rebus sensibilibus, vt Dionys. dicit, non potest eis conuenire visio specularis. ergo. Resp. cognitionem, quam habet Angelus naturaliter de Deo, neque esse facialem, neque specularem, sed mediam inter vtramque. quia est per suam essentiam, & tamen magis se tenet cum speculari.

DISPVTATIO. CCLXXXV.

Quomodo Deum Angelus cognoscat naturali ratione, & per quam speciem.

PEtes primò, Quotuplex sit medium cuiuscumque cognitionis. 2893 *Petes 1.*

Resp. Medij cuiuscunque cognosciti vi triplex esse distinctio.

Respondetur. Medij cuiuscunque cognoscitiui, triplex est distinctio, scilicèt medij, sub quo, medij quòd etiam dicitur ratio cognoscendi, & medij in quo, quod etiam nuncupatur medium cognitum. Differunt autem hęc media, vt supra notauimus, q. 12. art. 2. Dub. 2. quòd medium sub quo, non facit visionem mediatã; sit enim beata visio per lumen gloria, vt per mediũ, sub quo, & tamen verè, ac simpliciter est immediata, medium autem quo, scilicèt species, visionem non efficit mediatam, per se loquendo, sed per accidens tãtùm, si nimirum species rem, secundùm eius esse completam minimè representet, tunc enim non rem, sed quandam eius vmbram repræsentabit, vt ait S. Doct. quodlib. 7. art. 1. medium autem in quo, siuè obiectiua similitudo extrinseca, quę scilicèt non verbum interiùs est visionem mediatam efficit necessariò.

2844 Nota.

Aliud esse loqui de visio-

Sed obseruandum est aliud esse loqui de visione, aliud de intellectione: nam visio notitia est intuitiua, quę ad rem existentem, & præsentem terminatur, prout

in se est; quo fit, vt visio omnis intellectiua necessariò sit immediata, & quidditatiua: Intellectio verò communior est, & ad notitiam etiam extenditur abstractiuam, quę neque semper immediata est, nec, si fuerit immediata, necessariò est quidditatiua, quia non terminatur ad rem prout in se ipsa est, & prout existens est; cùm igitur rei visio, siuè intuitiua cognitio fit per speciem, quæ non completè repræsentet obiectum, visio mediata est, hoc ipso, quòd imperfecta est, & quidditatiua non est ob dictam causam, quia scilicet ad rem, prout in se ipsa est, non terminatur, sed ad illius quandam vmbrã, & simulacrum.

2895 Cognitio abstractiua non est simul intuitiua.

At abstractiua cognitio cùm ad rem, prout in se ipsa est, non terminetur, sed illius rationem iuxta modum speciei repręsentantis contempletur, tametsi fuerit immediata, non erit tamen necessariò quidditatiua, potest enim obiecti ratio per speciem immediatam non solùm perfectè, sed etiam imperfectè, repræsentari; vt patet de speciebus intellectus humani respectu rerum sensibilium, & de speciebus animę separatę repræsentantibus Angelos, quatenus enim ad cognitionem attinent abstractiuam, Angelos immediatè repręsentant, vt autem principia sunt intuitiuæ cognitionis, visionem mediatam efficiunt propter supradictam causam.

2696 Diuerso modo repræsentatur causa per effectum, quàm obiectum per speciem intelligibilem.

Ex dictis sequitur, longè diuerso modo repræsentari causam per effectum, quàm repræsentetur obiectum per speciem intelligibilem, Nam species nulla sui supposita cognitione, repręsentat obiectum immediatè, sed effectus, vt sic, non nisi mediante sui cognitione causam repræsentat. Quòd si quæras num per vnam, vel per plures species repræsentetur effectus, & causa: Respondet Bannes, & Zumel id fieri, quandoque per plures, quæ scil. propriæ sint effectus, & causæ species, sicut, quando per fumum cognoscimus ignẽ; quandoq. vero per vnã, cùm scil. actus ita repræsentat causã, vt eadẽ specie, qua repræsentatur effectus, repræsentetur, & causa, atq. ita speciẽ intelligibilẽ immediatè, ac per se primò repræsentare effectum, secundariò verò causã. Id autem in eo solùm contingit effectu, cuius essentia tota est intelligibilis, & intellectiua: hęc autẽ est essentia Angeli, quę diuinæ virtutis effectus est nobilissimus: ac proindè Deum dupliciter repræsentat, vt effectus causam, & species obiectum.

2897 Cùm sit duplex similitudo, duplex .n. erit modus repręsentãdi.

Cum enim per similitudinem fiat repræsentatio; iuxta duplicem modum similitudinis duplex etiam erit modus repræsentandi: est autem quędam similitudo secundùm vnitatem, siuè conuenientiam in natura, quæ duplex est, vna sine dependentia vnius ab alio, sicut Bos, & Leo, conueniunt in animalis natura, & secundùm ea assimilantur; Alia cum dependentia vnius ab alio tanquam effectus à causa; sicut effectus vniuocus eandem habet naturam specificam cum propria causa, & effectus analogus cum analoga sua causa, naturam habet eandem analogicam, vt ait S. D. supra qu. 4. art. 3. In qua tamen vnitate, siuè conuenientia magna est latitudo: quidam .n. effectus in pluribus attributis formaliter de illis, & eorum causa prædicari magis, quã alij conueniunt; plura sunt .n. Angelo, & Deo prædicata cõmunia vtriq; formaliter conuenientia, quàm Deo, & lapidi, vel elemento: Alia similitudo est secundùm esse intelligibile, idest secundùm repræsentationẽ, qua species, siuè sensibilis, siuè intelligibilis assimilatur obiecto per eã repræsentato.

2898 Differentia assignatur inter has similitudines.

Inter has autem similitudines differentia est in ordine ad cognitionẽ: quòd similitudo, quæ est secundum conuenientiam in natura, siuè causalitate, & dependentiæ vnius ab alio, non efficit cognitionem rei cuius est similitudo, nisi quo ad ea, quæ vtrique simillium sunt communia, nam similitudo, quę est inter Bouem, & Leonem secundum vnitatem naturæ sensitiuæ, non efficit, vt cognito Boue cognoscam Leonẽ quoàd eius proprietates, aut differentias, quibus à Boue distinguitur, & à cęteris animalibus; sed quoàd ea tantùm, quæ Leoni conueniunt, prout animal est, in quibus simul communicant Bos, & Leo.

2899 Similitudo, quę est secundum conuenientiam in natura, repręsentat propria

At similitudo, quæ est secundùm conuenientiam in natura cum vnius causalitate præsertim analoga, & alterius dependentia, efficit ex vnius cognitione notitiã alterius nõ quoad ea tantùm quæ sunt vtriq; cõmunia, sed etiã quoad ea, quæ propria sũt ei, quod ex altero priùs intellecto cognoscitur, vt ait Apost. Rom. 1. Inuisibilia Dei per ea, quę facta sunt intellecta, cõspiciuntur, sempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas. Quorum verborum sensum superius explicauimus qu. 12. art. 12. Deniq; similitudo secundùm repręsentationẽ, notitiã parit rei repræsentatę, nõ solùm quò ad ea, quæ sunt vtriq. scil. repræsentatiuæ; & repręsentato communia, sed etiã quò ad ea, quæ repręsentato sunt propria; si tamen repræsentato conueniant sub ea ratione, qua sunt repręsentatiuæ similitudinis est causa.

2900 Species lapidis, licet entitatiuè sit accidens, lapidis substantiā repræsentat.

Quemadmodum species intelligibilis ex phantasmate lapidis abstracta, accidens quoddam est à lapide, quod est substantia differens, sed quoniam, vt similitudo est lapidis repræsentatiua, ex eius quidditate in phantasmate relucente depẽdet, vt à ratione causandi, ideò substantialem lapidis quidditatem secundùm omnia, ad eius essentiam pertinentia, repręsentat. An autem, & quomodo prędicti repręsentationis modi conueniant Angelicæ substantiæ respectu Dei, superest inquirendum. Ad cuius euidentiam.

2901 Petes 2.

Petes 2. Quomodo Angelus Deum cognoscat naturali ratione, & per quam speciem?

Resp. Deum non posse cognosci ab Angelo, nisi ex effectibus.

Resp. Deum non posse cognosci ab Angelo, nisi ex effectib⁹, quia nulla datur species immediatè repręsentãs Deum in se, etiã abstractiuè, quia omnis species creata, cùm habeat intelligibilitatẽ creatã, & finitã, oportet, quòd ei correspõdeat pro immediato obiecto aliquod intelligibile finitum, quia intelligibilitas obiecti, & speciei vna, & eadẽ est, si quidẽ species, est obiectum ipsum in esse intelligibili. Quare si datur species creata ad repræsentãdum Deum oportet, quòd immediatum eius obiectum sit aliquid creatum, scil. aliquid finitę, & limitatis intelligibilitatis, & solum mediatè, & tanquam in effectu repręsentato potest illa species repræsentare Deum.

2902 D.Thom. cognitionẽ Dei per creaturas assimilauit cognitioni rei in speculo.

Et hinc est quòd D. Thom. hic qu. 56. art. 3. cognitionẽ Dei per creaturas, assimilauit cognitioni rei in speculo, quia scil. res in speculo nõ videtur immediatè per speciem sui, sed per speciem speculi. Et nihilominùs dixit D. Th. cognosci Deũ ab Angelo per essentiã suã, tanquã per similitudinẽ, sicut lapis videtur ab oculo per similitudinẽ eius in oculo, videturq; illã cognitionẽ cõdistinguere à cognitione, qua videtur res in speculo, sed tamẽ D. Th. ibi se explicauit: dicit .n. hanc cognitionẽ, qua Angelus per sua naturalia cognoscit Deũ, assimilari illi cognitioni, qua videtur res per speciẽ ab ea acceptã. Addit tamẽ in calce corp. art. quia ipsa natura Angelica est quoddã speculum diuinã naturã repræsentãs. Et sic sensus D. Th. est, quòd natura Angeli quia sibi deseruit pro specie, ita est species repręsentãs se immediatè, quòd etiã habet munus speciei respectu Dei mediatè, quatenus ipsa natura Angelica est imago Dei.

2903 Angelus cognoscit aliàs res non in seipsis, sed per species accidentales.

Quòd nõ cõtingit in alijs rebus cognitis ab Angelo, quia cognoscit illas per species accidẽtales, nõ ipsę res habẽt rationẽ, & munus speciei in intellectu Angeli, sed solùm rationem obiecti cogniti. Vndè licèt ex ipsis intelligat Angelus Deum, tanquã ex effectu, nõ tamẽ tanquã in specie, in se ipso autẽ, cognoscit Deum, & tãquã in effectu, sicut alię creaturę repręsentãt Deum, & hac ratione se habet Angelus, vt speculum respectu Dei, cuius est imago; & tanquã species mediatè repręsentãs Deum, quia est species respectu sui & respectu eorum, quę cõtinẽtur in se, & ad quæ dicit depẽdentiã, & respectum, & vnum ex illis est Deus; & sic respectu Dei habet munus speciei non immediatè, sed mediatè repręsentantis Deum, vt causam sui.

2904 Quomodo cognitio Angeli possit esse intuitiua respectu sui, & abstractiua respectu Dei, explicatur.

Quomodo verò possit cognosci Deus distinctè, & nõ solùm in cofuso per cognitionẽ ipsius essẽtię Angeli, & quomodo etiã possit eadẽ cognitio esse intuitiua respectu sui, & abstractiua respectu Dei, nõ est difficile intelligere. Non .n. essentia Angeli repręsentat Deum solùm ratione cõuenientię analogicę, quã habet cum Deo, sic .n. solùm confusè illum repræsentaret, sicut species, quę repræsentat hominẽ, confusè repræsentat equum, quia solùm repræsentat illum, vt conuenit in ratione generica cum homine, nõ secundùm suã differẽtiã specificã

ſicut etiam vnus Angelus per ſuam eſſentiam nõ cognoſcit alium Angelum propriè, & diſtinctè, ſed ſolùm confuſè, quatenus conuenit cum illo in ratione generica. Et generaliter quæcumque repræſentatio, quæ ſolùm fundatur in conuenientia obiectorum, non repræſentat diſtinctè illud ſecundùm obiectum, cum quo conuenit, ſed ſolùm in eo, in quo conuenit.

2905 Deus repræsẽtatur in eſſentia angeli tanquam principium propriũ illius.

Cæterùm Deus repræſentatur in eſſentia Angeli tanquam principium proprium, ſeu generans Angeli, quia per creationem dat illi eſſe, & vlterius, vt proprium principium, ex quo participatur intelligibilitas Angeli, tàm in ratione naturæ intellectiuæ ſecundùm quàm eſt imago Dei; quàm intelligibilitatis ſecundùm quàm eſt ſpecies ſui, & ex conſequenti ſui principij, cui ſubordinatur, & ex quo participat talem intelligibilitatem; & ſic intelligibilitas Angeli, vt participata repræſentat mediatè ſuũ principium, à quo participatur diſtinctè, id eſt tanquam quid diſtinctum à ſe, & ab alijs rebus, non ſolùm, vt aliquid conueniens ſecum in confuſo, & in communi. Illa autem notitia, quæ immediatè cognoſcit ſe intuitiuè, & Deum mediatè abſtractiuè non eſt inconueniens, quòd habeat has duas formalitates, quia habet illas reſpectu diuerſorum obiectorum, quæ inter ſe connexionem habent, & in vno repræſentatur, & exercetur præſentialitas, in alio non, licèt vtrumque pertineat ad eamdem ſpeciem, ſeu modum talis notitiæ; Sicut, qui videt imaginem imperatoris, in illa attingit imperatorem, ſed imaginem præſentem intuitiuè, & imperatorem abſtractiuè, quia abſens eſt.

2906 Petes 3.

Petes 3. An perfectiùs repræſentetur Deus Angelo per eſſentiam ipſius Angeli, quàm per ſpecies aliarum rerum.

Resp. affirm. ſimpliciter perfectiùs angelus attingit per eſſentiam ſuam, Deum.

Resp. Quòd ſimpliciter perfectiùs attingit Deum per eſſentiam ſuam, quàm per ſpecies rerum inferiorum, quia Deus perfectiori modo continetur, & præſentatur in eſſentia ſua, quàm in rebus inferioribus, quia eſt perfectior ſimilitudo Dei, & magis ad illum accedens: per ſpecies autem ſuperiorum Angelorum, ſi tales ſpecies ſint, quòd per eas perfectè ipſos comprehendat, perfectiùs cognoſcet Deum per illas, quàm per ſuam ſubſtantiam, quia in illis relucet perfectior ſimilitudo Dei, ſicut etiam per myſteria gratiæ, ſi quidditatiuè cognoſcantur, perfectiùs cognoſcitur Deus, quàm per quemcumque effectum naturalem. Si autẽ Angelus inferior non comprahendit Angelos ſuperiores, ſe autem comprahendit, perfectiùs cognoſcet Deũ per ſe, quàm per illos, quia licet illi ſint effectus perfectiores, non tamen ſunt perfectiùs cogniti, & penetrati, quàm ipſamet ſubſtantia Angeli, & ideò ex hac parte perfectiùs manifeſtat Deum, quia eius participatio, licèt ſit minor, eſt tamen perfectiùs penetrata, & in eodem ordine intelligibili ſe habet cũ Angelis ſuperioribus, licèt non in eadem perfectione.

2907 Angelum per ſuam eſſentiã dupliciter Deũ cognoſcere, ſcil. mediatè, & immediatè.

Vnde pro reſolutione propoſitæ difficultatis tria ſunt hic veluti certa, & ſuperiùs etiam ſtabilita, ſupponenda. Primum eſt: Angelum per ſuam eſſentiã dupliciter Deum cognoſcere ſcilicet mediatè, & immediatè, prout in præcedenti controuerſia declarauimus. Secundùm eſt: longè perfectiorem, & euidentiorem eſſe cognitionem illam, quam habet Angelus de Deo per eſſentiam propriam, & ſpeciem intelligibilem, quàm ſit illa, quam habet per eamdem eſſentiam, vt cognitam; Primò, quia cognitio immediata cæteris paribus, perfectior eſt cognitione mediata; Secũdò, quia in cognitione immediata, quæ eſt per ſpeciẽ, vel per eſſentiam cognoſcentis loco ſpeciei, perfectiùs, ac magis vnitur res cognita cognoſcenti, quàm in cognitione mediata, quæ fit per medium cognitum; nam ſpecies, per quam fit immediata cognitio, idem eſt, quòd ipſa res cognita, puta Deus, quamuis alium habeat eſſendi modum; In altera verò cognitione, quæ fit per medium cognitum, puta per Angelum, res cognita, quæ eſt ipſum medium ad cognoſcendum Deum, non eſt ipſe Deus in aliquo eſſendi modo; & ſermo eſt de re cognita, vt cognita eſt: conſtat autem cogitionẽ fieri per hoc, quòd cognoſcens eſt ipſum cognitum; ergo perfectior erit cognitio, &c. Tertium, ſupponendum eſt, Angelum Deum cognoſcere, non ſolùm per eſſentiam ſuã, modis prædictis, ſed etiam per ſpecies aliarum rerum, tàm ſuperiorum, quàm inferiorum, quatenus ſcilicèt ſpecies illæ repræſentant res, per quas, veluti effectus cognitos, cognoſcit Angelus Deum, quo ad prædicata negatiua, cauſalia, & ſupereminentalia longè perfectiori modo; quàm homo, de cuius cognitione ſupra diximus quæſt. 12. art. 12. Prædictis addendum eſt quartum, nimirum cognitionem, quam habet Angelus de Deo, per ſuam eſſentiam, eſſe realiter diſtinctam ab ea, quam habet Angelus de Deo per ſpecies aliarum rerum repræſentatiuas, vt benè probant hic Bannes, & Zumel.

Angelus Deũ cognoſcit etiã per ſpeciem aliarum rerũ.

2908 1. Concl.

Quibus ſuppoſitis, dico primò, veras eſſe quatuor illas propoſitiones, quas, vt certas hic ſtatuunt expoſitores prædicti, quarum probationes lege, ſi placet, apud eos.

2. Concl. angelus inferior perfectiùs cognoſcit Deum per eſſentiam ſuã, quàm per ſpeciem ſuperioris.

Secundò dico, Angelum inferiorem perfectiùs cognoſcere Deum per eſſentiam propriam, vt ſpeciem intelligibilem, quàm per ſpeciem Angeli ſuperioris, ſiuè Angelus inferior comprahendat, ſiuè non comprahendat Angelum ſuperiorem, probatur: quælibet res diſtinctiùs, perfectiùſque cognoſcitur per propriam ſpeciem, illam immediatam repræſentantem, quàm per ſpeciem repræſentantem rem aliam, ſibi ſimilem, & illam inferiorem. At eſſentia cuiuslibet Angeli, vt ſpecies intelligibilis; eſt veluti ſpecies Dei propria ipsũ immediatè repræſentans; ſpecies autẽ repræſentãs Angeli ſuperiorẽ, non eſt ſpecies Dei ꝓpria, ſed rei Deo inferioris, & illi ſimilis: ergo, &c. Mai. patet ex dictis, & videtur eſſe per ſe nota, & poſſet inductiuè, aut exẽplariter probari ex ſpeciebus intellectus humani, quibus rem aliquam mediatè, aut immediatè, ſiuè per propriam, aut per alienam ſpeciem intelligimus. Minor patet ex dictis in præcedenti controuerſia.

2509 3. Concl. angelus inferior perfectiùs cognoſcit Deum per eſſentiam ſuam cognitã.

Tertiò dico, inferiorem Angelum per eſſentiam ſuã, vt cognitam, perfectiùs cognoſcere Deum, quàm per ſpeciem repræſentantem Angelum ſuperiorem. Probatur; quia ſuam eſſentiam cognoſcit Angelus comprahenſiuè, eſſentiam autem ſuperioris Angeli non cognoſcit comprahenſiuè, ſed tantùm quidditatiuè, vt oſtendimus in articulo præcedenti. Dictum hoc probant, & tuentur Bannes, & Zumel.

2910 4. Concl. angelus ſupremus perfectiùs cognoſcit Deum per ſuam eſsẽtiam, quã per ſpecies aliarũ rerum.

Quartò dico, Angelum ſupremum perfectiùs Deum cognoſcere per propriam eſſentiam, vt ſpeciẽ intelligibilẽ, quàm per ſpecies repræſentantes omnes angelos inferiores collectiuè. Prob. hoc dictum eodem medio, quo primum; diſtinctiùs .n., ac proinde perfectiùs quæcumque res cognoſcitur per ſpeciem propriam, illam immediatè repræſentantem, quàm per centum, aut mille ſpecies aliarum rerũ illi ſimilium, quæ vel communia tantùm indicant, vel propriorum notitiã non efficiunt, niſi negatiuè, aut arguitiuè. Vltimo dico valde probabile eſſe, Angelum ſupremum per ſuam eſſentiam, vt cognitam, perfectiùs cognoſcere Deum, quàm per ſpeciẽ, aut ſpecies repræſentantes omnes inferiores angelos, hoc dictum latè probant Bannes, & Zumel, oppoſitum etiam, vt probabile ſuſtinentes.

QVÆSTIO LVII. D. Th.

De cognitione Angelorũ quantum ad res materiales.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angeli cognoſcant res materiales.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

Concl. affirm. Prob. talis eſt ordo in rebus, quòd ſuperiora in entibus, ſunt perfectiora inferioribus. Et id, quod in inferioribus continetur deficienter, & particulariter, & multipliciter; in ſuperioribus con-

contineantur eminenter, & per quandam ſimplicitatem, & totalitatem, & ſecundùm modum naturę ſuperioris, vt patet in Deo. Sed Angeli ſunt Deo ſimiliores, & propinquiores, ſuntque naturæ intellectuales. ergo. res materiales ſunt in Angelis ſecũdùm modum intelligibilem.

Arg. 1. Intellectum eſt perfectio intelligentis. Sed res materiales non poſſunt perficere intellectum Angelicum, cùm ſint infra Angelos. ergo. Reſp; ma. eſſe falſam de re intellecta in eſſe naturali; veram verò in eſſe intelligibili. vnde res materiales per ſpecies intelligibiles à Deo infuſas, ſunt perfectiones intellectus Angelici.

Arg. 2. Ea, quę intellectuali viſione cognoſcuntur, debent eſſe in ipſo cognoſcente ſecundùm ſuas eſſentias. ex Gloſſ. *ſup. illud 2. ad Corint.* Sed res materiales non poſſunt eſſe in Angelo. ergo. Reſp. ma. eſſe falſam entitatiuè, quæ concedenda eſt intelligibiliter. res verò materiales ſunt in Angelo ſecundùm ſpecies intelligibiles.

Arg. 3. Res materiales non ſunt intelligibiles in actu, ſed fiunt actu intelligibiles miniſterio ſenſuum, & imaginationis. Sed in Angelis non ſunt ſenſus, nec imaginatio. ergo. Reſp. ma. eſſe veram de eo, qui debet accipere cognitionem à rebus ipſis materialibus. Angelus autem cognoſcit res materiales per ſpecies à Deo infuſas, non à rebus acceptas.

DISPVTATIO CCLXXXVI.

De cognitione Angeli circa res materiales exiſtentes, & poſſibiles.

2911 Opinio Carthuſ. iam refertur.

C*Irca primam igitur partem diſputationis Carthuſ* in 2. diſt. 3. q. 5. pag. ante penul. negat, *minima, & ignobilia ſingularia cognoſci ab angelo, v. g. numerum arenarum, & guttarum maris, & probari poteſt illo loco Eccl. 1.* Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies ſæculi quis dinumerabit? *cui adiungi poteſt alter locus pſalm 146 vbi ponitur tanquã proprium Dei numerare multitudinem ſtellarum.* Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat, *quaſi dicat nullus niſi Deus.*

2912 1. Concl. Angel⁹ cognoſcit omnes ſpecies rerũ materialium exiſtentium.

Dicendum eſt tamen, angelũ cognoſcere omnes ſpecies, imò, & omnia indiuidua rerum materialium exiſtentium. Ita S. Th. in hoc art., & omnes eius interpretes, & Scholaſtici. Sumitur ex Aug. 2. ſup. Gen. cap. 8. & in alijs locis, ſed præcipuè to 8. ſuper illud pſalm. 146 Et ſapientiæ eius nõ eſt numerus, *inquit*, Quidquid finitum mũdus iſte complectitur; etiamſi nõ homini, tamen eſt Deo, parum dico, angelis numeratũ eſt. *Et Maximus Centuria 3 de charitate c. 34. dixit.* Angeli eſſe, nil prorſus etiam particulariũ ignorare. *Et ſimilia reperiuntur in Sanctis Patrib. probatur ratione; quia in primis aliqua corpora, ſeu entia materialia cognoſci ab angelis, etiã in ſingulari docet ſacra ſcriptura, dum ſepè inducit angelos cum hominibus colloquentes, & eorum cuſtodia deputatos, quòd non ſolùm referendum eſt ad ſupernaturalẽ prouidentiam, ſed ad angelicæ mentis præſtantiã: Sic angeli cælos mouent naturali virtute, & Dæmones mira operantur in hominibus, & alijs corporibus naturali virtute, vt eos ad malum alliciãt, quę nullo modo fieri poſſent, niſi angeli rerum materialium cognitionẽ haberẽt. Quòd verò omnium materialium exiſtentiũ habeant cognitionem, hoc ſuadet eorum præſtantia, & perfectio, quia omnia illa, ſicut in natura, ita in cognoſcibilitate illis ſubijciuntur.*

Ratio eſt quia aliqua corpora cognoſcuntur ab angelo.

2913 Confirm. quia quilibet angelus cognoſcit ſubſtantias ſpirituales exiſtentes.

Confirmatur, quia quilibet angelus cognoſcit omnes ſubſtantias ſpirituales exiſtentes, ergo etiam cognoſcet omnia corpora exiſtentia, argumento à maiori, ad minus. Nec obſtant loca ſacræ ſcripturæ in contrarium adducta, quia dicitur eiuſmodi numeratio ſtellarum, & arenæ maris & c. propria Dei quatenus ad homines comparantur, quaſi dicunt, nullus homo eas numerare poteſt. Videantur aliæ explicationes apud interpretes, nam hic hæc ſufficit.

Omnia hęc cognoſcuntur ab angelo per vnam ſpeciẽ.

Hinc colligo, omnia hæc cognoſci ab Angelo per vnã ſpeciem, quę repræſentat non ſolùm genera, & ſpecies, ſed etiã indiuidua contra Scot. in 2. diſt. 3 q. 10. exiſtimantem, ſpeciem vniuerſalium eſſe diſtinctã à ſpecie ſingularium, ſed falsò; tum quia reſpectu inferiorum non dantur plures ſpecies in angelo, ſed vna, vt diximus ſupra q. præced. tùm quia cognitio, qua cognoſcit angelus corpora, eſt cõprehenſiua, adæquata, & intuitiua, igitur neq; ſingularia ſine vniuerſalibus, neq; vniuerſalia ſine ſingularibus cognoſcere poteſt: quæ ratio ęquè probat de ſpecie, atq; de cognitione reſpectu eorũ obiectorum, quorum angelus habet propriam ſpeciẽ; reſpectu verò obiectorum aliorum, quorum angelus non habet propriam ſpeciem, v. g. futurorum, vt futura ſunt, & cogitationem cordium quandiù nõ manifeſtantur, & aliorum non apparet hæc repugnantia, quominus angelus poſſit cognoſcere aliquas rationes communes, non conſideratis particularibus; Imò Suario videtur hoc neceſſarium, ſed de hoc alibi latiùs.

1914 2. Concl. ſolũ cognoſcunt res in aliqua temporis differentia futuras.

Circa ſecundã partẽ diſputationis de creaturis materialibus poſſibilibus. Vera opinio eſt, angelos ſolùm cognoſcere res in aliqua differentia temporis futuras, & exiſtentes, atq; adeò arguitiuè. & poſſibilitatem illarum. Ita communiter Expoſitores S. Th. q. 56. art. 2. q. 55 a. 2. & ibi Peſant. cõcl 6. Malon. in 2. d ſt. 3. diſp. 11. Suarez lib 2. c. 13. & alij. Prob. ex D. Th. loco citato qu. 56. art. 2. ad quartum vbi ait, Quod ſi Deus facturus eſſet nouũ angelum, aliam ſpeciem intentionalem creatis angelis indidiſſet, quam tunc eis non infundit, quæ ratio eodem modo vrget in rebus materialibus, ſi Deus alia corpora ſpecie diſtincta creare decreuiſſet.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Angelus cognoſcat ſingularia.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COncl. affirm. Prob. Homo per diuerſas potentias cognoſcit omnia rerum genera, ſcil. per intellectum vniuerſalia, ac immaterialia, & per ſenſum ſingularia, & corporalia. ergo Angelus per ſuam intellectiuã virtutem, tàm immaterialia, quàm ſingularia cognoſcit. Prob. conſeq. nam ordo rerum hoc habet, vt quantò aliquid eſt ſuperius, tantò magis habeat virtutem magis vnitã. & ad plura ſe extendentem.

Arg. 1. Philoſ. 1. *poſter.* dicit: Quòd *ſenſus ſingularium. Ratio verò, vel intellectus eſt vniuerſalium:* ſed Angelus caret ſẽſu. ergo. Reſp. Philoſophum loqui de intellectu, qui abſtrahit ſpecies à rebus; nam per abſtractionem à materialibus conditionibus, id quod abſtrahitur, fit vniuerſale. & ideò ſolùm per ſenſum homo ſingularia cognoſcit. hic autem modus intelligendi intellectui Angelico non conuenit.

Arg. 2. Omnis cognitio fit per aliquã aſſimilationẽ cognoſcentis ad cognitũ, ſed ſingularia nõ poſſunt Angelo aſſimilari; quia ſunt materialia: ergo. Reſp. diſt. ma. fit per aliquã aſſimilationem, vel in eodem genere, vel in eadem ſpecie: neg. mi. ſicut ſuperi⁹ habet ſimilitudinẽ cum inferiori, vt Sol cum igne, conced. ma. ita Angeli aſſimilantur rebus inferioribus, ſicut ſuperius inferiori.

Arg. 3. Angelus non cognoſcit ſingularia

per species vniuersales, quia singularia non cognoscuntur in vniuersali nisi in potentia: neque per species singulares, quia sic haberet species infinitas. ergo. Respond. Angelos cognoscere singularia per species vniuersales: quæ cùm non sint abstractæ à singularibus sunt similitudines rerum, & quantum ad principia vniuersalia, & quantum ad indiuiduationis principia.

DISPVTATIO CCLXXXVII.

An Angelis cognoscant singularia, & quomodo.

2915 Concl. certa secundùm fidem. Angelus cognoscit singularia materialia.

Communis sententia est cum D. Thoma hoc loco, certum esse secundùm fidem, quòd Angeli cognoscant singularia materialia, loquendo indeterminatè, idest, quòd eorum intellectus non solùm percipere possit essentias, & naturas rerum materialium, sed etiam singularium, id. n. facilè probari posset ex multis locis sacre scripture, vt indicat D. Th. hic quare, licèt aliqua esse soleat controuersia maximè in sententia D. Thomæ, an homo in hoc vitæ statu cognoscat singularia hæc materialia intuitiuè solo sensu, an etiam intellectu, tamen in angelo nulla esse potest ratio dubitandi, quin cognoscat singularia non solum cognitione abstractiua in suis causis, aut naturis vniuersalibus, sed etiam intuitiuè in se ipsis, quando iam existunt. rationem autem affert D. T. art. sup. tactam quia vnus angelicus intellectus propter ordinis sui superioritatem, æquiualet omnibus nostris potentijs cognoscitiuis, nos autem cognoscimus intuitiuè singularia saltem cognitione sensitiua, igitur, & angelus cognitione intellectiua; ad quòd confirmandum repetit eamdem sæpè superpositam doctrinam, quòd potentia, quò superior est, eò magis vnitim, & ad plura se extendit, talis autem est angelicus intellectus respectu nostrarum virium cognoscitiuarum, atque hæc Diu. Thom. in prima parte corp.

2916 Confirm. & explicatur. quia Deus, infudit in intellectum angeli species repræsentantes huiusmodi res.

In secunda verò parte explicat modum, & rationem, qua angeli hæc singularia cognoscere possint, nempè ex eo, quòd sicuti à Deo habent omnes res etiam materiales, & singulares, vt subsistant in suis naturis, & habeant non solùm prædicata vniuersalia, sed etiam singularitatem, & materialitatem, ita potest Deus infundere in intellectu angeli, sicuti, & fecit species repræsentantes, huiusmodi res vsque ad quamcumque differentiam, singularem, & materialem, quemadmodum, & ipse Deus per essentiam suam cognoscit hæc omnia vsque ad vltimum, & minimum gradum entis, potuerunt ergo produci species à Deo quæ in hoc aliquid participarent de modo essentiæ diuinæ in repræsentando, quæ scilicet non solùm naturas harum rerum, sed etiam distinctè singularitates repræsentarent, non tamen ita vnitim, & in tanta vniuersalitate vt essent à diuina, nam ipsa vna sufficit ad omnia prorsus repræsentanda. At verò vna species non sufficit ad omnia omnium naturarum, sed vna ad vnam naturam, & eius indiuidua, aut ad plures, & alia ad alias. postea verò ad tertium docet angelum non cognoscere singularia per species particulares ipsorum, sed per species vniuersales naturarum vt supra diximus, atque hæc ex Diu. Thoma hoc loco, neque aliud congruentiùs hac in re dici potest.

2917 Difficultas, si angelus ab initio habuit species, hos homines repræsentantes, cur ab initio hos homines non cognouerit.

Circa hanc doctrinam solet esse hoc loco prima, & non leuis difficultas ex eo, quia cùm angelus, qui cognoscit singularia nunc existentia, verbi gratia hos homines, non accipiat species ab ipsis obiectis; neque nunc ipsi infundantur à Deo, sequitur, quòd has species, quibus cognoscit hæc singularia habuerit ab initio, cur ergo ab initio non cognoscit hos homines, vt existentes pro hac differentia temporis, aut saltem determinatè, vt futuros? Cum tamen certum sit, quod Angelus non cognouit ab initio omnia singularia futura, quæ toto decursu temporis postea naturaliter cognouit, neque solùm non cognouit, vt existentia pro sua differentia temporis, sed neque hæc, vel illa determinatè, vt futura; quamuis potuerit cognoscere, vt possibilia in suis causis; vt art. seq. dicemus. Potest autem hac ratione formari Argumentum. Angelus ab initio habuit species omnium hominum, qui nunc sunt in mundo, & quos nunc per easdem illas species cognoscit intuitiuè, vt existentes, ergo ab initio potuit hos eosdem saltem abstractiuè cognoscere, & determinatè, vt futuros; Cùm enim nulla mutatio ex præsentia horum hominum fiat in Angelo, videtur, quod si nunc potest illos cognoscere, vt priùs etiam debuerit posse, quòd tamen falsum est, vt supponimus, de qua re multa habet Suar. lib. 2. de Angelis cap. 9. & 10. & 11. Vasquez, & alij communiter hoc loco, aut articulo sequenti est enim quo ad hoc vtriusque articuli doctrina connexa.

2918 Aliorum responsio, tāquā non bene fundata in sentētia D. Th. reijcitur.

Hac in re solet, vt probabilior, excepta Diui Thomæ sententia, ea opinio referri, qua asseritur species concreatas Angelis indigere noua, & noua semper modificatione ad repræsentandas res existentes, quando existunt; & proptereà antequam existent non potuisse illas repræsentare in suis causis existentibus eo modo, quo poterat in causis cognosci; hanc autem modificationem non fieri ab ipsis obiectis, sed à Deo, vt ab authore naturæ, ita exigente natura intellectus Angelici; Itaque cùm nunc Angelus, verbi gratia percipit meam locutionem iam actualem, percipit quidem per speciem vniuersalem, quæcumque illa sit, qua potest humanas locutiones intelligere, sed per illam hic, & nunc modificatam ad hanc rem nunc existentem repræsentandam, sic de cæteris, quam opinionem fusiùs impugnant Suar. & alij loco citat. Et reuera id habet incommodi, quòd cum hæc variatio indiuiduorum tàm multiplex, & perpetua sit in natura, deberent species Angelicę continuò esse in innumeris mutationibus. Quare multò congruentiùs esset dicere, quòd Deus infunderet nouas species intuitiuas, tunc quando hæ res incipiant esse, quàm continuò variare species antiquas. Item neque re vera in rigore hoc pacto dici posset, quòd Angelicus intellectus initio suæ creationis fuerit completus quò ad formas intelligibiles, sicuti congruentissimè dicitur fuisse; si continuò indiget, tàm multis variationibus, & mutationibus formarum ad intelligendum. Item non assignatur hoc modo ratio, cur species Angeli non habuerint ab initio talem modificationem, vt per illam potuerit Angelus cognoscere saltem determinatè rem futuram; & denique si hęc res potest commodè intelligi sine variatione facta in speciebus, sed solùm in obiectis, multò congruentiùs explicatur, vt certum est, vt infrà.

2919 Vera solutio. hęc diuersitas non oritur ex eo, quòd species ab initio varientur, sed quia variātur res obiectæ.

Alio ergo congruentiori modo hac in re Diuus Thomas philosophatus est, scilicet asserendo, hanc diuersitatem oriri non ex eo, quòd species ab initio concreatę varientur; sed ex eo, quòd res obiectę varientur. pro cuius doctrinę intelligentia sciendum est, Diu. Thom. existimasse species Angelicas ratione suę altioris naturę supra nostras, essentialiter esse talis conditionis, vt primò, & per se repręsentent essentias, & naturas rerum creatarum, earumque entitates quidditatiuè, intuitiuè autem non possint illas repręsentare, nisi quando sunt in tali statu, vt possint intuitiuè cognosci ab intellectu, cuius cognitio non mensuratur ęternitate, qualis est intellectus Angelicus, cuius sunt species proportionatæ; Sicuti enim essentia diuina, quę est eminentissima idea, & exemplar omnium specierum creatarum, est talis, vt non possit intuitiuè repręsentare creaturas existentes, nisi posito decreto, quod existant, & coexistant ęternitati, quę est mensura cognitionis intellectus diuini, cuius ipsa est naturalis, & proportionata species, vt suo loco diximus. Ita potuit à Deo produci species; quę ex superioritate, & excellentia sui ordinis supra nostras magis limitatas, & imperfectiores habeat, vt ex se sit repręsentatiua alicuius

naturæ

naturę creatę; primò quidem quidditatiuè, intuitiuè autem positio, quòd illa natura sit in tali statu, vt possit intuitiuè cognosci ab intellectu Angelico, cuius cognitio non mensuratur æternitate. In tali autem statu est hęc natura quando existit, & prout existit in sua differentia temporis tantùm; & propterea tunc poterit tantùm repræsentari, & cognosci intuitiuè sine vlla mutatione facta in specie antiqua, & vniuersali angelica.

2920 Corollarium Res futuræ solùm certò cognoscuntur cognitione æterna.

Ex hoc proximè sequitur, quòd licèt res futura, posito quòd sit futura, apta sit cognosci intuitiuè, & consequenter etiam repræsentari intuitiuè, non tamen respectu cuiuscumque intellectus; & cuiuscumque speciei, saltem naturaliter loquendo; sed respectu illius, cuius cognitio mensuratur ęternitate, & speciei illi proportionatę; sic enim respectu ipsius non est propriè futura, sed pręsens, vt suo loco vidimus; ad quod respexit Diuus Thomas artic. sequenti ad secundùm, cum ex hoc docet Angelum non cognoscere futura, quia eorum intellectio non mensuratur ęternitate, quæ etiam est ratio à priori, cur angelis non debeatur ab initio cognitio intuitiua futurorum, imò neque etiam abstractiua certa, nisi quantum hęc futura cognosci possunt in suis caussis.

2921 1. Difficultas. Quomodo species angelicæ ab initio concreatæ, in tempore obiectis coaptentur.

Sequitur quis sit sensus illius doctrinę Diu. Thom. ęmulantur, cuius aliqua loca mox afferemus, cùm docet angelos per species antiquas non cognoscere futura intuitiuè, nisi quando sunt pręsentia. quia rerum species non assimilantur his rebus, nisi quando res existunt, quę assimilatio inter species, & res non incipit esse per mutationem specierum, sed per mutationem rerum, intelligitur autem hęc assimilatio non in esse reali, vt fatetur Diu. Thomas. hic ad secundùm, & quæst. 8. de virt. artic. 11. ad 3. & alibi, sed in esse intentionali, neque per relationem prędicamentalem, quę nulla est ad rem nostram, neque si esset, aliquid conferret ad actionem hanc intelligendi, cùm relationes prædicamentales non sint in natura ad hoc munus, vnde dicuntur ad nihil inseruire.

2922 Solutio. Noua assimilatio rei respectu speciei, exigit existentiam ipsius rei.

Hęc ergo noua assimilatio in esse intentionali, consistit in eo, quòd cùm res singularis non sit apta repræsentari per speciem naturalem Angeli intuitiuè, nisi cum existit in sua differentia temporis, vt docet Diu. Thomas artic. sequenti, & sępè alibi; Hinc est, vt dum non existit, neque species apta sit illam repręsentare. & quia idem est esse similem intentionaliter speciem suo obiecto, ac posse in actu primo repræsentare illud; Hinc etiam est, vt tunc species non dicatur similis suo obiecto, neque obiectum speciei; cùm autem illud existit, quia iam habet id, quòd requiritur ex parte sui, vt possit repræsentari, hinc est, vt dicatur species assimilari suo obiecto, & obiectum speciei, non per mutationem speciei, sed per mutationem obiecti, tunc autem dicitur angelus posse talem rem cognoscere per nouam assimilationem ipsius rei ad suam speciem, sine mutatione speciei.

2923 Confirm. ex D. T. asserente, species nō æqualiter se habere ad præterita, pręsentia, & futura.

Circa hanc ergo rem ita habet Diu. Thom. artic. sequent. ad tertium dicendum. quod licèt species, quæ sunt in intellectu Angeli, quantum est ex se, æqualiter se habeat ad præsentia, præterita, & futura, tamen hęc non æqualiter se habent ad rationes, quia ea, quæ sunt præsentia, sicuti habent naturam per, quam assimilantur speciebus, quæ sunt in mente Angeli; sed quæ futura sunt, nondum habent naturam, per quam illis assimilentur, vnde per eas cognosci non possunt, *& quæst. 16. de malo artic. 7. ad 6. sic habet*, Angeli non cognoscunt singularia quando sunt in actu per species de nouo acquisitas, sed per species, quas priùs habebant, per quas tamen non cognoscebant ea, prout erant futura; cuius ratio est, quia omnis cognitio fit per quandam assimilationem cognoscentis, & cogniti, species autem intelligibiles, quę sunt in intellectu Angelico, sunt directè similitudines respicientes naturas specierum, per quas tamen singularia cognoscere possunt, non tamen nisi in quantum participant naturam specierum, quòd non est antequam sint in actu, & ideò statim quando sunt in actu, cognoscuntur ab Angelis, *& cùm aliqua etiam ad septimum, & octauum dixisset ad rem nostram, ad 9. post medium sic habet.* Species intellectus Angelici secundùm se ipsas semper eodem modo se habent, sed ex transmutatione indiuiduorum naturalium prouenit, quod quandoque assimilentur speciebus existentibus in intellectu Angeli, quandoque non assimilentur. & similia *habet quæst. 14. & quæst. 8. de ver. artic. 9. ad 3. & 5. & art. 12. ad quodlib. 7. artic. 3. ad primum, secundùm, & quintum.*

2924 Hæc autem variatio est ex parte rerū obiectarum.

2925 2. Difficultas An alia sit ratio rerum distātium, quò ad tempus, & distantiū quò ad locum respectu Angeli.

Ex quibus demum sequitur, aliam esse rationem rerum distantium quoad locum, & distantium quoad tempus respectu Angeli; nam Angelus existens in cœlo potest naturaliter cognoscere hæc omnia singularia, quorum habet species, quantumcumque loco distent ab ipso, non autem si sint distantia tempore, nempè si sint futura; nam de præteritis dicemus infra, vt fatetur Diu. Thom. art. 2. ad 3. Ratio autem est, quia hæc loco distantia, sunt re ipsa præsentia in se ipsis, & sua differentia temporis, vnde habent, vt possint intuitiuè repræsentari per speciem Angelicam; at verò si sint futura id non habent; quare Angelus ad pręsētia cognoscenda nullo indigent motu locali, sed solùm requiritur, vt velit aduertere ad ea, quæ vult intelligere, & vti suis speciebus, nisi fortè impediatur à Deo, quòd præcipuè contingere potest Dęmonibus in pœnam peccati. Vnde cùm cap. 1. & 2. Iob. Dęmon de se dicit circuiui terram *&c.* non *ideo dicit, quasi indiguerit hoc motu ad accipiendam sui cognitionem, sed ad tentandum; vel certè circuitus ille intelligitur mentalis, non substantialis, & localis.*

2926 Resp. affirmatiue.

1. Obiectio

Sed obijcies primò si species antiqua sine vlla sui mutatione, sed solùm per mutationem obiecti, potest nunc repręsentare Petrum existentem, cum prius non posset, sequeretur, quod etiam intellectio antiqua Angeli, qua priùs intelligebat naturam humanam, posset nunc repręsentare Petrum existentem, quem prius non repræsentabat, sine vlla sui mutatione, sed solùm per mutationem ipsius obiecti, & sic Angelus cùm de nouo aliqua cognoscit, non esset necesse mutari, neque quoad actum primum, neque quoad actum secundum, sicuti dicimus, cognitionem diuinam terminari ad creaturas existentes, sine vlla sui mutatione, quòd tamen in Angelo est falsum, verè enim quoad actum secundum mutatur, cùm incipit de nouo cognoscere aliquid, quod prius non cognoscebat.

2927 Resp. neg. cōseq. ex ratione disparitatis, vt quod cognitio est actus secundus; species vero est actus primus.

Respondeo negando consequentiam; & ratio disparitatis est ex eo, quòd cognitio sit actus secundus, & species sit actus primus; proprium autem est actus primi, quando non producitur ab actu secundo, vt possit ad plura se extendere, facta solùm variatione in alijs, hoc autē non potest actus secundus, cū absit à primo du potentia. Vnde actus secundus ex natura sua est magis limitatus, quam actus primus, vt constat inductione in omni genere actuum; nam vnica potentia numero intellectiua potest se extendere ad plures intellectiones, & plura obiecta per mutationem alicuius extra suam intrinsecam substantiam idest non variata substantia intellectus; & idem accidit in omnibus alijs potentijs similibus, & vnus calor potest plures calores producere; at verò calefactio hęc, qua producitur hic numero calor, non se extendit ad alios calores, & hęc numero visio huius albi, non se extendit ad alia alba, vel nigra, licet potentia visiua se extendat; & similiter in habitibus, habitus fidei nunc se extendit ad credendum hoc obiectum reuelatum, ad quod prius non se extendebat, antequam esset reuelatum, at verò actualis assensus huius obiecti credibilis, nō se extēdit ad alia obiecta credibilia, simili ergo modo, cū species Angeli sit actus primus, & habitus vniuersalis, poterit hic, & nunc se extendere ad caussandam cognitionem huius obiecti facta aliqua

mutatione

mutatione in ipso, & hæc actualis cognitio, cum sit actus secundus, si nunc non repræsentat in actu secundo hoc obiectum, non poterit illud repræsentare, nisi facta mutatione in ipsa cognitione.

2928 Confirm. eadem disparitas, quia actus secundus semper est obiecto adæquatus, non sic primus.

Patet etiam eadem disparitas ex alia consideratione, quia actus secundus, qui non est nisi merè actus secundus, semper est obiecto adæquatus, quod repræsentat. Vnde si nunc non repræsentat aliquid, nunquã poterit illud repræsentare, sicuti patet in omni alio genere actus secundi nobis noti; v. g. hæc auditio numero est adæquata ad hunc sonum; imo propterea dicitur hæc numero, quia est ad hunc, & non alium; at verò actus primus non semper est adæquatus suo actui secundo, vt etiam certissimum est, & ita non valet, si nunc species non concurrit ad repræsentandum, seu cognoscendum Petrum, seu alium hominem, non poterit vnquam concurrere ad illum cognoscendum, seu ad causandum eius cognitionem, vt etiam certum est. Illud verò exemplum diuinæ cognitionis potius explicat, & fauet nostræ doctrinæ, nam diuina cognitio est cognitio per se subsistens, & est suus intellectus, & ita habet omnem perfectionem actus secundi, & primi, & est adæquata diuino intellectui, & ita potest sine vlla sui variatione repræsentare creaturas, vt possibiles, & vt existentes, quod tamen dici non potest de angelica cognitione, quæ non est suus intellectus, neque intellectio per se subsistens, sed potiùs contrarias conditiones habet.

2929 2. Obiectio.

Obijc. Secundò, si vna numero species vniuersalis potest, seu apta est, quantùm est ex se in actu primò repræsentare plura, & plura indiuidua in infinitum, sequeretur, quod esset infinitæ actu perfectionis, & efficaciæ, seu virtutis in repræsentando; & sic quælibet Angelica species esset actu infinita quod videtur absurdum. Sequela probatur ex illo communi argumẽto, quia vt aliqua species sit apta repræsentare vnum indiuiduum, requiritur tanta perfectio, v. g. vt vnũ; vt autem apta sit repræsentare duo indiuidua requiritur maior perfectio, & sic de cæteris, ergo vt sit apta repræsentare non tot, quin plura, seu infinita, requiritur infinita perfectio.

Resp. illud argumentum non valere, quando fit transitus ad rem alteriùs ordinis, & speciei.

Respondeo negando primam sequelam; & ad eius probationem respondeo, vt sæpè alibi dictum est, illud argumentum non valere, quando fit transitus ad rem non solùm alterius ordinis sed etiam alterius speciei, quare etiamsi concederetur, quòd species apta repræsentare indiuidua non tot, quin plura, esset in eodem ordine cum speciebus aptis repræsentare solùm indiuidua determinata tot, & tot, & non plura; non tamen id sequeretur, si poneretur talis species altioris ordinis, & conditionis, quàm illæ, sicuti est species angelica in ordine ad nostras, & quascumque alias limitatas ad aliqua tantùm indiuidua; maximè quia, licèt hæc indiuidua ponantur infinita, tamen hæc infinitas solùm est quoad numerum, & materiale, contenta intra vnam speciem entis finitã, & limitatam, qualis est natura humana, & aliæ similes, vt etiam alibi dictum est.

2930 Confirm. aliquo exemplo caloris, qui licet possit in infinitum finitè producere, non est infinitus.

Huius autem rei, etiam in rebus nobis notis, exemplum aliquod afferre possumus, si quis enim ita argumentaretur, si daretur aliquis calor, qui producere posset vnum tantùm numero calorem, sine dubio aliquam perfectionem haberet in ratione principij actiui, & si posset dari alius calor, qui posset producere duos calores, hic esset maioris perfectionis, & sic de cæteris; ergo si daretur aliquis calor, qui esset ex se in actu primo productiuus calorum nõ tot, quin plurium, deberet esse infinitus in ratione principij actiui; non valeret cõsequentia, nisi fortè hic vltimus calor in ratione principij actiui esset eiusdem speciei infimæ cum alijs, & argumentum procederet, per partes æquales, ex cuius rei defectu noster calor, de facto non est infinitus, licèt quantum est ex se possit producere calores finitè in infinitum, & si conseruaretur æterno tempore, æterno tempore produceret; re vera enim noster calor non est eiusdem speciei infimæ cum illis alijs, si darentur, nam hic noster ex essentia sua habet, vt quantum est ex se sit productiuus plurium, & plurium; illi autem calores non haberent hanc essentiam, vt supponitur in argumento; & eadem ratio est communiter de omnibus alijs nostris agentibus; non enim arguitur infinitas potentiæ, & causæ ex eo præcisè, quòd quantum est ex se possit producere plura, & plura indiuidua in infinitum, vt inductione constat.

2931 Confirm. 2. Quia similia argumenta calculatoria non procedũt per partes æquales, sed per proportionales.

Dixi autem, & argumentũ esset per partes æquales, *nam similia argumenta possent hoc vitio etiam laborare, vt supponant, non probant argumentum illud semper esse per partes æquales, posset enim aliquis in re proposita respondere, quòd species repræsentatiua omnium indiuiduorum possibilium sub vna infima specie est perfectionis, vt octo, v. g. aliæ verò species, etiamsi essent eiusdem rationis infimæ speciei cum ipsa, quæ repræsentans eadem indiuidua determinata tot, & tot, & non plura, crescant quidem in sua indiuiduali perfectione, quo plura apta sunt repræsentare; crescant tamen per partes proportionales intra illam latitudinem perfectionis, vt octo, & sic non sequitur infinitum, vt patet consideranti; neq; id gratis diceretur, habemus enim exempla euidentissima in rebus nobis notis, quòd scilicet aliquando virtus vnius causæ possit crescere per partes æquales in infinitum, effectus tamen illius non crescat nisi per partes proportionales, & è contra v. g. si daretur in aliquo puncto huius aeris aliqua pila grauitatis, vt quatuor, & deberet moueri vsq; ad terram tanta velocitate motus v. g. per vnum quadrantem, si talis pilæ grauitas intelligatur crescere semper per partes æqualis ita vt habeat secundò grauitatem, vt octo, postea, vt sexdecim, & sic in infinitum, tamen velocitas motus, & diminutio temporis non cresceret nisi per partes proportionales intra latitudinem illius primi quadrantis, vt patet consideranti; è contra verò in exemplo posito, hic numero calor v. g. potest producere, quãtum est ex se non tot, quin plures calores, licèt sit finitæ perfectionis actiuæ, quamuis in numero indiuiduorum possumus assignare augmentum semper per partes æquales. Vndè si darentur alij calores, qui possint producere duos, vel tres, vel quatuor calores, &c. ita vt eorum effectus numero, semper cresceret per partes æquales, non tamen esset necessarium, quòd perfectio in agente cresceret per partes æquales, sed posset intelligi crescere per partes proportionales intra finitam latitudinem nostri caloris, & multa similia in rebus mathematicis considerari possunt; quare in his argumentis probandum est, quòd argumentum fiat per partes æquales, & quòd non fiat transitus ad rem alterius rationis, vel speciei, alioquin ex vi formæ nihil concluditur. atque hæc circa hanc primam difficultatem.*

2932 3. Difficultas. An Angeli per species vniuersales cognoscant naturas substantiales, & accidentia; Resp. affirm.

Solet etiam moueri hoc loco alia difficultas, an Angeli per easdem species vniuersales, quibus cognoscunt naturas substantiales, & earum indiuidua, cognoscant etiam accidentia eorundem indiuiduorum; an verò solam substantiam; quæ in re communis est sententia Thomistarum; vt supra fusiùs visum est, quos sequitur Valentia, & alij, affirmatiua, quam expresiè tradit D. Thomas quodl. 7. art. 3. ad 1. & quæst. 8. de verit. art. 11. ad 9 & alibi, quamuis hoc præsenti loco nihil aliud expreßiè dicat, nisi quòd species alicuius naturæ non solùm repræsentet prædicata quidditatiua eiusdem, sed etiam principia indiuiduantia suorum indiuiduorum, quæ secundùm D. Thom. multa accidentia inuoluunt. Itaque secundùm D. Thom Angelus per speciem naturæ humanæ, v. g. cognoscit Petrum, & omnia accidentia naturalia Petri, idest non libera, neque supernaturalia, posita tamen existentia talium accidentium in Petro, ratio Diu. Thomæ ea est, quàm sæpè supra tetigimus, quia hæ species Angelicæ non sunt acceptæ à rebus, sed à Deo infusæ, vt quædam excellentiores, & eminentiores participationes idearum diuinarum, atque adeò habere possunt vim repræsentãdi singularia quò ad omnia, quæ pertinent ad ipsorum constitutionem, & omnem variationem, quæ in ipsis est modo prædicto, posita semper earum rerum existẽtia, & certè si

nihil

nihil ex hoc abſurdi ſequitur, ſicuti re vera non ſequitur, congruentiſſimum eſt ita de Angelis ſentire in ordine ad hæc obiecta inferiora.

2933 **Obiectio.** *Sed obiicies, ſi ita eſſet ſequeretur, quòd eadem ſpecies poſſet repræſentare contraria, & contradictoria, poſſet .n. repræſentare ſubiectum nunc calidum, nunc frigidum, nunc in motu, nunc in quiete.* **Reſpond.** *Reſpondeo non eſſe abſurdum poſſe hæc repræſentare, non vt ſimul exiſtentia in eodem ſubiecto in gradu incompoſſibili, ſed ſucceſſiuè, ſicuti re vera ſunt in illo ſubiecto, vt conſtat in eſſentia diuina, quæ poteſt omnia repræſentare, cuius hæ ſpecies ſunt quædam eminentes participationes.*

Dub. 1. Quomodo intelligatur illa propoſitio D. Th. Quæ ſunt diſperſa in inferioribus, ſunt vnita in ſuperioribus.

Dub. 2. An per eandem ſpeciem angeli repræſentetur quidditas, ſingularitas, exiſtentia rerum.

Dub. 3. An ſpecies Angeli vniuerſalis, tunc ſolùm repræſentet ſingularia, cùm fuerint actu exiſtentia.

Dub. 4. An, & quomodo duratio rei ſingularis repræſentetur in ſpecie Angeli intelligibili.

DVBIVM I.

Quomodo intelligatur illa propoſitio D. Th., quæ ſunt diſperſa in inferioribus, ſunt vnita in ſuperioribus.

2934 *Huius principij quatuor poſſunt eſſe ſenſus.*

CVM itaque dictum principium, vt à Caietano proponitur, ſit ampliſſimum, de illius ſic expræſſi ſenſu, & veritate primo differendum eſt. Eſt autem hoc principium: *Quæ ſunt diſperſa in inferioribus, ſunt vnita in ſuperiori*, cuius quatuor poſſunt eſſe ſenſus. Primus eſt. Quæ ſunt diſperſa in inferioribus, adunantur in ſuperiori eminenter, & formaliter; Sicut actus ſentiendi ſenſuum exteriorum ſpecie, ac re diuerſi, in vno ſpecie actu ſenſus communis formaliter, ac eminenter adunatur; & in hoc ſenſu verum non eſt vniuerſaliter dictum principium, ſed abſolutè falſum; adunantur enim perfectiones, virtutes, & actus cuiuſcumque naturæ creatæ in vna ſuprema, ac infinita Dei perfectione eminenter; nec tamen ibi ſunt formaliter ea, quæ non dicunt perfectionem ſimpliciter, ſed in natura; non eſt enim Deus ſenſibilis, rationalis, aut hinnibilis, &c. & ſimiliter virtutes primarum qualitatum in vna ſolis virtute adunantur eminenter, ſed non formaliter.

Primus ſenſus Duplici appoſita limitatione verum eſt in primo ſenſu dictum principium. Duplici tamen appoſita conditione, ſiuè limitatione, verum eſt in eo primo ſenſu dictum principium. Prima limitatio eſt; vt ea, quæ ſunt in inferioribus diuiſa, nullam dicant imperfectionem ſecundùm ſuam propriam, & vltimam differentiã, ſed ſint perfectiones ſimpliciter: conſtat autem plurimas ex creatis perfectionibus, virtutibus, &

2935 *1. Limitatio.* actibus, non eſſe perfectiones ſimpliciter; atque adeò cum eleuantur in Deum, formaliter, illi non inſunt; ſicut ob eandem cauſam, nec primarum qualitatum virtutes ad vnam ſolis virtutem adunatæ formaliter illi conueniunt.

2. Limitatio eſt, vt ſuperiora in eo genere, in quo ſunt ſuperiora, non dicant imperfectionem oppoſitam. Secunda limitatio, ſiuè conditio eſt, vt ſuperiora in eo genere, vel ordine, in quo ſuperiora ſunt, non dicant imperfectionem oppoſitam naturali complemento eiuſdem generis, aut ordinis. Ex cuius conditionis defectu noſter intellectus, qui pura potentia eſt inter omnes intellectus, & virtutes cognoſcitiuas, imperfectionem dicit in genere cognoſcentis, atque adeo, licet ſingularium notitia, quę ſenſibus conuenit in inferiori gradu conſtitutis, ſit perfectio ſimpliciter, noſtro tamen intellectui ſecundùm ſe minimè congruit, ſed Deo tantùm, & Angelis, quorum intellectibus cognita eſt, & connaturalis perfectio. Senſus autem omnes propriam ſui generis iuxta cuiuſcumque menſuram habent perfectionem; nullus enim ex eis eſt, cui ſpecies debeant eſſe congenitę, atque adeo cognitio ſingularis, quæ formaliter ſenſui conuenit inferiori, puta viſui, congruit etiam formaliter, & excellentiùs ſuperiori, puta communi ſenſui, & phantaſiæ.

2936 *3. Limitatio eſt, dictam propoſitionem non eſſe verã de ſuperiori natura incompleta.* Sed præterea limitari poteſt etiam dicta propoſitio cum Caietano, dicendo veram non eſſe de ſuperiori natura, quę nõ ſit in ſpecie completa, qualis eſt intellectus humanus, ſed de natura, quæ in ſpecie completa eſt, qualis eſt homo, & angelus; nõ enim oportet, inquit Caietanus, res incõpletas præhabere ſimpliciter, & formaliter inferiora, ſed potius cum eis adunari ad vnam aliquam naturam, ſiuè rem completam conſtituendam; ſicut ſenſus, & intellectus in homine vnum perfectum cõſtituunt cognoſcentem. Sed quamuis non ſit neceſſe, res ſuperiores incompletas præhabere ſimpliciter, & formaliter inferiora, quę ſimul cum eis ad vnius naturæ complementum concurrunt, ſi tamẽ res illæ ſuperiores incompletæ propriam ſui generis ſibi congruam habuerint perfectionem, poterunt inferiora, quoad eorum virtutes, & actus continere formaliter; ſicut de ſenſu communi, & alijs inferioribus reſpectu exteriorum modo diximus; & ideò S. D. in art., profert exemplum de ſenſu communi comparatione ſenſus proprij. Et ex his diluitur obiectio Ferrarienſis in 1. cont. gent. cap. 65. & in 2. cap. 100.

2. Senſus eiuſdem principij eſt, diſperſa in inferioribus, adunari in ſuperioribus virtualiter. Secundus eiuſdem principij ſenſus, hic eſſe poteſt: Quæ ſunt diſperſa in inferioribus, adunantur in ſuperiori virtualiter, ſiuè eminẽter: & in hoc ſẽſu falſa eſt abſolutè propoſitio, & vera tantũ ſecundùm quid, vt patet ex dictis in articulo præcedente, nec deſeruit propoſitio, vt hic ſcitè Caietanus aduertit.

3. Senſus Quæ eſt adunari in ſuperioribus eminenter. Tertius, eiuſdem principij ſenſus eſt: quæ ſunt diſperſa in inferioribus, adunãtur in ſuperiori eminenter, formaliter, aut virtualiter, & ſub hac diſtinctione vera eſt, ſumendos terminos, ex parte huius diſiunctiuè, in ſenſu iam expreſſo: ſic tamen pręſenti non congruit inſtituto; cũ ex ea ſic ſumpta concludi minimè poſſit, Angelo formaliter ineſſe notitiam ſingularium, ſed ſub diſiunctione tamen, ſcilicet formaliter, aut eminenter.

4. Senſus Quæ &c. adunari in ſuperioribus quantùm poſſibile eſt. Poſtremus eiuſdem principij ſenſus eſt, quæ ſunt diſperſa in inferioribus, adunantur in ſuperiori, quantùm poſſibile eſt, ideſt eminentiori modo, quo poſſunt adunari iuxta modum, & capacitatem ſuperioris atque adeò, ſi ſuperiora fuerint eius naturę, vt rationes inferiorum non ſolùm eminenter, ſed etiam formaliter admittant, neceſſe eſt, in eis inferiora formaliter, & eminenter adunari; quòd ſi rationes inferiorum formaliter ſumptæ, ſuperioris entis naturæ non congruant, non poterunt in eo formaliter, ſed eminenter tantùm adunari, ſiuè completè, ſiuè incompletè, modo ſuperiùs explicato; & huic ſenſui valde deſeruit propoſitio, quia ſingularium cognitio, de qua ſermo eſt in hoc articulo, ad earum rerum genus attinet, quę formaliter in ſuperioris, ſiuè intelligentis notitiam poſſunt eleuari.

2937 *Petes 1.* Petes 1. *Quiſnam ſit legitimus ſenſus illius principij: quidquid poteſt virtus inferior, poteſt virtus ſuperior, ſed excellentiùs.*

Reſp. haberi prędictam formam ex D. Thom. Reſp. Secundam formam proponendi dictum principium haberi in 2. contra gent. cap. 100. vbi ſic exprimitur: *Quod poteſt inferior virtus, poteſt, & ſuperior, ſed eminentiùs.* Qua loquendi forma limitatur huius principij veritas ad ſolum genus virtutis operatiuæ. Senſum eius multiplicem explicat latè Ferrarien. in locis ſuperiùs allegatis.

Quatuor diſtinctionibus, & quinque propoſitionibus poteſt doctrina prædicti principij comprahendi. Quatuor tamen diſtinctionibus, & quinque propoſitionibus poteſt tota illa doctrina compræhendi. Prima diſtinctio eſt: virtutem ſuperiorem poſſe, quidquid poteſt inferior, dupliciter poteſt intelligi: vno modo, quia poteſt in omne obiectum, in quod poteſt inferior; Alio modo, quia poteſt in omnem operationem, & modum, inferiori naturaliter congruentem: Secunda diſtinctio eſt: duplex eſt modus operationis, alter illi conueniens, prout ſe tenet, ex parte virtutis, ſiue prout exit ab operante, mediante potentia; alter illi conueniens, prout ſe tenet ex parte obiecti, ſiue prout ai-

tingit obiectum. Tertia distinctio: modus operationis, se tenens ex parte obiecti potest esse no-
2938 *Distinctiones assignantur.* bilior modo alterius operationis, se tenente pariter ex parte obiecti dupliciter; vno modo, quia modũ illum non attingit obiecti, quem attingit altera virtus, sed nobiliorem: Alio modo, quia modum simul eundem, & superiorem; etiam attingit. Quarta distinctio est: vna virtus potest dici superior altera dupliciter: vno modo, quia ad ordinem pertinet superiorem: quemadmodum virtus Angeli superior est virtute corporis: Alio modo, quo ad gradum, quia scilicet gradum obtinet in eodem ordine superiorem, sicut vis interior sensitiua superior est qualibet exteriori sensuum facultate.

2939 *Proponuntur prima, & secunda propositio dicti principij declaratiua.* Prima propositio: principium illud: *Quidquid potest virtus inferior, potest virtus superior, sed excellentiùs*, verum est quoad obiectum de virtute superiori, siuè secundùm ordinem, siue secundùm gradum, & de virtutibus inferioribus illi directè subordinatis. Manifestatur hæc propositio: quoniam vna vis sensus communis appræhendit diuersa genera sensibiliũ, quæ quinq; sẽsus exteriores percipiunt, & virtus vna Dei, vel etiam Angeli cognoscitiua vna, simplici actu considerat, quidquid homo, vel anima nostra diuersis viribus appræhendit, scilicet intellectu, imaginatione, & sensu. Secunda propositio: Idem principium verum est quoad operationem; quia nimirum operationem, omnem, quam habet virtus inferior, habet, & superior, nisi ea operatio ob inclusam imperfectionem, superiori minimè congruentem, illi repugnet. Manifestatur exceptio, quoniam irasci, tristari, & sperare nobis conueniunt, quæ tamen ob inclusam imperfectionem Deo repugnant.

2940 *Tertia, & quarta propositio dicti principij enucleatiua.* Tertia propositio. Idem principium verum est quoad modum se tenentem ex parte virtutis; quia scilicet eodem modo, quo potest operari virtus inferior, potest etiam operari virtus superior, vel modo eminentiori. Probatur: Nam quò fuerit operantis altior modus essendi, eo nobilior erit modus operationis. Quarta propositio: Idem principium verum est de virtute superioris ordinis, & de operatione, quoad modum se tenentem ex parte obiecti, includentem formaliter modum ignobiliorem inferioris agentis, operationi congruentem. Manifestatur in virtute, qua Deus, & Angelus intelligunt; Per hanc enim cognoscunt Deus, & Angelus singularia materialia, non solùm quoad accidentia sensibilia, naturis eorum extrinseca, sed etiam quoad intimam eorum essentiam: hoc autem est cognoscere nobiliori modo ex parte obiecti, quia scilicet obiectum sub vniuersaliori, & altiori ratione, ac lumine attingitur, atque ideò plura, ac magis intima de eo penetrantur.

2941 *Quinta propositio. Verum est dictum principium de virtute superioris gradus, & de operatione quoad modum operandi* Quinta propositio: verum est dictum principium de virtute superioris gradus, & de operatione quoad modum operandi ex parte obiecti, non tamen ita, vt modus ille semper formaliter includat modum ignobiliorem operationis inferioris agentis. Manifestatur hęc propositio quoad partem affirmatiuam, in sensu communi, & imaginatiua respectu sensuum exteriorum; cognoscit enim animal illis duabus virtutibus, ea accidentia, quę sunt obiecta propriorum sensuum, & quædam alia. quoad negatiuam autem manifestatur in intellectu nostro, qui substantiam, siuè naturam eandem singularem, quam sensus cognoscit, attingit perfectiori modo ex parte obiecti se tenente; quia scilicet eius quidditatem intelligit, & eam, vt vniuersalem abstractè, & immaterialiter contemplatur; sed tamen ipsam, prout est singularis, & indiuidua, non cognoscit directè, & per se ipsum. Repugnat enim modo cognoscendi intellectui nostro naturali directa cognitio singularis, eò quòd species intelligibiles accipiat noster intellectus a rebus per abstractionem a conditionibus indiuiduantibus. Intellectus autem diuinus, & Angelicus, qui rerum similitudines, seu rationes habent connaturales, à rebus minimè dependentes, singularia naturaliter existentia cognoscunt, tam quoad communem eorum essentiam; quam quoad eorũ singularitatem, & accidentia per quæcumque sensus cognoscibilia.

2942 *Hęc quinta propositio est Ferrariensis.* Propositionem hanc quintam Ferrariensis expressit, & declarauit *in dicto capitulo sexagesimo quinto, primo, contra gentiles dicens: omne. quod potest virtus inferior, potest, & superior aliquando etiam eodem modo ex parte obiecti, si tamen nihil habeat ex parte sua repugnans, quia scilicet fertur in illum modum obiecti, in quem fertur inferior; licèt, & in aliquem alium possit*: Vide, si placet, ibi dictum expositorem, & in secundo libro capitulo centesimo, vbi diligenter exponit, quomodo concludi possit ex dicto principio, nostrum intellectum cognoscere singularia.

2943 *Quomodo superius habeat virtutem magis vnitam.* Ex dictis patet sensus, & veritas eiusdem principij, prout exprimitur in textu, sub hac verborum forma, *Quantò aliquid est superius, tantò habet virtutem magis vnitam, & ad plura se extendentem*: verum est enim de eo, quod est superius, siuè secundùm ordinem, siuè secundùm gradum, & de extensione ad eadem formaliter (si nihil habeat tali extensioni repugnans) & ad plura: Quod antè Caietanus expresserat dicens, dispersa in inferioribus adunari in superiori eminentiori modo, quo adunari possunt iuxta modum, & capacitatem superioris &c.

DVBIVM II.

An per eandem speciem Angeli repræsentetur quidditas, singularitas, existentia, rerum accidentia.

2944 *Conclusio est affirmatiua, & prob. enucleando singulas differentias.* Conclusio est Affirmatiua. Ex tribus pẽdet propositæ difficultatis definitio: Primum est: quæ nã sint per speciem Angeli materialia cognoscenti repræsentata naturaliter. Secundum, Ratio, siue causa propriæ repræsentationis eorum, quæ S. D. & eius discipuli dicunt in Angelica specie repræsentari: Tertium est: modus quo singularia præsertim, & eorum accidentia repræsentantur. Quod attinet ad primum: species intelligibilis, per quam Angelus rem aliquam intelligit ex materia, formaque compositam, quatuor secundum communem omnium Thomistarum sententiam repræsentat, scilicet quidditatem, singularitatem, existentiam, & accidentia, non solùm propria, & ipsi rei congenita, sed etiam communia, & quæ per accidens sunt illi coniuncta, vt sessio, ambulatio, frigefactio, dealbatio, & similia: quintum autem scilicet duratio, de qua sequentem instituemus controuersiã, duas. n. habet oppositas expositorum sententias. Negat enim Caietanus, durationem in specie repræsentari, dicens, eam solius conditionis munus exercere. Ferrariensis autem, & alij post eum affirmant; eam eadem specie, cum cęteris accidentibus repræsentari. Et tria quidem, prima, videlicet quidditatem, singularitatem, & existentiam per eamdem speciem ab Angelo cognosci, probat efficaciter ratio Diui Thom. superius explicata.

2945 *Difficultas de accidentibus extrinsecis, aut accidentaliter aduenientibus.* Sed difficultas nonnulla videtur esse de quarto, nimirum de accidentibus extrinsecis, aut accidentaliter aduenientibus, quibus intelligendis propriè videntur species esse necessariæ. Dixit enim supra D. Th. quæst. 15. art. 3. ad quartum, accidentia, quæ superueniunt subiecto, specialem ideam habere in Deo, quod artificis exemplo manifestat, qui per formam, siuè ideam domus, facit omnia illa accidentia, quæ à principio concomitantur domũ: sed illæ, quæ domui iam constructæ superadduntur, qualitates, per alias ab artifice producuntur ideas; Igitur, & Angelus per vnam quidem ideã, siue speciem cognoscit singulare, & accidentia, siuè proprietates illi connaturales, sed qualitates, & accidentia per accidens illi copulata per ideas, siuè species cognoscit, ab idea singularis omnino diuersas. Pro-

sus. Probatur sequela: quia species intelligibiles Angelorum sunt quædam participationes idæarū, quæ sunt in Deo; ac pro inde nequeunt illis esse simpliciores; ergo si diuinæ multiplicantur ideæ modo iam dicto, multo magis Angelicæ.

1947 *Resp. Primò accidentia dupliciter posse considerari.*

Respondetur primo, accidentia illa, quæ sunt coniuncta singulari per accidens, dupliciter posse considerari: Vno modo absolute, & ita per proprias species intelliguntur ab Angelo: Alio modo quatenus affectiones sunt, siuè modi substantiæ, & ita per eandem speciem cognoscuntur ab Angelo, per quam cognoscitur ipsa substantia singularis; eadē enim species, quæ per se primò repræsentat etiam affectiones eius, & modos secundario repręsentat.

Secundò. Vnā esse secundùm rem in Deo idæam totius vniuersi.

Secundò dico, nullam esse consequentiam argumenti, ad eius probationem dico vnam esse secundùm rem idæam in Deo totius vniuersi, veluti eius totalis effectus repræsentatiuam: vt ait S. D. supra quæst. 15 art. 1. & 2 atque ideò longè simpliciorem esse speciebus Angelicis in quolibet Angelo realiter multiplicatis: quòd autem illa vna, simplicissimaque diuina ratio, siuè idæa, secundùm diuersos rationis respectus in plurimas distinguatur Idæas iuxta multiplices rerum naturas, & indiuidua, ex illa vna ratione producta, & exēplata, nihil efficit, aut in aliquo præiudicat eius simplicitati, sed eam indicat manifestè.

2948 *Confirm. ex D. Th. quia ea, quæ sunt dispersa in alijs, in ipso sunt diuisa.*

Nam vt ait S. D. sup. quæst. 13. art. 4. ad 3. *Hoc ipsum ad perfectam Dei pertinet vnitatem, quòd ea, quæ sunt multipliciter, & diuisim in alijs, in ipso sunt simpliciter, & vnitè; ex hoc enim contingit, quòd est est vnum re, & plures secundùm rationem, quia intellectus noster ita multipliciter apprehendit eum, sicut res multipliciter ipsum repræsentant*: Hæc ibi S. Doctor, per quæ falsam esse demonstrat illam maiorem propositionem tertij ibidem argumenti, videlicet, *Magis est vnum, quòd est vnum re, & ratione, quàm quod est vnum re, & multiplex ratione*; potest igitur vna species Angeli, quamuis longe minùs simplex, quàm sit idæa diuina, plurium naturarum esse repræsentatiua; quibus singulis in Deo singulæ respondent ideæ ratione distinctæ; cùm hæc distinctio rationis non tollat, sed magis indicet summam essentiæ diuinæ, quæ vna omnium idea est, simplicitatem. Per eamdem igitur idæam cognoscunt Angeli perfectè, & distinctè naturā specificam, & singularia, in quibus existit, & accidentia omnia, tàm per se, quàm per accidens illis actu coniuncta, vt affirmat expresse S. Doctor *de verit. quæst. octaua art. secund. ad nonum*, & clariùs *quodlib. 7. articulo tertio ad primum*, adeo vt alia specie nō indigeant, quibus accidentia cognoscant absolutè.

2949 *Petes.*

Petes. *An species Angelica ob sui excellentiam, repræsentet singularia, non solùm quando sunt futura, sed etiam quando possibilia.*

Resp. species angelicas repræsentare singularia, quia exemplatę similitudines diuinę essentię.

Resp. Affirmat Vnde explicandum est, quæ nam sit ratio, siuè causa propria angelicæ speciei repræsentandi simul naturam, & indiuidua. Vt autem ait Sanctus Doctor de verit. quęst. 8 art. 11. ad 6. & supra quęst. 55 art. 3. ad 3. *eadem species, si sit excellens, potest accipi, vt propria, & distincta ratio, & similitudo diuersorum*; prout explicat ibi erudite Caietanus, & supra *quæst. 12. art. 8. Dubio primo*, & hic ad argumenta Scoti, est autem speciebus omnibus angelicis excellentia hoc ipso, quòd sunt quędam exemplatę similitudines ab essentia diuina, primo, ac perfectissimo rerum omnium exemplari; Vt enim ex Augustino supra docuit Sanctus Thomas *quæst. 55. artic. 2.*, & hic etiam repetit: Sicut à Deo res effluunt, vt subsistant in proprijs naturis, ita etiam, vt sint in cognitione Angelica: effluunt autem res à Deo non solum, quo ad id, quo ad vniuersalem naturam pertinet, sed etiam quo ad ea, quę sunt indiuiduationis principia: Quemadmodum ergo Deus per suam essentiam, per quam omnia causat, est omnium similitudo, & per eam omnia cognoscit, non solùm quantum ad naturas vniuersales, sed etiam quantum ad singularitatem, ita angeli per species à Deo inditas, res cognoscunt, non solùm quantum ad naturam vniuersalem, sed etiam secundùm earum singularitatem; quatenus, scilicet sunt quędam repræsentationes multiplices illius vnicę, & multiplicis essentię, vt ait Sanctus Doctor in textu: cuius discursus efficacitatem defēdit Caietanus hic aduersus Scotum, & post eum Zumel, & Bannes.

An autem species angelica tantæ sit excellentię, vt in actu primo repræsentet omnia simpliciter indiuidua talis naturę, & eorum accidentia, siuè sint quandoque futura, siue tantùm sint possibilia, an ea tantùm, quę quandoque sunt, & eorum accidentia? duæ sunt opiniones oppositæ. Quidam enim omnia, Quidam autem futura tantum in aliqua temporis differentia affirmant repræsentari Bannes, & Zumel vtramque sententiam existimant esse probabilem, priorem tamen affirmat Bannes esse probabiliorem, sequendo præsertim sententiam Capreoli, & Caietani dicentium, species angelorum ex eorum essentijs emanare. Vide prædictos Expositores. 1950 *An species angelica tantæ sit excellentię, vt repræsentet indiuidua futura, & possibilia*

D. Thomas in 2. sententia dist. 3. quæst. 2. articulo tertio ad tertium concedit, angelos per eamdem speciem cognoscere naturam, & singularia omnia non solùm actu futura, sed etiam esse possibilia, quod etiam affirmat Capreolus *quęst. 2. ad 10. contra 8 concl.* & Caietanus *super hoc articulo*: Sed hinc maior exurgit difficultas; cùm enim indiuidua sub vna specie possibilia sunt infinita, sequitur esse perfectionis infinitæ speciem illam repræsentantem, vt inferebat Scotus à Capreolo, Caietano, & alijs expositoribus relatus: Sed huic obiectioni dupliciter occurrit Caietanus; ait enim primo ex infinitorum repręsentatione singularium non sequi, nisi sub disiunctione, vel infinitam perfectionem speciei repræsentantis, vel altioris ordinis perfectionem, eo quod vna perfectio altioris ordinis tantæ sit excellentiæ, vt perfectiones inferioris ordinis excedat infinitas, & eis omnibus æquiualeat eminenter, quam responsionem sequitur, & explicat Valentia. 2951 *Sententia D. Th. est, angelos per eandē speciem cognoscere futura, & possibilia.*

Secundo respondet, posse aliquid esse infinitæ perfectionis dupliciter, vno modo simpliciter: quia scilicet continet omnem perfectionem, possibilem conuenire enti secundùm totam eius latitudinem, quod est esse infinitum ens simpliciter; & ita sumendo infinitum, negat consequentiam, quia species intelligibilis repræsentans vnam aliquam naturam, & infinita sub ea singularia, non esset infinitum ens simpliciter; eò quod esset ad tale genus, scilicet repręsentati secundùm esse intelligibile determinata. Alio modo potest esse aliquid infinitum in tali genere, vel specie, sicut, si poneretur albedo infinita intensiuè, non esset infinita simpliciter, sed in specie tantùm albedinis: ac proinde non esset perfectior, quàm substantia. 2952 *Non tamen talis species esset infinitæ perfectionis simpliciter, sed in tali genere.*

Sic igitur species Angeli repręsentans vnam aliquam quidditatem, & infinita sub ea singularia, non esset infinita simpliciter, nec in genere repræsentatiui, absolutè loquendo; alioquin adæquaret diuinam essentiam; sed in genere repræsentatiui talis naturæ puta formicæ: quia nimirum repræsentaret eam secundùm totam eius latitudinem extensam ad vniuersa eius indiuidua, tàm actu existentia, quàm possibilia, nec aliam naturam, puta Bouinam, Leoninam, aut humanam, vel Angelicam repræsentaret. Quę responsio consonat doctrinæ Diui Thomæ 3. part. quæst. 10. artic. tertio ad secundùm, & de veritate quæst. 20. artic. 4. ad primum vbi talem infinitatem admittit, vt possibilem in specie creata, & affirmat, scientiam visionis Animę Christi esse infinitam secundùm quid: eo quod per eam infinita cognoscat. Eandem doctrinam expressè tradit Capreolus in dicta dist. 3. quęst. 2. ad 10. contra octauam conclusionem: quem sequitur Bannes hic dubio primo ad primum argumentum. 2953 *Species angeli repręsentans vnam aliquā quidditatē, est infinita in genere talis repræsentatiui.*

2954 *Infinita perfectio absolutè, implicat, non verò in tali genere.*

Quamquàm enim infinitum in actu in genere quantitatis continuæ, vel discretæ, poni sit impossibile, nulla tamen est absurditas affirmare spiritualé aliquam substantiam, & eius potentiam esse infinitæ perfectio nis in tali genere, vt ait Sanctus Doctor in dicta quæstione, & articulo de veritate, & supra quæstione septima articulo secundo. Vnde etiam quæst. 54. art. 2. dixit, intelligere esse infinitum simpliciter, scilicet obiectiuè, non autem absolute, siue in ratione entis, sentire autem infinitum secundum quid.

2955 *Species angeli non repræsentat infinita, sed ea, quæ simul actu sunt.*

Postremo dici potest speciem Angelo infusam nunquam actu infinita repræsentare, sed ea tàtum, quę simul actu sunt in rerum natura, & ex eadem perfectione, qua repræsentat vnum, repræsentare centum, & plura, quia scilicet quidditatem, & modum eius omnem repræsentat; itaut posita singulatium existentia nihil perfectionis adunatur speciei, sed quidditati conditio existentię intelligatur opposita.

DVBIVM III.

An species Angeli vniuersalis tunc solùm repræsentet singulare, cùm fuerit actu existens.

2956 *Concl. Species angeli vniuersalem, tunc solùm repræsentat singulare, cu fuerit actu existens.*

Conclusio. Species Angeli vniuersalis tunc solùm repræsentat singulare, cùm fuerit actu existens. quia sic tantùm assimilatur speciei, sed iam de modo, quo species angelica singularia repræsentat, & eorum accidentia, paulo diligentius agendum est; in hoc enim explicando ferè tota posita est propositę controuersię difficultas. Habet autem species Angelica, vt antè diximus, ob excellentem sui perfectionem, vt plures rerum quidditates, & singula earum indiuidua, & accidentia distinctè repræsentet, non minus, quàm, si singulorũ esset propria, & adęquata ratio: æquiualet enim, vt ait Caietanus, vnum indiuiduum superioris ordinis non pluribus tantùm indiuiduis, sed etiam speciebus inferioris ordinis: igitur, quæ pluribus speciebus intelligibilibus, ac sensibilibus homini cognoscenda repręsentantur, poterunt vnica specie superioris ordinis angelo repręsentari; Vt enim ostendimus suprà quæstione duodecima, articulo octauo Dubio 4. ad perfectionem repræsentationis speciei, & cognitionis intellectus non solùm practici, sed etiam speculatiui pertinet repræsentatio, & cognitio singularium, vt hic etiam aduertunt Bannes & Zumel.

2957 *Nota 1. Dupliciter intelligi posse, singulare cognosci per speciem.*

Sed obseruandum est Primò: cùm dicimus singulare cognosci per speciem vniuersalis, siue quidditatis, dupliciter intelligi posse; Vno modo, vt species illa sit vniuersalis, siue quidditatis repræsentatiua præcisè, & adęquatè; & sic non asserimus singulare per speciem vniuersalis cognosci; Singulare enim, vt sic, non includitur in ratione quidditatis vniuersalis. Alio modo, vt species vniuersalis repræsentatiua tantę excellentię sit, vt simul etiam singulare repręsentet; & ità dicimus, singulare cognosci per speciem vniuersalis.

2958 *Nota 2. Ad cognoscendum esse necessariam specië intelligibilem.*

Secundo considerandum est, ad cognoscendum esse necessariam speciem intelligibilem ex parte cognoscentis; vt veluti similitudo rem cognitam cognoscenti repręsentet, vt ait Sanctus Doctor de veritate q. 8. a. 9. & hic, & in art. seq. ad 3. & ad 4., impossibile est autem, speciem, vt similitudo est, rem singularem in actu repræsentare, nisi verè, & realiter sit existens, cùm de ratione singularis, quatenus est singulare, sit esse determinatum secundum existentiam, & alias conditiones ad hic, & nũc; species igitur singularis, vt sic, ipsum actu non repręsentat, nisi sit existens. Dixi autem actu non repręsentari singulare per speciem, nisi sit existens: quia speciei duplex conuenit repręsentatio singularis, altera potentialis, siue fundamẽtalis, vel in actu primo, & hæc in eius ratione clauditur intime, & inest ei priùs natura, quàm singulari per creationẽ producto congruat existentia, vt patet ex authoritate Augustini supra notata: cætera verò singularia naturali generatione producta, duratione præcedit.

Speciei duplex conuenit repræsentatio; altera potentialis.

2959 *Altera est actualis, quæ tūc solùm inest speciei, cùm actu singulare offert intellectui cognoscendum.*

Altera est actualis, siuè in actu secundo; quæ tunc speciei solùm inest, cũ actu singulare cognoscendum offert intellectui, & actu simul cum intellectu producit eius intelligentiam: Exemplum affert Caiet. satis accomodatum: sicut n., inquit, si in oculo esset species albi congenita, tu nc solã per eam repræsentaretur, & videretur hoc album, cùm n. sit necessaria similitudo, non quęcumq;, sed in actu secundo inter speciem, & singulare, puta hoc album, vt per eam actu repræsentetur: non potest autem talem habere similitudinem hoc album ad speciem, nisi sit existens, quia species huius albi repręsentat hoc album, vt existens determinatè, siuè in actu exercito: posita igitur in oculo specie huius albi, & ipso albo in re non existente, non potest illud actu species repræsentare, sed in potentia tantùm, vel in habitu: at albo in actu posito, fit eius actualis in specie repræsentatio.

2960 *Non ob causã, quam assignat Ferrar. quia similitudo speciei, non est relatio.*

Non tamen ob eam causam, quam assignat Ferrariensis in 2. contra gentes c. 96., quia scil. relatio potest consurgere ex vnius tantùm extremi mutatione, & ideo, inquit, potest esse, vt quod non erat actualiter similitudo alicuius, incipiat esse illius similitudo per illius mutationẽ tantùm, alterius similitudine immobili permanẽte: supponit n. actualem similitudinem, quę ratio est repræsentationis in specie, esse relationẽ, q perspicue falsũ est, nã speciei natura, q̃ est absoluta, est essẽtialiter, ac per se primò similitudo repręsentatiua: igitur actualis repræsentatio, & similitudo est absoluta. Probatur consequentia: quia potentia, & actus sunt in eodem genere, loquẽdo de actu, ad quem per se primo ordinatur potentia.

2961 *Secundò, quia repræsentatio actualis est cõplementum ipsius speciei.*

Secundo: Rei complementum, & vltima perfectio intra latitudinem eiusdem rationis formalis ad idem pertinet genus, & speciem, sicut patet de existentia, & subsistentia respectu substantiæ: at repręsentatio actualis complementum est, & vltima perfectio repręsentationis speciei per se primò conuenientis ad eandem pertinens rationem formalem, cùm sit repręsentatio: ergo ad idem pertinet genus, & speciem, ac proinde, sicut species intelligibilis, & habitualis eius repræsentatio est aliquid absolutum, sic, & actualis eius repræsentatio est absoluta.

Tertiò, quia repræsentatio actualis est proximum fundamentum relationis.

Tertiò: inter speciem creatam actu repræsentantem, & repræsentatum in actu, est relatio realis, sicut inter exemplar in actu, & exemplatum; ergo repræsentatio actualis non est relatio, sed est proximum relationis fundamentum. Probatur sequela: quia species, siuè repręsentatio in actu primo non potest esse proximum talis relationis fundamentum; alioquin semper esset actu similis, & actu repræsentare singularia, & ita cognosceret Angelus futura contingentia, ergo fundamentum dictæ relationis est actualis repręsentatio. Et confirmatur: Quoniam etiam actu causare, & causari, fundamentum est proximum relationis inter causam, & effectum.

2962 *Quartò. quia Relatio posterior est obiecto in actu cognito.*

Postremò: Relatio posterior est obiecto in actu cognito, in quo alia cognoscuntur, vt supra probauimus *tom. 1. q. 12. art. 2.* ergo etiam relatio speciei actu repræsentantis ad obiectum repræsentatum, posterior est actuali repræsentatione: igitur ratio actualis repræsentationis non est similitudo, prout est relatio prædicamentalis, sed è contra similitudo, vt est relatio prędicamentalis, ab actuali repręsentatione deriuatur.

2663 *Ratio assignatur, cur albo posito fiat actualis eius in specie sim.litudo.*

Ratio itaque propria, cur albo posito, fiat actualis eius in specie repręsentatio, est: quoniam album in actu positum, naturam habet, per quam assimilatur actu speciei, similitudine fundamentaliter sumpta, quæ dicit conuenientiã in eadẽ natura, licet non in eodem essendi modo; nec tamen aliquid accipit Angelica species à singulari, sed eius existentia mera conditio est ad actualem in specie repræsentationem, quæ relatio transcendens

cendens est, atque adeò nequit esse sine termino: non potest autem singulare, vt singulare est, termini munus exercere, nisi quatenus actu existens est, vt ante diximus: Et quemadmodum actio calefacientis, subtracto calefactibili; & relatio, corrupto termino, non remanent actualiter, sed radicaliter, siuè causaliter, adeò vt ex parte causarum sufficientia sit in actu, sed totus defectus sit ex parte termini: atque adeò non sit necesse, subiectū, siuè causam actionis, aut relationis noua mutatione mutari, vt in eo resultet actio, vel relatio, sed sola necessaria est mutatio, & positio termini, vt ait Caietanus sup. q. 28. art. 2.

2964 *Similitudo speciei ad singulare prout est relatio transcendens, antequā singulare sit existens, est in specie radicaliter.*

Sic in propositio, similitudo speciei ad singulare, prout est relatio transcendens, antequam singulare sit existens, non est in specie formaliter, & in actu, sed radicaliter solùm, & causaliter, posito verò singulari, resultat in eo similitudo, & consequenter actualis repræsentatio, & relatio etiam prædicamentalis ad ipsum. Et quemadmodum, posito calefactibili, resultat actio in calefaciente sine physica ipsius mutatione, quæ tamen actio est noua, & vera agentis perfectio, sic, posito singulari resultat in specie Angeli intelligibili actualis repræsentatio, quæ noua est ipsi⁹ perfectio absq; noua mutatione in ipsa facta, sed ex antiqua ipsius speciei natura sic instituta resultat. Et hoc fortasse voluit significare Ferrariensis.

2965 *Nota. Speciē angeli intelligibilē, nō eodem modo repræsentare quidditatem, & ipsum singulare.*

Ad cuius ampliorem euidentiam scito, speciem Angeli intelligibilem non eodem modo repræsentare quidditatem, & ipsum singulare; nam quidditatem per se primo repræsentat: cùm autem quidditas secundùm se sit abstrahens ab existentia, nullam etiam postulat existentiam, vt actualem habeat cum specie similitudinem, sed secundùm se ipsam præcise sumptam, similis est speciei, quę est eadem quidditas in esse intelligibili: singulare verò repræsentatur in specie, non per se primò, sed quatenus participat quidditatem: contrahitur autem quidditas ad indiuiduum per principia quædam extrinseca à quidditate: quę proindè illam non necessariò concomitantur secundùm esse quidditatiuum, sed tantùm secundùm esse reale in rerū natura: atque adeo non potest singulare verè, & realiter esse particeps quidditatis, & ita speciei assimilari, nisi sit actu existens in rerum natura: quare, cùm Socrates non existens non participet realiter hominis quidditatem, non potest, antequam sit, in Angelica specie repræsentari.

DVBIVM IV.

An, & quomodo duratio rei singularis repræsentetur in specie Angeli intelligibili.

2966 *Opinio Caietani refertur.*

Caietanus ait, durationem coniunctionis existentiæ cum re singulari non repræsentari per speciem Angeli intelligibilem, vt rem repræsentatam, sed tantùm, vt conditionem, sine qua non posset talis coniunctio repræsentari: Quem sententiam sequitur, ac pro posse tuetur Ripa, & quidam alij. Sed oppositam sententiam sustinet Ferrariēsis in secundo contra gent. c. 100. & alij ferè omnes expositores D. Th. dicentes, durationem prædictam non esse meram conditionem, sed etiam in specie Angelica repręsentari. Sed duobus dictis suam opinionem explicat Caietanus.

2967 *Explicatur sententia Caietani duobus dictis.*

Primum est: Duratio coniunctionis contingentis non repræsentatur in specie Angelica, tanquam res præsentata. Probatur: quia si Angelo esset indita similitudo sessionis meę crastinæ, præsciret euidenter sessionem mihi cōiungendam cras, sicq; Angelus cognosceret futura cōtingentia, cuius oppositum determinat Sanctus Doctor, in articulo sequenti. Secundum est: Species Angelica repræsentat durationem coniunctionis contingentis, tanquā cōditionē, sine qua ōciunctio illa nō repręsentaretur. Declaratur hoc dictū ab eo dupliciter.

Primum, & secundum dictū.

2968 *Declaratur hoc dictum dupliciter Caietano.*

Primo: quia constat sufficienter à nobis haber cognitionem etiam intuitiuam rei per talem speciem, vt patet in visu nostro: quod euidentius elucesceret, si visum fingamus esse virtutem omnium cognoscitiuam, tunc. n. præsentia, cōditio esset, sine qua visus, neq; colorem hunc simpliciter, neque vt existentem cognosceret in præsenti tempore. Secūdò; quia duratio alicuius rei nullam habet repugnantiam, vt sit talis conditio, sine qua res non repræsentetur. Et confirmatur, inquit, quia, sicut duratio coloris est eius conditio, sine qua color, nec immutat visum, nec videtur; ita est etiam conditio, sine qua species non repræsentat.

Impugnatur sententia Caietani.

Contra quam sententiam sic argumentor: Vel duratio repræsentatur formaliter per speciem Angeli, vel est mera conditio minimè repræsentata per speciem; Secundum dici non potest, quia nihil potest ab Angelo, vel ab homine cognosci; nisi repræsentetur in specie; & cognoscit Angelus omnem rei durationem, quando est, longè perfectiori modo, quam homo; igitur species eius intelligibilis eam formaliter repræsentat.

2969 *1. Euasio.*

Sed ait Caietanus, durationem in Angelica specie non repræsentari, tanquam rem repræsentatā, sed veluti conditionem, sine qua coniunctio illa non repręsentaretur.

Præcluditur. Quia duratio repręsentatur formaliter à specie.

Sed hęc responsio non potest subsistere; Nam vel duratio tanquam conditio rei repræsentatæ, repręsentatur formaliter, & secundùm se; vel non repræsentatur formaliter, & secundùm se, sed tantùm per accidens, & ratione alterius, scilicet rei cuius est conditio, itaut sola res sit repræsentata formaliter. Si primum: non euadit Caietanus absurditatē ab eo deductam, videlicet angelum cognoscere futura contingentia; siuè enim duratio repræsentetur, vt res, siuè vt conditio; dummodo in specie formaliter reluceat, distinctè, ac perfectè cognoscitur ab Angelo, ac proinde secundū Caietanum cognoscit Angelus futura contingentia. Si verò secundū affirmet, sequitur, Angelum nunquàm posse cognoscere durationem; id enim solùm potest intellectu cognosci, quod illi formaliter in specie repræsentatur.

2. Euasio. Pręcluditur.

Respondet Quidam pro Caietano, durationem non formaliter repręsentari: quia non eo modo repræsentatur, quo naturales rerum proprietates, sed solùm quando res existit: Sed tunc nullum erit discrimen illud, quod statuit Caietanus inter durationem ex vna parte, & existētiam rei in actu exercito, & coniunctionem contingentem ex alia parte; hæc enim non sunt naturales rei proprietates.

3. Euasio.

Secundo respondet Ripa, & alij, durationem nō repræsentari, vt rem per speciem angeli, sed vt conditionem; nam quicquid species repræsentat, vt rē, naturaliter repræsentat, atque adeo, si durationem ita repręsentaret, sciret angelus futura contingentia, quia cognosceret, quando hæc, & illa temporis differentia esset: & quia duratio res quædam est, potest, inquit, etiam vt res cognosci, sed non tunc, quando rem obiectam cognoscit. Sed hæc non soluunt, sed magis augent difficultatem contra Caietanum; Nam si duratio repręsentatur, vt conditio, semper naturaliter in angelica specie relucebit, sicut, si repræsentaretur seorsùm, vt res; non minus enim in specie relucet, quod in ea repræsentatur, vt rei modus, aut conditio, quam res ipsa, cuius est ille modus, vel conditio: sed differentia tantū est in ordine, siuè modo repręsentandi, quia scilicet res primò, conditio vero secundariò repræsentatur.

2970 *Præcluditur. nam si duratio repræsentatur, vt conditio, sēper naturaliter in angelica specie relucebit*

Confirm. quia falsum est, durationem non cognosci tunc ab angelo, quādo cognoscit rem, cuius est duratio.

Præterea falsum est, durationem haud tunc ab Angelo cognosci, quando rem, cuius est duratio cognoscit; sicut enim eadem Angelica specie cognoscitur Petrus, & eius color, ac sessio, sic, & eius duratio, quando est: & sicut illa secundùm se considerata, species habent secundùm aliquos distinctas in inferioribus Angelis, quibus possint absolutè cognosci, quamuis, vt affectiones sunt Petri, eadem angelica specie repræsententur, sic, & duratio secundùm se sumpta speciem habet in Angelo propriam intelligibilem, qua possit absolutè cognosci, quamuis,

uis, vt affectio, siuè conditio Petri ab Angelo cogniti, vna simul cum eo specie repræsentetur. Sicut ergo species intelligibilis Angeli, quæ naturam humanam, vel totam etiam animalis naturam repræsentat, singula etiam eius indiuidua repræsentat in potentia, seu in actu primo, & cùm fuerint existentia, repræsentat etiam in actu secundo, sic, & eorum durationes omnes in actu primo repræsentat, antequam actu sint; cùm autem actu fuerint existentes, eas etiam repręsentat in actu secundo: atque adeò non sequitur Angelum cognoscere futura contingentia, antequam sint.

2971 *4. Euasio.*

Sed arguit Bannes: Si duratio est res per speciē Angeli repræsentata, sequitur, Angelum cognoscētem speciem illam quidditatiuè, & compręhensiuè, cognoscere etiam durationem mensurantem, verbi gratia, lectionem crastinam, & consequenter etiam certò cognoscere, & iudicare, futuram esse lectionem crastinam.

Responsio Bannes non probatur.

Respondet, Angelum cognoscere quidem speciē illam, vt accidens, & qualitas quædam est repręsentatiua alicuius obiecti, non tamen cognoscere distinctè, cuius obiecti est repræsentatiua, nisi tantū illius, quod est actu, vel in se, vel in suis causis determinatum, atque adeò non comprræhendere suā speciem, non ex defectu virtutis, aut cognitionis Angelicę, sed ex defectu termini, qui non est in rerum natura in se, vel in sua causa.

2972 *Vera Respōsio. Ad quidditatiuam speciei cōpræhensionem sufficere, vt ea, quæ per speciē repræsentātur, eodem modo cognoscantur.*

Sed, quia durum est credere, speciem Angeli ab eius intellectiua virtute non compræhendi, videtur dicendum ad quidditatiuam speciei compræhensionem sufficere, vt ea, quæ per speciem repræsentantur, eo modo cognoscantur ab Angelo, quo per speciem ipsam repræsentantur, vt scilicet ea, quæ repræsentantur in actu secundo, cognoscantur, vt actu existentia in vniuerso, quæ vero repræsentantur in potentia, cognoscantur, vt possibilia fieri angelus, itaque speciem hominis repræsentatiuam compræhendens, actu cognoscit omnes homines actu viuentes, & eorum accidentia, & durationem coniunctionis eorum cum singulis hominibus, eo quòd hæc actu repræsententur in specie; sed futuros homines, & eorum accidentia, & durationem coniunctionis eorum cum singularibus, vt possibilia tantùm intelligit: quia non actu, sed in potentia tantùm repræsentantur in specie. Cognoscit enim Angelus per speciem hominis omnes homines in humana specie naturaliter producibiles, & naturalis ordinis accidentia, & durationes illis conuenire possibiles, sed tamen, quę sint actu futura, & sub quibus accidentibus, & durationibus existent, non intelliget: eò quod non actu, sed in potentia tantùm repręsententur in specie.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Angeli cognoscant futura.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

PRima Conclusio. Futura, quæ proueniunt à causis suis necessariò, cognoscuntur non solùm ab Angelo, sed etiam ab hominibus per certam scientiam. Quia quilibet cognoscit, Solem cras oriri. 2. Concl. Futura, quę proueniunt à causis suis, vt frequenter, possunt conosci per cōiecturam. Quia medici possunt pronosticare de statu futuro ægritudinis, sed qui meliùs videt causam, meliùs de eo aliquid potest prædicere. 3. Concl. Futura, quæ proueniunt à causis suis, vt in paucioribus, nullo modo possunt in causis suis cognosci. Quia casualia, & fortuita sunt pœnitus ignota. 4. Concl. Futura in seipsis, siuè sint necessaria, siuè, vt in pluribus, siuè vt in paucioribus, nec ab Angelo, nec ab homine cognosci possunt, sed à solo Deo. Quia quilibet intellectus creatus deficit ab æternitate diuina, quæ cùm sit simplex & infinita, toti tempori adest, & ipsum concludit.

Arg. 1. Aliqui homines cognouerunt futura, vt patet de Astrologis, qui pronunciant pluuias, eclypsim &c. ergo multò fortiùs Angeli futura cognoscere possunt. Respoud. ad Antec. quòd homines non cognoscunt futura nisi in causis suis, vel Deo reuelante, & sic, Angeli multò subtiliùs futura cognoscunt.

Arg. 2. Cuius intellectus est supra tempus, potest cognoscere futura. Sed intellectus Angeli est supra tempus. quia intelligentia parificatur tempori, & Aeuo, vt dicitur in libris de causis: ergo. Resp. ad mi. quòd intellectus Angeli est quidem supra tempus, quo mensurantur corporales motus, tamen in intellectu Angeli est tempus secundùm successionem intelligibilium.

Arg. 3. species innatę iu Augelis ęqualiter se habent ad prętéritum, & futurū. ergo indifferenter cognoscit præteritum, & futurnm. Resp. ad Antec. quòd licèt verum sit, tamen pręterita, præsentia, & futura nō æqualiter se habent ad ipsas species, quia præsentia habent naturam, per quam assimilantur illis speciebus: Sed ea, quæ futura sunt, nondum habent naturam, per quā assimilentur.

Arg 4. Angeli cognoscunt ea, quę distant secundùm locum. ergo cognoscunt ea, quę distant secundùm tempus, ex paritate rationis. Resp. neg. paritatem rationis; ea .n., quæ distant secundùm locum, sunt in rerum natura, & participant aliquam speciem, cuius similitudo est in Angelis: quòd non est verum de futuris, vt dictum est.

DISPVTATIO CCLXXXVIII.

Quare species infusæ à Deo non repræsentant Angelis futura, vt futura.

COnclusio. *Ratio autem quare species illæ non repræsentant futura, sed singularia nondum existentia, perpetuò assignatur à D. Thoma, per hoc, quod talia singularia nondum participant naturam, per quā assimilentur illis speciebus, vt patet* cit. loc. quæst. 16. de malo, & in hac quæst. 57. art. 3. ad 3. & in 2. ad Anib dist. 7. quæst. vnica art. 3. ad 4. & quæst. 8. de verit. art. 12. ad 1., *& vt dicit*, cit. quæst. de malo, species intelligibiles, quæ sunt in intellectu Angelico sunt directè similitudines respicientes naturas specierum, per quas tamen singularia cognoscere possunt, non tamen nisi in quantum participant naturam specierum, quod non est antequam sint in actu. *Igitur in hac repræsentatione specierum considerandum est, quòd naturæ non repræsentantur in illos quomodocumque, sed prout descendunt, & deriuantur ab ideis diuinis, & participant naturam speciei, non solùm in prædicando, sed in descendendo, & participando esse effectiuè à Deo, à quo naturę deriuātur in aliquibus indiuiduis, sed non in omnibus simul, & successiuè.* 2973 Concl. Ratio quare illæ species non repręsentant futura, est, quia illa non participāt adhuc naturā, quæ in speciebus reperitur.

Et ideò species, quę deriuantur à talibus ideis diuinis, accipiunt vim repræsentandi naturas cum successione indiuiduorum; & sic ex vi suæ repræsentationis, quatenus deriuantur ab ideis diuinis, non solùm, 2974 Species, quæ deriuantur ab idæis diuinis, accipiunt vim

vt sunt

repræsentandi naturam cum indiuiduis.

vt sunt in se, sed vt operantur in hoc vniuerso, petunt repræsentare indiuidua, quando sunt in vniuerso producta ab ipsis ideis, non quando non sunt, & hoc non per aliquam variationem speciei quasi formalem, & in sua formali repræsentatione, sed per aliquam mutationem modalem, quatenus ipsa repræsentatio ex vi suæ repræsentationis deriuatæ ab ideis applicantur ad repræsentandum hoc, vel illud indiuiduum in particulari, iuxta quòd ab ipsis ideis descendit, & producitur, quæ variatio, & applicatio non fit ab ipso obiecto ad extra, posito effectiue, sed ab ideis diuinis, ex vi prioris infusionis, & deriuationis specierum, ab obiecto autem solùm terminatiuè, & vt à quodam requisito, seu potiùs consequuto ex ipsa deriuatione ab ideis, vt species sit determinata, & applicatę pro isto, vel illo indiuiduo singulari. Explico singula ex doctrina D. Thom.

2975 Nota. Species Angelorum repræsentare obiecta, quæ ad hoc vniuersum pertinēt, hæ autem species non sunt ab obiectis acceptæ.

In primis certum est species Angelorum non repręsentare rem aliquam, nisi prout pertinet ad hoc vniuersum, & participat in eo naturam, & esse ab ideis diuinis. Certum etiam est species angelicas non esse similitudines deriuatas ab obiectis ad mentem Angeli, sed deriuatas ab ideis diuinis, vt faciliuę sunt rerum ad extra, sicut præcedenti disput. *latè probatum est. Quòd autem solùm repręsentant res pro vt pertinent ad hoc vniuersum, & in eo habent esse ab ideis diuinis, constat, quia naturalis cognitio Angeli est limitata, & finita, petitque iuxta suam naturam aliquibus terminis claudi, non solùm ex parte modi intelligendi, & vt ita dicā, ex parte intensionis, sed etiam ex parte rei cognitę, seu ex parte extensionis, quia aliàs deberet ad omnia possibilia extendi, & ad infinita: non enim est maior ratio, quod cognoscat aliquod extra hoc vniuersum, quàm omnia saltem diuisiuè, quia intellectus de se ad omne intelligibile extenditur. Et pręsertim, quia extra vniuersum non est aliqua causa naturalis, aut creata, sed tantùm Deus; Angelo autem, & cuilibet creaturæ non est connaturale cognoscere obiecta sua in Deo, sed in creaturis, & in causis naturalibus, & consequenter pertinentibus ad hoc vniuersum: creatus enim intellectus directè proportionatur, & specificatur ab aliquo creato, & consequenter ab aliqua substantia naturali, quia substantia est obiectum intellectus. Et ita si cognoscit aliquam substantiam in se immediatè, illa naturalis est; si per suas causas, debet esse per causas creatas, & naturales; extra vniuersum autem nihil est præter Deum: ergo neque causæ, neque effectus naturales sunt: ergo nihil ibi est cognoscibile naturaliter ab Angelo.*

2976 Angeli habēt species repræsentantes naturas, prout sunt in indiuiduis.

Ex his ergo principijs deducitur, quòd si Angelus connaturaliter habet species infusas à Deo repræsentantes ipsas naturas rerum, non quomodocumque, sed vt deriuatas à Deo, & pertinentes ad hoc vniuersū, in eoque positas, & connexas, consequenter debent repræsentare tales naturas, prout sunt in aliquo, vel aliquibus indiuiduis, quia sic, & non aliter deriuantur res ab ideis diuinis, licèt etiam pro suo arbitrio possit Angelus vti illa specie inadæquatè ad repręsentandam solam naturam, sine indiuiduis, vel vnum indiuiduum sine alio, sed quia ipsa indiuidua successiuè fiunt ab ideis diuinis in hoc vniuerso, hoc ipso, quòd infunditur Angelo species repræsentatiua rerum secundùm quod deriuantur ab ideis diuinis, oportet, quòd aliqua indiuidua successiuè repręsentet, & non simul, quia sic deriuantur ab ideis diuinis in hoc vniuerso: ergo si species Angelorum repræsentant res nō desumendo aliquid ab ipsis, sed prout descendunt ab ideis diuinis, necesse est, quòd ex vi suæ repræsentationis, & ex vi, quam participant ab ipsis ideis, habeant assimilari indiuiduis, quando fiunt, & participant esse ab ideis, & non aliter. Neque ista repręsentatio, seu applicatio ad cognoscendum indiuiduum determinatè, sumenda est ex ipsis rebus, nisi in quantum sunt termini talis repræsentationis.

2977 Respectu ipsorum obiectorum in se omnino inuariata manet species Angeli.

Vnde respectu ipsorum obiectorum, in se omninò inuariatā manet species Angeli, tā in ipsa repræsentatione formali quàm in applicatione naturæ ad tale, indiuiduum: sed tota hæc repræsentatio, & applicatio regulanda est ex ipsis ideis diuinis, à quibus sicut res in propria entitate, seù in proprio genere, ita fiunt in similitudine, seù specie intelligibili in mente Angeli, vt ex diu. August. 2. sup. Genes ad litterā cap. 8. *docet D. Th.* qu. 56. art. 2. & alijs multis locis. *Quod ergo species Angeli modo repręsentet aliquod indiuiduum, quod de nouo fit, & ante non repræsentaret illud, non est quia non haberet antè speciem potentem in illud indiuiduum, & aliam de nouo habeat acquisitam, vel infusam; sed ideò est, inquit D. Thom. quia res ipsæ, quę fiunt, seù indiuidua ipsa, quæ de nouo succedunt, non assimilantur illi speciei, seu nondum participant naturam repręsentatam ab illa specie, vt dicit,* in qu. 16. de malo art. 7. ad 6. *id est non assimilantur illi, nec participant naturam illam ab ipsismet ideis, à quibus sicut producuntur indiuidua in proprio genere, & entitate, ita in assimilatione speciei, non per nouam speciem infusam, nec per actionem totaliter nouam, sed per determinationem speciei, quę iam existebat.*

2978 Hæc determinatio speciei resultat in specie ex vi primæ infusionis.

Hęc autē determinatio fit in illa, & resultat ex vi primæ infusionis, quia sic species sūt infusæ ab ideis, & exēplatę ab illis, quod acceperunt vim repręsentādi naturam specificam, vt descendit ab ideis diuinis in suis indiuiduis, & quia descendit, & deriuatur illa natura ab ideis per indiuidua successiuè, etiam illa species habet vim intrinsecam repræsentandi indiuidua successiuè, ita quòd creato indiuiduo in sua entitate per ideas diuinas resultat ex vi prioris infusionis, qua infusæ sunt istæ species, vt exemplatæ ab illis ideis, determinatio, & applicatio ad repręsentandum ista indiuidua, eorumque existentiam, & durationem, quia sic successiuè fiunt, & deriuantur ab ideis diuinis; & sic etiam successiuè assimilantur, & resultat similitudo eorum in speciebus Angelicis.

2979 Vera est regula illa D. Aug. quod quidquid fit à Deo in proprio genere, fit priùs in mentibus Angelorum.

Vndè vera est regula illa Augustini suprà posita, quòd quidquid fit a Deo in proprio genere fit primò in mentibus Angelorum, sed in mentibus Angeli fit à principio per species exemplatas ab ideis diuinis, quę habent vim determinatè repręsentandi per successionem temporum indiuidua, quę fiunt ab ideis, quia id habent in repręsentando, quod ideę in causando. Et sicut lapis ex virtute generantis accipit formam, quę toties mouetur ad centrum, quoties ab illo extrahitur, & dicitur ratione talis virtutis à generante moueri non per nouam generationem, sed per antiquam hic de nouo applicatam, quando tendit ad centrum; & sicut posito fundamento, ex vi talis resultat noua relatio, quoties ponitur terminus, non per nouā actionem, quia ad relationem non datur per se motus, sed ex virtute primę, prout hic de nouo determinatur, & explicatur: sic species infusę vt exemplatæ ab ideis diuinis, habent ex vi illius primę infusionis repręsentare naturā in indiuiduis successiuè, quia sic successiuè fiunt ab ideis diuinis, & ita toties prorumpunt, & explicantur in repręsentationem determinatā huius, vel illius indiuidui hic, & nunc de nouo succedentis, quoties in tale indiuiduum se explicat idea diuina causando, quia quod idea diuina est in causando pro hoc vniuerso, species Angeli est in repręsentando ex vi suę deriuationis, qua exemplatur ab idea diuina.

2980 Non potest intelligi sine noua mutatione in specie, vt repræsentet in exercitio, quod antea non repræsentabat.

Et moueor ad hoc ita explicandum, tum ex authoritate D. Th. & modo loquendi ipsius tum D. Augu. tum ex ratione communi, quia non potest intelligi sine aliqua determinatione intrinseca in specie, de nouo repræsentare, quod autem non repręsentabat in exercitio: tum ex speciali ratione, quia istę species Angelicę sunt quędam similitudines exemplatę ab ideis diuinis, & iuxta eorum modum in causando, accipiunt vim repręsentandi successiuè indiuidua determinatè, quia sic successiuè fiunt à Deo. Ex authoritate D. Thomę id deducitur quia dicta quæst. 16 de malo art. 7. *postquam* solutione ad 6. *dixerat, quòd illæ species intelligibiles sunt similitudines directè respicientes naturas specierum, per quas tamen singularia cognoscere possunt, non tamen nisi in quantum participant naturam specierum, quod non est antequā sint in actu: addit* solut. ad 9. *quod.* Formę quæ

sunt

funt in rebus à mente diuina procedentes, habent quidem se semper eodem modo, quantum ad rationem speciei, non autem quantum ad participationem indiuiduorum, quia quandoque forma speciei participatur à quibusdam indiuiduis, quandoque verò ab alijs; & sic etiam species intellectus Angelici secundùm seipsos semper eodem modo se habent, sed ex transmutatione indiuiduorum, naturalium prouenit, quòd quandoque assimilatur speciebus existentibus in mente Angeli, quandoque etiam non assimilantur.

2981 Illa trasmutatio fieri debet & in rebus, & in mentibus Angelorum.

Quod dicit D. Th prouenire ex transmutatione indiuiduorum naturalium intelligi debet de transmutatione facta non solùm in ipsa entitate rerum, sed in ipso intellectu Angeli, quia iuxta regulam supra positam ex Augustino, quęcumque fiunt à Deo in hoc vniuerso; fiunt priùs in mentibus Angelorum nō autem fiunt nisi ratione specierum, in quibus datur assimilatio, & repręsentatio ad res, quas cognoscunt; & sic licèt species Angeli ęqualiter se habeant ad pręsens, pręteritum, & futurum, vt dicit S. Thomas in hac qu. 57. art. 3. ad 3. *tamen hoc est quantum ad ęqualitatem nō accipiendi variationem ab ipsis obiectis. Ceterùm quantum ad hoc, quòd est accipere in se aliquam determinationem, seù perfectionem de nouo resultantem ex ipsa mentione Dei, seu idearum diuinarum, id non negat D. Th: sed potiùs colligitur ex immediatè antecedentibus in solutione ad 2. vbi inquit, quòd in intellectu Angeli est tempus secundùm successionem intelligibilium conceptionum, secundùm quod dicit Augustin. 8. super Genes. ad litteram,* Quòd Deus mouet spiritualem creaturam per tēpus. Et ita cum sit successio in mente Angeli, non omnia, quę aguntur per totum tempus, sunt ei pręsentia. *Notentur hac vltima verba: nec enim probat D. Thm. ex successione rerum, ad quas terminatur cognitio successiua ipsius rei repræsentationem sine variatione speciei, sed ex eo, quòd est successio in mente Angeli non omnia dicit illi esse præsentia. Sed non sunt præsentia Angelo omnia, non solum in conceptu, sed neque in specie, quia si in hac essent, possent esse in conceptu: ergo ipsa species impressa successionem patitur: ergo, & aliquam mutationem.*

2982 1. Ratio est. quia repręsentatio speciei est perfectio illius intrinseca.

Ex ratione verò hoc idem deducitur, tum generali, tum speciali. Generalis ratio est, quia repræsentatio speciei semper est perfectio illius intrinseca: nec enim per extrinsecam denominationem potest intelligi, quòd species repręsentet intellectui aliquod obiectum, sed per intrinsecam similitudinem, qua intellectum actuat in esse intelligibili: ergo non potest concipi, quòd illa species aliquid repræsentet de nouo, quod antea non repræsentabat, nisi aliqua intrinseca perfectio illi addatur, siuè vocetur applicatio, siue modus, siuè determinatio, siuè explicita repræsentatio, quæ antea erat implicita; aut in actu, quæ antea erat in potentia. Quidquid horum dicatur, vel his nominibus appelletur; non potest significari aliqua denominatio extrinseca in specie, & omnimoda innouatio, quia species illa informando, & actuando realiter intellectum, illi repræsentat: ergo si repræsentat aliquid de nouo, oportet, quod intrinsecam actuationem faciat circa tale obiectum, quam non faciebat antea: ergo illud aliquid realis perfectio est.

2983 Instabis.

Nec potest dici, quòd non repræsentat indiuiduum tanquam obiectum, vt non repræsentatum, sed tanquam aliquid exercitum, vel tamquam conditionem aliquam naturæ repræsentata.

Pręcluditur quia indiuiduum actu existens, est res de nouo repręsentabilis.

Nam contra est, quia indiuiduum actu existens, est res de nouo repręsentabilis, quæ antea non repræsentabatur: cognoscitur enim ab Angelo, vt res quædam à se cognoscibilis: ergo vt repręsentabilis, quia id repræsentatur vt res, quæ cognoscitur, vt res; sicut quando loquuntur cum hominibus, vel eis aliqua singularia ostendunt, & enunciant, vt patet in multis locis scripturę: ergo talia indiuidua res sunt repręsentatę, & cognitę ab Angelo.

2. Ratio est. quia species Angelicæ sunt quędam similitudines exemplatæ ab idæis.

Ex ratione autem speciali iam suprà, hoc deduximus, quia species Angelicæ sunt quædam similitudinēs exemplata, ab ideis, vt sæpè docet Diu. Thom. ita quòd id habent species Angelorum in repræsentando, quod idea diuina in causando. Ergo sicut ideæ diuinę causant naturas rerum in suis indiuiduis, successiuè productis, ita species Angelorum habent vim repræsentandi indiuidua, prout successiuè fiunt per ideas diuinas. ita quòd ex vi sua primæ infusionis acceperunt vim repræsentandi ista indiuidua successiuè; sicut ab ideis causantur in vniuerso, & non aliter, nec ante; & consequenter ex vi talis infusionis habet illa repræsentatio intentionalis in Angelo determinare, & explicare repræsentationem illam ad hoc, vel illud indiuiduum, quod de nouo fit, quia sit producitur ab ideis diuinis, & species illæ sunt quædam sigilla, & repręsentationes idearum, prout in hoc vniuerso producunt.

Dub. 1. Quid requiratur in speciebus Anglicis, vt supernaturaliter repræsentent futura in seipsis.

Dub. 2. Quomodo possint Angeli cognoscere pręterita, quæ transierunt, & nullum sui vestigium reliquerunt.

Dub. 3. An Ratio D. Th. efficaciter probet, futura ista non posse cognosci ab Angelo naturali cognitione.

DVBIVM I.

Quid requiratur in speciebus Angelicis, vt supernaturaliter repræsentent futura in seipsis.

2984 *Dupliciter potest intelligi, quòd repręsententur futura supernaturaliter ipsi Angelo*

DVpliciter potest intelligi, quòd repræsententur futura supernaturaliter ipsi Angelo. Primò mediante aliqua reuelatione, seu illuminatione diuina, clara, vel obscura. Secundò per speciem immediatè repręsentatiuam futuri, non in suis causis, vel in aliqua causa, sed extra omnes illas in seipso. Primò modo non est difficile intelligire, quòd futura supernaturaliter repræsententur Angelo, vt contenta in illa reuelatione, eò quòd reuelatio illa, seù illuminatiò proponit Angelo obiectum illud futurum, vt certò, & euidenter cognitum à Deo in sua sapientia, licèt non sub eo modo, quo Deus cognoscit, sed pro captu, & intelligentia creaturæ; sicut etiam in illuminationibus, quæ fiunt inferioribus Angelis à superioribus, repræsentat superior Angelus id, quod cognoscit, iuxta modum, captumque inferioris; & sic percipit illud. Cognoscere autem rem aliquam, vt cognita est à Deo, & in eius reuelatione contenta, est supra modum proprium, & connaturalem creaturę cognoscentis, quę solùm connaturaliter cognoscit res in suis causis naturalibus, non prout in Deo, vel in eius cognitione, & reuelatione; hæc enim totam naturam superant; & sic supernaturalem reddunt cognitionem, quia supra totam naturam repręsentantur in altiori motiuo.

2985 *Dupliciter potest intelligi, quòd futurum repręsentetur in se in specie Angeli.*

Secundo modo potest dupliciter intelligi quod futurum repręsentetur in se in specie, seù conceptu Angeli, Vno modo *ly in se* excludente confusam notitiam, aut admixtionem alterius rei, quæ non est ipsum futurum, quasi non cognoscatur cū alio, aut per aliud, abstractiuè tamen: alio modo *ly in se* dicente terminationem propriam, & intuitiuam alicuius rei, ita quod futura videantur intuitiuè per terminationem ad eorum existentiam physicam, & realem, seù extra causas, hæc enim requiritur, vt notitia aliqua sit intuitiua, & terminetur ad rem in se, hoc est in sui existentia extra causas; atque adeò in reali existentia.

2986 *Primo modo non repugnat abstractiua cognitio, quę clarè, & distinctè, id, quod futurum est, repræsentet.*

Primo modo non repugnat abstractiua cognitio repræsentans clarè, & distinctè id quod futurū est, eiusque existentiam, & durationem nondum nunc præsentem, sed aliquando exituram perindè, ac si esset præsens. Quod supernaturaliter potest Deus facere, infundendo alicui speciem, & repræsentationem talis futuri distinctam, & propriā, v. g. Antichristi, quia indiuidualiter cognoscatur, qualis futurus sit, Et erit supernaturalis illa species, non quia rem supernaturalem repræsentet, sed quia modo supernaturali datur, idest, antequam sit

debita,

debita, & connaturaliter petita à Deo infunditur, quia antequã ab ideis diuinis cauſetur invniuerſo, eius repræſentatio ſigillatur in mente, per inde ac ſi iam eſſet, oſtendendo tamen, quód nondum eſt. Nec eſt maior difficultas in intelligendo, quomodo ſpecies illa repræſentabit claré, & diſtinctè rem futuram, licèt abſtractiuè, quàm in intelligendo, quomodo ſpecies aliqua repræſentet rem præteritã claré, & diſtinctè, & tamen abſtractiuè, quia non exiſtit, nec exiſtentia ſua terminat cognitionem; ſic poteſt Deus eandem diſtinctam, claramque repræſentationem de re aliqua futura imprimere, manente tamen abſtractiua terminatione, non intuitiua.

2987 *Secundo modo, repugnat, quod infundetur alicui ſpecies intuitiua futuri.*

At verò loquendo ſecundo modo, repugnat quód infundatur alicui ſpecies intuitiua futuri, ita quod exiſtentia eius in ſe terminet cognitionem, niſi cognoſcèns eleuetur ad attingendam eam mẽſuram, in qua eſt exiſtens, tunc quando cognoſcitur intuitiuè. Non eſt autem exiſtens nunc, ſi cognoſcitur futurũ inexiſtentia propriæ menſurę, quia propria menſura futuri eſt tempus nondum exiſtens in actu, ſed in potentia, & ſucceſſione partium: Ergo qui reſpicit futurum pro illa parte temporis, in qua producetur, non poteſt nunc ante illam partem temporis terminare, vt præſens in actu, ſed vt præſens in potentia, atque adeó, vt pręſens in aliqua cauſa, & non in ſeipſo in actu: ergo per ſe ipſum non poteſt intuitiuè videri.

2988 *Futura antequam ſint, ſolùm in æternitate, intuitiuè videntur.*

Quare vt videantur futura intuitiuè, antequam ſint, oportet, quód eleuatur cognitio ad intuendam rem in aliqua menſura, in qua iam ſit exiſtens in actu, & non in potentia, & hęc eſt æternitas, extra quam nulla alia menſura creata poteſt continere rem aliquam præſentem, antequam in propria menſura præſens reddatur, quia nulla alia menſura creata eſt cauſa ipſius rei, & propriæ menſuræ eius ambiendo, & continendo illam tamquam principium, à quo deriuetur, ſed ſolùm poteſt cõcomitanter illi coexiſtere, licèt in ſe ſit perfectior, & immutabilior menſura, non tamen tamquam principium, & ratio alterius. Ad hoc autem, vt aliqua ſpecies repræſentet rem, vt exiſtentem in ęternitate, quidam dicunt neceſſariam eſſe viſionem beatam, quæ æternitatem videt, & res in ęternitate exiſtentes.

2989 *Euaſio. ſeu aliorum opinio.*

Alij exiſtimant etiam extra verbum videri poſſe res cum exiſtentia in æternitate, non quidem videndo, ipſam æternitatem in ſe, ſed in quadam participatione æternitatis, ſeù in æternitate participata, quæ eſt menſura rerum ſupernaturalium in ſe ipſis, & pręſertim cognitionis earum, prout ſunt deriuatæ à Deo authore ſupernaturali, ipſumque in quantum operantem ſupernaturaliter repræſentare poſſunt; & ſic aliquam æternitatis participationem manifeſtare.

Praecluditur. nam futura ſi non videantur in æternitate, ſed in aliquo creato, non videntur in ſe ipſis.

Sed tũ hoc difficultate nõ caret, quia ſi nõ videtur æternitas ipſa in ſe, & cõtinentia ipſa futurorũ, vt eſt in ipſa eternitate, nõ poteſt videri niſi in aliquo effectu creato, ſeù in aliqua operatione Dei ad extra: quidquid. n. nõ videtur intra Deũ, videri debet ad extra in aliqua creatura. Hoc ipſo autem quód videntur futura in aliquo creato, non videntur, vt præſentia realiter in ſe, quia ſolùm in æternitate præſentia ſunt, non autem in aliqua menſura creata, vel effectu creato. Dicere autem quód videatur futurum in ſe, ſed non menſura, in qua eſt pręſens, implicatorium eſt, quia ſi videtur in ſe, videtur in aliqua duratione, & præſentia: ergo, & in aliqua menſura, ſicut non poteſt videri res præſens in tempore, & non tempus ipſum. Et ſic valdè difficile defendi poteſt, quod extra viſionem beatam, per quam videtur æternitas in ſe, futura poſſint intuitiuè cognoſci; de quo tamen latiùs tractari ſolet 3. *p. q.* 11. circa Scientiam infuſam Chriſti Domini, an per illam cognouerit futura intuitiuè.

2990 *Concluſio Ad cognitionẽ futurorum ſuper naturalium, ſufficit relatio ipſius futuri, clara, ſed modo ſtractiuo.*

Quare dicendum eſt, quód ad cognitionem futurorum ſupernaturalium ſufficit relatio, vel repræſentatio clara, & diſtincta ipſius, modo abſtractiuo. Cognitio autem, & repræſentatio ſingularium, ſecundùm quód deſcendunt ab ideis diuinis vnum quodque in ſuo tempore, & in ſua propria menſura, non poteſt illa repræſentare certó, & determinatè, ſed ſolũ prout ſunt in ſuis cauſis, in quibus certó, & determinatè nõ cõtinentur: quia anteq̃ producantur, ſolũ ſunt poſitę ab ideis diuinis in virtute cauſarum, non in ſe ipſis. Repræſentantur certó, & determinatè, quando de facto deriuantur à Deo, & producuntur extra cauſas, & tunc etiam ſpeciem ipſam Angeli determinat Deus ex vi prioris infuſionis, & immutat ad repræſentandum determinatè, & applicatè hoc indiuiduum, vt diximus. Quód ſi ſupernaturaliter repræſentat futurum, efficiet Deus, ſeu mouebit, & applicabit hanc ſpeciem ad repræſentandum hoc indiuiduum, antequam illud entitatiuè producat cum connotatione, non exiſtendi in tempore pręſenti, ſed in tẽpore ſucceſſuro, & hoc ſupra debitum naturale eſt, ſic repræſentari.

2991 *Corollarium. ſpecies Angeli, quó ad exercitium repræſentandi non mẽſuratur æuo.*

Vnde ſequitur, quód licèt Angelus in ſuo *Eſſe* menſuretur menſura ęui, & ſimiliter ſpecies, quę in illo eſt, quantum ad ſuum *Eſſe* entitatiuum, eodem æuo menſuretur, quia incorruptibilis, & in amiſſibilis eſt, tamen exercitium ipſum repręſentandi quantum ad ſingularia, quę ſucceſſiuè fiunt, non menſuratur ęuo, ſed tempore, quia hoc regulatur, non penes modum eſſendi ipſius ſpeciei, ſed penes modum, quo ipſa obiecta repręſentabilia ſunt: repręſentantur autem ſecundum ordinem, quo deſcendunt à Deo; deſcendunt veró ab ipſo per tempus ſucceſſiuum, non per æuum; & ſic Deus mouet creaturam ſpiritualem per tempus.

Res illæ, quæ coexiſtunt aliquo inſtanti angelico, quando correſpondet diuerſis partibus in vi illius inſtãtis non cognoſcuntur.

Addo, quód etiam res illæ, quæ coexiſtunt aliquo inſtanti Angelico, quando correſpõdet diuerſis partibus temporis v. g. ſi correſpondet vni horę, vel vni diei, non poſſunt cognoſci ab Angelo in vi illius inſtantis ſic extenſi, quamdiù non producuntur in ipſo tempore, ſed adhuc correſpondent parti temporis futuri, v. g. ſi operatur Angelus operatione indiuiſibili, correſpondente tempori vnius diei, non poteſt attingere in principio illius inſtãtis ea, quæ futura ſunt in fine diei, & adhuc ſunt futura, quia licèt illud inſtans ſit indiuiſibile, coexiſtens omnibus partibus temporis illius diei ſine diuiſione, & mutatione ſui entitatiua: non tamen indiuiſibili applicatione, & menſuratione omnibus rebus, & partibus temporis ſuccedentibus coexiſtit, ſed prout illa in ſe producuntur, & exeunt, quia in ſe non continet actu, neque cauſat ea, quæ ſucceſſura ſunt indiuiſibili, & immutabili modo, ſine vlla potentialitate, ſicut ęternitas, ſed ſolùm coexiſtit illis, quando res ipſæ producuntur, non antè, quia hoc eſt proprium æternitatis.

DVBIVM II.

Quomodo poſſint Angeli cognoſcere præterita, quæ transierunt, & nullũ ſui veſtigium reliquerunt.

Conclusio res pręteritæ ordinis naturalis, ſeu de his, quæ pertinent ad ſphęram, & propriã intelligibilitatẽ Angeli, cognoſcũtur ab illo, ſi, quãdo pręſentia erant, ea cognouit, vel ſi aliquem effectũ, aut veſtigium ſui reliquerunt, abſtractiuè tamen illa attingit. Si autem quando præſentia ſunt, ea non cognouit, neque aliquod ſui veſtigium reliquerunt, non poſſunt ab Angelo cognoſci, ſed reputari debent reſpectu illius Angeli, perinde, ac ſi numquam fuiſſent pręſentia. 2992 *Concluſio habet partes.*

De prima parte concluſionis non eſt dubiũ inter authores

De prima parte concluſionis, non eſt dubium inter Authores, quę enim cognouit angelus, quãdo pręſentia ſunt, etiam tranſeuntibus cognoſcere poteſt, quia in memoria manent: Si enim nos poſſumus recordari pręteritorum, quia de actibus noſtris recordamur, & de his, quæ fecimus, aut vidimus, quanto magis angeli, qui ſuperioris intellectus, & ſcientię accumine vigent. Et ſimiliter ſi

in

in effectu aliquid præteritum remaneat, in illo tanquam in vestigio manifestari poterit: sicut enim causę manifestant suos effectus, ita effectus causas; si enim nos in effectibus, & ex effectibus causas cognoscimus à fortiori Angeli. Certè *Angeli congregabunt effectus*, vt dicitur Mat. 24. *& cineres ipsos, ex quibus corpora Sanctorum resuscitãda sunt, colligent*, quód stare non posset, nisi in aliquo effectu, eis innotescerent præ terita, se, in cineribus illis homines, ad quos illa corpora spectant. Et vniuersaliter, in quocunque repræsentatiuo alterius, potest Angelus cognoscere id, quod ibi continetur: ergo potest in quocumque effectu, vel signo, aut testificatione relicta, rem præterita cognoscere.

2993 *Angelus tãtũ abstractiuè, & non intuitiuè attingit præterita.*

Quod verò abstractiuè tantùm ea attingat, & non intuitiuè, patet, quia talia præterita, in se non existunt, neque præsentia sunt: ergo per se, & in se non terminant notitiam, sed vt absentia, & in alio, vt in effectu, in signo, in memoria, & recordatione, ergo abstractiuè. Nàm etiam res, quæ in memoria cognoscuntur non videntur per conceptum immediatè terminatum ad rem extra, sed terminatum ad rem, vt depictam, & assimilatã in imagine, seù in specie, quę relinquitur in intellectu repræsentante rem illam, non absolutè, sed ve aliquando cognitam, & expræssam in conceptu, & hoc modo illam repræsentare, recordari est.

De secunda parte est difficultas. Cur nõ possit Angelus rem præteritã, quæ omninò transiuit, cognoscere.

De secunda parte est maior difficultas, cur videlicet non possit Angelus rem præteritam, quæ omninò transiuit sine eius aduertentia, & nullum iam eius extat vestigium v. g. volatus auis in aere, aut nationis piscis in mari olim factæ, modò cognoscere, supposito quód in nostra sententia ex ipsis ideis diuinis, & ex earum infusione nascitur determinatio speciei Angeli ad tale indiuiduum non ex aduertentia ipsa rationis. Illa autem determinatio semel posita in specie non euanescit ex se, neque conseruatur ex aduertentia Angeli; quia omnino extrinseca est, vt conseruet, vel destruat Determinationem factam in specie: ergo etiansi non aduertat, vel cognoscat Angelus tale indiuiduum poterit ex specie illa, quæ iam semel determinata, & completa fuit, tale indiuiduum cognoscere etiam postquam transiuit.

2994 *Sẽtentia Vazquez, & eius fundamentum.*

Propter hoc P. Vasquez. *hic disp.* 108 *c. vlt.* tenet, quód potest Angelus hęc præterita cognoscere siuè sine speciebus in sua sententia, siuè positis speciebus in sententia communi, quia nulla inuenitur ratio, ob quam id non possit, cum species naturales ea repręsentent, præsertim posita illa determinatione, & complemento earum respectu singularium, quæ de nouo producuntur: quàm determinationem, & complementum ponit Deus in illis speciebus hoc ipso, quod singularia producuntur etiam antequam Angelus id aduertat, quia adhoc, vt aduertat præsupponi debet illa determinatio, sine qua ad tale singulare non potest aduerti: ergo illa repręsentatio, & determinatio non dependet ab aduertentia rationis, quia ante illam est, & sic etiansi non aduertat, & res prætereat, potest illam cognoscere ex vi talis repręsentationis. Et PP. solum negant Angelis futurorum cognitionem, non præteritorum.

2995 *Opposita sentẽtia, vt communis defenditur.*

Nihilominus oppositum est communis apud Theologos, de quo videri potest P. Suarez. *lib.* 2. *de Angelis cap.* 22. vbi eam docet contra Vasquez, citatque pro se Zumel; & Pesantium: & fauet D. Th. in hac qu. 57. art. 3. ad 3. vbi indefferenter proponit argumentum de futuris, & pręteritis, & tamen S. Doct. solùm res pręsentes dicit cognosci ab Angelo, quia habent naturam per quam assimilentur speciebus Angelicis: ergo de reliquis, siuè pręteritis, siuè futuris censet non assimilari illis, sed solùm cognosci, vel in causa, vel in effectu.

2996 *Ratio quia secundùm D. Th. futura, & pręterita non assimilantur cognitioni præsensiũ in Angelis.*

Fauet etiam scriptura, quæ sicut notitiam futurorum dicit esse propria Dei, ita, & præteritorum: Ergo sicut futura nõ possunt cognosci in seipsis sed solùm in causa, & quantũ ipsa causa potuerit manifestare determinationem eorum; quód si causam determinatam non habuerint, nihil manifestabitur de illis; sic & præterita non poterunt manifestari nisi in effectu, quem relinquerint. Antecedens constat, ex illo Isaiæ 41. *Accedant, & nuncient nobis quæcunque ventura sunt, & priora, quæ fuerunt, nunciate, & ponemus cor nostrum, &c.* super quæ verba. Hieronym. *Dicite*, inquit, *nobis, vel præterita, vel futura. & ex eorum euentibus vestram potentiam demonstrate.* Vbi ęqualiter ponitur in ipsius diuinitatis signum, futura cognoscere, & præterita.

2997 *Euasio.*

Nec potest hoc intelligi de præteritis, quorum memoria extat, aut vestigium: nam de his etiam homines recordantur, quanto magis Angeli, & sic frustra in diuinitatis testimonium eorum notitia adduceretur. Nec etiam per aliud extremum, loquitur de præteritis moralibus tantum, & quę solùm pertinet ad cognitiones cordis: Nam hoc modo etiam dicemus, quód futura, de quibus ibi loquitur, sunt solùm futura moralia, seu cogitationes futuræ, reliqua vero, quæ intelligit Angelus: æqualiter enim de pręteritis loquitur, & de futuris: constat autem, quod quæcumque futura contingentia solus Deus certo cognscit. Denique fauet ratio, quia præterita non possunt cognosci nisi, vel in se ipsis, vel in effectu, sicut futura, vel in se ipsis cognosci debent, vel in causa. In se ipsis cognosci non possunt, quia iam transierunt, & non sunt: nec etiam in effectu, quia, vt supponimus, nullum reliquerunt. Nec etiam in ipsa determinatione speciei, quia hæc determinatio fit ex appositione, & productione rei de nouo productæ, quę assimilatur illi speciei: ergo ex vi illius solùm applicatur, & determinatur species ad rem productam dum est, vel producitur, & assimilatur ipsi speciei.

Præluditur. quia æqualiter D. Th. loquitur de præteritis, ac de futuris.

2998 *Transeunte re non amplius assimilatur speciei Angelicæ.*

Trãseunte ergo re nõ amplius assimilatur ipsi speciei, nec species manet determinatè, & applicatè similis ipsi rei, quia solùm determinatur erga illam prout res ipsa producitur, seù descendit à Deo, & similis redditur speciei, non vero ad ipsam, vt præteritam, quia iam non deriuatur à Deo, nec pertinet ad vniuersum. Vnde, vt repręsentetur tamquam præterita, debet signari species alia determinatione, quatenus scilicet cognita est, & sic manet memoria de illa, quia memoria est repræsentatio de re, vt aliquando cognita: nec enim recordamur nisi eorum, quæ cognouimus; quæ enim nunquam vidimus, non per recordationem, & memoriam, sed per nouam notitiam de nouo cognoscimus: vel debet respicere effectum aliquem, in quo virtualiter contineatur res præterita, & respectu talis effectus respicit per illam determinationem effectum illum, vt præsentem, rem autem in illo contentam, vt pręteritam.

2999 *Ad fundamentum Vazquez. Resp. quòd per productionem obiecti resultat in specie Angeli applicatio similitudinis.*

Ad fundamentum verò oppositum: Respondetur, quod per productionem obiecti resultat in specie Angeli determinatio, & applicatio similitudinis talis speciei ad illud obiectum, prout existens & productum, quia sic emanat ab ipsis ideis, & sic applicatio ipsarum specierum resultat ad tale indiuiduum in quantum indiuiduum pręsens est, & producitur, seù à diuinis ideis descendit, & pertinet ad hoc vniuersum, quia illa determinatio fit intuitu, & ratione pruductionis rei, & secundùm assimilationem actualem speciei ad ipsam rem. Quare ipsa re transeunte, & desinente esse, desinit talis assimilatio, & determinatio speciei erga tale indiuiduum, aut indiuidui erga talem speciem, siquidem talis determinatio, & applicatio est ad res illas, prout sunt in vniuerso, & prout producuntur, & emanant ab ideis diuinis: Si enim etiam effluunt in mentem Angelicam, eique repræsentant quicquid effluit à Deo, prout effluit, & prout ab ideis descendit; & quia specifica natura semper, & perpetuò deriuatur à Deo, siuè in hoc in diuiduo, siuè in alio semper remanet in Angelo species repræsentatiua specificæ naturę; quia verò indiuidua non manent, nec semper effluunt à Deo, non manet etiam ex deriuatione Dei determinatio, & ap-

3000 *Species repræsentant menti Angelica quidquid effluit à Deo, prout effluit.*

plicatio

plicatio ad iſtud indiuiduum repræſentandum in ſe. Vnde oportet recurrere ad aliquid, quod manet de facto, & in eius virtute contineatur res præterita, ſcilicet, vel quia manet aliquis eius effectus, vel quia in ſpecie manet aliqua eius memoria, memoria autem eſt de re prius cognita. Quòd ſi, nec fuit priùs cognita, vt in memoria remaneret, nec effectum ſui reliquit omninò, nullum principium manet in Angelo vnde tale indiuiduum cognoſcat.

3001 *Quares.* Et ſi inquiras; Quid additur illi ſpeciei per hoc, quòd Angelus vſus fuerit illa, adhoc, vt dicatur poſſe per illam cognoſcere rem præteritam, non autem per ſpeciem, qua non eſt vſus, vt per iſtam non poſſet cognoſcere tale indiuiduum?

3002 *Reſp. ſpeciem, qua vſus fuerit Angelus cõducere, vt Angelus per illã poſſit cognoſcere præterita.* Reſpond. addi, quòd ſpecies illa poſſit fungi vicẽ memoriæ, quatenus per cognitionem, in qua vſus fuit tali ſpecie, manet ſpecies determinata nõ ſolùm ad repræſentandum in ſe obiectum, ſed ad repræſentandum obiectum fuiſſe cognitum: hæc autem eſt conditio rei pertinentis ad memoriam, vt recordetur obiecti, tanquam anteà cogniti; & ſic quia Angelus, tàm per ſuam naturam, qua cognoſcit ſuas potentias, & actus, quàm per ſpecies, quibus vſus fuit ad talem actum eliciendum, manet determinatus ad repræſentandum actum, quem elicuit determinatè, & in illo repræſentatum fuit non ſolùm natura, ſed etiam tale eius indiuiduum; ideò recordando actum illum, ſeu rem illam, vt taliter cognitam, recordari poteſt, & cognoſcere illud indiuiduum, quod præterijt, & cognouit.

Inſtabis. Inſtabis: Sicut præterijt indiuiduum, ita præterijt actus ipſe cognitionis: ergo ſi propterea non poteſt immediatè repræſentare illa ſpecies indiuiduum, quia iam tranſiuit, & ſic deriuatio illius à Deo, iam non eſt præſens, ſimiliter neque actus ipſe cognitionis præteritæ repræſentabitur, quia iam præſens non eſt, nec deriuatur à Deo.

3003 *Reſp. actum cognitionis præteritæ, cognoſci ab angelo in ipſa potentia, & ſpecie talis cognitionis.* Reſpond. actum ipſum non cognoſci in ſe, ſed in ſuo effectu, quem reliquit, videlicet in ipſa potentia, & ſpecie, qua vſus fuit, ad talem cognitionem, & ſic manet cum aliqua determinatione erga talem actum præteritum, quatenus aliquis modus, ſeu ordo relinquitur, ſeu repræſentatio actus, ad quem talis ſpecies concurrit; Sicut noſtræ ſpecies manent in memoria repræſentantes, non ſolùm rem ad extra, ſed etiam, quod fuerit cognita; atque adeò, & actum ipſum cognoſcendi, quatenus ſpecies ad illum determinata, & ordinata manet aliquo modo, ſeu ordine ſuperaddito, quia realiter talem actum elicuit; & ſic poteſt manere aliqua determinatio, & ordo erga illum, ſeu repræſentatio illius, vt cogniti.

Ad id, quod Vaſquez affert ex Patribus, quòd, ſolùm negant Angelis cognitionem futurorum, non præteritorum, iam ex loco allegato ſcripturæ, & D. Hieronymi oppoſitum manifeſte conſtat.

DVBIVM III.

An ratio Diu. Thom. efficaciter probet, futura illa non poſſe cognoſci ab Angelo, naturali cognitione.

3004 *Concl. affirm. Ratio S. Thom. efficax, quia procedit ex proprijs, et per ſe in hac materia.* Concluſio affirmatiuè, licèt Vaſquez *diſp.* 208. *cit. cap.* 5. teneat, ratione philoſophica, & à priori veritatẽ hanc demonſtrari non poſſe. Eſt tamen efficax ratio Sancti Thomæ, quia procedit ex proprijs, & per ſe in hac materia: Angelus enim non poteſt cognoſcere hæc futura, niſi vel in ſe ipſis, ideſt vt extracta à cauſis, & exiſtentia actu, vel vt in cauſis, & in potentia, non in actu in ſe. Primo modo non poſſunt cognoſci ab Angelo, niſi cognoſcat ipſam menſuram, ſeu durationem, in qua actu ponantur illa futura, ita quòd illa menſura ſit præſens ſibi in actu exiſtens: Nam ſi illa ſit etiam in potentia, & intra cauſas, non poterit videri, & cognoſci in ſe, ſed prout in potentia, & conſequenter: neque in illa contentum, & menſuratum videbitur niſi in potentia, & in cauſa.

3005 *Duplex eſt mẽſura durationis, alia propria ipſius rei futuræ; alia inadæquata, & ſuperior.* Solùm autem eſt duplex menſura durationis, alia propria ipſius rei futuræ, ſcilicet illa pars temporis, in qua producetur futurum in ſe paſſiuè; alia inadæquata, & ſuperior, quæ continet, & ambit illam, & totum tempus indiuiſibiliter amplectitur, ſcilicet æternitatis, quæ eſt principium, & cauſa totius temporis. Hanc menſuram æternitatis Angelus non videt, quia eſt ipſe Deus, & ſic neque futura in illa intuetur in ſe ipſis. Primam menſuram, ſcilicet tempus videt Angelus, ſed nondum illam partem ſucceſſuram videt in ſe actu, ſed in potentia, quia ſucceſſura eſt ex partibus temporis, quæ nunc effluunt actu, & in iſtis ſolùm continetur in potentia, & in cauſis, à quibus ille motus, & tempus proueniet: Non ergo videt illam menſuram temporis futuri in ſe actu: ergo neque menſuratum, & contentum in illo. Reſtat ergo, quòd Angelus ſolùm poteſt videre futura, prout continentur in ſuis cauſis proximis, & creatis, à quibus ſuo tempore procedunt. Iſtæ autem cauſæ ſolùm indifferenter continent illud futurum, & indeterminate, & contingenter, quia modo contingenti illud productura ſunt: ergo intellectus reſpiciens ad tales cauſas, non poteſt ex vi illarum determinationem futuri contingentis elicere.

3006 *Euaſio.* Sed dicit Vaſquez, non concludere hanc rationem, quia non obſtante, quòd cauſa ipſa ſit indifferens, & determinata, tamen altera pars contradictoria in ipſis futuris determinatè eſt vera, & altera falſa: ergo vtraque eſt ſcibilis determinatè, & ſicut à Deo ſcitur, cur non ab Angelo, cùm ſit res ordinis naturalis? Igitur cùm illa veritas determinata ſit, etiam comparata cum ſua cauſa, poterit in illa ab Angelo determinatè cognoſci. Et dato, quod non poſſit proprio, & quidditatiuo conceptu futurum in ſe cognoſci, vnde probatur, quod nec etiam alieno, & connotatiuo? Quòd ſi per ſpecies infuſas à Deo cognoſcit Angelus, non apparet, cur etiam non habeat proprium, & quidditatiuum conceptum de tali futuro?

3007 *Præcluditur, quia vis cõtradictionis non determinat veritatem, aut falſitatem ſuarum partium.* Cæterum hæc reſpõſio iam ſupra à nobis reiecta eſt, & locis ibi citatis. In ſumma dicimus, quod vis contradictionis non determinat veritatem, aut falſitatem ſuarum partium: veritas enim ſequitur ad entitatem, cum ſit paſſio illius, & inde accipit determinationem, ſicut, & entitas ipſa, quæ directè cognoſcitur. Nec lex contradictionis petit, aut facit talem determinationem, ſed ſolùm, quod ſi vna pars eſt vera, altera ſit falſa, non quod iſta, vel illa vera ſit determinatè. Ridiculum eſt enim dicere, quòd iſta propoſitio, Petrus cras ambulabit, ex eo, quòd illi apponam contradictoriã, quod omninò per accidens eſt, reddatur certa, & determinata.

3008 *Hæc determinatio veritatis in futuris non oritur ex vi contradictionis.* Quare hæc determinatio veritatis in futuris nõ oritur ex vi contradictionis, nec ex natura ipſius contingentis in ſe, quia ex natura ſua eſt cõtingens, & indeterminatum, quomodo ergo ex eadem natura oritur, quòd ſit determinata veritas, & contingens, hoc eſt indeterminata? Et eodem modo ex cauſis creatis, & proximis habet contingentiã, & determinationem, quia cauſæ contingentes ſunt, Quomodo ergo ex illis habere poteſt ſimul determinationem, & certitudinem? Reſtat ergo, quòd ſi determinationem, & certitudinem habet, eſt ex ordine ad decretum diuinum, quo Deus id determinat. Sed Angelus non poteſt naturaliter hãc cauſam diuinã cognoſcere, ſed per ordinẽ ad cauſas creatas, vel ex proprijs ſuæ quidditatis terminis, & in neutro inuenit determinatam certitudinem, ſiquidem inuenit contingentiam.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Angeli cognoſcant cogitationes cordium.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

PRima Concluſio. Cogitationes cordium in ſuis effectibus cognoſci poſſunt. Prob. & explicatur. Nam cogitationes interdum, non ſolùm per actum exteriorem, ſed etiam per immutationem vultus cognoſci poſſunt: & etiam medici aliquas affectiones animi per pulſum cognoſcere poſſunt: ergo multò magis Angeli, vel Dæmones. 2. Concl. Cogitationes, vt ſunt in intellectu; & affectiones, vt ſunt in voluntate à ſolo Deo cognoſcuntur. Prob. Ea, quæ ex ſola voluntate pendent, vel quę in voluntate ſola ſunt, ſoli Deo ſunt nota; Quia voluntas rationalis creaturæ ſoli Deo ſubiacet, & ipſe ſolus in eam operari poteſt, vtpotè eius principale obiectum, & vltimus finis.

Arg. 1. Beatus in cœlo poterit videre alterius beati cogitationes, ex D. Greg. *ſuper illud Iob.* 28. ergo, & vnus Angelus beatus poterit videre alterius cogitationes. Reſp. ad Antec. quòd cogitationes hominum non poſſunt in ipſo cognoſci propter duplex impedimentum; vnum eſt corporis groſſities, & hoc ceſſat in Beatis. alterum eſt voluntatis libertas, quę claudit ſecreta ſua, & hoc manebit in Beatis.

Arg. 2. Angelus videt ſubſtantiam Animę noſtrę, & alterius Angeli, ergo videt ſpecies, & cogitationes cordium. Reſp. diſt. conſeq. viſa ſubſtantia, videt Angelus ſpecies, quò ad maiorem, vel minorem vniuerſalitatem, conced. quantum ad vſū, ſcil. quomodo homo, vel Angelus illis ſpeciebus vtatur, Neg. & ſic non videt cogitationes cordium.

Arg. 3. Ea, quę ſunt in Phantaſia noſtra, poſſunt cognoſci ab Angelo, cùm ſint quid corporale. ergo multò magis ea, quę ſunt in intellectu noſtro, cùm ſint illi ſimiliora. Reſpond. conced. Anteced. ſecundùm illos actus, qui ſequuntur aliquam impreſsionē corporalem, vt in brutis: negando verò ſecundùm illos actus, qui imperantur à ratione, & voluntate.

DISPVTATIO CCLXXXIX.

An Angelus cognoſcat cogitationes cordium.

3009 Per cordium cogitationes intelligit D. Th. liberas voluntatis operationes.

PER *cordium cogitationes intelligit D. Thom. liberas operationes voluntatis, & intellectus internas, & elicitas ab ipſis, & immanentes in ipſis, de quibus ſigillatim agetur; & primò quidem de volitionibus quibuſcumque liberis, ſecundò de intellectionibus; non eſt autem hoc loco difficultas, vtrum Angelus cognoſcat has volitiones in cauſa libera, de hoc enim ſatis ſuperque alibi dictum eſt, non poſſe cognoſci ab vlla creatura naturaliter extra ipſam voluntatem operātem, niſi per coniecturam, & ex aliquibus ſignis, quòd etiam multò fortiùs confirmabitur ex dicendis, ſed difficultas eſt, vtrùm certò, & intuitiuè cognoſcantur ab Angelo, tunc cum actu exiſtunt in ſeipſis, cognoſcantur, inquam, ſine dependentia à voluntate eliciente tales actus, quamuis tunc in ſe ipſis ſint determinata ad vnum; propter quam cauſam cognoſcuntur in ſe ipſis alia futura contingentia, quando iam exiſtunt, etiamſi hæc futura Angelus non potuerit præſcire certò in ſuis cauſis. De qua re multa habet Suarez lib. de Angelis à c. 21. & Vaſq. hic diſp. 299. & alij omnes hoc loco.*

3010 Duo certa ſūt Primum: eodē modo cognoſcere angelus coniecturaliter huiuſmodi cogitationes, vt futuras, & vt pręſentes.

Qua in re duo certa ſunt communiter apud omnes, & aliqua controuerſia. Primò certum eſt, eodem modo, quo Angelus poteſt has volitiones cognoſcere in ſuis cauſis, vt futuras, ſcilicet coniecturaliter, & per aliqua ſigna, quando illa habet; eodem inquam modo poſſe illas cognoſcere, vt præſentes per ſimilia ſigna; Solent autem hæc ſigna dici ſigna exteriora in hominibus, id eſt, quæ ſint extra ipſam voluntatem, & intellectum, vt ſunt aliqua immutationes corporales externæ, vel interna in appetitu, quæ poſſunt aliquo modo indicare internas volitiones ſaltem ſub aliqua in determinatione; v. g. mea loquela indicat voluntatem meam loquendi, ſed non indicat illam determinatè in tali ſpecie, vel indiuiduo, an ſit bona, vel mala, virtutis, vel vitij, & ſic de alijs ſimilibus, quare poteſt Angelus, & homo ipſe in ſimilibus ſignis cognoſcere abſtractiuè alienas volitiones ſub maiori, vel minori determinatione, etiamſi alius nolit: dummodo talia ſigna exhibeantur, ſiuè neceſſariè, ſiuè liberè, vtrum autem aliqua ſint ſigna, quę neceſſariam habeant connexionem cum actu libero determinatè, & an tunc ſigna cognoſcantur naturaliter ab Angelo, dicemus infra; prædicta autem doctrina ratio ſumitur, tùm ab experientia in hominibus, ſæpiſſimè enim in huiuſmodi ſignis coniicimus aliorum voluntates, & multò magis id facere poterunt Angeli, tùm etiam ex ipſa ratione; quia hæc ſigna, quamuis ſint effectus libertatis, ſunt tamen in ſe entia naturalia nobis, & Angelis nota, poſito, quod exiſtant, & poſſunt aliquo modo deducere nos in cognitionem rei latentis; poterit igitur illa res ex illo ſigno coniecturari.

3011 Secundum: Nullam creaturam poſſe naturaliter, & euidenter cognoſcere alienos actus liberos.

Secundo certum eſt apud omnes, neque Angelum, neque vllam creaturam poſſe per ſe, & à ſe naturaliter certè, & euidenter, aut intuitiuè cognoſcere alienos actus voluntatis liberos, etiam quando actu exiſtunt in voluntate; Sed hoc ſoli Deo *naturaliter conuenire, & ipſi liberè operanti. hæc concluſio, vt plurimum cenſetur eſſe certa ſecundum fidem, aut certè grauiſſima nota damnari ſolet opinio contraria, vt videre eſt apud citatos authores, & conſtat ex ſacris litteris, & communi Patrum conſenſu. Ita actor. 8. dicitur.* Tu Deus, *qui ſolus noſti corda hominum. Ad* Roman. *8. Qui autem ſcrutat corda Deus, &c., & ſimilia habentur multis alijs in locis noui teſtamenti, & 3. Reg. 8 & 2. Paralip 6. dicitur. Tu ſolus noſti corda filiorum hominum.* Hierem. *17. Prauum eſt cor hominis, & inſerutabile, & quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans renes, & Corda; & ſimilia paſſim in ſcriptura. Vnde Patres diuinitatem Chriſti* Domini *probare ſolent ex eo, quòd videret occulta cordium. Quare tanquam temeraria cenſetur opinio* Durandi, *qui exiſtimauit hęc loca intelligi debere ſolùm de occultis cordium futuris, id enim videtur manifeſtè repugnare ſacris litteris, quæ de omnibus abſolutè loquuntur, etiam præſentibus, neque iam de hac re in vniuerſum conſiderata, apud* Catholicos *eſſe poteſt controuerſia.*

3012 Difficultas eſt inter Catholicos in aſſignāda naturali cauſa huius veritatis.

Hoc ergo poſito, prima, & præcipua controuerſia eſt inter Catholicos, *in aſſignanda naturali cauſa huius veritatis, cùm enim ex natura rei, & naturaliter videatur eſſe, quod Angelus hæc non cognoſcat; ſine dubio aliquam naturalē cauſam habere poteſt, & debet; Quare neque, vt vera, neque, vt probabilis cenſeri debet opinio Scoti, Ochami, & Gabrielis, quos citat Valent.* hic qu. 4. *qui dicunt Angelos hęc non cognoſcere, quia ſupernaturaliter impediuntur à Deo ne cognoſcant, vel quia deneget illis concurſum ad hæc cognoſcenda, vel quouis alio modo; videtur n. hęc opinio repugnare ſacris litteris, & Patrib⁹, ex quibus colligitur ita hæc ſoli Deo eſſe nota, vt hoc ſit propriū Dei, & nulli naturaliter idem conueniat. Deinde neque iuxta Theologica principia, neque philoſophica videtur congruè admitti hoc continuum miraculum in rebus, quæ ſecundum naturalem curſum contrario modo ſe habeant,*

rent, si autem hi authores faterentur causam huius rei esse, quia Deus deneget suum concursum, non quidem supernaturaliter, & miraculosè, sed iuxta exigentiam, & naturam rerum; verum quidem dicerent, sed non assignarent causam, quam quærimus, & primam; huius enim rei quærimus causam, cur scilicet non debeatur intellectui Angelico naturaliter concursus diuinus ad hæc obiecta cognoscenda, quando sunt actu in se ipsis. Plura contra hæc habet Suarez loco cit. c. 23.

3P13 Alia vulgaris causa afferri solet, quia hęc obiecta sunt improportionata intellectui angelico.

Alia ergo vulgaris huius rei causa afferri solet, quia hæc obiecta sunt improportionata intellectui angelico naturaliter, & veluti superioris cuiusdam ordinis, nempè ordinis liberi. Sed hæc responsio habet eadem incommoda, quæ diximus in vltima parte superioris. Nam ex eo, quod hi actus sunt ordinis liberi, non sequitur esse aliquid supernaturale. Neque esse aliquid excedens absolutè vim intelligendi intellectus Angelici, quando iam existunt in se ipsis, quod ita probatur: Nam Angelus cognoscit intuitiuè suam volitionem, quando existit, ergo hæc volitio est obiectum naturale ex se proportionatum tali intellectui, at verò intellectus aliorum Angelorum, saltem superioru, ex se sunt magis potentes, & superiores intellectibus inferiorum, ergo quantum est ex se non habent naturalem improportionem ad tales volitiones cognoscendas; Deinde semper restat illud primum explicandum, quænam sit prima, & radicalis causa, vnde oriatur hęc improportio, etiam in ordine ad nostrū actum liberum; maximè quia Angelus intuitiuè cognoscit aliorum voluntates, & intellectus, & species intelligibiles; voluntas autem non videtur esse ens minùs perfectum, quàm sit eius actus aliquis liber, cùm etiam ipsa sit libera; Si autem aliquis verè assignaret causam talis improportionis, tunc posset ad quæstionem immediatè respondere, illius rei causam esse, improportionem intellectus Angelici ad talia obiecta, dummodo postea assignaret, in quo consistat hęc improportio, & causam illius, & ita hunc modum procedendi sequuntur multi Thomistæ, quos citat Suarez loc. cit quamuis in assignanda causa huius improportionis in multis dissentiant, & deficiant.

3014 Opinio Vasq. reijcitur.

Propter hæc etiam non videtur sufficiens responsio, quam affert Vasquez loco citato, *qui ait, causam cur hæc obiecta sint naturaliter occulta alieno intellectui, esse quidem improportionem horum obiectorum ad talem intellectum: huius verò improportionis non esse quærendam aliam causam, sed dicendum, hanc esse naturam talium rerum, quòd nos colligimus ex principijs fidei, atque hanc esse longissimę disputationis resolutionem, & conclusionem, P. Vasquez* in disput. illa *209. concludit Suarez* loco cit. *posse dicere nos non posse scirè distinctè, & determinatè causam huius rei, sed solùm ex sacris litteris habere, quòd res ita sit, & consequenter, quod talis sit harum rerum natura, absque eo, quòd aliquid aliud vlterius quæramus. Non est, inquam, hęc responsio sufficiens, quia re vera aliquid aliud vlterius assignare possumus in huius rei causam, vt assignauit hoc loco D. Th. quòd quamuis non esset omninò euidens, & manifestè demonstratiuum, est tamen valde efficax, & rationabile; propter quam causam. Neque omninò sufficiens mihi videtur responsio, & resolutio ipsius Suarij cap. illo 23. in fine, vbi docet huius rei causam esse, quia intellectus Angelicus nō habet species intuitiuas, et proprias harum operationum, cuius rei ipse non affert aliam causam, nisi, quòd à sufficienti enumeratione, inquit, alia ratio non potest assignari; sed hoc non est progredi in quæstione, sed deficere, cùm re vera huius rei sit, & possit assignari causa aliqua, quam assignat D. Thom.*

DVBIVM I.

Quam ob causam Angelus non cognoscat cogitationes cordium alienas.

Dico ergo primò, causam proximam, & immediatam, cur Angelus non cognoscat intuitiuè hæc obiecta, neque possit illa hoc pacto cognoscere naturaliter, sed solùm in aliquo signo modo explicato, & consequenter cum eius intellectus non sit illis proportionatus, esse quidem carentiam talium specierum, quæ possint intuitiuè tales res repræsentare, non tamen hanc esse causam primam, & radicalem, sed aliam mox assignandam: Hæc sententia est expræsè D. Thomæ quoad vtramque eius partem. & quidem de 2. dicemus in 2. conclusione, De prima autem constat primo ex hoc loco, vbi docet D. Thom. quod cognoscere alienas affectiones, prout sunt in seipsis, est proprium solius Dei, nullus igitur Angelus habet species intuitiuas alienarum affectionum, alioquin naturaliter posset illas cognoscere in se ipsis, quando actu existunt. 3014 *1. Concl. causa proxima cur angelus non cognoscat intuitiuè hęc obiecta, esse carentiam specierum.*

Neque potest hic responderi, esse proprium solius Dei cognoscere has res in seipsis independenter ab alieno consensu, & manifestatione, idest etiā nolente alio manifestare; posito verò alieno consensu, & manifestatione, non esse propriam Dei, sed posse etiam Angelum in seipsis illas cognoscere. *Euasio.*

Non inquam, id dici potest. Primò, quia si Angelus haberet species intuitiuas illarum, etiam alio nolente, posset illas cognoscere, quando actu sunt, sicuti potest Deus. secundo quia etiamsi Angelus velit suas volitiones alteri manifestare, & quantum potest naturaliter per suam locutionem manifestet, adhuc tamen alter Angelus non videt alienam volitionem intuitiuè in se ipsa, sed solùm in illo signo, si enim videret illam intuitiuè in se ipsa, non posset decipi ab alio, & consequenter non posset Angelus naturaliter mentiri, quòd tamen est falsum, vt infra dicemus, Quod autem D. Tho. omnino existimauit Angelum non habere species intuitiuas harum rerum, constat ex q. 8. de verit art. 13. vbi expresè id docet, & addit Angelos solùm in verbo cognoscere directè, & in se has affectiones, & idem habet ibidem qu. 4. artic. 4. initio corp. & alibi. 3016 *Præcluditur. quia si Angelus haberet species intuitiuas illarum, etiā alio nolente, cognosceret eas.*

Dico secundò causam phisicam, & radicalē, cur Angelis non debeantur connaturaliter species intuitiuè talium obiectorum, & consequenter non possint illa intuitiuè cognoscere, rectè assignari à D. Th. illam, quia si comparemus voluntatē, vt voluntatem in ratione principij liberi operatiui ad omnes prorsus extrinsecas causas, soli Deo subiacet, & subordinatur per se, & immediatè ad operādum; Vnde operationes, quę in sola ipsa volūtate sūt, à sola ipsa, & à solo Deo depēdēt, vnde soli ipsi operanti, & Deo connaturaliter notæ esse possunt, ita vt, sicuti tales eius operationes eximuntur ex natura sua à subordinatione ad quamcumq; aliam causam, sed soli ipsi rationi, & Deo subordinantur, tamquam Domino talium operationum; ita etiam soli sibi, & Deo, primò, & per se naturaliter notæ esse possint; alijs autem per manifestationem, vel à Deo, vel ab ipso operante, in quo consistit perfectū dominium, quod habet sub Deo creatura rationalis suarum affectionum, & sicuti quoad esse sunt exemptę ab omni alia causa, ita & quoad cognosci, quod sequitur ad esse, & sicuti quoad esse sunt solum sub dominio ipsius creaturæ rationalis operātis, & Dei, ita, & quoad cognosci. 3017 *2. Concl causa verò physica, & radicalis est, quia voluntas in ratione principij liberi, soli Deo subiacet.*

Hâc doctrinā habet D. Th. tūm hoc loco, tū duobus vltimo citatis in præcedenti conclusione, dixi autem causam phisicā, v. g. quia solet etiam communiter assignari alia valde congrua causa moralis; regimen scilicet ipsum creaturæ rationalis, 3018 *Hæc Doctrina 2. Concl est D. Th pluribus in locis.*

cuius libertas nimis angusta, & perplexa esset, si non posset suas internas operationes occultare, sed omnes omnibus naturaliter essent notæ. Multa item orirentur incommoda in naturali conuinctu, posita peccabilitate, & defectibilitate naturæ rationalis, vt facilè cuius constare potest; propterea aliã physicam, & naturalem rationem assignauit D. Th. cuius vis, & defensio maximè consistit in eiusdem explicatione.

3019 *Pro explicatione 2. Concl. duo notanda sunt.*

Pro hac igitur re sciendum est, conclusionem illam D. Thom. esse vniuersalem, & continere duo membra, scilicet excepto ipso operante, qui semper excipitur, cùm comparamus operationes voluntatis in ordine ad extrinseca cognoscentia, soli Deo esse naturaliter nota. primò ea, quæ sunt in sola voluntate, secundo ea, quę à sola voluntate depẽdent, & addit D. Thom. vnicam illam causam, quia voluntas rationalis creaturæ soli Deo subiacet, & ipse solus in eam operari potest, supponit autem D. Thom. hanc philosophicam, & Theologicam veritatem, de qua plene dicit se dicturum infra, quòd nulla prorsus causa creata potest naturaliter agere in voluntatem, directè illam mouere, aut aliquid in illam imprimere, sed solus Deus, ita vt sicuti causæ subordinantur rationi, ita ratio soli Deo, & propterea dicitur voluntas soli Deo subiacere, & illi soli subordinari, tamquam vnico Domino extrinseco voluntatis, quod etiam hoc loco supponẽdum est.

3020 *Quò ad 1. partem 2. conclusio facilè intelligitur; dicitur enim aliquid esse in sola voluntate.*

Illa ergo vniuersalis conclusio quoad primam partem facilè intelligitur; dicitur enim aliquid esse in sola voluntate, quando non est in alio subiecto præter ipsam, neque quocumque modo, sed in quantum voluntas est, idest in quantum habet dominium suarum operationum; cùm enim voluntas sit quædam passio naturalis, & necessaria creaturæ rationalis, potest esse, vt habeat aliquam proprietatem, aut operationem per se mere naturalẽ, & necessariam, etiã quoad exercitium actus, qualem aliqui putant esse amorem proprium in Angelo, ad quem tunc comparabitur voluntas, vt natura quædam, non vt voluntas, neque vt Domina, & quamuis talis actus sit in sola voluntate, poterit tamen esse naturaliter notus alijs Angelis, quia sicuti quoad esse non est sub dominio voluntatis, ita neque quoad cognosci dependebit ab eius dominio: loquitur D. Thom. de ijs, quæ sunt in sola voluntate per se loquendo, in quãtum voluntas est, & domina suarum rerum, de quo etiam aliqua dicemus infra. Atque hæc circa primam partem conclusionis.

3021 *Difficultas circa 2. partẽ conclusionis. Quid in D. Th. intelligat* per ea, quæ ex sola voluntate dependent?

Maior aliqua difficultas est circa aliam partem conclusionis, quid scilicet intelligat D. Thom. *per ea quę ex sola voluntate dependent?* non enim intelligit ea, quę ita dependent, vt in sola ipsa recipiantur; ad hoc enim sufficeret prima particula explicata, sed etiam si recipiantur in alio subiecto diuerso ab ipsa: ex hoc enim probat, quod operationes liberæ intellectus; quæ dependent à dominio voluntatis, sunt alijs ignotæ, sicuti, & ipse actus voluntatis; propterea, quia à sola volũtate dependeant, etiamsi non sint in voluntate tanquam in subiecto; Imò articulo sequenti, qui valdè connexus est cum præsenti, eam propositionem vniuersalem extendit D. Thom. sine vlla exceptione ad voluntatem diuinam, & docet, *quòd ea, quę dependent ex sola voluntate diuina, à nullo possunt naturaliter cognosci, præter ipsum Deum;* etiamsi loquamur de operationibus ad extra, quæ sine dubio non subiectantur in voluntate diuina: vnde oriuntur communes difficultates, quæ contra hanc Diu. Thom. doctrinam fieri solent ab alijs.

1. Ratio dubitandi.

Nam si loquamur de voluntate diuina, creatio Angeli, aut cuiuscumque alterius rei, à sola volũtate Dei dependet, & tamen est naturaliter nota Angelo, posito, quod fit.

2. Ratio dubitandi.

Item constitutio vniuersi tali, vel tali modo, vel tempore, & eius dispositio, & finis mundi à sola Dei voluntate dependent; hæc tamen naturaliter cognoscuntur ab Angelo, posita ipsorum existentia; & sic de cæteris; Si verò loquamur de voluntate creata, cognitio libera nostri intellectus non dependet à sola voluntate, sed tùm effectiuè etiã ab ipso intellectu, quomodo ergo dicit D. Tho. quòd à sola voluntate dependent? *3. Ratio dubitandi.* Item motus cœlorum dependet à sola voluntate angeli mouentis, & tamen omnibus est notus, & vniuersaliter si dependere à sola voluntate solùm esset aliquid fieri per voluntatem dominantem, & imperantem, sine qua non fieret, multa essent in homine, & Angelo, aut ab homine, & ab Angelo, quę dici possent à sua voluntate dependere, vt motus localis, operationes artificiales, & alia similia, & ipsamet loquela, assumptio corporum, &c. quæ tamẽ omnia omnibus nota esse possunt, eo ipso, quòd sunt in actu; propter quas difficultates alij communiter discedunt à doctrina Diu. Thomæ. *4. Ratio dubitandi.* *5. Ratio dubitandi.*

3022 *Vera explicatio, & sensus doctrinę D. Th. id à sola Dei voluntate dependet, quod est supernaturale secundum substantiam.*

Sed tamen si mens Diu. Thom. rectè intelligatur, constabit, eius doctrinam esse veram; dico ergo, quod propriè, & in rigore ad finem, de quo loquimur, dicitur aliquid à sola, & pura Dei voluntate dependere, quod est supernaturale secundùm substantiam, vt constat *ex articulo sequenti*, & intentione D. Thomæ, itaut fiat præcise per voluntatem diuinam, absque eo, quod vlla prorsus res naturalis creata, id exigat neque actiuè, neque passiuè, aut postulet, aut illi secundùm naturalem propensionem, aut inclinationem debeatur, aut naturaliter proportionetur, aut fiat secundùm mere naturalem capacitatem illius; sed solùm respiciat in cratura potentiam obedientialem, simpliciter, quatenus sunt omnes effectus supernaturales secundùm substantiam, quæ D. Th vocat mysteria gratiæ, vt vnio hypostatica, gratia sanctificans, charitas, fides, lumen gloriæ, visio Beata, & alia huiusmodi, quæ soli Deo naturaliter sunt nota: propterea, quia à sola, & pura voluntate Dei dependent in fieri, esse, & conseruari; dicuntur autem in summo rigore, de quo loquimur, a sola, & pura voluntate dependere hi effectus, & non alij.

3023 *Quando Deus operatur præcisè, vt Author naturę, semper operatur iuxta exigentiam aliquam naturalem.*

Quia quando Deus operatur præcisè, vt auctor naturæ, licèt hic, & nunc liberè operetur, & à nemine cogatur, aut necessitetur, neque vlli subordinetur, sed potius omnia sibi subordinet, atque adeò in hoc sensu possit dici aliquis effectus à sola volũtate Dei dependere, tamen, vt sic, semper operatur iuxta aliquam exigentiam naturalem, propensionem, aut proportionem, aut naturalem indigentiam, vel capacitatem alicuius rei naturalis, & ita operatur secundùm quandam legem ortam ex ipsa natura, indigentia, & proportione rerum naturalium; propter quam causam non dicitur illa res solùm à voluntate Dei dependere, tàm quoad speciem, quàm quoad exercitium actus, verbi gratia, quòd Deus creauerit Adam cum intellectu, & voluntate, non dicitur dependere à sola voluntate Dei, quia id exigit natura humana, & hoc ipsum, quòd illum creauerit, est secundùm quandã inclinationem, aut propensionem veluti passiuam, merè naturalem ipsius naturæ humanæ, secundùm quod est ens quoddam merè naturale, & sic de alijs entibus merè naturalibus, quæ fiunt à Deo, siuè solo, siuè concurrente cum alijs causis naturalibus.

3024 *Supernaturalia secundùm modum tantù, vt visus cęco restitutus, naturalia sunt nota Angelo.*

Imò ea, quæ dicuntur supernaturalia secundùm modum tantùm, vt visus restitutus cæco, & vita mortuo, & similia, naturaliter sunt nota Angeli, posito, quòd sint; quia re vera in se, sunt quædam entia merè naturalia, habentia proportionem ad suas naturales causas, & subiecta, atque adeò secundùm se sunt intra obiectum naturale Angelici intellectus, quare licèt extraordinario modo hic, & nunc producantur, non tamen amittunt suam illam naturalem cognoscibilitatem, & similiter quamuis hic, & nunc, quoad exercitium actus dependeat à sola Dei voluntate, tamen secundùm se, & suam naturam, & veluti quoad speciem actus non

non ſunt talia, vt vidimus, & hoc reduci poſſunt omnes effectus naturales violenti, qui poſſunt fieri à ſolo Deo in cauſis creatis cum ſint effectus ſecundùm ſe merè naturales, & fiant ſecundùm naturalem capacitatem ſubiectorum, & ſæpè etiã inuoluant aliquam poſitiuam inclinationem in ſuis ſubiectis, qualis eſt motus lapidis ſurſum ratione potentiæ materiæ &c. atquè hæc voluntate diuina fiunt ſecundùm exigentiam.

3025 *Illi effectus dicuntur à ſola voluntate creata dependere, reſpectu quorum ſe habet voluntas ſine ſubordinatione ad alias cauſas.*

Dicuntur autem ſimili ferè modo, & cum quadam proportione, & analogia illi effectus, vel operationes à ſola voluntate creata, vt voluntas eſt dependere, quorum ipſa tale dominum habet, vt in ordine ad tales effectus operetur ſinè vlla ſubordinatione ad aliam cauſam extra ſe influentem, aut imprimentem aliquid in ſe ipſam, aut ſuum effectum, aut potentiam per ſe impedire, excepto vno Deo, & huiuſmodi ſunt ſolæ operationes immanentes ipſius voluntatis, & ſui intellectus; vndè hic motus meæ manus, licèt fiat per voluntatem meam imperantem, tamen non dicitur dependere à ſola mea voluntate: dependet enim etiam à recta conſtitutione potentiæ motiuæ, quæ eſt potentia merè naturalis ſubdita cæleſtibus influxibus, & alijs cauſis per ſe potentibus impedire. Vnde poteſt contingere, vt nihil prorſus deſit ex parte voluntatis, & intellectus mei ad talem motum, & tamen talis motus non ſequatur ex defectu, vel impedimento aliarum cauſarum, vel non concurrentium, vel impedientium, quod eſt hunc effectum non dependere à ſola voluntate, vel ratione. Similiter actus viſionis corporeæ, aut cuiuslibet ſenſationis, licèt hic, & nunc imperetur, & exerceatur liberè, quantum eſt ex parte voluntatis, nõ tamen dicitur à ſola voluntate dependere: quamuis enim voluntas ratione ſui interni actus non ſubordinetur alijs cauſis præter Deum, ratione tamen illius actus imperati, dependet ab alijs, vt diximus de potentia motiua.

3026 *Actus intellectus, nec ipſe intellectus dependet ab alia cauſa influente.*

At verò contra, non ſolùm ipſe actus intellectus imperatus, qui licèt immediatè eliciatur ab intellectu, tamen neque ipſe intellectus, neque eius actus per ſe dependet ab alia cauſa influente, aut imprimente, aut dominante, aut potente per ſe impedire: præter ſolùm Deum, & ſuam voluntatẽ, maximè, quia cùm dicimus aliquid à ſola voluntate dependere, non excludimus intellectum, ex quo, & voluntate conſtituitur vna, quæ dicitur ratio, vnde etiam dici ſolet, eſſe ignota ea, quæ à ſola ratione dependent. Nam neque voluntas eſſet voluntas, nec libera ſine intellectu, in quo radicaliter eſt libertas, vt alibi dicitur, atque hæc de voluntate creata; ex quibus patet ſolutio ad rationes dubitandi ſupra poſitas.

1. *Obiectio.* Sed vlterius obijcies primò. Saltem in Angelo potentia ſui motiua, non videtur dependere in ſuo actu, niſi à ſola voluntate, & intellectu Angeli, & tamen eius motus localis eſt alijs notus, poſito quod ſit, ergo, &c. Reſp. negando anteced. dependet enim etiam à cauſis extrinſecis, potentibus per ſe impedire eius actum, & per ſe in illam influere; poteſt enim vnus Angelus alium ligare ne moueatur, & poteſt etiam per extrinſecam eius vim impedire eius motum, aut præſentiam ad tantum, vel tantum locum. Maior difficultas videtur de potentia locutiua Angeli, nam loquela nõ poteſt eſſe, niſi aliqua operatio intellectus, aut voluntatis, aut vtriuſque, vt infrà dicemus; & conſequenter talis loquela à ſola ratione dependebat, & tamen eſt per ſe alijs nota, ſaltem illis, ad quos dirigitur.

Reſpondetur. Reſpondeo, hanc operationem, quæcumque illa ſit, eſſe quidem naturaliter notam, non tamen ſine dependentia à voluntate, ſed Angelo volente: Imo cum à natura data ſit Angelo ad hunc ipſum finem, manifeſtandi per ipſam occultiores affectiones, neceſſe eſt, vt ipſa per ſe ſit nota alteri, ſaltem poſito, quod ad illum dirigatur.

2. *Obiectio.* Obijcies ſecundò, licèt voluntas, & intellectus, vt ſic præcisè non dependeant in ſuo actu ab alio extra Deum; tamen voluntas, ſeù ratio humana, vt humana, videtur dependere per ſe à phantaſmatibus, quæ ſunt res merè naturales ſubiectæ cæleſtibus influxibus, & alijs cauſis; vnde ex hoc ſæpe impediuntur in nobis operationes voluntatis, & intellectus, ergo non poſſunt operationes noſtræ internæ dici à ſola voluntate dependere.

Reſpondeo diſtinguendo antecedens, per ſe dependet humana ratio à phantaſmatibus potentibus per ſe influere in ipſam, & illi dominari, aut per ſe impedire ſuos actus, nego anteced. concedo tamen in alio ſenſu, nempe tanquã à medio prærequiſito ad acquirendas ſibi ſpecies per ſuum intellectum agentem, & tanquam ab obiecto interno, quibus poſitis ipſa ſola ſit domina ſuorum actuum, ſed hinc nego conſequentiam, nam etiam cognitio Angeli poteſt interdum à præſentia obiecti merè naturalis aliquo modo dependere, vt ſuprà vidimus. Dicuntur ergo noſtræ internæ affectiones à ſola voluntate dependere, quia poſitis omnibus prærequiſitis ex parte ſui, & obiecti, nulli alteri cauſæ in ordine ad ſuos actus ſubordinatur ratio, niſi ſoli Deo, vt explicatum eſt. At verò in ordine ad alias operationes extra ſe, alio modo ſubordinatur cæteris, vt vidimus. 3027 *Reſp. humanã rationem pendere à phantaſmatibus, tanquam à medio requiſito.*

Obijc. tertiò, licèt creatio Angeli à ſolo Deo dependeat, non tamen dicitur omni modo dependere rigoroſe à ſola voluntate diuina, quia fit ſecundùm naturalem quamdam veluti paſſiuam propenſionem ipſius naturæ Angelicæ; ita etiam productio luminis gloriæ v.g. poterit dici non omni modo dependere à ſola voluntate diuina, quia fit ſecundùm aliquam inclinationem naturæ ipſius luminis, 3. *Obiectio.*

Reſpondeo negando conſequentiam, & ratio diſparitatis eſt, quia creatio illa fit ſecundùm naturalem propenſionem alicuius entis merè naturalis, atque adeò dicentis ordinem ad Deum, vt auctorem naturæ, operantem, vt ſic, cum reſpectu ad exigentiam, aut pulchritudinem, vel capacitatem naturalem totius vniuerſi entis naturalis, ſaltem poſito, quòd Deus velit extra ſe operari; at verò productio luminis gloriæ &c., non eſt ſecundùm inclinationem entis merè naturalis, dicentis ordinem ad Deum, vt auctorem naturæ, atque adeò operantem modo prædicto, ſed eſt merè, & in omni rigore ſecundùm purum beneplacitum diuinum ſupra omnem ordinem rerum naturalium, tàm in particulari, quàm in vniuerſali, & ita peculiari quodam modo, dicitur à ſola Dei voluntate dependere, & hæc ſoli Deo naturaliter ſunt nota. 3028 *Reſp. creatio Angeli eſt ſecundum exigentiam Vniuerſi, non verò productio luminis gloriæ.*

Hoc ergo pacto explicata, & confirmata ſufficiẽter D. Thom. doctrina, ſtatim apparet vis argumẽti eiuſdem ſupra poſiti, tàm in ordine ad voluntatem diuinam, quàm creatam; cùm enim dentur aliqui effectus, & operationes Dei ad extra, quæ ſecundùm ſuum eſſe tales ſunt, vt à pura, & ſola voluntate diuina dependeant, ſine vllo ordine, aut ſubordinatione ad cauſas naturales creatas, aut ad totam vniuerſitatem cauſarum naturalium, quibus aliquo modo debeantur, aut ad ipſummet Deum, vt auctorem naturæ, valdè congruum eſt ſequi, vt etiã quoad ſuum cognoſci ſolùm Deum naturaliter reſpiciant, à quo ſolò ſuperiori quodam modo, in ſenſu explicato dependent, quod conſequens putauit D. Th. efficaciter ſequi ab illo antecedente, ſub intellecta tacitè alia propoſitione; Quod ſicuti res ſe habet ad eſſe, ita & ad cognoſci, applicata hac vniuerſali doctrina ad rem præſentem, & pariter, cùm dentur aliquæ operationes in creatura rationali, quæ à ſola ratione dependent, cum ſubordinatione ad ſolùm Deum, ſequitur ſimiliter, quod hæ ſoli ipſi rationi operanti, & Deo notæ ſint naturaliter, cæteris autem cum dependentia ab ipſa, vel à Deo; qui D. Th. diſcurſus, licet non appareret nobis omnino demonſtratiuus, quia non tã facile penetramus vim propoſitionũ, quas D. Th. aſſumit, tamen ita efficax eſt, vt prædixi, omnes 3029 *1. Corollarium apparet ex dictis euidentia diſcurſus D. Th. cur actus voluntatis liberi, ſint ignoti.* 2030 *Ex hoc principio ſicuti res ſe habet ad eſſe, ita ad operari ſequitur doctrina D. Th.*

aliæ

aliæ aliorum rationes videri possint infimæ, imò hac virtute comprobata apparet falsitas, vel insufficientia multarum opinionum, quas fuse impugnat Suarez. & Vasquez locis citatis, nempè eorum, qui dicunt, esse quidem notas intuitiue Angelis, internas aliorum affectiones, sed solùm secundùm rationem genericam, non autem specificam, aut indiuidualem, vel certe hæc omnia esse nota, non tamen ad quem finem tendat operatio, vel an sit libera, an necessaria, & aliæ similes, cum tamen ex scripturis, & patribus, & ratione posita satis constet, ex nullo modo cognosci ab extrinseco intellectu naturaliter, nisi in signo aliquo, vt vidimus.

3031 *2. Corollarium. Non solas actiones voluntatis liberas esse ignotas, sed etiã intellectiones à libera voluntate imperatas.*

Similiter probatum restat ex dictis, non solas actiones voluntatis liberas esse ignotas, sed etiam intellectiones à libera voluntate imperatas, & alias antecedentes, quæ requiruntur ad vsum libertatis, quę erat secunda pars huius presentis disputationis, licèt Vasquez disp. 220. vt probabilem defendat eorum opinionem, qui dicunt, intellectiones etiam liberas, esse alijs Angelis naturaliter intuitiuè notas, quo ad suam substantiam, sed solùm esse ignotum à qua voluntate dependeant, & consequenter an sint liberę, nec ne. sed contraria sententia est expressa Diu. Thom. & communior, vt ostendit Suarez. loco citato; & quidem pręter loca citata D. Thom. idem habetur quæst. 3. de malo art. 4. ad 1. & ratio fundamentalis sumitur ex ijsdē locis scripturæ sacræ, ex quibus probat liberas volitiones esse ignotas, nam ibi fit etiam mentio cogitationum, vt Paralip. 28. *omnia corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogitationes* & Matt. 9. *Cum vidisset Iesus cogitationes eorum*, & similia, & idem conuincit vniuersalis ratio D. Th. nam etiam hi actus à sola voluntate dependent, vt explicatum est.

3032 *Confirmatur vniuersaliter hæc doctrina.*

Et confirmari potest vniuersaliter hęc doctrina; nam Angelus non solùm nescit liberas volitiones, quas alius habet, sed etiam nescit, quas non habet exijs, quas potest habere, hoc enim est esse penitùs ignotas alterius voluntates, & cor hominis esse inscrutabile. nisi soli Deo; si autem Angelus intuitiuè videret omnes alterius cogitationes, saltem certò sciret, quàm volitionem alius Angelus non habeat exijs, quas quantum est ex se posset habere; certò enim sciret non habere volitiones earum rerum, quas non cogitat; cum voluntas nō possit ferri in ignotum, quod esset valde derogare secreto cordis;

3033 *3. Corollarium cogitationes, quæ antecedunt vsum libertatis, sunt etiam Angelo ignota.*

Ex quibus infertur, non solùm liberas cogitationes esse Angelis ignotas, sed etiam illas, quæ antecedunt vsum libertatis, & prærequiruntur ad directionem volutatis liberæ operaturę; quamuis enim hæ non sint liberæ formaliter, tamen in illis radicatur libertas, & ita etiam ipsę ad libertatem pertinent, & sic consequenter sunt alijs ignotæ, si autem daretur aliqua cognitio simpliciter per se necessaria, ad quam sequeretur actus voluntatis simpliciter etiam, & per se necessarius, tam quoad speciem, quàm quoad exercitium actus, tunc tales actus possent esse naturaliter noti alijs, quia non pertinent ad libertatem, & procedunt à ratione, vt quædam natura est, vt supra diximus; alij verò actus per accidens hic, & nunc necessarij ex in aduertentia rationis, aut quid simile, non cognoscuntur ab alijs, nisi in aliquo signo, cum nemo possit penetrare aduertentiam, vel inaduertentiam rationis determinatè, & in particulari.

3034 *4. Corollarium. effectus immanentes, vt habitus &c. non sunt noti naturaliter Angelis.*

Ex quo etiam pariter infertur, effectus immanentes immediatos, qui naturaliter consequuntur in intellectu, & voluntate ad eorum actus, vt sunt habitus, & eorum augmentum, non esse notos naturaliter Angelis; sicuti neque ipsas operationes, nam etiam de his intrinsecis terminis dici potest, quod à sola voluntate dependeant, sicuti, & ipsæ operationes, ad quas consequuntur, alioqui si angelus naturaliter videret nunc intendi habitum iustitiæ v. g. in mea voluntate euidenter etiam agnosceret me nunc habere internum actū Iustitiæ, atque ex his alia similia colligi possunt.

DVBIVM. II.

Quomodo fiat locutio Angelorum.

HAEC doctrina, Deo Dante, infra quest. 106. radicitùs aperiemus. modo satis sit pro totali enucleatione huius articuli, nonnulla breuiter tradere, sit ergo. 3035 *Cõclusio. locutio Angelorū fit per expressionem conceptus, cum manifestatione voluntaria illius.*

Conclusio. locutio Angelorum fit per expressionem conceptus cùm manifestatione voluntaria illius, & directione ad Angelum, cui loquitur alius. Ita S. Th. in hoc articulo, quem sequitur Caiet. ibi, & multi moderni Thomistæ, Valentia disp. 8. q. 4. puncto 2. Granados hic; Auersa q. 59. sect. 3. Ripa, Nazarius, & alij docti Iuniores, & ex antiquis Capreol. in 2. dist. 11. q. 1. Gabr. in 2. d. q. q. 2. art. 8. citantur pro hac opinione D. Bonau. d. 10. art. 3. q. 1. Albertus in 2 parte tract. q. q. 35. art. 2. Henr. quodl 5. q. 15. Alexand. 2. p. q. 27. memb. 6 sed hi obscure loquuntur, & ideo vnusquisque ad suam opinionem trahit illos.

3036 *Ratio est, quia loqui nihil aliud est, quàm proferre Verbum.*

Ratio nostræ conclusionis est; quia loqui nil aliud est, quàm proferre verbum, siue sit mentis, siue oris; nam locutionis vocalis terminus est verbum locale, sicut locutionis mentalis terminus est, verbum mentale; sicut homo, cùm exterius loquitur, profert verbum vocale, siue voces significantes, & quando interius loquitur, profert verbum mentale, quæ locutio mentalis est Angelorū propria, & de qua loquimur. Igitur locutio hæc interior nil aliud est, quàm expressio conceptus Angeli. Sed quia non satis est productio verbi mētalis, vel vocalis, vt vnus dicatur cum alio loqui; nam quisecum loquitur solus, aut discurrit, non dicitur loqui altero, & ideo ad prædictam locutionem requiritur, vt loquens dirigat verbum suum ad illum, cui loqui vult.

3037 *Si aliquis sit coram multis, à quibus audiatur, & solū dirigat ad Petrum sermonē suum, solùm Petrū alloqui dicitur.*

Quare si aliquis sit coram multis, à quibus audiatur, & solùm dirigat ad Petrum sermonem suū, solum Petrum alloqui dicetur; eodem modo vnū Angelum loqui alteri præter expressionem conceptus, exaudit directionem illius ad alterum Angelum; quæ directio, cùm, non possit fieri medio signo visibili, vt inter homines, qui dum vni determinate loquuntur, illum solum respiciunt, necesse est fiat medio aliquo actu interno, qui est actus voluntatis referens ad alium suum verbum mentis, qui actus, cum sit etiam manifestatiuus ipsius conceptus veluti consensus Angeli manifestantis, & loquentis, hinc fit, quod ille ad quem dirigitur verbum, illud intelligat, & non alij, ad quos non dirigit; quia non accedit consensus ad alios, qui requiritur tamquam conditio, vt percipiantur actus liberi, vt dictum est. In quo differt à directione verbi localis; nam in verbo vocali; etiamsi directio sit tantum ad Petrum, si alta voce loquitur, cæteri astantes percipiunt verbum, quia ex necessitate naturæ producit species impressas in auribus audientium; non vero in Angelis, nisi accedat consensus loquentis.

3038 *Tria interueniunt in collocutione angelica vnū est formale, & cætera verò connotata.*

Tria igitur interueniunt in collocutione Angelica. Vnum est formale, cætera vero connotata, & concomitantia, formale est ipsum verbum, seù expressio illius, connotata sunt consensus, & directio, qui possunt esse distincti actus; nam potest velle Angelus, vt multi intueantur suum verbum, & ad vnum solum illud dirigere coram multis, vt contingit in disputationibus duorum Angelorum inter se, videntibus cæteris; nam illi duo dicuntur mutuo colloqui & non cum alijs, licet ab omnibus audiantur.

3039 *1. Corollarium collocutionem formaliter esse actum mentis, connotatiuè*

Ex quibus infero primò, collocutionem semper formaliter esse actum mentis, connotatiuè autem actum voluntatis dirrigentis; actus etiam consensus requiritur, vt conditio, vt dictum est; nam & si vnus Angelus possit alij manifestare suum actū volun-

autem, actum voluntatis.

voluntatis in se ipso, tamen tunc non dicetur propriè loqui, sed abusiuè; sicut quando ego manifestum manum alicui, quam in sinu absconderam, hoc potius est manifestare, quam loqui, & hoc modo nos dicimur loqui ad Deum per directionem actuum nostrorum ad Deum, cui illi sunt manifesti; quamuis actus directi sint volutatis, vel intellectus, & directio actus solius voluntatis, sicut dixit Regius vates per hanc effudisse in conspectu Dei suam orationem, & suam tribulationẽ ante ipsum pronunciasse, & qua ratione dicitur loqui pupilla oculi nostri, & opera manuum nostrarum facta in alterius obsequium. Propriè tamen locutio est actus solius intellectus formaliter; quia est expressio verbi, & ideò ea, quæ manifestãtur in locutione non videntur in se ipsis ex illo capite, sed in verbo exprimente, & manifestante, atque adeò abstractiuè; fit etiam, vt locutio sit actio immanẽs existens in loquente, quia est verbum illius, sicut in intellectu audientis est auditio, seù attentio ad loquentem.

3040. *2. Corollarium, quomodo angelus audiat alterum, sibi loquentem, explicatur.*

Inferò secundò, quomodò Angelus audiat alterum sibi loquentem; etenim cum constet ex præcedenti disputat. in quolibet Angelo esse species, intelligibiles innatas, quę repræsentent omnes actus intellectus alterius; ita tamen, vt necessarius sit consensus illius, vt manifestentur, eũ primum ille, qui loquitur, dirigat media sua voluntate, & consensu, suum conceptum ad alterum; illicò illi notus est, & tunc dicitur audire alterius lucutionem; & quoniam hæc directio, & consensus potest fieri ad vnum Angelum, & non ad alios, potest audire vnus, non audientibus alijs, atque adeo manifestare vni, & nõ alijs secreta cordis sui.

3041 *Petes 1.*

Petes 1. *Quo modo Angelus loquens, excitet alium ad audiendum.*

Resp. adducendo rationem dubitandi.

Resp. adducendo rationem dubitandi quæ talis est; Angelus liberè vtitur speciebus innatis; per solam autem directionem alterius loquentis non cogitur attendere; quia directio est actus immanens in voluntate loquentis existens, atque adeò nil producens in intellectu audientis, quod physicè eum moueat, & determinet ad audiendum, sed nõ apparet aliud, per quod excitetur, igitur saltim ad hãc excitationem necessaria est impressio speciei, quia per illam necessariò Angelus sentit mutationem in se factam, & percipit, vt virtualiter attendit ad speciem, quæ in ipso fit; quod saltim ad excitationem necessarium est; valde enim stupidi, vt ita dicam, essent Angeli in ordine ad moralem societatem, si nullus posset alium vocare, aut interpellare, vt ita ad audiendum illum aliqualiter commoueat.

3042. *S. Th. sententia est, quod Angelus excitatur per virtutem intelligibilem ad audiendum.*

Sanc. Doct. in art. 1. huius quæst. ad tertium respondet, quòd sicut per signum sensibile excitatur sensus ad audiendum ita per virtutem intelligibilem excitatur Angelus ad audiendum: hanc autem virtutem intelligibilem ait Caiet. nil aliud esse, quã ipsum verbum intellectus Angelici; quod eo ipso, quod ad alterum dirigatur, habet vim excitandi, seu determinandi eum, ad quem dirigitur, non immediatè aliquid efficiendo, sed media specie innata illius actus, & verbi, quòd est in Angelo loquente, & dirigente. Pro cuius explicatione.

3043 *Nota. quod quãuis vsus speciei sit liber, cognitio verò eiusdẽ speciei est necessaria.*

Aduertendum est, quòd quãuis vsus specierũ in ordine ad rẽ repræsẽtatã sit liber, attamẽ cognitio ipsius speciei, vt obiecti actu intelligibilis, per se coniuncti potentiæ, est necessaria; tùm quia sunt proprietates illis connaturales, atque adeò necessariò ab angelo cognoscuntur, sicut propria substantia, & aliæ proprietates; tùm etiam, quia aliàs nullum haberet Angelus in se principium, quo determinaretur ad cogitationem huius obiecti potiùs, quam alterius; quia cum hæc determinatio debeat peruenire à libero actu voluntatis; voluntas autem non possit ferri in incognitum, necesse est, quòd præcedat aliqua confusa cognitio necessaria obiectorum, quæ non potest haberi, nisi in speciebus, quę eo ipso, quod necessariò cognoscuntur in se tanquam obiecta intelligibilia, in illis cognoscuntur omnia obiecta, de quo inferius redibit sermo.

Sicut ergo, quando obiectum non erat existens, species non repræsentabat existentiam, nec angelus cognoscens necessariò speciem per illam cognitionem, poterat deuenire in cognitionem existentiæ, quæ non erat; at posita existentia tanquam conditione ex parte obiecti, illicò species in actu primò illam repræsentet necessariò, atque adeò necessariò cognoscit angelus in illa confusè existentiam obiecti, qua excitatus liberè vtitur illa specie ad formãdam cognitionem distinctam illius obiecti existẽtis media specie, tanquam medio quo: ita etiam posita existentia actus liberi, & consensu, & directione angeli manifestantis, seu loquentis, illa species innata, quæ solùm necessariò repræsentabat possibilitatem illius actus, repræsentat etiam existentiam necessariò ex suppositione existentiæ obiecti, & aliarum conditionũ, atq; adeò necessariò angelus videt in specie, tanquam in obiecto intelligibili verbum, & directionem loquentis, licèt confusè, & in alio; cumque ipse angelus sit attentissimus suis speciebus, & nouam repræsentationem necessariò sentiat, quam anteà non percipiebat in specie, defectu existentiæ, & consensus; necessariò per hoc excitatur ad percipiendum distinctè verbum loquentis, vtendo sua specie, vt medio quo intuitiuè percipit verbum loquentis, & abstractiuè obiectum illius verbi. — 3044 *Posita existentia ex parte obiecti, illicò species in actu primo illud repræsentat.*

3045 *Si Angelus excitatur, sit nimis attentus toti latitudini aliorum obiectorum, vt distinctè cogitet de nouo obiecto debet aliquid remittere de attentione circa alia obiecta.*

Quod si fingatur, intellectum illius angeli, cum quo alter loquitur, esse attẽtum toti latitudini aliorum obiectorum, aut tota attentione naturaliter sibi possibili, tunc angelus audiens, licèt sit excitatus cognitione nouæ repræsentationis speciei, quã non potest non sentire, quia est necessaria illa cognitio, vt dictum est; tunc non poterit distinctè cogitare de nouo obiecto, donec remittat aliquid de attentione circa alia obiecta; hæc autem excitatio ex parte loquentis poterit esse maior, & minor eliciendo verbum, magis, & magis intensum, & dirigendo illud maiori conatu, & efficacitate ad illũ, cui loquitur, quia cum id ipsum repræsentet species innata naturaliter, necessariò hoc cognoscit angelus audiens in specie, atque adeò magis, ac magis excitabitur ad remittendum attentionem circa alia obiecta, vt attendat angelo loquenti: vt inter homines cum loquens vocem extollit, iuuat, vt alter audiat, quod aliàs non audiret, eo quod intentus esset aliarum rerum cognitioni.

3046 *Petes 2.*

Petes 2. *An Angelus alteri loquens necessariò ab altero audiatur.*

Resp. adducendo rationes dubitandi.

Respond. Ex dictis manere solutum hoc dubium, scil. *An Angelus alteri loquens, necessariò ab altero audiatur.* affirmat Alex. supra membro 7. circa obiecta naturalia non posse angelum non attendere, quę loquitur alter; secus verò circa supernaturalia.

3047 *Aliorũ opiniones referantur.*

Alij tenent contrarium. Primò, quia potest vnus homo casu, aut consilio non attendere sermonibus alterius, cur ergo id denegabitur angelo longè sapientiori, & potentiori? secundò, quia intellectus angeli limitatus est, ac proinde non potest simul attendere omnibus obiectis, etiam illis, quorum cognitio est illi naturaliter debita, igitur si ponamus eum attendere collectioni rerum, cui soli simul attendere potest, non audiet locutionem alterius; ad id enim necessarium est attendere nouo obiecto. Tertiò; quia potest consilio, seù ex professo vnus Angelus tam intensè velle cogitare aliquid, vt non possit aliud simul percipere, quod etiã hominibus interdum accidit, nam cum intenti sumus valde considerationi alicuius rei, non percipimus voces loquentis.

3048 *Vera sententia si loquamur de cognitioné*

Dicendum est tamen iuxta doctrinam nuper à nobis traditam, quòd si loquamur de excitatione, & notitia nouæ repræsentationis speciei, atque

aliqualiter cõfusæ, necesse est vt audiens percipiat loquentẽ

atque adeò notitiæ confusæ obiecti repræsentati in specie tamquam in obiecto intelligibili, sic necessarium est, vt audiens percipiat Angelũ loquentem; quia, vt diximus, illa notitia necessaria est in Angelo, neque potest in eo non esse, quia si deficit virtus ad attendẽdũ ad plura, potiùs deficit libera attentio, quàm necessaria: & in hoc sensu vera est sententia Alexandri, nulla limitatione adhibita in obiecto naturali, & supernaturali; quia eadem est in omnibus est ratio, at verò si loquamur de vsu speciei, vt medij quo ad distinctam notitiam rei repræsentatis habendam, sic vera est secunda opinio propter ibi dicta.

3049 Petes 3. *An maiori efficacitate, & intentione vocis possit vnus Angelus alterum cogere, etiam inuitum, vt illius verbis attendat.*

Resp. si loquamur de cognitione distincta directè nec inferiores possunt cogere superiores, nec è contra.

Respondent aliqui, id esse verum, si Angelus, cui loquitur, sit imperfectior; secùs verò si sit perfectior. Sed iuxta dicta facilis est huius dubij solutio: nam vel loquimur de cognitione necessaria nouæ repræsentationis speciei, tanquam obiecti intelligibilis: Et sic tam in superioribus, quàm in inferioribus est necessaria illa propensio; aliàs non haberet Angelus, vnde determinaretur ad liberam attentionem Angeli loquentis; Cum illa libera attentio, & applicatio supponat aliquam notitiam saltim confusam illius obiecti, vt dictum est; at vero si loquamur de cognitione distincta, & attentione obiecti media specie, vt medio *quo*, sic nec inferiores possunt physice cogere superiores directe, neque e contra, quia in omnibus Angelis est liber hoc modo vsus specierum: libertas autem, seù voluntas Angeli à nullo alio agente extrinseco prçter Deum cogi, seù necessitari potest, vt melius loquamur.

3050 Dixi physicè, nam moraliter probabile est, posse necessitari; nam tanta potest esse maior, & maior intensio verbi loquentis, & illius conatus, vt obliget moraliter audientem, vt attendat, quod præstare possunt etiam inferiores respectu superiorum; sed multo magis superiores respectu inferiorum, quia prçstantius & excellentius verbum efficere possunt, & maiori conatu dirigere.

Moraliter probabile est posse necessitari.

Dixi etiam directe; nam indirectè benè posset Angelus superior cogere inferiorem, vt sibi attendat v. g. si volens Angelus inferior loco moueri, Angelus superior eum retineat, nec moueri sinat, donec attendat, sicut Iacob, coegit Angelum luctantem secum in corpore assumpto, vt sibi benedictionem daret, aliter eum non dimissurus, *non dimittam te nisi benedixeris mihi Gen. 32.*

Indirectè benè potest superior cogere inferiorem.

3051 Petes 4. *An Angelus possit altero loqui in quacumque distantia, & ad plures, & simul plures audire.*

Resp. affirm. Quia ad locutionem non est necessaria actio transiens, & Angelus est sufficienter cõstitutus per speciẽ in actu primo.

Respondeo affirmatiuè; quia, cùm ad locutionẽ non sit necessaria aliqua transiens actio impressa in audiente, & aliunde Angelus audiens intelligatur perfectè constitutus in actu primo per speciem intelligibilem innatam verbi Angeli loquentis, nulla distantia potest impedire, quin Angelus audiat alium. Probatur, quia seclusa efficientia, tantùm superest terminatio extrinseca, quç non fit per realem attingentiam (vt sic dicam) ad obiectum, sed solùm per habitudinem transcendentalem actus ad obiectum, ex qua resultat sola denominatio extrinseca, quæ à distantia non pendet. Et Confirmatur in cognitione abstractiua, vbi non solùm non est necessaria propinquitas obiecti, imò neque existentia.

3052 Ad secundùm. Respondeo, quòd si Angelus dirigat verbum suum ad talem, vel talem personam, necessario ex hoc capite habet terminum in multitudine eorum, ad quos potest directè dirigere, quia non potest Angelus distinctè cogitare de pluribus alijs in quacumque multitudine: si autem non dirigat verbum suum ad tales personas determinatè, sed ad omnes, sicut cum inter homines aliquis loquitur toti populo, sic non est necessaria distincta hæc cogitatio, sed sufficit confusa ordinatio ad aliquam multitudinem Angelorum.

Si Angelus loquitur ad plures, tum non est necessaria distincta cogitatio audientiũ.

Ad tertium. Respondeo, si contingat multos Angelos simul vni loqui, & intellectus audientis non sit ita intentus alijs rebus, vt eius capacitas extendatur ad omnes loquentes, omnes simul audiet, licet singulos minus attentè, quam si soli loquerentur; quòd si præ nimia attentione aliarum rerum non possit illos audire, illi, qui fuerint potentiores, directè moraliter necessitabunt illum, vel indirectè, sistendo, vel mouendo illum à loco, vel alio modo, vt dictum est.

Quid si cõtingat, multos loqui simul.

Petes 5. *An de internis tantùm actibus fiat locutio, & quo modo audiens discernat loquentem?* 3053

Petes 5.

Ad Primum Respondeo, Angelum loqui de his actibus internis, & etiam de alijs rebus, non solũ speculatiuè, sed practicè. Primum est per se notum; quia locutio Angelica præcipuè ordinatur ad manifestandum alteri, quod erat ei ignotum; hæ autem sunt cogitationes cordis, igitur de illis præcipuè est locutio. Secundùm probatur, quia potest Angelus loqui de quocumque præterito, quòd contingenter aduenit; non fuit tamen ab Angelo actu consideratum. Possunt etiam loqui de futuris contingentibus, priusquam eueniant, quia licèt à nullo Angelorum certo sciantur, possunt tamen cognosci per coniecturam, & potest vnus Angelus plures coniecturas alicuius futuri cognoscere, quã alius; poterit igitur de tali futuro vnus ad alium loqui. Item potest aliquis Angelus scire, aliquid esse facturum in suo proposito, ergo hoc ipsum potest alteri manifestare. Potest etiam Angelus loqui de rebus alioqui sibi notis, sicut homines sepius loquuntur de rebus à se visis, & notis, quod etiã manifestum est in locutione practica, quando vnus Angelus alterum rogat, petit, aut iubet, vt aliquid faciat.

Resp. ad 1. Angelum loqui de his actibus internis, & etiã de alijs rebus, non solùm speculatiuè, sed etiã practicè.

Vnde fit, vt angelus loquens manifestet verbum suum internum, de quo loquitur intuitiuè, & in se ipso; res autem abstractiuè tantum, quatenus in tali actu cognosci possunt, licèt ex alio capite possint intuitiuè cognosci, si habeat proprias species illius obiecti. Ratio primi est, quia cùm locutio angelorum non fiat per signa ad placitum, sicut humana, sed per verbum mentale, cuius species propria est intellectu audientis, implicat, cognitionem illius verbi in audiente, non esse intuitiuam, quia est cognitio rei existentis per propriam speciem. Ratio secundi est, quia cognitio, quæ habetur per medium cognitum, est abstractiua, talis est cognitio, rerum, de quibus loquimur, quia cognoscuntur in verbo locutionis intuitiuæ, cognito per intellectũ audientis. 3054

Angelus, dum loquitur manifestat Verbum suum, intuitiuè; res verò alias, abstractiuè.

Ad secundum, respondeo, quòd duobus modis inter homines contingit, audientem discernere loquentem. Primo modo visu, secundo modo auditu, vt quando solo auditu percipiens vocem, ex priori experientia mente iudico, aliam vocem esse Francisci. cùm in angelis autem non detur hæc diuersitas potentiarum, neque aliqua impressio speciei, vt dictum est, sequitur, intellectu ipso intuitiuè cognosci ab euidente angelum loquentem, atq; adeo intuitiuè discerni, quia dum vnus angelus loquitur, alter videt intuitiuè actum loquẽtis manifestatum, ergo videt subiectum, in quo est, atque adeò angelum illum esse, qui loquitur: item, quia euidenter scit angelus, nullum alium posse actum occultum cordis manifestare, prçter illum, cuius actus per locutionem manifestatur. 3055

Ad 2. Resp. duobus modis inter homines contingere, audientem discernere loquentẽ

Petes 6. *An Angelus possit mentiri Angelo, cui loquitur, vbi de fide angelica.* 3056

Petes 6.

Resp. In hoc certum esse angelos sanctos, nec alteri angelo, nec homini mentiri posse, sicut neque peccare, queritur ergo de angelo malo, vel de angelo in pura natura, vel in statu viæ, & quidem posse mentiri homini, nullus dubitat; quia cum loquatur illi formando voces externas, aut immutando phantasiam, potest ea signa, & voces formare, quæ significant in mente esse conceptum, qui vere non est. Difficultas est in locutione omnino spirituali. 3057

Resp. explicãdo sensum difficultatis.

Vnde

Opinio Granadi refertur, negantis Angelum poſſe mentiri.

Negat Granados. Cuius fundamentum eſt, quia mentiri eſt contra mentem ire, ac proinde declarare alteri, ſe iudicare verum id, quòd non iudicat, ſed aliunde Angelus non loquitur alteri Angelo niſi dirigendo ſuum conceptum, ac volendo, vt illum alter intelligat, ergo non poteſt vnus alteri manifeſtare, ſe conceptum habere, quem non habet. Ex quo infert, non poſſe vnum Angelum ab alio decipi, ita vt vnus dicat alteri id, quod reputat, eſſe falſum; quia hoc non poteſt Angelus dicere niſi medijs conceptibus internis, his autem non poteſt affirmare id, quòd reputat, eſſe falſum; cum nec nos id poſſimus mente affirmare, eo quòd obiectum iudicij mentalis ſit verum, ſaltim exiſtimatum tale; cùm ergo, vt Angelus alium decipiat, ſit manifeſtaturus ſuum internum conceptum, numquam poterit illi proponere conceptum, quo iudicet verum id, quod videt falſum: ac proinde nunquam poterit illum decipere.

3058 *Vera ſententia eſt, Angelum poſſe alteri mentiri, & illum decipere.*

Dicendum eſt tamen, vnum Angelum poſſe mentiri alteri, & illum decipere. Ità communiter recentiores, inter quos eſt Auerſa *qu. 59. ſect. 3.* Probatur, & declaratur; quia ſi locutio ſpectetur reſpectu illius actus, quem Angelus manifeſtat, & audiens intuitiue videt, ſic non poteſt habere locum mendacium, nec fides Angelica; vt eſt per ſe notum, quia illa auditio eſt viſio intuitiua, in qua nec mendacium, nec fides locum habere poſſunt, ex vi illius medij: vnde talis actus neceſſario inducit ſcientiam, & experientiam euidentem, quæ repugnat cum mendacio, & fide Angelica ex vi illius medij. An poſſint eſſe ſimul, fides, & ſcientia? alterius loci eſt; at vero quatenus locutio eſt de re manifeſtata non in ſe, ſed in alio, vt in cognitione de actu præterito, vel futuro, vel ſimilibus, tunc talis cognitio poteſt habere rationem fidei Angelicæ, quia per illam cognitionem non videtur res euidenter in ſe, ſed tantum in dicto, & cognitione alterius.

3059 Declaratur, & probatur hæc concluſio.

3060 *Confirmatur eadem concluſio, & ſimul ſatisfit fundamento oppoſitæ ſententiæ Granadi.*

Et pari ratione poteſt eſſe mendacium, quia poſſibilis eſt conceptus manifeſtatiuus, non quo angelus iudicet apud ſe, verum eſſe, quod non eſt verum; nam hoc conuincit argumentum contrariæ ſententiæ, ſed quo affirmat tanquam verum, ſe aliquid ſtatuiſſe, vel decreuiſſe, quòd re vera non decreuit; proponit autem in illo iudicio, quod manifeſtat, vt decipiat, in quo conceptu angelus audiens manifeſte videt hoc ſibi tanquã verum proponi ab alio loquente, ignorat tamen, an per alium conceptum Dæmon loquens ſciat, hoc eſſe falſum. Et per hoc patet ad fundamentum contrariæ ſententiæ. Et ad illud, quod additur, ſcilicet non poſſe actu interno Dæmonem affirmare id, quòd reputat, eſſe falſum, diſtinguendum eſt, vel de iudicio, quo Dæmon ſtatuit, & iudicat apud ſe, & ſic verum eſt; vel de iudicio, quo affirmat alteri, & proponit, vt eum decipiat, & ſic falſum eſt, quod non poſſit affirmare, quod verum non eſt, tunc autem obiectum illius actus eſt falſum ſub ſpecie veri; quòd ſufficit ad actum intellectus, ſicut malum ſub ſpecie boni poteſt eſſe obiectum voluntatis etiam cognitum, vt malum: ſiquidem etiam ipſum mendaciũ, & falſum habet ſuam veritatem tranſcendentalem quatenus poteſt terminare veram ſui cognitionem, proponitur autem falſum in illo actu ſub ſpecie veri, vt audiens decipiatur.

3061 *Petes 7.*

Petes 7. *De locutione inter homines, & Angelos, & Deum.*

Reſp. poſſe homines loqui Angelis per ſigna ſenſibilia.

Reſpond. Circa primum, poſſe homines loqui angelis per ſigna ſenſibilia, vt per voces, ſcripturas, &c. Nam hæc ſigna vident angeli, per ſpecies innatas, & ſignificationem illorum cognitam habent per ſuam ſcientiam: cùm autem hæc ſint externa, & non ſub pleno Dominio voluntatis, non poteſt per illa homo vni angelo loqui, quin omnes poſſint intelligere, ſi velint. Poſſunt etiam loqui homines ad Angelos purè mentaliter ſine vlla ſenſibili ſignificatione poſito conſenſu voluntatis, & eius directione ad angelũ, quia nil aliud requiritur, cùm angelus habeat ſpecies innatas internorum actuum cordis humani, & excitabitur angelus ad hanc cognitionem eodem modo, quo de locutione angelorum inter ſe diximus.

Poſſunt etiam loqui homines ad Angelos, purè mentaliter.

3062 *Angeli ad homines non poſſunt loqui, purè mentaliter, ſed per voces in aere efformatas.*

Angeli verò non poſſunt loqui ad homines, niſi vel per imitationem locutionis humanę, vt faciunt in corporibus aſſumptis; vel voces ſenſibiles in aere formando, vel interna phantaſmata excitando: locutione verò purè mentali non poteſt Angelus loqui cum homine, quia in homine non ſunt ſpecies innatæ infuſæ à Deo, nec illas poteſt recipere ab Angelis; tùm propter rationes ſæpiùs dictas; tùm etiam quia anima coniuncta corpori non eſt capax ſpecierum repræſentantium ſine vllo ordine ad phantaſmata, & ſi ſemel darentur, poſſet vti illis, quòd nunquam accidit: cùm anima vero ſeparata poteſt Angelus loqui modo Angelico, quia illi imprimit Deus ſpecies innatas proportionatas capacitati ſuæ, ſtatim ac ſeparatur, vt ſupponimus.

3063 *Homines, & Angeli poſſint loqui, & ſolere Deo, purè mentaliter.*

Circa ſecundùm, dicendum eſt, homines, & Angelos mentaliter loqui poſſe, & ſolere Deo; non quia illi manifeſtent ſuos conceptus, cùm omnia nuda, & aperta ſint oculis eius, ſed quia ad illum dirigunt ſuos conceptus, ſiuè petendo aliquid à Deo, ſiuè laudando illum, quæ directio poteſt etiam cadere ſuper actus voluntatis dirigendo illos in Deum; & tunc etiam dicimur loqui, ſed abuſiuè, vt dictum eſt, quia locutio eſt propriè actus intellectus, & per illam producitur verbum mentale; vocaliter etiam ſolet homo loqui Deo, & poteſt Angelus in corpore aſſumpto.

3064 *Deum loqui Angelis, non aliter explicari poſſe, quàm per productionẽ conceptuum in mente Angeli.*

Circa tertium, dicendum eſt, Deum loqui Angelis, non aliter explicari poſſe, quàm per productionem cõceptuum in mente Angeli à Deo factam (ipſo intellectu Angeli inſtrumentaliter concurrente, quia eſt actus vitalis, & requirit influxum potentiæ vitalis) vt notificet illi voluntatem ſuam, quia ſpeciem ſuam, vel ſuæ voluntatis diuinæ imprimere non poteſt, cum nulla ſit poſſibilis etiam abſtractiua, vt in ſuperioribus dictum eſt: & eodem modo poteſt loqui mentaliter ad homines, & vocaliter per voces ſenſibiles in aere formatas, vel per immutationem phantaſmatum.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Angeli cognoſcant myſteria gratiæ.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

PRima Concluſio. Angeli non cognoſcunt myſteria gratiæ cognitione naturali, Prob. Ea, quæ pendent ex pura Dei voluntate, non poſſunt ab Angelo naturali notitia, cognoſci: Sed myſteria gratię dependent ex mera Dei voluntate. ergo. 2. Concl. Angeli cognoſcunt aliqua myſteria gratiæ cognitione ſupernaturali. Prob. per Apoſtolum 1. Cor. 2. dicentem: *Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum.* 3. Concl. Angeli ſuperiores plura myſteria cognoſcunt, quàm inferiores. Quia perſpicaciùs diuinam ſapientiam contemplantur. 4. Concl. Horum myſteriorum, quædam cognouerunt Angeli à principio ſuę durationis; quædam verò poſtmodùm, ſecundùm quòd eorum officijs congruit, cognoſcuntur.

Arg. 1. Angeli cognouerunt myſterium Incarnationis, ex Aug. 5. *ſuper Geneſ. ad literam*,

teram. ergo multò magis cœtera, quia inter cęteria mysterium Incarnationis fuit excellentius. Resp. Ant. esse verum loquēdo de mysterio Incarnationis in genere. Si verò loquamur, quò ad particulares conditiones, non omnes Angeli à principio de omnibus sunt edocti.

Arg. 2. Rationes omnium mysteriorum gratię in diuina sapientia continentur. Sed Angeli vident ipsam diuinam sapientiam; quę est ipsamet Dei essentia. ergo. Resp. dist. min. vident comprehensiuè, nego; vident intuitiuè, conced. & neg. conseq. nam qui vident diuinam essentiam comprehensiuè, vident mysteria gratiæ.

Arg. 3. Prophetę cognouerunt mysteria gratiæ ex Amos 3. ergo Angeli eadem mysteria cognouerunt, quia prophetę per Angelos instruuntur. Resp. Angelos cognouisse excellentiùs, quæ cognouerunt Prophetæ: Sed Prophetæ non cognouerunt mysterium incarnationis, nisi in generali, sicut & alia mysteria.

DISPVTATIO CCLXXXX.

An possit Angelus naturaliter cognoscere mysteria Supernaturalia.

HAEC difficultas generalis est, & in multis Theologiæ locis explicatur, & ideò illā, ob breuitate transcurremus, solùm hęc necessaria attingendo.

3065 1. Conclusio. Nihil, quod absolutè, & simpliciter est supernaturale, posse naturaliter, certò, & euidenter ab Angelo cognosci.

Dicendum est igitur, nihil, quod absolutè, & simpliciter sit supernaturale, posse naturaliter certò, & euidenter ab Angelo cognosci. Ita S. Thom. in hoc art. consentiunt Caietanus, Zumel, Molina, Bannez, Vasquez, & alij Thomistæ in hoc art. *Valen.* qu. 8. *Granados, & communiter recentiores, & ex antiquis Alex.* 2. p qu. 26 memb 1. *Durand* in 2 d 3. qu. 7. nu 19 & qu. 8. nu. 6. & in dist. 10 qu. 4, nu. 6. *Probatur hæc conclusio primò authoritate Patrum, qui Agentes in speciali de mysterijs supernaturalibus, affirmant, à nullo intellectu creato percipi posse, vt de mysterio Trinitatis diximus* qu. 33. *nec negat Scotus; de Incarnatione multa in 3. parte proferemus, & de mysterio Euchariſtię, &c. eadem ratio est de alijs effectibus omninò supernaturalibus.*

3066 Prob. quia effectus simpliciter supernaturales, omninò dependent à libera Dei voluntate.

Ratio S. Thom. est; quia effectus supernaturales simpliciter omninò dependent à libera voluntate Dei, igitur non possunt esse Angelo cogniti, nisi Deus reuelauerit: quę ratio videtur aliquibus esse efficax respectu futurorum, antequam facta sint, quia eadem est ratio de alijs futuris contingentibus; at verò loquendo de effectibus iam existentibus videtur difficilis, vt autumant Vasquez disp. 214 cap. 3 & Suarez cit. loco; quia multa fiunt, quæ ex sola Dei voluntate dependent, & nihilominus naturaliter ab Angelo cognoscuntur, vt substantia Angeli, creatio cælorum, elementorum, &c.

3067 Loquitur D. Th. de effectibus, quatenus omnino dependent à libera Dei voluntate.

Sed ratio D. Thom benè intellecta vtrumque probat etiam de effectibus supernaturalibus existentibus; quia non agit S. Thom. de his, quatenus quomodocumque dependent à libera voluntate Dei, sed quatenus omninò dependent; sic enim ipse loquitur, in quo supponit, non esse in Angelo vllam speciem intelligibilem repræsentantem effectus supernaturalis, nec naturalem capacitatem, qua postulet illam, nec vllum naturale principium, cum quo habeat necessariam connexionem, vt inde hauriat cognitionem: hoc significat illud verbum omninò depēdent: *nec enim latuit sanctissimum Præceptorem illa instantia, quæ cuicumque mediocris ingenij se se offert, ideò dixit, supernaturales omninò pendere à voluntate Dei, quia nullum est in natura principium, nec medium cum quo eius supernaturale habeat connexionem, vnde possit cognitionem haurire.*

3068 Angelus non habet naturale principiū nec actiuum, nec passiuum, à quo determinari possit ad cognoscenda obiecta supernaturalia.

Vis igitur argumenti in hoc posita est, quòd quia Angelus nō habet naturale principium, nec actiuum, nec passiuum, à quo determinari possit ad cognoscenda obiecta supernaturalia; quia species illorum non sunt illi debitę, cùm sint supra naturam, sicut debentur species Angelorum, & aliarum rerum naturalium, nec illam potest accipere ab obiecto supernaturali, quia Angelus non accipit species ab obiectis, vt in superioribus probauimus, nec à Deo authore naturæ infusam; quia Deus, vt auctor naturæ non producit effectum supernaturalē: rursus cùm tota Angeli natura, & intellectus sint entia naturalia, non habent necessariam connexionem cùm aliquo absolutè supernaturali; igitur nil habet, à quo determinetur ad cognitionem horum obiectorum, in quo differt ab alijs effectibus naturalibus, qui licèt producantur à libera voluntate Dei est tamen Angelis debita species, à qua repræsentantur eo ipso, quòd fiant, & ideò cognosci possunt naturaliter: supernaturalia ita pendent à libera voluntate Dei, vt nil sit debitum naturaliter Angelo, à quo ad illorum cognitionem determinetur: ad quòd confirmandum in corpore articuli vsurpat exemplum de cogitationibus cordis formans argumentum à maiori ad minus; nam, quia hæ actiones subsunt pleno dominio libertatis nostræ, non possunt naturaliter cognosci ab alio sine nostro cōsensu, quamuis sint in se entia naturalia, & illarum species Angeli habeant; quantò magis erunt incognita entia supernaturalia, quę ita subduntur diuinæ libertati, vt nullum sit principium in Angelo, quòd ad illorum cognitionem determinet intellectum creatum.

Dico secundò, modi essendi supernaturales in illo gradu supernaturalitatis, & entitatis, quem habent, non possunt ab Angelo quidditatiuè cognosci, nec postquam facti sunt, intuitiuè videri, ita authores citati in prima conclusione cum D. Thom & probatur eadem ratione, quæ hic eodem modo vrget non solum de possibili, sed de facto. 2. Conclusio.

Dico tertiò, Angelus, nulla supposita reuelatione, neque probabiliter iudicaret, possibilia esse pręcipuè mysteria nostrę fidei, vt Trinitatem, Incarnationem, &c. Sed si deueniret in eam cognitionem, tantum iudicaret esse probabiles rationes dubitandi pro vtraque parte; quàm verò iudicaret probabiliorem incertum est, quia pro vtraque parte inueniret Angelus rationes, quę nobis non occurrunt. 3. Conclusio.

3069 1 Corollariū. cognitio naturalis de mysterijs fidei, per fidem humanam, est valde improportionata.

Hinc colligo, quòd cognitio naturalis, quę habetur de mysterijs fidei per fidem humanam, non solùm fit per alienas species, & conceptus connotatiuos, sed etiam est valde improportionata, & imperfecta, & ideò maior proportio, & eleuatio potentię requiritur ad cognitionem intuitiuam; vnde ignoraret Angelus etiam habens habitum fidei, & charitatis, an illi actus essent supernaturales; sicut nos ignoramus actus, quibus credimus, & amamus an sint naturales, vel supernaturales? & Angelus cognoscens se, & suos actus naturales intuitiuè, non videns suos actus supernaturales, non ideò sciet esse supernaturales, sed dubitabit, an sibi occultentur à Deo? poterit tamen per coniecturas cognoscere, quòd satis est, vt Deo gratiæ referantur, sicut contingit in nobis.

3070 2. Corollariū. entia supernaturalia tantū, quo ad modum, cognosci ab Angelo naturali lumine.

Colligo secundò, illa entia, quæ absolutè sunt naturalia, licèt modus producendi sit supernaturalis, rectè cognosci ab Angelo naturali lumine, vt supra dictum est v. g. vita Lazari post resurrectionem, vbi non solùm cognosceret illam, sed etiam cùm certò sciat suscitationem esse supra ordinem naturę; quomodo cognosceret idem corpus extensum positum in duobus locis: ex quo inferret euidenter, illud supernaturaliter esse factum, & si videret duas qualitates summè intensas in eodem subiecto, & sic in alijs. Et si petat aliquis, per quam speciem intelligibilem cognoscat Angelus hæc obiecta? Respondeo per ipsosmet species, quibus horum obiectorum naturas cognoscit, cognosci has productiones, addēdo simul aliud principium, scilicet Dei potentiam esse infinitam, & ei non posse denegari, quicquid nō implicat contradictionem.

3071 Ratio est, quia

Ratio huius à priori est; quia modus supernatu-

ralis

modus supernaturalis horum entium non est supernaturalis intrinsecè.

ralis horum effectuum nō est supernaturalis intrinsecè, & in propria entitate, sed solum extrinsecè, & secundum quandam habitudinem, ad aliar causas naturales, à quibus non potest produci; & hoc sufficit, vt lateat Angelum; nam de creatis eum latoret, & aa naturalia, quæ à solo Deo fieri possunt; nostra autē sententia intelligenda est solùm de entibus supernaturalibus absolutè, & in se, siuè sint res, vt gratia, visio Beatifica, &c. siuè sint modi, vt vnio hypostatica, Vbi CHRISTI Domini in Eucharistia, & similes. Intelligenda est etiam de cognitione quidditatiua certa, & euidenti; nam per coniecturam probabilem non est inconueniens, vt Angelus naturaliter coniecturare possit, aliquid supernaturale esse possibile; vt si ex eo, quod scit Deum esse omnipotentem, & non videns in aliquo opere repugnantiam, coniectet, illud opus esse diuina virtute possibile. verbi gratia in exemplo allato de suis actibus supernaturalibus, quos non vident intuitiuè, sicut videt suam substantiam, & alios actus naturales, potest coniecturare ex diuina omnipotentia, & non repugnātia, ideò sibi occultari, quia sunt supernaturales, sed nil certi apud se latust sine diuina reuelatione.

3072 3. Corrolariū. potuisse naturaliter Dæmonem, scire cōceptionem Christi Domini.

Collige tertiò. potuisse naturaliter Dæmonem scire conceptionem Christi Domini fuisse sine virili semine; ac proinde ibi fuisse specialem concursum Dei supra vires naturæ. Quod si Hieron. in 1. caput Matth. refert, Sanc. Ignatium Mart. dixisse, oportuisse Christum Dominum concipi in vtero Virginis desponsatæ. Vt partus eius celaretur Diabolo, dum non credit de Virgine generatum; *non credendum est, significare, id non potuisse sciri à Dæmone, cum congressus virilis, & claustrum Virginis sint quidpiam externum; & naturale; sed solùm fuisse maiorem congruitatem in eo, quod Virgo esset desponsata, vt Deus præter naturæ ordinem occultaret Dæmoni hoc mysterium; Sic enim poterat Dæmon suspicari ibi fuisse congressum virilem sibi diuinitùs occultatum, & postea resarcitam esse ruptionem claustri, nam si diuinitùs non celaretur, illi procul dubio notum fuisset.*

3073 4. Corrollariū. Supposita reuelatione sacræ scripturæ &c. poterat Dæmon certò cognoscere in attestātē Christi diuinitatē.

Collige quartò, supposita reuelatione sacræ scripturæ, & prophetarum, & miraculis Christi Domini, factis in confirmationem suæ diuinitatis, poterat Dæmon certò cognoscere Christi diuinitatem euidentia non rei in se, sed in attestante, licèt impedita fuerit speciali prouidentia diuina, donec descendit ad inferos Christus Dominus, & resurrexit, & Apostoli id attestati sunt, ne impediret mortem, & passionem Domini, suadens Iudæis ne illam ei inferrent, vt sæpius docent SS. PP. licèt autem incertum sit tempus; in quo certò cognouit, an in gestis in morte, vel post mortem eius, & resurrectionem; hoc vnum certum est, vehementem suspicionem habuisse; quia Dæmon cognoscebat, illa esse miracula excedentia vim causarum naturalium: & rursus Deum in confirmationem mendacij non posse miracula facere, quod confirmat id, quod operatus fuit cum vxore Pilati, nolle immutans eius phantasiam, vt passionem Domini impediret, timens sibi damnum ex ea inferendum.

3074 Opposita sententia suis Authoribus stipata, refertur.

Contra hanc doctrinam opinantur Scotus in 4. d. 10. q. 8. concl 2. *qui existimat, mysteria gratiæ, & virtutes infusas, postquam facta sunt naturaliter videri intuitiuè ab Angelo. Sequitur Bassol. qui idem dixit de modo existendi Christi Domini in Eucharis.* ibi q. 4 a. 3 &c. *Tartaretus* in 4. ad 10., *qui idem docuit de omnibus mysterijs gratiæ in omnibus Sacramentis, & eorum effectibus quoad gratiæ collationem. Aureol* in 2. d. 9 qui ait *Angelum posse videre visionem Beatificam ex puris naturalibus, & si quæ sunt alij. Hi autem authores ita de cognitione istarum rerum loquuntur quia existimant, nullam qualitatem esse in sua entitate supernaturalem. Iam Scotus, cuius sententiam præcipuè circa visionem claram Dei impugnauimus* tom 1. q. 12 a. 1. & 4; *vbi probauimus, visionem Beatificam non posse demonstrari euidenter positiuè esse possibilem idest euidenter cognoscendo veritatem antecedentis, & vim illationis benè tamen negatiuè, idest euidenter ostendendo nullam rationem euidentem implicationis in contrarium adduci. Videantur ibi dicta. Sed quoniam aliqua sunt specialia argumenta in fauorem Scoti contra hanc nostram sententiam, quæ ibi non adduximus, libet ea in medium propalare.*

Primum argumentum, diuersitas agentis non reddit difficiliorem cognitionem effectus, sed inter ens naturale, & ens supernaturale nullum aliud discrimē est, quàm quòd illud fiat ab agente naturali, hoc verò à supernaturali; sicut homo naturaliter generatur, & supernaturaliter à mortuis suscitatur, igitur connaturaliter cognosci poterit ens supernaturale. 1. Obiectio.

3075 Resp. Entia supernaturalia, simpliciter, nullo modo possunt naturaliter cognosci, nec post quam facta sunt.

Respondeo negando minorem, vt latiùs ostenditur in materia de gratia: nam aliqua sunt entia ab intrinseco supernaturalia, vt gratia, visio Beatifica, vnio hypostatica, & hæc non possunt naturaliter cognosci etiam postquam facta sunt: quando autem sunt entia naturalia, licèt supernaturaliter facta, vt in illo exemplo, benè possunt naturaliter cognosci, vt dictum est in secundo consectario disputat. præcedentis; vnde consequenter negamus inter ens naturale, & supernaturale nullum aliud esse discrimen, nisi quia vnum ab Agente naturali, alterum à supernaturali producatur, quia licèt hoc discrimen, quando est adæquatum, inferat diuersitatem essentialem, vt si effectus talis sit, qui à nulla causa corporea naturaliter fieri potest, benè infertur talem effectum non esse corporalem, sed spiritualem, vel ab esse corpori connaturalem, ita consideratum effectum, qui à nullo agente naturali potest naturaliter produci, secundum se non esse naturalem; tamen propria differentia, & formalis sumitur ab intrinseca differentia entis supernaturalis, quod est essentialiter supra totum ordinē naturæ creatæ, & creabilis, & ideo dicitur obiectum improportionatum, idest non debitum naturæ, licèt in se sit intelligibile, vt patet in mysterio Trinitatis.

Secundum argumentum, quia ens naturale solet esse perfectius supernaturali v. g. substantia Angeli, quàm accidens supernaturale, sed illa substantia naturaliter cognoscitur, igitur, & accidens. 2 Obiectio.

3076 Resp. aliquid imperfectius altero, posse pertinere ad ordinem superiorem.

Respondeo in primis non esse certum, simpliciter gratiam non esse perfectiorem substantia angeli ratione sua differentiæ, licèt in ratione communi substātiæ, & accidentis substantia excedat: Sed demus gratis antecedēs; negamus consequentiā, quia aliquid imperfectius altero potest pertinere ad ordinem superiorē, qui ideò non possit ab aliqua potentia attingi; nam actio est imperfectior colore, quem producit, & conseruat, & tamen oculus videt colorem, & non actionem; & nos videmus hominem, & non videmus accidentia spiritualia, etiam naturalia.

3077 3. Obiectio.

Tertium Argumentum. Angelus naturaliter cognoscit, in qualibet creatura esse potentiam obedientialem, qua eleuari possit à Deo ad omnia, quæ non inuoluunt contradictionem; sed hæc est supernaturalis, ergo; & Confirmatur, quia naturaliter cognoscit Angelus constitui à Deo accidens sine subiecto, duo contraria in vno subiecto, & similia:

Resp. potentiam obedientialen non cognosci ab Angelo, quia est formaliter supernaturalis.

Respondeo, potentiam obedientialem esse formaliter supernaturalem, & identificatam cum entitate naturali, in qua est, vt dixi tom. q. 1. 12. a. 1. *per illam autem solùm cognoscit angelus effectus naturales supernaturaliter producibiles, non verò effectus simpliciter supernaturales, quos nullo modo certò, & euidenter cognoscit, esse probabiles positiuè, vt dictum est, & per hoc patet ad confirmationem.*

4. Obiectio. Confirm.

Quartum Argumētum, Humanitas Christi Domini naturaliter cognoscitur ab Angelo, ergo, & modus, qui illā comitatur in Eucharistia. Et confirmatur, quia naturaliter videt Dæmon, humanitatem Christi esse sine propria subsistentia, ergo videt illam subsistere in verbo, quia humanitas non poterat non esse subsistens, ergo, vel propria, vel diuina subsistentia!

3070 Resp Angelorum nō intueri humanitatē Christi Domini, vt existentem in Eucharistia.

Respondeo distinguendo antecedens, vel absolutè, vel prout actu existit sub speciebus Sacramentalibus; primum est verum; secundum falsum: Nam, si videret

humanitatem, vt existentem sub speciebus, cognosceret prædictum vbi, quod nec sub esse possibili cognosceret. Inde Angelus intuetur humanitatem Christi Domini, existentem in cœlo, sed non prout existentem in Sacramento; quòd si fieret id, quod non implicat, vt in solo Sacramento esset, tunc cognosceretur humanitas; sed in particulari nesciretur locus illius, ancepsque moueret Dæmon, an extensionem localem, & vbi illius humanitatis Deus celaret. Nec refert, quòd illa humanitas videretur intuitiuè ab Angelo, quia non est de ratione intuitionis videre vbi rei.

3079 Nec videt quãtitatem existẽtem in Eucharestia, sine subiecto.

Item, quòd dictum est de vbi Christi Domini in Eucharistia, dicendum est de modo existendi per se quantitatis accidentium, qui positiuus est, & in entitate supernaturalis; Dæmon autem non videns subiectum, neque inhærentiam in illo anceps manet, quantum est ex vi naturalis cognitionis, an sibi occultetur illud subiectum, & inhærentia? Nam quomodo positiuè possit accidens esse per se, cùm eius esse sit inesse, certò, & euidenter lumine naturali capere non potest.

Desitio panis, & vini, quãtũ est de se, potest cognosci ab angelo.

Addo, quòd desitio substantiæ panis, & vini, quantum est ex se, & ex terminis naturaliter potest cognosci ab angelo, sicut aliquid posse creari, vel annihilari. Item intima penetratio ipsius Christi Domini cum speciebus sacramentalibus eo modo, quo cognosceret duo corpora diuina virtute inter se penetrata, & duas qualitates summè intensas in eodem subiecto: imò, & productio Christi Domini, quatenus præscindere potest à modo ponendi Christum sub speciebus Sacramentalibus quãtumuis propria Dei, quia quantum ad hoc est eiusdem rationis cum creatione, quæ naturaliter cognoscitur ab angelo, licèt à nullo agente creato fieri possit.

3080 Vbi Eucharisticum nullo modo naturaliter cognosci posse.

Addo secundò cum Suarez, & alijs malè inferri à nonnullis, vbi corporis Christi in Sacramento esse naturaliter cognoscibile ex eo, quòd vbi rerum spiritualium naturali lumine videri possit; est enim disparitas: nam vbi Sacramentale est supernaturale, eò quòd, cum corporeum sit, vim habet constituendi corpus in loco ad modum rerum spiritualium, quæ perfectio est altioris ordinis supernaturalis; sicut vnio hypostatica in materia prima, seù corpore materialis est; quia rem materialem modificat, & in illa recipitur, & tamen est supernaturalis, & supremi ordinis; at verò vbi, quod habet anima Christi in hoc Sacramento, est omninò naturale, & simile illi, quo angelus, vel anima separata existit tota in toto, & tota in qualibet parte, & ideò naturaliter potest cognosci ab angelo.

3081 Ad confirm.

Resp. Dæmonem non cognoscere naturaliter, humanitatem esse sine propria subsistentia.

Ad confirmationem argumenti. Respondeo, Dæmonem non cognoscere naturaliter, humanitatem esse sine propria subsistentia, sed solum eam ab ipso non cognosci, & diuina prouidentia occultari priuatio enim tunc non cognoscitur, quando ad illius cognitionem est necessarium cognoscere rem aliquam simpliciter supernaturalem, quia nec cognoscitur per propriam speciẽ nec absolutè conceptu, nisi includendo positiuum. Cum igitur, vt cognoscatur priuata humanitas propria subsistentia, sit necessarium cognoscere, esse in alieno supposito creato, vel increato, nam in nullo esse non potest; ideò Dæmon non cognoscens hoc secundum, nec priuationem cognoscere potest, sed solum se non videre.

3082 Instabis.

Dices, angelus non potest prudenter dubitare, aut timere, ne fallatur in re, quam euidenter cognoscit, aliàs neque nos videntes aerem tenebrosum, certi essemus de carentia luminis in illo; nam dubitare possemus, ne fortè diuina virtute impediatur.

Resp. quòd quando subiectarum est capax vtriusque formæ, tunc ad expellendã vnam, alia positiua est necessaria.

Respondeo, quando subiectum est æquè capax solius priuationis, aut formæ, vt in exemplo allato, verùm est, quia nec æquè est capax tenebrarum, ac lucis, quòd ad expellendam lucem sit necessaria alia forma positiua, quæ necessariè succedat loco lucis: at verò quando subiectum; deficiente vna forma, necessariò petit aliam, si hæc non videretur, deficiente priori, meritò, & prudenter dubitaremus, an nobis occultaretur à Deo, ita in præsenti; quia humanitas, neque per diuinam potentiam, potest absq; omni subsistentia propria, vel aliena subsistere. Vnde nõ vidẽs Dæmon in illa humanitate propriam, nec videns alienam diuini suppositi meritò dubitaret, an sibi diuinitus celaretur?

Quintum Argumentum, vnus Angelus naturaliter videt visionem Beatificam alterius, quæ est supernaturalis, ergo etiam alia entia supernaturalia. 3083 5. Obiectio.

Respondeo negando antecedens de quo videantur dicta qu. 12. artic. 1. in nostro priori tomo huius primæ partis. Respondetur.

Sextum Argumẽtum, remissio peccatorum est opus gratiæ supernaturale, & tamen videtur euidens, possibile esse per Dei potentiam, ad quem pertinet remissio, siuè iniuria, ergo idem erit de cæteris. 6. Obiectio.

Respondeo, duobus modis posse intelligi remitti peccatum, vno modo per actionem physicam productiuam gratiæ, cum morali remissione; secundò modo per solùm modum diuinæ condonationis eo modo, quo fit inter homines condonatio iniuriæ: priorem modum negamus, esse euidenter possibilem; sicut est impossibile, naturaliter cognoscere homines peccando, aliquam qualitatem gratiæ amittere, sed sola reuelatione id creditur: secundus modus euidenter possibilis cognosci potest, quia in se non est aliquid supernaturale, quoad substantiam, sed solùm liber, ac voluntarius Deo.

Resp. duobus modis posse intelligi remitti peccata.

Dub. 1. An Angeli supernaturali lumine fidei cognouerint mysteria gratiæ, in principio suæ creationis.

Dub. 2. Quæ mysteria fidei cognouerint Angeli in via.

DVBIVM I.

An Angeli supernaturali lumine fidei, cognouerint mysteria gratiæ, in principio suæ creationis.

3084 *Quid supponamus in hoc dubio.*

Svpponimus, Angelos fuisse iustificatos in via, atq; adeo habuisse notitiam mysteriorum supernaturalium, atque hanc fuisse supernaturalem; quia perfecta cognitio mysteriorum sine supernaturali lumine haberi non potest; vt dictum est. Restat modo examinandum, an hoc lumen supernaturale fuerit fides, aut aliud.

Ratio dubitandi.

Ratio dubitandi est, quia fides est cognitio infallibilis, & obscura, omnem euidentiam excludens, sed angelus non videtur capax cognitionis obscuræ, quæ ad fidem requiritur, igitur non habuit illam: minor probatur, quia fides necessariò fundatur in locutione; Angelus autem euidenter videt, quis sibi loquatur, & consequenter si videt, esse Deum, iam non obscurè cognoscet; si autem videret non esse Deum, iam non infallibiliter, neque cum certitudine assentiretur.

Confirm.

Et confirmatur primò; quia fides fundatur in reuelatione obscura, hæc autem in angelo non fuit facta quoad rem reuelatam, per species ipsarum rerum, quia Mysterij Trinitatis. v. g. nulla datur species, vt sæpe dictum est, neque per signa ad placitum significantia, vt sunt verba, vel littera, quia angeli sine corporibus, non sunt capaces talium signorum, nec per illa mentaliter loquuntur, vt superius vidimus, ergo non sunt capaces fidei.

3085 *Opposita sententia, & sui Authores referuntur.*

Propter hæc Durand. *in* 3. *d* 23. *q.* 9. *num.* 12. & 14 dixit, in angelis non fuisse fidem, sed altiorem scientiam non intuitiuam, sed per extrinsecum testimonium primæ veritatis. Sequitur Gabriel *in vltimis verbis quæstionis secundæ*, licèt videatur loqui ex aliorum sententia, Bonau *ead. dist. art.* 2. *q* 3 A ens. 3. *p. q.* 64. *memb.* 8 Scot. *in* 4. *d.* 10. *q* 8. *ad secundam*, citantur pro ea Henr. *quodl* 7. *q.* 14. Tartaret. *in* 2. *d* 7. *dub.* 2. Pelbar. *in rosario* 3. *q.* Palud. *in* 3. *d.* 23. *q.* 4. *in fin.*, vbi hec affirmat de primo angelo propter rationem factam, in inferioribus autem illam admittit, quia non habuerunt reuelationem à Deo immediatè, sed mediante superiori. Pro resolutione difficultatis.

3086 *Nota 1. angelos in via habuisse reuelationem mysteriorum Dei*

Suppono primò, angelos in via habuisse reuelationem mysteriorum Dei, & per illam, cognitioné supernaturalem eorumdem mysteriorum habuisse, quia cùm non potuerint cognoscere supernatu-

ralia

talia mysteria sine reuelatione, & cognitio talium mysteriorum fuit illis necessaria ad salutem, nam omnes ad eamdem Beatitudinem supernaturalem fuerunt ordinati, & ad eam per suos actus tendere debuerint, nec potuerint ad illam tendere, nisi illā cognoscēdo, & eius authorem, hinc necessariò hanc cognitionem supernaturalē habuerunt; quia Deus, qui voluit ex se, angelus saluare non poterit illis media ad salutem denegare.

3087 *Nota 2. duobus modis posse dici cognitio supernaturalis, & ex parte obiecti materialis, & ex parte formalis*

Suppono secundò; quod cùm duobus modis possit dici cognitio supernaturalis, primò ex parte obiecti materialis, secundò ex parte ipsiusmet actus cognoscendi, seu ex formali obiecto, seu ex parte principij; prior non sufficit, quia etiam Dæmones habent cognitionem supernaturalium mysteriorum, quæ non sufficit ad salutem, sed necessaria est cognitio supernaturalis posteriori modo; tùm quia sola reuelatio solùm habet rationem doctrinæ, sola autem doctrina non sufficit ad salutem, sed vltra illam est necessarium gratiæ auxiliū; ac proinde actus in se supernaturalis ex motiuo supernaturali, ùs supposita reuelatione, assensus esset ex solo naturali lumine, & ex solo libero arbitrio, Angeli initium propriæ salutis esset ab ipso angelo, & ita gratia in illo non esset gratia, quod est Pelagianum, vt in nobis arguit August. toto lib. de gratia Christi, & in alijs locis, in quibus quamuis loquatur de hominibus, eandem vim habet in angelis; tùm quia cognitio naturalis de obiecto supernaturali est valde imperfecta, & improportionata; tùm denique, quia amor charitatis in Angelis viatoribus fuit in se supernaturalis, & per se infusus, nam etiam de angelis est illud verum. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris* iuxta doctrinā August. sed cognitio debet esse proportionata amori, igitur debuit esse in se ex parte principij supernaturalis. His positis.

3088 *Concl. Angelos habuisse in via fidem diuinā.*

Dicendum est, Angelum habuisse in via fidem diuinam, & supernaturalem. Ita Diu. Thom. 2. 2. q. 5. art. 1. & ibi omnes eius interpretes, Palud. *in 3. d. 13 q. 4.* Carthus. *in 2. d. 5 q. 1* Palac. *in 3. d. 23. disp. 9.* Viguerius *in instit. cap. 10. §. 1. vers. 4.* Alber. *2. p. summæ q. 20 memb. 2.* Turrecr. *lib. 1. de Ecclesia cap. 25. num. 1.* Ruard. *art. 2.* quos refert, & sequitur Franciscus Suarez *lib. 5. cap. 5.* Et probatur primò omnibus illis locis sacrę scripturę, in quibus astruitur fides necessaria ad salutem, quæ eodem modo locū habent in Angelis, vt est illud ad Hebr. 11. *sine Fide impossibile est placere Deo*, & Io. 3. *Qui nō credit, iam iudicatus est qui non credit in nomine Vnigeniti filij Dei*, Marci. 16. *Qui non crediderit, condemnabitur*, Ioan. 3. *Qui incredulus est Filio, nō videbit vitā*, & ad Hebr. 10. & Abachuc. 2. *Iustus ex fide viuit*, & ad Roman. 10. *Omnis, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit, sed quomodò inuocabunt, in quem non crediderunt? quomodò credent ei, quem non audierunt*, & 2. Corrinth. 5. *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidem ambulamus, & non per speciem*. Quæ testimonia de propria fide loquuntur, vt patet ex Paulo dicente per hanc fidem intellectum captiuari in obsequium Dei; & ad Hebr. 11. sic definiente, & exponente fidem.

Prob. pluribus scripturę locis.

Quod si dicatur in his locis non comprehendi Christum, ergo, nec angelos. Respondeo, negando consequentiam, quia Christus erat comprehensor, & ideò non erat capax fidei, & quia erat per se Sanctus, & gratus; vtpotè Deus subsistens in humana natura: Angeli autem sunt purę creaturæ, & fuerunt puri viatores, & ideò fuit eis necessarium per fidem ambulare.

3089 *Ratio à priori quia cognitio angelorum per quam in via iustificati sūt, supernaturalis erat in se.*

Ratio vero à priori est, quia cognitio angelorū, per quam in via iustificati sunt, supernaturalis erat in se, & non cognitio clara, & euidens, sed obscura, & certa, ergo fides; & antecedens probatur; quia si talis cognitio fuisset euidens, vel esset euidentia rei cognitæ in se? vel euidentia solius attestantis? primum in mysterio Trinitatis, & Incarnationis non habet locum, quia extra visionem Beatam non datur talis cognitio; in alijs verò mysterijs requiritur scientia per se infusa, quæ soli Christo fuit data, & angelis viatoribus non erat accomodata; tùm quia hæc in eis non habet rationē principij, sed potius termini; tùm quia decebat angelos captiuare intellectum in obsequium fidei; tùm quia cognitio obscura est dispositio maximè accomodata, per quam paulatim ad scientiam peruenitur, quia oportet addiscentem credere: Angeli verò respectu scientiæ claræ Dei, prout est in se, quasi addiscentes erant in via; tùm denique, quia cognitio obscura est fundamentum spei iuxta illud Paul. *Substantia rerum sperandarum*, igitur non decuit, viatores nisi per cognitionem obscuram certam ambulare, quæ est fides.

3090 *Euidentia Testificantis, quā habuerunt angeli, fuit naturalis, & ex coniecturis.*

Euidentia autem testificantis, quam habuerūt Angeli, fuit naturalis, & ex coniecturis, quæ non excludit fidem supernaturalem; quia assensus fidei supernaturalis, & certitudo eius non innititur per se naturali certitudini ex coniecturis rerum in euidentibus desumptæ; Et ratio est, quia maior est certitudo fidei, quàm illius indicij naturalis, quo Deus, vt reuelans per signa naturalia cognoscitur, ergo non potest assensus supernaturalis in illo naturali per se, & directè fundari; atque adeo, vt formale specificans assensū fidei, semper est obscura authoritas diuinas; quia non nititur assensus certidudini naturali; & eius euidentiæ, vt dictum est; atque adeò, eodem actu credebat Angelus, res reuelatas, & veras esse, & à Deo reuelatas, quia firmiori assensum credebat per fidem tàm res reualatas, quàm Deū esse reuelantem, quā per naturalia signa hoc iudicet; imo magis spontanea, & quodammodo maior est talis fides. Ad cuius confirmationem habemus illustre testimonium Diui Petri *in 2. epistola cap. 1.* vbi post quam confiirmauit fideles ad fidem, referens mysterium Transfigurationis, quam oculis corporalibus ipse, & duò alij Apostoli viderant. ait. *Speculatores facti illius magnitudinis cùm essemus cum ipso in monte Sancto*, idest Thabor, addit. *Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco*. Ecce maiorem, & altiorem (ait) esse certitudinem prophetici sermonis, scilicet fidei, quàm eam, quam habuit ex visione intuitiua oculorum suorum; etiam non solùm respectu aliorum, quibus scribebat, sed etiam respectu sui, & aliorum duorum testium, qui præsentes fuerant huic mysterio, intelligit, & intelligenda sunt verba illa, quia certitudo fidei, vt potè supernaturalis, & superioris ordinis, innixa diuino testimonio, omnem euidentiā m naturalem superat.

3091 *Confirm. ex illustri testimonio D. Petri.*

3092 *Iudicium illud euidens, quòd Deus ipse loquebatur, cōferebat ad efficaciorem propositionem.*

Illud verò indicium naturaliter euidens, quòd Deus ipse loquebatur, conferebat ad efficaciorem propositionem fidei, & ad maiorem quandam euidentiam naturalem credibilitatis, non tamen per se ad formalem assensum fidei diuinæ, & infusæ. Et hoc modo potest admitti illa euidentia in omnibus Angelis, quia probabile est, Deum in prima fidei promulgatione immediatè omnes Angelos illuminasse; quia cùm ad euidentiam credibilitatis, quę necessaria est ad piam affectionem voluntatis (quæ necessario præcedit assensum fidei) non videatur sufficiens in illo instanti testimonium solum primi Angeli (Nam incertum est, an in primo instanti suæ creationis potuerit peccare, vel non) fuit necessaria specialis motio, & immediata propositio ipsius Dei circa res supernaturales, infundendo species, vel specialiter monēdo ad vsum earum, quod ita est proprium Dei, vt nullus Angelus possit hoc modo naturaliter in alium operari: Christus autem Dominus, non credidit hoc modo, sed per lumen supernaturale euidens, & per scientiam infusam potuit cognoscere aliqua, ex testimonio diuino, videndo per idem lumen, Deū esse, qui reuelabat; & ideo illa cognitio non erat fidei, sed scientię infusę, quā Angeli nō habuerunt.

3093 *1. Corrolariū. Non posse redu*

Ex dictis infero primo, non posse reduci cognitionem mysteriorum supernaturalium angelorū in

cognitionem mysteriorum supernaturalium in via, ad lumen propheticum.

in via ad lumen propheticum, vt aliqui dixerunt; tum quia lumen propheticum nō datur per se loquendo propter sanctificationem recipientis, sed propter bonum aliorum (& ideo inter gratias gratis datas reputatur) nec datur per modum habitus permanentis, sed per modum reuelationis transeuntis; tum etiam quia semper lumen propheticum pertinet, vel ad fidem, vel ad scientiam infusam collatam per modum actus; nam si est lumen obscurum, non distinguitur essentialiter a fide, sed tantum in modo, quo per modum illuminationis specialis, seu reuelationis confertur; & est circa res nobis ignotas: si autem est lumen euidens pertinet ad scientiam infusam; & ideo tunc Angelis in via non fuit collatum.

3094 *2. Corollariū. cognitionē supernaturalem Angelorum in via, fuisse ænigmaticam.*

Colligo secundo, contra Alens. & alios, cognitionem supernaturalem Angelorum in via fuisse ænigmaticam; nam re vera intrinsece, & essentialiter erat obscura, atque adeo contemplatio obscura, si terminis D. Bonau. vtimur; quia etiam per fidem potest esse altissima contemplatio: vnde omnino reprobandum est, quod Alens. dixit, scilicet cognitionem illam, quam Angeli habuerunt in via, gratuitam, & infusam mansisse in Dæmonibus ænigmaticam, & esse fidem, licet prius non esset, sed euidens. Hoc (in quam) falsum est; tum quia Dæmones, & damnati priuantur omnibus gratuitis, & solùm in Dæmonibus naturalia integra remanserunt, ex diu. Dionys. cap. 4. de diuinis nom. p. 4. Luc. 56 & alijs PP. tum quia licet Dæmones credant, & contremiscant, vel ex memoria præteritæ reuelationis, vel ex his, quæ postea audierunt, & viderunt; tamen non habent fidem voluntariam solo diuino testimonio innixā, atque adeo, neque actum fidei supernaturalis, sed naturalis, sicut hæreticus credens aliqua mysteria fidei innixæ naturali cognitioni, & euidentiæ signorum; tum denique, quia cognitio prius clara non potest transire in ænigmaticam, neque è contra, cùm obscuritas sit de essentia fidei, claritas de essentiam cognitionis claræ, quæ variari non potest.

3095 *Ad Rationem dubitādi Resp. Ad Confirm. Resp. hanc reuelationē fieri per aliquem connotatiuum conceptum Dei loquentis.*

Ad rationem dubitandi in principio positam, quod est fundamentum Durandi, & aliorum responsum est in ratione conclusionis.

Ad primam confirmationem. Respondeo, hanc propositionem, siue reuelationem mysteriorum fidei fieri per aliquem imperfectum, & connotatiuum conceptum Dei loquentis, & naturaliter cogniti per euidentem coniecturam immutationis sui intellectus, & per species, & conceptus rerum creatarum, vel rationum communium Deo, & creaturis, nam in hoc fere æquiparantur Angeli nobis in concipiendo Deum imperfecto modo, dum fuerunt in via, licet intra illum imperfectum modum altiùs res diuinas concipiant. Inde hanc cognitionem per euidentem coniecturam dicimus in Angelis cum qua stare potest fides, vt dictum est.

DVBIVM II.

Quæ mysteria fidei cognouerit Angelus in via.

3096 *Omnes Doctores conueniunt Angelos in via cognouisse mysteriū Trinitatis.*

IN hac re omnes Doctores conueniunt, angelos in via cognouisse per fidem mysterium Trinitatis; quia nil excellentius, & ad eorum humilem erga Deum subiectionem, sublimius proponi illis potuit, quàm hoc mysterium; cumque hominibus illud reuelatum fuerit, non est cur credamus, angelis longe sublimioris naturæ, & quorum multi plurimos homines, in gratia superabāt, hoc mysterium fuisse absconditum. Secundo cognouerunt, Deum esse remuneratorem, & iustum iudicē &c. Item cognouerunt se euectos esse ad finem supernaturalem, quem bonis operibus mereri, malis autem demereri possent. Tertio cognouerunt per fidem gratiam supernaturalem, & habitualem, habitus infusos virtutum, & donorum, quæ omnia sunt media ad consequendum finem supernaturalē, ad quē se euectos crediderunt, ac denique omnia, quæ ad eorum statum, & salutem pertinebant, posse Deum super omnia diligere, & diuinis præcibus obtemperare.

Vnde infertur probabile esse, angelos non habuisse tunc fidem Sacramentorum, quia nec angeli illis indigebant, nec ad eorum statum, & salutem erat necessaria fides illorum, nec aliorum, quę non pertinebant pro illo statu ad eos, & eorum salutem. Hec autem omnia, quæ per fidem cognouerunt Angeli, clarè viderunt consummata via, omnes boni in essentia diuina, posteà vero decursu temporis de multis circumstantijs particularibus, alijsque rebus certiores facti sunt mediante diuina illuminatione, quæ est cognitio extra verbum. Vnde quando D. Isid. docet omnia, quæ Dei voluntate facienda sunt, in verbo cognosci, limitandum est ad ea, quę pertinent ad eorum statum; nam alia decursu temporis secundum quod congruit singulorum officijs, edocentur. 3097 *Probabile est, angelos in via non habuisse fidem Sacramētorum.*

Forte etiam cognouerunt in via etiam homines ad finem supernaturalem esse eleuandos, & quosdā fore saluandos, quosdam damnandos: Sed incertum est, licet aliqui affirment, & adducant D. Bernard. ser. 1. de Cucumc. & ser. 17. & 22. in cant. sed in primo, & tertio loco solum, ait Christum Dominum fuisse Redemptorem angelorum; in secundo sub dubio testatur, Luciferum cognouisse homines ad parem cum angelis gloriam euehendos, & huic excellentiæ inuidisse, quod probabile est, supposito, quod cognouerunt mysterium Incarnationis, vt mox dicemus; quia cognoscentes naturam humanam, ad tam excellentem gratiam vnionis cum Verbo euectam, facile intelligere poterunt, fuisse Christum prędestinatum primogenitum in multis fratribus, scilicet hominibus; sed quot saluandi, & probandi erant in particulari, probabilius est, non cognouisse, quia nec pertinebat ad eorum statum, & altissimum prędestinationis, & reprobationis mysterium, soli Deo notum, non censemus Angelis tunc reuelasse. 3098 *Incertum est An cognouerint in via, homines esse eleuandos ad finē supernaturalē.*

Tota difficultas est, an cognouerint mysterium Incarnationis in via. In qua re. Prima sententia fuit antiquorum Theologorum ex familia D. Th. vt testatur Zumel q. 4. in hunc articulum, & ex antiquis tenuit Alens. 2. p q. 26. memb. 1. Gab. in 2. d. q. 9. 2. art. 3. dub. 4. negantium, angelos in via cognouisse hoc mysterium. Probant auctoritate sacræ Scripturæ, in primo illo loco psalm. 23. Attollite portas principes vestras, & introibit rex gloriæ: quis est iste rex gloriæ? & Isa 63. Quis est iste, qui venit de edom? Nam illa fuisse voces angelorum ignorantium mysterium Incarnationis, Docet D. Dionys. *cap. 7. de cœlesti Hierarchia*, expressis verbis, vbi affert hunc vtrūq; locum, vt probat, saltim aliquibus angelis fuisse ignotum mysterium Incarnationis. Basil. *In dicto psal.* 23. N. Ciril *lib. 22. in Ioann. cap.* 58. *& super Isaiam*. Hieronym. *in eod. in loco.* Iustin *Dialog. contra Tryph.* Noster Cyril. Hierosol. *Cathech.* 141. Ambros. *lib. 4. ad Gratian.* 3099 *Difficultas est, An cognouerint in via, mysteriū Incarnationis.* *Opinio contraria refertur negatiua.*

In nouo etiam testamento sunt plura loca, quæ fauent huic opinioni; nam Paul. ad Ephes. 3. vocat hoc mysterium *Sacramentum absconditum à seculis in Deo.* Quē locum de mysterio Incarnat. exponunt Hieron. *ibi* Nyssen. *hom. 8. in Cant.* noster Cyril. *lib. 2. in Ioan. cap. 3 lib. 1. de recta fide ad Reg.* & consequenter eodem modo exponunt subsequentia verba. *Vt innotescat principatibus, & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei*: per principes, & potestates intelligunt S. Angelos, quos, aiunt, mysterium Incarnationis ex prædicatione Apostolorum agnouisse. Et hanc sententiam videntur secuti Theodor. Theoph. & Ecumen. in illum locum Pauli, & Chrisost. *hom. 7. Ex prefat. In Euang. Ioan.* est etiam alius locus Pauli 1. ad Thimoth. 3. *Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus.* Vbi Chrisost. homil. 11. sic ait, *Ergo, & Angeli nobiscum vide-* *Plura loca adducuntur in fauorem opinionis negatiuę.*

runt

runt filium Dei, quem antea non videbant. Idem homil. 14. in Ioann. sequuntur Theodoret. Theophyl. Ecumen. & Glossa ordin. in hunc locum, idem docuisse videntur alij PP. præsertim Bernar. *hom. 1. in missus est*, & Ambros. *lib. 6. in Luc. cap. 1.* & alij.

1. Ratio opinionis contraria negatiua.

Ratione probatur: quia hoc mysterium non est necessarium ad salutem per modum finis, sicut Trinitas, sed neque sicut medium, quia non fuit Christus redemptor Angelorum adhuc præseruãdo igitur nullo titulo fuit Angelis viatoribus necessario fides huius mysterij, neque eis reuelatum, probo consequentiam, quia solùm illis reuelata fuerunt, quæ illis necessaria erant. Secundò: quia

2. Ratio contraria.

si Dæmones ante eorum lapsum cognouissent mysteria Incarnationis; igitur postea cognouerunt Christi diuinitatem, etiam antequam descenderet ad inferos, & à mortuis resurgeret præcipuè videntes Christi miracula, & eius vitæ innocentiam, & prædicationem, quibus hoc testabatur.

3100 *Conclusio Angelis in via fuit reuelatũ mysterium Incarnationis.*

Dicendum est tamen, Angelis in via fuisse reuelatum mysterium Incarnationis. Ita S. Thom. *in hoc art. ad 1. & qu. 64. art. 1. ad 4. & in 2. d. 11. qu. 1. art. 4.* quem sequuntur omnes eius interpretes Bannes, Zumel, Valentia, Molina, & Vasquez *in hunc art. 5.* Suarez *lib. 5. cap. 6.* Auersa *qu. 57. sect. 8.* Granados, & alij. Sequuntur hanc sententiam Nicol. de lyra *Isaiæ 63.* & ibid. Carthus. Iacob. de Valentia *in psal. 81. & 101.* Naclantus *in caput primum Epist. ad Ephes.* Claud. Guilland. *ad cap. 8.* Ioann. Buard. *art. 2. & 8. locis supra citatis* Viguer. *in inst. cap. 3. § 2. vers. 15. & cap. 20. § 1. vers. 4.* Cathari opusc. *de eximia Christi prædestinatione* Ma om. *in 2. d. 11 disp. 3.* Salmeron. *in epistol. ad Ephesios disp. 7.* Licet Magister *in 2. d. 11* cum alijs antiquis Scholasticis nõ omnibus Angelis, sed aliquibus tantùm hanc cognitionem ab initio concedat. Denique pro hanc sententia possunt allegari omnes, qui existimant malos Angelos peccasse, naturæ humanæ inuidendo hypostaticam vnionem.

3101 *Prob. 1. authoritate D. Aug.*

Probo primò auctoritate Diu. Augus. *tom. 3. lib. 5. de Gen. ad litt.* vbi loquens de Angelis ait, *nec illud eos latuit mysterium regni cælorum*, idest incarnatio, vt euidenter patet ex contextu, quem locum; licèt Suarez. asserat loqui solùm de Angelis beatis; tamen D. Thom. loco citato infert ex Augustini mente omnibus fuisse reuelatum in via. Ita etiam Rupert. *lib. 8 in Ioann.* in fine expendens illa verba cap. 8. *Ille homicida erat ab initio*. Idem sentit Bernard. *serm. 17. e 22. in Cant.*

3102 *1. Ratio Côcl. quia Christus Dominus, etiã vt homo, fuit caput Angelorum.*

Ratione verò probatur primò; quia Christus Dominus etiam quatenus homo fuit caput Angelorum, vt in materia de Inc. ostendetur & plura diximus in nostro primo tomo quæst. 23. art. 8. iuxta sententiã D. Th., quod Christus fuit prędestinatus post præuisionẽ originalis peccati, de quo vide dicta præcipue in solutionibus argumentorum prędictę qu. art. vlt. atque adeò meruit illis omnẽ gratiam, & gloriam ergo Angeli omnes habuerunt in statu viæ notitiam Incarnationis, quia per fidẽ Christi explicatam, saluari cõuenientissimum fuit, atque adeò illum tanquam suum iustificatorem, & Saluatorem venerari, & in eum suam fiduciam collocare; quis enim credet, non cognouisse caput suum, & principium cęlestium Donorum, quibus in ipso creationis exordio ornati sunt? cum nullum inde inconueniens sequatur, & in magnam Christi Domini Gloriam cedat: neque ex Sacra Scriptura, & PP. aliquid sit, quod in contrarium vrgeat.

3103 *2. Ratio quia Adamo in statu Innocentię reuelatũ fuit hoc mysteriũ.*

Secũdò, quia ex recepta doctrina S. Th. & aliorũ DD. Adamo in statu Innocentiæ reuelatũ fuit hoc mysterium, ergo potiori iure Angelis. Tertiò, quia post mysterium Trinitatis mysterium Incarnationis est excellentissimum diuinæ prouidentiæ opus, & nullum ita sublime, igitur non solum ad perfectionem ipsorum Angelorum, sed maxime ad gloriam, & honorem filij Dei Incarnati decuit, vt in illum crederent, cumque in spiritu adorarent; sic enim intelligunt multi locum ad Heb. 1. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terrę, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei; decuit igitur hoc præceptum datum esse Angelis viatoribus non solùm erga filium, vt Deum sed etiam, vt hominem.

3. Ratio.

3104 *4. Ratio quia Angeli mali inter alia peccata exarserunt inuidia.*

Quartò; quia Angeli mali inter alia peccata exarserunt inuidia in humanitatem Christi Domini, igitur per fidem cognouerunt, fore diuino verbo vniendam. Quintò; quia Sancti Angeli habuerunt in patria notitiam mysterij incarnationis, vt docuit August. lib. 7. de Ciuit. cap. 32. dum ait. *Ab exordio generis humani Incarnat. mysterium fuisse Angelorum ministerio prænunciatum, & figuratum*. Idemque supponit Diu. Dionys. *cap. 14. de cœlest. Hierarch.* dum ait; *Angelos illuminasse prophetas de diuinis mysterijs, quæ per eos reuelantur, in via*: probatur consequentia; quia visio beata respondet fidei, & est quasi proportionatum eius præmium; & ideo sicut omnes beati vident clarè in verbo, quę in via crediderunt, etiam conueniens erat, vt mysteria fidei, præsertim maiora, quæ in verbo videnda sunt, prius in via per fidem crederent.

3105 *Ad Testimonia Sac. Scrip. incontrarium, & SS. PP. Resp. Scripturam, & Patres loqui Incarnationis mysterio quoad circumstantias.*

Ad fundamenta contrariæ sententię. Ad testimonia Sacræ Scripturæ, & SS PP. Respondeo iuxta regulam, qua vtitur S. Thom. citatis locis, & sumpsit ex Bernard. epist. 77. ad Hugonem, aliud esse loqui de mysterio Incarnationis, quoad substantiam eius, idest quoad vnionem hypostaticam inter humanam naturam, & verbum diuinum cũ tali excellentia, & dignitate, aliud vero loqui de eodem mysterio quoad circumstantias eius; vt quòd tali tempore, aut loco, aut modo, aut ex tali fæmina, vel similibus fiat. Cùm ergo dicimus, Angelos habuisse fidem huius mysterij, intelligimus, quoad substantiam eius, non quoad circumstantias, quas ignorare potuerunt, vel aliquas Quas autem cognouerint? occultum est; licet S. Thom. in illo loco secundo sententiarum dixerit, omnes Angelos à principio cognouisse Incarnationem, passionem, & huiusmodi, & quidem passionem, & Resurrectionem vidisse Angelos bonos ab exordio beatitudinis, verisimile est: in via tamen probabilius est oppositum, quia cum non fuisset commissum peccatum Adę, ad cuius delendam maculam passio erat ordinata, solùm videtur agnouisse assumptionem carnis abstractæ à passibili, aut immortali.

3106 *Patres qui angelis huius mysterij notitiam in via concedunt, loquuntur de hoc mysterio, quoad substantiam; qui verò negant, loquuntur quò ad circumstantias.*

Hinc igitur colligitur generalis responsio ad omnia loca Sacrę Scripturæ, & Sanctorum Patrũ, & conciliatio priorum cum posterioribus: nam qui dicunt, cognouisse Angelos hoc mysterium priusquam fieret, siue per fidem in via, siue per visionem in patria, loquũtur præcipuè de hoc mysterio quoad substantiam eius; qui verò ignorantiam huius mysterij Angelis tribuere videntur, de ignorantia circonstantiarum intelligendi sunt; aliàs non solùm probarent Angelos viatores, ignorasse mysterium Incarnationis, sed etiam Angelos beatos illud nesciuisse à principio suæ Beatitudinis; imo nec antequam fieret, & de illo per hominum Ecclesiam doctos fuisse, quòd est euidenter falsum, vt sumitur ex Augustino lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 19. & in alijs locis, aliàs si a principio ex vi visionis non cognouerunt illud, nũquam in Verbo cognoscent propter immutabilitatẽ visionis beatæ, quod est contra omnes.

3107 *Illę interrogationes ex Isaia fuerunt ortæ ex admiratione, nõ ex ignorantia.*

In particulari verò ad illas interrogationes psal. & Isai. Respondeo, fuisse ortas ex admiratione, nõ ex ignorantia, vt explicant Augustin. serm. 178 de tempore, & N. Cyril. in Isaiam. Ad locũ Pauli ad, Ephes. 3. Respondetur per prędicationem Pauli innotuisse etiam Angelis non substantiam mysterij, sed fructificationem eius, quæ est circumstantia effectus, & prædestinatio Dei erga homines per tale mysterium, quod Angelos autem latere potuit. Similiter alius locus ad Timoth. 3. explicatur de apparitione

apparitione per intuitionem rei factę; licèt autem cognoscerent, vt futurum, postea, vt pręsens cognouerunt. quo modo ait S. Tomas 1. parte.quæst. 117 art. 2. ad 1. prædicantibus Apostolis multa innotuisse Angelis, quia ipsis præsentibus fiebant, & hoc modo explicandi sunt PP. allegati pro prima sententia. Qui verò voluerit diffusè varias explicationes horum testimoniorum, & SS. patrum inspicere, videat Franciscum Suarez citato loco,& alios interpretes modernos diffusè hoc tractantes, nam quantum attinet ad nostrum institutum dicta sufficiunt.

3109 *Ad 1. Rationē contrariā Resp. Christū fuisse caput Angelorum in omni sententia.*

Ad fundamentum petitum à ratione. Ad primū dicimus, Christum fuisse caput hominum, & Angelorum in omni sententia saltim quoad ministeria, & secundum accidentalem influentiam reuelationum,aut gaudiorum accidentalium,& hoc sufficere simul cū excellentia tanti mysterij, vt dictū est, vt illis in via reuelatum fuerit. Sed addo, etiā Christum fuisse caput Angelorum, secundum influentiam gratiæ sanctificationis, & gloriæ,vt citato tomo quæst. 23. ostendimus, & ideo ruit vis argumenti.

3110 *Ad 2. Rationē contrariam Resp. Dæmonē non cognouisse ab initio tempus huius mysterij.*

Ad secundam. Respondeo, ex eo,quòd Dęmon mysterium Incarnationis ab initio creationis cognouerit, non statim cognouisse hoc mysterium, quando executioni mandatum est, qui ipsi non fuisse reuelatum tempus, neque alię omnes circūstantiæ, propterea occultari potuit diuina virtute, ne Dęmon impediret passionem,& fructum eius effectus eius vt diximus supra.

QVÆSTIO LVIII. D.Th.

De modo cognitionis Angelicę.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum intellectus Angeli, quandoque sit in potentia, quandoque in actu.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

PRima Concl. Angelicus intellectus nunquam est in potentia ad actum primū, respectu eorum, quę naturaliter cognoscit: quia sicut se habent corpora cælestia ad suas naturales perfectiones: sic se habet Angelus ad ea, quę naturaliter cognoscit: corpora autem cęlestia nunquam sunt in potentia ad actum primum respectu suarū perfectionum. ergo. 2. Concl. Angelus potest esse in potentia ad actum primum, respectu eorum, quæ per reuelationem cognoscit: quia corpora cælestia sunt in potentia respectu illuminationum, quas à sole recipiunt. 3. Concl. Angelicus intellectus potest esse in potentia ad actum secundū, respectu eorum, quæ naturaliter cognoscit: quia non omnia, quę Angelus naturaliter cognoscit, semper actu considerat. 4. Concl. Angelicus intellectus numquam est in potentia respectu verbi, quia beatitudo non consistit in habitu, sed in actu. ex Philos. 2. *Ethic. cap.* 8.

Arg. 1. Quod mouetur, est quandoque in potentia *ex* 3. *Physic.* sed intellectus Angeli intelligendo, mouetur ex Dion. cap. 4. de diu. nom. ergo. Resp. ma. esse veram de motu, qui est actus entis in potentia; falsam verò de motu perfecto. vt est intelligere, quo motu mouentur Angeli intelligentes.

Arg. 2. Desiderium est rei non habitę: sed Angeli aliquid desiderant intelligere *ex* 1. *Petri* 1. ergo. Resp. ad min. Desiderium Angelorum videndi Deum, non excludere rem desideratam, sed fastidium.

Arg. 3. Substantia Angeli habet aliquid de potentia ad mixtum, cùm non sit actus purus. ergo quandoque intelligit in potentia, quia intelligit secundùm modum suæ substantię. Resp. neg. conseq. quia sicut in substantia Angeli nunquam est potentia denudata ab actu, ita, nec intellectus Angeli sic est in potentia, quòd sit absque actu.

DISPVTATIO. CCXCI.

An Angelus possit esse in potentia ad actum secundum respectu earum rerum, quas naturaliter cognoscit.

3111 Sententię contrariæ.

PRima sententia fuit *Durandi* in 2.d.3.q 8. *dicentis Angelum simul actu cognoscere, quæ ab ipso cognosci possunt, imò, & vnico actu. Idem sentit Gregor. quantum ad primam partem* in 2. d.11.q.1. *sequutu. Aureol* 161.q.3.art. 3.

1. Obiectio.

Probatur primò, ex Augustino lib. 4. de Genes. ad lit. cap. 19. & sequentes nam in cap. 29. ait, Angelos primum esse contemplari æternitatem Creatoris, & mutabilitatem creaturę, & ex hac cognitione laudare Creatorem, & addit. Hoc totum possunt, hoc totum faciunt, possunt tamen, & faciunt, & *cap.* 32. Secundùm potentiam spiritualem mentis Angelicę (*inquit*) cuncta, quę voluerit, simul notitia facillima comprehendit. & *cap.* 33. omnia mens simul angelica potest, quæ sigillatim per ordinem connexarum causarum sermonem distinguit.

2. Obiectio.

Secundo probatur ratione. Primò, quia si potest Angelus omnia cognoscere, quę per species, quas simul habet repræsentantur ad eius perfectionem pertinet, semper esse in omnibus illis in actu secundo, & nunquam cessare, tum quia maior perfectio erit in hoc, non pendere à voluntate, sed à natura esse determinatum ad eiusmodi actum cōpletū secundum, siuè sit vnus actus, vt voluit Durand. siuè intellectio plurium; sicut in Deo pertinet ad eius perfectionem, quòd semper actu cognoscat omnia; tum etiam quia licèt haberet Angelus in hoc potestatem, non habet rationabilem causam cessandi ab hac consideratione adequata, quia in ea non lassatur, nec defatigatur.

Confirm. 1.

Et confirmatur primò, quia species intelligibilis est forma naturaliter agens, ergo posita in intellectu Angelico necessariò determinat, illum, vt operetur. Cōfir-

Confirm. 2.

matur secundò, quia si Angelus cessaret ab vno actu, non posset se iterum applicare ex intentione sua ad illum, quæ esset magna imperfectio; quia non potest se Angelus applicare, nisi per voluntatem suam; per voluntatem autem suam non posset se applicare, quia nil volitum, quin præcognitum. sed cessante consideratione Romę, vel Petri v. g. iam Roma, vel Petrus non cognoscitur, ergo neque potest Angelus aliquid circa hæc obiecta velle, ergo neque ad talem considerationem se directè, & per se applicare.

3112 Cōclusio Angelus nō semper cognoscit omnia obiecta.

Dicendum est tamen, Angelum non semper cognoscere omnia obiecta, quorum species habet, sed interdum quædam, interdum alia. Ita Diuus Thomas in hoc art. *vbi cæteri moderni idem sentiunt, Caiet. Bannes. Zumel, Molina, Vasquez. Greg. de Valentia, Suarez.* lib. 2. c. 34. & *alij ex antiquis Capreol.* in 2. d. 3. q. 2. art. 1. concl. 9. Ferrar. 2. *contr.* Geut, cap. 101. *Maier* in 2. d. 3. q. 8. *vbi Bonau. Scot. Ricard. AEgidius, & alij pro certo habent, & Henr.* quodl. 5. questione 14.

Prob. quia actu semper considerare obiecta creata, superat limitationem intellectus angelici.

Probatur, quia semper actu considerare omnia obiecta creata diuersa à se superat limitationem intellectus Angelici, nec aliqua sufficienti ratione probari potest, vt videbimus soluendo argumenta contraria; quo supposito maior perfectio est si eius intellectus

*le*ctus subjiciatur libertati volũtatis, & successiuè percurrat omnia, nunc hæc postea alia, & pro maiori vtilitate, dignitate, & delectatione alicuius cognitionis diutius in ea versetur. Deinde durum est, non esse in potestate angeli, intellectionẽ cohibere, præcipuè si esset molesta, & quæ angelum vexaret v. g. si Angelus esset in pura natura, vel in via; Et confirmatur; quia actus liberos aliorum interdum cognoscit, interdum non, pro aliorum voluntate, ergo & obiecta, quæ potest cognoscere, interdum cognoscet, interdum non, pro sua voluntate, quod etiam est verum in cognitione obiectorum supernaturalium visione Beata excepta.*

3113 **Confirm.**

3114 **Instabis.**

Dices, saltem ea obiecta, quæ cognoscit angelus, vnica specie, cognoscere poterit simul, atq; adeò minimus angelus cognoscit infinita possibilia materialia, quæ diximus vnica specie repræsentari angelo.

Resp. neg. cõseq. quia species solũ repræsentat in actu primo, & nõ in exercitio.

Resp. neg. conseq. quia species repræsentat solùm in actu primo, & ideo maior perfectio, & illuminatio requiritur, vt actus omnia repræsentet expressè, & actualiter, quàm species exemplum est in habitibus; nam habitus, siuè acquisitus, siuè infusus respicit in actu primo infinitos actus, qui possunt elici ab habitu simul cum potentia & tamen potentia nunquã ex vi illius habebit simul, nec poterit habere infinitos actus adæquatos extensioni effectiuæ ipsius habitus, quia de ratione habitus non est actualis productio omniũ, sed posse producere diuisiuè, secundum conatum, & perfectionem potentię magis & minus pro libertate agẽtis. Similiter intellectus creatus respicit totam latitudinẽ entis saltem naturalis, & infinitos actus, etiam specie distinctos, & tamen, neq; potest simul producere infinitam multitudinem suorum actuum possibilium, neque vno actu adæquatè, quidquid per varios actus producere potest.

3115 Ad 1. Obiect. Resp. si loquamur de cognitione matutina in verbo, omnia angelus simul cognoscit, secus vespertina

Ad fundamentũ contrariæ sententiæ; ad illa testimonia Augustini non possumus hic plenè respondere, quia ibi tractat August. de cognitione matutina, & vespertina, de quibus dicturi sumus in tract. de opere sex dierum, & plura diximus in nostro primo tom qu. 12. nunc breuiter dicimus, quòd si loquatur de cognitione matutina, quę est cognitio creaturarum in verbo; non solùm cognoscit angelus omnia simul sed etiã vnica immutabili visione beatifica. si verò de vespertina, quæ est cognitio creaturarum in se; Sic non est mens August., vt docuit Capreol quòd angelus omnia in momento, vel in instanti nostri temporis cognoscat, sed breuissimè, & summa velocitate. Quod si fortè August. in hoc excessit, angelis plus tribuendo, quàm oportet, vt suam sententiam de sex diebus in mentibus angelicis explicaret: in hoc eius sententiæ non assentitur, quamuis in alijs probabilem explicationem possit habere. Nam, & idem August. in alijs locis fatetur, angelos non omnia simul cognoscere, sed moueri per tempora secundum varias cognitiones, vt docet 8. de Ge. ad lit. cap. 20. & 21. & lib. 9. cap. 14. in fine.

3116 Ad 2. Obiect. Resp. illam impotentiam prouenire ex limitatione.

Ad fundamentum petitum à ratione. Respondeo ex limitatione prouenire illam impotentiam, & ideò non est simile exemplum Dei, qui ratione suæ infinitatis, & immutabilis necessariò omnia vno actu cognoscit; imò ex hoc inferimus, soli Deo hæc conuenire, angelo verò, quia est creatura, vt ens mutabile, vt nunc aliqua obiecta, nunc alia cognoscat.

Ad 1. Cõfirm. Resp. neg. antecedens.

Ad primam confirmationem. Resp. negando antecedens, quia species de se, nec naturaliter agunt, nec liberè, sed subordinantur in agendo potentię, cui insunt; sicut alij habitus, non enim sunt formę per se actiuæ tanquam integra principia proxima, sed sunt ad adiuuandam potentiam intellectus, & tanquam instrumenta eius, & ideò nunc agunt quando potentia illis vtitur; intellectus autem natura sua est subordinatus voluntati quoad exercitium actus, & ideo etiam vsus specierum à voluntate pendet. Ad secundam confirmationem dicimus, Dub. sequenti.

3117 Ad 2. Cõfirm. Resp.

DVBIVM VNICVM.

An Angelus necessariò se cognoscat.

3118 *Opinio, ac 1. Obiectio Vasq.*

IN hac re Gregorius *dist. 11. q. 2. in vltimis verbis quæstioni* indecisum relinquit, an possit angelus per suam libertate simpliciter se omni intelle-

ctione priuare? Gab. Vasquez. *in hac 1 p. disp. 219. capitul. 3.* cùm fateatur, nullum esse Theologum, qui asseruerit, posse angelum à sui cognitione cessare. ipse tamen ait, nullo firmo fundamento nitis & impugnet eã primò, quia nihil est quod moueat angelum necessariò ad sui cognitionem. Nec obstat dicere, quòd cogitatione sui non impeditur angelus ab alij cogitationibus, tum quia etiamsi non impediatur, potest pro sua libertate cessare; tũ etiam quia se impedit, quia non potest, dum se cognoscit, tot alia obiecta cognoscere, quot posset, si à sui cogitatione cessaret. Secundò, nam omnis operatio vitę est volũtaria in natura intellectuali; quia perfecta est, & ad eius perfectionẽ pertinet. Tertio; quia licèt viuentia vegetabilia, & sensibilia, quoad aliquas actiones naturales cessare non possint, tamen animalia cessant ab omni operatione sensus, sicut ab omni operatione intellectus, ergo, & angelus cessare poterit. Quartò, quia esto angelus cessaret à sui cogitatione, sẽper esse posset in actuali operatione vitæ; nam posset cessare à quolibet determinato actu, licèt collectiuè, & confusè non possit ab omni actu cessare. Quintò, quia licèt angelus cognoscat se per suam essentiam, & essentia non est intellectio sui, sed per modum speciei; vnde sicut potest angelus cessare ab vsu aliarum specierum, licèt illas habeat à principio, ita ab vsu suę essentiæ per modum speciei.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Dicendum est tamen, Cognitionem angeli de se ipso esse naturalem, nec posse ab illa cessare. Ita D. Th. in hac 1. *parte qu. 56. art. 1. ad 3. & qu. 8. de veritat. art. 6. ad 6 & art. 14. ad 6.* Caiet. *in hoc art.* Valentia, Bannes, Zumel, Suarez *lib. 2. cap. 35.* Auersa *qu. 58. sect. 1.* & communiter recentiores, & ex antiquis tenuit hanc sententiam *Capreol. 2. d. 3. q. 2. art. 3. ad 2. Aureol. contra q. concl. & ad 6. contra eandem concl.* Ferrar. *lib. 2. contr. Gent. cap. 97.* Durand. *D. 3. q. 8. num. 6.* Heru. *2. d. 3. q. 4. ad* 1. Aegid. *ibi 2. part. d. q. 2. art.* 1. *dub.* 1. Hæc conclusio demonstrari non potest, tamen probabili, & verisimili fundamento nititur. Primò, quia ad perfectionem angeli spectat semper esse in actu secundo, vt sic aliquo modo imitetur Deum, qui semper in actu secundo, licèt Deus adæquatè, angelus inadæquatè, sed nulla operatio, & actus secundus potiori iure est angelo tribuendus, quã operatio intellectus, quæ est prima, & nobilissima proprietas, à qua reliqua pendent; obiectum vero huius operationis nullũ aptius cogitari potest, quàm propria substantia, quę proprio intellectui est maximè proportionata; ergo semper illam actu cognoscit.

3119 *Conclusio cognitio Angeli de se ipso est naturalis, nec potest ab illa cessare.*

3120 *Prob. 1. quia ad perfectionem Angeli semper esse in actu secundo.*

Secundo, & fortiùs; quia si angelus a sui cogitatione cessaret, postea non posset, se liberè ad aliquid cogitandum applicare; consequens est absurdum, ergo, & antecedens: sequela probatur; quia vel angelus cessando à cogitatione sui, cessat simul ab omni alia cogitatione, vel in aliqua permanet; si dicatur primum; ergo debet cessare ab omni actu voluntatis, quia nil volitũ, quin pręcognitum; atquè adeo nunquã poterit se reducere ad actũ intellectus; quia cũ non moueatur à voluntate propter rationem dictã, nec ab alia causa extrinseca, sicut homo à phantasmatibus excitatur, quia nulla creatura potest intellectũ angeli immutare, igitur non poterit angelus se reducere ad actũ intelligendi; si vero dicatur secundũ, scilicet nõ cessare angelũ ab omni actu, licet cesset à cognitione sui idem redit argumẽtũ quoad omnia alia, quæ actu nõ cõsiderat, quæ non proponuntur per actũ, in quo perseuerat; nec ille actus est directa, & reflexa, nec cõfusa cognitio illorũ ergo illa cogitatio non sufficit, vt possit se liberè ad alia obiecta omninò disparata applicare.

3121 *Prob. 2. quia si Angelus cessaret à sui cogitatione, non posset postea se liberè ad aliquid cogitandum applicare.*

Dices, non esse necessarium, quod ad omnem volitionem præcedat actualis, sed sufficit habitualis cognitio, quam per ipsam speciem habet.

3122 1. *Euasio.*

Sed contra hoc est; quia principium generale ab Augustino 10. *de Trinit. cap.* 1. desumptum, quòd voluntas non fertur in incognitũ, de actuali cognitione

Precluditur. quia principiũ D. Augustini, intelligitur de actuali cognitione.

cognitione intelligitur; & eamdem rationem habet in omni volitione, nam habitualis cognitio nō excitat, nec mouet voluntatem, vt per se notum est quia per illam, nec cognoscimus, nec videmus obiectum, & posita quacumque specie in intellectu, si Deus auferret concursum ad actum cognoscendi, iā ignorans actu esset intellectus, sicut, si nullam haberet speciem, quo fundamento destruitur quædam responsio Gregorij distinguentis notitiam directam à reflexa; nam in quacumque locum habet illud principium Augustini, nil volitum, quin præcognitum.

3123 *2. Enasio.* Respondet Vasquez ad eliciendam primam cognitionem cuiuslibet obiecti, determinari Angelū immediatè a Deo, quem in hoc sequitur Auersa loco citato: ea autem cogitatione posita, poterit Angelus suo actu voluntatis se determinare, ad eum modum, quo in materia de gratia dicitur in negotio nostræ iustificationis, initium à Deo petendum esse, quam ipse vocat cogitationem congruam, & ait, esse veram gratiam, de qua Sancti, & Concilia loquuntur, esse necessariam ad salutem etiam respectu cuiuscumque boni operi naturalis.

Præcluditur 1. quia incredibile videtur non posse Angelum se determinare ad intelligendum. Sed licèt verùm sit, huiusmodi cogitationes nō solùm nobis, sed etiam Angelis imprimi posse à Deo ex speciali, & gratuita prouidentia, licet alioqui attento ordine causarum naturalium non haberentur, & tunc magis peculiari titulo referretur in Deum illud bonum opus morale, sicut, & alia bona naturalia, quæ à particulari Dei prouidentia oriuntur, tamen sicut ad suauem diuinæ prouidentiæ dispositionem pertinet, vt hoc ipsum sæpè in nobis faciat medijs causis naturalibus, quæ naturaliter applicatæ, naturaliter determinant ad primam alicuius obiecti cogitationem, ita pertinet ad eamdem prouidentiam in Angelis; & incredibile videtur, nunquam posse Angelum se determinare ad alicuius obiecti cognitionem, nisi Deus immediatè, & sine interuentu causarum naturalium determinet eius intellectum, & hoc semper, & in omni tempore, in quo Angelus de nouo cogitat de aliquo obiecto: vnde consequenter non erit in eius electione potiùs de hoc, quàm de alio cogitare, sed necessario determinabitur à Deo immediate immittente primam cognitionem necessariam.

3124 *Præcluditur 2. quia sequeretur, non esse in potestate Angeli auertere vnam cogitationem, transeundo in aliam.* Secundò sequitur, non esse in potestate Angeli auertere vnam cogitationem transeundo in aliam; quia non potest se libere applicare ad aliam cogitationem; nam illa, cùm sit prima respectu noui obiecti, à Deo solo immitti potest in illa sententia, imo neque suspendere primam, atque adeo nulla erit libera quod exercitium, & consequenter nec inconsideratio aliqua poterit Angelo imputari, quod est contra omnes Theologos dicentes, Angelos ex inconsideratione peccasse: quia si consideratio non est in potestate Angeli, neque inconsideratio illi imputabitur, probatur, non posse suspendere; quia illa suspensio sine positiua voluntate fieri non potest, hęc autem sine noua cogitatione haberi non potest, quæ non est in potestate Angeli.

Instabis. Nec valet dicere, cogitationem Angeli esse eminenti modo reflexam; nam dum cogitat, eodem actu scit, se cogitare, & hoc sufficere, vt possit habere voluntatem non cogitandi.

Respondetur. Sed contra hoc est; nam satis non est, vt cognoscat; se cogitare, vt velit cogitationem suspendere, sed opus est, vt cogitet bonum, vel vtile, aut conueniens esse, cogitationem suspendere, quod non cogitatur per primū actum, atque adeo est necessarius nouus actus, igitur non est in eius potestate primum cogitationem suspendere.

3125 *Præcluditur 3. quia sequeretur Dæmonum cogitationes, esse immediatè immissas à Deo.* Tertio sequitur, Dæmonum cogitationes, quæ pessimæ sunt, & illorum prauæ intentioni, & voluntati proportionatæ, esse in illis immediatè immissas à Deo ex necessitate, quod est absurdum, quia sic esset moralis causa peccati non minus, quā boni operis supernaturalis propter cogitationem Sanctam, & congruam, quam immittit homini: vnde initium iustificationis ortum habet, quia cogitatio mala ex se est alliciens, & inducens hominem, & ad Dæmonem peccandum.

3126 *Petes.* Petes, *qua ratione Angelus se determinet ad cognoscendum modo hoc, modò illud obiectum.*

Resp. Angelū seipsū determinare ad liberā cognitionē illorum obiectorum. Resp. sequi ex dictis, Angelum se ipsum intueri, & per hanc cognitionem determinari ad liberam cognitionem illorū obiectorū. Quod in hunc modum declaratur; quia cùm Angelus necessariò cognoscat suam substantiam, eaque cognitio non solùm sit quidditatiua, sed etiam comprehensiua, & intuitiua, necessario, & cognoscit, & intuetur species, quas in se habet, & in illis tanquam in obiectis cognitis potest confusè saltem, & imperfectè cognoscere, quarum rerum sint; nam species intelligibiles sunt naturales repræsentationes suorum obiectorum: ab hac ergo necessaria cognitione omnium specierum, & obiectorum determinatur Angelus, vt modò velit distinctè, & in particulari cognoscere obiecta, quæ ab ista species repræsentantur, modò vnum, modo aliud, & modo alia, quæ ab altera specie repræsentantur.

3127 *1. Obiectio.* Hæc autem doctrina illustrior fiet soluēdo triplicem obiectionem, quæ contra illā fieri potest. Prima, quia hęc ratio solum procedit de speciebus Angeli, non verò de cognitione suæ substantiæ; nā per suam substantiam non cognoscit species, vt suo loco diximus.

Resp. quia cognitio Angeli est comprehensiua, necessariò terminatur ad essentiam, & species. Respondeo, concedendo, cognitionē specierum esse necessariam, & species ipsis esse obiecta intelligibilia, nec cognosci per substantiam Angeli, quæ solū deseruit ad cognitionē suæ substantię, & proprietatum, quæ ab illa manant, quales nō sunt species: nihilominùs quia illa cognitio intuitiua, & comprehensiua est, necessario terminatur ad omnes formas necessario petitas, & existentes in Angelo, ita vt naturaliter neque substantia sine speciebus, nec species sine substantia intuitiue, & comprehensiue cognosci valeant, tota autē hæc cognitio est in Angelo necessaria, tū ad maiorē perfectionē, & actualitatē angeli, tū ad vsum liberum suarum potentiarum, nā licet hæc cognitio sui, & formarū, & perfectionum in illo existētium sit actus secundus; tamen in ordine ad subsequentes actus cōparatur vt actus primus, quatenus ad illos disponit, & angelū in vltima præparatione cōstituit.

3128 *2. Obiectio.* Secūda obiectio, quia hinc sequitur, angelos cognoscere simul omnia, quorū species habent, quia cognoscendo angelus suam speciē, cognoscit, quā rem vnaquæque repræsentet, alioquin non posset excitare voluntatē ad velle cogitandū de hoc, vel illo obiecto.

Resp. conced. totū de cognitione confusa. Respondeo, totū esse verum, cognitione solum confusa, & imperfecta saltim quoad *An est*, non vero cognitione distincta, clara, & quidditatiua, quæ ratio communis est omnibus rebus respectiuis.

3. Obiectio. Tertia obiectio, quia illa omnia, scilicet suā essentiā, proprietates, & species, non intelligit angelus vno actu simplici, quia hoc excedit limitationē intellectus angelici, & quia si Deus de nouo infunderet speciē in angelo, illā cognosceret, atque adeò per distinctū actū, ergò, & alias species eodē modo cognoscit, neque pluribus actibus, quia incredibile est, tot actus simul fieri in angelo, quot habet species intelligibiles præter cognitionem suę substantiæ, & aliarum rerum.

3129 *Resp. probabiliùs esse, hæc omnia cognosci ab Angelo, vnico actu.* Respondeo, probabiliùs esse, hæc omnia cognoscere vnico actu, quia seipsum cum omnibus suis accidentibus necessarijs per modū vnius obiecti angelus intuetur, & ideo licet species distinctæ sint nihilominus constituunt obiectū actu intelligibile cū intellectu, & substātia angeli: ideo que possunt illæ formæ omnes, seu entitates per modū vnius principij proximi ad vnū actū efficiendū simul partialiter concurrere, & hoc videtur congruentius ad rationem comprehensionis, de cuius ratione est, vt sit vnus actus: quod si Deus infunderet aliā speciē non debitam angelo, illam distinctō

actu

actu cognosceret, non verò per nouum modum priori actui additum, quia si non est actus distinctus, non apparet, quid possit esse ille modus, neque hæc excedit limitationem perfectionis Angelicæ, cui omnes hanc comprehensionem sui concedunt, neque est necessaria ad hanc cognitionem tanta virtus, & attentio, quæ capacitatem intellect⁹ Angeli excedat, & proprietates ab ipso emanantes.

Primum actũ cogitãdi aliquid extra se fuisse liberum angelo conditum. Vnde consequenter dicendum est, primum actũ cogitandi aliquid extra se fuisse liberum Angelo, & non necessarium ab authore naturæ; quando autem D. Th. ait, Angelum in primo instanti creationis non potuisse peccare, quia tribueretur auctori naturæ, loquitur de speciali prouidentia, quam in illo instanti habuit erga suas creaturas liberas, de quo multa inferiùs.

3130 *Ad 1. Obiectionem Vazquez Resp. Deum dedisse angelo cognitionem suã necessariam, quia non deficit in necessarijs.* Ad fundamenta Gabrielis Vasquez. Ad primũ iam adducta est ratio, ob quam natura dedit Angelo cognitionem sui necessariam independenter à voluntate, quia cùm non deficiat in necessarijs, in eo ad propriam vitam intellectualem, & liberam exercendam, necessarius fuit actus necessarius, quo plenè intueatur, qui esset origo, & fundamentum primæ volitionis, & aliarum cogitationum, quod confirmat dictum Commentatoris lib. de cęlo cõment. 8. asserentis, in rebus omnibus omnes motus difformes ad aliquem vniformem reduci, maximè si illo indigent, vt in eo fundentur: Vnde carentia talis actus est adeò contraria naturæ angelicæ, vt non sit appetibilis ab ipsa, sicut non esse sui; & ideo non fuit conueniens, talem actum subijci voluntati quoad exercitium, sed per modum naturalis proprietatis consequi ad substantiam Angeli coniunctam suo intellectui, neque ideo impeditur Angelus ab alijs cognitionibus, quæ simul iuxta suam virtutem operari potest.

3131 *Ad 2. Resp. primum actum angeli fuisse voluntarium naturaliter, nõ liberè.* Ad secundum. Respondeo, si per voluntariam intelligat liberam, negando antecedens; quia hic actus est necessarius in Angelo, vt sit fundamentũ aliarum intellectionum, sine quo deficerent, & ideò sicut motus cordis, & alij motus naturalis, seu pulmonum, animam sensitiuam, seu vegetatiuam necessario consequuntur, ita hic actus naturã Angeli, non ex eadem necessitate tuendi vitã, quæ in Angelis non potest deesse, sed ex imperfectione non essendi in actu completo intellectuali; atque adeo capacitas mutationis ab vna intellectione in aliam, ratione cuius est necessarium Angelo, habere hunc actum naturalem, vt dictum est.

3132 *Ad 3. Resp. esse diuersam rationem in angelis, hominibus, & animalibus, quò ad cognitionem sensus, & intellectus.* Ad 3. Respondeo, esse diuersam rationem in Angelis, & in hominibus, & in animalibus quoad operationes sensus, & intellectus; quia sensus, cùm extrinsecè excitentur ab obiectis per impræssionẽ specierum, tùm propter hoc, tùm propter suam imperfectionem, non indigent aliquo actu intrà potentiam necessario, quò excitentur ad alios actus circa alia obiecta; & idem est in homine, qui excitatur à phantasmatibus; at verò Angelus neque excitatur ab obiectis, quia non recipit ab illis species, neque ab alio extrinseco; Vnde si semel cessaret à cognitione sui, & suarum specierum, non posset applicari à voluntate ad cognitionem alicuius

3133 *Ad 4. Respond.* obiecti. Ad 4. Respondetur, quod esto Angelus non cessaret ab aliquo actu hoc, vel illo indeterminate, à nullo illorum posset applicari ad alia obiecta diuersa, & disparata, vt dictum est.

Ad 5. Respond. Ad 5. Respondeo, Angelum non posse cessare à cognitione sui, & suarum specierum, vt obiecta intelligibilia sunt, propter rationem dictam, licet possit cessare ab vsu aliarum specierum, quatenus sunt media, *Quo*, seu signa formalia ad distinctè, & quidditatiuè cognoscendas alias res.

3134 *Petes 2.* Petes 2 *Quid de Deo, & alijs creatis obiectis extra Angelum sentiendum sit, An sit cognitio necessaria in Angelis.*

Resp. ex dictis colligi 1. angelum semper esse in actuali cognitione Dei, cognitione respectiua. Ex dictis constare primò; Angelum semper esse in actuali cognitione Dei, cognitione respectiua; quia ex cognitione propriæ substantiæ necessario ex vi eiusdem cognitionis venit in notitiam sui Conditoris, & sicut hic respectus Angeli ad Deum nõ potest ab eo separari, ita neq; in cognitione notitia termini simul cũ cognitione illius habitudinis, vt diximus suprà: at cognitio directa, & absoluta, qua Angelus cognoscit Deum, eumque intelligere conatur, quantum potest, quoad *Quid est*, hæc est libera, & potest non esse in Angelo propter dicta, tom. 1. q. 2.

3135 *2. Corollarium angelum nullius obiecti creati, extra se, habere cognitionem naturalem necessariò.* Colligo secundò; Angelum nullius obiecti creati determinati, & extra se, habere cognitionem naturalem necessariam, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio; in nullo n. datur sufficiens ratio ponendi talem necessitatem, dixi *determinati obiecti* nam indeterminatè, seu indefinitè, itaut nunquam moueatur ab actu ad non actum, sed ab vno actu, ad alium, probabile est, non posse Angelũ cessare ab omni actu, sed semper esse in actu adæquato suæ virtuti intelligendi. Ita videtur sentire D. Thom. qui vbique ait, Angelum semper esse in actu adæquato suę virtuti intelligendi, præcipuè in hac prima parte *q. 50. art. 1. ad 1.* exponendo Damascenum *lib. 2. c. 3.* dicentem, *Angelum esse in perpetuo motu, & q. 56. art. 1. ad 3*, & in alijs locis, &c. videtur hoc valde consentaneum rationi, & naturę angelicæ perfectionis; nam semper esse in actu intelligendi completo, pertinet ad perfectionẽ, quod angelus potest facere sine fatigatione, & impedimento: cur ergo ab omni eo actu desistet? quamuè vtilitatem affert tali naturæ? igitur verisimile est intellectum angeli non esse natura sua subordinatum voluntati quoad puram suspensionem actus, sed ad hũc, vel illum determinatè, quod etiam de hominibus multi autumant, saltim quando non dormiunt, vel volũtatem ipsam esse natura sua determinatam ad intellectum tali modo, & non alio mouendum; quia perfectio naturalis hunc modũ existendi in actu virtuno postulat, licèt illi sit liberum, hunc, vel illum actum elicere, & ab vno in alium transire. Ita Franc. Suarez *lib. 2. c. 26.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Angelus simul possit plura intelligere.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONcl. Angeli simul intelligunt supernaturali cognitione, ea, quæ vident in verbo, & cognitione naturali ea, quę per vnicam speciem repręsentantur. Prob. sicut se habet motus ad terminum, ita proportionaliter intellectio ad obiectum: quia sicut ad vnitatem motus, requiritur vnitas termini, ita ad vnitatem intellectionis, requiritur vnitas obiecti. Sed vnus motus non potest terminari ad plures terminos. ergo. Neque vna intellectio potest terminari ad plura obiecta, vt plura.

Arg. 1. Dicit Philos. in 2. topic. *Quòd cõtingit multa scire, vnum autem tantum cõtingit intelligere.* Resp. Quòd multa, vt vnũ accepta, sunt quodammodo vnum. Vnde per hoc, quòd intellectus intelligit multa vt vnum, quodammodo vnum tantùm intelligit.

Arg. 2. Sicut se habet figura ad corpus, ita species intelligibilis ad intellectũ. Sed vnũ corpus non potest informari diuersis figuris. ergo nec intellectus pluribus speciebus, dum plura intelligit. Resp. neg. conseq. quia intellectus, dum intelligit plura, vt vnum, nõ informatur pluribus speciebus, sed vna, secundùm quam multis assimulatur.

Arg. 3. Nullus motus simul potest termi-

nati ad diuersos terminos. Sed intelligere est quidam motus. ergo. Resp. ad ma. quòd nullus motus potest terminari ad diuersos terminos, vt diuersi sunt, sed vt sunt vnus terminus: sic & intellectio non terminatur ad plura obiecta, vt plura, sed vt vnum.

DISPVTATIO. CCXCII.

Quomodo Angelus possit plura per vnam speciem intelligere.

3136 Dupliciter angelus potest multa intelligere. Primo modo, vt in eodem ordine plures species contineantur.

Dvpliciter angelus potest multa intelligere: vno modo per vnā, alio modo per plures species: Dupliciter autem plures esse possunt species; vno modo, vt in eodem omnes ordine contineantur: quales sunt omnes species ex angeli substantia naturaliter effluētes: nulla n. ex illis est alteri subordinata, nec vis vnius repræsentatiua continetur in altera formaliter, aut eminenter, seù virtualiter: sed quælibet proprio commensuratur obiecto, ab eo, quod altera repræsentat, omnino distincto, & omnes habent eundem intelligibilem essendi modum, vt explicat Ferrarien. in 1. contra gent. c. 55 ad tertium dubium.

3137 Alio modo, possunt plures esse species, quæ ordinem ad inuicem habeant essentialem.

Alio modo possunt plures esse species, quæ ordinem ad inuicem habeant essentialem: ita vt obiectum, siuè rem quam repræsentat inferior, nobiliori modo, aut sub ampliori obiecti ratione repræsentet superior; quales sunt essentia diuina, per quam angeli Beati Deum, & totum ordinem vniuersi cum singulis eius partibus distinctè contemplantur, & propria cognoscentis angeli substantia, per quam supra diximus, angelum vniuersa, licèt imperfectè cognoscere, & species qualibet intelligibilis ad vnum formaliter obiectum determinata: hæc enim tertia secundæ, & secunda primæ subordinatur, vt infrà præcipuè declarabimus: species autem eiusdem ordinis dupliciter possunt considerari: ac proinde potest eis Angelus dupliciter vti; Vno modo absolutè, prout scilicet, quælibet proprio commensuratur obiecto; Alio modo, prout extrema sunt in repræsentando relationes aliquorum, puta duorum similium, aut dissimilium, siuè differentium, vel quatenus per angelicæ voluntatis vsum ad vnam confluunt obiecti rationem integrandam, & totam simul ab angelo cognoscendam.

3138 Item. intelligere potest plura simul, vel per modū vnius, vel per modum plurium.

Sed præterea, siuè plura simul per vnum, siuè per plures species eiusdem ordinis intelligat angelus, dupliciter opinari possumus, angelum ea cognoscere, scilicet vt vnum, siuè per modum vnius, & vt plura sunt, siuè per modum plurium. Et rursum recentiores inquirunt, nunc plura simul vna, vel pluribus intellectionibus, aut etiam conceptionibus actu cognoscat, & an omnia sub eadem specie simul existentia singularia, simul etiam possint ab Angelo cognosci. Et quoniam Angelus eodem actu, quo suam contemplatur essentiam, omnes etiam illius naturales perfectiones intuetur: ex quibus ea potissima est, vt sit omnia secundùm esse intelligibile per additas illi species ex ipsamet essentia profluentes, meritò quærit hic Caietanus, & alij post eum, nunc angelus se ipsum, & species omnes suas intelligibiles per suam essentiam intelligens, simul etiam omnia per species repræsentata cognoscat. vnde

3139 Petes.

Petes. Quomodo plura per vnam speciem repræsentata cognoscantur ab angelo.

Resp. posse angelum, ea quæ per vnam speciem intelligibilem cognosci possunt, ea cognosci, tanquam vnum intelligibile.

Posse Angelum ea, quæ per vnam speciem repræsentantur, simul intelligere, non tamen pluribus actibus, & conceptionibus, ita Diu. Tho. hic dicens: Quæcumque per vnam speciem intelligibilem cognosci possunt, ea cognosci tanquam vnum intelligibile, atque adeo simul cognosci. Quod etiam explicat latè Ferrariens. in 2 cont gent. cap. vltimò, probans ex doctrina D. Thom. de verit., quæst. 8. art. 13. angelū vtentem vna specie, non necessariò simul omnia considerare, quæ sunt per eam cognoscibilia, sed posse, vel simul omnia, vel quædam, aut vnum tātùm, prout voluerit, considerare: quemadmodum etiam intellectus humanus per speciem hominis potest, vel totam hominis quidditatem, vel vnam aliquam tantùm eius rationem considerare.

3138 Hanc sententiam D. Tho sequuntur Bānez, Zumel, & alij.

Quam sententiam sequuntur, & pluribus argumētis confirmant Bannes in prima ex secunda sua cōclusione, & Zumel in sua quæst. 2 ad hunc articulum in 1. 2. & 3. sua conclusione: qui tamen in 4. affirmat esse probabile, non posse Angelum vnico simul ea cognoscere, quæ ad omnia singularia eiusdem speciei pertinent: Quæ tamen conclusio satis efficaciter confutatur illis argumentis, quibus idem expositor probat primam suam conclusionem, videlicet posse Angelum distinctè, & perfectè cognoscere simul omnia, quæ repræsentantur per vnam speciem; etiamsi illa sint specie, vel genere distincta. Ex quibus illud præcipuum est, quod species Angelicæ sunt commensuratæ, & proportionatæ lumini intellectus angelici: quod fit, vt Angelus sufficiens habeat lumen ad vtendum perfectè, & adæquatè quacumque specie sibi indita. Cum itaque talis species secundum se possit obiectum suum secundum totam eius latitudinem repræsentare, consequens fit intellectum simul omnia per eam repræsentata posse distinctè cognoscere.

3139 Quæres.

Sed quærunt expositores prædicti, Num possit Angelus pluribus, ac distinctis actibus, & conceptibus simul cognoscere plura per vnam speciem repræsentata.

Sententia Bānez, & Zumel refertur.

Bannez in 3. sua conclusione ait; esse probabile, intellectum Angeli per eamdem speciem vniuersalē posse formare diuersos conceptus, maximè circa distinctas quidditates speciei differentes in esse entitatiuo, quamuis conueniant in esse intelligibili, sub eadē specifica ratione: addit tamen quartam conclusionē negantem, posse Angelum plures simul habere cognitiones, quarum quælibet sit perfecta, & habeat totam intensionem, quam habere potest ex virtute intellectus Angelici. Et Zumel quæst sua prima concl. 5. in fine sentit, Angelum non posse per vnam speciem plures simul actus inadæquatos elicere, & qu. 3. concl 2. negat, Angelum posse plures vnius speciei conceptus inadequatos elicere.

3140 Vera sententia angelum non posse per vnam speciē plures simul actus inadæquatos elicere

Quæ sententia verior est, & principijs philosophiæ consonantior. Ratio potissima est quia duo actus, vel formæ eiusdem speciei, vel generis proximi simul esse non possunt in eodem subiecto secundum esse completum, vt expressè docet S. Thom. in quinto Metaphysic. text. 15. & infra quæst. 85. art. 4. & de verit. quæst. 8. art. 14. vbi ait formas eiusdem generis, prout sunt in actu perfecto simul esse non posse in eodem subiecto, quoniam oporteret eandem potentiam ad diuersos actus terminari. quod est impossibile, sicut, & vnam lineam ex vna parte terminari ad diuersa puncta: quam rationem explicat eruditè Iauellus in 5. Metaph. q. 18.

1. Ratio.

3141 2. Ratio, quia inter illos duos actus nulla assignari potest differētia.

Sed alia Ratio specialis de actibus per eandem speciem elicitis, proferri potest, probans, duos tales actus simul esse non posse, quia nulla posset inter eos realis assignari differentia: Nam eorum distinctio, vel ex principio sumenda esset, vel ex obiecto; at verò talium actuum species eadem intelligibilis esset principium, & vna esset etiam obiecti specifica ratio plures materialiter inter se distinctas continens quidditates: quemadmodum, & obiectum visus, aut scientia sub vna specifica ratione formali plura continet specie, vel etiam genere differentia. Quæ ratio militat de conceptibus etiam intellectiones diuersas per eandem speciem elicitas terminantibus, sunt enim conceptus formæ quædam intelligibiles in actu perfecto non minùs, quàm actus intelligendi per eos terminati; & eodem etiam argumento probatur efficaciter, plures intellectiones, & conceptiones ex diuersis speciebus eiusdem ordinis procedentes simul esse non posse, vt ostendemus inferius.

3142 1. Obiectio.

Possunt multa simul, vt multa, videri, puta nigrū, & album; ergo etiam intelligi: eodem Argumento vtuntur Molina, & Vasquez.

Resp. 1. falsū esse antecedens potentia in sensitiua non

Respondetur primò, falsum esse antecedens, vt ait Sanctus Doctor in dicto Quolib. 7. artic. 2. ad 1. cuius verba sunt: Potentia sensitiua non potest simul multa sentire, sed ex consequenti, inquantum

plura

potest simul multa sentire.

plura accipiuntur, vt vnum: sicut plura sensibilia vniuntur in vna differentia, & plura sensibilia, quæ sunt partes, vniuntur in vno toto: vnde, quando sentitur totum, sentiuntur simul plures partes ex consequenti, & tunc intentio sensus nõ fertur ad aliquam partium principaliter, sed ad totum; quia, si ad aliquam partium ferretur, vt ad sensibile principale, non simul sentirentur aliç: & iterum sensus communis, quamuis sit vna potentia secundùm essentiam, tamen aliquo modo multiplicatur secundùm esse inquantum coniungitur diuersis sensibus proprijs; sicut vnum centrum coniungitur pluribus lineis: Vnde immutationes omnium sensuum terminantur ad sensum communem: sicut motus, qui esset per omnes lineas, posset simul terminari ad centrum: sed intellectus non multiplicatur modo prædicto in plures potentias, ideo non est simile: *Hæc ibi Diu. Thomas*.

3143 2. Resp. sensum posse plura percipere, quia est potentia materialis.

Bannes infra qu. 85. art. 4., alio modo dilnit argumentum negans consequentiam; quia sensus (inquit) cùm sit potentia materialis, & extensa, potest simul plura sentire secundum diuersas partes organi, sicut Sanctus Thomas qu. 79. art. 2., concessit, in homine duabus manibus tangente duos esse tactus; intellectus autem est potentia indiuisibilis. Sed longè dispar est ratio de tactu, & de visu; nam tactus organum habet per omnes corporis partes diffusum, & ideò potest plures simul tangibilium species recipere secundum diuersas partes: At organum visus, quòd est pupilla, in vna minima tantùm est corporis parte, quæ, sicut vna est, sic vnam habet potentiam, ac proindè non plures simul, sed vna tantùm speciem potest actu recipere.

3144 2. Obiectio.

Obiectio 2.: August. lib. 4. super Genesim ad litteram cap. 32. & 34. disertè affirmat, posse Angelum simul cognoscere omnia illa, quæ initio mundi creata fuerunt.

Resp. ly *simul*, non denotare instantaneam coniunctioné.

Respondetur cùm Capreolo in 2. sentent. distinct. 2. qu. 2. ad arg Gregorij contra 4, conclusionem, & cum Bannes, & Zumel super hoc articulo, dictionem illam, simul, *apud Augustinum non denotare instantaneam coniunctionem, sed breuissimum temporis moram, in qua Angelus potest omnia successiuè cognoscere.*

3. Obiectio.

Obiect. 3. Species intelligibilis secundùm suam integram vniuersalitatem, & virtutem habet adæquationem quandam cum lumine, & virtute intellectus Angelici: ergo virtus speciei partialiter respondet parti virtutis intellectiuæ: ita vt, si sint duo partiales vsus eiusdem speciei intelligibilis, in altero explicabitur vna pars virtutis intellectiuæ, & in altero vsu altera; atque adeò explicabitur tota virtus, & actiuitas intellectiuæ virtutis in ambabus, & non in altera seorsum.

3145 Resp. adæquationem specierum omnium cum intellectiua potentia, dupliciter intelligi posse.

Respondetur, Adæquationem specierum omnium cum intellectiua potentia dupliciter intelligi posse. Vno modo, vt species omnes in vsu tantùm, siuè in actu secundò simul constitutę censeantur adæquare potentiam; & hoc est impossibile, vt antè diximus; non enim simul esse possunt omnes in actu secundo, ita, vt intellectus singulorum obiecta distinctè cognoscat. Alio modo, vt absolutè tota specierum multitudo potentiam adæquet intellectiuam eo modo, quo formę omnes receptibiles in materia prima potentiam eius adæquant absolutè: non ita tamen, vt simul esse possint: sed ea ratione tantùm, quòd potentia materia nullam formam respiciat extra totam illam formarum multitudinem: quòd idem dicendum est de potentia corporis respectu albedinis, nigredinis, rubedinis, & de qualibet alia potentia contrarios, vel quomodocumque plures actus respiciente.

3146 Non est possibile, duos esse simul actus eiusdem generis completos in eadem potentia.

Quamuis igitur vna forma secundùm suum esse completum in potentia recepta, eam non adæquet absolutè, cùm, ea dimissa, statim recipiat alteram; non est tamen possibile, duos esse simul actus, siuè formas eiusdem generis secundùm esse completum in eadem potentia propter supradictas causas. & ideò nulla est argumenti consequentia; procedit enim secundùm non causam, vt causam: non enim ideò simul esse non possunt plures species, vt plures in actu secundo in intellectu, quia singulæ virtutem eius adæquent: sed quia contradictionem implicat, pluribus eiusdem generis formis secundum esse completum simul actuari. Et ex ijs alia quædam ruunt eiusdem expositoris argumenta eidem innixa fallaciæ: quibus in sua quæstione prima, conclusione secunda, probare nititur, Angelum posse simul elicere plures actus cognoscendi per plures species.

3147 Confirmatur præcedens doctrina.

Potest autem huius argumenti, fallacia sic euidenter ostendi: si duabus speciebus simul vti potest Angelus, quia non adæquant lumen, & virtutem Angeli intellectiuam, sequitur etiam ob eandem causam posse Angelum ea, quæ per duas illas species repræsentantur, perfectè cognoscere, Probatur sequela; quoniam duæ tantum species, & earum actus secundi virtutem non adæquant intellectus Angelici: quæ maximam respicit specierum, & actuum multitudinem. Respondet Zumel, species Angelicas esse nimis proportionatas: ac proindè res omnes, quas potest Angelus simul cognoscere, repræsentari per vnã speciem, & ideò actum adæquatum vni speciei esse etiam adæquatum lumini Angelico: sed hæc responsio manifestè pugnat, cùm antecedente superioris argumenti eiusdem expositoris.

Euasio.

Præcluditur.

DVBIVM VNICVM.

An, & quomodo possit Angelus ea, quæ per vnam, vel per plures species repræsentantur, simul, & distinctè cognoscere.

3148 Petes 1.

PEtes 1. *An, & quomodo Angelus per tres simul species diuersorum ordinum, & distinctis actibus semper intelligat.*

Resp. Angelum per tres simul species diuersorum ordinum, & distinctis actibus semper intelligere.

Resp. Angelum per tres simul species diuersorum ordinum, & distinctis actibus semper intelligere. Probat. quia tres illæ species, quas supra diximus, essentialiter esse ad inuicem ordinatas, videlicet essentia diuina, per quam Angelus videt Deum, & ea, quæ sunt in vniuerso, substantia angeli per quam angelus imperfectè nouit omnia, & species impressa, qua determinatum cognoscit obiectum, quæ pro vna tantam specie intelligibili computantur: Cùm essentia diuina sit eorum omnium perfectissimum repræsentatiuum, quæ per angeli substantiam, & quamlibet additam speciem repræsentantur, non est cum illis, vt ab eis diuersa numeranda, sicut, nec angeli substantia eum vlla superaddita specie ponit in numerum, sed magis ea completur, & determinatur, vt singulas rerum naturas, & indiuidua distinctè repræsentet: quemadmodum etiam species sensus communis eum nulla sensuum particularium specie ponit in numerum, sed ad idem sensibile cognoscendum, ac si tantùm essent vna species, simul actu concurrunt.

3149 *Quid videat angelus per diuinam essentiam, per suã substantiam, & ex additis speciebus.*

Videt itaque beatus angelus per diuinam essentiam semper Deum, & ea, quibus perfectio constat vniuersi, & per sui substantiam se ipsum, ac Deum naturaliter semper intuetur, & per vnam aliquam ex additis speciebus semper intelligit, vt in superioribus satis ostendimus. Cùm autem tres iam dictæ species sint diuersarum naturarum, & ordinum, necesse est, & eorum actus realiter esse distinctos, & ad distinctos ordines pertinere, nec vnum cum altero, vel alijs esse sumendum, eò quòd superior ad eadem, & plura pertingat obiecta cognoscenda, ad quæ terminatur inferior, & actus superior sit ratio, ac veluti forma inferioris, vt ait Ferrar. in 2. contra gent. cap. 55. Vbi vero vnum est alterius forma, vel ratio ibi quodammodo vnum est, vt ait etiam Sanctus Doctor *de verit. qu. 8. art. 14. ad sextum argumentum.*

3150 *Hi actus, cùm sint ad obiecta plusquam genere diuersa,*

Et cum ad diuersam non solùm specie, sed genere referantur potentiam, nulla repugnantia est, sed summa congruitas, eos actus ab eadem intellectiua potentia simul elici: quamuis enim eas omnes

cõstituunt qua si diuersam potentiam.

omnes vna, solaque vis intellectiua recipiat: diuersarum tamen potentiarum hoc ipso rationem induit, quod diuersi generis, & ordinis est speciebus intelligibilibus informata; quarum quælibet, licèt non sit operationis receptiua, conditio tamẽ est necessaria, vt actione per eam elicita perficiatur intellectus: ac proinde non solam formalem, sed etiam realem saltem extrinsecè distinctionem efficit potentiæ receptiuæ; imò nec species illæ diuersorum ordinum eandem formaliter potentiam respiciunt, vt probat Ferrar. in 1. cont. gent. cap. 55. Plures igitur ex pluribus illis speciebus simul esse potuerunt actus eliciti, & eadem ratione conceptus secundùm eorum sententiam, qui dicunt, in qualibet intellectione formari verbum, etiam in illa, qua se ipsum, angelus intelligit, & in visione beata, qua Deum per eius essentiam intuetur. Nec plures simul esse posse conceptus negat Sanctus Doctor *de verit quæst 8 artic. 14. in responsione sextum Argumentum*, vt ei perperam, imponit Vasquez *disput. 210 cap. 2.* Quæ autem addit aduersam cognitionem rerum in communi, quam Sanctus Doctor Angelo tribuit per eius essentiam erunt inferius examinanda.

3151 *Petes 2.*

Petes 2. *An, & quomodo cognoscat Angelus per diuersas eiusdem ordinis species.*

Resp. angelum posse per plures ordinis species, actus, & conceptiones simul intelligere, prout sunt vnius speciei actus, & conceptionis.

Resp. Angelum posse per plures eiusdem ordinis species, actus, & conceptiones, simul intelligere, prout vnius speciei actus, & conceptionis sunt partes. Caietanus vero hic primo negat, angelum simul per plures species absolutè sumptas intelligere, quia secundum Arist. 4. Metaph. tex. 10. *Qui vnum non intelligit, nihil intelligit*, & in tertio de Anima, *Contingit multa scire, vnum autem intelligere*. Secundo affirmat, angelum intelligere per plures simul eiusdem ordinis species, vt extrema sunt in repræsentando relationis alicuius, siue vt ad vnum referuntur intelligibile relatiuum; Sed infra *q. 85. art. 4.* duo prædictis adiungit.

Plures illæ species, sunt quasi partes vnius tertiæ speciei.

Primum est, plures illas species, quibus intelligit angelus aliquam rerum diuersitatem, esse quasi partes vnius tertiæ speciei, quæ rerum illarum differentiam repræsentat, sicque ad vnum obiectum repræsentandum conuenire, ac proinde, vt sic nõ esse multas, sed vnam, quia vim, ac munus vnius habent, & exercent: Secundum est; posse hic vnã, & plures etiam simul intellectiones interuenire, & si fuerint plures actus intelligendi, semper modum actionis consequi modum formæ: atque adeo, si plures fuerint formæ se habentes, vt vna; plures etiam ad eam consequentes operationes, vnius tãtum modum habetes sicut ex pluribus formis, vel speciebus absolute sumptis, plures etiam absolute consequuntur actiones per modum plurium.

3152 *Species expressa naturaliter est proportionata intellectui, cuius est terminus.*

Ad cuius euidentiam considerandum est, speciem expressam, siue verbum naturaliter esse proportionatum intellectioni, cuius est terminus, & speciei, quæ principium est intelligendi; quare necesse est, vt, si plures fuerint species, & actus intelligendi, plura sint etiam verba, siue conceptus, & qualem plures illæ species, & actus habuerint vnitatem, talem etiam, satis probabile, est speciebus expræssis conuenire. Cùm igitur in ea cognitione, qua per diuersas species cognoscit angelus, aut homo differentiam vnius quidditatis ab altera, species, & actus modum iam dictum habeant vnitatis, eumdem, vel similem vnitatis modum conceptibus oportet inesse: Habent autem species, & actus illi solam ordinis vnitatem, sicut exercitus, & propositio, & dictio.

3153 *Sicut variato ordine terminorum, variatur propositio: ita variato specierum ordine, alia tertia resultat.*

Et sicut ordine propositionis secundùm terminos, vel dictionis secundum syllabas, vel litteras variato, iam non eadem est, sed alia propositio, vel dictio: Sicut enim: hæ propositiones sunt diuersæ *Homo non est animal, & Animal non est Homo*, cum tamen ex eisdem vocibus vtraque componatur: & similiter differt hæc dictio *Mus*, ab hac dictione, *Sum*, licet ex eisdem vtraque constet litteris; sic variato specierum, aut conceptuum ordine, iam alia resultabit species ex pluribus illis aliter ordinatis integrata, nec eadem erit, sed alia conceptio ex pluribus, veluti partialibus conceptionibus coalescens; quod idem de pluribus intellectionibus dicendum est, quæ viarum instar mediæ sunt inter vtrasque species, scilicet impræssas, & expræssas, vt etiam aduertit Bannes *infra q. 85. art. 4.* Cui consentit Vasquez *hic disput. 210. c. 1. & 2.* quamuis non rectè probet. Eam doctrinam, quam hic satis aperte tradit Sanctus Doctor, dictum intellectũ nostrum, simul intelligere subiectum, & prædicatum, prout sunt partes vnius propositionis, & duo comparata secundùm quod conueniunt in vna comparatione; constat autem, subiectum, & prædicatum, & multo magis duo comparata, quę nonnunquam genere, & plusquam genere sunt distincta, non vna tantùm, sed pluribus intellectui nostro speciebus repręsentari.

Potest igitur, secundùm D. Th. intellectus pluribus simul actu speciebus, ac proinde etiam conceptibus, & actibus intelligere, prout iam dictum habent ordinem vnitatis; quod etiam significat Idem Sanctus Doctor de verit. quæst. 8. art. 14. ad. 1. dicens, posse multa, vt vnum simul intelligi, vel per vnam speciem. Potest igitur per ordinis vnitatem vna species, ex pluribus materialiter distinctis adunari, & eadem ratione potuit vnus ordine conceptus ex pluribus materialiter distinctis, veluti partes integrari, similiter actus vnus, ex actibus. Posse tamen hic vnum simplicem cõceptũ interuenire, ostẽdemus infra. 3154

Potest intellectus pluribus simul actu speciebus intelligere.

Petes 3. *An quælibet illarum intellectionum, vel conceptionum, totam habeat, vel habere possit perfectionem, aut intensionem, quæ possit in eas ex intellectus Angelici, vel humani virtute, deriuari.* 3155 *Petes 3.*

Resp. Ferrariensis in 2. contr. Gent. c. 101. in fine eam quidditatem, quæ cæteris comparatur, distinctè cognosci, cæteras autem confuse, quatenùs in vna quadam differentia communi conueniunt; secundum quam ab illa vna quidditate distinguuntur; exempli gratias, cognoscit angelus hominem, vt à brutis rationalitate differentem, cuius oppositam differentiam, scilicet irrationalitatem in cæteris omnibus intuetur, secundùm quam ab homine distinguuntur; Igitur angelus hominem intelligendo, prout à reliquis distinguitur animalibus, hæc etiam omnia cognoscit, prout in irrationalitate conueniunt, & in vna negationum, & differentiæ ratione, siue conceptu continetur, quam responsionem sequuntur Bannes, & Zumel *q. 2. concl. 4.* & alij super hoc articulo.

1 Resp Angelũ cognoscere eã quidditatem, quæ cæteris cõparatur, distinctè; cæteras cõfusè.

Secundo. Respondet Ferrariensis in dicta comparatiua cognitione, cęteras quidditates cognosci per speciem illius quidditatis à qua differre, & remoueri cognoscuntur. Sed hæc responsio aduersatur Arist. *in 3. de anima. text.* 157. vbi probat, ponẽdum esse necessariò sensum cõmunem; quia per sensum cognoscimus differẽtiam inter album, & dulce; duorum autem differentia cognosci non potest, nisi per vnam potentiam, qua cognoscatur vtrumque, vt ibidem ait Philosophus, & exponit D. Thom. Qui de differentia quidditatum cognita per intellectum, idem affirmat de mente Philosophi: nimirum eadem intellectiua potentia, necesse est vtranque intelligi quidditatem differentem: Constat autem sensum communem, per speciem albi non intelligere dulce, neque è contra, scilicet per speciem dulcis intelligere album; ergo nec intellectus per speciem vnius quidditatis inteligit alias. Et confirmatur; quia species quælibet suum habet obiectum determinatum, vltrà quod nullũ aliud, siue distinctè, siue confuse repręsentat; ergo per actum vna aliqua specie productum, nihil potest ex ijs cognoscere, quæ per alias species repræsentantur.

3156 *2. Resp Ferrariensis reijcitur, quia aduersatur aristoteli.*

Tertio, Respondent Bannes, & Zumel, angelũ non posse plures simul habere cognitiones, quarũ vnaquęque sit perfecta, & in summo possibilis intensionis gradu cõstituta. Addit Zumel *quæst. 2.*

3157 *3. Responsio angelus non potest plures simul habere*

Concl.

cognitiones, quarum vnaquæq; sit perfecta.

Concl 4. Angelum posse simul elicere plures actus cognoscendi per plures species, qui licet sint imperfecti respectu ipsarum specierum, & virtutis ipsius Angeli, possunt tamen respectu rerum cognitarum esse perfecti. Quorum explicationes, & probationes vide, si placet, apud prædictos expositores. Vbi tamen aduerte duo: Primum est, plures illas intellectiones, & conceptiones nō esse plures actualitates, aut terminos intellectus, sed vnum modo superius exposito; ac proinde simul esse posse: nec eandem esse rationem de pluribus figuris, quibus non potest simul vnum corpus terminari, quoniam hæ nequeunt in vnam aliquam totalem figuram, veluti partes adunari.

Duo aduerte. Primum.

3158 *Secundum est, Angelum per plures species intelligentem, non elicere plures actus.*

Secundum est, Zumel *in sua 3. q. ad hunc articulum concl. 5.* retractare sententiam; affirmat enim esse probabilius, Angelum per plures species intelligentem, non elicere plures actus, sed vnum simplicem tantùm, quo primò, & per se intelligit quid vnum, scilicet habitudinem inter extrema, quę tãtùm concomitanter intelliguntur, quasi partes cuiusdam totius. Quæ sententia mihi non displicet; quemadmodum enim ex pluribus virtutum habitibus elici potest vnus actus, & ex vno habitu sciẽtifico plures habẽte species vnus elicitur assensus, & ex speciebus Montis, & Auri in phantasia formatur vnum Idolum Montisaurei; sic poterit angelus per plures eiusdem ordinis species intelligens, vnũ actum intellectionis vna conceptione terminatũ elicere, cùm præsertim species, nec totalis, nec principalia sint intellectionis principia, sed veluti instrumenta sint immaterialis substantiæ, & eius intellectiuæ potentiæ. Idem tamen Expositor *concl. 6. eiusdem quæst.* reddit ad priorem sententiam.

3159 *Petes 2.*

Petes 4. *Num Angelus, aut homo possit actu simul per plures species eiusdem ordinis, quatenus plures sunt, intelligere.*

Resp. prænotando, differentiã esse, inter habitum, & operationem.

Resp. Prænotãdo primò, differentiã esse inter habitum, & operationem: quod habitus medium locum tenet inter potentiam, & actum secundum, qui est perfecta virtus, & habitus actualis, atque ideò ratio habitus mixtum dicit actum cum potẽtia ad perfectum, & vltimum actum; hic autem est operatio: Iam autem diximus ex Angelici nostri Doctoris sententia, duas eiusdem generis formas in actu perfecto simul esse non posse: eo quod sequeretur, vnam, & eandem potentiam ad diuersos actus terminari, quod est impossibile, non minus, quam vnam lineam ex eadem parte, simul ad diuersa puncta terminari.

3160 *Euasio.*

Sed ait Zumel, intellectum angeli, & hominis posse plura simul intelligere per modum plurium, cognitione tamen remissa, & imperfecta, sicut idẽ subiectum potest affici contrarijs qualitatibus sub eodem genere in gradibus remissis.

Præcluditur. quia qualitates illæ, quæ simul esse possunt in gradibus remissis, sunt actus primi, vel habitus.

Sed hæc solutio in bona philosophia non potest subsistere; nam qualitates illæ, quæ simul esse possunt in gradibus remissis, sunt actus primi, vel habitus, non autem operationes: Deindè operatio, siuè actus secundus ex propria, & quidditatiua sui ratione, perfectio est vltima potentiæ, & habitus illum specificans, & determinans; adeo vt per nullũ vlteriorem actum sit determinabilis; igitur duo illi actus, vt duo formaliter, simul esse possunt in eadem potentia, vel habitu, siuè graduum omnium possibilium habeant intentionem, siue sint ambo remissi, vel alter eorum tantùm; Quamtumuis enim remittatur actus secundus, semper vltima potentiæ perfectio est, & eius terminus: Quod autem huius termini, & actus vltimi sit maior, aut minor intentio, merum accidens est, respectu eius, prout formaliter terminus & actus vltimus est; ac proinde rationem, & effectum non immutat necessariũ, & per se: hīc autem est repugnantia cum altero eiusdem rationis actu, ne simul esse possit in eadẽ Potentia.

3161 *Confirm. quia cognoscens per actualem cognitionem sit ipsi cognitum in esse completo.*

Prætereà, cognoscens per actualem cognitionẽ fit ipsum cognitum in esse completo; ergo plura simul, vt plura non potest actu cognoscere. Probatur consequentia, quia nulla res ad vnam naturam, vel differentiam essentialem determinata potest per aliam determinari, nisi prius illa natura, vel differentia fuerit per alias determinabilis, vt supra quæstione 56. art. 2. diximus de substantia Angeli se ipsum intelligentis: Constat autem intellectionem illam, qua Raphael intelligit Leonem nō esse determinabilem per illam, qua intelligit Cęlum, vel Gabrielem, cum præsertim hic sermo sit de his intellectionibus, quatenus ad plura, vt plura sunt formaliter, terminantur.

3162 *2. Euasio.*

Sed ait Zumel, speciem etiam intelligibilem quantum ad actum informandi, esse completam, licèt non sit quantum ad actiuitatem in actu; & iuxta intentionem (inquit) argumenti, si qua esset repugnantia, deberet oriri, ex informatione pluriũ actuum.

Præcluditur. quia hæc Euasio vim argumenti non tangit.

At hæc obiectio vim argumẽti non tangit; aliud enim est, formam, puta speciem, esse completam quoad actum informandi, quod est, eam esse cõpletam simpliciter; quo ex solo consequitur actu secundo, vt explicat Sanctus Doctor. *Quolib. 7. art. 2.* duorum verò formarum eiusdem generis, vel speciei repugnantia, ne simul esse possint in eadem potentia ex solo procedit eorum complemẽto simpliciter, ex eo namque solo supra notata sequuntur absurda.

3163 *Confirm. exemplo de figuris, quo vtitur S. Th.*

Et ex his patet, exemplum de figuris, quo Sanctus Doctor rem hanc illustrat infra *q. 85. art. 4.* & alibi, esse valdè accommodatum, sicut n. inquit, impossibile est, vt idem corpus secundum idem simul coloretur diuersis coloribus, vel figuretur diuersis figuris, ita nec perfici potest idem subiectum pluribus formis vnius generis, & diuersarum specierum: In complementi namque, & termini ratione formis, ac secundis præsertim actibus, figurisque communi, tota similitudo consistit, adeo vt, sicut vnum corpus vna potest tantùm actu figura compleri, & terminari, sic, & vna potentia vnam tantùm potest habere formam, complementum, & terminum. Cum igitur vltimum intellectiuæ potentiæ complementum, & terminus sit intellectio plures nunquam, vt plures, simul esse possunt intellectiones in intellectu.

3164 *3. Euasio.*

Sed ait Zumel primò, quamuis intellectus pluribus simul terminari nequeat actibus adæquatis suo obiecto secundum totam eius extensionem, posse tamen terminari pluribus actibus circa plura obiecta partialia; sicut corpus secundùm totam suam extensionem vna tantum potest figura terminari, cum tamen secundum partes suas diuersas, possit diuersas habere figuras. Secundò addit vnã intellectionem non actuare totam capacitatem intellectus, sicut vna figura totam actuat corporis, & quantitatis capacitatem.

Præcluditur. quia falsum est in vno corpore, plures esse posse figuras actu distinctas.

At rudis est vtraque responsio; falsum est enim primò, in vno corpore plures esse posse figuras actu distinctas secundum plures corporis partes: Sicut enim corpus, licet plures habeat partes, quæ singulæ possint ab inuicem separari, & in quadam totalitate, & actualitate, seu complemento constitui: dũ tamen sunt actu partes totum integrantes, propria carent totalitate, sic & earum figuræ ad vnam totius corporis figuram pertinent, vt eius partes, licet partibus à toto separatis, tot etiam fiant actu figuræ, quot partes: at plures actus intelligendi non affirmat dictus expositor esse partes vnius totalis intellectionis, sed singulos constituit actu distinctos, & eandem potentiam actu terminantes: Et quamuis vnus actus ad vnum inadæquatum obiectum terminatus non adæquetur potentiæ simpliciter, illi tamen adæquatur, prout in hoc actu semetipsum non exercet, eo quod proprius, & vltimus potentiæ terminus sit operatio.

3165 *Potentia secundum se ipsam per vnum actũ*

Igitur potentia nunc, secundum se ipsam per vnum actum secundum terminata, non poterit simul alio terminari, quamuis possit, hoc actu dimisso, alterum longe perfectiorem elicere; sicut

corpus

terminata, nō potest simul alio terminari.

corpus cereum vnam habens nunc imperfectam figuram, aliam simul habere non potest; licèt perfectiorem, hac expulsa, possit acquirere. Cùm n., vt ante diximus, operatio sit vltimus potentiæ terminus, & complementum, ad quod essentialiter ordinatur, & ex quo denominatur simpliciter, idest, sine addito terminata, siue completa, sicut impossibile est, vnam specificam naturam pluribus specificis differentijs simul actu determinari, ita fieri nullo modo potest, vt vna virtus operatiua pluribus, vt plures sunt, operationibus actu terminetur; sicut nec vna linea potest ex eadem parte pluribus punctis terminari, Vide, si placet, D. Tho. *Quodl. 7. art.* 2. Ex dictis soluitur etiam alia difficultas de pluritate conceptuum, plures enim conceptus per plures actus formantur intelligendi: cum itaque plures actus simul esse non possint, nec plures, vt plures, poterant simul esse conceptus.

Petes 5.

Petes 5 *An possit angelus omnia per species repræsentata, imperfectè cognoscere.*

Resp. prenotādo, Angelu per suam essentiā, seipsu, & suas perfectiones simul intelligere

Resp. In hoc totam positam esse difficultatem, quod per suam essentiam potest Angelus se ipsum, & suas omnes perfectiones simul intelligere; summa vero Angelicæ substantiæ perfectio est, vt sit non solùm ipsa, sed etiam alia, secundùm esse intelligibile, seu intentionale. Iam enim supra diximus, inditas Angelo fuisse species intelligibiles ad supplendum id, quod Angelicæ substantię, & intellectui deest naturaliter, vt scilicet omnia sit in esse intelligibili; Igitur per suam essentiam cognoscit Angelus, se esse tale ens quidditatiue, & esse alia intentionaliter, & hoc ipso, quod alia se esse sic intelligit, res omnes, quæ per illud esse intentionale sūt in eo, cognoscit.

3166 *Intelligibilia ab Angelo, dupliciter possunt intelligi, & absolutè, prout sunt aliquid Angeli.*

Cui difficultati præmissa distinctione, respondet Caietanus. Distinctio est Intelligibilia repræsentata per species dupliciter ab Angelo possunt intelligi: Vno modo absolutè: & ita nequeunt ab angelo simul cognosci; Sic enim distinctè simul intelligeret vniuersa; Alio modo, prout sunt aliquid angeli intelligentis, & intellecti, quatenùs scilicet ad eius attinent perfectionem, & hoc modo simul angelus vniuersa cognoscit. Ratio differentiæ est; quia differunt hæ duæ cogitationes, vt visio partiū in toto, & visio partiū seorsum, partes.n. in toto per vnā totius speciē intelligūtur, vt aliquid illius, prout scil. ex eis totū constat, vt partibus: sic autē partes minùs perspicue, distincteque cognoscuntur, vt in eo patet, qui visione corporea totam simul domum intuetur; in ea namque sic visa non nisi imperfectè videt partes, prout ab inuicem sunt distinctæ. At, si partes singulæ seorsum intelligantur: quia scilicet vni, vel alteri cognoscentis applicatur intētio, singulis ad ipsas, perfectè singulæ cognoscentur: non tamen simul, sed successiue tantum; vt patet exemplo domus oculo corporis visæ: Cuius partem, cum distinctè videre contendit, vim à cæteris cogitur auocare, quas simul cum ea videbat in toto.

3167 *Angelus, cùm omnia intelligat in seipso, veluti in quodam toto, ea perfectè nō cognoscit.*

Cum igitur angelus in seipso, veluti in quodam toto, quasi ex omnibus intelligibilibus integrato, cognoscit omnia, nequit ea perfectè, distincteue cognoscere, sed qua ratione tantùm ad vnam attinent Angeli perfectionem, quia scilicet est omnia secundum esse intelligibile: iam enim diximus duas eiusdem generis formas in eadem potentia secundum esse perfectum simul esse non posse: Et quoniam Angelus seipsum, & suam omnem naturalem perfectionem intelligit naturaliter, ac necessario, consequens fit, eum omnia ad ordinem vniuersi pertinentia, non libere, sed naturaliter, ac necessario cognoscere: Quod satis apertè significat Sanctus Doctor *supra q. 55. art. 1 in respons. ad tertium argumentum* dicens; *Angelum per suam essentiam vniuersa cognoscere, tam superiora, quàm inferiora, non quidem perfectè, ne que secundum propriā rationem, sed secundùm quandam rationem communem.*

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Angelus cognoscat discurrendo.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

Oncl. Negatiua. Prob. Intellectus, qui statim in cognitione prinpij, inspiciunt, quasi notas, omnes conclusiones consequentes; non cognoscunt discurrendo. Sed intellectus Angelorum statim in ipsis principijs naturaliter cognoscunt omnia, quę in eis cognosci possunt. ergo. prob. min. quia Angeli habent plenitudinem intellectualis luminis; secus verò intellectus noster, propterea discurrit.

Arg. 1. Qui cognoscit vnum per aliud, cognoscit discurrendo. Sed Angelus cognoscit vnum per aliud; nempe creaturas per Verbum. ergo. Respond. dist. mai. Qui cognoscit vnum in alio priùs cognito, discurrit, conced. ma. si cognoscit vnum in alio, vt statim viso vno, eadem visione videat aliud; Negatur; & hoc modo Angeli vident creaturas in Verbo.

Arg. 2. Angelus potest syllogizare, & in effectibus causas cognoscere; quia quidquid potest inferior, nempe homo; potest & superior, nempe Angelus. ergo potest discurrere. Resp. dist. Antec. potest syllogizare, tanquam syllogismum cognoscens; conced. tanquam acquirendo syllogizando veritatem ignotam conclusionis, ex veritate cognita pręmissarum, in quo consistit essentialiter discursus, Negatur.

Arg. 3. Cognitio experimentalis est discursiua: ex multis enim memorijs fit vnum experimentum, & ex multis experimentis fit vnum vniuersale *lib. 2. poster. tex. vltimo*. Sed Dæmones per experientiam multa cognouerunt, ex Isid. *lib. de summo bono.* ergo. Respond. ad min. experientiam in Angelis, & Dæmonibus dici secūdum quādam similitudinem, prout scil. cognoscunt sensibilia præsentia, tamen absque omni discursu.

DISPVTATIO. CCXCIII.

De conditionibus per se requisitis ad discursum & compositionem.

Sciendum est primò ex Diu. Thom. supra q. 14. art. 7. duplicem esse discursum. Vnus est impropriè dictus, qui in plurium intellectionum realiter distinctarum successione consistit: quem angelo conuenire necesse est, cùm non omnia per species omnes repræsentata simul intelligant, sed nunc vna, deinceps alia specie repræsentata cognoscant, ita ut plures sibi succedentes intellectiones pluribus sibi succedentibus discreti temporis instantibus mensurentur, vt supra diximus q. 10. & 53. Alius est discursus verè, ac propriè dictus, quem Sanctus Doctor, ait, esse secundum causalitatem: Sicu (inquit) cum per principium peruenimus in cognitionem conclusionem. 3168 Nota 1. duplicem esse discursum, improprium, & proprium.

Ad cuius Ampliorem euidentiam considerandum est diligenter, ad discursum propriè dictum quasdam per se, ac necessario conditiones requiri, quasdam autem eidem per accidens nonnunquam esse coniunctas. Discursus enim quidem motus est intellectiuus potentię se ipsam mouentis, ex vno prius cognito in aliud posterius cognitum: quod dupliciter potest intelligi, tām ex parte rei cognitæ, quam ex parte notitiæ: Vno modo 3169 Notr 2 Ad discursum propriè dictū, quasdam conditiones requiri per e, quasdam verò accidens.

modo, vt inter rem priùs cognitam, & rem posteriùs cognitam, sit distinctio, & ordo realis absque vlla causalitate, sicut cùm priùs intelligo Cœlum, deinde angelum, siue primò Leonem, deindè hominem, vel, vt non sit purus ordo realis, sed etiam vera, & propria causalitas vnius ad alterum: Et similiter ex parte notitiæ duplicem ordinem realem possumus intelligere; scilicet prioris & posterioris præcisè, & cum causalitate vnius ad alterum.

3170
Nota 3. quòd Discursus, est effectus quidam, & mod⁹, potiùs se tenens ex parte potentiæ, quã obiecti.

Vt autem his scitè Caietanus aduertit, discursus, effectus quidam est, & modus inhærens intellectiuæ potentiæ, & ex eius parte magis se teneat, quàm ex parte cogniti; est enim potentiæ motus, illam formaliter, & intrinsecè, denominans. Obiectum autem discursiua cognitione, denominatur extrinsecè cognitu; Quo fit, vt quamuis in obiecto cognito plura sint realiter ab inuicem distincta, & ordinata secundùm rationem causæ, & effectus, vt in animali corpus, & anima, quæ sunt sibi inuicem causæ, vel substantia, & eius accidentia naturalia; non sunt tamen hæc in quolibet intellectu causa discursus, sed in eo tantùm, cuius intellectuale lumen adeò imperfectum est, vt viso principio, siuè causa, totam non statim eius virtutem vno valeat aspectu comprehendere; qualis est solus intellectus humanus, qui ideircò dicitur esse naturaliter aptus discurrere.

3171
Cur Intellectus, & quę sũt à materia separata, cognoscat ad modũ rerum sensibilium.

Cur autem ea, quę sunt à materia separata, ac proinde simplicem habentia quidditatem, cognoscat noster intellectus ad modum rerum sensibilium, quarum est multis modis natura composita; sequitur, ad discursum nullam esse necessariam in obiecti compositionem, sed modum requiri tantùm intelligendi compositè, & eadem ratione ex parte rei, siuè rerum cognitarum, non requiri causalitatẽ; ita vt veritas vnius, puta priùs cogniti, veritatem causet alterius: scilicet posterius cogniti: Potest enim, vt diximus, obiectum esse simplex, de quo per modum rerum sensibilium intellecto, potest noster intellectus plures formare conceptus, quorum vnus ex altero dependeat, & ita discurrere: potest etiam ex effectu priùs sibi noto, cognitionem causę deducere: non postulat itaque necessariò discursus, vt prioris cogniti veritas, causet posterioris cogniti veritatem. Omnis ergo distinctio, ordo, & causalitas, quæ discursum in intellectu constituit, inter actus intellectus est requirenda. Distinctionem autem actuum realem esse necessariam ex eo patet, quòd idẽ secundùm rem, sui ipsius non potest esse causa. Ordinẽ etiam requiri realem, discursus intima ratio declarat: iam enim diximus, discursum esse motum quendam intellectiuæ potentiæ, motus autem realis non est, nisi pars vna secundùm rem succedat alteri; partes verò motus Angelorum discreti, sunt plures eius operationes immanentes, puta intellectiones, aut affectiones, vel etiam transeuntes in corpora.

3172
Nota 4.
In discursu necessarium esse ordinem pluriũ operationum, realiter ab inuicem distinctarum.

Est igitur in discursu necessarius ordo plurium operationum realiter ab inuicem distinctarum, quod etiã affirmat expressè Sanctus Doctor in 1. cont. Gent. cap. 57. vbi sic loquitur: Omnis ratiocinans, alia consideratione intuetur principia, & alia conclusionem; non enim oporteret, consideratis principijs, ad cõclusionem procedere, si ex hoc ipso, quod principia considerantur, conclusiones etiam cõsiderarentur, & de veritate quæstio 8. art. 15. sic ait. Tunc dicitur aliquid ex aliquo cognosci, quando non est idem motus in vtrumque, sed primò mouetur intellectus in vnũ, & ex hoc mouetur in aliud: Vnde hic est quidã discursus, sicut patet in demonstrationib: Primo n. intellectus fertur in principia tantũ, & secũdariò fertur per principia in cõclusiones. Hæc ibi.

3173
An sufficiat ordo naturę, vel requiratur ordo temporis?

An autem sufficiat ordo naturę, vel requiratur etiã ordo temporis, supra diximus quæst. 14. art. 7. quod etiam explicat Ferrariensis in d. cap. 57. Sed præter distinctionem actuum realem, & ordinem, necessaria est etiam causalitas, vt scilicet ex priori notitia, veluti ex causa deriuetur posterior, vt patet ex Arist. primò post. c. 2. & Diu. Thom. in allegato cap. 57. cuius verba sunt. In omni scientia discursiua, oportet aliquid esse causatum: nam principia sunt quodammodo causa efficiens conclusionis: Vnde, & demõstratio dicitur syllogismus faciens scire.

3174
1. Corollariũ. distinctioné, & ordinem realem causalitatis in rebus, non esse necessarias conditiones ad discursum.

Ex dictis sequitur primò, distinctionem, & ordinem realem, & causalitatem in rebus intellectis, esse conditiones minimè necessarias, sed impertinenter, ac mere per accidens se habentes respectu discursus: conditiones autem eius omnes per se ex parte actuum intellectus se tenere: Hæ verò sunt tres, nimirum distinctio realis actuum, ordo item realis eorum, siuè durationis sit, siuè tantùm naturæ, & realis causalitas prioris intellectionis ad posteriorem ex ea dependentem.

3175
2. Corollariũ. Non sufficit ad discursum, quando quis vnico actu in duo fertur obiecta.

Secundò sequitur, Vasquez contra communem scholasticorum consuetudinem, & veram philosophiam abuti nomine discursus, cum ait, nonnihil esse discursus in eo vnico actu, quo quis in duo fertur simul obiecta, quorum vnum sit ratio cognoscendi aliud, velut, inquit, in opinione eorum, qui dicunt Beatum vi diuinæ essentiæ, tamquam obiecti primarij, videre etiam creaturas eadem simplici, & indiuidua visione; Sic .n. visiua nostra potentia discurreret, quæ simul fertur in colorem, & lumen, prout est ratio videndi colorem; Et non solùm Beati, sed Deus etiam ipse discurreret, quia vi visionis essentiæ tanquã obiecti primarij, videt etiam distinctissimè creaturas eadem simplici, & indiuidua visione, qua se ipsum intuetur, quod in philosophia ridiculum, & in sacra doctrina scandalum est, apud hæreticos hostes præsertim scholasticę Theologię, cuius hæc monstra partus esse pronunciant; cum tamen ex liberioribus ingenijs, vt proprijs eorum parentibus, originem trahant.

3176
Confirm. ex D Th., & alijs Theologis, nã cognitio, qua cognoscitur aliquid in altero, vt obiecto cognito, non est discursus.

Grauiores enim Theologi cum Diu. Thom. in hoc artic. & supra q. 14. art. 7. & de veritat. q. 8. art. 15 docent eam cognitionem, qua cognoscitur aliquid in altero, vt obiecto cognito, vel vt ratione cognoscendi, nõ esse discursiuam, sic non loquitur Sanctus Doctor in dicto art. 15. Quando aliquid in aliquo cognoscitur, vno motu fertur cognoscens in vtrumq; sicut patet, quando aliquis cognoscitur in aliquo, vt in forma cognoscibili, & talis cognitio non est discursiua; nec differt quantum ad hoc, vtrum aliquid videatur in propria specie, vel in specie aliena; visus .n. non dicitur discurrere, neque videndo lapidẽ per speciem à lapide acceptam, neque videndo lapidem per eius speciem in speculo resultantem. Hęc ibi Sanctus Thom. Nec poterat clarius, aut efficacius excludi prędicta Vasquez phantasia. Cum igitur in Angelis ob luminis intellectualis plenitudinem vna intellectio non causetur ex altera, vt probat Sanctus Doctor in textu; consequens est in eis nullum esse discursum circa res ab eis naturaliter intellectus. Vide, si placet Zumel in 1. dubio Vasquez cap 2.

3177
An cognoscere effectum in causa, sit vnus tantum actus

An autem in ea cognitione, qua cognoscit angelus effectum in causa, vel è contra, sit vnus tantũ actus, an duo, dico breuissimè, vnum hic esse tantùm actum si sermo sit de causa formaliter; vt causa est, & de effectu, vt effectus est; sic .n. vnum in altero, non solùm vt cognito, sed etiam, vt ratione cognoscendi cognoscitur: sic autem duo per vnum actum intellectus attingit, vt antè diximus cum D Th.

3178
3. Corollariũ. Ad rationem veri discursus requiritur vera compositio & diuisio.

Ex dictis enim constat, quid requiratur ad rationẽ veri discursus, veramque compositionem, & diuisionẽ ex eodem n. principio nascitur, quod aliquis intellectus sit discursiuus circa propositiones inferendo veritatẽ vnius ex alijs, & quod sit cõpositiuus circa terminos formãdo ex eis propositiones, & iudiciũ, videlicet quia talis intellectus procedit in cognitione, & manifestatione veritatis, de imperfecto ad perfectum seu de potentia ad actũ; ità quòd vno cognito nõ statim cognoscet alterũ, neq; cõnexionẽ hui⁹ cũ illo, sed ex illo priùs, vel magis noto procedit ad aliud m.⁹ notũ, ita quod illud priùs illuminet, & inducat in hoc posteriùs. Et nõ agimur hic de discursu obiectiuo tantùm, seu ex parte obiecti se tenente, sed ex parte subiecti, ita quòd ipsũ subiectum, seu ipsum cognoscentem denominet discurrentem; Cognoscere .n. discursum ex parte obiecti, ita quòd cognoscatur discursus ab alio factus tanquam res cognita; vel cognoscatur aliquod obiectum esse capax, vt discurratur circa illud ab intellectu vtente discursu, ità quod ibi cognoscatur ratio causæ, & effectus, seu vnum esse notius altero, ita quòd possit

esse ratio illuminandi alterum, hoc etiam simplici intuitu potest cognosci, & à Deo, & ab angelo, nec tamen per hoc constituitur, & denominatur discurrens.

3179 4. Corollariũ. Loquendo de discursu ex parte subiecti, duplex distinguitur, secundùm successionem, & secundùm causalitatem.

Loquendo ergo de discursu ex parte subiecti se tenente, & denominante intellectum discurrentem, duplex distinguitur discursus à Diu. Thom supra quæst. 14. art 7. *scilicet discursus* secundùm successioné, & secundùm causalitatem. *Discursus secundùm successionem, est cùm intelligimus vnum postquam intelleximus aliud, ita quod non simul vtrumque cognoscimus. Et sic talis discursus non est aliud, quàm negatio simultatis in cognoscendo plura, sed vnum post aliud. Discursus secundùm causalitatem, addit supra successionem cognoscendi, quod vna cognitio causetur ex alia, ita quòd ex vno noto, seu cognito, moueamur ad aliud ignotum ex vi prioris cogniti, & manifestati; & sic manifestatio vnius debet esse causa manifestationis alterius, non solùm, quia vnum obiectum illuminat aliud, hoc enim etiam in simplici intuitu plura obiecta attingente, accidere potest, sed quia ipse cognoscens priùs illuminatur circa vnum, & in illo nondum illuminatur circa aliud, sed mouetur ad educendum ex illo aliud lumen, seu manifestationem alterius. Non ergo sufficit ad discursum illud lumen, quod plura manifestat; etiamsi prius vnum, & postea aliud, quia si eodem lumine vtrumque attingitur, totum hoc pertinet ad simplicem intuitum. quia pertinet ad eamdem manifestationem, & lumen, seu notitiam, licèt sint diuersa manifestata ordine quodam, sicut oculus eodem lumine plura videt, & vnum per aliud, quia ordine quodam attinguntur ex parte rerũ visarũ, & similiter Deus plura attingit vnico lumine.*

3180 4. Corollariũ. requiritur ad discursum, quòd sit diuersitas, & ordo etiam in ipso lumine.

Requiritur ergo ad discursum, quòd sit diuersitas, & ordo etiam in ipso lumine, vt tenet se ex parte cognoscentis, & vnum lumen oriatur ex alio, sicut ex lumine principiorum oritur lumen scientiæ, ita quod primum lumen non sufficit ostendere per se ea, quæ inferuntur, sed habet se vt lumen probatiuum, idest, quod manifestat alterum per deductionem, & illationem vnius luminis ex alio, quia primum non est sufficienter in se comprehensiuum totius. Vnde fit, quòd requiritur ad discursum ex parte subiecti duplex cognitio, seu manifestatio, & quod vnum sit causa vlterius deducendo manifestationem vnam ex alia, ita quòd in prima manifestatione non attingatur actu secundùm quas duas conditiones ad discursum ponit S. Thom. 1 cont. gent c. 57. *& eodem modo id explicat* in hac quæst 57. art. 3. ad 1. *An verò requiratur successiua Duratio inter istas duas cognitiones, ita quod non possit discursus vnico instanti perfici, vel etiam requirantur plures actus, non solum in ratione diuersi luminis, sed etiam entitatiuè diuersi ad discursum, non multum interest, quamuis hoc secundum magis per se requiratur, eo quòd in nobis propter limitationem intelligendi, non reperitur, quòd idem actus, seu entitas, ita sit eminens, quòd includat duplex lumen, alterum per se principiorum, alterum illatiuum conclusionum, sed si vnum lumen causatur ex alio, diuersa entitate id fit. Quod verò in eodem instanti durationis totus discursus fiat, vel pluribus, parum interest, & materialiter ad discursum se habet, dummodo plura lumina, seu actus, quorum vnus deducatur ex alio, concurrant.*

3181 5. Corollariũ. multæ cognitiones, in quibus vnum cognoscitur in alio, non sunt discursiuæ.

Ex quibus colliges, multas cognitiones non esse discursiuas, in quibus tamen vnum cognoscitur in alio, vel per aliud ex parte rerum cognitarũ, quia tamen non ex parte luminis, seu actus ista diuersitas habetur, ita vt vnum deducatur, & deriuetur ex alio probatiuè, & illatiuo modo, non habetur per discursum, sicut visio rei in speculo, rei repræsentatæ in imagine, visio coloris mediante luce, cognitio rei in testificatione, seu authoritate dicentis, omnia hæc non attinguntur discursu, sed simul, seu vnico lumine, non vnico lumine probatiuo alterius, & deducto ex alio lumine; nec enim testificatione probamus, aut ex illa deducimus rem creditam: Sic n. non esset credita, sed probata. Nec obstat, quòd aliquis credit hoc, quia ille dicit, seu testificatur, sicque ex dicto huius mouetur ad credendum, quod videtur sufficere ad discursum. Non, inquam, obstat, quia, ly quia, *non dicit ibi, nisi simplicem rationem credendi, & vnum tamen lumen, quod est motiuum assentiendi, sicut oculus videt parietem, quia est coloratus, non verò dicit rationem illatiuam, & probatiuam veritatis, quasi per illationem causando ex vno manifestationem alterius, sed vnica, & simplici ratione assentiendo rei creditæ ex testificatione, non ex illatione, & diuerso lumine.*

Ex eodem principio nascitur, quòd intellectus componat, & diuidat informandis propositionibus, sicut quòd discurrat in deducendis veritatibus: componere enim dicitur, quia in vnius simplicis rei conceptu non videt, quid illi rei possit attribui, vel remoueri, sed alio conceptu attingit subiectum, de quo aliquid dicitur, alio id, quod de illo dicitur, & ex vtroque format, seu componit enunciationem. Solùm est differentia, quòd formatio de propositionibus ex pluribus procedit ad vnũ; & sic præsupponit plures conceptus simplices terminorum: tendit verò ad connexionem, seu comparationẽ, aut vnitatem illorum, siuè hæc adunatio, & comparatio fiat per tertium conceptum, qui vnus entitatiuè sit, siuè per ipsorum plurium respectum, & collationem de quo suprà disput. 2. *diximus. At verò discursus non tendit ad vniendum, seu adunandum conceptus, sed ad deducendum veritates, vnã scilicet ex alia inferendo, & sic magis respicit ordinem causæ, & effectus, seu modum vnius ex alio per illationem, quàm adunationem, & formationem alicuius ex pluribus.*

3182 6. Corollariũ. Intellectus cõponit, & diuidit, informandis propositionibus, sicut discurrit in educendis veritatibus.

Dub. An angelus intelligat obiecta naturalia, ac supernaturalia, discurrendo.

Dub. 2. Soluuntur aliquę difficultates, materiã præsentis articuli concernentes.

DVBIVM I.

An Angelus intelligat obiecta naturalia, & supernaturalia, discurrendo.

3183 *Concl. Angelus non potest discurrere, neque per se, neque per accidens, circa obiecta naturalia.*

CONclusio Angelus non potest discurrere, neque per se, neque per accidens circa obiecta naturalia. Quod si verum est fundamentum Diu. Thom. ad probandum, quòd intellectus Angeli nõ discurrit, etiam probat circa nullum obiectum discurrere. Hæc conclusio non aliundè melius deducitur, quàm exponendo rationem ipsam Diui Thomæ, quam adducit tùm in hac *quæst.* 58. *art.* 3. tùm in *quæst.* 8. *de verit art.* 15. scilicet ex differentia intellectus Angelici ad nostrum, quia nos sumus rationales, Angeli autem purè intellectuales. Habent enim se Angeli in genere intelligibili respectu intellectus nostri, sicut in genere corporali suprema corpora, & incorruptibilia respectu corporum inferiorum. Ideò autem illa corpora incorruptibilia sunt, & ingenerabilia, quia suum esse, & suas perfectiones postulant, non acquirere per motum, & transeundo de imperfecto ad perfectum, & de potentia ad actum, sed postulant habere suam perfectionem statim à principio: Si enim sic non haberent, acquirerent eam per motum, & consequenter generatione aliqua, & corruptione: ergo Angeli, qui in genere intelligibili sunt supremi intellectus creati, in hoc debent eleuari supra intellectum infimum, qualis est humanus, quod illi habeant suam perfectionem intelligibilem, seu in genere intellectuali, non acquirendo eam per motum, & deducendo ex aliqua manifestatione id, quod est sibi ignotum, sicut in motu ex eo, quod est in actu, reducitur id, quod est in potentia in actum.

3184 *Perfectio intellectualis naturæ est attingentia veritatis; ac proinde diuerso modo procedunt intellectus.*

Perfectio autem intellectualis naturę, est attingentia veritatis: ergo in ea attingenda, non debent eodem modo procedere supremi intellectus, qui sunt perfecti, sicut infimi procedunt, qui non possunt visa aliqua veritate, statim attingere, & penetrare quidquid cum ea connexionem habet, quia non procedunt in attingenda veritate per

com-

comprætenſionem, ſed per motum, ſeu diſcurſum, & de vna veritate nota ad aliam minùs notam: intellectus ergo ſupremi, qui in genere intellectuali perfecti ſunt, oportet quòd in veritate attingenda cum perfectiori,& ſuperiori actualitate procedant,& in eo,in quo inferior intellectus, ſcilicet humanus ſe habet in potentia, ſcilicet non penetrando,neq; compræhendẽdo in aliqua veritate totum,quod ei conuenit, & intelligibile in eo eſt,angelicus,qui eſt ex natura ſua ſuperior, id habeat in actu; & ſic compræhendat actu,quòd humanus attingit tranſeundo de potentia ad actum. Et hoc ideo, quia ea, quæ ex ſua natura, & non per accidens ſuperiora ſunt in entibus, & ſubordinant ſibi inferiora, continent actu, & vnitè ea,quæ in inferioribus ſunt in potentia, & multiplicia,ſeu diuiſa,ideoque in eis proceditur de potentia ad actum,& præſertim hoc habet verum,ſi illa ſuperiora influunt in inferiora,ita quod potentialitatem inferiorum reducunt ad actum, & corũ defectibus prouident.

3185 *Quod habetur in ſuperioribus vnitè. & per modum actualitatis,eſt haberi comprahenſiuè.*

Quod autem habetur in ſuperioribus vnitè, & per modum actualitatis reſpectu eorum, quę diuiſa ſunt in inferioribus, & potentialiter ſe habent, hoc eſt habere illa comprætenſiuè,quia in ſimplicitate colligunt,& comprætendant,quod diuiſim, & de potentia ad actum procedendo, habent inferiora. Quod ſi etiam influunt in inferiora, eorumq; potentialitatem reducunt in actum,manifeſtum eſt,quod debent habere in actu, quod potentialiter in inferioribus,ac per hoc per modum motus accipitur. Et ad hoc affertur exemplum de cœlo reſpectu inferiorum,quia non perficitur in eſſe, & augmẽto ſuo per motum ſicut inferiora. & ita vniuerſaliter influit in illa,quod continere debet vnitè,& comprehenſiue,quod in inferioribus eſt multiplex,& diſperſum per ſuam potentialitatem.

3186 *Angelus,eſt ſupremus,& perfectior homine in intellectu, & homo illi ſubordinatur.*

Applicando ergo illa intellectui Angelico, qui ſupremus,& perfectus in genere intelligibili, inuenimus,quod naturaliter angelus eſt ſuperior in intellectu ad hominem,& intellectus humanus ſubordinatus illi; neque hæc ſuperioritas conuenit, & per accidens, ſicut vnus homo poteſt eſſe alteri ſuperior in intelligendo,licèt omnes æquales ſint, ſed per ſe,& naturaliter,quod demonſtrat eius pura ſpiritualitas,& ſeparatio ab omni materia; ex hoc enim clare colligitur,quod intellectus angeli non per accidens,& tanquam res eiuſdem lineæ,& ſpeciei,ſed ex natura ſua,& per ſe eſt ſuperior, & ſubordinat ſibi intellectum hominis,ita quòd poteſt illum perficere,& illuminare in omnibus intelligibilibus,licet cum ordine ad ſenſibilia, ſub quibus veritas velata nobis proponitur,vt docet S. Thom. *infrà queſt.* 111. *art.*1. Ergo oportet, quod Angelus vtatur comprætenſione,& actuali intelligentia reſpectu eorum,quæ homo per motum, & exeundo de potentia ad actum,intelligit.

3187 *Cauſa perfectiua inferiorum, debet actu continere ea, quæ in inferioribus ſunt magis in potentia.*

Patet conſequentia,quia ſuperior cauſa, & de ſe influxiua,& perfectiua inferiorum,debet actu, & perfectè,& magis vnitè continere ea, quæ in inferioribus ſunt magis in potentia,& magis diuiſa, ſiquidem omnia illa,quæ homo per diſcurſum intelligit,& procedendo de potentia ad actum,poteſt Angelus perficere,& illuminare,& in actum reducere: ergo reſpectu eorum eſt in actu,& non procedens de potentia in actum: ergo comprætenſione vtitur,& non motu,ſeu diſcurſu, quia illa eſt comprætenſio,quæ nihil relinquit non intellectũ in obiecto: ergo implicat,quod intellectus comprætenſiuus,& procedens perfecte,non actu intelligit omnia,quæ ad talem rem pertinent, ergo repugnat,quod procedat diſcurſiue,ſi procedit comprætenſiue,quia ſunt oppoſiti modi inter ſe diſcurſus, & comprætenſio: illud enim comprætenditur,cuius nihil latet videntem,& ſic non habet neceſſe procedere de vna manifeſtatione ad aliam, cum nihil lateat hoc ipſo,quod ad intelligendum accedit, illud autem diſcurritur, quando aliquid latet videntem,quod ex manifeſtatione alicuius manifeſtatur ex alio,vt inferrente,& deducente rẽ ignotam,non in ſe manifeſtante.

3188 *Intellectus angeli ex vi, et perfectione ſuæ naturæ, procedit comprahenſiuè circa obiecta,quæ attingit.*

Intellectus ergo Angeli cùm ex vi,& perfectione ſuæ naturæ procedat comprætenſiuè circa obiecta,quæ attingit, non procedit diſcurſiuè. Quod autem comprætenſiuè procedat, deducitur ex eo,quod intellectus Angeli eſt naturaliter ſuperior ad intellectum hominis, & ita ſuperior, quod poteſt influere in illum, & perficere. Vnde debet habere proprietates rei, & cauſæ ſuperioris reſpectu inferiorum, ſicut in rebus corporeis habet cœlum reſpectu horum inferiorum, quorum potentia ita res actuat, & imperfectiones reducit ad perfectum; & ſic debet vnitè habere, quę inferiores intellectus habent diſperſè,& in potentia; & ſic habet ex natura ſua angelus eſſe comprætenſiuus in veritatibus, & non diſcurſiuus,quia vnitè tangit, & actu, quæ nos per motum, & diſcurſum, & procedendo de potentia ad actum.

3189 *Confirm. ex D. Th. exemplo corporum cœleſtium reſpectu horum inferiorum.*

Vnde Sanctus Thomas non procedit ex ſimilitudine cœleſtium corporum,ſolùm quaſi ab exemplo, nec quaſi ex ratione ſolùm probabili, aut à poſteriori,vt aliqui ſuperficialiter attingentes litteram Diu.Thomæ exiſtimant,ſed procedit efficaciſſimè ratione ducta à priori ex eo,quod Angeli ſunt intellectus ex natura ſua comprætenſiui, vt patet in illis verbis,quod *Angeli ſtatim in illis, quæ primò naturaliter cognoſcunt,inſpiciunt omnia, quæcumque in eis cognoſci poſſunt.* hoc enim eſt,intellectus illos eſſe comprætenſiuos. Quod vero comprætenſiui ſint,probat ex perfectione,quam habent in genere intelligibili,ſcilicet,quia illum gradum habent in hoc genere, quem corpora cœleſtia inter res corporeas. Quod quidem non probat ab exemplo, ſed ex proprijs intellectus Angelici; declarat vero quoad nos,quomodo iſta vis comprætenſiua eis conueniat,& perfectionem in attingenda veritate ſine motu habeant ex ſimilitudine cœli reſpectu inferiorum; & hanc rationem deſumpſit Sanctus Thom.ex D.Dyoniſio,qui perpetuo affirmat angelos non congregare ex pluribus intelligẽtiam ſuam,ſed ſimplici lumine,& vnico procedere, de quo videri poteſt id quod citat D.Th. *in hac q.* 58. *art.*3.

3190 *Petes 1.*

Petes 1. *An Angelus diſcurrere poſſit circa obiecta ſupernaturalia.*

Reſp. angelum nullo modo diſcurrere poſſe, nec circa ſupernaturalia, nec circa ea, quæ coniecturaliter cognoſcit.

Reſp. In nullo euentu poſſe Angelum diſcurrere,nec circa ſupernaturalia,nec circa ea,quæ coniecturaliter, aut obſcurè cognoſcit;in omnibus enim non mutat Angelus modum cognoſcendi à ſua ſuperioritate ad noſtrum infimum, & imperfectum modum, ſicut homo ſi per intellectum cognoſcit, quamtumcunque imperfectè, & ruditer ſe habeat, nunquam deijcitur, ad hoc, vt intellectus modo brutali, cognoſcat, id eſt, per inſtinctum & determinationem,non per arbitriũ, & diſcurſum. Vnde Sanctus Thomas perpetuo hoc agnouit, & abſolute, & pro omni caſu docuit, Angelum cognoſcere ſine diſcurſu, & in ſpecie loquendo de his,quę Angel⁹ naturaliter nõ cognoſcit, & de his,q̃ coniecturaliter,ſicut ſunt cogitationes cordis, ex aliquibus ſignis ſenſibilibus, vel de cognitione cauſarum in effectibus; manifeſte docet omnia iſta cognoſci ab Angelo ſine diſcurſu, vt patet *in queſtion.*8. *de verit. a.*15. *ad* 2. *& ad* 4., *& ad* 6. vbi circa iſta obiecta ponit argumenta ad probandum, quod Angelus cognoſcit illa per diſcurſum, & tamen ſoluit illa.

3191 *Ratio eſt quia cognitio ſupernaturalium nõ deſtruit,ſed potius perficit naturalem.*

Et ratio eſt, quia, loquendo de rebus ſupernaturalibus, illarum cognitio non deſtruit modum connaturalẽ cognoſcendi, ſed perficit,& eleuat,ergo per hoc,quod angelus accipit cognitionẽ ſupernaturalium non ſic perficitur, nec deprimitur ad modum inferiorem, qualis eſt modus cognoſcẽdi humanus per diſcurſum,quia gratia nõ deſtruit, neque deprimit naturã,ſed perficit,& eleuat. Vnde vel dat modum ſuperiorem cognoſcẽdi, ſicut viſio

beatifica, & tunc multo minùs in illa discurritur, vel relinquit modũ connaturalem cognoscendi, & non tollit illum, sed eleuat ad altiorem ordinem, & tunc etiam angelus non discurrit: nunquam verò gratia deprimit naturam ad ordinem inferiorem, quia de se est immaterialior, & eleuatior, quàm natura, & sic ad minùs non imperficit modum eius cõnaturalem: esset enim absurdissimum, quòd per gratiam, & ordinem diuinum fieret Angelus deterior, & ad inferiorem modũ cognoscendi, scilicet ad modum humanum deprimetur.

3192 *Ea quæ angelus coniecturaliter cognoscit, sine discursu cognoscit, quia simplici intuitu videt.*

De his vero, quæ Angelus coniecturaliter, & nõ quidditatiuè cognoscit etiam sine discursu iudicat de illis: quia in ipsis signis, vel effectibus aut quibuscumque exterioribus, ex quibus sumit coniecturam, statim ipsis cognitis, videt Angelus ad quid, & quantum se extendant, quia quędam manifestãt plene, & quidditatiue per necessariam, & euidentem connexionem, quædam vero coniecturaliter, quia solùm habent connexionem contingentem, & istas connexiones sine aliquo discursu cognoscit Angelus visis effectibus, seu signis, in quibus continentur, sed quia tales connexiones aliquando non plene manifestant aliqua, quia solùm contingenter cùm illis connectuntur, ideo solùm ex talibus obiectis accipit coniecturalem notitiam; seu iudicium, sine vllo tamen discursu, sed simplici intuitu videndo illam connexionem contingentem, sicut sine discursu videt connexionem necessariam cum eo, cum quo habet illam. Vnde sicut respectu eorum, cum quibus habent connexionem necessariam, non fundant illa obiecta discursum in Angelo, quia in ipsa simplici notitia obiecti cognoscit connexionem illam, vt necessariam. & consequenter, vt demonstrantem rem connexam, ita respectu eorum, cum quibus habent connexionẽ contingentem, manifestant illa obiecta, quæ sic cõnexa sunt ab eadem connexione contingenti, & hoc est coniecturaliter solum cognoscere rem illã, sed sine discursu, sed vnico, & simplici lumine penetrante istas connexiones. Non autem dici potest, quod ex debilitate sui luminis Angelus cõiecturaliter procedat, vt scilicet, vbi est necessaria connexio veritatum, & per se, angelus infima, & probabili solùm ratione procedat, id enim esset nõ procedere lumine perfecto, & comprehensiuo naturarum, nec per species perfectas, & exemplatas ab ideis diuinis, quę manifestant, & repræsentant res, vt sunt ideæ, vt deriuantur à Deo.

3193 *Petes 2.*

Petes 2. An *ex eo, quòd angelus à principio habeat omnes suas perfectiones in actu primo, non verò in actu secundo, sequatur discursus.*

Resp. ex hoc solùm colligi, angelum habere discursum successiuè, id est diuersa successiuè intelligere.

Resp. quod nõ est necesse, quod Angelus habeat in actu secundo omne, quod est in ipso in actu primo, ideo que conuenit ei habere discursum successiuum hoc est diuersa successiuè intelligere, & successiuè diuersas operationes habere: non tamen competit habere discursum secundùm causalitatẽ, neque hanc perfectionem, ita acquirere, quod acquirat illam transeundo de noto ad ignotum per distinctum lumen, sed simplici motu, aut actionę eam habendo, sicut etiã corpora cœlestia diuersis actibus in hæc inferiora influunt, v. g. diuersis illuminationibus, vel aspectibus, & hoc ideo, quia Angelus petit habere operationes in actu secundo limitatę limitatione se tenente ex parte obiecti: actiones enim penes obiecta limitantur, seu specificantur. Vndę cùm possit operari circa diuersa obiecta, oportet quod etiam possit habere diuersas operationes, & non omnes simul. Cæterũ in habẽdo vnamquãque operationẽ, & perfectionẽ ex illa prouenientem, scilicet attingentiã veritatis, petit non procedere de potentia ad actum, & de imperfecto ad perfectum, quod est procedere per motum, sed illam operationem perfectę habere, quia comprænsiuè, & statim attingit totam perfectionem, quam potest per quamlibet operationem.

3194 *Aliqua potẽtia creata, si non habeat plures operationes, nõ est perfecta, sed imperfecta, & limitata.*

Itaque non habere plures operationes aliquam potentiam creatam non est perfectio, quia limitata potentia limitatas petit operationes; vnde si non haberet nisi vnam, imperfecta maneret; quia non omnia obiecta complecteretur, & hęc diuisio operationum non prouenit ex debilitate luminis circa idem obiectum penetrandum, vel circa connexionem obiectorum, sed ex limitatione potentiæ, non valentis vnico actu omnia cõplecti, præsertim quãdo ordinatur ad plura obiecta, & potentia ita est ampla, quòd potest in infinita syncategorematicè necesse est multiplices esse operationes, quia penes obiecta specificantur, & limitantur: & sic non debet habere omnem suam perfectionẽ simul, & vnica operatione, quia non potest, nec nisi diuisim, quia multas operationes, seù omnes habere non potest, sed successiuè, & sic discursus successiuus, hoc est multiplex operatio in intelligendo Angelis attribuitur. Cæterum respectu vnius obiecti, & vnius intelligibilitatis fundantis de se connexionem ad ea, quæ sibi conueniunt procedere de potentia ad actum, & de imperfecto ad perfectum, ita quòd non possit vinci tota difficultas, & intelligibilitas obiecti plenè attingi vnica operatione, sed necesse sit plures adhibere, hoc imperfectionis est in tali natura operante, & oritur ex debilitate luminis non compræhendentis, & de hoc procedit S. Th. quando eam negat supremis, & perfectis intellectibus, quales sunt Angelici, ideòque ab eis remouet discursum.

DVBIVM II.

Soluuntur aliqua difficultates, materiam præsentis articuli concernentes.

3195 *Petes 1.*

PEtes 1. An *ex eo, quòd angelus vtatur specie sua inadæquatè, sequatur discursus.*

Resp. vti aliqua specie inadæquatè, potest contingere dupliciter.

Resp. Vti aliqua specie inadæquatè, & non quantum ad omnia, quæ repræsentat, potest stare dupliciter. Vno modo diuidendo ipsum lumen, ita quòd non attingat per vtrumque obiectum simplici tendentia eiusdem luminis, sed vnum per se, & immediatè; aliud non per se, sed ex illatione, & connexione ad alterum eliciendo, ex tali specie lumen quoddam illatiuum, & non eodem simplici vtendo pro vtroque obiecto, & ad hoc diuidit illam speciem, seù inadęquatè illa vtitur, non solũ, vt diuidat conceptus, seu cognitiones, vnumque cognoscat priùs, aliud post, sed etiam diuidit lumina, vt vnum cognoscat lumine simplici, aliud lumine illatiuo, & ex vi connexionis deducendo notitiam. Alio modo, potest intellectus vti inadęquatè aliqua specie, solùm, vt diuidat cognitiones, seù conceptus circa diuersa obiecta, non verò diuidat lumina, modumque cognoscendi, ita vt vnum cognoscat simpliciter in se, aliud illatiuè, & in vi connexionis, sed vtrumque simplici lumine, licèt pro sua voluntate diuidat cognitiones, applicando modo speciem vni cognitioni, seù obiecto tantùm, & postmodum alteri, non tamen vnum deducẽdo ex altero, & in vi ipsius deductionis cognoscendo.

3196 *Angelus vtitur sua specie inadæquatè, non diuidendo lumina, sed conceptus; ideò nõ discurrit.*

Igitur Angelus non potest vti inadæquatè specie sua primo modo, sed secundo. potest enim ex multis obiectis, quæ in vna specie repræsentantur, accipere vnum, & relinquere aliud; & sic non omnia intelligere, quæ per illam speciem repręsentabilia sunt, sed tantùm aliqua, vel aliquod, non tamen potest mutare modum intelligendi, & alio lumine intelligere vnum obiectum, alio aliud, itaut vnũ intelligat per se immediatè, aliud illatiuè, seù lumine illatiuo, & per modum connexionis, & illationis manifestatiuo, non simpliciter; sed si priùs vnum obiectum tantùm cognoscit de repræsentatis per illam speciem, & postmodum aliud; hoc secundum non illatione manifestat, sed simplici visione, sicut priùs ex eodem lumine deducta, licèt inadęquatè vtrique obiecto applicetur species, & lumen illud, sicut si vnum luminosum vno, eodemque lumine modò illuminet has partes, modo il-

las,

las, quia diuersa applicatio eiusdem luminis est, non diuersum lumen deriuando vnum ex alio, vnum, quod sit simplex, aliud illatiuum, & per consequentiam illuminans.

3197 *Scientia infusa Animæ Christi, ideò aliquā do discurrebat, quia temperabat illas species*

At verò in scientia infusa animæ Christi, si aliquando discursu vtebatur, licèt per illas species, omnia sibi essent manifesta, & cognita; ideo erat, quia ita temperabat illas species, quòd vnum obiectum cognoscebat simpliciter, & aliud ex vi cōnexionis, & illationis. Quod quidem rectè poterat facere Christus Dominus, quia illæ species, licèt essent infusæ, & possent repræsentare sine discursu propter eleuationem sui luminis, tamen quia attemperabantur subiecto, in quo erant, scilicet animæ rationali, & discursiuæ, vtroque modo poterant manifestare, & quoad vsū subijci ipsi intellectui. & taliter ei manifestare vnū obiectū, q possent aliud manifestare ex vi luminis illatiui, & perinde, ac si esset in se ignotum, & latens, sicque poterat intellectus ex illis speciebus lumen illatiuum educere, eò quod licèt essent infusæ, erant tamen magis diuisæ, seu multiplicatæ, minúsque vniuersales, quàm species angelicæ, vt *eadem q. 11.* docet S.Thom. *art. 4.* Vnde fuerunt magis aptæ, vt illos temperaret ad discursū, eliciendo ex eis lumen illatiuum, & non sistendo in lumine simplici manifestatiuo vtriusque obiecti, sed ita inadæquatè vtendo specie, quod diuideret lumina, & vnum obiectum attingeret per se, & immediatè aliud non, sed lumine illatiuo ex illis speciebus educto, licèt etiam possint immediatè vtrūque obiectum repræsentare, & simplici lumine attingere propter eleuationem talis luminis, & specierum.

3198 *Petes 2.*

Petes 2. *An eadem cognitio potest esse intuitiua, & abstractiua respectu diuersorum.*

Resp. posse eandē cognitionē, esse simul intuitiuam, & respectiuam respectu singulorū

Resp. Affirm. Licet Molinæ, valdè durum videatur, quod eadē cognitio sit intuitiua, & abstractiua respectu diuersorum, cùm ipsemet Molina adducat exemplum, in quo oppositum clarè conuincitur, scilicet in cognitione Diuina, & in visione Beata, in quibus eadem cognitio attingit Deum intuitiuè, vt præsentem, & res possibiles, quas eadem cognitione in Deo videt, vt non existentes abstractiuè. Similiter angelus intuendo essentiam suam, videt ibi, & in effectu, Deum abstractiuè, & qui intelligit speculum cum imagine, videt, seu cognoscit in illa abstractiuè rem præsentatam, & speculum intuitiuè, quia præsens. Et hoc præsertim verum habet, si intuitiuum, & abstractiuum non sint perfectiones desumptæ ex diuersa ratione formali cognitionis, sed sint habitudines, licet intrinsecè perficientes notitiam ad diuersam terminationem obiecti in se cogniti, quatenus cognoscitur res, vt præsens in se, & existens physicè, vel vt absens, aut non existens: sic enim eadem notitia procedens ex eadem ratione formali potest attingere ordine quodam plura obiecta, & vnum intuitiuè, aliud abstractiuè, quia illud existēs, hoc vt absens, sed cōnexum illi.

3199 *Petes 3.*

Petes 3. *Quomodo angelus, neque circa ea, quæ obscurè, neque circa ea, quæ coniecturaliter cognoscit, discurrat.*

Resp. non sufficere ad discursum, quòd angelus per plures actus cognoscat de aliquo obiecto ea, quæ illi competunt.

Resp. Ex dictis ostensum esse, quomodo angeli, neque circa ea, quæ obscurè, & coniecturaliter cognoscunt, neque circa obiecta supernaturalia habere discursum, sed semper procedere simplici intuitu, quantum res ipsa manifestare potest de alia; nunquam verò procedere per distinctum lumen ab eo, quo attingunt primum obiectum, in quo alia cognoscunt, sed semper carent lumine illatiuo, quo cognoscuntur aliqua per modum connexionis, & consequentiæ tantùm. Atque ita non sufficit, quod angelus per plures actus cognoscat de aliquo obiecto ea, quæ illi competunt, aut quia vnum obscurè, & aliud euidenter cognoscit, aut quia vnum sibi reuelatur prius, & aliud postea, sed necesse est, quod cognoscatur vnum ex vi alterius ratione cōnexionis, seu in vi illius tantùm: hoc enim est cognoscere illatiuè, & per consequentiam, seu lumine illatiuo, quod pertinet ad discursum, quia discursus non penetrat simplici intuitu essentiam, sed ratione connexionum deducit id, quod non videt, sed infert ita esse, & sic est lumen consequentiæ, idest ratione connexionis manifestans. Si autem non ex vi connexionis cognoscatur, aliud quantumcumq; diuersis actibus cognoscatur, non fit discursus, nisi fortè secundum successionem, tantùm de quo non agimus in præsenti, vt sæpè admonuimus.

Et sic in omnibus exēplis, & instantijs, q adducit possūt in oppositū, est defectus, quia in nulla earū probatur dari duas cognitiones, & lumina, quorum vnum deducatur, ex altero tanquam ex principio magis noto, & manifestante alteram veritatē, vt deductam, & illatam ex priori, ac per hoc in vi luminis illatiui, & per connexionem, & consequentiam, non per simplicem penetrationem veritatis videatur. Et benè stat, quòd de supernaturalibus plures illuminationes Deus angelis faciat, sed in vnaquaque attingat vnico intuitu quidquid ad illā illustrationem spectat, & sine discursu. Quando autem aduenit alia, etiam illam sine discursu intelliget, nec transit de vna ad aliam in vi connexionis, & illationis, licet distincta illustratione detur, quòd solùm arguit discursum secundùm successionem, non secundùm causalitatem. *Omnia exempla in contrarium, quæ adduci possunt, patiuntur defectū*

Dicim° ergo, q in illis casib°, vel obscuræ, vel cōiecturalis cognitionis, vel cognitionis supernaturaliū p alienas species non dari processū de potentia ad actum per plures cognitiones, & lumina, quorum vnum se habeat illatiuè ad aliud, sed vnumquodq; vel vtrumque percipitur simplici intuitu, & penetratione non deductione, & illatione vnius ex alio, ita quòd lumen eius, vt manifestatiuum veritatis ex alio, sit lumen illatiuum, & per illationem consequentiæ manifestans, non per simplicem penetrationem quidditatis, & eorum, quæ sibi conueniūt, licèt aliàs inter se connexa sint, quia ista connexio non est ipsa formalis ratio manifestandi, sicut in illatione, & consequentia, licèt quia connexio rerū non est necessaria, sed contingens, non manifestat angelo rem certò, & euidenter in illo simplici intuitu, sed contingenter, & coniecturaliter, atq; adeò obscurè. Authoritas autem Diu. Thom. *quæst. 58. art. 3.* quæ afferri solet, nullo modo est ad rem, quia D.Th. ibi cùm dicit *Angeli, qui perfectè possident cognitionem &c.* !y, *qui perfectè possident*, non est particula restrictiua, discernens Angelos, qui perfectè possident, ab Angelis, qui imperfectè intelligunt, sed est vniuersalis distinguens Angelos ab hominibus, non angelos inter se: dicit enim sic: *Ratiocinari est procedere de vno intellectu ad aliud, ad veritatem intelligibilem cognoscendam; & ideò angeli, qui perfectè possident, secundùm modum suæ naturæ intelligibilem veritatem*, &c. vbi loquitur de angelis vniuersaliter, & illa particula, *qui perfectè possident*, vniuersaliter omnes complectitur, & est perinde; ac si redderet rationem, & diceret, angeli, quia perfectè possident, &c. *In casibus obscuræ, vel coniecturalis cognitionis, non datur processus de potentia ad actum.*

Petes 4. *An in illis casibus procedat angelus vnico, vel pluribus actibus.* *Petes 4.*

Resp. in illis casibus vnico actu, & non pluribus; quorum vnus deducatur ex alio, angelum procedere. Et licèt illo actu attingat vnum obiectum clarè, aliud obscurè, & coniecturaliter, hoc non est inconueniens, cùm hoc sit respectu diuersorum, & secundùm inadæquatas rationes materialiter ibi inuentas. Neque in hoc vtimur doctrina *suprà* citata de intuitiuo, & abstractiuo: in his enim melius apparet, quòd idem actus possit respectu diuersorum esse intuitiuus, & abstractiuus, eò quod intuitio, & abstractio tenent se ex parte diuersæ terminationis, & ex parte obiecti materialis; & ideò nō est mirum, quod eidem actui possit conuenire respectu diuersorum: at verò actum esse euidentem, & obscurum, non pertinet ad terminationem ex parte obiecti materialis, sed ad motiuum, seu rationem formalem, ex qua habetur lumen, sub quo aliquid videtur, aut clarè, aut obscurè. *Resp. in illis casibus vnico actu, & non pluribus, quorū vnum deducatur ex alio, angelum procedere.*

Vnde

Quomodo idem lumē potest in eadem ratione formali, vnire rationem luminis euidentis, & obscuri.

Vnde difficiliùs apparet, quomodo idem lumen possit in eadem ratione formali, seu in vno actu vnire rationem luminis euidentis, & obscuri. Dicimus tamen id non esse inconueniens respectu diuersorum obiectorum, quando datur diuersa modificatio eiusdem luminis, seu rationis formalis, vt applicatur diuersis obiectis, & ex tali diuersa modificatione resultat alia obscuritas, seu minor euidentia in vno, quàm in altero, sicut etiam in visu externo, quia lumen externum diuersimodè modificatur propè, vel longè, & species rei propinquæ fortiùs mouent, quàm distantis, ideo benè stat, quod eodem actu videndi rem propinquam videamus distinctè, & rem distantem confusè, & obscurè; & tamen idem actus videndi est, & idem lumen diuersimodè modificatum, & applicatum. Quid ergo vetat, quod Angelus efficacitate sui luminis totam intelligibilitatem obiecti aperiens, videat eodem lumine, & actu compræhensiuo ea, cum quibus habet obiectum illud necessariam connexionem euidenter, & certo, ea verò cum quibus habet contingentem connexionem obscurè, & coniecturaliter, & non certò? sicut videt euidenter causam liberam, vel contingenter v. g. hominem, & ineuidenter, seu coniecturaliter effectum futurum, quia ibi contingenter continetur, quia videlicet iuxta diuersas connexiones cum obiectis diuersimodè applicatur, & modificatur lumen, vt hic fit clarum, ibi obscurum.

Petes 5.

Petes 5. *An ex eo, quod circa vnum possit esse iudicium falsum, & circa alterum, verum, angelus discurrat.*

Resp. neg. quia in angelo solū potest esse falsitas virtualis.

Resp. neg. quod autē circa vnū possit esse iudiciū Angeli verum, & circa alterū, falsū, dicimus quod, Angelus nō discurrit, nàm bene notat Caietanus in hac quæst. 58. art. 5. In Angelo solùm est falsitas virtualis, quia est virtualis compositio, aut diuisio, quatenus intellectus Angeli simplici intuito & ad modum nostræ primæ operationis ex parte cognoscentis attingit omnia composita, & quidquid nos attingimus nostra compositione, & diuisione. Ille ergo actus simplex in Angelo, quo iudicat de diuersis obiectis, potest virtualem falsitatem habere, quatenus vera attingendo, circa ea, quæ naturaliter potest, non detinet illud iudicium, sed eodem modo procedit circa ea, quę coniecturaliter tantùm sibi repræsentantur.

Dæmon quando decipitur, decipitur practicè, quia pleno suo lumine aduertit hoc obiectum non ostendere talē veritatem.

Vnde Dæmon quando decipitur expræcipitatione sua, sicut, & quando peccat ex abundantia aduertentiæ specularíuæ, & malitiæ, decipitur, & errat practicè, quia videlicet pleno suo lumine aduertit, hoc obiectum non ostendere talem veritatem, nisi coniectu aliter, seu contingenter, & tamen hoc aduertendo, vult vlterius extendit, & iudicat de illo occulto, & coniecturaliter tantū noto, ac si esset sibi certum, & euidens: in hac extensione deceptio est, & falsitas, sed deiecta veritate qua iudicat, quid res illa ostēdit certo, & quid cōiecturaliter, & nō obstante, quod videt nō nisi coniecturaliter hoc præsentare, non se detinet, sed vult vlterius procedere, & periclitari iudicium, dicendo quod ita sit determinatè, & fortassis non ita est in re, & sic fallitur, ideò dicit Diu. Thom. *art. 5. cit.* quod Dæmones non decipiuntur circa ea, quæ naturaliter pertinent ad rem, sed circa supernaturalia. Cum iudicio ergo non deceptorio, sed vero circa rem naturalem præcipitantur in rem sibi occultam,

Inconsideratio angeli circa suam deceptionem est inconsideratio affectata.

Vnde vlterius fit, quòd inconsideratio Angeli circa suam deceptionem, aut peccatum, est inconsideratio pęquisita, & affectata, ideo que non minùs ei inhæret, quam illi rei, quam aduertit. Et hoc ideo, quia inconsideratio ista non prouenit ex ignorantia priuatiua, aut ex defectu scientiæ speculatiuæ, sed ex præcipitatione, qua sciens, & volens non se detinet, sed iudicat vltra quæ potest, & inconcessa præsumit, vnde magis est imprudens, quia magis voluntarie iudicat, & se applicat ad id, quod non potest, & sic illud non detinens, est maioris imprudentiæ, quia magis volens peccat, & consequenter maior inconsideratio practica, seu defectus prudentiæ occurrit.

Petes 6.

Peres 6. *An quando Angelus ex naturalibus ad supernaturalia cognoscendo procedit, discurrat.*

Resp. supernaturalia posse cognosci ab angelo dupliciter, vel supernaturaliter, vel naturaliter.

Resp. Quòd supernaturalia possunt cognosci ab Angelo dupliciter, vel supernaturali cognitione, vel solùm naturali, scilicet, prout in rebus naturalibus, seu effectibus aliquo modo manifestantur, aut prout cum illis conueniunt conuenientia aliqua, saltem proportionali. Primo modo, non cognoscitur nisi diuina reuelatione, non autem ex ipsis rebus naturalibus, quia in naturalibus non continentur supernaturalia, vt in se sunt, cùm illa imcōparabiliter excedant; & sic nō currit argmētū, quæ ea arguitiuè cognoscant. Secūdo modo, nō possunt supernaturalia aliquo modo cognosci ex solis rebus purè naturalibus, siuè per discursum, siuè sine discursu, quia nullo modo continentur res supernaturales in naturalibus, nisi secundùm potentiā obedientalem, quam angelus naturaliter nullo modo cognoscit; & sic ex illa non potest elicere, neque per discursum, neque sine illo cognitionem Rei supernaturalis positiuè, sed solùm incommuni, & in confuso, quod Deus potest ex illa creatura plus facere, quam illas valet intelligere, quod est ex cognitione rei naturalis elicere cognitionem diuinæ omnipotentiæ. vt super ex cedentis omnia; & hoc sine discursu facit Angelus, sed simplici intuitu, & eodem lumine tantùm percipiens de omnipotentia Dei, & de ordine supernaturali in confuso, & in communi, quantum in illa re naturali manifestabilis est.

Si angelus videns aliquem effectum supernaturalem, & non videns personam subsistere, sine discursu iudicat id, quod illi effectus manifestant.

Cæterum si videat aliquem effectum supernaturalem positiuum, vt suscitationem mortui, aut negatiuum, vt non videndo personam creatam in humanitate Christi, & tamen videns talem hominem subsistere, & subsistendo operari, tunc Angelus ex naturali lumine sine vllo discursu, iudicat id, quod illi effectus manifestant de se, scilicet aliquam causam superiorem tota natura ibi esse, à qua ille effectus procedat, & nihil amplius, nisi temerariè, & imprudenter iudicet, ad quod etiam discursu non indiget, sed præcipitatione ducitur, adhoc autem non indiget discursu, quia totum hoc manifestatur sibi in ipsa naturali, & simplici penetratione effectus, tam insoliti, videlicet in illa carentia personalitatis propriæ, videndo, quod subsistit, & existit in illa natura humana; & in illa esuscitatione mortui, quam videt à nulla causa naturali posse procedere. Si autem res supernaturales cognoscit Angelus solùm in quadam proportione, & confusione seu analogia ad res naturales, sic non indiget discursu neque argumento deducente vnū ex alio, sed in ipsa penetratione simplici rei naturalis etiam proportionem cum supernaturali cognoscit quia hoc non est aliud, quàm cognoscere ens in communi, vel qualitatem, in qua communicant naturalia, & supernaturalia, & hunc conceptum sine discursu formare potest.

Instabis.

Dices ad ista omnia procedere Angelum de potentia ad actum, quatenus ex suis viribus naturalibus ea non attingit.

Resp. quòd ad attingendum supernaturalia in confuso, non est angelus in potentia.

Resp. quod ad attingendum supernaturalia in cōfuso, & in cōmuni, prout in aliquibus effectib⁹ externis manifestantur, nō est in potentia, neque procedit de imperfecto ad perfectum, magis, quàm ad cognitionem ipsiusmet effectus, aut rei naturalis, inqua id videt, quia posita cognitione effectus, fertur in omne illud, quod in tali effectu manifestari, aut contineri potest, sine alio lumine illatiuo, quod ex vi deductionis & consequentię talem veritatem manifestet. Quod si in tali effectu res illa non continetur, nisi purè negatiuè, & per potentiā obedientialem, non poterit, neque arguitiuè, & per discursum neque sine illo talem rem cognoscere ex vi effectus illius.

Petes 7.

Peres *An ex, quòd in angelis possit esse admiratio, quæ importet inquisitionem cum aliqua ignorantia de*

3200 *de eo, quod inquirimus, sequatur discursus.*

Resp. admirationem in Angelis posse contingere respectu eorum, quę sibi sunt occulta, & nunquā causare discursum.

Resp. Quod admiratio in Angelis potest contingere respectu eorum, quę sibi sunt occulta, & tamem aliqua iudicia, vel effectus vident, quorum causæ supernaturales sunt, vt visa resurrectione mortui facta à Christo, de cuius diuinitate non essent certi, ac visa negatione personę creatæ in eius humanitate, poterant admirationem habere de causa sustentante ipsam. Sed illa admirati in Angelis non incitat ad inquisitionem causę per discursum, sicut nos; sed ad habendam illustrationem à superioribus angelis, vel à Deo de tali re occulta, quam sine discursu accipere debeant. Et hoc modo introducuntur aliquando angeli in scriptura quærente aliquid sibi ignotum vt psalm. 23. *Quis est iste rex gloriæ*, & Esai 63. *quis est iste, qui venit de Edom?* Quam interrogationem de Angelis intelligit Diony. 7. *cap. cœlest. Hierarc.*

3201 Petes 8. *Quid dicatur de scientia, an sit in Angelis.*

Resp. scientiā esse in Angelis per cognitionē causę, & effectus ex parte rei cognitę.

Respondetur, illam esse in Angelis per cognitionem causæ, & effectus ex parte rei cognitæ sine aliquo discursu ex parte cognoscentis, sed ex hac parte habet scientiam eminentiori modo, quàm nos, scilicet in principijs cognoscendo conclusiones, sine vllo lumine illatiuo, sed per lumen compræhensiuum. Nos autem inferiori modo intelligimus causam per se; & effectus per illationem ex causa. Ad id autem, quód dici potest de processu voluntatis à fine ad media, respondetur esse disparem rationem inter intellectum, & voluntatem, quia voluntas ex perfectione sua habet quædam bona necessario diligere, alia veró libere, vnde non pertinet ad eius perfectionem, quód amato fine, statim amet omnia media, sed potest pro sua libertate hoc assumere, & illud relinquere, licèt per accidens, si sit tantùm vnum medium feratur in illud, necessitate quadam ex suppositione finis voliti, non simpliciter. Et tamen in illud, in quod fertur liberè ex electione, eodem actu fertur, quo in finem, nec in fine sistit, licèt non omnia media velit; vt *infra disp* 24. dicemus. Perfectio autem intellectus petit, vt nihil eum lateat, sed omnia videat, quæcumque videre potest: vnde est imperfectio eius procedere de potentia ad actum, & tantó est perfectior, quantó plura in actu intelligit, vnde non est simile in processu voluntatis, & intellectus. Quæ est solutio D. Th. *infra quęstione sexagesima, articulo secundo.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Angeli intelligant componendo, & diuidendo.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COncl. Negatiua Prob. Cognoscens simul quidditatem subiecti, & quidquid post subiecto attribui, vel ab eo remoueri, non intelligit componendo, & diuidendo. Sed intellectus Angeli appræhendendo quidditatem, statim cognouit omnia, quæ subiecto attribui possunt, & ab eo remoueri. ergo, prob. minor. quia intellectus Angeli habet lumen intellectuale perfectum, cùm Angelus sit speculum purum, & clarissimum, ex Dion. *cap.* 4. *de diu. nom.* secus est intellectus noster.

Arg. 1. *Vbi est multitudo intellectuū, ibi est compositio intellectuum*: vt dicitur. 3. de Anima. Sed in intellectu Angeli est multitudo intellectuum, quia Angeli per diuersas species, diuersa intelligunt, & non omnia simul. ergo. Resp. ad ma: quód sola illa multitudo intellectuum compositionem causat, quorum vnum attribuitur alteri, vel remouetur ab altero; Angelus veró intelligendo quidditatem rei, simul intelligit quid quid attribui, vel remoueri potest.

Arg. 2. plus distant Negatio ab affirmatione, quàm quęcumque duę naturę oppositę; sed aliquas naturas distantes Angelus non cognoscit per vnam, sed per diuersas species, vt dictum est. ergo oportet, quód affirmationem, & negationem cognoscat per diuersa; & sic cōponit & diuidit. Resp. ad ma: quód duę naturę dupliciter possint ad inuicem comparari, & in existendo, & sic minus differunt, quàm affirmatio, & Negatio. vel in cognoscendo; & sic minus differunt affirmatio, & Negatio, Quia statim quando cognoscitur veritas affirmationis, cognoscitur falsitas negationis oppositę. Vnde &c.

Arg. 3. Angeli hominibus loquentes, proferunt affirmatiuas, & negatiuas enunciationes, (quę sunt signa compositionis, & diuisionis in intellectu,) vt ex multis scripturæ locis apparet. ergo. Resp. neg. seq. nam solùm sequitur Angelos cognoscere compositionem, & diuisionem, non autem cōponendo, & diuidendo enunciare.

DISPVTATIO CCXCIV.

An Angelus intelligat omnia, vel aliqua, componendo, & diuidendo.

PEtes 1. De Radice simplicis intuitus plurium, vt plurium; ac de compositione, ac diuisione. 3202 Petes 1.

R sp. posse tripliciter aliqua plura simplici intuitu videri.

Resp. *Præcipuè difficultatis propositę fundamentū est trimembris illa distinctio, quam hic proponit, & explicat eruditè Caietanus dicens, posse tripliciter aliqua plura vno simplici intuitu simul videri. Primò, vt vnum cum alio videatur; sicut, si simul, & vnico actu videatur albedo, & nigredo, vel quęcumque ab inuicem disparata. Secundò, vt vnum non tantùm cum alio, sed etiam in alio videatur, sicut si prædicatum substantiale, vel accidentale vno, simplicique intellectione simul cum eius subiecto, & in eo videatur: Tertiò, vt non solùm vnum videatur cum alio, simul, & in alio, sed etiam ex alio; ita, vt causalitas, & dependentia per illam dictionem ex, significata, se teneat ex parte tantùm rerum cogitarum, quarum vna sit causa, & altera sit effectus, non autem ex parte cognitionis; quam simplicem, & vnicā esse supponimus: de hac enim sola modò loquimur.*

Exemplum affert Caietanus de propria passione, & alio quolibet effectu: qui non solùm cum causa, sed etiam in causa, & ex causa, quandoque cognoscitur. Quamuis autem virtutis intellectiuæ perfectio sit trium dictorum modorum vnica radix, non secundùm tamen eandem eius rationem formalem ex ea deriuantur; primus enim modus, quo simul vnum cum alio cognoscitur ex perfectione virtutis intellectiuæ procedit absolutè considerata: secundus autem, & tertius, scilicet intelligere cognoscendo vnum in alio, aut etiam ex alio, ex perfectione prouenit intellectus, quatenus primum illud attingit obiectum, inque, aut ex quo cognoscitur aliud.

3203 *Ad cuius euidentiam sciendum, subiectum posse formæ, vel actui suo existentis, tripliciter comparari. Primò in ratione causæ effectiuæ, siuè princip.j productiui, & potentiæ simul receptiuæ; sicut humana natura risibilitatem causat effectiuè per simplicem resultantiam, & eam recipit, vt potentia suum actum, & eandem habitudinem sol habet ad lumen, & ignis ad calorem, & quælibet res naturalis ad accidentia sibi connaturalia. Secundò potest subiectum formæ comparari*

Propria passio & in causa, ex causa, & cum causa quandoque cognoscitur.

rari

Quomodo idem lumē potest in eadem ratione formali, unire rationem luminis euidentis, & obscuri.

Vnde difficiliùs apparet, quomodo idem lumen possit in eadem ratione formali, seu in vno actu vnire rationem luminis euidentis, & obscuri. Dicimus tamen id non esse inconueniens respectu diuersorum obiectorum, quando datur diuersa modificatio eiusdem luminis, seu rationis formalis, vt applicatur diuersis obiectis, & ex tali diuersa modificatione resultat alia obscuritas, seu minor euidentia in vno, quàm in altero, sicut etiam in visu externo, quia lumen externum diuersimodè modificatur propè, vel longè, & species rei propinquæ fortiùs mouent, quàm distantis, ideo benè stat, quod eodem actu videndi rem propinquam videamus distinctè, & rem distantem confusè, & obscurè; & tamen idem actus videndi est, & idem lumen diuersimodè modificatum, & applicatum; Quid ergo vetat, quod Angelus efficacitate sui luminis totam intelligibilitatem obiecti aperiens, videat eodem lumine, & actu compræhensiuo ea, cum quibus habet obiectum illud necessariam connexionem euidenter, & certò, ea verò cum quibus habet contingentem connexionem obscurè, & coniecturaliter, & non certò? sicut videt euidenter causam liberam, vel contingenter v. g. hominem, & ineuidenter, seu coniecturaliter effectum futurum, quia ibi contingenter continetur, quia videlicet iuxta diuersas connexiones cum obiectis diuersimodè applicatur, & modificatur lumen, vt hic sit clarum, ibi obscurum.

Petes 5

Petes 5. *An ex eo, quòd circa vnum possit esse iudicium falsum, & circa alterum, verum, angelus discurrat.*

Resp neg. quia in angelo solū potest esse falsitas virtualis

Resp. neg. quod autē circa vnū possit esse iudiciū Angeli verum, & circa alterū; falsū, dicimus quòd, Angelus nō discurrit, vt bene notat Caietanus in hac quęst. 58. art. 5. In Angelo solùm est falsitas virtualis, quia est virtualis compositio, aut diuisio, quatenus intellectus Angeli simplici intuitu & ad modum nostræ primæ operationis ex parte cognoscentis attingit omnia composita, & quidquid nos attingimus nostra compositione, & diuisione. Ille ergo actus simplex in Angelo, quo iudicat de diuersis obiectis, potest virtualem falsitatem habere, quatenus vera attingendo, circa ea, quæ naturaliter potest, non detinet illud iudicium, sed eodem modo procedit circa ea, quę coniecturaliter tantùm sibi repræsentantur.

Dæmon quando decipitur, decipitur practicè, quia pleno suo lumine aduertit hoc obiectum non ostendere talē veritatem.

Vnde Dæmon quando decipitur ex præcipitatione sua, sicut, & quando peccat ex abundantia aduertentiæ speculatiuæ, & malitiæ, decipitur, & errat practicè, quia videlicet pleno suo lumine aduertit, hoc obiectum non ostendere talem veritatem, nisi coniecturaliter, seu contingenter, & tamen hoc aduertendo, vult vlterius extendit, & iudicat de illo occulto, & coniecturaliter tantū noto, ac si esset sibi certum, & euidens: in hac extensione deceptio est, & falsitas, sed deiecta veritate qua iudicat, quid res illa ostēdit certo, & quid cōiecturaliter, & nō obstante, quòd videt nō nisi coniecturaliter hoc præsentare, non se detinet, sed vult vlterius procedere, & periclitari iudicium, dicendo quod ita sit determinate, & fortassis non ita est in re; & sic fallitur, ideò dicit Diu. Thom. *art. 5. cit.* quod Dæmones non decipiuntur circa ea, quæ naturaliter pertinent ad rem, sed circa supernaturalia. Cum iudicio ergo non deceptorio, sed vero circa rem naturalem præcipitantur in rem sibi occultam.

Inconsideratio angeli circa suam deceptionem est inconsideratio affectata.

Vnde vlterius fit, quòd inconsideratio Angeli circa suam deceptionem, aut peccatum, est inconsideratio prævisa, & affectata, ideo que non minùs ei inhæret, quam illi rei, quam aduertit. Et hoc ideo, quia inconsideratio ista non prouenit ex ignorantia priuatiua, aut ex defectu scientiæ speculatiuæ, sed ex præcipitatione, qua sciens, & volens non se detinet, sed iudicat vltra quæ potest, & inconcessa præsumit, vnde magis est imprudens, quia magis voluntarie iudicat, & se applicat ad id, quod non potest, & sic illud non detinet, e& maioris imprudentiæ, quia magis volens peccat, & consequenter maior inconsideratio practica, seu defectus prudentiæ occurrit.

Petes 6.

Peres 6. *An quando Angelus ex naturalibus ad supernaturalia cognoscendo procedit, discurrat.*

Resp supernaturalia posse cognosci ab angelo dupliciter, vel supernaturaliter, vel naturaliter.

Resp. Quòd supernaturalia possunt cognosci ab Angelo dupliciter, vel supernaturali cognitione, vel solùm naturali, scilicet, prout in rebus naturalibus, seu effectibus aliquo modo manifestantur, aut prout cum illis conueniunt conuenientia aliqua, saltem proportionali. Primo modo, non cognoscitur nisi diuina reuelatione, non autem ex ipsis rebus naturalibus, quia in naturalibus non continentur supernaturalia, vt in se sunt, cùm illa imcōparabiliter excedant; & sic nō currit argmētū, quę ea arguitiuècognoscant. Secūdo modo, nō possunt supernaturalia aliquo modo cognosci ex solis rebus purè naturalibus, siuè per discursum, siuè sine discursu, quia nullo modo continentur res supernaturales in naturalibus, nisi secundùm potentiā obedientalem, quam angelus naturaliter nullo modo cognoscit; & sic ex illa non potest elicere, neque per discursum, neque sine illo cognitionem Rei supernaturalis positiuè, sed solùm incommuni, & in confuso, quod Deus potest ex illa creatura plus facere, quam illas valet intelligere, quod est ex cognitione rei naturalis elicere cognitionem diuinæ omnipotentiæ. vt super ex eodentis omnia; & hoc sine discursu facit Angelus, sed simplici intuitu, & eodem lumine tantùm percipiens de omnipotentia Dei, & de ordine supernaturali in confuso, & in communi, quantum in illa re naturali manifestabilis est.

Si angelus videns aliquem effectum supernaturalem, & non videt personam subsistere, sine discursu iudicat id, quod illi effectus manifestant.

Cæterum si videat aliquem effectum supernaturalem positiuum, vt suscitationem mortui, aut negatiuum, vt non videndo personam creatam in humanitate Christi, & tamen videns talem hominem subsistere, & subsistendo operari, tunc Angelus ex naturali lumine sine vllo discursu, iudicat id, quod illi effectus manifestant de se, scilicet aliquam causam superiorem tota natura ibi esse, à qua ille effectus procedat, & nihil amplius, nisi temerariè, & imprudenter iudicet, ad quod etiam discursu non indiget, sed præcipitatione ducitur, adhoc autem non indiget discursu, quia totum hoc manifestatur sibi in ipsa naturali, & simplici penetratione effectus, tam insoliti, videlicet in illa carentia personalitatis propriç, videndo, quod subsistit, & existit in illa natura humana; & in illa suscitatione mortui, quam videt à nulla causa naturali posse procedere. Si autem res supernaturales cognoscit Angelus solùm in quadam proportione, & confusione seu analogia ad res naturales, sic non indiget discursu neque argumento deducente vnū ex alio, sed in ipsa penetratione simplicī rei naturalis etiam proportionem cum supernaturali cognoscit quia hoc non est aliud, quàm cognoscere ens in communi, vel qualitatem, in qua communicant naturalia, & supernaturalia, & hunc conceptum sine discursu formare potest.

Instabis.

Dices ad ista omnia procedere Angelum de potentia ad actum, quatenus ex suis viribus naturalibus ea non attingit.

Resp. quòd ad attingendum supernaturalia in confuso, non est angelus in potentia.

Resp. quod ad attingendum supernaturalia in cōfuso & in cōmuni, prout in aliquibus effectib[9] externis manifestantur, nō est in potentia, neque procedit de imperfecto ad perfectum, magis, quàm ad cognitionem ipsiusmet effectus, aut rei naturalis, in qua id videt, quia posita cognitione effectus, fertur in omne illud, quod in tali effectu manifestari, aut contineri potest, sine alio lumine illatiuo, quod ex vi deductionis & consequentię talem veritatem manifestet. Quod si in tali effectu res illa non continetur, nisi purè negatiuè, & per potentiā obedientialem, non poterit, neque arguitiuè, & per discursum neque sine illo talem rem cognoscere ex vi effectus illius.

Petes 7.

Petes *An ex, quod in angelis possit esse admiratio, quæ importet inquisitionem cum aliqua ignorantia*

de

3200 *Resp. admirationem in Angelis posse contingere respectu eorum, quę sibi sunt occulta, & nunquã causare discursum.*

de eo, quod inquirimus, sequatur discursus.

Resp. Quod admiratio in Angelis potest contingere respectu eorum, quę sibi sunt occulta, & tamem aliqua iudicia, vel effectus vident, quorum causæ supernaturales sunt, vt visa resurrectione mortui facta à Christo, de cuius diuinitate non essent certi, ac visa negatione personę creatæ in eius humanitate, poterant admirationem habere de causa sustentante ipsam. Sed illa admirati in Angelis non incitat ad inquisitionem causę per discursum, sicut nos; sed ad habendam illustrationem à superioribus angelis, vel à Deo de tali re occulta, quam sine discursu accipere debeant. Et hoc modo introducuntur aliquando angeli in scriptura quærente aliquid sibi ignotum vt psalm. 23. *Quis est iste rex gloriæ*, & Esai 63. *quis est iste, qui venit de Edom?* Quam interrogationem de Angelis intelligit Diony. 7. *cap. cælest. Hierarc.*

3201 **Petes 8.**

Petes 8. *Quid dicatur de scientia, an sit in Angelis.*

Resp. scientiã esse in Angelis per cognitionẽ causę, & effectus ex parte rei cognitę.

Respondetur, illam esse in Angelis per cognictionem causæ, & effectus ex parte rei cognitæ sine aliquo discursu ex parte cognoscentis, sed ex hac parte habet scientiam eminentiori modo, quàm nos, scilicet in principijs cognoscendo conclusiones, sine vllo lumine illatiuo, sed per lumen compræhensiuum. Nos autem inferiori modo intelligimus causam per se; & effectus per illationem ex causa. Ad id autem, quod dici potest de processu voluntatis à fine ad media, respondetur esse disparem rationem inter intellectum, & voluntatem, quia voluntas ex perfectione sua habet quædam bona necessario diligere, alia vero libere, vnde non pertinet ad eius perfectionem, quòd amato fine, statim amet omnia media, sed potest pro sua libertate hoc assumere, & illud relinquere, licèt per accidens, si sit tantùm vnum medium ferratur in illud, necessitate quadam ex suppositione finis voliti, non simpliciter. Et tamen in illud, in quod fertur liberè ex electione, eodem actu fertur, quo in finem, nec in fine sistit, licèt non omnia media velit; vt *infra disp* 24. dicemus. Perfectio autem intellectus petit, vt nihil eum lateat, sed omnia videat, quæcumque videre potest: vnde est imperfectio eius procedere de potentia ad actum, & tantò est perfectior, quanto plura in actu intelligit, vnde non est simile in processu voluntatis, & intellectus. Quæ est solutio D. Th. *infra quęstione sexagesima, articulo secundo.*

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Angeli intelligant componendo, & diuidendo.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COncl. Negatiua Prob. Cognoscens simul quidditatem subiecti, & quidquid post subiecto attribui, vel ab eo remoueri, non intelligit componendo, & diuidendo. Sed intellectus Angeli appræhendendo quidditatem, statim cognouit omnia, quæ subiecto attribui possunt, & ab eo remoueri. ergo. prob. minor. quia intellectus Angeli habet lumen intellectuale perfectum, cùm Angelus sit speculum purum, & clarissimum, ex Dion. *cap.* 4. *de diu. nom.* secus est intellectus noster.

Arg. 1. *Vbi est multitudo intellectuũ, ibi est compositio intellectuum*: vt dicitur. 3. de Anima. Sed in intellectu Angeli est multitudo intellectuum, quia Angeli per diuersas species, diuersa intelligunt, & non omnia simul. ergo. Resp. ad ma: quòd sola illa multitudo intellectuum compositionem causat, quorum vnum attribuitur alteri, vel remouetur ab altero; Angelus verò intelligendo quidditatem rei, simul intelligit quid quid attribui, vel remoueri potest.

Arg. 2. plus distant Negatio ab affirmatione, quàm quęcumque duę naturę oppositę; sed aliquas naturas distantes Angelus non cognoscit per vnam, sed per diuersas species, vt dictum est. ergo oportet, quòd affirmationem, & negationem cognoscat per diuersa; & sic cõponit & diuidit. Resp. ad ma: quòd duę naturę dupliciter possunt ad inuicem comparari, & in existendo, & sic minus differunt, quàm affirmatio, & Negatio. vel in cognoscendo; & sic minus differunt affirmatio, & Negatio, Quia statim quando cognoscitur veritas affirmationis, cognoscitur falsitas negationis oppositę. Vnde &c.

Arg. 3. Angeli hominibus loquentes, proferunt affirmatiuas, & negatiuas enunciationes, [quę sunt signa compositionis, & diuisionis in intellectu,) vt ex multis scripturæ locis apparet. ergo. Resp. neg. seq. nam solùm sequitur Angelos cognoscere compositionem, & diuisionem, non autem cõponendo, & diuidendo enunciare.

DISPVTATIO CCXCIV.

An Angelus intelligat omnia, vel aliqua, componendo, & diuidendo.

PEtes 1. De Radice simplicis intuitus plurium, vt plurium; ac de compositione, ac diuisione. 3202 Petes 1.

Resp. Præcipuè difficultatis propositę fundamentũ est trimembris illa distinctio, quam hic proponit, & explicat eruditè Caietanus dicens, posse tripliciter aliqua plura vno simplici intuitu simul videre. Primò, vt vnum cum alio videatur; sicut, si simul, & vnico actu videatur albedo, & nigredo, vel quęcumque ab inuicem disparata. Secundò, vt vnum non tantùm cum alio, sed etiam in alio videatur, sicut si prædicatum substantiale, vel accidentale vna, simplicique intellectione simul cum eius subiecto, & in eo videatur: Tertiò, vt non solùm vnum videatur cum alio, simul, & in alio, sed etiam ex alio; ita, vt causalitas, & dependentia per illam dictionem, ex, significata, se teneat ex parte tantùm rerum cognitarum, quarum vna sit causa, & altera sit effectus, non autem ex parte cognitionis; quam simplicem, & vnicã esse supponimus: de hac enim sola modò loquimur.

R sp. posse tripliciter aliqua plura simplici intuitu videri.

Exemplum affert Caietanus de propria passione, & alio quolibet effectu: qui non solùm cum causa, sed etiam in causa, & ex causa, quandoque cognoscitur. Quamuis autem virtutis intellectiuæ perfectio sit trium dictorum modorum vnica radix, non secundùm tamen eandem eius rationem formalem ex ea deriuantur; primus enim modus, quo simul vnum cum alio cognoscitur ex perfectione virtutis intellectiua procedit absolutè considerata: secundus autem, & tertius, scilicet intelligere cognoscendo vnum in alio, aut etiam ex alio, ex perfectione prouenit intellectus, quatenus primum illud attingit obiectum, in quo, aut ex quo cognoscitur aliud.

Ad cuius euidentiam sciẽdũ, subiectum posse formæ, vel actui suo existenti, tripliciter comparari. Primò in ratione causę effectiuæ, siuè principij productiui, & potentiæ simul receptiuæ; sicut humana natura risibilitatem causat effectiuè per simplicem resultantiam, & eam recipit, vt potentia suum actum, & eandem habitudinem sol habet ad lumen, & ignis ad calorem, & quęlibet res naturalis ad accidentia sibi connaturalia. Secundò potest subiectum formæ comparari 3203 Propria passio & in causa, ex causa, & cum causa quandoque cognoscitur.

rari in ratione tantùm potentiæ passiuæ; & hoc dupliciter; vno modo, vt in subiecto sit potentia, talem formam, aut actum quidditatiuè respiciens, sicut corpus humanum respicit essentialiter animam rationalem, & cælestis corporis potentia motum circularem; alio modo, vt in subiecto nulla sit ad actum essentialis habitudo, sed vt sit tantùm realiter, & in actu formæ copulata, licèt non per se, sed per accidens tantùm insit; sicut albedo, aut quilibet alius color, vel pictura parietem actuat existentem, & vulnus, aut dolor illatę percussionis afficit Petrum, & inuentio Thesauri Socrati vineam fodienti coniungitur.

3205 Prima Concl. huius quęsiti.

His prænotatis, dico primò, intellectum, subiectum intelligentem, illud etiam cognoscere, quæ ratione principium est effectiuum, ac simul etiam receptiuum accidentium, siuè proprietatum, eidem connaturalium; nam, quò magis aliquid intellectiua virtute penetratur, eò clariùs eius effectiua virtus, ac receptiua potentia naturalis intelligitur; ac proindè simul etiam cognoscuntur proprietates ex ea fluentes, & in ea receptæ.

3206 2 Conclusio.

Dico secundò, intellectum perfectè cognoscentem potentiam secundùm esse quidditatiuum, illos etiam actus quidditatiuè cognoscere, quos essentialiter respicit, sicut enim potentiæ tales, & actus secundum se sunt essentialiter sibi inuicem coaptati, sic in intellectu, potentiam perfectè cognoscente, necesse est, vt sit etiam actu quidditatiua cognitio; alioquin cognitio non esset adæquata cognoscibili, cuius tota natura pendet ex alio; atque ideò totalis eius comprahensiua cognitio necessariò pendet ex alterius totali, & comprahensiua notitia.

3206 3. Conclusio. intellectus pfecte cognoscens potētiā, cognoscit simul accidētia illi coniuncta.

Dico tertio, intellectum perfectè cognoscentem potentiam, secundùm esse existentiæ, & indiuiduale cum eidem annexis conditionibus, simul etiam illos actus, & accidentia cognoscere, quę sunt illi sic existenti coniuncta, sicut supra quæst. proximè pręcedenti art. 2. *latissimè declarauimus; sicut enim Angelicæ species intelligibilis ob excellentiam suæ perfectionis, non solùm communem rerum quidditatē, sed etiam indiuidua, proprietates, & accidentiā, quando singularibus sunt actu coniuncta, repræsentat in actu secundo; sic intellectio per talem speciem elicita naturam, & indiuidua, proprietates eorum, & accidentia tam per se, quàm per accidens, quando sunt illis actu coniuncta, simul attingit; itaut ex vi potentiæ sic existentis, perfectè cognita, non solum cum ea, sed etiam in ea, & ex ea conditiones eius omnes, & accidentia videantur; etiamsi sint tantum illi vnita per accidens: sicut occursus fortis, & eius debitoris in foro.*

3207 Angelus simplici intuitu cognoscit essentiam, prædicata passiones &c.

Ad hęc igitur cognoscenda, vel interiori verbo dicenda, nulla est Angelis necessaria compositio. Quod enim subiectum, & prædicatum, virtus, & eius effectus, potentia, & eius actus non vnica, simplicique simul intellectione videantur, ex luminis debilitate contingit, vt ait Sanctus Doctor, in textu: hæc vero soli nostro intellectui gradum infimum inter omnes habenti, propria est. Quod autem vniuersa prædicata in subiecti potentia, saltem passiua contineantur, probat hic subtiliter Caietanus: quem vide, si placet. Ex his patet, falsam esse tertiam Zumel propositionem in quinto dubio.

Compositio semper plures includit conceptus, ad vnū quasi totum constituendū, vnitus.

Secundò sciendum est, compositionem plures semper rerum cognitarum conceptus includere, ad vnum, quasi totum constituendum vnitos; rem enim vno conceptu apprahensam, attribuit intellectus eidem, vel alteri rei, alia conceptione repręsentatæ, siuè conceptæ. Ex duobus ergò simplicibus extremorum conceptibus, velutè partibus, vnus quasi totalis, & comparatiuus conceptus exurgit, quo subiecto tribuitur prædicatum; itaut eo repræsententur, & cognoscantur non extrema tantùm, prout ab inuicem sunt distincta, sed eorum etiam habitudo mutuā, siue respectus.

3208 Radix cōpositionis, ne diuisionis, & luminis intellectualis debilitas.

Radix verò propria compositionis, & diuisionis est luminis intellectualis debilitas; quæ non patitur intellectum ex vi simplicis apprahensionis, qua subiectum intelligit, aut etiam prædicatum, non simul etiam distinctè cognoscere habitudinem inter vtrumque, vt cum intellectus noster prima, simplicique operatione animal rationale apprehendit de homine, ex vi simplicis huius conceptus haud distinctè cognoscit habitudinem inter hominem, & animal rationale, quo fit, vt Angelus, qui vna simplicique intellectus operatione, non tantum subiectum cognoscit, & prędicatum, sed eiusdem etiam operationis virtutē, & excellentiā mutuam intuetur habitudinem, non componat, aut diuidat: compositionis intellectualis naturam, & modū explicat diligenter Zumel. ex similitudine compositionis, quæ fit in ædificio intelligibilem.

3209 Petes. 2.

Petes 2. Cur Angelus tā naturalia, quàm supernaturalia intelligat absq; diuisione, & cōpositione?

Resp. prędicta dupliciter angelum posse intelligere, vel per vnam vel per plures spe cies.

Resp. Angelum dupliciter prædicta cognoscere, nimirum subiectum, prædicatum, & eorum habitudinē; vno modo per vnam tantùm speciem intelligibilem, qua simul illa tria repræsentet, exempli gratia; cognoscit Angelus per vnam speciem hominem, & Leonem, & eorum proprietates, & accidentia: & ita certum est Angelum vno simplicis cognitionis actu simul intelligere hominem, & eius vniuersa prædicata, tam essentialia, quàm accidentalia, tam affirmatiua, quàm negatiua per eandem speciem repræsentata, vt hominem non esse Leonem, non esse rugibilem, nec quadrupedem. &c. Alio modo possunt ab Angelo tria prædicta cognosci per duas species, quòd sępè contingit in prædicatis rei negatiuis, vt cùm angelus intelligit hominem, aut Leonem, vel plantam non esse Angelum: & in hoc magna pars videtur esse posita controuersia; quam tamen hic facilè dirimunt Bannes, & Zumel dicentes, Angelum per plures species intelligentem, illis vti per modum vnius & per eas vnicum actum elicere, & vnum formare conceptum: In compositione verò, & diuisione semper necesse est plures interuenire conceptus: & ideò non cōponit, neque diuidit Angelus, tametsi pluribus simul vtatur speciebus in intelligendo; sicut homo pluribus vtens speciebus simplici operatione diffinitionem apprahendit, præsertim eam, quę fit per additamentū: vt eū diffinitur accidens per subiectū, & potētia p actū.

3210 Angelus per simplex intellectum intelligit quidquid nos intelligimus diuidēdo.

Nec oppositum affirmat S. Doctor. ad primū dicens, Angelum intelligendo quidquid est alicuius rei, simul etiam intelligere per vnum suum simplex intellectum, quidquid nos intelligere possumus diuidendo, & componendò; *vt hic enim aduertunt Bannes, & Zumel. nihil aliud intendit S. Th. nisi angelum per eandem speciem, qua subiectum cognoscit, putà hominem, simul etiam intelligere communem differentiam, putà irrationale, siuè non rationale, per quam aliæ species omnes animalium distinguuntur ab homine: proprias autem singularium specierum differentias, quibus ab inuicem, & ab homine distinguuntur non ait ibi S. Doctor per speciem hominis ab Angelo cognosci. Colligitur hæc interpratatio ex responsione ad secundùm in vltimis illis verbis.* Statim per hoc, quod cognoscitur veritas affirmationis, cognoscitur falsitas negationis oppositæ. *Vbi de negatione sermo est in communi tantùm, prout scilicet opponitur affirmationi alicuius de aliquo obiecto.*

3211 Angelus intelligit supernaturalia reuelata per species naturaliter inditas.

Postremò notandum est, Angelum supernaturalia reuelata cognoscere per species naturaliter inditas, quibus intelligit naturalia, lumine tamē illi diuinitùs addito supernaturali. vt diximus in quæstione proxima præcedente: & ideò, sicut Angelus plura per vnā speciem intelligens non componit, neque diuidit, cùm de eorum vnitate, vel diuisione iudicat, ita neque intelligens, Petrum esse Deo gratum, vel habentē merita, vel esse prædestinatū, componit; eo quod hæc per speciem Petri repræsentatiuam intelligit, addito tamē lumine supernaturali sunt enim hæc accidentia supernaturalia, quibus naturales species præcisè sumptæ, nequeunt assimilari. His adde, supernaturales reuelationes intelligentis recipi secundū naturalem cognoscentis modum, & ex eo modificari vt ait Caietanus in art. proximè sequenti: cum igitur intelligat Angelus naturalia simplici cognitione, eodem etiam modo reuelata cognoscit.

3212 Ratio quia intellectus

Et ratio est eadem, quę allata est ad negandum discursū in Angelis, quia intellectus vtens compositione, &

vtens compositione, & diuisione, non videt in extremo id, quod remoueri potest.

& diuisione est ille, qui viso, & intellecto aliquo extremo, non statim videt in illo id, quod sibi conuenit, aut à se remouetur: & ideò indiget alterius extremi cognitione distincta, quæ cõparetur cũ prima ad vidẽdũ, an sibi cõueniat, vel disconueniat. Vnde formaliter loquẽdo, compositio non consistit in eo, quòd pluribus speciebus intellectus vtatur ad aliquid integrè, & perfectè cognoscendũ, sed quod indigeat cõparatione, & conferentia vnius cum altero ad eliciendũ iudicium, & cognitionem de conuenientia, vel disconuenientia talis prædicati ad tale subiectũ: testatur n. debilitatem luminis intellectualis, quandoq; non potest directè, & simplici intuitu penetrare connexiones rerũ; sed indiget circuitu, & comparatione vni⁹ cũ alio, vt ex tali comparatione rerum manifestationẽ eliciat. Si autẽ omissa omni comparatione, & conferentia vnius extremi cũ altero, potest quodam simplici intuitu, & lumine vtrũque extremũ, eiusq; connexionẽ attingere, siuè vtatur pluribus speciebus, siuè vnica, si tamen manifestatio, & lumen inde ortum, penetratiuum est, & comprahensiuum ipsarum rerũ, & connexionũ, hoc ipso differt à lumine collatiuo, & ex comparatione rerum orto, quod semper est lumen debilissimũ, sicut valde differt in rebus corporalibus oriri lucẽ ex collisione, & attritu corporum, vel ex directa emissione radiorũ à luminoso. Cũ ergo angelus habeat lumen intellectuale perfectum, penetratiuo, & comprahensiuo modo tendens in obiecta, quæ sibi proponuntur, non comparatiuo, & collatiuo modo, consequenter non conuenit illi, compositione, & diuisione vti, ad manifestationem connexionis extremorum, & veritatis, sed simplici quodã intuitu, quia lumine quodam penetrante, & non comparante vtitur.

3213 Petes 3.

Petes 3. An quando supernaturalia cognoscuntur ab angelo conuenire rebus naturalibus, ibi cadat compositio, ac diuisio.

Resp. negatiuè. quia quomodocumq; supernaturalia cognoscũtur ab angelo conuenire naturalibus, fit sine compositione, & diuisione.

Resp. neg. quando n. supernaturalia cognoscuntur ab angelo, conuenire extremis naturalibus, verum est, quòd species rei naturalis secundùm se non repræsentat angelo rem supernaturalẽ distinctè, & clarè: potest tamen repræsentari supernaturalis res per aliam speciẽ, vel propriam de tali re supernaturali, vel connotatiuam, & per respectum ad aliquem effectum, vel rẽ naturalis ordinis. Si repræsentatur res supernaturalis per speciẽ propriã, & supernaturalẽ, talis species repræsentat rem illam cum suo subiecto, quasi in obliquo, & secundariò, ita quòd sicut per speciẽ naturalẽ alicuius substantiæ, seu subiecti, potest angelus sibi repræsentari eius accidentia, quia illi conueniunt, illiuè connectuntur, ita è conuerso per speciẽ rerum supernaturalium potest sibi repræsentari talia accidentia non seorsum à subiecto, sed prout in illo, quia debent repræsentari eo modo, quo à Deo fiunt per ideas suas, & secundùm statum, quem habent, & existunt in re. sunt autem in subiecto, & sic in illo repræsentari debent, & ratione talis repræsentationis potest angelus vtens illa specie, simul videre vtrumq; scilicet obiectum, & accidẽs supernaturale, quia vtrumque eadem specie, & eodem simplici lumine repræsentatur, non autem lumine collatiuo, & cõpositiuo, id est, orto ex comparatione vnius cum altero.

3214 Res supernaturalis si per connotatum cognoscatur, dicit ordinem ad subiectum

Si verò repræsentetur res supernaturalis non per speciẽ propriã sui, sed connotatiuã, & alienã. v. g. per speciẽ alicuius effectus, aut signi, quo manifestatur, tũc talis effectus etiã dicere potest ordinẽ ad aliquod subiectum, cui conuenire debet tale accidens, & sic per talẽ speciẽ, sine vlla compositione per simplicẽ intuitum poterit repræsentari effectus rei supernaturalis connotatiuè ad effectum, & subiectum talis rei supernaturalis, vt dicit ordinẽ aliquẽ ad eundem effectum: vt v. g. si videt miraculum, ex quo tanquã ex effectu colligit diuinitatem Christi, seu mysteriorum Incarnationis, ex eodem intelligit subiectum, cui conuenit tale mysteriũ, scilicet illum hominem, qui dicitur Christus.

3215 Si res supernaturalis repræsentatur per speciem distinctãà subiecto; adhuc angelus non cõponit.

Quòd si tandem, aliquis velit gratiam, vel accidens supernaturale repræsentari, vel propriè, vel connotatiuè per speciem seorsum à subiecto, & vt attribuat angelus tale accidens subiecto, deberet attingere duas species, & hoc esse componere; dico, quòd adhuc in tali casu non datur compositio, licèt detur coniunctio specierum, & vtraq; specie vtatur angelus, quia vti multis speciebus, aut coniungere illas ad producendũ vnum cõceptum, non semper est componere, & diuidere: requiritur n. ad compositionẽ, vt diximus, quòd vtatur multis speciebus non manifestantibus conuenientiam, vel disconuenientiam extremorũ vnico intuitu, & lumine simplici penetrãte, & comprahẽdẽte illã conuenientiã, licèt ex concursu plurium specierũ id procedat, sed manifestantibus illam conuenientiã ex vi comparationis, & conferentiæ vnius extremi cum alio, ita quòd non solum composita extrema cognoscat, sed quod ipsa compositio, & comparatio det manifestationem enunciationis; hoc est formaliter componere, & diuidere.

3216 Petes 4.

Petes 4. Quomodo verum sit, quòd diuisio sit propositio negatiua.

Resp. Diuisionem, quæ est propositio negatiua dupliciter potest intelligi.

Resp. Quòd diuisio, quæ est ppositio negatiua, dupliciter potest formari. Vno modo cum cognitione distincta vtriusq; extremi scil. tàm subiecti, quàm prædicati negati, v. g. si dicatur, Petrus non est lapis, *quod tàm* Petrum, *quàm* lapidem, *distinctè, & quidditatiuè intelligat, licèt n. non sit necessariũ ad formandã propositionẽ illã negatiuã, quidditatiuè vtrumq; extremum cognoscere, potest tamen sic cognoscere extrema, & de eis ita cognitis negationẽ formare. Alio modo potest formari diuisio, seu propositio negatiua, sine cognitione distincta vtriusq; extremi, sed solùm cum recognitione repugnantiæ vnius extremi ad aliud, ita quòd illud aliud extremum non cognoscatur quomodo, vel quid in se sit, sed in quantum alteri repugnans, seu in quantum exclusum, & negatum, non in quantum in se suis prædicatis constituitur.*

3217 Ad formandã primo modo propositionẽ, indiget angelus vti pluribus speciebus

Ad formandã primo modo, propositionẽ indiget quidẽ angelus vti pluribus speciebus coniunctis, quibus repræsentetur illa negatio extremorũ, quia non solũ repræsentatur negatio, sed etiã vtriusq; positiua quidditas super quã cadat negatio: Sed tamen hoc non fit per compositionẽ, quia duplex illa species simplici repræsentatione, & intuitu repræsentat suas quidditates, nõ ex vi collationis, & comparationis. Negationem verò vnius de altero quælibet illarum specierum sufficienter repræsentat, non ex comparatione, & collatione vnius ad alteram dignoscitur, quia in ipsa quidditatis positione alterius negatio est imbibita.

3218 Ad formandã propositionẽ secundo modo, non requiritur duplex concursus speciei.

At verò ad formandã propositionẽ secundo modo, nõ requiritur duplicis speciei cõcursus, sed per eadẽ speciẽ, qua repræsẽtatur angelo aliquod extremũ, repræsẽtatur in illo, quicquid ei cõuenit, vel remouetur ab eo, vt docet S. Th. in hac q. 58. a. 4. ad 1. intelligentia. n. quidditatis rei in angelo æquiualet nostræ cõpositioni, & diuisioni, qua attribuimus aliquid, vel remouemus ab ea. *Quod intelligitur de omni eo, quòd mouetur, seu negatur ab aliquo in quantũ negatur, & remouetur. Nã cognita per speciẽ quidditatiuã hominis, & penetrata natura ei⁹ hoc ipsò cognoscitur in vi talis naturæ, ꝙ ibi nõ est alteri⁹ rei prædicatũ, quã hominis: & sic videtur leo, & lapis, & equus nõ absolutè, & quidditatiuè in se, sed put non sunt homo, seu prout excluduntur ab homine: viso n., quod sit homo, etiã videtur, quod non sit, seu quod ibi nihil aliud est, prout negatio fundatur in affirmatione; & sic non indiget angelus componere cũ alia specie, sed penetrare quidditatem vnius, vt videat, quod non sit illa.*

3219 Vti duplici specie, vel conceptu, non est componere, quando compositio nõ est ratio videndi.

Quod verò dici potest, quoties vtitur intellect⁹ duplici cõceptu, vel specie, hoc ipso cõponere, iã dictũ est, compositionẽ aliquid amplius dicere, nẽpè, ꝙ ipsa cõparatio, & cõpositio sit ratio vidẽdi, & cognoscẽdi connexionẽ, seu conuenientiã, aut disconuenientiã vni⁹ ad alterũ; & sic nõ sufficit adunare duplicẽ speciẽ, si vtraq. solùm elicitur cogitatio cõprehensiua, & penetratiua alicui⁹ cõuenientiæ, & cõparationis, nõ verò sola ipsa cõparatio est ratio cognoscẽdi illa extrema, & cõuenientiã eorũ. Vnde si ita comprehẽsiuè penetratur aliqua veritas ex concursu duarũ specierũ, cõcept⁹ erit vnus, quia si vnus concept⁹ nõ sufficit ad totũ illud, cõprehẽsio nõ erit vna, atq; adeò neq; comprehensio erit. Sed quia ille concept⁹ non formatur ex vi comparationis, & conferentiæ, sed ex vi penetratiuitatis simplicis, in qua etiam comparatio ipsa attingitur, ideò non est ille conceptus compositio, & diuisio formaliter, licèt totam compositionem intelligat simplici intuitu.

Xxx AR-

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum in intellectu Angeli possit esse falsitas.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

PRima Concl. in intellectu Angeli nō potest esse falsitas per se. Quia Angeli intelligunt omnia per modum primę operationis, cùm non intelligant componendo, & diuidendo: falsitas autem est in secunda, non in prima operatione intellectus. 2. Concl. In intellectu Angeli non potest esse falsitas per accidens respectu eorum, quę naturaliter cognoscit, quia Angeli cognoscendo quidditatem rei; cognoscunt quidquid quidditati attribui naturaliter potest, & ab ea remoueri. 3. Concl. in intellectu bonorum Angelorum non est falsitas, nec per se, nec per accidens respectu cognitorum supernaturalium. quia cùm sint recti, non iudicant de his, quæ supernaturaliter ad rem pertinent, nisi salua diuina ordinatione. 4: Concl. in intellectu malorum Angelorum, per accidens potest esse falsitas respectu supernaturalium. Quia Dęmones per eorum voluntatem peruersam, subducentes intellectum à Diuina Sapientia, absolutè de rebus interdum iudicant secundùm naturalem rerū conditionē.

Arg. 1. In quibus est phantasia proterua, est falsitas, quia proteruitas ad falsitatem pertinet. Sed in Angelis malis est phantasia proterua, vt dicit Dion. cap. 4. de diu. nom. ergo. Resp. conced. totum, in Dæmonibus enim potest esse falsitas respectu supernaturalium, vt dictum est.

Arg. 2. Nescientia est causa falsę existimationis. Sed in Angelis potest esse nesciētia, vt idem Dion. dicit. ergo. Resp. conced. min. de nescentia supernaturalium, quæ est causa falsę existimationis, non in bonis, sed solùm in malis Angelis: Neg. verò de nescientia respectu naturalium.

Arg. 3. Qui cadit à veritate sapientiæ, & habet rationem deprauatam, habet falsitatem, vel errorem in intellectu. Sed Dæmones cadunt à veritate sapientię, & habent rationem deprauatam. ex Dion. c. 7. *de diu. nomin.* ergo. Resp. conced. totum argumentum, vt patet ex dictis.

Arg. 4. in eo, qui non cognoscit aliquid, nisi intelligendo, non potest esse falsitas; ex Arist. 3. *de Anima*, dicente, *quòd intellectus quodquid est, semper est verus*. Sed Angeli non cognoscunt aliquid nisi intelligendo. ergo. Resp. quòd *intellectus quodquid est, semper est verus*, per se; per accidēs verò aliquando potest esse falsus, vt dictum est.

DISPVTATIO. CCXCIV.

An, & quomodo in intellectu Angeli possit esse falsitas.

3220
1. Concl. circa naturalia, non potest angel⁹ bonus, vel malum decipi.

COnclusio est. Circa naturalia non potest Angelus bonus, nec malus decipi. Hæc conclusio videtur intelligi de naturalibus, non tamen, vt distinguuntur à supernaturalibus: sed etiam, vt distinguūtur à contingentibus, & liberis. Circa naturalia enim non potest decipi Angelus propter euidentiam, quam de illis habet: libera autem, & contingentia, nō euidenter, sed coniecturaliter cognoscit. Et idcircò intelligenda est etiam conclusio de cognitione speculatiua: nam fortè de practica est alia ratio. Nam in cognitione speculatiua, veritas sumitur ex conformitate ad rem in se, quam Angelus penetrat perfectè: veritas autem practica semper requirit appetitum suum. Et ideò licet Angelus semper habeat iudicium conforme rei: non enim semper habet conforme appetitui recto, quia non semper habet huiusmodi appetitum. De quo fusior erit sermo infra q. 67.

3221
2. Concl. angeli boni, nec circa naturalia, nec supernaturalia decipi possunt.

Secunda conclusio. Angeli boni falli non possunt, nec circa naturalia nec, circa supernaturalia, nec circa libera, nec circa contingentia. Hæc est communis inter Theologos: & colligitur ex Diu. August. q. de ciuit. cap. 22. *Et colligitur etiam ex perfectione status Beatifici. Sed dices: Angeli boni, etiam cognoscunt contingentia, & libera per coniecturas, quæ nō semper Deus ipsis reuelat: possunt ergo falli coniecturaliter iudicando. Respondetur, quòd Angeli beati quandiù non habent creatas reuelationes; vel euidentiam, non iudicant ita esse, vel non esse absolutè: sed iudicant posse esse hoc, vel illud, & signa, & coniecturas magis significare hoc, quàm illud. Hæc autem iudicia sunt euidentia: & ideò non falluntur.*

3222
Homines ex rationibus, probabiliùs proferunt absolutum iudicum.

Sed aduerte, quòd homines ex rationibus probabiliùs proferunt absolutum iudicium de aliqua re, tùm propter imperfectionem hominis, tùm etiam, quia supposita ista imperfectione, ratione cuius homo non potest habere omnium euidentiam, rationabile est, quòd vtatur probabili ratione, & quod præstet absolutum assensum probabilibus. Aliàs nulla Respublica posset subsistere, nec gubernari: imò nec ipse homo in particulari posset viuere secundùm rationem, & virtutē. Nam non coleret parentes, si per fidem humanam non crederet illos esse suos parentes. Angeli verò, quia perfectissimi sunt, nunquam adhibent perfectum assensum solùm ex rationibus probabiliùs: Sed solùm iudicant illud esse probabile, & posse ita euenire; vt dictum est.

Angeli nullā habent necessitatem assentiēdi propter rationes probabiles.

Præterea, Angeli nullam habent necessitatem absolutè assentiendi solùm propter rationes probabiles, nec ad eorum gubernationem, nec ad vitę institutionem. Adde etiam, quòd angeli beati, quia semper sunt subditi Deo, & actualiter contemplantur, omniū rerum naturas suæ potentiæ subditas esse; propterea non proferunt absolutum iudicium circa res naturales, secundùm quòd subijciuntur diuinę dispositioni, per quam potest eas, mutare secundùm beneplacitū suæ voluntatis. Et bene est, quòd quamquam angeli videant in causis naturalibus futuram pluuiam, aut siccitatem, non proferunt absolutum iudicium: scientes, quòd oratione alicuius Sancti potest Deus hæc omnia vitare, & mutare.

Ex coniecturis boni angeli non formāt iudicium absolutum.

Ex quibus liquet, quòd boni angeli non præbent iudicium absolutum solùm ex coniecturis, quia cùm sint prudentissimi, & rectissimè ordinati, nolunt se exponere periculo falsitatis. Sed dices: Secundùm rectam prouidentiam, & prudentiam potest ferri determinatum iudicium per signa possibilia, maximè si tale iudicium sit necessarium ad operandum, & aliunde non possit haberi certior cognitio.

Instabis.

Respondetur; quòd absolutè meliùs est per signa non ferri absolutè iudiciū: maximè quando non est necessarium, nec vtile statui alicuius. Quòd si fortè necessariū esset alicui angelo ad aliquid operandum habere absolutè tale iudicium de his rebus, statim certò sciret id per diuinam reuelationem, Deo ita disponente, & prouidente: quia ita decet pro statu beatorum.

Respondetur.

3. Concl. Angeli mali in rebus supernaturalibus contingentibus, decipi possunt

Tertia Cōclusio. Angeli mali in rebus supernaturalibus contingentibus, atque liberis, decipi possunt. Ratio huius est. Quia sunt imprudentes, & praue affecti, & ideò facile præbent iudicium in rebus, quas tamen coniecturaliter cognoscunt. Dæmones ergo propter prauitatem affectus, & ne dent Gloriam Deo, proferunt absolutum iudicium: & ita decipiuntur. Verū verò Dæmon habeat aliquid iudicium falsum practicū

aliquem

An Dæmones habeant aliquem iudiciũ falsum practicum circa naturalia?

aliquem circa naturalia: dubitari potest. Abs. enim dicunt, quod Sanctissimus Præceptor debeat intelligi in articulo *de veritate, & falsitate, secundùm quòd sunt in intellectu speculatiuo. Et probatur: Dæmones sæpè peccant contra legem naturalem: ergo per intellectum practicum iudicant bonum esse illud, quod faciũt; ac subinde habent iudicium falsum circa naturalia. Patet prima consequentia. Quia nullus intendens ad malum, operatur.*

Dæmones nõ habent iudicium practicum circa naturalia.

Cæterùm Diu. Thom. in quæstionibus de Dæmonibus art. 6. *videtur sentire oppositum, & ratio huius est. Quia primum peccatum Angeli primò, & per se fuit cõtra præcepta supernaturalia, & contra ipsum Deum, quatenus est finis supernaturalis: ac subinde omnia, quæ Dæmones operantur contra homines, ob id faciunt, quatenus ipsi sunt capaces finis supernaturalis: Et hinc est, quod semper contendunt impedire homines, ne finem illum assequentur. Quòd si aliquando Dæmon agit contra res naturales hominum, aut cõtra naturalem legem; semper agit secundùm quòd res illæ ordinantur ad finem supernaturalem. Qua ratione omnia illa iudicia practica falsa, quæ Dæmon habet, primò, & per se sunt circa supernaturalia: non autem circa naturalia absolutè, & secundùm se sumpta; vt susiùs dicemus q. 60*

Instabis.

Sed dubitatur vlterius ex his, quæ in articulo continentur. Quia si in prima operatione intellectus, formaliter non est veritas, quia ibi non est iudicium; & angeli solùm intelligunt per modum simplicis apprehensionis, sequitur, quod in angelis non est formaliter veritas, aut falsitas: quod est contra doctrinam huius articuli.

Resp. perfectionem intellectus Angeli consistere in hoc, quod plura opera perficiat vnico actu.

Respondetur, quòd perfectio intellectus angeli attenditur in hoc, quòd plura opera perficit vno actu: sicut intellectus nostri virtus in eo potissimum apparet, quod inferiorum potentiarum multiplices actus sua simplicitate complectitur. Alioqui, si angelus solùm haberet de rebus apprehensionem sine iudicio, & imperfectior esset cognitio illius, quàm nostra. Cuius oppositum, est communis conceptio. Vndè habetur primò, quod angelus primo intuitu rerum essentias apprehendit, & de ipsarum cõpositione iudicat, simulq; videt vnum ex alio procedere, idest proprietates ex substantia: quæ nos paulatim, & temporis successu vix percipimus.

Duplex est cõpositio, altera ex parte modi; altera ex parte rei.

Secundò habetur, optima Caietani distinctio, quòd compositio est duplex. Altera ex parte modi; quoniam potentia cognoscens plures partes simul coniungit: altera, ex parte rei; quando de compositione obiecti iudicat intellectus. Et vtraque ad veritatem, & falsitatem sufficit sine altera: Secunda inuenitur in angelis absque prima. Quare, licèt sit quantum ad modum cognoscendi simplex apprehensio, quoad virtutem discernendi, est etiam iudicium. In nobis autem vtraq; inuenitur, & maximè prima, quæ est ex parte potentiæ: vsque adeò, vt etiam obiecta simplicia cognoscamus cõponendo, vt cum de Deo, & angelis habemus notitiã. Tertiò sequitur, quod in nobis propter distinctas operationes sunt etiam diuersa principia. Nam per species apprehendimus: per habitus autem scientificos iudicamus: per Dialecticam verò constituimus syllogismos. Sed in Angelis, vt est secundùm substantiam vnica operatio; ita species congenitæ sunt principia sufficientia, & cognoscendi, & iudicandi.

Quomodo in angelis beatis possit esse nescientia?

In solutionibus argumentorum Sãctissimus Præceptor videtur concedere, quòd in angelis etiam Beatis potest esse nescientia. Multa enim fugiunt eorum cognitionem. Quam doctrinam, vt intelligas, obserua, quod sicut in Beatis non esse positiuus error: ita nec ignorãtia priuatiua. Omnis enim priuatio, vel est malum culpæ, vel pœna: quæ longè absunt à Beatis. Sed quia multa scire possunt, quæ postea Dei ordinatione reuelantur, & nunc ignorant: ponitur in eis nescientia negatiua. Sicuti nescimus numerum stellarum: quod tamen nobis, nec est culpa, nec pœna; quia nec possumus scire, nec debemus. Ex quo colligitur, quod in beatis Angelis non est assensus opinatiuus, nec deliberata dubitatio: Sed quidquid sciunt, euidenter cognoscunt, vel naturæ lumine, vel gratiæ. Nam qui opinatur, quodammodo se periculo fallendi exponit, cùm dubitet de opposito: & qui dubitat anxius est, & cum quadam animi molestia. Dæmones verò, qui superbiæ motu feruntur, cùm perdiderint diuinam sapientiam, nihil mirum est, si fallantur, opinentur, & dubitent.

Quæres.

Sed ex his oritur dubium. Quia si in Angelis potest esse dubium: ergo, & discursus, & consultatio, maximè circa res occultas, quarum tamen aliqua indicia cernuntur; ac proinde poterunt etiam cum eodem subiecto diuersa prædicata componere, vt quod Socrates modò sit iustus, modò in peccato.

Resp. angelos circa supernaturalia, nec componere, nec discurrere.

Ad hoc dubium quidam Theologi ex familia Diui Thomæ planè dixerunt, quod circa supernaturalia, & penitus occulta in Angelis potest esse compositio, & discursus. Et apud Caietan. tria iudicia habentur ad id opinandum ex S. T. quamquam ipse non fuerit huius sententiæ. Verùm de hac re pleraque diximus articulis præcedentibus, & in præsenti etiam iterum dico, sentiendum esse cum Diu. Thom. de veritat. quæst. 8. artic. 15. ad 2. & 4. *Vbi expressè negat,* compositionem in Angelis, etiam circa supernaturalia, & occulta. *Et idcircò credendum est, quòd quidquid Angeli cognoscunt, siuè per effectus, siuè per indicia subitò iudicant, videntque vnum in alio. Quemadmodum si esset speculum soli obiectum, in eodem instanti, quo fit illuminatio, procedit splendor. Ita, statim, vt est effectus in rerum natura, resultat similitudo in specie Angelica: simulque cognitio illius, & causæ vnde procedit: & neutrum cum compositione, aut discursu. Est autem in eius consultatio, non formaliter, vt nobis accidit inquirentibus, quid sit agendum, diuersa media ad vnum finem componentes: Sed simul omnia penetrat media, & vnum præ cæteris assumit. Quod si non successerit, admittit aliud, sicut apparet in tentatione Christi, successu quidem temporis: Sed non discursu cogitationis.*

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum in Angelis sit cognitio matutina, & vespertina.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONcl. affirm. Prob. in habentibus cognitionem de rebus secundùm *esse*, quòd habent in Verbo, & secundùm *esse*, quod habent in proprijs naturis, est cognitio matutina, ac vespertina; ex Aug. qui distinctionem hanc de cognitione matutina, ac vespertina in Angelis introduxit. Sed Angeli habent cognition em de rebus, prout sunt in verbo, & secundùm *esse*, quod habent in proprijs naturis. ergo.

Arg. 1, Cognitio, in qua nulla est tenebrositas, non potest dici matutina, neque vespertina; quia vespere, & mane habent admixtionem tenebrarum. Sed cognitio Angelica nullam habet tenebrositatem. ergo. Resp. Ad min, nihil prohibere, quòd cognitiu Angeli, secundùm quod coguoscit in propria natura, dicatur tenebrosa per comparationem ad visionem Verbi.

Arg. 2. Inter vespere, & mane cadit nox; & inter mane, & vespere cadit meridies. ergo dabitur etiam in Angelis cognitio nocturna, & meridiana. Resp. neg. conseq. Nã cognitio matutina, & vespertina pertinent, non ad noctem, sed ad diem, idest ad Angelos illuminatos, qui sunt à tenebris diuisi, & hac de causa non ponitur Angelica cognitio nocturna.

Arg. 3. Scientiæ fecantur, quemadmodum, & res, ex Arist. *de Anima*, sed triplex est *esse* rerum; in Verbo, in proprijs naturis, & in intellectu Angelorum. ergo. Resp. neg. min. Nam *esse* rerum in Angelica cognitione, comprehenditur sub *esse* rerum in seipsis, cùm Angeli etiam sint creaturæ. Vnde de tali *esse* habent Angeli cognitionē vespertinam.

DISPVTATIO. CCXCVI.

Explicatur multiplex matutinæ, ac vespertinæ cognitionis acceptio.

Tripliciter accipitur cognitio matutina, & dupliciter vespertina.

NOtandum est secundùm Augustini sententiam, tripliciter sumi cognitionem matutinam, & dupliciter vespertinā. *Primò namque sumitur apud eū matutina cognitio pro notitia illa naturali, qua per suam substantiam, vt similitudinam, siuè speciem intelligibilem, vel etiam, vt effectum Dei nobilissimum, Deum intuetur, aut etiam illum in effectibus per species repræsentates speculatur modo superius exposito. De hac matutinæ cognitionis acceptione, quoad priores duos eius modos sic loquitur Sanctus Doctor infra quæstione sexagesima secunda, articulo primò ad tertium:* Angelus duplicem habet verbi cognitionem, vnam naturalem, & aliam gloriæ: Naturalem quidem, qua cognoscit verbum per eius similitudinē in eius natura relucentem; cognitionem verò gloriæ, quæ cognoscit verbum per suam essentiam; & vtraque cognoscit angelus in verbo, sed naturali quidem cognitione imperfectè, cognitione verò gloriæ perfectè: prima ergo cognitio rerum in verbo affuit Angelis à principio suæ creationis, nō autem secunda: Sed tunc solùm, quando facti sūt Beati per conuersionem ad bonum: & hæc propriè dicitur cognitio matutina. *Hæc ibi. Ex qua responsione argumento collata, duo colliguntur. Primum est; cognitionem illam naturalem, qua Deum cognouit Angelus per suam substantiam, ab Augustino quandoque nuncupari matutinam. Secundum est, solam verbi, & rerum in verbo notitiam supernaturalem apud Augustinum esse propriè cognitionem matutinam.*

Primo sumitur cognitio matutina pro notitia naturali.

2. Sumitur matutina cognitio pro notitia reuelata.

Secundò sumitur apud Augustinum matutina cognitio pro notitia reuelata, quam habent angeli de Deo per lumen supernaturale additum intellectui, & essentiæ Angeli, quatenus species quædam intelligibilis est Deum repræsentans; Si namque cognitio, quam de Deo per suam essentiam habet angelus virtute luminis naturalis, dicitur, quamuis impropriè, matutina; multò magis notitia, quàm de Deo virtute luminis supernaturalis per eandem suam essentiam habet Angelus, dici poterit matutina.

Quomodo res in Verbo imperfectè cognoscantur.

Quòd si per naturalem verbi cognitionem res in eo saltem imperfectè cognoscit, multò perfectius easdem res in verbo cognoscit notitia supernaturali. Cùm *autem hic de verbo loquimur, sermo est de verbo, non personaliter, sed essentialiter dicto, significatur hæc matutinæ cognitionis acceptio ab Augustin.* lib. 4. sup. Genes. ad litteram, multis in locis, *in quibus sæpè repetit in sacra scriptura vespere tantùm, & mane; non verò nocte nominari, Quoniam Angeli Creatorē in ipsa creatura, sic sciunt, & ei scientia electione, ac dilectione proponant, quod eadem sciunt per quam sunt omnes, participes eius effecti.* Et cap. 25. *subdit*: Tunc enim nox ad diem pertinet, non dies ad noctem, cum sublimes, & Sancti Angeli id, quod creatoris in ipsa creatura nouerunt, referunt ad illius honorem, & amorem, in quo æternas rationes, quibus creata est, contemplantur; sunt vnus dies, quam fecit Dominus &c. *Quam doctrinam refert hic Sanctus Doctor* articulo sexto, ad secundum: *Constat autem angelos bonos notitiam creaturę sufficienter in laudem Creatoris retulisse per notitiam, & dilectionem eius supernaturalem, antequàm Deum per essentiam clarè viderent.*

Sed quoniam matutina cognitio sic accepta, nondū perfecta est in genere matutinæ cognitionis, sed vt via quædam est in visionem essentiæ Dei beatificam, qua res omnes distinctè videntur ad ordinem Vniuersi pertinentes; ideò Sanctus Augustinus, & cum eo Sanctus Thomas nomine cognitionis matutinæ, claram Dei visionem ferè semper intelligunt, & exponunt, quæ tertia est, & maximè propria dictę vocis significatio.

3. matutina cognitio sumitur pro clara Dei visione.

Vespertina cognitio primò sumitur pro naturali rerū notitia in speciebus. Secundò.

Vespertina verò cognitio primò sumitur pro naturali rerum notitia, quam habet Angelus per species innatas; in quo sensu loqui solet Augustinus de cognitione vespertina, vt hic aduertit Sanctus Doctor Articulo septimo. Secundò sumitur vespertina cognitio pro visione beatifica, qua videndo verbum res etiam alias à Deo vident, non solùm quo ad illud esse, quod habent in verbo, sed etiam quoad illud esse, quod habent in propria natura, vt hic in eodem articulo docet Sanctus Thomas proueniens, & excludens inepta, & suæ intentioni, ac doctrinæ repugnantem Vasquez expositionem.

Dupliciter cognitio matutina, & vespertina, intelligi potest, vel ex parte rei cognitæ, vel ex parte medij cognoscendi.

Postremò notanda est diligenter doctrina S. Thomæ in dicta quæstione octaua de veritate art. 16., *vbi sic loquitur*: Sciendum tamen est, quod ipsa distinctio, *scilicet cognitionis in matutinam, & vespertinam*, potest dupliciter intelligi: Vno modo ex parte rei cognitæ: alio modo ex parte medij cognoscendi. Ex parte quidem rei cognitæ, vt dicatur res in verbo cognosci, quando cognoscitur esse ei, quod habet in verbo, in propria verò natura, secundùm quòd cognoscitur ipsum esse rei, quod habet in se ipsa. Et hic non est conueniens intellectus; quia esse rei, quod habet in Verbo, non est aliud ab esse Verbi; quia, vt Anselmus dicit, creatura, in Creatore est creatrix essentia: Vnde hoc modo cognoscere creaturam in verbo, non esset cognitio creaturæ, sed magis Creatoris. Et ideò oportet hanc distinctionem intelligi ex parte medij cognoscendi, vt dicatur res cognosci in Verbo, quando per Verbum ipsa res in propria natura cognoscitur: in propria verò natura, quando cognoscitur per formas aliquas creatas, rebus creatis proportionatas: Sicut cùm cognoscit per formas sibi inditas, vel etiā si per formas acquisitas cognosceret, quantum ad hoc pertinet, nihil differt. *Hæc ibi Sanctus Doctor, quæ placuit ad verbum referre, vt expositoris prædicti falsitas, & impostura patesceret euidentius.*

Angeli, tàm boni, quàm mali habuerunt cognitionem matutinam, & quo modo.

Ex dictis sequitur primò, omnes angelos tàm bonos, quàm malos duplicem habuisse cognitionem matutinā, vnam naturalem, & alteram supernaturalem, quæ tamen non erat Beata visio. De qua duplici cognitione multa Sancti Augustini dicta videntur intelligenda in dicto quarto libro c. 22. 23. 25. & 34. Secundò sequitur, solos Angelos bonos cognitionem habuisse matutinam simpliciter, & propriè dictam, cùm ipsi soli claram Dei visionem fuerint assequuti. Tertiò sequitur, concordia multorum dictorum Augustini, quę videntur pugnantia; Nonnunquam enim ait matutinā cognitionem esse priorem vespertina: quandoq; verò docet esse posteriorem; illud enim prius, verum est de cognitione angeli viatoris matutina, tàm naturali, quàm supernaturali; hoc autem posterius, verum est de clara comprehensoris angeli cognitione matutina: quamquam, & hęc dici possit vespertinam præcedere dignitate.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum vna sit cognitio matutina, & Vespertina.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

PRima Conclusio. Si nomine cognitionis vespertinæ, intelligamur cognitionem, quam habent Angeli, de esse rerum in proprijs naturis, cognitum per rationes rerum in verbo existentes, idem sunt matuti-

na,

na,& Vespertina cognitio. Quia vtraque habetur per idem medium. 2. Concl. Si nomine cognitionis vespertinæ, accipiamus cognitionem, quam habent Angeli de esse rerum, prout sunt iu proprijs naturis, per species innatas in eorum intellectu existētes, sic alia est cognitio matutina, alia vespertina. Prob. quia aliud est principium vnius, aliud alterius, vt *ex Artic. praced.* patet.

Arg. 1. *Gen.* 1. dicitur *factum est Vespere, & mane dies vnus.* Sed per diem intelligitur angelica cognitio, vt Aug. *ibid.* dicit. ergo. Respond. ad min. quòd Aug. per vnitatem diei non intellexit vnitatem cognitionis, sed vnitatem cogniti.

Arg. 2. Angeli sunt semper in actu respectu cognitionis matutinæ in Verbo. ergo si cognitio vespertina esset alia à matutina, nunquam Angelus posset esse in actu cognitionis vespertinæ. Quia impossibile est vnam potentiam simul duas operationes habere. Respond. neg. conseq. ad prob. diximus esse veram de operationibus disparatis, falsam verò de subordinatis, vt accidit in casu nostro.

Arg. 3. Cognitio perfecta non potest stare in Beatis, simul cum cognitione imperfecta. ex illo ad Cor. 1. cap. 13 *cùm venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est*: ergo. Resp. neg. Antec. ad prob. dicitur: quòd adueniente perfecto euacuatur imperfectum, non quodcunque, sed quòd perfecto opponitur. Imperfectum autem vespertinæ nō opponitur perfecto matutinæ cognitionis.

DISPVTATIO CCXCVII.

Referuntur Conclusiones D. Thomæ.

1. Concl.

PRima conclusio: Si dicatur cognitio vespertina, secundùm quòd Angeli cognoscunt esse rerum, quod habent in propria natura videndo verbum, sic vna, & eadem secundùm essentiam est cognitio vespertina, & matutina, differens solùm secundùm cognita.

2. Concl. si cognitio vespertina dicatur secundùm, quòd angeli cognoscunt esse rerum; tūc distinguūtur.

Secunda conclusio: Si cognitio vespertina dicatur secundùm, quòd Angeli cognoscunt esse rerum, quod habent in propria natura, per formas innatas, sic alia est cognitio vespertina, & matutina. Probantur ambæ simul: Cognitio vespertina dicitur, qua Angeli cognoscunt res in propria natura, prout dictio illa, in propria natura, accipitur secundùm rationem cogniti, secundùm, quòd subest cognitioni, vt scilicet cognitio vespertina in Angelis dicatur, secundùm quòd cognoscunt esse rerum, quod habent res in propria natura: Quòd quidem esse per duplex medium cognoscunt, scilicet per species innatas, & per rationes rerum in verbo existentes, ergo, si dicatur cognitio vespertina, &c.

3223 Prima pars Antecedentis probatur.

Prima pars antecedentis probatur; quia dictio illa, in propria natura, non potest ita intelligi, quasi ex propria rerum natura cognitionem accipiant, vt hæc propositio, In, indicet habitudinem principij; ergò accipitur secundùm rationem cogniti, secundùm quòd subest cognitioni, &c. Probatur assumptum, quia angeli non accipiunt cognitionem à rebus. Secunda verò pars antecedentis illis verbi contenta: quod quidem esse per duplex medium &c. probatur: Quoniam angeli videndo Verbum non cognoscunt solùm illud esse, quod res habent in verbo, sed etiam illud esse, quod habent in propria natura, ergo; Manifestatur hoc assumptum ex simili in diuina cognitione. Nam Deus per hoc, quod videt se, cognoscit esse rerum, quod habent in propria natura. Confirmatur specialiter secunda conclusio, quoniam ita videtur intelligere Augustinus, cum vnam dictarum cognitionum ponat imperfectam respectu alterius.

QVÆSTIO LIX. D. Th.

De Voluntate Angelorum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in Angelis sit voluntas.

COnclusio affirm. Prob. In his, quæ habent inclinationem ad ipsum bonum, est voluntas. Sed Angeli inclinantur ad ipsum bonum vniuersaliter appræhensum. Nam cùm omnia procedant à voluntate diuina, omnia per appetitum suo modo inclinantur in bonum; & cùm creatura sit intellectualis, inclinatur in bonum cum cognitione, qua cognoscit ipsam rationem boni. ergo.

Arg. 1. In quibus non est ratio, sed aliquid supra rationem, non est voluntas. Sed in Angelis est aliquid supra rationem. ergo. Resp. neg. ma. Nam voluntas non solùm est in ratione, sed in omni eo, quod habet pro obiecto bonum vniuersale, vt dictum est.

Arg. 2. Voluntas continetur sub appetitu, qui est rei non habitæ; Sed in Angelis, maximè beatis, non debet poni aliqua imperfectio. ergo. Respond. Ad min. quòd licèt nomen appetitus sit sumptum ab appetendo ea, quę non habentur, tamen est etiam eorum, quæ habentur, & sic est in Angelis.

Arg. 3. Quod est mouens motum, non est in Angelis, cùm sint immobiles. Sed Voluntas est mouens motum, nam Voluntas mouetur ab appetibili intellecto. ergo. Respond. dist. mai. id, quod est mouens motum, motu propriè dicto, non est ponendum in Angelis, conced. quòd autem mouetur motu impropriè dicto, vt est intelligere, negatur.

DISPVTATIO CCXCVIII.

An voluntas hominis, & voluntas Angeli specie distinguantur.

CIrca responsionem ad primum argumentum Diui Thomæ quarit Zumel; An voluntas angeli, & voluntas hominis specie distinguantur, & respondens ait, vtramque partem esse probabilem, sed probabilius esse, duas has voluntates specie non distingui, quatenùs potentiæ, quadam sunt in obiectum relatæ; nam, — 3224 Opinio Zumel.

quatenus proprietates sunt ex natura fluentes, certum est eas specie distingui; sicut etiam hoc modo specie distinguuntur visus hominis, & visus Leonis. Mihi verò pars opposita magis arridet; quia bonum non est voluntatis obiectum, & principium actum illius, nisi prout ab intellectu concipitur, & proponitur: Constat autem, bonum quodcumque non eodem modo cōcipi, & voluntati proponi per intellectum humanum, & per intellectum Angelicum; Intellectus enim humanus mobiliter apprehendit, discurrendo de vno in aliud, viam habens ad vtrumque oppositum; atque ideò voluntas etiam hominis mobilem habet, electionem, — 3225 Concl. Voluntas hominis, & angeli realiter distinguūtur. — Ratio.

nem, & adhæsionem circa bonum hoc, vel illud appetitum, vtilitas ab eo discedere, & contrarium eligere, vel appetere; intellectus autem Angeli immobiliter apprehendit; & ideò voluntas eius immobiliter eligit, & adheret bono per intellectum illi proposito.

3226 Actus intrinsecè mobilis, essentialiter differt ab immobili.

Actus autem ex intrinseca sua natura mobilis, specie differt ab actu naturaliter immobili, & eadem ratione potentię: sicut corruptibile specie differt ab incorruptibili, & mobile naturaliter ab eo, quod est immobile per naturam; ita tamen, vt specificę differentia voluntatum, & actuum non sint mobilitas, & immobilitas, sed aliæ magis occultæ, in ordinatione ad obiecta sic differenter apprehensa, & voluntati proposita consideratę: mobilitas enim, & immobilitas ad modos intrinsecos operandi magis pertinent quàm ad specificas differentias, quas tamen indicant multò magis, quàm accidentia communia, vel propria, quæ sunt earum effectus, & iuxta hanc concl. intelligenda sunt, quę diximus tom. 1. q. 12. art. 1. de conuenientia potentię intellectiuæ humanæ, & Angelicæ in ratione obiecti; intelligi debet de conuenientia pure obiectiua, & de ratione formali quę, vel in ordine supernaturali.

1. Obiectio. Sed arguit Zumel primò: voluntas nostra prosequitur vniuersale bonum, & summum appetentis, sicut, & voluntas Angeli, sed appetitus distinguuntur secundùm rationem boni, ad quod feruntur; ergo sunt eiusdem speciei.

3227 Respondetur. Respondetur, appetitus distingui secundùm rationem boni, ad quod feruntur, non sic absolutè sumpti, sed prout est etiam apprehensum, & appetitui præsentatum per vim cognoscitiuam; & ideò vbi diuersa species est virtutis cognoscitiuę, & actus eius, necesse est etiam appetitiuam potentiam esse diuersam.

2. Obiectio. Secundò. Charitas Angeli, & hominis sunt eiusdē speciei propter identitatem formalis rationis obiecti; sed est etiam formale obiectum idem respectu vtriusque voluntatis; ergo erunt eiusdem speciei.

Respond. 1. Respondetur primò, charitatem Angeli, & hominis esse eiusdem speciei in esse moris propter identitatem formalis obiecti: sed in esse naturę, siuè quoad substantiam actus, est diuersarum ob supradictam causam.

Respond. 2. Secundo dico, supernaturales actus, aut habitus non trahere suas differentias essentiales ex ijs, quæ ad ordinem pertinent naturalem, sed eas independenter à naturalibus secum ferre & hæc est vera responsio.

3. Obiectio. Tertiò. Appetitus hominis, & bruti sunt eiusdem speciei; & tamen potentiæ apprehensiuæ, quæ præcedunt, sunt specie diuersæ vt cognoscitiua in homine, & æstimatiua in bruto.

Respondetur. Respondetur, falsum esse antecedens; differunt enim specie appetitus hominis etiam sensitiuus, & appetitus bruti non minus, quàm cogitatiua, & æstimatiua, ob supradictam causam.

4. Obiectio. Quartò obijci possunt vltima illa verba S. Doct. ad primum, videlicet; Idem est ergo obiectum, quod appetitiuæ proponitur ex parte rationis, & ex parte intellectus: vnde in Angelis, qui sunt intellectuales tantùm, non est appetitus superior voluntate. Quibus verbis satis apertè significat, idem esse obiectum humanæ voluntati per rationem propositum cum eo, quod Angelicæ voluntati per intellectum offertur, & quod amplius est, negat in Angelis esse appetitum voluntate superiorem. Ex quibus videtur identitas vtriusque voluntatis, scilicet Angelicę, & humanę, manifestè deduci.

Respondetur. Respondetur, idem esse vtriusque voluntatis obiectum quasi materialiter, non autem formaliter, quia scilicet non eodem modo proponitur à ratione, & ab intellectu, vt antè diximus. Ex hoc autem, quod in Angelo non est appetitus voluntate superior, nihil aliud sequitur, nisi Angeli appetitum esse voluntatem eiusdem ordinis cum humana voluntate, non tamen sequitur, eiusdem etiam esse gradus specifici.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum In Angelis voluntas differat ab intellectu.

SVMMA ARTICVLI. D.Th.

Concl. est affirmatiua. Prob. virtutes, quę sic se habent, quòd vna tendit in intrinsecum, secundùm quòd natum est esse intrinsecum, & altera tendit in extrinsecum, secundùm quod extrinsecum differunt ab inuicem. Sed voluntas, & intellectus, sic se habent, quòd intellectus respicit rem, quæ est extra ipsum intelligentem, quatenus tamen nata est aliquo modo in eo esse; cùm cognitio fiat per hoc, quòd cognitum est in cognoscente. Voluntas autem se extendit ad id, quòd est extra, secundùm quod quadam inclinatione tendit in rem exteriorem. ergo.

Arg. 1. Angelus est simplicior corpore, sed corpus per suam formam, & non per aliud distinctum à sua forma, inclinatur in bonum. ergo. Resp. ad min. quòd corpus naturale per formam substantialem inclinatur in esse suum, quod est sibi intrinsecum, sed in exterius inclinatur per aliquid additum. Vnde, quia voluntas Angeli tendit in extrinsecum, non est eius essentia.

Arg. 2. Bonum, quod est obiectum voluntatis, & verum, quod est obiectum intellectus, non differunt realiter: ergo neque potentię. Resp. neg. conseq. quia potentiæ non distinguuntur secundùm materialem distinctionem obiectorum, sed secundùm formalem distinctionem, quæ in vero, & bono est diuersa.

Arg. 3. Distinctio communis, & proprij in obiectis, non diuersificat potentias: eadem enim est potentia visiua coloris, & albedinis. Sed verum, & bonum videntur distingui tantùm, sicut commune, & proprium. ergo. Resp. neg. min. quia verum, & bonum non distinguuntur secundùm magis, & minus commune, sed secundùm suas proprias formales rationes.

DISPVTATIO CCXCIX.

An in Angelo voluntas, & intellectus inter se distinguantur.

In hoc articulo disputari solet: vtrum in Angelo realiter inter se distinguantur intellectus, & voluntas? Et breuiter partem affirmatiuam reputo probabiliorem hic, & in 1. distin. 4. quæst. 1. art. 2. & de veritate quæst. 22. art. 1. ad 2. Et ratio Diui Thomæ est probabilis: quę fundatur in diuerso modo operandi intellectus, & voluntatis. Nam vna potētia vnum habet operandi modum ab intellectu nimis diuersum: ergo voluntas est alia potentia realiter distincta ab intellectu. Quæ ratio, vt Caietanus dicit, vt minimum probat distinctionem formalem: qua posita, potest inferri realis distinctio. 3228 Concl. affirm.

Sed obijcit Durand. operationes subordinatæ pertinent ad eandem potentiam: & huius modi sunt appetere, & cognoscere. Et Confirmatur, quia appetitus naturalis non distinguitur à potentia consecutiua ipsius appetibilis: ergo. Obiectio.

Respondetur, quòd actus subordinati eiusdem rationis, & ordinis, habentes eundem modum tendendi in idem obiectum formale, possunt pertinere ad eandem Respondetur.

eandem potentiam: & huiusmodi sunt apprehendere iudicare, tam speculatiuè, quam practicè. Secùs verò, quando actus habent modum tendendi diuersũ; & sub diuersa ratione obiecti: vt sunt intelligere, & amare. Neque est simile de appetitu naturali: quia hic appetitus non dicit actum elicitum. Vnde, tãtum dicit ipsam potentiam, aptam ex sua natura ad talem actum, & obiectum.

Soluitur praeterea communis difficultas, quam tangit Diuus Thomas in secundo argumento; scilicèt, quia obiecta istarum potentiarum materialia, & formalia non distinguuntur realiter; ergo, &c.

Respondetur. *Negatur enim consequentia. Nam obiecta terminant habitudines potentiarum, per quas habitudines primò distinguuntur potentię. Vnde licèt obiecta non sint omninò diuersa: nihilominùs modi tendendi ab ipsa obiecta, seu habitudines ad illa, sunt adeò diuersa, vt requirant diuersas potentias realiter. Et ita est in intellectu, & voluntate, & simile est in fide, & lumine gloriae, & charitate, & in alijs actibus amoris, & scientiae circa eandem rem.*

3. Obiectio. *Sed vrget vlterius Durand. voluntas est potentia libera; ergo cognoscitiua. Patet consequentia, quia de ratione agentis liberi est quòd habeat iudiciũ sui actus: ergo per potentiam iudicatiuam habet libertatem.*

Confirm. 1. *Confirmatur primò. nam aliàs potest Deus facere quòd voluntas amaret, nullo praecedente iudicio, vel cognitione. Consequentia patet. quia non habet ab illo essentialem dependentiam: nec interuenit ibi aliqua causalitas, quam Deus supplere non possit, si differens realiter intellectus, & voluntas, &c.*

Confirm. 2. *Confirmatur ex Diu. Augustino.* 10. de Trinitate cap. 11. *vbi non plus distinguit voluntatem ab intellectu, quàm memoria.*

3229

Respondetur dependentiã, quam habet voluntas in suo actu ab intellectu, esse quasi formalẽ. *Ad hoc argumentum, negatur consequentia. Et ad probationem respondetur, verum esse antecedens de operante ipso, non tamen de principio proximo liberę operationis. Necesse est enim vt, qui operatur liberè, possit iudicare de obiecto, & de actibus suis: nõ est autẽ necessariũ quòd ipsa potẽtia libera eliciat illud iudiciũ sed satis est quòd supponat potentiam iudicatiuam, quae sit radix suę libertatis. Dependentia autem, quam voluntas habet ab intellectu in suo actu, est quasi formalis, quia dependet ab illo tanquam à proponente obiectum. Fieri autem non potest, vt voluntas velit, sine obiecto sibi proposito, non est autẽ alius modus proponendi, nisi per cognitionem: & ideò velle non potest, nisi praeuia cognitione; licèt sit alia potentia cognoscitiua.*

Soluitur 4. obiectio cum suis confirmationibus. *Et idem argumentum fieri potest contra Durandũ. Quia licèt dicat esse eandem potentiam: tamen fatetur actus cognoscendi, & amandi distinctos esse. Posset ergo Deus facere, vt illa potentia eliciat actum amandi sinè praeuio actu cognoscendi. Quòd si dicat, id non posse fieri, quia isti actus habent quasi essentialem dependentiam inter se: idem nos dicemus; licèt illi actus pertineant ad diuersas potentias, ac distinctas. Ad Diuum Augustinum respondet Sanctissimus Praeceptor infra quaest. 79 art. 7. ad 1. illum non loqui de potentia, sed de actibus: & per memoriam intelligit actum primum intellectus, & per intellectum, & voluntatem, cognitionem, & amorem.*

ARTICVLVS TERTIVS

Vtrum in Angelis sit liberum arbitrium.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Concl. affirm. Prob. qui sunt naturae intellectualis, habent liberum arbitrium quia in hoc differt natura intellectualis à qualibet alia, nulla enim alia est liberi arbitrij, & hoc patet graduando ipsas naturas. Sed Angeli sunt naturae intellectualis. ergo Angeli habent liberum arbitrium.

Arg. 1. In quibus est liberum arbitrium, est electio. Sed in Angelis non potest esse electio. quia electio est appetitus praeconsiliati, & consilium est inquisitio quaedam, vt dicitur 3. *de Anima*. ergo. Resp. neg. min. ad prob, dicitur: quòd Arist. loquitur de electione secundùm quod est hominis: electio enim hominis est cum inquisitione, & consilio, non autem electio Angeli.

Arg. 2. Ex parte intellectus, nihil est ad vtrumlibet in Angelis. quia intellectus Angeli non fallitur in naturalibus intelligibilibus, vt dictum est. ergo. nec ex parte voluntatis. Resp. neg. conseq. quia non est eadem ratio in Angelis de intellectu ex vna parte, & de voluntate ex altera, perfectio enim intellectus est per hoc quod cognitum sit in cognoscente: perfectio autem voluntatis, licèt actu inclinet in rem, quae est supra se; non est imperfectio, quòd sit indeterminata respectu rei, quae est infra se.

Arg. 3. Ea, quae, sunt naturalia Angelis, conueniunt eis secundùm magis, & minus, quia in superioribus Angelis natura superior, est perfectior. Sed liberum arbitrium non recipit magis, & minus. Ergo. Resp. min. esse veram de libero arbitrio, sumpto negatiuè, prout dicit negationem coactionis; falsam verò, prout dicit quid positiuum, scilicet prout est facultas quędam &c.

DISPVTATIO CCC.

An sit in Angelis verè, & propriè liberum arbitrium, ac consilium.

3230

Vt ergò aperiamus dubium propositum, obseruare oportet, quòd libertatis ratio, vt constat in nostra voluntate, est iudicium indifferens, sinè indifferentia rationis, & intellectus. Quoniam practicus intellectus in re particulari agenda non habet certum, & determinatum iudicium: sed potest intellectus noster ad finem aliquem habendum iudicare hoc medium modò esse conueniens, & postea pro alia circumstantia, iudicare oppositum, & dicere aliud esse conuenientius medium. Et rursus aliquando iudicat esse operandum, aliquando verò iudicat cessandum esse ab opere. Inde ergo voluntas hominis libera est: modo eligit hoc, modo non: & modo vult operari, modò verò desistere ab operatione. Sic ergo voluntas libera est libertate contrarietatis, & libertate contradictionis quoad exercitium, & quoad specificationem. Nota 1. quòd libertatis ratio est iudiciũ indifferens, indifferentia rationis.

3231

Secundò aduertè, quod indifferentia, quam dicimus necessariam esse ad rationem libertatis, dupliciter potest accipi, & considerari. Vno modo, negatiuè: altero modo, priuatiuè; aut si tibi magis placuerit, positiuè. Indifferentia negatiuè sumpta, nihil aliud est, quàm non determinatio ad aliquid vnum: indifferentia verò priuatiuè, est quae facit intellectum, & voluntatem cum aptitudine ad determinationem: ita, ut indifferens priuatiuè dicatur is, qui est aptus determinari, & nondum est determinatus, sed potiùs manet in potentia ad vtrumlibet. Sicut homo, qui non deliberauit de proprio statu, & habet indifferentiam quandam iudicij apud se; itaut non decreuerit, aut statuerit, quid de se ipso disponat, & est in ancipiti indifferentia, ante quam ad alteram partem se determinet sanè. 2. Nota indifferentiam requisitam ad libertatem, accipi posse dupliciter, vel negatiuè; vel positiue.

3232

Indifferentia primò modo accepta, negatiuè, non repugnat Deo; si sensus sit quòd ex natura sua Deus non habet determinationem, vt velit aliquid extra seipsum. Ac pro inde diuina voluntas cùm ex se, ex propriaque eius substantia non habeat necessariò determinationem, vt velit creaturas extra se; libera quidem Indifferentia negatiua non repugnat Deo quatenus Deus non habet, ex se determi

nationem, vt velit aliquid extra se.

quidem est. Et Deo non repugnat ista indifferentia, negatiuè sumpta in sensu explicato. Si verò accipiatur indifferentia secundo modo, priuatiuè, seu etiã positiuè, vt diximus, illa quidem Deo repugnat. Sic enim Deus nunquam fuit indifferens, aut suspensus, & hærens circa possibilia, & à se producibilia. Nam omnia, quæ in tempore fecit, ab æterno decreuit, voluit, & deliberauit; vt in tempore fierent: & consequenter omne quod non fecit, neq; in tempore facturus est, ab æterno etiam decreuit, & statuit non facere. Sic ergo verè dicitur, quia in Deo non est talis indifferentia priuatiuè intellecta, seu positiuè in secunda acceptione.

3233 Quæ sit liberi arbitrij necessaria conditio, & quæ Non.

Ex his colligitur, quæ sit liberi arbitrij necessaria conditio, & proprietas, & quæ non. Non enim ad rationem libertatis vt sic, requiritur indifferentia ad vtrumlibet priuatiuè, quæ importet aptitudinem illam in secunda acceptione, seu indifferentia positiua. Nam hæc requiritur quidem in nobis hominibus, propter liberi arbitrij imperfectionem, & indifferentiam positiuã humani iudicij. Quò circa, perfectior est operatio liberi arbitrij, quando huiusmodi indifferentia posita est in facultate liberi arbitrij, negatiuè in sensu explicato: idest, quòd quantum est ex natura volentis, & deliberantis, non inuenitur in eo determinatio alterius partis; itaut non potuisset illud velle. Adde etiam, quòd hæc indifferentia negatiua non est constituenda respectu diuini actus in Deo, prout ipse diuinus actus est in ipso Deo: sed ponitur quidem hæc indifferentia negatiua sumpta, in ordine ad extrinsecum respectum, id est ad esse, vel non esse ipsius creaturæ.

3234 Nota 3. liberum arbitrium formaliter loquendo non esse circa finem à natura determinatum.

Tertiò obserua, quòd liberum arbitrium formaliter loquendo non est circa finem à natura determinatum; sed circa media: vt docet S. Th. infra q. 83. art. 4. sicut consilium non est de necessarijs, quæ determinatè volumus: hæc enim supponuntur, vt consilij principia. Non enim consulit ægrotus, an sit procuranda sanitas; Sed quibus eam medijs obtinere possit. Adde etiam, quod si medium ad finem ordinatum, vnicum est, & necessariò præstitutum; adhuc non cadit sub libero arbitrio, supposita efficaci intentione finis. Quando verò plura sunt media possibilia: tunc vnum præ cæteris eligi solet. Quia vbi necessitas imminet elligendi, cessat libertas. Quarè volens ad insulas transire, non deliberat sit ne transfretandum: quia nullum aliud iter patet. Sed volens Romam pergere, hoc potest in consilium reuocare, sit ne commodiùs iter terrestre, quàm marinum.

3235 Nota 4. Voluntatem Angeli ad duo esse determinatam, ad prosecutionem boni, & ad propriam fęlicitatem.

Quartò aduertè, quod voluntas angeli ad duo determinata est nempè, & ad prosecutionem boni, & ad propriam fœlicitatem quam vocamus naturalem finẽ: ab ijs enim non potest auerti per actum contrarium. Ad alia vero indeterminata est; nempe ad supernaturalem beatitudinem, & ad illa media, quæ non habent necessariam connexionem cum fine naturali; ad omnia etiã, quæ pertinent ad supernaturale finem. Quamuis enim principia moralia necessariò cognoscũtur, sicut, & speculatiua; tamen circa particulare agibile non est necessariò determinatum iudicium angeli; ac proinde manet in eius voluntate libertas cum indifferentia intellectus.

3236 Quæres.

Quòd si dicas; Quò pacto saluari potest libertas voluntatis in angelo, si iudicium intellectus semper est determinatum?

Resp. quãuis iudicia speculatiua sint determinata in angelis, non vero practica.

Respondetur, quòd quamuis iudicia speculatiua etiã circa res particulares sint determinata in angelis, iudicium tamen practicum liberum est. Et primum quidem necessariũ erat ad perfectionem intellectus, vt omnia clarè, ac determinatè cognosceret: Secundùm: verò conueniebat libertati voluntatis; vt in his, in quibus non erat sita summa perfectionis, liberè duceretur. Ad finem autem naturalem, oportebat determinatam esse; non autem ad finem supernaturalem; qui cùm excedat naturæ facultatem, non est imperfectionis, si ad illud non inclinetur. Et hoc voluit explicare Sanctissimus Præceptor solutione ad secundum.

3237 Confirm. exẽplo intellect⁹ diuini, qui est speculatiuè necessarius, nõ verò practicè.

Cuius rei manifestum habemus argumentum, ex his, quæ de diuinis credimus: Diuinus siquidem intellectus necessariò cognoscit tàm particularia, quàm vniuersalia, notitia speculatiua; at verò eius voluntas nõ determinatè, aut necessariò vult rerum bonitatẽ quia nullum medium habet necessarium connexionem cum illa Dei bonitate. Et sicut hoc est diuinę perfectionis: ita suo modo est angelicæ, quod determinatè cognoscat, & non determinatè velit particularia. Quo circa, cùm intellectus determinatione, quando intellectus angeli determinatur ad iudicandum speculatiuè hoc esse conueniens, vel inconueniens: Stat indifferentia voluntatis circa obiecta inferiora. Cuius ratio est. Quia licèt intellectus iudicet, hoc esse bonum; tamen nõ iudicat esse sibi necessarium: & ideirco voluntas indifferens manet ad eligendum.

3238 Nota 5. Volũtatem hominis mutari posse, & de facto mutatur.

Postremò obserua, quòd re vera voluntas hominis libera, mutari potest, & mutatur, dum postquam voluit aliquid fieri absq; aliqua prorsus noua circumstantia, vel cum illa iam vult non fieri, quod antea volebat: & è conuerso. Angelus verò, non est mutabilis isto pacto ex parte voluntatis liberè propter perfectionem suæ naturæ: sed postquam eligit aliquid, non potest eligere oppositum. Veruntamen in angelo consideratur mutabilitas in libero arbitrio, quatenus electionem ipsam, quam modo habet, potuit non habere; etiam ex parte actus: ac per consequens aliter se habere in se ipso, quam modo se habet. Sic enim mutaretur mutatione intrinseca ex parte liberi arbitrij. Cæterum in Deo, in quo nec est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, neutra mutatio esse potest. Quoniam voluntas diuina in se ipsa omnem actionem, quam habuit, non potuit non habere, nam actio Dei est ipsa substantia Dei in ipso Deo.

3239 Prima Concl. In Angelis verè, & propriè est liberũ arbitrium.

His constitutis, est prima conclusio. In Angelo verè, & propriè est constituendum liberum arbitriũ. Hæc conclusio est de fide, vti diximus in principio articuli: & est Diu. Thom. hic, & 2. contra gent. c. 48. & de verit. q. 23. art. 1., & q. 24. art. 2. & 3 & de malo q. 16. art 5. *Et ratio D. Thom. in hoc articulo hæc est: id quod habet intellectum, in quo est aliqua differentia, siuè negatiua, siuè positiua, aut priuatiua, potest agere iudicio libero: & Angelus habet huiusmodi intellectũ: ergo angelus est arbitrio liber. Sanè, id quod, habet intellectum, idcircò potest agere iudicio libero: quia cognoscit vniuersalem rationem boni, consequenter potest hoc proponere voluntati, quod est liberè iudicare.*

Ratio D. Th.

3240 Quando apprætẽdens nõ coarctatur ad hanc, vel illa rationem boni, est liber.

Ex eo namque, quòd apprehendens non arctatur ad hanc, vel illam rationem boni appetendam, & eas ad inuicem comparat, seu conferre potest; liberum relinquitur de illis iudicium; est ergo id, quod habet intellectum, liberi iudicij: ergo angelus, &c. Præterea voluntas angeli non determinata ad illa media, quæ non habent necessariam connexionem cum fine naturali: ergo circa talia media necessariò debet esse angelus liber: ergo, &c. Rursus: principia moralia, quamuis necessariò cognoscantur, sicut, & speculatiua; tamen circa particulare agibile non est necessariò determinatum iudicium angeli: ergo manet in eius voluntate libertas cum indifferentia intellectus. Denique patet conclusio ex his, quæ diximus animaduersione 2. & 4. non longè à principio, quæ iterum repetere non placet.

3241 2. Concl. In Angeli verè, & propriè reperitur consilium.

Secunda conclusio. In Angelo verè, & propriè, & absque metaphora reperitur consilium. Probatur primò: Quoniam in Angelis propriè formaliter, & absque metaphora est prudentia: ergo, & consilium. Pertinet enim consilium ad virtutem prudentię. Quin cùm non pertineat ad scientiam, neque ad artem, neque ad habitum primorum principiorum; Sequitur, quod pertinent ad prudentiam. Consultare enim actus prudentię est. Prętereà: In ratione consilij inuoluitur practicum iudicium de medio, quod secundùm se non habet necessariam connexionem cum fine; at tale iudicium practicum pertinet ad prudentiam, & non repugnat angelis, immò tale iudicium non exigit necessariò discursum: ergo. Sanè angelis competit deliberatio, & inquisitio de rebus agendis: deliberant .n. per virtutem prudentię quid hic, & nunc sit agendum. Quoniam eorum intellectus ad hęc in particulari agẽda non est determinatus. Quo circa, nunc intelligunt,

hoc

3242 hoc, nunc illud.

Confirm. quia Consilium est rei faciendæ, vel non faciēdæ excogitata Ratio.

Cicero primo libro de Inuentione ait, quòd consilium est rei faciendæ, vel non faciendæ excogitata ratio. Et hoc conuenit angelis circa actiones particulares, & morales, quas exercent: ergo; hanc etiam conclusionem insinuat Diu. Thom infra quæst. 113. art. 8. Vbi loquens de pugna bonorum Angelorum, dicit, quòd in plerisque rebus cognoscere non possunt quid ordo diuinæ sapientiæ habeat, nisi Deo reuelante: & idcirco, necesse habent, super ijs Dei sapientiam consulere. Igitur Angeli sibi consilium assumentes circa ea, quæ agenda sunt in eis rebus, quę nondum sunt à Deo ipsis angelis reuelatæ; ubi pugna, & discordia inter ipsos reperitur, qualis est illa, quæ describitur Daniel 10. cap. inter Gabrielem, & Angelum Custodem principem persarum. Necesse est, vt consilio, & prudentia operentur.

An in Deo sit verè, & propriè consiliū.

Sed dubitat aliquis: vtrum in Deo sit consilium, sicut etiam reperitur in angelis? Sunt n. Theologi, qui sine distinctione aliqua, in Deo dicunt esse propriè, & formaliter consilium. Qui si rem hanc aduertissent, non absolutè loquerentur: Sed cum distinctione. Quo circa, vt rem hanc aperiamus, explicare oportet prius quid sit consilium: vt eius ratione, atque essentia cognita, statim fiat nobis manifestum, quo pacto in Deo possit esse consilium; consilium n. deliberationem, & cogitationem importat.

3243 In Deo est cōsilium prout dicit sententiam, & iudicium.

Et, vt quibusdam placuit, consilium appellatur etiam sententia, & iudicium Vnde, dicitur consilium, à Con, & Sæe: eo quod in vnam sententiam plurium mētes consiliant, & conueniunt. Qua ratione consilium est consultatio quædam, ac deliberatio de medijs accomodis ad aliquem finem, importatque inquisitionem mediorum: sicut consultare est inquirere, & deliberare. Caiet. inquit, quod consilium significat inquisitionem completam vsque ad iudicium inclusiuè: eo quod sola inquisitio absque iudicio, non est consilium, nisi inchoatiuè.

3244 Confirm. ex SS. Patribus.

Et ita D. Damasc. 2. Fidei orthodoxæ c. 22. desiniens consilium, ait, quod consilium est appetitus inquisitiuus: in quo ostendit, consilium pertinere ad voluntatem, circa quam, & ex qua fit inquisitio, & pertinere etiam ad rationem inquirentem. Et Gregor. Nyssenus lib. 5. cap. 5 inquit, quòd omne consilium est quęstio: non tamen è conuerso. Et S. Tho. 1. 2. q. 14. art. 2. ait, quòd inquisitio rationis, consilium vocatur: & quòd idcircò Arist 3. Ethicorum cap. 3. dixit, quòd electio est appetitus præconciliati. Ex quibus omnibus colligo, quòd iudicium, atque sententia de re aliqua agenda, appellatur consilium, quatenus est terminus inquisitionis præcedentis. Itaque in conceptu consilij includitur inquisitio, tanquam id, à quo inchoatur consilium: & includitur etiam terminus ipsius inquisitionis consiliatiuę, tanquam scientia, & iudiciū, in quo desinit inquisitio, & ad quod ordinatur, & terminatur. Et hoc importat consilium ex sibi proprijs, abstrahendo à subiecto, cui conuenire potest consilium, & ratio consiliandi.

3245 Concl. Consilium seclusis, imperfectionibus, est in Deo, non verò secundùm ea, quæ in Consilio includuntur.

Quibus constitutis; vt dissoluamus dubitationem hanc, sit tertia conclusio. Si consilium accipiatur seclusis imperfectionibus, quantùm ad certitudinem sententiæ, vel iudicij, & quatenus importat practicum iudicium de aliquo medio, quod secundùm se non habet necessariam connexionem cum fine: propriè reperitur in Deo. Si verò accipiatur consilium, quantùm ad ea omnia, quæ in eius conceptu includuntur, nempè quātum ad inquisitionem, ex qua inchoatur consilium, & itur ad sententiam; quę alioqui prouenit ex inquisitione consilij; ita sanè acceptum consilium, in Deo locum non habet, sicut neque inquisitio ipsa, quæ in ipso consilio importatur, quasi antecedenter. Hanc conclusionem tenet expressè Diu. Thom sub hac distinctione c. 2. quæst. 14. art. 1. ad secundum argumentū: & est Diu. Damasc. 2 fidei orthodoxæ cap. 22. Vbi considerans quòd in conceptu consilij, etiam inuoluitur inquisitio, ait, quod secundùm hoc Deus non consiliatur: quia sic conciliari cum inquisitione, est ignorantis. Et eodem loco iterum ait Damascenus, quod consilium est appetitus inquisitiuus: vt consilium aliquo modo pertinere ostendat, & ad voluntatem circa quam, & ex qua fit inquisitio, & ad rationem inquirentem. Quæ sunt verba D. Th. expressa 1. 2 qu. 14. art. 1. solutione ad primum.

3246 Licèt consiliū, vt est inquisitio de rebus dubijs, Deo nō competat; competit, vt est sententia, & imperium.

Itaque, licèt consilium Deo non competat, secundùm quòd consilium est inquisitio de rebus dubijs: tamen sententiam ferre, & præcipuè de ordinandis in finem, quorum rectam rationem habet; competit Deo: & secundùm hoc, ratio prudentiæ, & prouidentię etiam Deo conuenit. Ita significat, & docet D. Thom. 1. p. qu. 22. art. 1. Addit etiam, & optimè, quòd ipsa ratio rerum agendarum dicitur in Deo consilium: non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis, ad quam consiliantes inquirendo perueniunt. Et ideò dicitur ad Ephes. 1. Qui operatur omnia secundùm cōsilium voluntatis suæ. Et quidem consilium, si accipiatur quantum ad determinationem consilij, & sententiam, seu iudicium practicum, de medio, quod secūdùm se non habet necessariam connexionem cum fine: sic necessariò dicendum est, esse in Deo. & oppositum dicere, est contra scripturam sacram, & contra sensum Sanctorum. Quòd verò sententia, & iudicium de medio, quòd secundùm se non habet necessariam connexionem cum fine, non dicat respectum ad inquisitionem in Deo: id prouenit ex summa, & infinita Dei perfectione, quæ excludit rationem inquisitionis à se; quæ includebatur in conceptu consilij secundùm omnē eius latitudinem. Et hac distinctione prælibata, apertius proceditur in hac parte, vt intelligamus, quo pacto consilium sit in Deo, & quo pacto non.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum in Angelis sit irascibilis, & concupiscibilis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio est negatiua. Potentia, cui correspondet obiectum, secundùm vnam formalem rationem, non potest diuidi, nec distingui in diuersas potentias; Sed appetitui intellectiuo respondet vnū obiectum, secundùm vnam rationem formalem communem, scil. bonum, secundùm communem rationem boni, nec potest esse aliquis appetitus sensitiui. ergo appetitus intellectiuus non potest diuidi per diuersas potentias.

Arg. 1. D. Dion. 4. cap. de diu. nomin. dicit: quòd in Dæmonibus est furor irrationabilis, & concupiscentiæ mens: ergo. Resp. furorem, & concupiscentiam metaphoricè esse in Dæmonibus, sicut & ira, quandoque Deo attribuitur propter similitudinem effectus.

Arg. 2. In quibus est amor, & gaudium, est concupiscibilis: Sed hæc attribuuntur Angelo in sacra scriptura: ergo. Respond. dist. min. in Angelis est gaudium, quod est passio concupiscibilis, negatur: prout dicit simplicem actum volūtatis, prout scil. amare, est velle bonum alicui: & gaudere, est quiescere in aliquo bono habito: conceditur.

Arg. 3. Virtutes quædam dicuntur esse in concupiscibili, vt sunt Charitas, & temperantia, spes, & fortitudo. Sed hę virtutes Angelis attribuuntur. ergo. Respond. quòd obiectum charitatis est bonum diuinum, non bonum delectabile: Obiectū spei est arduum diuinum: & ideò quoad hæc negatur maior. Temperanti verò est in Angelis, quatenus voluntatem suam exhi-

exhibent secundùm regulam diuinæ voluntatis: Fortitudo verò in eis dicitur, secundùm quod voluntatem diuinam firmiter exequuntur.

DISPVTATIO CCCI.

Quædam Articulum concernentia Adnotantur.

3247 Sensus D. Th. huius art. duplex esse potest. Primus sensus

H*Vius articuli sensus, & conclusionis Diu. Th. duplex esse potest.*

Alter quidem, quod non est in angelis duplex iste appetitus, qui reperitur in parte sensitiua hominis: & hic sensus, non est minori certitudine amplectendus, quàm quòd Angeli sunt incorporei, nam huiusmodi appetitus sunt, qui actus exercent organi corporalis, quorum operatio coniunctum habet semper, vel motum localem humorum, vel alterationem: quæ in Angelis locum non habent. Imò August., qui opinatus est, angelos habere corpora naturaliter vnita, negauit prorsus omnes actus sensitiui appetitus esse in illis 9. de Ciuit. cap 5.

3248 Secundus sensus D. Th. est, quod voluntas angeli non diuidatur in suas potentias

Alter sensus est, qui videtur potissimè intentus; nempè quòd voluntas Angeli non diuidatur in duas potentias. Et idcircò intentio S. Thom. est negare distinctionem realem huiusmodi potentiarum in appetitu intellectiuo: & hoc modo conclusio est certa, & ratio Diu. Thom. sufficiens. Quia nulla est necessitas, nec congruentia ad has potentias distinguendas: præsertim quoniam potentia cognoscitiua, tantum est vna in natura intellectuali: ergo etiam appetitiua. Hæc est communis sententia Doctorum. In contrarium citantur Scotus, & Gabriel: Sed non id affirmant. Imò Scotus in 3. d. 26 & 34. *dicit, non magis distingui in voluntate irascibilem, & concupiscibilem, quàm distinguantur in intellectu ratio superior, & inferior. Henricus tamen* quodli. 8. quæst. 15. *significat oppositum: & contendit probare non minus distingui has potentias in voluntate, quàm in appetitu.*

3249 Irascibile, & concupiscibile, licet distinguantur in appetitu sensitiuo, non vero in voluntate.

Sed dicendum est, quòd licèt distinguantur in appetitu sensitiuo, non tamen est eadem ratio in voluntate. Primò, quia est altior potentia, & spiritualior: cuius obiectum est independens ab organis corporeis, & eorum dispositione. Secundò, quoniam appetitus sensitiuus, qui solùm prosequitur bonum sensibile, diuerso modo rapitur à simplici bono, & ab arduo: quod propter sui excellentiam speciali modo, vel ad se trahit, vel repellit appetitum. Et idcircò in inferioribus istæ duæ potentiæ sunt distinctæ: At verò voluntas quamcumque boni rationem ab intellectu propositam eodem modo prosequitur; & ideo vna, & simplex cum sit, omnes exercet actus, qui procedunt ab inferioribus.

3250 In voluntate, & irascibile, & concupiscibile, non vt passiones; sed vt actus spirituales,

Dico secundò, in voluntate esse actus irascibilis, & concupiscibilis: non quia sint veræ passiones, vt sunt in appetitu sensitiuo: Sed sunt actus spirituales, qui proportionabiliter respondent illis passionibus appetitus sensitiui; vt sunt amor, gaudium, odium, desiderium; qui pertinent ad concupiscibilem: ira, seu appetitus vindictæ, qui pertinent ad irrascibilem, & hoc est manifestum. Vnde, Dæmones timent, & contremiscunt: in quibus est ira iusta, illud 1. Petri 5. *Aduersarius vester Diabolus, tanquam Leo rugiens circuit quærens, quem deuoret, &c. Neque D.Th. negat hoc. Tamen isti actus omnes eliciuntur ab vna, & eadem potentia. Vtrum verò isti actus amoris, & desiderij, sint specie diuersi in voluntate, sicut in appetitu sensitiuo: alibi dicemus.*

3251 Concl. D. Th. est negatiua, explicatur,

Conclusio S. Thom. est negatiua pro cuius maiori explicatione. Notandum est, duobus modis hoc posse intelligi: primò, vt non sit in Angelis potentia elicitiua actus iræ, & concupiscentiæ cum passione sensibili, & corporea, sicut in nobis fiunt; & in hoc sensu loquutus est Diu. Thom. in hoc artic. in quo sensu optimè dixit Caietanus non esse quæstioni locum, quæ ratione furorem, & concupiscentiam metaphoricè Dæmonibus tribuit Diu. Dionys. cap. 4. de Diuinis nom. p. 4. *Secundus sensus est, in Angelis non esse appetitum, qui eliciat propriè, & formaliter actus iræ, vel concupiscentiæ; & hac ratione dicendum est, omnes actus harum potentiarum formaliter sumptos secundùm præcisam rationem actuum elicitorum ab appetitu abstrahente à modo materiali, & inuoluente cooperationem corporis propriè, & formaliter in voluntate angeli inueniri. Hoc de diuina voluntate, solis exceptis his, quæ includunt in perfectionem in suo obiecto formali, docuimus in priori tomo* in Disputationibus circa quatuor articulos quæstionis vigesimæ *Sancti Thomæ.*

3252 Declarantur sex actus concupiscibilis, tres versantur circa bonum.

Nunc breuiter declaratur discurrendo per singulos actus concupiscibilis, & irascibiles: nam concupiscibili sex actus tribuuntur, tres circa bonum, scilicet Amor concupiscentia, & delectatio, *qui omnes inueniuntur in angelis: de amore, & delectatione nulli dubium est, cum etiam reperiantur in Deo, qui varijs nominibus appellantur,* scilicet, Amor, dilectio, & charitas, delectatio, gaudium, & voluptas, *de concupiscentia est certum, dari in angelo, non prout includit passionem corporis, qua ratione solet in malam partem sumi pro actu inordinato, vel in obiecto, vel in modo, sed quatenus respondet in voluntate desiderium boni non habiti, quod generali modo concupiscentia dici potest.*

Alij tres actus concupiscibilis, versantur circa malum

Alij verò tres actus versantur circa malum, scilicet odium, fuga, tristitia, seu dolor, qui omnes reperiuntur in Angelis secundum suam naturam spectatis: Nam contrariorum eadem est ratio, quantum est ex parte ipsorum; nam ex parte subiecti potest esse incapacitas ad aliquem ex his actibus, qua ratione, loco superius allegato diximus, in Deo non posse esse tristitiam, quia necessariò supponit præsentiam alicuius mali inuoluntarij apprehensi, vt proprij: at in angelis hi actus inueniri possunt, quia sunt mali capaces, licet in Sanctis Angelis tristitia non habeat locum, nec timor seruilis ratione status.

3253 Irascibili tribuuntur quinque act. spes, desperatio, audacia, timor, & ira.

Similiter irascibili quinque actus tribuuntur scilicet, Spes, desperatio, audacia, timor, & ira, *qui in angelis esse possunt; Nam de quorum primis clarum est de se abstrahere ab actibus appetitus sensitiui, & rationalis, & cum omni proprietate in voluntate angeli locum habere: Nam licet in Deo desperatio, audacia, & timor esse possunt propter imperfectionem potentiæ, & ignorantiæ nescientiæ, quam supponunt; in Angelis vtraque imperfectio inueniri potest, spes verò licèt non possit dari in Deo respectu alicuius ardui, vel potentioris,* vt ibi diximus, *tamen in angelo non habet locum hæc exceptio.*

3254 In angelis est spes, & ira significata nomine furoris.

De ira verò licet non conueniat Deo, quia formaliter est, Appetitio doloris vicissim aduersario inferendi, *ex Arist. 1. de anima, quæ ratio non se tenet solùm ex parte subiecti, sed etiam ex parte rationis formalis, si de ira secundum communem vsum, & acceptionem loquamur; in Angelis verò locum habet, quatenus sunt capaces doloris, licèt alia imperfectio ex parte subiecti, quæ fit in appetitu cum passione corporis excitando sanguinem, & bilem non reperiatur in Angelis; quando autem significatur nomine furoris, quæ vox magis solet passioni sensitiuæ vehementis iræ attribui in nobis, solum metaphoricè tribuitur angelis, sicut tribuit* Diu. *Dionys citatus à S. Thoma* in solut. ad primum.

3255 Voluntas est eminentissime vna, concupiscibilis, & irascibilis.

Secundò aduertendum est, quòd licet in appetitu sensitiuo duplex realitas sit irrascibilis, & concupiscibilis, sicut multiplicantur sensus, tamen idem appetitus spiritualis, seu voluntas perfectionem vtriusque complectitur, sicut intellectus perfectiones omnium sensuũ, vt de nostra voluntate communiter tenent Philosophi in lib. de Anima.

QVÆSTIO LX. D. Th.

De amore, & dilectione Angelorum.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in Angelis sit amor, aut dilectio naturalis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONcl. Affirm. Prob. & declaratur. Quia licèt haberet naturalem inclinationem, sit omni naturæ commune, diuersimodè tamen inuenitur huiusmodi inclinatio in diuersis naturis, in vnaquaque, inquam, secundùm modum suum. Vnde in natura carente cognitione inuenitur inclinatio solùm secundùm ordinem naturæ ad aliquid: sicut in natura grauis inuenitur inclinatio secundùm ordinem naturæ, ad locum deorsum. In natura verò sensitiua inuenitur inclinatio secundùm appetitum sensitiuū; & in natura intellectuali inuenitur secundùm appetitum intellectiuum, qui est voluntas. ergo &c.

Arg. 1. Amor intellectualis contra inclinationem diuiditur. vt Dyon. dicit 4. *cap. de diu. nomin.* Sed in Angelis est amor intellectualis. ergo. Respond. concedendo ma. de amore tantùm naturali, qui non addit supra rationem naturæ perfectionem sensus, & intellectus. neg. verò de Amore, qui supra rationem naturę addit perfectionem sensus, & intellectus.

Arg. 2. Ea, in quibus est amor naturalis, magis aguntur, quàm agant. Sed Angeli non aguntur, sed agunt, quia sunt liberi arbitrij. ergo. Respond. neg. min. Angeli enim agunt, quia liberi, & aguntur in quantum ab auctore suę naturę est sibi indita naturalis inclinatio. Solum enim prima causa, quæ est Deus, nullo modo agitur.

Arg. 3. Omnis dilectio, aut est recta, aut non recta: Dilectio recta pertinet ad charitatem, quæ est supernaturalis: non recta verò pertinet ad iniquitatem, quæ est contra naturam, ergo. Resp. Omnem dilectionem naturalem esse rectam; quia est inclinatio indita ab Authore naturę; Qui recta operatur. hæc autem non spectat ad charitatem; alia enim est rectitudo naturalis, & alia est rectitudo charitatis. hęc enim est illius perfectiua.

DISPVTATIO CCCII.

De veritate Doctrinæ Diui Thomæ in hoc articulo.

Nota 1.

N*Otandum est, Primo quòd naturale dupliciter potest sumi, primò, vt distinguitur contra supernaturale pro eo scilicet, quod pertinet ad natura ordinem, secundò, vt distinguitur contra liberum, pro eo scilicet, quòd est necessarium ex determinatione ipsius naturæ.*

Nota 2. Conclusionē Articuli verificari de amore naturali.

Secundò nota, quòd amor naturalis etiam potest dupliciter sumi vno modo pro inclinatione naturali, qua non est actus elicitus ab aliqua potentia, sed est pondus, & propensio insita naturæ, qualis est in lapide ad centrum. Alio modo sumitur pro actu elicito ab aliqua potentia, quo naturaliter consequitur suum bonum. Conclusio articuli verificatur quidem de amore naturali in priore sensu, sed potissimum est intelligenda in sensu posteriore.

3258 Ratio est, quia amor naturalis, communis est cunctis.

Ratio est, quoniam amor naturalis, vt designat propensionem, & pondus naturæ communis est cunctis rebus etiam inanimatis, & insensibilibus, ac proinde non debuit accomodari specialiter angelo. Vnde in conclusione D. Tho. potissimum loquitur de amore elicito, qui est proprius naturæ cognoscitiuæ præsertim intellectualis, in qua maximè viget vis cognoscitiua. Quoniam iste amor elicitus non sequitur proximè formam naturalem, sed formam apprehensam. Dixi proximè, quia certa res est, quòd mediatè, & tanquam à prima radice amor naturalis elicitus sequitur naturalem formam, & naturæ propensionem. Ex quo sequitur, quod in angelo reperitur amor naturalis elicitus, vt contendit Diu. Thom. in hoc articulo, reperitur etiam in ipso amor naturalis, qui est pondus, & propensio naturæ. Vnde conclusio articuli de vtroque amore naturali verificatur, sed potissimum de amore elicito.

Nota 3.

Nota Tertiò, quòd amor naturalis elicitus dupliciter esse potest, naturalis, & necessarius, vno modo quoad specificationem tantùm, ita quod voluntas possit cessare, si velit ab actuali amore alicuius obiecti, non tamen possit habere actum contrarium, scilicet odium talis obiecti. Alio modo potest esse naturalis, & necessarius, quoad exercitium, ita quod voluntas non possit cessare ab actuali amore.

Quæres.

Sed rogat quis, an sicut reperitur amor naturalis, & necessarius, quoad specificationem tantùm, ita. n. reperiatur amor naturalis necessarius quoad exercitium tantùm, qui sit liber quoad specificationem?

3257 Resp. negatiuè quia necessitas quoad exercitium, secum inuoluit necessitatē, quo ad specificationem.

Respond. negatiuè. Ratio est duplex. Altera, quia necessitas quoad exercitium inuoluit secum necessitatem, quoad specificationem: qui enim non potest cessare ab actuali amore alicuius obiecti, multò minus poterit illud odio habere. Altera ratio est à priori, quoniam necessitas voluntatis quoad exercitium non prouenit ex aliqua causa extrinsecè determinante, & necessitante voluntatem ad opus, sed prouenit ex intrinseca voluntatis inclinatione. Quo circa necessitas exercitij circa aliquod obiectum præsupponit necessariam inclinationem voluntatis ad illud obiectum, & ex consequenti præsupponit necessitatem quoad specificationem: necessitas enim specificationis consistit in inclinatione naturali, & necessaria voluntatis.

3258 Quæres 2.

Hoc supposito posset in præsenti dubitari, an conclusio articuli sit intelligenda de amore naturali, & necessario quoad specificationem tantùm, an etiam quoad exercitium?

Resp. D.Th. tātùm loqui de necessitate specificationis Prob.

Sed de hac re commodiùs disputabitur infra. Nunc satis fuerit dicere cū Caietano hic, quòd si expediatur vis ratione Diu. Thomæ, tantùm conuincit ad constituendam necessitatem specificationis.

Ratio autem litteræ articuli ad hoc deducitur. Commune est omni naturæ, vt habeat aliquam inclinationem naturalem, ergo, & hoc ipsum conuenit intellectuali naturæ, sed in quacumque natura reperitur inclinatio naturalis iuxta modum ipsius, ergo in natura intellectuali inclinatio naturalis est per voluntatem, qui proprius modus intellectualis naturæ est, vt per voluntatem, quę sequitur formam apprehensam inclinetur. Totus hic discursus est manifestus, sola prima consequentia eget probatione, quam sic probat Diu. Thom. Prius semper saluatur in posteriori, sed natura est prior, quia natura designat essentiam rei, ergo in habentibus intellectum saluatur ratio naturæ, & inclinatio consequens naturam. *Caietanus obscurè procedit in examinanda ista veritate.*

3259 1. Obiectio.

Sed arguitur primò contra istam rationem. Nam ex ista ratione tantùm intelligitur in angelo reperiri inclinationem, quę est naturæ pondus, ergo non colligitur conclusio articuli, quę procedit de amore elicito, vt dixi. Probatur antecedens. Ex illa ratione tantùm concluditur, quòd in angelo reperitur inclinatio illa, quę consequitur naturam, vt natura est, hæc autem inclinatio non est actus elicitus, sed naturę pondus, vt constat ergo.

2. Obiectio.

Secundò Arguitur. Ex eo, quod in natura intellectuali reperitur communis ratio naturę non colligitur, quòd natura intellectualis, prout intellectualis est secundum gradum intellectualitatis, quem addit supra naturam,

naturam, habeat aliquam inclinationem naturalem: ergo non benè colligit D.Th. quòd in angelo secundùm propriam angeli naturam reperiatur amor naturalis. Antecedens probatur Ex eo, quòd in homine reperiatur intrinsecè natura superior animalis potest quidē colligi. quod reperitur etiam sensibile, quæ est propria passio animalis, at non potest dici, quòd sensibile conueniat homini prout est rationalis, sed tantum prout est animal ergo ita est dicendum in præsenti.

3. Obiectio.

Tertio Arguitur. Natura, quam dicit D.Thom. reperiri in habentibus intellectum, vel sumitur pro pro quidditate essentiali, vt distinguitur contra potentias, vel sumitur largius, vt etiam conueniat ipsis potentijs, ita, quod potentia sit quædam natura: sed vtrumque est falsum, ergo. Probatur minor. Nam si accipiatur prout conuenit potentijs, sequitur manifestè, quod in angelo nulla sit potentia libera. Patet sequela Quia voluntas iuxta hanc acceptionem est quædam natura, ergo non est libera: natura enim distinguitur contra liberam. Si verò sumatur natura pro quidditate essentiali, etiam sequitur, quòd nulla reperiatur libertas in potentijs angelicis. Patet quoniam naturalitas, quæ reperitur in essentia, necessariò deriuatur ad potentias, ergo omnes potentiæ sunt naturales.

Ad 1. Obiectionem. Respondetur.

Ad primum argumentum respondetur negando antecedens. Ad probationem dicitur, quòd inclinatio naturalis non est eadem, nec eodem modo se habet in qualibet natura, sed est diuersum modum naturæ particularis: & ita inclinatio naturalis intellectualis naturę, non est sola propensio, & pondus, sed actus elicitus à voluntate.

3260 Ad 2. Obiectionem. Resp. Naturā non se habere ad quidditates particulares hominis, & angeli, sicut Animal ad hominem, & æquū,

Ad secundum Argumentum respondet Caietanus, quòd natura non se habet ad quidditates particulares hominis, vel angeli, sicut animal se habet ad species particulares, hominem, equum, &c. Etenim animal importat gradum distinctum ratione à differentijs specificis, & ita facit metaphysicam compositionem cum illis. Cæterum natura ad particulares quidditates licet importet rationem communem, non tamen importat gradu distinctum, sed habet se sicut ens ad particularia entia, hominem equum, &c. Etenim ens importat quidem rationem communem, & transcendentem, non tamen aliquem gradum distinctum a rebus particularibus: & ita nullam facit compositionem cū aliqua re, sed idem est dictus homo, & ens homo. Qua suppositione dicit Caietanus, quod ratio naturę, & ratio entis sunt imbibita in quacumque ratione, & in quocumque gradu particulari entis. Itaque in natura intellectuali quatenus intellectuali, imbibitur, & penetratur ipsa ratio naturæ sicut, & ratio entis. Ex quo infertur, quòd inclinatio naturalis, quæ conuenit angelo, quatenus est natura quædam, conuenit etiam illi prout est intellectualis.

Instabis.

Sed arguitur contra hanc solutionem. Si ratio naturę intrinsecè imbibitur in gradu naturæ intellectualis, vt sic, est determinata ad vnum, & non libera. Consequens est falsum, ergo. Probatur sequela omnis natura inquantum natura determinatur ad vnum, ergo si natura intellectualis est natura, vt intellectualis est, determinatur ad vnum.

Instabis.

Arguitur secundò. Si ratio naturæ ita se habet ad voluntatem, sicut ratio entis, sequitur, quòd sicut voluntas in quantum voluntas est ens, ita etiam in quantum voluntas sit natura, consequens est falsum, ergo. Sequela apparet euidens. Minor probatur. voluntas, vt voluntas est potentia libera, ergo non est natura, vt sic, probatur consequentia. Quoniam liberum, vt sic, distinguitur à naturali, etenim naturale est determinatum ad vnum, liberum autem est indifferens ad opposita. Confirmatur. Nam sequitur, quòd operatio libera, vt sic sit naturalis: hoc autē est manifesta repugnantia, ergo. Probatur sequela. Operatio libera procedit à voluntate, vt est natura quędam, ergo est naturalis.

3261 Resp. Naturā dupliciter sumi, & pro essentia rei, & pro eo, quod est determinatum ad vnū.

Ad hæc argumenta posset primam responderi, quòd natura bifariam sumitur. primò, vt idem sit, quod essentia, & quidditas rei. & si hoc modo sumatur, concedendum est, quòd natura intellectualis, vt sic, est natura quędam, & similiter quòd voluntas etiam, vt libera potentia, est natura. Et natura sic sumpta nullo libertati opponitur, imo hęc est natura, & essentia voluntatis, vt sit potentia libera. Alio modo sumitur pro eo, quòd est determinatum ad vnum, & in esse, & in operari: & in hoc sensu habet difficultatem præsens dubitatio, an ratio naturę sit intrinsecè clausa, & imbibita in quocumq; particulari gradu rerum. Et Dominus Caietanus videtur respondere affirmatiuè. Et iuxta eius mentem, argumenta facta sic videntur dissoluenda: quòd natura in hoc sensu, importat quidem aliquid determinatum ad vnum. sed non necessariò requirit, quod sit totaliter determinatum ad vnum. sed potest contingere, quòd aliqua natura sit totaliter determinata, vt reperitur in natura bruti, & potest etiam aliqua natura esse partim determinata. & partim indifferens, & eiusmodi est intellectualis natura. Igitur natura intellectualiter, & similiter voluntas, vt voluntas hoc posteriore modo sunt essentialiter natura, non tamen vt in plurimum solent appellari natura, præsertim voluntas, vt voluntas est. quia regulariter natura secundum vsitationem modum importat determinationem ad vnum.

3262 Nota. Libertatē non importare omnimodam indifferentiā ad vtrumq; oppositorum.

Pro huius explicatione nota, quòd libertas non importat omnimodam indifferentiam ad vtrumq; oppositorum. Quoniam libertas est quædam actualitas, & perfectio, at si solam importaret indifferentiam, pura potentialis esset, & non perfectio. Et hoc patet manifestè in electione, in qua maximè explicatur voluntatis libertas: electio etiam formaliter includit determinationem ad bonum, nam non est nostri boni, & conuenientis: supposita tamen bonitate, & conuenientia ad finem, saluatur indifferentia ad particularia bona. Igitur libertas formaliter loquendo intrinsecè claudit determinationem ad bonum, adiuncta indifferētia circa bona particularia. Ex quo sequitur, quòd in conceptu formali libertatis includitur ratio naturæ.

Sed est argumentum D.Th. sup. q. 41. artic. 2. ad 3. distinguit voluntatem, vt natura est, à semetipsa prout est libera potentia, & dicit, quod aliquis actus procedit à voluntate, vt natura, & aliquis procedit ab ipsa prout potentia libera est. Et hoc ipsum insinuat Diu. Thomas art. 2. huius quæstionis. & placet ista distinctio multis grauissimis authoribus: at si voluntas inquantum potentia libera, est formaliter natura, vt diximus cum Domino Caietano, non potest habere locum ista distinctio, ergo.

3263 Dupliciter potest considerari natura, & secundum se, & vt indifferens ad opposita.

Ad hoc respondetur primò, quòd natura, & inclinatio naturalis, quæ reperitur in libera voluntate, potest considerari seorsum, & secundum se ipsum præcisè. & hoc modo considerata denominet voluntatem, naturam; potest etiam considerari, prout habet adiunctam indifferentiam ad oppositum vtrumque, & isto modo considerata, voluntatem denominat liberam potentiam.

3264 In voluntate reperitur gemina inclinatio, altera determinata; altera habet adiunctam indifferentiam.

Secundò respondetur, & meliùs, in voluntate reperiri geminam inclinationem naturalem. Alteram purè naturalem, & omninò determinatam ad vnum. Ex quo sequitur quędam operatio purè naturalis, & determinata saltem quoad specificationem. Et in omni voluntate, siuè rationali, siuè intellectuali reperitur hęc naturalis operatio respectu vltimi finis, quoniam libertas non est circa finem, sed circa media per se loquendo, & eiusmodi operatio procedit à voluntate, vt natura. Aliam inclinatione naturalem habet voluntas, quę non est totaliter naturalis, & determinata. sed adiunctam habens indifferentiam, & hæc inclinatio voluntatis ad rationem communem boni taliter est determinata, quòd compatitur secum indifferentiam voluntatis circa particularia bona, itaut possit velle vtrūque oppositorum, hanc inclinationem habet voluntas circa media, præsertim illa, quæ non habent necessariā connexionem cum vltimo fine: & voluntas considerata sub hac inclinatione appellatur potentia libera, & operatio, quę oritur ex ista inclinatione voluntatis dicitur procedere à voluntate, non vt natura, sed vt libera potentia est.

3265 Libertas voluntatis aliter

Ex hoc sequitur, quòd libertas voluntatis, & præsupponit naturā tanquā proximū fundamentū sui, &

formaliter

supponit naturam, aliter includit. *formaliter etiã in ratione sua includit naturã Sed tũ natura, quam præsupponit, & in qua fundatur, est pura natura, omnimodam habens determinationem ad vnum, est etiam inclinatio voluntatis ad vltimum finem. At natura, quam includit formaliter libertas, non est purè natura, sed habens adiunctam indifferentiam. Ex hac doctrina intelligitur D.Th. art. seq. & dissoluuntur clarissimè argumenta facta contra solutionem ad secundum argumentum quęstionis.*

Ad obiectionẽ Resp. *Ad tertium argumentum principale respondetur, quòd natura vtroque modo ibi exposito sumitur, & in vtraque acceptione permittit libertatem in natura intellectuali, vt constat ex dictis.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum in Angelis sit dilectio electionis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COnclusio affirm. Prob. quia nec dilectio naturalis, nec electiua imperfectionem aliquam dicit, sicut discursiua cognitio; & ratio est; quia actus appetitus fit per ordinem appetentis ad res, & quia quædam sunt res, secundùm se bonæ, & quædam sunt bonæ in ordine ad aliud; ideò quædam appetuntur, & diliguntur per se naturali dilectione, & quędam appetuntur, & diliguntur per ordinem ad aliud. Vnde nullam significat imperfectionem hoc, vt quis aliqua naturaliter diligat, scilicet finem; & aliqua electiua dilectione, scilicet ea, quæ sunt ad finem. ergo. &c.

Arg. 1. Amor electiuus est amor rationalis, cùm electio sequatur consilium, quod in Inquisitione consistit, vt dicitur 3. *Ethicorum*. Sed in Angelis non est amor rationalis. ergo. Respond. dist. ma. amor electiuus est amor rationalis, quia sequitur cognitionẽ discursiuã. & talis amor sequitur consiliũ, & inquisitionẽ, conced.: amor electiu' rationalis dici potest, quia sequitur cognitionem intellectus, & dicitur rationalis ad differentiam sensitiui, & sic est in Angelis.

Arg. 2. in Angelis præter cognitionem gratuitam non est, nisi cognitio naturalis. ergo in eis præter dilectionem gratuitam, nec est nisi dilectio naturalis, quia dilectio sequitur cognitionem. Respond. neg. conseq. non enim est eadem ratio de cognitione, & volitione in Angelis. nam si in Angelis præter cognitionem naturalem, poneretur cognitio discursiua, poneretur imperfectio; secus est de dilectione electiua, vt dictum est.

DISPVTATIO CCCIII.

An in Angelis sit dilectio electiua?

3266
1. Concl. PRima conclusio. *In angelis est dilectio naturalis, & electiua. Et quidem dilectio electiua, vocatur illa, quę vtroque modo libera est.*

2. Concl. *Secunda conclusio. Dilectio naturalis est principium electiuæ. Patet. Quia id, quod est natura principium, est etiam reliquorum: Sed naturalis dilectio est ab ipsa natura: ergo, & principium alterius.*

Tertia. *Tertia Conclusio. In Angelo est dissidium quantũ ad intellectum, & voluntatem: quod in intellectu est vnus operandi modus; duplex verò in voluntate.*

Quarta. *Quarta conclusio. Hæc non sunt intelligenda de supernaturalibus obiectis: quoniam tàm ex parte intellectus, quàm voluntatis excedunt principium naturæ.*

Obiectio. *Quòd in angelis nulla sit electiua dilectio: arguitur. Quoniam in angelo non inuenitur dilectio libera: ergo non inuenitur dilectio electiua. Ostendo antecedens. Quoniam omnis libertas fundatur in indifferentia intellectus: at intellectus angeli in suis iudicijs, nullam indifferentiam habet. ergo neque voluntas habet libertatem. Probatur minor. Quoniam simplici intuitu intellectus angeli penetrat omnia, quæ sunt in obiecto sibi proposito: ergo semper iudicat eodẽ modo de tali obiecto proposito: & consequenter non habet indifferentiam.*

Respond. *Ad hoc argumẽtũ resp. quòd intellectus speculatiu' Angeli est satis, imò plenè determinatus in suis iudicijs: non autem intellectus practicus; in cuius indifferentia libertas fundatur. Quam solutionem, vt intelligas obserua, quòd duo possunt considerari ab intellectu de aliqua re. Primò, an sit vera, vel falsa. Secundò, an sit conueniens, vel repugnans fini intento ab agente. Et primum pertinet quidem ad iudicium, & intellectum speculatiuum: Secundum autem, spectat ad intellectum, & iudicium practicum.*

3267 Veritas rei est ita determinata, vt duo opposita simul vera esse non possint. *Adde etiam, quòd veritas rei ita est determinata, vt duo opposita esse simul vera non possint. Cæterum conuenientia ad finem non habet similem determinationem: quoniam sæpè contingit, quod opposita sit conuenientia ad eumdem prorsus finem, propter varios respectus diuersasque rationes. Ex qua doctrina colligitur, quòd intellectus angeli, qui falli non potest erga veritatẽ rei propositæ sibi, ob id, quod simplici intuitu quidquid est in re illa, cognoscit, plenariã habet determinationem circa iudicium de veritate, aut falsitate rei: non tamen habet plenariam, & omnimodam determinationem circa iudicium de conuenientia rei ad finem. ob id quòd conuenientia ipsa non est prorsus, aut totaliter à parte rei determinata. Et quoniam voluntas angeli in suis actionibus non dirigitur à iudicio speculatiuo, quòd est de veritate rei; sed à iudicio practico de conuenientia rei ad finem: propterea non habet plenariam ad vnum determinationem; sed potius libertatem fundatam, seu radicatam in indifferẽtia iudicij practici: Ex his satis liquet solutio argumenti facti.*

ARTICVLVS TERTIVS

Vtrum Angelus diligat seipsum dilectione naturali, & electiua.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COncl. affirm. Prob. Qui desiderat sibi aliquod bonum, naturali appetitu, & quoddam per electionem, diligit seipsum dilectione naturali, & electiua. Sed Angelus vult sibi aliquod bonũ naturaliter: quia vnumquodque naturaliter diligit suam perfectionem: Ignis enim naturaliter tendit in locum suum: insuper Angelus vult sibi aliquod bonum per electionem, vt patet. ergo. &c.

Arg. 1. Qui non potest esse finis, & ad finẽ respectu sui ipsius, non diligit se, dilectione naturali, & electiua. Sed Angelus non potest esse finis, & ad finem respectu sui ipsius. ergo. Resp. argumentum supponere falsũ, quòd Angelus diligat se naturali dilectione, & electiua respectu eiusdem boni. Angelus autem diligit se naturali dilectione, quaten' vult naturaliter finem, & quatenus sibi vult aliquod bonum, prout est ordinatum in finem, diligit se dilectione electiua.

Arg. 2. Quod est vnitiuum, & concretiuum, non potest esse eiusdem ad seipsum; quia vnitio, & concretio sunt diuersorum in

vnam

vnum redactorum. Sed amor omnis est vnitiuus, & concretiuus, ex D. Dion. c. 4. *de diu. nom.* ergo. Resp. Ad. min. D. Dion. intendebat ostendere, quòd Amor habet virtutem vnitiuam amantis cum amato. Vnde sicut plus est esse vnum, quàm vniri, ita maior est vnitas amoris ad seipsum, quàm ad alia.

Arg. 3. Omnis motus tendit in alterum; Dilectio est quidam motus. ergo. Resp. ma. esse veram de motu transeunte; Amor autem est actio immanens ideò non tendit in alterum ex necessitate, sed potest reflecti super amantem, vt amet se.

DISPVTATIO CCCIV.

Explicatur Amor Amicitiæ, & concupiscentiæ, & quomodo Angelus seipsum diligat.

3268 Amor sufficienter diuiditur in amoré amicitiæ, & concupiscétię

SCiendum est, diuidi sufficienter amorē in amorem amicitię, & amorem concupiscentię vt hic significat Sanctus Doctor, & ex professo Docet 1. 2. *quæstione vigesimasexta, articulo quarto, & alibi. Cuius diuisionis ratio est, quoniam* amare est velle, alicui Bonum, *vt ait Philosophus* in secundo Rethorice c. 4. *actus igitur amandi in duo, tendit scil. in Bonū, quod quis vult alicui, idest vel sibi, vel alteri, & in illud, cui vult Bonum, siue sit ipse diligens, siuè alius: idem igitur actus amoris, prout in bonum tendit, quod quis alteri vult, rationem habet amoris concupiscentiæ, vt autem respicit eum, cui bonum vult ille, qui diligit, rationem habet amoris amicitię.*

3269 Nomen amicitiæ in dicta diuisione non sumi stricte, sed latè.

Vbi scito, nomen amicitię in dicta diuisione nō strictè, sed latè, & minus propriè sumi; vt enim ait Sanctus Doctor in secunda secundę quæstione vigesimaquinta articulo quarto amicitia propriè non habetur ad se ipsum sed aliquid maius amicitia significat. Significat enim amicitia vnionem essentialiter: quilibet autem ad se ipsum maiorem habet vnitatem quàm ad alterum: *Itaque sicut vnitas est principium vnionis, ita amor, quo quis diligit seipsum, est forma, & radix amicitiæ: hoc ipso namque ceteros amore diligimus amicitię, quod ad eos nos habemus, sicut ad nos ipsos. Ait. n. philosophus* 9. Ethic. c. 8. amicabilia quę sunt ad alterum ex ijs euenire, quę sunt ad se. *Quemadmodum igitur de principijs non est scientia, sed aliquid maius scientia, sic ad se ipsum non est amicitia strictè sumpta, sed aliquid maius, quam sit amicitia: latè verò sumendo nomē amicitię ad amorē etiā, quo quilibet semetipsū amat, extenditur. Habet autē amicitia, prout est in Angelo triplex obiectū, scilicet Deū, Angelū, ipsū diligentem, & reliquas omnes intellectuales, & rationales creaturas, scilicet Angelos, & hominem vt probat Sanctus Doctor* 2. 2. quæstione 25.

3270 Obiectū amoris cōcupiscétiæ dupliciter cōsiderari potest.

Obiectū autē amoris concupiscentię, quod vniuersa cōplectitur ratione carentia, dupliciter potest cōsiderari: Vno modo in communi, & ita bonum, & beatitudo communiter sumpta obiectum est amoris concupiscentiæ: Alio modo in particulari, & hoc est duplex: quoddam .n. est Angelis omninò necessarium, sicut esse, & intelligere, & quælibet eius perfectio naturalis: Quoddam autem est bonum Angelo minimè necessarium, vt operari sic, aut alibi, & esse in hoc, aut alio quolibet loco; aut etiam nullo pro suæ voluntatis arbitrio. Cum autem asserimus. Obiectum amoris concupiscentiæ ea omnia, quæ sunt rationis expertia, continere, nec Deum nec intellectualem, vel rationalem excludimus creaturam, quæ secundariò esse possunt obiecta amoris concupiscentiæ: Deus enim, quamuis amore amicitiæ principaliter sit amandus, potest tamē amore concupiscentiæ diligi secundariò, nō ita, vt eū secundū se propter nos cōcupiscamus, sed vt eū secundū se nobis tāquā bonū & finē nostrū appetamus; eius autem effectum propter nos desideremus, vt latè probat, & explicat Caietanus 2. 2. quæstione 17.

3271 Obiectū amoris cōcupiscentiæ, nec Deū, nec intellectualem, nec rationalé creaturá excludit.

art. 8. *Amicum autem amore concupiscentiæ diligimus cum Bonum illi contingens in nostrā refferimus delectationem, vel vtilitatem, vt ait Sanctus Doctor* in 1. 2. quæstione 26. articulo vltimo ad tertium *vt autem proposita difficultati satis fiat à prime, & communissime, ac naturalis dilectionis obiecto sumens initium.*

3272 1. Conclusio. quilibet Angelus vtraque necessitate appetit beatitudiné naturalē.

Dico primò, quemlibet Angelum necessariò, tam quoad specificationem quam quoad exercitium actus appetere bonum, & beatitudinem naturaliter illi congruentem. Probatur hoc dictum; quoniam Angelus in puris naturalibus consideratus, est naturaliter, ac necessariò beatus; ergo naturalem habet de tali beatitudine complacentiam: hæc autem est boni, ac beatitudinis quidam appetitus: sicut ergo naturalis beatitudo necessariò semper adest Angelo in puris naturalibus considerato, sic exercitium complacentiæ necessariè semper est in eius voluntate: alioquin felix non esset Angelus: pertinet .n. hic appetitus ad beatitudinis complementum non minus, quam gaudium, & fruitio de felicitatis obiecto, iam adepto. Secundò: Angelus dilectione naturali, ac necessaria vtroque modo diliget Deum *ergo eadem diligit etiam bonum, ac beatitudinem.*

Antecedens probatur in art. 5. *Consequentia verò probatur; quoniam Deus eminenter continet omne bonum, & ad Deum naturaliter apprahensum sequitur in Angelo naturaliter beatitudo; igitur bonum, & beatitudinem diligit vtroque modo necessitatis. Et confirmatur: Quoniam, vt autem diximus, Angelus amat Deum, non solum amore amicitiæ, sed etiam amore concupiscentiæ: quia scilicet. Deum, vt summum bonum, & finem vltimum concupiscit. i. vt Deus illi perfectionis, & bonitatis afferat complementum. in hoc verò posita est beatitudo, vt bonorū omnium cumulus habeatur; est enim beatitudo status omnium bonorum aggregatione perfectus.*

Secundo dico, quemlibet Angelum diligere Deum *necessariò, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium actus. Hoc dictum explicabitur, & probabitur in articulo quinto.* 1. Conclusio,

Tertiò Dico, Angelum non necessariò, quoad exercitium diligere alterum Angelum, Probatur. quoniā potest Angelus pro suæ voluntatis arbitrio de altero Angelo non cogitare: igitur potest etiam ipsum cum alio diligere. 3. Conclusio.

3273 4. Conclusio. Angelus diligit seipsum, & suas perfectiones, necessario vtroq; modo.

Vltimò dico: Angelum diligere seipsum, & suas omnes perfectiones necessariò vtroque modo, scilicet quoad specificationem, & quoad exercitium probatur: quoniam Angelus seipsum, & naturales suas perfectiones cognoscit naturaliter, non solum speculatiuè, vt supra diximus quæstione 56. *art.* 1: *sed etiam practicè; quoniam ex ea naturali cognitione, qua seipsum, & suas omnes perfectiones cognoscit, naturaliter etiam, ac necessariò iudicat, seipsum, & suas omnes naturales perfectiones esse diligendas: ad hoc verò perfectum, & vltimum iudicium practicum consequitur necessariò dilectio. Alias probationes vide, si libet, apud Bannes art.* 5. *huius quæstionis, & apud Zumellum super hoc articulo.*

Obiectio.

Argumentum tunc voluntas non potest ab actu aliquo cessare, sed necessariè fertur quoad exercitium, quoties in ipsa operatione, & exercitio non potest apprahendi ratio mali: at Angelus potest apprahendere rationem mali, vel minoris boni in ipso actu amandi seipsum, nempè vt Deum toto corde amet sui etiam oblitus; ergo. & confirmatur: Quoniam in alijs obiectis, quæ sibi amat, vt bona, non inuenitur aliquod præter Deum clarè visum à cuius amore non possit cessare: ac proinde, cum amor amicitia quo seipsum Angelus diligit, non sit distinctus ab amore concupiscentiæ, quo rem aliquam, vt sibi bonum concupiscit, efficitur vt nullus sit actus amoris sui necessarius, quoad exercitium, nisi amor quo Deum clarè visum sibi amat, tametsi necessarium esset, quoad exercitium amare sibi aliquod bonum hoc, aut illud; quod tamen ad huc mihi non satis certum est. Hæc ille.

3274 Resp. amor.ati.

Respondetur, falsum esse minorem propositionem: suppono.

quò angelus amat seipsum non esse diuinę dilectionis impeditiuum.

supponit enim falsum, nimirum actum amoris, quo seipsum Angelus amat, esse diuinæ dilectionis impeditiuum. hoc enim est plusquam falsum; quoniam Angelus seipsum diligendo naturaliter refert actu semetipsum in Deum, vt summum, & vniuersale bonum, ac vltimum finem totius vniuersi, sicq; naturali sua dilectione vtitur, vt medio, ac veluti via ad Deum plusquam seipsum, & ex tota virtute diligendum. sicut etiam perspicue constat in dilectione beatorum supernaturali: seipsos enim, & alios semper actu diligunt ex charitate, & hoc ipso Deum feruentissime diligunt, quod in Deum, vt omnium rerum causam, & vltimum finem summè dilectum se ipsos, & omnia refferunt. Ad confirmationem negatur assumptum; nam cessare non potest Angelus ab amore fælicitatis, & perfectionum suarum naturalium, vt Antè Diximus.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum vnus Angelus naturali dilectione diligat alium, sicut seipsum.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

Concl. affirm. Prob. vnunquodque naturaliter diligit seipsum. Sed quod est vnum cum aliquo, est idem cum eo. ergo, vnumquodue diligit, quòd est vnum sibi: & quidem si sit vnum sibi naturaliter, diligit illum dilectione naturali, si verò sit sibi vnum vnione ciuili, diligit ipsum dilectione politica: Sed Angeli omnes conueniunt in eodem genere: ergo diliguntur ad inuicem dilectione naturali;

Arg. 1. Vnus Angelus non cognoscit alterum sicut seipsum: seipsum enim cognoscit per suam essentiam. ergo nec diligit alium, sicut seipsum. quia dilectio sequitur cognitionem. Resp. quòd si sermo sit ex parte cognoscentis, conceditur totum argumentum: si verò ex parte cogniti, & de dilectione ex parte dilecti, negatur anteced. quia sic vnus Angelus diligit aliũ, sicut seipsum; quoad naturalia, quia sicut vult sibi finem, ita, & alteri.

Arg. 2. Causa est potior causato: sed dilectio, quæ est ad alium, deriuatur ab ea, quæ est ad seipsum, vt dictum est. ergo vnus Angelus non diligit alium sicut seipsum: Resp. neg. quia ly *sicut* non dicit æqualitatem; vt sit sensus, quòd diligat alium, tantùm quantum diligit seipsum. Sed diligit similitudinem; quod sicut Angelus diligit se naturali dilectione, ita, & alium naturaliter diligit, quoad naturalia.

Arg. 3. Amor naturalis est ipsius finis sed vnus Angelus non est finis alterius. ergo. Resp. ad min. quod ad hoc vt vnus Angelus diligat alium naturali dilectione, non oportet, vt Angelus dilectus sit finis diligentis, sed sufficit, quòd diligens velit dilecto finem, quem sibi vult. Vnde dilectio naturalis, qua Angeli se, & alios diligunt, non potest remoueri nec à Dæmonibus, & quamuis Dæmones odio habeant bonos Angelos, hoc non est respectu naturalium, sed inquantum diuersificantur secundùm iustitiam, & iniustitiam.

DISPVTATIO CCCV.

An naturali inclinatione magis inclinetur Angelus ad dilectionem vnius Angeli, quàm alterius?

3275 Ratio dubitã. di proponitur.

Rationabile videtur, quod vnus Angelus magis inclinetur ad amandum Angelum excellentissimum in natura, quam ad amandum inferiorem sibi propinquiorem: sicut Angelus pertinens ad inferiorem ordinem, inclinetur magis ad amandum supremum, nempè cherubin, aut seraphin, quàm ad amandum reliquos inferiores ordines. Etenim Angelus inferior euidenter cognoscit in superioribus Angelis maiorem rationem boni, quæ efficacius mouet ad amandum, quàm sola maior assimilatio, seù coniunctio naturæ in genere, vel in specie: igitur Angeli naturaliter magis diligunt perfectiores, quàm similiores. Ex altera verò parte videtur quod Angelus magis inclinetur ad amandum eos, qui similiores sunt sibi, & propinquiores in natura: sicut si sint plures speciei eiusdem, illi magis se diligant, & maiorem inter se familiaritatem concilient: & idem proportionaliter videtur de Angelis eiusdem ordinis, seu gneris proximi. Et ratio est. Quia diligibilia ad alterum, proueniunt ex diligibilibus ad se, sicut ergo se magis diligunt, quàm alios, sic etiam sibi similiores, & magis coniunctos magis etiam diligunt. Et huic sententiæ fauet Diu. Thom. art. 5. sequenti ad primum.

Prima Concl. Probatur.

In hac re dicendum videtur quòd magis amare, stat tripliciter, scilicèt obiectiuè, appretiatiuè, & intensiuè; Certùm ergo est, quòd vnus Angelus obiectiuè magis diligit perfectiorem dilectione naturali; quia vult illi maius bonum, scilicet, perfectionem illius naturalem. Imò isto modo, etiam diligit magis perfectiorem Angelum, quam seipsum: vult enim illi maius bonum, quàm Angelo minus perfecto sibi similiori, & coniunctiori. At in hoc consistit esse maiorem amorem obiectiuè. ergo. Sanè Angelus, quo perfectior est, capacior, est maioris boni naturalis: erge debita amoris rectitudo exposcit, vt desideremus illi maius bonum.

2. Conclusio. Prob. primò.

Dico secundò, quòd naturaliter inclinatur Angelus ad amandum, & diligendum magis intensiuè & appretiatiuè alterum Angelum sibi similiorem, & coniunctiorem, quàm alterum perfectiorem. Quod patet: quoniam naturalis inclinatio, qua Angelus ad diligendum alterum inclinatur, fundatur in naturali assimilatione, & conuenientia, quam Angeli habent inter, se sicut dictum est. ergo vnus Angelus naturaliter diligit magis Angelum sibi propinquiorem, & similiorem, quàm alterum perfectiorem. Sed non diligit magis obiectiuè, vt ostendimus: ergo diligit magis intensiuè, & appretiatiuè.

Prob. 2.

Præterea: Angelus naturali dilectione diligit alterum Angelum, sicut seipsum; hoc est proportionabiliter, & ad modum, quo seipsum diligit: sed vnus Angelus obiectiuè magis diligit perfectiorem Angelũ, quam seipsum; quia vult illi maius bonum: at semetipsum appretiatiuè, & intensiuè, magis diligit, & amat: igitur eodem pacto proportionabiliter se habebit in amore, quo diligit reliquos Angelos, sibi propinquiores, & similiores, quamuis sint minus perfecti.

3276 Placitũ aliorũ refertur, & acceptatur, vt probabile.

Quibusdam Theologis videtur, quod etiam appretiatiuè verosimilius est Angelum, magis diligere perfectiorem, quàm minùs perfectum similiorem sibi in specie: propter quandam rationem, quam superius commemorauimus. Quia secundùm rectam rationẽ plùs debet Angelus velle, quòd ille, qui perfectior, est, sit, quàm quod Angelus minus perfectus sit & magis preponderat illa excellentia dilectionis, quàm excessus in assimilatione. Quia assimilatio illa, non inducit specialem obligationem: sicut inducit in hominibus carnalis coniunctio. Vnde, homo naturaliter magis inclinatur ad viuendum, & fruendum Angelo perfectiori,

fectiori, quàm minùs perfecto, & consequenter ad desiderandum illius assistentiam; licèt cum minùs perfecto, maiorem habeat similitudinem. De intensione autem amoris, idem sentiunt huiusmodi Theologi; quia faciliùs quis diligit intensè rem sibi propinquiorem in natura, tamquam sibi magis proportionatam, & hoc est probabile.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Angelus naturali dilectione diligat Deum plusquam seipsum.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

CONcl. Affirm. Prob. Inclinatio naturalis in his, quę sunt sine ratione, demonstrat inclinationem naturalem in voluntate intellectualis naturæ. Sed in his, quæ sunt sine ratione, videmus, quòd naturaliter magis inclinantur in id, cuius sunt, quàm in seipsa. Vnde Pars absque deliberatione exponit se pro toto. Et ratio, quæ naturā imitatur, idē dictat in virtutibus politicis, est .n. virtuosi ciuis, vt se exponat mortis periculo pro totius Reipublicæ conseruatione. Omnis autem creatura secundùm quod est, Dei est, ergo; &c.

Arg. 1. Quod maximè distat à natura Diligentis, non potest diligi ab eo, dilectione naturali; quia dilectio naturalis fundatur super naturali vnione dilecti, cum diligente. Sed Deus maximè distat à natura Angeli. ergo. Resp. quòd illa maior, est vera de his, quæ distant, & vnum non est alteri ratio existendi, & bonitatis.

Arg. 2. Vnumquod diligit aliud, inquantum est bonum sibi. ergo Angelus naturali dilectione, non diligit Deum plusquam seipsum. Resp. stando in proposito, ly *inquantum* in Antec. potest significare finem, & sic in proposito est falsum. quia Deus non est bonum ordinatum ad nos. vel potest significare rationem dilectionis ex parte diligentis, & sensus est; quod Deus diligitur ab Angelis, quia est bonum Angelis, quia participant eius bonitatem: & est verum, & sic neg. conseq.

Arg. 3. Natura reflectitur supra seipsam; Sed si magis tenderet in aliud, quàm in se, diligendo aliquid non propter se, non reflecteretur supra seipsam. ergo. Resp. ad ma. quòd natura reflectitur supra seipsam, non solùm quantum ad id, quod est ei singulare, sed multò magis; quantum ad commune, & vniuersale bonum.

Arg. 4. Diligere Deum plusquam seipsum, est proprium charitatis. ergo Angelus non diligit Deum plusquam seipsum, naturali dilectione. Resp. dist. ma. quæ conceditur de Deo, vt est Bonum beatificans, negatur verò de Deo, prout est vniuersale bonum, à quo omne naturale bonum dependet.

Arg. 5. Dilectio naturalis semper manet, manente natura. Sed dilectio, qua Angelus Deum diligit, non semper manet, ex D. Aug. 14. *de Ciuit. Dei.* ergo. Resp. neg. min. ad prob. dicitur, quòd qui odio habere dicuntur Deum, non est ratione sui esse, & prout est principium omnis bonitatis, sed ratione aliquorum effectuum, qui contrariantur voluntati aliquorum.

DISPVTATIO CCCVI.

An Angelus in puris naturalibus consideratus, diligat Deum naturaliter, non solùm amore amicitiæ, sed etiam concupiscentiæ.

QVæstiones, quas induxit ęquiuocatio, vel exigua terminorum intelligentia peperit, vocis multiplici significatione diligenter inspecta, & rei, de qua disseritur, cognita quidditate, facilè diluuntur. Amoris itaq. ratio, & amicitia præsertim, hic nobis aperienda est, & ex ea Vasquez sententia ex vocis ambiguitate, & eius intelligentia diminuta, consurgens, confutanda. 3277

Distinguitur autem, vt suprà diximus ex Angelico nostro Doctore, prima secundæ quæstionis 26. art 4 *sufficienter amor in amorē amicitię, & in amorem concupiscentiæ, adeò, vt omnis amor, præsertim, qui est actus voluntatis, elicitur ab ea, quę sunt à diligente distincta realiter, vel sit amor amicitiæ, vel sit amor concupiscentiæ; vt enim ait ibi S. Doctor, amare est velle bonum alicui; actus igitur amor dupliciter potest considerari; vno modo, prout in rem, siuè personam tendit, cui bonum appetimus; & sic est amor amicitię: Alio modo, vt respicit bonum, quod quis alteri concupiscit, & sic est amor concupiscentiæ, ita, vt idem actus amoris, prout in vnum refertur obiectum, siuè rem amatam, sit amor amicitiæ, vt verò tendit in alterum, sit concupiscentię. Quæ duę rationes amoris ab inuicem differunt; quòd id, quod amatur amore amicitiæ, simpliciter, & per se amatur, quod autem amatur amore concupiscentiæ, non simpliciter, & per se amatur, sed amatur alteri, vt probat ibi S. Doctor.*

Amor distinguitur in amorem amicitię, & concupiscentię.

Actus amoris potest dupliciter considerari.

Sed obseruandum est diligenter, non idem his duabus vocibus significari, videlicet amicitia, & amor amicitiæ; vt enim colligitur ex Arist. in 8. Eth. cap 2. & sequentibus, *& D. Thoma* in 2. 2. quæst. 23. art. 4. *Amicitia est amor cum beneuolentia mutua ab vtroque amante cognita, & sub aliqua communicatione præsentata. Distinguit autem ibi Philosophus amicitiā in eā quæ est inter ęquales personas, & eā quę est inter ęquales, propositā ibi soluens quæst. in quāta nimirū distātia, siuè disparitate possit amicitia saluari, respondet, si multū distent, putà sicut homines à Deo, nō remanere amicitiam* talē, *(addit S. Thom.)* de qua loquimur; *quia scilicet homo secundùm pura naturalia consideratur amicitiam paulò antè diffinitam ad Deum habere non potest.*

Amicia, & amor amicitię non significat idem.

Amor autē amicitiæ latiùs patet, quàm amicitia, vt enim diximus ex Diuo. Thom. 12. quest. 12. art. *4. ad illud habetur amor amicitię, cui aliquis bonū vult, etiam si mutua non adsit beneuolentia: Itaque si salutem, aut honorem exoptem alicui ciui de patria benè merito, & mihi noto. cui tamen ego sim ignotus, erit quidem in me ad eum amor amicitiæ, nequaquàm tamen ad eum erit amicitia, de cuius ratione est mutua diligentium cognitio, & Beneuolentia.*

Amor amicitię latius potet, quàm amicitia.

Cum itaque de bono diuino naturaliter noto gaudet homo, Deum amore diligit amicitiæ, nec tamen ex hoc præcisè amicitiam habet ad Deum, ob iam dictam causam, scilicet ob maximam inęqualitatem, & minimam communicationem. De Angelo verò in in puris naturalibus cōsiderato, videtur esse ratio longè diuersa; quamquam .n. à Deo distet in infinitū secundùm rationem entis, ipsum tamen per suam, idest Angeli substantiam immediatè cognoscit, & felicitatem habet in eius contemplatione naturalem, & in vniuersi regimine Dei minister est, cum eo communicans Angelus non minùs, quàm homo regis minister cum rege communicat, cùm illi ministrat in Regno gubernando, : ac proinde proportionalitas, siuè

Differen. Amicitia Angeli cū Deo, & hominis cum Deo.

habitudo

habitudo est inter angelum, & Deum, quæ satis sit ad amicitiam inter ipsum, & Deum constituendum. Quam tamen existimo non eiusdem, sed alterius esse rationis, quàm humanā, de qua sola loqui videtur Aristot. in moralibus.

3279 Definitio amicitię nobiliori modo conuenit amicitię Angeli cum Deo.

Conuenit enim amicitia dicta diffinitio nobiliori modo dilectioni mutuę inter Deum, & angelum existenti, quàm amori mutuò inter Patrem, & Filium, aut inter Principem, & Subditum: Communicat enim Angelus cum Deo, non solùm in ministrando, sed etiā in intelligendo, & in spiritualis naturæ similitudine, secundùm quam multò magis à Deo pendent, quàm filius à patre; atque ideò longè plus à Deo diligitur, & Deum diligit angelus, quàm diligatur filius à patre, vel subditus à principe, aut quàm patrem filius, & Principem diligat subditus.

Amore concupiscentię, dupliciter potest amans aliquid appetere

Amore verò concupiscentiæ sibi potest amans dupliciter aliquid appetere; Vno modo tanquam bonū ad ipsum appetētem, vt finem proximum, ordinatum: Alio modo, tanquam finem ab ipso concupiscente consequendum, in cuius adeptione summa sit posita perfectio diligentis. Cùm ergo diligit Angelus Deum amore concupiscentię, sibi Deum appetens, siuè sit appetitio naturalis, siuè supernaturalis, duo simul appetuntur ab angelo, scilicet Deus ipse secundùm id, quod in se est; & eius effectus deriuatus ad Angelum; Quatenus Angelus Deum secundùm id, quod in se est, amat; vnde angelus amore cōcupiscentiæ, Deū magis diligit, quàm semetipsum: sic enim Deum amat, vt summum bonum, & vltimum finem, se ipsum autem, vt ordinatum in finem: Constat autem summum bonum, & vltimum finem, vt sic magis amari, quàm omne, quod propter ipsum amatur, iuxta illud dictum Aristot. vulgatissimū: Propter quod vnumquodq; tale & illud magis. Quatenus autem Angelus in amore prædicto diuinę bonitatis effectum sibi concupiscit, se ipsum amat, vt proximum finem, propter quem effectum appetit ex Deo bonorum omnium fonte, sibi iam adepto, dimanantem. Vide magistrum Porrectam in articulo præcedente circa responsionem ad tertium, vbi rem hanc explicat eruditè.

3280 An Angelus diligat Deum naturaliter.

An autem diligat Angelus Deum naturaliter, & necessariò non solùm quoad spetificationem, sed etiam quoad exercitium actus, declarat, & probat eruditè Bannes hic in sua conclusione secunda. Cætera, quæ pro veritate conclusionis D.Tho. tuenda possent hic adduci, lege apud Diuum Thomam, & Expositores prima secundæ, quæstione centesimanona articulo tertio, & apud Capreolum in allegata distinctione vigesima septima, & apud Zumel super hoc articulo.

Principium motus est duplex, actiuus, & passiuus.

Postremò, vt efficacitas discursus appareat, quo probatur conclusio duo sunt hic breuiter adnotanda. Primum est ex Aristotele, D. Thoma, vt Auctore, & alijs expositoribus in secundo Physicæ principium motus naturalis, duplex esse, scilicet actiuum, & passiuū, sicut, & natura dicitur, tàm de forma, quæ principium est actionis formale, quàm de materia, cui pati conuenit per se primò. Duplex igitur ad actum, vel operationem inclinatio rei petuit in esse naturalis, actiua nimirum, vt agat, aut moueat, sicut animal principium, & inclinationem habet actiuam ad operationem, & motum: & passiua, vt agatur, aut moueatur: sicut Cælum inclinationem habet passiuam, vt ab intelligentia moueatur.

3281 Quęlibet natura creata, eadem inclinatione, tria simul ordinatè bona respicit.

Secundum est, quamlibet rem, siuè naturam creatā vna, & eadem inclinatione, re minimè distincta, tria simul ordinatè respicere, scilicet seipsam, siuè bonum proprium, bonum speciei, siuè generis, vel etiam totius naturę creatæ, & bonum vniuersale, siuè bonum extrinsecum vniuersi, qui Deus est, à quo veluti ab efficiente, exemplari, & finali causa bonum totius creatæ naturæ dependet; vt hic significat Sanctus Doctor in responsione ad tertium, & quartum argumentum; adeò vt cuiuslibet naturæ propensio maxima sit in Deum, vt vniuersale bonum, in quo super eminenter continetur omne bonum; secundò sit in bonum intrinsecum vniuersi, postremò verò sit in proprium ab ratione, quam hic assignat S. Doctor in textu, & explicat eruditè Caietanus; quia scilicet in rebus naturalibus vnumquodque, quod secundùm naturam hoc ipsum, quod est, alterius est: principaliùs, & magis inclinatur in id, cuius est, &c. Diximus autem, quamlibet naturam creatam per vnam, & eandem realiter inclinationem hæc tria respicere, quia nulla videtur esse necessitas tres in qualibet re creata, respectu dictorum trium bonorum inclinationes constituendi.

3282 Non est inconueniens, rei inesse eandem inclinationem ad diuersa bona, minime contraria.

Neque videtur absurdum eandem secundùm rem inclinationem inesse rei ad diuersa bona minimè contraria; sed essentialiter ordinata, & maximè consonantia; adeò vt contrarijs, nōnunquam motibus, non tamen simul actu moueatur; sicut aqua naturaliter inclinatur ad terram, vt ibi sit tanquam in loco proprio suæ naturæ congruo; quæ tamen ad replendum vacuum è terra conscendit in aerem ob maiorem inclinationem, quam habet in bonum Vniuersi commune, quàm in propriam. Quamuis itaque contrarij sint motus sursum, & deorsum ex eadem tamen inclinatione ratione sola formali distincta vterque motus est aquæ naturalis; non tamen, vt sic vterque simul, sed vnus regulariter quidem ad ipsius aquę bonum ordinatus, alius autem rarè contingens, sed in maius bonum, scilicet perfectionem totius creatæ naturę directus: et quemadmodum bona, quæ sunt inclinationis obiecta, licet ab inuicem sint distincta, sunt tamen essentialiter ordinata: sic, & inclinationes necesse est ad inuicem ordinari: motuum autem ordo, cùm nequeat simul esse, in hoc solo consistit, vt, occasione data, ille primò resultet, qui maius, respicit bonum.

3283 1. Obiectio.

Arg. 1. in Sacra scriptura, & Patribus nunquam inuenimus distinctum hunc amorem amicitiæ erga Deum, prout, scilicet est finis naturalis, & prout est finis supernaturalis; ergo.

Resp. 1.

Respondetur primò, nullam esse consequentiam, quia Sacra scriptura, & Patres nos instruunt, & dirigunt in finem supernaturalem, & ideò rationem finis naturalis in Deo, lumine rationis humanæ cognoscibilem Philosophiæ naturalia speculantibus considerandum relinquunt.

2. Res. Sacras Scripturas à Deo fuisse concessas propter eorum saluté.

Secundò dico, Sacras scripturas hominibus propter eorum salutem à Deo fuisse concessas, & ideò de hominibus ad Deum amicitiā, & ea supernaturali tantùm loqui, & quędam etiam pro nostra eruditione, & cōsolatione, ad Angelorum amicitiam cum Deo supernaturalem continere, naturalem autem eorum ad Deum amicitiam, vt nobis parum proficuam, & naturali rationis discursu notam omisisse. Hanc enim Arist. ingenio clarissimus, satis apertè significat in 2. metaphys. cum ait: Primum motorem mouere, vt amatum, & desideratum ab altero, scilicet motore, cælum immediatè mouente.

2. Obiectio.

Secundò, si duò amatores amicitiæ erga Deum distinguerentur, alter erga Deum finem naturalem, alter circa Deum, finem supernaturalem, sequeretur, aut amorem amicitiæ erga Deum finem naturalem haberi posse sine gratia habituali, cum solo auxilio gratuito in natura lapsa, sicut in natura integra; quod negat S.Th. & alij, aut sequeretur solo illo amore, tanquam dispositione vltima hominem iustificari à statu peccati, aut denique statum peccati aliqua ex parte minuere. Prob. consequent. Vazq. longo discursu, in quo multæ sunt falsitates, & difficultates ad præsentem materiam minimè pertinentes.

3284 Resp. Homo in statu naturę lapsę non potest Deum diligere super omnia, simpliciter loquēdo.

Ad argumentum itàque dico, nullam esse consequētiā: cuius falsitatem ostendit Medina in allegato art. 3 q. 109. vbi latè probat ex Scripturis, Concilijs, & Patribus, hominem in statu, lapsę ob liberi Arbitrij infirmitatē, non posse Deū diligere super omnia simpliciter loquendo: quod tamen posset in natura integra, si sermo sit de dilectione Dei super omnia, prout est finis hominis naturalis: Nec satis mirari queo doctrinam illam Vasquez Scripturis, & Concilijs, & Patribus minimè consentaneam, nè dicam, aduersam, quam Medina prædictus vno ferè sæculo antiquior tā eruditè, quàm luculenter excluserat.

3. Obiectio.

Tertiò; Amor quicumque amicitiæ erga Deum pugnat cum macula peccati: ergo suapte natura emundat à peccato, ac proinde iustificare potest, & esse vltima dispositio ad gratiam habitualem.

Probatur antecedens: quia amor amicitiæ erga Deum quacumque ratione consideratum, & dolor de peccatis propter ipsum eo modo dilectum, eiusdem omninò rationis, & virtutis sunt, atque eodem modo opponuntur statui peccati

3285 Resp. Amoré amicitię pugnare cum macula peccati, dupliciter intelligi posse.

Respondetur primo, amorem amicitiæ suaptè natura pugnare cum macula peccati, dupliciter intelligi posse: vno modo, vt cum ea simul esse non possit, & de hoc nulla potest apud Sectantes D. Thomę doctrinam esse dubitatio. Alio modo, vt amor amicitiæ etiam naturalis præexistentem deleat peccati maculam, & hoc est absurdum, & falsum. Primò: Quia non potest homo solis naturæ viribus actum amoris producere, quo Deum super omnia diligat. Secundò: Quia talis actus ex sui natura, peccati maculam non expellit; vt ait Caietanus in 1. 2. quæst. 113. ar. 2. *& ibidem Medina. Licèt gratia, & culpa absolutè, & respectu hominis non sint opposita immediata, vt ibidem explicant expositores prædicti, & est doctrina D. Tho.* de veritate q. 28. art. 2. ad quartum, & quintum, *sed Sed de hac re quid dicendum sit, remittimus 1. 2., ex qua soluuntur instantiæ Vasq. quas frustra multiplicat.*

4. Obiectio. *Quartò: quoties in obiecto formali alicuius amoris non potest distingui duplex ratio, in quam affectus ipse feratur, frustra distinguitur duplex affectus specie diuersus, sed quilibet affectus amoris circa illud obiectum, erit eiusdem rationis: At in Deo dilecto amore amicitię, non potest assignari duplex ratio, sub qua diligatur à nobis: ergo non potest distingui duplex amor amicitiæ erga ipsum.*

Resp. *Respondetur, falsam esse minorem: quia naturalis amor in* Deum *fertur, vt apprehensum, tanquam finem naturalem, supernaturalis autem illum respicit, vt finem supernaturalem.*

Instabis. *Sed contra responsionem hanc producit Vasquez argumentum Scoti, sic arguentis: Licèt hæ duæ rationes possint esse obiecta diuersorum affectuum concupiscentiæ, quatenus* Deus *consideratur, vt diuersum bonum nostrum, nempè, vt conseruans naturam, & donans gratiam, & beatitudinem; tamen non videntur sufficere ad constituendum diuersum amorem amicitiæ erga* Deum. *ergo. Probatur Antecedens: nam* Deus *amore amicitiæ non amatur, vt nobis bonus, sed vt in se bonus; at eodem modo consideratur, vt bonus, siuè apprehendatur, vt author naturæ, siuè, vt author gratiæ; ergo. Probatur secunda propositio: quia non est alia ratio bonitatis in* Deo, *vt vno, aut alio modo considerato; siquidem vnicum est attributum bonitatis, & eiusdem rationis.*

3286 Resp. aliam esse rationem in Deo, prout est obiectum amoris naturalis, aliam, prout est obiectum amoris supernaturalis

Respondetur, falsum esse antecedens. Ad eius, probationem negatur secunda propositio. Ad cuius probationem dico, aliam esse formaliter rationem bonitatis in Deo, *prout est obiectum amoris naturalis, & aliam, vt est obiectum amoris supernaturalis. Nam, & si bonitatis diuina sit vnum attributum, duas tamen fundat rationes formales in* Deo, *bonitatis, & causalitatis finalis secundum quas distingui possunt amores amicitiæ naturalis, & supernaturalis; ita, vt amor amicitiæ naturalis in communicatione fundetur bonorum, ad rationem naturæ pertinentium, quæ* Deus, *vt author est naturæ, producit in nobis, & feratur in* Deum, *prout eam habet in se perfectionem, & bonitatem, vt ex eo possint in nos bona prædicta deriuari.*

Amor amicitię supernaturalis est fundatus in bonorum supernaturalium communicatione.

Amor autem amicitiæ supernaturalis, cùm sit in bonorum supernaturalium communicatione fundatus, & Deum respiciat, prout ita perfectus, ac bonus est in semetipso, vt rationalem, & intellectualem creaturam possit supra totum bonorum naturaliū ordinem elevare, & in perfecto supernaturalis fœlicitatis statu constituere; adeò, vt amoris, siuè naturalis, siuè supernaturalis obiectu sit non participatio bonitatis, aut diuina bonitas, vt participāda, sic. n. est obiectū amoris cōcupiscentię, sed diuina bonitas secundū se, prout secundùm talem, vel talem rationem perfectionis, & bonitatis consideratur, vt ex ea possit ad nos talis, vel talis bonitatis participatio deriuari: sic, enim est obiectum amoris amicitiæ: sicut enim Principis, vel Prælato volo bonum sapientiæ, & prudentię, ex quo possit me, & subditos omnes rectè gubernare, & virtuosos efficere: & tamen hoc bonum volo principi, vel prælato non propter me, sed propter ipsum, vt scilicet sit in seipso perfectus; sic Deo perfectiones, & bonitates prædictas velle possumus, aut de eis complacere, quatenus Dei perfectiones sunt, & sic amore amicitiæ Deum amare

---

QVÆSTIO LXI. D. Th.

De productione Angelorum in esse naturæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angeli habeant causam sui esse.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONCL. Affim. Prob. Omne, quod est per participationem, necesse est causari ab eo, quod est per essentiam; sicut ignitum ab igne. Sed omne aliud à Deo est per participationem, & solus Deus est per essentiā: Nam in solo Deo essentia est *esse*, in aliis verò distinguitur essentia ab *esse*. ergo.

Arg. 1. de his, quæ sunt à Deo creata, fit mentio *Gen.* 1. Sed nulla mentio *ibi* fit de Angelis. ergo. Respond. ad min. primò. Quod *Genes.* 1. fit tantùm mentio creaturarum corporalium. Secundò: quòd Angeli non sunt prætermissi in illa prima rerū creatione, sed significantur nomine, Cæli, aut etiam lucis.

Arg. 2. formæ immateriales non habent causam sui esse; ex Arist. 8. *meth.* Sed Angeli sunt formæ immateriales: ergo. Resp. conced. ma. de causa formali sui esse, & suæ vnitatis; ac de causa agente per transmutationem materiæ de potentia ad actum: negando verò, de causa agente, producente totam substantiam rei.

Arg. 3. Omne, quod fit ab aliquo agente, per hoc fit, quòd accipit formam ab eo. Sed Angeli non accipiunt formam ab aliquo; quia ipsi sunt formæ. ergo. Resp. ma. esse veram de compositis, quę per hoc fiunt, quòd eorum materia accipit formam; non autem est vera de his, quę sunt formæ subsistentes, sicut Angeli.

DISPVTATIO CCCVII.

An Deus sit causa efficiens Angelorum?

DE cōclusione huius articuli nulla inter Catholicos est dubitatio. *Nam in litteris Sacris vtriusque testamenti apertè docemur, omnia esse à* Deo *creata: Esther* 13. Tu fecisti cęlum, & terram, & quicquid cæli ambitu continetur. *Certum est autem, quòd spirituales substantię intra cæli ambitum continentur, cùm dicantur Angeli cælorum in* Euangelio. Et *Daniel.* 3. *postquam dictum est;* Benedicite omnia opera Domini Domino: *sub hac vniuersali continuò assumuntur Angeli, tamquam nobilissimæ rerum species, cum statim dicatur;* Benedicite, Angeli Domini Domino. *Et rursus* Ioann. 1. *legimus:* Omnia per ipsum facta sunt. *A qua vniuersalitate nihil esse excipiendum, statim declaratur, cum dicitur;* sine ipso factum est nihil, *& ad Colos.* 1. In ipso condita sunt omnia, siuè quę in cælis, 3288 Conclusio est de fide.

cælis, siuè quæ in terra sunt: visibilia, & inuisibilia: *Et postea refert quatuor Angelorum ordines.*

Confirm. hæc veritas ex Cócl. Nicæno.

Huc accedit vniuersalis Ecclesiæ confessio in symbolo Nicæno: vbi habetur, Deum factorem esse Cęli, & Terræ, visibilium omnium, & inuisibilium. *Accedit etiam confessio Concilij Lateranen. cap.* Firmiter de summa Trinitate: *vbi dicitur,* Deum de nihilo vtramque creaturam condisse, spiritualem, & corporalem, Angelicam, & mundanam. *Ex quibus liquet, non solùm Deum esse Creatorem Angelorũ indefinitè, quasi quosdam ille creauerit, quosdam verò non: sed vniuersaliter est accipiendum, quòd omnes Angeli à Deo fuerint creati; & ita sentiunt testimonia commemorata.*

3289 Obiectio.

Et si contra obijciatur, quòd Ecclesiast. 33. dicitur; quòd omnes homines de solo, & de terra *creati sunt: eò quòd primus, à quo procedunt omnes, de terra sit formatus: ergo eadem ratione poterunt omnes Angeli dici esse à* Deo, *quòd primus sit productus, & ab illo reliqui.*

Resp. obseruandas esse duas differentias, pro solutione.

Respondetur, duas esse differentias obseruandas: Prima, quòd de hominum propagatione ab vno homine expressa est scripturarum traditio. Imò propterea masculum, & fœminam creauit Deus: quia is modus traducendi naturam corporalem communis erat homini cum reliquis animalibus; quibus omnibus dictum est, crescite, & multiplicamini: quæ est secunda differentia. Nam de Angelis nihil simile habemus in scripturis: nullo generationis, nullaque sexus differentia, Et præterea ea est natura spiritualis substantiæ, vt non possit ex materia produci per generationem, sed per creationem, qua tota substantia simul fit. Vnde, & de malo Angelo scriptum est. Iob. 26. quòd obstetricante manu eius productus est coluber tortuosus. Quibus verbis exprimit, quòd nullius interueniente ministerio producta sit natura, etiam Angeli mali; non quòd fuerit malus à natura, vel origine; vt suo loco patebit. Colligimus ergo, quòd omnes Angeli, siuè superiores, siuè inferiores, siuè boni, siuè mali sunt à Deo *immediatè producti.*

DVBIVM VNICVM.

An de creatione Angelorum fiat mentio inter opera sex Dierum?

Ratio dubitãdi.

SEd dubium in solutione ad primum: An de creatione Angelorum fiat mentio inter opera sex dierum? & occasio dubitandi à parte negatiua est. Quia ibi non est verbum expressum, quo significentur Angeli, sicut alię creaturæ, vt constat legentibus opera, quæ sex diebus facta sunt. Ex altera verò parte non videtur rationi consentaneũ, quod in rerum creatione fuerit omissa suprema pars vniuersi. Huius dubij occasione Permanus quidam, vt docet Castro *libro de Hęresibus. verbo Angelus*, in ea hęresim lapsus est, vt diceret, *Angelos non fuisse à Deo creatos.*

3290 *Prima opinio SS. PP. asserit nulla in Genesi esse mentioneñ creationis Angelorum.*

Cæterum, in hoc dubio duplex est respondendi modus: & vterque grauissimos habet authores, in pluresque partitur sententias.

Primum dicendi modum tenet Basil. *hom: 1. Exameron circa medium.* Vbi ait, ideo de Angelis inter cætera opera non esse mentionem factam, quia illi multo antè mundum visibilem creati fuerunt: Moyses vero ea solum retulit, quę in principio temporis facta sunt; est, & alia ratio. Quia rudis populus, & corporalibus tantum assuetus, tã sublimis doctrinæ capax non erat. Sicut fecit Paulus pro captu audientium. Nam loquens Atheniensibus *Actor.* 17. solùm meminit creaturę corporalis, & erudiens *Colo. cap.* 1. quia iam prouectiores erant, de Angelorum creatione aperte disseruit. Ambros. sequitur eandem *tom. 4. lib. 1. Exameron cap.* 5. ob primam causam à Basilio redditam. Chrysost. sequitur eundem modum *hom. 2. in Genes. to.* 1. sed ratio est alia, quam Sanctus Thomas retulit. Nam si creaturas corporales, quę multis nominibus sunt Angelis inferiores, coluit populus insipiens: multò maiùs periculum eis immineret colendi substantias spirituales, si de illarũ perfectione à principio fuisset instructus.

3291 *Secunda opinio SS. PP. asserit, factam fuisse mentionẽ creationis Angelorum in Genesi.*

Secundum modum dicendi sequitur August. qui primo *lib. super Genes. ad litteram cap. 3. tom. 3.* ait, *nomine cęli spirituales substantias intelligendas esse ob earum dignitatem, & præstantiam.* Item 11. *lib. de Ciuit. cap. 7.* existimat nomine *lucis* supernam illam ciuitatem spirituum accipiendam, esse, quæ est mater nostra. Gregor. est etiam huius sententiæ: Sed alia ratione. Nam 31. *lib. moral. cap.* 10. circa illa verba *Iob.* 40. *Ecce Behemoth, &c.* existimat creationem Angelorum nomine cęli cóprahensam esse: propterea, quod cum sint cęlorum habitatores, nomine continentis etiam cótenti ciues intelliguntur. Hęc sententia confirmata esse videtur authoritate Concilij Lateranen. *in cap. Firmiter.* Nam videtur explanare verba illa: *In principio creauit Deus cœlum, & terram,* hoc modo, cum dixit, *spiritualem; & corporalem, Angelicam, & humanam.* Caiet. in illa verba, *spiritus Domini ferebatur super aquas*: existimat ibi de creatione Angelorum, mentionem esse factam; cùm describitur officium eorum in ordine ad motum cælorum. Hæc autem expositio aduersatur sententiæ Sanctorum Patrum. D. Ambrosij *lib. 1. Exameron. cap.* 8. vbi ait, quod secundum fidelium sententiam accipiendum est pro spiritu Sancto, Eiusdem est sententię Basil *congressione* 2. & Hyeron. *in annotatione Hębraica super Genes* & Augu. 11. *lib. de Ciuit. cap.* 32.

3292 1. *Conclusio. Principaliter in Genesi exprimitur creatio creaturę corporalis.*

Profectò in tanta Sanctorum Patrum diuersitate vix possumus aliquid certum asserre. Primò tamen constituendum est, quod intentio illius primi capitis ad duo potissimũ directa est. Primo, vt cóstet Deũ esse colendũ, tãquam vniuersale rerum principiũ: ad quod inducitur populus enarratione corporaliũ effectuũ, qui nobis sunt manifestiores: vt ex his facilè mens nostra induci possit, ad intelligendũ eãdẽ rationẽ esse de inuisibilibus creaturis. Qui mos erudiendi, omnibus disciplinarum authoribus est familiaris. Secundo, intendit inducere populum ad obseruationem diei Sabbathi, in quo à corporalibus operibus vacandum erat: sicut Deus sex diebus est operatus septimo autem requieuit. Quæ ratio præcepti adducitur Exod. 20. Ad hunc autem finem congruebat optime referre productionem corporalium, non autem creationẽ Angelorum: eò quod illa etiam ex parte rei factæ spiritualis est. Quoniam vero in Sabbatho, festisq; diebus à corporali opere quiescendum est, spiritualibus vero incumbendum; iuxta illud psalm. *Vacate, & videte*: ideo fuit prætermissa creatio rerum inuisibilium; & corporalium tàm studiose relata. Quoniam huic proposito maximè congruebat.

3293 2. *Conclusio. creatio Angelorum non fuit penitus omissa in illa narratione.*

Secundò dicitur, quòd creatio Angelorum non fuit pęnitus omissa in illa narratione: quòd ex principio secundi capitis colligi videtur. Vbi referens veluti epilogum eorum, quæ fusiùs describerat, ait: *igitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum*: Vbi nomine ornatus eorum in Hæbreo habetur vox, quæ significat *exercitus eorum*: & ita ante multos annos vertit Chaldaicus Paraphrastes. Huius tamen est duplex sensus. Alter, quod omnis creaturarum dispositio, & ornatus, ita secundùm sapientiæ ordinem disponantur, sicut solet esse castrorũ acies ordinata, siue ad terrę, siuè cæli ornatum potissime pertinẽt beatorum spirituum agmina e quibus veluti pręcipuis effectibus Deus frequentissime vocatur Dominus exercituũ. Vnde, eadem vox est psalm. 24. cùm dicitur, Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Et Isaiæ 6. in Seraphinorum acclamatione, quàm honoris gratia, suo idiomate retinuit Ecclesia. Cùm ergo in præsenti loco eadem voce vsus fuerit Spiritus Sanctus: Credendum est hoc nobis indicare voluisse.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Angelus sit productus à Deo ab æterno.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Solus Deus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus est æternus. Prob. quia hoc fides Catholica tenet indubitater; & omne contrarium est sicut hæreticum refutandum: Sic enim Deus creaturas produxit; quòd eas ex nihilo fecit: idest postquam nihil fuerant.

Arg. 1. *Esse* Dei est ęternum. Quia Deus non agit per aliquid additum suę essentię. Sed Deus est causa Angelorum per suum *esse*: ergo. Respond. Ad min. quod *esse* Dei, cùm sit ipsum velle Dei, per hoc, quòd est causa rerum per suum *esse*, non excluditur eius voluntas; Sed quia voluntas Dei non de necessitate produxit creaturas, ideò eas produxit, quando placitum fuit suæ voluntati.

Arg. 2. Omne, quod quandoque est, quandoque non est, subiacet tempori. Sed Angelus est supra tempus, vt dicitur *in lib. de causis*. ergo: Respond. conced. min. de tempore, quod est numerus motus Cæli; tamen nõ est supra tempus, quod est numerus successionum esse eius post non *esse*, & successionis, quæ est in suis operationibus.

Arg. 3. quod est capax veritatis, est æternum: Sicut, ex Aug. quia Anima est capax veritatis, quæ est incorruptibilis, propterea Anima est incorruptibilis. Sed Angeli sunt capaces veritatis. ergo. Resp. neg. paritatem ma. Nam ex hoc ipso, quòd aliqua natura est capax veritatis, est necessariò incorruptibilis, cùm debeat esse immaterialis, & subsistens: per hoc autem, quòd veritas est ęterna, non sequitur, quòd natura, quæ est capax veritatis, sit ęterna: sufficit enim, quod sit subsistens.

DISPVTATIO CCCVIII.

An Deus creauerit Angelos ab æterno.

3249 1. Concl. Solus Deus fuit, et esse potuit causa efficiens angelorum.

Dico primò; *Solum Deum fuisse, & esse potuisse causam efficientem Angelorum. Prima pars huius conclusionis est de fide, & patet ex illo loco ad Coloss.* In ipso condita sunt vniuersa in cælis, & in terra, visibilia, siuè inuisibilia, siuè Throni, siuè Dominationes &c. *Et ex symbolo Niceno.* Credo in vnum Deum, Creatorem cæli, & terrę, visibilium omnium, & inuisibilium; *Et ex Concil Literanen. sub Innoc. 3. & habetur capite* Firmiter de Summa Trinitate Deus ex nihilo vtramque condidit creaturam spiritualem, & corporalem.

Secunda pars conclusionis probatur; quia cùm Angelus sit substantia omninò spiritualis, & independens à materia consequenter ex nihilo producendus est; atque adeò per creationem, quæ actio à solo Deo, vt à causa principali esse potest, vt suo loco probauimus.

2. Concl. angeli fuerũt creati in tempore.

Dico secundò, Angelos non fuisse creatos ab eterno, sed in tempore, seu in principio alicuius durationis. Est de fide. Ita definuit Consilium Lateranense *supra vbi inquit.* Deus ab initio temporis simul vtramque de nihilo condidit creaturam spiritualem, & corporalem, *& sumitur ex illo loco sacræ scripturæ Prouerb.* 8. Dominus possedit me innitio viarum suarum antequam quicquam faceret à principio. *Vbi generaliter negatur æternitas cuiuslibet creaturæ.*

Ratione probatur; quia, cùm hæc res consistat in facto, & voluntate Dei hæc nobis innotescit ex sacris litteris, & Ecclesiæ definitione. Addimus rationem; quia nulla creatura potuit Deo esse coæterna, vt in 8. lib. Physicor. & SS. PP. *authoritate probauimus, qui contra Arrium verbi diuinitatem ex eius ęternitate probarunt, igitur exstimarunt, esse propriam Dei. Nec valet communis responsio de ęternitate participata, vel independenti, quia si hæc distinctio haberet locum, inualidum fuisset argumentum* SS. PP. *quod ex sola æternitate sumpserunt; Nam facilè respondissent Arriani illam æternitatem Verbi fuisse participatam, atque adeò iam non ex sola æternitate, sed ex ęternitate independenti sumere debuissent argumentum, quòd non fecerunt. Ratio à priori est, quia substantiæ creatæ, & cuicumque enti creato, sicut repugnat actualis infinitas in essentia, ita, & in omni sua proprietate, operatione, & modo.* 3295 Prob. quia voluntas Dei ex sacris litteris, & Ecclesię definitione innotescit.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Angeli sint creati ante mundum corporeum.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Concl. Latinorum negatiua est probabilior. Prob. Deuteron. 32. dicitur, *Dei perfecta sunt opera*. Sed Pars absque toto est imperfecta, & Angeli non constituunt vnum vniuersum per se, sed conueniunt cum natura corporea, ad constitutionem vnius Vniuersi, quòd apparet ex ordine vnius creaturę ad aliam, quòd est bonũ Vniuersi. ergo Deus non produxit Angelos, qui sunt pars vniuersi, ante ipsum vniuersum.

Arg. 1. ex D. Hieronymo *super epistolã ad Titum*, dicente, ante omnem creationem genitos fuisse Angelos. ergo. Resp. Diuum Hieronymum *ibi* loquutum fuisse secundùm sententiam Doctorum grecorũ, qui omnes hoc concorditer sentiunt, quòd Angeli sint creati ante mundum corporeũ.

Arg. 2. Natura diuina est ęterna, & natura corporea est in tempore. ergo, cùm natura Angelica sit media, non debet esse æterna, nec fieri simul cum corporea, sed in medio vtriusque. Resp. Neg. conseq. Quia Deus non est pars Vniuersi, ita vt conueniat cum ordine creaturarum, sed est supra totum Vniuersum. Angelus autem est pars vniuersi, vnde cum alijs partibus creari debuit.

Arg. 3. Vna creatura corporalis fuit facta ante aliam, vt patet de productione sex diebus operata: ergo, multò magis, natura Angelica, que plus distat à corporali. Respond. neg. conseq. quia per hoc, quòd omnes creaturæ corporales non fuerint simul, non sequitur Vniuersi imperfectio, quia creatis Angelis, & materia corporali, fuit vniuersum perfectum, quo ad partes præcipuas. Si autem fuissent facti primò soli Angeli, non fuisset perfectum Vniuersum.

DIS-

DISPVTATIO CCCIX.

An Angeli fuerint creati simul cum mundo corporeo, vel antè.

3296 Conclusio angeli fuerunt creati à Deo simul cum mundo corporeo. Prob. 1.

Conclusio. Angeli fuerunt creati à Deo simul cum mundo corporeo in ipso exordio, & initio temporis, quo cæli in lucem editi sunt. Ita S. Thomas in art. 3. huius quæstionis, & omnis eius interpretes, & magister in 2. d. 2. Albertus Magnus, Ricardus. S. Bonauent. Vdalr. Alexander, Annibal, & alij relati apud Interpretes. Probatur primò authoritate SS. PP. tùm græcorum, vt Epiphanij hæres. 65. Theodoret. q. 3. in Gen. Procopij præfat. in Gen. tùm latinorum, vt August. lib. 11. de ciuit. cap. 69 & 33. & pluribus alijs in locis, quam sententia tenuit Augustinus, vt probabiliorem, non vt certã. Greg. 32 moral. cap 9. & in alijs eiusdem libri, & in lib. 26. cap. 7. aliàs 14. Beda Tom. 4. in Exam Hugon. de Sancto Victore lib. de Sacramentis par 5. cap. 3. Iunilij Africani relati à Thesauro Cathol. lib. 4. art. 1. Rupert. lib. 1. in Gen. cap. 11.

2. Prob. ex aliquibus locis Sacræ scripturæ.

Secundò probatur ex aliquibus locis Sacræ Scripturæ Ecclesiast. 18. Qui viuit in æternum Creauit omnia simul, quòd in creaturis corporalibus intelligendum est, vel quo ad illa, quæ per propriam creationem fiunt, vt cælum, & elementa, vel virtute dicuntur omnia creata simul, quia simul sunt facti cæli, & elementa, in quibus alia virtute, & quasi in semine continebantur, & ex illis postea facta sunt, vt exponit Diu. Thom in hac prima p. q. 74. art. 2. ad secundum, & complectitur illa propositio Angelos, quia est vniuersalis. Item probatur ex loco Genes. In principio creauit Deus cælum, & terram. Nam idẽ est dicere, In principio, quòd ante omnia, vt exponit August. 11. de ciuit. cap. 6. licèt hic locus varias habeat explicationes, & ideò non facit ad rem hanc omninò certam.

3297 3. Prob. ex Concilio Lateren.

Tertiò probatur ex concilio Lateran. capite Firmiter in verbis præcedenti Disputatione allegatis. Ratio verò Sancti Thomæ est; quia Angeli non constituunt vniuersum, sed sunt pars illius, ergo simul cum illo sunt creati. Nec refert, quòd in tota æternitate à parte ante Deus non se communicauerit ad extra, quia hoc pendet ex libera voluntate sua. Addi etiam potest alia ratio congrua; quia, cùm breui téporis interuallo mali Angeli, postquam creati sunt, peccauerint, & detrusi sint à cælo in infernum, qui est intra viscera terræ locus, verisimile est, simul cum cælo & terra esse creatos, nam, si prius essent creati per aliquam diuturnam durationem, non potuissent in infernum detrudi, neque à cœlo eijci, vt dicitur in Apocalypsi 12. & Isai. 40. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer?

Aliqui dicunt contrariam doctrinam esse hæreticam.

Propter hæc, & præcipuè propter testimonium concilij Lateran. Ferrarien. 2 contr. gent. cap. 83. & Molina ad art. 3. existimant, contrariam doctrinam esse errorem in fide. Zumel ibidem, esse ab ecclesia definitam. Alij, vt Vasquez solum existimant, esse minus probabilem, qui sequitur in hoc Caietanum, Dionysium in 2. D. 2. Palacium d. 12. disp. 2. & quod caput est Sanctus Thomas in art. 3. hanc doctrinam tamquam probabiliorem tradit, cùm illum non latuerint testimonia Sacræ scripturæ citata, nec decretum concilij Lateran; quod, vt optimè aduertit Caietanus, tempore Sancti Doctoris iam erat in Decretalibus.

Contraria Doctrina non caret temeritate

Ego verò cum Valentia tom. 1. quæst. 12. puncto 2. in fine: Bannes. in art. 3. & Suario lib. 1. c. 3. sentio contrariam doctrinam non carere temeritate, atque ita de hac assertione iudicandum esse, sicut de illa, quod Angeli sunt incorporei, nam licèt illud Concilium tradando doctrinam fidei vocet Angelos incorporeos, & spirituales, quia non ex professo, sed obiter hoc dicit, & ideò non censeatur illam veritatẽ definisse, tamen ita illam approbauit, vt ostenderit, sensum illum esse Ecclesiæ communem, cui postea concors sententia Scholasticorum, & posteriorum Patrum accessit, & ideo meritò temeritatis argueretur qui nunc oppositum doceret: quia estò non vrgeant loca Sacræ scripturæ, quæ possunt alios habere sensus, & locus consilij non fuerit deffinitio ecclesiæ, nec latuerit S. Th. illud decretum, tamen ex authoritate illius concilij cum concordi omnium Scholasticorum, & PP. subsequentium, sententia iam contraria temeritatis nota debet argui, licèt tempore S. Th. hac non debuisset inuri, quia non erat diuturno consensu, & cómuni conspiratione recepta hæc sententia sicut, nunc.

3298 Nõ fit iniuria per hanc notã Sanctis antiquis Patrius.

Neque per hoc fit iniuria antiquis Patribus, quia alijs temporibus res erat magis controuersa, minusq; declarata, potestque vno tempore propositio aliqua non esse temeraria, & postea esse, interueniente Ecclesiæ authoritate, & communi conspiratione, & diuturno consensu omnium: vnde idem Vasq. disp. 168. cap. 3. concedens ex hac doctrina consilij, & communi sententia esse temerarium nunc contradicere illi consilio in altera opinione de incorporeitate Angelorum, non est, cur neget in ista de simultate creationis, licèt neutrum de fide definierit.

Soluuntur aliqua loca incõtrarium Sacræ scripturæ.

Neque cõtra sententiam propositam obstant aliqua loca Sacræ scripturæ, quæ solent in contrarium adduci vt est ille Iob. 38. Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? & infra, cum me laudarent simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei, Idest Angeli. Secundus est Iob. 40. vbi de Behemoth, idest Lucifero dicitur. Ipse est principium viarum Dei, idest creaturarum. Tertius ad Titum 1. quem promissit, qui nõ mentitur Deus ante tempora secularia. Sed nullus vrget; nam ex primò solum colligitur, Angelos laudesse Deum in ipsa rerum creatione, quia in instanti, in quo creati sunt, hoc fecerunt, non verò fuisse creatos antè mundum corporeum: in secundo solùm dicitur initium ordine dignitatis, non durationis: in tertio ly, ante tempora secularia significat æternitatem, in qua Deus promisit veritate sua immutabili; quod idem est, ac prædestinando proposuisse; vel si de promissione ad extra sit sermo, antè tempora secularia erit idem, quod ante omnia secula, & curricula annorum, quæ fuerunt in toto præterito tempore, non quia facta sit antè initium illorum, sed quia in initio facta est, antequam aliquod huius temporis seculum, imò neque annus decurrisset.

2. pars huius conclusionis, scilicet non fuisse creatos angelos post mundũ corporeũ probatur tribus locis Sacræ scripturæ mox adductis, quæ ad minimum hoc probant. Deinde, quia nullus vnquam vix hoc affirmauit, neque est ratio congrua ad hoc affirmandum. Ac denique; quia proprium Angelorum domicilium erat cœlum, quod ab ipso initio erat mouendum illorum ministerio.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum angeli creati sint in cælo Empyreo.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio affirm. Prob. Creatura præsidens toti creaturæ corporeæ, conuenienter creata fuit in supremo corpore: sed Angeli præsident creaturæ corporeæ. Quia ex creaturis corporalibus, & spiritualibus vnum vniuersum constituitur. ergo conuenienter creati sunt in supremo ordine.

Arg. 1. Substantia incorporea non dependet à corpore, neque secundùm esse, neque secundùm fieri. Sed Angelus est substantia incorporea. ergo, Respondetur ad maiorem Angelos non esse creatos in loco corporeo, quia dependent à corpore, sed ad ostendendum ordinem eorum, ad naturam corpoream,

corpoream, & quòd sua virtute corpora contingunt.

Arg. 3. *super Gen. ad litt.* ergo. Resp. per supremam partem aeris, fortè intelligit Aug. partem Cęli, quam nominat aerẽ, quia habet cum aere quandam conuenientiam, propter suam diaphaneitatem, & subtilitatem.

Arg. 3. Si Angeli fuissent creati in cęlo Empyreo, non conuenisset eis superius Cęlum ascendere: Sed hoc est contra Isai. 14. Ergo. Respond Isaiam loqui de Cæli Sanctissimę Trinitatis; non autem de aliquo cęlo corporeo. Voluit autem Angelus, qui peccauit, ascendere in Cęlũ Sanctissimæ Trinitatis, dum voluit aliquo modo, Deo æquiparari.

DISPVTATIO CCCX.

An Angeli fuerint creati in Cælo Empyreo.

3299 Nota 1. Doctores nomine Cęli Empyrei, intelligere corpus quoddam primo mobili superadditum.

DVO obseruanda sunt in hoc articulo: quòd nomine Cæli Empyrei Doctores intelligunt corpus quoddam primo mobili superadditum, & impositum, quod naturalia omnia corpora magnitudine splendore, & nobilitate tàm longo superat interuallo, quantum distat status beatitudinis ab statu transmutationis. Et quamuis lucidissimum esse credatur, vt nomen indicat, cerni tamen ab humanis oculis non potest hoc: non solùm propter distantiam, quę vincit omnem mensuram: verum etiam, quia non diffundit radios ad inferiora corpora; forte ob nimiam eius subtilitatem. Nulla etiam ratione physica potest ostendi: Non enim, vel mouetur, vel influit in alia corpora. Quare, neque per se ipsum, neque per effectum, est naturaliter cognoscibile. Sed tamen grauissimi Theologi eius meminerunt, ad explicandum ea, quę in litteris sacris habentur de sede beatorum: quam oportet pulcherimam, splendidissimam, & tutissimam esse, & ab omni mutatione liberam, vt sit congrua statui beatitudinis. De quo Cælo Empyreo inferius Sanctissimus Preceptor q. 66. art. 3. & in 2. dist in ctione secunda, quęstione 2.

Nota 2. Angelorum gradus esse in triplici differentia.

Secundò obseruare oportet, quòd Angelorum gradus sunt in triplici differentia, quantum ad presentem statum pertinent. Quidam sunt inferiores, quibus rerum corruptibilium administratio credita est: de quibus probabiliter dici potest, quòd fuerunt producti in regione aeris suprema. Quę est opinio Augustini lib. 3 super Genes. ad litteram cap. 10. Cuius sententię pars habetur in Argumento secundo. Alij Angeli sunt superiores, & officio, & dignitate; vt quibus cęlestium orbium regimen fuit commissum: de quibus etiam fortè est verum, quod fuerint in orbibus ipsis producti, quibus erant deputandi. Nam cum pateat primum instans sui esse, cæperint moueri orbes, eorum impulsu: consentaneum erat, neque inferiùs esse productos, neque superiùs.

3300 Tertius Angelorum gradus est illorum, qui assistunt diuinę maiestati.

Tertius Angelorum gradus est illorum, qui assistunt diuinę maiestati, quorum est innumerabilis multitudo de quibus fortè accipiendum est, quod in præsenti articulo diffinitur; idque satis congruè. Primò secretior illa pars tabernaculi fœderis, quę dicebatur Sancta Sanctorum, significabat Cęlum Empyreum, quòd est propria beatorum sedes; vt colligitur ex Paulo ad Hæbreos 9. *Sed in illa secretiori parte collocati sunt Cherubim aurei, Exod. 25. ad denotandum illorum propriam sedem esse: ergo. Secundò etiam probatur: Nam post peccatum, statim Angeli de cęlo pulsi sunt; vt patet Isaię 14. & Lucę 10. at verò in epistola Iudę dicitur, quod Angeli peccatores perdiderunt proprium domicilium: ergo propria sedes illorum erat cælum. Tertio ex superiori articulo constat, Angelos creatos fuisse simul cum Mundo Corporeo: Sed nullus est conuenientior locus, in quo esse potuerint, quàm cęlum supremum: ergo ibi conditi sunt. Sed de hac re legenda sunt testimonia Sanctorum, quę extant apud Magistrum* in 2. d. 2.

3301 Conclusio Angeli creati sunt in cęlo Empyreo.

Conclusio. Angeli creati sunt in cęlo Empyreo. Ita Diuus Thomas, & eius interpretes, quos sequitur Auersa quęst. 61. sect. 3. *Ratio est, quia Angeli creati sunt, vt præsiderent mundo Corporeo tamquam nobilissima illius pars, oportuit ergo, vt collocarentur in nobilissima, & suprema mundi corporei parte, Quale est Cęlum Empyreum.*

Quod autem Rupertus, & alij, quibus subscribit Suarez lib. 1 cap. 4. *autumant, scilicet fuisse creatos in aliquo cęlo inferiori sydereo, & ibi peccasse, & postea in cęlum empyreum euectos esse bonos, sicut Adamus ab alia terra in Paradisum, malos verò detrusos in infernum, vt ita, labem non fuisse comissam in Cęlo purissimo, quale est emphyreum. asseratur: non obstat.*

3302 Obiectio. Resp. Adamũ fuisse creatum extra paradisũ, quia ex rebus corporeis procedit ad discursum.

Non primum, sumptum ex comparatione Adami, qui priùs fuit creatus in vna terra, & postea in Paradisum transportatus; quia homo, cùm ex rebus visis cognitionem accipiat, potuit eius animus diuerso modo immutari per illam diuersitatem regionum, tùm in ordine ad cognitionem, tùm in ordine ad proprium commodum, vt ita beneficium speciale agnosceret, quando in Paradisum transferretur: at cognitio Angeli ab initio fuit perfectissima; & ita, vt agnosceret beneficium loci, non indiguit illa experimentali diuersitate: Item, Eua fuit formata in Paradiso, igitur, & Angeli debuerunt creari in cęlo, vt in loco nobiliori tanquam nobilissimi spiritus.

3303 Nomine Cęli Isaias intellexit diuinitatẽ.

Neque secundum; quia si aliquid probaret, etiam concluderet, primos parentes non debuisse peccare in Paradiso, in quo peccarunt, qui erat locus destinatus omni voluptati. Neque locus Isai. 14. In cælum conscendam, *probat, fuisse Luciferum creatum infrà cęlum empyreum, nam etiam probaret, fuisse creatum infrà sydereum, propter alia verba.* Super astra Dei. *Nomine igitur cęli locus iste intellectus de Lucifero, intelligitur Diuinitas, vel aliquid simile diuinitati, aut nimius appetitus propriæ excellentiæ, vel quid simile, de quo plura dicemus, quando de peccato differemus.*

Hęc conclusio de omnibus Angelis intelligenda est.

Hęc autem conclusio de omnibus Angelis intelligenda est; Nam licèt Sanctus Thomas in solutione secundi, *asserat, non esse incommodum, asserere, aliquos Angelos minùs perfectos conditos fuisse in partibus cęlo inferioribus, propter quoddam Diu. Augustini testimonium, tamen verisimilius est, omnes in eodem loco, & cęlo conditos esse; tum quia omnes creati sunt per modum vnius Reipublicę, & corporis mystici, & cum subordinatione inter se, neque vlla probabilis disparitatis ratio assignari potest: nam inter bonos, & malos antè comissum peccatum non debuit fieri discretio; tum quia fuisset illis quędam pœna imposita ante culpam, tum quia locus confertur ab authore naturæ secundùm naturę, & gratię dispositionem, & dignitatem, & inter Angelos malos multi fuerunt perfectiones in naturalibus, & gratia.*

3304 Angeli licet pręsint cęlis, & elementis, in eis autem non sunt creati.

Nec tandem oportuit, vt Angeli, qui præsunt celis, & elementis inferioribus in eis crearentur, quia secundùm propriam dignitatem, & naturam creari debuerunt, & deinde in varia loca distribui quando reciperent ministeria; maximè, quia neque motus cælorum, neque formatio elementorum simul incepit, neque motus post diem iudicij durabit: qui verò, in aere angelos fuisse formatos, crediderunt ex falso fundamento, quòd scilicet Angeli habent corpora aerea, hoc opinati sunt; & ita super falsum fuit fundatum assertum de loco, vbi Angeli creati fuerunt. Et iuxta hanc conclusionem determinanda sunt, quia in notabilibus opinatiuè obseruatum fuit.

QVAE-

QVÆSTIO LXII. D.Th.

De productione Angelorum in esse Gratiæ, & Glorię.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angeli fuerint in sua creatione beati.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

PRima Concl. Angelus fuit creatus cum vltima sua perfectione, seu fælicitate, quam naturaliter assequi poterat. Prob. quia perfectionem huiusmodi Angelus nō acquirit, per aliquem motum, vel discursum; sed statim ei adest, propter naturę suæ dignitatem; hęc enim consistit in contemplatione optimi intelligibilis secundùm Aristotelem, 2. Concl. Vltimam verò perfectionem, siuè beatitudinem naturalem, quę facultatem naturæ excedit, Angeli non habuerunt statim in principio suæ creationis, Quia hæc perfectio non est intrinseca naturę, sed est naturę finis.

Arg. 1. *In lib. de Eccles. Dogm.* dicitur. Quod Angeli sint creati in Beatitudine, ergo. Resp. Beatitudinem in Authoritate dicta, accipitur pro perfectione illa naturali, quam habuit Angelus in statu innocentię.

Rrg. 2. Creatura corporalis statim in principio suę creationis fuit creata perfecta. ergo multò magis Angelus; sed formatio, & perfectio naturæ Angelicę est per Beatitudinem: ergo. Resp. verùm esse Antec. de illis perfectionibus, quę naturę spirituali conueniunt absque hoc, quod eas acquirere debeat absque propria operatione, vt sunt virtus germinãdi in Plantis, & Intellectus, ac species intelligibilis in Angelis: negandum verò, de his, quę conueniũt ei, media operatione; vt germinatio in Plãtis & Beatitudo supernaturalis in Angelis.

Arg. 3. Angeli in principio suę creationis statim cognouerunt Verbum, & res in Verbo, ex Aug. *super Genesim.* ergo. Resp. Angelos statim à principio suæ creationis habuisse cognitionem rerum in Verbo, non immediatam, & supernaturalem, sed mediatam, & naturalem, quatenus cognouerunt Verbum per eius similitudinem, in natura Angelica relucentem.

DISPVTATIO CCCXI.

Quotuplex sit beatitudo, & an manserit beatitudo naturalis in Angelis.

3350 Supponendo hic ex 12. quatuor, quę ibi tradit S. Th.

SVppenenda sunt hic multa, quæ de beatitudine tradit Sanctus Doctor in 1.2. quæst. 3. 4. & 5. *Ex quibus quatuor sunt præcipua. Primum est, beatitudinem formaliter, & essentialiter sumptam, esse operationem intellectus speculatiui principaliter, & practici secundariò. Secundum est, ad beatitudinis complementum requiri necessariò delectationem, seu fruitionem, quæ est actus voluntatis, cognitionem, seu visionem concomitans, siuè consequens obiectũ, in quo sita est beatitudo. Tertium est, de ratione beatitudinis esse, vt amitti non possit, vt probat* S. D. 12. qu. 5. art. 4. *Quartum est, nomen beatitudinis analogum esse, & multipliciter dici. Beatitudo namque dicit vltimam perfectionem intellectualis, seu rationalis naturæ; non est autem vna, sed multiplex rationalis, seu intellectualis naturæ perfectio vltima, igitur beatitudinem etiam esse multiplicem, est necesse.*

Quamobrem Deo conuenit beatitudo per essentiã; quoniam eius esse est operatio eius, nec aliquo alio, sed seipso tantùm fruitur. Angelis autem beatitudo conuenit naturalis, vt vltima perfectio naturalis secundùm vnam intellectus operationem in eis sempiternam, qua scilicet Deum per suam essentiam, vt speciem intelligibilem immediatè cognoscunt, & secundum vnicum, & perpetuum actum voluntatis, quo Deum super omnia diligunt tàm amore amicitiæ, quàm amore concupiscentię, vt patet ex supradictis quęst. 59. *Sed homini secundum statum vitę præsentis inest vltima perfectio secundum operationem, qua Deo per actum intellectus, & voluntatis coniungitur: Sed non potest actus intellectus, & voluntatis in statu vitæ præsentis esse continuus, per multiplices vitæ necessitates, & accidentia interciditur, & multiplicatur, & quandoque deperditur; & ideò non potest hominis hic viuentis esse perfecta beatitudo, vt ait etiam Arist.* in 1. Ethic. cap. 10. *At supernaturalis beatitudo nobis à Deo en altero vitæ statu promissa, in visione Dei quidditatiua, & immediata, ac perpetuò duratura consistens, erit absolutè perfecta. Hos gradus, siuè modos beatitudinis satis apertè significat Sanctus Doctor* in 1.2.q. tertia art. secundo ad 4. 3306 Quomodo Beatitudo naturalis conueniat, Deo, & Angelis.

Et his optimè consonat doctrina præsentis Articuli distinguis hic enim Sanctus Doctor duplicem beatitudinem, alteram naturalem, & alteram supernaturalem, dicens naturalem vuncupari quodammodo beatitudinem, eam autem, quæ supernaturalis est, absolutè nominat beatitudinem, significans, rationem beatitudinis huic soli perfectè conuenire, naturalem autem imperfectè tantum esse beatitudinem. Sed quoniam Angeli beatitudo naturalis media est inter beatitudinem hominis naturalem, & beatitudinem tàm Angeli, quàm hominis supernaturalem, & medium vni extremo comparatum videtur alterum, & eius rationem induit; vt patet in fusco, quod albo comparatum videtur nigrum, nigro collatum apparet album: ideò naturalis Angeli beatitudo humanæ secundùm statum vitæ præsentis comparata, videtur, & dicitur esse perfecta, sed alterius vitę beatitudini supernaturali collata, rationem, & nomen videtur amittere beatitudinis; ita vt non simpliciter, sed cum addito, scilicet quodammodo dicatur esse beatitudo, quia scilicet imperfecta valdè est; adeò, vt vestigium potius, & vmbra perfectè, & vera beatitudinis dici debeat, quàm beatitudo; quod multò magis dicendum est de beatitudine, quam sibi potest homo per vires naturæ comparare. 3307 D. Th. hic distinguit duplicem beatitudinem, alteram naturalem, superaturalem alterum.

Quòd autem Angelica beatitudo naturalis, humana secundùm statum vitæ præsentis comparata, nomen perfectę beatitudinis mereatur, probari facilè potest per omnes supra tactas beatitudinis conditiones discurrendo, consistit enim hęc naturalis Angeli beatitudo principaliter in speculatiua cognitione Dei superius explicata; secundariò verò in quadam perfectione notitię sui, & cęterarum rerum ad vniuersi ordinem pertinentium, & in morali rectitudine voluntatis, & delectatione, seù fruitione boni speculatiuæ, simul ac practicè noti, cum actus perpetuitate, ac immutabilitate, seù in amissibilitate semel habitę fœlicitatis: quæ conditiones partim sunt manifestæ ex supradictis quęst. 56. art. 3. & quęst. 60. art. 5. *& partim ostendentur infra* quæst. 63. art. 1. *vbi probabitur, Angelum in puris naturalibus consideratum non posse peccare.* 3308 Angelica beatitudo naturalis humanę comparata, nomen perfectę beatitudinis meretur.

Qua propter distinctio, quam hic affert Bannes, & Beatiudo na-

post

turalis angeli potest dupliciter considerari.

post eum Zumel, optima est; dicunt enim beatitudinem angeli naturalem dupliciter posse considerari: Vno modo secundùm se ipsam præcisè, prout scilicet est vltima perfectio intellectualis naturæ ad nullam superioris ordinis beatitudinem ordinata, & sic amitti nõ potest, eo quod angelus in puris naturalibus consideratus, peccare non possit. Alio modo sumi potest naturalis Angeli beatitudo, vt ad supernaturalem felicitatem ordinata; sicut de facto fuit in angelis ab ipso creationis initio, & ita potest amitti; sicut etiam actu fuit, in quibusdam amissa per quandam veluti concomitantiam ad amissionem supernaturalis beatitudinis, hac enim amissa miser efficitur angelus absolutè repugnat autem eundem simul esse miserum, & beatũ.

3309 In angelis peccatoribus non mansit rectitudo, quàm exigit beatitudo naturalis.

Et quamuis integra manserint angelis bona naturalia ad constitutionem, aut perfectionem merè naturalem pertinentia, vt intellectus, voluntas, habitus naturales, & operationes circa obiecta connaturalia, aut naturaliter proportionata: vt cognitio rerum naturalium speculatiua per species inditas, & dilectio Dei naturalis, alia tamen bona particularia ad mores pertinentia, vt practica, rei nunc agendæ cognitio, amor rectus moralis rectitudine, perdiderunt; ac proinde nec beatitudo naturalis, quæ rectitudinem exigit voluntatis, manere potuit in angelis peccatoribus.

DVBIVM VNICVM.

An Angeli beatitudinem naturalem, ac supernaturalem in exordio suæ creationis adepti sint, & An ad hoc gratia indiguerint.

3310 Nota 1. *Duos fines vltimos distinguimus in angelis, sicut & in hominibus.*

SVpponimus duos fines vltimos, duosque ordines, seu rectitudines bonorum actuum distinguendos esse in angelis, sicut, & in hominibus, qui ex natura sua aliquem finem vltimum habent suæ naturæ proportionatum, ac suo modo debitum, vltrà quem additus fuit finis supernaturalis Visionis Beatæ; quamquam sola supernaturalis beatitudo dici potest simpliciter finis vltimus, quia omnis naturæ perfectio ad illam ordinatur, quibus duobus finibus duo ordines mediorum, & actuum respondent, quibus ad illos tenditur, scilicet ordinis naturalis, & supernaturalis: Vnde consequenter duplex solet distingui gratia, siue donum gratuitũ, & auxilium; alia supernaturalis ordinis, quæ in sua entitate talis est; alia ordinis naturalis in sua entitate, data tamen gratuito, scilicet vltrà debitum naturæ, vt si in pura natura voluisset Deus, Angelum perfectè beare, vt dicemus.

3311 Nota 2. *Dupliciter posse hanc beatitudinem naturalem considerari, vno modo perfectè.*

Supponimus secundò, dupliciter posse hanc beatitudinem naturalem considerari, vno modo perfectè intrà gradum naturalem, quæ consistit in cognitione Dei abstractiua, quatenus ex creaturis elici potest, adiuncto simul amore Dei naturali super omnia, qui siue sit, siue nõ sit necessarius, potuisset tñ semper illum habere Angelus cum gaudio absque tristitiæ admixtione, simulque cum rectitudine voluntatis, & carentia cuiuslibet peccati, timorisque illud perpetrandi propter potestatem moralem nõ peccandi; quæ omnia licet aliquam gratiam naturalem includant eo modo, quo dicitur gratuitum donum creationis, tamen in entitate sua nihil includit supernaturale, nam ea omnia potuissent præstari per auxilia ordinis naturalis, & specialem Dei prouidentiam in ordine naturali, & est valde verisimile, si Deus decreuisset creare angelum in pura natura sine euectione ad finem supernaturalem, huiusmodi fælicitatem conferendam fuisse illi in præmium bonorum operum, & obseruationis legis naturalis. Et hoc modo certum est, non fuisse de facto adeptos angelos hanc beatitudinem in principio suæ beatitudinis; quæ nec dum bona eorum opera præcesserant, quibus in præmium conferetur, nec illam habuerunt inamissibiliter, quæ est vna ex præcipuis conditionibus perfectæ beatitudinis, cùm illam mali angeli peccando amiserint; nec conueniebat pari, quia erant viatores; illa autem fælicitas est propria termini, ad quem angelus in purà natura perueniret.

3312 *Alio modo beatitudo naturalis potest considerari, quatenus consistit in aliqua abstractiua cognitione Dei.*

Alio modo potest considerari hæc beatitudo naturalis; quatenùs solùm consistit in aliqua abstractiua cognitione Dei, & naturali eius amore super omnia, alijsque actibus virtutum, licèt possit peccare, & virtutes amittere, quæ licet non sit perfecta beatitudo naturalis, est tamen aliqualis; quia mediante cognitione Dei possidetur ille aliquo modo, & vnitur voluntati medio amore, & actibus aliarũ virtutum. Sic Arist. 10. Eth. cap. 7. & 8. constituit beatitudinem hominis in contemplatione Dei, & Boætius dixit, beatitudinem *Esse statum omnium bonorum aggregatione perfectum*, quod in vnoquoq; rerum ordine secundum illius capacitatem intelligendum est, & de hac in præsenti inquirimus, an illam habuerint angeli in principio suæ conditionis? & an ad illam gratia indiguerint.

3313 *1. Concl. angeli habuerunt in initio suæ creationis imperfectam beatitudinem.*

Dicendum est primò, Angelos in initio suæ creationis habuisse hanc imperfectam beatitudinem naturalem. Ita Sanctus Thomas in art. 1. huius q. vbi Caiet. Molina, Bannes, & Zumel, Auersa *q. 62. sect. 1.* Granados, & communiter interpetres; nam licet Vasquez *disputat. 226. cap. 1.* negat, angelis huiusmodi beatitudinem, loquitur de beatitudine naturali perfecta, de qua hic non agit Sanctus Th. sed de imperfecta, quam in re non negauit ille author, cum admittat fuisse in angelis aliquid, quod perfectæ beatitudini assimiletur. Scot. *in 2. d. q. 9. & d. 9. q. 1.* idem admissit Durand. *ibi q. 1.* Maion. ibid. *disp. 1. concl. 1.* & Suarez *lib. 1. cap. 11.* & sumitur ex Diuo Augustino multis in locis *lib. 11. de Genes.* ad litter. *c. 16. & 11. de ciuit. c. 11.* vbi ait, angelos ita creatos esse, *Vt statim sapienter, beatèque viuerent, licèt non statim excellentiam sapientiæ, beatæque vitæ acceperint*. Idem probatur ex Fulgentio de fide ad Petrum cap. 3. vbi ait de malis angelis, *Pars Angelorum, quæ a suo creatore Deo, quo solo beata fuit, voluntaria prorsus occasione discessit*.

3314 *Probatur ratione.*

Et probatur ratione; quia angelus, cùm primum conditus est, cognouit naturaliter Deum; non enim potuit se ipsum cognoscere, quin Deum eadem cognitione cognosceret. Rursus, cum ex infra dicendis constet, Angelum in ipso suæ creationis exordio habuisse actum supernaturalem amoris Dei super omnia, & aliarum virtutum, verisimile etiam est, habuisse alios naturales eisdẽ proportionatos, quia nil erat, quod illos impediret, & aliunde diuina bonitas, & beneficiorum magnitudo eos ad huiusmodi actus incitabant, sed de his consistit beatitudo naturalis imperfecta angeli, igitur illam à principio habuerunt.

3315 *2. Concl. Ad hanc beatitudinem naturalẽ consequendã, nulla propria gratia necessaria fuit angelis.*

Dicendum est secundò, ad hanc beatitudinem naturalem consequendam, nulla propria gratia necessaria fuit angelis. Ita Diuus Thomas *in hac qu. 2. argumento primo, & secundo cum solutionibus, & 1. 2. q. 109 a. 1. 2.* & sequentibus hoc docet de homine in statu innocentiæ, sed est eadem, & multò maior ratio de angelo; ergo, Probatur ratione eiusdem D. Thomæ, quia angelus ad actus ordinis naturalis, in quibus consistit finis naturalis, non indiget gratia ordinis supernaturalis; & quamuis ad consequendam beatitudinem naturalem perfectam indiguisset aliqua gratia ordinis naturalis, si fuisset conditus in pura natura, vt superius diximus, ad consequendam imperfectam, quam habuit per breue tempus non indiguit hac gratia naturali, igitur nulla indiguit: antecedens probatur, quia ad ea, quę naturalia sunt, gratia supernaturalis non potest esse per se necessaria, cùm sine principijs supernaturalibus naturales actus possint exerceri in suo ordine perfecti, & si aliqua necessitas illius gratiæ ex parte obiecti oriri soleret, est ex aliqua speciali difficultate, vt in nobis ex natura corrupta ex infectione peccati, quod non habet locum in angelis, & ita Diuus Thomas Concilia, & SS. PP. gratiam in nobis ex duplici titulo necessariam astruunt, & ex improportione actuum supernaturalium ad vires naturales, & ex impedimento naturæ corruptæ ad actus naturales, in quibus est specialis difficultas, vt late traditur in materia de gratia.

Dicendum

3316 *3. Conclusio angeli euecti ad supernaturalē beatitudinem, indiguerunt auxilijs gratiæ.*

Dicendum est tertiò, Angelos, prout de facto ad supernaturalem beatitudinem euecti sunt, gratia, supernaturalibus donis, & auxilijs ad illam consequendam, indiguisse. Ita Diuus Thomas, & omnes Theologi in hac *quæstione art. 2.* Et probatur primò authoritate PP. ex Grecis Basil. *lib. de Spiritu Sancto cap. 6. & in psal. 32.* Noster Cyrill. Hierosol. *Cathec. 16.* Dydimi *libro 1. de Spiritu Sancto parum ab initio*, Damasc. *lib. 2. cap. 3.* Et latinis Ambros. *in psal. 118. octonario 8.* August *lib. 12. de ciuitate cap. 9.* vbi gratiam excitantem, & operantem, dicit, fuisse in Sanctis Angelis necessariam, & ideò de illis intelligendum est illud Pauli *ad Roman. 5. Gratia Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum; & lib. de correp. & gratia cap. 11 & 12.* Fulgent. *de fide ad Petrum, & cap. 3. & lib. 2. ad Trasimund. cap. 2. & 3.* Isid. *lib. 1. de summo bono cap. 10.* Bedæ *in psalm 32.* Anselm *lib. de casu Diaboli*, Bernard. *Serm 22. in Cantic.* & communiter PP. qui testimonia scripturarum, quæ necessitatē gratiæ in hominibus astruūt de angelis intelligenda esse, dicunt: Vnde hæc veritas tamquam certa, & dogma orthodoxum ab omnibus est recepta.

3317 *Prob. ratione quia media debent esse proportionata fini*

Probatur ratione Sancti Thomæ *in articulo secundo huius quæstionis*, quia media debent esse proportionata fini, igitur supposita euectione Angelorum ad finem supernaturalem, quæ est de fide; nā plures Angeli sunt modo Beati hac supernaturali beatitudine, non fuissent autem illā adepti nisi diuino munere Angelos Deus euexisset ad hanc fęlicitatem, quæ comparatione intellectus humani, & Angelici, imò, & cuiuscumque creati, & creabilis supernaturalis est, *vt q. 12.* de visione Dei *in priori tomo* latè probauimus: supposita, inquam, hac euectione ad finem supernaturalem, media debuerunt esse tàm in hominibus, quā in Angelis actus liberi, morales, & supernaturales, atque adeo propter illos gratia propria ordinis supernaturalis necessaria fuit.

Gratia varia est habitualis &c.

Cùm autem hæc gratia sit varia, scilicet habitualis, & actualis varia auxilia antecedentia, concomitantia, seu adiuuantia, sufficientia, & efficacia includat; habitualis vero gratiam sanctificantem, virtutes, ac dona per se infusa, quæ communia sunt hominibus, & angelis, ideò hic à longiori disputatione abstinemus, & in propria loca primæ secundæ, & 2. 2. remittimus, solùmque nunc astruimus, angelis, sicut, & hominibus omnia illa gratię dona, & auxilia fuisse necessaria inchoata in via, consummata in patria, quæ in sequentibus magis dilucidabuntur in particulari, & si quid diuersum est in Angelis, & hominibus, attingatur.

3318 *Petes.*

Petes. *An Beatitudinem supernaturalem, siuè gloriam Angeli à puncto Creationis obtinuerint.*

Resp. Beatitudinem supernaturalem distingui, in ea; quæ est viæ, & Patriæ.

Resp. quòd Beatitudo supernaturalis solet distingui in eam, quæ est viæ, & in eam, quæ est patriæ. Prima dicitur inchoata: Secunda consummata; prior consistit in cognitione Dei per fidem, quæ cū charitatis dilectione coniuncta esse debet, & de hac dicemus in Disputationibus sectionibus, in præsenti solùm loquimur de beatitudine consummata patriæ, & de hac quærimus, àn Angeli in primo instanti illam habuerint. Ludouicus viues *in cap. 9. lib. 11. de ciuit. Dei* asseruit, Angelos bonos ab initio Dei essentiam vidisse, & in ea visione perseuerasse, Bannes *ad art. 1. dub. 2.* hoc tribuit Alexand. *2. part. q. 24.* memb. & Gregor. in 2. d. 4. q. 1. licèt solū per modū transeuntis, sed neuter illorū hoc asseruit.

3319 *Cōclusio. nullus Angelus ab initio suę creationis fuit beatus Probatur.*

Dicendum est tamen, nullum Angelum ab initio suę creationis fuisse beatum supernaturali Beatitudine patriæ consummata, nec Deum in se vidisse etiam transeunter. Ita Diuus Thomas, & omnes eius Interpretes, Caetan. Bannes, Zumel, Molina, Valentia, Vasquez, & alij, vt Suarez *lib. 5. cap. 2.* Auersa *q. 62. sect. 1.* Granados *hic in hoc articulo* magister *in 2. d. 4.* quem omnes Scholastici secuti sunt. Probatur; quia de ratione perfectæ beatitudinis est inamissibilitas, imo, & scientia, quod nunquā defutura sit, vt sepius docet Augu. præcipuè lib. 11. de ciuit. cap. 13. vbi ait explicans, in quo perfecta beatitudo consistit, *vt & bono incommutabili, quod Deus est, sine vlla molestia perfruatur, & in eo se in æternum esse mansurum, nec vlla dubitatione cunctetur;* & lib. de Correpț. & gratia cap. 10. *Hoc de fuisse*, inquit, *Angelis malis, antequam caderent, vt perfectè beati dicerentur, vt scilicet cadere vlterius non possent, & hoc de se certissimè noscent, hanc plenitudinem beatitudinis non habebant;* licet fateatur, habuisse aliquam beatitudinem; scilicet viæ; igitur, cum Angeli, qui postea ceciderunt, amiserint etiā beatitudinem viæ, quam in cælo habebant, nec suæ perseuerantiæ certitudinē habuerint, non fuerunt perfectè beati.

3320 *Instabis*

Dices, hoc probare de perfecta beatitudine, quæ datur per modum permanentis, non verò per modum transeuntis, quia tunc non est de ratione eius in amissibilitas; sicut multi existimant, in hac vita Moysen, & Paulum vidisse diuinam essentiam.

Resp. hoc esse contra D. Aug. asserentem, Dęmonem nunquam gustasse gaudium beatę vitæ.

Sed hoc est contra August *lib. 11. de Genes. ad lit* cap. 23. *& lib. 11. de ciuit. cap. 11.* vbi ait. *Dęmonem nunquam gustasse gaudium beatę vitę*; tum quia Deus rarissimè concessit hoc priuilegium, & personis selectissimis ad æternam salutem prædestinatis, & propter magnum ecclesiæ bonum, quorum nullum in magis Angelis reperitur; tum etiā quia ille modus videndi Deum miraculosus est, & præter naturā illius visionis, quæ natura sua perpetua est, igitur tale miraculum, & beneficium nō est affirmandum sine fundamento authoritatis, & rationis. Idem etiam de Angelis, qui permanserunt, asserendum est, tum quia conditioni viatorū, quales omnes erant, magis cōgruit certitudo perseuerantiæ; tum etiam quia inter eos, qui peccarunt plures creati fuerunt maiori sanctitate insigniti, quàm plures alij, qui permanserunt, igitur minus consentaneum erat reuelari isti perseuerantiam, & non illis, pręsertim cum hæc reuelatio fuisset maxima gratia.

3321 *Prob. 2. Concl. nam de ratione perfectę beatitudinis, est impeccabilitas*

Secundò; quia, & est ratio generalis tàm in bonis, quā in malis Angelis de ratione perfectę beatitudinis est, reddere beatum impeccabilem, sed nullus Angelus creatus est impeccabilis, igitur nullus in sua prima creatione fuit beatus: minor probatur; quia multi angeli, & inter eos Lucifer fortè pręstantissimus, peccauerunt, eadem autem est ratio cęterorum; alioqui omnes S. angeli superassent Luciferum in dono impeccabilitatis, quod magnum est in esse gratiæ. Et confirmatur; quia, vt postea videbimus, omnibus angelis impositum est præceptum, vt qui illud seruarent. præmio afficerentur, qui verò transgrederentur, supplicijs eternis addicerentur, igitur omnes erant capaces meriti, transgressionis, & peccati.

Confirm. quia Beatitudo supernaturalis non fuit debita Angelo.

Ratio autem moralis quasi à priori huius, quod pendet à libera voluntate Dei, est ea, quam indicauit S. Th. quia cum beatitudo supernaturalis patriæ fuerit aliquid non debitū angelo, & terminus, *ad quē*, accedere oportebat medijs bonis operibus, quibus eam mereretur, non decuit, illā cōferre angelo in initio, donec per aliquā durationis moram in via, & meritis gradientes, postea consequerentur tantā fælicitatē præuio labore, & merito: conditio enim viatorum exigit prius tendere ad terminū, & postea in illius adeptione delectari, solusq; Christus Dñs ab instanti suę incarnationis fuit beatus; quia non fuit omninò viator, nec visionem beatam propter merita obtinuit, quia illi ratione vnionis hypostaticæ tanquam proprietas debebatur, de quo plura in 3. p. Deo dante disseremus.

3322 *Obiectio ex pluribus SS. PP Authoritatibus effecta.*

Sed contra hanc conclusionem vrgent aliqua testimonia PP. & in primis August. multis in locis, in quibus insinuat, angelos in primo instanti creationis vidisse Deū; primo. n. vbicūq; agit de cognitione matutina angelorū, hoc indicare videtur: per cognitionē autē matutinā intelligit cognitionē rerū in Deo clarè visũ, vt patet *ex 4. de Genes. ad litt. cap. 24.* vbi loquitur de visione *Dei*, & eadē loquitur *lib. 11. cap. 26. Et lib. 2. cap. 8.* loquēs de angelis inquit. *Ex quo facti sunt, ipsa verbi æternitate, Sancta, & pia contemplatione perfruuntur*, & lib. t. 11. de Ciuitate capitolo 9. ait. *Partem ciuitatis Dei*, quæ

quæ ex Angelis constat, eò fuisse beatiorem, quò nunquam peregrinata est, ergo sentit, nunquam fuisse viatores, quorum est proprium peregrinari a Domino iuxta illud 2. Corrinth. 5. *Dum sumus in corpore peregrinamur à Domino, per fidem enim ambulamus*, Sed semper fuisse comprehensores, & vidisse Deum, & *lib. de correp. & gratia cap.* 10. ait. *Diabolus, & Angeli eius beati erant, antequam caderent*, & in alijs locis. Item Isidor. *lib.* 1. *de summo bono cap.* 10. ait. *Angelos bonis operibus meruisse perseuerantiam in beatitudine*, ergo eam ab initio habuerunt; & Sanctus Gregor. *hom.* 7. *in* Ezechiel ait, *Angelos bonos cadentibus alijs perstitisse in sua beatitudine*. Similia habet Didymus *lib. de Spiritu Sancto col* 9. apud S Hieronym. *Tom.* 5.

3323 *Resp. ad D. Augustinū, & ad alios Patres* Ad Augustinum. Respondeo, illum nullibi docuisse, angelos habuisse cognitionem matutinam in primo instanti suæ creationis, sed tantùm quòd illam in primo die habuerint post vespertinam cognitionem; imo, & post relationem eius ad Deum, vt colligitur ex eodem Augustino *lib.* 11. *de Ciuit. cap.* 7. & 9. Ad alium locum *lib.* 2. *cap.* 8. Respondetur, vel loqui ibi de aliquali beatitudine non omnino perfecta, quam in via habuerunt; vel si de perfecta loquitur ly *Ex quo facti sunt*, Solum significat, Breuissima duratione transacta, fuisse beatos, quod verum est. Ad tertium testimonium. Respondetur, propterea dici, Sanctos Angelos nūquam peregrinatos fuisse, quia nunquam à Deo per peccatum recesserunt, vt explicant Suarez, & Vasquez, non enim est necesse, vt verbum *peregrinandi* sumatur ab Augustino in eo rigore, quo à Paulo; quia vterque vsus metaphoricus est, & potest varijs modis accipi; sic enim dicitur filius prodigus peregrè profectus in regionem longinquam, quando à Patre recessit. In vltimo loco, sicut, & alijs multis August. loquitur de beatitudine viæ minus perfecta, vt ex alijs eius locis clarè constat eius mens.

3324 *Ad alia testimonia Resp.* Ad alia testimonia Patrum, Respondeo, vsurpasse nomen beatitudinis minùs strictè, quàm significat visio Dei, vt in se est, sed solùm pro cognitione abstractiua, & amore supernaturali simul cum naturali rectitudine, & carentia omnis rebellionis, & peccati, quæ omnia Angeli habuerunt in sua creatione: Sic etiam *Augustin.* 14. *de Ciuit. cap.* 17. loquens de primis parentibus in statu innocentiæ dixit, ipsos in paradiso ante peccatum fuisse beatos: Vbi nomine beatitudinis, certum est, non significasse claram visionem Dei cum cæteris, quæ ad perfectum beatitudinem requiruntur, quæ incompatibilia sunt cum statu viæ, & meriti.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Angelus indiguerit gratia, adhoc, vt conuertatur in Deum.

SVMMA ARTICVLI D. Th

Conclusio affirm. Prob. Voluntas creata non potest ferri in id, quod est supra naturam volentis, nisi adiuta aliquo alio naturali principio. Quia motus naturalis voluntatis se extendit solùm ad id, quod est conueniens secundùm naturam. Sed vltima creaturæ intellectualis beatitudo excedit facultatem cuiuslibet naturæ creatæ; ergo.

Arg. 1. Ad ea, quæ naturaliter possumus, gratia non indigemus. Sed Angelus naturaliter conuertitur in Deum, quia naturaliter Deum diligit, vt patet ex dictis. ergo, Resp. ad min. quòd Angelus diligit Deum, inquantum est principium naturalis esse, nō inquantum est beatificans per visionem suæ essentiæ.

Arg. 2. Ad ea tantùm videmur indigere auxilio, quę sunt difficilia. Sed conuerti in Deum, non est Angelo difficile; ergo. Resp. neg. min. quia beatitudo vltima est Angelo difficilis, quia transcendit potentiā angelicam secundùm sui naturalē ordinē.

Arg. 3. Conuerti ad Deum, est, se ad gratiam præpararare. Ex Zach. 1. Sed Nos nō indigemus gratia ad hoc, vt nos ad gratiam præparemus. ergo. Resp. ad ma. quòd si sermo sit de conuersione in Deum perfecta, quæ est creaturæ, iam Deo fruentis; quæ exigit gratiam consummatam; vel de conuersione, quę est meritum Beatitudinis, & exigit gratiam habitualem; hęc duplex cōuersio, non est gratię præparatio, sed vtraq; præsupponit pręparationem gratię. Si verò sermo sit de conuersione, per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam; ad hanc non exigitur gratia habitualis, sed operatio Dei ad se animam conuertentis; & hic est status; Vnde non fit processus in infinitum.

DISPVTATIO CCCXI.

An angeli in primo instanti creationis habuerint motum voluntatis, quo se ad gratiam præuenerint.

Controuersia hæc, grauissima est, & quę plures habet sinus, qua indigemus, vt Sanctissime Præceptoris Doctrina explicetur in hoc articulo: eritque quasi pręambula disputatio ad futuras huius quæstionis. Et Primo suppono, sermonem esse, & institui de motu voluntatis, qui est dilectio Dei super omnia, quo perfectè voluntas conuertitur in Deum: non .n. est sermo de dilectione Dei, prout est finis naturalis, & beatitudinis naturalis obiectum. Suppono enim Angelos bonos habuisse actum: per illum tamen non se præparasse ad gratiam. Quia talis actus est inferioris ordinis: dispositio autem debet esse eiusdem ordinis cum forma. Eo pręsertim, quòd secundum fidē catholicam homo non potest per sua naturalia satis se ad gratiam præparare: sicut neq; gloriam mereri. Et quidē eadē est in angelis ratio: aliàs in illis gratia non esset gratia, vt arguit Apostolus. Illam autem dilectionem possunt habere per naturalia: & nos loquimur de dilectione Dei, vt est finis, & obiectum super naturale. 3325 Nota sermonem esse de dilectione Dei, prout est finis supernaturalis.

Supponere ergo etiam oportet, Angelum non posse per naturam hanc dilectionem supernaturalem habere, prout necessaria est ad consequendam gratiam; sed tantum ex auxilio gratiæ: vt patet in materia de gratia. Nam præparatio ad gratiam non potest fieri per vires naturales. Rursus Angeli, vt fiat vitæ æternæ hęredes, debent diligi à Deo *supernaturaliter, & recipere gratiam habitualem, qua fiant proportionati illi beatitudini: ergo & ipsi etiam debeant diligere Deum supernaturaliter: ergo ex auxilio gratię. Vnde, Augustinus dixit* 12. de ciuit. cap. 9. *illud ad Romanos* 5. Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis; *verificari etiam de angelis. Deinde, angelus in cognitione supernaturali indiget auxilio gratiæ, vt ostendemus infra: ergo etiam in dilectione.* 3426 Nota 2. Angelum naturaliter nō posse habere hanc dilectionem Dei supernaturelem.

Prima conclusio. Angeli omnes in primo instanti suæ creationis habuerunt dilectionem Dei supernaturalem. Ita docet Sanctus Thomas locis commemoratis: & Augustinus vbi supra. Sic .n. ait: Bonam voluntatem in angelis quis fecit? nisi ille, qui eos cum bona voluntate, idest cum amore casto, quo illi adhęrent, creauit? Simul eis condens naturā, & largiens gratiam. *Vnde, sine bona voluntate; hoc est, Dei amore, numquam Sanctos Angelos fuisse, credendum est. Idem etiam sentiant Sancti superiùs citatis, & citandi etiam à nobis infrà. Et colligi etiā* 3327 Prima Concl. Angeli omnes in primo instanti suæ creationis dilexerunt Deū super omnia.

potest

potest ex prædicto loco Ezechiel 28. vbi apertè significatur; primum Angelum non solum fuisse perfectũ in actu primo: sed etiam, & habuisse actualem Dei cognitionem, & amorem. Et ratio esse potest. Quia in illo primo instanti angelus habuit supernaturalem cognitionem Dei: ergo, & amorem. Nam non est maior repugnantia in hoc, quàm in illo. Neque erat impedimentum aliquod, quòd Angelum detinere posset nè perfectè tenderet in illud summum bonum, quod cognoscebat, ad quod etiam habebat magnam propensionem; & specialiter mouebatur Angelus, tùm ab authore gratiæ, qui perfectissimè omnia operabatur, in bonũ supernaturale ordinando.

3328 2. Concl. omnes angeli in primo instanti meruerunt de condigno.

Secunda conclusio: Omnes angeli in primo instanti per illum actũ meruerant de condigno. Prob.: Quia omnes angeli erant in gratia: & ille actus de se erat proportionatus ad merendũ, & erat sufficienter liber ad meritũ. Quia adhoc sufficit libertas quoad exercitiũ: vt patet in B. Virgine, & Apostolis. Et ratione etiam liquet. Quia per hanc libertatẽ est aliquis dominus sui actus. Sed obijcies. Contra. Nam ille primus actus tribuitur authori naturæ, vel gratiæ, teste D. Th. q seq. a. 6. Resp., quòd non ita tribuitur Deo, quin etiã tribuatur angelo, tanquã verè elicienti illũ actũ: Et hoc sufficit ad meritũ. Quomodo autẽ Deo tribuatur, explicabitur inferiùs. Sed dubitabit aliquis, quid meruerint per illum actum.

Resp., non primã gratiam; quia hæc non cadit sub merito naturę secundũ fidem. Neq; augmentũ gratiæ; quia gratia, & charitas solum fuerunt infusę Angelo adęquatè secundum proportionẽ actus. Meruerunt ergò gloriã, & beatitudinẽ essentialẽ. Et constat hoc ex sufficienti partium enumeratione: & quia homo per actũ contritionis meretur primam gloriam; licèt non primam gratiam.

3329 Hæc conclusio communis est inter Thomistas.

Profectò conclusio hæc communis est inter Thomistas, vno excepto Capreolo. Quam tenet Caiet. hic, & Ferrariensis 3. contra Gent. c. 100. & D. Th. quodlib. 9. a. 4. & infra q. 63. a. 5. ad 3. & 4. & a. 6. Vbi affirmat, Angelos meruisse beatitudinẽ supernaturalẽ in primo instanti, sed respondet Capreol. meruisse quidem non propriè, sed impropriè: nempè, quia ratione gratiæ digni sunt gloria. Vt si dicas, paruulum baptizatum meruisse gloriam. Sed hoc est apertè contra D. Th. quia est improprius modus meriti, & insitatus apud illũ. Et prętereà, quia D. Th. apertè explicat, quòd meruerunt per conuersionẽ liberã. Sicut meruit anima Christi in primo instanti. Vnde, secundò respondet Capreolus, quòd meruerunt angeli tunc per dilectionẽ Dei naturalem, quæ erat à supposito grato. Cæterũ, Doctor Sãctus apertè loquitur de angelis, sicut de anima Christi. Et a. 4. seq. ad 2. dicit, quod Angeli conuersione naturali non meruerunt: quia omninò est necessaria, & quia illa secundum se, seclusa relatione formali, vel virtuali charitatis, non est meritoria. Sed meruerunt conuersione Charitatis, quæ est per gratiam.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Angeli sint creati in gratia.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

Conclusio. Probabiliùs, & dictis Sanctorum magis consonum est, dicere, quòd Angeli fuerunt creati in gratia gratum faciente. Prob. Creatura corporalis fuit creata cum ratione seminali ex Augustino; ad naturales effectus producendos. ergo & natura angelica fuit creata in gratia. quia sicut se habet ratio seminalis ad effectus naturales, ita se habet gratia ad beatitudinẽ, & ideò gratia dicitur semen. 1. Ioa. 3.

Arg. 1. Natura Angelica primò fuit informiter creata, ex Aug. 2. super Genesim ad litteram. ergo Natura Angelica prius fuit absq; gratia. quia formatio naturæ Angelicæ fit per gratiam. Resp. verum esse antec. de informitate, quę opponitur formationi, quæ fit per gloriam; quia Angelus non fuit creatus beatus. Neg. verò de informitate, quę opponitur formationi, quæ fit per gratiam.

Arg. 2. Si Angeli fuissent creati in gratia, nullus eorũ fuisset à Deo auersus, quia gratia inclinat rationalem creaturã in Deũ. hoc autem est falsum. ergo. Resp. neg. seq. Ad prob. dicitur, quòd omnis forma inclinat suum subiectum secũdùm modum naturę eius, modus autem naturę intellectualis est, vt liberè feratur in ea, quæ vult.

Arg. 3. Angeli non fuerunt creati beati: ergo neq; in gratia. quia gratia est media inter naturã, & gloriã. Resp. neg. conseq. & ad prob. quò quãuis gratia sit media inter naturam, & gloriam, ordine naturæ; ordine tamen temporis, gloria non debuit esse simul cum natura, quia gloria est finis operationis ipsius naturę per gratiam adiutę. Gratia verò non se habet vt finis, quia nõ est ex operibus; sed vt principium operandi, proptereà &c.

DISPVTATIO CCCXII.

An Angeli in primo exordio creationis habuerint gratiam habitualem.

IN primo instanti suę creationis, Angelos non habuisse gratiã habitualem senserunt Henric. quodl. 8. q. 10. Bonau. in 2. d. 4. q. 2. Argent. q. 1. a. 2. Riccard. a. 2. q. 2. Alex. 2. par. q. 19 memb. 2. Albertus Mag. apud Carthus. in 2 d 4 q 2. Magister in 2. d. 5. Hugo de S. Victore in sum. sentent. tract. 2. c. & lib. 1. de Sacram. p. 5. Aegid. q. 1 a. 4 Bas. ol. q. 1. a. 3. Gabr. problematicè defendit, & eodem modo procedit Scot. d. 4. q. 1. Marsil. in 2 q 4. a. 2. 3330 Opinio Negatiua.

Probatur primò ex illo Io. 3. Diabolus ab initio peccat. ergo ab initio non fuit conditus cum gratia habituali, quæ simul esse cum peccato repugnat. itẽ ex illo Iob. c. 4. Et in angelis suis reperit prauitatẽ, iuxta veritatẽ hęreticã legendu est. Et in angelis suis non posuit laudẽ, vel lucem. nomine autẽ laudis, vel lucis, nil aliud videtur posse significari nisi gratia. 1. Obiectio.

Secundò probari potest authoritate SS. PP. & in primis Io. Papa in c. visis litteris 16. q. 2. agens de Dæmone inquit, Dolet satis, & erubescit, charitatẽ, quã nequiuit de cælo habere, homines constantes ex lutea materia tenere in terris; & D. Gr. 32. moral. c. 18. aliàs 25. vbi ait, Luciferũ conditũ fuisse capacẽ charitatis, quasi repleri voluisset, stantibus angelis tanquã positis in Regio ornamẽto lapidibus, inhęrere potuisset. Item August. qui in hoc puncto varius fuisse videtur, pręcipuè in explicatione principij Gen. nã in primis docet in illis verbis. In principio creauit Deus cælũ, & terrã, nomine cæli intelligi angelos quoad eorum substantiã informem, in illis verò. Fiat lux, intelligi eosdẽ angelos, vt per gratiã formatos; primo de Genes. ad lit. c. 3. & 17. & lib. 2. c. 7. & lib. 4. c. 21. & 24. & lib. 7. de corrept. & gratia c. 10. asserit, ita Deum hominum, & Angelorum vitam ordinasse, vt in ea priùs ostenderet, quid posset eorum arbitrium, deinde quid posset suę gratiæ beneficium. 2. Obiectio.

Tertiò probatur ratione; quia si angeli in prima creatione gratiã sanctificantẽ habuissent, nunquã postea peccassent, cum angeli non possint cadere ab eo statu, quem semel habent, vtpotè inflexibilis arbitrij. Et confirmatur, quia, si Angeli habuissent gratiam, etiã habuissent charitatem, ac proinde Deum super omnia dilexissent, atque adeò præceptis Dei obtemperare efficaciter voluissent, quia hoc est proprium charitatis, igitur postea diuinam legem non voluissent: hoc enim fuisset mutare sententiam, & in oppositam parte flecti, quod est contra naturam angeli. Confirmatur secundò; 3. Obiectio.

dò, quia non fuit expediens, gratiam dari cum natura, ne videretur esse natura debita: item, cum gratia sit media inter naturam, & gloriam, videtur congruum, vt prius fuerint in plura natura creati, & postea gratiam, tandem gloriam obtinuerint. Confirmatur tertiò, quia frustra data fuisset gratia in primo instanti angelis cum in illo non dum possent deliberare. Ex quibus rationibus constat, Authores citatos sentire, angelis datam esse gratiam in statu viæ, licèt non in primo instanti; quamuis Rupertus secutus Greg. lib. in Genes. cap. 16. Magist. in 2. d. 5. Altisiod. lib. 2. summus tract. 1. & tract. 2. in principio senserint, angelos malos numquã gratiam habituale fuisse adeptos.

3331 Concl. Angeli in prima creatione, acceperunt gratiam habitualem.

Dicẽdum est tamen, angelos in prima eorum creatione, accepisse gratiam habitualem. Ita S. Thomas in art. 3 huius quæstionis, vbi Caiet, Molina, Zumel, Vasquez, Bannes, & Valentia, qu. 3. puncto 1. Suarez lib. 5. cap. 4. Auersa q. 62. sect. 2. & ex antiquis Alber. Magn. in lib. de coænis, & in summ. 2. p. tract. 4. Capreol. 2. d. 4. q. 1. a. 3. ad argumenta contra quintam conclusionem; vbi idem tenet Durand. q. 1. Gregor. q. 1. art. Maior. q. 1. Nolcot. q. 3. Ioa. Arbor. lib. Theoloph. cap. 1. N. Ioan. à Bonenia lib. de prædestin. Gerson. 4. p. in serm. de Angelis : it L. Vdalr. lib 4. summ Carth. 2. d. 4. q. 2. Ferrar. 3. contr. Gent. c. 110. Sotus lib. 1. de natura, & gratia c. 5.

Prob. 1. authoritate sacræ scripturę.

Probatur primò authoritate sacræ scripturæ Ezech. 28. quod licèt ad litteram intelligatur de Rege Tyri; Patres tamen Lucifero applicant. Tu Cherub. extensus, posui te in monte Sancto in medio lapidum ignitorum, ambulasti perfectus in vijs tuis à die conditionis, donec inuenta est iniquitas in te. Quem locum explicans D. Greg lib. 32. Moral. cap. 17. alias 25 ait, Luciferum dici ambulare in medio lapidum ignitorum, Quia fuit inter alios Angelos Charitatis igne succẽsus: Sic etiam intellexerunt hunc locum præter Gregor. Damascen. lib. 2. c. 3. Isidor. de summo bono c. 10. Tertull. 2. contrà Marcion. c. 10. & præcipuè Hyeron. in illum locum.

Secundus locus sacræ scripturæ.

Secundus locus est Io. 8. vbi dixit Christus Dominus, Diabolus in veritate non stetit; quia scil. non permansit in ea sanctitate, & rectitudine, in qua conditus est, nam veritas in sacra scriptura innocentiã, & sanctitatem significat iuxta illud 4. Reg. 20. Memento quomodo ambulauerim coram te in veritate, vt explicarunt Chrisostom hom. 53. & Leo Papa epistol. 63. c. 2. & 3. & serm. 10. quadragesimæ, & in idẽ redit. Quod Ireu., quẽ sequitur Toletus, interpratatus est, quia non perseuerauit in virtute veracitatis, quã simul cum alijs donis infusis, quæ gratiam habitualẽ consequuntur, accepit, quia mentitus fuit primis nostris parentibus, Nequaquam Moriemini, vt optimè etiam notauit Maldonat. in eum locum dicens, hanc secundam explicationem virtute includi in prima, quia virtus veracitatis infusa gratiam habitualem sequitur, & comitatur.

Tertius locus sacræ scripturæ.

Tertius est Sancti Iudę Apostoli, qui in sua Canonica ait, Angelis, qui non seruauerunt suum principatum, sed derelinquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis æternis sub caligine reseruauit: Cum autem Dæmones naturalem principatum non amiserint in inferiores, sit, vt intelligendus sit de principatu per gratiam, & Theodoret. lib. 5. heret fabul. c. de Diabolo. Anast. Nyssen. in quæstionibus sacræ script. q 61. tom. 1. Biblioth. Salmeron. & alij explicauerunt in hunc locum.

3322 Prob. 2. ex Patribus.

Secundò probatur testimonijs PP. præter allatos in his tribus locis, & in primis Hieron. Oseæ 3. ait, Qui pristinam gratiam perdiderunt, sicut Dæmones, qui lapsi de propria dignitate aridi sunt, Basil. in psal. 32. inquit, Angelos initio, vt essent, verbum omnium opifex condidit; Sanctificationem verò simul impẽdit ipsis Spiritus S. Diu. August. lib 12. de Ciuit. c. 9. ait, Deus angelus creauit simul in eis, & cõdens naturam, & largiens gratiã, Damasc. 2. fidei c. 3. inquit, Per verbum Angeli omnes creati sunt, ac per Sancti Spiritus sanctificationem omnes perfectionis numeros acceperunt. Cyprian. lib. de Zelo, & Liuor., in principio ait, Dæmonem aliquando fuisse Deo charum, & acceptu. Tertiò probatur ratione à simili, quia homo conditus est gratia sanctificante insignitus, vt asseruit Concil. Trid. sess. 6. in decreto de peccato originali in illis verbis. Si quis non confitetur, primum hominem, cum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressurus, statim sanctitatem, & iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, &c. anathema sit; igitur idem est dicendum de angelis etiam malis, antequam peccassent; tum à paritate rationis; tùm à maiori congruitate propter maiorem naturæ angelicę excellentiam; quamuis autem in homine esset maior necessitas gratię propter corporis repugnantiam, huic subueatum est dono integritatis naturæ, in quo peculiare beneficium datum est humanæ naturæ, propter eius necessitatẽ, quo non indiguit angelica; illud autem donum aliquo modo distinctũ est à gratia sanctificãte, q si prior donũ integritatis, data est homini in sua prima conditione, multò magis debuit dari angelo.

3333 Prob. 3. ratione, quia secundùm August. Creaturæ ita sunt à Deo cõditæ, vt statim habuerint seminales virtutes.

Denique probatur ratione D. Th., quia secudùm August. Creaturæ ita à Deo conditæ sunt, vt statim habuerint seminales virtutes, idest ea instrumenta, quibus possent producere effectus sibi connaturales, & consequi suum finem, ad quem Deus eas retulit, sed gratia est semen gloriæ, vt patet in Io. 3. & veluti diuinum semen, quo finẽ supernaturalẽ, nempe gloriam angelus cõsequi poterat, ergo supposita Dei electione angeli ad supernaturalem beatitudinem ab initio creationis suæ, Angelus habuit gratiam sanctificãtem, & dona supernaturalia, quæ ipsum in via consequantur. Et confirmatur, quia Deus potuit simul cum natura gratiã infundere, & opera eius sunt perfecta, nec fuit alia ratio differendi gratiam, igitur credibiliùs est, Deum non distulisse angelorum sanctificationem.

Ad 1. Obiectionem. Respondetur

Ad argumenta contraria. Respondetur ad primũ locum Ioannis, Diabolum ab initio peccasse, quia parua mora in iustitia, & sanctitate durauit; Sicut idem de homine dici potest, quamuis fuerit in gratia creatus. Ad secundum Iob. Respondetur, nil esse cõtra nos, quia, si sequamur vulgatam, sic loquitur de angelis, postquã peccauerunt: si verò sequamur hebraicam, ibi nomen Lucis, & Laudis, idẽ est, quod nõ reuelauit illis consilia sua abscõdita. Videãtur de hoc interpretes illius libri.

3334 Ad 2. Obiect. Respondetur.

Ad testimonia PP. Respondeo ad locum Ioann. Papæ, sensum esse, Dæmonem nequisse perseueranter habere, sicut homines perseuerant in terris. Adde, quod verbum nequiuit non significat impotentiam absolutam, sed ex suppositione suæ liberæ malitiæ. Ad testimonium D. Greg. illum loqui de Charitate, & gratia consummata, qualem habent angeli, qui peccare non possunt. Ad testimonium August. Respondeo, illum nõ contendere, Angelos, & primos parentes fuisse creatos sine gratia sanctificante, sed solùm fuisse creatos homines, & aliquos angelos sine eo efficaci auxilio gratię actualis, quod confertur his, qui perseuerant post naturam lapsam, vt constaret de imbecillitate arbitrij, etiam habentis auxilia, & dona gratuita, licèt nõ tam potentia, & efficatia, sicut conferuntur electis.

Ad 3. Obiect. Respondetur

Ad fundamentum petitum à ratione, & ad primũ. Respondeo negando sequelam; quia absolutè, & physicè angeli possunt mutare consilium, quod perfecta deliberatione apud se statuerunt: benè verum est, quod gratiam, & primos actus virtutum infallibilitate quadã à Deo proueniente obtinuerunt, vt dicemus inferius; postea tamen potuerunt gratiam amittere, & actus contrarios præcedentibus elicere, & per hoc patet ad primã confirmationem. Ad secundam. Respondeo, nõ fuisse periculum confundendi gratiam cum natura, etiamsi simul fierent, quia satis erat per se nota, & ab angelis non ignorabatur per fidem. Ad aliã instantiã illius confirmationis. Resp. non esse necesse, vt inter viam, & terminum detur mediũ: Angelus autẽ, ex quo creatus est, cæpit esse viator ad patriam, & ideò ex tunc gratia viatoris indiguit, Adde, Dei potentiam, & perfectionem operum eius magis elucere donãdo simul gratiã cum natura, quam cum successione, & mora. Ad tertiam confirmationem. Resp. non frustra fuisse datã gratiã angelis in primo instãti, quia de se magna perfectio est, & quia in eodẽ instãti operationẽ gratiæ liberã habere potuerunt, vt dicemus inferius.

ARTI-

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum Angelus Beatus suam beatitudinem meruerit.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COncl. affir. Prob. Illud, quod nō est creaturę naturale, nec per naturalē suā operationē cōsequi potest, non habetur, nisi per meritū: Sed Beatitudo nō cōuenit creaturę, vt ei naturalis, quia soli Deo cōuenit naturaliter esse beatū, in quo idē est esse, & beatum esse: Nec eā potest ex vi suę naturalis operationis cōsequi; quia beatitudo excedit vires naturæ, cū sit supra naturam: ergo.

Arg. meritū est ex difficultate act⁹ meritorij. Sed Angelus nullā habuit difficultatē ad bene operādū, ergo. Resp. cōced. mi. de difficultate bene operādi, quæ oritur ex aliqua cōtrarietate, vel impedimēto naturalis virtutis: negando verò de difficultate, quæ oritur ex opere aliquo bono, quod est supra virtutem Angelicæ naturæ.

Arg. 2. In naturalib⁹ nō meremur: Sed naturale fuit Angelo, vt in Deū cōuerteretur, ergo. Resp. ad min. quòd conuersio, qua in Deū Angelus conuertitur, est duplex, scil. Naturalis, & Charitatis: per primam angelus non meruit beatitudinē, sed per secundam, quæ non fuit ei naturalis.

Arg. 3. Angelus non meruit beatitudinē, antequā ipsā haberet, quia vt multis placet, nō habuit gratiā, q̄ est omnis meriti principium, nec post: quia etiā modò mereretur, quod est falsū, quia minor Angelus merendo, ad superioris Angeli gradū possit pertingere. Resp. meruisse beatitudinem per gratiam, antequam esset beatus.

DISPVTATIO CCCXIII.

Num rationes D. Th., quibus probantur conclusiones in textu, sint efficaces.

3335 Prima difficultas. *PRima difficultas est de discursu, quo p̄batur in corpore primæ cōclusio. Videtur n. falsa propositio illa maior;* Quælibet res ad vltimū finē p suā operationē pertingit, q̄ quidē operatio, &c. *Christ⁹. n. nec p naturā habuit beatitudinē, nec operationē acquisiuit. Cui satisfacit hic optimè Caiet., quē alij sequuntur expositores.*

2. Difficultas. *Secunda difficultas est, quā excitauit Vasq. d. 229. c. 1. vbi p̄bationē habuit S. Doctor in argumēto:* Sed cōtra, *ex* Apoc. c. 21. *desumptā, vbi dicitur.* Mensura hominis, quæ est angeli. *Ex quo loco sic p̄bat cōclusionē S. Th: Mēsura angeli in illa cœlesti Hierusalem est mēsura hominis; sed homo ad beatitudinē pingere nō potest, nisi per meritū; ergo neq; angelus. Sed ait Vasq. hunc sensū alienū omninò esse à contextu verborū illius capitis. Rationes eius adducentur inferius. Vasq. sequitur Pesantius. Deindè reprehēdit Vasq. c. 4 rationē D. Th contra tertiā opinionē in textu reiectā, dicens, debuisse p̄bari omne meritum glorię supponere gratiam imperfectā, & nondum consummatā, tanquā radicē sui, eò q̄ de hoc sit pręcipua difficultas in opinione p̄dicta: quod etiam affirmat Valentia puncto secūdo sequens Scot. in 2. sententiarū d. 5. dicentē, falsū esse, gratiā merētis esse necessariò imperfectiorē gratia fruentis, quādiu vt⁹ ei⁹ in patria sit pfectior, quā in via*

3336 3. Difficultas. *Arguit etiam Valentia rationē D. Th. contra secūdā opinionē dicens, eam petere principiū, eo, quòd sumat id, quod erat probandū, scil. de ratione meriti esse, vt qui meretur, moueatur ad terminū, & non sit in illo. Denique contra rationem impugnantem tertiam opinionem mouet Caietanus difficultatem, cuius solutionem hic breuissimè tangit, sed vberrimè versat in quæstione sequenti articulo.*

Ad primam itaq; dico: Maiorē illam: Quęlibet res ad vltimū finē per suā operationem pertingit, &c. *intelligendā esse de re, quæ pura est creatura: & sic vniuersaliter vera est, & apud sapientes quasi per se nota: Christus autē Dominus nō est pura creatura: cū sit Deus, & homo; & ideò, nec per naturā habet beatitudinē creatam, quatenus homo, nec eam per operationē apud Deu meritoriā acquisiuit; sed merè gratis à Deo collatā accepit per assumptionē humanæ naturæ ad vnitatē personæ verbi, ex qua, nullis præcedentib⁹ meritis, beatitudo, sicut splendor ex sole, & sicut flumē ex fonte redundauit in supremas animæ vires, scil. in intellectum, & voluntatem; iuxta illud Lucæ 2.* Quod .n. ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. 3337 Ad 1. Difficultatem. Dicimus, maiorē illam, Quælibet &c. intelligendam esse de pura creatura

Ad secundā Dico primò, debita reuerētia temerè inos non tenuisse Vasq. cùm sensū Angelici nostri Doctoris à contextu, & verbis illis Diuinę scripturæ alienū omninò esse, tàm facilè pronunciauit. Nam, & si cōgrua sit illa expositio, quā refert Vasq. ex Areta, non debuit tamen, vt aliena prorsus excludi S. D. interpretatio à quā ante.i glossa interlinearis expresserat, quæ verba illa Apoc. c. 21. Mensura hominis, quæ est angeli, *sic interpretatur;* vel quia æquales angelis, vel quia tantæ multitudinis. *præmisserat autē expositionē illius hominis,* cubitorū, *dicens, cubitū, in quo est man⁹, operationē significare; æqualitas igitur hominis, & Angeli secundùm glossā illā intelligenda est, quoad operationes, scil. meritorias, vt eis etiam æquale reddatur præmium, scilicet beatitudo. Quam expositionem, vt optimam sequutus est Lyranus.* Ad 2. difficultatem dicitur primo.

3338 *Secundò dico, argumentum,* sed contra, *apud Diuū Th., vt plurimum esse tantū probabile, & inniti quādoq; sensu mistico, & nonnunquā etiā nimis probare, adeò, vt nonnunquam, solutis argumentis contra cōclusionem, respondet etiam argumento prædicto: vt patet versatis in doctrina* D. Th. Dico Secūdò.

Tertiò dico, loqutionem illam esse metaphoricam, & multos admittere sensus, etiam litterales, quorum vnus alterum non excludit. Dico Tertiò.

Ad tertiā difficultatē, siuè magis impugnationē Valentiæ contra rationē D. Th. *aduersus secundā opinionē ab eo reiectā, dico, duas illas propositiones, videlicet,* meritum habet rationē viæ ad finē, & ei, qui iā est in termino, nō cōuenit moueri ad finē, *ex proprijs terminis esse notissimas, quia meritū est operatio libera, cui merces debetur. in pposito verò meritū vitę æternæ est operatio libera, bona, supernaturalis, cui ex diuina ordinatione beatitudo debetur, vt merces; igitur meritū suapte natura via est in beatitudinē tēdens, vt in terminum. Quod .n. ex ordinatione debetur alicui sub conditione operis exhibendi, perfectā, & exhibitam prius, quàm detur, exigit ope rationem.* Ad 3. Difficultatem. Ref. duas illas propositiones D. Tho. esse rectissimas.

3339 *Sed dices fortasse cū Magistro, posse militē pugnādo mereri munus, puta equū sibi iam à rege collatū. Resp. Durādus, obsequia militaria verè, & ppriè meriti rationē habere nō posse, si militi priùs à Rege facta fuit donatio equi, sed opera illa gratiarū actiones esse militis pro beneficio recepto Nec vlla similitudo est inter militē, equū iam debitū p opera militaria pmerentē, & angelū cœlesti beatitudine donatū, Deo ministrantē, vt scil. p opera ministerij beatitudinē habitā, mereatur; Equus .n. à Rege militi donatus nō mutat statū eius militarē potestq; miles præmissa non seruās secundùm legē ordinariā equo priuari: at cœlestis beatitudo angelo vel homini collata, statum eius immutat; facit enim de viatore comprehensorem, nec ab eo potest auferri secundum legem Dei ordinariam.* Instabis. Resp. nullā esse similitudinem inter militem, equum iam debitum, promerentē; & angelos, quo ad cælestem beatitudinem.

3340 *Probatur hæc veritas. Primò Quia, vel acceperūt angeli beatitudinē à principio sub cōditione, videlicet, vt eam sibi p opera subsequētia mererētur, vel absolutè fuit eis à Deo collata beatitudo. Primū dici nō potest: primò, quia sic nō fuissent, nec essent angeli simpliciter, ac verè beati; nā de ratione beatitudinis est vt semel habita nunquā possit amitti, vt probat* S. Tho. prima secundæ, quæstione 5. artic. 4 *at, si penderet in conseruari à conditione futuræ operationis liberæ, facilè posset amitti, non obstante, scilicet operatione contraria. Secundò. Quia si nūquam possent æquari meritum* Prob. quia angeli non acceperunt beatitudinem sub conditione.

tum, & præmium, sed vnum semper esset altero maius.

Probatur sequela; quia numerus operationum Angeli. quibus Deo Ministrat, semper augetur; data fuit. igitur Angelis absolutè beatitudo, ac proinde non pendet à futuris eorum operibus, tamquam meritis prius habitæ felicitatis.

Euasio. Sed ait Valentia, Angelis fuisse datam absolutè beatitudinem, vt esset verè ipsorum, non tamen sine respectu ad ministeria illa futura; ita vt, cum posteà exercerent ministeria, non dicerentur mereri illam, quasi tunc primum facerent eam suam, sed quasi soluendo pretium, ad quod futurum fuit illis antè data; sicut, inquit, qui vendit alicui pallium ob pretium postea soluendum, verè dat emptori pallium, vt verè sit eius, & si non nisi ob pretium soluendum: & quando postea emptor soluit pretium, licèt primò tunc non faciat pallium suum, tamen verè dicitur illud ob eam solutionem habuisse, & habere: sicut etiam gratia fuit data Patribus veteri testamenti, vt verè tunc esset ipsorum, licèt non sine respectu meritorum futurorum Christi, ob quæ fuit illis data, & quando Patribus illis posteà Christus gratiam illam meruit, licèt non fecerit, vt tunc primum gratia esset illorum tamen verè ob illud Christi meritum Patres illam habuerunt vndè, quod dicitur illo argumento, nullus meretur id, quod est suum tunc, quando meretur, ità distinguo, quod est suum alio titulo, quàm futuri meriti, concedo, quod est, vel fuit, non nisi titulo futuri meriti. nego, Hæc illa.

3341 Præcluditur. Implicat, beatitudinẽ fuisse angelis collatã absolutè, & cũ respectu ad futura ministeria. Sed hæc friuola sunt, & secum pugnant; est enim implicantia manifesta dicere, datam Angelis fuisse absolutè beatitudinem, vt esset verè ipsorum, & tamen non sine respectu ad eorum futura ministeria: respectus enim prędictus ad futura ministeria nulla ratione potest explicari, nisi dicendo, beatitudinem Angelis fuisse collatam dependenter a ministerijs, atque adeo sub conditione futurorum operum: sicut qui pallium vendit ob pretium postea soluendum, hoc ipso, quod ita vendit, conditionem apponit futurę solutionis iusti pretij, quo minimè soluto, iuxta conuenta, ius relinquitur venditori pallium repetendi. Est igitur expressa contradictio dicere datam Angelis fuisse beatitudinem absolute; & tamen non sine respectu ad eorum futura ministeria.

Id cõparatur respectu liberi arbitrij, vt terminus, quod non pertinet ad dictũ motum sicut principium. Præterea illud cadit sub humano merito, quod comparatur ad motum liberi arbitrij directi à Deo mouente, sicut terminus, non autem id, quod comparatur ad prędictum motum, sicut principium, vt ait Sanctus Doctor in 1. 2. questione 114. art. 9. at ministeria post habitam beatitudinem ab Angelis exhibita sunt ex beatitudine, quatenus includit gratiam consumatam, & visionem, tanquam ex principio; ergo nullo modo potest Angelus per ea mereri beatitudinem. Minor probatur, quoniam opera illa procedunt ex charitate, hæc autem in beatis ex gratia consummata, & ex visione Dei, quatenus est summum bonum, & maximè diligibile.

3342 Palliũ venditũ emptori, non est principium effectuum futuri prętij. Denique exempla, quæ producit Valentia, minimum habent de similitudine; pallium enim emptori venditum non est principium effectuum futuri prętij, sed occasio tantũ, & materia: deinde, licèt emptor solutione pretij non faciat, tunc primò, pallium esse suum, quia tamen opus exhibet verè, ac propriè meritorium, hoc ipso facit tunc primò sibi debitam esse mercedem, quia meritum est, cui debetur præmium; igitur meritum in actu positum intrinsecè claudit ordinem ad prœmium, vt tunc primò debitum merenti, tanquam suum: at venditio pallij cum eius traditione tunc primò constituit ementem pallij, Dominum, sed tamen debitorem exoluendum, tempore constituto pretium, vt iustitiæ constituatur ęqualitas: Cùm itaque soluitur ab emptore pecunia, non efficitur tunc primò pallium emptori debitum, & sub eius dominio, quia solutio, vt sic, non ordinatur ad constituendum eum, cui fit solutio, debitorem, neque Dominum eum qui soluit ad æqualitatem iustitiæ constituendam. Christus autem, qui simul erat comprehensor, & viator, suis omnibus membris potuit gratiam, & gloriam, siuè beatitudinem promereri, non tamen sibi:

Fuit igitur valdè congruè antiquis Patribus à Deo collata gratia propter merita Christi ab ęterno præfinita, atquè præuisa, tanquàm propter finalem causam, vt supra diximus q. 23. art. 2. ex hoc tamen non fit consequens, potuisse similiter Angelis conferri gloriam, vt eam per futura ministeria sibi mererentur.

Superest postremò ratio Sancti Doctoris contra opinionem ab impugnatione Scoti, Valentiæ, atque Vasquez defendenda. ait enim, falsum esse, gratiam merentis esse imperfectiorem gratiam fruentis. Valentia verò, & Vasquez dicunt probari debuisse, meritum omne gloriæ supponere gratiam imperfectam, & nondum consummatam, tanquam radicem sui. Scoto respondet Caietanus dicens, gratiam merentis imperfectiorem esse gratia fruentis, saltem quoad actum, eo quòd illa statum habeat consummatu, & operationem perfectam, hæc autem in vtroque deficit. Valentia verò, & Vasquez prædicta respondent; siquidem ratio meriti est ratio motus, ac via tendentis in præmium, vt in terminum: Constat autem motum, & viam ex sui ratione nunquam esse perfecta, nisi termino compleantur. 3343 Aliæ obiectiones soluuntur.

DVBIVM VNICVM.

An angeli boni indiguerint dono perseuerantię, quiduè peculiare fuerit eis collatum, vt perseuerarent.

3344 Nota donum perseuerantię esse illud, quo ita Deus protegit Iustum, vt cùm discesserit è vita, gratiam habeat sanctificantem.

Svpponendum est, donum perseuerantiæ esse illud, quo ita Deus protegit iustum, vt cùm discesserit è vita, gratiam habeat sanctificantem, siuè includat vnum, siuè plura auxilia: vnde qui habet donum perseuerantię, non potest illud amittere, vt ait Augu. lib. de dono perseuerantiæ cap. 6 sicut non potest perseuerare, quia supponitur, vitam cum gratia finisse: sicut è contra qui non habet donum, non potest perseuerare, vt definiuit Concil. Trident. sess. 6. can. 23. & cap. 13. vnde fit, Angelos, qui ceciderunt, & damnati sunt, non habuisse donum perseuerantię, & eos, qui permanserunt, illud habuisse.

Difficultas est in explicando hoc dono, & discrimine, quod fuit in illo inter bonos, & malos Angelos in collatione illius, an fuerit speciale auxiliũ gratiæ diuersum ab eo, quod fuit datum ad eliciendos actus supernaturales omnibus in primo instanti.

3345 Opinio contraria 1. Obiectio. Pars negatiua suadetur, primò ex August. lib. de corrept. & gratia cap. 10. qui hoc ad solum liberum arbitrium Angelorum reuocare videtur. Angeli, quorum princeps est, qui dicitur Diabolus, ait August. per liberum arbitrium à Domino refugę facti sunt; ceteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt. Et cap. 11. Angeli Sancti, cadentibus alijs per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi.

2. Obiectio. Ratione verò probatur; quia ad eliciendum vnũ actum charitatis, vel fidei non est necessarium donum perseuerantię, vt patet in reprobis, quando sunt iusti, qui illos eliciunt sine tali dono, ergo, multò magis angelus; sed vnus actus sufficit ad perseuerantiam angeli, quia post vnam electionem, & bonum manet confirmatus in bono, ergo sine speciali dono perseuerantię potest angelus perseuerare. Quod si dicatur in illo actu posse distingui initium, seù primam efficientiam à conseruatione, seù permanentia in illo, & licèt ad primum non requiratur distinctum donum perseuerantiæ, benè tamen ad Secundùm. Contra hoc est; quia auxilium gratiæ datum ad eliciendum, idem durans, seù non ablatum sufficiat ad perseuerandum in actu semel facto; sed tale auxilium semel datũ ex se postulat, vt conseruetur, & non auferatur ex parte Dei, quia dona Dei sunt sine pęnitentia, nec prius deserit, quin prius deseratur, igitur illud sufficit sine nouo dono.

3. Obiectio. Secundò, quia in hominibus post naturã lapsam requiritur gratia ad perseuerandũ propter carnis rebellionẽ, & alia impedimenta angelus autẽ non

habuit

habuit impedimentum, solæ ergo vires liberi arbitrij cum primò auxilio sufficiebant ad perseuerandum. Et confirmatur; quia homo in statu innocentiæ non indiguit dono perseuerantiæ, ergo neq; Angeli.

4. Obiectio. Tertiò, Quia mali Angeli habuerunt potentiam perseuerandi, & vincendi tentationes adoenientes, aliàs non peccassent consentiendo, nec tribueretur eorum culpæ, non perseuerasse: Sed illa potētia nō tantùm erat physica, sed etiam moralis, quia sine magna difficultate poterat in actum reduci absque alio nouo auxilio; tùm propter temporis breuitatem; tùm propter integritatem naturæ sine intrinseca pugna, tum propter perfectionem cognitionis, & libertatis; tùm denique, quia pauci actus erant necessarij ad perseuerandum, igitur sine specialiori auxilio potuit illa potestas in actum reduci, ac proinde cum illo auxilio boni perseuerarunt.

5. Obiectio. Quartò, si ad perseuerandum indiguisset Angelus auxilijs specialibus diuinæ gratiæ, cùm hæc collata fuerit angelis perfectioris naturæ, vt superius dictū est, Lucifer, & alij nobiliores multis, qui perseuerarunt, maiorem gratiam accepissent, ergo potius illi perseuerassent, quod longe aliter accidit. Et confirmatur; quia si perseuerantia est speciale donum, & auxilium, necesse est fateri, eos, qui perseuerarunt, accepisse auxilia, quæ his, qui ceciderunt, denegata sunt, & consequenter eos, qui lapsi sunt, non potuisse non cadere, quia deerant auxilia ad perseuerandum necessaria; hoc autem videtur absurdum, quia videtur malorum angelorum culpā minuere, igitur perseuerantia bonorum in sola arbitrij voluntate Angelorum sita fuit.

3346 *Conclus. angeli, vt perseuerarent, accepisse speciale auxilium gratiæ diuinæ.* Dicendum est tamen, Angelos, vt perseuerarēt, accepisse speciale auxilium gratiæ diuinæ. Hæc conclusio tenetur ab omnibus DD. qui in materia de gratia tenent, hominem etiam in statu innocētiæ, non potuisse sine dono gratiæ speciali perseuerare; atque adeo absolute necessitatem doni perseuerantiæ ad salutem attruunt, quæ cum doctrina de electione ad gloriam, & prædestinationē antè præuisa opera, connexa est, quę latè tradidimus in primo tomo q. 23. art. 8. & 1. 2. q. 110. & sequentibus, nam hæc doctrina angelis communis est.

Prob. 1 auctoritate S.S.P.P. Probatur primò auctoritate P.P. & in primis Augustin. lib. 12. de Ciuit. cap. 9. vbi ait, *Sanctos angelos amplius adiutos perseuerasse*: & idem docet lib. de corrept. & gratia cap. 11. vbi tàm in angelis, quàm in Adamo, & nobis duplex auxilium distinguit; vnum, quo datur, posse perseuerare, aliud, quo ipsa perseuerantia donatur: & primum, dicit, fuisse datum Adę in statu innocentiæ, non secundum; quod censet, esse multo maius beneficium, & idem ait de Angelis. Basil. *lib. de Spiritu Sancto c. 16.* ait, *Angelos Spiritus Sancti ope perfici*; quam perfectionem, ait, esse non solùm sanctificationem, sed etiam perseuerantiam. Fulgent. lib. 2. ad Trasimund. cap. 2 de Sanctis Angelis ait, non habuisse naturam. *Qua sine alterius iuuamine perseuerare possent*: & Anselm. *lib. de casu Diaboli cap. 4.* ait, *Bonus Angelus ideò accepit perseuerantiam, quia Deus dedit*.

3347 *2. Prob. ratione, quia angeli Sancti non tenerentur ad maiorem gratiam gratias Deo agendas.* Ratione probatur; quia, si Angeli Sancti non accepissent maiorem gratiam, quàm mali, non tenerentur ad maiores gratias Deo agendas, quàm mali. Item eorum discretio esset à libero arbitrio, non è diuina gratia. Item. quia ad perseuerandum in gratia debuerunt angeli orare, & à Deo auxilium petere, ergo indigebant specialiori auxilio ad perseuerandum, quia ad obtinendum auxilium datum, vt generale, non est necessaria oratio; primùm, quia est obtentum; secundùm, quia est quasi debitum, & lege communi datum.

3348 *3. Prob. a priori quia, vt angelus perseueraret, debebat retinere illū actum ordinis supernaturalis.* Ratio vero a priori huius conclusionis est; quia, vt Angelus perseueraret, necessarium fuit, ab ipso retineri illum actum ordinis supernaturalis v. g. amoris Dei super omnia, quem in prima sua creatione elicuit, vel alium eiusdem speciei; imo, & alios actus supernaturales amori subordinatos elicere, sed ad hoc præstandum fuit necessarium speciale donum diuinæ gratię, igitur, vt angelus perseueraret, indiguit dono speciali diuinæ gratię.

Minor probatur quantum ad primam partem de retentione prioris actus; quia inter auxilia gratiæ meritò numeratur remotio impedimentorum, quæ obstarent, quò minus bona opera elicerentur, vel elicita conseruarentur, sed hęc gratia fuit necessaria ad perseuerantiam prioris actus, quia sicut Angeli mali Lucifero inferiores, ab ipso inducti sūt, vt Deum desererent, & priorem actum amoris Dei amitterent, ita permittere potuit Deus, vt qui permanserunt, inducerentur; imo, & potuit creare angelos longe nobiliores, quorum in persuadendo foret tanta efficacitas, vt bonos re ipsa peruerterent; potuit etiam imponere illis pręceptum multo grauius, quàm re ipsa imposuit, ita vt illi nollent obedire: quod igitur Deus has, & similes circumstantias non permiserit, gratia fuit, sine qua non perseuerassent, nec moraliter perseuerare possent, sicut mali non perseuerauerunt, ergo ad perseuerandum datum fuit bonis speciale auxilium, & protectio. *Minor quę ad primam partē probatur.*

3349 *Minor quę ad secundam partem prob.* Probatur minor illius syllogismi, quantum ad secundam partem; quia si ad perseuerandum necesse fuit alios actus supernaturales elicere, ad hos pręstandos fuit necessarium speciale auxilium efficax, tàm excitans, quàm adiuuans, quod bonis fuit concessum, non vero malis, qui peccauerunt: Nam in hoc est eadem ratio de angelis, & hominibus, quantum ad necessitatem gratiæ efficacis, quæ datur consentientibus, non vero reprobis non consentientibus, vt constat ex definitione Concil. Trident. *sess. 6. de iustific. can. 3.* & traditur in materia de gratia, igitur quoque modo ad perseuerandum semper est necessarium speciale auxilium diuinæ gratiæ. An vero hæc specialitas auxilij efficacis sit distincta à sufficienti ad perseuerādum, quod omnes habuerunt, physice, vel solum moraliter in ratione beneficij, & gratię propter specialem protectionem, & circumstantiam; tractatur in materia de gratia.

Ad 1. Obiectionem. Respondetur. Ad fundamentum contrariæ sententiæ, & ad auctoritatem Augustini.

Respondeo, non negasse necessariam fuisse Angelo gratiam ad perseruandum, quam ipse toties in illo libro, & in alijs locis fatetur, solùm ergo contendit, auxilium, quod Angelus habuit ad perseruandum, non fuisse ita potens, ac illud, quod in natura lapsa solet hominibus ob eorum fragilitatem tribui; sed attemperatum eorum naturæ, ita vt medio illo perseuerare possent, sed eum summa in differentia physica, in qua proinde liberum illorū arbitrium luceret, non tamen gratia destitutum.

3350 *Ad 2. Obiectionem. Respond.* Ad primam rationem optime ibi responsum est. Et ad replicam satis dictum est in ratione à priori nostræ conclusionis; quia etiam ad perseuerādum in eodem actu requiritur remotio impedimentorum, quæ obstarent ad perseuerandum, & ad eliciendos nouos actus. Et ad illud, quod additur, quia Dona Dei sunt sine pænitentia, & quod *Deus* neminem deserit, nisi prius deseratur; totum est verum, nisi ex parte nostra ponatur obex peccando: hoc autem, quod est non ponere obiectum, & non peccare, est peculiare beneficium, & donum diuinæ gratiæ, & protectionis diuinæ.

Ad Obiect. Resp. Ad secundam negatur antecedens; quia etiam in statu innocentiæ fuisset necessariū donum perseuerantiæ, & quia illud non habuit Adamus, cecidit ab illo fęlicissimo statu. Bene verum est, quod in natura lapsa est necessarium potentius auxilium propter carnis rebellionem, & alia impedimenta maiora, quam in statu innocentiæ.

Ad 4. Obiect. Resp. Ad tertiam. Respondetur, Angelos malos habuisse potentiam physicam ad perseuerandum, quia habuerunt auxilium sufficiens ad perseuerandum, non vero moralem, quia sine tali dono infallibiliter ceciderant, iuxta Concil. Trid. in can. 23. determinationem, in qua negatur potentia ad perseuerandum sine dono perseuerantiæ, cum autem

tem non possit negari potentia physica, aliàs non tribueretur malorum Culpę, non perseuerare, negat potentiam moralem in perseuerando, quæ ratio etiam militat in Angelis proter rationem à priori conclusionis. Sed de his fusiùs, & propriè in materia de Gratia.

ad 5. Obiect. Respondetur. Ad quartam. Respondeo, in primo instanti datam fuisse gratiam efficacem angelis iuxta proportionē naturalium, & in secundo instanti, vel in duratione primi correspondente secundo instanti malorum, de quo in infrà fusiùs omnibus bonis collatam esse tàm sufficientem, quàm efficacem iuxta proportionem, & inęqualitatem naturalium: at verò in secundo instanti malis non fuisse datam gratiam efficacem, nec donum perseuerantię, quia hoc pendet ex altissimo diuinæ prædestinationis mysterio; quia Deus, *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, adhuc ante nostra prę uisa bona, vel mala opera, vt latè discussimus in materia de prędestinatione, & reprobatione negatiua, & ita primaria discretio prædestinati à reprobo semper est à diuina electione, quod etiam in angelis locum habuit. Et per hoc patet ad confirmationem, fatemur enim, sicut necesse est fateri, solis angelis bonis fuisse collatum donum perseuerantię; non verò malis, quo non obstante, tribuitur illorum culpæ non perseuerasse, quia habuerunt auxilium sufficiens ad perseuerandum, licèt non habuerint efficax.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Angeli statim post vnum actum meriti beatitudinem habuerint.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio affirm. Prob. Gratia perficit naturam secundùm modum naturæ, sicut & omnis perfectio recipitur in perfectibili secundùm modum eius. Vnde, quia modus naturæ Angelicæ est, vt statim habeat suas perfectiones naturales, eodem modo perficitur per gratiam, vt statim post vnum actum meriti beatitudinem consequatur. Quia sicut ex sua natura Angelus habet ordinem ad suam perfectionem naturalem, ita ex merito habet ordinem ad gloriam.

Arg. 1. Homo non pręmiatur statim post vnum actum meriti. ergo, neque Angelus, quia difficiliùs est homini, quàm Angelo benè operari. Respond. Neg. consեq. Homo enim secundùm suam naturam non statim natus est suam perfectionem adipisci, sicut Angelus, ideò homini longior via data est, quàm Angelo: maior enim, vel minor difficultas nihil conducit ad hoc.

Arg. 2. Si Angelus per primum actum meriti fuit beatus, sequitur quod fuit beatus in primo instanti. Quia Angelus in primo instanti suę creationis potuit habere aliquem actum meriti. Respond. neg. cōseq. Et ex Prob. sequitur oppositum. Non enim potuit simul in eo esse actus meritorius beatitudinis, & actus beatitudinis, qui est fruitio, cùm vn⁹ sit gratię imperfectę, & alius gratię consumatę.

Arg. 3. Inter ea, quæ multum distant, debeat esse multa merita. Sed status beatitudinis Angelorum, multum distat ab statu naturę eorum; & merita sunt media. ergo debent esse multa merita. Respond. Neg. ma. in proposito. quia de natura Angeli est, quòd statim suam perfectionē consequatur, ad quam ordinatur; & ideò non requiritur nisi vnum medium, scil. vnus actus meritorius.

DISPVTATIO CCCXIV.

An Omnes Angeli in primo instanti suę crationis meruerint.

Prima concl. Prob. *Quoniam omnes Angeli in primo instanti suæ creationis non solum habuerunt gratiam habitualem, vt in quęstione 62. art. 3. dictum est, sed etiam creati sunt cum actu fidei, spei, charitatis, & humilitatis &c ergo meruerunt.* Probatur minor ex D. Augustin. lib. 2. de Ciuit. cap. 9. *vbi ait, quòd creati sunt angeli cum bona voluntate, & casto amore, quo illis adhęrerent: Sed bona voluntas, & castus amor actionem significant, præsertim apud Diuum Augustinum qui semper appellat bonam voluntatem, quod nos minùs latinè dicimus bonam volitionem.* 3351 1. Conclusio Prob. 1.

Pręterea ratione probatur. Quia nihil obstat, quominùs in illo primo instanti creationis haberet angelus simul actus superna turales cum actibus naturalibus cognitionis, & dilectionis suæ, ergo tunc primum mereri potuerunt. Antecedens patet. Quia post illud instans fuerunt simul actus supernaturales cum naturalibus, ergo nulla est repugnantia, quòd simul inciperent cum natura. Consequentia verò prior probatur. Quoniam illi actus supernaturales sunt liberi, & ex natura sua tendunt in Deum, ergo in viatore sunt meritorij. Prob. 2.

Præterea probatur conclusio optime argumento. Christus Dominus in primo instanti creationis animæ meruit perfectissimè, ergo, & angeli mereri potuerunt. Antecedens, nemo audebit negare, quoniam Verbum caro factum est plenum gratiæ, & veritatis. Vnico enim actu voluntatis, Christus Dominus meruit remissionem peccatorum, itaut in merito nunquā creuerit saltem intensiuè, vel appretiatiuè, quamuis quodammodo posset dici, plus meruisse per plurima opera extensiuè, idest, ad quę opera virtus meriti extēdebatur. Sed simpliciter loquendo non magis meruit in cruce positus, quàm in ventre matris, quando ingrediens Mundum dixit, Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam. Et ita dicitur per passionem, & mortem meruisse. Sed de hoc aliàs. Nunc autem satis ostensum est, quod gratia ita potest perficere naturam, vt in primo instanti suæ creationis possit esse meritum etiam perfectum. Sed dices fortasse, hoc argumentum probare, quòd angeli in primo instanti suę creationis perfectè meruerint. Respondetur, & sit secunda conclusio. Prob. 3.

De potentia Dei absoluta potuerunt angeli in primo instanti suæ creationis mereri perfectè, & immobiliter adhęrere Deo, si creati fuissent confirmati in gratia, & cum plenitudine supernaturalis lucis. Hæc conclusio mihi videtur demonstrari exemplo animę Christi. Non enim video; quare non similiter potuisset Deus creare angelum cum merito perfecto, & electione immobili ex gratia confirmationis. 2. Concl.

Tertia conclusio. Ad perfectionem meriti non requiritur libertas in actu meritorio, quantum ad specificationem indifferenter ad bonum, & malum, seu potius quantum ad contrarietatem actus. Explicatur hæc conclusio. Habet Petrus actum temperantię, non requiritur, vt ille actus sit perfectè liber, quod possit habere actum intemperantia. Hæc conclusio manifestè probatur. Nam Christus Dominus habuit perfectissimum meritum omnium virtutum, & tamen non habebat libertatem in eiusmodi actibus, quantū ab specificationem, videlicet, non erat sibi possibile habere actus contrarios virtuti. 3354 3. Concl. Prob

Aduertendum est tamen, quòd ratio meriti non potest inueniri nisi in natura intellectuali creata, de cuius ratione est, vt quantum est ex parte sua sit defectiua, Nota.

fectiua, & peccare possit. Non tamen est intrinsecè necessarium ad rationem meriti, huiusmodi imperfectio creaturæ, sed per accidens se habet, quòd natura, quæ mereri potest, possit peccare. Quapropter si huiusmodi defectibilitas aliundè reparatur, non propterea minuitur ratio meriti, quin non destruitur, sed potiùs perficitur ratio libertatis. Probatur. *Hoc, quod dicimus, manifestatur in ipsismet angelis, si creati fuissent in puris naturalibus, neq; ordinati fuissent ad finem supernaturalē, neque aliquod præceptum positiuū habuissent. Diximus enim* supra qu. 63. hoc art. 1. *quòd peccare non poterant immediatè contra finem naturalē, & nihilominus sic creati mereri potuissent per actiones liberas conformes legi naturali, ergo ratio meriti non exigit intrinsecè, vt qui meretur, peccare possit intra illum ordinem, intra quem meretur. Deinde manifestatur in confirmatis in gratia præsertim in Beata Virgine, qui nec venialiter quidem peccare poterat, & tùm maximè merebatur, at in Christo Domino, in quo meritum maximè perfectum fuit, natura humana facta est impeccabilis, non solùm ex gratia habituali, sed etiam maximè propter vnionem, & hypostasim diuinam. Vnde ille homo Christus non solùm per gratiam, sed etiam per naturam potest dici impeccabilis, scilicet per naturam diuinam, quæ intrinseca est illi supposito. Ergo per accidens coniungitur cum ratione meriti, quòd qui meretur, peccare possit. Hinc sequitur probatio manifesta tertiæ conclusionis.*

3354 4.Conclusio. *Quarta conclusio. De facto angeli in primo instāti suæ creationis non meruerunt ita perfectè, quantum est ex parte electionis deliberata, vt non potuerint ab illa discedere. Hæc conclusio patet. Quoniam si ita perfectè meruissent, omnes gloriam recepissent.*

5. Conclusio. Probatur. *Quinta conclusio. In primo instanti suæ creationis, simpliciter loquendo, angeli meruerunt beatitudinem supernaturalem. Probatur. Quia homo in puncto suæ iustificationis per actus liberi arbitrij, per quos etiam disponitur, meretur simpliciter, & propriè loquendo vitam æternam, ergo, & angeli meruerunt. Probatur consequentia. Quia nihil habet homo ad rationem meriti necessarium in illo puncto iustificationis, quod non habent angelus, ergo est eadem ratio. Probatur antecedens. Quia si angelus potest mutari ab illa operatione in malum, etiam homo. Quòd autē homo in illo instanti exerceat actum bonum liberè quātum ad specificationem, iam diximus, esse per accidens ad rationem meriti, & libertatis. Ergo nulla est ratio, quare angelus non mereatur propriè, & simpliciter in primo instanti suæ creationis, & hoc pacto etiam Adā meruit in primo instāti suæ creationis, & anima Christi etiam meruit in primo instanti suæ creationis. Sed differentia est, quòd anima Christi immobiliter elegit, Adam verò, & angelus non habuerunt tantam gratiam, vt eorum liberum arbitrium per talem deliberationem meritoriam immobiliter adhæreret summo bono. Quamuis enim angelus in actionibus naturæ suæ proportionatis immobiliter deliberet, tamen in actionibus supernaturalibus, etiamsi deliberauerit, nō opus est, vt immobiliter deliberauerit.*

Confirm. *Et ratio est. Quia sicut ex gratia Dei habuit tales actiones, ita etiam ex maiori gratia immobiliter eligere poterat. Quæ quidem gratia specialis post primū instāt creationis nō data est eis, qui diuinæ gratiæ impedimētū per peccatū præstiterūt. Si autem illis data fuisset, nō peccassent, sicut dicit Magist. sent. in 2. d. 5. Itaq; ex proprijs in secundo instanti peccare potuerunt, & peccauerunt, & meritum suum mortificauerunt. Vtrum verò Angeli, qui perseuerauerunt dicendi sunt perseuerasse in secundo instanti, an verò post vnicum actum meritorium, & post primum instans suæ creationis gloriam receperint, dicemus infra.*

3355 1.Obiectio. *Arguitur primò pro parte negatiua; Angeli in primo instanti non potuerunt mereri, ergo non meruerūt. Probatur Antecedens. Angeli in primo instanti suæ creationis non potuerunt habere actum liberum, ergo non potuerunt mereri. Probatur Antecedens. Quoniam vel ille actus erat liber, quantum ad exercitiu, vel quantum ad specificationem, sed non poterat esse liber quantum ad specificationem in illo instanti, vt patet ex definitione dubij præcedentis, quoniam aliàs potuissent peccare. Neque etiam potuit esse liber, quantū ad exercitium, ergo nullo modo. Probatur hoc secundum. Quia si angelus liberè se exercebat in illo actu, potuisset non habere illum actum, & seruernamus modo præceptum, nè fortè dicas, quod peccaret, si non haberet illum actum, sed statuè mihi vnum angelum creatum à Deo cum vno actu liberi arbitrij. Probo, quòd implicet contradictionem, illum actum esse liberum, quantu ad exercitium. Angelus ita creatus non potuit non habere illum actū pro illo instanti, ergo liberum arbitrium angeli pro illo instanti non potuit non se exercere in illo actu, ergo non erat actus liber quantum ad exercitium. Probatur Antecedens. Quia pro illo instanti non potuit habere iudicium, conueniens sibi esse non habere illum actum, siquidem creatus est cum iudicio contrario, scilicet, conueniens sibi esse habere illum actū, Quomodo ergo liberè se exercebat.*

Respondetur, quòd ille actus primus fuit liber quantum ad exercitium. Sed tamen ad hanc libertatem non requiritur, quòd in sensu composito, dū exercet illum actum, possit non exercere illum. Sed satis est, quòd ex modo producendi talem actum scilicet ex iudicio indifferentiæ actus ad finem, possit deliberās cessare ab illo actu, vel potuerit non habere illum. Supposito tamen, quòd Deus creabat angelum cū illo actu, & cum dictamine in particulari hic, & nunc eligendu, sed hoc implicabat contradictionem, quòd angelus non exerceret illum actum. Resp. 3356

Arguitur secundò. Si in illo primo instanti actus potuit esse liber quantum ad exercitium, sequitur, quod pari ratione potuit esse liber quantum ad specificationē. Probatur sequela. Quia tota ratio, quare potuit esse liber quantum ad exercitium, ea erat: quia habebat iudicium non ligatum ad exercitium illius actus, sed cū quadam potestate cessandi ab illo, quando voluisset: sed etiam habuit iudicium, quòd poterat habere contrarium actum peccati, si voluisset, ergo etiam pro tunc liberè se exercebat quantum ad specificationem. 2.Obiectio. 3357

Resp. nego sequelam, quia libertas quantum ad specificationem non potuit exerceri in primo actu angeli, quamuis concedendum sit, quod habeat liberum arbitrium, quod erat liberum, quantum ad specificationem in ratione potentiæ. Quæ tamen explicari nō poterat in primo instanti, vt tunc indifferenter posset operari benè, vel malè. Resp. 3358

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum Angeli sint consecuti gratiam, & gloriam secundùm quantitatem suorum naturalium.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

Conclusio affirm. Prob. Angeli toto suo conatu feruntur in Deum. ergo Angeli, qui meliorem habuerunt naturam, & virtutem, efficaciùs feruntur in Deum, quàm alij. Prob. Angelus non est compositus ex diuersis naturis, vt inclinatio vnius naturæ, impetum alterius, aut impediat, aut retardet. Sicut in homine accidit, in quo motus intellectiuæ partis, aut retardatur, aut impeditur ex inclinatione partis sensitiuæ.

Arg. 1. Gratia datur ex mera Dei volūtate. ergo, & gradus, siuè quantitas gratiæ, dependet ex eadem Dei voluntate. ergo non secundùm quantitatem suorum naturalium. Resp. neg. 2. Consеq. Sicut enim gratia, & gradus gratiæ sunt ex mera Dei voluntate, ita & natura Angeli est ex Dei voluntate. Et sicut Dei voluntas ordinat naturam ad gratiam; ita ordinat gradus naturæ ad gradus naturę.

Arg. 2. Propinquior videtur actus huma-

nus ad gratiã, quàm ipsa natura; quia actus humanus est præparatiuus ad gratiam. Sed gratia ipsa non est ex operibus. Rom. 11. ergo. Resp. Ad ma. quòd quamuis actus, siue opera creaturę rationalis sint aliquo modo dispositiua ad gratiam, tamen gratia magis videtur dari secundùm gradus naturę, quàm ex operibus; quia natura est à Deo, opera autem sunt ab ipsamet natura.

Arg. 3. Homini non datur plus de gratia secundùm gradum suorum naturaliũ; ergo ergo neque Angelo. quia homo, & Angelus pariter ordinantur ad Beatitudinem, vel gratiam. Resp. neg. con seq. & Ad prob. dicitur: quod homines non differunt specie, sicuti Angeli; ideò non oportuit plurificare gradus gratiæ in hominibus, secundùm exigentiam naturæ, quia habent eundem gradum naturę, secùs est in Angelis.

DISPVTATIO CCCXV.

An gratiam, & reliqua dona infuderit Deus Angelis inæqualiter, iuxta inæqualitatem perfectionis naturalis.

3359 Nota. *SVpponimus tanquam omninè certum, perfectionẽ naturalem angelorum, aut opera, quę viribus naturę fiunt, non fuisse rationem ob quam angeli de condigno, aut congruo meruerint gratiam habitualem, aut aliquod auxilium supernaturale: hoc .n. eadem auctoritate, & rationibus exploditur, quibus in materia de gratia contrà Semipelagianos probatur, neminem solis viribus naturę posse ad gratiam disponere. Ex quo clarè constat, angelis, quibus maior gratia, aut vberiora dona gratiæ collata sunt quàm aliis nõ fuisse data ob meritum aliquod naturale, aut quia perfectiori naturę deberentur. Solum inquiritur, an Deus sua omninè gratuita, & liberali voluntate voluerit distribuire angelis gratiam iuxta eorum perfectionem naturalem, ita vt quò quis in natura perfectior est, eò maiorem gratiam acceperit.*

1. Obiectio. *Ratio dubitandi est prima; quia inferius non potest esse mensura superioris, natura autem inferior est, quàm gratia, igitur non potest esse mensura illius.* 1 Confirm. *Et confirmatur; quia inde infertur Luciferum, in primo instanti creationis fuisse cęteris angelis sanctiorem.* 2 Confirm. *Confirmatur secundò; quia ex hoc sequitur, datam esse gratiam angelis iuxta proportionem dilectionis naturalis; quia de primo ad vltimum, vnum sequitur ex alio; quia si gratia datur iuxtà capacitatem naturalem, cùm amor naturalis etiam iuxtà vires naturales vniuscuiusque eliciatur, consequenter dabitur gratia iuxtà proportionem dilectionis naturalis; quia si aliqua congruitas est in naturali capacitate considerata in actu primo, eadem, immò, & maior est in actu secundo; hoc autem videtur absurdum, quia aliàs Angelus aliquo modo se disponeret suis viribus ad gratiam.*

3360 2. Obiectio. *Secunda; quia in hominibus non seruat Deus illam proportionem, igitur neque in angelis.* Confirm. 1. *Et confirmatur; quia ratio D. Thomę in art. 6. sumpta ex parte Dei etiam inter homines locum habet, quatenus vnus homo alio excellentius habeat ingenium, vel ad supernaturale munus aptior est, ad quod sufficit inæqualis perfectio indiuidualis, & tamen non ita factũ est in hominibus, sed interdum homines de se minus aptos ad altiorem gradum, & maiorem gratiam assumit: in quo non deficit Deus ab illa congruentia prudẽtis artificis, qui pulchriores aptat lapides in nobiliori loco collocandos; hoc .n. verum est de perfectione pertinente ad ędificij compagem, quę in præsenti est perfectio gratiæ, non naturæ.* Confirm. 2. *Confirmatur secundò; quia de facto non solùm humanitas Christi, & persona Virginis, sed multi homines qui in natura comparati cum Angelis inferiores sunt, in gratia angelis prę stantiores sunt, igitur illa ratio non obstat quominus inter Angelos ipsos inferiores in natura in gratia superiores effecerint.*

Tertia; quia alia ratio quam D. Th. ex parte ipsorum angelorum reddit, scilicet quia perfectiores angeli magis conati sunt, vt se ad gratiam disponerent, difficultatem patitur, quia maior conatus est à maiori gratiæ auxilio: naturalis enim conatus non confert per se ad perfectionẽ actuum supernaturalium, aliàs angelus aliqua ex parte suis naturalibus viribus esset causa maioris gratiæ sibi collatæ, sicut intellectus perfectior cum ęquali lumine gloriæ non eliceret meliorẽ visionem, sed iuxta proportionem luminis, ergo in angelo maior conatus pendet totus à pręueniente auxilio; in hoc autem non potest fingi inęqualitas ex naturali conatu voluntatis, quia ad primum auxilium non datur dispositio ex parte hominis, vel angeli, ergo illa diuersitas in naturali conatu nil confert. 3. Obiect. *Confirmatur, quia hic conatus naturalis semper est liber, igitur licet angelus sit perfectior potest minus conari, quàm angelus inferior, igitur si inferior cum auxilio gratię plus conatur, melius disponetur, ergo recipiet maiorem gratiam, ergo melior dispositio supernaturalis non sequitur probationem naturæ.* Confirm.

Dicendum est tamen, Deum distribuisse gratiam angelis iuxta proportionem naturalium, ita vt quò angeli creati sunt perfectioris naturę eò maiori gratia ornati sunt. Concl. 3361 *Ita magister in 2. d. 3. S. Thomas hic art. vbi Caiet. Bannes. Molina Zumel, & Vasquez, & alij interpretes D. Th. Valentia q. 13. pũcto 3. Suarez lib. 5. cap. 10. Granados hic, & Auersa q. 62. sect. 6. & communiter iuniores, & ex antiquis Ricard. d. 5. art. 2. q. 3. Carth. 2. d. 4. q. 2.*

Probatur primò ex patribus, & in primis ex Diu. Dionys. lib. de cælesti Hierarch. vbi angelos perfectiores in natura, ait propinquiores esse Deo, tùm in officio, tùm in splendoribus gloriæ, & gratię, quod à præceptore D. Paulo didicisse in c. 6. profitetur, & ita ait, Prob. 1. Auctoritate. Primam Hierarchiam, sicut est perfectior reliquis, ita primoribus Dei splendoribus, maiori propinquitate coniunctam esse. *Basil. lib. de Spiritu Sancto cap. 16. dicente* Cælorum virtutes non suaptè natura Sanctæ sunt, sed iuxta proportionem, qua se inuicẽ superant, à spiritu habent sanctificationis mensuram. *Similia habet Damasc. lib. 2. c. 3.* Per Sancti Spiritus sanctificationem omnes angeli perfectionis numeros acceperunt, ita tamen, vt pro sua quisque dignitate, & classe luminis, gratiæq; participes sint. *Nazianz. Oratione in Sanctum Baptisma licèt in hac re dubius sit, eius tamen interpres* Nicetas *in hanc opinionem propendet.*

Ratione probat Sanctus Thomas, quæ solùm habet vim congruentiæ: nam ex parte Dei *videtur consentaneum sapientiæ eius, vt quos meliores in natura condidit, in altioribus sedibus gloriæ collocaret; & consequenter in maioribus gratiis præueniret, & ex parte Angelorum, quia quo sunt natura perfectiores eò maiori conatu per gratiam operantur, & ad illam se disponunt, quæ ex solutionibus rationum dubitandi illustriora fient.* 3362 2. Prob. ratione.

Ad primam rationem. Respondeo, perfectionem naturæ angelicæ non esse mensuram gratiæ, aut distributionis eius inter angelos, sed propria, & adęquata fuit voluntas diuina, Diuidens singulis prout vult. 1. *Corinth. 12. nihilominùs ex parte naturę angelicæ potest considerari aliqua congruitas, & occasio, quam Deus ex mera liberalitate, & voluntate sua distributurus gratiam, voluerit iuxta proportionem naturalium illam gratiæ distributionem efficere.* Ad 1. obiect. Resp.

Ad primam confirmationem Respondeo, concedendo, Luciferum, si fuit perfectior omnibus in natura, fuisse cęteris sanctiorem in primo instanti: neque est inconueniens, quia Deus non dat gratiam iuxta præscientiam futuri euentus, sed iuxta prę sentẽ dispositionem. Ad 1. Confir. Resp.

Ad secundam confirmationem, Suarez. Veretur concedere gratiam fuisse datam angelis intuitu suę bonę operationis naturalis. Sed reuera in eodem sensu, in quo conceditur, fuisse datã intuitu perfectionis maioris naturæ, potest concedi idem de operatione naturali; quia necessariò, & per se omnis actus liber naturalis vo- Ad 2. Confir. Resp.

luntatis

luntatis perfectioris in angelis affert maiorem perfectionem, licèt esse minus intensus propter vniuersaliorem, & puriorem, aut simpliciorē modum tendendi.

3363 Gratia excludit à natura omnem rationem debiti.

Sicut actus infimi angeli excedit actum hominis. Igitur gratia excludit à natura omnem rationem debiti, atque adeò meriti, dispositionis, seu conditionis, sine qua non, per se requisita, & similia; & hoc modo excludit illā ab omni actu naturali angeli: at verò titulus occasionis, siuè alicuius congruitatis, quæ soluet omnem, & perfectissimam rationem libertatis, donationis, & gratiæ, sicut tribuitur naturæ, non est, cur negetur operationis, quæ illi omninò proportionatur, imò accomodando singula singulis, si gratia habitualis perficit substantiam in se, habitus infusi potentiarum, & gratia actualis dantur propter operationes, vt supernaturales eliciantur, igitur non est, cur negetur, dari hanc congruitatem, & occasionem, salua semper liberali donatione gratiæ, in actibus perfectis naturæ, sicut in ipsa natura; imò integra perfectio naturę totū claudit, tàm substantiam, quàm eius operationem: Inde verò solùm infertur aliqua laus naturalis operantis, sicut, & ipsius perfectionis naturę; nil autem, quod cōducat ad rationem debiti, & minuat rationem gratiæ: quia ea actualis operatio non est semper permanens cum ipsa natura, quia libera est, & potest esse, & non esse: neque est subiectum, in quo recipitur gratia, nec reddit naturam magis capacem eius; ideò etiam ad illum titulum congruitatis, & occasionis non per se, sed quasi concomitanter se habet; maior verò perfectio naturæ quasi per se.

3364 Ad 2. Obiect. Resp.

Ad secundam rationem dubitandi. Respondet Sanctus Thomas in solutione tertij, esse disparem rationē, tum quia inter homines nulla est distinctio, & inæqualitas essentialis, sed solùm materialis, & numerica; inter angelos autem est diuersitas, & inæqualitas formalis, & essentialis, & ita magis decuit, prędictam gratiæ inæqualitatem intendi à Deo inter angelos, quàm inter homines; tum etiam quia homo ratione corporeæ molis, & sensibilium affectionum habet maiora gratię impedimenta, quam habuit angelus, & hæc apponi interdum solent ab ingeniosis maiora, quā à simplicibus.

Confirm. 1.

Addo, hoc non ita indicari congruum diuinæ sapientiæ, vt si aliter res Angelorum disponere sine aliquo deffectu, vel imperfectione id facere non posset. Nā potius credimus, hoc potuisse facere, nec defuturas ipsi plures suæ diuinę sapientiæ congruentes rationes, propter quas hoc facere potuisset: hoc enim conuincit instantia illa, quod ad artificij compagem per se attenditur perfectio gratię, non naturæ, & ita plures homines inferioris naturę ad maiorem gloriam, quàm multos angelos euexit; Sicut ad gratiam vnionis potius naturam humanam quàm angelicam; præcipuè si finis primarius Incarnationis fuisset excellentia mysterij ante prævisionem peccati: quia tamen illæ rationes nō sunt nobis notæ, & quia hic ordo videtur aptior, & facilior ad communem, & ordinariam prouidentiam, vt patet exemplo gradus intellectualis prę cæteris à Deo electi ad communicationem suę gratię; & quia P.P. hoc docent, pręcipuè Dionysius, qui doctrinam hanc à D. Paulo accepit, ideò de facto asserimus dictam proportionem in angelis seruatam fuisse, non verò in hominibus: tum quia in his non est essentialis distinctio: tum quia fortasse voluit Deus vtroque modo suā gratiam distribuere, & cum proportione ad perfectionē naturę in angelis, & sine illa in hominibus, vt se ostēderet liberalem donatorem gratiæ suę, distribuens illam, prout vult.

3365 Patet ad Cōfirm.

Addo secundò, quod licèt hic ordo seruatus fuerit in prima iustificatione, quo ad omnes angelos, & in secūda mora idem fuerit seruatum in S.S. Angelis, nihilominus in electione angelorum ad gloriam, & gratiā efficacem, non idem seruatum est in omnibus angelis, dum multi ex perfectioribus in natura non fuerunt electi, nec receperunt gratiam efficacem, quam inferiores multi receperunt.

Ad 3. Obiect. Resp.

Ad tertiam rationem dubitandi. Resp., quòd licet maior conatus sit à maiori gratię auxilio; tamen in primo actu, quo angeli ad gratiam se se disposuerunt, singulis data est vocatio, & motio pręueniens, maior, aut minor iuxtà proportionem naturalium, & consequenter ipsum etiam auxilium cooperans, preparatū est singulis iuxta modum suum, idest ad conandum supernaturali modo, quantum naturaliter posset vnusquisque conari, si actus naturalis futurus fuisset. Nam licèt conatus naturalis per se non conferat ad talem actum; tota enim quantitas eius est supernaturalis, & respondens perfectioni gratię, tamen capacitas illius remota, & per modum occasionis conferre potuit, vt Deus in concurrendo cum illis voluntatibus ad tales actus dictam proportionem seruaret, & ita exemplum de lumine gloriæ nil concludit contra nos.

Ad confirm. Resp.

Ad confirmationem, Respondetur, quod quamuis iste conatus semper sit liber in angelo, nihilominus in primo instanti Deus omnibus, & singulis dedit vocationem efficacem, qua vnusquisque iuxtà mensuram suam, toto conatu operaretur, & consentiret vocationi infallibiliter: in secundo etiam instanti, seu mora angelorum in bonis fuit etiam conuersio toto conatu: quia ipsis fuit datum auxilium efficax infallibilizans eorum voluntatem eadem proportione, qua in primo instanti fuerat datum omnibus, & ita toto conatu se ad Deum conuerterunt, quando mali peccauerunt; efficax n. auxilium, licet non excludat physicam libertatem, excludit moralem in determinando: de quo plura in nostra controuersia de efficentia diuinæ gratiæ, quam Deo dante, & Apostolica Sede permittente in lucem preferemus.

3366 Instabis.

Neque contra hanc resolutionem sensit Augustinus lib. 12. de Ciuit. cap. 9. quando dixit, malos angelos, minorem accepisse gratiam, quàm bonos: Respondetur. *Nam per hoc sensisse videtur, gratiam non fuisse distributam illis secundùm proportionem naturalium, cum Lucifer fuerit natura præstantissimus; quia ibi loquitur de gratia, & dono perseuerantiæ: quæ sine dubio fuit maior in angelis bonis imperfectioris naturæ, quàm in malis naturę excellentioris, vt dicemus inferius. Igitur, quod in hac disp. affirmamus, est, in primo instanti fuisse collatam gratiam angelis inæqualiter pro inæqualitate naturæ: & in secundo his, quibus datū est auxilium efficax, & donum perseuerantiæ, scilicet iuxta proportionem naturalium distributum esse.*

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum in Angelis Beatis remaneat cognitio naturalis.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

COncl. In Angelis beatis remanet cognitio, & dilectio naturalis. Prob. In quibus remanent principia operationum, necesse est, & operationes ipsas remanere. Sed in Angelis beatis remanet principium dilectionis, & cognitionis naturalis. ergo. Prob. min. Primum semper saluatur in secundo: sicut animal in homine. Sed Natura comparatur ad beatitudinem, sicut primum ad secundum; quia beatitudo additur naturæ, vt perfectio: ergo &c.

Arg. 1. Adueniente dilectione, & cognitione perfecta, tollitur cognitio, & dilectio imperfecta. ex 1. *Corinth.* 13. Sed cognitio, & dilectio Angelorum naturalis, sunt imperfectæ respectu beatitudinis: ergo. Resp. ma. esse veram de imperfecto opposito, perfecto: Imperfectio ante naturalis, non opponitur perfectioni gloriæ, sed ei substernitur, sicut imperfectio potentiæ substernitur perfectioni formę, & non tollitur potentia per formam, sed priuatio.

Arg. 2. Vbi vnum sufficit, aliud superfluè existit. Sed in angelis beatis sufficit cognitio, & dilectio gloriæ. ergo. Resp. veram

esse ma. si illud aliud non necessariò illi præsupponatur. Licèt.n.ea, quæ sunt beatitudinis, per se sufficiant, sed ad hoc, quod sint, praexigunt ea, quę sunt naturę, quia nulla beatitudo subsistit, nisi increata.

Arg. 3. Eadem potentia non habet simul duos actus, sicut, nec vna linea, terminatur ex eadem parte ad duo puncta. Sed Angeli beati sunt semper in actu cognitionis, & dilectionis beatę, ergo. Resp. Ad ma. quòd duę operationes possunt esse simul vnius potentię, si vna ad aliam ordinatur. Cognitio .n. & dilectio naturalis ordinantur ad cognitionem, & dilectionem gloriæ.

DISPVTATIO CCCXVI.

An Angeli habeant naturale iudicium de diuina veritate, quam vident in Verbo.

3367 Nota. *ADuerte, quòd in Angelis tria genera actuum, & habituum considerare possumus. Primum est, eorum, quæ sunt tanquam media, & dispositiones præuia ad beatitudinem consequēdam, sicut fides, & spes, quæ sunt non solum media, verùm, & præuiæ dispositiones; & tales actus, & habitus omninò cessant post beatam Visionem. Alij sunt statui beatitudinis subordinati, & veluti fundamenta requisiti; cuius modi sunt, quæ pertinent ad naturæ integritatem, & perfectionem: de quibus docet Sanctus Thomas hic, quòd manent, sicut ipsa natura, & potentia. Alij sunt media quidem ad beatitudinem consequendam, quæ secundum substantiam non repugnant statui beatifico, sed tantum secundùm modum operandi, quem habent in via; Sicut scientiæ, & alia dona Spiritus Sancti, quæ pertinent ad intellectum: & hæc manent in Patria sublata tamen imperfectione, quam habebant in via. Ratione cuius dicitur 1. Corinth. 13. Siuè linguæ cessabunt, siuè prophetiæ euacuabuntur, siuè scientia destruetur.*

3368 Conclusio statuitur. *Sed est certa conclusio quòd beati non solùm habent cognitionem supernaturalem beatificam: Sed etiam cognitionem naturalem rerum per actum omninò distinctum a supernaturali. Hæc conclusio communis est, & certa apud Theologos. Et probatur: Quoniā cognitio naturalis, est naturalis perfectio, quæ ponit in numero cum supernaturali, quia sunt distinctio ordinis, & per diuersa media & vtraque est in suo genere perfecta, non ergo est vnde habeant incompossibilitatem: manebunt ergo simul. Quia esse supernaturale, non destruit esse naturale, nec perfectionem eius.*

Confirm. 1. *Et confirmatur quia in Christo Domino simul sunt scientia beata infusa, & naturalis: ergo similiter in Beatis dicendum est. Præterea. Sicut vitam sensibilē consequitur aliqua naturalis operatio, ita, & intellectualem. Sed operatio naturalis in angelis consequitur vitam intellectualem, ergo manet in statu beatitudinis. Sicut in corpore glorioso cum vita corporali manent sensuum operationes.*

Confirm. 2. *Et confirmatur. Quoniam si angeli non haberent simul vsum naturalium scientiarum, aut specierum: sequitur species illas otiosas esse; imò, & frustrà fuisse collatas. Patet sequela. Quoniam breuissimo vitæ discursu non potuerunt angeli omnibus scientijs, & speciebus vti. Imò sequitur, lumen naturale angelicum esse similiter otiosum at neque naturale lumen, neque species angelicæ sunt frustra in Patria siue efficientia, ergo per illa elicit angelus cognitionē sui, & Dei.*

Euasio. *Ad hoc argumentum dicunt quidam, quòd aliquid efficiunt non tamen distinctum actum, sed solùm iuuat visionem beatificam.*

Præcluditur. *Sed hoc non satisfacit. Quia visio beatifica est alterius ordinis, & per lumen, & principium eleuatissimum. Vnde, nullo modo iuuari potest à lumine, & speciebus naturalibus. Et oppositum dicere, est malè consonum cum catholica doctrina. Vnde, nullo modo iuuari potest à lumine, & speciebus naturalibus: neque fieri potest, vt cognitio supernaturalis, & naturalis in vno actu conueniant; cum habeant obiecta diuersa, & rationes essētiales adeò distinctas. Itē, quia visio beatifica, est omninò inuariabilis: naturalis verò, mutabilis.*

Professò, si istorum vera responsio foret, visio beatifica perficeretur à lumine naturali imperfectiori. Tandē in beatitudine non destruitur natura: ergo non potest operatio dissipari, quæ sequitur ex ipsa natura. Et ex hac ratione etiam sequitur, quòd naturalis dilectio benè se compatitur cum dilectione supernaturali Dei: Nam Beatus, qui fruitur Deo, se diligit, & proximos etiam dilectione naturali. Et confirmatur. Quoniam authore Augustino in Angelis respectu eiusdem obiecti reperitur duplex cognitio, matutina, & vespertina: matutina cognitio, est visio beata: vespertina verò est, quæ habet extra verbum per species creatas; & est naturalis rerum cognitio in proprio genere. Quare, quicumque angelus beatus videt in Verbo omnia genera, & species rerum naturalium. Vnde, si Angelus beatus non cognosceret extra verbum cognitione naturali eadem obiecta, quæ videt in Verbo, non vteretur speciebus intelligibilibus, sibi connaturalibus, quæ per se primò repræsentant genera, & species rerum naturalium. 3369 Confirmatur.

Primum est, quia plus differt iudicium naturale à visione beata, quam assensus opinatiuus à scientifico: Sed hæc duo simul esse non possunt, ergo neque illa. Sanè, quoniam afferuntur duo media ad cognoscendam aliquam conclusionem; alterum demonstratiuum, & alterum probabile: non potest intellectus simul proferre duos assensus, vel iudicia, alterum demonstratiuū scientiæ, alterum verò opinatiuum: Sed ambo simul causant vnum iudicium euidens, igitur in patria, cùm sint duo lumina, quæ sunt veluti duo media: sequitur, quòd solùm vna cognitionem producunt, & non duas. 3370 1. Obiectio.

Resp. distinguendo maiorem. Nam si loquamur de gradu perfectionis, concedenda est. Si verò de distantia oppositionis, neganda est. Assensus enim opinatiuus, formaliter opponitur scientifico, propter formidinem: Sicut tenebræ lumini. At visio beata nullam habet repugnantiam cum visione clara naturali: & idcircò compatitur illam esse secum, quamquam sit longè perfectior. Dico secundò, medium probabile, & demonstratiuum non posse simul efficere, & effectiuè concurrere ad eundem actum scientiæ euidentissimum. Quomodo autem medium probabile iuuet ad scientiam, & quomodo opinio, & scientia possint esse simul: alibi dicetur. Nam Sanctissimus Præceptor non adducit exemplum tanquam omninò simile: sed solùm ad explicandum, quòd cognitio perfecta nō semper omninò destruit minùs perfectam nisi habeant repugnantiam. Dico tertiò, quòd per medium probabile, & demonstratiuum eiusdem conclusionis fortè producitur vnicus assensus demonstratiuus: quia sunt media naturalia se se iuuātia, & habentia inter se proportionem; cum pertineant ad ordinē naturæ. Sed in nostro casu lumē gloriæ, & lumen naturale intellectus sunt lumina omninò diuersi ordinis, & ideò vtrumque concurrit ad suam peculiarem cognitionem. 3371 Respond.

Secundum, visio beatifica est perfectissima operatio omniū: ergo postulat omnē intellectus conatū: ergo non compatitur simul aliam operationem intellectus. Probo consequentiam. Quia potentia, quæ adhibet totū conatū, quē potest in vna aliqua operatione, nō potest simul exire in aliam operationem: quia pluribus intentus, minor est ad singula sensus. Certè, Angelus, vel fertur tota mentis attentione in Deum clarè visum: vel non? Si primum: nihil superest, quòd tribuatur naturali iudicio. Si secundum, sequitur, quòd cognitio beata erit imperfecta ex parte angeli; quia non tantum attenderet illi actui quantum potest. 2. Obiectio.

Resp. aliqui Theologi docent, esse miraculum, quòd Sancti Angeli simul habeant illam geminam operationem. Cæterùm hæc solutio est miraculosa: & ob id relinquenda. Nam duplex illa operatio, verè requiritur in intellectu angelico sine vllo prorsus miraculo. Primò, quoniam tota efficacia, & totus conatus, quem intellectus angelicus adhibet ad visionē beatā, nō respondet virtuti naturali intellectus; sed solùm lumini beatifico. Quia in illa visione intellectus creatus non operatur iuxta proportionē suæ virtutis naturalis: operatio 3372 Respond.

.n. na-

.n. naturalis correspondet virtuti, & lumini naturali intellect⁹. Et idcircò, conatus, quem præstat intellectus in visione beatifica, non impedit conatum, quem præstat in operatione naturali: qui conatus illi sunt veluti duarũ potentiarũ. Imò verò dicerem, quod visio Beata & conatus, quem erga ipsam præstat intellectus, conducit ad perfectionẽ maiorẽ cognitionis naturalis: quoniam operatio potentiæ superioris non minuit, sed potius complet, & perficit operationem potentiæ inferioris. Secundò, quia naturalis operatio sensuũ nihil tollit de intensione intellectus beatifici videntis: Sic ergo, neque operationes naturales. Nam status beatitudinis hoc etiã postulat, vt omnia naturalia integra sint. Tertiò, propter rationem D. Th. his solutione ad tertiũ.

3. Obiectio. *Tertiò, arguitur. Quoniã duæ faculæ accensæ ad illustrandum aerem applicantur, altera maior, & altera minor; tunc duæ illæ faculæ nõ producunt in medio duo lumina: sed vnũ, igitur per illa duo lumina beati solũ vna cognitione præditi sunt. Vnde, Sanctissimus Præceptor solutione ad primum ait, quòd angelos ita videt per suam essentiam, & diuinã; sicut nos per mediũ demonstratiuum, & probabile. Constat autẽ, quod nos nõ habem⁹ duo iudicia de eadẽ cõclusione: ergo neq; angel⁹.*

3373 Respond. *Resp. Patet solutio ex his, quæ diximus ad primum. Nam illa duo lumina sunt eiusdem ordinis, & se mutuò iuuant: sunt .n. intra idẽ genus. Visio autem beatifica est extra genus naturalis cognitionis, & notitiæ & idcircò non inconuenit, diuersis rationibus idem obiectum considerare.*

4. Obiectio. *Quartò. Operatio fidei simul coniungi nõ potest cum visione beatifica circa idẽ obiectũ; ob id, quòd fides intrinsecè includit obscuritatẽ, & imperfectionem, visio verò beatifica est summè euidens, & perfecta. at naturalis cognitio intrinsecam dicit imperfectionẽ, potissimò si comparetur ad visionem beatam; ergo nõ cõpatitur visio beata talem cognitionem naturalẽ respectu eiusdẽ obiecti. Ac proinde non potuerunt esse simul.*

3374 Resp. *Resp. negando consequentiã, quoniam fides constituit intellectũ omninò non videntẽ res, quæ per fidem creduntur: ac proinde non cõpatitur secum in eodẽ intellectu eiusdẽ obiecti clarã visionẽ. At verò imperfectio, quæ in cognitione scientifica naturali reperitur, tota manet in ipsa cognitione, & in medio per quod fit hæc cognitio & nõ postulat, quòd intellectus sit imperfect⁹ simpliciter. Quia naturalis cognitio scientifica, certa est, & euidens; quamuis eius certitudo, & euidentia non habeat perfectionem omnimodam, sed solùm perfectionẽ sui generis naturalis. Vnde, eius imperfectio nihil prohibet, quòd intellectus per medium altioris ordinis habeat cognitionem aliam perfectionẽ eiusdẽ obiecti.*

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum Angelus Beatus peccare possit.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Concl. Negatiua. Prob. Sicut se habet quicumque non videns Deum, ad cõmunem rationem boni; sic se habet videns Deum per essentiam ad Deum ipsum; quia essentia Dei est ipsa essentia bonitatis. Sed impossibile est, quòd aliquis quicquam velit, vel operetur, nisi attendens ad bonum; vel quòd velit diuertere à bono, inquantũ huiusmodi. ergo impossibile est, quòd videns diuinam essentiam, possit aliquid velle, vel agere, nisi attendens ad Deum, quod est, non posse peccare.

Arg. 1. De ratione naturæ creatæ est, quòd possit deficere. Sed Beatitudo non tollit naturam, vt dictum est. ergo. Resp. ad ma. quòd bonum creatum in se deficere potest, sed ex coniunctione perfecta ad bonũ increatum, qualis est coniunctio beatitudinis, adipiscitur, quòd peccare non possit, ratione iam dicta in conclusione.

Arg. 2. Potentiæ rationales sunt ad opposita. Sed Voluntas Angeli beati non desinit esse rationalis. ergo. Resp. ad ma. quòd virtutes rationales se habent ad opposita, non in omnibus, sed in illis, ad quæ non ordinantur naturaliter: Intellectus .n. non potest non assentire principijs naturaliter notis. Similiter Voluntas Angeli non se habet ad opposita, quantum ad ipsum Deum, quem videt esse ipsam essentiam bonitatis.

Arg. 3. Ad libertatem Arbitrij pertinet, quòd possit eligere bonum, & malum; sed in Angelis beatis non minuitur libertas arbitrij. ergo. Resp. ad ma. quòd de ratione libertatis arbitrij est, posse eligere hoc, vel illud, seruato tamen ordine finis, & ad finem, & non quod possit eligere malum. Vnde, quòd liberum arbitriũ possit diuersa eligere, seruato ordine finis, pertinet ad eius perfectionem; sed quod aliquid eligat, diuertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum eius.

DISPVTATIO CCCXVII.

An conclusio D. Th. sit de fide tenenda.

Circa hoc dubiũ fuit error quorundã credentium, quòd angelorũ beatitudo nõ est æterna, sed mutabilis in miseriã: & cõsequenter errantes dixerunt, quod miserorũ damnatio futura est tẽporalis Et iste fuit error Origenis: contra quẽ scripsit Alphonsus à Castro lib. de Hæresibus, verbo beatitudo, hæresi tertia. *est .n. iste error cõtra articulũ fidei in symbolo: credimus .n. Sanctorũ communionẽ, & vitã æternã. Est præterea sententia Origenis contra illud Matth. 25. Ite in ignẽ æternũ, qui paratus est* Diabolo, *&c. Quòd si pœna æterna est pro damnatis, beatitudo est æterna pro prædestinatis. Vnde, Daniel Propheta ait:* Fulgebunt iusti, sicut stellæ in perpetuas æternitates. *Pauet Paulus dicens. Et sic semper cum* Domino *erimus. Alter error fuit eorũ, qui crediderunt angelos, etiã beatos peccare posse, siuè amittant beatitudinẽ, siuè in ea permaneant. Qui error tribuitur Fabro* Stapul. in l. de Triplici Magda ena, *Qui tamen, quoniam est prohibitus, non est nobis vsui. Postremus error est, quem etiam insinuat Origen. locis commen. quòd plerique angeli modo sunt in statu merendi, aut peccandi: quibus iudicio pro meritis præmia, vel supplicia reseruantur.* 3375 Error quorũdam.

3376 Conclusio. *Pro explicatione huius dubij, est prima cõclusio. Beatitudo Sanctorũ est inamissibilis ab eis: & cõsequẽter de fide est, beatos peccare nõ posse. Quò circa, Origenis error damnatus est* in 6. Synodo generali action. 11. *Vnde, sicut beatitudo illa Sãctorũ est vita, ita est æterna vita. Cõtra huiusmodi errorẽ scripsit Aug.* lib. de hæresibus, hæresi 43. & 12. de Ciuit. Dei c. 20. *& D. Thom.* 4. contra Gent c 92. & 3. contra Gent. c. 61. & 62. *vbi ostendit beatã visionẽ suaptè natura æternã esse. Et præter loca sacræ scripturæ superius commemorata, extat* illud 1. Pet. 5. vocauit nos in æternã gloriã suã. *Profecto, si beati angeli peccare possũt: aut per tale peccatum amitterent beatitudinem, aut in ea manerent? Si primum: illud est contra rationem beatitudinis, quæ essentialiter est æterna vita; æternitati verò repugnat mutabilitas. Si secundũ: ergo simul essẽt miseri, & beati. Scriptũ est .n. Prouerb. 14.* Miseros facit populos peccatũ. *Esset etiã contra illud Apoc. 21. Nihil inquinatũ in eã intrabit? Præterea, si peccatum angelis Sãctis contingere posset: vel id esset ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis Ostensum est enim suprà nullam aliam esse illis potentiam. Sed vtrique illarum repugnat peccatum in statu beatitudinis. Nam intellectus apertè videt omnem rationem boni, & omnem rationem agendi; voluntas verò totaliter fertur in summum bonum: diligunt enim ex toto corde, & ex tota mente. ergo.* Prob. 2.

3377 Prob. 3. *Tertiò, si Angeli aliquando peccarent, cessarent*

vtique

vtique à laude diuina. Quia scriptum est: Non est speciosa laus in ore peccatoris. Et secundùm fidem nunquam cessabunt beati, iuxta illud prophetæ, Beati, qui habitant in Domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Et Isai. 62. super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die, ac nocte non tacebunt. Rursus, Sancti Angeli, vel sciunt se peccare non posse, vel hoc ignorant? Si sciunt, ergo ita est; alioqui falsum subesse posset beatificæ visioni. Si datur secundum: ergo non sunt liberi ab omni metu. Nam quod maximè timent iusti, est peccatum: qui metus est contra statum beatitudinis. Ad hæc, Beatus habet in Patria hanc voluntatem efficacem; volo placere Deo in omnibus, & per omnia: & status ille suggerit vires ad implendam hanc voluntatem in omnibus, & per omnia: ergo impossibile est, quòd Beatus admittat aliquod malum, vel aliquod peccatum. Alioqui non haberet ex natura illius status beatifici voluntatem efficacem placendi Deo in omnibus, & per omnia. Aliqui probant, quòd beatus peccare non posset: quia si posset peccare; sequeretur, quòd esset viator. Verum hæc probatio ignoranter procedit; quia Dæmones in inferno peccant, & tamen non sunt viatores; Vnde, argumenta posita meliùs ostendunt conclusionem: & multa alia dicemus statim in hoc articulo.

3378 2. Concl. Secunda conclusio. Tanta rectitudo voluntatis requiritur in beatis, vt non solum peccare non possint mortaliter, sed neque venialiter, in illo statu. De qua conclusione olim pleraque diximus 1. 2. q. 4. art. 4.

Quòd nō possint peccare mortaliter. Prob. Hæc conclusio habetur ex traditione Ecclesiæ: & est de fide, sicut præcedens. Et prior pars conclusionis iam patet ex his, quæ diximus. Et præterea liquet ex illo 1. Petri 1. Regenerauit nos in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & psal. 14. Domine quis habitauit in tabernaculo tuo? Respondetur ibidem: Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiā. Et Sapientiæ 7. Nihil inquinatum intrabit in eā. Certè, si peccare possent mortaliter, non esset beatitudo inamissibilis, aut perpetua in Sanctis Angelis: quod est contra illud Apocaly. 3 Faciam illum, qui vicerit columnam in templo Dei mei: & foras non egredietur amplius. Et Isai. 33. Oculi tui videbunt Hierusalem Ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri potest: neque auferrentur claui eius in sempiternum, & funiculi eius nunquā dirumpentur.

3379 Neq; venialiter. Prob. Quod verò, neque venialiter peccare possint: probatur. Tum, quia repugnat statui beatitudinis: est enim beatitudo status omnium bonorum aggregatione perfectus. Et beatus, vt docet August. est qui habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult. Tum etiam, quia posse peccare, est magna imperfectio, & non potest non causare nonnullam anxietatem, & timorem etiam. Quocirca, si beatus in se cognosceret huiusmodi potentiā, non esset perfectè satiatus. Item, quia peccatum, quāuis leue sit, diminuit gaudium, & causat tristitiam: ergo non esset in beatitudine gaudium perfectum, & completum: quod est contra sacram scripturam, & contra Isai. c. 30. 32. 43. 65. 66. & rursus in Apocalypsi legimus: Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorū. & iam nō ait luctus, neq; clamor. Sūt igitur liberi ibi ab omni pœna: & consequenter à culpa, Io. 15. petit Christus Dominus, vt gaudium plenum sit suis electis. Patet etiam: quia nihil coinquinatum potest intrare in illam beatitudinem: multò ergo minùs potest ibi committi peccatum. Et in hac re omnes Theologi conueniunt cum D. August. 1. super Genes. ad litteram, & in Enchir. c. 57. & ser. 143. & 12. de Ciuit. c. 13. & de Ecclesiastic. dogma. c. 62. & 1. de fide ad Petrum cap. 27. ait, Firmissimè tene, & nullatenus dubites, nullum Sanctorum Angelorum in deterius mutari posse.

3380 3. Conclusio. Tertia conclusio. Sicut intrinsecus est beato ratione status, & beatitudinis, quod non possit peccare in illo statu; quia habet rectitudinē voluntatis coniunctam: ita etiam ratione status, & intrinseca conditione beatitudinis est, quòd beatus non possit habere errorem in intellectu.

Prob. 1. Probatur. Quia beatitudo satiat omne desiderium, & excludit omne malum. Sed error est malum intellectus: ergo, &c. Neque etiam beati possunt habere iudicium opinatiuum. Quoniam opinatiuum iudicium importat assensum cum formidine: formido verò pugnat cum illo statu beatifico.

Secundò. Secundò, beatus est prudentissimus: ergo nunquam assentietur alicui parti absque eò, quod clarè, & euidēter cognoscat id, quod iudicat esse verum: aliàs prudētissimus non esset.

Tertiò. Tertiò, beatus iudicat euidenter, se errare non posse: & cùm pertineat ad beatificam statum scire se non posse errare; sequitur, quod beatus id non ignorat. Et similiter sequitur, nullum beati iudicium posse esse erroneum. Quia beatus facit hanc consequentiam: Beatus non potest habere iudicium erroneum: at ego sum beatus: ergo errare non possum. Sicut ego iudico, quòd quantitas distinguitur à re quanta: ergo mihi est euidenter verum, quod quantitas distinguitur à re quanta.

3381 1. Obiectio. Pro parte negatiua prima dubitandi ratio sumitur ex illo Iob. 4. vbi loquens de Sanctis Angelis, ait, Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem. Si igitur non sunt stabiles, ergo prolabi possunt; ac proinde peccare.

Respond. Respondetur fateor sermonem esse de Sanctis Angelis: vt patet ex contextu. Sed sensus est non esse stabiles ex natura sua; sed per gratiam Dei: vt exponit Greg. 5 Moral. c. 27. Et idem docet Hieron. super Iob. secundo potest intelligi hoc testimonium in communi de his, qui seruierunt ei in via. Et ad hoc confirmandum addit in angelis suis reperit prauitatem: Scilicet in viatoribus, non in beatis. Tandem angelus secundùm se consideratus, capax est peccati, & non est stabilis, sicut multorum lapsu fuit comprobatum: at per diuinam gratiam in eum gradū translati fuerunt, in quo neque peccare possunt, neque velle peccare.

3382 2. Obiectio. Secunda ratio dubitandi est. Quoniam Origenes homil. 20. super nu. credit angelos custodes in iudiciū esse vocandos, vt appareat, an eorum culpa deliquerint homines, qui eis commissi sunt. Sed Angeli Custodes sunt Beati, nam vident faciem Patris, qui est in Cælis: ergo peccare possunt. Et homil. 13. super Lucam ait, quòd Angeli Custodes possunt negligenter se gerere circa hominum Custodiam.

Respondetur. Resp. Quòd sententia Orig. cauenda potius est, quàm explicanda. Credimus namque omnes angelos custodes, siuè bonorum, siuè malorum, beatos esse: Cùm dicat Saluator de angelis paruulorum, quod vident faciem Patris, qui in cælis est. Quare, potest quidem eis accrescere accidentale gaudium de salute commissorum, & non præmium essentiale, quia iam sunt in termino. Neque peccatum etiam leuissimum contrahere possint: quia repugnat status. Quocirca non comparebunt in iudicio tanquam Rei iudicandi: Sed tanquam testes nostrarum operationum.

3383 3 Obiectio. Tertia ratio sumitur ex testimon. Hieron. in Michæam c. 6 circa verba illa: Contendet aduersus mōtes, vbi ait, per montes intelligi angelos Ecclesiarum, cum quibus futura est contentio, an rectè ministerium suū peregerint. Sed Ecclesias Deus non commisit Angelis damnatis, sed beatis: ergo, &c.

3288 Respond. Resp. Quod cum Hierony. illud dicat, consentire videtur sententiæ Origenis. Nam, vt ipse testatur sæpè in comment. suis, aliorum potius explicat sententiam, quàm suam, nihilominùs tamen possumus intelligere locum illum de Angelis Ecclesiarum hoc est, de Episcopis: qui propter officij dignitatem, angeli vocantur; Quibus loquitur Io. in Apocal.

ARTICVLVS NONVS.

Vtrum Angeli Beati in beatitudine proficere possint.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COncl. Neg. Prob. Quælibet creatura rationalis ordinatur ad beatitudinē, & ad ipsam

ipsam dirigitur, tanquam ad aliquid determinatum, & vltimum; Quod est quidam gradus diuinæ visionis, determinatus ex diuina Prædestinatione; ergo consecuto illo gradu determinato modi diuinę visionis, ad quem ordinatur, non potest creatura in superiorem transire. Prima pars Antec. prob. quia Creatura rationalis mouetur à Deo ad beatitudinem, tāquam ad vltimum finē; cui repugnat infinitum. 2. Pars prob. quia beatitudo creata non est determinata ex parte obiecti; cùm obiectum sit infinitum; est ergo determinata secundùm modū diuinæ Visionis.

Arg. 1. Charitas est principiū merendi; sed in Angelis beatis est perfecta Charitas. ergo. Resp. ma. esse veram de charitate viæ, quæ est Charitas imperfecta. Non autem de Charitate perfecta, quę est in Angelis beatis.

Arg. 2. Si Angeli beati non possunt mereri, non esset verum, quòd Deus vteretur Angelis beatis ad eorum vtilitatem: quòd est contra id, quod dicit Aug. *in lib. de doctr. Christ.* ergo. Resp. aliquid dici vtile dupliciter. Vno modo, quod est in via ad finem: & sic vtile est meritum beatitudinis. Alio modo dicitur aliquid esse vtile, sicut Pars est vtilis ad totum; & hoc modo ministeria Angelorum beatorum sunt vtilia ipsis Angelis beatis, inquantum huiusmodi ministeria sunt quędam pars beatitudinis ipsorum.

Arg. 3. Quod nō est in summo, potest proficere, aliàs esset imperfectum. Sed Angeli beati nō sunt in sūmo. ergo. Resp. ad mi. Angelos beatos esse in sūmo beatitudinis, ad quam prædestinati sunt. Vnde ex virtute beatitudinis solùm accidentaliter possunt gaudere, & proficere propter salutē eorum, qui per eorum ministerium saluantur.

DISPVTATIO CCCXVIII.

3385 Nota 1. Quanta sit conclusionis D.Th. articulo, & probationis eius efficacia.

Sciendum est primò ex angelico nostro Doctore in 4. sent. dist. 11. qu. 2. art. 1. quęstiuncula secunda, *& est communis* Theologorum *doctrina, gloriam, siuè beatitudinem Sanctorum comprehendere Sanctorum præmium: & quemadmodum est duplex premium, scilicet essentiale, quod est gaudium de diuinitate clarè visa, & accidentale, quod est gaudium de quocumque bono creato, ita duplex est Sanctorum gloria, siuè beatitudo, nimirum essentialis, & accidentalis. Consistit autem essentialis beatitudo in perfecta coniunctione animæ ad* Deum, *quatenus eo perfectè fruitur, vt viso, & amato perfectè: Accidentalis autem beatitudo in gaudio posita est de operibus à se, vel alijs factis, aut de quouis alio bono creato; pertinet enim hoc gaudiū ad benè esse beatitudinis, & ad claritatem, & decentiā quandam ipsius; sicut etiam politica fœlicitas ornatur nobilitate, & corporis pulchritudine, & alijs similibus, sine quibus tamen esse potest, vt ait Arist.* in 1. Ethic. c. 8. & sequentibus. *Videndus est S.Th.* in 4. sent. dist. 49. q. 5. art. 1.

Nota 2. *Secundò notandum est ex D.Thoma de virtutibus in communi art. 1. ad 2. mereri dupliciter sumi: vno modo propriè, & sic nihil aliud est, quàm facere actionem aliquam, cui iustè merces debeatur; ad quod tria requiruntur, scilicet status viæ, dominium operis, & Charitas, vt notat Bergomas* in concord. num. 157. *Alio modo impropriè; & sic qualibet conditio, quę facit hominem aliquo modo dignum, meritum dicitur: quemadmodum si dicamus speciem Priami imperiū meruisse, quia digna fuit imperio. Requiri autem ad rationem meriti propriè dicti statum viæ, satis apertè patet* ex supradictis articulis huius quæstionis. *Nec valet glossa Vasquez dicentis, statum viæ requiri, vt aliquis sibi, non tamen alteri mereatur; quia meritum propriè ac strictè sumptum, rationem habet viæ ad finem, qui est præmium merentis per se primò debitum, siuè sit ab eo recipiendum in persona propria, siuè aliena; igitur, quicumque sibi, vel alteri meretur, ad terminum tendit, præmium scilicet acquirendum, vel in se, vel in altero recipiendum; ei autē, qui iam est in termino, non conuenit moueri ad terminum; igitur nullus in statu beatitudinis constitutus, qui non sit comprehensor, simul, & viator, potest sibi, vel alteri mereri.*

Cùm igitur ait, in hoc art. *Sanct. Doct.* ad 3. argumentum, nec Angelos Sanctos, nec aliquem alium beatum mereri posse, nec etiam præmium accidentale; *de merito propriè sumpto loquitur: cum autem* in 2. & 4. sent., *affirmat angelos per ministeria nobis exhibita mereri præmium accidentale, de merito sermo est impropriè sumpto; quia scilicet angelis, tanquā amicis, & commensalibus* Dei *congruit beatitudinis accidentalibus augmentum. Quod etiam his significat in fine responsionis ad 3. in illis verbis:* Prædictū .n. gaudium magis acquirunt ex virtute beatitudinis, quàm illud merentur. 3386 Nota 3.

Sed obseruandus est etiam attentè modus loquendi D.Thom. locis supra notatis; ex eo namque luce clarius apparebit, illum eandem vbique sententiam tenuisse. Verba D.Th. in 2. sent. dist. 5. qu. 2. art. 2. sunt: Vnde non videntur se posse compati, vt aliquis beatus in statu merendi existat, sed secundum quid potest sustineri, vt scilicet mereri intelligantur, nō pręmium essentiale, quod est eorum beatitudo, sed præmium accidentale, quod est gaudiū de illis, qui per eorū officia saluantur. In 4. verò sent. dist. 50. q. 2. art. 1. quæstiunc. 6. *sic loquitur:* Sed ante diem iudicij quidam dicunt, & beatos mereri, & damnatos demereri: sed hoc non potest esse respectu præmij essentialis, vel pęnę principalis, cū quantū ad hoc vsq; ad terminum peruenerint: potest tamen hoc esse respectu pmij accidentalis, vel pænæ secundariæ, q̄ potest augeri, vsq; in diem iudicij, & hoc præcipue in Dæmonibus, vel angelis bonis, quorū officio aliqui trahūtur ad salutē, ex quo bonorū angelorum gaudium crescit, vel damnationem ex quo crescit pæna Dæmonum. hæc ibi. Nota 4.

Quorum omnium verborum formam, si quis attētè consideret, facilè cognoscet, mentē D.Th. *non esse simpliciter affirmare, beatos angelos ante diē iudicij posse mereri pręmium accidētale, propriè loquendo de merito, sed asserere tantū, opinionē dicentem, angelos beatos ante iudicium præmium accidentale mereri, posse sustineri, tanquā probabilē; quod etiam asseruerat Sūmus Pontifex in allegato cap. cū Marta: & idē significat his ad 3. S.Th, non .n. reijcit opinionem illam, vt omninò falsā, & improbabilē, sed oppositam, ait, esse probabiliorem, quòd apertè significant illa verba:* sed melius est, vt dicatur, &c. *Vltima verò verba dictæ responsionis, videlicet,* Prædictū gaudium magis acquirunt ex virtute beatitudinis, quàm illud mereātur *meriti propriè dicti rationem excludunt, & meritum in eis minùs propriè dictum admittunt, prout Bergomas author aureæ Tabulę subtiliter aduertisse videtur. Non fuit itaque mutata sententia, sed modus loquendi melior assumptus.* Nota 5.

Tertiò considerandum est, opinionem dicentē, Sanctorū gloriā essentialē vsq; ad diē iudicij augeri, non solum esse temerariā, sed etiam erroneam, ob dicta sacrarū litterarū valdè perspicuè contrariū significantia. Primum, idemque pręcipuum illud est, quod his affirmat Zumel, & post eum Vasquez ex 2. ad cor. 5. videlicet, Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siuè bonum, siuè malum; *Quibus verbis iuxta communem Sanctorū* 3387 Nota 6.

expositionem

expositionem significatur, quemlibet hominem in die iudicij de ijs tantùm operibus rationem esse redditurum, quę gessit in corpore, & pro illis à Deo pręmia, vel supplicia recepturum, ac proinde pro bonis, aut malis operibus exercitis ab anima separata nihil illi premij suppliciiuè deberi. Secundum est ad Gal. 6. Bonum autem facientes non deficiemus; tempore enim suo metemus non deficientes: ergo, dum tēpus habemus operemur bonum ad omnes, &c.

3388 Nota 8. *Vbi D. Apostolus duo tempora distinguit: primum est tēmpus seminādi, idest operandi opera meritoria, & hoc significat esse tempus vitæ pręsentis, secundū est tempus metendi, idest fructum, siuè mercedem bonorum operum recipiendi, & hoc significat esse post mortem. Tertium dictum est Io. 9.* Venit nox, quando nemo potest operari. *Noctem appellat mortem, postquam nemo potest operari opera meritoria. Quartū est Eccl 9.* Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, neque sapientia, nec scientia erant apud inferos, quo tu properas. *Quorum verborum sensus est, in hac vita diligenter bonis operibus esse vacandum, quoniā apud inferos, idest in sepulchro, siuè post mortem, & in termino viæ, vt Patres communiter interpręantur, non est scientia, siuè sapientia, quæ proficere possit ad meritum: eadem autem est ratio de angelis, & hominibus, vt hic aduertit, & probat Zumel. Alia loca, & PP. testimonia lege, si placet apud Zumel, & Vazquez.*

3389 Nota 9. *Qui censuram approbans communem Theologorum dicentium, opinionem dictæ veritati contrariam esse temerariam, & erroneam, nimis audacter affirmat, Innocentium tertium in dicto capitulo* Cum Marta: de celebratione missarum §. vltimo *dictam opinionē, vt probabilem referre; quod est planè tàm falsum, quàm indignum Apostolicę Sedis auctoritate. Verba decretalis illius hęc sunt:* Quod in plerisque orationibus continetur, profit, vel proficiat huic Sancto, vel illi talis ablatio ad gloriam, & honorem, ita debet intelligi, vt ad hoc profit, quod magis, ac magis à fidelibus glorificetur in terris, licet plerique reputent non indignum Sanctorum gloriam vsque ad iudicium augmētari, & ideo Ecclesiam interim sanè posse augmentum glorificationis eorum optare. Quę verba exponunt Bannes, & Zumellus, & de gloria accidentali. *Sed Magister Perrecta nomen glorię primo loco positum de gloria intelligit essentiali, prohibet enim ibi Summus Pontifex orare pro Sancto, dicens, Sanctorum gloriam scilicet essentialem nostris orationibus non augeri, sed apud fideles tantùm nominum eorum claritatem dilatari. Deinde verò, cùm refert opinionem dicentium, Sanctorum gloriam vsque ad iudicium augmentari de gloria accidentali vult intelligi.*

3399 Nota 10. *Sed ait Vasquez; decretalem illam de gloria non accidentali, sed essentiali tantum loqui; quia certum est, gloriam accidentalem augeri vsque ad diem iudicij, neque id in opinione positum est. Innocentius autem refert prædictam sententiam, tanquam opinionē aliquorum, non tanquam certam doctrinam. Sed facilè confutatur hoc argumentum. Falsum est enim, sententiam illam vt aliquorum tantùm opinionem sibi referre. vt patet ex eo verbo, Plerique, quod magnam partem significat,* Doctorum *scilicet asserentiū, gloriam augeri, vsque ad iudicium. Ex quo sequitur sententiam illam non esse relatam, vt opinionem paucorum, sed vt communem Theologorū doctrinam, quæ tamen non habet fidei certitudinem. Verba enim illa Luc 15.* Gaudium erit eorum Angelis Dei super vno peccatore pęnitentiam agente, *facilè possunt exponi, non de noua glorię accidentalis augmento, sed de charitatis actu ab initio suæ glorificationis habito, quo de conuersione peccatorum ex ab initio in æternitate præsente, lętantur; ita vt existente deinceps in tempore conuersione peccatoris, sicut visioni beatificæ nulla fit accessio, ita nec vllum gaudij, siuè gloriæ accidentalis fiat augmentum, & ideò sapientissimè Summus Pontifex noluit sententiam illam, vt omninò certam; ac velati dogma fidei credendum proponere, sicut nec illam, vt falsam reiecit, sed eam, vt verè est, tanquam communem retulit Theologorum doctrinam.*

3391 Nota 11. *Hunc autem sensum esse legitimum, dictus ipse verborum illius decretalis indicat manifestè; cum enim exposuisset Summus Pontifex verba illa;* Profit, vel proficiat huic Sancto vel illi talis ablatio ad gloriam, & honorem *dicens intelligi debere, vt ad hoc profit, quòd magis, ac magis à fidelibus glorificetur in terris, quo sensu denotatur gloriam Sanctorum orationibus fidelium non augeri secundùm se, sed innotitia, & æstimatione fidelium, servatque sensu hic dictorum verborum veritatem, statim quasi obiectioni tacitè satisfaciens, alium dictorū verborum sensum planiorem proponit dicens, plerosq; idest magnam partem Doctorum existimare non indignum, Sanctorum gloriam vsque ad iudicium augmentari, & ideò Ecclesiam posse augmentum glorificationis eorum optare, vt scilicet gloria, non in sola notitia, & æstimatione fidelium augeatur, sed etiam secundùm se: constat autem magnam partem Theologorum non asserere, beatorum gloriam essentialiter augeri, sed accidentaliter; igitur de hoc augmento glorię loquitur illa decretalis, vel ad minus de augumēto gloriæ secundum se, quodcumque sit illud; seu recensendo Doctorum sententias, & numerum scilicet accidentalis gloriæ beatis tribuit augumentum, atque ita necesse est de hac communi sententia textum illum interpręari.*

QVÆSTIO LXIII. D. Th.

De Angelorum malitia, quo ad culpam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum malum culpæ posit esse in Angelis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Concl. Affirmatiua. Prob. Virtus operatiua, quę non est sua regula, potest secundùm se declinare à rectitudine actus: Sicut si manus artificis esset ipsa regula scissionis, nunquam posset Artifex, nisi rectè lignum scindere. Sed quia rectitudo scissionis est ab alia regula, ideò contingit scissionem esse rectam, & non rectam. At, nulla voluntas creata est sua regula, quia omnis voluntas creata regulatur à voluntate diuina, quę est vltimus finis. ergo.

Arg. 1. in his, quæ sunt in potentia, non posse esse malum culpę. ex Arist. *6. met.* quia subiectum priuationis est ens in potentia. Sed Angeli, cùm sint subsistentes, non sunt in potentia. ergo. Resp. min. esse veram in *Esse* naturali, est tamen in eis potentia secundùm intellectiuam partem, ad hoc, vt possit conuerti in hoc, & illud, & quantum ad hoc potest in eis esse malum.

Arg. 2. In corporibus Cælestibus non potest esse malum. ergo, Neque in Angelis, qui sunt digniores, quàm corpora cælestia. Resp. neg. conseq. quia Angeli, vt sunt perfectiores corporibus cęlestibus, non habēt malitiam in naturali operatione, sed quia habent aliam operationem nobiliorē, scil. liberam, in ipsa malum committere possunt,

Arg. 1. In his, qui semper Deum diligūt. non potest esse malum. Sed Angeli semper Deum diligunt: ergo. Resp. ma. esse verā ne his,

his, qui diligunt Deum, vt obiectum beatitudinis. Angelus autem diligit Deum, vt est principium naturalis Esse: prout autem est obiectum beatitudinis supernaturalis, diligit Deum amore gratuito, à quo potest auerti.

Arg. 4. Appetitus non est, nisi boni, vel apparentis boni. Sed appetitus Angelorũ non fertur nisi in verum bonum; quia vel in eis omninò error esse non potest; vel saltem non potest præcedere culpam. ergo. Respond. Quòd quis in appetendo verè bonum, potest peccare. Quando scilicet non appetit verè bonum, secundùm ordinem debitæ mensuræ, ita quod defectus inducens peccatum, sit solùm ex parte electionis, & non ex parte rei, quæ eligitur: Sicut si quis eligeret orare, non attendens ordinem ab Ecclesia constitutam, & hoc modo Angelus peccauit, conuertendo se per liberum arbitrium ad proprium bonũ, absque ordine ad regulam diuinæ voluntatis.

DISPVTATIO CCCXIX.

An dari possit creatura intellectualis libera ex sua natura impeccabilis.

3392 Conclusio. Prima Ratio.

Conclusio est negatiua ita D. Thomas, & communiter Thomistæ, Rationes autem D. Thom. sunt duę. Prima: talis creatura libera est ex nihilo facta: ergo ex natura sua defectibilis, & peccabilis voluntate.

2. Ratio D. Th

Secunda: talis creatura non est per suam naturam, & intrinsecam rationem vniuersalis regula omnis boni, seu omnis bonę operationis: ergo ab aliqua potest deficere. Ad quam rationem reducitur illa, quòd creatura non habet rationem omnis boni: ergo potest deficere ab aliquo bono, quia habere rationem omnis boni, & habere regulam vniuersalem omnis boni, seu omnis operationis idem est.

Vis primæ rationis D. Tho. ostenditur.

Vis primæ rationi. seu consequentiæ, quam Diuus Thomas ponit 24. de verit. art. 7. talis est: Natura, quæ est ex nihilo, est vertibilis, & mutabilis in nihilũ quo ad esse: & sic habet potentialitatem, & non purum actum; ergo etiam eius operatio, quæ super tale esse fundatur, est mutabilis à sua perfectione in defectum. Probo consequentiam. Nullus maior defectus entis, & boni, quàm non esse: hoc enim totaliter, & contradictoriè opponitur ipsi esse, & ipsi perfectioni: ergo natura, quæ est capax summi defectus, & mutabilis, qualis est transitus ad non esse, quod est totaliter deficere, etiam erit capax defectus, & mutabilis in operando respectu boni finis, sicut natura est capax defectus, & mutationis in esse. Hæc consequentia probatur, quia potentia operatiua, & modus operandi sequitur modum essendi. ergo potentia operatiua libera fundata in natura mutabili, etiam inquantum operatiua liberè, mutabilis est: ergo non habet libertatem immutabilem, & firmatam in bono, sed potest mutari ab illo, mutari autem à bono est deficere: ergo hoc ipso, quòd libertas est mutabilis in ratione operationis liberæ, hoc ipso est defectibilis. Est autem mutabilis hoc ipso, quòd nascitur ex natura mutabili, & defectibili in nihilum: ergo hoc ipso, quòd aliqua creatura est ex nihilo, erit capax defectus, & peccati.

3393 Euasio. Contra Antecedens.

Dices: hanc rationem Diui Thomæ assumere antecedens impertinens, & inferre consequentiam illegitimam. Et quidem antecedens impertinens, quia creaturam esse factam ex nihilo, est idem, quòd esse creaturam, & sic ratio quæ redditur ad probandum, quòd creatura sit peccabilis, est quia creatura est creatura, quòd est ineptam reddere rationem. Est autem consequentia illegitima, quia plus infert, quàm continetur in antecedente:

Contra consequentiam D. Th.

ex eo enim, quod natura est defectibilis in esse, solum sequitur, quod eius operatio possit deficere in esse, quod certissimum est: sed quòd possit deficere moraliter sumendo esse actiuum operationis, non apparet quomodo ex tali antecedenti inferatur, cùm sit deficientia à fine, quæ non potest inferri ex deficientia ab esse:

2. Contra consequentiam.

Sicut licèt corpora cælestia possint deficere in suo esse per annihilationem, & cessationem ab esse, non tamen sequitur, quòd possint deficere ex parte materiæ per modum corruptionis, nec infertur ex maiori deficientia per corruptionem: ergo neque per ipsum esse ex nihilo, quod infert defectum per annihilationem, infertur maior deficientia, quæ est deficientia moralis per peccatum.

3. Contra cõsequentiam.

Denique etiam Angelus beatus, vel confirmatus in gratia est ex nihilo, & tamen prout tales, sunt impeccabiles: ergo esse ex nihilo non est sufficiens radix, vt aliquid sit peccabile, aliàs quando non tolleretur ista radix non posset creatura reddi impeccabilis, non tollitur autem hoc, quod est esse ex nihilo per confirmationem in gratia, vel beatitudinem, & tamen redditur impeccabilis creatura per illam. Et hoc ideò est, quia esse ex nihilo solum opponitur ei, quòd esse à se, & ei, quod est habere infinitam perfectionem: esse autem impeccabilem non exigit infinitam perfectionem, sed sufficit determinatio voluntatis erga rectitudinem regulę.

3395 Resp. Ad id contra antecedens.

Respondetur ad primam quod obiicitur contra antecedens, illud esse valde conducens ad hanc probationem, quia creaturam esse factam ex nihilo non est idem, quòd esse creaturam, sed est conditio annexa creaturæ, sicut creaturam esse limitatam, & esse causatam, & non esse actum purum, non est idem, quòd esse creaturam, sed sunt conditiones sine quibus nõ est creatura, sicut non est ens sine vero, & bono, non tamẽ est idem ens, quòd verum, & bonum. Sic ergo creatura dicit aliquid constans ex omnibus illis conditionibus, non tamen per quamlibet conditionem explicatur totus conceptus naturæ; sicut ens increatum habet multa attributa, nec tamen quolibet attributo explicatur totum, quòd est diuinitas: & sic benè potest assumi pro antecedenti, quòd creatura ex nihilo sit tãquam conditio quædam ad hoc, quod sit creatura, vt inferatur, quomodo habeat defectum, & mutabilitatẽ.

3396 Ad 1. contra consequentiã Resp.

Ad primum contra illationem consequentiæ, Resp. quòd ex deficientia in esse non solùm infertur defectibilitas operationis in essendo, sed etiam in attingentia finis, quæ est formalitas operationis, vt moralis est. Nam quòd operatio sit defectibilis in esse, non habet in quantum operatio, sed in quantum entitas est quia ordo ad esse solùm conuenit alicui in quantum est ens. Vnde si ex eo, quòd natura habet deficientiam in esse, solùm infertur, quòd operatio habeat deficere in esse, idem diceretur in antecedente, quod in consequenti, siquidem creatura deficiens in esse, est creatura in quantum ens, & operatio deficiens in esse est etiam quędam natura in quantum ens. Quare ex deficientia creaturæ in essendo infertur deficientia operationis, etiam sub formalitate operationis, quia sub hac formalitate, operationis fundatur in ipso esse, & modus operandi sequitur modum essendi: ergo etiam in hac ratione formali operandi infertur mutabilitas, & potentialitas, & consequenter defectibilitas. Formalis autẽ ratio operationis, in quantũ operatio, est attingentia obiecti, & finis, quia per ordinẽ ad obiectũ, & finem specificatur actio, præsertim libera. ergo si in quantum libera hoc ipso, quòd est creata, & ex nihilo, est mutabilis, & defectibilis, etiam in attingentia obiecti, & finis, defectibilis erit, quia tota hæc attingentia, & modus operandi sequitur modũ essendi, & fundatur in esse: ergo erit peccabilis, quia peccare est deficere a fine, & à rectitudine obiecti.

3397 Ad 2. contra consequentiã Respondetur.

Ad id verò, quod dicitur de corpore cælesti, quòd non infertur, quod sit defectibile ex parte materiæ, vel corruptionis ex eo, quòd sit defectibile in esse, & quod ex maiori defectibilitate non infertur minor; Resp., quòd non infertur minor corruptibilitas ex maiori, quando vna non se habet consequenter ad aliam, ita quòd nõ fundatur in illa; si autẽ in illa fundatur, & consequitur, benè infertur ex illa. Deficiẽtia autẽ ex parte materię, & per modũ corruptionis non infertur ex eo, quòd cælum sit

annihilabile, quia non fundatur in defitientia annihilationis, deficientia, & mutabilitas corruptionis: ad hanc enim exigitur, materiam non esse totaliter completam per formam, quod non statim consequitur ad esse limitatum; & ex nihilo. at verò modus operandi semper sequitur modum essendi, & in illo fundatur, & si sit modus operandi liberè, & moraliter, etiam sequitur modus operandi defectibiliter, & mutabiliter in ratione formali operationis liberæ, quæ est attingentia finis: ergo ex eo, quòd voluntas libera creata sit ex nihilo, benè sequitur, quòd non solùm entitatiuè, sed etiam operatiuè, & consequenter moraliter, sit defectibilis, quod est posse peccare.

3398 Ad 3. contra consequentiā. Respondetur.

Ad tertium contra eamdem consequentiam, Respondetur, quòd Angelus beatus, vel confirmatus in gratia, est impeccabilis ex accidenti, non ex natura; & ideò non requiritur, quòd non sit ex nihilo, quia hoc, quòd est esse ex nihilo non est radix peccabilitatis, nisi secundùm naturam; potest tamen compati, quòd sit impeccabilis ex accidenti, & ab extrinseco, & sit ex nihilo, quia remanet ab intrinseco peccabilis, & ex principijs naturæ. Vnde vt aliqua creatura reddatur impeccabilis ex accidenti, & ab extrinseco, non debet tolli radix illa essendi ex nihilo, quia hæc solum tendit ad hoc, vt aliquid sit impeccabile per naturam; vt autem stante natura peccabili reddatur impeccabilis per gratiam, non requiritur, quòd non sit ex nihilo, sed quod perseueranter teneatur in gratia, seu in aliquo principio gratuito, cui incompossibile sit peccatum. Si autem daretur substantia supernaturalis, illa esset ex nihilo tanquam gratia, non tanquam natura, sine gratia, de qua solum loquemur in præsenti; sed quia implicat talem substantiam dari, vt loco sup. cit. *ostendimus* in præcedenti tomo, *ideò vtrumque sequitur, & quòd sit ex nihilo in quantum creatura, & quòd sit impeccabilis in quantum substantialiter esset gratia. Et negamus non requiri infinitam perfectionem ad hoc, vt aliquis sit impeccabilis per naturam, quia requiritur, quòd habeat esse indefectibile, & immutabile in essendo; vt etiam in operando sit defectibilis, non potest autem dari esse immutabile, & indefectibile in essendo, nisi habeat infinitam perfectionem, quia debet carere potentialitate, quod est esse actum purum, & consequenter habere infinitum esse, & perfectionem.*

Dub. 1. An secunda Ratio D. Th. qua probatur impeccabilitas creata, & naturalis, sit bona.

Dub. 2. An Angelus intra limites ordinis naturalis præcisè consideratus, peccare potuerit.

Dub. 3. An angelus de facto peccando directè contra finem supernaturalem, contra legem naturalem etiam peccauerit.

Dub. 4. An Peccatum angelorum, non solùm fuerit mortale, sed etiam veniale.

Dub. V. An peccatum angeli fuerit non solùm omissionis, sed commissionis.

Dub. VI. An præcesserit de facto peccatum angeli, inconsideratio, siue inaduertentia.

DVBIVM I.

An secunda ratio D. Thomæ, qua probatur impeccabilitas creata, & naturalis sit bona.

3399 *Nota. Omnem actum moralem esse idem, ac actum regulatum.*

PRO explicanda secunda ratione D. Thomæ, aduertendum est, quod omnis actus moralis est idem, quòd actus regulatus, seu subiectus alicui regulæ, ad quā si conformetur, habet rectitudinem: si deformetur, obliquitatem. Vnde oportet, quod principia à quibus dependet talis actus, habeant sibi indefectibiliter coniunctam rectitudinem, vt operatio indefectibilis sit in sua regulatione. Quod si principia, à quibus dependet, non habeant sibi annexam indefectibiliter regulam rectitudinis, necesse est, quod ipsa operatio in quantum regulata non sit indefectibiliter recta, seu indefectibiliter regulata, siquidem non potest actus esse indefectibiliter regulatus, si principium applicans, seu eliciens actum, non sit indefectibiliter regulans, siquidem indefectibilitas regulati essentialiter pendet ex principijs applicantibus, seu dantibus illi regulationem.

Ex hoc ergo deducitur efficax consequentia D. Thomæ, voluntas libera est de se indifferens ad diuersas operationes, ita quòd ex natura sua non est determinata ad vnum: ergo oportet, quòd vt talis voluntas sit indefectibilis in istis operationibus ad quas est indifferens, per seipsam essentialiter sit sua regula, vel habeat illam inseparabiliter sibi annexā. Quòd si nec per seipsam est regula, nec aliunde habet illam indefectibiliter annexam: ergo ex se defectibilis est à regula: ergo peccabilis, quia nihil aliud est peccare, quàm deficere à regula. Primum ergo, scilicet, quòd voluntas creata per seipsam, & essentialiter non sit sua regula, constat, quia voluntas creata operatur, vt subiecta voluntati superiori, iuxta illud Rom. 14. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Item, quia omnis creata voluntas est capax legis, & imperij à Deo, quia ex ratione creaturæ est serua, & subiecta Dominio Dei: ergo potest à Deo sibi imperari, & lex imponi: ergo non est sua regula per seipsam, quia non est sua lex, nec suum imperium, sed imperatur, & dirigitur à Deo. Et eadem ratione probatur secundum: Quia omnis lex, & imperium erga creaturas deriuatur liberè à Deo: ergo nulli creaturæ est indefectibiliter annexa applicatio istius legis, & obedientiæ ad illam ex natura creaturæ, sed ex gratia ipsius Dei, quia de se creatura hoc ipso, quod indifferens est ad suas operationes, & nulli earum regulæ est inseparabiliter annexa ex ipsa natura indifferentiæ voluntatis: ergo ex vi talis naturæ non habet indefectibilem connexionem cum lege magis, quàm cū alijs obiectis, quia ad omnia est indifferens: ergo potest ab illa deficere, sicut à quocūque alio obiecto. 3400 *Concl. affirm. Prob. quia Voluntas libera est indifferens ad diuersas operationes.*

Dices: si hæc ratio aliquid probat etiam probaret contra secundam conclusionem, quod posset angelus peccare immediatè contra legē naturalem, quia etiam ista lex prouenit à Deo liberè, & non est inseparabiliter applicata omni actioni liberæ: ergo potest ab ea diuertere, & deficere; & sic peccare contra illam, vel si non potest, cur etiā non dicemus, quod circa finem supernaturalem nō possit? 3401 *1 Euasio.*

Deinde vt obijcit Scotus, quia licèt aliqua facultas operatiua non sit sua regula, potest tamen necessariò, & connaturaliter esse determinata circa illam, sicut intellectus est determinatus circa principia; & tamen non est intellectus ipsa principia. Quòd si dicatur pro eodem reputare *D.* Thomam, regulam aliquam essentialiter esse ipsummet principium operandi, vel esse illi infallibiliter coniunctum, quia si est suamet regula, est illa formaliter: Si verò dimanat à se infallibilis coniunctio cum regula, est sua regula virtualiter, seu radicaliter, quia essentia est virtualiter id, quod dimanat à se, quę videtur esse solutio Caiet *in art. primo huius q. 63.* cōtra est, quia in hac solutione modo restat probandum, quòd aliqua voluntas non possit habere sibi infallibiliter, & necessario coniunctam regulam rectè operandi, ita quod inseparabiliter illi adhæreat, etiam ante visionom claram ipsius summi boni. *2. Euasio.*

Resp. Ad primum, ex sequenti conclusione in dub. 2. petendā esse disparitatē inter legem naturalem, & supernaturalē, quomodo vna adhæreat, vel nō adhæreat immobiliter ipsi operāti. Pro nunc dicimus, quòd licet vtraq; lex liberè detur à Deo, quātū ad hoc, quòd est à Deo deriuari, sicut etiam datur à *Deo* liberè, idest, producitur ipsa natura, & potentiæ eius &c., tamen quoad vsum, applicationemque, talis regulæ est dispar ratio inter supernaturalem, & naturalem, quod lex naturalis in ipsamet comprehensione naturæ habetur, ita quod cognoscendo angelus suam naturam perfectè, non potest auertere aspectum suum à lege naturali, nec errorem, aut deceptionem circa hæc naturalia, & naturaliter sibi impressa pati potest primo, & directe, idest, incipiendo ab ipsa natura, vt postea dicetur. Non fertur autem angelus in aliquod obiectum naturale, nisi vt contentum 3402 *Præcluditur. 1 Euasio quia dispar ratio inter legem naturalem, & supernaturalem, quò ad vsum.*

in principijs naturalibus, vnde neque in practicis potest ferri in obiectum naturale, nisi, vt contentũ in suis principijs,& secundum, quod continetur in lege naturali,& in principijs synderesis.

3403 *Si contra legẽ naturalem peccaret quis, debet incipere errorem ab intellectu.* Si autem contra legem naturalem peccaret, immediatè deberet incipere auersionem, & errorem practicum in intellectu ab ipsa lege naturali, & ab eius principijs, quòd stare non potest, cùm naturalis cognitio in Angelis deficere, & errare non possit magis, quàm in nobis ipsa cognitio principiorum non potest deficere, Angelus autem omnia naturalia cognoscit in suis principijs, quia per compræhensionem illa attingit, & sine discursu, & consequenter in inspectione principiorum; & sic non potest accidere defectus incipiendo à naturali cognitione. At verò lex alia supernaturalis non cognoscitur ab Angelo sic, quod nõ possit ab ea auertere aspectum,& errorem pati practicum, seu inconsiderationem circa eam; & sic potest circa illam deficere,& ex consequenti circa ea etiam, quę naturali lege dictantur, quatenus deseruiunt supernaturalibus principijs, à quibus auertitur. Sed de hoc statim amplius dicemus.

3404 *2. Euasio. Precluditur. quia voluntas creata, cùm non sit sua regula, regulatur per legem alicuius.* Ad secundum Respondetur, quòd si voluntas creata non est sua regula, & ideò, quia regulatur per regulam,& legem alicuius superioris, necesse est, quod se non sit determinata ad talem regulam, neque essentialiter, quasi sit ipsa essentia legis, neque virtualiter, quasi ab illa dimanet, vt propria passio ipsa adhæsio,& determinatio ad regulam, sed oportet, quod imprimatur sibi talis determinatio, & adhæsio ab ipso superiori ferente legem, vel à Deo authore naturæ per naturalem legis notitiam, & principiorum eius, sicut dicit Psalm. 4. *Signatum est lumen vultus tui Domine super nos*, & Roman. 2. *Ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*: vel ista adhæsio, & determinatio ad legem est à Deo authore supernaturali, qui sicut legem ipsam, & regulam supernaturalem manifestat, ita potest sua protectione, & beneficio gratiæ confirmare, ne voluntas creata deflectat à lege. Hoc secundo modo potest confirmari voluntas, & reddi impeccabilis circa legem supernaturalem, seu beneficio gratiæ, non ex sua natura. Et respectu huius non procedit argumẽtum, quia cùm lex illa non solùm superioris sit, sed etiam sit supernaturalis, non potest esse naturaliter determinata voluntas creata ad illam, & consequenter benè colligit Diu. Thomas, quod si voluntas creata non est sua regula, sed debet expectare regulam à voluntate superioris positam, quod totum expressit Sãctus Tho. *in art. 1. huius qu. 63.*, necesse est, quòd circa aliquam regulam non sit ex natura sua determinata talis voluntas, & sic ex natura sua possit ab illa deficere, licet ex beneficio,& gratia ipsius superioris possit ei adhærere immobiliter.

3405 *Quomodo operatur voluntas angeli circa legem naturalẽ, & determinetur.* Primò autem modo fit determinatio circa legẽ naturalem, quandiu operatur natura angeli intra limites naturæ, iuxta modum sibi connaturalem, idest, vtendo principijs naturalibus iuxta modum, quo ea intelligit, scilicet plenè, & compræhensiuè, & sine errore; & sic voluntas ex defectu erroris practici in intellectu sic procedente, nõ potest peccare. Vnde non remanet probandum in hac ratione Diui Thomæ, quòd non possit habere voluntas creata infallibiliter,& necessariò adiunctam sibi regulam, sicut habet prima principia, quia respectu regulæ supernaturalis, vel positiua lege extraordinaria imposita à superiori, non habet in se voluntas creata sufficientia principia, vt immobiliter inhæreat tali legi, quia hoc ipso, quòd ipsa sibi nõ est lex, sed à voluntate libera superioris venit, non potest ex sua natura necessariò determinari ad illam. Respectu verò naturalis legis determinationẽ habet,& necessariò habet adiunctam regulam benè operandi, quandiu connaturali modo procedit, vt statim dicemus in dubio sequenti. Sed hoc non facit angelum simpliciter impeccabilem, & pro omni statu,& respectu omnis regulæ, sed solùm pro aliquo statu particulari.

DVBIVM II.

An angelus intra limites ordinis naturalis præcisè consideratus, peccare poterit.

Conclusio. Angelus intra limites ordinis naturalis consideratus,& in ordine ad finem naturalem tantùm sub hac ratione præcisè, nisi alius ordo, seu habitudo, addatur peccare non potest ita communiter Thomistæ. 3406 *Conclusio.*

Pro explicatione autem huius conclusionis, notandum est, quòd finis naturalis,& regula actionũ liberarum est Deus, vt naturaliter cognitus, & diligibilis super omnia, quia naturale principium practicum est, Deum, qui est summum,& primũ omnium principium, esse ab omni creatura colendũ, & amãdum, quia summum principium est. Ex quo per consequentiam deducitur euidentem, quod omnia eius præcepta implenda sunt,& omnia creata diligenda sunt propter ipsum,& ordinanda in ipsum, quod pertinet ad electionem, seu ad rectificationem actuum, qui versantur circa media. Hęc omnia in genere ordinis naturalis tantùm cognita,& amata, regulare dicuntur actiones Angeli in ordine naturali, seu intra limites naturæ tantùm. *Nota 1. quòd finis naturalis, & Regula actionum liberarum, est De⁹.* Quando autem angelus eleuatur ad ordinem supernaturalem, non solum cognoscit Deum altiori modo,& per diuersos effectus, quàm per naturales, sed etiam in modo cognoscendi, & amandi aliter se habet, quàm circa naturalia,& ex parte rei cognitæ,& amatæ, qui est Deus, at author supernaturalis, ita tendit in ipsum, quòd ei subijcit omnia, quæ pertinent ad ordinem naturalem, tali nexu,& subordinatione, quòd si decidit, seu auertitur à Deo supernaturaliter cognito, & authore supernaturali, non possit integrè se habere, & manere respectu Dei authoris naturalis, sed debet etiam auerti ex consequenti,& indirectè.

3407 *Nota 2. quomodo angelus procedat circa Deũ Authorẽ naturalẽ, & supra naturalem.* Quòd ergo diuerso modo procedat circa Deum authorem naturalem,& per principia naturalia cognitum, atque Deum authorem supernaturalem, in eo stat, quòd circa principia naturalia,& Deũ naturaliter cognitũ præcisè, nõ solùm procedit angelus sine discursu, quia simplici intuitu, sed etiã cũ plena compræhensione, quia veritas illa naturalis sibi plenè est proportionata sine vllo defectu,& cognita,& multò melius, quàm quælibet veritas supernaturalis, quam in via obscurè cognoscebat vtpotè per fidẽ, non euidẽter, sicut res naturales. Vnde sequitur, quòd respectu rerum euidenter cognitarum,& cum compræhensione non poterat Angelus inuenire defectũ speculatiuũ in his, quæ tanquam principia speculatiua proponebantur, neque circa principia, neq; circa conclusiones, quia tàm illa, quã istas eodẽ simplici lumine intuebatur, scilicet ex compræhensione principiorũ. Circa principia autẽ practica similiter nõ poterat angelus defectũ habere, incipiendo ab illis,& vtendo ipsis, quia cũ plena,& perfecta, atq; euidenti luce ipsa cõpræhenderit & sic visis principijs, quæ sunt fines, statim videt media, tàm indefectibiliter, quàm principia, quia plena cõpræhensio ipsa principia attingit, cõpręhẽsio autem non permittit deficere ab aliquo, quia nihil latet videntem. At verò in supernaturalib⁹, cũ procedat obscurè, licèt simplici modo procedat, id est, vno actu attingens totũ, quod potest in re illa; Siquidem hic est modus procedendi in intellectu angeli, qui discursiuus nõ est, sicut oculus obscurè aliquãdo videt,& non discursiuè, tamen nõ plenè, & clarè attingit, sicq; non conuincitur plenè mens, dũ per fidem ambulat: potest ergo ex vi talis luminis pcedẽdo auerti,& nõ cõsiderare, atq; defectuosè pcedere, quia nõ plena cõpręhẽsione ad id cogitur. 3408 *Nota 3. Quare angelus à fine supernaturali, sit auersus.*

Quod verò in eleuatione ad supernaturalia, ita cõnexa sint ista obiecta,& ordinatio in vtrũq; finẽ supernaturalem,& naturalem, quod si auertatur ab vno, auertatur ab alio ex eo constat, quòd si auertitur à fine supernaturali, hoc ipso non amat Deum super omnia: ergo non subijcit illi omnia: ergo nec etiam in ipsa naturali dilectione illi perfectè subijcitur, qa naturalis dilectio etsi directè solũ tẽdat in

tem non possit negari potentia physica, aliàs non tribueretur malorum Culpę, non perseuerare, negat potentiam moralem in perseuerando, quæ ratio etiam militat in Angelis proter rationem à priori conclusionis. Sed de his fusiùs, & propriè in materia de Gratia.

ad 5. Obiect. Respondetur. Ad quartam. Respondeo, in primo instanti datam fuisse gratiam efficacem angelis iuxta proportionē naturalium, & in secundo instanti, vel in duratione primi correspondente secundo instanti malorum, de quoin infrà fusiùs omnibus bonis collatam esse tam sufficientem, quàm efficacem iuxta proportionem, & inęqualitatem naturalium: at vero in secundo instanti malis non fuisse datam gratiam efficacem, nec donum perseuerantię, quia hoc pendet ex altissimo diuinæ prædestinationis mysterio; quia Deus, *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, adhuc ante nostra pręuisa bona, vel mala opera, vt latè discussimus in materia de prędestinatione, & reprobatione negatiua, & ita primaria discretio prædestinati à reprobo semper est à diuina electione, quod etiam in angelis locum habuit. Et per hoc patet ad confirmationem, fatemur enim, sicut necesse est fateri, solis angelis bonis fuisse collatum donum perseuerantię; non vero malis, quo non obstante, tribuitur illorum culpæ non perseuerasse, quia habuerunt auxilium sufficiens ad perseuerandum, licet non habuerint efficax.

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Angeli statim post vnum actum meriti beatitudinem habuerint.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio affirm. Prob. Gratia perficit naturam secundùm modum naturæ, sicut & omnis perfectio recipitur in perfectibili secundùm modum eius. Vnde, quia modus naturæ Angelicæ est, vt statim habeat suas perfectiones naturales, eodem modo perficitur per gratiam, vt statim post vnum actum meriti beatitudinem consequatur. Quia sicut ex sua natura Angelus habet ordinem ad suam perfectionem naturalem, ita ex merito habet ordinem ad gloriam.

Arg. 1. Homo non pręmiatur statim post vnum actum meriti. ergo neque Angelus, quia difficiliùs est homini, quàm Angelo, benè operari. Respond. Neg. conseq. Homo enim secundùm suam naturam non statim natus est suam perfectionem adipisci, sicut Angelus, ideò homini longior via data est, quàm Angelo: maior enim, vel minor difficultas nihil conducit ad hoc.

Arg. 2. Si Angelus per primum actum meriti fuit beatus, sequitur quod fuit beatus in primo instanti. Quia Angelus in primo instanti suę creationis potuit habere aliquem actum meriti. Respond. neg. cōseq. Et ex Prob. sequitur oppositum. Non enim potuit simul in eo esse actus meritorius beatitudinis, & actus beatitudinis, qui est fruitio, cùm vn⁹ sit gratię imperfectę, & alius gratię consumatę.

Arg. 3. Inter ea, quæ multum distant, debent esse multa merita. Sed status beatitudinis Angelorum, multum distat ab statu naturę eorum; & merita sunt media. ergo debent esse multa merita. Respond. Neg. ma. in proposito, quia de natura Angeli est, quòd statim suam perfectionē consequatur, ad quam ordinatur; & ideò non requiritur nisi vnum medium, scil. vnus actus meritorius.

DISPVTATIO CCCXIV.

An Omnes Angeli in primo instanti suę creationis meruerint.

3351 *1. Conclusio Prob. 1.*

PRima concl. Prob. *Quoniam omnes Angeli in primo instanti suæ creationis non solum habuerunt gratiam habitualem, vt in quęstione 62. art. 3. dictum est, sed etiam creati sunt cum actu fidei, spei, charitatis, & humilitatis &c ergo meruerunt. Probatur minor ex D. Augustin. lib. 2. de Ciuit. cap. 9. vbi ait, quòd creati sunt angeli cum bona voluntate, & casto amore, quo illi adhęrerent: Sed bona voluntas, & castus amor actionem significant, præsertim apud Diuum Augustinum qui semper appellat bonam voluntatem, quod nos minùs latinè dicimus bonam volitionem.*

Prob. 2. *Prętereà ratione probatur. Quia nihil obstat, quo minùs in illo primo instanti creationis haberet angelus simul actus supernaturales cum actibus naturalibus cognitionis, & dilectionis suæ, ergo tunc primum mereri potuerunt. Antecedens patet. Quia post illud instans fuerunt simul actus supernaturales cum naturalibus, ergo nulla est repugnantia, quòd simul inciperent cum natura. Consequentia verò prior probatur. Quoniam illi actus supernaturales sunt liberi, & ex natura sua tendunt in Deum, ergo in viatore sunt meritorij.*

Prob. 3. *Præterea probatur conclusio optimo argumento. Christus Dominus in primo instanti creationis animæ meruit perfectissimè, ergo, & angeli mereri potuerunt. Antecedens, nemo audebit negare, quoniam Verbum caro factum est plenum gratiæ, & veritatis. Vnico enim actu voluntatis, Christus Dominus meruit remissionem peccatorum, ita vt in merito nunquā creuerit saltem intensiuè, vel appretiatiuè, quamuis quodammodo posset dici, plus meruisse per plurima opera extensiuè, idest, ad quę opera virtus meriti extēdebatur. Sed simpliciter loquendo non magis meruit in cruce positus, quàm in ventre matris, quando ingrediens Mundum dixit, Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam. Et ita dicitur per passionem, & mortem meruisse. Sed de hoc aliàs. Nunc autem satis ostensum est, quod gratia ita potest perficere naturam, vt in primo instanti suæ creationis possit esse meritum etiam perfectum. Sed dices fortasse, hoc argumentum probare, quòd angeli in primo instanti suę creationis perfectè meruerint. Respondetur, & sit secunda conclusio.*

2. Concl. *De potentia Dei absoluta potuerunt angeli in primo instanti suæ creationis mereri perfectè, & immobiliter adhęrere Deo, si creati fuissent confirmati in gratia, & cum plenitudine supernaturalis lucis. Hæc conclusio mihi videtur demonstrari exemplo animę Christi. Non enim video; quare non similiter potuisset Deus creare angelum cum merito perfecto, & electione immobili ex gratia confirmationis.*

3354 *3. Concl. Prob.* *Tertia conclusio. Ad perfectionem meriti non requiritur libertas in actu meritorio, quantum ad specificationem indifferenter ad bonum, & malum, seu potius quantum ad contrarietatem actus. Explicatur hæc conclusio. Habet Petrus actum temperantię, non requiritur, vt ille actus sit perfectè liber, quod possit habere actum intemperantiæ, Hæc conclusio manifestè probatur. Nam Christus Dominus habuit perfectissimum meritum omnium virtutum, & tamen non habebat libertatem in eiusmodi actibus, quantū ab specificationem, videlicet, non erat sibi possibile habere actus contrarios virtuti.*

Nota. *Aduertendum est tamen, quòd ratio meriti non potest inueniri nisi in natura intellectuali creata, de cuius ratione est, vt quantum est ex parte sua sit de-*

fectiua,

fectiua, & peccare possit. Non tamen est intrinsecè necessarium ad rationem meriti huiusmodi imperfectio creaturæ, sed per accidens se habet, quòd natura, quę mereri potest, possit peccare. Quapropter si huiusmodi defectibilitas aliundè reparatur, non propterea minuitur ratio meriti, quia non destruitur, sed potiùs perficitur ratio libertatis. Hoc, quod dicimus, Probatur. *manifestatur in ipsismet angelis, si creati fuissent in puris naturalibus, neq; ordinati fuissent ad finem supernaturalẽ, neque aliquod praeceptum positiuũ habuissent. Diximus enim* supra qu. 63. hoc art. 1. *quòd peccare non poterant immediatè contra finem naturalẽ, & nihilominùs sic creati mereri potuissent per actiones liberas conformes legi naturali, ergo ratio meriti non exigit intrinsecè, vt qui meretur, peccare possit intra illum ordinem, intra quem meretur. Deinde manifestatur in confirmatis in gratia praesertim in Beata Virgine, qui nec venialiter quidem peccare poterat, & tàm maximè merebatur, at in Christo Domino, in quo meritum maximè perfectum fuit, natura humana facta est impeccabilis, non solùm ex gratia habituali, sed etiam maximè propter vnionem, & hypostasim diuinam. Vnde ille homo Christus non solùm per gratiam, sed etiam per naturam potest dici impeccabilis, scilicet per naturam diuinam, quae intrinseca est illi supposito. Ergo per accidens coniungitur cum ratione meriti, quòd qui meretur, peccare possit. Hinc sequitur probatio manifesta tertia conclusionis.*

3354 4. Conclusio. *Quarta conclusio. De facto angeli in primò instãti sua creationis non meruerunt ita perfectè, quantum est ex parte electionis deliberatæ, vt non potuerint ab illa discedere. Hæc conclusio patet. Quoniam si ita perfectè meruissent, omnes gloriam recepissent.*

5. Conclusio. Probatur. *Quinta conclusio. In primo instanti sua creationis, simpliciter loquendo, angeli meruerunt beatitudinem supernaturalem. Probatur. Quia homo in puncto sua iustificationis per actus liberi arbitrij, per quos etiam disponitur, meretur simpliciter, & propriè loquendo vitam æternam, ergo, & angeli meruerunt. Probatur consequentia. Quia nihil habet homo ad rationem meriti necessarium in illo puncto iustificationis, quod non habeat angelus, ergo est eadem ratio. Probatur antecedens. Quia si angelus potest mutari ab illa operatione in malum, etiam homo. Quòd autẽ homo in illo instanti exerceat actum bonum liberè quãtum ad specificationem, iam diximus esse per accidens ad rationem meriti, & libertatis. Ergo nulla est ratio, quare angelus non mereatur propriè, & simpliciter in primo instanti sua creationis. & hoc pacto etiam Adã meruit in primo instãti sua creationis, & anima Christi etiam meruit in primo instanti suę creationis. Sed differentia est, quòd anima Christi immobiliter elegit, Adam verò, & angelus non habuerunt tantam gratiam, vt eorum liberum arbitrium per talem deliberationem meritoriam immobiliter adhæreret summo bono. Quamuis enim angelus in actionibus naturæ suę proportionatis immobiliter deliberet, tamen in actionibus supernaturalibus, etiamsi deliberauerit, nõ opus est, vt immobiliter deliberauerit.*

Confirm. *Et ratio est. Quia sicut ex gratia* Dei *habuit tales actiones, ita etiam ex maiori gratia immobiliter eligere poterat. Qua quidem gratia specialis post primũ instãs creationis nõ data est eis, qui diuinę gratię impedimẽtũ per peccatũ praestiterũt. Si n. illis data fuisset, nõ peccassent, sicut dicit Magist. sent. in 2 d. 5. Itaq; ex proprijs in secundo instanti peccare potuerunt, & peccauerunt, & meritum suum mortificauerunt. Vtrum verò Angeli, qui perseuerauerunt dicendi sunt perseuerasse in secundo instanti, an verò post vnicum actum meritorium, & post primum instans sua creationis gloriam receperint, dicemus infra.*

3355 1. Obiectio. *Arguitur primò pro parte negatiua; Angeli in primo instanti non potuerunt mereri, ergo non meruerũt. Probatur Antecedens. Angeli in primo instanti sua creationis non potuerunt habere actum liberum, ergo non potuerunt mereri. Probatur Antecedens. Quoniam vel ille actus erat liber, quantum ad exercitiu, vel quantum ad specificationem, sed non poterat esse liber quantum ad specificationem in illo instanti, vt patet ex definitione dubij praecedentis, quoniam aliàs potuissent peccare. Neque etiam potuit esse liber, quantũ ad exercitium, ergo nullo modo. Probatur hoc secundum. Quia si angelus liberè se exercebat in illo actu, potuisset non habere illum actum, & secernamus modo praeceptum, nè fortè dicas, quod peccaret, si non haberet illum actum, sed statuè mihi vnum angelum creatum à Deo cum vno actu liberi arbitrij. Probo, quòd implicet contradictionem, illum actum esse liberum, quantũ ad exercitium. Angelus ita creatus non potuit non habere illum actũ pro illo instanti, ergo liberum arbitrium angeli pro illo instanti non potuit non se exercere in illo actu, ergo non erat actus liber quantum ad exercitium. Probatur Antecedens. Quia pro illo instanti non potuit habere iudicium, conueniens sibi esse non habere illum actum, siquidem creatus est cum iudicio contrario, scilicet, conueniens sibi esse habere illum actũ, Quomodo ergo liberè se exercebat.*

Respondetur, quòd ille actus primus fuit liber quantum ad exercitium. Sed tamen ad hanc libertatem non requiritur, quòd in sensu composito, dũ exercet illum actum, possit non exercere illum Sed satis est, quòd ex modo producendi talem actum scilicet ex iudicio indifferentiæ actus ad finem, possit deliberãs cessare ab illo actu, vel potuerit non habere illum Supposito tamen, quòd Deus creabat angelum cu illo actu, & cum dictamine in particulari hic, & nunc eligendu, sed hoc implicabat contradictionem, quòd angelus non exerceret illum actum. Resp. 3356

Arguitur secundò Si in illo primo instanti actus potuit esse liber quantum ad exercitium, sequitur, quod pari ratione potuit esse liber quantum ad specificationẽ. Probatur sequela. Quia tota ratio, quare potuit esse liber quantum ad exercitium, ea erat: quia habeat iudicium non ligatum ad exercitium illius actus, sed cũ quadam potestate cessandi ab illo, quando voluisset: sed etiam habuit iudicium, quòd poterat habere contrarium actum peccati, si voluisset, ergo etiam pro tunc liberè se exercebat quantum ad specificationem. 3357 2. Obiectio.

Resp. nego sequelam, quia libertas quantum ad specificationem non potuit exerceri in primo actu angeli, quamuis concedendum sit, quod habeat liberum arbitrium, quod erat liberum, quantum ad specificationem in ratione potentię. Quę tamen explicari nõ poterat in primo instanti, vt tunc indifferenter posset operari benè, vel malè. Resp. 3358

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum Angeli sint consecuti gratiam, & gloriam secundùm quantitatem suorum naturalium.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

Conclusio affirm. Prob. Angeli toto suo conatu feruntur in Deum, ergo Angeli, qui meliorem habuerunt naturam, & virtutem, efficaciùs feruntur in Deum, quàm alij. Prob. Angelus non est compositus ex diuersis naturis, vt inclinatio vnius naturæ, impetum alterius, aut impediat, aut retardet. Sicut in homine accidit, in quo motus intellectiuæ partis, aut retardatur, aut impeditur ex inclinatione partis sensitiuæ.

Arg. 1. Gratia datur ex mera Dei volũtate. ergo, & gradus, siuè quantitas gratię, dependet ex eadem Dei voluntate. ergo non secundùm quantitatem suorum naturalium. Resp. neg. 2. Conseq. Sicut enim gratia, & gradus gratiæ sunt ex mera Dei voluntate, ita & natura Angeli est ex Dei voluntate. Et sicut Dei voluntas ordinat naturam ad gratiam; ita ordinat gradus naturæ ad gradus naturę.

Arg. 2. Propinquior videtur actus huma-

nus ad gratiã, quàm ipsa natura; quia actus humanus est præparatiuus ad gratiam. Sed gratia ipsa non est ex operibus. Rom. 11. ergo. Resp. Ad ma. quòd quamuis actus, siuè opera creaturę rationalis sint aliquo modo dispositiua ad gratiam, tamen gratia magis videtur dari secundùm gradus naturę, quàm ex operibus; quia natura est à Deo, opera autem sunt ab ipsamet natura.

Arg. 3. Homini non datur plus de gratia secundùm gradum suorum naturaliũ; ergo ergo neque Angelo. quia homo, & Angelus pariter ordinantur ad Beatitudinem, vel gratiam. Resp. neg. con seq. & Ad prob. dicitur: quod homines non differunt specie, sicuti Angeli; ideò non oportuit pluríficare gradus gratiæ in hominibus, secundùm exigentiam naturæ, quia habent eundem gradum naturę, secùs est in Angelis.

DISPVTATIO CCCXV.

An gratiam, & reliqua dona infuderit Deus Angelis inæqualiter, iuxta inæqualitatem perfectionis naturalis.

3359 Nota. *SVpponimus tanquam omninò certum, perfectionẽ naturalem angelorum, aut opera, quę viribus naturę fiunt, non fuisse rationem ob quam angeli de condigno, aut congruo meruerint gratiam habitualem, aut aliquod auxilium supernaturale: hoc .n. eadem auctoritate, & rationibus exploditur, quibus in materia de gratia contrà Semipelagianos probatur, neminem solis viribus naturę posse ad gratiam disponere. Ex quo clarè constat, angelis, quibus maior gratia, aut vberiora dona gratiæ collata sunt quàm alijs nõ fuisse data ob meritum aliquod naturale, aut quia perfectiori naturę deberentur. Solum inquiritur, an Deus sua omninè gratuita, & liberali voluntate voluerit distribuire angelis gratiam iuxta eorum perfectionem naturalem, itaut quò quis in natura perfectior est, eò maiorem gratiam acceperit.*

1. Obiectio. *Ratio dubitandi est prima; quia inferius non potest esse mensura superioris, natura autem inferior est, quàm gratia, igitur non potest esse mensura illius.* 1 Confirm. *Et confirmatur; quia inde infertur Luciferum, in primo instanti creationis fuisse cęteris angelis sanctiorem.* 2 Confirm. *Confirmatur secundò; quia ex hoc sequitur, datam esse gratiam angelis iuxta proportionem dilectionis naturalis; quia de primo ad vltimum, vnum sequitur ex alio; quia si gratia datur iuxtà capacitatem naturalem, cùm amor naturalis etiam iuxtà vires naturales vniuscuiusque elicitur, consequenter dabitur gratia iuxtà proportionem dilectionis naturalis; quia si aliqua congruitas est in naturali capacitate considerata in actu primo, eadem, imò, & maior est in actu secundo; hoc autem videtur absurdum, quia aliàs Angelus aliquo modo se disponeret suis viribus ad gratiam.*

3360 2. Obiectio. *Secunda; quia in hominibus non seruat Deus illam proportionem, igitur neque in angelis. Et confirmatur; quia ratio D. Thomę in art. 6. sumpta ex parte Dei etiam inter homines locum habet, quatenus vnus homo alio excellentius habeat ingenium, vel ad supernaturale munus aptior est, ad quod sufficit inæqualis perfectio indiuidualis, & tamen non ita factũ est in hominibus, sed interdum homines de se minus aptos ad altiorem gradum, & maiorem gratiam assumit: in quo non deficit Deus ab illa congruentia prudẽtis artificis, qui pulchriores aptat lapides in nobiliori loco collocandos; hoc .n. verum est de perfectione pertinente ad ędificij compagem, quę in prȩsenti est perfectio gratiæ, non naturæ.* Confirm. 1. Confirm. 2. *Confirmatur secundò; quia de facto non solùm humanitas Christi, & persona Virginis, sed multi homines, qui in natura comparati cum Angelis inferiores sunt, in gratia angelis prȩstantiores sunt, igitur illa ratio non obstat quominùs inter Angelos ipsos inferiores in natura in gratia superiores effecerint.*

3. Obiect. *Tertia; quia alia ratio quam D. Th. ex parte ipsorum angelorum reddit, scilicet quia perfectiores angeli magis conati sunt, vt se ad gratiam disponerent, difficultatem patitur, quia maior conatus est à maiori gratia auxilio: naturalis enim conatus non confert per se ad perfectionẽ actuũ supernaturalium: aliàs angelus aliqua ex parte suis naturalibus viribus esset causa maioris gratiæ sibi collatæ, sicut intellectus perfectior cum ęquali lumine gloriæ non elicit meliorẽ visionem, sed iuxta proportionem luminis, ergo in angelo maior conatus pendet totus à prȩueniente auxilio; in hoc autem non potest sumi inęqualitas ex naturali conatu voluntatis, quia ad primum auxilium non datur dispositio ex parte hominis, vel angeli, ergo illa diuersitas in naturali conatu nil confert.* Confirm. *Confirmatur, quia hic conatus naturalis semper est liber, igitur licèt angelus sit perfectior potest minus conari, quàm angelus inferior, igitur si inferior cum auxilio gratię plus conatur, melius disponetur, ergo recipiet maiorem gratiam, ergo melior dispositio supernaturalis non sequitur probationem naturæ.*

Dicendum est tamen, Deum distribuisse gratiam angelis iuxta proportionem naturalium, itaut quò angeli creati sunt perfectioris naturę eò maiori gratia ornati sunt. *Ita magister in 2. d. 3. S. Thomas hic art. vbi Caiet. Bannes. Molina Zumel, & Vasquez, & alij interpretes D. Th. Valentia q. 13. puncto 3. Suarez lib. 5. cap. 10. Granados hic, & Auersa q. 62. sect. 6. & communiter iuniores, & ex antiquis Ricard. d. 5. art. 2. q. 3. Carth. 2. d. 4. q. 2.* Concl. 3361

Probatur primò ex patribus, & in primis ex Diu. Dionys. lib. de cælesti Hierarch. vbi angelos perfectiores in natura, ait propinquiores esse Deo, tùm in officio, tùm in splendoribus gloriæ, & gratię, quod à præceptore D. Paulo didicisse in c. 6. profitetur, & ita ait, Primam Hierarchiam, sicut est perfectior reliquis, ita primoribus Dei splendoribus, maiori propinquitate coniunctam esse. *Basil. lib. de Spiritu Sancto cap. 16. dicente* Cælorum virtutes non suapte natura Sanctæ sunt, sed iuxta proportionem, qua se inuicẽ superant, à spiritu habent sanctificationis mensuram. *Similia habet Damasc. lib. 2. c. 3.* Per Sancti Spiritus sanctificationem omnes angeli perfectionis numeros acceperunt, ita tamen, vt pro sua quisque dignitate, & classe luminis, gratiæq; participes sint. *Nazianz. Oratione in Sanctum Baptisma licèt in hac re dubius sit, eius tamen interpres Nicetas in hanc opinionem propendet.* Prob. 1. Auctoritate.

Ratione probat Sanctus Thomas, quæ solùm habet vim congruentiæ: nam ex parte Dei videtur consentaneum sapientiæ eius, vt quos meliores in natura condidit, in altioribus sedibus gloriæ collocaret; & consequenter in maioribus gratijs præueniret, & ex parte Angelorum, quia quo sunt natura perfectiores eò maiori conatu per gratiam operantur, & ad illam se disponunt, quæ ex solutionibus rationum dubitandi illustriora fient. 3362 2. Prob. ratione.

Ad primam rationem. Respondeo, perfectionem naturæ angelicæ non esse mensuram gratiæ, aut distributionis eius inter angelos, sed propria, & adęquata fuit voluntas diuina, Diuidens singulis prout vult. 1. *Corinth. 12. nihilominùs ex parte naturę angelicæ potest considerari aliquas congruitas, & occasio, quam Deus ex mera liberalitate, & voluntate sua distributurus gratiam, voluerit iuxta proportionem naturalium illam gratiæ distributionem efficere.* Ad 1. obiect. Resp.

Ad primam confirmationem Respondeo, concedendo, Luciferum, si fuit perfectior omnibus in natura, fuisse cęteris sanctiorem in primo instanti: neque est inconueniens, quia Deus non dat gratiam iuxta præscientiam futuri euentus, sed iuxta prȩsentẽ dispositionem. Ad 1. Confir. Resp.

Ad secundam confirmationem, Suarez. Veretur concedere, gratiam fuisse datam angelis intuitu suę bonę operationis naturalis. Sed reuera in eodem sensu, in quo conceditur, fuisse datã intuitu perfectionis maioris naturæ, potest cõcedi idem de operatione naturali; quia necessariò, & per se omnis actus liber naturalis voluntatis Ad 2. Confir. Resp.

lnutatis perfectioris in angelis affert maiorem perfectionem, licèt esse minus intensus propter vniuersaliorem, & puriorem, aut simpliciorē modum tendendi.

3363 Gratia excludit à natura omnem rationem debiti. *Sicut actus infimi angeli excedit actum hominis. Igitur gratia excludit à natura omnem rationem debiti, atque adeò meriti, dispositionis, seu conditionis, sine qua non, per se requisitæ, & similia; & hoc modo excludit illā ab omni actu naturali angeli; at verò titulus occasionis, siuè alicuius congruitatis, quæ soluet omnem, & perfectissimam rationem libertatis, donationis, & gratiæ, sicut tribuitur naturæ, non est, cur negetur operationis, quæ illi omninò proportionatur, imò accomodando singula singulis, si gratia habitualis perficit substantiam in se, habitus infusi potentiarum, & gratia actualis dantur propter operationes, vt supernaturales eliciantur, igitur non est, cur negetur, dari hanc congruitatem, & occasionem, salua semper liberali donatione gratiæ, in actibus perfectis naturæ, sicut in ipsa natura; imò integra perfectio naturę totū claudit, tām substantiam, quàm eius operationem; Inde verò solùm infertur aliqua laus naturalis operantis, sicut, & ipsius perfectionis naturę; nil autem, quod cōducat ad rationem debiti, & minuat rationem gratiæ; quia ea actualis operatio non est semper permanens cum ipsa natura, quia libera est, & potest esse, & non esse: neque est subiectum, in quo recipitur gratia, nec reddit naturam magis capacem eius; ideò etiam ad illum titulum congruitatis, & occasionis non per se, sed quasi concomitanter se habet; maior verò perfectio naturæ quasi per se.*

3364 Ad 2. Obiect. Resp. *Ad secundam rationem dubitandi. Respondet Sanctus Thomas in solutione tertij, esse disparem rationē, tum quia inter homines nulla est distinctio, & inæqualitas essentialis, sed solùm materialis, & numerica; inter angelos autem est diuersitas, & inæqualitas formalis, & essentialis, & ita magis decuit, prædictam gratiæ inæqualitatem intendi à Deo inter angelos, quàm inter homines; tum etiam quia homo ratione corporeæ molis, & sensibilium affectionum habet maiora gratię impedimenta, quam habuit angelus, & hæc opponi interdum solent ab ingeniosis maiora, quā à simplicibus.*

Confirm. 1. *Addo, hoc non ita indicari congruum diuinæ sapientiæ, vt si aliter res Angelorum disponere sine aliquo deffectu, vel imperfectione id facere non posset. Nā potius credimus, hoc potuisse facere, nec defuturas ipsi plures suæ diuinę sapientiæ congruentes rationes, propter quas hoc facere potuisset: hoc enim conuincit instantia illa, quod ad artificij compagem per se attenditur perfectio gratię, non naturæ, & ita plures homines inferioris naturę ad maiorem gloriam, quàm multos angelos euexit; Sicut ad gratiam vnionis potius naturam humanam quàm angelicam; præcipuè si finis primarius Incarnationis fuisset excellentia mysterij ante præuisionem peccati: quia tamen illæ rationes absunt nobis nota, & quia hic ordo videtur aptior, & facilior ad communem, & ordinarium prouidentiam, vt patet exemplo gradus intellectualis prę cæteris à Deo electi ad communicationem suę gratię; & quia P.P. hoc docent, præcipuè Dionysius, qui doctrinam hanc à D. Paulo accepit, ideò de facto asserimus dictam proportionem in angelis seruatam fuisse, non verò in hominibus: tum quia in his non est essentialis distinctio: tum quia fortasse voluit Deus vtroque modo suā gratiam distribuere, & cum proportione ad perfectionē naturę in angelis, & sine illa in hominibus, vt se ostēderet liberalem donatorem gratiæ suę, distribuens illam, prout vult.*

3365 Patet ad Cōfirm. *Addo secundò, quod licèt hic ordo seruatus fuerit in prima iustificatione, quo ad omnes angelos, & in secūda mora idem fuerit seruatum in S.S. Angelis, nihilominus in electione angelorum ad gloriam, & gratiā efficacem, non idem seruatum est in omnibus angelis, dum multi ex perfectioribus in natura non fuerunt electi, nec receperunt gratiam efficacem, quam inferiores multi receperunt.*

Ad 3. Obiect. Resp. *Ad tertiam rationem dubitandi. Resp., quòd licet maior conatus sit à maiori gratię auxilio; tamen in primo actu, quo angeli ad gratiam se se disposuerunt, singulis data est vocatio, & motio præueniens, maior, aut minor iuxtà proportionem naturalium, & consequenter ipsum etiam auxilium cooperans, præparatū est singulis iuxta modum suum, idest ad conandum supernaturali modo, quantum naturaliter posset vnusquisque conari, si actus naturalis futurus fuisset. Nam licèt conatus naturalis per se non conferat ad talem actum; tota enim quantitas eius est supernaturalis, & respondens perfectioni gratię, tamen capacitas illius remota, & per modum occasionis conferre potuit, vt Deus in concurrendo cum illis voluntatibus ad tales actus dictam proportionem seruaret, & ita exemplum de lumine gloriæ nil concludit contra nos.*

Ad confirmationem, Respondetur, quod quamuis iste conatus semper sit liber in angelo, nihilominus in primo instanti Deus omnibus, & singulis dedit vocationem efficacem, qua vnusquisque iuxtà mensuram suam, toto conatu operaretur, & consentiret vocationi infallibiliter: in secundo etiam instanti, seu mora angelorum in bonis fuit etiam conuersio toto conatu; quia ipsis fuit datum auxilium efficax infallibilizans eorum voluntatem eadem proportione, qua in primo instanti fuerat datum omnibus, & ita toto conatu se ad Deum conuerterunt, quando mali peccauerunt; efficax .n. auxilium, licet non excludat physicam libertatem, excludit moralem in determinando: de quo plura in nostra controuersia de efficacia diuinæ gratiæ, quam Deo dante, & Apostolica Sede permittente in lucem proferemus. Ad confirm. Resp.

Neque contra hanc resolutionem fecit Augustinus lib. 12. de Ciuit. cap. 9. quando dixit, malos angelos, minorem accepisse gratiam, quàm bonos: Nam per hoc sensisse videtur, gratiam non fuisse distributam illis secundùm proportionem naturalium, cum Lucifer fuerit natura præstantissimus; quia ibi loquitur de gratia, & dono perseuerantiæ: quæ sine dubio fuit maior in angelis bonis imperfectioris naturæ, quàm in malis naturę excellentioris, vt dicemus inferius. Igitur, quod in hac disp. affirmamus, est, in primo instanti fuisse collatam gratiam angelis inæqualiter pro inæqualitate naturæ: & in secundo his, quibus datū est auxilium efficax, & donum perseuerantiæ, scilicet iuxta proportionem naturalium distributum esse. 3366 Instabis. Respondetur.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum in Angelis Beatis remaneat cognitio naturalis.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

COncl. In Angelis beatis remanet cognitio, & dilectio naturalis. Prob. In quibus remanent principia operationum, necesse est, & operationes ipsas remanere. Sed in Angelis beatis remanet principium dilectionis, & cognitionis naturalis. ergo. Prob. min. Primum semper saluatur in secundo: sicut animal in homine. Sed Natura comparatur ad beatitudinem, sicut primum ad secundum; quia beatitudo additur naturæ, vt perfectio: ergo &c.

Arg. 1. Adueniente dilectione, & cognitione perfecta, tollitur cognitio, & dilectio imperfecta. ex 1. *Corinth.* 13. Sed cognitio, & dilectio Angelorum naturalis, sunt imperfectæ respectu beatitudinis: ergo. Resp. ma. esse veram de imperfecto opposito, perfecto: Imperfectio ante naturalis, non opponitur perfectioni gloriæ, sed ei substernitur, sicut imperfectio potentiæ substernitur perfectioni formę, & non tollitur potentia per formam, sed priuatio.

Arg. 2. Vbi vnum sufficit, aliud superfluè existit. Sed in angelis beatis sufficit cognitio, & dilectio gloriæ. ergo. Resp. veram

esse ma. si illud aliud non necessariò illi præsupponatur. Licèt.n.ea,quæ sunt beatitudinis,per se sufficiant, sed ad hoc, quod sint, præexigunt ea, quę sunt naturę, quia nulla beatitudo subsistit, nisi increata.

Arg. 3. Eadem potentia non habet simul duos actus,sicut, nec vna linea, terminatur ex eadem parte ad duo puncta. Sed Angeli beati sunt semper in actu cognitionis, & dilectionis beatę.ergo. Resp. Ad ma.quòd duę operationes possunt esse simul vnius potentię,si vna ad aliam ordinatur. Cognitio.n.& dilectio naturalis ordinantur ad cognitionem,& dilectionem gloriæ.

DISPVTATIO CCCXVI.

An Angeli habeant naturale iudicium de diuina veritate,quam vident in Verbo.

3367 Nota. *ADuerte,quòd in Angelis tria genera actuum, & habituum considerare possumus. Primum est, eorum,quæ sunt tanquam media,& dispositiones præuia ad beatitudinem consequēdam,sicut fides,& spes, quæ sunt non solùm media, verùm, & præuia dispositiones;& tales actus,& habitus omninò cessant post beatam Visionem. Alij sunt statui beatitudinis subordinati,& veluti fundamenta requisita; cuius modi sunt, quæ pertinent ad naturæ integritatem,& perfectionem: de quibus docet Sanctus Thomas hic, quòd manent,sicut ipsa natura, & potentia. Alij sunt media quidem ad beatitudinem consequendam, quæ secundum substantiam non repugnant statui beatifico, sed tantum secundùm modum operandi, quem habent in via; Sicut scientia, & alia dona Spiritus Sancti, quæ pertinent ad intellectum: & hæc manent in Patria sublata tamen imperfectione, quam habebant in via. Ratione cuius dicitur 1. Corinth. 13. Siuè linguæ cessabunt, siuè prophetiæ euacuabuntur, siuè scientia destruetur.*

3368 Conclusio statuitur. *Sed est certa conclusio quòd beati non solùm habent cognitionem supernaturalem beatificam: Sed etiam cognitionem naturalem rerum per actum omninò distinctum a supernaturali. Hæc conclusio communis est,& certa apud Theologos. Et probatur: Quoniã cognitio naturalis,est naturalis perfectio,quæ ponit in numero cum supernaturali,quia sunt distinctio ordines,& per diuersa media & vtraque est in suo genere perfecta.non ergo est vnde habeant incompossibilitatem: manebunt ergo simul Quia esse supernaturale, non destruit esse naturale,nec perfectionem eius.*

Confirm. 1. *Et confirmatur quia in Christo Domino simul sunt scientia beata infusa,& naturalis: ergo similiter in Beatis dicendum est. Præterea. Sicut vitam sensibilē consequitur aliqua naturalis operatio,ita,& intellectualem. Sed operatio naturalis in angelis consequitur vitam intellectualem:ergo manet in statu beatitudinis. Sicut in corpore glorioso cum vita corporali manent sensuum operationes.*

Confirm. 2. *Et confirmatur. Quoniam si angeli non haberent simul vsum naturalium scientiarum, aut specierum: sequitur species illas otiosas esse; imò,& frustrà fuisse collatas. Patet sequela. Quoniam breuissimo vitæ discursu non potuerunt angeli omnibus scientijs, & speciebus vti. Imò sequitur,lumen naturale angelicum esse similiter otiosum at neque naturale lumen, neque species angelicæ sunt frustra in Patria sine efficiētia.ergo per illa elicit angelus cognitionē sui,& Dei.*

Euasio. *Ad hoc argumentum dicunt quidam, quòd aliquid efficiunt non tamen distinctum actum,sed solùm iuuat visionem beatificam.*

Præcluditur. *Sed hoc non satisfacit. Quia visio beatifica est alterius ordinis,& per lumen, & principium eleuatissimum. Vnde,nullo modo iuuari potest à lumine,& speciebus naturalibus. Et oppositum dicere,est malè consonum cum catholica doctrina. Vnde,nullo modo iuuari potest à lumine,& speciebus naturalibus: neque fieri potest,vt cognitio supernaturalis, & naturalis in vno actu conueniant;cum habeant obiecta diuersa, & rationes essētiales adeò distinctas. Itē,quia visio beatifica,est omninò inuariabilis: naturalis verò,mutabilis*

Profectò,si istorum vera responsio foret,visio beatifica perficeretur à lumine naturali imperfectiori. Tandē in beatitudine non destruitur natura: ergo non potest operatio dissipari,quæ sequitur ex ipsa natura. Et ex hac ratione etiam sequitur, quòd naturalis dilectio benè se compatitur cum dilectione supernaturali Dei: Nam Beatus,qui fruitur Deo,is se diligit,& proximos etiam dilectione naturali. Et confirmatur. Quoniam authore Augustino in Angelis respectu eiusdem obiecti reperitur duplex cognitio,matutina, & vespertina: matutina cognitio,est visio beata: vespertina verò est,quæ habet extra verbum per species creatas; & est naturalis rerum cognitio in proprio genere. Quare,quicumque angelus beatus videt in Verbo omnia genera,& species rerum naturalium. Vnde,si Angelus beatus non cognosceret extra verbum cognitione naturali eadem obiecta,quæ videt in Verbo,non vteretur speciebus intelligibilibus, sibi connaturalibus, quæ per se primò repræsentant genera,& species rerum naturalium. 3369 Confirmatur.

Primum est,quia plus differt iudicium naturale à visione beata,quam assensus opinatiuus à scientifico: Sed hæc duo simul esse non possunt: ergo neque illa. Sanè, quoniam afferuntur duo media ad cognoscendam aliquam conclusionem,alterum demonstratiuum, & alterum probabile:non potest intellectus simul proferre duos assensus,vel iudicia,alterum demonstratiuū scientia,alterum verò opinatiuum:Sed ambo simul causant vnum iudicium euidens,igitur in patria,cùm sint duo lumina,quæ sunt veluti duo media: sequitur,quòd solùm vnã cognitionem producunt,& non duas. 3370 1. Obiectio.

Resp. distinguendo maiorem. Nam si loquamur de gradu perfectionis,concedenda est. Si verò de distantia oppositionis,neganda est. Assensus enim opinatiuus, formaliter opponitur scientifico,propter formidinem: Sicut tenebra lumini. At visio beata nullam habet repugnantiam cum visione clara naturali: & idcircò compatitur illam esse secum,quamquam sit longè perfectior. Dico secundò,medium probabile,& demonstratiuum non posse simul efficere,& effectiuè concurrere ad eundem actum scientiæ euidentissimum. Quomodo autem medium probabile iuuet ad scientiam, & quomodo opinio, & scientia possint esse simul: alibi dicetur. Nam Sanctissimus Præceptor non adducit exemplum tanquam omninò simile: sed solùm ad explicandum, quòd cognitio perfecta nō semper omninò destruit minùs perfectam nisi habeant repugnantiam. Dico tertiò,quòd per medium probabile, & demonstratiuum eiusdem conclusionis fortè producitur vnicus assensus demonstratiuus:quia sunt media naturalia se se iuuãtia,& habentia inter se proportionem; cum pertineant ad ordinē naturæ. Sed in nostro casu lumē glorię,& lumen naturale intellectus,sunt lumina omninò diuersi ordinis,& ideò vtrumque concurrit ad suam peculiarem cognitionem. 3371 Respond.

Secundum,visio beatifica est perfectissima operatio omniū:ergo postulat omnē intellectus conatū: ergo non compatitur,simul aliam operationem intellectus. Probo consequentiam Quia potentia,quæ adhibet totū conatū,quē potest in vna aliqua operatione,nō potest simul exire in aliam operationem:quia pluribus intentus, minor est ad singula sensus. Certè,Angelus, vel fertur tota mentis attentione in Deum clarè visum: vel non? Si primum: nihil superest,quòd tribuatur naturali iudicio. Si secundum,sequitur, quòd cognitio beata erit imperfecta ex parte angeli; quia non tantum attenderet illi actui quantum potest. 2. Obiectio.

Resp. aliqui Theologi docent,esse miraculum, quòd Sancti Angeli simul habeant illam geminam operationem Cæterùm hæc solutio est miraculosa: & ob id relinquenda Nam duplex illa operatio,verè requiritur in intellectu angelico sine vllo prorsus miraculo. Primò, quoniam tota efficacia,& totus conatus,quem intellectus angelicus adhibet ad visionē beatã, nō respondet virtuti naturali intellectus;sed solùm lumini beatifico Quia in illa visione intellectus creatus non operatur iuxta proportionē suæ virtutis naturalis:operatio 3372 Respond.

n. na-

.n. naturalis correspondet virtuli, & lumini naturali intellect⁹. Et insuper, conatus, quem præstat intellectus in visione beatifica, non impedit conatum, quem præstat in operatione naturali: qui conatus illi sunt veluti duarũ potentiarũ. Imò verò diceremus, quod visio Beata & conatus, quem erga ipsam præstat intellectus, conducit ad perfectionẽ maiorẽ cognitionis naturalis: quoniam operatio potentię superioris non minuit, sed potius complet, & perficit operationem potentię inferioris. Secundò, quia naturalis operatio sensuũ nihil tollit de intensione intellectus beatifici videntis: Sic ergo, neque operationes naturales. Nam status beatitudinis hoc etiã postulat, vt omnia naturalia integra sint. Tertiò, propter rationem D. Th. *hic solutione ad tertiũ.*

3. Obiectio. *Tertiò, arguitur. Quoniã duæ faculæ accensæ ad illustrandum aerem applicantur, altera maior, & altera minor; tunc duæ illæ faculę nõ producunt in medio duo lumina: sed vnũ, igitur per illa duo lumina beati solũ vna cognitione præditi sunt. Vnde, Sanctissimus Præceptor solutione ad primum ait, quòd angelos ita videt per suam essentiam, & diuinã; sicut nos per mediũ demonstratiuum, & probabile. Constat autẽ, quod nos nõ habem⁹ duo iudicia de eadẽ cõclusione: ergo neq; angel⁹.*

3373 Respond. *Resp. Patet solutio ex his, quæ diximus ad primum. Nam illa duo lumina sunt eiusdem ordinis, & se mutuò iuuant: sunt .n. intra idẽ genus. Visio autem beatifica est extra genus naturalis cognitionis, & notitiæ & idcircò non inconuenit, diuersis rationibus idem obiectum considerare.*

4. Obiectio. *Quartò. Operatio fidei simul coniungi nõ potest cum visione beatifica circa idẽ obiectũ, ob id, quòd fides intrinsecè includit obscuritatẽ, & imperfectionem, visio verò beatifica est summè euidens, & perfecta. at naturalis cognitio intrinsecam dicit imperfectionẽ, potissimè si comparetur ad visionem beatam; ergo nõ cõpatitur visio beata talem cognitionem naturalẽ respectu eiusdẽ obiecti. Ac proinde non poterunt esse simul.*

3374 Resp. *Resp. negando consequentiã, quoniam fides constituit intellectũ omninò non videntẽ res, quæ per fidem creduntur: ac proinde non cõpatitur secum in eodẽ intellectu eiusdẽ obiecti clarã visionẽ. At verò imperfectio, quæ in cognitione scientifica naturali reperitur, tota manet in ipsa cognitione, & in medio per quod fit hæc cognitio & nõ postulat, quòd intellectus sit imperfect⁹ simpliciter. Quia naturalis cognitio scientifica, certa est, & euidens; quamuis eius certitudo, & euidentia non habeat perfectionem omnimodam, sed solùm perfectionẽ sui generis naturalis. Vnde, eius imperfectio nihil prohibet, quòd intellectus per medium altioris ordinis habeat cognitionem aliam perfectionẽ eiusdẽ obiecti.*

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum Angelus Beatus peccare possit.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONcl. Negatiua. Prob. Sicut se habet quicumque non videns Deum, ad cõmunem rationem boni; sic se habet videns Deum per essentiam ad Deum ipsum; quia essentia Dei, est ipsa essentia bonitatis. Sed impossibile est, quòd aliquis quicquam velit, vel operetur, nisi attendens ad bonum; vel quòd velit diuertere à bono, inquantũ huiusmodi. ergo impossibile est, quòd videns diuinam essentiam, possit aliquid velle, vel agere, nisi attendens ad Deum, quod est, non posse peccare.

Arg. 1. De ratione naturę creatę est, quòd possit deficere. Sed Beatitudo non tollit naturam, vt dictum est. ergo. Resp. ad ma. quòd bonum creatum in se deficere potest, sed ex coniunctione perfecta ad bonũ increatum, qualis est coniunctio beatitudinis, adipiscitur, quòd peccare non possit, ratione iam dicta in conclusione.

Arg. 2. Potentię rationales sunt ad opposita. Sed Voluntas Angeli beati non desinit esse rationalis. ergo. Resp. ad ma. quòd virtutes rationales se habent ad opposita, non in omnibus, sed in illis, ad quę non ordinantur naturaliter: Intellectus .n. non potest non assentire principijs naturaliter notis. Similiter Voluntas Angeli non se habet ad opposita, quantum ad ipsum Deum, quem videt esse ipsam essentiam bonitatis.

Arg. 3. Ad libertatem Arbitrij pertinet, quòd possit eligere bonum, & malum; sed in Angelis beatis non minuitur libertas arbitrij. ergo. Resp. ad ma. quòd de ratione libertatis arbitrij est, posse eligere hoc, vel illud, seruato tamen ordine finis, & ad finem, & non quod possit eligere malum. Vnde, quòd liberum arbitriũ possit diuersa eligere, seruato ordine finis, pertinet ad eius perfectionem; sed quod aliquid eligat, diuertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum eius.

DISPVTATIO CCCXVII.

An conclusio D. Th. sit de fide tenenda.

CIrca hoc dubiũ fuit error quorundã credentium, quòd angelorũ beatitudo nõ est ęterna, sed mutabilis in miseriã: & cõsequenter errantes dixerunt, quod miserorũ damnatio futura est tẽporalis Et iste fuit error Origenis: contra quẽ scripsit Alphonsus à Castro lib. de Hæresibus, verbo beatitudo, hæresi tertia. *est .n. iste error cõtra articulũ fidei in symbolo: credimus .n. Sanctorũ communionẽ, & vitã æternã. Est præterea sententia Origenis contra illud Matth. 25. Ite in ignẽ æternũ, qui paratus est* Diabolo, *&c. Quòd si pęna æterna est pro damnatis, beatitudo est æterna pro prædestinatis. Vnde, Daniel Propheta ait:* Fulgebunt iusti, sicut stellæ in perpetuas æternitates. *Fauet Paulus dicens. Et sic semper cum Domino erimus. Alter error fuit eorũ, qui crediderant angelos, etiã beatos peccare posse. siuè amittant beatitudinẽ, siuè in ea permaneant. Qui error tribuitur Fabro* Stapul. in l. de Triplici Magdalena, *Qui tamen, quoniam est prohibitus, non est nobis vsui. Postremus error est, quem etiam insinuat Origen. locis commen. quòd plerique angeli modo sunt in statu merendi, aut peccandi: quibus iudicio pro meritis præmia, vel supplicia reseruantur.* 3375 Error quorũdam.

Pro explicatione huius dubij, est prima cõclusio. Beatitudo Sanctorũ est inamissibilis ab eis: & cõsequẽter de fide est, beatos peccare nõ posse. Quò circa, Origenis error damnatus est in 6. Synodo generali action. 11. *Vnde, sicut beatitudo illa Sãctorũ est vita, ita est æterna vita. Cõtra huiusmodi errorẽ scripsit Aug.* lib. de hæresibus, hæresi 43. & 12. de Ciuit. Dei c. 20. *& D. Thom.* 4. contra Gent c 92. & 3. contra Gent. c. 61. & 62. *vbi ostendit beatã visionẽ suaptè natura æternã esse. Et præter loca sacræ scripturę superius commemorata, extat* illud 1. Pet. 5. vocauit nos in æternã gloriã suã. *Profectò, si beati angeli peccare possũt: aut per tale peccatum amitterent beatitudinem, aut in ea manerent? Si primum; illud est contra rationem beatitudinis, quæ essentialiter est æterna vita; æternitati verò repugnat mutabilitas. Si secundũ: ergo simul essẽt miseri, & beati. Scriptũ est .n. Prouerb. 14.* Miseros facit populos peccatũ. *Esset etiã contra illud Apoc. 21.* Nihil iniquitatũ in eã intrabit: *Præterea, si peccatum angelis Sãctis contingere posset: vel id esset ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis Ostensum est enim suprà nullam aliam esse illis potentiam. Sed vtrique illarum repugnat peccatum in statu beatitudinis. Nam intellectus apertè videt omnem rationem boni, & omnem rationem agendi; voluntas verò totaliter fertur in summum bonum: diligunt enim ex toto corde, & ex tota mente. ergo.* 3376 Conclusio. Prob. 2.

Tertiò, si Angeli aliquando peccarent, cessarent vtique 3377 Prob. 3.

vtique à laude diuina. Quia scriptum est: Non est speciosa laus in ore peccatoris. Et secundùm fidem nunquam cessabunt beati, iuxta illud prophetæ, Beati, qui habitant in Domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. *Et Isai. 62. super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die, ac nocte non tacebunt. Rursus, Sancti Angeli, vel sciunt se peccare non posse: vel hoc ignorant? Si sciunt, ergo ita est; alioqui falsum subesse posset beatificæ visioni. Si datur secundum: ergo non sunt liberi ab omni metu. Nam quod maximè timent iusti, est peccatum: qui metus est contra statum beatitudinis. Ad hæc, Beatus habet in Patria hanc voluntatem efficacem; volo placere Deo in omnibus, & per omnia: & status ille suggerit vires ad implendam hanc voluntatem in omnibus, & per omnia: ergo impossibile est, quòd Beatus admittat aliquod malum, vel aliquod peccatum. Alioqui non haberet ex natura illius status beatifici voluntatem efficacem placendi Deo in omnibus, & per omnia. Aliqui probant, quòd beatus peccare non posset: quia si posset peccare; sequeretur, quòd esset viator. Verum hæc probatio ignoranter procedit; quia Dæmones in inferno peccant, & tamen non sunt viatores; Vnde, argumenta posita meliùs ostendunt conclusionem: & multa alia dicemus statim in hoc articulo.*

3378 2. Concl.

Secunda conclusio. Tanta rectitudo voluntatis requiritur in beatis, vt non solum peccare non possint mortaliter, sed neque venialiter, in illo statu. De qua conclusione olim pleraque diximus 1. 2. q. 4. art. 4.

Quòd nō possint peccare mortaliter. Prob.

Hæc conclusio habetur ex traditione Ecclesiæ: & est de fide, sicut præcedens. Et prior pars conclusionis tam patet ex his, quæ diximus. Et præterea liquet ex illo 1. Petri 1. Regenerauit nos in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, *& psal. 14.* Domine quis habitauit in tabernaculo tuo? *Respondetur ibidem:* Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiā. *Et Sapientiæ 7.* Nihil inquinatum intrabit in eā. *Certè, si peccare possent mortaliter, non esset beatitudo inamissibilis, aut perpetua in Sanctis Angelis: quod est contra illud Apocaly. 3* Faciam illum, qui vicerit columnam in templo Dei mei: & foras non egredietur amplius. *Et Isai. 33.* Oculi tui videbunt Hierusalem Ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri potest: neque auferrentur claui eius in sempiternum: & funiculi eius nunquā dirumpentur.

3379 Neq; venialiter Prob.

Quod verò, neque venialiter peccare possint: probatur. Tum, quia repugnat statui beatitudinis: est enim beatitudo status omnium bonorum aggregatione perfectus. Et beatus, vt docet August. est qui habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult. Tum etiam, quia posse peccare, est magna imperfectio, & non potest non causare nonnullam anxietatem, & timorem etiam. Quocirca, si beatus in se cognosceret huiusmodi potentiā, non esset perfectè satiatus. Item, quia peccatum, quātumuis leue sit, diminuit gaudium, & causat tristitiam: ergo non esset in beatitudine gaudium perfectum, & completum: quod est contra sacram scripturam, & contra Isai. c. 30. 32. 43. 65. 66. & rursus in Apocalypsi legimus: Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorū. & iam nō erit luctus, neq; clamor. *Sūt igitur liberi ibi ab omni pœna: & consequenter à culpa, Io. 15. petit Christus Dominus, vt gaudium plenum sit suis electis. Patet etiam: quia nihil coinquinatum potest intrare in illam beatitudinem: multò ergo minùs potest ibi committi peccatum. Et in hac re omnes Theologi conueniunt cum D. August. 1. super Genes. ad litteram, & in Enchir. c. 57. & ser. 143. & 12. de Ciuit. c. 13. & de Ecclesiastic. dogma. c. 62. & 1. de fide ad Petrum cap. 27. ait, Firmissimè tene, & nullatenus dubites, nullum Sanctorum Angelorum in deterius mutari posse.*

3380 3. Conclusio.

Tertia conclusio. Sicut intrinsecum est beato ratione status, & beatitudinis, quod non possit peccare in illo statu; quia habet rectitudinē voluntatis coniunctam: ita etiam ratione status, & intrinseca conditione beatitudinis est, quòd beatus non possit habere errorem in intellectu.

Prob. 1.

Probatur. Quia beatitudo satiat omne desiderium, & excludit omne malum: Sed error est malum intellectus: ergo, &c. Neque etiam beati possunt habere iudicium opinatiuum. Quoniam opinatiuum iudicium importat assensum cum formidine: formido verò pugnat cum illo statu beatifico.

Secundò.

Secundò, beatus est prudentissimus: ergo nunquam assentietur alicui parti absque eò, quod clarè, & euidēter cognoscat id, quod iudicat esse verum: aliàs prudētissimus non esset.

Tertiò.

Tertiò, beatus iudicat euidenter, se errare non posse: & cùm pertineat ad beatificum statum scire se non posse errare; sequitur, quod beatus id non ignorat. Et similiter sequitur, nullum beati iudicium posse esse erroneum. Quia beatus facit hanc consequentiam: Beatus non potest habere iudicium erroneum. at ego sum beatus. ergo errare non possum. Sicut ego iudico, quòd quantitas distinguitur à re quanta: ergo mihi est euidenter verum, quòd quantitas distinguitur à re quanta.

3381 1. Obiectio.

Pro parte negatiua prima dubitandi ratio sumitur ex illo Iob. 4. vbi loquens de Sanctis Angelis, ait, Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem. Si igitur non sunt stabiles, ergo prolabi possunt; ac proinde peccare.

Respond.

Respondetur fateor sermonem esse de Sanctis Angelis: vt patet ex contextu. Sed sensus est non esse stabiles ex natura sua; sed per gratiam Dei: vt exponit Greg. 5 Moral. c. 27. Et idem docet Hieron. super Iob. secundo potest intelligi hoc testimonium in communi de his, qui seruierunt ei in via. Et ad hoc confirmandum addit in angelis suis reperit prauitatem: Scilicet in viatoribus, non in beatis. Tandem angelus secundùm se consideratus, capax est peccati, & non est stabilis, sicut multorum lapsu fuit comprobatum. at per diuinam gratiam in eum gradū translati fuerunt, in quo neque peccare possunt, neque velle peccare.

3382 2. Obiectio.

Secunda ratio dubitandi est. Quoniam Origenes homil. 20. super nu. credit angelos custodes in iudiciū esse vocandos, vt appareat, an eorum culpa deliquerint homines, qui eis commissi sunt. Sed Angeli Custodes sunt Beati, nam vident faciem Patris, qui est in Cælis: ergo peccare possunt. Et homil. 13. super Lucam ait, quòd Angeli Custodes possunt negligenter se gerere circa hominum Custodiam.

Respondetur.

Resp. Quòd sententia Orig. cauenda potius est, quàm explicanda. Credimus namque omnes angelos custodes, siuè bonorum, siuè malorum, beatos esse: Cùm dicat Saluator de angelis paruulorum, quod vident faciem Patris, qui in cælis est. Quare, potest quidem eis accrescere accidentale gaudium de salute commissorum, & non præmium essentiale, quia iam sunt in termino. Neque peccatum etiam leuissimum contrahere possint: quia repugnat status. Quocirca non comparebunt in iudicio tanquam Rei iudicandi: Sed tanquam testes nostrarum operationum.

3383 3 Obiectio

Tertia ratio sumitur ex testimon. Hieron. in Michæam c. 6 circa verba illa: Contendet aduersus mōtes, vbi ait, per montes intelligi angelos Ecclesiarum, cum quibus futura est contentio, an rectè ministerium suū peregerint. Sed Ecclesias Deus non commisit Angelis damnatis, sed beatis: ergo. &c.

3288 Respond.

Resp. Quod cum Hierony. illud dicat, consentire videtur sententiæ Origenis. Nam, vt ipse testatur sæpè in comment. suis, aliorum potius explicat sententiam, quàm suam, nihilominùs tamen possumus intelligere locum illum de Angelis Ecclesiarum hoc est, de Episcopis: qui propter officij dignitatem, angeli vocantur; Quibus loquitur Io. in Apocal.

ARTICVLVS NONVS.

Vtrum Angeli Beati in beatitudine proficere possint.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COncl. Neg. Prob. Quælibet creatura rationalis ordinatur ad beatitudinē, & ad ipsam

ipsam dirigitur, tanquam ad aliquid determinatum, & vltimum; Quod est quidam gradus diuinæ visionis, determinatus ex diuina Prædestinatione; ergo consecuto illo gradu determinato modi diuinę visionis, ad quem ordinatur, non potest creatura in superiorem transire. Prima pars Antec. prob. quia Creatura rationalis mouetur à Deo ad beatitudinem, tāquam ad vltimum finē; cui repugnat infinitum. 2. Pars prob. quia beatitudo creata non est determinata ex parte obiecti; cùm obiectum sit infinitum; est ergo determinata secundùm modū diuinæ Visionis.

Arg. 1. Charitas est principiū merendi; sed in Angelis beatis est perfecta Charitas. ergo. Resp. ma. esse veram de charitate viæ, quæ est Charitas imperfecta. Non autem de Charitate perfecta, quę est in Angelis beatis.

Arg. 2. Si Angeli beati non possunt mereri, non esset verum, quòd Deus vteretur Angelis beatis ad eorum vtilitatem: quòd est contra id, quod dicit Aug. *in lib. de doctr. Christ.* ergo. Resp. aliquid dici vtile dupliciter. Vno modo, quod est in via ad finem: & sic vtile est meritum beatitudinis. Alio modo dicitur aliquid esse vtile, sicut Pars est vtilis ad totum; & hoc modo ministeria Angelorum beatorum sunt vtilia ipsis Angelis beatis, inquantum huiusmodi ministeria sunt quędam pars beatitudinis ipsorum.

Arg. 3. Quod nō est in summo, potest proficere, aliàs esset imperfectum. Sed Angeli beati nō sunt in sūmo. ergo. Resp. ad mi. Angelos beatos esse in sūmo beatitudinis, ad quam prædestinati sunt. Vnde ex virtute beatitudinis solùm accidentaliter possunt gaudere, & proficere propter salutē eorum, qui per eorum ministerium saluantur.

DISPVTATIO CCCXVIII.

Quanta sit conclusionis D.Th. articulo, & probationis eius efficacia.

3385 Nota 1. *Sciendum est primò ex angelico nostro Doctore* in 4. sent. dist. 12. qu. 2. art. 1. quæstiuncula secunda, *& est communis Theologorum doctrina, gloriam, siuè beatitudinem Sanctorum comprehendere Sanctorum præmium: & quemadmodum est duplex pręmium, scilicet essentiale, quod est gaudium de diuinitate clarè visa, & accidentale, quod est gaudium de quocumque bono creato, ita duplex est Sanctorum gloria, siuè beatitudo, nimirum essentialis, & accidentalis. Consistit autem essentialis beatitudo in perfecta coniunctione animæ ad Deum, quatenus eo perfectè fruitur, vt viso, & amato perfectè: Accidentalis autem beatitudo in gaudio posita est de operibus à se, vel alijs factis, aut de quouis alio bono create; pertinet enim hoc gaudiū ad benè esse beatitudinis, & ad claritatem, & decentiā quandam ipsius; sicut etiam politica fælicitas ornatur nobilitate, & corporis pulchritudine, & alijs similibus, sine quibus tamen esse potest, vt ait Arist.* in 1. Ethic. c. 8. & sequentibus. *Videndus est S.Th.* in 4. sent. dist. 49. q. 5. art. 1.

Nota 2. *Secundò notandum est ex D.Thoma de virtutibus in communi art. 1. ad 2. mereri dupliciter sumi; vno modo propriè, & sic nihil aliud est, quàm facere actionem aliquam, cui iustè merces debeatur; ad quod tria requiruntur, scilicet status viæ, dominium operis, & Charitas, vt notat Bergomas* in concord. num. 157. *Alio modo impropriè; & sic qualibet conditio, quę facit hominem aliquo modo dignum, meritum dicitur: quemadmodum si dicamus speciem Priami imperiū meruisse, quia digna fuit imperio. Requiri autem ad rationem meriti propriè dicti statum viæ, satis apertè patet* ex supradictis articulis huius quæstionis. *Nec valet glossa Vasquez dicentis, statum viæ requiri, vt aliquis sibi, non tamen alteri mereatur; quia meritum propriè, ac strictè sumptum, rationem habet viæ ad finem, qui est præmium merenti per se primò debitum, siuè sit ab eo recipiendum in persona propria, siuè aliena; igitur, quicumque sibi, vel alteri meretur, ad terminum tendit, præmium scilicet acquirendum, vel in se, vel in altero recipiendum, ei autē, qui iam est in termino, non conuenit moueri ad terminum; igitur nullus in statu beatitudinis constitutus, qui non sit comprehensor, simul, & viator, potest sibi, vel alteri mereri.*

Cùm igitur ait, in hoc art. *Sanct. Doct.* ad 3. argumentum, nec Angelos Sanctos, nec aliquem alium beatum mereri posse, nec etiam præmium accidentale; *de merito propriè sumpto loquitur: cum autem* in 2. & 4. sent., *affirmat angelos per ministeria nobis exhibita mereri præmium accidentale, de merito sermo est impropriè sumpto; quia scilicet angelis, tanquā amicis, & commensalibus* Dei *congruit beatitudinis accidentalibus augmentum. Quod etiam hic significat in fine responsionis ad 3. in illis verbis:* Prædictū .n. gaudium magis acquirunt ex virtute beatitudinis, quàm illud merentur. 3386 Nota 3.

Sed obseruandus est etiam attentè modus loquendi D.Thom. locis supra notatis; ex eo namque loco clarius apparebit, illum eandem vbique sententiam tenuisse. Verba D.Th. in 2. sent. dist. 5. qu. 2. art. 2. sunt: Vnde non videntur se posse compati, vt aliquis beatus in statu merendi existat, sed secundum quid potest sustineri, vt scilicet mereri intelligantur, nō prę mium essentiale, quod est eorum beatitudo, sed præmium accidentale, quod est gaudiū de illis, qui per eorū officia saluantur. In 4. verò sent. dist. 50. q. 2. art. 1. quæstiunc. 6. *sic loquitur:* Sed ante diem iudicij quidam dicunt, & beatos mereri, & damnatos demereri: sed hoc non potest esse respectu præmij essentialis, vel pęnę principalis, cū quantū ad hoc vsq; ad terminum peruenerint: potest tamen hoc esse respectu p̄mij accidentalis, vel pænæ secundariæ, q̄ potest augeri, vsq; in diem iudicij, & hoc præcipue in Dæmonibus, vel angelis bonis, quorū officio aliqui trahūtur ad salutē, ex quo bonorū angelorum gaudium crescit, vel damnationem ex quo crescit pæna Dæmonum. hæc ibi. Nota 4.

Quorum omnium verborum formam, si quis attētè consideret, facilè cognoscet, mentē D.Th. non esse simpliciter affirmare, beatos angelos ante diē iudicij posse mereri pręmium accidētale, propriè loquendo de merito, sed asserere tantū, opinionē dicentem, angelos beatos ante iudicium præmium accidentale mereri, posse sustineri, tanquā probabilē; quod etiam asseruerat Sūmus Pontifex in allegato cap. cū Marta: & idē significat hic ad 3. S.Th, non .n. reijcit opinionem illam, vt omninò falsā, & improbabilē, sed oppositam, ait, esse probabiliorem, quòd apertè significant illa verba: sed melius est, vt dicatur, &c. *Vltima verò verba dicta responsionis, videlicet,* Prædictū gaudium magis acquirunt ex virtute beatitudinis, quàm illud mereātur *meriti propriè dicti rationem excludunt, & meritum in eis minus propriè dictum admittunt, prout Bergomas author aureæ Tabulę subtiliter aduertisse videtur. Non fuit itaque mutata sententia, sed modus loquendi melior assumptus.* Nota 5.

3387 Nota 6. *Tertiò considerandum est, opinionem dicentē, Sanctorū gloriā essentialē vsq; ad diē iudicij augeri, non solum esse temerariā, sed etiam erroneam, ob dicta sacrarū litterarū valdè perspicuè contrariū significantia. Primum, idemque pręcipuum illud est, quod hic affirmat Zumel, & post eum Vasquez ex 2. ad cor. 5.* videlicet, Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siuè bonum, siuè malum; *Quibus vobis iuxta communem Sanctorū*

exposi-

expositionem significatur, quemlibet hominem in die iudicij de ijs, tantùm operibus rationem esse redditurum, quę gessit in corpore, & pro illis à Deo pręmia, vel supplicia recepturum, ac proinde pro bonis, aut malis operibus exercitis ab anima separata nihil illi pręmij suppliciiuè deberi. Secundum est ad Gal. 6. Bonum autem facientes non deficiemus; tempore enim suo metemus non deficientes: ergo, dum tēpus habemus operemur bonum ad omnes, &c.

3388 Nota 8. *Vbi D. Apostolus duo tempora distinguit: primum est tēmpus seminādi, idest operandi opera meritoria, & hoc significat esse tempus vitæ pręsentis, secundū est tempus metendi, idest fructum, siuè mercedem bonorum operum recipiendi, & hoc significat esse post mortem. Tertium dictum est Io. 9.* Venit nox, quando nemo potest operari. *Noctem appellat mortem, postquam nemo potest operari opera meritoria. Quartū est Eccl. 9.* Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, neque sapientia, nec scientia erant apud inferos, quo tu properas. *Quorum verborum sensus est, in hac vita diligenter bonis operibus esse vacandum, quoniā apud inferos, idest in sepulchro, siuè post mortem, & in termino viæ, vt Patres communiter interprętantur, non est scientia, siuè sapientia, quæ proficere possit ad meritum: eadem autem est ratio de angelis, & hominibus, vt hic aduertit, & probat Zumel. Alia loca, & PP. testimonia lege, si placet apud Zumel, & Vazquez:*

3389 Nota 9. *Qui censuram approbans communem Theologorum dicentium, opinionem dictæ veritati contrariam esse temerariam, & erroneam, nimis audacter affirmat, Innocentium tertium in dicto capitulo* Cum Marta: de celebratione missarum §. vltimo *dictam opinionē, vt probabilem referre; quod est planè tàm falsum, quàm indignum Apostolicę Sedis auctoritate. Verba decretalis illius hęc sunt:* Quod in plerisque orationibus continetur, profit, vel proficiat huic Sancto, vel illi talis ablatio ad gloriam, & honorem, ita debet intelligi, vt ad hoc profit, quod magis, ac magis à fidelibus glorificetur *in terris*, licet plerique reputent non indignum Sanctorum gloriam vsque ad iudicium augmētari, & ideo Ecclesiam interim sanè posse augmentum glorificationis eorum optare. Quę verba exponunt Bannes, & Zumellus, & de gloria accidentali. *Sed Magister Perrecta nomen glorię primo loco positum de gloria intelligit essentiali, prohibet enim ibi Sumus Pontifex orare pro Sancto, dicens, Sanctorum gloriam: scilicet essentialem nostris orationibus non augeri, sed apud fideles tantùm nominum eorum claritatem dilatari. Deinde verò, cùm refert opinionem dicentium, Sanctorum gloriam vsque ad iudicium augmentari de gloria accidentali vult intelligi.*

3399 Nota 10. *Sed ait Vasquez: decretalem illam de gloria non accidentali, sed essentiali tantùm loqui; quia certum est, gloriam accidentalem augeri vsque ad diem iudicij, neque id in opinione positum est. Innocentius autem refert prædictam sententiam, tanquam opinionē aliquorum, non tanquam certam doctrinam. Sed facilè confutatur hoc argumentum. Falsum est enim, sententiam illam vt aliquorum tantùm opinionem ibi referri, vt patet ex eo verbo, Plerique, quod magnam partem significat,* Doctorum *scilicet asserentiū, gloriam augeri, vsque ad iudicium. Ex quo sequitur sententiam illam non esse relatam, vt opinionem paucorum, sed vt communem Theologorū doctrinam, quæ tamen non habet fidei certitudinem. Verba enim illa Luc. 15.* Gaudium erit eorum Angelis Dei super vno peccatore pęnitentiam agente, *facilè possunt exponi, non de nouo glorię accidentalis augmento, sed de charitatis actu ab initio suæ glorificationis habito, quo de conuersione peccatorum eis ab initio in æternitate præsente lętantur; ita vt existente deinceps in tempore conuersione peccatoris, sicut visioni beatificæ nulla fit accessio, ita nec vllum gaudij, siuè gloriæ accidentalis fiat augmentum, & ideò sapientissimè Summus Pontifex noluit sententiam illam, vt omninò certam; ac velati dogma fidei credendum proponere, sicut nec illam, vt falsam reiecit, sed eam, vt verè est, tanquam communem retulit Theologorum doctrinam.*

Hunc autem sensum esse legitimum, contextus ipse verborum illius decretalis indicat manifestè; cum enim exposuisset summus Pontifex verba illa; Profit, vel proficiat huic Sancto vel illi talis ablatio ad gloriam, & honorem *dicens intelligi debere, vt ad hoc profit, quòd magis, ac magis à fidelibus glorificetur in terris, quo sensu denotatur gloriam Sanctorum orationibus fidelium non augeri secundùm se, sed innotitia, & æstimatione fidelium, seruatque sensus hic dictorum verborum veritatem, statim quasi obiectioni tacitè satisfaciens, alium dictorū verborum sensum planiorem proponit dicens, plerosq; idest magnam partem Doctorum existimare non indignum, Sanctorum gloriam vsque ad iudicium augmentari, & ideo Ecclesiam posse augmentum glorificationis eorum optare, vt scilicet gloria, non in sola notitia, & æstimatione fidelium augeatur, sed etiam secundùm se; constat autem magnam partem Theologorum non asserere, beatorum gloriam essentialiter augeri, sed accidentaliter; igitur de hoc augumento glorię loquitur illa decretalis, vel ad minus de augumēto gloriæ secundum se, quodcumque sit illud; seu recensendo Doctorum sententias, & numerum solum accidentalis gloriæ beatis tribuit augumentum, atque ita necesse est de hac communi sententia textum illum interpręetari.* 3391 Nota 11.

QVÆSTIO LXIII. D. Th.

De Angelorum malitia, quo ad culpam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum malum culpæ possit esse in Angelis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COncl. Affirmatiua. Prob. Virtus operatiua, quę non est sua regula, potest secundùm se declinare à rectitudine actus: Sicut si manus artificis esset ipsa regula scissionis, nunquam posset Artifex, nisi rectè lignum scindere. Sed quia rectitudo scissionis est ab alia regula, ideò contingit scissionem esse rectam, & non rectam. At, nulla voluntas creata est sua regula, quia omnis voluntas creata regulatur à voluntate diuina, quę est vltimus finis. ergo.

Arg. 1. in his, quæ sunt in potentia, non posse esse malum culpę. ex Arist. *6. met.* quia subiectum priuationis est ens in potentia. Sed Angeli, cùm sint subsistentes, non sunt in potentia. ergo. Resp. min. esse veram in *Esse* naturali, est tamen in eis potentia secundùm intellectiuam partem, ad hoc, vt possit conuerti in hoc, & illud, & quantum ad hoc potest in eis esse malum.

Arg. 2. In corporibus Cælestibus non potest esse malum. ergo, Neque in Angelis, qui sunt digniores, quàm corpora cælestia. Resp. neg. conseq. quia Angeli, vt sunt perfectiores corporibus cęlestibus, non habēt malitiam in naturali operatione, sed quia habent aliam operationem nobiliorē, scil. liberam, in ipsa malum committere possunt,

Arg. 3. In his, qui semper Deum diligūt. non potest esse malum. Sed Angeli semper Deum diligunt: ergo. Resp. ma. esse verā ne his,

his, qui diligunt Deum, vt obiectum beatitudinis. Angelus autem diligit Deum, vt est principium naturalis Esse: prout autem est obiectum beatitudinis supernaturalis, diligit Deum amore gratuito, à quo potest auerti.

Arg. 4. Appetitus non est, nisi boni, vel apparentis boni. Sed appetitus Angelorũ non fertur nisi in verum bonum; quia vel in eis omninò error esse non potest; vel saltem non potest præcedere culpam. ergo. Respond. Quòd quis in appetendo verè bonum, potest peccare. Quando scilicet non appetit verè bonum, secundùm ordinem debitæ mensuræ, ita quod defectus inducens peccatum, sit solùm ex parte electionis, & non ex parte rei, quæ eligitur: Sicut si quis eligeret orare, non attendens ordinem ab Ecclesia constitutam, & hoc modo Angelus peccauit, conuertendo se per liberum arbitrium ad proprium bonũ, absque ordine ad regulam diuinæ voluntatis.

DISPVTATIO CCCXIX.

An dari possit creatura intellectualis libera ex sua natura impeccabilis.

3392 Conclusio. Prima Ratio. *Conclusio est negatiua ita D. Thomas, & communiter Thomistæ. Rationes autem D. Thom. sunt duę. Prima: talis creatura libera est ex nihilo facta: ergo ex natura sua defectibilis, & peccabilis voluntate.*

2. Ratio D.Th *Secunda: talis creatura non est per suam naturam, & intrinsecam rationem vniuersalis regula omnis boni, seu omnis bonę operationis: ergo ab aliqua potest deficere. Ad quam rationem reducitur illa, quòd creatura non habet rationem omnis boni: ergo potest deficere ab aliquo bono, quia habere rationem omnis boni, & habere regulam vniuersalem omnis boni, seu omnis operationis idem est.*

Vis primæ rationis D.Tho. ostenditur. *Vis primæ rationis, seu consequentiæ, quam Diuus Thomas ponit 24. de verit. art. 7. talis est: Natura, quæ est ex nihilo, est versibilis, & mutabilis in nihilũ quo ad esse: & sic habet potentialitatem, & non purum actum; ergo etiam eius operatio, quæ super tale esse fundatur, est mutabilis à sua perfectione in defectum. Probo consequentiam. Nullus maior defectus entis, & boni, quàm non esse: hoc enim totaliter, & contradictoriè opponitur ipsi esse, & ipsi perfectioni: ergo natura, quæ est capax summi defectus, & mutabilis, qualis est transitus ad non esse, quod est totaliter deficere, etiam erit capax defectus, & mutabilis in operando respectu boni finis, sicut natura est capax defectus, & mutationis in esse. Hæc consequentia probatur, quia potentia operatiua, & modus operandi sequitur modum essendi. ergo potentia operatiua libera fundata in natura mutabili, etiam inquantum operatiua liberè, mutabilis est: ergo non habet libertatem immutabilem, & firmatam in bono sed potest mutari ab illo, mutari autem à bono est deficere: ergo hoc ipso, quòd libertas est mutabilis in ratione operationis liberæ, hoc ipso est defectibilis. Est autem mutabilis hoc ipso, quòd nascitur ex natura mutabili, & defectibili in nihilum: ergo hoc ipso, quòd aliqua creatura est ex nihilo, erit capax defectus, & peccati.*

3393 Euasio, Contra Antecedens. *Dices: hanc rationem Diui Thomæ assumere antecedens impertinens, & inferre consequentiam illegitimam. Et quidem antecedens impertinens, quia creaturam esse factam ex nihilo, est idem, quòd esse creaturam, & sic ratio quæ reddittur ad probandum, quòd creatura sit peccabilis, est quia creatura est creatura, quòd est ineptam reddere rationem.* **Contra consequentiam D. Th.** *Est autem consequentia illegitima, quia plùs infert, quàm continetur in antecedente: ex eo enim, quod natura est defectibilis in esse, solum sequitur, quod eius operatio possit deficere in esse, quod certissimum est: sed quòd possit deficere moraliter stante esse entitatiuo operationis, non apparet quomodo ex tali antecedente inferatur, cùm sit deficientia à fine, quæ non potest inferri ex deficientia ab esse:* **2. Contra consequentiam.** *Sicut licet corpora cœlestia possint deficere in suo esse per annihilationem, & cessationem ab esse, non tamen sequitur, quòd possint deficere ex parte materiæ per modum corruptionis, nec infertur ex maiori deficientia per corruptionem: ergo neque per ipsum esse ex nihilo, quod infert defectum per annihilationem, infertur maior deficientia, quæ est deficientia moralis per peccatum.*

3. Contra cõsequentiam. *Denique etiam Angelus beatus, vel confirmatus in gratia est ex nihilo, & tamen prout tales, sunt impeccabiles: ergo esse ex nihilo non est sufficiens radix, vt aliquid sit peccabile, aliàs quando non tolleretur ista radix non posset creatura reddi impeccabilis, non tollitur autem hoc, quod est esse ex nihilo per confirmationem in gratia, vel beatitudinem, & tamen redditur impeccabilis creatura per illam. Et hoc ideò est, quia esse ex nihilo solùm opponitur ei, quòd esse à se, & ei, quod est habere infinitam perfectionem: esse autem impeccabilem non exigit infinitam perfectionem sed sufficit determinatio voluntatis erga rectitudinem regulę.*

3395 Resp. Ad id contra antecedens. *Respondetur ad primam quod obiicitur contra antecedens, illud esse valde conducens ad hanc probationem, quia creaturam esse factam ex nihilo non est idem, quòd esse creaturam, sed est conditio annexa creaturæ, sicut creaturam esse limitatam, & esse causatam, & non esse actum purum, non est idem, quòd esse creaturam sed sunt conditiones sine quibus nõ est creatura, sicut non est ens sine vero, & bono, non tamẽ est idem ens, quòd verum, & bonum Sic ergo creatura dicit aliquid constans ex omnibus illis conditionibus, non tamen per quamlibet conditionem explicatur totus conceptus naturæ; sicut ens increatum habet multa attributa, nec tamen quolibet attributo explicatur totum, quòd est diuinitas: & sic benè potest assumi pro antecedente, quòd creatura ex nihilo sit tanquam conditio quædam ad hoc, quod sit creatura, vt inferatur, quomodo habeat defectum, & mutabilitatẽ.*

3396 Ad 1. contra consequentiã Resp. *Ad primum contra illationem consequentiæ, Resp. quòd ex deficientia in esse non solùm infertur defectibilitas operationis in essendo, sed etiam in attingentia finis, quæ est formalitas operationis, vt moralis est. Nam quòd operatio sit defectibilis in esse, non habet in quantum operatio, sed in quantum entitas est, quia ordo ad esse solùm conuenit alicui in quantum est ens. Vnde si ex eo, quòd natura habet deficientiam in esse, solùm, infertur, quòd operatio habeat deficere in esse, idem diceretur in antecedente, quod in consequente, siquidem creatura deficiens in esse, est creatura in quantum ens, & operatio deficiens in esse est etiam quędam natura in quantum ens. Quare ex deficientia creaturæ in essendo infertur deficientia operationis, etiam sub formalitate operationis, quia sub hac formalitate, operationis fundatur in ipso esse, & modus operandi sequitur modum essendi: ergo etiam in hac ratione formali operandi infertur mutabilitas, & potentialitas, & consequenter defectibilitas. Formalis autẽ ratio operationis, in quantũ operatio, est attingentia obiecti, & finis, quia per ordinẽ ad obiectũ, & finem specificatur actio, præsertim libera. ergo si in quantum libera hoc ipso, quòd est creata, & ex nihilo, est mutabilis, & defectibilis, etiam in attingentia obiecti, & finis, defectibilis erit, quia tota hæc attingentia, & modus operandi, sequitur modũ essendi, & fundatur in esse: ergo erit peccabilis, quia peccare est deficere a fine, & à rectitudine obiecti.*

3397 Ad 2. contra consequentiã Respondetur. *Ad id verò, quod dicitur de corpore celesti, quòd non infertur, quod sit defectibile ex parte materiæ, vel corruptionis ex eo, quòd sit defectibile in esse, & quod ex maiori defectibilitate non infertur minor; Resp., quòd non infertur minor corruptibilitas ex maiori, quando vna non se habet consequenter ad aliam, ità quòd nõ fundatur in illa; si autẽ in illa fundatur, & consequitur, benè infertur ex illa. Deficiẽtia autẽ ex parte materię, & per modũ corruptionis non infertur ex eo, quod cœlũ sit*

In principijs naturalibus, vnde neque in practicis potest ferri in obiectum naturale, nisi, vt contentū in suis principijs,& secundum, quod continetur in
3403 lege naturali,& in principijs synderesis.

Si contra legē naturalem peccaret quis, debet incipere error ab intellectu.

Si autem contra legem naturalem peccaret, immediatè deberet incipere auersionem, & errorem practicum in intellectu ab ipsa lege naturali, & ab eius principijs, quòd stare non potest, cùm naturalis cognitio in Angelis deficere, & errare non possit magis, quàm in nobis ipsa cognitio principiorum non potest deficere, Angelus autem omnia naturalia cognoscit in suis principijs, quia per compræhensionem illa attingit, & sine discursu, & consequenter in inspectione principiorum; & sic non potest accidere defectus incipiendo à naturali cognitione. At vero lex alia supernaturalis non cognoscitur ab Angelo sic, quod nō possit ab ea auertere aspectum,& errorem pati practicum, seu inconsiderationem circa eam; & sic potest circa illam deficere,& ex consequenti circa ea etiam, quę naturali lege dictantur, quatenus deseruiunt supernaturalibus principijs, à quibus auertitur. Sed
3404 de hoc statim amplius dicemus.

2. Replica. Præcluditur. quia voluntas creata, cùm non sit sua regula, regulatur per legem alicuius.

Ad secundum Respondetur, quòd si voluntas creata non est sua regula, & ideò, quia regulatur per regulam,& legem alicuius superioris, necesse est, quod se non sit determinata ad talem regulam, neque essentialiter, quasi sit ipsa essentia legis, neq; virtualiter, quasi ab illa dimanet, vt propria passio ipsa adhæsio,& determinatio ad regulam, sed oportet, quod imprimatur sibi talis determinatio, & adhæsio ab ipso superiori ferente legem, vel à Deo authore naturæ per naturalem legis notitiam, & principiorum eius, sicut dicit Psalm. 4. *Signatum est lumen vultus tui Domine super nos*, & Roman. 2. *Ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*: vel ista adhæsio, & determinatio ad legem est à Deo authore supernaturali, qui sicut legem ipsam; & regulam supernaturalem manifestat, ita potest sua protectione, & beneficio gratiæ confirmare, ne voluntas creata deflectat à lege. Hoc secundo modo potest confirmari voluntas, & reddi impeccabilis circa legem supernaturalem, seu beneficio gratiæ, non ex sua natura. Et respectu huius non procedit argumētum, quia cùm lex illa non solùm superioris sit, sed etiam sit supernaturalis, non potest esse naturaliter determinata voluntas creata ad illam, & consequenter benè colligit Diu. Thomas, quod si voluntas creata non est sua regula, sed debet expectare regulam à voluntate superioris positam, quod totum expressit Sāctus Tho. *in art. 1. huius qu. 63.*, necesse est, quòd circa aliquam regulam non sit ex natura sua determinata talis voluntas, & sic ex natura sua possit ab illa deficere, licet ex beneficio,& gratia ipsius superioris possit ei adhærere immobiliter.

3405 Primò autem modo sit determinatio circa legē naturalem, quandiu operatur natura angeli intra limites naturæ, iuxta modum sibi connaturalem, idest, vtendo principijs naturalibus iuxta modum, quo ea intelligit, scilicet plenè, & compræhensiuè, & sine errore; & sic voluntas ex defectu erroris practici in intellectu sic procedente, nō potest peccare. Vnde non remanet probandum in hac ratione Diui Thomæ, quòd non possit habere voluntats creata infallibiliter,& necessario adiunctam sibi regulam, sicut habet prima principia, quia respectu regulæ supernaturalis, vel positiua lege extraordinaria imposita à superiori, non habet in se voluntas creata sufficientia principia, vt immobiliter inhæreat tali legi, quia hoc ipso, quòd ipsa sibi nō est lex, sed à voluntate libera superioris venit, non potest ex sua natura necessariò determinari ad illam. Respectu vero naturalis legis determinationē habet,& necessario habet adiunctam regulam benè operandi, quandiu connaturali modo procedit, vt statim dicemus in dubio sequenti. Sed hoc non facit angelum simpliciter impeccabilem, & pro omni statu,& respectu omnis regulæ, sed solùm pro aliquo statu particulari.

Quomodo operatur voluntas angeli circa legem naturalē, & determinatur.

DVBIVM II.

An angelus intra limites ordinis naturalis præcisè consideratus, peccare poterit.

3406 Conclusio. Angelus intra limites ordinis naturalis consideratus,& in ordine ad finem naturalem tantùm sub hac ratione præcisè, nisi alius ordo, seu habitudo, addatur peccare non potest ita communiter Thomistæ.

Conclusio.

Pro explicatione autem huius conclusionis, notandum est, quòd finis naturalis,& regula actionū liberarum est Deus, vt naturaliter cognitus, & diligibilis super omnia, quia naturale principium practicum est, Deum, qui est summum,& primū omnium principium, esse ab omni creatura colendū, & amādum, quia summum principium est, Ex quo per consequentiam deducitur euidentem, quod omnia eius præcepta implenda sunt,& omnia creata diligenda sunt propter ipsum,& ordinanda in ipsum, quod pertinet ad electionem, seu ad rectificationem actuum, qui versantur circa media. Hęc omnia in genere ordinis naturalis tantùm cognita,& amata, regulare dicuntur actiones Angeli in ordine naturali, seu intra limites naturæ tantùm. Quando autem angelus eleuatur ad ordinem supernaturalem, non solum cognoscit Deum altiori modo,& per diuersos effectus, quàm per naturales, sed etiam in modo cognoscendi, & amandi aliter se habet, quàm circa naturalia,& ex parte rei cognitæ,& amatæ, qui est *Deus*, at author supernaturalis, ita tendit in ipsum, quòd ei subijcit omnia, quæ pertinent ad ordinem naturalem, tali nexu,& subordinatione, quòd si decidit, seu auertitur à *Deo* supernaturaliter cognito, & authore supernaturali, non possit integrè se habere, & manere respectu Dei authoris naturalis, sed debet etiam auerti ex consequenti,& indirectè.

Nota 1. quòd finis naturalis, & Regula actionum liberarum, est Deus.

3407 Quòd ergo diuerso modo procedat circa Deum authorem naturalem,& per principia naturalia cognitum, atque Deum authorem supernaturalem, in eo stat, quòd circa principia naturalia,& Deū naturaliter cognitū præcisè, nō solùm procedit angelus sine discursu, quia simplici intuitu, sed etiā cū plena compræhensione, quia veritas illa naturalis sibi plenè est proportionata sine vllo defectu,& cognita,& multò melius, quàm quælibet veritas supernaturalis, quam in via obscurè cognoscebat vtpotè per fidē, non euidēter, sicut res naturales. Vnde sequitur, quòd respectu rerum euidenter cognitarum,& cum compræhensione non poterat Angelus inuenire defectū speculatiuū in his, quæ tanquam principia speculatiua proponebantur, neque circa principia, neq; circa conclusiones, quia tàm illa, quā istas eodē simplici lumine intuebatur, scilicet ex compræhensione principiorū. Circa principia autē practica similiter nō poterat angelus defectū habere, incipiendo ab illis, & vtendo ipsis, quia cū plena,& perfecta, atq; euidenti luce ipsa cōpræhenderit, & sic visis principijs, quæ sunt fines, statim videt media, tàm indefectibiliter, quàm principia, quia plena cōpræhensio ipsa principia attingit, cōpręhēsio autem non permittit deficere ab aliquo, quia nihil latet videntem. At verò in supernaturalib⁹, cū procedat obscurè, licèt simplici modo procedat, id est, vno actu attingens totū, quod potest in re illa; Siquidem hic est modus procedendi in intellectu angeli, qui discursiuus nō est, sicut oculus obscurè aliquādo videt,& non discursiuè, tamen nō plenè, & clarè attingit, sicq; non conuincitur plenè mens, dū per fidem ambulat: potest ergo ex vi talis luminis ꝓcedēdo auerti,& nō cōsiderare, atq; defectuosè
3408 ꝓcedere, quia nō plena cōpręhēsione ad id cogitur.

Nota 2. quomodo angelus procedat circa Deū Authorē naturalē, & supra naturalem.

Quod vero in eleuatione ad supernaturalia, ita cōnexa sint ista obiecta,& ordinatio in vtrūq; finē supernaturalem,& naturalem, quod si auertatur ab vno, auertatur ab alio ex eo constat, quòd si auertitur à fine supernaturali, hoc ipso non amat *Deum* super omnia ergo non subijcit illi omnia: ergo nec etiam in ipsa naturali dilectione illi perfectè subijcitur, qa naturalis dilectio etsi directè solū tēdat in

Nota 3. Quare angelus à fine supernaturali, sit auersus.

naturalem finem, tamen etiam petit, vt non repugnet voluntas supernaturali ordini, quòd si tenuit ei subijci, non potest perfectam subiectionem in naturalibus retinere. Vnde non potest aliquis à supernaturalibus cadere, quin etiam in naturalibus vulneretur, nec aliquod peccatum est contra supernaturalia, quin etiam sit contra naturam, vt tradi solet 1.2. *qu.* 7. *art.* 2. quia non potest peccatum esse, nisi sit contra ordinem rationis, & dispositionem naturę, quia etiam in ordine ad supernaturalia ratio dictat, vt illis non repugnet, neque auertatur, quia bonum est naturę sic eleuari ad supernaturalem finem. Quare non stat deficere à supernaturalibus, & quoad finem naturalem, & principia practica manere integrum, esto in speculatiuis manserint omnia integra in Dæmonibus.

3409 *Nota 4. Quòd angelus in prioris naturalibus, consideratur, potest dupliciter procedere.*

Denique notandum est, quod angelus circa finem naturalem, & in puris naturalibus consideratur potest dupliciter procedere, scilicet connaturaliter, & iuxta modum, quem natura ipsa secundùm se postulat, aut non connaturaliter, nec iuxta modum, quem de se postulat natura, sed præter illũ. Nam connaturalis modus angeli est, vt in naturalibus veritatibus, siuè practicis, siuè speculatiuis procedat cum plena, & euidenti comprehensione, quia perfectus intellectus est, & in actu, non in potentia respectu naturalium. Preter naturalem autem modum procederet, si Deus ei denegaret istam perfectionem, & comprehensionem debitam, & imperfectè, atque in euidenter attingeret finem naturalem, & principia, atque conclusiones, seu media practica, sicut si homini non concederet Deus, vt euidenter cognosceret ipsa prima principia speculatiua, vel practica, non connaturaliter se haberet natura rationalis. Tantundem ergo sequeretur si angelus non euidenter, & indefectibiliter attingeret conclusiones, & media practica, quia per se, & euidenter, seu comprehensiuè attingit media, & fines, conclusiones, & principia.

3410 *Concl. constat Authoritate D. Th.*

Est autem hęc conclusio D. Thomę, quia expressè eam tradit *in quęstione 16. de malo art. 3. Quidquid,* inquit, *aliud dici potest, quod ad ordinem naturę pertineat, in hoc eius malum consistere non potuit: malum n. non inuenitur in his, quę sunt semper actu, sed solùm in his, in quibus potentia potest separari ab actu, vt dicit 9. metaph. angeli autem omnes sic conditi sunt, vt quicquid pertinet ad naturalem perfectionem eorum, statim à principio suæ creationis habuerint: tamen erant in potentia ad supernaturalia bona, quæ per Dei gratiam consequi poterant. Vnde relinquitur, quòd peccatum Diaboli non fuerit in aliquod, quod pertinet ad ordinem naturalem, sed secundum aliquid supernaturale.*

3411 *Docet D. Tho. quòd angeli intuentur omnes conclusiones in ipso principio.*

Latiùs hoc fundamentum extendit idem Sanctus Doctor *in eodem loco art.* 5. Vbi inquit: *Angeli in ipsis principijs intuentur omnes conclusiones, quæ ad naturalem eorum cognitionem pertinent. Et ideò sicut immobiliter nos habemus in cognitione primorum principiorum, ita intellectus eorum immobiliter se habet circa omnia, quę naturaliter cognoscit. Et quia voluntas proportionatur intellectui, consequens est, quòd etiam voluntas eorum naturaliter sit immutabilis circa ea, quę ad ordinem naturę pertinent. Verum est autem, quòd sunt in potentia respectu motus in supernaturalia, siuè per conuersionem, siue per auersionem. Vnde hæc sola mutatio in eis esse potest, vt de gradu naturę ipsorum moueantur id id, quod est supra naturam conuertendo se, vel auertendo: Sed quia omne, quod aduenit alicui, aduenit ei secundum modum suę naturę, consequens est, vt immobiliter Angeli perseuerent, vel in conuersione respectu supernaturalis boni.* Sic D. Th.

3412 *Ex D. Th patet Angelos non potuisse peccare in primo instanti.*

Vbi clarè patet, quòd cum in sententia D. Thomæ sit omninò constans, Angelos non potuisse peccare in primo instanti ex eo, quod erant in illo instanti incapaces dictaminis defectuosi, ex eodẽ fundamento debere deduci, quòd non possunt per se primò, & directè peccare contra naturalem rectitudinem, quia in naturalibus non sunt capaces dictaminis defectuosi; nec potuit vna sententia sine alia rectè defendi. Vnde D. Thom. etiam *in hac 1. p. q. 63. a.* 1. confirmat hanc sententiam, quod non possit peccare angelus contra ordinem naturalem. Nam *in solutione ad 2.* dicit, quòd *in actione naturali angeli non potest esse malum in ordinatione, benè tamen secundum actionem liberi arbitrij:* Statim vero *solutione ad* 3. addit, quòd *naturale est Angelo, quòd conuertatur in Deum, secundùm quod est principium naturalis esse: sed quòd conuertatur in ipsum, secundùm quod est obiectum beatitudinis supernaturalis, hoc est amore gratuito, à quo auerti potest peccando.* Vbi clarè Sanctus Thomas agnoscit peccatum in Angelo solùm respectu conuersionis in Deum, vt est obiectum beatitudinis supernaturalis. Sistendo ergo intra naturalis ordinis limites, & sine respectu ad supernaturalia, vel præternaturalia, non est in angelis principium operãdi malum.

Et fundamentum huius non est aliud, quàm illud, quod positum est à D. Thom. quia angelus consideratus solùm in puris naturalibus, & sine ordine ad legem, vel finem supernaturalem, non potest habere operando connaturaliter ad modum suæ naturæ, defectuosum dictamen rationis: ergo non potest, prout sic peccare. Consequentia patet: 3413 *Ratio Conclusionis est, quia Angelus consideratus in ordine naturali, non potest habere dictamen defectuosum.*
quia defectus moralis in voluntate non potest oriri nisi ex defectu dictaminis regulantis, seu applicantis ex parte intellectus, quia cùm actus voluntatis sit regulatus, & in sua regulatione, imò, & in sua eficientia omnino depẽdeat ab intellectu, quia nihil volitum, quia præcognitum impossibile est concipere in voluntate motum, seu actum deficiẽtem in regulatione passiua, nisi sit defectus ex parte regulationis cognitæ, & per intellectum propositę, quæ est regulatio actiua. Potest quidem voluntas propositum sibi obiectum bonum, & regulam repellere, sed hoc erit ex propositione talis repulsæ, quæ per intellectum efficaciùs proponatur, & hoc ipsum defectuosum est, & defectus applicationis regulæ. Quare sicut repugnat voluntatem ferri in aliquid nisi cognitum, ita repugnat ferri in aliquid defectuosè, nisi defectuosè cognitum, aut propositum, & hoc est, quod communiter dicitur, quod omnis peccans est errans, scilicet practicè. Antecedens vero probatur: Nam defectus dictaminis solùm ex duplici capite potest oriri: aut quia regula ipsa per quam actus dirigendus est non plene consideratur, nec applicatur secundùm se, ad omnia regulabilia, aut quia aliquid contrarium ipsi regulæ accipitur, vt conuenientiùs sibi, regula vero rationis, & naturalis lex abominatur, & odio habetur, aut omittitur.

3414 *Angelus quando non potest abijcere suam legem, ac Regulam suis & odio habere.*

Hoc secundo modo non potest angelus per se, & directè legem ipsam, & regulam sui abijcere, & odio habere, aut omittere, quia regula illa, & lex est ipsum bonum naturæ eius, quod amatur necessario quoad specificationem per se loquendo, & ex vi ipsius naturalis boni: ergo non potest odio haberi per se loquendo, ita quod incipiat voluntas ab ipso odio naturalis boni, sed solum per accidens poterit odio haberi, quo consideratur aliquis effectus, ratione cuius displicet voluntati etiam proprium esse, vel bonum naturæ, vt si aliquis propter pęnas quas sustinet, vellet non esse, aut Deum odio habeat, ex quo consequenter non vult ipsum amare, vt finem naturalem: ergo per se, & directè non potest cõtra legem naturalẽ agere ex odio, & abiectione ipsius, siquidem illud bonum naturale amatur necessario quoad specificationem. Secus est in homine, quia cum sit compositus ex natura sensitiua, & rationali habet etiam duplex bonum proprium in quod possit ferri intra limites proprij boni, scilicet bonum spirituale, & bonum sensibile, & potest bonum sensibile amare tanquam proprium bonum etiam relinquendo ipsum bonum rationis, & tamen in statu innocentię, in quo bonum sensibile erat totaliter subiectum regulæ rationis non poterat circa ipsum incipere peccatum quousque pars superior rationis auerteretur à Deo. Nec

3415 *Non potest Deus ipse, vt bonum naturale est, & vt proponit regulam rationis hodio haberi.*

Nec potest Deus ipse vt bonum naturale est, & vt regulam rationis proponit immediatè, inquantū talis odio haberi, quousque in aliquo effectu præter effectus naturales repręsentetur aliquid, ratione cuius per accidens odio habeatur Deus, vel ipsum bonum naturale. Quandiù autem consideratur ipsa natura, & effectus eius naturalis, nihil est ibi, quod non pertineat ad Deum auctorem naturæ, & ad bonum naturale ipsius angeli. Et sic totum hoc diligitur sub regula rationis, & sub ratione legis naturalis. At verò primo modo, scilicet ex indebita consideratione legis naturalis, seu ex omissione aliqua circa cognitionem eius, non potest angelus peccare contra illam, quia quicquid pertinet ad legem naturalem, & ad bonum rationis angelus compræhensiuè cognoscit, quia cognoscit illud in cognitione suæ propriæ naturæ, quam compręhendit, & semper habet, vt præsentem, nec ab illa potest auertere aspectum, cùm sit primum, & immediatum cognitū, & obiectum formale sui, connaturaliter loquendo: ergo ibi compræhensiuè cognoscit legem naturalem, quę adipsā pertinet naturam; compræhendo autem eam, videt principia legis naturalis, & conclusionis, quæ ex talibus principijs practicè deducuntur, siquidem eodem pacto tangit conclusiones, sicut principia, & tàm adhæret his, quàm illis, hoc ipso, quod compræhensiuè procedit.

Instabis.

Dices. Cur non poterit angelus videndo legem naturalem, & bonum rationis, non quidem absolute odisse illam, sed comparatiuè, quia scilicet aliquod bonum proprium, v. g. excellentia propria, aut modus cognoscendi, similesque perfectiones angelicę amantur, plusquàm lex naturalis permittit, idest, non ex subiectione ad Deum authorem naturalem, & ad eius legem, aut etiam odio habendo alterum angelum: licet enim bonum proprium vnusquisque amet quoad specificationē necessariò, non tamen bonum alienum, neque alterum angelum, saltem quoad id, in quo differt vnus angelus ab alio vt docet S. Th. *sup. quæst. 60. art. 4.*

3416 *Resp. omnia, quæ obijciuntur, non posse Angelo proponi nisi in aliquibus principijs.*

Resp. non posse proponi omnia ista angelo contra legem naturalem, vt sequenda, nisi in aliquibus principijs, in quibus sibi repræsentetur, vt bonum id, quod est contra legem naturalem, quia connaturale est angelo omnia quæ ad naturam spectant in suis principijs, causisque cognoscere quia compræhensiuè procedit. Hoc autem stando intra limites ordinis naturalis fieri nō potest, quia angelus omnia, quæ naturalis ordinis sunt compręhensiuè cognoscit, tàm speculatiua, quàm practica, & in nullo principio naturali potest repræsentari, & cognosci aliquid, vt sequendum contra legem naturalem. Vnde propria excellentia, & ea, quæ ad propriam excellentiam, pertinent, non possunt repræsentari, vt immediate contra ipsam legem naturalem diligibilia, quia lex naturalis ita immobiliter, & adhærenter repræsentatur angelo, sicut ipsa excellentia propria, & vnum ex contentis sub ipsa regula est ipsa propria excellentia, vt conuenienter diligenda, & cū subiectione ad suū principium: ergo cùm angelus procedat per compræhensionem speculatiuam, & practicam ipsius regulę, & legis naturalis, oportet, quod ex vi talis compręhensionis ita immobiliter adhæreat ipsis principijs vniuersalibus legis naturalis, quòd etiam omnibus contentis sub illa, quorum vnum est excellentia propria eadem immobilitate adhæreat, siquidem eodē modo angelus adhæret principijs, & conclusionibus tàm in practicis, quam in speculatiuis.

3417 *Si Angelus adhęreat immobiliter cōsequenter propriæ, non potest illi adhęrere contra legem.*

Si autem immobiliter adhæret excellentię propriæ, vt contentę sub lege, non potest adhærere illi contra legem, nisi sub alijs principijs, vel sub alia lege ponatur, propter quam relinquendam, vel sequendam excellentia naturalis, etiam contra propriam naturalem regulam, ametur. Hoc autem iam est ponere Angelum extra limites pure naturales, quo casu nos non loquimur in pręsenti. Quod si ipsa excellentia accipiatur, vt primum principium, & regula diligenda; & sic subtrahatur à regula rationis, sub qua continetur ex vi naturalium principiorum, hoc stare non potest, nisi mutando connaturalem modum procedendi in Angelo, quia si ex naturali cognitione compręhensiua, & perfecta cognoscitur excellentia propria, non vt prima regula, & principium, sed vt content-tum sub vniuersali principio, & per modum boni particularis sub fine, non potest Angelus intra limites naturalis ordinis accipere illam, vt principium, nisi immutet ordinem cognoscendi naturalem, itaut ex conclusionibus faciat principia, & sic compræhensiuè non procedat, quod est proprium cognitionis imperfectæ discurrentis, & fluctuantis modò ab vno, modo ab alio, quòd Angelo connaturale non est, sed contra eius naturam. Si tamē noua, & extrinseca lex ponatur angelo, quæ connaturalis non sit, cui subijciatur propria excellentia, poterit id renuere, & tunc indirectè etiam subtrahet illam à propriæ regulæ subiectione, & faciet quasi principium deordinationis propriam excellentiam, vt iam dicemus.

3418 *Angelus ex vi legis naturalis, diliget proximum, sicut seipsum, eodem modo.*

Quod attinet ad dilectionem proximi, dicimus, quod eodem modo angelus diligit eum ex vi legis naturalis, sicut seipsum, licet ordine quodam seipsū diligat, & alium, quia principaliùs diligit se, & necessario quoad specificationem, alium autem à se diligit non necessario quoad specificationem, sed diligit illum naturali dilectione, sicut se, inquantū secum conuenit in ratione generica, vel specifica, vt dicit S. T. *supra quæst. 60. art. 4* in quantum autem differt à se, diligit illum, non dilectione naturali, sed electiua; & quantum ad dilectionem naturalem, dicit ibi Sanctus Doctor *ad* 3. quod nō potest remoueri in Angelis, nec in Dæmonibus remouetur: nec enim habent odio alios Angelos, quantum ad id, in quo cōmmunicant cum eis in natura, sed quantum ad dilectionem electiuam, & quantum ad id, in quo differunt Angeli inter se, possunt eos habere odio. Cęterùm istud odium non potest per se, & directè incipere ex puro motiuo naturali, & stante Angelo in puris naturalibus, quia dilectio alterius Angeli, vel hominis, etiam in eo, in quo differunt, repræsentatur Angelo, vt conueniens, tanquam id contentum in lege naturali, quia est vnum ex pręceptis naturalibus diligere alterum, sicut se.

3419 *Ex meris Obiecti potest Angelus non diligere alterum, quia non est necessitatus circa bonum alienum*

Vnde licet ex meritis obiecti posset Angelum non diligere alterum, quia non est necessitatus, quoad specificationem circa bonum alienum, sicut circa proprium, tamen in quantum illud bonum dilectionis alterius Angeli continetur suò principijs vniuersalibus legis naturalis, & Angelus connaturali modo procedit eadem immobilitate, & compræhensione circa finem, & circa media, circa principia, circa conclusiones, prout sic, non potest odio habere alterum Angelum, quia non potest egredi à limitibus illius regulæ, & legis naturalis, quandiu intra limites ordinis naturalis operatur connaturali modo, idest, compræhensiua, & perfecta cognitione procedens, sicut exigit natura sua, bene tamen si supponitur alteri legi illud bonum dilectionis alterius Angeli, cui legi si noluit se subordinare, poterit ex aliquibus effectibus, qui sibi contrarij, aut differentes videntur, alium Angelum odio habere, etiam non seruando legem naturalem, vt mox amplius explicabitur.

3420 Petes 1.

Petes 1. *An ex eo, quòd angelus in pura natura est liber libertate contradictionis, & contrarietatis, potuerit peccare?*

Resp. Angelū pro illo statu nō habere libertatem contrarietatis ad peccandum contra finem naturalē.

Resp. Angelū per illo statu non habere libertatē contrarietatis ad peccandum contra illum finem naturalem, sic solitarie sumptum, licet semper habeat ab intrinseco libertatem ad peccandum cōtra eundem finem, non solitarie, & seorsum acceptum in puro ordine naturali, sed vt coniunctum, seù subiectum fini supernaturali, vt explicatum est.

Remanet

Remanet tamen in Angelo libertas quoad exercitium, & respectu huius, vel illius operationis circa bonum: nec enim necesse est, quod libertas, vt sit libertas, sit defectibilis, & circa malum pro omni statu, & consideratione. Et cum instatur, quod voluntas non necessitatur quoad specificationem amare omnia bona, quæ percipiuntur lege naturali, præsertim, quæ versantur erga alterum. Resp. ex supradictis, non necessitari per se & ex meritis obiecti, sed ex modo, quo Angelus natus est apprehendere, & proponere ea, quę ad naturalem ordinem spectant, quandiu non subduntur superiori regulę, sed iuxta naturalem modum ab Angelo attinguntur, & dictamen formatur: sic enim quęcumque sub præcepto naturali cadunt, cùm regulentur per ordinem ad finem naturalem, & ex principijs naturalibus deducantur, in ipsomet fine ab angelo attinguntur, & eadem immobilitate fertur dictamen Angeli, & voluntas circa illa, atque circa ipsum finem, & circa principia vniuersalia, quia iste est modus connaturalis cognoscendi, & volendi in Angelo. Vnde ex vi huius coarctatur ad non volendum aliquid oppositum legi naturali, nisi mutet modum tendendi in legem ex subiectione ad legem superiorem, quam possit recusare, & ex consequenti etiam naturali legi non subdi, quia tunc non ex vi ipsius naturalis luminis tendit in talem legem, sed ex ordine ad finem superiorem, ad cuius amorem non necessitatur, quoad specificationem, nec ex naturali determinatione, & ordinatione.

3421 *Petes 2.*

Resp. circa hoc esse diuersas sententias, etiā inter Thomistas.

Petes 2. *An Angelus in pura natura poterit peccare, violando præceptum positiuum.*

Resp. Esse circa hoc diuersas sententias, & inter Thomistas. Nam aliqui sentiunt, posse peccare angelum in pura natura per violationem præcepti positiui, quod posset Deus imponere illi in ordine ad finem naturalem, licet non per violatione præceptorum, quæ sunt de iure naturæ. Ita Bannes, & Nazarius *super hanc quæst 63. art. 1.* & probabile reputat Ledesma *de perfectione Dei quæst. 6. art 7. in fabartic. 2.* & idem attribuitur Zumel. *super hunc articulum citatum*. Alij vero discipuli D. Thomæ absolute, & sine limitatione docent in ordine ad finem naturalem non posse peccare primo, & immediatè, non distinguentes de his, quæ iubentur per præceptum positiuum, vel iure naturæ, sic ut sentiunt authores, quos *suprà* citauimus pro nostra sententia. Et in specie, quod etiam posito præcepto positiuo de re mere naturali, adhuc angelus non possit peccare directè, & per se primò contra motiuū mere naturale secundùm tale pręceptum positiuū, defendunt Nauarete *hic controu. 97. § 1.* & NN. PP. Carmelitani Salmantic. *tract. 7. de Angelis disp. 9. dub. 2. num 35 & 51.* & videtur magis propendere Diu. Thom. in hanc sententiam, quia nusquam distinxit inter præcepta naturalia, & positiua quantum ad hoc, quod non possit peccare angelus contra prima, bene tamen contra secunda, sed absolute docuit non posse peccare ex motiuo mere naturali; & solùm admisit posse peccare ex motiuo relato ad finem supernaturalem, vt in locis, supra citatis videri potest.

3422 *Vera Responsio si Angelus manet in pura natura, pręceptum quodcumque ei ponatur, debet esse circa rem ordinis supernaturalis*

Quare dicendum est, quod si angelus manet in pura natura, præceptum quodcumque ei ponatur positiuum, debet esse circa aliquam rem ordinis supernaturalis, iam mutatur casus, & non remanet angelus in pura natura. Si ergo ponitur præceptum illud positiuum, oportet quod sit ordinatum ad finem naturalem, quia cum sit præceptum à Deo, debet esse materia bona, & ordinata in bonum finem, & consequenter sub illo fine naturali contentum, idest sub Deo authore naturali, & in ordine ad ipsum, sed in ipsa cognitione, & dictamine, quo Deus proponitur, vt finis naturalis, & sic amatur, & acceptatur, hoc ipso acceptantur omnia præcepta sub tali fine ordinabilia includit, vnde non potest aliquod ex illis præceptis non admittere, nisi omittat amorem illius finis naturalis super omnia. quod est non habere illum pro fine, atque adeo non immobiliter adherere principio illi vniuersali practico, secundùm quod diligitur Deus naturalis author super omnia.

Quare ego nullam video differentiam inter pręcepta naturalia, & positiua, in hac parte, quia 3423

Nulla est differentia inter pręcepta naturalia, & positiua, in hac parte

præcepta naturalia, quæ versantur circa media, seu circa ea, quæ sunt ad finem acceptantur ab Angelo in ipso fine, in quo media attingit ordinata ad talem finem, vnde non potest stare, quod diligatur ille finis super omnia, & non acceptentur media ad talem finem ordinata, & consequenter ipsa ordinatio, seu præcepta naturalia, quibus talia media ad illum finem ordinantur. Sed similiter hoc ipso, quod diligitur ille finis super omnia in genere naturæ, virtualiter acceptatur quicquid præcipi potest positiue in ordine ad eundem finem, quia si precepto positiuo renueret subijci, hoc ipso non diligere Deum super omnia: ergo ex suppositione, quod finis est acceptatus tanta compræhensione, & immobilitate, vt in ipso acceptentur omnia media requisita, & quidquid ad talem finem ordinari strictè, & ex necessitate potest, quia diligitur super omnia. ergo si retro cedat Angelus in amore illius finis, & principij vniuersalis practici, non potest illa præcepta abijcere, sicut nec naturalia, quia in hoc nulla est differentia ex suppositione, quod Angelus in ipsa cognitione, & acceptatione finis, cognoscit, & acceptat per compræhensionem, & simplicem actum immobilem omnia media, quę se habent, vt conclusiones connexæ fini.

Quod si dicas: quia potest Angelus in ipso principio non acceptare illam legem positiuam, & non 3424 *Instabis.*

se illi subijcere ex amore excellentię proprię, sicut renuit se subijcere fini supernaturali, & ex consequenti peccare contra regulam, & finem naturalem, nec se illi subijcere; non autem ex suppositione amoris ipsius finis procedendo, quia hoc supposito, non potest retrocedere, & abijcere pręcepta, quę in ordine ad ipsū ponuntur, sicut acceptato fine supernaturali, & diligendo illum super omnia, non potest Angelus renuere pręcepta positiua, quę circa talem finem sibi imponantur: sed tamen potest stare, quod abinitio, quando Angelus debuit acceptare legem naturalem, & ea, quę ad ipsam ordinabantur, renueret aliquod pręceptum positiuum sibi impositum propter excellentiam propriam. vnde resultaret non acceptare ex consequenti legem naturalem: & in summa, quod procederet Angelus circa illud pręceptum positiuum, sicut circa pręceptum de fine supernaturali.

Resp. idem Argumentum prorsus fieri posse de 3425

Respondetur: hoc argumentum fieri posse de quolibet pręcepto naturali, contento sub fine naturali

quolibet pręcepto naturali, contento sub fine naturali, v. g. de diligendo altero Angelo, & non inuidendo illi dona naturalia. & de similibus, quód posset Angelus renuere tale pręceptum circa illam materiam, & conuerti ad propriam excellentiam, vt ad finem, & inde ex consequenti abijcere à se legem naturalem. Quód si hoc non admittitur, quia talem pręceptum naturale cōtinetur sub fine illo ordinis naturalis, nec potest ferri angelus in medium aliquod, nisi ex aliquo fine, sicut nec conclusiones, nisi in aliquibus principijs; idem dicemus de pręcepto positiuo supe raddito, quia etiā tale pręceptum continetur sub illo fine, cùm ordinetur ad illum, quia versatur circa aliquod mediū: nam finis ex præcepto naturali diligitur & finis ille diligitur super omnia; atque adeo omnia illa præcepta manent virtualiter ibi acceptata, & valida. Nec potest excellentiam propriam accipere tamquam finem, adquem conuertatur, subtrahendo illam à subiectione finis naturalis, cui tanquā aliquid inferius naturaliter subijcitur, nisi supponendo aliquem defectum ab aliquo fine, ratione cuius accipiat propriam excellentiam, vt finem, quia si connaturali modo operatur, debet propriā excellentiam semper accipere vt contentam sub fine. Si autem accipit illam, vt finem, & non, vt medium contentum sub fine, hoc ipso deficit ab

aliquo

aliquo fine sub quo continetur. Non à naturali immediatè, quia ex illo incipit actum suum: ergo à supernaturali: & si iste non datur, non deficit. Et sic oporteat, quòd incipiat hoc peccatum angeli ab aliquo defectu circa finem, & circa modum cōnaturalem operandi.

3426 *Hic defectus optimè cernitur, quando interuenit ordo ad finem supernaturalem.* Qui quidem defectus optimè cernitur, quando interuenit ordo ad finem supernaturalem, cui angelus renuit se subijcere: tunc enim sub tali defectu à tali fine deficit à connaturali, & proprio modo operandi, vt supra diximus, potestque accipere propriam excellentiam, vt finem ad quem conuertatur, quia iam finis naturalis, qui est Deus, vt author naturæ non plenè, & perfectè attingitur, hoc ipso, quod renuit angelus se subijcere fini supernaturali. Non tamen hoc contingit, si renuat se subijcere præcepto positiuo circa aliquod medium subordinatum fini naturali, quia cum Angelus nūquam operetur, nisi incipiendo à principijs, & à fine, siuè per auersionem, siuè per subiectionem, propter perfectissimum modum intellectualem, quem habet in operando; ideò non potest renuere hoc præceptum particulare, quod de se est contentum sub amore finis vltimi naturalis, nisi incipiat hanc renuentiam ab ipso fine. Et cùm supponatur non esse alius finis, quàm naturalis, & circa illum est necessitatus quoad specificationem, quia bonū naturę est, non potest intra limites puræ naturę procedens, & modo connaturali, idest incipiendo á principijs ad conclusiones, & à fine ad media renuere subiectionem illam ad tale pręceptum positiuum magis, quàm ad alia pręcepta naturalia, quę versantur circa media contenta sub illo fine naturali.

DVBIVM III.

An Angelus de facto peccando directè contra finem supernaturalem, etiam contra legem naturalem peccauerit?

3427 *Conclusio. Angelus peccando contra finem supernaturalem, etiam contra naturalem peccauit.* Conclusio. Angelus peccando de facto directè contra finem, ac legem supernaturalem, etiam contra legem naturalem, quæ à supernaturali supponitur, peccare potest, ita plures Thomistæ videantur MN. PP. Salmáticenses *hic tract. 7. disp. 8. dub 3. & 3.* Prob. Concl. tum ex eisdem locis D. Th. vbi admittit peccatum posse esse in angelis ex ordine ad ea, quæ supernaturalia sunt, seu in ordine ad legem supernaturalem; tùm quia *supra q. 60. art. 5. ad 5.* docet, quòd *Illi, qui non vident Deum, possunt ex aliquibus effectibus, qui eorum voluntati contrariantur, Deum odio habere*, quod vtique contra naturalem legem est; tum quia, vt dicit infrà Sanctus Thomas q. 64. art. 2. ad 5. *Omnis actus Dæmonis ex voluntate deliberata procedens, est malus, actus autem naturalis bonus esse potest, & tamen tali bono actu abutuntur ad malum:* tum denique, quia omnia peccata secundùm reatum esse in Dæmonibus, quatenus homines ad ea incitant, docet ipse Sanctus Doctor *in hac q. 63. a. 2.* inter quæ sunt multa contra ordinem, legemque naturalem.

3428 *Ratio. Quia non potest aliqua voluntas renuere subiectionē ad regulam supernaturalē, nisi indirectè deficiat naturali.* Ratio autem à priori huius est, quia non potest aliqua voluntas renuere subiectionem ad regulam supernaturalem, nisi ex consequenti, & indirectè à naturali regula se auertat; tum quia licet naturalis regula non dictet de supernaturalibus aliquid, dictat autem subijciendam esse hanc regulam regulæ illi superiori, & non esse abijciendam, sicut lex Prætoris dictat subijciendam esse sententiam suam, & iudicium, iudicio Imperatoris, vel Regis: Vnde sicut non stat, quod aliquis rectè velit parere iudicio Prætoris, & nolit subijci iudicio, & legi Regis, ita non stat, quod aliquis integre, & rectè se habeat secundùm legem naturalem, si renuit subijci regulæ supernaturali, sed hoc ipso manet mancus, & non rectus circa naturalem legem, quia læditur naturalis lex in eo, quod dictat, subijci debere superiori: hoc enim bonum naturæ, est eleuari ad superius. Si ergo ex parte læditur lex naturalis, hoc ipso angelus mutat connaturalem modum procedendi practicè, & in aliquibus etiam speculatiuè, non quidem respectu eorum, quæ naturaliter cognoscit speculatiuè, hæc enim integra manent in Angelo, quia simplex est eius lumen, modusque cognoscendi, sed in quantum abutitur ad iudicandū etiam de his, quæ naturaliter nota non sunt lumine suo: vult enim præsumptuosè præcipitare iudicium, aut de interioribus cogitationibus plus iudicando, aut de rebus supernaturalibus, vt docet S. Thomas *sup. q. 58. a. 5. & q. 16 de malo a. 6.* In parte autem effectiua, seu practica etiam iudicat appetendum aliquando id, quod appetendum non est.

Et hoc totum inde prouenit, quòd angelus peccans non retinet in operando modum connaturalem suum, nec intra illum se vult continere. Modus autem connaturalis est, vt procedat semper indiuisibili modo, & compręhensiuo, & intra illum se contineat. Si enim hoc obseruaret angelus, vtiq; non peccaret: videret enim, quod naturalis lex in omnibus obseruanda est, & ad omnia se deberet extendere in ipsis principijs, attingens per intellectum, & voluntatem omnia in eis contenta. Vnū autem ex contentis est dictamen illud legis naturalis, quod cuicumque regulæ superiori debet subijci, etiam supernaturali. Vnde si Diabolus ab hac lege se subtrahit, iam non indiuisibiliter, nec vnitè, & compræhensiuè omnia, quæ sunt contenta sub lege naturali, amplectitur. Sed hoc non est incipiendo rumpere hanc indiuisibilitatem ab ipsa lege naturali absolute sumpta, & contra eam agendo, sed comparatiuè, seu respectiuè ad legem superiorem, cui non vult subijci, & in hoc etiam legem naturalem rumpit. Vnde hoc ipso distemperatur, & accipit pro principio, cui inhæreat, suam propriā excellentiam, quæ erat contenta antea sub regula naturali, non vt principium, sed vt medium, seu cōclusio, & consequenter facit contra regulam naturalem, & deordinat omnia, faciens finem sibi vltimum ex illo, quod se habebat, vt medium, & cùm in omnibus nolit se subijcere regulæ supernaturali, in omnibus recedit ex consequenti à regula finis naturalis, quia mutat connaturalem modum operandi cōpræhensiuè, & indiuisibiliter ex vi principiorū naturaliū, sed pcedit diuidēdo illa, quia non tendit in finem naturalem, & regulam secundùm omnia, quę sub tali fine continentur. Vnde vlteriùs etiam in speculatiuo iudicio ferendo, non se continet intra modum, & limitem naturalem, sed præcipitanter agit iudicando ex naturalibus, vltra id quod ipsa manifestare certò, & compręhensiuè possunt, eaque, vt certa accipiendo. 3429 *Angelus peccādo non retinet in operando, modum connaturalem suum.*

Ex quo sequitur verum esse, quòd supra notauimus, quòd ista conclusio procedit supponendo, quòd Angelus procedat connaturaliter, seu iuxta modum suum connaturalem agendi, quod non intelligitur sic, quod procedit quando Angelus operatur connaturaliter, iuxta id, quod exigit sua natura in regulatione recta, quasi modus connaturalis sit ipsa subiectio ad regulam naturalem, quæ recta est: hoc enim idem esset, ac dicere, quòd non potest peccare contra legem naturalem, quandiù operatur secundum regulam naturalem, seu non potest peccare contra regulam, quamdiù operatur secundum regulam; Non sic intelligitur, sed quòd non peccat contra legem naturalem, quandiù operatur connaturaliter, & iuxta modum suæ naturæ, id est, principia ipsa naturalia, & finem naturalem intelligendo, & accipiendo compræhensiuè, & vnitè, sicut eius natura postulat, tam speculatiuè, quàm practicè: Sic enim est proprius modus intelligendi angeli, vt naturalia accipiat compręhensiuè, & vnitè, & non diuidat sicut nos possumus diuidere ob nostrum imperfectum modum procedendi. Et ita si Deus de potentia absoluta ita produceret angelū in pura natura, quod non daret ei modum suum procedendi connaturalem, sed quod ea, quę naturalia, sunt plenè, & adęquatè non intelligeret, sed aliquid 3430 *Corollarium, ista conclusio procedit, supponendo, quod Angelus procedat connaturaliter.*

nus ad gratiã, quàm ipsa natura; quia actus humanus est præparatiuus ad gratiam. Sed gratia ipsa non est ex operibus. Rom. 11. ergo. Resp. Ad ma. quòd quamuis actus, siuè opera creaturę rationalis sint aliquo modo dispositiua ad gratiam, tamen gratia magis videtur dari secundùm gradus naturę, quàm ex operibus; quia natura est à Deo, opera autem sunt ab ipsamet natura.

Arg. 3. Homini non datur plus de gratia secundùm gradum suorum naturaliũ; ergo ergo neque Angelo. quia homo, & Angelus pariter ordinantur ad Beatitudinem, vel gratiam. Resp. neg. con seq. & Ad prob. dicitur: quod homines non differunt specie, sicuti Angeli; ideò non oportuit plurificare gradus gratiæ in hominibus, secundùm exigentiam naturæ, quia habent eundem gradum naturę, secùs est in Angelis.

DISPVTATIO CCCXV.

An gratiam, & reliqua dona infuderit Deus Angelis inæqualiter, iuxta inæqualitatem perfectionis naturalis.

3359 Nota. *SVpponimus tanquam omninò certum, perfectionẽ naturalem angelorum, aut opera, quę viribus naturę fiunt, non fuisse rationem ob quam angeli de condigno, aut congruo meruerint gratiam habitualem, aut aliquod auxilium supernaturale: hoc .n. eadem auctoritate, & rationibus exploditur, quibus in materia de gratia contrà Semipelagianos probatur, neminem solis viribus naturę posse ad gratiam disponere. Ex quo clarè constat, angelis, quibus maior gratia, aut vberiora dona gratiæ collata sunt quàm alijs nõ fuisse data ob meritum aliquod naturale, aut quia perfectiori naturę deberentur. Solum inquiritur, an Deus sua omninè gratuita, & liberali voluntate voluerit distribuire angelis gratiam iuxta eorum perfectionem naturalem, itaut quò quis in natura perfectior est, eò maiorem gratiam acceperit.*

1. Obiectio. *Ratio dubitandi est prima; quia inferius non potest esse mensura superioris, natura autem inferior est, quàm gratia, igitur non potest esse mensura illius.* 1 Confirm. *Et confirmatur; quia inde infertur Luciferum, in primo instanti creationis fuisse cæteris angelis sanctiorem.* 2 Confirm. *Confirmatur secundò; quia ex hoc sequitur, datam esse gratiam angelis iuxta proportionem dilectionis naturalis; quia de primo ad vltimum, vnum sequitur ex alio; quia si gratia datur iuxtà capacitatem naturalem, cùm amor naturalis etiam iuxtà vires naturales vniuscuiusque eliciatur, consequenter dabitur gratia iuxtà proportionem dilectionis naturalis; quia si aliqua congruitas est in naturali capacitate considerata in actu primo, eadem, imò, & maior est in actu secundo; hoc autem videtur absurdum, quia alias Angelus aliquo modo se disponeret suis viribus ad gratiam.*

3360 2. Obiectio. *Secunda; quia in hominibus non seruat Deus illam proportionem, igitur neque in angelis.* Confirm. 1. *Et confirmatur, quia ratio D. Thomę in art. 6. sumpta ex parte Dei etiam inter homines locum habet, quatenus vnus homo alio excellentius habeat ingenium, vel ad supernaturale munus aptior est, ad quod sufficit inæqualis perfectio indiuidualis, & tamen non ita factũ est in hominibus, sed interdum homines de se minus aptos ad altiorem gradum, & maiorem gratiam assumit: in quo non deficit Deus ab illa congruentia prudẽtis artificis, qui pulchriores aptat lapides in nobiliori loco collocandos; hoc .n. verum est de perfectione pertinente ad ędificij compagem, quę in pręsenti est perfectio gratiæ, non naturæ.* Confirm. 2. *Confirmatur secundò; quia de facto non solùm humanitas Christi, & persona Virginis, sed multi homines qui in natura comparati cum Angelis inferiores sunt, in gratia angelis pręstantiores sunt, igitur illa ratio non obstat quominus inter Angelos ipsos inferiores in natura in gratia superiores effecerint.*

Tertia; quia alia ratio quam D. Th. ex parte ipsorum angelorum reddit, scilicet quia perfectiores angeli magis conati sunt, vt se ad gratiam disponerent, difficultatem patitur, quia maior conatur est à maiori gratiæ auxilio: naturalis enim conatus non confert per se ad perfectionẽ actuum supernaturalium, alias angelus aliqua ex parte suis naturalibus viribus esset causa maioris gratiæ sibi collatæ, sicut intellectus perfectior cum ęquali lumine glorię non elicit meliorẽ visionem, sed iuxta proportionem luminis, ergo in angelo maior conatus pendet totus à pręueniente auxilio; in hoc autem non potest sumi inęqualitas ex naturali conatu voluntatis, quia ad primum auxilium non datur dispositio ex parte hominis, vel angeli, ergo illa diuersitas in naturali conatu nil confert. 3. Obiect. *Confirmatur, quia hic conatus naturalis semper est liber, igitur licet angelus sit perfectior potest minus conari, quàm angelus inferior, igitur si inferior cum auxilio gratię plus conatur, melius disponetur, ergo recipiet maiorem gratiam, ergo melior dispositio supernaturalis non sequitur probationem naturæ.* Confirm.

Dicendum est tamen, Deum distribuisse gratiam angelis iuxta proportionem naturalium, itaut quò angeli creati sunt perfectiores naturę eò maiori gratia ornati sunt. Ita magister in 2. d. 3. S. Thomas hic art. vbi Caiet. Bannes. Molina Zumel, & Vasquez, & alij interpretes D. Th. Valentia q. 13. punct. 3. Suarez lib. 5. cap. 10. Granados hic, & Auersa q. 62. sect. 6. & communiter iuniores, & ex antiquis Ricard. d. 5. art. 2. q. 3. Carth. 2. d. 4. q. 2. Concl. 3361

Probatur primò ex patribus, & in primis ex Diu. Dionys. lib. de cælesti Hierarch. vbi angelos perfectiores in natura, ait propinquiores esse Deo, tùm in officio, tùm in splendoribus gloriæ, & gratię, quod à præceptore D. Paulo didicisse in c. 6. profitetur, & ita ait, Primam Hierarchiam, sicut est perfectior reliquis, ita primoribus Dei splendoribus, maiori propinquitate coniunctam esse. *Basil. lib. de Spiritu Sancto cap. 16. dicente* Cælorum virtutes non suapté natura Sanctæ sunt, sed iuxta proportionem, qua se inuicẽ superant, à spiritu habent sanctificationis mensuram *Similia habet Damasc. lib. 2. c. 3.* Per Sancti Spiritus sanctificationem omnes angeli perfectionis numeros acceperunt, ita tamen, vt pro sua quisque dignitate, & classe luminis, gratiæq; participes sint. *Nazianz. Oratione in Sanctum Baptisma licèt in hac re dubius sit, eius tamen interpres* Nicetas *in hanc opinionem propendet.* Prob. 1. Auctoritate.

3362 2. Prob. ratione. *Ratione probat Sanctus Thomas, quæ solùm habet vim congruentiæ: nam ex parte* Dei *videtur consentaneum sapientiæ eius, vt quos meliores in natura condidit, in altioribus sedibus gloriæ collocaret; & consequenter in maioribus gratijs præueniret, & ex parte Angelorum, quia quo sunt natura perfectiores eò maiori conatu per gratiam operantur, & ad illam se disponunt, quæ ex solutionibus rationum dubitandi illustriora fient.*

Ad 1. obiect. Resp. *Ad primam rationem. Respondeo, perfectionem naturæ angelicæ non esse mensuram gratiæ, aut distributionis eius inter angelos, sed propria, & adęquata fuit voluntas diuina,* Diuidens singulis prout vult. 1. *Corinth. 12. nihilominùs ex parte naturę angelicæ potest considerari aliquas congruitas, & occasio, quam Deus ex mera liberalitate, & voluntate sua distributurus gratiam, voluerit iuxta proportionem naturalium illam gratiæ distributionem efficere.*

Ad primam confirmationem Respondeo, concedendo, Luciferum, si fuit perfectior omnibus in natura, fuisse cęteris sanctiorem in primo instanti: neque est inconueniens, quia Deus non dat gratiam iuxta præscientiam futuri euentus, sed iuxta pręsentẽ dispositionem. Ad 1. Confirm. Resp.

Ad secundam confirmationem, Suarez. Veretur concedere, gratiam fuisse datam angelis intuitu suę bonę operationis naturalis. Sed reuera in eodem sensu, in quo conceditur, fuisse datã intuitu perfectionis maioris naturæ, potest cõcedi idem de operatione naturali; quia necessariò, & per se omnis actus liber naturalis voluntatis Ad 2. Confir. Resp.

luntatis perfectioris in angelis affert maiorem perfectionem, licèt esse minus intensus propter vniuersaliorem, & puriorem, aut simpliciorē modum tendendi.

3363 Gratia excludit à natura omnem rationem deliti.

Sicut actus infimi angeli excedit actum hominis. Igitur gratia excludit à natura omnem rationem debiti, atque adeò meriti, dispositionis, seu conditionis, sine qua non, per se requisita, & similia; & hoc modo excludit illā ab omni actu naturali angeli; at verò titulus occasionis, siuè alicuius congruitatis, quæ soluet omnem, & perfectissimam rationem libertates, donationis, & gratiæ, sicut tribuitur naturæ, non est, cur negetur operationis, quæ illi omninò proportionatur, imò accomodando singula singulis, si gratia habitualis perfisit substantiam in se, habitus infusi potentiarum, & gratia actualis dantur propter operationes, vt supernaturales eliciantur, igitur non est, cur negetur, dari hanc congruitatem, & occasionem, salua semper liberali donatione gratiæ, in actibus perfectis naturæ, sicut in ipsa natura; imò integra perfectio naturę totū claudit, tàm substantiam, quàm eius operationem; Inde verò solùm infertur aliqua laus naturalis operantis, sicut, & ipsius perfectionis naturę; nil autem, quod conducat ad rationem debiti, & minuat rationem gratiæ; quia ea actualis operatio non est semper permanens cum ipsa natura, quia libera est, & potest esse, & non esse: neque est subiectum, in quo recipitur gratia, nec reddit naturam magis capacem eius; ideò etiam ad illum titulum congruitatis, & occasionis non per se, sed quasi concomitanter se habet; maior verò perfectio naturæ quasi per se.

3364 Ad 2. Obiect. Resp.

Ad secundam rationem dubitandi. Respondet Sanctus Thomas in solutione tertij, esse disparem rationē, tum quia inter homines nulla est distinctio, & inequalitas essentialis, sed solùm materialis, & numerica; inter angelos autem est diuersitas, & inæqualitas formalis, & essentialis, & ita magis decuit, prędictam gratiæ inæqualitatem intendi à Deo inter angelos, quàm inter homines; tum etiam quia homo ratione corporeæ molis, & sensibilium affectionum habet maiora gratię impedimenta, quam habuit angelus, & hæc apponi interdum solent ab ingeniosis maiora, quā à simplicibus.

Confirm. 1.

Addo, hoc non ita iudicari congruum diuinæ sapientiæ, vt si aliter res Angelorum disponere sine aliquo deffectu, vel imperfectione id facere non posset. Nā potius credimus, hoc potuisse facere, nec defuturas ipsi plures suæ diuinę sapientiæ congruentes rationes, propter quas hoc facere potuisset: hoc enim conuincit instantia illa, quod ad artificij compagem per se attenditur perfectio gratię, non naturæ, & ita plures homines inferioris naturę ad maiorem gloriam, quàm multos angelos euexit; Sicut ad gratiam vnionis potius naturam humanam quàm angelicam; præcipuè si finis primarius Incarnationis fuisset excellentia mysterij ante præuisionem peccati: quia tamen illæ rationes nō sunt nobis notæ, & quia hic ordo videtur aptior, & facilior ad communem, & ordinariam prouidentiam, vt patet exemplo gradus intellectualis prę cæteris à Deo electi ad communicationem suę gratię; & quia P.P. hoc docent, pręcipuè Dionysius, qui doctrinam hanc à D. Paulo accepit, ideò de facto asserimus dictam proportionem in angelis seruatam fuisse, non verò in hominibus: tum quia in his non est essentialis distinctio: tum quia fortasse voluit Deus vtroque modo suā gratiam distribuere, & cum proportione ad perfectionē naturę in angelis, & sine illa in hominibus, vt se ostēderet liberalem donatorem gratiæ suę, distribuens illam, prout vult.

3365 Patet ad Cōfirm.

Addo secundò, quod licèt hic ordo seruatus fuerit in prima iustificatione, quæ ad omnes angelos, & in secūda mora idem fuerit seruatum in S.S. Angelis, nihilominus in electione angelorum ad gloriam, & gratiā efficacem, non idem seruatum est in omnibus angelis, dum multi ex perfectioribus in natura non fuerunt electi, nec receperunt gratiam efficacem, quam inferiores multi receperunt.

Ad 3. Obiect. Resp.

Ad tertiam rationem dubitandi. Resp., quòd licet maior conatus sit à maiori gratię auxilio; tamen in primo actu, quo angeli ad gratiam se se disposuerunt, singulis data est vocatio, & motio præueniens, maior, aut minor iuxtà proportionem naturalium, & consequenter ipsum etiam auxilium cooperans, preparatū est singulis iuxta modum suum, idest ad conandum supernaturali modo, quantum naturaliter posset vnusquisque conari, si actus naturalis futurus fuisset. Nam licèt conatus naturalis per se non conferat ad talem actum; tota enim quantitas eius est supernaturalis, & respondens perfectioni gratię, tamen capacitas illius remota, & per modum occasionis conferre potuit, vt Deus in concurrendo cum illis voluntatibus ad tales actus dictam proportionem seruaret, & ita exemplum de lumine gloriæ nil concludit contra nos.

Ad confirmationem, Respondetur, quod quamuis ille conatus semper sit liber in angelo, nihilominus in primo instanti Deus omnibus, & singulis dedit vocationem efficacem, qua vnusquisque iuxtà mensuram suam, toto conatu operaretur, & consentiret vocationi infallibiliter: in secundo etiam instanti, seu mora angelorum in bonis fuit etiam conuersio toto conatu; quia ipsis fuit datum auxilium efficax infallibilizans eorum voluntatem eadem proportione, qua in primo instanti fuerat datum omnibus, & ita toto conatu se ad Deum conuerterunt, quando mali peccauerunt; efficax .n. auxilium, licet non excludat physicam libertatem, excludit moralem in determinando: de quo plura in nostra controuersia de efficacia diuinæ gratiæ, quam Deo dante, & Apostolica Sede permittente in lucem proferemus. Ad confirm. Resp.

Neque contra hanc resolutionem sensit Augustinus lib. 12. de Ciuit. cap. 9. quando dixit, malos angelos, minorem accepisse gratiam, quàm bonos: Nam per hoc sensisse videtur, gratiam non fuisse distributam illis secundùm proportionem naturalium, cum Lucifer fuerit natura præstantissimus; quia ibi loquitur de gratia, & dono perseuerantiæ: quæ sine dubio fuit maior in angelis bonis imperfectioris naturæ, quàm in malis naturę excellentioris, vt dicemus inferius. Igitur, quod in hac disp. affirmamus, est, in primo instanti fuisse collatam gratiam angelis inequaliter pro inæqualitate naturæ: & in secundo his, quibus datū est auxilium efficax, & donum perseuerantiæ, scilicet iuxta proportionem naturalium distributum esse. 3366 Instabis. Respondetur.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum in Angelis Beatis remaneat cognitio naturalis.

SVMMA ARTICVLI. D. Th.

Concl. In Angelis beatis remanet cognitio, & dilectio naturalis. Prob. In quibus remanent principia operationum, necesse est, & operationes ipsas remanere. Sed in Angelis beatis remanet principium dilectionis, & cognitionis naturalis. ergo. Prob. min. Primum semper saluatur in secundo: sicut animal in homine. Sed Natura comparatur ad beatitudinem, sicut primum ad secundum; quia beatitudo additur naturæ, vt perfectio: ergo &c.

Arg. 1. Adueniente dilectione, & cognitione perfecta, tollitur cognitio, & dilectio imperfecta. ex 1. *Corinth.* 13. Sed cognitio, & dilectio Angelorum naturalis, sunt imperfectæ respectu beatitudinis: ergo. Resp. ma. esse veram de imperfecto opposito, perfecto: Imperfectio autem naturalis, non opponitur perfectioni gloriæ, sed ei substernitur, sicut imperfectio potentiæ substernitur perfectioni formę, & non tollitur potentia per formam, sed priuatio.

Arg. 2. Vbi vnum sufficit, aliud superfluè existit. Sed in angelis beatis sufficit cognitio, & dilectio gloriæ. ergo. Resp. veram

esse ma. si illud aliud non necessariò illi præsupponatur. Licèt.n.ea, quæ sunt beatitudinis, per se sufficiant, sed ad hoc, quod sint, præexigunt ea, quę sunt naturę, quia nulla beatitudo subsistit, nisi increata.

Arg. 3. Eadem potentia non habet simul duos actus, sicut, nec vna linea, terminatur ex eadem parte ad duo puncta. Sed Angeli beati sunt semper in actu cognitionis, & dilectionis beatę. ergo. Resp. Ad ma. quòd duę operationes possunt esse simul vnius potentię, si vna ad aliam ordinatur. Cognitio.n. & dilectio naturalis ordinantur ad cognitionem, & dilectionem gloriæ.

DISPVTATIO CCCXVI.

An Angeli habeant naturale iudicium de diuina veritate, quam vident in Verbo.

3367 Nota.

ADuerte, quòd in Angelis tria genera actuum, & habituum considerare possumus. Primum est, eorum, quæ sunt tanquam media, & dispositiones præuia ad beatitudinem consequēdam, sicut fides, & spes, quæ sunt non solum media, verùm, & præuiæ dispositiones; & tales actus, & habitus omninò cessant post beatam Visionem. Alij sunt statui beatitudinis subordinati, & veluti fundamenta requisita; cuius modi sunt, quæ pertinent ad naturæ integritatem, & perfectionem: de quibus docet Sanctus Thomas hic, quòd manent, sicut ipsa natura, & potentia. Alij sunt media quidem ad beatitudinem consequendam, quæ secundum substantiam non repugnant statui beatifico, sed tantum secundùm modum operandi, quem habent in via; Sicut scientia, & alia dona Spiritus Sancti, quæ pertinent ad intellectum: & hæc manent in Patria sublata tamen imperfectione, quam habebant in via. Ratione cuius dicitur 1. Corinth. 13. Siuè linguæ cessabunt, siuè prophetiæ euacuabuntur, siuè scientia destruetur.

3368 Conclusio stabilitur.

Sed est certa conclusio quòd beati non solùm habent cognitionem supernaturalem beatificam: Sed etiam cognitionem naturalem rerum per actum omninò distinctum à supernaturali. Hæc conclusio communis est, & certa apud Theologos. Et probatur: Quoniā cognitio naturalis, est naturalis perfectio, quæ ponit in numero cum supernaturali, quia sunt distinctio ordinis, & per diuersa media & vtraque est in suo genere perfecta. non ergo est vnde habeant incompossibilitatem: manebunt ergo simul Quia esse supernaturale, non destruit esse naturale, nec perfectionem eius.

Confirm. 1.

Et confirmatur quia in Christo Domino simul sunt scientia beata infusa, & naturalis: ergo similiter in Beatis dicendum est. Præterea. Sicut vitam sensibilē consequitur aliqua naturalis operatio, ita, & intellectualem. Sed operatio naturalis in angelis consequitur vitam intellectualem: ergo manet in statu beatitudinis. Sicut in corpore glorioso cum vita corporali manent sensuum operationes.

Confirm. 2.

Et confirmatur. Quoniam si angeli non haberent simul vsum naturalium scientiarum, aut specierum: sequitur species illas otiosas esse; imò, & frustrà fuisse collatas. Patet sequela. Quoniam breuissimo vitæ discursu non potuerunt angeli omnibus scientijs, & speciebus vti. Imò sequitur, lumen naturale angelicum esse similiter otiosum at neque naturale lumen, neque species angelicæ, sunt frustra in Patria sine efficiētia: ergo per illa elicit angelus cognitionē sui, & Dei.

Euasio.

Ad hoc argumentum dicunt quidam, quòd aliquid efficiunt non tamen distinctum actum, sed solùm iuuat visionem beatificam.

Præcluditur.

Sed hoc non satisfacit. Quia visio beatifica est alterius ordinis, & per lumen, & principium eleuatissimum. Vnde, nullo modo iuuari potest à lumine, & speciebus naturalibus. Et oppositum dicere, est malè consonum cum catholica doctrina. Vnde, nullo modo iuuari potest à lumine, & speciebus naturalibus: neque fieri potest, vt cognitio supernaturalis, & naturalis in vno actu conueniant; cum habeant obiecta diuersa, & rationes essētiales adeò distinctas. Itē, quia visio beatifica, est omninò inuariabilis: naturalis verò, mutabilis.

3369 Confirmatur.

Profectò, si istorum vera responsio foret, visio beatifica perficeretur à lumine naturali imperfectiori. Tandē in beatitudine non destruitur natura: ergo non potest operatio dissipari, quæ sequitur ex ipsa natura. Et ex hac ratione etiam sequitur, quòd naturalis dilectio benè se compatitur cum dilectione supernaturali Dei: Nam Beatus, qui fruitur Deo, se se diligit, & proximos etiam dilectione naturali. Et confirmatur. Quoniam authore Augustino in Angelis respectu eiusdem obiecti reperitur duplex cognitio, matutina, & vespertina: matutina cognitio, est visio beata: vespertina verò est, quæ habet extra verbum per species creatas; & est naturalis rerum cognitio in proprio genere. Quare, quicumque angelus beatus videt in Verbo omnia genera, & species rerum naturalium. Vnde, si Angelus beatus non cognosceret extra verbum cognitione naturali eadem obiecta, quæ videt in Verbo, non vteretur speciebus intelligibilibus, sibi connaturalibus, quæ per se primò repræsentant genera, & species rerum naturalium.

3370 1. Obiectio.

Primum est, quia plus differt iudicium naturale à visione beata, quam assensus opinatiuus à scientifico: Sed hæc duo simul esse non possunt. ergo neque illa. Sunè, quoniam afferuntur duo media ad cognoscendam aliquam conclusionem, alterum demonstratiuum, & alterum probabile: non potest intellectus simul proferre duos assensus, vel iudicia, alterum demonstratiuū scientiæ, alterum verò opinatiuum: Sed ambo simul causant vnum iudicium euidens, igitur in patria, cùm sint duo lumina, quæ sunt veluti duo media: sequitur, quòd solùm vna cognitionem producunt, & non duas.

3371 Respond.

Resp. distinguendo maiorem Nam si loquamur de gradu perfectionis, concedenda est. Si verò de distantia oppositionis, neganda est. Assensus enim opinatiuus, formaliter opponitur scientifico, propter formidinem: Sicut tenebræ lumini. At visio beata nullam habet repugnantiam cum visione clara naturali: & idcircò compatitur illam esse secum, quamquam sit longè perfectior. Dico secundò, medium probabile, & demonstratiuum non posse simul efficere, & effectiuè concurrere ad eundem actum scientiæ euidentissimum. Quomodo autem medium probabile iuuet ad scientiam, & quomodo opinio, & scientia possint esse simul: alibi dicetur. Nam Sanctissimus Præceptor non adducit exemplum tanquam omninò simile: sed solùm ad explicandum, quòd cognitio perfecta nō semper omninò destruit minùs perfectam nisi habeant repugnantiam. Dico tertiò, quòd per medium probabile, & demonstratiuum eiusdem conclusionis fortè producitur vnicus assensus demonstratiuus: quia sunt media naturalia se se iuuātia, & habentia inter se proportionem; cum pertineant ad ordinē naturæ. Sed in nostro casu lumē glorię, & lumen naturale intellectus, sunt lumina omninò diuersi ordinis, & idcò vtrumque concurrit ad suam peculiarem cognitionem.

2. Obiectio.

Secundum, visio beatifica est perfectissima operatio omniū: ergo postulat omnē intellectus conatū: ergo non compatitur, simul aliam operationem intellectus. Probo consequentiam Quia potentia, quæ adhibet totū conatū, quē potest in vna aliqua operatione, nō potest simul exire in aliam operationem: quia pluribus intentus, minor est ad singula sensus. Certè, Angelus, vel fertur tota mentis attentione in Deum clarè visum: vel non? Si primum: nihil superest, quòd tribuatur naturali iudicio. Si secundum. sequitur, quòd cognitio beata erit imperfecta ex parte angeli; quia non tantum attenderet illi actus quantum potest.

3372 Respond.

Resp. aliqui Theologi docent, esse miraculum, quòd Sancti Angeli simul habeant illam geminam operationem Cæterùm hæc solutio est miraculosa: & ob id relinquenda Nam duplex illa operatio, verè requiritur in intellectu angelico sine vllo prorsus miraculo. Primò, quoniam tota efficacia, & totus conatus, quem intellectus angelicus adhibet ad visionē beatā, nō respondet virtuti naturali intellectus; sed solùm lumini beatifico Quia in illa visione intellectus creatus non operatur iuxta proportionē suæ virtutis naturalis: operatio

.n. na-

n. naturalis correspondet virtuli, & lumini naturali intellect⁹. Et ideircò, conatus, quem praestat intellectus in visione beatifica, non impedit conatum, quem praestat in operatione naturali: qui conatus illi sunt veluti duarū potentiarū. Imò verò dicerem, quod visio Beata; & conatus, quem erga ipsam praestat intellectus, conducit ad perfectionē maiorē cognitionis naturalis: quoniam operatio potentię superioris non minuit, sed potius complet, & perficit operationem potentię inferioris. Secundò, quia naturalis operatio sensuū nihil tollit de intensione intellectus beatifici videntis: Sic ergo, neque operationes naturales. Nam status beatitudinis hoc etiā postulat, vt omnia naturalia integra sint. Tertiò, propter rationem D. Th. hic solutione ad tertiū.

3. Obiectio. *Tertiò, arguitur. Quoniā duae faculae accensae ad illustrandum aerem applicantur, altera maior, & altera minor: tunc duae illae faculę nō producunt in medio duo lumina: sed vnū, igitur per illa duo lumina beati solū vna cognitione praediti sunt. Vnde, Sanctissimus Praeceptor solutione ad primum ait, quòd angelos ita videt per suam essentiam, & diuinā: sicut nos per mediū demonstratiuum, & probabile. Constat autē, quod nos nō habem⁹ duo iudicia de eadē cōclusione: ergo neq; angel⁹.*

3373 Respond. *Resp. Patet solutio ex his, quae diximus ad primum. Nam illa duo lumina sunt eiusdem ordinis, & se mutuò iuuant: sunt .n. intra idē genus. Visio autem beatifica est extra genus naturalis cognitionis, & notitia & ideircò non inconueniens, diuersis rationibus idem obiectum considerare.*

4. Obiectio. *Quartò. Operatio fidei simul coniungi nō potest cum visione beatifica circa idē obiectū, ob id, quòd fides intrinsecè includit obscuritatē, & imperfectionem, visio verò beatifica est summè euidens, & perfecta: at naturalis cognitio intrinsecam dicit imperfectionē, potissimè si comparetur ad visionem beatam; ergo nō copatitur visio beata talem cognitionem naturalē respectu eiusdē obiecti. Ac proinde non potuerunt esse simul.*

3374 Resp. *Resp. negando consequentiā, quoniam fides constituit intellectū omninò non videntē res, quae per fidem creduntur: ac proinde non cōpatitur secum in eodē intellectu eiusdē obiecti clarā visionē. At verò imperfectio, quae in cognitione scientifica naturali reperitur, tota manet in ipsa cognitione, & in medio per quod fit haec cognitio & nō postulat, quòd intellectus sit imperfect⁹ simpliciter. Quia naturalis cognitio scientifica, certa est, & euidens; quamuis eius certitudo, & euidentia non habeat perfectionem omnimodam, sed solùm perfectionē sui generis naturalis. Vnde, eius imperfectio nihil prohibet, quòd intellectus per medium altioris ordinis habeat cognitionem aliam perfectionē eiusdē obiecti.*

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum Angelus Beatus peccare possit.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COncl. Negatiua. Prob. Sicut se habet quicumque non videns Deum, ad cōmunem rationem boni; sic se habet videns Deum per essentiam ad Deum ipsum; quia essentia Dei est ipsa essentia bonitatis. Sed impossibile est, quòd aliquis quicquam velit, vel operetur, nisi attendens ad bonum; vel quòd velit diuertere à bono, inquantū huiusmodi. ergo impossibile est, quòd videns diuinam essentiam, possit aliquid velle, vel agere, nisi attendens ad Deum, quod est, non posse peccare.

Arg. 1. De ratione naturę creatę est, quòd possit deficere. Sed Beatitudo non tollit naturam, vt dictum est. ergo. Resp. ad ma. quòd bonum creatum in se deficere potest, sed ex coniunctione perfecta ad bonū increatum, qualis est coniunctio beatitudinis, adipiscitur, quòd peccare non possit, ratione iam dicta in conclusione.

Arg. 2. Potentię rationales sunt ad opposita. Sed Voluntas Angeli beati non desinit esse rationalis. ergo. Resp. ad ma. quòd virtutes rationales se habent ad opposita, non in omnibus, sed in illis, ad quę non ordinantur naturaliter; Intellectus. n. non potest non assentire principijs naturaliter notis. Similiter Voluntas Angeli non se habet ad opposita, quantum ad ipsum Deum, quem videt esse ipsam essentiam bonitatis.

Arg. 3. Ad libertatem Arbitrij pertinet, quòd possit eligere bonum, & malum; sed in Angelis beatis non minuitur libertas arbitrij. ergo. Resp. ad ma. quòd de ratione libertatis arbitrij est, posse eligere hoc, vel illud, seruato tamen ordine finis, & ad finem, & non quod possit eligere malum. Vnde, quòd liberum arbitriū possit diuersa eligere, seruato ordine finis, pertinet ad eius perfectionem; sed quod aliquid eligat, diuertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum eius.

DISPVTATIO CCCXVII.

An conclusio D. Th. sit de fide tenenda.

CIrca hoc dubiū fuit error quorundā credentium, quòd angelorū beatitudo nō est ęterna, sed mutabilis in miseriā: & cōsequenter errantes dixerunt, quòd miserorū damnatio futura est tēporalis Et iste fuit error Origenis: contra quē scripsit Alphonsus à Castro lib. de Haeresibus, verbo beatitudo, haeresi tertia. *est .n. iste error cōtra articulū fidei in symbolo: credimus .n. Sanctorū communionē, & vitā aeternā. Est praeterea sententia Origenis contra illud Matth. 25. Ite in ignē aeternū, qui paratus est* Diabolo, &c. *Quòd si pęna aeterna est pro damnatis, beatitudo est aeterna pro praedestinatis. Vnde, Daniel Propheta ait*: Fulgebunt iusti, sicut stellae in perpetuas aeternitates. *Fauet Paulus dicens. Et sic semper cum Domino erimus. Alter error fuit eorū, qui crediderunt angelos, etiā beatos peccare posse, siuè amittant beatitudinē, siuè in ea permaneant. Qui error tribuitur Fabro* Stapul. in l. de Triplici Magdalena, *Qui tamen, quoniam est prohibitus, non est nobis vsui. Postremus error est, quem etiam insinuat Origen. locis commen. quòd plerique angeli modo sunt in statu merendi, aut peccandi: quibus iudicio pro meritis praemia, vel supplicia reseruantur.* 3375 Error quorūdam.

3376 Conclusio. *Pro explicatione huius dubij, est prima cōclusio. Beatitudo Sanctorū est inamissibilis ab eis: & cōsequēter de fide est, beatos peccare nō posse. Quò circa, Origenis error damnatus est* in 6. Synodo generali action. 11. *Vnde, sicut beatitudo illa Sāctorū est vita, ita est aeterna vita. Cōtra huiusmodi errorē scripsit Aug.* lib. de haeresibus, haeresi 43. & 12. de Ciuit. Dei c. 20. & *D. Thom.* 4. contra Gent c. 92. & 3. contra Gent. c. 61. & 62. *vbi ostendit beatā visionē suaptè natura aeternā esse. Et praeter loca sacrae scripturę superius commemorata, extat* illud 1. Pet. 5. vocauit nos in aeternā gloriā suā. *Profectò, si beati angeli peccare possint: aut per tale peccatum amitterent beatitudinem, aut in ea manerent? Si primum; illud est contra rationem beatitudinis, quae essentialiter est aeterna vita; aeternitati verò repugnat mutabilitas. Si secundū: ergo simul essēt miseri, & beati. Scriptū est .n. Prouerb.* 14. Miseros facit populos peccatū. *Esset etiā contra illud Apoc. 21. Nihil inquinatū in eā intrabit: Praeterea, si peccatum angelis Sāctis contingere posset: vel id esset ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis Ostensum est enim suprà nullam aliam esse illis potentiam. Sed vtrique illarum repugnat peccatum in statu beatitudinis. Nam intellectus apertè videt omnem rationem boni, & omnem rationem agendi; voluntas verò totaliter fertur in summum bonum: diligunt enim ex toto corde, & ex tota mente. ergo.* Prob. 2.

3377 Prob. 3. *Tertiò, si Angeli aliquando peccarent, cessarent vtique*

vtique à laude diuina. Quia scriptum est: Non est speciosa laus in ore peccatoris. Et secundùm fidem nunquam cessabunt beati, iuxta illud prophetæ, Beati, qui habitant in Domo tua Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te. Et Isai. 62. super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die, ac nocte non tacebunt. Rursus, Sancti Angeli, vel sciunt se peccare non posse: vel hoc ignorant? Si sciunt: ergo ita est; alioqui falsum subesse posset beatificæ visioni. Si datur secundum: ergo non sunt liberi ab omni metu. Nam quod maximè timent iusti, est peccatum: qui metus est contra statum beatitudinis. Ad hæc, Beatus habet in Patria hanc voluntatem efficacem; volo placere Deo in omnibus, & per omnia: & status ille suggerit vires ad implendam hanc voluntatem in omnibus, & per omnia: ergo impossibile est, quòd Beatus admittat aliquod malum, vel aliquod peccatum. Alioqui non haberet ex natura illius status beatifici voluntatem efficacem placendi Deo in omnibus, & per omnia. Aliqui probant, quòd beatus peccare non posset: quia si posset peccare; sequeretur, quòd esset viator. Verum hæc probatio ignoranter procedit; quia Dæmones in inferno peccant, & tamen non sunt viatores; Vnde, argumenta posita meliùs ostendunt conclusionem: & multa alia dicemus statim in hoc articulo.

3378 2. Concl. Secunda conclusio. Tanta rectitudo voluntatis requiritur in beatis, vt non solum peccare non possint mortaliter, sed neque venialiter, in illo statu. De qua conclusione olim plerunque diximus 1.2. q. 4. art. 4.

Quòd nõ possint peccare mortaliter. Prob. Hæc conclusio habetur ex traditione Ecclesiæ: & est de fide, sicut præcedens. Et prior pars conclusionis iam patet ex his, quæ diximus. Et præterea liquet ex illo 1. Petri 1. Regenerauit nos in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & psal. 14. Domine quis habitauit in tabernaculo tuo? Respondetur ibidem: Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiã. Et Sapientiæ 7. Nihil inquinatum intrabit in eã. Certè, si peccare possent mortaliter, non esset beatitudo inamissibilis, aut perpetua in Sanctis Angelis: quod est contra illud Apocaly. 3 Faciam illum, qui vicerit columnam in templo Dei mei: & foras non egredietur amplius. Et Isai. 33. Oculi tui videbunt Hierusalem Ciuitatem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri potest: neque auferrentur claui eius in sempiternum, & funiculi eius nunquã disrumpentur.

3379 Neq; venialiter Prob. Quod verè, neque venialiter peccare possint: probatur. Tum, quia repugnat statui beatitudinis: est enim beatitudo status omnium bonorum aggregatione perfectus. Et beatus, vt docet August. est qui habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult. Tum etiam, quia posse peccare, est magna imperfectio, & non potest non causare nonnullam anxietatem, & timorem etiam. Quocirca, si beatus in se cognosceret huiusmodi potentiã, non esset perfectè satiatus. Item, quia peccatum, quãuis leue sit, diminuit gaudium, & causat tristitiam: ergo non esset in beatitudine gaudium perfectum, & completum: quod est contra sacram scripturam, & contra Isai. c. 30. 32. 43. 65. 66. & rursus in Apocalypsi legimus: Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis Sanctorũ: & iam nõ ait luctus, neq; clamor. Sũt igitur liberi ibi ab omni pœna: & consequenter à culpa, Io. 15. petit Christus Dominus, vt gaudium plenum sit suis electis. Patet etiam: quia nihil coinquinatum potest intrare in illam beatitudinem: multò ergo minùs potest ibi committi peccatum. Et in hac re omnes Theologi conueniunt cum D. August. 1. super Genes. ad litteram, & in Enchir. c. 57. & ser. 143. & 12. de Ciuit. c. 13. & de Ecclesiastic dogma. c. 62. & 1. de fide ad Petrum cap. 27. ait, Firmissimè tene, & nullatenus dubites, nullum Sanctorum Angelorum in deterius mutari posse.

3380 3. Conclusio. Tertia conclusio. Sicut intrinsecus est beato ratione status, & beatitudinis, quod non possit peccare in illo statu; quia habet rectitudinẽ voluntatis coniunctum: ita etiam ratione status, & intrinseca conditione beatitudinis est, quòd beatus non possit habere errorem in intellectu.

Prob. 1. Probatur. Quia beatitudo satiat omne desiderium, & excludit omne malum: Sed error est malum intellectus: ergo, &c. Neque etiam beati possunt habere iudicium opinatiuum. Quoniam opinatiuum iudicium importat assensum cum formidine: formido verò pugnat cum illo statu beatifico.

Secundò. Secundò, beatus est prudentissimus: ergo nunquam assentietur alicui parti absque eò, quod clarè, & euidẽter cognoscat id, quod iudicat esse verum: aliàs prudẽtissimus non esset.

Tertiò. Tertiò, beatus iudicat euidenter, se errare non posse: & cùm pertineat ad beatificum statum scire se non posse errare; sequitur, quod beatus id non ignorat. Et similiter sequitur, nullum beati iudicium posse esse erroneum. Quia beatus facit hanc consequentiam. Beatus non potest habere iudicium erroneum. at ego sum beatus. ergo errare non possum. Sicut ego iudico, quòd quantitas distinguitur à re quanta: ergo mihi est euidenter verum, quod quantitas distinguitur à re quanta.

3381 1. Obiectio. Pro parte negatiua prima dubitandi ratio sumitur ex illo Iob. 4. vbi loquens de Sanctis Angelis, ait, Ecce qui seruiunt ei non sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatem. Si igitur non sunt stabiles, ergo prolabi possunt; ac proinde peccare.

Respond. Respondetur fateor sermonem esse de Sanctis Angelis: vt patet ex contextu. Sed sensus est non esse stabiles ex natura sua, sed per gratiam Dei: vt exponit Greg. 5 Moral. c. 27. Et idem docet Hieron. super Iob. secundo potest intelligi hoc testimonium in communi de his, qui seruierunt ei in via. Et ad hoc confirmandum addit in angelis suis reperit prauitatem: Scilicet in viatoribus, non in beatis. Tandem angelus secundùm se consideratus, capax est peccati, & non est stabilis, sicut multorum lapsu fuit comprobatum: at per diuinam gratiam in eum gradũ translati fuerunt, in quo neque peccare possunt, neque velle peccare.

3382 2. Obiectio. Secunda ratio dubitandi est. Quoniam Origenes homil. 20. super Nu. credit angelos custodes in iudiciũ esse vocandos, vt appareat, an eorum culpa deliquerint homines, qui eis commissi sunt. Sed Angeli Custodes sunt Beati, nam vident faciem Patris, qui est in Cælis: ergo peccare possunt. Et homil. 13. super Lucam ait, quòd Angeli Custodes possunt negligenter se gerere circa hominum Custodiam.

Respondetur. Resp. Quòd sententia Orig. cauenda potius est, quàm explicanda. Credimus namque omnes angelos custodes, siuè bonorum, siuè malorum, beatos esse: Cùm dicat Saluator de angelis paruulorum, quod vident faciem Patris, qui in cælis est. Quare, potest quidem eis accrescere accidentale gaudium de salute commissorum, & non præmium essentiale, quia iam sunt in termino. Neque peccatum etiam leuissimum contrahere possint: quia repugnat statui. Quocirca non comparebunt in iudicio tanquam Rei iudicandi: Sed tanquam testes nostrarum operationum.

3383 3 Obiectio. Tertia ratio sumitur ex testimon. Hieron. in Michæam c. 6 circa verba illa: Contendet aduersus mõtes, vbi ait, per montes intelligi angelos Ecclesiarum, cum quibus futura est contentio, an rectè ministerium suũ peregerint. Sed Ecclesias Deus non commisit Angelis damnatis, sed beatis: ergo, &c.

3384 Respond. Resp. Quod cum Hierony. illud dicat, consentire videtur sententiæ Origenis. Nam, vt ipse testatur sæpè in comment. suis, aliorum potius explicat sententiam, quàm suam, nihilominùs tamen possumus intelligere locum illum de Angelis Ecclesiarum hoc est, de Episcopis: qui propter officij dignitatem, angeli vocantur: Quibus loquitur Io. in Apocal.

ARTICVLVS NONVS.

Vtrum Angeli Beati in beatitudine proficere possint.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Concl. Neg. Prob. Quælibet creatura rationalis ordinatur ad beatitudinẽ, & ad ipsam

ipsam dirigitur, tanquam ad aliquid determinatum, & vltimum; Quod est quidam gradus diuinæ visionis, determinatus ex diuina Prædestinatione; ergo consecuto illo gradu determinato modi diuinę visionis, ad quem ordinatur, non potest creatura in superiorem transire. Prima pars Antec. prob. quia Creatura rationalis mouetur à Deo ad beatitudinem, tãquam ad vltimum finẽ; cui repugnat infinitum. 2. Pars prob. quia beatitudo creata non est determinata ex parte obiecti; cùm obiectum sit infinitum; est ergo determinata secundùm modũ diuinæ Visionis.

Arg. 1. Charitas est principiũ merendi; sed in Angelis beatis est perfecta Charitas. ergo. Resp. ma. esse veram de charitate viæ, quæ est Charitas imperfecta. Non autem de Charitate perfecta, quę est in Angelis beatis.

Arg. 2. Si Angeli beati non possunt mereri, non esset verum, quòd Deus vteretur Angelis beatis ad eorum vtilitatem: quòd est contra id, quod dicit Aug. *in lib. de doctr. Christ.* ergo. Resp. aliquid dici vtile dupliciter. Vno modo, quod est in via ad finem: & sic vtile est meritum beatitudinis. Alio modo dicitur aliquid esse vtile, sicut Pars est vtilis ad totum; & hoc modo ministeria Angelorum beatorum sunt vtilia ipsis Angelis beatis, inquantum huiusmodi ministeria sunt quędam pars beatitudinis ipsorum.

Arg. 3. Quod nõ est in summo, potest proficere, aliàs esset imperfectum. Sed Angeli beati nõ sunt in sũmo. ergo. Resp. ad mi. Angelos beatos esse in sũmo beatitudinis, ad quam prædestinati sunt. Vnde ex virtute beatitudinis solùm accidentaliter possunt gaudere, & proficere propter salutẽ eorum, qui per eorum ministerium saluantur.

DISPVTATIO CCCXVIII.

3385 Nota 1. Quanta sit conclusionis D.Th. articulo, & probationis eius efficacia.

Sciendum est primò ex angelico nostro Doctore in 4. sent. dist. 12. qu. 2. art. 1. quæstiuncula secunda, *& est communis Theologorum doctrina, gloriam, siuè beatitudinem Sanctorum compręhendere Sanctorum præmium: & quemadmodum est duplex prẹmium, scilicet essentiale, quod est gaudium de diuinitate clarè visa, & accidentale, quod est gaudium de quocumque bono creato, ita duplex est Sanctorum gloria, siuè beatitudo, nimirum essentialis, & accidentalis. Consistit autem essentialis beatitudo in perfecta coniunctione animæ ad Deum, quatenus eo perfectè fruitur, vt viso, & amato perfectè: Accidentalis autem beatitudo in gaudio posita est de operibus à se, vel alijs factis, aut de quouis alio bono creato; pertinet enim hoc gaudiũ ad benè esse beatitudinis, & ad claritatem, & decentiã quandam ipsius; sicut etiam politica fœlicitas ornatur nobilitate, & corporis pulchritudine, & alijs similibus, sine quibus tamen esse potest, vt ait Arist.* in 1. Ethic. c. 8. & sequentibus. *Videndus est S.Th.* in 4. sent. dist. 49. q. 5. art. 1.

Nota 2. *Secundò notandum est ex D.Thoma de virtutibus in communi art. 1. ad 2. mereri dupliciter sumi; vno modo propriè, & sic nihil aliud est, quàm facere actionem aliquam, cui iustè merces debeatur; ad quod tria requiruntur, scilicet status viæ, dominium operis, & Charitas, vt notat Bergomas* in concord. num. 157. *Alio modo impropriè; & sic qualibet conditio, quę facit hominem aliquo modo dignum, meritum dicitur: quemadmodum si dicamus speciem Priami imperiũ meruisse, quia digna fuit imperio. Requiri autem ad rationem meriti propriè dicti statum viæ, satis apertè patet* ex supradictis articulis huius quæstionis. *Nec valet glossa Vasquez dicentis, statum viæ requiri, vt aliquis sibi, non tamen alteri mereatur; quia meritum propriè, ac strictè sumptum, rationem habet viæ ad finem, qui est præmium merenti per se primò debitum, siuè sit ab eo recipiendum in persona propria, siuè aliena; igitur, quicumque sibi, vel alteri meretur, ad terminum tendit, præmium scilicet acquirendum, vel in se, vel in altero recipiendum, ei autẽ, qui iam est in termino, non conuenit moueri ad terminum; igitur nullus in statu beatitudinis constitutus, qui non sit comprahensor, simul; & viator, potest sibi, vel alteri mereri.*

Cùm igitur ait, in hoc art. *Sanct. Doct.* ad 3. argumentum, nec Angelos Sanctos, nec aliquem alium beatum mereri posse, nec etiam præmium accidentale; *de merito propriè sumpto loquitur: cum autem* in 2. & 4. sent., *affirmat angelos per ministeria nobis exhibita mereri præmium accidentale, de merito sermo est impropriè sumpto; quia scilicet angelis, tanquã amicis, & commensalibus* Dei *congruit beatitudinis accidentalibus augmentum. Quod etiam hic significat in fine responsionis ad 3. in illis verbis:* Prædictũ .n. gaudium magis acquirunt ex virtute beatitudinis, quàm illud merentur. 3386 Nota 3.

Sed obseruandus est etiam attentè modus loquendi D.Thom. locis supra notatis; ex eo namque luce clarius apparebit, illum eandem vbique sententiam tenuisse. Verba D.Th. in 2. sent. dist. 5. qu. 2. art. 2. sunt: Vnde non videntur se posse compati, vt aliquis beatus in statu merendi existat, sed secundum quid potest sustineri, vt scilicet mereri intelligantur, nõ prẹmium essentiale, quod est eorum beatitudo, sed præmium accidentale, quod est gaudiũ de illis, qui per eorũ officia saluantur. In 4. verò sent. dist. 50. q. 2. art. 1. quæstiunc. 6. *sic loquitur:* Sed ante diem iudicij quidam dicunt, & beatos mereri, & damnatos demereri: sed hoc non potest esse respectu præmij essentialis, vel pęnę principalis, cũ quantũ ad hoc vsq; ad terminum peruenerint: potest tamen hoc esse respectu pmij accidentalis, vel pænæ secundariæ, q̃ potest augeri, vsq; in diem iudicij, & hoc præcipue in Dæmonibus, vel angelis bonis, quorũ officio aliqui trahũtur ad salutẽ, ex quo bonorũ angelorum gaudium crescit, vel damnationem ex quo crescit pæna Dæmonum. hæc ibi. Nota 4.

Quorum omnium verborum formam, si quis attẽtè consideret, facilè cognoscet, mentẽ D.Th. *non esse simpliciter affirmare, beatos angelos ante diẽ iudicij posse mereri prẹmium accidẽtale, propriè loquendo de merito, sed asserere tantũ, opinionẽ dicentem, angelos beatos ante iudicium præmium accidentale mereri, posse sustineri, tanquã probabilẽ; quod etiam asseruerat Sũmus Pontifex in allegato cap. cũ Marta: & idẽ significat hic ad 3. S.Th, non .n. reijcit opinionem illam, vt omninò falsã, & improbabilẽ, sed oppositam, ait, esse probabiliorem, quòd apertè significant illa verba:* sed melius est, vt dicatur, &c. *Vltima verò verba dictæ responsionis, videlicet,* Prædictũ gaudium magis acquirunt ex virtute beatitudinis, quàm illud mereãtur *meriti propriè dicti rationem excludunt, & meritum in eis minus propriè dictum admittunt, prout Bergomas author aureæ Tabulę subtiliter aduertisse videtur. Non fuit itaque mutata sententia, sed modus loquendi melior assumptus.* Nota 5.

Tertiò considerandum est, opinionem dicentẽ, Sanctorũ gloriã essentialẽ vsq; ad diẽ iudicij augeri, non solum esse temerariã, sed etiam erroneam, ob dicta sacrarũ litterarũ valdè perspicuè contrariũ significantia. Primum, idemque prẹcipuum illud est, quod hic affirmat Zumel, & post eum Vasquez ex 2. ad cor. 5. videlicet, Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siuè bonum, siuè malum; *Quibus vobis iuxta communem Sanctorũ* 3387 Nota 6.

exposi-

expositionem significatur, quemlibet hominem in die iudicij de ijs, tantùm operibus rationem esse reddìturum, quę gessit in corpore, & pro illis à Deo pręmia, vel supplicia recepturum, ac proinde pro bonis, aut malis operibus exercitis ab anima separata nihil illi pramij, supplicijuè deberi. Secundum est ad Gal. 6. Bonum autem facientes non deficiemus; tempore enim suo metemus non deficientes: ergo, dum tempus habemus operemur bonum ad omnes, &c.

3388 Nota 8.
Vbi D. Apostolus duo tempora distinguit: primum est tempus seminādi, idest operandi opera meritoria, & hoc significat esse tempus vitæ pręsentis, secundū est tempus metendi, idest fructum, siuè mercedem bonorum operum recipiendi, & hoc significat esse post mortem. Tertium dictam est Io. 9. Venit nox, quando nemo potest operari. *Noctem appellat mortem, postquam nemo potest operari opera meritoria. Quartū est Eccl. 9.* Quodcumque potest facere manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, neque sapientia, nec scientia erant apud inferos, quo tu properas. *Quorum verborum sensus est, in hac vita diligenter bonis operibus esse vacandum, quoniā apud inferos, idest in sepulchro, siuè post mortem, & in termino viæ, vt Patres communiter interpretantur, non est scientia, siuè sapientia, quæ proficere possit ad meritum: eadem autem est ratio de angelis, & hominibus,*

3389 Nota 9.
vt hic aduertit, & probat Zumel. Alia loca, & PP. testimonia lege, si placet apud Zumel, & Vazquez: Qui censuram approbans communem Theologorum dicentiam, opinionem dictæ veritati contrariam esse temerariam, & erroneam, nimis audacter affirmat, Innocentium tertium in dicto capitulo Cum Marta: de celebratione missarum §. vltimo *dictam opinionē, vt probabilem referre; quod est planè tàm falsum, quàm indignum Apostolicę Sedis auctoritate. Verba decretalis illius hęc sunt:* Quod in plerisque orationibus continetur, profit, vel proficiat huic Sancto, vel illi talis ablatio ad gloriam, & honorem, ita debet intelligi, vt ad hoc profit, quod magis, ac magis à fidelibus glorificetur in terris, licet plerique reputent non indignum Sanctorum gloriam vsque ad iudicium augmētari, & ideo Ecclesiam interim sanè posse augmentum glorificationis eorum optare. Quę verba exponunt Bannes, & Zumellus, & de gloria accidentali. *Sed Magister Porrecta nomen glorię primo loco positum de gloria intelligit essentiali, prohibet enim ibi Summus Pontifex orare pro Sancto, dicens, Sanctorum gloriam: scilicet essentialem nostris orationibus non augeri, sed apud fideles tantùm nomen eorum claritatem dilatari. Deinde verò, cùm refert opinionem dicentium, Sanctorum gloriam vsque ad iudicium augmentari de gloria accidentali vult intelligi.*

3399 Nota 10.
Sed ait Vasquez: decretalem illam de gloria non accidentali, sed essentiali tantùm loqui; quia certam est, gloriam accidentalem augeri vsque ad diem iudicij, neque id in opinione positum est. Innocentius autem refert prædictam sententiam, tanquam opinionē aliquorum, non tanquam certam doctrinam. Sed facilè confutatur hoc argumentum. Falsum est enim, sententiam illam vt aliquorum tantùm opinionem ibi referri, vt patet ex eo verbo, Plerique, quod magnam partem significat, Doctorum scilicet asserentiū, gloriam augeri, vsque ad iudicium. Ex quo sequitur sententiam illam non esse relatam, vt opinionem paucorum, sed vt communem Theologorū doctrinam, quæ tamen non habet fidei certitudinem. Verba enim illa Lucę 15. Gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pęnitentiam agente, *facilè possunt exponi, non de nouo glorię accidentalis augmento, sed de charitatis actu ab initio suæ glorificationis habito, quo de conuersione peccatorum eis ab initio in æternitate præsente, lętantur; ita vt existente deinceps in tempore conuersione peccatoris, sicut visioni beatificæ nulla fit accessio, ita nec vllum gaudij, siuè gloriæ accidentalis fiat augmentum, & ideò sapientissimè Summus Pontifex noluit sententiam illam, vt omninò certam, ac velati dogma fidei credendum proponere, sicut nec illam, vt falsam reiecit, sed eam, vt verè est, tanquam communem retulit Theologorum doctrinam.*

Hunc autem sensum esse legitimum, contextus ipse verborum illius decretalis indicat manifestè; cum enim exposuisset summus Pontifex verba illa; Profit, vel proficiat huic Sancto vel illi talis ablatio ad gloriam, & hoñorem *dicens intelligi debere, vt ad hoc profit, quòd magis, ac magis à fidelibus glorificetur in terris, quo sensu denotatur gloriam Sanctorum orationibus fidelium non augeri secundùm se, sed notitia, & æstimatione fidelium, seruatque sensu hic dictorum verborum veritatem, statim quasi obiectioni tacitè satisfacieas, aliam dictorū verborum sensum planiorem proponit dicens, plerosq; idest magnam partem Doctorum existimare non indignum, Sanctorum gloriam vsque ad iudicium augmentari, & ideò Ecclesiam posse augmentum glorificationis eorum optare, vt scilicet gloria, non in sola notitia, & æstimatione fidelium augeatur, sed etiam secundùm se: constat autem magnam partem Theologorum non asserere, beatorum gloriam essentialiter augeri, sed accidentaliter; igitur de hoc augumento glorię loquitur illa decretalis, vel ad minus de augumēto gloriæ secundum se, quodcumque sit illud; seu recensendo Doctorum sententias, & numerum solùm accidentalis gloriæ beatis tribuit augumentum, atque ita necesse est de hac communi sententia textum illum interpretari.* 3391 Nota 11.

QVÆSTIO LXIII. D. Th.

De Angelorum malitia, quo ad culpam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum malum culpæ possit esse in Angelis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COncl. Affirmatiua. Prob. Virtus operatiua, quę non est sua regula, potest secundùm se declinare à rectitudine actus: Sicut si manus artificis esset ipsa regula scissionis, nunquam posset Artifex, nisi rectè lignum scindere. Sed quia rectitudo scissionis est ab alia regula, ideò contingit scissionem esse rectam, & non rectam. At, nulla voluntas creata est sua regula, quia omnis voluntas creata regulatur à voluntate diuina, quę est vltimus finis. ergo.

Arg. 1. in his, quæ sunt in potentia, non posse esse malum culpę. ex Arist. *6. met.* quia subiectum priuationis est ens in potentia. Sed Angeli, cùm sint subsistentes, non sunt in potentia. ergo. Resp. min. esse veram in *Esse* naturali, est tamen in eis potentia secundùm intellectiuam partem, ad hoc, vt possit conuerti in hoc, & illud, & quantum ad hoc potest in eis esse malum.

Arg. 2. In corporibus Cælestibus non potest esse malum. ergo, Neque in Angelis, qui sunt digniores, quàm corpora cælestia. Resp. neg. conseq. quia Angeli, vt sunt perfectiores corporibus cęlestibus, non habēt malitiam in naturali operatione, sed quia habent aliam operationem nobiliorē, scil. liberam, in ipsa malum committere possunt,

Arg. 1. In his, qui semper Deum diligūt. non potest esse malum. Sed Angeli semper, Deum diligunt; ergo. Resp. ma. esse verā ne

his,

his, qui diligunt Deum, vt obiectum beatitudinis. Angelus autem diligit Deum, vt est principium naturalis Esse: prout autem est obiectum beatitudinis supernaturalis, diligit Deum amore gratuito, à quo potest auerti.

Arg. 4. Appetitus non est, nisi boni, vel apparentis boni. Sed appetitus Angelorū; non fertur nisi in verum bonum; quia vel in eis omninò error esse non potest; vel saltem non potest præcedere culpam. ergo. Respond. Quòd quis in appetendo verè bonum, potest peccare. Quando scilicet non appetit verè bonum, secundùm ordinem debitæ mensuræ, ita quod defectus inducens peccatum, sit solum ex parte electionis, & non ex parte rei, quæ eligitur: Sicut si quis eligeret orare, non attendens ordinem ab Ecclesia constitutum, & hoc modo Angelus peccauit, conuertendo se per liberum arbitrium ad proprium bonū, absque ordine ad regulam diuinæ voluntatis,

DISPVTATIO CCCXIX.

An dari possit creatura intellectualis libera ex sua natura impeccabilis.

3392 Conclusio. Prima Ratio.

Conclusio est negatiua ita D. Thomas, & communiter Thomistæ, Rationes autem D. Thom. sunt duæ. Prima: talis creatura libera est ex nihilo facta: ergo ex natura sua defectibilis, & peccabilis voluntate.

2. Ratio D.Th

Secunda: talis creatura non est per suam naturam, & intrinsecam rationem vniuersalis regula omnis boni, seu omnis bonæ operationis: ergo ab aliqua potest deficere. Ad quam rationem reducitur illa, quòd creatura non habet rationem omnis boni: ergo potest deficere ab aliquo bono, quia habere rationem omnis boni, & habere regulam vniuersalem omnis boni, seu omnis operationis idem est.

Vis primæ rationis D. Tho. ostenditur.

Vis primæ rationis, seu consequentia, quam Diuus Thomas ponit 24. de verit. art. 7. talis est: Natura, quæ est ex nihilo, est vertibilis, & mutabilis in nihilū quo ad esse: & sic habet potentialitatem, & non purum actum; ergo etiam eius operatio, quæ super tale esse fundatur, est mutabilis à sua perfectione in defectum. Probo consequentiam. Nullus maior defectus entis, & boni, quàm non esse: hoc enim totaliter, & contradictoriè opponitur ipsi esse, & ipsi perfectioni: ergo natura, quæ est capax summi defectus, & mutabilis, qualis est transitus ad non esse, quod est totaliter deficere, etiam erit capax defectus, & mutabilis in operando respectu boni finis, sicut natura est capax defectus, & mutationis in esse. Hæc consequentia probatur, quia potentia operatiua, & modus operandi sequitur modum essendi. ergo potentia operatiua libera fundata in natura mutabili, etiam inquantum operatiua liberè, mutabilis est: ergo non habet libertatem immutabilem, & firmatam in bono, sed potest mutari ab illo, mutari autem à bono est deficere: ergo hoc ipso, quòd libertas est mutabilis in ratione operationis liberæ, hoc ipso est defectibilis. Est autem mutabilis hoc ipso, quòd nascitur ex natura mutabili, & defectibili in nihilum: ergo hoc ipso, quòd aliqua creatura est ex nihilo, erit capax defectus, & peccati.

3393 Euasio. Contra Antecedens.

Dices: hanc rationem Diui Thomæ assumere antecedens impertinens, & inferre consequentiam illegitimam. Et quidem antecedens impertinens, quia creaturam esse factam ex nihilo, est idem, quòd esse creaturam, & sic ratio, quæ reducitur ad probandum, quòd creatura sit peccabilis, est quia creatura est creatura, quod est ineptam reddere rationem. Est autem consequentia illegitima, quia plùs infert, quàm continetur

Contra consequentiam D. Th.

in antecedente: ex eo enim, quod natura est defectibilis in esse, solum sequitur, quod eius operatio possit deficere in esse, quod certissimum est: sed quòd possit deficere moraliter stante esse entitatiuo operationis, non apparet quomodo ex tali antecedenti inferatur, cùm sit deficientia à fine, quæ non potest inferri ex deficientia ab esse.

2. Contra consequentiam.

Sicut licet corpora cælestia possint deficere in suo esse per annihilationem, & cessationem ab esse, non tamen sequitur, quòd possint deficere ex parte materiæ per modum corruptionis, nec infertur ex maiori deficientia per corruptionem: ergo neque per ipsum esse ex nihilo, quod infert defectum per annihilationem, infertur maior deficientia, quæ est deficientia moralis per peccatum.

3. Contra cōsequentiam.

Denique etiam Angelus beatus, vel confirmatus in gratia est ex nihilo, & tamen prout tales, sunt impeccabiles: ergo esse ex nihilo non est sufficiens radix, vt aliquid sit peccabile, aliàs quando non tolleretur ista radix non posset creatura reddi impeccabilis, non tollitur autem hoc, quod est esse ex nihilo per confirmationem in gratia, vel beatitudinem, & tamen redditur impeccabilis creatura per illam. Et hoc ideò est, quia esse ex nihilo solum opponitur ei, quòd esse à se, & ei, quod est habere infinitam perfectionem: esse autem impeccabilem non exigit infinitam perfectionem, sed sufficit determinatio voluntatis erga rectitudinem regulæ.

3395 Resp. Ad id contra antecedens.

Respondetur ad primam quod obijcitur contra antecedens, illud esse valde conducens ad hanc probationem, quia creaturam esse factam ex nihilo non est idem, quòd esse creaturam, sed est conditio annexa creaturæ, sicut creaturam esse limitatam, & esse causatam, & non esse actum purum, non est idem, quòd esse creaturam, sed sunt conditiones sine quibus nō est creatura, sicut non est ens, sine vero, & bono, non tamē est idem ens, quòd verum, & bonum. Sic ergo creatura dicit aliquid constans ex omnibus illis conditionibus, non tamen per quamlibet conditionem explicatur totus conceptus naturæ; sicut ens increatum habet multa attributa, nec tamen quolibet attributo explicatur totum, quòd est diuinitas; & sic benè potest assumi pro antecedenti, quòd creatura ex nihilo sit tāquam conditio quædam ad hoc, quod sit creatura, vt inferatur, quomodo habeat defectum, & mutabilitatē.

3396 Ad 1. contra consequentiā Resp.

Ad primum contra illationem consequentiæ, Resp. quòd ex deficientia in esse non solùm infertur defectibilitas operationis in essendo, sed etiam in attingentia finis, quæ est formalitas operationis, vt moralis est. Nam quòd operatio sit defectibilis in esse, non habet in quantum operatio, sed in quantum entitas est, quia ordo ad esse solùm conuenit alicui in quantum est ens. Vnde si ex eo, quòd natura habet deficientiam in esse, solùm infertur, quòd operatio habeat deficere in esse, idem diceretur in antecedente, quod in consequenti, siquidem creatura deficiens in esse, est creatura in quantum ens; & operatio deficiens in esse est etiam quædam natura in quantum ens. Quare ex deficientia creaturæ in essendo infertur deficientia operationis, etiam sub formalitate operationis, quia sub hac formalitate, operationis fundatur in ipso esse, & modus operandi sequitur modum essendi: ergo etiam in hac ratione formali operandi infertur mutabilitas, & potentialitas, & consequenter defectibilitas. Formalis autē ratio operationis, in quantū operatio, est attingentia obiecti, & finis, quia per ordinē ad obiectū, & finem specificatur actio, præsertim libera. ergo si in quantum libera hoc ipso, quòd est creata, & ex nihilo, est mutabilis, & defectibilis, etiam in attingentia obiecti, & finis, defectibilis erit, quia tota hæc attingentia, & modus operandi sequitur modū essendi, & fundatur in esse: ergo erit peccabilis, quia peccare est deficere à fine, & à rectitudine obiecti.

3397 Ad 2. contra consequentiā Respondetur.

Ad id verò, quod dicitur de corpore cælesti, quòd non infertur, quod sit defectibile ex parte materiæ, vel corruptionis ex eo quòd sit defectibile in esse, & quod ex maiori defectibilitate non infertur minor; Resp., quòd non infertur minor corruptibilitas ex maiori, quando vna non se habet consequenter ad aliam, ita quòd nō fundatur in illa, si autē in illa fūdatur, & consequitur, benè infertur ex illa. Deficiētia autē ex parte materiæ, & per modū corruptionis non infertur ex eo quòd cælū sit

in principijs naturalibus, vnde neque in practicis potest ferri in obiectum naturale, nisi, vt contentū in suis principijs,& secundum, quod continetur in lege naturali,& in principijs synderesis.

3403 *Si contra legē naturalem peccaret quis, debet incipere errorem ab intellectu.*

Si autem contra legem naturalem peccaret, immediatè deberet incipere auersionem, & errorem practicum in intellectu ab ipsa lege naturali, & ab eius principijs, quòd stare non potest, cùm naturalis cognitio in Angelis deficere, & errare non possit magis, quàm in nobis ipsa cognitio principiorum non potest deficere, Angelus autem omnia naturalia cognoscit in suis principijs, quia per comprehensionem illa attingit, & sine discursu, & consequenter in inspectione principiorum; & sic non potest accidere defectus incipiendo à naturali cognitione. At vero lex alia supernaturalis non cognoscitur ab Angelo sic, quod nō possit ab ea auertere aspectum,& errorem pati practicum, seu inconsiderationem circa eam; & sic potest circa illam deficere, & ex consequenti circa ea etiam, quę naturali lege dictantur, quatenus deseruiunt supernaturalibus principijs, à quibus auertitur. Sed de hoc statim amplius dicemus.

3404 *2. Confir. Præcluditur. quia voluntas creata, cùm non sit sua regula, regulatur per legem alicuius.*

Ad secundum Respondetur, quòd si voluntas creata non est sua regula, & ideo, quia regulatur per regulam,& legem alicuius superioris, necesse est, quod se non sit determinata ad talem regulam, neque essentialiter, quasi sit ipsa essentia legis, neque virtualiter, quasi ab illa dimanet, vt propria passio ipsa adhæsio,& determinatio ad regulam, sed oportet, quod imprimatur sibi talis determinatio, & adhæsio ab ipso superiori ferente legem, vel à Deo authore naturæ per naturalem legis notitiam, & principiorum eius, sicut dicit Psalm. 4. *Signatum est lumen vultus tui Domine super nos*, & Roman. 2. *Ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*: vel ista adhæsio, & determinatio ad legem est à Deo authore supernaturali, qui sicut legem ipsam, & regulam supernaturalem manifestat, ita potest sua protectione, & beneficio gratiæ confirmare, ne voluntas creata deflectat à lege. Hoc secundo modo potest confirmari voluntas, & reddi impeccabilis circa legem supernaturalem, seu beneficio gratiæ, non ex sua natura. Et respectu huius non procedit argumētum, quia cùm lex illa non solùm superioris sit, sed etiam sit supernaturalis, non potest esse naturaliter determinata voluntas creata ad illam, & consequenter benè colligit Diu. Thomas, quod si voluntas creata non est sua regula, sed debet expectare regulam à voluntate superioris positam, quod totum expresśit Sāctus Tho. *in art. 1. huius qu. 63.*, necesse est, quòd circa aliquam regulam non sit ex natura sua determinata talis voluntas, & sic ex natura sua possit ab illa deficere, licet ex beneficio,& gratia ipsius superioris possit ei adhærere immobiliter.

3405 *Quomodo operatur voluntas angeli circa legem naturalē, & determinetur.*

Primò autem modo fit determinatio circa legē naturalem, quandiu operatur natura angeli intra limites naturæ, iuxta modum sibi connaturalem, idest, vtendo principijs naturalibus iuxta modum, quo ea intelligit, scilicet plene, & comprehensiuè, & sine errore; & sic voluntas ex defectu erroris practici in intellectu sic procedente, nō potest peccare. Vnde non remanet probandum in hac ratione Diui Thomæ, quòd non possit habere voluntas creata infallibiliter, & necessario adiunctam sibi regulam, sicut habet prima principia, quia respectu regulæ supernaturalis, vel positiua lege extraordinaria imposita à superiori, non habet in se voluntas creata sufficientia principia, vt immobiliter inhæreat tali legi, quia hoc ipso, quod ipsa sibi nō est lex, sed à voluntate libera superioris venit, non potest ex sua natura necessariò determinari ad illam. Respectu vero naturalis legis determinationē habet, & necessario habet adiunctam regulam benè operandi, quandiu connaturali modo procedit, vt statim dicemus in dubio sequenti; Sed hoc non facit angelum simpliciter impeccabilem, & pro omni statu, & respectu omnis regulæ, sed solùm pro aliquo statu particulari.

DVBIVM II.

An angelus intra limites ordinis naturalis præcisè consideratus, peccare poterit.

3406 *Conclusio.*

Conclusio. Angelus intra limites ordinis naturalis consideratus,& in ordine ad finem naturalem tantùm sub hac ratione præcisè, nisi alius ordo, seu habitudo, addatur peccare non potest ita communiter Thomistæ.

Nota 1. quòd finis naturalis, & Regula actionum liberarum, est De⁹.

Pro explicatione autem huius conclusionis, notandum est, quòd finis naturalis,& regula actionū liberarum est Deus, vt naturaliter cognitus, & diligibilis super omnia, quia naturale principium practicum est, Deum, qui est summum,& primū omnium principium, esse ab omni creatura colendū, & amādum, quia summum principium est, Ex quo per consequentiam deducitur euidentem, quod omnia eius præcepta implenda sunt,& omnia creata diligenda sunt propter ipsum,& ordinanda in ipsum, quod pertinet ad electionem, seu ad rectificationem actuum, qui versantur circa media. Hęc omnia in genere ordinis naturalis tantùm cognita,& amata, regulare dicuntur actiones Angeli in ordine naturali, seu intra limites naturæ tantùm. Quando autem angelus eleuatur ad ordinem supernaturalem, non solum cognoscit Deum altiori modo,& per diuersos effectus, quàm per naturales, sed etiam in modo cognoscendi, & amandi aliter se habet, quàm circa naturalia,& ex parte rei cognitæ,& amatæ, qui est Deus, at author supernaturalis, ita tendit in ipsum, quòd ei subijcit omnia, quæ pertinent ad ordinem naturalem, tali nexu,& subordinatione, quod si decidit, seu auertitur à Deo supernaturaliter cognito, & authore supernaturali, non possit integrè se habere, & manere respectu Dei authoris naturalis, sed debet etiam auerti ex consequenti,& indirectè.

3407 *Nota 2. quomodo angelus procedat circa Deū Authorē naturalē, & supra naturalem.*

Quòd ergo diuerso modo procedat circa Deum authorem naturalem,& per principia naturalia cognitum, atque Deum authorem supernaturalem, in eo stat, quod circa principia naturalia,& Deū naturaliter cognitū præcisè, nō solùm procedit angelus sine discursu, quia simplici intuitu, sed etiā cū plena comprehensione, quia veritas illa naturalis sibi plenè est proportionata sine vllo defectu,& cognita,& multò melius, quàm qualibet veritas supernaturalis, quam in via obscurè cognoscebat vtpotè per fidē, non euidēter, sicut res naturales. Vnde sequitur, quod respectu rerum euidenter cognitarum,& cum comprehensione non poterat Angelus inuenire defectū speculatiuū in his, quæ tanquam principia speculatiua proponebantur, neque circa principia, neq; circa conclusiones, quia tàm illa, quā istas eodē simplici lumine intuebatur, scilicet ex comprehensione principiorū. Circa principia autē practica similiter nō poterat angelus defectū habere, incipiendo ab illis,& vtendo ipsis, quia cū plena,& perfecta, atq; euidenti luce ipsa cōprehenderit, & sic visis principijs, quæ sunt fines, statim videt media, tàm indefectibiliter, quàm principia, quia plena cōprehensio ipsa principia attingit, cōprehēsio autem non permittit deficere ab aliquo, quia nihil latet videntem. At vero in supernaturalib⁹, cū procedat obscurè, licet simplici modo procedat, id est, vno actu attingens totū, quod potest in re illa; Siquidem hic est modus procedendi in intellectu angeli, qui discursiuus nō est, sicut oculus obscurè aliquādo videt,& non discursiuè, tamen nō plenè, & clarè attingit, sicq; non conuincitur plenè mens, dū per fidem ambulat: potest ergo ex vi talis luminis pcedēdo auerti,& nō cōsiderare, atq; defectuosè pced. re, quia nō plena cōprehēsione at id cogitur.

3408 *Nota 3. Quare angelus à fine supernaturali, sit auersus.*

Quod vero in eleuatione ad supernaturalia, ita cōnexa sint ista obiecta,& ordinatio in vtrūq; finē supernaturalem,& naturalem, quod si auertatur ab vno, auertatur ab alio ex eo constat, quòd si auertitur à fine supernaturali, hoc ipso non amat Deum super omnia ergo non subijcit illi omnia: ergo nec etiam in ipsa naturali dilectione illi perfectè subijcitur, q̃a naturalis dilectio etsi directè solū tēdat in

naturalem finem, tamen etiam petit, vt non repugnet voluntas supernaturali ordini, quòd si renuit ei subijci, non potest perfectam subiectionem in naturalibus retinere. Vnde non potest aliquis à supernaturalibus cadere, quin etiam in naturalibus vulneretur, nec aliquod peccatum est contra supernaturalia, quin etiam sit contra naturam, vt tradi solet 1.2. qu. 7. art. 2. quia non potest peccatum esse, nisi sit contra ordinem rationis, & dispositionem naturę, quia etiam in ordine ad supernaturalia ratio dictat, vt illis non repugnet, neque aufratur, quia bonum est naturę sic eleuari ad supernaturalem finem. Quare non stat deficere à supernaturalibus, & quoad finem naturalem, & principia practica manere integrum, esto in speculatiuis manserint omnia integra in Dæmonibus.

3409 *Nota 4. Quòd angelus in prioris naturalibus, consideratur, potest dupliciter procedere.*

Denique notandum est, quod angelus circa finem naturalem, & in puris naturalibus consideratur potest dupliciter procedere, scilicet connaturaliter, & iuxta modum, quem natura ipsa secundùm se postulat, aut non connaturaliter, nec iuxta modum, quem de se postulat natura, sed præter illū. Nam connaturalis modus angeli est, vt in naturalibus veritatibus, siue practicis, siuè speculatiuis procedat cum plena, & euidenti comprehensione, quia perfectus intellectus est, & in actu, non in potentia respectu naturalium. Preter naturalem autem modum procederet, si Deus ei denegaret istam perfectionem, & comprehensionem debitam, & imperfectè, atque in euidenter attingeret finem naturalem, & principia, atque conclusiones, seu media practica, sicut si homini non concederet Deus, vt euidenter cognosceret ipsa prima principia speculatiua, vel practica, non connaturaliter se haberet natura rationalis. Tantundem ergo sequeretur si angelus non euidenter, & indefectibiliter attingeret conclusiones, & media practica, quia per se, & euidenter, seu comprehensiuè attingit media, & fines, conclusiones, & principia.

3410 *Concl. constat Authoritate D. Th.*

Est autem hęc conclusio D. Thomę, quia expressè eam tradit *in quęstione 16. de malo art. 3 Quidquid,* inquit, *aliud dici potest, quod ad ordinem naturę pertineat, in hoc eius malum consistere non potuit: malum n. non inuenitur in his, quę sunt semper actu, sed solùm in his, in quibus potentia potest separari ab actu, vt dicit 9. metaph angeli autem omnes sic conditi sunt, vt quicquid pertinet ad naturalem perfectionem eorum, statim à principio suę creationis habuerint: tamen erant in potentia ad supernaturalia bona, quę per Dei gratiam consequi poterant. Vnde relinquitur, quòd peccatum Diaboli non fuerit in aliquod, quod pertinet ad ordinem naturalem, sed secundum aliquid supernaturale.*

3411 *Docet D. Tho. quòd angelis intuentur omnes conclusiones in ipso principio.*

Latiùs hoc fundamentum extendit idem Sanctus Doctor *in eodem loco art. 5.* Vbi inquit: *Angeli in ipsis principijs intuentur omnes conclusiones, quę ad naturalem eorum cognitionem pertinent. Et ideò sicut immobiliter nos habemus in cognitione primorum principiorum, ita intellectus eorum immobiliter se habet circa omnia, quę naturaliter cognoscit. Et quia voluntas proportionatur intellectui, consequens est, quòd etiam voluntas eorum naturaliter sit immutabilis circa ea, quę ad ordinem naturę pertinent. Verum est autem, quòd sunt in potentia respectu motus in supernaturalia, siuè per conuersionem, siue per auersionem. Vnde hæc sola mutatio in eis esse potest, vt de gradu naturę ipsorum moueantur in id, quod est supra naturam conuertendo se, vel auertendo: Sed quia omne, quod aduenit alicui, aduenit ei secundum modum suę naturę, consequens est, vt immobiliter Angeli perseuerent, vel in conuersione respectu supernaturalis boni.* Sic D. Th.

3412 *Ex D. Th patet Angelos non potuisse peccare in primo instanti.*

Vbi clarè patet, quòd cum in sententia D. Thomæ sit omninò constans, Angelos non potuisse peccare in primo instanti ex eo, quod erant in illo instanti incapaces dictaminis defectuosi, ex eodē fundamento debere deduci, quòd non possunt per se primò, & directè peccare contra naturalem rectitudinem, quia in naturalibus non sunt capaces dictaminis defectuosi; nec potuit vna sententia sine alia rectè defendi. Vnde D. Thom. etiam *in hac 1. p. q. 63. a. 1.* confirmat hanc sententiam, quòd non possit peccare angelus contra ordinem naturalem. Nam *in solutione ad 2.* dicit, quòd *in actione naturali angeli non potest esse malum in ordinatione, benè tamen secundùm actionem liberi arbitrij:* Statim vero *solutione ad 3.* addit, quòd *naturale est Angelo, quòd conuertatur in Deum, secundùm quod est principium naturalis esse: sed quòd conuertatur in ipsum, secundùm quod est obiectum beatitudinis supernaturalis, hoc est amore gratuito, à quo auersi potuit peccando.* Vbi clarè Sanctus Thomas agnoscit peccatum in Angelo solùm respectu conuersionis in Deum, vt est obiectum beatitudinis supernaturalis. Sistendo ergo intra naturalis ordinis limites, & sine respectu ad supernaturalia, vel præternaturalia, non est in angelis principium operādi malum.

Et fundamentum huius non est aliud, quàm illud, quod positum est à D. Thom. quia angelus consideratus solum in puris naturalibus, & sine ordine ad legem, vel finem supernaturalem, non potest habere operando connaturaliter ad modum suæ naturæ, defectuosum dictamen rationis: ergo non potest, prout sic peccare. Consequentia patet: quia defectus moralis in voluntate non potest oriri nisi ex defectu dictaminis regulantis, seu applicantis ex parte intellectus, quia cùm actus voluntatis sit regulatus, & in sua regulatione, imò, & in sua eficientia omnino depēdeat ab intellectu, quia nihil volitum, quia præcognitum impossibile est concipere in voluntate motum, seu actum deficiētem in regulatione passiua, nisi sit defectus ex parte regulationis cognitæ, & per intellectum propositę, quæ est regulatio actiua. Potest quidem voluntas propositum sibi obiectum bonum, & regulam repellere, sed hoc erit ex propositione talis repulsæ, quæ per intellectum efficaciùs proponatur, & hoc ipsum defectuosum est, & defectus applicationis regulæ. Quare sicut repugnat voluntatem ferri in aliquid nisi cognitum, ita repugnat ferri in aliquid defectuosè, nisi defectuosè cognitum, aut propositum, & hoc est, quod communiter dicitur, quod omnis peccans est errans, scilicet practicè. Anteced. vero probatur: Nam defectus dictaminis solum ex duplici capite potest oriri: aut quia regula ipsa per quam actus dirigendus est non plene consideratur, nec applicatur secundùm se, ad omnia regulabilia, aut quia aliquid contrarium ipsi regulæ accipitur, vt conuenientiùs sibi, regula verò rationis, & naturalis lex abominatur, & odio habetur, aut omittitur.

Ratio Conclusionis est, quia Angelus consideratus in ordine naturali, non potest habere dictamen defectuosum. 3413

Hoc secundo modo non potest angelus per se, & directè legem ipsam, & regulam sui abijcere, & odio habere, aut omittere, quia regula illa, & lex est ipsum bonum naturæ eius, quod amatur necessario quoad specificationem per se loquendo, & ex vi ipsius naturalis boni: ergo non potest odio haberi per se loquendo, ita quod incipiat voluntas ab ipso odio naturalis boni, sed solum per accidens poterit odio haberi, quo consideratur aliquis effectus, ratione cuius displicet voluntati etiam propriū esse, vel bonum naturæ, vt si aliquis propter pęnas quas sustinet, vellet non esse, aut Deum odio habeat, ex quo consequenter non vult ipsum amare, vt finem naturalem: ergo per se, & directè non potest cōtra legem naturalē agere ex odio, & abiectione ipsius, siquidem illud bonum naturale amatur necessario quoad specificationem. Secus est in homine, quia cum sit compositus ex natura sensitiua, & rationali habet etiam duplex bonum proprium in quod possit ferri intra limites proprij boni, scilicet bonum spirituale, & bonum sensibile, & potest bonum sensibile amare tanquam proprium bonum etiam relinquendo ipsum bonum rationis, & tamen in statu innocentię, in quo bonum sensibile erat totaliter subiectum regulæ rationis non poterat circa ipsum incipere peccatum quousque pars superior rationis auerteretur à Deo. Nec

Angelus quando non potest abijcere suam legem, ac Regulam suā, & odio habere. 3414

3415 *Non potest Deus ipse, vt bonum naturale est, & vt proponit regulam rationis odio haberi.*

Nec potest Deus ipse vt bonum naturale est, & vt regulam rationis proponit immediatè, inquantū talis odio haberi, quousque in aliquo effectu præter effectus naturales repręsentetur aliquid, ratione cuius per accidens odio habeatur Deus, vel ipsum bonum naturale. Quandiù autem consideratur ipsa natura, & effectus eius naturalis, nihil est ibi, quod non pertineat ad Deum auctorem naturæ, & ad bonum naturale ipsius angeli. Et sic totum hoc diligitur sub regula rationis, & sub ratione legis naturalis. *At* verò ptimò modo, scilicet ex indebita consideratione legis naturalis, seu ex omissione aliqua circa cognitionem eius, non potest angelus peccare contra illam, quia quicquid pertinet ad legem naturalem, & ad bonum rationis angelus comprǽhensiuè cognoscit, quia cognoscit illud in cognitione suæ propriæ naturæ, quam compręhendit, & semper habet, vt præsentem, nec ab illa potest auertere aspectum, cùm sit primum, & immediatum cognitū, & obiectum formale sui, connaturaliter loquendo: ergò ibi comprǽhensiuè cognoscit legem naturalem, quę adipsā pertinet naturam; comprǽhendo autem eam, videt principia legis naturalis, & conclusionis, quæ ex talibus principijs practicè deducuntur, siquidem eodem pacto tangit conclusiones, sicut principia, & tàm adhæret his, quàm illis, hoc ipso, quod comprǽhensiuè procedit.

Instabis.

Dices. Cur non poterit angelus videndo legem naturalem, & bonum rationis, non quidem absolutè odisse illam, sed comparatiuè, quia scilicet aliquod bonum proprium, v. g. excellentia propria, aut modus cognoscendi, similesque perfectiones angelicę amantur, plusquàm lex naturalis permittit, idest, non ex subiectione ad Deum authorem naturalem, & ad eius legem, aut etiam odio habendo alterum angelum: licet enim bonum proprium vnusquisque amet quoad specificationē necessariò, non tamen bonum alienum, neque alterum angelum, saltem quoad id, in quo differt vnus angelus ab alio vt docet *S. Th. sup. quæst. 60. art. 4.*

3416 *Resp. omnia, quæ obijciuntur, non posse Angelo proponi nisi in aliquibus principijs.*

Resp non posse proponi omnia ista angelo contra legem naturalem, vt sequenda, nisi in aliquibus principijs, in quibus sibi repræsentetur, vt bonum id, quod est contra legem naturalem, quia connaturale est ange'o omnia quæ ad naturam spectant in suis principijs, causisque cognoscere quia comprǽhensiuè procedit. Hoc autem stando intra limites ordinis naturalis fieri nō potest, quia angelus omnia, quæ naturalis ordinis sunt compręhensiuè cognoscit, tàm speculatiua, quàm practica, & in nullo principio naturali potest repræsentari, & cognosci aliquid, vt sequendum contra legem naturalem. Vnde propria excellentia, & ea, quæ ad propriam excellentiam, pertinent, non possunt repræsentari, vt immediatè contra ipsam legem naturalem diligibilia, quia lex naturalis ita immobiliter, & adhærenter repræsentatur ange'o, sicut ipsa excellentia propria, & vnum ex contentis sub ipsa regula est ipsa propria excellentia. vt conuenienter diligenda, & cū subiectione ad suū principium: ergo cùm angelus procedat per comprǽhensionem speculatiuam, & practicam ipsius regulę, & legis naturalis, oportet, quod ex vi talis compręhensionis ita immobiliter ad hæreat ipsis principijs vniuersalibus legis naturalis, quòd etiam omnibus contentis sub illa, quorum vnum est excellentia propria eadem immobilitate adhæreat, siquidem eodē modo angelus adhæret principijs, & conclusionibus tàm in practicis, quam in speculatiuis.

3417 *Si Angelus adhęre at immobiliter excellentię propriæ, non potest illi adhęrere contra legem.*

Si autem immobiliter adhæret excellentię propriæ, vt contentę sub lege, non potest adhęrere illi contra legem, nisi sub alijs principijs, vel sub alia lege ponatur, propter quam relinquendam, vel sequendam excellentia naturalis, etiam contra propriam naturalem regulam, ametur. Hoc autem iam est ponere Angelum extra limites puræ naturales, quo casu nos non loquimur in pręsenti. Quod si ipsa excellentia accipiatur, vt primum principium, & regula diligenda; & sic subtrahatur à regula rationis, sub qua continetur ex vi naturalium principiorum, hoc stare non potest, nisi mutando connaturalem modum procedendi in Angelo, quia si ex naturali cognitione comprehensiua, & perfecta cognoscitur excellentia propria, non vt prima regula, & principium, sed vt contētum sub vniuersali principio, & per modum boni particularis sub fine, non potest Angelus intra limites naturalis ordinis accipere illam, vt principium, nisi immutet ordinem cognoscendi naturalem, itaut ex conclusionibus faciat principia, & sic comprǽhensiuè non procedat, quod est proprium cognitionis imperfectæ discurrentis, & fluctuantis modò ab vno, modo ab alio, quod *Angelo* connaturale non est, sed contra eius naturam. Si tamē noua, & extrinseca lex ponatur angelo, quæ connaturalis non sit, cui subijciatur propria excellentia, poterit id renuere, & tunc indirectè etiam subtrahet illam à propriæ regulæ subiectione, & faciet quasi principium deordinationis propriam excellentiam, vt iam dicemus.

3418 *Angelus ex vi legis naturalis, diliget proximum, sicut seipsum, eodem modo.*

Quod attinet ad dilectionem proximi, dicimus, quod eodem modo angelus diligit eum ex vi legis naturalis, sicut seipsum, licet ordine quodam seipsū diligat, & alium, quia principaliùs diligit se, & necessario quoad specificationem, alium autem à se diligit non necessario quoad specificationem, sed diligit illum naturali dilectione, sicut se, inquantū secum conuenit in ratione generica, vel specifica, vt dicit S. T. *supra quæst 60. art. 4* in quantum autem differt à se, diligit illum, non dilectione naturali, sed electiua; & quantum ad dilectionem naturalem, dicit ibi Sanctus Doctor *ad* 3. quod nō potest remoueri in Angelis, nec in Dæmonibus remouetur: nec enim habent odio alios Angelos, quantum ad id, in quo cōmmunicant cum eis in natura, sed quantum ad dilectionem electiuam, & quantum ad id, in quo differunt *Angeli* inter se, possunt eos habere odio. Ceterùm illud odium non potest per se, & directè incipere ex puro motiuo naturali, & stante *Angelo* in puris naturalibus, quia dilectio alterius *Angeli*, vel hominis, etiam in eo, in quo differunt, repræsentatur *Angelo*, vt conueniens, tanquam id contentum in lege natura'i, quia est vnum ex pręceptis naturalibus diligere alterum, sicut se.

3419 *Ex merit Obiecti potest Angelus non diligere alterum, quia non est necessitatus circa bonum alienum*

Vnde licet ex meritis obiecti possit Angelum non diligere alterum, quia non est necessitatus, quoad specificationem circa bonum alienum, sicut circa proprium, tamen in quantum illud bonum dilectionis alterius *Angeli* continetur sub principijs vniuersalibus legis naturalis, & Angelus connaturali modo procedit eadem immobilitate, & comprǽhensione circa finem, & circa media, circa principia, circa conclusiones, prout sic, non potest odio habere alterum Angelum, quia non potest egredi à limitibus illius regulæ, & legis naturalis, quandiu intra limites ordinis naturalis operatur connaturali modo, idest, comprǽhensiua, & perfecta cognitione procedens, sicut exigit natura sua; bene tamen si supponitur alteri legi illud bonum dilectionis alterius Angeli, cui legi si nolit se subordinare, poterit ex aliquibus effectibus, qui sibi contrarij, aut differentes videntur, alium *Angelum* odio habere, etiam non seruando legem naturalem, vt mox amplius explicabitur.

3420 Petes 1.

Petes 1. *An ex eo, quòd angelus in pura natura est liber libertate contradictionis, & contrarietatis, potuerit peccare?*

Resp. Angelū pro illo statu nō habere libertatem contrarietatis ad peccandum contra finem naturalē.

Resp. *Angelū* per illo statu non habere libertatē contrarietatis ad peccandum contra illum finem naturalem, sic solitariè sumptum, licet semper habeat ab intrinseco libertatem ad peccandum cōtra eundem finem, non solitariè, & seorsum acceptum in puro ordine naturali, sed vt coniunctum, seù subiectum fini supernaturali, vt explicatum est.

Remanet

aliquo fine sub quo continetur. Non à naturali immediatè, quia ex illo incipit actum suum: ergo à supernaturali; & si iste non datur, non deficit. Et sic oporteat, quòd incipiat hoc peccatum angeli ab aliquo defectu circa finem, & circa modum cõnaturalem operandi.

3426 *Hic defectus optimè cernitur, quando interuenit ordo ad finem supernaturalem.*

Qui quidem defectus optimè cernitur, quando interuenit ordo ad finem supernaturalem, cui angelus renuit se subijcere: tunc enim sub tali defectu à tali fine deficit à connaturali, & proprio modo operandi, vt supra diximus, potestque accipere propriam excellentiam, vt finem ad quem conuertatur, quia iam finis naturalis, qui est Deus, vt author naturæ non plenè, & perfectè attingitur, hoc ipso, quod renuit angelus se subijcere fini supernaturali. Non tamen hoc contingit, si renuat se subijcere præcepto positiuo circa aliquod medium subordinatum fini naturali, quia cum Angelus nũquam operetur, nisi incipiendo à principijs, & à fine, siuè per subiectionem, siuè per auersionem propter perfectissimum modum intellectualem, quem habet in operando; ideò non potest renuere hoc præceptum particulare, quod de se est contentum sub amore finis vltimi naturalis, nisi incipiat hanc renuentiam ab ipso fine. Et cùm supponatur non esse alius finis, quàm naturalis, & circa illum est necessitatus quoad specificationem, quia bonũ naturę est, non potest intra limites puræ naturę procedens, & modo connaturali, idest incipiendo à principijs ad conclusiones, & à fine ad media renuere subiectionem illam ad tale pręceptum positiuum magis, quàm ad alia pręcepta naturalia, quę versantur circa media contenta sub illo fine naturali.

DVBIVM III.

An Angelus de facto peccando directè contra finem supernaturalem, etiam contra legem naturalem peccauerit.

3427 *Conclusio. Angelus peccando contra finem supernaturalem, etiam contra naturalem peccauit.*

Conclusio. *Angelus* peccando de facto directè contra finem, ac legem supernaturalem, etiam contra legem naturalem, quæ à supernaturali supponitur, peccare potest, ita plures Thomistæ videantur NN. PP. Salmáticenses *hic tract. 7. disp. 8. dub 3. & 3.* Prob. Concl. tum ex eisdem locis D.Th. vbi admittit peccatum posse esse in angelis ex ordine ad ea, quæ supernaturalia sunt, seu in ordine ad legem supernaturalem; tùm quia *supra q. 60. art. 5. ad 5.* docet, quòd *Illi, qui non vident Deum, possunt ex aliquibus effectibus, qui eorum voluntati contrariantur, Deum odio habere*, quod vtique contra naturalem legem est; tum quia, vt dicit infrà Sanctus Thomas q. 64. art. 2. ad 5. *Omnis actus Dæmonis ex voluntate deliberata procedens, est malus, actus autem naturalis bonus esse potest, & tamen tali bono actu abutuntur ad malum*: tum denique, quia omnia peccata secundùm reatum esse in Dæmonibus, quatenus homines ad ea incitant, docet ipse Sanctus Doctor *in hac q. 63. a. 2.* inter quæ sunt multa contra ordinem, legemque naturalem.

3428 *Ratio. Quia non potest aliqua voluntas renuerè subiectionẽ ad regulam supernaturalẽ, nisi indirectè deficiat naturali.*

Ratio autem à priori huius est, quia non potest aliqua voluntas renuere subiectionem ad regulam supernaturalem, nisi ex consequenti, & indirectè à naturali regula se auertat; tum quia licèt naturalis regula non dictet de supernaturalibus aliquid, dictat autem subijciendam esse hanc regulam regulæ illi superiori, & non esse abijciendam, sicut lex *Prætoris* dictat subijciendam esse sententiam suam, & iudicium, Iudicio Imperatoris, vel Regis: Vnde sicut non stat, quod aliquis rectè velit parere iudicio *Prætoris*, & nolit subijci iudicio, & legi Regis, ita non stat, quod aliquis integrè, & rectè se habeat secundùm legem naturalem, si renuit subijci regulæ supernaturali, sed hoc ipso manet mancus, & non rectus circa naturalem legem, quia læditur naturalis lex in eo, quod dictat, subijci debere superiori: hoc enim bonum naturæ, est eleuari ad superius. Si ergo ex parte læditur lex naturalis, hoc ipso angelus mutat connaturalem modum procedendi practicè, & in aliquibus etiam speculatiuè, non quidem respectu eorum, quæ naturaliter cognoscit speculatiuè, hæc enim integra manent in Angelo, quia simplex est eius lumen, modusque cognoscendi, sed in quantum abutitur ad iudicandũ etiam de his, quæ naturaliter nota non sunt lumine suo: vult enim præsumptuosè præcipitare iudicium, aut de interioribus cogitationibus plus iudicando, aut de rebus supernaturalibus, vt docet S. Thomas *sup. q. 58. a. 5. & q. 16 de malo a. 6.* In parte autem effectiua, seu practica etiam iudicat appetendum aliquando id, quod appetendum non est.

3429 *Angelus peccãdo non retinet in operando, modum connaturalem suum.*

Et hoc totum inde prouenit, quòd angelus peccans non retinet in operando modum connaturalem suum, nec intra illum, se vult continere. Modus autem connaturalis est, vt procedat semper indiuisibili modo, & compręhensiuo, & intra illum se contineat. Si enim hoc obseruaret angelus, vtiq; non peccaret: videret enim, quod naturalis lex in omnibus obseruanda est, & ad omnia se deberet extendere in ipsis principijs, attingens per intellectum, & voluntatem omnia in eis contenta. Vnũ autem ex contentis est dictamen illud legis naturalis, quod cuicumque regulæ superiori debet subijci, etiam supernaturali. Vnde si Diabolus ab hac lege se subtrahit, iam non indiuisibiliter, nec vnitè, & compræhensiuè omnia, quæ sunt contenta sub lege naturali, amplectitur. Sed hoc non est incipiendo rumpere hanc indiuisibilitatem ab ipsa lege naturali absolutè sumpta, & contra eam agendo, sed comparatiuè, seu respectiuè ad legem superiorem, cui non vult subijci, & in hoc etiam legem naturalem rumpit. Vnde hoc ipso distemperatur, & accipit pro principio, cui inhæreat, suam propriã excellentiam, quæ erat contenta antea sub regula naturali, non vt principium, sed vt medium, seu cõclusio, & consequenter facit contra regulam naturalem, & deordinat omnia, faciens finem sibi vltimum ex illo, quod se habebat, vt medium, & cùm in omnibus nolit se subijcere regulæ supernaturali, in omnibus recedit ex consequenti à regula finis naturalis, quia mutat connaturalem modum operandi cõpræhensiuè, & indiuisibiliter ex vi principiorũ naturaliũ, sed pcedit diuidẽdo illa, quia non tendit in finem naturalem, & regulam secundùm omnia, quę sub tali fine continentur. Vnde vlteriùs etiam in speculatiuo iudicio ferendo, non se continet intra modum, & limitem naturalem, sed præcipitanter agit iudicando ex naturalibus, vltra id quod ipsa manifestare certò, & compręhensiuè possunt, eaque, vt certa accipiendo.

3430 *Corollarium, ista conclusio procedit, supponendo, quod Angelus procedat connaturaliter.*

Ex quo sequitur verum esse, quòd supra notauimus, quod ista conclusio procedit supponendo, quòd Angelus procedat connaturaliter, seu iuxta modum suum connaturalem agendi, quod non intelligitur sic, quod procedit quando Angelus operatur connaturaliter, iuxta id, quod exigit sua natura in regulatione recta, quasi modus connaturalis sit ipsa subiectio ad regulam naturalem, quæ recta est: hoc enim idem esset, ac dicere, quòd non potest peccare contra legem naturalem, quandiù operatur secundum regulam naturalem, seu non potest peccare contra regulam, quamdiù operatur secundum regulam; Non sic intelligitur, sed quòd non peccat contra legem naturalem, quandiù operatur connaturaliter, & iuxta modum suæ naturæ, id est, principia ipsa naturalia, & finem naturalem intelligendo, & accipiendo compræhensiue, & vnitè, sicut eius natura postulat, tam speculatiuè, quàm practicè: Sic enim est proprius modus intelligendi angeli, vt naturalia accipiat compręhensiue, & vnitè, & non diuidat sicut nos possumus diuidere ob nostrum imperfectum modum procedendi. Et ita si Deus de potentia absoluta ita produceret angelũ in pura natura, quod non daret ei modum suum procedendi connaturalem, sed quod ea, quę naturalia sunt plenè, & adęquatè non intelligeret, sed

aliquid

regulæ supernaturali, seu ordinari per eam, sed ea relicta conuerti ad propriã excellentiam, qua de ordinatione supposita etiam in lege naturali deordinati sunt, & potuerunt contra illam peccare, vt diximus, sed incipiendo semper, & vtendo illa prima abusione, & non subiectione ad regulam supernaturalem vt motiuo, quia superbia est præcipuum motiuum eorum, quod virtualiter operatur, & manet in alijs particularibus motiuis, quia angeli operantur semper incipiendo ab vniuersalibus principijs, & à fine: præterquamquod cruciatus, quem nunc habent, ordinem, & connexionem habet cum fine supernaturali, sicut & priuatio beatitudinis, quia vtrumque ex peccato contra legem supernaturalem emanauit; Et similiter inuidentia de bonis angelis est ex eo quod vident illos excellentissimis donis supernaturalibus cumulatos, quibus ipsi carent, quod totum ordinem dicit ad supernaturalia; & sic dicit D. Th. *supra quæst. 60. art. 4. ad 3.* quod, *odiunt bonos angelos in quantum diuersificantur penes iustitiam, & iniustitiam, & art. 5. ad 5.* dicit quod *odio habebunt Deum inquantum facit in eis particulares effectus, qui eorum voluntati contrariantur.* Quare non est necesse, quod Dæmones moueantur semper ex lege supernaturali, sed sufficit, quod contra eam, vel ex aliquo dicente ordinem ad illam, vel supponente illã, vt dictũ est.

3437 *Petes 3.* Petes 3. *An eadem motiua ad peccandum, quæ de facto habuerant angeli, habuissent in statu puræ naturæ, & peccare potuissent.*

Resp. in statu puræ naturæ, non regulari impeccabilitatem ex paucitate, vel pluralitate motiuorum.

Et quod licèt eadẽ motiua potuerint dari in statu puræ naturæ, licèt nõ tot, sicuti in statu damnationis, dicimus nõ regulari impeccabilitatẽ angeli in illo statu penes paucitatẽ, vel pluralitatẽ motiuorũ, sed propter modũ tunc operandi, ex quo nõ dabatur locus formandi dictamen defectuosum, quandiù operabatur connaturali modo suo, idest procedendo cõpræhensiuè, & tàm immobiliter in principijs, quàm in cõclusionibus, in fine, quàm in medijs, vt amplius *infra disp. 24 art. 1* dicetur: sic enim cùm nõ proponeretur illi nisi finis naturalis, ad quem ex natura sua determinatus, & immobilitatus est, & sub illo cõtinebantur ea, quæ poterat pro fine vltimo peruersè habere scilicet excellentia propria, necesse erat sibi proponi alium finem, cui ea nõ subijceret, vt posset ab alicuius finis auersione deficere, incipiendo operari defectuosè, & ex his quæ sub fine naturali continebãtur, finem sibi vltimum constituere.

Instabis. Instabis, quod nõ repugnat etiã in statu naturali dari defectũ aliquẽ considerationis, ratione cuius possit proponi, vt conueniens bonũ delectabile, seu propriũ bonũ, relicto bono honesto. Resp. nõ repugnare defectũ cõsiderationis; & quod bonum propriũ anteponatur, dũmodo iste defectus considerationis, detur incipiendo ab aliquo fine, à quo se auertat, vel quem sequatur, quia proprius, & cõnaturalis modus operandi in Angelo est incipiendo à fine, sicut in intellectu incipiẽdo à principijs, eo quod intellectualis naturæ est perfectæ, & cõpræhensiuè in suo modo procedere; & sic sẽper incipit a principijs. Cũ autẽ in statu naturali, solũ ponantur principia naturalia, & finis naturalis *sub quo* omnia bona cõtinentur, & ex amore talis finis Angelus incipiat, in eoq; omnia, quæ sub illo ordinantur, attingat, quia cõpræhensiuè procedit, & vnica immobili attingẽtia, tã circa principia, quã circa cõclusiones, fines, & media, inde fit quod nõ possit omittere cõsideratione finis; & incipere ab aliquo bono cõtento sub tali fine, & illũ sibi, vt finẽ proponere, quia hoc esset inuertere modũ cõnaturalem procedendi, quod stare nõ potest, nisi aliquẽ defectũ supponendo, ratione cuius id quod nõ est finis, accipiatur vt finis; quod esse nõ potest, nisi auertẽdo se ab aliquo fine, scu nõ subijciendo se alteri fini, quã naturali; quia huic naturaliter adhæret, & nõ potest ab ipsius auersione incipere, cũ sit necessitatus quoad specificatione ad ipsũ. Itaq; Angelus potest defectũ cõsiderationis pati, sed sẽp seruãdo modũ suũ, qui est

Resp. non repugnare defectum considerationis dummodo iste defectus detur, incipiendo ab aliquo fine, à quo se auertat.

incipiendo ab aliquo fine, vel per cõuersionẽ, vel per auersionẽ: vnde si à fine naturali auertitur, est quia ab altero fine incipit, & illi nõ potest esse naturalis ipse finis, quia bonus est, nec aliquid cõtẽtũ sub isto fine naturali, quia hoc nõ potest accipi, vt finis inuertẽdo connaturalẽ ordinẽ, nisi ex nõ subiectione ad alium finem, cui debetur subijci, quod non stat, nisi respectu finis supernaturalis; nam respectu naturalis per se subijcitur.

3439 *Petes 4.* Petes 4. *An angelus peccans contra finem supernaturalem, etiam violet legem naturalem, & an ex hoc possit violare legẽ naturalem, in statu merè naturali.*

Resp. negatiuè, quia Angelus non potest peccare, sine ordine ad supernaturalia.

Resp. Affirmatiuè, angelũ peccantẽ cõtra finẽ supernaturalẽ, etiã violare legẽ naturalẽ, & illius malitiæ reũ esse: hinc, tamen nõ sumitur argumẽtũ, quod possit Angelus violare eandẽ legẽ naturalẽ stãdo in mero statu naturali, sed ex motiuo, & ordine aliquo ad supernaturalia, à quibus si auertitur, etiam ex cõsequẽti auerti potest à fine naturali, vt dictũ est; & sic determinatus est ad finem naturalẽ quandiù nõ ponitur alius finis, ex cuius auersione possit etiã cõtra finẽ naturalẽ agere: si autẽ ponatur talis finis, cui angel⁹ naturaliter nõ sit subiect⁹ potest se ab illo auertere, & ex cõseq. à fine naturali, vt explicatũ est.

DVBIVM IV.

An peccatum angelorum, non solùm fuerit mortale, sed etiam veniale.

3440 *Angelum peccasse naturale esse de fide: constat n. & varijs scripturæ locis.*

De peccato veniali cõstat nõ fuisse solùm in angelis, sed mortaliter peccasse. Est de fide, tum ex locis, quibus scriptura explicat genus illius peccati, eiusq; effectus, tum ex dãnatione sequuta: cõstat enim Diabolum esse damnatũ pœna æterna. Matth. 25. *Ite in ignẽ æternũ, qui paratus est Diabolo, & angelis eius*; sed propter peccatũ veniale non debetur pœna æterna: non ergo Diabolus peccauit solũ venialiter. Declaratur etiam hoc peccatum Diaboli eo genere peccati, quod mortale peccatũ significat, vt cũ dicitur Ioan. 8. *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit*; homicidiũ autẽ peccatum, quod homicidio æquiualet, peccatũ veniale nõ est. Et similiter peccatũ eius superbiæ fuisse scriptura declarat vt 1. ad Timoth. 3. *Ne in superbiã elatus in iudicium incidat Diaboli.* Ecclesiastici 10. *Initiũ omnis peccati, superbia*, constat autem primum peccatũ omniũ fuisse peccatũ Diaboli. Et superbia de suo genere peccatũ mortale est: superbis. n. Deus resistit, & præsertim superbia Diaboli, quæ fuit pessima. Deniq; nomine iniquitatis peccatũ angeli nominatur Ezechiel. 28. quo nomine nõ nisi peccatũ mortale designatur, dicitur autẽ ibi de illo angelo, qui vocatur Cherub extẽtus, & protegens: *Perfectus in vijs tuis à die cõditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te* & de eius superbia subditur: *Eleuatũ, est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, &c.* Quare ex omni parte constat peccatum illud mortale fuisse.

3441 *An Angelus habuerit, aliquod peccatũ veniale.*

Statim verò se offerebat illa difficultas, an habuerit Angelus peccatũ aliquod veniale, licèt etiã mortale habuerit, vel saltè, an possit angel⁹ venialiter peccare? sed hæc difficultas tractatur à D. Th. 1. 2. q. 89. a. 4 & q. 7. de malo a. 9 & resoluit nõ posse, quia nũquã angelus leuiter operatur, sed incipiendo à fine, & in fine attingens media. Quare si errat volũtas, & practicus intellectus, sẽper errat ex fine, & si vult rectè, etiã rectitudo incipit à fine, & sic in omni actus multus est angelus, in bono magnus, & in peccato pessimus. Et in tali actu, in quo est peccatũ oportet quod deuiatio incipiat à fine: illo. n. retẽto, nõ stat circa media errare, seu in his, quæ ad finẽ sunt, sicut nos. Quę doctrina aliquib⁹ auersa visa est. licet. n. cõcedãt, angelũ peccare nõ posse venialiter ex surreptione, & indeliberatione iudicij: at peccata venialia, quę cũ perfecta deliberatione fiunt, sed ex prauitate materiæ leuia sunt, vt mendaciũ iocosũ & similia, dicunt angelo nõ repugnare, quia hęc ex sua intrinseca ratione leuia fiunt: ergo ex eo quod ab angelo fiant, nõ reddẽtur mortalia: quare non repugnabit, quod angelus habeat aliquã inaduertentiam

Fundamentū oppositæ sent.

tiam leuem sufficientem ad veniale, & non ad mortale, aut quare non poterit operari cum plena consideratione mendacium, aut aliam rem leuem iuxta modum, & naturam talis rei leuis, & non ex superbia, vel contemptu, aut alio fine mortali? Quod si non faciat, id erit ex prouidentia aliqua Dei extrinseca pro hoc statu gratiæ, in quo, nec hominem in statu innocentiæ, nec Angelum voluit destituere congruentibus auxilijs ad non peccandum venialiter, quandiù à charitate nō excidissent. Et ita tenent plerique authores, vt videri potest apud Vasquez. 1. 2. q. 89. *art. 4. in notatione articuli.* Granados 1. p. *tract.* 13. *disp.* 1. *n.* 8. Alarcon. *tract.* 6. *de Angelis disp. q. c.* 3. *& alij.*

3443 *Conclusio Angelus iuxta connaturalem modū suum operandi, est incapax peccandi venialiter.*

Nihilominus sententia Diu. Thomę verissima est, nempe Angelos iuxta connaturalem modum suum operandi esse incapaces peccandi venialiter, *vt cit. loco.* 1. 2. tradit, & ibi communiter eius discipuli Caiet. Conrradus, Medina, & alij. Et ratio supra indicata id sufficienter probat, quia Angeli nunquam operantur voluntariè, & deliberatè, siuè benè, siuè malè, nisi incipiendo à fine, sicut neque intelligunt, nisi incipiendo à principijs, & in his videndo conclusiones sine discursu, quia proprium est eorum procedere comprehensiuè, & in ipsis principijs attingere quidquid ad illa spectat, & in eis continetur. Similiter voluntas in ipso fine eligit media, & non procedit ad media, nisi sub aliquo fine, & in fine, ita quòd idem actus est necessarius quoad specificationem ex parte finis, & liber ex parte mediorum, cùm primum eligit in exercitio quoad vtrumque liber sit. Cùm ergo deordinatio peccati venialis, siuè ex paruitate materiæ, siue ex indeliberatione rationis, non fit deordinatio circa finem, oportet, quòd Angelus operetur circa illud ex alio priori fine, in quo talia venialia velit. Et quidem si finis sit bonus, & rectè volitus ab Angelo cùm eodem actu & impetu, quo fertur in finem, feratur in media, non potest tendere in finē benè, & sine defectu, id est sine deordinatione à fine, & in media tendere deordinatè, quia sic separaret motum in ipsa media à motu in finem, quod solùm in nobis contingit. Ergo oportet, quod si deordinatè tendit in aliqua media, seù in aliquam paruitatem materiæ, quæ solùm pertinet ad malitiam mediorum, tendat in illa, vt deordinata in vi alicuius finis, & in eo contenta, in cuius volitione sunt volita, & non seorsim, ac separatim à fine. Ergo omni paruę materię volitę ab angelo semper adiungitur grauditas alicuius finis, quia paruitas materię semper pertinet ad media, numquam in finem, quia finis nunquam est paruus, cū sit principium, quo etiam magna diriguntur.

3444 *Prob. quia angeli nunquam operantur voluntariè, siue benè, siue malè nisi incipiendo à fine.*

3445 *Confirm. quia sicut est impossibile Angelo, attingere media separatim à fine; ita, & peccare venialiter.*

Tam impossibile igitur est angelo peccare venialiter in aliquo actu; sicut separatim à fine attingere media, & conclusiones extra principia, & solùm illa natura, quæ alio actu attingit finem, alio media, potest retenta rectificatione circa finem saltem habituali, errare in applicatione, & tendentia erga media præter finem, licèt non contra finem; & sic peccare venialiter, & non mortaliter, quod est idem, ac peccare, seù aberrare à medijs, non errando à fine. At verò illa natura, quæ non potest tendere in media, nisi per eumdem actum, quo tendit in finem, numquam deordinatur à medijs, neque paruitatem materiæ attingit, nisi incipiendo deordinationem à fine, atque ideo ad iungendo illi circumstantiam mortalem deordinationis à fine, seù contemptum, ratione cuius paruitas illa materiæ, v. g. mendacium, quod ex se veniale est, seorsum à fine consideratum, ex prauo fine, & in cuius deordinatione volitum, non paruum est. Et hoc ita conuenit angelo, non solùm ratione status damnationis, in quo nunc operatur sępe ex odio, & contemptu Dei, sed ex natura sua, quia ex ipsa postulat operari circa media, non seorsum à fine, sed eodem actu, eadem ordinatione, qua fertur in finem. Vnde sicut quando operantur ex charitate in ipso fine amato amant media, v. g. in Deo omnes proximos, ita quando operantur circa aliquod malum medium, operantur ex præsupposito fine malo; & sic adhuc in pura natura si operantur ex fine bono, & recta eius intentione, ibi non compatiuntur alicuius mali medij, etiam ex paruitate materiæ, deordinationem. Si verò aliquam deordinationem patiuntur, illa incipit à malo fine.

Vnde soluitur oppositum fundamentum. Resp. enim, quòd licèt aliqua peccata sint ex natura sua, & materia propria leuia; tamen quia angelus suo connaturali modo operans, non potest illa attingere, nisi sub aliquo fine, in quo sint volita, & eodem actu, quo ipse finis, sicut neque conclusiones, nisi inprincipijs ideo illi paruitati materiæ semper adiungit pondus grauę circumstantiæ finis, extra quam, vel sine qua non potest paruitatem illam velle, neque ex leui aduertentia operari circa media, & circa paruam materiam, quæ semper ad media pertinet, non operando circa finem, nec incipiendo deordinationem à fine, quæ semper grauis est. Leuem autem aduertentiam habere non cōpetit angelo, qui non imperfectè procedit, sed cōpræhensiuè. Ipsam etiam materiam paruam, si acciperet non pro medio, sed pro fine, multo esset grauius, quia poneret finem in re creata, & tam parua. Non mutat ergo angelus paruam materiā in mendacio, v. g. sed accumulat paruum finem, ante cuius deordinationē, malū mediū volitū non est

3446 *Ad fundam. cōtrum oppos. sen. Resp. Angelum peccatis aliàs leuibus, semper adiungi grauitatem ex fine.*

DVBIVM V.

An peccatum angeli fuerit non solùm omissionis, sed etiam commissionis.

Conclusio est affirmatiua. Genus peccati angeli primum, non potuit esse peccatum omissionis, sed commissionis. Probatur ex dictis, quia primū peccatum angeli incępit in eo ex aliquo motiuo circa finem, sed primum motiuum, & finis angeli non potuit esse omissio: ergo primum peccatum angeli non potuit esse omissionis, sed commissionis. Maior constat ex ipso connaturali modo angeli in operando, scilicet ex fine, & in fine, attingendo media, sicut conclusiones non potest attingere nisi in principijs, quia comprehensiuè procedit: ergo debuit angelus primum peccatum incohare ex aliquo motiuo circa finem, siquidem voluntas in modo operandi semper proportionatur modo operandi intellectus. Vnde sicut intellectus propter vim comprehensiuam semper incipit à principijs, & in principijs conclusiones intelligit, sic voluntas à fine, & in fine tangit media. 3447 *Concl. est affir. Prob. quia primum peccatū Angeli, incępit ex aliquo fine.*

Minor probatur, quia omissio illa non potuit esse peccatum, nisi esset voluntaria, vel in se volendo illam, vel in aliqua causa, vel occasione, ratione cuius esset incompossibilis ad impletio præcepti cū tali volitione, alioquin omissio illa culpabilis non esset, si voluntaria non esset. Si illa omissio sit voluntaria tanquam directè volita, oportet quod hoc ipso inuoluatur ibi aliquod peccatum commissionis, qui, vult directè, & per se omissionem contra præceptum, hoc ipso in tali omissione repręsentatur aliquid maioris boni, vincens illud bonum, quod est in adimpletione pręcepti diuini: omissio enim, vt omissio cùm sit priuatio, & non ens, non potest ratione sui esse volita directè, sed vt vestitur aliquo bono, saltem apparenti. Et si est omissio pręcepta, oportet, vt repręsentetur aliquod bonum, non quomodocumque, sed vincens illud bonum, quod ex adimpletione talis præcepti consurgit, vt possit moueri quis ad frangendū præceptū directè: ergo prius debet affici voluntas illi bono, quo vestitur omissio, vt ex eius appetitu nō recuset frangere præceptum; & sic directa voliti o omittendi, semper importat aliquam cōmissionē, vel pręsuppositiuè, vel concomitanter qua afficiatur erga aliquod bonum, seù obiectum, vt ratione eius non recuset velle omissionem, quæ in se non est aliquid, nempe bonum, & habet 3448 *Minor prob. quia omissio illa non potuit esse peccatum, nisi esset voluntaria.*

habet adiunctam fractionem præcepti affirmatiui, quia omnis priuatio seù negatio in aliquo bono, seu positiuo fundatur. Si verò omissio non fit directè volita in se, & vt obiectum, sed indirectè ex eo, quod est aliquid priùs volitum, cùm quo non compatitur adimpletio præcepti, iam illud prius volitum pertinebit ad actum positiuum volendi, & non solùm omitendi, & ex alia parte est peccatum, quia est impeditiuum adimpletionis præcepti, & causa omissionis: ergo necessario incipit primum peccatum Angeli ab aliquo motiuo culpabiliter volito, & non omisso; & sic tale peccatum est commissionis.

3449 *5. Euasio.* Sed quia posset aliquis dicere, quòd licèt verum sit, quod tale bonum prius volitum est quidem culpabiliter volitum, sed non habet aliam culpam quàm culpam omissionis, quia inde sumit totam malitiam; & sic formaliter est peccatum omissionis, licèt materialiter habeat adiunctum aliquid commissionis, quod vitiatur ex omissione, quæ ex tali volitione sequitur, & adimpletio præcepti impeditur.

Præcluditur quia illa omissio, vt sit peccatum; debet esse in præcepto & voluntaria. Contra hoc instauratur argumentum, & confirmatur ratio adducta, qui hoc in primo peccati Angeli locum non habet, sed necessario illa omissio, siuè indirectè volita ex aliquo priori præsupposito, ex quo habet sequi; siue directè volita, vt vestita aliquo bono apparenti, semper debet præsupponere aliquod peccatum commissionis præcessisse; etenim illa omissio, vt sit peccatum, debet esse in præcepto, & esse voluntaria, vt supponimus: Angelus autem non potest aliquid velle, nisi in aliquo fine, vt sæpè dictum est, quia naturalis modus eius est, videre in principijs conclusiones, & velle media in fine. Ergo vel ipsa omissio est finis, quem sibi Angelus proponit, vel in aliquo fine est volita tanquam medium, vel conditio medij, aut deniq; vt aliquid subordinatum fini. Si ipsa omissio est finis, prętereaquam quod est impossibile; cùm omissio in se solùm sit priuatio, & nihil, nec bonitatem habeat, & etiam in hoc maximè peccatum commissionis est, quod vult facere ipsam omissionem culpabilem finem vltimum, cùm in se nihil bonitatis habeat: & præsertim, quia si vult illam habere pro fine vltimo, est peccatum commissionis omninò præposterum, & contra præceptum negatiuum non solùm affirmatiuum, siquidem nō solùm vult frangere præceptum impositum, quę est omissio, vt potè contra pręceptum affirmatiuum, sed etiam vult in ipsa omissione finem vltimum ponere, quod est contra præceptum negatiuum, & est commissio. Nec potest imaginari, quòd aliquis nisi insanus velit omissionem ipsam facere finem vltimum, vt est priuatio in se, sed seipsum constituit finem vltimū nimis se amando, & exinde volendo omittere, seù frangere præceptum.

3450 *Si omissionem vult angelus, non vt finem vltimum, sed vt subordinatum alteri vltimo, ergo supponit alium finem vltimū volitum.* Quod si omissionem vult, non vt finem vltimū, sed vt sub ordinatum alteri vltimo, aut tamquam medium, vel conditionem fini illi subordinatum: ergo iam supponit illa omissio finem aliquel vltimam prius volitum, & non finem vltimum bonū, qui est Deus, siquidem sub tali fine nō potest subordinari omissio peccaminosa: ergo supponit finem vltimum malum, seù auersum à Deo antecedenter ad omissionem, & in illo fine, seu eodem actu, & impetu vult omissionem. Ergo peccatum Angeli non incipit ab omissione, sed ab aliquo vltimo fine, quem contra Deum appetit, & in tali volitione peccat, non omittendo, sed committendo, seù positiuè appetendo, & contra præceptum negatiuum non diligendi aliquid, vt vltimum finem præter Deum. Nec obstat, quod de ipsomet Deo amando datur præceptum affirmatiuum, & hoc potest Angelus frangere: dicimus enim posse quidem frangere tale præceptum, sed ex aliquo priori motiuo, quo velit aliquem finem, & volendo illum, omitat conuerti ad Deum finem vltimum: omissio enim auersionis ab aliquo fine non potest appeti per se primo, nisi ex conuersione ad aliquē finem, sicut nec recedere à termino *à quo*, nisi conuertendo se ad terminum *ad quem*; nec potest voluntas purè se suspendere per negationem omnis actus, etiam antecedentis, & qui sit causa, vel occasio illius omissionis, quia talis suspensio; si esset dabilis, esset purè suspensio physica & non moralis; quia nec voluntaria, vt potè nō procedens ab ipsa voluntate aliquo modo, vt latiùs dicetur 1. 2. quæst. 6.

Dices: Potuit Angelus in primo instanti, seu in primo actu peccare contra præceptum affirmatiuū: ergo peccato omissionis. Conseq. Patet. Antecedens probatur, quia in primo instanti fuit pręceptum in Angelo conuertendi se ad Deum, & erat liber ad eliciendum, vel non eliciendum, & saltem pro secundo instanti erat liber libertate etiam contrarietatis, ita quod poterat peccare: ergo per hoc solùm quod suspenderet actum amandi, peccaret: poterat ergo in illo primo peccato incipere ab omissione, quia tam liber erat ad velle, quàm ad nolle, etiam contrariè. Quis ergo prohibebat tunc non velle, & incipere à suspensione actus, & hoc erat peccare? Item quia in illa omissione erat peccatum mortale: ergo erat auersio à fine vltimo, & conuersio ad finem prauum: ergo poterat incipere à tali auersione, & à fractione illius præcepti affirmatiui, nolendo ei obedire ex contemptu Dei, & omitendo eius præcepta. Et licèt vellet omissionem istam ex alio fine, tamen cùm non interueniret ibi alia malitia, quàm omissionis, neque dicetur ibi peccare peccato commissionis, sed omissionis, sicut qui vult propter ludum missam omittere, non peccat peccato commissionis in ludendo, sed omissionis in non audiendo sacrum. — 3451 *2. Euasio.* — *3. Euasio.*

3452 *Præcluditur 2. euasio quia angelus non potuit peccare in primo peccato ex motiuo omissionis, sed commissionis.* Resp. Ad primum non potuisse Angelum peccare in primo peccato ex motiuo omissionis, sed ex motiuo cōmissionis & sic antecedere debuisse peccatum commissionis: licèt enim concurreret præceptum affirmatiuum conuertendi se in Deum, tamen ista omissio non erat appetibilis ab Angelo, nisi in aliquo fine, in quo primo auertebatur à Deo, eo quod in bono fine, & rectè ordinato non poterat Angelus velle omissionem culpabilem, quia illa non erat referibilis in talem finem, neque illi subordinabilis: ergo sub aliquo fine auerso deberet appeti, & illa conuersio ad talem finem antecedens omissionem, iam erat mala, & non erat omissio, sed comissio, quia positiuo actu volita, & vt quodam appetibile. Homo autem non eodem actu vult finem, & id, quod sub fine continetur; & sic potest velle omissionem seorsum sine commissione: licèt habeat aliquem actum, qui sit causa, & occasio illius, vt moraliter voluntaria sit. Et poterat Angelus velle, vel nolle, distinguo, nolle moraliter, & voluntariè ex præsuppositione alicuius finis, transeat; sine tali casu, nego, eo quòd modus connaturalis in Angelo est velle, vel nolle media sub aliquo fine, & eo actu, quo vult, vel nō vult finem: omittere autem finem bonum pura omissione, & nullum alium finem appetendo, sed ab omni actu cessando in exercitio, non est connaturale Angelo, neque homini, quia non est connaturale voluntati, & fortasse impossibile ab omni actu se suspendere, & sine vllo vitali motu manere, vt latiùs 1. 2. dicetur:

3453 *Tertia euasio præcluditur, quia in omissione, quæ est peccatum mortale datur cōuersio, & auersio à fine.* Ad secundùm dicitur, quòd in omissione, quæ est peccatum mortale, datur conuersio, & auersio à fine, distinguo, taliter quòd conuersio ad finem non sit ex meritis ipsius omissionis, vt puta omissio est, concedo; taliter quòd sit ex aliquo adiuncto, quod non per omissionem, sed per commissionem, seù positiuum actum appetatur, transeat. Ne ipsa omissio, vt diximus, potest habere rationē finis secundùm se, nisi induat aliquam rationem, quæ positiuè appetatur, vt propter contemptum, vel odium Dei, propter commoditatem propriam, vel ad experiendam libertatem, aut aliquid simile, quod prius appetitur, vt finis, & appetitur non omittendo, sed positiuè volendo. Et cùm instatur, quod

quód poteſt eſſe volita omiſſio ex alio fine, qui non habeat aliam malitiam, quam omiſſionis. Reſp. quod non diſputatur modò an in illo actu, qui eſt cauſa omiſſionis, etiam detur propria, & intrin- ſeca ratio peccati, licét cum ordine ad omiſſionem, ſicut ille ludus, v. g. propter quem omittere volo ſacrum etiam in genere ludi fiat ſuperfluus, & ma- ſus commiſſiuè, hoc in quam ommiſſio, eſt ſpecia- lis ratio in Angelo qui ex eo, quód non poteſt inci- pere deordinationem ſuam, & actum voluntatis. niſi a fine, in quo, & ſub quo deordinationem omnem exercet, ideo oportet, quod ſi ipſam omiſ- ſionem non accipiat, vt finem in ſe, quia eſt priua- tio, & carens bonitate, præſupponat volitum finem diſtinctum ab omiſſione, in quo ipſa omiſſio, vt medium, vel quid contentum ſub fine volita ſit, & talis finis malus eſt, & non rectè volitus antece- denter ad omiſſionem, quia ille finis vltimus ſub quo deordinate eſt volita omiſſio pręcepti, non poteſt eſſe bonus, nec Deus ipſe, quia ad illum non eſt referibilis: eſt ergo aliquid malum, & auerſum à Deo. Non ergo incepit peccatum An- geli ab omiſſione.

DVBIVM VI.

An precesserit de facto peccatum Angeli inconſidera- tio, ſiuè inaduertentia.

3454 *Concluſio Angelus aliqua conſiderans.*

CONcluſio. Angelus aliqua inconſideratione peccauit. Hanc concluſionem tenet D. Th. *in hac q art. 1. ad* 4. quem ſequitur Caiet. & om- nes Thomiſtę, & Suarez. *lib. 7. cap. 7.* & generaliter non poſſe voluntatem peccando deficere, niſi pręcedat aliquis defectus in intellectu, tradidit D. Th. 1. 2. *quæſt. 77. art. 2.* & eius interpretes, & *tertio contra Gent. cap.* 110 *& ibi* Ferrariens. *& quæſt. 16. de malo art. 2. ad 6. & in 2. d. 3. q. 1. ad* 1. tenuit Alens. 2. *p. q.* 112. in 4. Capreol. *in 2 d 4. art. 3. ad Argumenta Scoti contra 1. & in 3 d 36 q 1 ad 3. conclusionem Durandi in 2. d. 5. q. 1. num. 11 & d. 7 q. 2. & d 35 q. 1 Vasq 1. 2. disp.* 128 *. cap. 5. & 6. malon. 2. d. 6. disp. 3. Burid. 7. Ethic. q 5. 6. & 7.* referuntur etiam Adrian. Aureol. & Cordoua, ſed hi varie, & lubricè loquuntur.

3455 *Ratio Concluſionis eſt; quia moraliter impoſſibile; nam omnis peccans eſt ignorans.*

Ratio noſtræ concluſionis eſt; quia licét non ſit abſolutè, & phyſicè impoſſibile, conſideratis om- nibus circonſtantijs, & obiectis, quę conſiderari poſſunt, & debent ad benè, & melius eligendum, voluntatem pro ſua libertate malè eligere, nilho- minus, moraliter loquendo, hoc eſt tàm difficile, vt quaſi impoſſibile videatur, quæ moralis impoſ ſibilitas ſatis fuit, vt tanquam infallibile traditum ſit ab Ariſt. *lib. 3. Ethic. cap. 1.* illud axioma, *omnis peccans eſt ignorans*, quód non ſolum intelligitur de errore vitæ, & morum, ſed etiam de defectu in- tellectus, non ſolùm conſequente, quia omne pec- catum auertit conſiderationem ab alio, & conuer- tit in id, ad quod voluntas propenſa eſt, & ita mul- tiplicatio peccatorum ſolet cæcitatem afferre, ſed etiam antecedente, tum quia pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus, qui autem peccat ne- ceſſarió cogitat de obiecto peccati, & commodita- tibus, vel voluptate illius, quod minuit conſide- rationem circa alia obiecta honeſta: vnde morali- ter loquendo, vel nõ conſiderat honeſtatem obie- cti contrarij, vel remiſſius, quàm oporteret; tum etiam, quia licét fortaſſe attentè cogitet de turpi- tudine obiecti tantùm, quantum de eius delecta- tione, quod contingere poteſt; nihilominus abſo- lutè loquendo non tantum conſiderat grauitatem malitię moralis nec rationes eius, quę à tali obie- cto poſſent voluntatem auertere, quantum poſſet, & in tali euentu deberet, vt peccatum non ſeque- retur.

3456 *Confirm. & declaratur Conl. 1*

Confirmatur, & declaratur hoc amplius; quia vt aliquis dicatur peccare ex inconſideratione, non eſt neceſſe, quod in obiecto, quod inordinatè amat, non conſideret malitiam moralem, quam habet, velut non conſideret præceptum illud pro- hibens, ſed ſatis eſt, quod non conſideret aliquid, quod poſſet voluntatem continere à peccato, & fortaſſe detineret illam, ſi conſideraretur, ſed ve- riſſimum eſt, Angelum non conſideraſſe actu om- nia, quæ poſſent illum à peccato cohibere, vt infi- nitatem diuinæ offenſę, irreparabile damnum eter- nę damnationis, & alia; vel non tanta intenſione, & attentione, quia per liberum arbitrium erat ap- plicatus intellectus angelicus ad conſiderandum proprium bonum. igitur ſimpliciter vero ſimilius eſt, Angelum peccaſſe ex inaduertentia.

3457 *Confirm. & declaratur 2. quia naſcitur talis inconſideratio, ex vehementi conſideratione practica.*

Addo, ea, quæ ad non peccandum conſiderari poterant multiplicia eſſe, & penè innumera: an- gelus autem intensè intentus contrariæ cogitatio- ni non poteſt facile ad omnia aduertere, & ita con- tingiſſe malo angelo, eſt veriſimile, & ex Sacra ſcri- ptura colligitur, vt videbimus inferius. Addo de- nique, quod licet non præcederet totalis inconſi- deratio alicuius conditionis obiecti, vel actus de ſe retrahentis à peccato, ſaltem negari non poteſt, quin ad peccandum ad talem conſideratiõe ne- ceſſaria fuerit moraliter loquendo maior. imo ni- mia conſideratio alterius contrariæ conditionis, vel obiecti magis practica & cum maiore propen- ſione, aut vehementi affectionis voluntatis: hoc autem ſatis eſt, vt dicatur peccatum ex aliqua in- conſideratione, vel defectu conſiderationis commit- ti, atque adeo peccatum angelorum ita comiſſum eſſe.

3458 *Propria perfectio, & pulchritudo eſt obiectũ nimis proportionatum angelo.*

Hoc autem ordine ita eueniſſe, veriſimile eſt; quia cum nullum ſit obiectum tàm accomodatũ, & proportionatum voluntati angeli, ſicut propria perfectio, & pulchritudo, inſitum eſt angelo, ſe- ipſum diligere, & proprio bono gaudere, & licet huiuſmodi dilectio, & delectatio licita fuerit à principio, quia fuit relata in Deum, tamen habuit maximum periculum imminens ſiſtendi in ſeipſo, & per inde in huiuſmodi bono complacendi, ac ſi eſſet proprium, & non diuinitus acceptum, vt di- xit Auguſtinus tract. 58. in Ioan. *Periculoſum eſt ſibi complacere, cui cauendum eſt, ſuperbire:* & ita accidit Lucifero, qui perfectiſſime ſeipſum cogno- ſcens, donaq; naturalia, & ſupernaturalia ſibi collata, ſeque eſſe nobiliſſimã creaturã, inter eas quas Deus in lucem ediderat, & maioribus gratię, & naturę donis decoratam applicuit intellectum ad iudican- dum, delectabile eſſe in huiuſmodi donis, compla- cere tam efficaciter ex parte voluntatis, tàm in- tensè ex parte intellectus, vt cauſauerit in ipſo in- cõſiderationem, qua poſita ſequutus fuit inordina- tus effectus in voluntate.

3459 *Angelus in cognitione gratuitorum ſupernaturalium, & in iudicio practico, erat liber.*

Quamuis autem in cognitione quaſi ſpeculatiua ſui ipſius, & ſuarum perfectionum naturalium ſit ſemper neceſſitatus intellectus angelicus, & ita nec magis, nec minus attendat, ſed ſemper quan- tum poteſt, quia reſpectu illius eſt agens neceſſariũ non pendens à libertate voluntatis, nec impediat attentionem circa obiecta libera, tamen in cogni- tione gratuitorum, & ſupernaturalium, & in co- gnitione comparatiua reſpectu ſuæ perfectionis, & aliorum, & in illo iudicio practico, quo iudicabat, delectabile eſſe, de omnibus huius modi donis, & bonis complacere; erat liber, & pendebat ab ap- plicatione voluntatis, quæ in hanc cognitionem, & iudicium intellectum angeli efficaciter ita immer- ſit, vt aliquam inconſiderationem circa, ea quæ oportebat facere, cauſauerit: ex qua ſecutus eſt, vt diximus, inordinatus effectus, & peccatum volun- tatis ſiſtendo in ſe, ac ſi eſſet proprium, & non di- uinitùs acceptum, accedente ſimul ex parte Dei ſubtractione illius conſiderationis congruæ cogi- tationi, ſeù illuſtrationis, qua poſita non fuiſſet lapſus. Sed hæc omnia ex ſolutionibus argumen- torum illuſtriora fient, & ex inferius dicendis.

3460 *Oppoſita ſent.*

Oppoſita ſententia tenet, angelum non peccaſ- ſe ex aliqua inconſideratione omnium rerum, quę neceſſariæ erant ad benè operandum, ſi vellet. Ita cum Scoto, & Gabriele tenent aliqui moderni, ſed

inter

inter eos pro viribus defendit Greg. de Valentia super tomo disp. 4. q. 14. puncto 3. ita de facto peccasse Luciferum, & prauos angelos, qui eum secuti sunt.

1. Obiectio. Probatur primò ex Sacra Scriptura ex illo Isai. 14. vbi de Lucifero in persona Regis Babylonis dicitur. *Qui dicebas in corde tuo, in Cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo*, sed dicere angeli, est cogitare, ergo cogitauit Angelus diuinam excellentiam, & aliorum angelorum gradus, propriæque naturæ perfectionem; & omnibus consideratis decreuit, ex tolli super omnia creata, & Deo assimilari, igitur non peccauit ex inconsideratione. Item ex illo loco Ezechielis 28. vbi de Lucifero dicitur in persona Regis Tyri. *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti*; Vbi per multitudinem negotiationis in creatura purè intellectuali nil aliud potest intelligi, nisi multiplex consideratio intellectus inducens ad peccatum: quare subiungit, & eleuatum est cor tuum in decore tuo.

2. Obiectio. Ratione verò probatur primò, quia non appareret, cuius rei inconsideratio posset malis Angelis in secundo instanti tribui; etenim in primo instanti habuerunt perfectam Dei considerationem tàm naturalem, quàm supernaturalem per fidem: & in secundo perfectè deliberarunt de se, & suis rebus, sicut, & alij Angeli: quo ergo fundamento, & coniectura poterit ex illis inconsideratio præsumi? cum simpliciter, & absolutè possit homo peccare sine inconsideratione intellectus.

3. Obiectio. Secundò; quia si peccatum angelorum processit ex inconsideratione, non fuit adeo graue, sicut sacra scriptura, & PP. exagerant; nam inaduertentia peccatum minuit, & tanta esse potest, vt peccatum excuset, sicut ignorantia.

4. Obiectio. Tertio; quia Lucifer inductione sua traxit secū alios Angelos, & Michaei restitit, & pugnauit pro diuino honore, at illa pugna fiebat rationibus, & cōsiderationibus mentis, ergo cum hac disputatione Michaelis, & inductione Luciferi non potuit esse inconsideratio in cæteris Angelis Audientibus illos; nam necessariò debuerunt considerare motiua vtriusque, igitur mali, qui restiterunt suasioni Michaelis non potuerunt ex inconsideratione peccare; imò, & idem Lucifer Michaelis animaduersionem percepit; quod si dicatur, percepisse Luciferū in secundo instanti verba Michaelis, prius tamen natura peccasse, ac proinde ex inconsideratione peccasse, licèt statim post commissum peccatum ad considerandum excitatus fuerit. Contra hoc est; quia si sic inconsideratione peccasset, potuisset per considerationem subsequentem ad meliorem mētem redire, & à peccato desistere; vel si non obstāte consideratione à Michaele immissa potuit in peccato persistere, eadem ratione, licet ex se illam considerationem habuisset, peccare potuisset.

3461 5. Obiectio. Quarto; quia probabile est, omnes angelos habuisse in secundo instanti reuelationem incarnationis Verbi Diuini, & eius occasione malos Angelos peccasse, sed in hac sententia necessario habuerunt mali angeli actualem considerationem illius obiecti, quia actu proponebatur eis, igitur si hoc modo peccarunt, non ex incōsideratione peccarūt. Et confirmatur, si supponamus, Angelos nō peccasse contra aliquod præceptum naturale, siue ordinis naturæ, idest connaturale gratiæ, sed contra aliquod præceptum positiuum Dei; Nam tale præceptum receperunt in secundo instanti, in quo contra illud peccarunt, licèt actualem eius propositionem, & considerationem haberent, igitur non peccarunt ex inconsideratione.

3462 6. Obiectio. Quinto, quia talis inconsideratio præcedens primum peccatum Angeli, vel est purè naturalis, & necessaria? vel est voluntaria, & libera? prior æquiparatur nescientiæ, quia non est culpabilis, vnde nō poterit esse culpa peccandi magis, quam nescientia: posterior verò supponit in voluntate defectum, & culpam, quia supponit voluntatem non considerāsse liberè id, quod ad peccatum vitandum necessarium erat; igitur non est prima radix, cùm subsequatur ad primum actum prauum voluntatis, qui primus necessariò fiet sine incogitantia, aliàs esset processus in infinitum.

Et confirmatur; quia ille defectus considerationis, quamuis antecedat primum actū voluntatis peccaminosum, est quoddam malum, nec potest nō esse voluntarium saltim interpretatiuè; quia oritur, vt ait D. Thom. loco cit. ex conuersione liberi arbitrij ad proprium bonum, & in materia graui, vel contra prudentiam infusam, vel aliam virtute, quia non animaduertit, sicuti debet in re magni momenti, vnde pendet æterna salus, vel damnatio: vel contra charitatem; quia in tam breui morula, in qua finienda erat via, & tempus merendi, tenebatur applicare omnem aduertentiam necessariā, sicut tenetur homo in articulo mortis ex charitate, adhibere omnem diligentiam necessariam ad consequendam suam æternam salutem. Ex quo consequenter infertur, primum peccatum Dæmonis non fuisse superbiam, & actum voluntatis, sed hanc inconsiderationem, & actum intellectus, quod est contra omnes. Quod si daremus, fuisse leuem culpam, ex eo, quod habuit considerationem necessariam, sed non tantam, quæ sufficeret ad non peccandum. Contra hoc est, quia vt diximus dub. præcedenti, in statu, in quo modo creatus est angelus, qui æquiualet statui innocentiæ primi parentis, non datur locus peccato veniali, sed necessario debet esse læthale primum peccatum deturbans illum ab illo statu, igitur nullo modo asserendum est angelum ex inconsideratione peccasse. *Confirmatur.*

Ad 1. Obiectionem ex supradictis. Respondeo, ex illis locis ad summum colligi, Luciferum habuisse scientiam, & actualem considerationem, quæ illum valde culpabile reddiderit, non tamen nullam habuisse inconsiderationem, imo illam habuisse indicatur verbis Ezech. *Eleuatum est cor tuū in decore tuo perdidisti sapientiam in dedecore tuo*: Etenim Lucifer maiorem attendens ad pulchritudinem, & excellentiam naturæ suæ, tam circa naturalia, quam circa supernaturalia; tàm cognitione speculatiua, & absoluta, quàm comparatiua, & practica, & nimia affectione, & attentatione occupatus ad alias altiores rationes rectè eligendi, & amādi non satis attendit; & ita pro eodem illo momēto amisit sapientiam suam quoad actualem considerationem, vel quia propter culpam subsequtam priuatus est fide, & sapientia infusa, cum qua inconsideratione rationum superbiorum stetit multiplex negotiatio intellectus, quæ ad peccandum iuuit inferiores rationes proprij commodi, vel excellentiæ plus iusto considerando, quod significat nomen *negotiationis*: Vnde in illo loco Isai. illud *Dicere*, idem est, quod considerare, erat tamen consideratio, seu cogitatio de rebus, & nominibus, quæ cor eleuarūt, & ad appetendum, quod non licebat, induxerunt, quæ inconsiderationem circa superiores rationes causauit. *3463 Ad 1. Obiect. Resp. ex illis locis sac. script. non colligi Luciferum nullā habuisse considerationem.*

Ad fundamentum petitum à ratione. Respōdeo, non posse assignari in particulari obiectum, vel circumstantiam, quam angelus non considerauit, quādo peccauit, tamen in genere potuit multa non considerare, & ex defectu ipso colligimus, aliquid non considerasse, quod posset illum a peccato cohibere; quamuis enim Lucifer perfectam de Deo considerationem habere potuit in secundo instanti, pro sua libertate alio cogitationem diuertere, & Dei considerationem remittere, seu ex parte amittere saltem illam, quæ erat per fidem, quæ libera erat, & ab apperitu propriæ excellentiæ retrahebat, in quem tunc cæpit magis intendere quantum ad comparatiuam cognitionem, & gratuitorum supernaturalium, addens iudicium practicum quo intense iudicabat delectabile esse de huiusmodi bonis, & bonis complacere. Quod si dicuntur angeli in secundo instanti perfectè deliberasse ly *perfectè* *3464 Ad 2. Obiectionem. Resp. non posse assignari in particulari, circumstantiam, quā angelus non cōsiderauit.*

ſeſſè refertur ad libertatem ſeu poteſtatem omnia conſiderandi, non tamen omnes perfectè, id eſt benè deliberarunt quoad actum conſiderandi, & iudicandi præcisè, ſed ſoli boni; mali vero imperfectè deliberarunt, imperfectione voluntaria. Nec obſtat, quod magna facilitate potuiſſent omnia conſiderare, quæ ſibi conuenientia erant, quia pro ſua libertate non ſunt vſi illa, ſed applicarunt conſiderationem ad alia, quorum affectu ducebantur: ſicut homo vehementi paſſione, vel amore affectus, difficile ad cogitandum de alijs obiectis applicatur, niſi de eo, cuius amore ducitur: vnde negatur, moraliter poſſe hominem peccare ſine inconſideratione intellectus, ſicut neque Angelum propter ſuperiùs dicta.

3465 *Ad 3 Obiect. Reſp. non obſtāte prædicta inconſideratione, peccatū angel fuit grauiſſimum.*

Ad ſecundū, Reſpondeo, non obſtante inconſideratione prædicta, peccatum Angeli fuiſſe grauiſſimum, tam ex obiecto, & ſpecie, quàm ex libertate, cum qua peccauit, & voluntariè non conſiderauit. Addo, inconſiderationem Angeli non fuiſſe talem, vt non aduerterit turpitudinem peccati, & offenſam diuinæ maieſtatis, ac proinde, vt excuſari poſſit grauitate peccati, ſed ſolùm fuit negatiua, i. non tanta, quanta eſſe potuit, ſi delectabili obiecto non tantum adhæſiſſet voluntate, ſed mente, & quia in appetitum inordinatum non fuiſſet lapſus, alias excuſaretur à grauitate peccati, qui non accipit internam diuinam illuſtrationem efficacem, quia ſine illa ſemper labetur, & nunquam grauiter peccans peccaret ex inconſideratione, quod eſt falſum: licet autem illa conſideratio diuinæ legis, & rationum conuenientium poſſet eſſe maior, & tunc augeret malitiam, quia peccaret cū maiori malitia, & contemptu; nihilominus dicendum eſt, non eſſe neceſſe, vt peccatum Luciferi ſit grauius omni peccato poſſibili, fieri in eadem ſpecie cum maiori conſideratione, & contemptu, ſed ſatis eſſe, vt poſitiuè ſit nimium graue, vel comparatiuè fuerit grauiſſimum inter peccata, quę morali modo, & cum aliquo defectu conſiderationis fieri ſolent, itaut hic defectus peruenerit ad minimum quod ſic, defectus requiſiti ad peccandum: nam in maiori minimo nō eſſet defectus, nec peccaret, quia plenè aduerteret, adiuncta diuina gratia.

3466 *Ad 4. Obiect. Reſp.*

Ad tertium, optimè ibi Reſponſum eſt. Et ad Replicam. Reſpondeo multo difficilius eſſe cum integra conſideratione actuali peccare, quàm ſuperueniente conſideratione in peccato iam commiſſo pertinaciter perſeuerare; quia ipſamet actualis affectio iam deliberata, impedit vim, & efficaciam ſuperuenientis conſiderationis, ſic enim dixit Ariſt. ad aliud intentum, eum, qui vehenti agitur paſſione, non conſiderare, niſi vt Ebrium, qui voces magis, quam res percipit. Vel ſecundò reſpondetur, etiamſi per exclamationem, & rationes Michaelis excitata fuerit in malo Angelo aliqua conſideratio, non tamen omnis illa, quæ à peccato poſſet voluntatem Angeli cohibere, & ideo poſt talem conſiderationem peccatum durauit, quia cum multiplici inconſideratione eſſe potuit.

Ad 5. Obiect. Reſp.

Ad quartum. Reſpondeo quicquid ſit de illo præcepto poſitiuo ſecundi inſtantis tamen certum eſt, non peccare Angelos ex inconſideratione diuini præcepti, vel Incarnationis Verbi diuini: nihilominus in obedientia illius præcepti, & ſuperba animi elatio potuit ex alia multiplici inconſideratione peruenire.

3467 *Ad 6 Obiect. Reſp. reijciendo ſolutionem Suarez.*

Ad quintum. Franc. Suarez. citato loco num. 8. videtur inſinuare, imperfectionem inconſiderationis à peccato vt pote voluntariam, qualem in Angelo fuiſſe, expreſſe tradit Diu. Thom. citato loco, non excuſare à culpa. Sed re verà, quamuis poſſit accidere in hominibus, præcipue, vt tanta ſit inconſideratio voluntaria, quæ non ſufficit aduertere ea, que ſufficienter aduertenda ſunt ad vitandum peccatum, & tunc non excuſabitur a peccato voluntas libere diſtrahens intellectum à cogitatione illa neceſſaria per applicationem illius ad alia cogitanda; quia apponit impedimentum ad aliquid ſimpliciter neceſſarium ad aduertentiam, & impletionem præcepti; tamen hoc non ita contingiſſe in malis angelis, ſuadent inſtantiæ factæ in illo quinto argumento, ſcilicet, quia hoc modo, vel dandus eſſet actus peccaminoſus voluntatis ſine praua inconſideratione voluntaria intellectus, quod eſt contra doctrinam D. Th. vel ſequi proceſſum in infinitum, ſi ille prior actus voluntatis eſſet prior inconſideratione, & cauſa illius oritur ab alia priori inconſideratione intellectus, & hæc, vt ſit voluntaria, ab alio priori actu voluntatis, & ſic in infinitum. Rurſus, quia iuxta hanc doctrinam primum peccatum angeli non fuiſſet appetitus propriæ excellentiæ, vel inordinatus affectus, vel inuidia vnionis hypoſtaticæ, ſed peccatū voluntariæ inconſiderationis, quod eſt contra omnes, qui ex inconſideratione dicunt, fuiſſe ſequutum peccatum, non in illa, vel in effectu præuio conſtitiſſe.

Reſpondeo igitur, illam incōſiderationem angeli non fuiſſe peccatum, quamtumuis fuerit interpretatiue voluntaria per liberam applicationē ad alia obiecta conſideranda intenſius, quia non fuit poſitiua (vt ſic loquar) ſed negatiua, id eſt minor conſideratio; quomodo minor ſcientia poteſt appellari ineſcientia comparatione ad maiorem: nam reuera angelus aduertit, quicquid neceſſarium erat ad non peccandum, vt perſuadent rationes factæ contra noſtram ſententiam, & ea, quæ diximus in confirmationem noſtræ; licet non fuerit tanta aduertentia, quanta neceſſaria erat ad actū non peccandum; quia hęc ſine diuina gratia haberi non poteſt, quam non habere, ſicut non eſt peccatum, ita neque erit peccatum, talem conſiderationem efficacem ad cohibendum non habere, quia nemo tenetur niſi ad id, quod ſufficiens, & neceſſarium eſt, quo facto ſi maiorem non adhibeant diligentiam, etiamſi poſſet, non cenſentur nec leuem culpam committere. 3468 *Vera Reſponſio Inconſiderationem Angeli nō fuiſſe peccatū, quia fuit negatiua.*

Et ad illud, quod additur, ſcilicet, quod in illa breui mora tenebatur, omnes conatum poſſibilem adhibere ad perfectius conſiderandum, ſicut homo in articulo mortis ex charitate facere omnia ſibi poſſibilia ad ſalutem ęternam conſequendam. Reſpondeo, teneri ad omnia, quæ iudicat neceſſaria, & ſufficientia, non ad ea, quę ſunt ſuper erogatoria; alias qui non faceret confeſſionem generalem in articulo mortis, vel non daret dimidium bonorum ſuorum pauperibus, vel non haberet plures actus doloris, vel millies, vt pluries diceret, & pronunciaret dulciſſimum nomen IESVS, & ſimilia, peccaret, quod eſt falſum, igitur ad illud ſolùm ex præcepto etiam charitatis tenemur, quod eſt neceſſarium, & ſufficiens ad ęternam ſalutem: ſimiliter cum angelus habuerit ſufficientem conſiderationem eorum, quæ potuiſſent illum à peccato ſufficienter cohibere, quamuis non habuerit maiorem illam conſiderationem, cuius defectus dicitur incogitantia, ſiue inconſideratio, quæ ipſum à peccato cohibuiſſet, adiuncta diuina ſpeciali gratia, non ideo in hoc apparet aliqua ratio peccati, neque venia in, licet fuerit aliquo modo cauſa illius, negatiua tamen; & ideo non induit malitiam peccati ſubſecuti, ſicut neque ſubtractio auxilij efficacis induit illam. hęc autem omnia, quę in hoc dubio dicta ſunt, ſunt regulanda iuxta doctrinā Dub. præcedentiū, huius diſp. 3469 *Nominem in Articulo mortis ſolùm teneri ad ea, quæ iudicat neceſſaria, & ſufficientia.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum in Angelis poſsit eſſe tantùm peccatum ſuperbiæ, & inuidiæ.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

PRima Concluſio, in Dæmonibus contingit eſſe omnia peccata ſecundùm reatum.

tum. Quia inducentes homines ad omnia peccata, omnium peccatorum reatum incurrunt. 2. Conclusio. Primum Angeli peccatum, non potest esse nisi superbia. Quia in spiritualibus bonis, non potest esse peccatum, dum aliquis ad ea afficitur, nisi per hoc, quòd in tali affectu superioris regula non seruatur, & hoc est peccatum superbię. 3. Conclusio. in Angelis potuit consequenter esse peccatum inuidiæ. Quia qui affectat aliquod bonum, quod non consequitur, sed sibi ex bono alterius impeditur, inuidet ei, in quo bonum à se affectatum, reperitur. Dæmon enim appetit singularem excellentiam, quę quidem per alterius excellentiam impeditur: est enim excellentia singularis solùm in Deo. Vnde Dæmon doluit de bono hominis, & de excellentia diuina, secundùm quod Deus vtitur hominis bono in gloriam suam contra voluntatem Diaboli.

Arg. 1. In quemcumque cadit Delectatio alicuius peccati, potest cadere peccatum illud. Sed Dæmones delectantur etiam in obscænitatibus carnalium peccatorum. Ex Aug. *lib. 14. de Ciuit. Dei.* ergo. Resp. conced. min. si loquamur de delectatione, quæ prouenit ex inuidia, quam habeat de bono hominis: Negatur verò de delectatione, quæ prouenit ex affectione, quasi ipsi afficiantur ad carnales delectationes.

Arg. 2. Spiritui conueniunt omnia peccata spiritualia, sicut carni omnia carnalia: sed etiam Accidia, Auaritia, & Ira, sunt peccata spiritualia: ergo. Resp. Ma. esse veram loquendo de peccatis purè spiritualibus, talia enim tantũ sunt Superbia, & Inuidia. Auaritia enim est immoderatus appetitus bonorum temporalium. Ira est semper cum passione Irati. Accidia est quędam tristitia, qua homo redditur tardus ad spirituales actus propter corpolarem laborem.

Arg. 3. Posita causa, ponitur eius effectus. Sed Superbia, & Inuidia sunt causa multorum aliorum peccatorum. Vt Greg. dicit. ergo. Resp. conced. totum, Nam sub Superbia, & Inuidia prout in Dæmonibus ponuntur, compræhenduntur omnia peccata, quę ab his deriuantur.

DISPVTATIO. CCCXX.

An primum peccatum angeli fuerit Superbia, quam subsecuta est Inuidia, & alia peccata.

3470 Nota.

PEccatum superbiæ in angelis Reperiri posse, tanquam certum supponimus; habet enim superbia materiam maximè proportionatam naturæ angelicæ; quia cùm sit inordinatus appetitus excellentiæ, vt Diu. Th. & omnes definiunt ex Aug. 14. de Ciuit. cap. 13. hic appetitus ex genere suo est valde spiritualis, & proprius naturę intellectualis, siuè rationalis. Difficultas est, an re ipsa hoc fuerit peccatum Luciferi, & suorum sequacium in via.

1. Conclusio.

Dicendum est primò. Luciferum peccasse per superbiam, est certa Theologorum sententia, quam sine ingenti temeritate nemo negare potest. Ita Sanc. Th. art. 3. huius qu. Vbi Caietan. & omnes eius interpretes vniformiter Sanc. Bonau. Albertus. Durand. Vdalr. & omnes, vno excepto Scoto, qui in 2.d.6.q 2. ait, peccatum Luciferi non fuisse superbiam propriè dictam, licèt superbiam fuisse, non sit ausus negare.

3471 1. Ratio.

Probatur primò ex aliquibus Sacrę scripturæ locis. Primus est Isai. 14. Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris, qui dicebas in corde tuo in cœlum conscendam, &c. vbi licèt ad litteram agat, secundùm multorum sententiam de Rege Babylonis, tamen in sensu mystico de Lucifero esse intelligendũ, tenet cõmunis PP. consensus, præsertim Athan. Ambr. Prosper. Cyprian. Cyril. Basil. Chrisost. Nazianz. Gregor. Papę. Epiphan. Rupert. Procli. Andrea. Cæsar. Isidor. Bernard. in locis à Suario citatis quamuis ad litteram voluerint de Lucifero intelligi Tertul. & Orig. quos refert Leo Castr. in illum locum, & probabiliter hanc expositionem defendit.

1. Locus Sac. Script.

3474 2. Locus

Secundus locus est Ezech. 28. qui licèt ad literam intelligatur de Rege Tyri, tamen sensu mystico applicant PP. hunc locum Lucifero præcipuè in illis verbis, eleuatum est cor tuum in decore tuo.

3. Locus

Tertius locus est Tobiæ 4. in quo Senior Tobiae Dixit filio suo. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut verbo dominari permittas, in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.

4. Locus

Quartus locus est Iob. 41. Non est potestas super terram, quæ comparetur ei, & ipse est Rex super omnes filios superbiæ: qui licet de cete, seu Balena intelligatur ad litteram, vt latè probat Pineda de Diabolo intellexit Diuus Gregor. lib. 34. moral. cap. 17. & 18. & non solùm nunc esse superbissimum cõprobat, sed regem, & ducem omnium superborum.

Quintus locus est Lucæ 10. videbam Satanam, tanquam fulgur de cælo cadentem; quem de primo lapsu Angelorum PP. communiter interpretantur, & addunt discipulos aliqua elatione ductos, redisse gaudentes, quod spiritus subijcerentur eis; Christum verò exemplo Dæmonis, qui corruerat propter superbiã, eorum elationem reprimere voluisse, vt declarant Hieronym. Cyprian. Gregor. & Chrisostom. lib. de virg. cap 36. & in alijs locis: quamuis Theophylactus, & Toletus negent illud gaudium discipulorum esse ex elatione, quod esto verum esset, ad hoc Christum potuisse adducere exemplum lapsi Dæmonis, ne superbirent, nil obstat.

6 Locus

Sextus locus est Pauli 1. ad Thimoth. 3. vbi cum dixisset, neophytum non esse in Episcopum assumendum. addit, ne in superbium elatus in iudicium incidat Diaboli, significans, Diabolum iudicatum, & damnatum esse propter superbiam, vt explicat Chrisostomus homilia 10. & alij PP. qui videri possunt apud interpretes horum locorum.

2. Ratio ex Auct. SS. PP.

Secundò probatur authoritate SS. PP. quorum vna vox, & consensus est, superbiam, Luciferum de cælo deturbasse. See Atha. q. 6. & Antiochum N. Cyril. Hierosol. Cathech 2. Nazianz. Carmin. 6 & ratione 2. de Pascha. Sanctus Antonius Eremita in epist. 2. apud thesaurum cathol. lib. 4 art. 5 Euseb. lib. 7. de præparat Euang. cap 6. Theoderet. lib. 3. græcarũ effectionum Procop. Gazeus ad cap. 2. Isaię Damas. 2. fidei cap. 4. Leo imperator, Pantaleon diaconus Suidas, & alij, quos refert thesaurus cathol cus loco citato: & ex latinis Aug. 11. de ciuit. cap. 13. & in alijs locis, Ambros. epist. 87. S Leo serm. 4. de collectis, & cleæmo syua, Prosper, de vita contemplat. lib. 1. dap. 3. Fulg. lib. ad monimum cap. 17. Gregor. 23. morcl. cap 4. Beda tom. 8. in lib. quæstionum cap. 5. Pruden. & Arnob. apud thesaurum Catholicũ, Rupertus lib. 2. in Gen. cap. 16. Bernards. sermon. 5. & plures alij.

3. Ratio.

Ratione verò non est necesse probari cum hæc res facti sit, quod nobis ex Sacra scriptura, & SS. PP. authoritate innotescit, adiuncta possibilitate, & proportione huius peccati in natura spirituali, inter omnes creatas, perfectissima.

3473 2. Conclusio.

Dico secundò, peccatum superbiæ in Angelo subsecutã esse inuidiam. Ita Diu. Thomas in art. 2. huius quæstionis, & quamuis in 2. 5. q. art 3. ad 2. dixerit, peccatum Angeli non fuisse odij, vel inuidiæ, loquitur ibi de primo peccato S. Th. sequuntur omnes eius inter-

interpretes, & alij, quos. Dub. seq. afferemus.

Probatur ex PP. qui peccatum inuidiæ Diabolo tribuunt August. 14. de Ciui. cap 3. *Cyprian.* tract. de Zelo, & liuore, *Claud. Marius, victor* in Præfat. in Gen Leo *vbi supra. Anselm.* ad cap. 12. *Matth Bernard.* Serm. 14. in Cant. *Andreas, & Aretas infra citandis, Et ex græcis Nazianz.* orat in Sac. lumina. *Irenæus* lib. 5 aduers. hæres cap. 24 *Clem. Alexandr.* 2. strom. & *Proclus apud Epiphan.* hæres 64. *Basil.* hom. 11. de inuidia *Lactant.* lib. 2. cap. 8. Glitas. 1. p. animal *apud Thesaurum vbi supra, & alij.*

3474 Ratio

Ratio etiam, cùm sit facile, non est alia quærenda præter vnanimem hunc consensum PP. præsertim cum inuidia sit proprium superborum vitium, si videant alios, quos, se reputant inferiores, in maiori dignitate constitutos; in quo genere habuit Dæmon occasionem, qua maior esse non potuit, vt ex sequentibus

DVBIVM VNICVM.

An præter superbiam, & inuidiam, alia peccata Lucifer commiserit in via.

Nota.

EA, quæ de Lucifero indagamus, ad omnes angelos extendenda sunt, quia antiqui PP. varijs nominibus peccatum Luciferi in via commissum, de quo in præsenti est sermo, explicant; ex quibus quædam propriè, alia metaphoricè illi tribuuntur; quædam generales, alia speciales peccatorum species significant, breuiter est per singula discurrendum.

In Lucifero fuit arrogantia.

Et primò ex dictis certum est, habuisse plures actus superbiæ explicatos. Deinde cùm species superbiæ plures sint, scilicet illæ quatuor assignatæ à D. Gregor. 31. *moral cap.* 4. & à Diuo Thoma 2. 2. *quæst* 162 *art* 4. inter has vna est arrogantia, quam à primaria specie superbiæ. Isid. *lib. 2. de differentiis spiritualibus cap. vltimo* distinguitij, tanquam secundarium actum à primario, vt notauit Caiet. *in d. a.* 4. & eam iactantiã esse etc. certũ est, in Lucifero aliqualiter fuisse vt docet Naz *orat.* 2. *quæ est prima de pace* Teodoret. *de diuinis decretis lib.* 5. *de Diabolo,* & alij PP. quia arrogans est, qui plus de se existimat, & iactat, quàm fit, quod vere habuit Lucifer. concupiscendo enim inordinatè propriam excellentiam, illam sibi arrogauit, vt alios secum consentientes faceret, decorem suum, & excellentiam iactabat.

3475 In Lucifero fuit vitium præsumptionis.

Secundo, vitiũ præsũptionis Lucifer aliqualiter habuit, vt Docuit Ambros *epist.* 23 Martial. in epist ad Burdegalem *cap* 11. & Diu Thom. *art.* 4. *ad* 3. Est autem præsumptio vitium superbiæ annexum, seu potius species superbiæ distincta ab ea, quæ consistit in appetitu excellentiæ, & habet ex se malitiam contrariam magnanimitati per excessum, quia magnanimus intendit magna cum proportione, & moderatione virium suarum: præsumptuosus vero cum excessu, in quo excessu est duplex malitia, alia contra humilitatem & alia contra magnanimitatem. Addi etiam potest tertia, quando per

3476 Ratio.

eam appetitur præmium sine meritis, vel vltra merita, quod ait Sanctus Thom. 2. 2 *q.* 21. *art.* 2. esse vitium contrarium spei etiam per excessum: at vero in Angelo solùm fuit præsumptio, vt opponitur humilitati, non vero spei, & magnanimitati propriè loquendo. Cuius ratio est, quia spes, vt abstrahit ab actu virtutis, & à præsumptione, quæ est mala spes per excessum, sicut prodigalitas largitio per excessum est de obiecto possibili, & futuro saltim probabiliter: nam id, quod iudicamus omnino impossibile, siuè ex parte rei, siuè rationne conditionis adiunctę, nemo sperat, nisi sit stolidus; multo minùs nimium sperat, sicut præsumptuosus; & eadem est ratio de præsumptione, vt opponitur magnanimitati, quia hæc est per actum intentionis, & spei obtinendi, vel faciendi ea, quæ vltra proprias vires sunt, vt docet Diu. Thom. 2. 2. *q.* 21. dicens vtramque præsumptionẽ spei, & magnanimitati contrariam, importare quamdam immoderantiam spei, sed circa impossibile non datur spes, ergo neque magnanimitas, neque his contraria per excessum.

Tertio aliqualiter tribuitur Lucifero vitiũ ambitionis, q; est species superbię, quę circa honores eximios versatur, vt docuit Ignat. *epist.* 8. *ad Philippens.* vbi metaphoricè tribuit illi vitium auaritiæ; quia sicut auaritia est nimia diuitiarum concupiscentia, ita superbia nimius appetitus excellentiæ. Lucifero tribuitur Ambitio.

Lucifero tribuitur Vanagloria

Quartò, aliqualiter tribuitur Lucifero vanagloria. Ita S. Ignatius. Loco citato, & Crisostom. hom. 5. imperfecti in Matth. hæc autem quamuis à superbia nascatur, & ferè semper cum illa coniuncta sit, specialem malitiam habet oppositam magnanimitati per excessum vt docet D. Thom 2. 2. q. 30. & in Lucifero fuisse, persuadet; quia appetiuit gloriam & non apud Deum, sed apud alios extra Deum, quæ eo ipsa vana est.

Omnes hæ malitiæ, siuè in eodẽ, siuè in adiunctis actibus aliqualiter fuerunt in Lucifero, siuè ex eodẽ motiuo primario superbiæ circa primam excellentiam, siue ex specialibus motiuis illorum vitiorum vtroque enim modo accidere potuit. Nec obstat, quod Diuus Thomas *in h. quæstione artic.* 2. dixerit in Angelo tantum fuisse peccatum superbiæ ante peccatum inuidiæ, omnia autem prædicta inuidiam præcesseru nt. Nã, vt ait ide D. Th in eodẽ art. ad 3. superbia, propter prout in Dæmonibus ponitur, comprehendit aliqualiter omnia peccata, quæ ab illa deriuantur in spirituali materia, quorũ solùm fuerunt Angeli capaces in via, vt inferiùs ostendemus. In Lucifero fuerunt omnes supradictę malitiæ.

Quinto, tribuitur Lucifero inuidia post superbiam vt in Dub. præced. disputationum latè ex SS PP. & ratione probauimus, & in sequentibus. sexto, posset tribui Lucifero impatientia, quam illi tribuit Tertull. lib de patientia cap. 5 licet ibi loquatur non de illa, quam in via habuit Dæmon, sed de illa, quam habuit post creatum hominem: potuit tamen a principio suæ creationis, exaltationis hominis postea futuræ præscius, siue ad parem gloriam, siue ad vnionem hypostaticam, per inuidiam, & impatientiam corruisse. Lucifero tribuitur Inuidia.

3477 Impatientia nõ propriè, sed metaphoricè fuit in Lucifero,

Notat tamen hic optime Suarez, impatientiam non propriè, sed metaphoricè Lucifero attribui; quia res vera bonum vnius respectu alterius non est materia patientiæ, sed potius charitatis, Et beneuolentię: Vnde Sancti angeli proposita sibi Incarnatione non indiguerunt patientia ad illam beneuolè suscipiendam, sed charitate, humilitate, & obedientia. Cuius ratio est; quia patientia est de aduersis, & malis, illud autem obiectum nullam rationem mali, vel nocumenti respectu ipsorum angelorum habuit, nec prudenter apprehendit potuit; & ideo non fuit materia patientiæ in angelis bonis, atque adeo neq; impatientiæ in malis, quia versantur circa idem. Nec etiam tristitia per imprudentiam, & prauum libertatis vsus, vnde concepta potuit esse materia patientiæ; quia illa tristitia erat culpa grauissima, nempe inuidia, & ideò non erat patienter sustinenda, sed omnino euitanda, cùm esset in habentis potestate, & eadem ratione non poterat esse materia impatientiæ, quia hæc non est nisi de tristitia inuoluntariæ, quæ prouenit ex malo extrinseco, quod vitari non potest, illa autem tristitia erat voluntaria, & ideo non fuit materia impatientiæ.

Potest tribui Lucifero motus

Septimo, aliqualiter posset tribui motus irę ex inuidia secutus, qui distinctus est à proprio actu impatiẽtię, qui aliqualiter dari potest in angelis quia eius materia supponit tristitiã, & dolorẽ etiã voluntariã, & formaliter est vindicta sumenda de alio, quem vt sibi nociuum inuidus apprehendit, & ita apprehendit Lucifer Deum, & Christum, vt diminuentes honorem suum, & ideo de illis vindictam sumere, concupijsse probabile est.

Octauo certum est, fuisse odium in Lucifero, quod est prima inter filias inuidiæ, etiam in via, vt docuit Hugo de Sancto Vict. *in sum. sent. tract.* 2. *cap.*

2. cap. 3. nam licèt respectu Dei videatur loqui de odio virtuali, quod est in omni peccato mortali, quatenus est auersio à Deo, non verò de odio formali, quod probabile est, non habuisse, nisi per statum damnationis, aut respectu Christi, & hominũ, quibus directe Lucifer inuidebat, probabile est, statim formale odium habuisse in via, & ita accomodant multi Io 8. illa verba Christi dicta de Dæmone. *ille homicida erat ab initio*, in paradiso cum affectu, in cęlo cum effectu.

3478 *Potest tribui Lucifero impietas, Apostasia, & Desertio.* Nono impietatem, apostasiam, & desertionem Dei tribuit Ignat., dicta *Epist. 11. ad philippens.* Lucifero, cui consentit Ambr. *epist. 33. ad Demetrium Hieronym.* B'alphemiam *in psal 119.* sed reuerà peccatum impietatis non videtur fuisse proprium peccatum contra religionem, sed superbia, qua aduersus Deum se exaltauit; nam per illam Deum deseruit, & ab illo apostatauit, seque authori suo comparauit, cùm dixit in cælum conscendam, blasphemia verò non ponitur à Hieronymo metaphoricè, quia in illo loco negat, Luciferum cecidisse propter furtum eum tamen metaphoricè id concedat *in cap. 24. Iob.* Et ideo dicendum est, quòd licèt primum peccatum internum angeli, quo se auctori suo comparauit, solum possit dici metaphorice blasphemia, & aliud peccatum, quod statim commissit inducendo alios ad rebellionem, quod peccatum linguæ angelicę, & externum dici potest propriè, fuit etiam propria blasphemia, sicut mendacium esse potuit.

Decimo, aliqui PP. & DD. solent peccatum Luciferi appellare concupiscentiam propriam, & carnalem: alij luxuriam spiritua'em, sed metaphoricè, & abusiue tantùm, vt est per se notum.

3479 *An fuerit in Angelis peccatum infidelitatis.* Vndecimo, de peccato in fidelitatis, & hæresis, an Lucifero tribui possit! communiter negant, de facto, illud fuisse in angelo, cum Sancto Thoma *in 2. d 5. qu. 1. art. 3. ad vltimum*; quia Dæmones credunt, & contremiscunt etiam post damnationem; & in statu vię superbia Luciferi supponebat fidem; imò vehemens appetitus excellentię manifestatę per fidem, indicat etiam vehementem certitudinẽ in iudicio, qualis est in fide diuina. De possibili vero Palud. *in 3. d. 23. q. 4.* Sentit, Luciferum non potuisse peccare per infidelitatem: nam existimat nõ esse capacem fidei propter euidentiam testificantis, reliquos verò peccare potuisse.

3480 *Duplex peccatum contra fidem, distinguendum est. Primo modo.* Sed optime distinguit Suarez duplex peccatum contra fidem, vnum positiue credendo, non esse verum, aut certum relatum per fidem; & hoc modo non potuisse angelos etiam inferiores peccare peccato infidelitatis propter euidentiam Dei testificantis: Vnde cùm euidenter angelus cognoscat, Deum non posse mentiri, consequenter euidenter cognoscit in testificante, verum esse, quod reuelatur, ergo non potest per positiuum actum dissentire. Quomodo autem hoc non tollat rationem fidei in angelis? Superius diximus agentes de fide angelorum infusa, vt diximus, probabilius esse, omnes angelos immediate accepisse reuelationem à Deo: aliàs nec tenerentur credere, nec præcederet in eis euidens iudicium credibilitatis, nec propositio alterius angeli sola ad hoc sufficit, cùm ex se possit mentiri, & falsum proponere, atque adeò ex hypothesi, quod Deus immediatè non reuelaret, optime sentit Paludanus, posse errare per fidẽ, sicut homines.

Secundo modo, quomodo quis peccare potest contra fidem. Secundo modo potest peccari contra fidem, non exercendo actum fidei, sicut oportet, quando præceptum fidei obligat, vel absolute, nolendo cõsiderare tale obiectum, nec circa illud actum exercere aliquem, vel considerando illud, & assentiendo illi, vt aliquo modo euidenti ex coniecturis, non tamen ex vera fide sola Dei authoritate innixa, & hoc modo dicendum est per omissionem potuisse peccare, quia actus credendi, sicut oportet, est liber simpliciter, non solum quoad exercitium, sed etiã quoad talem modum assentiendi; igitur est in libera potestate angeli, nolle assentiri tali modo, vel excedere actũ, licèt hoc genus peccati mortaliter semper supponat deordinatam volũtatẽ maxime per superbiã, quia hac seclusa, vix potest alia ratio reddi, quę angelũ in illam voluntatẽ inducat, nisi exercitiũ proprię libertatis, q ratio est optima ad pbandã pbabilitatẽ physicã, non moralem regularem.

Quod si aliquis obijciat, potuisse non assentiri primæ veritati ex accidia, vel pusillanimitate. 3481 *Instabis.*

Respondetur, vtrumque esse alienum à perfectione Angeli. Quare D. Thom *in art. 3. huius quæstionis ad 1.* in angelis non admittit inuidiam, quia hęc est tristitia retardans à spiritualibus actibus propter laborem corporalem, qui in angelis locum non habet: motiuum etiam pusillanimitatis est alienum ab excellentia naturæ Angelicæ, quia supposita propositione obiecti supernaturaliter credibilis, & voluntate assentiendi illi, non est difficilis angelo assentiri, sicut oportet, propter authoritatem diuinã, quàm alio inferiori modo, ergo si eligeret hunc modum, neglecto alio, id ex superbia potius, quàm ex pusillanimitate faceret. *Respond.*

Petes. *An in Angelis tantùm esse possit peccatũ superbiæ, & inuidiæ cum annexis relatis, an alia etiã, quæ reperiuntur in hominibus.* 3482 *Petes*

Resp. Supponendo alia esse peccata, quorũ actus externi non possunt consummari à Dæmonibus, vt sunt actus luxurię, aut gulæ, requirentes potentias corporeas, nihilominus eorum malitia interior imputatur Dæmoni, quando homines ad hæc peccata incitat & hæc, ait Sanctus Thomas cadere in Dæmonem secundum reatum. Alia sunt peccata, quorum actus exteriores possunt à Dæmonibus consummari, huiusmodi sunt homicidium, detractio, furtum, &c. Cæterum hæc duplici modo possunt reperiri in aliquo subiecto; primò itaut sint capitalia vitia procedentia ex peculiari suo motiuo, & nõ ex capitali vitio; Sicut auaritiæ motiuum est vtilitas rerum nõ æternarũ, luxuriæ delectatio venerea, & similia. Sentit ergo S. Thom. hęc peccata, vt procentia adæquatè ex proprio, & peculiari motiuo non posse reperiri in angelis, quibus neque passiones insunt, neque vtiles sunt res externę, neque tędio laborant ratione virtutis, posse tamen eadem peccata, scilicet, homicidium, detractio, furtum &c. in Dæmone reperiri si procedant à motiuo superbiæ: Vnde concludit, solum peccatum superbiæ reperiri posse in angelis, quod D. Th. appellat peccatũ secundum affectum, ita per se, vt ipsius motiuũ sit capitale, & ratio cõmittendi cęteras malitias, quę in actu Dæmonis distingui possunt & eodem modo conceditur communiter peccatum inuidię in Dæmone, quoniam natura sua cohęret cum peccato superbię, & ab eius motiuo necessariò procedit: superbus namque dolet, superiorem personam sibi præferri, & inferiori aliquo modo comparari. *Resp. in Dæmonibus non esse peccata, quorum actus externi non possunt exerceri à spiritibus.*

Sed contra hanc doctrinã obijciunt Vasquez, & alij multa, quorum summa est, quia potest Dæmon operari ex motiuo aliorum vitiorum immediatè, v. g. inobedientię, iniustitiæ, & sic de alijs; Sicuti Sancti possunt operari ex motiuo non solum charitatis, sed etiam omnium virtutum. Respõdeo, esse diuersam rationem in virtutibus, & vitijs; quia virtutes habent, & respiciunt peculiares bonitates honestas, circa quas affici potest volũtas immediatè, & operari propter illas: vt vitiũ nõ potest allicere voluntatẽ secundũ malitiã obiecti, nisi sub aliqua ratione boni, hæc autem cũ nõ possit esse bonũ honestũ, necessariò debet esse vtile, vt delectabile appetenti, & sub hac ratione solùm potest appeti: cum autem in Dæmone nulla ratio vtilis, seu conuenientis, vel delectabilis possit reperiri in peccatis, quæ fiunt per actus externos, nisi fiat, vel propter inordinatã complacentiam sui, qua renuit subijci Deo imperanti, vel omnia sibi subijciat, vel vt Deo aduersetur, aduersus quem per superbiam se extollit, & currit *Erecto collo*, vt ait Iob. c. 15. vel quid simile, nec alia ratio vtilis, conuenientis, vel delectabilis respectu naturæ angelicæ fingi possit; ideò optimè Sanctus Thomas peccatum Angeli ex proprio, & formali 3483 *Instabis.* *Resp. esse diuersam rationem in virtutibus, & vitijs.*

formali motiuo non posse esse nisi superbiam, & consequenter inuidiam, quæ illam comitatur, seu subsequitur, affirmauit.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Diabolus appetierit esse, vt Deus.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio 1. Angelus non appetijt esse, vt Deus per æquiparantiam. Quia impossibile, quod vt impossibile cognoscitur, non potest appeti ab eo, à quo, vt impossibile cognoscitur. Item. Appetere esse in gradu naturæ superioris, habet necessariò annexum, non esse naturæ eius, qui appetit. 2. Conclusio. Angelus non appetijt esse, vt Deus, secundùm similitudinem solùm, respectu eorum, in quibus poterat ei assimilari; Quia si sic appetijsset, non peccasset. 3. Conclusio. Diabolus non appetijt esse, vt Deus, vt eis assimilaretur quantum ad hoc, quod est nulli subesse simpliciter. Quia appetijsset suum nõ esse, quia nulla Creatura potest esse nisi per hoc, quòd sub Deo esse participat. 4. Concl. Diabolus appetijt esse, vt Deus, vel in hoc, quòd appetijt, vt finem vltimum beatitudinis, id, ad quod virtute suæ naturæ poterat peruenire, auertens suum appetitum à beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Dei: vel quia si appetijt, vt vltimum finem illam Dei similitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suæ naturę, & non ex diuino auxilio secundùm Dei dispositionem.

Arg. 1. Quod implicat contradictionẽ, non potest cadere in appræhensione. Sed Creaturam aliquam esse, vt Deus, implicat contradictionem: ergo. Resp. Argumentum probare, creaturam non posse appetere esse, vt Deus, per ęquiparationem, quod conceditur.

Arg. 2. Quòd est finis naturę sine peccato appeti potest. Sed assimilari Deo, est finis, in quem quælibet creatura naturaliter tendit. ergo. Resp. ma. esse veram, si seruetur debitus ordo; noluit enim Diabolus esse Deo similis per gratiam, sed per virtutẽ naturę.

Arg. 3. electio non est nisi possibilium, de quibus tantùm est Consilium. Sed quòd Angelus sit ęqualis Deo secundùm suam substantiam, est impossibile. ergo. Resp. min. esse veram, sed tamen potest quis appetere esse, vt Deus, vel in gradu naturæ superioris, quoad reliqua accidentia, & perfectiones, vt dictum est in corpore.

DISPVTATIO CCCXXI.

An superbierit Angelus appetendo ipsam diuinitatem secundùm æqualitatem, & naturam, an verò desiderando aliquam illius similitudinẽ.

3484 Opinio D. Th.

DIuus Thomas apertè hic affirmat, angelum non potuisse appetere esse, vt Deus per æqualitatem, ita vt vellet naturam habere diuinam, sed solùm appetiuit esse Deus per similitudinem. Aliqui tamen in hoc D. Th. refragantur, & P. Suarez lib. 7. de Angelis cap. 12. Vasquez hic disp. 134. 1. & 2. Molina super q. 63. art. 3. disput. vnica, membro 3. Alarcon, tract. 6. de Angelis disp. 9. cap. 2. conclus. 4. citantque ex antiquis Scotum, Gabrielem, Maiorem, & alios. Quia verò instat ratio D. Thom. quia angelus euidenter videns, & sciens impossibilitatem huius obiecti, scil. se esse creaturã, & non posse esse creatorẽ sine dispendio sui Esse, & adhuc cum huius dispendio id stare non posse, vt Deus esset per transmutationem sui Esse in ipsum: Sic enim esset Deus factus, non Deꝰ verus: ideo distinguunt duplicem appetitum, scilicet efficacem, quò intenditur rei consecutio, & inefficacem, quo solùm appræhensa bonitas appetitur, & in ea quis delectatur, vt multoties in figmentis, & impossibilibus etiam cognoscendo, quod talia sunt, delectamur: dicunt ergo, quod primo modo, certum est angelum, non potuisse appetere Dei ęqualitatem vtpotè rem omninò impossibilem, quam nec stultus aliquis homo posset intentare, quantò magis angelus. At secundo modo potuit angelus de illo figmento delectari, seque tanquam Deum appræhendere, & in hac de tali figmento delectatione peccasse: immorari .n. in istis vanum est. — Authores cõtra opinionẽ D. Th. referũtur.

3483 Existimo tamen, omninò certum esse, angelum directè, & formaliter non peccasse hoc peccato simplicis voluntatis vanæ delectationis, circa ęqualitatem cum Deo, nec appetijsse esse Deum per naturam, sed per quandam similitudinem. An verò ex consequenti, & quasi virtualiter circa hoc etiam peccauerit, statim dicam. Quæ fuerit autem similitudo illa, in qua voluit esse sicut Deus, dicemus tractando difficultates sequẽtes de appetitu vnionis hypostaticæ, refutatione supernaturalis beatitudinis ex gratia Dei, & remanẽtia in sola naturali beatitudine. Et ita quoad primam partem, sententiam Diui Thomæ non solùm probabilẽ, sed certam existimo. — Concl. Angelꝰ directè, & formaliter, non peccauit peccato vanę delectationis.

Et probatur, quia peccatum Angeli fuit circa aliquẽ finem, quem voluit, & intendit consequi: ergo non fuit peccatũ eius circa aliquid impossibile, neq; potuit consistere in aliquo simplici, & inefficaci affectu complacentiæ simplicis circa rem impossibilem. Cons. Constat, quia affectus intentiuus assecutionis non potest esse circa impossibile cognitum, vt tale. id .n. omninò stultum est; Angelus autem clarè, & euidẽter cognoscebat esse impossibile, quòd ipse esset Deus per æqualitatem, & secundùm naturam. — Prob. quia peccatum angeli fuit circa aliquem finem, quem voluit.

Anteced. verò prob. primò ex ipsa natura rei, quia primus finis, cui afficitur voluntas Angeli, accipitur, vt finis vltimus, cuius gratia omnia fiunt, non poterat autẽ ab angelo sic accipi, id, quod iudicabat esse impossibile, & consequẽter non sibi conueniens, nec ad quod cęteræ actiones essent dirigibiles, nisi operaretur ex magna ignorantia, & stultitia: Licèt .n. circa rem impossibilẽ, & chimęricam possit aliquis vanè, & etiesè delectari, & pensare, tamen quòd rem chimericam, & impossibilem cogitatam, vt talem velit aliquis intendere tanquã finem vltimum, & id cuius gratia cętera faciat, omninò videtur impossibile, & vix à summa stultitia imaginabile. Quomodo .n. tàm serias, & deliberatas actiones, sicut sunt reliquę omnes, quas homo fecit in vita sua, & sicut fuerunt deliberatę, & cum omni aduertentia, quas Diabolus fecit, dicemus propter quandam rem chimæricam, & omninò impossibilem fieri? Et si fatentur authores citati, non potuisse angelũ appetitu efficaci velle esse Deum per ęqualitatem, quomodo potuit id sibi proponere, vt finem vltimũ, cui reliquas actiones subordinaret? Cũ in istis multæ actiones efficaces sint, illæ autem originari non possunt ex inefficaci voluntate finis, quia voluntas finis influit in omnes alios actus, qui ex fine sunt, ergo si inter istos multi sunt efficaces, non possunt illi originari ex inefficaci voluntate rei impossibilis, ita quòd eius gratia reliqua fiunt. Non ergo potuit ille appetitus diuinitatis secundùm æqualitatem esse voluntas finis vltimi, ex cuius gratia reliqua fierent: ergo debuit ante ipsum supponi aliquid aliud pro fine vltimo, cui subordinabantur reliquę peccaminosę actiones, ergo in illo fuit primũ peccatũ angeli, non in appetitu illo inefficaci æqualitatis diuinæ. — Antec. Prob. primo. quia primus finis, cui afficitur voluntas angeli, accipitur, vt finis, vltimus.

3486 Deinde probatur idem antecedens, quia Angelus in eo, quod appetijt in primo suo peccato, non solùm intendit, & voluit inefficaciter delectari, sed voluit negotiari, & illud cõsequi, aliosq; ad id sollicitauit. Quis autem dicat, totam sollicitudinem, & negotiationem tàm subtili- — 2. Prob. Anteced. quia tota sollicitudo, & nego-

tiatio tam sublimis creatura non potest in talem scopum collineare.

sublimis, & tàm sapientis creaturæ, sicut fuit primus angelus, & tàm intelligentibus creaturis loquens, sicut erant omnes angeli illi inferiores, in vnicum illú scopum collineasse, vt in re omninò impossibili, & cognita, vt tali, delectarentur, scilicet inefficaciter, & vanè cogitando se esse Deum per naturam. Quis, non dico Angelorum, sed etiam hominum admittet, vel non ridebit, hanc totam fuisse curam alicuius Sapientissimi, ac prudentissimi inter omnes homines, vt infinitis ferè populis persuaderet vanam, & ineptissimam cogitationem alicuius rei impossibilis, & chimericę, v. g. quòd detinerentur incogitando se esse angelos, aut volare, sicut aues, aut se habere corpora cælestia, aut diuinam habere naturam? Et in hoc totam curam, & conatum suum ponere, vt persuaderet immorari in istis. Quid ineptius? Quomodo ergo existimandú est illum angelum plenum sapientia, & Vaferrimum Draconem rem talem persuasisse angelis suis, vt vanè, & inefficaci quodam motu cogitarent, & desiderarent se naturam habere diuinam, & in hac ineptia immoraretur? An persuasisse angelum illum supremum, & inquieta negotiatione sollicitasse inferiorum angelorum peccatum, intentasseque, vt sequerentur se,

3487 **Confirm. ex clara scriptura**

Clarè ex scriptura deducitur Ezech 28. Tu Cherub extensus, & protegens, & posui te in monte Sancto Dei, *&c.* In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti. *Et infrà.* In multitudine iniquitatum tuarum, & iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam, *&c. & Isaia 14.* Quomodo cæcidisti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: in cælum conscendam super astra Dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. *Et infrà:* Tu enim terram tuam perdidisti, tu populum tuum occidisti, &c.

3488 **Peccatum angeli describitur, in sac. scrip non per modum simplicis voluntatis.**

Ecce quomodum peccatum angeli describitur, non per modum simplicis voluntatis, & complacentia de re chimerica, & impossibili, sed tanquam negotiatio quędam, & inductio aliorum, quos perdidit, & vt intenta re, quam desiderabat consequi, scilicet ascendere super cælum, exaltare solium super astra, & in hoc assimilari Deo, non dixit Aequalis ero Deo, *aut ero ipse Deus, sed similis ero altissimo, quod dicit non equiparantiam diuinitatis, sed assimilationem in maiestate, in cultu, &c. Denique, quod desiderauerit aliquid non chimæricum, & impossibile ex se, licet illicito, & prauo modo superbia, constat* ex illo *Anselmi* libro de casu Diaboli, *vbi ait*, Diabolum id appetijsse, ad quod peruenisset, si stetisset. *Igitur obiectum eius non fuit aliquid impossibile, & chimæricum, sed aliquid ad quod poterat perueniri aliquo medio, licèt non ille, quo ipse appetiji. At ipsum angelum esse Deum secundum naturam, nullo medio erat assequibile, nec ad illud peruenisset, etiamsi stetisset: ergo illud non fuit primú peccatú angeli directè, & p se primò desideratú, & volitú.*

Dub. 1. An Angelus ex consequenti, & quasi virtualiter, potuerit peccare, volendo esse, sicut Deus per ęquiparantiam.

Dub. 2. An superbierit angelus, appetendo sibi vnionem hypostaticam, & Christo inuidendo.

Dub. 3. An superbierit angelus, appetendo Beatitudinem supernaturalem.

Dub. 4. An Beatitudo naturalis fuerit angelis materia Superbiæ.

DVBIVM I.

An ex cōsequēti, & quasi virtualiter Angel⁹ potuerit peccare, volendo esse sicut De⁹ per equiparantiā.

3489 *Concl. hac voluntas non repugnat dari in angelo virtualiter, & indirectè.*

DIcimus hanc voluntatem nō repugnare, quòd fit in angelo, tàm virtualiter, & indirectè, tū formaliter secundum quandam vanitatem post aliud prius peccatum, in quo tamen ipse etiam ex prauo fine adiuncto peccabit mortaliter. Est quidem virtualiter, & indirectè, quatenus in promptitudine, & affectu animi ex odio aduersus Deum, ita Diabolus est dispositus, quod si posset ipsi eripere diuinitatem, & ab eo tollere, quòd nō esset Deus, id faceret, & ex superbia sua ita est affectus, quod si posset sibi ipsi diuinitatem habere, & nulli sub esse, ita vellet, ne scilicet aliusipso excellentior esset. Et hoc est virtualiter velle esse Deum in natura, & secundùm æqualitatem, si id non esset impossibile, scilicet, in promptitudine, & dispositione animi, quantum est ex vi dispositionis, & affectus, quem habent contra Deum ex odio, & complacentię circa propriam excellentiam ex superbia.

Similiter talis voluntas potest esse formaliter in angelis, quia ipsi benè cognoscunt illam conditionalem, si posem esse Deus per naturam, haberem summam excellentiam, nulli subessem, liberarer ab his miserijs, &c. & benè cognoscunt, quòd hoc est phantasticum, & chimericum bonum, licet chimęricè sibi repræsentari possit, vt valde delectabile, & cogitare, quod multa facerent si haberent omnipotentiam diuinam: nam, & nos ista cogitamus, & delectamur (esto otiosè) in similibus chimęricis fictionibus, & hystorijs, licet illa ficta esse cognoscamus, & multa sic chimęrica, & ficta à Dęmonibus nobis proponitur, vt in illis otiemur, sicut multa poetica vana, vt in illis delectemur. Ergo si etiā posunt in similibus chimericis, & phantasticis vanè delectari, vt si posent electos, qui sunt in cælo deijcere in infernum, Christum, & Beatissimam Virginem occidere, destruere, & conculcare, & inter hęc etiam posunt cogitare se esse, sicut Deus in ęqualitate, & quid in tali casu facerent: nec enim est maior ratio, cur in destruendo Deum, & Christum, & electos, quod est omninò chimæricum possint immorari, & non incogitando, & desiderādo se esse Deum, licet inefficaci, & simplici affectu. — 3490 *Talis voluntas potest esse formaliter in angelis.*

Et aliqui docent, posse Angelum habere velleitatem de hoc, non volūtatem actualem, & absolutam, idest voluntatem conditionatam, tàm ex parte obiecti, quàm ex parte actus, quæ explicatur dicēdo. Vellem hoc, si esset possibile, non quæ explicatur per actum præsentem, volo hoc, v. g. Volo me esse Deum, si sit possibile, quia licèt circa futura possit dari actus absolutus sub conditione tenente se ex parte obiecti, non tamen circa possibilia, eò quòd possibilitas, vel impossibilitas non conuenit sub conditione, sed absolutè ex pręcisa terminorū habitudine, vel repugnantia. Vnde quantumuis ponatur illa conditio, si hoc fuerit possibile nunquā reducitur ad veram possibilitatem, sed semper manet impossibile, & chimæricum illud obiectū simpliciter, & absolutè, & consequenter sine aliqua cōuenientia respectu voluntatis, vt possit appeti actu absoluto. Et sic talis conditio, *si hoc esset possibile*, nihil omninò conducit, sed æquo modo se habet voluntas erga illud obiectum impossibile posita illa conditione, vel sine illa. — 3491 *Aliqui docent posse angelum habere velleitatem, vellem me esse hoc, si esset possibile.*

Nihilominus in hoc nō oportet multū immorari: Omittimus .n. disputare nūc illā quæstionē, quid sit velleitas, & in quo cōsistat, de quo agēdū est, 1. 2. *qu. 6.* agentes de voluntario ex metu, in quo relinquitur velleitas, de opposito eius, quod ex metu operamur. Et nunc supponimus velleitatem, etiam aliquo actu formali explicari posse, saltem per modum alicuius complacentię circa id, q̄ repręsētatur, nos facturos, si hoc esset possibile. Vndè licet circa impossibile etiam adiecta cōditione ex parte obiecti, non possit dari actus de facto, & absolutus per modum resolutionis, poterit tamen dari per modū simplicis cōplacentiæ, quia ad hoc nō requiritur vlla cōditio possibilitatis, aut conuenientia quoad assecutionem rei, sed sufficit apparens illa, & repręsentata bonitas, vt circa id voluntas delectetur, tanquā circa quod bonum apparens, & cōueniens in ratione præcisa boni reprę́sentati, nō boni assequibilis, & tamē illa cōditio adiecta, si esset possibilis, iuuat, nō quidē, vt moueatur quis ad assecutionē rei impossibilis: ad hoc enim nihil illa conditio conducit, sed vt magis excitetur animus ad complacendū de re illa sub appræhēsione possibilitatis conditionatę. — 3492 *Supponimus velleitatem aliquo actu formali explicari posse.*

Velleitas ergo omninò conditionata est ex parte obiecti, & ex parte actus, quantum ad — 3493 *Velleitas est cōditionata ex parte obiecti, nō verò ex parte actus.*

ad ordinem efficaciæ,& affecutionis, aut resolutionem animi circa illam;non tamen est conditionatus actus,sed de facto, & formaliter datur quantũ ad complacendum, & otiandum circa illud, ficut quotidie experimur in nobis:Similiter ergo potest in Dæmonibus dari actus,quo absolutè,& de facto delectetur de re chimærica, & impossibili, licèt sit conditionatus ex parte actus,& obiecti quoad resolutionem,& determinationẽ assequẽdi, & quo ad hoc explicatur per ly vellem, quod non designat actum,qui est, sed qui esset.

3494 *Hæc voluntas inefficax non habet auersionem à Deo.* Hæc autem voluntas sic conditionata,imperfecta,& inefficax,de se non habet electionem in peccato,vel merito,quantum ad electionem, & determinationem erga aliquem finem,vel media, quia non potest vim electionis, vel intentionis habere; bene tamen potest habere peccatum otiositatis, & vanitatis,aut disponere ad alia peiora peccata: in Dæmonibus autem,quia id procedit ex odio Dei,& ad odium Dei disponit, quatenus delectantur, & complacent,quod essent Deus ex odio contra Deũ; ideo in eo etiam grauissimè peccant, sed aliud supponendo,non primum peccatum statuendo.

Confirm.ex doctrina D.Th. Et totum hoc docetur à D Thoma, qui in primis admittit talem voluntatem imperfectam, & inefficacem dari posse de re impossibili,quæ velleitas dicitur,licet non voluntas electiua,& perfecta, seu ad assecutionem tendens,vt patet 1.2.qu.13 ar. 5.ad 1.Deinde verò loquens de Dæmonibus qu.16. de malo a.3 ad 9.dicit,quod *Voluntas,quæ dicitur impossibilium non est perfecta voluntas,tendens in aliquid consequendum quia nullus tendit in id quod existimat impossibile,sed est quædam imperfecta voluntas, quæ dicitur velleitas,qua aliquis vellet,id. quod existimat impossibile,sed sub hac conditione si possibile sit. Talis autem non est voluntas auersionis, & conuersionis,in qua meritum,& peccatum consistat.* Vbi tota nostra resolutio satis çlare traditur a D. Thoma.

3495 *Fundamenta opposita sententiæ.* Ex dictis etiam facile soluta manent oppositorũ Authorum fundamenta. Quę reducuntur ad hoc, quod potest aliquis appetere aliquid impossibile, non intendendo eius consecutionem,sed tantum complacendo,& delectando se in illo, sicut pœnitens vellet habere innocentiam, & non peccasse,

1.Obiectio. quod tamen videt esse impossibile,& multa impossibilia fingimus,in quibus delectamur. Item possunt Dæmones ex odio Dei velle illum non esse, & quod si possent, destruerent illum, quod non minus impossibile est,quàm velle se esse Deum: ergo sicut hoc modo appetit sine errore speculatiuo, ita sine eodem errore potuit ex superbia appetere se esse Deum in primo peccato.

2.Obiectio. Item non obstat, quòd ad appetendum se esse Deum deberet appetere suũ non esse: Nam in primis non repugnat, quod aliquis appetat non esse appræhendendo illud, vt minus malum,quàm tolerare alia plurima mala, quibus carere vult,etiam non existendo.

Tertia Obiect. Deinde, quia potest quis in his impossibilibus solum appetere illam conuenientiam boni imaginati,nihil cogitando de destructione sui esse, sicut homo potest cogitare,& desiderare, se esse auem, se esse angelum,nihil cogitando de destructione sui esse,sed delectando de conuenientia ipsius boni. Et eodem modo potest quis delectari de habenda diuinitate.

Resp. ad 1. Cæterum ista ex dictis manent soluta. Ad primum dicitur non repugnare, quod aliquis cogitet, &simplici affectu delectetur de re impossibili, voluntate quadam imperfecta,vt ex D. Thoma vidimus. Repugnat autem,quod hoc assumatur, vt finis vltimus,qui est finis cuius gratia; & sic affectu efficaci intenditur. Angelus autem incœpit peccatum suum ab aliquo fine vltimo, vt dictum est, eoque efficaciter desiderauit id, circa quod primo peccauit.

Ad 2.Resp. Ad secundum iam diximus posse ex odio Dei desiderare,& complacere de illis impossibilibus, & similiter posse simplici affectu desiderare se esse Deum,non tamen potuisse id esse motiuum primi peccati,quia incipit in angelo à voluntate finis vltimi,vt diximus,quæ semper efficax est de se.

Ad tertium similiter constat ex dictis,quod ideò non potest appetere se esse Deum, quia appeteret se non esse,loquendo de appetitu efficaci & intentiuo consecutionis, non de appetitu simplicis affectus,& velleitatis. Et quia in primo actu debebat angelus incipere à fine,circa quem non datur solũ effectus simplex,sed etiam efficax; ideo bene infertur,non appetijsse angelum se esse Deum in primo peccato,aliàs appeteret se non esse,quia ille appetitus debebat esse efficax. Non tamen negamus posse appeti inefficaciter sine hoc, quod appetat angelus se non esse. *Ad 3 Resp.*

DVBIVM II.

An superbierit Angelus,appetendo vnionem hypostaticam sibi,& Christo inuidendo.

MVlti negant,quia Angelus incepit peccatum à fine vltimo,& vnio hypostatica, neque est finis vltimus supernaturalis, quia non est beatitudo,neque naturalis,quia ad ordinem naturalem non spectat. Similiter Angelus superbiuit circa proprium decorem se eleuãdo,vt dicitur Ezechiel. 28. *Eleuatum est cor tuum in decore tuo.* At non pertinuit vnio hypostatica ad perfectionem, & decorem angeli in quo eleuaret. Nec etiam potuit primum peccatum angeli esse in recusando subijci homini Christo,aut inuidendo illi, quia peccatum inuidij,aut non subiectionis pertinet ad actum fugæ,non persecutionis, primum autem peccatũ angeli debuit incipere à prosecutione alicuius finis mali. *Opinionis asserentium angelos non peccasse appetendo vnionem hypostaticam 1.& fundamentũ duplex.*

Nihilominus res ista incerta est: Sed tamen cùm certum sit angelos in via habuisse notitiam huius mysterij per fidem,vt ex Aug.S.Thom. docet 2.2.q 2.a.7 ad 1. nulla apparet repugnantia, quod inter obiecta materialia circa quæ eorum superbia in primo peccato se explicuit, vnum etiam fuerit vnio hypostatica, inordinatè appetita ipsi naturæ Angelicæ,idest,solum ratione excellentiæ propriæ, & quia se digniorem existimauit in summo honore: hoc enim ad superbiam pertinet, sicut fuit illa superbia magna Aman. quando in corde suo reputauit, quod nullum alium Rex, nisi se vellet honore,vt dicitur Esther 6. sic Diabolus, qui omnium superborũ est caput, existimare potuit, quod tantum honorem, qualis est hypostatica vnio non deberet Deus nisi sibi tribuere,non infimæ humanæ naturæ,& in hoc maximè superbire. 3496 *Conclusio. Nulla apparet repugnantia, quòd angeli superbierint circa mysteriũ incarnationis.*

Est enim considerandum,quod in superbia,licèt formalis ratio,& motiuum sit propria excellentia, tamen materia,in qua hoc exercetur, multiplex est, & varia,sicut quidam excellentiam quærunt in nobilitate generis, alij in scientia,alij in opibus, alij in gloria,& virtute militari. Et non repugnat,quod in his omnibus,vel pluribus aliquis excellentiam quærat,& superbiat. Sic ergo verisimile est in Angelo contigisse,qui quærens in propria excellentia superbire,etiam cùm primò peccauit, poterit ex parte materiæ nõ solùm proprium decorem inordinatè appetere,sed etiam vnionem hypostaticam, sub ratione cuiusdam excellentiæ, qua nullum alium,nisi se existimauit dignum,& humanæ naturæ sibi longè inferiori, talem celsitudinem communicari indignissimè tulit. Et licet in se ipso, & in decore proprio superbierit, tanquam in persona amata,& in fine cui,tamen ex parte rerum, quas sibi,vt fini,& vt personæ maximè dilectæ voluit, vnum potuit esse summa illa excellentia vnionis hypostaticæ,æstimans,sicut dicitur de Aman., nullum alium nisi se debere sic honorari a Deo. In hoc ergo nullam inuenimus repugnantiam, sed omnino conforme fuisse hoc obiectum immanissimę illi superbię; potuitque hoc obiectum in primo ipso peccato angeli inueniri, non per modum finis cui: hic enim fuit ipsemet angelus, sed per 3497 *In superbia angeli,licèt formalis ratio sit propria excellentia; materia potest esse multiplex.*

modum

modum rei sibi concupitæ, non adæquatè, sed inadæquatè inter plura obiecta materialia, quæ sibi potuit tunc appetere, & materiam excellentiæ propriè facere.

3498 *An verò ita de facto contigerit, incertum est.*

An verò ita de facto contigerit? res, vt dixi, incerta est, nec quidquam timerè pronunciandum. Certè Isaiæ 14. inter multa, quę Lucifer pro suæ superbiæ materia desiderauit, vnum fuit, sedere in monte testamenti; *Sedebo*, inquit, *in monte testamenti, ascendam super altitudinem nubium.* Nomine montis testamenti Christum intelligi, satis notum est. Et hoc ad ipsum primum peccatum pertinuisse constat, quia totum illud inquit Propheta dixisse, Luciferum in corde suo, quando manè oriebatur, idest in ipso peccandi initio. Similiter Ezechielis 28. de eodem primo angelo dicitur; *Eo, quod eleuatum est cor tuum, & dixisti, Deus ego sum, & in Cathedra Dei Sedi in corde maris, & dedisti cor tuum quasi cor Dei.* Quæ verba sine vlla violentia, sic intelligi possunt, Dixisti Deus ego sum, idest, dignus sum Deus esse personaliter, seu hypostaticè, & sedere in cathedra Dei, sicut Christo conuenit sedere in sede Dei. Vnde hoc ipsum etiam insinuat Bernardus. *serm. 69. in cantica*, vbi significat affectasse Diabolum Sedem Christi: *Sedes*, inquit, *illi* (Christo) *à dextris tuis, non sub pedibus. Quomodo audet quis peruadere locum vnigeniti tui? Præcipitetur. Ponit sibi sedem in excelso. Subuertatur Cathedra pestilentiæ*, Citatur etiam serm. 17. in Cātic.: Sed ibi id expressè non dicit, sed id, quod infrà ex ipso referemus.

3499 *Ad 1. fundamētum oppositæ sententiæ. Resp.*

Fundamenta opposita contra hoc nihil conuincunt. Fatemur incepisse Angelum peccare à fine vltimo non bono, sed deordinato; in quo fine includitur finis *cui* idest, ipsemet angelus, & finis *qui*, idest res volita sibi tanquam materia propriæ excellentię. Et in hac materia vnum ex rebus volitis fuit vnio hypostatica, non inquantum adhæsio ad Deum: Sic enim adherere Deo, etiam in vnitate personæ bonum est, sed in quantum excellentia quędam, qua nullum pręter se dignū æstimabat. Et sic licèt vnio hypostatica secundùm se non sit finis vltimus, idest, beatitudo, siuè supernaturalis, siuè naturalis, potest tamen inordinatè aliquis desiderare illam, vt materiam finis vltimi inordinatè, idest, vt materiam excellentiæ propriè inordinatè desideratam.

3500 *Ad 2. fundamentum oppositæ sententiæ. Resp.*

Ad secundum dicimus, quòd in proprio decore eleuatum est cor Angeli tanquam in fine *cui*, amādo se, vt personam, quam summè diligebat, & quā omni honore dignam iudicabat; & sic ex parte materiæ, & rei volitæ pro excellentia potuit sibi ita pulchro, & decoro in æstimatione velle vnionem hypostaticam, vt materiam magnę excellentiæ, qua solùm se ęstimabat dignum. De peccato inuidiæ contra Christum hominem, dicimus illum non posse esse primum peccatum angeli, sed supponere affectum malum erga finem vltimum, qui præcedere debet in Angelo alia peccata, & motum illum inuidiæ, qui pertinet ad fugam, seu abominationē. Aduertendum tamen est hunc appetitum excellentię circa vnionem hypostaticam non eodem modo in omnibus extitisse, quia non omnes desiderabant sibi personaliter vnionem hypostaticam, sed desiderabant fortasse fieri in natura angelica potiùs, quàm in humana; & supremus Angelus desiderabat sibi illam personaliter, quia sedere voluit in monte testamenti, & in Cathedra Dei.

DVBIVM III.

An Angelus exercuerit peccatum superbiæ circa beatitudinem supernaturalem.

3501 *Conclusio. In primo peccato angeli interuenire potuit superbia circa beatitudinem supernaturalem.*

Circa tertium obiectum, scilicet circa beatitudinem supernaturalem, an circa illam exercuerint Angeli peccatum superbię? Dicimus, etiam in primo peccato angeli interuenire potuisse superbiam, circa supernaturalem beatitudinem, recusando, & despiciendo illam, taliter, quòd virtualiter, & interpretatiuè voluit, non ex Dei gratia eam habere, sed ex proprijs viribus, neque vt communem multis, formaliter autem solùm voluit eam efficaciter recusare, & in sua naturali fęlicitate, & pulchritudine quiescere. Vnde non debet separari in angelo recusatio beatitudinis supernaturalis à delectatione quiescendi, & manendi in sua naturali felicitate, sicut homo peccans per appetitum rerum inferiorum, & sensibilium, recusat simul spiritualia, & superiora bona, licèt vellet ea habere sine labore, & non carendo fruitione rerum sensibilium. Sic se habuit in Angelo naturalis pulchritudo, & fœlicitas vnicuique propria, & ex propria excellentia habita, & supernaturalis beatitudo, vt communis multis, & ex gratia Dei habita, quod istam recusat, quia communis omnibus, & ex gratia, quę sunt duę conditiones valdè oppositæ humori superbo, & primam amplectitur in eaque requiescit, quia propria, & ex proprijs habita. Hanc sententiam puto esse mentem ipsissimam D. Thomæ, & per eam optimè explicari, quomodo hic interuenerit vera superbia, & error speculatiuus, licet practicus non defuerit, quæ est inconsideratio, & imprudentia omnibus peccatis communis.

circa beatitudinem supernaturalem.

Propter quod pars ista de supernaturali beatitudine difficilis visa est aliquibus authoribus, & vel negant circa hoc obiectum fuisse peccatum superbiæ angelicæ, vel diuertunt à sententia *D.* Thomæ in explicando, quòd voluerit non ex gratia, sed virtute propria obtinere illam beatitudinem. Nam P. Suarez *lib. 7. de Angelis c. 11.* absolutè docet, esse impossibilem actum illum in angelo circa beatitudinem supernaturalem proprijs viribus obtinendā, vel debitam sibi, etiamsi affectus sit simplex, nisi detur aliquis error speculatiuus in intellectu, quo falsò peccet possibile esse; comparere sibi beatitudinem proprijs viribus. Addit tamen *ibi nu. 7. 8.* quòd licet angelus euidenter cognoscat se non posse physicè obtinere beatitudinem illam viribus proprijs, nec laborasse hæresi, & errore contra fidem circa hoc, tamen non repugnare, quod errauerit angelus, putans, sicut Pelagius, habere ex se meritum de condigno, vt Deus daret sibi beatitudinē. Cui assentit P. Alarcon. *tract. 6. de Angelis disp. 9. c. 2. num. 9.* licèt existimet culpabilem hunc errorē, non fuisse primum peccatum in angelo.

3502 *Aliorum contrarię opiniones Referuntur*

Contendit tamen Suarez *ibidem à num. 19.* potuisse angelum habere superbiam circa quandam circunstantiam beatitudinis supernaturalis, desiderans illam citiùs sibi dari, quàm à Deo decretum fuerat, & indignè ferens non statim sibi concedi. Quod ergo non credo, quia si Angelus cernebat se non posse habere gloriam, nisi per meritum, nō potuit breuius meritum desiderare, quàm per vnicā instans continuatione facta post creationem, quo posito statim ei daretur beatitudo. Alij, vt Vasq *disput. 135. c. 3.* recurrunt ad affectum simplicem, & inefficacem circa beatitudinem, volendo, & complacendo sibi de consecutione illius ex propria virtute, & sine meritis, de quo affectu interpretatur Sanctum Thomam *in hoc articul. 3. quæst. 63.* dum dicit, *voluisse angelum beatitudinem illam habere ex virtute sua, non ex diuino auxilio.* Et sententiam Suarez sequuntur Molina *ad art. 2. & 3 huius q. 63. memb. 5.* Beccanus *lib. 3. de Angelis cap. 4. quęst. 7.* Sententiam autem Vasq. sequitur Arrubal *disput. 178. c. 3. & 4.* Alarcon *supra cit.* & alij.

3503 *Opinio contraria Suarez explicatur.*

3504 *Nota. Dupliciter potuisse circa beatitudinem supernaturalem, superbiam angeli cōsiderari.*

Cæterùm vt sententia Diui Thomę, quæ verissima est, quamque sequuntur communiter discipuli eius, explicetur, notandum est, quòd circa beatitudinem supernaturalem, quæ est vltimus finis, dupliciter potuit inordinata superbia angeli considerari. Primo volendo eam positiuè, siue appetitu efficaci, siue inefficaci habere ex proprijs meritis sine Dei Auxilio. Secundo volendo eā efficaciter recusare cum illis conditionibus, quibus a Deo proposita fuit, scilicet, vt communis tàm angelis, quàm hominibus, & vt habenda ex gratia, & beneficio speciali

speciali Dei, atque auxilio eius, non ex meritis proprijs, aut debito aliquo connaturali. Istæ enim duę conditiones vehementer opponuntur singularitati, & superbiæ, qua ille spiritus volebat singularitatem, & appetebat excellentiam. Vnde potuit beatitudinem supernaturalem, vt propositam sub his conditionibus efficaciter recusare, & sic recusando superbire, tacitè insinuando, quod sine istis conditionibus eam libenter amplecteretur, quod est virtualiter, velle habere beatitudinē proprijs viribus, seù non ex gratia Dei, quatenus recusans habere illam ex gratia, & vt communem hominibus, tacitè, & virtualiter non recusaret illam sine prędictis conditionibus, quod multoties constat contingere inter homines, qui renuunt acceptare aliquam dignitatem, vel munus cum tali onere, vel pensione, quam iudicat se indignam, quam tamen sine illo onere acceptarent, & interim ex propriæ excellentiæ æstimatione prouenit recusare illud munus cum illo onere.

3505 *Prob. Conclusio, & explicatur, quia nō potuit Angelus peccare persequendo beatitudinē supernaturalem.*

Sic ergo dicimus, Angelum non peccasse peccato superbię intendendo persecutionē beatitudinis supernaturalis positiuè, neque efficaciter, quia euidenter iudicabat esse impossibile, quod viribus naturalibus id deberetur, vel physicè acquireretur. Nec in hoc habuit errorem Angelus, aut hæresim, quia nō conuenit naturæ illi ita perfectę, errorem speculatiuum incurrere, neque heresim habuisse cōstat, neque in isto errore nō potuit primum eius peccatum poni, quia non conuenit tàm perfectę naturæ incipere ab errore speculatiuo, quæ magnum defectum supponit. Nec inefficaci solùm appetitu complacendo, & delectando de assecutione beatitudinis ex proprijs viribus peccauit Angelus, quia, vt ostensum est *suprà*, agendo de appetitu æqualitatis Dei, angelus in primo peccato non potuit solùm peccare ex inefficaci appetitu, sed ex aliquo fine efficaciter intento, ex cuius gratia cętera appeterentur: & de facto peccauit appetendo aliquid, quod assequi tentauit, non circa quod inefficaci tantùm complacentia elanguit, vt ibi ostēdimus. Et sic omnia, quæ diximus contra inefficacem appetitum æqualitatis diuinæ, currunt hic contra inefficacem appetitum beatitudinis. Nec denique superbiuit appetendo positiuè aliquam circunstantiam beatitudinis, vt quòd citius daretur sibi beatitudo, aut aliquid simile, vt iàm suprà ostendimus: satis enim citò data est beatitudo, supposito, quòd ex meritis dari debuit, cùm data fuerit post primum instans meriti continuatum, vt sequenti disput. dicetur. Nec assignari poterit aliqua circumstantia in beatitudine supernaturali, quam ex proprijs viribus posset desiderare Angelus, & non ex gratia, supposito, quod ipsam beatitudinem, eiusque assecutionem in singulari, non poterat ex viribus proprijs desiderare consequi.

3506 *Confirm. quia Beatitudo habenda ex gratia Dei, erat obiectū valde congruum superbiæ Angelicæ.*

Ex alia autem parte recusatio beatitudinis supernaturalis, vt sibi onerosæ, cum illis conditionibus, quod habenda esset ex gratia Dei, & cum communicatione ad homines, est obiectum valde congruum superbiæ Angelicę, quia videntes dignitatem suam, appetierunt singularitatem, quæ maxime est propria superborum, præsertim refugiendo communicare cum inferioribus, quales erant homines; & similiter, noluerunt aliquid sibi dari ex gratia, & alieno beneficio, quasi nullius alterius gratia indigendo, quod etiam videmus passim in hominibus superbis inueniri. Hoc ergo maxime fuit possibile, & congruum superbię Angeli. Nec aliter voluerunt in sua naturali beatitudine sistere, & ea esse contenti, nisi quia per hoc recusarunt superiorem beatitudinem, vt ex speciali gratia sibi dandam, & vt communem cum hominibus; quorum neutrum habebant in fruitione propriæ, & naturalis beatitudinis.

3507 *Confirm. 2. ex pluribus SS. PP authoritatibus specialiter ex D. Bernardo.*

Et hoc ita de facto contigisse suadet tùm Patrū, & D. Thomæ in hac parte explicatio, tùm scripturæ insinuatio. Nam ex Patribus Bernardus hoc apprime attigit serm. 17. in cantica, qui locus licet citetur ad probandū, quod Angelus appetijt vnionem hypostaticam, reuera tamen id non expressit, sed solùm id, quod à nobis circa supernaturalem beatitudinem dictum est, his verbis: *Potuit contingere, si tamen incredibile non putetur, plenum sapientia, & perfectum decore homines præscire potuisse futuros etiam, & profecturos in parem gloriam, sed si præsciuit, in Dei verbo, absq. dubio vidit, & in suo liuore inuidit*, intellige in verbo non clarè viso, sed per aliquam reuelationem specialem, *& molitur est habere subiectos sortes dedignatus. Infirmiores sunt*, inquit, *inferiores natura, non decet esse conciues, nec ęquales in gloria. An fortè prodit impiam hanc eius machinationem illa præsumpta ascensio, sessioquè significans magisterium? Ascendam*, inquit, *super montem excelsum, & sedebo in lateribus aquilonis quo Altissimi quandam proinde similitudinem obtineret, siquemadmodum ille super Cherubim sedens gubernat omnem angelicam creaturam, ita, & ipse alius sederet, regeretque genus humanum.*

Ecce expressam à Bernardo superbiæ illius diabolicæ magnitudinem circa beatitudinem supernaturalem, recusando illam habere sine singularitate propria, sed communem cum hominibus; ex quo consequutum est, quod voluerit specialem super eos habere prælationem potiùs, quàm communicationem, vt etiam Diuus Thomas fatetur in hac quæstione 63 art. 3. in calce.

Accedit ad hoc authoritas S. Gregorij Papæ 34. moral. cap. 13. aliàs 17. vel 14 vbi inquit, *angelos perdidisse participatam celsitudinem, quia priuatam desiderauerunt*, idest recusauerunt *cęlestem beatitudinem, quia participata, & communis erat, & solùm voluerunt priuatam, scilicet*, quatenus priuatam, & propriam, quia prout sic, habebat duas conditiones maxime opportunas superbiæ, scilicet singularitatem, seù nihil commune habere cum inferioribus, quod ipsis vulgare videbatur, etiamsi esset gloria supernaturalis, & non habere illam ex speciali beneficio, & gratia, & quasi precariò. hoc enim maxime recusant superbi, & maxime recusauit angelus. 3508 *Confirm. 3. ex D. Gregorio, qui idem sēsit.*

Et ad hoc pertinet parabola illa Lucę 14. de homine, qui facit Cœnam magnam, cùm vocasset inuitatos cœperunt se excusare: ideo enim fortassis recusauerunt ad illā cœnam venire, quia magna erat, & pro multis, dedignantes consortium habere cum tanto numero, potiùsque eligerunt suas priuatas cōmoditates, licet longe inferiores, vt potè naturalis ordinis, iste quia villam emit, ille quia iuga bouum, alius, qui vxorem duxerat, vnusquisque propriam excusationem prætendens, & priuatum bonum, quia proprium, recusans vero Cœnam, quia magnam, & multis communem. Iste est proprijssime spiritus superbiæ. Denique Aug. relatus à Suarez. *lib. 7. de angelis cap 11.* inquit, 12. *de ciuit. cap. 1.* quod *angelus ipse sibi ad vitam beatam sufficere voluit*. Et infra. *mali angeli sua potestate delectati velut bonum suum sibi ipsi essent, à superiori bono ad propria defluxerunt* Et idem refert D. Thomas ex August libero de libero arbitrio, & 4. de Genesi ad litteram in quæstione 16. de malo art. 3. 3509 *Confirm. 3. ex parabola illa Lucæ 14.*

Accedit ad hanc materiam S. Thomas, qui perpetuò docet recusasse angelū habere beatitudinem supernaturalem ex gratia, volendo sistere in sua naturali beatitudine; & ita si appetijt beatitudinem supernaturalem, appetijt illam ex virtute propria. Videatur *in hac quæst. 63. art. 3* vbi inquit: *In hoc appetit esse similis Deo, quia appetijt vt finem vltimū beatitudinis id, ad quod virtute sua natura poterat peruenire, auertens suum appetitum à beatitudine supernaturali, quę est ex gratia Dei*, Qui sermo est valde formalis in Diu. Thom. scilicet auertens, recusans beatitudinem supernaturalem, quia est ex gratia. *vel si appetijt, vt vltimum finem illam Dei similitudinem, quæ datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suæ naturæ, non ex diuino auxilio secundùm Dei dispositionem. Et hoc consonat dictis* 3510 *Confirm. 4. ex Sāēto Thoma.*

Anselmi

Anselmi, qui dicit, quòd appetijt illud ad quod peruenisset si stetisset. Et hæc duo quodammodo in idem redeunt, quia secundum vtrumque appetijt finalem beatitudinem per suam virtutem habere, quod est proprium Dei. Ecce formalis ratio, quam habuit superbia Diabolica pro intento, scilicet habere beatitudinem, non ex gratia, neque ex beneficio speciali; ad quod non requiritur, quòd positiuè intenderit habere beatitudinem supernaturalem, ex virtute propria, sed quòd recusauerit illam habere, si ex gratia habenda erat, virtualiter intendens, quod si non ex gratia haberetur, illam vellet.

3511 *Confirm. 5. ex S. Th. alio in loco.*

Videndus est etiam Sanctus Doctor *in 3. contra Gentil. cap.* 110. vbi inquit, quòd *Angelus non appetijt aliquod bonum, nisi vnum, quod est sibi propriũ, sed in hoc fuit peccatum, quia prætermisit superius bonum, in quod debuit ordinari: sicut enim in nobis peccatum est ex hoc, quod bona inferiora, scilicet corporis, appetimus absque ordine rationis; ita in Diabolo peccatum fuit in hoc, quòd proprium bonum non retulit in diuinum bonum.* Iuxta hunc sensum intelligitur quod dicit, *in quæst.* 16. *de malo art.* 2. *ad* 4. quòd *Diabolus non appetijt aliquod malum, sed quoddam bonum sibi conueniens, inordinatè tamen, & immoderatè illud appetijt, quia scilicet non appetijt illud, vt assequendum per diuinam gratiam, sed per propriam virtutem, quod excedebat modum suæ conditionis.* Et art. 3. sequent. *Fuit primum peccatum Diaboli in hoc ad consequendam supernaturalem beatitudinem, quæ in plena Dei visione consistit, non se erexit in Deum, tanquam finalem perfectionem ex eius gratia desiderans cum Angelis sanctis, sed eam consequi voluit per virtutem suæ naturæ non tamen sine Deo in naturam operante, sed sine Deo gratiam conferente.*

3512 *Qualis sit sensus germanus horum testimoniorum D. Th.*

Quæ testimonia licèt significare videãtur fuisse in Angelo intentũ consequẽdi positiuè gloriã sine gratia, quod sine errore speculatiuo stare nõ poterat, quẽ D. Th. perpetuo negat in Angelis interuenisse, tamẽ reuera non sunt intelligenda de intento positiuę consequutionis formaliter, sed solùm virtualiter, & indirectè recusando illam habere ex gratia, quòd est virtualiter velle, si non esset ex gratia; quia alias esset contradictio in Diu. Thom. negante Angelo errorem speculatiuum ex vna parte, vt patet *in hac quæst.* 63. *art.* 1. *ad* 4. *&* 3. *contra Gentil. cap.* 110. *ad primam rationem, & supra q.* 58. *art.* 5. *& quæst.* 16. *de malo art.* 6. & alibi sæpè, & ex alia parte concedente intentum formaliter, & positiuè consequendi gloriam ex proprijs meritis, cùm id sit omninò impossibile. Et quia satis se explicat *loco citat. ex cap.* 110. *in* 3. *contra Gentil. & in art.* 3. *huius quæst.* 63. vbi circa beatitudinem supernaturalem admittit Angelum se habuisse per modum auersionis, seù recusationis, nolens illam ex gratia, & beneficio Dei, vnde virtualiter, & tacite admitteret illam, si non esset ex beneficio gratuito, sed ex virtute propria. Et hanc tacitam, seù virtualem volitionem beatitudinis ex proprij meritis solùm ponit Diu. Thom. in Angelis hoc ipso, quòd admittit illos peccasse auertendo suum appetitum à supernaturali beatitudine, nec volendo illam ex gratia. Et quando addit quod si appetierunt, vt finem vltimum beatitudinem sic assequendam, ex virtute propria voluerunt illam, statim subdit, quod hoc in idem redit, cum illo priori appetitu, quo voluerunt naturalem suam Beatitudinem auertendo se, aut recusando illam habere ex gratia, quia hæc recusatio beatitudinis, vt ex gratia habendæ, est virtualis volitio assequendi illam non ex gratia.

3513 *Ex sententia D. Th. in Angelis duo fuerunt actus superbiæ, & circa naturalem, & circa supernaturalem beatitudinem.*

Vnde in sententia D. Th. non debemus separare duos actus superbiæ, vnum circa beatitudinem naturalem volendo in illa sistere, alium circa supernaturalem intendendo illam consequi ex proprijs viribus, sed vnus, & idem actus fuit, eademque superbia, recusans habere ex gratia, & beneficio Dei supernaturalem beatitudinẽ, & potiùs eligens in propria sistere, quàm illam supernaturalem ex gratia habere. Et hoc ideò, quia appetitus efficax, & positiuè intentiuus gloriæ ex proprijs viribus, est planè impossibilis, etiam homini stulto, nec dum Angelo intelligentissimo. Appetitus autem recusatiuus gloriæ, & beneficij gratuiti, non potest sufficere ad statuendum primum peccatum Angeli sine altero appetitu, quo vellet sistere in sua naturali fœlicitate, & excellentia; quia ille primus appetitus est recusationis, & fugæ, vltimus autem finis debet appeti, vt prosequẽdus, nec possumus pro primo peccato, qui in Angelo incipit ex intentione finis, assignare solùm illam fugam, seu recusationem, non assignando prosecutionem. Ergo si Angelus deliquit circa finem supernaturalem, recusando illum, vt ex gratia, licet si ex virtute propria esset, non recusaret illum, oportet, quòd in ipso delicto superbiæ assignetur etiam finis, in quo requieuit, & quem prosecutus est, scil. in propria excellentia naturali sistere potiùs, quã aliquid ex gratia habere.

Ex hoc autẽ soluuntur omnes difficultates, quæ contra hoc fieri possunt, & ferè tota instantia contra D. T. fit in hoc, quia nõ poterunt appetere consecutionẽ beatitudinis supernaturalis ex proprijs viribus, nisi, vel iudicando illam possibilem, & hic esset magnus error, etiam in speculatione; vel iudicando illam impossibilem, & hoc esset magna stultitia, conari in talem consecutionem; vel esset solùm inefficax, & simplex affectus illius beatitudinis sine merito, & talis affectus non seruit pro fine appetendo, quia appetitus talis finis debet esse efficax, & positiue intendens, cũ id cuius gratia cętera appetũtur. Vel si in eo aliquod peccatũ fuit, potiùs fuit omissionis, quàm commissionis, quia omisit tunc agere, & velle, quòd oportebat circa suã salutem, otiosè occupatus circa illam simplicẽ delectationem, & imaginariam beatitudinis habendæ sine meritis. Itam quia velle assequi beatitudinem sine auxilio Dei potiùs est peccatum præsumptionis contra spem, aut magnanimitatem, quàm superbiæ contra humilitatem; & sic frustra per illum actum explicamus superbiam Angeli: aut saltem peccauit Angelus, & laborauit hæresi Pelagij, putans sufficere ad beatitudinem supernaturalem naturales vires, ex quibus haberi posset meritum de condigno talis beatitudinis. 3514 *Obiectiones.*

Hæc omnia iuxta nostram explicationem carent vi, nec oportet in eis immorari: nec enim nos dicimus, peccatum superbiæ in Angelo processisse ex iudicio intendente consecutionem beatitudinis sine gratia, seu ex viribus proprijs: huiusmodi enim consecutio non potuit esse intenta sine errore; sed orta fuit ex iudicio recusandi quodlibet bonum, etiam gloriam ex gratia, & beneficio alieno, & sine singularitate aliqua, sed communicando cum inferioribus: hoc enim maximè dedignantur superbi. Et quia Dæmones superbissimi fuerunt, ideo omnem communicationem cum alijs inferioribus, etiam in gloria, & omnem modum habendi aliquid ex gratuito beneficio, & non vt debitum, etiam gloriam ipsam recusarunt; vndè virtualiter voluerunt illam, si non esset ex gratia, sed ex propria virtute assequibilis. Et sic nullo modo ex relatis in argumento voluerunt positiuè, & formaliter beatitudinem, sed efficaciter voluerunt illam recusare, quia erat ex gratia, communicabilis omnibus, virtualiter autem volebant illam, si sic non esset: efficaciter vero, & positiue adhærebant propriæ excellentiæ, vt fini, quia ibi tales cõditiones non inueniabant, sed erat propria, non cõmunis, & non ex gratia speciali, sed solùm iure creationis conueniens. 3515 *Responsiones. Superbiam in Angelis ortam fuisse ex iudicio recusandi quodlibet bonum, & gratia aliena.*

Nec in hac fuit peccatum omissionis, sed commissionis, quia voluerunt inordinatè adhærere propriæ excellentiæ, recusando supernaturalem, ad quam ex gratia ordinabantur à Deo. Semper Diabolus gratiam Dei abominatus est. Nec in hoc habuit peccatum præsumptionis contra spem, aut contra magnanimitatem, sed superbiæ contra humilitatem, 3516 *In hoc non fuit peccatum omissionis, sed commissionis.*

militatem, quia ipsi noluerunt consequi beatitudinem sine meritis, sicut vult præsumptuosus, sed recusarunt illam, si erat habenda per gratiam, quod faciunt superbi. Nec oportet illi attribuere errorem Pelagij de habendo merita condigna ex propria natura, quia ipsi non volebant consequi formaliter, & de facto gloriam per sua naturalia, sed recusabant habere illam, si per gratiam consequenda erat, vt vere erat. Vnde non habuerunt errorẽ speculatiuum Pelagij, sed habuerunt maximam superbiam, vnde erupit scintilla erroris Pelagij.

DVBIVM IV.

An beatitudo naturalis fuerit materia superbiæ.

3517 *Aliorũ Opinio.*

Dicimus sine dubio fuisse, vt constat ex Diu. Th. *supra* relato, sed dubitant aliqui authores, quomodo in hoc appetitu propriæ excellentiæ, & naturalis fælicitatis fuerit peccatum, aut si fuit, quomodo fuerit superbiæ? Nam in appetitu propriæ, & naturalis fælicitatis secundùm se peccatum non est, imò, vt *supra* diximus non potuit Angelus peccare, si nude, & præcisè sisteret in suis naturalibus, quia ad illa erat omninò necessitatus, & determinatus, sed oportuit, quòd haberet respectum aliquem ad supernaturalia bona. Si autem consideretur ordo ad supernaturalem beatitudinem, nõ apparet, quomodo interuenerit ibi peccatum superbiæ sine errore speculatiuo, quia ad peccatum superbiæ, oportebat, q̃ excellẽtiã suã ita extolleret, vt præ illa despiceret supernaturalẽ beatitudinẽ, vel iudicando esse inferiorem, vel impossibilem, aut non necessariam, vel non futuram Deo, quod totum sine errore speculatiuo stare non potuit. Si autem diuertit à beatitudine supernaturali, eamq; recusauit, non cum tali errore speculatiuo, sed solùm cum practico, recusando illam, vt difficilem sibi, aut grauem; & proptereà solùm quiescendo in tali fælicitate naturali, quæ magis sibi est facilis, tunc non erit illud peccatum formaliter superbiæ, sed pusillanimitatis, vel pigritiæ, volendo hoc bonum, non quia proprium, & excellens, sed quia facilius, minusque molestũ, sicut homines deflectũt ad sensibilia bona, relictis spiritualibus, quia illa appræhenduntur, vt faciliora, minùsque molesta, quod non est peccatum superbiæ, sed pigritiæ, seu accidiæ. Et vrgetur.

Primum fundamentum.

Secundum fundamentum.

Secundo, quia velle propriam, & naturalem fælicitatem relicta superiori, & supernaturali, potiùs est descendere, quàm ascendere, nec oportet multum negotiari in tali fælicitate quærenda, cùm ex natura eam habeat. At peccatum Luciferi describitur per modum ascensus, & exaltationis, *Isaiæ* 14. non descensus ad inferiora, & per modum negotiationis. Ezech. 28. *vt supra* ponderatum est. non ergo in naturali fælicitate quærenda fuit peccatum illud superbiæ. Et si dicatur fuisse tendentiam in excellentiam naturalem per modum exaltationis, quatenus volebat eam non ordinare in supernaturalem beatitudinem. Contra hoc est, quia tunc formaliter solùm esset peccatum omissionis referendi naturalem excellentiam in Deum, & non exercendi talem actum charitatis, quod quidem erat contra præceptum affirmatiuum supernaturalis ordinis, tunc obligans, non tamen cõstituens naturalis excellentiæ appetitum in ratione superbiæ, siquidem tota malitia illius appetitus reducitur ad hoc, quod fuit causa illius omissionis, & fractionis præcepti tendendi, & ordinandi se ad supernaturalia.

3518 *Qualiter appetitus sistendi in naturali excellentia fuerit peccatum.*

Nihilominus ex dictis circa appetitum recusandi beatitudinem supernaturalem, manet explicatũ, qualiter ille appetitus sistendi in naturali excellentia fuerit peccatum, & proprijssime peccatum superbiæ, vt Diu. Thomas *in art. 3. huius qu. 63.* affirmat, & sequuntur omnes eius discipuli, licet id neget Suarez *lib. 7. de Angelis c. 10.* putans ad id, necessarium fuisse errorem speculatiuum, quo iudicaretur beatitudo supernaturalis, vt non necessaria, aut non possibilis, vel futura. Et sequuntur ipsum Arrubal *hic disp. 178 c. 3.* Becanus, Molina, Esthius, & alijs quos citant NN PP. Salmaticenses *tract. de Angelis disp. 10 dub 5 num 161.* Vasquez autem *hic disp. 235 cap. 5* licet putet naturalem beatitudinem, vt excellentem potuisse esse obiectum superbiæ in Angelo, recurrit tamen ad illum simplicem affectum quo potuit sibi displicere supernaturalis beatitudo, vt per merita acquisibilis, tanquam sibi difficilis, & morosa, atque ita quiescere, vt in fine vltimo, in sua naturali excellentia, quod etiam concedit Alarcon *vbi suprà disp. 9. cap. 2. nu. 6.*

3518 *Vera Cõclusio; Naturalis fœlicitas placuit angelo ex affectu superbiæ, quia iudicabat, hanc naturalẽ excellentiam nõ habuisse ex speciali gratia.*

Ego autem iuxta superius dicta affirmo, naturalem fęlicitatem placuisse Angelo, non solùm, vt commodiorẽ, minùsque molestam in acquirendo, sicut homines mali blandas carnis delicias amant, vel spiritualium austeritate molestentur: hoc enim parùm poterat angelum vrgere, sed placuisse angelo ex affectu superbię, non quia suam natura em fęlicitatem simpliciter, & absolutè, & quasi. entitatiuè excellentiorem putauit supernaturali, aut istã esse impossibilem, vel sibi non necessariam, vel vtilem; sed quia suam naturalem, & propriam excellentiam iudicabat non haberi ex speciali gratia, & beneficio Dei, sed iure creationis, nec vt multis cõmunem, sed sibi singularem; supernaturalem autem beatitudinem vtraque conditione ista carere, & ideo recusabat supernaturalem beatitudinẽ sub hac præcisa consideratione, vt ex gratia, & communem multis, quiescebat vero in propria, vt habita iure creationis, & non ex speciali gratia, neque communiter ad multos, licet aliàs excellentiorem iudicaret supernaturalem beatitudinem, sed non, vt sibi conuenientem cum tali onere gratuiti beneficij, in quo nullus interueniebat speculatiuus error, quia totum hoc, quod iudicabat verissimum erat, sed interueniebat summa superbia, quia ipse speculatiuè iudicabat beatitudinem supernaturalẽ dari ex beneficio gratuito, & communiter tàm angelo, quam homini, & hoc verum erat; iudicabat quoque suam excellentiam naturalem, licèt longę inferiorem, esse tamen sibi peculiarem, nec ex gratia speciali, sed iure creationis sibi dari. Errabat autem practicè, quia singularitatis auidus, & impatiens dependentię ab aliena gratia, & nolens quidquam precario habere, antepoluit inferiorem excellentiam, vt propriam, & non ex gratia speciali, excellentiæ superiori, vt ex gratia dandæ. Et in hoc tantum errauit practicè, quantùm superbiuit. Vnde ad rationes in contrarium manifestè patet solutio.

3519 *Ad 1. fundamẽtum Resp.*

Ad primam dicitur, verum esse, quòd non peccauit angelus in appetitu naturalis excellentiæ, nisi cum ordine ad supernaturalem, nolens hanc admittere cum tanta subordinatione ad gratiam. Nec errauit speculatiuè circa ipsam, vt ostensum est, quia iudicabit verè, quod solum ex gratia sibi dabatur, sed noluit sic habere. Errauit autem practicè, recusando illam non ex pusillanimitate, aut pigritia, quasi grauem, aut molestam sibi, sed ex superbia, quia videbat illam, ex gratuito beneficio dandam, & communicandam alijs, quòd in sua naturali excellentia non dabatur; & ideo licet inferior esset, magis illa delectabatur.

3520 *Ad 2. fundamẽtum. Resp.*

Ad secundam dicitur, quod licèt Angelus verè descenderit relinquẽdo superiora bona, & vt Augustinus suprà cit. dicit defluxit ad propria, tamen in sua appræhensione ascendebat, & magna negotiatione, conabatur alijs ostendere, & satisfacere, se in hoc magis Dei similitudinem intendere, quia minus dependenter ab eius gratia, minùsque præcario, & magis singulariter, & non communicando cum inferioribus procedebat; & sic debere omnes hoc solum procurare, vt in sua naturali excellentia manerent, recusando supernaturalem. Vnde in hoc non erat formaliter peccatum omissionis, sed superbiæ, quia non solum frangebat præceptum affirmatiuum conuertendi se supernaturaliter in

Deum

Deum, sed positiuè appetebat nihil habere ex gratia speciali, nec commune cum alijs, etiamsi entitatiuè esset melius, quod est peccatum commissionis superbiæ.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum aliqui Dæmones sint naturaliter mali.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONcl. Negatiua. Prob. Natura intellectualis naturaliter inclinatur in bonum vniuersale: hoc enim bonum ipsa natura intellectualis potest appræhendere, & est voluntatis obiectum. Ea autem, quæ inclinantur in bonum vniuersale, nullo modo possunt naturaliter tendere in bonũ vniuersale, & ratio est, quia bono vniuersali, non potest coniungi aliquod malum: secus autem contingit ijs, quæ inclinantur in bonum particulare, ea enim possunt inclinari in aliquod malum per accidens, sicut ignis naturaliter inclinatur ad hoc particulare bonum, quod est generare ignem, inclinatur ad consumenda alia, puta ligna, sed inquantum hoc malum est coniunctum bono, ad quod naturaliter tendit.

Arg. 1. Qui sunt naturaliter fallaces, sunt naturaliter mali: Sed aliqui Dæmones sunt naturaliter fallaces ex Aug. 10. *de Ciuit. Dei*. ergo. Respond. ad min. quod in illo loco Aug. non ponit, nec asserit, quòd Dæmones sint naturaliter fallaces, sed repræhendit Porphyrium, qui hoc posuit.

Arg. 2. Aliqui homines sunt naturaliter mali, de quibus dicitur Sap. *c.* 7. *erit eorũ malitia naturalis*. ergo, & Angeli possunt esse naturaliter mali, quia tàm homines, quàm Angeli sunt creati à Deo. Respond. illum locum script. intelligendum esse, vel de praua consuetudine, quæ est altera natura; vel propter naturalem inclinationem, ex parte naturæ sensitiuæ, quæ non est in Angelis.

Arg. 3. Aliqua animalia irrationalia habent quasdam naturales malitias, sicut Vulpis est naturaliter Subdola. Lupus est naturaliter rapax. & tamen sunt Dei creaturę. ergo. Resp. neg. conseq. non enim est eadẽ ratio de animalibus irrationalibus, & Dæmonibus: Nam animalia irrationalia habent naturam sensitiuam, secundùm quam habent naturalem inclinationem ad particularia bona, quibus coniuncta sunt aliqua mala; sicut Vulpes inclinantur ad quærendum victum sagaciter, cui adiungitur dolositas.

DISPVTATIO CCCXXII.

In qua disponitur doctrina huius articuli in forma.

3521 Conclusio. *COnclusio est: Dæmones non possunt esse naturaliter mali. Probatur: si aliquid sit, cuius natura ordinetur in bonum particulare, potest naturaliter tendere in aliquod malum, non in quantum malum, sed per accidens in quantum est coniunctum cuidam bono: Si verò sit aliquid, cuius natura ordinetur in aliquod bonum secundùm communem rationem boni, hoc secundùm suam naturam non potest tendere in aliquod malum: At Dæmonum natura ordinatur in bonum secundùm communem boni rationem: ergo Dæmones non possunt esse naturaliter mali.*

Probatur.

Maior probatur ex conuenientia, & tẽdentia in bonũ particulare, & in bonum vniuersale, & ex differentia boni particularis, & boni vniuersalis. Conueniunt enim omnia, scilicet creata, quæ suam naturam aliquã habent, in quantum sunt, vt in bonum aliquod naturaliter tendant, & probatur hoc; quoniam ex principio existunt: omnis autem effectus conuertitur, siuè inclinatur in suum principium. Differentia inter particulare, & vniuersale bonum est, quod illi potest aliquod malum esse adiunctum; sicut igni coniungitur hoc malum, quod est esse consumptionem aliorũ: sed huic, scilicet vniuersali bono, nullum malum potest esse adiunctum. Ex hac itaque conuenientia; & differentia sequitur euidenter prædicta maior, videlicet: si sit aliquid, cuius natura, &c. Maior probatur.

3522 Minor prob. *Minor verò probatur: quia qualibet natura intellectualis habet ordinem in bonum vniuersale; sed Dæmones sunt substantiæ intellectualis; ergo. Prima propositio probatur, quia natura intellectuales potest apprehendere bonum vniuersale, & tale bonum, scilicet vniuersale per intellectum apprahensum est obiectum voluntatis; ergo natura intellectualis habet ordinem in bonum vniuersale.*

3523 Nota 1. *Nota 1. Concl. huius articuli esse fidei confessionem probant recentiores omnes diuinarum scripturarum testimonijs, Sacrorum Conciliorum definitionibus, & Sanctorum Patrum dictis. Quę diligenter collegit Malenus in sua Bibliotheca ad secundum sententiarum, distinctione sexta, disputatione quinta.*

Nota 2. *Eandem conclusionem probat Sanctus Doctor, octo rationibus efficacissimis in tertio contra Gentiles, capitulo centesimo septimo, ex quibus quinta continet eam, quæ probatur in hoc articulo conclusio. Cuius rationis vim examinat, & explicat accuratè Ferrariensis in dicto capitulo. Vide illum; nos .n. ad ea, quæ sunt difficiliora, properamus.*

ARTICVLVS QVINTVS.

Vtrum Diabolus fuerit malus in primo instanti suæ creationis, per culpam propriæ voluntatis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COncl. Neg. Prob. Nam quamuis res aliqua in primo instanti, quo esse incipit, simul incipere possit operari: tamẽ illa operatio, quę simul incipit cum esse rei, est ei ab agente, à quo habet *esse*, sicut moueri sursum, igni inest à generante. Vnde si sit aliqua res, quę habet esse ab agente deficiente, quod possit esse causa defectiua actionis, poterit talis res in eodem instanti, in quo incepit esse, habere defectiuam operationem, sicut tibia, quæ nascitur clauda ex debilitate seminis, statim incipit claudicare: Secus autem est de eo, quod producitur à causa, quę non potest esse principiũ defectiuæ operationis, tale .n. non potest in principio suę productionis defectiuè operari, quia talis defectus in agentem redundaret. Et quia Deus est causa productiua Angelorum, si Angelus potuisset peccare in primo instanti, Deus fuisset causa peccati.

Arg. 1. Ioan. 8. dicitur: ille homicida fuit ab initio. ergo. Resp. ly *ab initio*, nõ designat, quod Diabolus peccauit *ab initio*, quo creatus est; Sed *ab initio* peccati; scil. quia nuuquam à peccato suo recessit.

Arg. 2. in eodem instanti, in quo facta est lux, distincta est à tenebris. Sed per lucem intel-

intelliguntur Angeli beati: & per tenebras mali: vt Aug. dicit. ergo. Resp. ma. esse veram de præscientia Dei: nam simul quãdo Deus præsciuit quosdam beatificandos, præsciuit alios casuros, actualis autem distinctio non est facta in eodem instanti, in quo fuerunt creati.

Arg. 3. Aliqua creatura intellectualis potest mereri in primo instanti, vt patet de Anima Christi. ergo, & peccare. Respond. neg. conseq. quia meritum est à Deo, ideò in primo instanti potuerunt Angeli mereri, non autem potuerunt peccare, vt dictũ est.

Arg. 4. Angeli, vel in primo instanti habuerunt operationẽ rectam, vel non, si secundum habetur intentum: Si primum: ergo meruerunt; & quia in Angelis statim ad meritum sequitur beatitudo, statim post meritum fuissent beati, & sic nunquã peccassent. Resp. statim habuisse operationẽ rectam, & meritoriam. Sed quidam eorum statim impedimentum præstiterunt: mortificantes præcedens meritum, & propterea priuati fuerũt beatitudine, quã meruerant.

DISPVTATIO CCCXXIII.

An opinio asserens, Dæmones statim in primo instanti suæ creationis malos fuisse per propriam voluntatis culpam, sit heretica.

3524 Erroris Nomen dupliciter sumi potest. Vno modo &c.

AD propositam controuersiæ definitionem necesse est à nobis explicare, quod sit error, & quænã sit censenda erronea propositio, vel opinio, & quomodo differat ab hæretica; ex his enim veritas, quam inquirimus, elucescet, & à vero deuiantes poterunt sententiæ facile confutari. Erroris nomen dupliciter sumi potest, vno modo secundum amplam, seu genericam, & communem sui significationem; & ita diffiniri potest, vt sit actus intellectus existimantis verum esse, quod falsum est, & falsum esse, quod verum est, vel certum habentis pro incerto, & incertum pro certo, siuè falsum sit, siuè verum, vt colligitur ex Augustino in Enchirid. ad Laurentium cap. 17. vbi sic loquitur: Cum nihil sit aliud errare, quàm verum putare, quod falsum est, falsumque, quod verum est, vel certum habere pro incerto, vel incertum pro certo, siuè falsum sit, siuè verum, &c.

3525 Alio modo error sumi potest, prout eius significatio cõtrahitur ad res fidei.

Alio modo sumi potest nomen erroris, prout eius significatio contrahitur ad ea, quæ sunt fidei; quia scilicet est error in iis, quæ fide credenda sunt, & ita secundum ius canonicum idem est, quod hæresis, vt patet in Capitulo Fideli de Summa Trinitate, & Fide Catholica lib. sexto, & capitulo: *Ad* Abolendum §. præsenti, eodem titulo, & capitulo Fidei in *Clem.* eodem titulo, & capitulo: Ad nostrum, de hæreticis in Clem. *prout etiam adnotauit Eymericus* in secunda parte direct. quæstione tertia, & ibidem *Pegna.* comment. vigesimo octauo.

Quid sit erronea propositio

Erronea verò propositio quamquam ex vi vocabuli idem esse videatur, quod error, secundùm tamen vsum Theologorum aliquo modo distinguitur ab errore; licèt enim vnum primæ diuisionis membrum, quæ secatur erronea propositio, sit idem cum vno distinctionis membro, quo diuiditur error, alterum tamen, cum altero diuisionis membro non coincidit. Distinguitur enim erronea propositio, vel opinio, in erroneam generice sumptam, siuè cuiuscumque materiæ, & in erroneam circa Catholicæ doctrinæ materiam. Cuius diuisionis primum membrum manifestè coincidit cum primo membro diuisionis erroris, sed alterum membrum erroneæ propositionis longè differt ab altero, nimirum secundo, quo diuiditur error.

3526 Quotuplex sit propositio erronea.

Duplex est enim erronea propositio ad Catholicæ Doctrinæ materiam attinens, alteram veritatibus fide necessariò credendis opposita: & hæc idem est, quod hæresis, ac error in fide: Altera, quæ veritatibus ab Ecclesia Catholica, vel a Sapientibus firmiter creditis, ad fidem tamen expressè, ac necessariè minimè pertinentibus contradicit: & hæc propriè, ac strictè vocatur erronea, vt eleganter, & eruditè docet Melchior Canus lib. 12. de locis Theologicis cap. 12. *& Alphonsus de Castro* lib. 1. cap. 3. de iusta hæreticorum punitione: *Qui tamen etiam alio modo propositionem esse contra credibilia, quæ superant omnem virtutem intellectus; erroneam verò propositionem esse contra credibilia, quæ ratione naturali, probari possunt: Si autem (inquit) credibile aliquid huiusmodi fuerit, vt præter rationem naturalem possit etiam probari per sacram scripturam, aut Ecclesiæ determinationem, aut per alias vias, quibus ea, quæ credere tenemur, probari possunt, assertio, quæ illud credibile oppugnat, dicitur hæresis, simul, & erronea in fide; sicut hæc propositio:* Deus non est vnus, *cuius falsitas non solùm ratione naturali, sed etiam diuinarum scripturarum testimonijs potest probari: Sed hæc differentia ex Concilij Constantiensis definitione manifestè falsa deprehenditur, propositiones enim erroneas distinguit concilium contra notoriè hæreticas, & à Sanctis Patribus reprobatas, quales eas ferè omnes esse constat, quæ veritatibus discursu demonstratiuo ex Deo notis sunt contrariæ.*

3527 Quænam sit differentia inter propositionem erroneã, & hæreticam.

Si quis dixerit, Dæmonẽ peccasse in principio suæ creationis, nõ est hæreticus.

Ex his proferri facilè poterit de proposita dubitatione iudicium. Opinio namque dicens, Dæmones statim à principio suæ creationis malos extitisse per culpam propriæ voluntatis, nec veritati sacrarum litterarum expressè contradicit, nec Apostolicas traditiones, aut Conciliorum, vel Summorum Pontificum definitiones habet aduersas, neque ex iis, quæ fidei sunt necessaria, euidenti potest illatione deduci. Non est igitur inter hæreses enumeranda; quamuis enim valdè vrgeant loca scripturarum in textu relata, non tamen adeo perspicuum habent sensum, vt in eis opinioni prædictæ contrariam contineri veritatem credere, & confiteri teneamur.

3528 In sensu litterali dictũ Isaiæ &c. de præuaricatione angelorum intelligitur.

In sensu namque litterali dictum Isaiæ, de Principe Babylonis, dictum autem Ezechielis, de Rege Tyri multi Doctores interpretantur, vt patet ex glossa, & ex ipso Diuo Thoma super illud Cap. 14. Isaiæ: *tametsi verum sit communiorem Sanctorum sententiam esse, loca illa præuaricatoris Angeli felicitatem, & lapsum sub figura dictorum Principum in sensu litterali significare: vt in articulo huius quæstionis 7. Bannes, & Zumel aduertunt: & iuxta regulam Ticonij septimã, quam Augustinus approbat, loca illa scripturæ de Rege, siuè Principe iam dicto, & simul etiam de Lucifero ad litteram exponi non incongruè possunt. Testimonia verò superius ex epist. Iudæ canonica, & ex concilio Braccarensi producta, non habere necessariò sensum opinioni prædictæ contrarium, ex eo patet, quòd nomine Angelorum, qui non seruauerunt suum principatum, Neoterici quidam interpretantur, litès extortè, Reges, & Principes, terræ promissionis.*

3529 Angelus non seruauit suum principiũ, idest suam originẽ.

Meliùs tamen etiam dici posset cum Caietano, angelos non seruasse suum principatum, idest originem; quia se licet non seruauerunt se ipsos in illo decore, in quo conditi sunt, vtpotè maculantes se ipsos peccato, dereliqueruntq; suum domicilium, idest cœlum Empyreum, in quo conditi sunt, & hæc omnia in vno, ac eodẽ instanti temporis secundùm instantia naturæ diuersa præuaricatoribus Angelis contigisse, ita scilicet, vt prius natura tantùm creati fuerint, & in Empyreo constituti, quàm superbia laberentur. Concilij verò Bracarensis intentio præcipua fuit Priscillianistarum errores condemnare: quamuis etiam sibi secundariò videatur, Opinionem prædictam, vt errorem Catholicæ veritati contrarium condemnare, vt etiam aduertit Vasquez loco superiùs allegato. Non est igitur Opinio illa propriè, & formaliter hæretica, sed erronea iudicanda iuxta suprà notata de differentia inter propositionẽ hæreticã & erroneã. Sit igitur vnica Conclusio opinio affirmans, Dæmones *statim in primo suæ creationis instãte, malos fuisse p culpã propriæ voluntatis, nõ est hæretica, propriè loquendo, sed erronea. Probatur ex differentia propositionis hæreticæ, & erroneæ superiùs explicata.*

explicata. Secundò authoritate Sancti Doctoris in textu dicentis, opinionem illam, tanquam erroneam à magistris fuisse reprobatam, non autem illam à Magistris hereticam fuisse reputatam, sicut alibi sæpè de alijs opinionibus, & dictis affirmat.

3530 1. Obiectio. Contra propositam conclusionem præter loca scripturarum, & Concilij Braccarensis, superiùs exposita produci potest argumentum, quo probatur in textu conclusio opinioni prædictæ contraria. Ex maiori nãq; satis euidente lumine naturali, & ex minori in sacris litteris sæpè repetita, & rationis discursu notissima deducit conclusionem opinioni prædictæ contrariam: igitur opinio illa est error in fide manifestus.

Respond. Respondetur, maiorem argumenti Diu. Thomæ esse verissimam, & apud verè sapientes indubitatam: sed quia non adeò plenam habet euidentiam, & recentiorum calumnias non euadit, vt patebit in sequenti controuersia; ideò conclusio in textu deducta non est dogma fidei necessariò credendum.

2. Obiectio. Contra eandem conclusionem argumentatur Zumel. Primò: Io. cap 8. dicitur: Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit. Ergo aliquando fuit in veritate, & in cognitione, & recta dilectione. Secundò. Luc. 10. dicitur, Videbam Satanam, sicut fulgur de cælo cadentem: ergò antè peccatum fuit in cælo, & ibi fuit bonus, & inde cecidit. Tertiò Gen. 1. cap. dicitur; Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona: vbi dictio illa, valdè, ideò ponitur, quia ex omni parte bonitatis erant valdè bona. Postremò probat idem Sanctorum Patrum authoritatibus, scilicet Augustini, Origenis, Anselmi, & Gregorij.

Tertia. Quarta. Quinta.

Ad 2. Resp. Respondetur, horum locorum sensum non adeò esse certum, & euidentem, vt opinionem illam, de qua disputamus, hæreticam esse conuincat. Ad primum enim dici posset, Diabolum in veritate non stetisse, nõ quia fuerit in aliquo priori temporis instanti in veritate, sed quia prius natura fuit in veritate, tàm naturali, quàm reuelata, & ab ea recessit in eodem instanti temporis, sed in alio instanti naturæ per actũ liberum suæ voluntatis.

3531 Ad 3. Resp. Ad secundum dicitur, nihil aliud probari, nisi Diabolum in Empyreo fuisse creatum, & per peccatum ab eo cecidisse, quæ tamen in eodem instanti temporis cõtingere potuerunt.

Ad 4. Resp. Ad tertium dici posset, in vno instanti temporis fuisse bonitatem angelorum non solùm naturalem, sed etiam moralem in actu primo, & in eodem etiam fuisse culpam, cum distinctione tamen, & ordine instantiũ naturæ.

Ad 5. Resp. Ad vltimum dici posset, Sanctorum Patrum dicta vehementer vrgere, & sacræ scripturæ testimonijs adiuncta probare dictã opinionem non solùm esse temerariam, sed etiam erroneam, & hæresi proximam, non tamen ex eis illam hæreticam esse demonstrari; Denique responsiones illæ, quibus Scotus, & alij nitũtur euadere vim rationum Sancti Doctoris, & eius Scholæ probantium, impossibile fuisse, Angelum in primo instanti peccasse, tametsi verè non soluant, hoc vnum tamen efficiunt, vt opinio dicens, Dæmones in primo instanti peccasse, non sit ob eas rationes hæretica iudicanda.

Dub. 1. An Angeli in primo instanti suę creationis potuerint peccare.

Dub. 2 Soluuntur aliquæ difficultates, cur Angeli in primo instanti non potuerint peccare.

Dub. 3. Soluuntur reliquæ difficultates contra impeccabilitatem Angeli in primo instanti.

DVBIVM I.

An Angeli in primo instanti suæ creationis potuerint peccare.

3532 Concl. Neg. Prob. quia Angelus in primo actu nõ potest se mouere, sed à principio exteriori.

CONclusio est negatiua ita Diuus Thomas hic, & communiter Thomistæ. Prob. quia in illo primo actu est impotẽtia ex parte angeli ad informãdum dictamen prauum, & ad deficiendũ. Quæ impotentia cùm non nascatur ex defectu libertatis quoad exercitium, quia constat in illo primo instanti meruisse angelos per motum liberi arbitrij, etiam ipso D. Th attestante, restat, vt impotẽtia ad formandũ prauũ dictamen sit ex hac vnica ratione, quia ille actus, est omnium primus, nec in illo potest se mouere angelus, sed solùm ab exteriori principio moueri ad formandum dictamen. In hoc stat tota ratio implicationis Diu. Thomæ, & neruus rationis eius: Angelus, & quæcumque creatura intellectualis in suo primo actu, non potest se mouere, nec à se accipere, & formare dictamen, sed à principio exteriori: ergo nisi tale principium exterius mouens, & dans illi dictamen, sit principium defectuosum, non poterit defectuosũ dictamen dare, si autem possit dare defectuosum dictamen, poterit Angelus recipiens illud, deficere, & peccare: sine dictamine autem defectuoso, nõ potest voluntas aliqua peccare, quia voluntas sẽper vult ex directione, & motu intellectꝰ, vnde si volũtas deficit circa bonũ sibi propositum, necesse est, quòd in ipsa propositione, seu applicatione obiecti volendi, sit aliquis defectus, saltem, quia non corrigit, nec detinet voluntatem, ne feratur in malum, aut, vt non tendat in bonum.

Quare ipsum determinare ad malum ex parte intellectus, aut permittere, quod voluntas determinetur, defectus dictaminis est, quia saltem in applicatione regulæ, intellectus manet deficiens, nec potest continere voluntatem, aut diuertere illam, ne tendat in malum, & sic ex hac parte censetur, dictamen intellectus, aut omnino prauum, si obiectum malum proponat, aut inconsideratum, & tepidum, si inefficaciter proponat bonum, & vtrũque defectuosum est. Nec potest dici, quod æqualiter proponat vtrumque, & voluntas pro suo arbitrio eligat, quod vult, nullo defectu stante ex parte dictaminis; quia si vnum ex illis obiectis malum est, siuè ex parte sui, siuè ex parte modi, non potest acceptari à voluntate, nisi quia conuenientia eius sibi manifestatur, & non reputatur, vt malum incõueniens, quod pro nunc acceptetur: nec enim aliàs posset voluntas illud sequi de facto, si conuenientia eius non repræsentaretur, sed solùm id, quod incõuenientiæ est. Hoc ergo est dictamen defectuosum, repræsentare cum conuenientia, seu vt conueniens, quod nihil, nisi inconuenientiæ habet; quale est peccatum, cuius conuenientia solùm est apparentia. 3533 Determinare ad malum ex parte intellectus, defectus dictaminis est.

3534 Petes 1. Petes 1. An Angelus in primo instanti non possit seipsum mouere, & per seipsum formare dictamen, sed debet ad illud moueri ab aliquo principio exteriori? Quæ est ratio D. Th.

Resp. affirmat., quia caret angelus principio defectuoso ex parte dictaminis. Resp. Affirmatiuè, prob. in ista D. Tho. ratione duo: Alterum, quod Angelus in primo actu non potest seipsum mouere, & per se ipsum formare dictamen, sed debet ad illud moueri ab aliquo principio exteriori. Secundum est, quod hoc principium exterius mouens intellectum, & tribuens ei primum dictamen, non potest defectuosè mouere, & ita non potest defectuosum dictamen emittere. Ex his duobus principijs, manifestè sequitur impedimentum ineuitabile in Angelo ad peccandum in primo instanti, scilicet, quia caret principio determinante defectuosè ex parte dictaminis, scilicet, quia, nec à se formare illud potest, neque ab alio exteriori principio defectuoso illud suscipere: ergo est indefectibilis pro illo instanti in dictamine, & motione agendi: ergo impeccabilis: sicut etiam, quia Beatus non potest dictamen defectuosum habere, repugnante ad hoc ipsa visione beatifica, ita si Angelus in primo instãti caret principio formante dictamen prauum, & defectuosũ, omnino redditur indefectibilis, prout est in illo primo instanti.

3535 Angelus non potest seipsum mouere in primo instanti. Primum ergo illud probatur, scilicet, quod non possit seipsum mouere in primo actu, ea ratione, qua Diu. Thom. 1. 2. quæst. 9. artic. 4. probat ex Aristot. quòd in primo motu voluntas debet operari ex instinctu alicuius exterioris mouentis, quia scilicet voluntas non mouet se ad aliquem actum, nisi ex alio actu priori, per quem constituitur in actu ad se mouendum;

dum; Vnde relinquitur, quòd in actu omnium, primò non potest se mouere voluntas, quia non supponit alium priorem actum, per quem reducat se de potentia in actum, & idem est de intellectu.

Ratio est, quia nulla potentia reducitur ad actum per potentiã, sed per actum.

Et huius ratio est, quia omne mouẽs est in actu, & omne mobile in potentia, & sic mouens, vt mouens reducit mobile de potentia ad actum, nulla autem potentia reducitur ad actum per potentiã, sed per actum: ergo vt voluntas se moueat, debet supponi in actu, & non solùm in potentia. Ergo cùm prorũpit in primum actum, ad illum non potuit se mouere, quia non fuit alius prior actus per quem moueretur ad istum. Nec sufficit habere obiectum propositum, vel intellectum habere speciem illius, quia circa tale obiectum, & circa talem speciem adhuc voluntas est in potentia, vt velit, vel nolit, & intellectus est in potentia, vt intelligat, vel non intelligat, & vt bene, vel male intelligat: ergo solùm, & nudum obiectum non est sufficiens actualitas, vt potentia ista se moueat, cùm potiùs se habeat, vt materia, circa quam debet se mouere; & sic circa tale obiectum est potentialitas in voluntate, & intellectu, ad quam vincendam actualitas desideratur: ergo solum ex vno actu potest se mouere ad alium, non vero ex obiecto solùm se mouet, cùm circa illud indigeat moueri, & ab illo quidem mouetur obiectiue, sed non se ipsam mouet, nisi ipsa efficienter se applicet circa tale obiectum, sicut circa materiam.

3536 *Aliud est loqui de volitione; aliud de volitione, vt à voluntate applicãte se ipsam ad volendum.*

Vnde rectè dixit Caietanus *citato loco* t. 2. quod *aliud est loqui de volitione, aliud de volitione, vt à voluntate applicante se ipsam ad volendum. Volitio enim nihil aliud dicit, nisi operationem voluntatis, qua vult, & certum est, quòd ad volendum sufficit voluntas cum obiecto. Sed ad volendum à se, ita quod ly à se, dicat causalitatem applicantem se ipsam ad volendum, non sufficit voluntas cum obiecto, sed exigitur voluntas præuolens finem, quia velle à se, non solùm importat velle, sed agere, seu mouere se, quod quia oportet fieri propter finem, præexigit natura, vel tẽpore appetitum finis: & non aduertere hoc, causa est loquentium.* Ita Caietanus. Vbi insinuat efficacẽ huius rationem, & fundamentalem, quia homo, vel Angelus se mouens in aliquo actu, debet ex fine aliquo se mouere alioquin casualiter, & fortuito operatur si se mouendo, non ex aliquo fine procedit, & se applicat. fortuitò autem motu non posset rationalis operatio dirigi. Vnde perueniendo ad primum omnium actum, cùm non possit in illo se applicare voluntas, & intellectus ex præconcepto fine, oporteret, quod omnino fortuito, & cæco modo se applicaret, vel quod applicetur ab alio exteriori mouente, & finem altiorem præhabente. Vnde in primo motu, seu actu, tàm propter finem, propter quem mouetur, quam propter actualitatem secundùm quam mouens mouere debet, quæ actualitas sumitur ex affectu, seu actu circa finem, necessarium est, quod in primo cuiuscumque rei actu operans non se moueat, sed moueatur ab alio.

3537 *Illa operatio, quæ simul incipit cu esse rei, est ei ab agente, à quo habet esse.*

Et in hoc innititur vis rationis Diui Thomæ *in hac q 63. art. 5.* videlicet, quod illa operatio, quæ simul incipit cum esse rei, est ei ab agente, à quo habet esse, quæ doctrina est vniuersalissima de omni prima operatione agentis, quæ incipit cum esse rei: sempe. enim prima operatio supponit potentiam, à qua egreditur, non se mouentem, quia supponit illam in potentia, non in actu: mouens autem, vt mouens semper est in actu, sicut mobile, vt mobile semper est in potentia, eo quod mouere, est reducere aliquid de potentia ad actum: non reducitur autem aliquid de potentialitate ad actum, nisi per actualitatem, non per potentialitatem, quia potentialitas non reducit, sed reducitur. Vnde cum in prima operatione, quæ simul est cũ ipso esse non supponatur potẽtia operans in actualitate ad mouendum se ipsam per alium priorem actum suum, oportet transire ad actualitatem exterioris agentis, vt possit per ipsum reduci de potẽtia ad actum, quòd est moueri ab alio; & sic prima operatio motiuè, & applicatiuè debet esse ab alio, licèt elicitiuè possit ab ipsa potentia esse, quia efficientia solùm est emanatio actionis, quæ vtique ab ipsa potentia efficiente est, vt applicata tamen, & mota ad operandum. Applicare autem se, & mouere non potest per eundem actum, ad quem applicatur, & mouetur, vt operationem illam agat: ergo ex alio actu applicatur ad illum, non per illũ se mouet, vt ipsummet operetur. Ergo in ipso primo omnium actu, quale est primum dictamen, quod format intellectus in primo instãti suæ creationis, non potest formare illud à se, & mouendo, seu applicando se, sed debet illud habere à principio exteriori mouente, & applicante intellectum, & excitante, vt tale dictamen habeat, quia cùm sit primus actus, formare illum non potest ex propria applicatione, & excitatione, seu motione sui.

3538 *Petes 2.*

Petes 2. *An hoc principium exterius mouens intellectum, & tribuens ei primum dictamen, non possit defectuosè mouere angelum, ac proinde angelus non possit defectuosum dictamen emittere in primo instanti.*

Resp. affirmat. quia ab agente recto, vt rectum est, defectuosus motus prouenire non potest.

Resp. Affirmatiuè. Quia si dictamen defectuosum est, ab agente, seu mouente defectuosè prouenire debet: ab agente enim recto, vt rectum est, defectuosus motus prouenire non potest. Et quidem facilis videtur ista probatio, quia in illo primo actu mouetur à suo generante, quod est Deus, qui solus produxit angelos in esse, & solus est author naturę, & solus potest intra mentem illabi, in eaque operari, ergo solus ipse operari potest illum primũ actum, & dictamen illud primum intellectus formare, ad illudque excitare: Deus autem indefectibile agens est: ergo non potest dare dictamen defectuosum Angelo in primo instanti, & ita si non est aliud agens, à quo detur, quàm à Deo, bène infertur, quod deficere non potest.

3539 *Licet ad formãdum dictamen concurrat manifestatio obiecti, & applicatio; hoc secundũ in primo instãti à solo Deo præberi potest.*

Vnde formatio dictaminis licet pendeat à duobus, scilicet à propositione, seu manifestatione obiecti, vt à materia, circa quam formari debet, & ab efficiente, seu applicante, per quem mouetur, applicatur, & formatur dictamen; quoad primum quidem potest cooperari in primo instanti aliqua creatura, vt exemplis illatis monstratum est; quoad secundum solus Deus, qui intus in mente operari potest, ipsa vero mens, seu voluntas mouere se non potest, neque applicare in illo primo actu, esto à Deo mota, & applicata illum eliciat, vt iam ostendimus. Quæcumque ergo creatura mouens voluntatem per suggestionem, & locutionem, seu propositionem obiecti, quo alliciatur voluntas, non format ipsum dictamen intus in intellectu, sed ipsemet intellectus sibi format illud ex obiectis propositis, siue proponantur per suggestionem, & propositionem, seu per suasionẽ alterius, siue per propriam inuentionem, aut inquisitionem, vel per immissionem à Deo.

3540 *Vt aliqua creatura loquatur alteri, ita vt suadeat ei id, quod intendit, necesse est, vt supponat existentem eum, cui loquitur.*

Et sic, vt aliqua creatura loquatur alteri, ita vt ei suadeat id, quod intendit, & de loquitur, necesse est, quod supponat existentem, eum, cui suadere vult, quia cùm ad ipsum, qui audit suggestionem, pertineat intra se formare dictamen, ille autem, qui proponit, & persuadet, non facit aliud, quàm manifestare, & exhibere materiam, aut motiua, seu rationes attrahentes, & allicientes, vt is, qui audit formare sibi possit dictamen; inde est, quod persuadẽs, seu alliciens alterum, debet supponere ipsum, cui loquitur in statu habili ad formandum dictamen ex his, quæ sibi proponuntur, quia is, qui proponit, non operatur intus applicando, & formando dictamen, sed manifestando obiectum, & exhibendo materiam, vnde formari possit ab eo, qui audit. Et sic debet supponi existens, quia quod non est actu, & in facto esse existens, operari non potest, & consequenter neque effectiuè, seu applicatiue, aut motiue formare sibi dictamen. Et rursus non sufficit, quod sit existens, sed ita in actu, quòd possit se mouere, & reducere de potentia

tia

tia ad actum, ad quòd requiritur, quòd sit illa potentia iam facta in actu, quæ est conditio, seù status mouentis, non in potentia solùm, qui est status mobilis, seù moti. Vndè pro primo actu eliciendo nulla creatura mouere potest, quia estò ex parte existentiæ, posset dici, quòd sufficit illa existentia illius instantis, vt in illam creaturam agat tunc ipsum agens creatum actione purè physica, & in qua purè recipiat ipsum mobile; tamen agere in ipsam sola actione proponentis, & manifestantis obiectum, vt ipsa formare sibi possit dictamen, plus requirit, quàm existentiam, scilicet rem sic existentem, quòd possit se mouere, & applicare, sibique formare dictamen, quòd tamen pro primo actu eliciendo nullus intellectus, vel voluntas habet, vt ostensum est.

3541 *Deus, informando illo dictamina Angelico, dicitur specialis motor, quia non potest ab alio voluntas moueri.*

Fatemur ergo in formando illo dictamine, & primo actu, Deum non dici specialem motorem, ratione specialis obiecti, idest supernaturalis, ad quòd moueat, quia etiam si in puris naturalibus creetur Angelus, adhuc solùs Deus operari dicetur illum primum actum, sed dicitur speciale mouens, quia non potest ab alio voluntas moueri, quantum ad applicationem effectiuam in illo primo instanti, nec ab alio formari dictamen illud, vt applicante, & mouente ad illud informandum, licèt obiectum possit ab alio proponi. Et sic concedimus, quòd in illo primo instãti operatur Deus specialiter illo modo, scilicet non solùm vt primũ principium liberorum actuum, quantum ad entitatem, & esse, vt primum efficiens, sed etiam, vt primum principium excitans, & mouens intellectum ex parte formationis, dictaminis, & consequenter voluntatem constituens in actualitate requisita, vt moueat se, in quo genere non potest voluntas, neq; intellectus applicari ab alio agente creato, nisi à solo Deo, qui est proprium, & immediatum principium voluntatis, & intellectus, illumque generat per creationem, tanquam vniuersalissimum principium, mouens illa potentias, quæ propter suam vniuersalitatem à solo Deo generantur, & ab eo accipiant primum motum, quo constituuntur in actu ad se mouendum, sicut cor accipit à suo generante primum motum vitalem, quo incipit se mouere, nec ad illum motum potest se mouere cor, licèt illum eliciat vitaliter, quia cùm sit primus motus non supponit alium priorem, quo se applicet, & moueat ad illum, & ita debet applicari, & moueri ab alio exteriori principio; scilicet à generante, à quo accipit genitum primam motionem, & applicationem naturalem, qua constituitur in statu conuenienti sibi, & debito ad se mouendum, seù viuendum, sicut lapis ad quiescendum, vel ad tendẽdum in suam quietẽ.

3542 *Viuentia intellectualia in primo motu mouẽtur à suo generante, scil. Deo.*

Ita viuentia vita intellectuali accipiunt à suo generante Deo, qui est primum intelligens, ipsum primum motum, se mouendi vita intellectuali, & volitiua, idest ipsum primum dictamen, & applicationem ad illud, vt inde incipiant se mouere, ita quod in eo motu est quasi motus cordis intellectualis, & hoc solùm possunt habere à Deo, quia non est aliud agens quod intra intellectualem, & voluntatem possit operari, & influere, seù applicare illum primum motum. Et illum quidem voluntas, & intellectus eliciunt, quia vitalis est, & libero modo eliciunt, quia cùm indifferentia, seù vniuersalitate iudicij, & sine coactione voluntatis est, sed non ad illum se mouent, & applicant, quia primus est; nihil autem mouet, & applicat, nisi per actum, nec mouetur, nisi prout in potentia. Vnde ad primum alicuius rei actum, repugnat, quod res illa se moueat, & applicet, licet illud producat, & eliciat.

3543 *Instabis 1. Resp. licèt Angelus possit loqui ad Angelum in eodem instanti, in quo creatur, hoc non sufficit ad formandum illud dictamẽ.*

Dices potest poni, quòd Angelus, qui, modò creatur, ab alio Angelo malo accipiat dictamen defectuosum, & sic habere potest principium ad quod reducatur ille defectus dictaminis, quo in primo instanti moueatur.

Resp. quod admisso, vel dato, quòd ita possit Angelus iam existens loqui ad Angelum, qui de nouo producitur in eodemmet instanti, in quo creatur, tamẽ hoc nõ sufficit ad formandũ dictamen illud, quia Angelus, vel quicũq; exterius proponẽs, & repræsentans alteri obiectum, non sufficit formare dictamen intra intellectum audientis, sed ipse audiens formare debet ex his, quæ sibi proponuntur ab alio, vnde qui loquitur alteri, & vult illi persuadere, atque eius dictamen formare, debet supponere, quòd ille cui loquitur, non solùm sit existens, sed ita existens, quod possit se mouere, & applicare ad ea, quæ audit ab alio, vt ex illis formet dictamen, quia ille, qui loquitur, seù proponit, & moraliter mouet audientem ad formandum dictamen, non aliter concurrit, quàm proponendo obiectum, quasi materiam, quam alter intelligat, & intelligendo formet sibi dictamen, sed effectiua formatio, & applicatio interior debet esse ab ipso audiente, vel à Deo, qui operatur intra ipsum.

3544 *Parum refert ad hoc, quod Angelus, qui nunc creatur videat dictamina aliorum.*

Vnde parum interest, quòd Angelus, qui nunc creatur videat dictamina, seu cognitiones aliorũ Angelorum, siuè bonas, siuè malas, nisi ipse intus se mouere possit, & applicare ex his, quæ intelligit ad formandum illud dictamen, sed illa applicatio debet venire ab extrinseco principio, quia est primus actus, nec supponit alium priorem, quo se moueat, & applicet. Vnde oportet, quod reducatur illa applicatio, & motio formandi dictamen ad ipsum Deum qui in illo primo instanti solus potest mouere intus intellectum, & voluntatem Angeli. Et licèt moueat ad intelligendum ea, quæ sub alijs proponuntur, siuè sint bona, siue mala, sicut in eodem primo instanti Angeli inferiores illuminabantur a superioribus, & ad illos conuertabantur ex motione Dei: sed tamen intelligere, & cognoscere mala, quæ alter proponit, nondum est malum, sed ita illa accipere, vt conformet se illis & iuxta illud malum, quod sibi proponitur, velit operari. Ad hoc autem non sufficit propositio mala alterius, eiusque cognitio, sed requiritur defectuosa applicatio audientis, qua se applicet ad consentiendum illi malo, & ad formandum dictamen conforme illi. Quòd si ipse audiens non possit se mouere pro illo instanti, & formare sibi dictamen, sed ab alio debent formari, & moueri, ille alius defectuose se habebit, si applicet audientem ad formandum illud dictamen defectuosum.

3545 *Non sufficit, in primo instanti habere aliquẽ suggerentem sibi malum dictamen, vt in illum, tanquã in principiũ reducatur prauitas.*

Vndè non sufficit in primo illo instanti habere aliquem suggerentem sibi malum dictamen, vt in illum tanquam in principium totaliter reducatur prauitas illa, & malitia, sed oportet id reduci in aliud principium, scilicet in illud, a quo effectiuè formare debet tale dictamen, & moueri, seù applicari ad illud. Et cùm hoc principium effectiuum sic mouens, & applicans, non possit esse ipse Angelus, qui in illo instanti creatur, & qui audit illam suggestionem, quia non potest se mouere in primo actu, sed solus Deus possit in illo primo actu mouere, & applicare, inde fit, quòd talis suggestio mali Angeli non possit aliquid tunc operari, nisi ipse Deus, qui solus in illo actu mouet, & applicat cor Angeli conformiter ad ipsam malam suggestionem, applicet ad informandum dictamen prauum, quod esset refundere defectum in ipsum Deum. Quòd cùm stare non possit, efficaciter probat D. Thomas, quod non possit in illo primo actu Angelus peccare, ex eo, quod non datur tũc aliquod principiũ, a quo moueatur defectuose, & applicetur ad formandũ dictamen prauũ, nisi retundatur defectus in Deum, qui solus in illo primo actu mouere potest. Neq; hoc reducitur ad speciale manutenẽtiam Dei, quæ in illo primo instanti sit indebita, sed ad puram, & meram impossibilitatem alterius proximè, & immediatè mouentis ad formandũ dictamen quod nõ potest esse nisi solus Deus, quod est falsum.

3546 *Instabis 2.*

Instabis 2. Bene potest operatio generantis impediri

pediri ab aliquo extrinseco agente, ergo.

Resp. Generantis operationē posse impediri, quando dependet ab aliquo exteriori, vel quando &c.

Respondeo, posse quidem impediri, quando operatio illa dependet ab aliquo exteriori, vel quando agens extrinsecum potest per se immediatè immutare ipsam rem, quę generatur, & à statu naturali diuertere. Si autem agens extrinsecum non sit tale, quòd possit intus immutare ipsū genitum ad operandum, sed solùm extrinsecè proponere, & allicere, vt se immutat, sicut est in intellectu, & voluntate, tunc non poterit Angelus per suggestionem externam immutare alterius Angeli intellectum in ipso primo instanti, & prima operatione sua, quia nec ipse Angelus suggerens, potest intra ipsum intellectum alterius operari efficienter, nec ille cui suggeritur pro illo primo instanti potest seipsum mouere, & applicare ad formandum dictamen, si autem deuoluatur ad Deum, vt ipse immutet, & formet dictamen in mente Angeli, quem producit, tunc certum est, quod Deus potest illud imprimere intra intellectum Angeli producti, sed eodem modo certum est, quod non potest defectuosè applicare, neque mouere ad formandum defectuosum dictamen, & sic, neque iuxta alterius suggestionem prauam ad illud concurrere. Quare illa prima operatio intellectualis creaturæ in primo suę creationis instāti ita est immediatè à Deo, vt à generante, quod non potest ab alio creato agente extrinsecus impediri propter rationem allatam.

DVBIVM II.

Soluuntur aliqua difficultates cur Angelus non potuit peccare in primo instanti.

3547 *Petes 1.*

PEtes *Sicut homines ad vsum rationis peruenientes in primo illo instanti possunt peccare, cur non possint Angeli in primo instanti.*

Resp. quod perueniens ad vsum rationis, potest ex mala consuetudine moueri magis ad delectabilia.

Resp. Quod resolutoriè loquendo videtur mihi cùm Caietano 12. *quæst. 89. art. 6. in calce commentarij*, quod perueniens ad vsum rationis, potest ex mala consuetudine, ante actus discretionis moueri magis ad delectabilia mala, quam ad bonum honestum, quod sibi tunc proponitur, & præsertim, quia illud bonum honestum valde debiliter, & confusè tunc propoponitur, delectabilia vero sensus valde efficaciter. Et ideo, vt *ibi* benè notat Caietanus, non parui refert, quod assuescat puer ad audienda spiritualia, & honesta.

Ratio disparitatis est, quia Angelus in primo instanti, non habet aliā operationem, quàm intellectiuam.

Ratio verò huius, & simul disparitas inter Angelum in primo instanti creationis, & puerum in primo instanti vsus rationis est, quia Angelus non habet aliam operationem, quàm intellectiuam, eamque perfectam, nec habet paulatim disponi ab imperfecto ad perfectum, vt veniat ad vsum rationis, sed statim à principio perfectum iudicium, & intelligentiam habet. Vnde ad ipsum primum actum nihil actualitatis supponit, quo primum se excitet, & se moueat intra se, sed debet ab exteriori principio id prouenire, scilicet a Deo, qui solus potest applicare mentem, & formare illud dictamen. At vero homo ex sensibus accipit, & disponitur ad excitandum se præcognitione intellectiua, & in hac paulatim procedit, itaut primò intelligat confusè, & non cum discretione, & sufficienti dictamine ad liberè se mouendum, sed tamen saltem imperfectè intelligit, & se disponit, vt crescente maiori claritate, & apertione sensuum tandem prorumpat in actum liberum, & deliberatum se mouendo. Et quia Deus mouet creaturas intellectuales iuxta earum modum, & exigentiam, inde fit, quod pro primo actu, qui est primus simpliciter, ipse solus moueat, quia non est aliud agens, a quo actuetur intellectus, vt formet sibi dictamen, sed tunc ille actus in nobis est valde inperfectus, & nondum ad libertatem sufficiens. Quando vero format dictamen secundùm vsum rationis, & discretionis, tunc iam habet, & præsupponit in se dispositiones ante vsum rationis acquisitas, & motiones in se factas, quibus actuatus potest in liberum dictamen prorumpere. Et quia illæ motiones possunt esse malæ, potest iuxta illas formari dictamen; nec Deus tenetur illud auertere, quia iam non solus operatur illud, sed iuxtà causę creatæ dispositionem.

Dices: ergo etiam in cuiuscumque negotij inceptione non incipit Deus mouere, sed possumus ex nobis incipere determinari. Et si ita est, ad quid tam anxie ponimus prædeterminationem Dei pro omnibus actibus? 3548 *Instabis.*

Resp. quòd inceptio alicuius negotij, vel est simpliciter noua, vel non.

Resp. quod inceptio alicuius negotij, vel est noua inceptio simpliciter, vt quando aliquis incipit de nouo cogitare de his, de quibus antè nihil sciebat, sicut in supernaturalibus incipit totum Negotium salutis ab excitante gratia Dei, vt definit Concil. Trid. *sess 6. cap. 5.* & in hoc genere incipit Deus mouere, & applicare per exercitationem mentis, & manifestationem sui, iuxta illud Isaiæ 65 & Roman. 10. *Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant*. Similiter in aliquibus, quæ fortuito, & casu accidunt, seù inopinato nobis eueniunt, etiam si alias cogitemus de re aliqua, tamen illa inopinata manifestatio, est à causa superiori, vt à Deo, sicut cùm dicitur 1. Machab. 4. de Iuda. *Et cogitauit de altari holocaustorum, quòd profanatum erat, quid de eo faceret: & incidit illis bonum consilium, &c.* Vbi illa incidentia consilij non fuit in vi cogitationis prioris, sed aliquid nō præmeditatū tunc primo accepit. Vel inceptio alicuius negotij nō est simpliciter noua, sed paulatim disponitur ex aliquibus præmeditatis, aut ex alijs notitijs præcedentibus, vt in aliquid nouū modo erūpat.

Quando fit hoc secundo modo, clarum est, quod ipse homo potest toties de nouo incipere, & determinare se, quoties de re illa incipit cogitare, etiam si interrumpat, & dormiat, quia operatur in virtute præcedentium notitiarum. At verò primo modo semper illa prima excitatio incipit à causa superiori, si fit in bonum per excitationem Dei intus operantis in intellectu, & voluntate, & extrinsecus ponentis, vel per se, vel etiam ministerio Angelorum, quia ex parte propositionis obiecti, vtitur Deus ministerio Angelorum, etiam in ordine gratiæ, & fidei, quia per eos illuminat homines, vt Sanctus Thomas Docet *infrà quæst 111. art. 1. ad 1.* Sicut etiam ad exteriorem credibilium propositionem vtitur ministerio prædicatorum, & ministrorum. Si vero sit incitatio in malum, incipit per suggestionem spiritus mali, qui tamen intus intra intellectum, & voluntatem non operatur, nec format ipsum dictamen, sed proponit, vt homo sibi formet. Et potest homo tunc formare, & se mouere, quia intellectus eius non est in pura potentia, nec operatur tunc primum actum simpliciter, sed ex aliquibus actibus præcedentibus, qui virtute manent in homine, est in actu, vt se moueat ad formandum dictamen de his, quæ sibi suggeruntur. Quòd non posset facere in primo actu, quando est primus simpliciter, quia non supponit aliquid prius, neque actu, neque virtute, in vi cuius moueat se.

3549 *Quando fit secundo modo, potest homo toties de nouo incipere, & determinare se.*

Et in huius signum cōstat, quod Diabolus quādo tentat, & suggerit, semper repræsentat aliquid iuxta ea, quæ aliquando sensimus, vel experti sumus, licet ab ipso viuaciùs exprimantur, de his verò, quorum notitiam nunquam habuimus, vix potest suggerere, & tentare, sicut cęconatum non potest tentare de coloribus. Et hoc ideo, quia solùm proponit obiecta, vt nos formemus dictamen, quod tamen formare non possumus, nec ad illud nos applicare, nisi in vi alicuius actus pręteriti. Deus autem potest etiam de his, quæ nunquam nouimus infundere nobis speciem, & lumē, & excitationem, quamuis etiam aliquādo sic proponat, vt relinquat nos formare dictamen. Semper tamen intus operatur intra intellectum, & voluntatem, respectu bonorum, quoad entitatē, & bo-

3550 *Diabolus quando tentat, semper repræsentat aliquid iuxta ea, quæ aliquando sensimus.*

& bonitatem, respectu malorum, quoad entitatem tantùm, non quoad malitiam. Et respectu huius entitatiui influxus ponitur illa prædeterminatio: semper enim omnis causa physicè subordinatur influxui Dei in quocumque actu, sed non semper excitationem, & formationem dictaminis ipse solus operatur.

3551 *Petes 2.*

Petes 2. *An voluntas Angeli in primo instanti fuerit libera physicè, & naturaliter, quoad actum omissionis, & libertate, contrarietate, & contradictionis.*

Resp. Angelum pro illo primo instanti non posse moueri libertate cõtrarietatis.

Resp. Angelum, pro illo instanti, non posse moueri libertate contrarietatis penes velle hoc obiectum, scilicet bonum, & oppositum eius, scilicet malum, quia primæ operationi, in quantum primę, incompossibilis est deficientia circa bonum ex defectu mouentis ad illud, seù formantis dictamen defectuosum; potest tamen moueri libertate contradictionis penes velle, aut non velle exercere, vel non excercere ipsum actum. Nec obstat, quod pro illo instanti, possit sibi æqualiter proponi bonum aliquod, & malum sub ratione boni, potestque voluntas pro sua libertate eligere minùs bonum, vel æquale relicto altero: dicimus enim, quòd licèt demus hoc, quod in potestate voluntatis est ex duobus æqualibus, aut æqualiter propositis eligere æquale, vel etiam minus bonum immediatè, & per se, non imperando aliud, dictamen fieri, adhuc tamen non sequitur, quòd possit eligere minus bonum, vel æquale sine defectu, quia hoc ipsum, quod est proponi malum æqualiter, vel meliori modo, quã id, quod est in se bonum, aut non detinere, vel impedire voluntatem, ne minus benè propositum eligat, magnus defectus in ipso dictamine, & propositione est.

3552 *Licèt voluntas habeat physicè principium omissionis, moraliter, ratione primi instãtis, non potest omittere.*

Vndè quòd voluntas habeat principium omittendi ex vi libertatis, & quantum est ex vi, & meritis obiecti omissione physica, quæ non est aliud, quàm negatio actus, & suspensio operandi; per accidens autem, & ratione primi instantis, in quantum ille actus est primus, & prima operandi occasio, non potest omittere moraliter, & culpabiliter: omissio enim moralis addit supra physicam, quod sit voluntaria, vel volita. Et vt sit vo ita, requirit actum, cuius obiectum sit talis omissio: Nihil enim est volitum, vt obiectum, nisi respectu alicuius actus volitionis, & sic si datur in illo primo instanti omissio volita, datur volitio illius. Vndè iam non est pura omissio, sed actus malus, volens omissionem malam, eademque est ratio illius, & cuiuscumque alterius peccati commissionis. Vt autem omissio sit voluntaria, licèt non sit volita, requiritur, quod illa omissio emanet à voluntate, seù voluntas sit causa illius.

3553 *Omissio in primo illo instanti, non potest esse primò volita, sed concomitanter.*

Est autem causa, vel expressa, & directa volendo illam, de quo iam diximus, vel indirecta volendo aliud, ex quo sequitur omissio, vel antecedenti aliquo actu, vel concomitanti. Et cùm antecedenter non daretur alius actus, si quidem in illo primo instanti, ille est primus, restat, quòd solùm possit concomitanter illa omissio esse voluntaria, quatenus in illo instanti voluntas conuertitur ad aliquod obiectum, per quod impeditur, seù desinit implere pręceptum, & omittit illud: & talis actus cum tali circumstantia omissionis, peccatum est, exigitque dictamen defectuosum, & inconsiderationem, sicut quæcumque alia peccata. Vnde pro morali omissione stante præcepto pro illo primo instanti, ego non video differentiam inter omissionem moralem culpabilem, vel commissionem.

Instabis.

Dices, si pro illo instanti voluntas est libera ad omittendum omissione physica, & secundum libertatem contradictionis, posito præcepto, illa omissio erit peccatum, & sic poterit peccare omittendo.

3554 *Resp. quòd ly posse, semper debet sumi formaliter, & in sensu diuiso.*

Resp. variari hic appellationẽ ex parte illius termini *posse* in quo frequenter fiunt paralogismi in hac materia de libertate à *posse* sub vna ratione, ad *posse* sub alias à *posse* in sensu diuiso, ad *posse* sensu composito, & sexcenta alia. Est ly *posse*, & ly *potentia* terminus importãs appellationẽ erga obiectum suum, & ordo ad obiectum, semper debet sumi formaliter, & vt stat sub formali ratione tendendi ad obiectum, & similiter aliquid attentis omnibus non potest, quòd ex vi alicuius rationis formalis precisè sumptę non repugnat, vel etiam è conuerso. Quę omnia præoculis valdè habenda sunt, aliàs continget facilè paralogizare. Dicimus ergo, quod in primo instanti potest facere, & non facere Angelus, velle, vel omittere, considerando ly *non facere*, & ly *omittere*, vt sunt extremum contradictionis, & exercitij liberi, non vt sunt extremum contrarietatis, & culpabilis, ac voluntariæ omissionis, quæ exigit actum concomitantem, vel antecedentem, & antecedens dari non potest, cùm sit ille primus: si autem concomitans daretur, iam non daretur pura omissio, sed etiam commissio.

3555 *Libertas Angeli pro illo primo instanti, est solum libertas contradictionis.*

Libertas ergo pro illo instanti solùm est libertas contradictionis ad diuersos actus eiusdem speciei non contrarietatis, & ita facit hunc actum, quod non cogitur facere illum, sed potest alium facere intra eandem speciem, & ita facit hanc speciem actus, quod non cogitur facere illam, sed potest non facere, quantum est ex vi obiecti, & ex meritis illius, vt bonum est, & appetibile; & tamen sub alia ratione consideratum illud obiectum, vt deficiens à regulis rationis, non potest ab ista voluntate hic, & non esse volitum per accidens, & ex alia ratione, scilicet quia deest principium defectuose mouens, & dirigens. Nec enim necesse est, quod voluntas, vt libera sit, possit omittere illum actum, vel obiectum sub omni ratione, & modo; sufficit, quod inquantum conducit ad libertatis indifferentiam, seù ad non coactionem potentiæ, possit illud non velle, idest, non cogatur ab illo ex meritis obiecti, & vt appetibile est: sicut etiam Christus Dominus ratione personæ, & Beatus ratione status, & Deus ipse ratione summæ perfectionis, non possunt velle omissionem, seù illud non facere, quatenus defectuosum est, licet liberæ voluntatis sint, quia non pertinet ad perfectionem libertatis posse velle, & non velle, etiam defectuose, sed posse velle, & non velle non coactiuè, & quoad exercitium, quidquid sit an ad volendum defectuose necessitentur quoad specificationem.

3556 *Stante Præcepto in illo primo instanti, potest Angelus non operari, in sensu diuiso.*

Quare cùm dicitur, quod potest non facere, etiam stante præcepto, distinguo, potentia antecedenti, seù in sensu diuiso, concedo; potest potentia consequenti, & in sensu composito, nego. dicitur potentia antecedens, quæ consideratur secundùm se ante actum, & ante omnia requisita ad actum; & sic respicit obiectum secundùm se præcise, & hoc est in sensu diuiso, scilicet diuidendo à collectione eorum, quæ concurrunt, & requiruntur ad operandum hic, & nunc, & non solùm considerando id, quod est in obiecto ex meritis obiecti. Dicitur potentia consequens, illa, quæ est coniuncta cum actu, & respicit actionem, vt faciendam hic, & nunc, & obiectum cum omnibus requisitis, & concurrentibus ad agendum, vel non agendum. Et sic non requiritur ad libertatẽ, quod possit non operari, aut possit circa tale obiectum, si importatur obiectum sub aliqua formalitate, & respectu ipsi incompossibili. Et sic illa omissio, vt culpabilis, & illud non facere, vt defectibile, & vt contrarium rationi, reducitur impossibile illi Angelo per accidens, idest, pro primo actu, quod alias secundum se, & non sub appellatione defectibilis, impossibile non est. Et Christo ratione personæ redditur impossibilis omissio, vt defectuosa, & contra præceptũ, quę secundum se impossibilis non est, nec illi voluntati ex parte naturæ creatæ, sed ratione personæ; sicut etiam

Beato,

Beato, ratione status, est impossibilis actio, vel omissio defectibilis, & non ex proprijs, & intrinsecis principijs voluntatis, & naturæ. Ad libertatem autem sufficit, quòd aliquid non sit impossibile antecedenter, & in sensu diuiso, ita quòd ex proprijs, & intrinsecis principijs non coarctet voluntatem, & in quantum pertinere potest ad id, quod perfectionis in volontate est, licèt in sensu composito, & potentia consequenti, & in quantum reducitur ad aliquid defectibile non possit fieri, quia hoc imperfectionis est, & non requiritur ad libertatem, quòd sub omni ratione, & appellatione aliquid possit, sicut, nec ad intellectum, quòd sub omni modo, etiam imperfecto, intelligat.

3558 *Auxilium Dei, quod non habet adiunctam permissionem peccati in illo primo instanti, est debitũ angelo.*

Quapropter in auxilio Dei, quod datur ad operandum in primo instanti, est distinguendum de auxilio illo, vt supernaturalis ordinis est, & datur cum valore meritorio vitæ æternæ; & sic est omninò gratuitum, nec debitum Angelo iure creationis, aut aliquo alio titulo, quàm ex mera liberalitate Dei: posset enim denegare Angelo quidquid supernaturalitatis est. Aliud potest considerari in illo auxilio, seu concursu, scilicet, quod non habeat adiunctam permissionem peccati, etiamsi in genere supernaturali non sit. Et hoc est debitum iure creationis, non est gratia specialis, sed solùm generalis, sicut concursus in quacumque alia re iuxta debitum suæ naturæ pro loco, & tempore. Et licèt non sit debitum angelo absolutè, est tamen debitum ipsi, ex Deo tunc mouente, & ex suppositione, quod Deus creat angelum perfectum, idest cum operatione sua in primo instanti tenetur Deus ipso iure creationis illum mouere, & applicare ad agẽdum, nec est aliud monens defectuosum, à quo determinetur ista creatura, vt iuxta eius dispositionem Deus se accomodando permittat defectum.

3558 *Auxiliũ illud, pro illo primo instanti nõ est censenda specialis gratia, sed specialis exigentia.*

Ideò non est censendum pro speciali gratia pro illo instanti, sed pro ipsa exigentia creationis sic factę, & creaturæ intellectualis sic motæ, vt pro illo instanti non adiungatur ei, nec adiungi possit permissio defectus ex suppositione, quod operatur. Et ad ipsum præceptum supernaturale charitatis implendum indiget gratia speciali, & supernaturali, non quia euitatio peccati est præcisè, sed quia actus supernaturalis est: semper .n. quod supernaturale est, gratia indiget speciali simpliciter, quia non tenetur Deus in ordine supernaturali dare gratiam, & concursum absolutè, & simpliciter. Non tamen repugnat, quòd ex suppositione aliqua Deus habeat debitum dandi gratiam supernaturalem, quod est debitum secundùm quid, non quidem ex sola suppositione, quòd dat notitiam Angelo præcepti supernaturalis: hæc .n. notitia communis est primo, & secundo instanti. Sed ex alia suppositione, nempè, quia creat Angelum eleuatum ad statum supernaturalem cum pręcepto illo, & in instãti ita coarctato, quòd non potest ab alio, quàm à Deo dictamen suscipere, sicut ex suppositione, quod Christo imponit præceptum dilectionis supernaturalis, tenetur illi dare auxilium supernaturale, quia persona impeccabilis est.

DVBIVM III.

Soluuntur reliquæ difficultates ad explicandum magis, cur Angelus non potuerit peccare in primo instanti.

3559 *Petes 1.*

PEtes 1. *An Angelus non potuerit peccare in primo instanti propter defectum potentię, aut propter perfectionem.*

Resp. angelum non peccasse in primo instãti, non fuit defectus potentię.

Resp. Quòd vt dicit S.Th. *Quæstione 16. de malo art. 4 ad 3. Angelus non potuerit peccare in primo instanti, non fuit neque propter defectum alicuius potentię, qui postmodum fuerit suppletus, neque propter perfectionem, quę postmodum fuerit substracta ante peccatum, sed propter ordinem actus.* Quare dicimus, quòd totum, quod est intrinsecum in potentia peccandi, fuit in primo instanti, sed non omne extrinsecum, quia defuit dictamen defectuosum, & à quo posset formari. Et sic habuit potentiã ad peccandum antecedenter, non consequenter: Sicut etiã beati, qui ratione status carent dictamine defectuoso, non possunt peccare, quamuis in Beatis hæc in potentia, sit magis antecedens, & per se, quia status ille est perpetuus, licèt accidentalia sit Beato, in angelo autem tota peccabilitas, & defectibilitas intrinseca, quæ est in secundo instanti est in primo; & ideò potentia peccandi, est in illo; sed non posse peccare non prouenit ex illo ex defectu potentiæ physicæ, sed per accidens, & ex importantia dictaminis defectuosi. Quæ impotentia licèt moralis sit, est tamen moralis intrinseca, & non solùm extrinseca, sufficitque ad denominandum Angelum simpliciter impotentem ad peccandum, sicut homo etiam si habeat habitus supernaturales, si tamen caret gratia excitante, impotens est ad operandum, quia caret aliquo simpliciter requisito ad posse, & intrinsecè concurrẽte ex parte intellectus; licèt, quia ex parte obiecti mouentis se tenet excitatio, dicatur pertinere ad moralem motionem, vt condistinguitur ab operatione physica intrà voluntatem operante.

Et ita non *posse* moraliter dupliciter dicitur. Vno modo, vt distinguitur contrà non posse physicè, licèt per se, & necessariò requiritur illa moralitas alio modo, vt distinguitur contra non posse simpliciter. Primo modo intelligitur, quod possumus aliquid simpliciter, licet difficulter, & quia difficulter dicimur moraliter non posse, quia moralitas non dicit potestatem, sed difficultatem. Et in hoc sensu Patres olim refutabant Pelagium, qui dicebat gratiam dari, non vt simpliciter possimus facere, sed vt facilè, quasi moraliter potestatem daret, non simpliciter, secundo modo potest, aliquid morale, & non physicum requiri simpliciter ad aliquid, ita, quod sine illo simpliciter non possimus, licet physicum non sit, nec physicè moueat, seu concurrat, sicut propositio obiecti, & ea, quæ ex parte propositionis se tenent, non physicè influunt intra voluntatem, sed exteriùs alliciunt, & tamen simpliciter requirunt, itaut sine illa non difficulter possit voluntas, sed nullo modo possit; *nihil .n. volitum, quin præcognitum.* Et quia angelus in primo instanti caruit dictamine defectuoso, nec ex aliqua parte potuit illud habere, simpliciter non potuit peccare, & non solùm ordinariè, seu connaturaliter, aut difficulter; non tamen hęc impotentia simpliciter orta fuit ex impeccabilitate physica, & indefectibilitate ex parte voluntatis, sed ex indefectibilitate morali ex parte intellectus, intrinsecè tamen, & simpliciter requisita.

3560 Non posse moraliter, *dupliciter accipitur; vno modo cõtra non posse physicè, alio modo, vt distinguitur contra posse simpliciter.*

3561 *Petes 2.*

Petes 2. *Cur peccatum originale animę non refundatur in Deum, tamquam in causam, & refunderetur peccatum angeli, si angelus in primo instanti peccaret.*

Resp. peccatum originale non refunditur in Deum, quia nõ contrahitur ex ipsa motione Dei.

Resp. Ex D.Thoma, *citata quæst. 16. de malo art. 4. 4. ad 2. Quòd anima in primo instanti suę creationis efficitur mala, non per actionẽ propriam, sed per vnionem ad corpus infectum; Vnde non est similis ratio de Angelo, qui non potuit fieri malus, nisi per actum proprium.* Itaque peccatum originale non refunditur in Deum, etiamsi in primo instanti contrahatur, quia non ex ipsa motione, aut creatione Dei contrahitur, sed ex ordine, & respectu ad primum hominem, à quo formaliter descendit corpus, cui vnitur anima, & sit totus homo membrum illius primi hominis, & particeps peccati eius per peccatum sibi communicatum. Vnde datur extra Deũ causa, & ratio sufficiens habendi illud peccatũ non per actionem propriam, sed per contractionẽ, quæ non datur in angelo. Ad id vero, quod dicitur de perueniente ad vsum rationis, quod potest peccare in primo instanti actualiter, moraliter, iam suprà dictum est, & explicata differentia inter hominem, & Angelum, quantum ad hoc.

2563 *Petes 3.*

Petes 3. *Cur Deus non sit causa peccati, quamuis determi-*

determinet physicè ad materiale peccati: Si autè angel⁹ peccaret in primo instāti Deus foret causa illius peccati.

Resp disparitatem esse, quia sola prædeterminatio ad materiale peccati, non refundit malitiam in Deo.

Resp. Disparitatem esse, quia ex sola prædeterminatione ad actum materialem peccati; vel ex positione cogitationis quoad entitatem, Vnde potest oriri peccatum, nulla refunditur malitia in Deum, quando supponitur creatura in tali statu, quòd possit se mouere & formare dictamen defectuosum. Nos ergo negamus, quod siuè in primo, siuè in secundo instanti prædeterminatio Dei, siuè per physicam immutationem ad materiale peccati, siuè per permissionem malitiæ, refundat in Deum, quia totum hoc operatur in quantum efficiens, non in quātum principium actus defectuosi. Cæterùm totū hoc debet supponere ipsam creaturam in statu habili, vt possit, vel propria motione, vel ex alterius suggestione formare dictamen defectuosum, & inconsideratum, atque se ita applicare, vt peccat: Quod si hoc non potest, quia est primus actus, & nullum alium priorem supponit, ex quo possit se mouere ad formādum tale dictamen, parum interest, quod moueatur à Deo, vel prędeterminatur physicè ad materiale peccati, si ex parte intellectus non est habilitas, vt formetur à se dictamen, quia primus actus est, sed vt accipiat illud ab alio, nempe à Deo: tunc enim si cum illa prędeterminatione physica accipiat dictamen defectuosum à Deo, malitia ipsa in Deum refunditur, non quia ex prędeterminatione physica ad materialem entitatem precisè resultet malitia in Deū, sed quia totum ipsum dictamen defectuosum à Deo esse debet, quia non ab alio potest formari. Si autem dictamen defectuosum non formetur, non peccabit angelus in illo primo actu propter essentialem dependentiam peccati à defectuoso dictamine, & consequenter, neque prędeterminabitur a Deo ad materiale peccati.

3560 *Instabis.*

Instabis, quòd in alijs instantibus potest Deus sic determinare intellectum Angeli, sine hoc, quòd sit author malitiæ.

Resp. si Deus in alijs instantibus formaret dictamen defectuosum in mente angeli, refunderetur malitia in Deum.

Respondetur, quòd si in alijs instantibus Deus ipse formaret dictamen defectuosum in mente angeli, eodem modo refunderetur malitia in ipsum Deum, sicut in primo instanti. Sed quia in alijs instantibus ipse angelus potest se mouere, & vel ex propria cognitione, vel ex alterius suggestione sę applicare ad formandum sibi dictamen, ideo tunc non attribuitur defectus ipsi Deo, quantumuis ad materiale peccati physicè prædeterminet, vel cogitationem ipsam quoad physicam entitatē producat. Vrgebis; quòd peccatum nihil aliud requiritur, quam, quod Deus permittat malitiam cū prędeterminatione, & concursu ad materiale peccati, ex quo nulla refunditur malitia in Deū. *Respondetur:* nō ampliùs requiri in subiecto potentę se mouere, & formare dictamen defectuosum: in eo autem, quod non potest, vel pro ea duratione, & tempore, quod non potest, non sufficit illa prædeterminatio, & permissio, nisi etiam adsit formatio ipsius dictaminis defectuosi, quod si formatur à Deo, deficit Deus, si non formatur à Deo pro illo instanti non deficit creatura, quia à se, formare non potest pro illo primo actu.

3564 *Instabis.*

Quod si instes. Quid est formare creaturam dictamen defectuosum, vel quid ad hoc requiritur pręter ipsam prædeterminationem Dei cū permissione malitiæ, & quare magis infundit in Deum malitiam formatio dictaminis, quàm prædeterminatio concursus.

Resp formationem dictaminis defectuosi, nihil aliud esse, quàm propositionem obiecti praui, cum practica inconsideratione.

Respond. quod de hoc vltimo satis à nobis dictum est *suprà tom. 1* tractando de voluntatis diuinę, & decretorum eius efficacia. Nunc dicimus formationem dictaminis defectuosi nihil aliud esse, quam propositionem obiecti praui cum practica inconsideratione. Creaturam autem formare hoc dictamen, & mouere se, seu applicare ad talem formationem, requirit, quod ex aliquo priori actu virtualiter saltem remanente, se moueat, & applicet ad formandum dictamen, siuè prauum, siue rectū: non .n. potest ipsa potentia applicare, & mouere se ad aliquid, nisi aliquo actu prędedere, quia mouere, actualitatem dicit, actumque supponit, per quē potentialitatem suam reducat in actum; & ita, vt iam ponderanimus, aliud est elicere, seu producere actū, aliud mouere, seu applicare se ad ei⁹ elicientiā.

In actu primo voluntas non potest se reducere de potē ad actum.

Cùm ergo in actu omnium primo, seu in primo instanti non possit supponi alius prior actus, seu alia actualitas, qua se moueat, & reducat de potentia ad actum, oportet, quod in eo actu moueatur, seu applicetur totaliter ab alio principio exteriori, etiam in formatione huius dictaminis, sicut in motu cordis, animal mouetur à principio generante, vitam eius. Et ita in primo instanti, neq; ad bonū, neque ad defectuosum dictamen se applicare, & mouere potest creatura, sed ab exteriori principio ille motus debet prouenire, sicut primus motus cordis. Et sic non sufficit prędeterminatio Dei, vt causæ primæ, qua generaliter cum qualibet causa, & ad quemlibet actum concurrit, quia prędeterminatio, neque virtutem dat agenti, neq; obiectum proponit, aut voluntatem dirigit, sed solùm potentiam, virtutemq; actiuam creatam applicat, & determinat iuxta modum suum, vt transeat ab actu primo ad secundum. Et quia physice & entitatiue transit voluntas, etiam cùm actum peccati elicit: ideo ad talis actus entitatem, & elicientiam indiget illa prę applicatione, nec ex illa sequitur defectus, aut malitia in Deum, sed entitatis illius actus productio in quantum entitas est, sicut nec concursus simultaneus eū actu peccati refundit malitiam in Deū.

3565 *Excitatio, & propositio obiecti, non influit physicè in actu*

At vero excitatio, propositio obiecti, suggestio, formatioque dictaminis, cùm non influat physicè in actum, sed iuxta allicientiam obiecti, nō respicit præcisè entitatem actus, vt entitas est, sed totum, quod obiectum illud, & dictamen in se habet, totū imprimit voluntati. Et cùm in obiecto non possit separari entitas, seu substantia actus ad quē allicit, à malitia, quam habet, sicut in concursu ad entitatem præcisam actus separatur, hinc est, quòd si per manum Dei formatur dictamen prauum, refunditur in eum defectus, sicut si ex suggestione alterius formaretur, non vero infunditur ex eo, quod physice ad entitatem concurrat.

3566 *Petes 3.*

Petes 3. *Qualis sit sensus illius propositionis D. Th. in qua tota doctrina huius art. fundatur nempe, quòd, Prima operatio, quæ incipit cum esse est illi à generāte, sicut lapidi mouere deorsum.*

3567 *Resp Generāti solùm attribuit illos motus, qui pertinent ad constitutionem ipsius in statu naturali.*

Resp: Generanti solùm attribui illos motus, seu actus rei generatæ, qui pertinent ad constitutionē ipsius in statu cōuenienti, & debito ad id, quod sibi connaturaliter conuenit, siuè operando, siue quiescendo, sicut motus grauium, & leuium attribuitur generanti, quia per talem motum mouetur graue ad connaturalem locum, vbi quiescere, & cōseruari debet, quia perfectio, & finis talium corporum consistit in ipso quiescere: & ita si generatur extra locum proprium, motus ad talem locum dicitur naturalis, non propter locum, sed propter quietem in loco. In viuentibus autem, propria, & connaturalis perfectio est, quod operentur se mouēdo, & quia non possunt se mouere, nisi in quantum mota, & applicata, quæ applicatio, & motio debet fieri per aliquē motum priorē, per quē constituatur in actu, seu moueatur ad se mouendū; ideo pertinet ad generantem dare istum primum motum, non propter aliquam quietem, sed quia per ipsū applicatur, & mouetur ad se mouendū. Sicut motus cordis in animali datur à generante, tanquam principium vitæ, quatenus per talem motum cōstituatur animal in ratione mouentis se. Et licet talis motus eliciatur à viuente, tamen quia primus motus est, non mouet se ad illum, sed mouetur, vt se moueat, & quia ad connaturalem statum viuentis pertinet, à generante debet esse. Quod autem facit motus cordis in animali quoad vitam sensibilem, facit prima operatio intellectus quoad vitam intelligibilem.

3568 *Non omnes operationes, quę incipiūt cū ipso*

Quare non omnes operationes, quę incipiunt cū ipso *Esse*, attribuuntur specialiter generātis sed solūm illæ, quæ se habent, vt principium cæterarū, & constituunt

esse, attribuuntur specialiter generanti. stituunt ipsam rem cognitam in statu connaturali, & habili ad se mouendum, vel operandum, quoad alias actiones, & motus. Calefactio n., & illuminatio licet incipiant cum ipso esse ignis geniti, non tamen incipiunt tanquam principia, seu requisita, quibus constituatur ignis in statu connaturali, & apto ad se mouendum, vel ad quiescendum, aut operandum alia, quæ sunt perfectiones complentes ipsum statum naturalem debitum ex vi generationis: sicut etiam actiones illæ intellectus, & voluntatis, quæ post primam consequuntur non attribuuntur generanti, sed solùm illa prima, qua constituitur in statu habili, & connaturali ad se mouendum: Sicut etiam motus vitales, qui sequuntur post motum cordis non attribuuntur generanti, etiamsi simul tempore sint cum motu cordis. In Angelo autem quando datur prima operatio, illa constituit primum instans, ad quod pertinent quæcumque sub illa operatione coordinantur. Si vero ab illa deficiant, & deordinentur, iam pertinent ad aliud instans, quia operationes ipsas diuidunt, nō continuant.

3569 *Prima operatio solùm pendet à generante, seu ab Authore naturæ, in his, quæ ab ipso generante fiunt.* Vnde: verum est, quòd prima operatio solùm pendet à generante, seu ab authore naturæ in his, quæ ab ipso generante, & per principia eius fiunt. Non autem in his, quę ab alijs principijs pendent, si talia dentur. Negamus tamen, quod in prima operatione creaturæ intellectualis, seu rei genitæ possit dari dependentia ab alio, quam à generante, & à principijs à generante deriuatis quantum ad ipsam motionem, seu applicationem ad operandū: quia quantumcumque in ipsa re genita dentur alia principia, siue defectibilia, siue non, tamen in primo instanti nulla principia creaturæ, seu rei genitæ possunt se mouere, & applicare ad operandū, sed habent ab exteriori principio applicari. Et cum hoc exterius principium sit ipse Deus, qui est indefectibilis, non potest aliquod principium creaturæ, à quo illa prima operatio dependet, defectuose moueri, & applicari ad operandum, licet concurrat ad eliciendum ipsam operationem: sine motione autem, & applicatione defectuosa nunquam resultat defectus, & peccatum in actione, quæ à tali motione, & applicatione per se dependet, sed semper fit recta applicatio. Quod etiam currit in his, quæ angelus ex suggestione alterius, vel ex propria cognitione potest operari in illo primo instanti, quia omnia ista non potest attingere, nisi vel se mouendo, vel motus ab alio. Et cùm non possit in primo actu se mouere, necesse est, quòd operetur tantùm, vt motus à Deo, & consequenter, vt rectè motus, quia motus, qui est tantùm à Deo non potest non esse rectus.

3570 *Petes 4.* Petes 4. *An illo primo instanti possit Angelus operari circa plura, & circa vnum deficere, & non circa aliud.*

Resp. neg. quia illa plura respicit angelus, vt ab vna prima operatione deriuata. Resp. Hoc esse impossibile, quia illa plura attingit Angelus, vt coordinata, & ab vno primo principio, seu prima operatione deriuata, ex qua incipit se mouere: vel si demus, quod illa non se habent coordinate, seu disparate, tamen in illo potest incipere se mouere, quia eadem ratio est de vno, atque de alio, sed semper in prima operatione debet reduci ad primum motum, in quo non se moueat, sed moueatur ab exteriori principio, & illud respectu Angeli est indefectibile, quia est solus Deus: Sicut si fingeremus in aliquo animali esse plura corda, quæ simul mouerentur sine dependentia vnius ab alio, sed disparate, vtrumq; moueretur immediatè à generante, nec posset in aliquo esse defectus, nisi in generante defectus esset.

Si fingeremus in angelis esse plures actus primos, in quolibet moueretur à Deo. Sic dicendum est, si fingeremus in Angelo, vel creatura intellectuali esse plures actus, seu motus, quorum quilibet esset prima operatio, non dependens ab alia, in vtraque immediatè moueretur à Deo, & non posset esse defectus in illo, prout sic à Deo applicaretur. Si autem solùm est vna operatio prima, in qua Angelus immediatè mouetur à suo generante Deo, & reliqua omnia, quæ intelligit, seu operatur deriuantur ex ista prima operatione, non potest intelligi, quòd in reliquis peccet, quandiù operatur in illa, vt subordinata primę, quæ pro illo primo instanti recta est, vtpotè subordinata Deo. Et quidem potest Deus non mouere Angelum ad obiecta supernaturalia, sed tantùm ad naturalia, sed in hac denegatione supernaturalium, nullum erit peccatum, quia pura negatio est. Sed siuè Deus moueat ad supernaturalia, siuè ad naturalia tantū, hoc ipso, quòd immediatè per se mouet tanquam formans, & dans dictamen illius primæ operationis, non potest ibi defectus incidere, & consequenter, neque in actu voluntatis in quantum ex tali motione, & dictamine deriuatur.

Quapropter primum, & secundum instans angeli operantis, parificantur, sed dicimus: parificari in instantia, quoad intrinsecam entitatem, & defectibilitatem potentiarum, & quoad perfectiones ex parte modi specierum, & luminis ad intelligendum, & respectu etiam obiectorum quo ad bonum, & malum, quę quasi speculatiuè intelliguntur. Non enim est dubium, quod in primo instanti intelligit Angelus peccata, & vitia, sicut, & virtutes, & bonum apparens, sicut, & honestum speculatiuè, & quoad quidditates illorum: solùm differentia est, quod in primo instanti, seu in prima operatione non potest operari Angelus, vt se mouens in intelligendo, & volendo, sed vt motus à Deo, eo quod illa est prima operatio omnium in reliquis autem instantibus potest operari non solùm, vt motus a Deo, sed etiam, vt se mouens, & ideo illa prima operatio non potest defectuose proponere, & excitare, seu dictamē defectuosum formare, quod tamen reliquæ operationes possunt, nisi gratia Dei conseruentur, & ideò ex ipsa natura primæ operationis, solùm quia prima est, & ex motione immediata Dei proueniens, non potest deficere; licet in reliquis parificetur cū sequentibus operationibus, quæ possunt deficere. 3571 *Primum, & secundum instans angelorum parificari, quo ad intrinsecā defectibilitatē potentiarum.*

ARTICVLVS SEXTVS.

Vtrum fuerit aliqua mora inter creationem, & lapsum Angeli.

SVMMA ARTICVLI D.Th.

Concl. Negatiua. Prob. Angelus in primo instanti prorupit in actum: ergo meruit: cùm in gratia fuerit creatus. ergo statim beatitudinem accepisset, nisi statim per peccatum impedimentum pręstitisset. igitur statim post primum instans peccauit, ac proinde nulla intercessit mora inter instans creationis, & lapsum.

Arg. 1. Ambulatio necessariò requirit aliquam moram, quia Ambulatio est motus continuus: Sed Angelus, post sui creationem, antequam peccasset ambulauit: *Ezech.* 28. ergo. Respond. ma. esse veram de ambulatione, quæ est motus propriè sumptus: per ambulationem autem Angeli intelligitur motus liberi arbitrij.

Arg. 2. Origenes dicit. *Quòd Serpens antiquus non statim supra pectus, & ventrem suum ambulauit:* per quod intelligitur eius peccatum: ergo. Resp. hęc authoritas intelligitur de primo instanti, in quo malus non fuit Serpens.

Arg. 3. inter creationem hominis, & eius peccatum fuit aliqua mora. ergo &c. Respond. neg. conseq. Quia licèt posse peccare, sit commune homini, & Angelo, non tamen eodem modo: Angelus enim habet liberum arbitrium inflexibile post electio-

electionem, non autem sic est de homine, vnde non est eadem ratio.

Arg. 4. Inter quælibet duo instantia cadit tempus; sed aliud instans fuit, in quo Diabolus peccauit, ab instanti, in quo fuit creatus, ergo. Resp. ma. esse veram de tempore mensurante motum corporum cælestium, qui est continuus: non autem est vera de tempore mensurante operationes Angeli.

DISPVTATIO CCCXXIV.

Quomodo differant, & coexistant, siuè coexistere possint instans Angelicum, & instans nostri temporis.

3572 Celebris est hæc difficultas.

NON minùs ardua, quàm celebris est hæc inter omnes, quas hactenus examinauimus, ac definiuimus, Disputationes, vt ipsæ sententiarũ, & modorũ dicendi contrarietates non solùm apud externos, sed etiam in schola Sancti Nostri Doctoris perspicuè manifestat. Et quia difficile valdè est, ne dicam impossibile certam, & omninò firmam in proposita difficultate veritatem attingere, satis vtiliter, nos elaborasse iudicabimus, si rationi consonam, & communibus sapientum, & Sanctorum, ac præsertim D. Thomæ dictis congruam attulerimus diffinitionem, quæ à diuinarum scripturarum oraculis non sit aliena.

3573 1. Concl. esse differentiam inter instans nostri temporis, & instans temporis angelici.

Dico primò secundùm communem, & veram Thomistarum sententiam, latam, & essentialem esse differentiam inter instans nostri temporis, & instans discreti temporis Angelorum. Illud enim tàm actu, quàm virtute penitus est indiuisibile; hoc verò, licet actu, siuè formaliter sit indiuisibile, virtute tamen potest multipliciter esse diuisibile, quamuis non necessariò, siuè semper sit; vt enim suprà notauimus qu. 10. art. 5. *potest vnum instans discreti temporis Angelorum durationis suę latitudine correspondere, non solùm pluribus instantibus, ac partibus nostri temporibus, sed etiam multis aliorum Angelorum instantibus, siuè moralis. Dùm enim vnus, simplexq; cognitionis actus in Angelo supremo perseuerat, labi possunt nostri temporis non solùm infinita momenta, sed horæ numero non exiguæ, & in eadem etiam durationis latitudine multę possunt inferiorum Angelorum successiuè cogitationes, ac volitiones expleri. Quęlibet enim angelorum cogitatio tota simul est: & quia libera est, ideò, sicut elicitur liberè, sic, & liberè conseruatur; ac proinde potest Angelus semel elicitam intellectionem, quantum voluerit manutenere. Mitto cęteras differentias inter instans nostri temporis, & Angelorum, quę ad rem pręsentem minimè pertinent.*

2. Concl.

Dico secundò, siuè duo tantum assignentur instantia, siuè tria, quibus Angelorum via simul, & terminus expleatur, non posse duo ex illis immediata duobus nostri temporis instantibus respondere; itaut, exempli gratia, primum instans Angelicum vni nostri temporis instanti coexistat, & secundum vni, & tertium alteri. Probatur hoc dictum. Quia consequens fieret immediatè se se consequi duo nostri temporis instantia, sicut secundum immediatum est primo, & tertium secundo Angelici temporis instanti: Quòd esse impossibile probat Arist. in 6. physic.

3. Concl.

Dico tertiò, potuisse primam Angelorum operationem meritoriam cum sua mensura coexistere vni soli nostri temporis instanti. Probatur. Quia longè perfectiores sunt spirituales substantię, quàm corporeę: sed ex his multa perfectam habent operationem in primo suę creationis, vel generationis instanti; Sol enim in primo suæ creationis instanti Lunam illuminauit, & ex hac aer in eodem momento resplenduit, & ignis ex silice genitus circumstantem aerem in instanti primo suæ generationis illustrat. Et confirmatur: Quoniam in vno, eodemque nostri temporis instanti Deus vniuersa creauit tàm spiritualia, quàm corporea: quæ singula iuxta cuiusque naturę modum voluit esse perfecta non in substantia solum, & in actu primo, sed in accidentibus etiam, & operationibus, quæ rebus in eo momento congruerent.

Dico quartò, eadem ratione possibile fuisse secundum, vel tertium, instans absolutè, siuè per se sumptũ vni coexistere nostri temporis instanti. Dixi absolutè, siuè per se sumptum; nam si primum instans angelicum alteri nostri temporis instanti coexistere ob rationẽ superius assignatã nõ potest, est, quia nimirũ duo tunc essent instantia nostri temporis immediata. Si verò primum instans Angelicum instanti nostro, secundum autem alicui parti temporis coexisteret, tunc non esset impossibile tertium instans Angeli nostri temporis instanti coexistere: Sicut etiam, si primum tempori coexistat, poterit secundum instanti nostri temporis, tertium autem non instanti, sed tempori respondere. 3574 4. Concl.

Nec huic officiunt veritati, quæ post Molinam scribit Vasquez, disp. 229. cap. 10. *dicens, existimare se, probabilius multò esse, nullam operationem Angeli, sicut nec nullam rem* Mundi *desinere esse per vltimum sui esse: & ita, nec per solum instans nostri temporis posse durare, sed necessariò tempori nostro successiuè coexistere debere. Huius enim opinionis, cuius author est Ariminensis, fundamenta præcipuè diluit Capreolus* in secundo sentent. distinct. secunda, quæst. secunda, in responsione de argumenta Gregorij contra secundam conclusionem, *nec Vasquez, aut Molina meliora produxit.* Euasio.

3575 Præcluditur.

Deinde non ita constituimus primam operationẽ Angeli durare potuisse per instans nostri temporis instanti coexistens, vt ea statim operatio desinat esse, sed illam asserimus permanere, & per subsequentem solo quodam modo libertatis differentem perfici, similiter, & secundam, si prima fiat in instanti tempori nostro coexistenti, fieri posse diximus in instanti, vni nostri temporis instanti respondenti: non ita tamen, vt sit penitus operatio posterior à priori distincta, sed sit eius, quasi terminus, & complementum.

Præcluditur 2

Denique, pura Beatitudo, vel pœna dicitur in instanti coexistenti nostri temporis, indiuisibile momento posse contingere, solius habita ratione principij comparatione temporis nostri considerantis; in instanti siquidem æternitatis tota simul aduenit beatitudo. Cum igitur illud instans æternitatis sumi possit, vt coexistens primo nostri temporis instanti, qua ratione tunc primò adest beato fœlicitas ęternitate mensurata rectè dici potest in instanti durationis coexistente nostri temporis instanti bonos angelos effici beatos. Pœna verò malorum in instanti similiter accepto dicitur contigisse, licèt illud instans non sit æternitatis, sed angelici temporis discreti; loquimur autem hic de pœna Dæmonum prout actus est intellectus, & voluntatis angeli, non autem, prout actio est instrumentalis ignis instar carceris includentis; sic .n. tempore quodam continuo mensuratur.

Dub. 1. *An* primum initium viæ, seu primum instans angelicum, solùm durauerit per durationẽ nostro instanti correspondentem.

Dub. 2. An progressus viæ angelorum in malis fuerit duobus instantibus ante terminum, in bonis verò vnico instanti.

Dub. 3. *An* terminatio viæ in bonis angelis, vt in malis fuerit in distincto instanti à merito. Et Vnde repugnet, meritum cum præmio esse simul.

DVBIVM I.

An primum initium viæ, seu primum instans Angelicum solùm durauerit per durationem nostro instanti correspondentem.

IVxta principia D. Tho. probabiliùs iudicamus, hoc initium, quod pertinuit, generaliter ad omnes Angelos 3576 *Conclusio initium viæ,*

quòd pertinuit ad omnes Angelos, non durauit nisi vnico instanti.

Angelos, & in quo omnes fuerunt in gratia, non durasse, nisi vnico indiuisibili instanti ipsius creationis, quòd vnico instanti nostri temporis correspondet. Et ita tenent NN. Carmelitani Salmanticenses, *tract. de Angelis disp. 12. dub. 1.* Principia autem Sancti Thomæ, quę id suadent, sunt, quia dictus Sanctus sentit Angelum in primo instanti suæ creationis habuisse actum liberi arbitrij, & fuisse creatum in gratia, vt constat *ex quæst. 62. art. 3. & quæst. 63. art. 5. ad 3.* sentit secundò, quòd Angeli statim, atque habent electionem circa aliquid, sunt inflexibiles, & in illo firmantur, vt patet *in hac quæst. 63. art. 6. ad 3. & quæst. 64. ad 2.* sentit tertio, quòd in Angelis incipit electio immediatè post instans creationis, vt deducitur ex his, quæ tradit *hic quæst. 63. art. 6.* nec enim post primum Instans creationis in quo mouebantur ab authore naturæ, aliquid eis deerat, vt possent se ipsos deliberatè mouere ex pręcedenti voluntate, & actu, qui vtique in instanti ipso creationis in Angelis fuit: ergo iam habebant sufficiens principium, vt immediatè post, ex illo priori actu se mouerent, sibique formarent dictamen. Sentit quarto, quod post primum instans suæ creationis statim peccauit Angelus, vt expresè dicit *in art. 6 cit. quæst. 63.* Nomine autem instantis creationis non potest intelligi operatio Angeli correspondens, & æquiualens pluribus partibus temporis, quia creatio non est operatio Angeli, sed Dei, & solùm Angelus se habet, vt terminus talis operationis, creatio autē fit in instanti nostri temporis: ergo si immediatè post instans creationis Angelus peccauit, meritum eius solùm durauit pro instanti nostri temporis, quod est instans creationis.

Prob. 1. ex D. Thom.

Confirm. Confirm. quia immediatè post instans creationis est conseruatio creaturæ, & non creatio, nec potest dici, quod creatur nisi pro instanti nostri temporis, quo fit de nouo in esse. nam immediatè post, iam non fit de nouo, sed continuatur, quòd ante erat: ergo immediatè post instans nostri temporis, non est creationis instans, sed conseruationis duratio: ergo si apud D. Thom. statim post instans creationis peccauerunt, statim post instans correspondens instanti nostri temporis peccauerunt.

3577 *Prob. 2. ratione, quia licèt Angelus in primo instanti non possit se mouere, potest post primum.*

Ratio autem, & fundamentum conclusionis ex eo deducitur, quia licèt Angelus in primo indiuisibili instanti suæ creationis non possit se mouere per deliberationem ex aliquo priori actu pręcedente, quia tunc est primus actus, tamen immediatè post tale instans potest se mouere deliberatè, quia iam præcessit actus, & cognitio immediatè ante cum plena aduertentia, quia cognitio eius perfecta est, & cum expedita libertate, quia etiam in actu primi instantis liber fuit, vt potè eum meruerit in sententia Diu. Thomæ suprà iam explicata: ergo nihil prohibet, Angelum immediatè post, totali, & plena electione se mouere, & deliberare. Similiter immediatè post instans creationis, potest peccare discontinuando priorem actum bonum, vel potest continuare meritum, si voluerit: nam immediatè post primum instans, potest formare dictamen prauum, & defectibile, & se ipsum mouere, aut ab alio incitari ad malum, aut continuare ex propria voluntate dictamen primū, eo quod immediatè post instans creationis, potest intellectum voluntas mouere, vt desistat à priori dictamine, & aliud formet, quod non poterat in primo instanti, quia tunc primo mouebatur voluntas à prima propositione intellectus, non ipsa intellectum mouere poterat, vt suo modo cogitaret. Hanc autem ratione dicitur Deus in illo primo instanti specialiter mouere, & rectificare dictamen Angeli, quia ita est dictamen illud à Deo pro illo instanti, quod non potest ex imperio voluntatis mutari, & obliquari vt *disp. præced.* ponderatum est.

3578 *Post primum* Post primum autem instans creationis, quòd correspondet instanti nostri temporis hoc nō currit, quia immediatè post illud instans iam est integrum voluntati mutare dictamen intellectus, & applicare illum quocumque voluerit, quia habet libertatem expeditam ad hoc, vt potè iam potentem se mouere ex actu præcedenti, in quo solùm à Deo mota fuit. Ergo ab illa duratione immediatè post primum instans creationis, potuit peccare Angelus, & in solo primo instanti creationis non potuit. Rursus ex hac propositione deducitur alia consequentia: In illo primo instanti incæpit Angelus habere firmam, & plenam adhæsionem, seù deliberationem irreuocabilem, & inflexibilem suę voluntatis, in quo potuit peccare, quia plena deliberatio, & electio Angeli non ex eo fuit post primum instans, quia tunc perfectius cognouerit, aut compræhenderit essentialiter, quā in primo instanti, cùm Angelus statim ab initio suā perfectionē habeat, non paulatim acquirat, sed ideò fuit, quia post primum instās ex imperio, & motione voluntatis dirigebatur, & se mouebat, cùm in primo instanti solùm ex motione intellectus, & Dei fuerit directa voluntas.

instans creationis Angelicæ, integrum est voluntati mutare dictamen intellectus.

3579 *Voluntas hoc ipso quòd se mouet, & dirigit, dirigit se æqualiter.*

Hoc autem ipso, quod voluntas se mouet, & dirigit, postulat ita firmiter procedere circa suam resolutionem, sicut post ea, quia perfectio, quæ conuenit Angelo, siuè in intellectu, siue in voluntate statim ab initiò nata est conuenire, hoc ipso, quod capax est illius, non paulatim crescit: ergo si immediatè post primum instans voluntas Angeli, ita est sui iuris, quod potest peccare, & potest ex sua deliberatione procedere, cùm ex plena compræhensione, & cognitione, & non ex discursu procedat, etiam in voluntate ex plena deliberatione, & electione procedit. Ergo si tunc continuaret actum charitatis, & meritum, firmaretur in illo, & non peccaret; & sic non minus perueniret ad terminum in actu meritorio, quàm alij Angeli boni. Peccauerunt ergo mali Angeli, quàm primum peccare potuerunt, idest, cùm primùm ex proprio motu deliberare inæperunt, nec permisserunt se firmari in bono: firmarentur autem si immediatè post illud primum instans non interposuissent impedimentum peccati. Quæ est ratio D. Thom. *quæst. 63. art. 6. ad 3.*

3580 *Prob. 3. ex sacra scriptura pluribus in locis.*

Adstipulantur etiam huic veritati locutiones scripturæ: nam in Ioann. 3. dicitur, quod, *Ab initio Diabolus peccat*, vbi ly *ab initio*, non potest esse ab initio intrinseco primi instantis: ergo extrinseco; & sic immediatè post initium, seù ab initio extrinseco peccauit: nam de ipso primo initio, & instanti creationis, constat de fide, Angelum creatum fuisse sine peccato. Item Isaiæ 14. vbi casus Luciferi describitur: *Quomodo*, inquit, *cecidisti de Cælo Lucifer, qui manè oriebaris?* Quasi in ipso adhuc exortu, seù immediatè post, & dum adhuc oriebatur, extrinsecè cæcidisse dicatur, quia non in instanti intrinseco sui ortus, sed in extrinseco sui immediatè post, cæcidit. Item si Angelus, qui cæcidit vltra primum instans duraret in gratia, aliquantulum permaneret, & staret in veritate, quia non solùm in suę creationis instanti, sed etiam in conseruatione, & continuatione sui esse, quod iam pertinet ad permanere, & ad stare in eo, in quo fuit creatus. At scriptura absolutè dicit: ita peccasse Angelum ab initio, quod non stetit in veritate Ioann 8. *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Non quod ab initio occiderit, seù peccare fecerit homines, sed alios Angelos, iuxta illud Isaiæ 14. *Tu enim terram tuā disperdidisti, tu populum tuum occidisti*, & hoc statim ab initio fecit Diabolus, non intrinsecè ab initio primi instantis suæ creationis, sed extrinsecè, idest, immediatè post, & August. 11. *de Ciuitate cap. 15.* dicit, *Hoc ita accipiendum esse, quòd in veritate quidem fuerit, sed non permanserit.* Et Sanctus Isid. lib. de sum. bono. cap. 12. sent. 17, inquit, quod, *Diabolus mox vt factus est, in superbiam erupit, & statim, vt factus est, cecidit.*

Ac de-

Ac denique ipse Diu. Thomas in quęst. 63. art. 6. apertè dicit, quòd *Probabilior, & Sanctorum dictis magis consonans opinio est, quòd statim post primum instans suæ creationis Diabolus peccauerit.*

3581 *Opposita sententia. Vasq. & eius fundamentum.*

Non est in hac pars concors Theologorum sententia, sed multi tenent durasse malos Angelos in gratia per aliquale tempus, seu morulam vltra primum instans suæ creationis, licèt diuerso fundamento ducantur. Vasquez enim *in præsenti disputatione 229. cap. 10.* existimat generaliter, nullam operationem Angeli posse correspondere vnico instanti solùm nostri temporis, imò nihil posse durare vnico instanti, nisi ipsum instans, aut mutatum esse, quia hæc desinunt per vltimum sui esse, hoc ipso, quòd immediatè post instans sequitur aliqua pars temporis, vel motus. Quæ autem desinunt per primum non esse, si tantum vnico instanti durarent, hoc ipso darentur duo instantia immediata, quòd in nostro tempore est impossibile: ergo neque quòd instans angeli, seu operatio correspõdeat solùm vnico instanti nostri corporis, & desinat, incipiatque immediatè post alia operatio, quæ vtique in instanti incipit, cùm sit indiuisibilis. *1. obiectio.*

2. Obiectio Suarez, & Nazarij.

At verò Suarez *lib. 7. de Angelis cap. 21.* Nazarius *hic q. 63. art. 6. controuersia, vnica*, & alij mouentur, ex eo, quòd incredibile videtur solùm vnico instãti indiuisibili etiam quoad nos, tam multa gessisse angelos, qui etiam ante lapsum in delicijs paradisi Dei fuerunt, & perfecti dicuntur ambulasse. Ezech. 28. nec videtur ita connaturale libero arbitrio, & directioni, quę fit per intellectum, ita operari, & vt vnico indiuisibili instanti duret in operatione sua: neque id etiam cohærere videtur cum motione illa diuina, quę ita mouit in primo instanti, vt durauerit etiam post primum illud instãs creationis in bonis Angelis qui cõtinuauerũt meritum: ergo etiam in alijs durauit post illud primũ instans, siquidem in ea motione operabatur Deus, vt proprius, & specialis author Angelicæ naturæ, & sic erat communis omnibus illa motio, & vltra hoc deseruiebat ad constituendum Angelum in actu primo, vt procederet ad electionem omninò liberam, & plenè sui iuris: Ergo cùm Angelus peccans post primum instans elegerit ex plena libertate, vtique tunc adhuc durabat illa motio Dei erga finem, per quam constituebatur in ratione actus primi ad plenè eligendum.

3582 *Ad 1. Obiectionem. Resp. non esse inconueniens, quod aliquid duret eo modo, quo ipsũ instans, & desinat immediatè post.*

Ad primum ex P. Vasquez dicimus, nullum esse inconueniens, quòd aliquid duret eo modo, quo ipsum instans, & desinat immediatè post, præsertim spirituales actus liberi, qui non sunt subiecti motui, & tempori corporeo; & ideò potest Angelus immediatè post instans interrumpere actum suum, & nos possumus immediatè per elicitum actum, illum suspendere, & cessare ab illo, quia si liberè elicimus actum in aliquo instanti, & ille nõ posset desinere immediatè post: ergo immediatè post necessariò duraret; & sic liber non esset, atque adeò omnis actus liber, qui incipit in instanti, immediatè post redderetur necessarius, quia necessariò existeret. Vnde vlterius fit, quòd ille, qui in hoc instanti habet actum charitatis, non posset immediatè post peccare, aut damnari, nec peccans, posset immediatè post saluari, & iustificari, quia necessariò durant illi actus, quod tamen est absurdum, cùm immediatè post existant per influxum liberum voluntatis: ergo nõ per necessariã: Si autẽ non possent desinere per vltimum sui esse, sicut instans, sed per vltimum non esse, oportet, quòd immediatè post, non possint desinere, quod autem non potest desinere, necessariò existit: ergo immediatè post, necessariò existent illi actus: ergo non liberè.

3583 *1. Euasio.*

Et cùm instat Vasquez, quia non possunt esse duo instantia nostri temporis immediata: ergo neque potest aliquid durare solùm per vnum instans, & immediatè post incipere alia operatio instantanea, & indiuisibilis, quæ etiam in instanti incipit.

Praeluditur,

Respondeo, quòd quando aliquid desinit per vltimum esse, & ad modum instantis, vel Deo suspendente concursum, vel voluntate non influente, talis desitio non correspondet instanti nostro, sed tempori, licèt possit fieri in instanti angelico, vel alia indiuisibili mensura superiori ad nostrum tẽpus, & æquiualenti illi, de quo dicimus *in physica q. 2. art. 1.* Itaque si actus liber desinit per vltimum esse, hoc erit, quia immediatè post, idest, in parte temporis succedente, voluntas desinit influere in illum actum, vt si suspendat se ab actu, quod fortasse moraliter non est ita impossibile, licet metaphysicè possibile sit, licèt non immediatè post aliũ actum eliciat, quia non elicitur in tempore, sed in instanti nostro pro hac vita; & instans non potest esse immediatum instanti antecedenti; & sic desinet actus immediatè post. sicut si Deus immediatè post instans suspendat influxum suum, desinet res creata post primum instans immediatè. *quia quando aliquid desinit per vltimum esse, talis desitio non correspondet nostro instanti*

At verò angelus, quia operatur supra omne tempus, & non sicut nos pro hac vita, potest immediatè post operationem suam, quę correspondit instãti nostro, inchoare aliam operationem suam, quæ etiã instantanea sit, & indiuisibilis respectu sui, æquiualet tamen tempori nostro, & tunc duo instantia Angelica erunt immediata, quod non est inconueniens, vt supra ostensum est, sed non duo instantia temporis nostri, quæ nunquam immediatè sequuntur: tunc enim secundum instans Angelicum correspondet tempori nostro.

Sed instat Vasquez ad probandum debere actũ illum, & rem omnem desinere per primum non esse, quia non esse rei est totum simul, & absque vlla successione, sed quidquid incipit totum simul, incipit in instanti: ergo si illa desitio incipit, tota simul incipit in instanti: ergo per primum non esse, non per vltimum esse. Confirm. quia nulla res potest in eodem instanti temporis esse, & non esse: ergo nec in eodem instanti habere primum esse, & vltimum esse, si quidem vltimum esse est desinere esse, & ui destrui: ergo est non esse. 3584 *2 Euasio.* *Confirm.*

Resp. quòd non esse rei est totum simul, distinguo, intrinsecè, vel extrinsecè, concedo; intrinsecè solùm, nego. Quando enim instans desinit per vltimum esse, eius desitio est tota simul intrinsecè, quia hoc esse, quod habet in hoc instanti est vltimum, ita quod immediatè post non est. Et quia desitio eius est immediatè post hoc instans, vltimũ autem esse eius est in hoc instanti; ideo instans vltimationis, vt ita loquar, quod est extrinsecum desitioni eius, dicitur esse totum simul quoad desitionem extrinsecam, seu quoad vltimationem essendi, quia immediatè post, nihil de illo est. Quãdo autem aliquid desinit per primum non esse, intrinsecè desinit in illo; & tunc desitio eius, est tota simul intrinsecè, non extrinsecè. *Resp. non esse rei esse totum simul intrinsecè, & extrinsecè.*

Ad confirmat. Respondetur, quòd simul esse, & non esse in eodem instanti, nulla res potest, benè tamen in eodem instanti esse, & vltimo esse, quia vltimum esse non est non esse, sed esse in vltimo, ita quod immediatè post desinat. Et cùm dicitur, quod vltimum esse est desinere, dico, quod est desinere non intrinsecè, quasi in eo instanti de facto non sit, sed quia immediatè post non erit, & ita desinit extrinsecè in illo instanti, quia non in illo, sed post illud immediatè desinit. Illud autem immediatè post in nobis est tempus: in angelis autem illud immediatè post, erit aliud instans, seu operatio angelica, quæ ęquiualet tempori nostro, eique correspondet. 3585 *Ad Confir. Resp. quòd res potest in eodem instãti esse, & vltimo esse.*

Ad fundamenta Suarez, & Nazarij. Ad primum dicimus, quod omnes illæ actiones, quæ *in illo loco* Ezechielis attribuuntur primo angelo ante lapsum, non sunt multæ operationes, neque instantia, sed multa obiecta, inadæquata vnius instantis, & operationis, quæ nostro modo concipiendi per diuersos illos actus explicantur, licet in Angelo diuersi actus non fuerint, nec diuersa instantia, sed plura obiecta materialia, & inadæquata sub eorum instanti, & eadem operatione comprehensa. Vnde 3586 *Ad 1. Obiect. Resp. illę actiones, quę attribuuntur ab Ezechiele, Angelo ante lapsum fuisse multa obiecta inadęquata.*

Sanctus.

Sanctus Thomas *in quæst. 63. art. 6. ad 1.* inquit, respondens ad illummet locum Ezechielis, quòd *Per motus corporales, qui per tempus mensurantur, quandoque in scriptura intelliguntur metaphoricè motus spirituales instantanei*, & sic per ambulationem intelligitur motus liberi arbitrij tendentis in bonum.

Angelus vnico instanti comprehendit illa obiecta partialia.

Quare omnia il'a obiecta, quibus Angelus tendebat in Deum, quando creatus est, & nos per plures actus deberemus attingere, & ambulare in eis, Angelus vnica operatione, & vnico instanti comprehendit. Quòd verò illud instans Angelicum, seu operatio, qua omnia illa obiecta comprahendit, prorogare voluerit post primum instans creationis, quod instanti nostri temporis correspondebat, hoc planè dependebat ab eius libertate, non à maiori comprahensione, vel attingentia obiectorum, quæ anteà non attingeret. Vnde in hoc aliqui voluerunt prorogare illum actum merendo, alij discontinuare peccando. Et certum est, immediatè post primum instans creationis potuisse peccare, quòd non poterant in primo. Quid ergo prohibuit peccasse tunc primum angelum, cui tanta superbiendi materia, tunc apponebatur cum facultate se mouẽdi per proprium dictamen, & propriam deliberationem ad illam?

3587 *Instabis.*

Ad id, quod obijcitur de connaturalitate liberi arbitrij, quòd non est ei connaturale durare solo indiuisibili instanti in operatione sua.

Resp. Nos non facile vti instãtaneis operationibus, quia dependenter à tempore formamus actus.

Resp. id non esse ita connaturale nobis, qui dependenter à tempore formamus nostros actus, & intelligimus paulatim ea, quæ agenda sunt; & ita non facilè vtimur solis instantaneis operationibus, nisi post quam sufficienter obiectum est cognitũ, & propositum: tunc enim voluntas sine difficultate mouetur, & quando expedita est, in instanti operatur: in eliciendo enim actum circa obiectũ propositum, nullam moram habet voluntas, minusque impedimenti sentit, quàm oculus in vidẽdo, vel lux in illuminando, qui sunt actus instantanei. In Angelis ergo, in quibus plena comprahensio obiectorum est, statim ab initio non est cõtra naturalem modum eius in instanti operari, & tamen per instans durare in actu suo, quia id pertinet ad libertatem eius, siuè continuare velit, siuè non: tam promptus est enim ad formandum dictamen de protogando actu, quàm de eliciendo, vel discontinuando, & ita, nec ex defectu dictaminis, & actus intellectus, nec ex difficultate potentiæ volentis impeditur, siuè continuare, siuè discontinuare, quando nondum per vltimam deliberationem in suo proposito firmatus est, quia tunc est inflexibilis, vt sequenti art. dicetur.

3588 *Instabis 2.*

Ad id quod dicitur de speciali motione Dei ad bonum data in primo instanti, vt à speciali authore illius naturæ, & continuata in bonis Angelis, quòd debuit etiam continuari in alijs.

Resp. motionẽ ad bonum fuisse continuatã in bonis Angelis.

Respondetur, quòd illa motio continuata fuit in bonis Angelis, qui non apposuerunt impedimentũ, sed voluntate deliberante, voluerunt eligere, quod voluntate à Deo mota in primo instanti fuerant amplexati, licet vtrumque fuit liberum, sed in primo instanti fuit liberum arbitrium à solo Deo motum, in sequenti duratione fuit ex propria deliberatione consummatum. In angelis autem malis nõ fuit continuata illa motio, quia posuerunt impedimentum immediatè post, diuertendo per inconsiderationẽ defectibilem in intellectu, & per apertam, & formalẽ culpã in volũtate, ad aliud obiectũ.

3. Instabis.

Et cùm instatur, quod illa motio si continuabatur in bonis angelis, adhuc erat à Deo, vt authore naturę; & sic etiã debebat in alijs cõtinuari.

3589 *Resp. in bonis Angelis non fuisse continuatam illa motionem, à Deo vt Authore illius naturę.*

Resp. quòd in bonis angeli non fuit continuata illo speciali modo Dei, vt authoris illius naturæ, sic mouentis in primo instanti, sed alio modo continuata fuit, quàm primo data, licèt circa idẽ obiectum, & circa speciem eiusdem actus, eo quod immediatè post primũ instans iam voluntas erat plenè sui iuris, quantum ad hoc, quod erat posse ex proprio imperio formare dictamen, & se mouere deliberatè. Et ideò motio diuina, etiamsi continuaretur, quantum ad substantiam actus, & identitatem obiecti, tamen quoad modum debebat aliter procedere, scilicet dando locum voluntati, vt suo imperio dictamen formaretur, & procederet non solùm vt libera, quoad exercitium, & libertatem contradictionis, vt in primo instanti, sed etiam per deliberationem; & motum proprium libertate contrarietatis, & quoad specificationem inter bonum, & malum. Vnde illa specialis ratio primę motionis, qua voluntas angeli ita mouetur à Deo, quòd non potest moueri à se, non est ex aliqua speciali manutenentia Dei, sicut in iustis, quos protegit, ne cadant, sed est ex ipso statu voluntatis, quia est ille actus primus omnium; & sic non est possibile, quòd operetur illũ ex dictamine formato à se, & ex imperio sui, sed ex dictamine formato, & immisso à Deo, & consequenter ex dictamine indefectibili.

Transacto autẽ illo primo actu, seu posito ipso iam potest angelus ex voluntate sua, & imperio formare dictamen, & se mouere, atque deficere. Vnde ille concursus, & motio Dei, iam non est ad formamdum dictamen & excitationem illam intellectus à solo Deo, sed vt formetur ex imperio voluntatis. Vnde quoad hoc incipit ille influxus & concursus esse generalis, quantum ad hunc modum, idest, non iuxta modum, qui seruatur in primo actu, vt sit à solo Deo, sed iuxta modum, qui seruatur in tota vita, & operationibus sequentibus vt scilicet fiat secundùm deliberationem, & motionem voluntatis, & non vt præcisè mota à Deo, licèt in illa motione adhuc seruetur libertas exercitij quoad contradictionem sed non quoad contrarietatem. Quod si in illo actu post primum instans ex deliberatione voluntatis non defectuosè procedat Angelus, sed continuet primi instantis meritũ, tunc erit specialis Dei gratia, & motio non in eodem modo, quo in primo instanti mouebat Angelum, sed quia mouendo ad hoc, vt voluntas se moueat, & deliberet præseruat illum, ne deficiat, sed vt in bono deliberatum continuet, qui ante sine deliberatione, sed ex so'a motione Dei liberè procedebat. Vnde in hoc, speciale donum gratię Dei acceperunt Sancti Angeli, scilicet donũ perseuerantię, vt in eodem perseuerarent ex deliberatione propria, quo incæperunt ex motione Dei, quod alijs est negatum.

3590 *Transacto primo instanti, potest Angelus ex voluntate sua formare Dictamen.*

DVBIVM II.

An progressus via angelorũ in malis fuerit duobus instãtibus ante terminũ in bonis verò vnico instãti.

Loquimur de Angelorum via, condistinguendo illam à termino, in quo mali fuerunt perpetuò damnati, boni verò perpetuò beati: nã de isto termino, & instanti illi correspondẽti dicemus posteà. Loquendo ergo sic de via Angelorum, certũ est in malis angelis primum instans fuisse interruptum, nec durasse toto tempore vię: sic enim nunquam demeruissent, nec peccassent, quia in illo primo instanti boni fuerunt, vt fides docet: nec enim creati sunt in peccato, sed in gratia. Oportuit ergo viam malorum angelorum ad minus constare duobus instantibus, omitendo pro nunc, instans damnationis, an includatur in aliquo istorum, vel ab illis distinguatur, altero, quo bonus fuit, altero, quo bonus esse desijt, & de facto peccauit; vbicumque autem duę operationes ita se habent, quòd vna non ponitur, nisi altera deficiente, datur duplex instans, quia datur duplex ratio, siquidem prima non continuatur cum secunda, sed desinit esse: ergo si angelus desijt esse bonus, illa duratio primæ operationis bonæ cessauit, & altera successit. Vnde hoc generaliter San. Thomas *in qu. 63. a. 6. ad 4.* vbi inquit, quod *prima operatio fuit omnib⁹ cõmunis, sed in secũda sunt distincti, & ideò in primo instãti, omnes fuerunt boni sed in secundo fuerunt boni à malis distincti.* Quod ad minus de ipsis malis

3591 *Loquimur de Angelorũ via, illam condistinguendo à termino, in quo mali fuerunt perpetuò damnati.*

malis Angelis intelligendum est, in quibus constat operationem bonam fuisse interruptam, & consequenter instantia diuisa. De bonis autem Angelis cùm fuerit meritum continuatum perseuerando in eo ad quod in primo instanti conuersi sunt: potest maior esse difficultas, an diuiserint instantia circa diuersa obiecta bona, vel circa diuersum modum tendendi ad obiectum bonum, de quo statim dicemus.

3592 *An fuerint duo instantia, totum, quod ad Angelorum viam pertinuit?*

Solùm circa viam Angelorum potest esse difficultas, an præcisè fuerint duo instantia totum, quod ad eorum viam pertinuit, an plura, quàm duo: nam ad minus debere esse duo, monstratum est. Quòd verò sint plura, potest dubitari, tùm ex parte ante, tùm ex parte post: ex parte ante, quia aliqui dixerunt in primo creationis instanti, Angelos solùm habuisse actum puræ naturæ. Vnde ex parte tenentur addere tertium instans, primũ videlicet pro creatione, & actu purè naturali. Secundùm pro actu supernaturali in quo sanctificati sunt omnes, & meruerunt. Tertium pro peccato per quod illud meritum interruperunt. Et illud primum instans, scilicet pro actu puræ naturæ positum fuit à quibusdam, qui dixerunt, Angelos non fuisse in gratia, vt refert Sanct. Thomas, *quæst. 62. art. 3.*, & probabile reputat Scotus *in 2. distin. 5 qu. 1.*

Angeli fuerũt creati in gratia iuxta D. Th.

In sententia vero, quã *cit. loco* defendit D.Th. hoc nõ habet locũ, quia omnes fuerunt creati in gratia, iuxta illud Aug. 12. *de Ciuit. c. 9. Angelos cum amore casto, quo illi adhærent creauit, simul in eis condens naturam, & largiens gratiam.* Certè non est putandum minùs parcè Deum se gessisse eum Angelis, quàm cum hominibus, qui, si status innocentiæ duraret, nascerentur in originali iustitia, & consequenter in gratia, cùm potiùs Angelis cõnaturalis sit, vt quidquid perfectionis iuxta suum statum, & mensuram datur, non paulatim, & per acquisitionem, sed à principio detur, vt quasi cognatam videantur habere gratiam, non aduentitiam. Et hoc in eis etiam superbiendi occasio magna erat, quòd omnis perfectio eis videbatur congenita; & sic, qui inter ipsos humilitati sunt, magni meriti fuerunt. Quòd si illis data est gratia in primo instanti, vtique non otiosa fuit, sed cum fructu, & operatione data est, præsertim quia Angeli non fuerunt iustificati, sicut paruuli, quia hoc imperfectionis est, sed sicut adulti, & perfecti, & consequenter cum dispositione propria; & actu tunc elicito. In illo ergo primo instanti habuerunt operationem supernaturalem, & non merè naturalem; & sic ratione solius naturalis operationis, non debet distingui illud primum instans.

3593 *Instabis.*

At verò loquendo de instantibus à parte post, posset aliquis dicere, non debere solùm durare Angelorum peccantium viam per duo instantia, vnũ meriti pro primo instanti, aliud peccati pro secundo, quia nulla ratio conuincit, quod vnum tantùm peccatum patrauerint, sed plura, & consequenter, quòd plura instantia peccando consumpserint, quia plurimam negotiationem tunc habuit Angelus iuxtà illud, quod dicitur de illo Ezechiel. 28. *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti.* Vndè ipse deordinatus à fine vltimo, non seruauit vnitatem, & vniformitatem in suis operationibus, sed maximè illas diuisit, & multiplicauit, sicque non fuit amplius mensura durationum Angelicarum, vt ponderauimus *præced. tomo disp. 10.* Ergo videtur, quòd plura instantia Angelus peccando habuerit, & sic non duobus tantum consumpserit viam.

[illegible] *Resp. Angelos peccantes non indiguisse pluribus operationibus vt inflexibiles redderentur.*

Respond. quòd Angeli peccantes non indiguerunt pluribus operationibus, vt inflexibiles redderentur in malo, sicut, nec in bono, sed per immediatum actum, quem elicuerunt post instans creationis, qui est actus, in quo per voluntatem suam se mouent, & non à solo Deo, sed ex imperio voluntatis formant dictamen, & eligunt quasi pleno iure, & seipsos plena electione mouendo, hoc ipso redduntur inflexibiles, & posita inflexibilitate non est necessarium protrahere viã, quia tandiù necesse est durare viam, quandiù est status ambulandi, & mutandi voluntatem: cessante autem statu isto ambulatorio, cessat via; & sic si vnico actu redduntur inflexibiles, non est necesse plures alios expectare. Quod autem illo primo actu pleno, in quo se ipsam voluntas mouet, & ex se elligit, inflexibilis reddatur, manifestè docet Sanct. Thomas *in quæst. 63. art. 6. ad 3.* cum, inquit, quod *Angelus habet liberum arbitrium inflexibile post electionem. Et ideo nisi statim post primum instans, in quo naturalem motum habuit ad bonum, impedimentum beatitudinis præstitisset, fuisset firmatus in bono. Et in hac quæst. 64. art. 2.* Docet, quod *voluntas Angeli adhæret fixè, & immobiliter; & ideò si consideretur ante adhæsionem, potest liberè adhærere, & huic, & opposito, in his scilicet, quæ non naturaliter vult; sed post quam iam adhæsit, immobiliter adhæret.*

Angelus post primũ instans creationis immobilitatur eligendo 3594

Quare cũ Angelus post primũ instãs creationis, iã nõ naturaliter velit, sed deliberate, & deliberatione plena, hoc ipso adhęrẽdo eligit, & per talẽ electionem immobilitatur, vt latiùs *sequ. Disp.* dicemus agendo de obstinatione Angeli. Igitur de necessitate ad terminandam viam sufficit instans, seu operatio Angeli plenè facta post primum instans creationis, & statim post primũ instans plena operatio Angeli incipit; & sic illa operatio sufficit terminare viam. An vero, licet non de necessitate, tamen ex abundantia, plures operationes Angelus fecerit, & diuiserit ante condemnationem suam, incertum est. Nam licet plura fecerit, & plura peccata, seu malitias habuerit, non tamen cõstat, quod plures operationes fecerit, quia omnia illa potuit vnica operatione perficere, eo quod ordinabantur omnia sub vno motiuo, & fine proximo, & vltimo, quatenus tunc primo auerti volebat a supernaturali beneficio, & magnificari in propria cordis eleuatione, & vel persuadere id multis, vel defendere contra alios, quia, & pugna fuit cum bonis Angelis, & persuasio: quæ traxit cauda sua tertiam partem stellarum, sed omnia ista obiecta, & effectus potuerunt cadere sub vno adæquato obiecto, & motiuo, & ita sub eadem operatione, & instanti compræhẽdi, licèt in se materialiter plura fuerint. De quo amplius statim redibit sermo respondẽdo ad obiectiones circa viam bonorum angelorum.

Petes. 3595

Petes. *An via bonorum Angelorum vnico tantũ instanti durauerit.*

Resp. Bonos Angelos viam suam vnico instanti perfecisse, continuato à primo instanti creationis, vsq. ad glorificationem.

Resp. Bonos Angelos viam suam vno instanti perfecisse, continuato à primò instanti creationis vsque ad glorificationem exclusiuè, licet aliquas accidentales variationes habuerit, quæ non sufficiunt distinguere instantia, sed in eodem instanti compatiuntur. Prob. tùm propter authoritatem D. Thomæ expressiorem; tùm propter rationem vrgentiorem. Authoritas D. Thomæ præter suprà relatam arguendo pro ista sententia, constat ex consequentia quadam, quam facit Diu. Thom. *d. q. 63. art. 6. ad 3.* vbi *in corpore art.* inquit, quod. *Si Diabolus in primo instanti in gratia creatus meruit, statim post primum instans beatitudinem accepisset, nisi statim impedimentum peccando præstitisset.* Ergo si Diabolus post primum instans non peccasset, beatitudinem accepisset, Angeli Sancti, qui non peccauerunt post primum instans, beatitudinem acceperunt. Ergo durauit illud primum instans, quousque receperunt beatitudinem. Rursus antequam beatitudinem reciperent, Dæmones peccauerunt, quia pugna inter malos, & bonos angelos fuit ante eorum condemnationem, & consequenter ante glorificationem bonorum, si quidem ex illa pugna angeli mali de cælo electi sunt, Apocalyp. 12. quod est condemnari. Ergo durabat primum instans bonorum Angelorum, dum angeli mali peccabant, etiam diuiserunt operationem

suam

suam, & instans; & sic instans bonorum angelorũ continuatur, & vnicum existens vsque ad orificationẽ æquiualebit pluribus instantibus malorum angelorum.

3596 *Ratio est quia actus primi instantis, & continuationis post illud instãs substantialiter fuit idem.*

Ratio verò vrgentior ea est, quia actus primi instantis, & continuationis post illud instans, substantialiter fuit idem, licet accidentalem variationem habuerit: ergo non constituit duplex instans, sed idem continuauit. Consequentia patet, quia instantia non distinguuntur in angelis, nisi quando actus substantialiter distinguuntur, itaut vnus cesset, & alius succedat, ne continuari possit. Hoc autem solùm potest contingere dupliciter, aut ex necessitate, & propria ratione ipsius operis, quia non habet continuabilitatem cum altero, aut ex voluntate operantis, quia vult diuidere actus, & vti inadæquatis rationibus aliquorum obiectorũ, vel alicuius obiecti, cùm possit vnica adæquata ratione vti, quantum est ex natura actus. Hoc secundo modo est minus decens, & perfectus modus in angelo, licèt absolutè possibilis, quia de se magis reducuntur, & colliguntur ad vnitatem, idque magis conducit ad angelicam maiestatem, vt non pro libito, sed pro necessitate, & ratione, actus multiplicent, & oppositum magis est Dæmonum qui leuitate sua ducti magis propendent ad diuisionẽ, sicut boni Angeli ad vnitatem, & magis colliguntur, quàm disperguntur, & quanto paucioribus actibus res absoluitur, si plures necessarij non sint, tantò magis sacratior, & augustior apparet. Quare licèt in Dæmonibus non sit inconueniens, quod actus multiplicentur pro libito suo, & pro leuitate, & mutabilitate cordis, tamen in Angelis Sanctis, qui vnitati adhæserunt, non conuenit poni multiplicationem actuum, & instantium ob solam voluntatem, sed ob necessitatem, & rationem, quæ nobis, non innotescit, nisi ex adæquatione actuum.

3597 *Antec. prob. quia in actu, in quo creati sunt Angeli, conuersi sunt ad Deum.*

Anteced. autem prob. quia in illo actus, in quo creati sunt Angeli, conuersi sunt ad Deum, non solùm ex naturali dilectione, & cognitione, sed etiam ex supernaturali, siquidem ibi iustificati sunt: ergo actum verè charitatis elicuerunt, & fidei, & spei, reliquarùmque virtutum, quæ ad iustificationis gratiam, eamque ita perfectam, sicut in Angelis fuit, per se conducunt: sed in sequenti duratione post primum illud erationis instans non cessauerunt ab actu charitatis meritorio, & fidei, sed continuauerunt illud, quia meritum eorum semper fuit perfectum; & sic à charitate ortum, & formatum, non solùm per virtualem attentionem, sed per actualem, quia ita est perfectior, & magis decet Angelicam sublimitatem: ergo eadem charitas, quæ in primo instanti actum habuit, consequenter continuata est, sed omnis charitas viæ, & omnis cognitio fide, quæ est inuia, est eiusdem speciei, nec variatur ex propria ratione: ergo attendendo ad naturam, & rationem actus meritorij, non habuit ille actus vnde variaretur.

3598 *Ex eo, quod primus actus fuerit continuatus ex propria deliberatione, ad hoc non exigit aliũ actum.*

Quòd autem continuatus fuerit ex deliberatione propria, cùm in primo instanti incæperit ex sola motione diuina, non petit diuersum actum, nec variat illum intrinsecè, & essentialiter, quia in Angelo ad deliberandum, & se mouendum libertate, quoad contrarietatem, & non solùm quoad exercitium contradictionis, non requiritur maior aduertentia, aut cognitio, quàm in primo instanti, quia ipse non fuit melioratus, aut auctus in cognitione post primum instans creationis, quàm in ipso primo instanti, cùm acceperit, à primo instanti plenam, & perfectam cognitionem circa ea obiecta, quæ per fidem sibi proponebantur. Non ergo ad deliberandum nouo actu, seu dictamine ex parte cognitionis indiguit, sed solùm indigebat duratione seu operatione aliqua, quæ precederet, vt ex illa se posset mouere, & quasi pleni iuris per propriam deliberationem effici. In qua deliberatione si volebat continuare actum primum, non erat necesse nouum actum facere, sed in eodem persistere, cùm posset oppositum, & hoc addebatur de nouo, scilicet posse oppositum facere, & dictamen primum mutare, quod non addit nouum actum, sed nouam potestatem, seu expeditionem ad illum mutandum, quod in primo instanti non poterat, quia ille actus erat omnium primus, in quo voluntas erat mota sub exercitio libertatis, non imperans, & mouens intellectum, vt dictamen formaret, aut continuaret ex principio voluntatis.

Dices: ipsa noua approbatio voluntatis, & imperium ad continuandum, quod antea incæperat, nouus actus est, qui antè non erat: ergo nouum instans. Item deliberatio in actibus distinguit illos à non deliberatis, non solùm extrinsece, & per extrinsecam denominationem, sed per intrinsecã: nec enim actum esse liberum, & indeliberatum aliqua denominatio extrinseca est: ergo variationem actuum importat quoad entitatem, & substantiam: nec enim idem actus potest esse liber, & non liber, deliberatus, & non deliberatus: ergo diuersum instans est. 3599 1. Euasio. 2. Euasio.

1. Euasio Præcluditur quia illa noua approbatio voluntatis Angelica non est noua substantialiter, sed accidentaliter.

Respond. non esse nouam approbationem, aut imperium voluntatis, substantialiter, & essentialiter, siquidem versatur circa idem obiectum, sed solùm accidentaliter, quia habet potestatem, & ius expeditum se mouendi, quòd antea ex defectu actus præcedentis, quo se moueret, non poterat. Quare in illo imperio, & approbatione ad continuandum sunt duo. Vnum est complacentia, & voluntas circa illum actum, in quo incæpit, & hæc cum sit circa idem obiectum, & actum, qui iam cæperat, quia ad hoc est, vt actus idem continuetur, non requirit nouum, & distinctum actum, sed continuationem eiusdem. Alterum est nouus modus mouendi, & dirigendi illum actum, scilicet, quia ad continuationem illam procedit se mouendo ex alio præcedenti actu, & priori, cùm tamen incæperit illum actum, non ex motione propria, sed ex speciali, & propria motione Dei, & hoc non variat intrinsece actum, & substantialiter, quia solùm pertinet ad rationem, seu modum causæ efficientis, & mouentis, quod formaliter non petit discontinuationem actus in sua substantia, eo quòd ab eodem principio elicitur, & diuersitas tota est in illo modo operandi ex motione propria, & se mouendo, vel ex motione Dei, vt iam diximus.

3600 *2. Euasio Præcluditur quia actum esse deliberatum, vel indeliberatum, non sunt modi intrinseci mutantes specificè actum.*

Ad secundum, Resp. quòd actum esse liberum, vel necessarium sunt modi intrinseci variantes intrinsecè ipsum actum, & si non semper specie diuersificent ipsum; non autem, esse actum deliberatum, aut indeliberatum præcisè, nisi aliàs actus indeliberatus necessarius sit, & deliberatus sit liber, sed ex eo præcisè, quòd vnus sit deliberatus, idest, ex propria ratione procedens, aut indeliberatus, idest ex motione Dei, ex hoc præcisè non variatur intrinsecè actus. Ratio huius est, quia actus non est necessarius, aut liber, nisi variato iudicio de indifferenti in determinatum omninò ad vnum. Quãdo autem variatur iudicium, & aduertentia, variatur influxus in actum; & sic actus ipse est alius, quia diuerso modo obiectum proponitur, & consequenter diuersa tendentia datur in illum. Nec tamen semper variatur specie actus, quia potest manere idem obiectum specie, sicut patet in actu Charitatis erga Deum, qui est liber in via, & necessarius in patria, & tamen eiusdem est speciei, quia charitas non excidit. Existimo tamen non posse eundem actum numero, quia variatur omninò iudicium, & cognitio, ex qua regulatur, & originatur talis actus in via, & in patria, & valde dissimili modo obiectum proponitur, & sic diuersa tendentia resultat ex parte voluntatis, vt latiùs dicemus 1. 2. *circa quæst.* 6.

3601 *Actus primus Angelorum liber est, & semper liber fuit quoad exercitium, etiam in primo instanti*

Et in præsenti actus ille liber est, & semper liber fuit quoad exercitium, etiam in primo instanti, etiam, vt versatur circa finem, & circa media, licèt quoad vnum non habeat libertatem contrarietatis, quoad aliud sic, quod non est actum esse simpliciter necessarium, & liberum, etiam pro diuersis instantibus, vel obiectis. At verò actum esse deliberatum,

deliberatum,& ex propria motione ortum,vel non esse deliberatum,ex hac præcisa ratione non petit nouum iudicium,& aduertẽtiam, quia,vt actus sit deliberatus præter aduertentiam , & cognitionem sufficientem,& plenam,& cùm indifferentia , ac libertate, requirit etiam aliquem priorem actum,& præcedentem per quem se reducat ad alium,quod est, mouere se , & sic potest esse,quod actus non sit deliberatus,non ex defectu pleni iudicij,indifferentiæ,& aduertentiæ,sed ex defectu prioris actus, quo moueat se,& sic est in angelis primus actus, qui indeliberatus dicitur non ex defectu cognitionis,& aduertentiæ , quia in illo primo instanti fuit plenus sapientia , sed ex defectu prioris actus, quo moueat se In nobis autem est è conuerso indeliberatus actus ex defectu cognitionis,seù aduertentię, & ideo tales actus indeliberati sunt imperfecti,& & non liberi .

3602 *Deliberatum, & indeliberatum ex imperfectione,& inaduertentia proueniẽs, quo modo distinguatur intrinsecè à deliberato.*

Sic ergo deliberatum,& indeliberatum ex imperfectione,& inaduertentia prouenieus,distinguitur intrinsecè à deliberato, quia est intrinsecè imperfectius,& ex parte principij influentis , & regulantis,scilicet ex parte iudicij,& obiecti diuersitaté inducit,quæ est diuersitas intrinseca . Vnde etiã talis diuersitas reducitur ad diuersitatem liberi,& nõ liberi,quæ est variatio secundum principia intrinseca. At verò deliberatum,& indeliberatum , quod oritur ex solo,& præciso defectu prioris, & antecedentis actus,sine quo potentia nõ se mouet de vno actu ad alium,licet ex se,& vitaliter eliciat,non variat intrinsecè,& substantia iter actum , quia supponitur procedere secundùm eandem perfectioné, & plenitudinem iudicij,& aduertentiæ, sicut in angelis tam perfecta,& comprǽhensiua fuit cognitio in primo instanti, sicut requirebat ipsa perfectio actus in se . Vnde per hoc, quod ei deesset prior actus,ex quo se moueret , solum extrinsecè actus variabatur,quia hoc non pertinet neque ad principium obiectiuũ,à quo sumitur specificatio intrinseca,neque ad principium elicitiuum,à quo substãtialiter actus procedit,sed ad modum extrinsecum applicandi,& mouendi,scilicet,quod se moueat , & reducat in talé actũ,vel solùm moueatur ab alio .

Instabis .

Quod si instes: Si deliberatus actus est per hoc, quod voluntas ex vno actu se moueat ad aliũ:ergo aliquem actum habet nunc , quem prius non habebat scilicet illum,ad quem se mouet:ergo nõ solùm continuatur præcedens actus,sed alius de nouo habetur,atque adeo nouum instans est,quia instantia variantur,sicut,& actus .

3603 *1. Resp. quòd etiã dato,quòd essent diuersi actus, nõ tamẽ diuersa instan tia constituerent.*

Resp.quod etiam dato,quòd essent diuersi actus, non tamen diuersa instantia constituerent , quia vnus se habet ex consequenti ad alium, illiq; connexus est,& ita licet actus sint diuersi,tamen, quia connexi,& eadem cõnexione deducti, ad idé instãs pertinent,quia instans nõ sumitur nisi ex adæquato actu,vel pluribus inadæquatis,qui sub eodé motiuo,& formali ratione,& connexione conueniunt , licet materialiter diuersi sint,sicut ad idem instans pertinent plures actus meritorij secundùm diuersas virtutes,& plura etiam peccata potest angelus committere,quæ pertinent ad idem instans, licet vnum sequatur ad aliud,& ex motione illius sit, et post illum ordinetur,et potest intelligendo hominem,vel equum,intelligere indiuiduum, quod de nouo producitur,non mutando actum , quia illud indiuiduum pertinet ad eamdem speciem,et motiuum intelligendi .

3604 *Actus ad quẽ se mouet angelus potest sequi ad priorẽ actum,& erit materialiter diuersus.*

Sic ergo etiam aliquis actus ad quem se mouet, potest sequi ad priorem actum,& erit actus materialiter,& enti atiue diuersus,& tamen pertinet ad idem instans , quia sub eodem motiuo , & ratione formali sunt,& sub illo mensurantur omnes,qui sic cõnectuntur,& consequuntur. Vel secundo dicitur, quod Angelus,sicut non se mouet distinctis actibus a principijs ad cõclusiones, etiamsi conclusiones plures sint,similiter procedit a fine ad media , etiamsi media sint plura eodem actu, quia omnia illa sub eodem fine comprǽhenduntur,& eo actu , quo attingit principia,vel finem,attingit cõclusiones,& media. Similiter ergo in primo actu angel⁹ etiam attingit media,ad quæ ex amore finis se poterat mouere,sed totum illud attingit ex motione Dei,& non ex aliquo priori actu quo se moueret . Quando ergo post primum instans creationis angelus bonus continuat eundem actum meritoriũ, & bonum,in quo creatus est,non dicitur de nouo moueri formaliter,quasi ex vno actu alium nouũ adæquate diuersum producat, sed dicitur mouere se virtualiter,quia ita continuat illum actum,quod posset ad oppositum se mouere, & contrarium dictamen formare,& ad id habet iam potestatẽ expeditam,& quia videns se posse ad alium diuertere,non vult,nisi continuare,ideo dicitur in illo nouo actu se mouere virtualiter,& potestatiue , non formaliter diuersos actus exercendo.

DVBIVM III.

An terminatio viæ in bonis Angelis, ac in malis fuerit in distincto instanti à merito, & vnde repugnat meritum,& præmium esse simul.

Dicendum est,de facto nõ fuisse in Angelis meritum in eodem instanti,& in eadẽ duratione,qua præmium,seu gloria,& ita nullum dari meritum,quod sit meritum termini,& non viæ , sicut instans terminatiuum motus iam nihil habet de motu,sed cessationem motus . Et sic verificatur, quod meritum durauit tantum per vnum instans, seu per vnum actum in angelis bonis , scilicet per vnum actum continuatum,qui,æquiualuit duobus instantibus maiorum,eo quòd dum illi discõtinuarunt actus peccando,boni angeli continuarunt , & in eodem permanserunt . 3605 *Concl. De facto meritum non fuit in eodem instanti, quo præmium.*

Hæc resolutio clarè deducitur ex D. *Th. sup. q. 62. a. 4. Actus,inquit,non potest esse meritorius , secundùm quod est ex libero arbitrio,nisi in quantũ est gratia informatus. Non autem simul potest informari gratia imperfecta , quæ est principium merendi , & gratia perfecta,quæ est principium fruendi. Vnde non videtur possibile,quòd simul fruatur,& suam fruitionẽ mereatur.* Et a. 5. *seq.* , *ad secundum : instantia* inquit,*in his,quæ ad angelos pertinent non accipiuntur, nisi secundùm successionem in ipsorum actibus . Non autem potuit simul in eis esse actus meritorius beatitudinis,& actus beatitudinis,quæ est fruitio,cũ vnus sit gratiæ imperfectæ,& alius gratiæ consummatæ . Vnde relinquitur,quòd oportet diuersa instantia accipi in quorum vno meruerit beatitudinem,& in alio fuerit beatus . Ita D.Th.* *Deducitur conclusio clarè ex D. Th.*

3606 *Declaratur Ratio D.Th.*

Et cũ totũ fundamentũ ei⁹ sumatur ꝑ hoc,ꝙ nõ potest dari duplex act⁹ simul in eodé subiecto,vnus informat⁹ gratia imperfecta,ali⁹ gratia consũmata, oportet videre,ꝙ sit illa gratia imperfecta,ꝙ requiritur ad meritũ,& ꝙ sit illa gratia cõsũmata,ꝙ inuenitur in gloria,seu ꝑmio. Et dicimus , ꝙ gratia imperfecta,ꝙ de facto fuit data angelo ꝓ statu viæ,fuit gratia,vt regulata lumine fidei: eã n. habuisse angelũ docet S.Th. 2. 2. q. 5. a. 1. & cõcors Theologorum sentẽtia,quia authoritates scripturæ,quib⁹ dicitur , fidé esse necessariã ad saluté,ita generaliter,& pcisè loquũtur,vt sine dubio nõ solũ homines,sed & angelos cõprǽhendat, sicut n. dicitur ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo. credere.n. oportet accedẽtẽ ad Deũ,quia est,& inquirentib⁹ se remunerator sit,* Ad Roman. 1. & Galat. 3. *Iustus autẽ ex fide viuit.*

3607 *Cuicumq; conuenit iustũ esse & Deo placere;debet habere fidem.*

Ergo cuicumq; conuenit iustum esse,& ad Deũ accedere,& Deo placere,& fidem habere debet. Angeli autẽ iustificati sũt ꝑ gratiã , & accesserunt ad Deũ ꝑ merita,& placuerunt Deo: ergo habuerunt fidẽ. Et præsertim,quia in his supnaturalib⁹ æqualiter apud Deum censentur homines,& angeli : est n. in ciuitate illa cælesti mensura hominis, etiam mensura Angeli,vt dicitur Apocalyp. 21. Et in ipsa gloria promittitur hominibus æqualitas cũ angelis Matthei 22. & Marci 12. ergo,& in merito, seu gratia,atque adeo si homines in merito regulantur per fidem,etiam,& angeli Si ergo gratia imperfecta,qua angeli meruerunt,fuit gratia regulata per

fidem, fides autem incompossibilis est cum visione gloriæ: ergo repugnat, quod in eodem instanti sit actus fidei, & visio gloriæ. Nec Caiet. dubitat de incompossibilitate fidei cum visione, cum pugnent penes euidentiam, & ineuidentiam circa idem, & expresse id doceatur à *D. Th. 1.2. q. 67. a. 3.*

3608 *Instabis.*

Sed fortasse dices, meritum puræ viæ regulari per fidem, meritum verò in termino, non.

Resp. hoc esse inconueniens, quia meritum termini, vel regulatur per ipsam visionem; vel per scientiam.

Resp. Hoc esse est inconueniens, quia meritum termini, vel regulatur per ipsam visionem gloriæ, vel per scientiam infusam claram, vel per fidem: nec enim est alius modus cognoscendi Deum supernaturaliter. Per fidem non potest esse, stante visione gloriæ in eodem instanti. Per scientiam infusam claram non constat regulari illud meritũ in illo instanti: nec enim constat, aut fundamentum est, vt dicamus talem scientiam infusam loco fidei, succedere in illo secundo instanti antecedenter ad gloriam: nec .n. ex scriptura, aut Patribus aliquid tale habetur, sed fidei solùm succedit visio gloriæ, & ita cùm constet, non minus angelos habuisse fidem in via ad merendum, quàm homines, nec aliunde constet eis sciẽtiam claram infundi de mysterijs fidei, ante gloriam, sine vllo fundamento ponetur tale meritum in termino non regulatum à fide, sed à scientia infusa, quam nulla ratione astruere possumus in angelo ante visionem beatificam. Vt omittam, quod scientia infusa, quę versatur circa res fidei, & circa eius mysteria, non potest clarè illa cognoscere, nisi supposita clara visione principiorum, in quibus talis varietatus continentur, quia nulla scientia potest clarè cognoscere, conclusiones, si principia sit cognita obscurè. Et si obscure sunt cognita hoc ipso cognoscuntur per fidem, nam etiam scientia subalternata, dum non continuatur subalternanti, fide vtitur credens subalternanti. Et cùm mysteria fidei non contineantur in alio principio, quàm in essentia diuina, si hæc obscure cognoscitur, per fidem attingitur.

3609 *Illa scientia infusa, vel cognoscit mysteria fidei euidenter in suo principio, vel obscurè.*

Quare vel illa scientia infusa cognoscit mysteria, seu res fidei euidenter in suo principio, quod est essentia diuina clare, & euidenter cognita; vel obscure. Si obscurè: ergo per fidem, & sic currit argumentum factum, quod non potest simul stare meritum regulatum per fidem in eodem instanti cum visione gloriæ. Si autem cognoscuntur mysteria fidei per scientiam infusam, supponentem cognitionem claram suorum principiorum, scilicet essentiæ diuinæ: ergo talis scientia infusa oritur ex visione beatifica, & supponit illam: ergo si per talem sciientiam regulatur meritum illud, quod vocatur meritum in termino, à fortiori regulabitur per visionem beatam, quæ est principium, & origo talis scientiæ, eamque præcedit, sicut cognitio principiorum cognitionem conclusionum. Non potest autem visio beata regulare meritum, siuè purę vię, siuè termini, quia sic visio beata esset principium meriti, vtpotè in illud influens, ipsumque regulans: ergo caderet sub meritum principium meriti, quod repugnat. Et præterea, quia visio beata essentialiter est præmium: ergo repugnat, quod præcedat meritum, ipsumque reguleт, ita quod prius habeat præmium, & postea per actus ab eo procedentes mereatur illud, cùm potiùs meritum sit id, ratione cuius datur tantum, vel tantum præmium.

3610 *Meritum quomodo possit præcedere præmiũ in diuerso genere causæ, an totaliter?*

Et licet in diuerso genere causæ possit meritum præcedere præmium, & è contra, tamen hoc non potest intelligi totaliter, quod præmium præcedat meritum per modum regulantis, & dirigentis, seu tanquã cognitio præsupposita, ex qua oritur meritum directiuè, qu a sic influeret in meritum, sed semper debet supponi meritũ regulari ab alio, quã à suo præmio, & sic in alio genere causæ poterunt se ad inuicem causare, videlicet in ratione causæ finalis, & dispositiuè, meritum .n. disponit ad præmium, & pręmium est terminus, seu finis illius, in hoc .n. poterunt ad inuicem se causare, Ratio est, quia si visio beata, quę est præmium, regularet meritum, prius haberetur præmium, & esset assequtũ, quàm poneretur meritum. Meritum autem essentialiter tendit ad hoc, vt detur, & habeatur præmium: ergo repugnat, quòd procedat meritũ à præmio, vt habito, & influente in se: ergo repugnat, quòd ab eo reguletur, & oriatur, cùm essentialiter tendat ad illud, vt assequendum. Ex his ergo manet exclusum illud meritum, non viæ, sed termini, quòd ponit Caiet., & quòd dicit non esse incõpatibile cum visione gloriæ in eodem instanti: cõstat .n. ex ratione D. Th. meritum procedere ex gratia imperfecta, scilicet ex fide, quæ compati non potest cum consummata, quę est clara visio glorię: de facto .n. non est data alia gratia, quæ regulet, & mensuret actus meritorios, nisi fides: à visione autem gloriæ, meritum mensurari, & oriri nõ potest.

Quid verò dicendum sit ad quæstionẽ insinuatam de possibili, an scilicet possit aliquis de potẽtia absoluta mereri per aliud principium, quod non sit fides, sed compatibile sit cum ipsa visione gloriæ, & ita possit in eodem instanti, in quo est meritum, esse, & præmium, seu glorificatio ipsa, nõ totaliter, quòd procedat ille actus à visione gloriæ, nec per illã reguletur, sed quòd procedat ab alio principio, & cum eo concomitetur in eodem instanti durationis visio beata, id operosiùs alibi disquirendum est, scilicet agendo de merito Christi, an potuerit gloriam animæ mereri, & tamen non habere habitum fidei, qui imperfectionẽ importat. Nunc breuiter duo aduerto ꝑ aliquali luce hui⁹ difficultatis. 3611 *An aliquis de potentia absoluta possit mereri per aliud principiũ, quod non sit fides.*

Alterum est non videri possibile, ꝙ meritũ procedat, & reguletur per cognitionem supernaturalẽ, quæ non sit visio beata, & non sit fides, vt ex dictis constat, quia cognitio supernaturalis, quæ regulat meritum, est cognitio mysteriorum fidei, scilicet cognitio Dei, & eorum, quæ ad Deum spectant: debet .n. ad meritum concurrere charitatẽ, & hæc versatur circa Deum, & sic oportet, quod reguletur per cognitionem illius, & eorum, quæ ad Deũ pertinent. Cognitio autem supernaturalis de Deo, aut, per visionẽ beatã, aut per scientiã infusam euidentem, aut per fidem habetur. Visio Beata non potest regulare meritum: Sic .n. non concomitanter se haberet in eodem instanti, sed influxiuè, & causatiuè scientia infusa, cognoscit mysteria gratię, vt deducta, & contenta in suis principijs, quæ non sunt aliud, quàm essentia diuina. Et hæc si cognoscitur clarè supponit visionem beatam, & ex eius influxu cognoscit, & deriuatur scientia infusa; & ita si hæc regulat meritum, à fortiori visio beata. Si autem nõ cognoscitur clarè essentia diuina: ergo cognoscitur obscure, & consequenter per fidem, & sic inciditur in tertium genus cognitionis, quod est fidei. Hæc autem nullo modo potest stare in eodem instanti cum visione beata. Vnde no videtur possibile, quod meritum, & pręmium sint simul in eodem instãti, quando meritum postulat ad sui regulationem principium incompossibile cum visione beata.

Pro resolutione Nota primò non esse possibile, meritum regulari per cognitionem supernaturalem, quæ non sit visio, vel fides.

Alterum quod aduertimus est, quòd, quando id, quod datur in pręmium, talis naturæ est, quod de se habeat vniuersalem influxũ in omnes actus operantis, tale pręminm non potest simul esse cũ merito, sed post ipsum, eo quod si est cum merito, debet influere ad ipsum, atque adeò esse principium eius. Repugnat autem principium meriti cadere sub merito, vt est concors Theologorum axioma. Sic autem se habent vnio hypostatica, cùm ponat in humanitate personam, reddatque naturam subsistentem, est principium, *quod* omnium operationum, quia actiones suppositorum sunt, & subsistẽtium, vt alibi satis probauimus. Similiter visio beata influit in omnes actiones liberas, tanq supremũ dictamen, & regula cõpręhendens omnes actiones liberas operãtis. Nã ideo beatitudo reddit impeccabiles ipsos beatos, quia v dens Deũ, nõ potest ali ꝙ dictamen formare defectuosũ, & auersiuũ à Deo, & sic omnes actiones illi subijciuntur: in omnes ergo influit directiuè, & moraliter, quia est cognitio finis vltimi, & vniuersalissimi; finis autem vltimus simpliciter, omnes actiones compræhendit, & in

3612 *Nota 2. quòd quando præmiũ habet vniuersalem influxum in omnes actus operantis, tale præmium non esse simul cum merito.*

in omnes influit. Non ergo illa potest solùm concomitanter esse cum merito; & non influxiuè, quia illud meritum, & illa operatio est ex illo fine, & ex vi coniunctionis cum visione beata non potest esse peccatum.

3613 *Petes.* Petes. *Vnde repugnet meritum, & præmium esse simul in eodem instanti.*

Resp. repugnare, quia meritum est gratia imperfecta, & gloria est gratia consummata. Resp. Repugnare ex conditionibus essentialiter incompossibilibus, scilicet, quia meritum est gratia imperfecta, & gloria est gratia consummata. Quæ imperfectio ex parte meriti ad gloriam est, quia debet supponere carentiam visionis, & obscurè, seu per fidem cognoscere Deum. Perfectio autem gratię consummatæ est, tùm in eo, quod est cognitio clara Dei; tùm in eo, quod visio illa est influens vniuersaliter in omnes actus operantis, non solùm concomitanter se habens, sicut etiam persona in vnione hypostatica est vniuersale principiũ actionum ipsius obiecti, vnde per nullam actionem, quę fit cum tali præmio potest cadere sub meritum, aliàs principium influens in meritum caderet sub merito. Et Christus Dominus merebatur, vt viator, non obstante, quòd erat Beatus, non tamen merebatur ipsam gloriam animæ, sed gloriam corporis, & alia extrinseca. Vnde in alijs præmijs, quæ non sunt gloria, & vnio hypostatica, an possint in eodem instanti simul esse prẽmium, & meritum, non disputo, nec contendo, saltem de possibili, licet connaturaliter loquendo, non conuenienter ponantur in eodem instanti meritum, & prẽmium; si simpliciter meritum sit, & non etiam dispositio, quæ perseuerat, & compatitur cum ipso præmio. Immo ex hac iudicari, & discerni debet, quando meritum compatitur cum prẽmio, vel non, scilicet, quando procedit meritum ex principio compatibili cum præmio, potestque perseuerare stante præmio, nec præmium influit valorem in meritum, vt quando se habet operatio meritoria per modum dispositionis, & prẽmium per modum formę: forma enim compatitur, cũ dispositione ex se secuta.

3614 *Christus Dominus, vt viator merebatur gloriam corporis, non Animæ.*

3615 *Instabis.* Vnde soluitur instantia, quę adduci solet pro sententia Caietani, quia non repugnat in eodem instanti, quo infunditur gratia sanctificãs esse actũ contritionis, qui est actus meritorius, saltem de congruo respectu ipsius gratię: ergo benè stat meritum in termino simul cum ipso termino. Et idẽ est de augmento gratiæ per actum feruentiorem, quo quis se disponit ad illud: simul enim infunditur hoc argumentum, & existit actus ille meritorius. Cùm enim meritum sit via ad prẽmium, & non repugnet dari actionem instantaneam, quæ simul sit fieri, & factum esse, similiter non repugnabit, quod simul sit actus meritorius, & eius terminus, seu præmium.

Confirmatur. Et conf. amplius in sententia probabili, quòd in instanti separationis animę potest dari actus meritorius, vel dispositiuus ad præmium, & mensuratiuus eius; ergo non est negandum, quod simul sit meritum, & præmium in eodem instanti. Anteced. varijs exemplis probatur. Nam in primis in sentẽtia plurium Thomistarum probabile est, quòd actus minus intensi, qui meruerunt augumentum charitatis, & de facto non præbuerunt illud in hac vita, quia non proruperunt in actum feruentiorem, in illo instanti separationis prorumpunt in feruentiorem actum, & disponunt ad augmentum charitatis, & gloriæ, & tamen illud instans potest esse instans glorificationis, si anima nihil purgandũ tunc habeat. Item martyrium non consummatur, nisi in ipsa morte, quia ante mortem nullus dicitur martyr; martyrium autem, est actus meritorius: ergo datur meritum in termino post hanc vitam. Et idẽ est, si quis cum attritione confiteatur, & in ipso instanti vltimo prolationis formæ separetur anima, vel sensum prorsus amittat, & sic moriatur, recipit gratiam: ergo potest in termino vitæ iustificari, & beatificari: ergo, & mereri.

3616 *Resp. Non solũ negare, simul-* Respond. illas instantias nihil iuuare oppositam sententiam, siue meritum illud, siue contritionis ad primam iustificationem, siuè feruentioris actus ad augmentum, non sunt merita prouenientia ex aliquo principio incompossibili cum ipso præmio, sed sunt dispositiones ad talem formam requisitæ, imò ab ipsa deriuatæ, et formatæ, & sic cum ipsa compossibiles. Vnde non negamus meritum, & præmium repugnare simul solùm ex ratione communi, & generica actionis meritoriæ, cùm hæc instantanea esse possit, & simul cum termino, sed ex ratione speciali talis meriti, & talis præmij; quatenus à principijs incompossibilibus procedunt, vt dictum est. *taneum meriti, & præmij non possibilis.*

3617 *Ad confirm. Resp. ille feruentior actus, qui tunc prorumpit in instant separationis Animę, non est meritorius.* Ad conf. etiam patet ex dictis. Nam ille feruentior actus, qui tunc prorumpit in instanti separationis, iam non est meritorius, quia est extra statum viæ, sed est dispositiuus ad illud augmentum, sine nouo merito. Talis autem dispositio non est incõpatibilis, cum illa forma, quæ est gloria, sed eiusdẽ rationis cum illa, & cum ea perseuerans. De martyrio dicimus non consummari eius meritum in ipsa morte in facto esse, sed in ipsa morte in fieri, idest immediatè ante separationem animæ, aut quando ex vi passionis redditur inseparabilis ipsa mors, seu cùm aliquis voluntariè patitur inflictionem mortis, vt docet S. Thom. 2.2.q.124.a.4. ad 4. De illo, qui in momento separationis accipit absolutionem, quia ibi terminatur prolatio verborum, si non habet nisi attritionem, certius est non iustificari, quia in instanti intrinseco separationis, Sacramenta non operantur, quæ sunt signa sensibilia recepta in homine, tunc autem non est homo. Secùs est si tunc incidat in amentiam, quia in illo instanti adhuc est homo, licet non exerceat functiones humanas. Non requiritur autem ad hoc, vt recipiatur Sacramentum, quòd subiectum actu exerceat liberas actiones, sufficit, quòd existat vero homo, & ante exercuerit illas actiones, nec retractauerit. Potest tamen in instanti separationis sibi remitti peccatum veniale, sed tunc in illo instanti nõ habebit gloriam, quia restabit pæna illius, luenda in purgatorio, de quo D. Th. in 4. dist. 21. q. 1. a. 3. vel si in eodem instanti tota pæna illi irrogetur à Deo, adhuc non merebitur simul cum gloria, quia est extra statum viæ, sed satisfacit.

3618 *Corollarium. Nõ repugnat, quod peccatum Angeli, & pena illius sint simul in eodem instanti.* Ex dictis colligitur, non repugnare, quòd peccatũ angeli, & pęna illius simul in eodem instãti detur, de facto tamen incæpit pæna Dæmonem quando, & gloria angelorum, fuitq; instans terminus in Dæmonibus, quo terminata est illorum via. Secunda pars patet in angelis. Prima pars deducitur ex dictis, quia demeritum est culpa, quæ non est incompossibilis cum dãnatione, nec à principio aliquo ei incompossibili procedit, imo cum ipso statu damnationis vehementius crescunt peccata: non ergo cessant peccata adueniẽte supplicio: ergo possunt simul esse in eodem instanti peccatum Angeli cum obstinatione, & simul cum supplicio. De facto tamen præcessit in angelis instans peccati, & fuit ante instans damnationis, non propter incompossibilitatem, sed propter diuersitatem actionum, quia aliquæ actiones fuerunt in angelis peccãtibus, quę cessauerunt in damnatione, & supplicio eorũ. Ergo fuerunt diuersa instantia, quia instantia in Angelis distinguuntur penes diuersos actus, quorum vnus cessat, alio adueniente. Antec. patet, quia angeli peccantes non fuerunt puniti, quandiu erant in cælo, sed cùm ex illo proiecti sunt. At quando erant in cęlo, fuit pugna inter angelos bonos, & malos, Apocalyp. 12. *factum est prælium magnum in cælo, Michael, & Angeli eius præliabantur cum dracone, &c.* Cùm ergo exercebatur pugna, iam angelus peccator erat, quia Draco erat, & tamen adhuc non dãnatus, quia adhuc in cęlo erat, & illa pugna cessauit, cùm proiectus est de cælo, & punitus in inferno: ergo aliquod instans cessauit in damnatione, non durabat in culpa, quia instans, operatio est.

3619 *Instabis.* Nec obstat, quod post vnum instans immediatè est tẽpus; & sic in illo tempore, immediatè post, nequiesset in termino, quia nondum inceperat dãnatio,

natio, neque in via, qu ia ceſſauerat inſtans peccati.

Reſp inſtantia in angelis, non ſe habere, ſicut inſtantia noſtri temporis.

Contra enim eſt, quia inſtantia in Angelis non ſe habent, ſicut inſtantia noſtri temporis, quæ ex partibus motus procedunt, & inter illas colligâtur, ſed ſunt indiuiſibiles durationes perfectæ, ab omni motu diuiſibili independentes; & ſic immediatè ſe habet vnum inſtans ad aliud, tranſitque Angelus ab vna duratione indiuiſibilis vnius operationis ad aliam, ſine media diuiſibilitate motus. Quare Angeli in alio inſtanti puniri ſunt, in aliquo peccauerunt, Peccauerunt pugnando, & negotiando mu'ta, ceſſauit pugna, & negotiatio, ſeu ſuaſio aliorum in ipſa damnatione. Incæpit in damnatione paſſio, & pæna acerbiſſima ignis, multaque peccata in Deum, vt blaſphæmiæ, odium, aliaque ſimilia, quę in damnatione perſeuerant. Quando autē aliqui Patres dicunt initium damnationis in ipſa auerſione Angelum inueniſſe, vt non ſit aliud incipere iam puniri, quàm illius beatifici boni dilectione deſtitui, intelliguntur de initio damnationis extrinſeco, quia cùm fuerunt obſtinati in malo, hoc ipſo in tali auerſione incæpit damnatio. Et eodem modo dicitur, hoc fuiſſe Angelis lapſum, quod hominibus mors, ſcilicet quoad obſtinationem, & inflexibilitatem ad reſipiſcendum, non quoad intrinſecam incæptionem ſupplicij, quaſi cum ipſo lapſu incæperit in Dæmonibus.

ARTICVLVS SEPTIMVS.

Vtrum Angelus ſupremus inter peccantes, fuerit ſupremus inter omnes.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio affirm. Prob. Ille Angelus magis videtur, quòd peccauerit, qui maius habet motiuum ad peccandum: Sed Angelus ſupremus inter omnes, maius motiuum habet ad peccandum. ergo, min. prob. quia fuit Dæmonum peccatum ſuperbiæ, cuius motiuum eſt excellentia, quæ fuit maior in ſuperioribus, & in ſupremo, quàm in inferioribus.

Arg. 1. ſupremus Angelus inter peccantes, fuit ex ordine Cherubinorum *Ezzech.* 28. Ordo autem Cherubinorum eſt ſub ordine Seraphinorum. ergo. Reſpond. Neg. Antec. denominatur autem Cherub, & non Seraphin, quia Cherub interpretatur plenitudo ſcientiæ. Seraphin autem interpretatur ardens: & ſic patet, quòd Cherubin denominatur à ſcientia, quæ poteſt eſſe cum peccato; Seraphin verò ab ardore Charitatis, quæ cum peccato mortali eſſe non poteſt.

Arg. 2. ſi hoc eſſet, ſequeretur, quod ordinatio diuina fuiſſet fruſtrata in nobiliſſima creatura, quòd eſt inconueniens. Reſp. neg. ſeq. Diuina enim intentio non fruſtratur, nec in his, qui peccant, nec in his, qui ſaluantur, vtrorumq; enim euentum Deus præcognoſcit, & ex vtroque habet gloriam, dum nos ex ſua bonitate ſaluat, illos ex ſua iuſtitia punit.

Arg. 3. Angelus, qui maximè erat inclinatus in Deum, minùs videtur, quòd potuerit peccando ab illo deficere. Sed Angelus ſupremus inter omnes, maximè erat inclinatus in Deum. ergo. Reſpond. Ad maiorem: quod quantumcumque inclinatio ad bonum, fuerit in ſupremo Angelo, tamen ei neceſsitatem non inducebat, vnde potuit per liberum arbitrium eam non ſequi.

DISPVTATIO CCCXXV.

An Lucifer, ſeu Princeps malorum Angelorum fuerit primus omnium Angelorum, etiam Sanctorum quoad perfectionem naturalem, & Michael bonorum.

Circa primum in hac re Prima opinio fuit, primum angelum malorum non fuiſſe ſupremum omnium Angelorum, quem Deus creauit, ſed ſupremu infimi ordinis tertiæ Hierarchiæ. Ita Damaſc. lib. 2. cap. 4. *Epiphan.* lib. 2. contra hæreſes hæreſi 64. *hanc multū inſinuat in his, quę ex Methodio, & Proclo refert, conſentire videtur Theodoret.* lib. 5. diuin. decret. c. de Diabolo, *Ruffinus* in expoſitione ſymboli, *quę habetur inter opera Cypriani, Andreę Cęſar* in Apocalyp cap. 30. *& eam probabilem reliquiſſe videtur S. Thom.* quodl. 5 a. 7. & in art. 8. huius qu. *ſolùm dicit, non eſſe contra fidē; & idem dicit Durand.* in 2. d. 6. q 1. — 3620 Prima Opinio refertur.

Fundamentum eſt in primis ex ſacra ſcriptura, nam Ezzech. 18 *non Seraphim, ſed Cherubim appellatur, & Paul ad Eph* 6. *tantùm illum appellat* Principem. *Deinde ratione probatur, quia ex parte Dei decuit, non permittere principem omnium Angelorum perire, & ex parte angeli omnium ſupremi erat minor occaſio peccandi; quia, quo fuit Deo ſimilior, eò fuit minus capax peccati, & maiorem diuinæ perfectionis, & bonitatis notitiam habuit, magiſque obligatus, ad gratias Deo referendas.* — Fundamentū primæ Opinionis.

Secunda ſententia eſt, Luciferum fuiſſe negatiuè primum, & perfectiorem omnium Angelorum, quos Deus creauit, non poſitiuè, quia alios æquales habuit eiuſdem ſpeciei. Ita *Franc.* Suarez lib. 7. cap. 16. *quem ſequitur Auerſa* qu 63. ſect. 2. in fin. *Probatur authoritate Innocentij III in ſerm. Dominicæ Primæ Quadrageſimæ, ubi poſtquam dixit, Diabolum ſupremum tentatorem, Chriſtum tentaſſe, addit, fuiſſe primam creaturam, non quod cunctos præceſſerit, ſed quam nulla præceſſit, & Magiſter* in 2. d. 9. c. 5. *de Lucifero, ait, fuiſſe de ordine ſuperiori, quo nullus dignior conditus fuit, & D. Bonauent.* d. 6. ar. 1. q. 1. *Sed D. Bonau loquitur conſequenter; nam* in diſt. 3 *multos Angelos eiuſdem ſpeciei conſtituerat, quo etiam fundamento innixus Suarez idem autumauit. Sed hoc fundamentum à nobis exploſum eſt ſupra.* — 2. Sententia, & eius fundamentum.

Dicendum eſt tamen, Luciferum, ſeu primum omnium Angelorum peccantium, poſitiuè fuiſſe ſimpliciter primum, & perfectiorem omnium, quos Deus creauit. Ita *Diu. Gregorius* lib. 4. moral. c. 13. aliàs 12, *vbi ait,* Satanam ita fuiſſe creatum, vt alijs legionibus Angelorum emineret; *& lib. 9. cap. 2. vocat Luciferum* Supremum Angelicum Spiritum, *& lib.* 32. *cap.* 18 *alias* 24. *exponit illa verba* Ipſe eſt principiū viarum Dei, *De Lucifero, quem per Behemoth. intelligit dicens,* Quia in natura rerum hunc creando per ſubſtantiam Conditor primum fecit; *& rurſus* Nunc primum condidit, quia reliquis Angelis eminentiorem fecit; *& idem teſtatur in alijs locis: ante Gregorium idem docuit Hieron. in cap. 40. Iob. eodem modo exponens illa verba* Ipſe eſt principium viarū Dei, *& in fine pſal.* 32 *dixit* Diabolus nouem ordines Angelorum ſub ſua habuit Dominatione, ſiuè bonos, ſiuè malos, *& lib: 2. contra Iouinianum, vocat Luciferum,* Altiſſimam ſublimitatem, quæ in veritate non ſtetit. — 3621 1. Concl. Primus omnium angelorū fuit Lucifer. — Prob. 1. ex SS. Patribus.

Item Auguſt. lib. 11. de Gen. ad lit. *priorem ſententiam reijciendo hanc probat,* & lib. 2. de mirabilibus ſac. ſcript *Nazianzen.* carm. 6 de ſubſt. ment. præd. *vocat Luciferum* primum, *non tantùm de cadentibus, ſed etiam de omnibus, ex eoque occaſionem ſuperbiēdi ſumpſiſſe, quòd eximio frueretur honore. Chriſoſtom.* homil. de lapſu primi hominis, *ait,* In Angelis creatis, Luciferum primatum tenuiſſe; *Tertul.* lib. 2. contra Marcion. cap. 10. *vocat Luciferum,* Eminentiſſimum, & Sapientiſſimum Angelorum; *& in eo* — Confirm. ex D. Auguſt.

ſenſu

sensu appellat eum archangelum, idest principem omnium angelorum; noster Cyrill. in cap. 4. Isaiæ *insinuat, dum ait,* eminere inter angelos, sicut inter astra Lucifer.

2. Confirm ex D. Gregorio. *Post. Greg. subscripsit Isidor.* lib. 1. de summo bono cap. 10. *Bernard.* lib. de gratia humilitatis, & serm. 1. Aduentus, & in alijs locis. *Hugo de Sanc. Vict.* in summ. sentent. tr. 2. cap. 4. *Diu. Thom.* in hac quæstione art. 7. *vbi omnes ferè moderni consentiunt, & alij* in 2. d. 6. *& ibi Ricard,* art. 1. q. 1. *Aegid.* q. 1. art. 1. *Durand.* q. 1. *& alij.*

3622 1. Prob. ex coniecturis. *Probatur primò ex coniecturis desumptis ex Sacra scriptura, & primo sumitur ex nomine* Luciferi, *quod indicat excelluisse inter omnes Angelorum choros, sicut Lucifer inter astra, vt N. Cyrill. dixit. Item ex nomine* Cherub. 1. *nam licèt à sententia sumptum sit, indicat excellentiam in illo, & consequenter in perfectione naturali, quæ maximè, ex scientiæ, & intellectus perfectione attenditur: vnde adiungitur* Plenus sapientia, & decore, *quasi per antonomasiam; ac denique additur,* Cherub. extentus. *& quasi protegens reliquos; in quo eius maior excellentia indicatur. Item ex nomine* signaculum similitudinis, *quæ significatur similitudo Dei in summo, quæ in alio Angelo fuit, & similes sunt metaphoricè comparationes, quas Diu. Gregor. & alij PP. B. & D. D. prosequuntur.*

3623 2. Prob. ex coniectura sumpta ex ratione. *Secundò probatur coniectura sumpta à ratione contraria primæ sententiæ, quia in primo Angelo occasio peccandi fuit eius excellentia, ergo in omnium supremo fuit maior occasio elationis & superbiæ. Tertiò Probatur; quia prima sententia multa falsa supponit. Primum est, Angelos, qui peccarunt, fuisse participes materiæ, & occasione illius peccasse, quod à nobis in principio huius materiæ explosũ est. Secundum, quod Angeli in terra, vel in hoc inferiori orbe peccauerint, & non in cœlo, cuius contrarium Sacra scriptura indicat, asserens, Angelos cecidisse de cœlo.* Tertiò prob. *Tertium, Angelis, antequam peccarent, Deum administrationem orbis terrarum commisisse, variàque ministeria inter illos distribuisse, quod est falsum; quia Angeli peccarunt, antequam homo crearetur, qui peccauit ex suggestione Dæmonis, nec illo tempore, quo peccauit Dæmon, erant ministeria Angelica necessaria, nec mirum, quod ruat seu sentia tot falsis fundamentis innixa.*

3624 Ad fundamentum primæ opinionis Resp. *Ad fundamentum illius Respondeo, ad primum locum, appellari Cherub non propter ordinem, sed propter scientiam, vt diximus. Ad secundum locum Pauli Respondeo, appellari illum principem non propter ordinem, quia pertineat ad ordinem principatus, sed propter eminentiam inter omnes. Ad coniecturam dicimus, decuisse ex parte Dei, permittere lapsum primi Angeli ad ostensionem diuinæ gratiæ, ne crederetur, maiori perfectioni naturali esse debitam, & ob alias infinitas rationes sapientiæ suæ: & ex parte Angeli, licèt maior excellentia fuerit occasio maioris gratitudinis, obedientiæ, & charitatis erga Deum, Dæmon tamen sumpsit maiorem occasionem superbiæ, quæ in supremis excellentijs, & donis semper insidiatur, vt pereant, vt ait August. in sua regula.*

Ad fundamentum 2. opinionis Resp. *Ad fundamentum secundæ sententiæ, prout innititur authoritati Innocentij, Respondeo, illa verba referri potiùs ad antiquitatem, quàm ad sublimitatem naturæ. Deinde ibi non videtur conferre tentatorem illum cum omnibus Angelis, sed cum solis malis comparare, & ita ex illa authoritate, nullum in præsenti sumitur argumentum. Verba autem magistri pro nobis sunt; quia si nullus dignus Lucifero conditus est, cùm nullus sit æqualis, & ex alio capite, quia species sunt sicuti numeri, vt diximus supra sequitur, etiam positiuè esse digniorem.*

3625 2. Conclusio Michael est præstantissimus omnium angelorum bonorum. Prob. *Circa secundum est dicendum. Michaelẽ esse præstantissimum omnium Angelorum bonorum, qui perseuerarunt. Hæc conclusio, licèt sit incerta, placet multis recentioribus, inter quos est Viegas* in cap. 12 Apocaly. comment. 1. sect. 48. *Salmeron* disp. d. in epistola ad Hebreos. *Et confirmatur authoritate Basilij* in homil. de angelis. *B. Laurentij Iustiniani* in Serm. de S. Michaele. *Pantaleonis Diaconi* in hom. de eodem argumento *apud Lippomanum;* 1. Confirm. *Sophronij* in encomio angelorum tom. 2. *Bibliothecæ* nouæ, *vbi vocat Sanctum Michaelem* venerandum Sacræ militiæ Principem, & Angelorũ coryphæum. *Confirmatur secũdo authoritate ecclesiæ, quæ in hymno eius festiuitatis agens de omnibus Angelis, eum appellat primatem cœlestis exercitus, & ei se præcipuè comendat, eique in speciali festum celebrat.* 2. Confirm. *Tertiò Confirmatur ex illo loco Apocalyp. citato, vbi dicitur cruentum bellum inter ipsum Michaelem, & Luciferum, seù draconem excitatum, igitur sicut Dæmon est præcipuus inter malos, sic Michael inter bonos; aliàs alterius præstantioris fuisset facta mentio, si esset.* 3. Confirm.

1. Obiectio cõtra 2. Cõcl. *Nec obstat huic doctrinæ primò Diu. Thom.* q. 113. art. 3. in corpore, *vbi videtur, Michaelem,* Archangelum *reputare: nam hoc valdè obiter tetigit, & solùm loquitur iuxta phrasim vsitatam,* Michael, *inquit,* quem archangelum dicimus, vnus de principibus dicitur. *Dani.* 10. *idest primus omnium bonorum: sic enim solet Lucifer vocari Archangelus. Et fuuet ille locus Daniel. nam* vnus *idem significat, quod primus secundùm phrasim Sacræ scripturæ; sicut Gen. primò,* Factum est vespere, & mane dies vnus, *idest primus.* Respondetur.

2. Obiectio. *Nec obstat secundò authoritas Sanc. Dionysij* de cœlest. Hierarch. cap. 9. *Sanc. Hierony.* cap. 10. Daniel. *qui ad infimam Hierarchiam existimat, pertinere Sanctum Michaelem, & Sophronij,* qui in encomio Angelorum S. *Gabrielem appellat præstantissimum angelorum. Nam testimonia superius adducta cum authoritate Ecclesiæ præponderant. Adde, à Sancto Hieronymo solum asseri, primos illos principes, quibus Sanc. Michael annumeratur in loco illo Danielis, esse archangelos: Archangeli autem nomen omnibus spiritibus Hierarchiæ superioris tribui potest, sicut nomen angelis; & Sophronium non de omnibus angelis, sed de illis, qui immediatè mitti solent, & pertinent ad infimam, Hierarchiam, locutum esse, ne sibi contrarius sit in eadem pagina.* Respondetur:

3626 3. Obiectio. *Tertiò non obstat, Angelos, supremæ Hierarchiæ non mitti ad nunciandum aliquid hominibus, nec rebus nostris attendere; Michaelem verò attendere gubernationi Ecclesiæ, & missum legitur ad Danielem; quia licèt angeli supremæ Hierarchiæ nũquam immediatè mittantur, mediatè tamen veniunt, & attendunt rebus Ecclesiæ, mittendo scilicet alios angelos; nam vt dicitur Hebræ.* 1. omnes sunt administratorij spiritus propter eos, qui hereditatem capiunt salutis. *De quo plura dicemus inferiùs, cum de angelis assistentibus, & ministrantibus disseremus.* Respondetur.

ARTICVLVS OCTAVVS.

Vtrum peccatum primi Angeli fuerit alijs causa peccandi.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio. Peccati primi angeli fuit alijs causa peccandi, non quidem cogens, sed quadam quasi exhortatione inducens. Probo, cæteri Dæmones subditi sunt primo, ergo cæteri suggestione primi peccauerunt. Anteced. patet ex matth. 25. *Ite maledicti &c. qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* Conseq. Prob. quia ordo diuinæ iustitiæ hoc habet, vt cuius suggestione quis consentit in culpam, eius potestati subdatur in pęna, iuxta illud 2. Petri 2. *à quo quis superatus est, eius, & seruus est.*

Arg. 1. Omnes angeli simul peccauerunt, vt Damasc. dicit. Ergo peccatum vnius non fuit alijs causa peccandi: quia causa est prior causato. Resp. nego conseq. & ad prob. quod

quod est vera in his, qui operantur in tempore; non autem in his, quæ operantur in instanti, vt fuit angelus.

Arg. 2. Primum peccatũ angeli est superbia. Sed superbia excellentiam quærit: magis autem superbiæ repugnat, quòd magis inferiori subdatur, quàm superiori, & sic non videtur, quod Dęmones peccauerint per hoc, quòd voluerunt subesse alicui superiorum angelorũ potiùs, quàm Deo. Resp. quòd licèt hoc verum sit cæteris paribus; Superbus enim magis vult subesse superiori, quàm inferiori, absolutè loquendo: sed si aliquam excellentiam consequi arbitretur sub inferiori, quam sub superiori consequi non possit, magis eligit inferiori subesse, quã superiori.

Arg. 3. Si peccatũ primi angeli fuit alijs causa peccandi in hoc, quòd eos, vt sibi subicijerētur, induxit: sequeretur, quòd grauiùs peccassent inferiores, quàm superiores, & quàm supremus. quia maius peccatum est, velle subesse alteri contra Deum, quàm contra Deum alteri velle præesse. Resp. neg. cõseq. & ad prob. dicitur, quòd grauitas peccati angelorum, prçcipuè desumenda est ex intensiori motu ipsorum in peccatum, quàm aliunde. Intensior autem motus in angelis sumitur ex maiori virtute mouentis. Supremus autem angelus maiorem habet naturalem virtutem; ideò &c.

DISPVTATIO CCCXXVI.

An Lucifer alios angelos ad peccandum induxerit, & Michael bonos confirmauerit, atque adeò de eorum pugna, & inferiorum Angelorum peccato.

3617 Prima Conclusio.

PRimò statuendum est, Luciferum, e lapsa prima mora, quç actibus immanentibus, eo ipso, quòd eliciantur, debetur, (naturaliter enim, & per se petunt desinere per primum non esse, & incipere per primum esse, quæ cum non possint esse simul in eodem instanti nostri temporis, necessariò inter ea mediat aliqua mora temporis, licèt parua, nisi voluntariò magis duret: eius enim duratio maior, vel minor pendet à voluntate, sicut effectio) elapsa (inquam) prima mora, in qua durarunt actus fidei, spei, & charitatis, quibus ad Deum *omnes conuersi sunt, cæpisse, attentè, & distinctè considerare naturæ suç eximiam pulchritudinem naturalem, & gratuitam, & illam conferre cum alijs creaturis: & ex alio capite perpendere supremum vnionis hypostaticæ beneficium infimę naturç intellectuali conferendum; ac proinde singularem hominem ab omnibus angelis adorandum, & ipsum Luciferum, cui vt potè nobilissimo videbatur deberi principatus, fore homini subijciendum, & peccauit peccata superbiæ, & inuidię iam dicta.*

In Primo instanti, non ità sicut in secundo cognouit Lucifer suam naturam.

Licèt enim in primo instanti cognouerit optimè suam pulchritudinem, & mysterium incarnationis, & alia, non tamen in eo gradu, in quo postea habuit, sic eum in primo instanti diuina gratia protegente: etenim licèt, cùm primum conditus est, cognouerit necessariò, & cõprehensiuè suã substantiã, & proprietates, non tamen fortè cognouit omni attẽtione & in particulari multitudinem omnium angelorum, & omnium entium naturalium inferiorum, quæ infra se habebat, nec attendit, nullum alium ipso nobiliorem creatum fuisse, ac proinde se esse nobilissimum omniũ, & maioribus gratiæ donis insignitum.

Nec ita mysterium Incarnationis in primo, sicut in secundo instanti cognouerunt.

Rursus licèt à principio cognouerit mysterium Incarnationis (quod est probabilius, nulla enim est ratio cogens ad asserendum illud mysterium solùm in secundo instanti reuelatũ fuisse) fortè tamen non cogitauit omni possibili attentione ex parte potentię licèt cõprehensiuè, ipsum fore subijciendũ illi homini, & illi adorationem exhibiturum, & ita in primo instanti non ita plenè cognouit suam excellentiam, nec tantam superbiæ, & inuidiæ occasionem habuit, sicut postea: etenim cùm angeli mens sit limitata, hinc coniectamus, ita intensè illam in secundo instanti applicasse ad prędictorum obiectorum considerationem, vt minor attentio super fuerit (sufficiens tamen) quam impenderet cogitationi rerum, quę illum à peccando auertissent, & quas initio suę creationis cogitabat, & ideò peccauit: illud autem, quod Luciferum determinauit, vt elapsa illa primo mora magis attenderet propriam excellentiam, & alias rationes, quibus ad peccandum inductus est, fuit propria voluntas.

3628 Ipse naturalis amor allexit Luciferum, vt applicaret intellectum ad cognoscendũ distinctiùs.

Nec enim, casu id accidisse, credendum est; nam ipsa naturalis inclinatio, & amor, quo Lucifer seipsũ sine vitio in primo instanti dilexit, allexit illum, vt applicaret intellectum ad magis distinctam, & plenam cognitionem illius secundùm gratuita, & comparationem cum alijs, atque adeò ad distinctiùs percipienda commoda, vel incommoda ipsius naturę; ac proinde ad considerandum, quæ occurrebant in subijciendo se Christo Domino, & in adoranda natura longè inferiori, quæ consideratio bona erat, & ex ea potuisset Lucifer eruere maiorem meriti occasionem, nisi superbus, & inuidus esse maluisset.

3629 2. Conclusio. hoc ipsum, quòd cogitauit Lucifer, cogitasse etiã cæteros angelos.

Secundò statuendum est, hoc ipsum, quòd cogitauit Lucifer, cogitasse etiam cæteros angelos; atque adeò primum peccatum illorum fuisse superbiam, vt Diu. Th. in art. 2. huius qu. *& omnes eius interpretes, & communiter alij scolastici autumant. Et ratio est; quia peccatum cuiuslibet angeli inferioris fuit ex nimio amore sui potiùs, quàm alterius angeli, etiam supremi. quia naturaliter plus se diligit, quàm quemlibet alium: nec est aliqua ratio, cur plùs alium diligat. igitur peccatum angeli etiam inferioris incępit ex amore sui, atque adeò excellentia sibi inordinatè concupita. Et confirmatur à simili, imò à fortiori: nam in primis parentibus, qui erant quasi in statu Angelico, remoti ab omni motu inordinato concupiscentiæ sensibilis, primum peccatum fuit superbia, & vix aliud moraliter loquendo potest excogitari, igitur idem dicendum est in inferioribus Angelis.*

3630 Cæteri angeli voluerunt vnionem hypostaticam non sibi, sed naturæ angelicæ.

Addo, in peccato inordinati appetitus vnionis hypostaticæ verisimilius esse, cæteros angelos voluisse eam non sibi, sed naturę angelicæ, atque adeò angelo supremo; tum quia videbant non omnibus concedendum fore illud beneficium. quòd si alicui foret concedendum fore illud beneficium, quòd si alicui foret concedendum, omnes in Luciferum conuenirent, si votis omnium exigeretur; quia illum, vt principium, & caput totius angelici ordinis suspiciebant, eiusque exaltationem, tanquam vnius cuiusque propriam, & in singulorum dignitatem redundantem appetebat; tum denique, quia si vnus quisque angelus sibi appetisset vnionem hypostaticam, non conuenissent in vnum exercitum, & quasi milites vnius ducis Luciferi; & ideò dicuntur angeli eius, imò secum ipsis, contrarijs effectibus decertarent, neque eos ad peccandum Lucifer induxisset, cum eius superbia hoc fuisset directè contrarium; superbus enim non vult in primatu habere consortem, nec prętensorem dignitatis, quam ille sibi desiderat.

3631 3. Conclusio. angeli, qui ceciderunt, non solum exemplo, sed etiam Luciferi suasione peccaue runt.

Tertiò statuendum est, angelos, qui ceciderunt, nõ solo exemplo, sed & Luciferi suasione peccasse; hoc licèt Guillel. Parisiens. negauerit in 2. primę de vniuers. in prima eius parte, & *Durand. & Vasquez. rem esse dubiam, & nobis ignotam autument; ac proinde non esse tribuendam angelis, quòd nullo fundamento nititur; affirmant tamen S. Thomas in art. 8. huius quęst. vbi Caietan. & omnes eius interprętes D. Bonau. in 2. d. 3. art. 2. q. 2 Egidius d. 6. q. 1. & alij, quos refert, & sequitur Suares lib. 7. cap. 17. Gran. in hunc articulum, & Auersa q. 63. sect. 6.*

3632 1. Probatur Authoritate Sacrę scipturę

Et probatur primò auctoritate Sacræ Scripturę, nã Draco, Apoc. 12. *dicitur*, traxisse secum tertiam partem stellarum: *vbi alluditur ad ruinam Luciferi, & Sociorum, &* Matth. 25. *dixit Christus*, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo:

bolo, & angelis eius, indicans, in pœna esse subiectos Dæmones vni veluti principi: ex quo sumitur argumentum, fuisse subiectos in culpa, vt ait S. Th. quia hoc habet lex diuinæ iustitiæ, vt cuius suasioni aliquis consensit in culpa, in pœna subdatur eius potestati. Item Isai. 14. In terram tuam perdidisti, tu populum tuum occidisti, vbi de Lucifero locum hunc exponunt SS. PP. Item Ezech. 28. In multitudine negationis tuæ, in quib[us] verbis mysticè Lucif. applicates nil potest negotiationis nomine intelligi, nisi suggestio Luciferi, & sollicitatio aliorum ad rebellandũ contra Deum, & plura sunt alia loca, quæ adducuntur ad hoc probandum, quæ videri possunt apud interpretes, nam dicta sufficiunt.

3633
2. Prob. authoritate SS. Patrum.

Secundo probatur authoritate PP. Nazianz. dicto Carm. 6. vbi vocat Luciferũ ducẽ, atque magistrum, qui ad se alios allexit, Euseb. dialog. 1. vbi ait, alios angelos per ducis suggestionem fuisse se mutatus; idem docuit Orig. lib. 1. Periarch. in prooem. Chrisostom. in psalm. 14. Euseb. lib 3. de præparat. Euangelij cap. 5. vbi ait, Primus Angelus defectionis causa fuit N. Cyrill. Hierosol. Chat. 2. fauet Damasc. 2. fidei cap. 4. Procop. Gazæ. ad cap. 3. Isai. Amb. Ep. 84. Pantaleon. Diaconus, & alij.

Instabis.

Nec obstat, quòd omnes Angeli peccauerint per superbiam, & à proprio amore, & excellentia abstracti, & illecti fiat, quia hoc non excludit suggestionem Luciferi, sicut contingit in nobis, qui à propria concupiscentia abstracti, & illecti, suggestione etiam Dæmonis peccamus.

Respondetur.

2. Instabis.

Nec obstat secundò, quòd obijcit Suarez contra nostram opinionem, prout asserit, primum peccatum Angelorum fuisse inordinatum amorem sui, suæque beatitudinis tam naturalis, quàm supernaturalis; quia ad hoc suadendum nullum commodum, nullaué excellentia in ipsum redundabat.

Respondetur.

Non obstat (inquam) tum quia sufficit, vt vnionẽ hypostaticam vellet sibi, vt alios non solum ad hunc appetitum sed ad alios inferioribus solum conuenientes incitaret, vt faciliùs eos sibi conciliaret: tum etiã quia in ratione comodi, inuenitur ratio delectabilis, vt haberet suæ opinionis socios, & quibus posset in sua defectione imperare.

3. Instabis.

Nec obstat tertiò ratio, qua vtuntur sancti, quòd Deus non redemerit Angelos: quia sine suggestione peccarunt, hominem verò redemit, quia à Dæmone inductus est: tum quia illa ratio non est adæquata;

Respondetur.

tum quia Lucifer, qui est caput malorum non peccauit suggestione, & quia sub illo omnes comprehenduntur, quia componentes corpus mysticum rectè dicitur, totũ illud corpus, cum suo capite, nullo suggerente, cecidisse: etenim quod diuersa est ratio in Angelis etiam inferioribus, & in homine, quia quanto huius natura est inferior, eo faciliùs potuit per suggestionem induci, ideò magis excusabilis est.

3634
4. Conclusio. Post hanc suggestionẽ Luciferi, sumpsit bellum armis intellectus, & voluntatis exordium.

Quarto, post hanc suggestionem Luciferi, quam fecit media locutione spirituali, sumpsit cordium mutua Angelorum concertatio, & bellum, exortum non armis materialibus sed actibus intellectus, & voluntatis. nã in eo tẽporis puncto, quo Lucifer in ordinatè sua pulchritudine delectatus est, beatitudinemque inordinatè appetijt, sicut, & vnionem hypostaticam, & Christo Domino inuidit, hoc ipsum peccatum omnibus Angelis manifestauit, & eos ad defectionem incitauit, vt omnis illa respublica concors, & vnita sibi consentiret. Contra Sanc. Michael, infra Luciferũ se videbat omnium præstantissimum, indicans, hanc esse vrgentissimum occasionem obediendi Deo, & se gratum ostendendi omnium Domino Largitori, suam pulchritudinem Deo reddidit, & retulit in illo, & nõ in se gloriatus beatitudinem supernaturalem, tanquam vltimum finem non sibi iure debitam, sed liberali Dei voluntate, licèt non sine meritis obtinendam à Deo petijt, & auxilia necessaria, humiliter se Christo Domino subiecit, atque vt simul hæc apud se sentiit, omnibus Angelis manifestauit, eos ad idem præstandum inuitans: quare, si mali fuerunt ad peccandum inducti à Lucifero, non minori ratione credendũ est, bonos ad perseuerandum ab eorum principe Sanc. Michaele incitatos fuisse per illum seraphicum vocem, Quis sicut, Deus, & conatum deterrere eos ab illo inordinato appetitu à Lucif. re proposito.

3635
5. Conclusio multi ex angelis Lucifero cõsensuerunt, plures tamen adhæserunt Michaeli.

Quintò, multi ex Angelis Lucifero consenserunt; plures tamen fuerunt, qui Michaeli adhæserunt, vt Diu. Thom. art. 9. & communis D.D. affirmat, plures fuisse Angelos, qui perseuerarunt, & Michaeli adhæserunt iuxta illud Apocalyp. 12. vbi dicitur, Draconem tertiam partem stellarum traxisse. Probatur authoritate PP. August. lib. 11. de ciuit. cap. 23. Cirill. lib. 1. in Gen. sub finem, vbi hoc expressè fatentur, Hugo de Sanc. Vict. lib. 1. de Sacram. par. 5. cap. 31. vbi allegoricè ad hoc probandum adducit illa verba Elisei 4. Reg. 4. Noli timere, plures enim nobiscum sunt, quam cum illis.

Ratio quia peccatum, cũ sit contra naturam intellectualem, in paucioribus debet inueniri.

Ratione probat S. Thom. quia cum peccatũ sit contra naturam intellectualem, & id, quod est contra naturam in paucioribus inuenitur, pauciores credẽdi sunt peccauisse. secus est in hominibus, in quibus peccatum est sæpè iuxta naturam sensitiuam, quæ in ipsis viget. & ad peccandum allicit. Quæ ratio est optima congruentia, sed non reddit certam doctrinam, cùm aliter potuerit accidere, nam omnes habebant libertatem peccandi, aut non peccandi, atque adeò certa, & propria ratio reducenda est in propriam radicem diuinæ prædestinationis, & electionis: etenim soli hi, quibus reuera contulit auxilia efficacia in secunda mora, & donum perseuerantiæ, re ipsa steterunt; quibus verò denegauit re ipsa lapsi sunt, & potuissent paucioribus durare talia auxilia, quæ si negasset, quia cuius vult miseretur, & quem vult indurat, pauciores stetissent. Credimus autem, de facto angelis aliter Deum prouidisse, quàm hominibus quantum ad hoc, propter testimonia, & rationes adductas.

3636
6. Conclusio. Probabile est, ex singulis ordinibus Angelorũ aliquos cecidisse.

Sexto dicimus cum S. Thom. eodem art. ad. 3 probabile esse, ex singulis ordinibus angelorum, aliquos cecidisse. Sentit, eius magistrum in 2. d. 6. cap. 1. & sequuntur Scholastici in illis locis. Probatur authoritate P. Noster Cirill. lib. 1. ad Gen. ad medium, & Theodoret. super cap. 6. ad Ephes. & aliorum: vnde interpres Damasc. in cap. 4 lib. 2. de fide ait, de vnoquoque nomen ordinum aliquos corruisse SS. PP. determinationibus est conforma. Et hoc insinuat sac. scriptura. Nam Paul ad Ephes. 6. vocat Dæmones, Principes, & Potestates, ac Mundi rectores tenebrarum harum, quibus nominibus indicantur, esse eiusdem ordinis cum Sanctis Principibus, & Potestatibus, quos vocat rectores mundi tenebrarum harum, vt distinguat ab illis nec dicantur rectores mũdi, quasi bonum regimen illius sit illis commissum, sed prauorum hominum, iuxta expositionem Augu. in Psal. 54. Mundi dicit amatorem mundi. Et eodem modo à fortiori sequitur, fuisse aliquos angelos infimi ordinis, sub quo nomine frequentius nominantur, & Archangelos, de quatuor ordinibus superioribus Angelorum assistentium, nihil inuenitur in sacra scriptura præter nomen Cherub tributum Lucifero in illo loco Ezechiel. licèt ex proprio Seraphinorum ordine fuisse; Luciferum colligant PP. inde verò probabiliter colligitur, etiam ex proprijs Cherubinis, Tronis, & Dominationis, ac proinde ex omnibus ordinibus aliquos cecidisse. & hoc solent significare PP. asserentes, Sedes Angelorum, qui ceciderunt per homines reparandos esse. Coniectura verò D. Th. est, quia hoc modo ostenditur vniuersalius indifferentia, & fragilitas arbitrij creati: nam in omni ordine creaturarum rationalium inueniuntur aliqua suo arbitrio tàm in bonum, quàm in malum vtentes.

3637
Instabis

Nec obstat Leo Papa 8. vel 9. in cap. si duo de cõst. dist. 1. dicens non aliquos angelos cecidisse ex nouẽ ordinibus, sed decimum ordinem, quem sequitur Salonius Viennen. dialog. in Eccl. circa finem. Nã respondetur cum magistro, vel non esse admittendam illam locutionem, vel piè exponendam: quia omnes, qui ceciderunt quasi in vnum infimum ordinem redacti sunt, ideò dicuntur decimum ordinem constituisse, non quòd ex omnibus ordinibus aliqui non fuerint auulsi; licèt Salonius vix admittat hanc explicationem, sed de illo non est in hoc multum curandum.

Respondetur

Ex

Corollarium. *Ex quibus tandem cõstat, determinatum numerum Angelorum, qui ceciderunt, & remanserunt, incertũ esse; neque aliquid definitum in hoc respondert posse, cum vterque numerus tam bonorum, quam malorum nobis incertus sit.*

3638 7. Conclusio. in eodem instanti nostri temporis, omnes Angelis peccauerunt. *Septimò statuimus in eodem instanti, nõ solùm angelico (nam de hoc non est difficultas, cùm moram diuisibilem habeat) sed etiam nostri temporis, omnes angelos inferiores simul tàm inter se, quàm cum Lucifero peccasse; licèt peccatum Luciferi priùs natura præcesserit tanquam causa moralis aliorum. Ita Diu. Thomas* in hac qu. art. 8. ad 1. *verisimilius cum Damasc. ex pluribus scholasticis docuit. Probatur, quia in eodem instanti, in quo Lucifer animo concepit peccatum, potuit manifestare omnibus angelis, & ab omnibus audiri, atq; omnes illi deliberare potuerunt in illo indiuisibili instanti, cum non indigeant discursu, nec mora temporis, igitur si in eodem instanti protinus restiterunt, & dissenserunt Lucifero, eo ipso secuta est inflexibilitas boni: si autem in eodem instanti consenserunt, iam commiserunt peccatum.*

Instabis: *Neque potest dici, non restitisse, neque consensisse in illo instanti temporis indiuisibili: nam licèt pro sua libertate absolutè potuerint suspendare actum, & non resolui nisi aliquo breui tempore elapso, tamen de facto non ita euenisse insinuant PP. dum peccatum eorum primum superbiam astruunt: at ex illa suppositione primum peccatum fuisset omissionis ante superbiam,*

Respondetur. *quia tenebantur protinus resistere tantæ iniuriæ Dei, quòd non facientes peccassent. Et confirmatur, quia practicè ostendissẽt voluntatem ancipitem circa Dei obedientiam, si non protinus restitissent. Confirmatur secundò; quia saltim moraliter videtur impossibile angelis in re tanti momenti suspendere omnem actũ voluntatis, cùm non haberent rationem differendi deliberationem. Confirmatur tertiò; quia si priùs tempore Lucifer peccauisset, non seruaretur tanta proportio inter viam, & terminum Demonum, vt omnes simul punirentur, quòd si Lucifer cœpisset puniri, priusquam alij peccassent, illi territi fuissent Luciferi exemplo, potiùs quàm allecti.*

3639 Instabis 2. *Dices, saltim Angeli inferiores non poterant perfectè deliberare vnico instanti indiuisibili, quoniam obiecta, quæ simul possunt distinctè, & perfectè intelligere, pauciora sunt in inferioribus Angelis: at rationes considerandæ, dum deliberatur de stando in Dei obsequio, & eius obedientia retinenda, sunt plures, veluti* Dei *bonitas, omnia beneficia naturalia, & supernaturalia, beatitudo, æterna pœna, aliaque quamplurima obiecta.*

Confirmatur. *Et confirmatur: quia quamuis Lucifer omnes rationes inuitantes ad peccandum simul distinctè intelligeret, non poterat eas simul proponere inferioribus Angelis, his namque diuidunt, & multiplicant conceptus Angeli superiores, vt successiuè capiant, quæ simul non possunt.*

3640 Respondetur. *Respondeo, quòd licèt inferiores angeli non possint vnico instanti simul distinctiùs cõplecti omnes rationes, quæ considerari possunt in deliberando de persistendo in obsequio, & obedientia Dei, nihilominus à primo instanti creationis vsque ad illud instans suggestionis Luciferi perfectè considerarunt omnes rationes naturales, & supernaturales, quæ Dei amorem, & obedientiam suadere poterant; & in primo instãti suasionis malæ simul intellexerunt, quæ abundè sufficiebant, vt protinus deliberare possent, quare tenebantur protinus resistere suasioni Luciferi, nec erat cur differrent. Post hoc autem instans indiuisibile in ordine ad nostrum tempus, quamuis aliqua breui mora durationis intercesserit, vt superius de instantibus viæ angelorum dicebamus, tamen boni, quia in instanti, in quo Lucifer peccauit, restiterunt eius suasioni, mansere inflexibiles, quamuis nondum adepti fuerint perfectam confirmationem in gratia, quæ ex Dei visione consequitur, atq; adeò non est verisimile, varia decreta emisisse succedente tempore: mali verò mansere inflexibiles in malo, & ita in suo peccato perseuerarunt, & fortè varios actus peccatorũ in illa breui mora emiserunt sicut boni varios actus virtutum.*

3641 Ad Confirm. Resp. *Ad confirmationem respondeo, negando antecedens; quia ad illas rationes manifestandas inferioribus nõ erat necessariũ diuidere conceptus, sed illos dirigere, & omnibus manifestare per suum consensum: erant enim rationes omnibus ad intelligendum proportionatæ, nec superioris ordinis, vt contingit in illuminationibus. Addo, quòd licèt fuisset necessaria hæc multiplicitas conceptuum in instanti, poterat Dæmon illos diuidere, & manifestare, sicut inferiores in eodẽ cognoscere, & velle: nam illud axioma nil volitum, quin præcognitum, quod induxit D. Bonau. & alios ad existimãdum, intercessisse moram temporis inter cognitionem, & consensum soluitur cum sola prioritate naturæ. Sed de re tàm incerta dicta sufficiant.*

ARTICVLVS NONVS.

Vtrum tot peccauerunt, quot remanserunt.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

COncl. Plures Angeli permanserunt, quàm peccauerunt. Prob. quod est contra naturalem inclinationem, inuenitur, vt in paucioribus. Quia natura consequitur suum effectum, vel semper, vel vt in pluribus. Sed peccatum est contra naturalem inclinationem. ergo.

Arg. 1. Malum vt in pluribus, bonum vt in paucioribus, vt Philos. dicit. Sed peccatum est malum. ergo. Resp. sententiã Philosophi esse veram in hominibus, non verò in Angelis. Nam in hominibus contingit malum peccati ex hoc, quod sequuntur bona sensibilia, quæ, quia pluribus nota sunt, quàm bona rationis; hinc est, quòd peccatũ sit vt in pluribus in hominibus.

Arg. 2. In hominibus plures inueniuntur mali, quàm boni. Eccles. 1. *Stultorum infinitum est numerus*: ergo. Resp. neg. conseq. quia non est eadem ratio de hominibus, ac de Angelis, vt dictum est ad primum.

Arg. 3. Si plures Angelicæ personæ remanserunt, quàm peccauerunt. ergo non de omnibus ordinibus aliqui peccauerunt. Resp. neg. conseq. nam in vno ordine sunt plures Angelicæ personæ, quarum aliquæ peccauerunt, aliquæ ceciderunt, vt in hoc magis comprobaretur libertas arbitrij, quæ secũdum quemlibet gradum naturæ in malum flecti potest.

DISPVTATIO CCCXXVII.

Nonnulla prænotantur ad Articuli intelligentiam.

MAiorem propositionem, *videlicet*. Ea, quæ contra naturam *fiunt*, vt in paucioribus, accidunt, *& dictum illud philosophi*, malum est, vt in pluribus, bonum autem, vt in paucioribus. *Cum explicatione Sancti Doctoris in responsione ad primum declarat vberrimè Ferrariensis in 3. contra* gent. cap. 6. & cap. 113 propè finem *vbi mota dubitatione discursus Sancti Doctoris explicat eruditè. Vide præterea, si placet Caietanum in* prima secundæ quæst. 71. art. 2. & in opusc. tomo. 3. in oratione de causa *mali, & Bannez* super hoc articulo, *& Diu. Th.* in primo sentent. dist. 49. art. vlt. ad 4. 3642 Nota. 1.

Scite præterea rationem Diu. Thomæ pro conclusione esse omnium optimam, non tamen esse demonstratiuam, nec vt talem ab eo fuisse productam. Cum enim cõclusio præsentis articuli sit ex iis, quæ nostri lumen intellectus, & vim discursus exuperant naturalem Nota 2.

lum, nullo potest omninò firma, ac euidenti ratione probari; ex libero namque suæ voluntatis arbitrio Dæmones peccauerant, & angeli boni diuina gratia suffulti Deo vocanti, & eos efficaciter ad se trahenti liberè consenserunt. Cum itaque prędicta numerorum differentia non ex Angelorum natura, sed ex eorum libera dependeat voluntate diuina præcedente volitione de permissione peccati malorum, & libera, gratuitaque præfinitione, siuè decreto de salute bonorum, quę naturaliter, non intellectui tantùm humano; sed etiam Angelico sunt occulta, nulla poterit ratione demonstratiua probari, sed iuxta philosophi documentum in primo Ethic. cap 3. & 2. Metaph. tex 16. Sufficere debet ea certitudo viro prudenti, quam patitur ea res, de qua differitur.

3633 Conclusio. In conclusione Diu. Thom. conueniunt communiter Theologi in 2. d 6. in quo loco Diony. Chartus. quæst. 2. citat plures Doct. in hanc sententiam. Vide Alex. Alens. in 2. p. q. 110. memb. 3 & 4.

Obiectio. Sed contra rationem Diu. Thom. est argumentũ. Nam sequitur ex illa, quòd plures homines sequantur virtutem, & pauciores voluptates contra virtutem; quid tamen est contra illud Christi Domini. Matth. cap. 7. Lata est via, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam: quàm angusta porta &c. & pauci sunt, qui inueniunt eam. Sequela verò probatur. Nam virtus est secundùm rationem, vitium autem est contra rationem, ergo contra naturalem inclinationem hominis est vitium, ergo vt in paucioribus contingit. De hoc vide Ferrariens. 3. lib. contra gent cap. 6. & cap. 113., & eleganti ssimè Caietanum, loquentem 1. 2. quæst. 71. artic. 2. ac deplorantem miseriam humanæ speciei inter omnes alias creaturas, quòd cùm cætera sequantur bonum, vt in pluribus; in hominibus verò bonum secundùm naturam, quòd est bonum virtutis, vt in paucioribus inuenitur.

3644 Respondetur. Respondetur negando sequelam, ad cuius probationem respondetur; quòd licèt bonum virtutis sit hominis naturę conforme secundùm partem rationalẽ: tamen bonum sensibile est consonum etiam illi secundùm partem sensitiuam, quæ contrariatur rationi. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem quòd si quæras, cur potiùs homo sequatur ea, quæ sunt partis sensitiuę, quàm bonum rationis, cùm tamen portio rationalis sit in homine potissima? Respondetur, quia homo incipit à bono sensibili ad cognoscendum, & amandum bonum rationis, plures autem sunt incipientes, quàm consũmantes, vnde plures sunt, qui sistunt, & quiescunt in bonis naturæ sensitiuę, quàm qui perueniunt ad bonũ naturæ rationalis. Est, & alia ratio ex eodem tamen fundamento deducta. Nam bona sensibilia sunt nobis magis nota quoniam illa sensibus experimur, & vtimur illis à principio nostrę natiuitatis, & sic faciliùs ab eis trahimur. Item etiam sensibilia afferunt secum, quasi prę mium præsentis delectationis, aut doloris, & cruciatus, quare faciliùs illorum amore, & horum terrore abducimur à bono virtutis, & rationis, cuius præmium in futurum protrahitur, & quòd secum in præsenti affert, non ideò percipitur. In Angelis autem cùm non consistent ex natura sensibili appetente contra rationem, nec à bono sensibili inchoet eorum cognitio, nec in bonis sensibilibus sensibiliter delectentur, nihil est, quòd retardet, aut auertat eos à bono virtutis, nisi propria malitia. Quare in paucioribus eorum inuentam esse optimè intulit Diu. Tho. & hæc de hac quæstione dicta sufficiant.

QVÆSTIO LXIV. D. Th.

De Pœna Dæmonum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum intellectus Dæmonum sit obtenebratus per priuationem cognitionis omnis veritatis.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio 1. Cognitio, quæ est per naturam in Dæmonibus, non est ablata, nec diminuta. Prob. quia naturæ Dæmonum propter eius simplicitatem, non potest aliquid subtrahi, vt sic per subtractionem naturalium puniatur. 2. Conclusio. Cognitio, quæ est per gratiam in speculatiuis consistens, non est eis totaliter ablata, sed diminuta. Prob. Quia de huiusmodi secretis diuinis, tantùm reuelatur eis, quantum oportet, vel mediantibus bonis Angelis, vel per aliqua temporalia diuinæ virtutis officia, vt dicit Aug. 9. *de Ciuit.* Dei. 3. Conclusio. Cognitione affectiua Dęmones sunt totaliter priuati. Prob. Quia Dæmones sunt priuati Charitate.

Arg. 1. Dęmones non possunt cognoscere seipsos, aliàs cognoscerent substantias separatas, cùm ipsi sint substantiæ separatę; & sic essent fęlices. ergo. Resp. neg. Ant. ad prob. dicitur, quòd licèt cognoscere substantias separatas, sit aliqua fælicitas respectu nostri, cùm sint superioris naturę: non autem respectu Dæmonũ: nam fęlicitas consistit in applicatione ad id, quod superius est.

Arg. 2. Dęmones non possunt cognoscere Deum, qui est secundùm se manifestissimus: & in summo veritatis: quia non habent mundum cor, à quibus solis Deus videri potest. ergo. Respond. neg. Anteced. quòd licèt Dęmones naturaliter non possint cognoscere Deum perfectè, vt cognoscibilis est, possunt tamen ipsum imperfectè cognoscer: quia licet non habeant puritatem gratię, habent tamen puritatem naturæ.

Arg. 3. Dæmones de rebus non habent cognitionem matutinam in Verbo: nec Vespertinam, quia hæc est cogitatio rerum in proprijs naturis, referendo res cognitas ad laudem Dei Creatoris. ergo. Resp. habere cognitionem nocturnam, quatenus cognoscunt res in proprijs naturis, non referendo res cognitas in Deo, sed ibi sistunt.

Arg. 4. Dæmones per peccatum fuerunt priuati cognitione mysterij Regni Dei, quam in sui conditione acceperant. ergo fuerunt priuati cognitione cuiuscumque alterius veritatis. Respond. neg. Anteced. nam etiam in Dæmonibus remansit post peccatum; illa imperfecta cognitio, si enim perfectè cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifigi procurassent.

Arg. 5. Non possunt Dæmones cognoscere aliquid naturaliter, quia omnis manifestatio fit per lumen, ex *ad Ephes.* 5. Neque aliqua accipiendo ab aliquo, quia non accipiunt per reuelationem, vt de se

Iiii patet

patet; nec à bonis Angelis, quia *non est conuentio lucis ad tenebras*, vt dicitur 2. Cor. 6. ergo. Respond. Dæmones quolibet illorum modorum veritatem cognoscere; Primò quidem per subtilitatem suæ naturę, & licet sint tenebrati per priuationem luminis gratię, habent tamen lumen intellectuale naturę. Secundò per reuelationem à Sanctis Angelis, cum quibus cōueniunt per similitudinem naturæ intellectualis.

DISPVTATIO CCCXXVIII.

De obtenebratione intellectus Dæmonum.

3645 Ordo doctrinæ D.Th.

POST disputationem de peccato Dæmonum sequitur recto ordine disp. de pœna, quę sequitur illud, & iustè pro illo infligitur; quia omnis pœna Spirituū, vel esse potest in substantia, vel in intellectu, & volūtate in substantia nulla pœna priuatiua esse potest præter priuationem gratię habitualis, quam in instanti, in quo peccauerunt, amiserunt; An verò, quid positiuum in substantia sua immediatè patiantur? dicemus inferiùs. De pœnis ergo, quas patiuntur in intellectu, qui prior potentia est, in pręsenti sect. disputamus, pro cuius resolutione, suppono, cognitionem angelorum esse duplicem, aliam naturalem, aliam supernaturalem. Rursus vtraque diuiditur in speculatiuam, & practicam, quorum terminorum communē intelligentiam supponimus. De his ergo cognitionibus sigillatim disserendum est per sequentes conclusiones.

1. Conclusio.

Dico primò, cognitio naturalis integra mansit in Dęmonibus speculatiua earum rerum, quę euidenter cognosci possunt ab Angelo. Ita D. Dionys. cap. 4. de Diuin. nom., vbi docet, omnibus Dęmonibus vires naturales integras esse relictas, & idem docet August. toto lib. de diuinatione Dęmonum, & lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 17. *Isid.* lib. 1. sen. c. 10. *Beda* lib. variarum

3646 Ratio Conclusionis.

quæst. 9. tom. 8. *Probatur ratione; quia si priuati essent intelligentia, nec dolorem, nec tristitiam sentirent, nec homines tentarent, nec inter se, nec cum bonis angelis, nec cum Deo loquerentur, quæ omnia illos facere constat ex sacra scriptura; & ob hanc rationē constat, non fuisse priuatos potentia intellectiua; tum quia separabilis naturaliter non est à substantia, nec separari oportuit, vt possent actus vitæ exercere, & in æternum cruciari. Potentia autem intellectiua diminui non potuit; quia indiuisibilis est, nec species impressę naturaliter debitę debuerunt ab eis auferri propter eandem rationem.*

Dęmones coguntur respicere obiecta tristitiæ.

Addo, non obstante hac integritate cognitionis in huius modi cognitione relicta, multum impediri Dæmones à naturali contemplatione; quia semper coguntur vehementer, atque distinctè inspicere omnia obiecta tristitiæ; & quia per odium, & inuidiam recusant cogitare, quæ in Dei laudem redundant. Vnde constat, Dæmones non habere naturalem beatitudinem, non solùm perfectam, vt constat, sed neque imperfectam; tùm quia nullo modo amant Deum, sed illum intestino odio prosequuntur; tùm quia etiam licèt necessariò cognoscant Deum, vt authorem suum, cognita sua substantia, illa cognitio nullam affert delectationem, sed summam tristitiam, quia cum simul cogitant iudicem suum acerbissimas illis pœnas semper inferrentem, atque adeò deficiunt præcipua, quæ ad beatitudinem naturalem etiam imperfectam diximus requiri disp. præcedentibus.

3647 2. Conclusio.

Dico secundò; cognitio, seu iudicium de futuris cōtingentibus, & liberis, & de internis cogitationibus aliquo modo diminuta est in Dęmonibus. Probatur; (Ratio.) *quia in iudicio de huiusmodi effectibus sæpè decipiuntur, & errant, vt constat ex diuinationibus* Idolorum; *quòd si non peccassent, non facerent;* Nam *Sancti Angeli de his rebus falsa iudicia non habent; quid, quia non prouenit, tàm ex diminutione naturalis cognitionis speculatiuę, quam ex defectu voluntatis, ideò non distinxit S. Thomas in his cognitionibus naturalibus, sed absolutè dixit, in naturalibus mansisse integram cognitionem, non verò in supernaturalibus.*

Confirmatur hoc, & declaratur; quia Dæmones nil minus cognoscunt naturaliter de his rebus, quæ antè peccatum possent cognoscere, vel quam Sancti Angeli naturaliter cognoscunt. Sola ergo differentia est, quia Sancti Angeli non iudicant determinatè, & absolutè esse, vel futurum esse, quod euidenter non vident, sed vel suspendunt iudicium, vel solùm iudicant, quid illę causę, vel signa magis indicent: at verò Dęmones per peccatum iam deordinati facilè proferunt absolutè iudicium de his, quę tantum coniectant; & ideò errant, igitur hic error non est ex impotentia, & diminutione virtutis cognoscendi, sed ex temeritate iudicandi, quæ prouenit ex defectu voluntatis mouentis; nā hæc iudicia, cum sint libera, non proferantur sine motione voluntatis. Confirmatur.

3644 3. Conclusio. Prob. quò ad vtramq; partem. 1. Pars prob.

Dico tertiò; cognitio practica naturalis in Dęmonibus diminuta est in materijs moralibus, non verò in alijs materijs. Prima pars probatur, quia Dęmones priuati sunt rectitudine iudicij practici de rebus agendis, itaut nunquam habeant verum iudicium practicum in ordine ad effectum, & opus moraliter bonum, vt inferius videbimus, agentes de obstinatione Demonum, vbi ostendemus, Dęmones nunquam habere opus moraliter bonum; atque adeò consequenter, neque iudicium practicum verum, vbi eius causā assignabimus. Nec obstat, quòd D. Thomas in art. 1. *tacitè insinuauerit, non esse ita deprauatum iudicium practicum Dęmonis in naturalibus, sicut in supernaturalibus. Nam differentia in hoc constituitur, quòd excæcatio Dæmonis primò, & per se facta est in supernaturalibus: nam Angeli mali primariò à fine supernaturali auersi sunt, in qua auersione immobiliter adhęserunt, & malum suū vltimum finem constituerunt; ex quo semper operantur, non solùm in supernaturali materia sed etiam in naturali: atque hinc fit consequenter, vt etiam sint excęcati in naturali materia, itaut semper in illa practicè errent; etenim deuiando à verò fine, non potest non errari practicè in medijs; & quia finis supernaturalis talis est, vt tota moralis materia tàm naturalis, quàm supernaturalis ad illum ordinanda sit, ideò auersio ab illo fine, & conuersio ad finem contrarium facit, vt Dęmon in vtraque materia tàm supernaturali, quàm naturali erret semper practicè, vt ostendunt peruersa eius opera.*

2. Pars prob.

Secunda pars conclusionis probatur; nam in alijs materijs, v. g. artis, vel prudentię politicæ, seu mundanę per se non errat; quia rectitudo practica in huiusmodi iudicijs non pendet ex intentione honesta, sed ex intentione efficaci finis, seu operis intenti, etiamsi prauum sit; nam oritur ex perfecta scientia, aut experientia, per quam media proportionata in suo ordine operi intento, vt vtilia ad artificium v. g. conficiendū eligantur, quam Dęmon habet. Dixi per se, quia potest impediri à Deo ob altissimos fines prouidentię suæ.

3649 4. Conclusio.

Dico quartò; nulla cognitio entitatiuè supernaturalis mansit in Dęmonibus, neque quoad habitum, neque quoad actum. Hæc conclusio sumitur ex August. Damasc. & Isid. locis citatis, & ex Bernard. epist. 77.

Prob. quantū ad actum.

Probatur ratione quantum ad actum; quia actus in entitate supernaturales sine speciali auxilio haberi non possunt, Dæmones autem omni auxilio speciali, etiam sufficienti aliqualiter sunt priuati, vt ostendemus; quia hoc pertinet ad completam pœnam damni, igitur nullum habent, nec habere possunt actum in sua entitate supernaturalem.

Prob. quantū ad habitum.

Probatur, quantum ad habitum. Primò; quia omnis habitus, & actus supernaturalis ordinatur ad gratiam iustificantem, & visionem beatam, cuius nulla spes relinquitur Dæmonibus. Sic N. Cyrill. Secundò; quia hostes digni sunt spoliari gratuitis, & singularibus amicitiæ priuilegijs, & Margaritæ detrahendæ sunt porcis vilissimis, & sceleratissimis.

Confirm. 1.

Tertiò; quia superfluus est ille talis habitus, cuius nullum proprium actum exercere potest. Quartò; qui

quia si de aliquo habitu dubitari posset, maximè de habitu fidei infusæ, sed neque hunc habent, tùm quia fides est substantia sperandarum rerum, ergo cui nihil sperandum est, congruè subtrahitur fides; tum quia Dęmon non potest habere piam affectionem ad Deũ, sine qua fides diuina haberi non potest, tum denique, quia fides est propria dispositio viatorum; Nam per fidem ambulamus, sed Dæmones non sunt iam viatores, igitur sunt saltim moraliter incapaces huius habitus.

2. Confirm. *Vnde, quòd ait S. Thomas, scilicet cognitionem supernaturalem non esse à Dęmonibus penitus ablatã, sed diminutam, sic intelligendum est, vt Dæmones possint recordari obiectorum supernaturalium, quæ prius reuelata sunt illis, sed hæc recordatio est merè naturalis quoad suam entitatem, & quoniam hæc cognitio imperfectior est, quàm illa, quæ est entitatiuè supernaturalis, ideò dicitur diminuta cognitio supernaturalis, id est supernaturalis obiecti cognitio naturalis.*

3650 Instabis. *Sed obiicitur locus Epistol. Iacob. 2. cap. Vbi peccatoris fides sine operibus inutilis esse probatur; Quia* Dęmones credunt, & contremiscunt, *igitur sicut fides peccatoris est supernaturalis, ita & Dæmonum, alioquin non bene colligeretur inutilitas fidei supernaturalis sine operibus.*

Respondeo, *Respondeo, paritatem esse in omnibus; sicut etiam Dæmones in via crediderunt fide supernaturali, atque vtraque fides nil illis profuit propter defectum operum, idem eueniet cuicumque fideli peccatori, qui non operatur.*

5. Conclusio. *Dico quintò prorsus ablata est à Dæmonibus cognitio supernaturalis practica pertinens ad donum sapientiæ, & speciali luce afferens suauitatem voluntati, qua efficaciter inducitur ad amorem Dei, & ad benè operandum. Hanc caecitatem mentis intellexit Diu. Gregor. 4. moral. cap. 10. & 11. cùm dixit*, Tenebras, errorem, & caliginem effusas esse Dęmoni, ex quo peccauit; *Ratio autem huius à fortiori sumitur ex fundamento tertiæ conclusionis.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum Voluntas Dæmonum sit obstinata in malo.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

Conclusio 1. Causa obstinationis voluntatis Dæmonũ in malo, non est desumenda ex grauitate culpę. Prob. quia peccata hominum, siuè magna, siuè parua, ante mortem sunt remissibilia, post mortem verò irremissibilia, & perpetuò manentia. ergo &c. 2. Conclusio. Causa obstinationis est ex conditione status naturę Dæmonum desumenda. Prob. ex differentia, quæ est inter virtutem appræhensiuam hominis, & Angeli: differt enim appræhensio Angeli ab appræhensione hominis (in hoc, quòd Angelus appręhendit immobiliter obiectum, sicut nos appræhendimus immobiliter prima principia, quorum est intellectus. Homo verò per rationem appræhendit mobiliter, discurrendo de vno in aliud, habens viam procedendi ad vtrumque oppositorum, & propterea Voluntas hominis adhæret alicui mobiliter, quasi potens ab eo discedere, & contrario adhærere. Voluntas autem Angeli adhæret fixè, & immobiliter.

Arg. 1. liberum arbitrium prius inclinatur in bonum, vnde non potest inclinari in malũ: Sed Dæmones habent liberum arbitrium. ergo. Respond. ad min. quòd Dæmones habent liberum arbitrium secũdùm modum suæ naturę; Naturæ autem Angelorum conditio est; vt post electionem habeant liberum arbitrium inflexibile, vt dictum est.

Arg. 2. Per misericordiam Dei, quæ maior est peccato Angelorum, cùm sit infinita, potest quisque à malitia in bonitatem redire. ergo. Respond. misericordiam Dei liberate à peccatis pænitentes; illi verò, qui pænitentiæ capaces non sunt, immobiliter malo adhærent, & per diuinam misericordiam non liberantur.

Arg. 3. Superbia in Dęmonibus manere non potest, quia in eis non est motiuum superbiæ, sed excellentię. ergo. Respond. Peccatum superbię manere in Dæmonibus, quantum ad appetitum, licèt non maneat quantum ad hoc, vt credant se posse obtinere.

Arg. 4. Qui per alium cecidit potest reparari; Sed Dæmones inferiores per alium ceciderunt. ergo. ma. prob. quia Greg. dicit: Quòd homo per alium reparari potest, quia per alium cecidit. Respond. quòd illa non est tota ratio, quare peccatum hominis sit remissibile, quia alio suggerente peccauit; sed hoc, quòd potest pænitere, & non habet liberum arbitrium inflexibile, dum est in hac vita.

Arg. 5. Dęmones confitentur veritatem dicentes Christo, *Scimus, quia sis Sanctus Dei*, Matt. 1. & Dion. cap. 4. de diu. nomin. dicit: Quòd bonum, & optimum concupiscunt, esse, viuere, & intelligere. ergo. Respond. in Dęmonibus duplicem esse actũ, quidam procedens à voluntate deliberata, & hic propriè dicitur eorum actus, & est semper malus, quia etsi aliquando aliquod bonum faciant, non tamen benè faciunt. Si enim veritatem dicit, eam dicit, vt decipiat, & si verum credit, hoc facit rerum euidentia coactus. Quidam verò est actus naturalis, & hic bonus est, & attestatur bonitati naturæ ipsorum, sed etiam hoc actu ad malũ abutuntur.

DISPVTATIO CCCXXVIII.

Quęnam causæ à D. Thoma recenseantur obstinationis voluntatis in Dæmonibus.

Tres causas obstinationis Dæmonum frequenter assignat S. Thomas. Prima est immobilitas apprehensionis intellectus, & adhæsionis voluntatis: Secunda est natura status Angeli existentis in termino; Tertia est subtractio diuinæ gratiæ, per quam reuocentur à malo primæ auersionis: Primam causam S. Doctor nominat intrinsecam; tertiam verò appellat extrinsecam, vt patet in q. 16. de malo art. 5. 3651 Tres causas assignat S D.

Vbi postquam dixit mutari in nobis liberum arbitrium ex causa intrinseca, & ex causa extrinseca prosequens primam partem, & ostendens liberum arbitrium Angeli ex extrinseca causa, non esse mutabilẽ, ita loquitur. Sicut immobiliter nos habemus in cognitione primorum principiorum, ita intellectus eorum, scilicet Angelorum, immobiliter se habet circa omnia, quæ naturaliter cognoscit. Et quia voluntas proportionetur intellectui, consequens est, quod voluntas etiam eorum naturaliter sit immutabilis circa ea, quæ ad ordinem naturę pertinent; Verum est autem, quod sunt in potentia respectu motus in supernaturalia, siuè per conuersionem, siuè per auersionem. Vnde hæc mutatio in eis esse potest, vt de gradu ipsorum naturę moueantur in id, quod est Probatur hę tres causæ à D. Th.

supra naturam conuertendo se, vel auertendo. Sed quia omne, quod aduenit alicui, aduenit ei secundùm modum suæ naturæ, consequens est, vt immobiliter angeli perseuerent, vel in auersione, vel in conuersione respectu supernaturalis boni. Ex parte vero extrinseca immutabiles sunt, vel in bono, vel in malo post primam electionem; quia tunc finitur in eis status viatoris. Vnde non pertinet ad rationem diuinæ sapientiæ, vt vlterius Dæmonibus gratia infundatur, per quam reuocentur à malo primæ auersionis, in qua immobiliter perseuerant; & ideo, quamuis diuersa eligant per liberum arbitrium, in omnibus tamen peccant; quia in omni eorum electione permanet vis primæ electionis ipsorum. *Et in responsione ad tertium, causam hanc extrinsecam magis declarans ait*: Deus est causa status angelorum, in quo sunt obstinati in malo, non quidem sicut causando, vel conseruando malitiam, sed sicut non impartiendo gratiam: Sic .n. dicitur aliquos indurare secundùm illud Rom. 9. cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat. *Hæc ibi S. Doctor, Quam etiam Doctrinam tradit* de ver. q. 24. art. 10. in fine corporis, additis responsionibus ad 4. & ad 16.

3652
Alij Authores has tres causas ponunt obstinationis in Dæmonibus.

Tres prædictas causas obstinationis Dæmonum recenset etiam Capreolus in respons. ad 6. argum. Scoti ex ijs, quę tertio loco producit contra secundam conclusionem in allegata quæstione 1. eamdem doctrinam sequuntur, & explicant Baanes dub 1 *& Zumel* q. 1 ua 2. *quamuis* ibi, & in q. 5. *nonnulla dicat, quę nec alijs eiusdem expositoris assertis, nec doctrinæ Diu. Thom. nec veritati consona videntur. Sed operępretium est de singulis iam dictis obdurationis causis distinctè, latèque differere, vt ex agnita veritate valeant ea, quę recentiores frustra multiplicant, & ex antiquioribus aduersarijs petita repetunt argumenta dissolui.*

Prima causa obstinationis Dęmonũ declaratur.

Est igitur obstinationis Dęmonum prima causa immobilitas apprehensionis intellectus, & adhęsionis voluntatis. Quam in duas distinguit S. Doctor de verit. q. 24. art. 10. vbi sic loquitur: Patet igitur ex prædictis, quod causa confirmationis Dæmonum in malo ex tribus dependet, ad quæ omnes rationes à Doctoribus assignatę reducuntur. Primum est, & principale diuina iustitia, scilicet subtrahens gratiam, vnde pro causa obstinationis eorum assignatur, quod, quia per alium non ceciderunt, nec per alium resurgere debent, vel si quid aliud est huiusmodi, quod ad congruentiam diuinę iustitiæ pertineat. Secundum est indiuisibilitas appetitiuæ virtutis. Vnde quidam dicunt, quod, quia Angelus simplex est, ad quod se conuertit, totaliter se conuertit, quod intelligi oportet non de simplicitate essentiæ, sed de simplicitate, quæ diuisionem potentiarum non vnius generis tollit; Tertium est intellectiua cognitio. Et hoc est, quòd quidam dicunt, quod ideò angeli irreparabiliter peccauerunt, quia peccauerunt contra intellectum Deiformem. *Hæc ibi.*

3653
Cognitio, & electio angelorum circa supernaturalia quomodo

Ad ampliorem autem huius partis euidentiã præsupposito discursu Sancti Doctoris in hoc articulo, considerandum primò est, ex D. Thom. de malo qu. 15. ar. 5. *cognitionem, & electionem angelorum circa supernaturalia modum habere cognitionis, & electionis, siuè volitionis eorum circa naturalia, quoniam omne, quod aduenit alicui, aduenit illi secundùm modũ suæ naturę, vt ibidem ait Sanctus Doctor. Quamobrem, vt hic scitè Caietanus aduertit, duabus propositionibus veluti fundamentis innititur sententia D. Thomæ. Prima propositio est: Angeli notitia, siuè appræhensio, & electio, siuè volitio est immobilis. Secunda verò est. Supernaturalis cognitio, & electio, siuè volitio conuenit Angelo per modum naturalis. Primam propositionem, quoad priorem partem probat Sanctus Doctor in textu ex conuenientia, & differentia inter appræhensionem hominis, & Angeli, vt patet; quo ad alteram verò partem probatur; quia vis appetitiua in omnibus proportionatur appræhensiuæ, &c. vt habet in litera.*

3654
Angelus non apprænhendit mobiliter discurrendo.

Cum autem in assignanda differentia inter cognitionem hominis, & Angeli, negat Sanctus Doctor, Angelum apprahendere mobiliter discurrendo de vno in aliud, de discursu loquitur non solùm in actu, sed etiam in potentia. Ideò namque cognitio, seu apprehensio alicuius intelligentis verè, & simpliciter est immobilis, quoniam, vt talis est intelligentis, nec actu terminat, nec terminus esse potest discursiuę notitię: Ideò verò discursu caret Angelorum cognitio, quia congenita naturaliter est eorum intellectibus magis, quàm intellectui nostro, proximorum principiorum notitia naturalis; vt patet ex doctrina Arist. in 2. poster. cap. vltimo; vbi modus explicatur generationis notitiæ principiorum in intellectu nostro. Cum itaq; sit Angelicę naturæ congenita perfectè notitia rerũ omnium naturaliter ab eo cognoscibilium, consequens sit, eius intellectum non solùm carere discursu tàm in actu, quàm in potentia, sed etiam vicissitudine, siuè mutabilitate ex vna cognitione, vel iudicio in alteram oppositam cognitionem, & iudicium: Ad solam enim acquirendam notitiam cognoscenti minimè congenitã necessarius videtur esse discursus, vt hic etiam aduertit Caietanus.

3655
Vis appetitiua in omnib' assimilatur appræhensiuæ.

Quoad alteram verò partem, scilicet electionem, siuè volitionem probatur in textu prima propositio; Quia vis appetitiua in omnibus proportionatur apprahensiuæ: Angelus autem apprahendit immobiliter, &c. Secunda verò propositio probatur ex principio paulò ante notato ex quæst. 16. de malo art. 5. quia scilicet omne, quod aduenit alicui, aduenit ei secundùm modum suæ naturæ, siuè, quòd idem est, vnumquodq; recipitur in aliquo per modum recipientis, atque adeò gratia, siuè donum quodcumque gratuitum, & supernaturale naturam perficit intellectiuam, & rationalẽ modo tali naturæ conformi, eodem enim modo supernaturalia cognoscimus, quo naturalia, scilicet componendo, & diuidendo, ac discurrendo, & cum iudiciorũ etiam oppositorum vicissitudine cognoscendo: cuius oppositus modus est Angelicæ substantiæ naturalis. Reliquæ duæ causæ obstinationis Dæmonum sequentibus Dubijs examinantur.

Dub. 1. An subtractio omnis auxilij ad bonũ, sit causa obstinationis Dæmonum.

Dub. 2. An inflexibilitas Voluntatis in Angelis oriatur ex eo, quòd Angelus non solùm difficilè, sed simpliciter non possit reduci, neque retractare id, quod semel iudicauit, & cui ex plena electione adhæsit.

Dub. 3. Ad quod iudicium sequatur immobilitas angeli, ad iudicium tantùm perfectum, & practicum particulare, & vltimum; an verò ad vniuersale.

Dub. 4. An sit diuersa causa obstinationis Dęmonum, quam assignat D. Th. ex conditione status, ab ea, quam affert ex immobilitate iudicij.

Dub. 5. An inconsideratio, ex qua angelus peccauit, fuerit talis, quòd omnem viam, & additum, clauserit diuinæ gratiæ.

Dub. 6. An Dęmones post electionem determinatam, maneat in sua libertate ad retractandũ, An solùm ad remanendum.

Dub. 7. Quomodo immobilitetur angelus in aliquo fine.

Dub. 8. An Dæmones, & Animæ damnatorũ, actum aliquem, aut opus naturaliter bonum, valeant operari.

DVBIVM I.

An subtractio omnis auxilij ad bonum, sit causa obstinationis Dęmonum.

3656
Concl. subtractio diuini auxilij est causa obstinationis in malo.

QVòd subtractio Diuini auxilij sit causa obstinationis in malo, difficultate caret: sicut enim posita permissione diuina, infallibile est hominem cadere in peccatum, ita continuata permissione certum est continuari peccatum, & sic denegata omni gratia ad bonum, voluntas manet affecta ad malum, & adhæsio ista continuata, est obstinatio. Nihil autẽ aliud est permis-

sio

ſio cadendi in peccatum, quàm denegatio gratiæ, & ſubtractio auxilij, dicitur enim, Deus obdurare corda, non impertiendo malitiam, ſed non largiendo gratiam, vt Auguſt. docet. Quòd autem Dæmonibus denegetur omnis gratia, omneque auxilium ad bonum, deducitur ex ratione communi hominibus, & Angelis damnatis, ſcilicet ratione ſtatus illius, qui eſt ſtatus ſummæ miſeriæ, ſtatus termini vltimi, ſtatus retributionis peccati ſecundùm rigorem diuinæ iuſtitię. Et propter rationem communem Angelis, & hominibus, etiam attenditur ſpecialis, aliqua ratio in Angelis, propter quã Deus illis ſubtrahit omne auxilium gratię.

3658 *Confir. 1. quia ille ſtatus dãnationis, vt communis angelis & hominibus, exigit ſubſtractionem omnis auxilij.*

Igitur ille ſtatus damnationis, inquantum communis eſt Angelis, & hominibus exigit ſubtractionem omnis auxilij diuini, primo quia eſt ſtatus ſummæ miſeriæ, & infęlicitatis. ſicut ſtatus beatitudinis eſt ſummæ fęlicitatis. Quę ſumma miſeria explicatur in illis verbis Iob. 10. *Vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror in habitat*, & illis ſuprà citatis Eccleſiaſt. 9. *Nec opus, nec ratio, nec ſcientia erunt apud inferos* Status ergo tantę miſeriæ, quod careat omni ordine, omni ſcientia, omni ratione, & veſtitur omni horrore, etiam petit carere omni auxilio ordinante ad bonum, & ad rationem. Secundo, ille eſt ſtatus termini vltimi, per quem aliquis ponitur extra viam. Inuia autem tenditur ad patriam, & ad beatitudinem: ergo qui ita deuiat, quod amplius non poteſt poni in via, ſed eſt in termino vltimo, & totaliter extra viam, manifeſtum eſt, quod ex vi talis termini carere debet omni auxilio ordinante, & dirigente ad patriam: omne autem auxilium ad bonum opus, eſt de ſe directiuum ad vltimum finem, qui eſt Deus, & beatitudo. Vnde dicit Sanctus Thomas *queſt. 16. de malo, art. 5.* quod *Immutabiles ſunt Angeli poſt primam electionem, vel in bono, vel in malo quia tunc finitur in eis ſtatus viatoris: vnde non pertinet ad rationem diuinæ ſapientiæ, vt vlterius Dæmonibus gratia infundatur, per quam reuocentur à malo primæ auerſionis, in qua immobiliter perſeuerant.*

3659 *Confir. 2. quia ſtatus damnationis, eſt ſtatus retributionis ſecundùm rigorẽ iuſtitię.*

Denique, quia ille ſtatus eſt ſtatus retributionis ſecundùm rigorem iuſtitiæ, conuenit, vt denegetur omnis gratia, quia per peccatum homo incurrit debitum carendi illa. Vnde hoc ipſo, quòd ponitur extra ſtatum viæ in peccato, per quod abiecit a ſe gratiam, nec amplius voluit illam, vt ſe ordinaret ad debitum finem; iuſtum eſt vt diuina Iuſtitia id exequatur, illumque omni gratia, & benedictione, ſeu auxilio ſuo priuet, iuxtà illud Pſal. 108. *Et dilexit maledictionem, & veniet ei, & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Et ita hoc reducit Diu. Th. ad diuinam iuſtitiam *in queſt. 24. de verit. art. 10. Hoc*, inquit, *iuſtitia eius depoſcit: iuſtum eſt enim, vt qui benè velle dum poſſent, noluerunt, ad hanc miſeriam deducantur, vt benè velle omninò non poſſint*, quod vtique eſt denegatio omnis auxilij ſufficientis, ſiquidem, auxilium ſufficiẽs dat poſſe. ſubdit tamen Sanctus Doctor *in calc. corporis* ſpecialem rationem habere in Angelis diuinam iuſtitiam, vt eos priuet omni auxilio gratię, quod *quia per alium nec ceciderunt, nec per alium reſurgere debent*. Eſt vero alia peculiari cauſa in Angelis pro ſua obſtinatione, quia congruit modo connaturali operandi eorum, vt quia immobiliter adhęrent ſuæ ſententię, & electioni, in qua ſemel firmantur; ideò ſemel poſita electione, & adhæſione eorum ad malum, non amplius ei detur, vnde conuertantur. Sed hoc ad cauſam intrinſecam obſtinationis pertinet, de qua ſtatim agemus.

3660 *Difficilis Obiectio.*

Inſurgit nihilominus contra hanc obſtinationis cauſam non diſſimulanda difficultas. Etenim damnati retinent libertatem ad peccandum, & de facto peccant in illo ſtatu. ergo non debent carere auxilio ſufficienti ad bonum. Patet conſequentia, quia ſi non haberent auxilium ſufficiens, non haberent potentiam ad bonum, quia auxilium ſufficiens dat poſſe: in hoc .n. cõſiſtit ſufficientia, ſi autẽ non habent potentiã ad bonum, nõ peccant in non faciendo bonum, quia ad peccandum requiritur, quod aliquis poſſet facere, & non faciat id, quod lege præceptum eſt: ſi ergo non poſſunt facere bonum: ergo non peccant in non faciendo illud, ſed ſunt neceſſitati ad malum. Ad libertatem autẽ peccati requiritur potentia ad vtrumlibet, tàm ad bonum, quam ad malum, quæ eſt libertas contrarietatis. Sine auxilio autem ſufficienti non datur potentia ad bonum. Quod ſi retinent potentiam ad bonum, ac per hoc habent auxilium ſufficiens: ergo non carent omni gratia, & omni auxilio Dei.

Et vlterius obſtinatio Dæmonum ſolùm erit carentia auxilij efficacis ad operandum detacto, non auxilij ſufficientis, quo operari poſſint, ſi velint, quod negat D.Th. *vbi ſuprà*. Et ſic non erit maior obſtinatio Dęmonum, & hominum damnatorum, quàm obduratio aliquorum peccatorum in hac vita, quibus denegatur auxilium efficax totaliter, quia nullũ opus bonum faciunt, præſertim aliquod inſignes, peccatores quia circa mortẽ nullũ bonũ opus faciunt, nec facturi præuidentur, & ſic moriuntur: ergo talibus denegatur omne auxiliũ efficax, nec tamen eorum obduratio tanta eſt, quanta obſtinatio Dæmonum. Quare difficile eſt componere libertatem damnatorum, & imputationem peccati cum carentia omnis auxilij ſufficientis, etiam ad bonum honeſtum ordinis naturalis, per quod auxilium datur ipſum poſſe. 3661 *Confirmatur.*

3662 *Aliorum 1. ſolutio Reijcitur*

Variè conantur authores hanc difficultatem diſſoluere. Quidam vt P. Vaſquez. *hic diſp 141. cap. 4.* dicunt, damnatum carere omni cogitatione cõgrua, ſeu efficaci, quæ habitura ſit aliquem effectum: hanc enim cenſet eſſe gratiam, ſeu gratuitũ donum, & indebitum, etiamſi ſit ordinis naturalis; vnde optimè potuit Deus huiuſmodi gratiam denegare damnatis; & ſic manent priuati omni operatione bona, etiam ordinis naturæ. Hæc tamen ſolutio, ſolùm denegat Dæmonibus auxilium efficax, non ſufficiens, quod eſt contra Diu. Thomam *ſuprà* citatum *qu. 24. de verit.* Et, vt bene contra ipſum Vaſquez vrget Suarez. *lib 8 de Angelis cap. 9* negatio cogitationis congruæ potius in ſententia Vaſquez. debet poni pro effectu obſtinationis, quã pro cauſa, quia iuxta dictam ſolutionem nõ negatur Angelis auxilium ſufficiens, ſed efficax, quia ſufficiens requiritur, vt imputetur peccatum: ſine ipſo enim non datur poſſe ad bonum. Auxilium autem ipſum ſufficiens in ſententia Vaſquez redditur congruum, vel incongruum, non ex ſe, ſed ex futuro conſenſu, vel diſſenſu voluntatis. Qui diſſenſus reſiſtentia eſt, & obduratio voluntatis: ergo potiùs obſtinatio, ſeu reſiſtentia voluntatis eſt cauſa incongruitatis auxilij, quàm incongruum auxilium ſit cauſa obdurationis, & obſtinationis in Dæmone.

3663 *Aliorum 2. ſolutio Reprobatur.*

Alij exiſtimant Deum denegare concurſum generalem, & ſimultaneum ipſi damnato, ne eliciat aliquem actum bonum, & ſic dici obſtinatum in malo. Non poteſt autem creatura elicere aliquam operationem denegato concurſu generali. Sed iſti, vt fatentur denegari etiam auxilium ſufficiens denegato ſimultaneo, concedunt manere. Si denegatur ſufficiens, quare recurrunt ad negationem ſimultanei, cùm ſimultaneus non det ipſum poſſe, ſed ſupponat. Et tunc reſtat illis integra difficultas, quomodo cum denegatione ſufficientis auxilij ſtet libertas ad vtrumlibet, imputeturque peccatum, ſi deeſt potentia ad bonum. ſi vero non denegatur ſufficiens auxilium, currunt difficultates allatę, nec aſſignatur obſtinatio, quæ tollat poſſe facere bonum, ſed ſolùm quæ deneg t efficax, ſeu actuale auxilium. Certe poſita potentia, & auxilio ſufficienti ad bonum, dicere, quod Deus negat concurſum generalem in perpetuum, videtur violentiam quandam inducere, ſicut ſi igni denegetur concurſus ad calefaciendum, & ad miraculum perpetuo continuatum obſtinationem illam reducere, non adconnaturalitatem illius ſtatus.

omni cognitione affectiua, & inspiratione voluntatis ad bonum, tàm formaliter, quàm in præparatione Dei oblata, non solùm difficile, sed simpliciter non possunt operari bonum, carentes omnibus viribus ad bonum.

3670 *Parum refert, an talis inspiratio sit aliquid morale, vel physicum.*

Et quidquid sit, an ista inspiratio, & affectiua cognitio, qua carent, sit aliquid morale, vel physicum, tamen illud tale est, quòd sine ipso simpliciter non possunt, & non solùm difficile. Vnde cauenda est æquiuocatio illius termini *moraliter* quando dicitur, quòd moraliter non possunt operari bonum, benè tamen physicè. Si enim intelligatur per ly *moraliter*, quòd non possunt morali, idest, ordinario, & facili modo, possunt tamen aliqualiter, licèt difficile negandum est, quòd solùm moraliter non possint, prout ly *moraliter* opponitur huic, quod est simpliciter, quidquid sit de morali, vt opponitur physico, sed dicendum est, quòd simpliciter non possint, sicut dicitur contra Pelagium, quòd simpliciter sine gratia non possumus facere bonum, quidquid sit, an illa gratia morali modo moueat, vel physico.

DVBIVM II.

An inflexibilitas voluntatis in Angelis oriatur ex eo, quòd Angelus non solùm difficile, sed simpliciter non possit reduci, neque retractare id, quod semel iudicauit, & cui ex plena electione adhæsit.

3671 *Concl. affirm. angelus per electionem positā circa aliquod obiectum, non potest iuxta suum modum connaturalem operandi, retractare.*

Conclusio est affirmatina; Ita communiter discipuli D.Th. Dicimus ergo, quòd angelus per electionem, seu resolutionem positā circa aliquod obiectum, non potest iuxta connaturalem suum modum operandi, retractare, seu mutare iudiciū, seu affectum, & adhæsionem ad tale obiectū, quod est ex modo suo connaturali manere inflexibilem, & simpliciter, non posse conuerti. Ad quem modū sic connatnraliter procedentem consequitur, quòd iuxtà illum, non debetur Angelo, sic peccanti, & inflexibiliter adhærenti aliqua gratia, vt conuertatur, quod est manere obstinatum in malo, & iuxta suam pessimam dispositionem omni gratia priuari. Antequam verò angelus resolutiuè eligat, seu adhæreat alicui parti, se mouendo, & ordinando ad illam, potest mutare iudicium, & voluntatem. Assertio hæc docetur clarè quoad vtramque partē à D. Thom. *in hac q.64. art. 2. & q.16. de malo a. 5. & q.24. de verit. a.10. & 4. contra Gentil. c. 95.* & videri etiam potest *in 2. de Anibald. dist. 7. q. 1. a. 2. & in alijs sententiarijs, ibidem.*

In quibus omnibus locis reducit hanc immobilitatem D.Th. ad vnum principium, scilicet, quia naturalis modus procedendi in Angelo est modus ita perfectus, & comprehensiuus, quòd codē actu, & tendentia, qua fertur in principia, fertur in conclusiones, & qua fertur in fines, fertur in media. Vnde si resolutiuè adhæret conclusionibus, & medijs tanta immobilitate fertur in vnum, sicut in alterum, quia indiuisibili, & vnica tendentia: ergo tàm impossibilis est, in angelo resolutoriè, & determinatè procedente reuersio, & retractatio conclusionum, sicut principiorum, mediorum, quàm finium. Ergo sicut nos immobiliter habemur in actu synderesis circa principia practica vniuersalia, & in voluntate circa finem in communi, sic se habet angelus respectu omnium eorum, quę sub fine in communi continentur, quando vult determinatè, seu resolutiuè, & per electionem se habere erga illud.

3672 *Nota 1. Immobilitas ista consistit in immobilitate actus, non quo ad exercitium, sed quo ad specificationem.*

Et pro huius explicatione aduerte, quòd Immobilitas ista, & inflexibilitas Angeli non consistit in immobilitate actus quoad exercitium, sed quoad specificationem. Nec enim Angelus, quādo aliquid determinatè eligit, ita necessitatur quo ad exercitium, quòd non possit vnquam cessare ab illo actu, sicut beatus in actu amoris Dei. Non hoc dicimus, neque hoc est necessarium ad rationem inflexibilitatis, & irreducibilitatis, sed solùm dicimus, quòd illud motiuum, quo determinatè eligit, non potest mutari in Angelo in contrarium, sed manet, quoad illud, ita immobilitatus, sicut circa ipsū finem, & bonum in communi, quia eo tanquam motiuo indiuisibili vtitur, & extenditur ad determinandum, & resoluendum se circa id, quod eligit. Secundò aduertè, quòd hęc inflexibilitas in Angelo non dicitur ex natura ipsa sic conuenire, quòd nec de potentia absoluta tolli possit à Deo, & conuerti voluntas Angeli ad oppositum eius, quod semel voluit: hoc etiam nullo modo dici potest in sententia Diui Thomę, qui expressè fatetur posse Deum mutare voluntatem angeli peccantis in bonum: dicit enim sic *in q.16. de malo a.5. ad 13.* quòd *Mouere voluntatem solus Deus potest, qui etiam secundum absolutam potentiam posset mutare voluntatem Dæmonis in bonum, sed tamen hoc non congruit naturæ ipsius, vt dictum est.*

Quare inflexibilitas ista in angelo solùm intelligitur secundùm modum naturalem operandi ei⁹, quia ita indiuisibili modo tendit in finem, & in ea, quæ ex fine eligit, & determinatè vult, quòd non alia, nec minori immobilitate adhæret fini, quàm medijs, seu ratione formali tendendi ad finem, & rei illi, quam accepit pro fine. Et generaliter loquendo omnis determinatio, & adhæsio angeli, siuè in intellectu, siuè in voluntate ex ipso naturali modo operandi, immobilis est, quia modo immobili fit, idest, eadem indiuisibili tendentia, & cōpræhensione, qua fertur in principia, vel in finem. 3673 *Angelus non minori immobilitate adhæret fini, quàm medijs.*

Denique aduertendum est, quòd angelus in his, quę iudicat, aut vult, aliquando procedit cum plena determinatione, & compræhensione, aliquando non, sed ductus coniectura aliqua, & in re non plenè à se cognita. Tunc autem dicitur procedere cum plena determinatione, & resolutione, quando circa aliquid procedit ex aliquibus principijs sibi euidenter, aut certò cognitis, ratione quorum conuenit sibi compræhensiuè procedere, & attendendo ad omnia, quæ possunt conuenientiam rei proponere, aut ab ea retrahere. Principia autem euidenter Angelo cognita sunt principia naturalia, quantum ad lumen naturale, & principia certo cognita, sed non euidenter sicut principia supernaturalia fide diuina cognita, quibus adhæret Angelus ex gratia supernaturali, si vult vti tali lumine, sed si non vult illo vti, sed ex adhæsione ad naturalia principia, quæ euidenter cognoscit, & compræhensiuè, & vult recusare supernaturale lumen, & ab illo se subducere, non quidem dissentiendo, aut reputando falsas res fidei, sic enim esset hæreticus, sed non regulando per fidem suas actiones, talis adhæsio cum recusatione rei superioris est plenè determinata, & recusatio illa plenè volita, quia consequitur ex adhæsione facta ad rem naturalem compręhensiuè in suis principijs cognitam: tunc autē iudicium angeli non est plenè determinatum, neque ex adhæsione, & consequenter reuertibile, quando non ex principijs, quæ cognoscit euidenter, & compræhensiuè, sed ex quibusdam coniecturis, aut alijs effectibus non plenè manifestantibus causas iudicat aliquid, aut sentit; & sic etiam vult, sicut sentit. Hoc enim iudicium, sic formatum ex talibus principijs non est firmum; & sic non facit adhesionem, nec inflexibilitatem inducit. 3674 *Nota 2. Quòd angelus in his, quæ iudicat, aut vult, aliquando procedit cum plena determinatione, aliquādo non.*

Et hoc ita ponendum esse in angelis patet ex doctrina Diu. Thomæ, quà docet inter angelos etiā bonos posse esse pugnam, & discordiam, non voluntatum, sed opinionum, quatenus secundùm contraria merita, vel demerita iudicant diuersimode aliquid conuenire, non cognoscendo super hoc plenè diuinam voluntatem, quam tamen consulunt, & iuxta eius instructionem concordantur, vt docet *infra q. 113. a. 8. & in 2. dist. 11. qu. 2. art. 5.* Et sic necesse est alterum eorum, vel vtrumque mutare iudicium, si antè erant discordes, & post consultam Dei voluntatem concordantur. Nec tamen aliquis eorum taliter, etiamsi discordes sint, inquit 3675 *Inter angelos bonos, & malos potest esse pugna Opinionum, non affectuum.*

Diu.

3 Euasio.

Secunda posse vti illa cognitione principiorum, non adæquatè, & comprenſiuè, ſed inadequatè, & modum ſecundùm iſtud obiectum, modo ſecundũ illud: nec enim ſemper vtitur adæquatè qualibet ſpecie, & attingendo omnia, quæ tali ſpecie repræſentari poſſunt, vt etiam D. Thom. concedit: ergo poteſt vti aliqua ſpecie, ſeu principio ad cognoſcẽdam vnam veritatem, quantũ ad aliquid, & poſteà quantum ad aliud, ſic nõ omnia motiua modo cõſiderare, & poſteà conſiderare illa, & ſicut variari, aut creſcere poteſt cognitio in motiuis, ita & poſſunt variari affectus. Vnde etiam cogitationes angeli volubiles ſunt, & habet diſcurſum ſucceſſiuũ, eſto, non habeat cauſalem, ſufficit autem ſucceſſiuus diſcurſus, ſeu mutatio cognitionũ, vt poſſit mutari volũtatẽ, quia hęc non tã dependet ex diſcurſu formali, & cauſali, quàm ex ſucceſſiuo, quo diuerſa obiecta, vel motiua manifeſtantur, ex diuerſa autem manifeſtatione mutatur voluntas; & ſic poteſt nouo modo obiecta conſiderare, & ab eo, quòd voluit ſemel reduci, & reuerti.

3681 *4 Euaſio.* Tertia, quòd angelus peccauit ex inconſideratione alicuius; quod conſiderari debebat, vt docet S. Thomas *ſuprà q. 63. art. 1. ad 4.* cùm peccatum neceſſariò contingat ex defectu dictaminis, ſeu conſiderationis. Si autem peccauit angelus non conſiderando: ergo ſi iterum conſideret, poteſt oppoſitum velle: Si enim voluit peccatum ex conſiderationis defectu, ſublato tali defectu poterit ceſſare à peccato, & oppoſitum velle. Poſſe autem Angelum de nouo conſiderare id, quod conſiderare deſijt, quando peccauit, certum eſt, quia facultatẽ habet ex parte intellectus, lumenque ſufficiens, & ſpeciem ex parte obiecti, cùm nihil horum amiſerit per peccatum, & ſic nullum principium ei deeſt ad conſiderandum id, quod conſiderare omiſit, præſertim quia ſuo iam malo edoctus, benè poteſt conſiderare quantum errauit in peccando, & recedendo à Deo.

3682 *2. Euaſio Præcluditur. quia hic ſupponendũ eſt, angelum circa principia non diſcurrere, neque ſupernaturalia.* Cæterum ſolutiones iſtæ nihil eleuant fundamentum D. Thomę. Non prima, quia angelum non diſcurrere, ſed comprænhenſiuè procedere, & ſimplici actu attingere principia, & res contentas ſub principijs, ſupponendum hic eſt, non probandum, vt Diu. Thomas etiam ſupponit, reliquitque probatum *ſuprà quæſt. 58.* Et quidquid ſit de diſcurſu, quem aliqui attribuunt circa ſupernaturalia, tamen conſtat in his, quę naturaliter cognoſcit compræhenſiuè procedere, & ſine diſcurſu, aliàs non eſſet eleuatior, & perfectior intellectus angeli, quàm hominis ſi diſcurſu vtitur, quo homo intelligit. Quòd ſi in modo naturali intelligendi, & circa naturalia principia procedendo, ſine diſcurſu cognoſcit, etiam in ſupernaturalibus ſic procedet, quia lumen ſupernaturale accomodatur modo naturali intellectus, cui infunditur, nec deprimit modum intelligendi, & inferiorem facit, ſed eleuat.

3683 *Inſtabis.* Quod vero dicitur non tota immobilitate adhęrere, & tangere concluſiones ipſas, ſicut principia, media ſicut fines.

Reſp. angelum eadem firmitate, & immobilitate fertur in principia, & concluſiones. Reſp. quòd eadem prorſus immobilitate, & firmitate fertur in vtrumque, quia eodem actu, & tẽdentia, ſed non æque immediate, ſed ordine quodam, eo quod cõcluſiones ſe habent ex parte obiecti, vt dependentes à veritate principiorum, & appetibilitas eorum, quę ſunt ad finem ex appetibilitate finis, ſed tamen ex parte actus, & efficaciæ motiui attingentis in vtrumque eadem immobilitate fertur, quia eadem tendentia compræhenſiua vtriuſque, non te ndentias diuidendo. Quod verò dicitur de libero, & neceſſario. Reſp. quod actus ille erga finem eſt neceſſarius quoad ſpecificationem, non quoad exercitium, & ita poteſt compræhendere media circa, quæ verſatur liberè, etiam quoad ſpecificationem: Sufficit enim, quòd eſt liber quoad exercitium, vt non ſit neceſſarius ſimpliciter; & ſic identificabit ſibi liberum exercitiũ circa media, nec ab illo diſtinguetur ratione neceſſitatis. In viſione autem Dei, actus erga finem clarè viſum eſt neceſſarius quoad exercitium, & reſpectu obiecti creati eſt liber, ſed hoc eſt propter eminentiam illius actus identificantis illas duas rationes reſpectu diuerſorum.

Nec ſecunda ſolutio quidquam obſtat: Fatemur poſſe Angelum vti inadęquatè principijs reſpectu aliquarum concluſionum, aut ſpeciebus reſpectu obiectorum, quæ repræſentant: fatemur etiam dari in Angelo diſcurſum ſucceſſiuum, & intelligere vnum poſt aliud; negamus tamen hoc poſſe quidquam conducere ad retractionem, & flexibilitatẽ liberi arbitrij ſemel determinati, & ex plena determinatione eligentis, quia ad retractationem non confert quidquam ſucceſſio, & diuerſitas cognitionum, aut inadęquatè attingere diuerſa obiecta, quia totum hoc eſt reſpectu diuerſorum, quorum vnum cognoſcitur poſt aliud, ſed ad retractationẽ ſolùm conducit noua, & diuerſa cognitio circa idẽ obiectum, quia ſcilicet meliùs, aut diuerſo modo apparet nunc, quàm ante, quòd ſolùm poteſt contingere, quãdo nouo lumine illuſtratur, aut aliquid nouum, quod de illo ante latebat, nunc apparet: Si .n. tale obiectum nõ nouo modo conſideratur, ſed id, quod per cognitionem ſuccedentem cognoſcitur eſt diuerſum, nihil omninò conducit ad mutãdum dictamen circa prius obiectum. *3 Euaſio Præcluditur. quia diſcurſus ſucceſſiuus angeli non conducit ad retractationem, & flexibilitatem.*

3685 *Angelo non poteſt de nouo manifeſtari obiectum illud, circa quod ſemel reſolutoriè deliberauit.* Non poteſt autem Angelo manifeſtari de nouo obiectum illud, circa quod ſemel reſolutoriè, & determinatè deliberauit, aut ſaltem connaturali modo ad naturam Angeli id non poteſt fieri: tàm ex generali ratione, quia angelus quando plenè deliberat, præſertim in re tàm magni momenti, tota attentione conſiderat, & compręhenſione ſua vtitur: multò enim perfectius procedit Angelus in deliberatione graui, quantum eſt ex natura ſua, quàm quilibet cordatiſſimus, & ſapientiſſimus homo, cùm ſit altior, & perfectior eius natura, modoque procedendi, homo autem ſapiens non procedit ad reſolutionem rei magnæ, niſi attentis omnibus, quæ facultati eius poſſibilia ſunt: multò ergo minus Angelus, qui per naturam habet ſuperiorem ſapientiam, & lumen, quàm quilibet homo per induſtriam poſſit acquirere: tùm in ſpeciali circa hoc negotium deliberandi de ſuo fine vltimo proceſſit angelus cum plena cognitione totius cauſæ, quantum eſt ex parte veritatis cognitę, vt dicemus contra tertiam ſolutionem, licèt defectuoſè ſe habuerit in affectiua cognitione; & ita circa illud obiectum, ad quod determinauit, nihil ei reſtat cognoſcendum, nec reliquit viam, qua poſſit illuminari de alio motiuo retrahente, ſed ipſi claudit virtutem inſpectiuam ab omni conſideratione boni, vt ex D. Dionyſio *4. cap. de diuinis nominibus,* & Diu. Thomas *ibi lec. 19. ſuprà* dicimus, quòd etiam repetit *in 2. diſt. 7. q. 1. art. 2. ad 3.* Itaque Angelus cùm deliberauit in peccando circa finem, eodem indiuiſibili, & ſimplici actu conſiderauit bonum, & excellentiam propriam compræhenſiua, & plena cognitione ex ſuis naturalibus principijs, & recuſauit, ſeu excluſit à ſe ſupernaturale lumen, claudens inſpectiuam virtute à bono, & nolens per illud dirigi, ſed in ſua propria excellentia, & naturali cognitione remanere.

3686 *Excluſio luminis ſuperioris, fuit vna ex cõcluſionibus ſub principijs eius contenta.* Vnde ipſa excluſio luminis ſuperioris, fuit vna ex concluſionibus ſub principijs eius contenta, & ad quam ex fine ipſo volito ſe determinauit; & ſic ex conſequenti præcluſit viam omni remedio, & omni motiuo conuerſionis ad Deum ad modum eorum, qui peccant in Spiritum Sanctum, qui ex ipſo genere, & obiecto peccati ſe opponunt gratiæ, qua Spiritus Sanctus eos mouet ad conuerſionem, & remiſſionem peccati, ideoque ſi tales aliquando ſanantur, qui miraculoſè ſanantur, vt docet Sanctus Thomas 2. 2. *quæſt. 14. art. 3.* Hoc ergo, quod ex ſuo obiecto habet peccatum in Spiritum Sanctum habet ex parte ſubiecti peccatum ſuperbiæ in Angelo, quia ita fertur in propriũ bonum, & excellentiam, tanquam in finem, quod ſine aliquo diſcurſu, ſed compræhẽſiuo modo fertur,

KKKK tur,

tur in finem in cõmuni,& in talem determinatum finem, & ex eodem motiuo, & immobili,ac firma tendentia accipit conclusionem,seu quid consecutum non subijci fini bono,& recusare beatitudinẽ seu supernaturale lumen, quo, sibi oppositũ manifestaretur. Vnde cùm ista recusatio,& exclusio, quę suam inspectiuam virtutem claudit, à lumine cœlesti sit accepta ab angelo, eadem tendentia, & actu, quo ipsa principia videntur eodemque motiuo, quo ipse finis in communi, ideò nec ex proprio modo operandi ex principijs suæ naturę, neque ex amissione luminis supernaturalis, quòd eadem immobilitate excludit, est naturali modo reducibilis,sed solùm de potentia absoluta Dei per magnum miraculum vincens naturalem illum modum operandi.

3687 *4. Euasio Præcluditur illa angeli inconsideratio non fuit inuoluntaria, sed fuit volita, præuisa, & cognita in sua causa, & cum sua causa.*

Denique tertia solutio nihil obstat, quia inconsideratio illa angeli nõ fuit inuoluntaria,& ex qua ignorantia voluntatis, & motiuorum orta, sed fuit volita,& pręuisa,& cum cognitione causę,& totius veritatis affectata, & hæc est peior inconsideratio in genere practicò, & prudentiali:tunc enim peius errat practica vis in genere prudentiali, quando magis sciens peccat,& cũ maiori notitia, & sciens volens claudit oculos à superiorioni lumine, quia tunc excusationem vllam non habet. Itaque speculatiua consideratio, & notitia quando quis ea abutitur, magis conducit ad inconsideratione practicam,& errorẽ prudentialem, & abundantia speculationis magis irremediabilem facit inconsiderationem practicam.tunc.n. peius erratur,quando quis sciens errat.& auertit se à via: & tunc inconsideratio illa est irreducibilis, quia est ex contemptu ipsius veritatis, & motiuorum per quę posset reuerti.

3686 *Inconsideratio non ex parte veri, sed ex parte boni, dicitur, quia est minus affectiua ad bonum.*

Dicitur autẽ inconsideratio,nõ ex parte veri,sed ex parte boni, quia est minus affectiua ad bonum, & quátò plus cognoscit de obiecto,magis vult auertere aspectum ab eo,quòd in ratione boni mouere,& conducere potest, si autem quis cognoscẽdo rem ipsam ex affectu tamen ad proprium bonum,firmatur in excludendo a se cognitionem, vt affectiuam ad aliud bonum,fit irreducibilis, sicut in peccatis contra Spiritum Sanctum,& si hoc excludat ex ipso connaturali modo procedendi, quia indiuisibili,& simplici modo procedit in determinando se, & compręhensiuo modo erga finem, & media, principia, & conclusiones, naturaliter est inflexibilis, & solùm de potentia Dei absoluta immutante naturam in suo naturali modo procedendi, potest reuerti. Angelus autem non peccauit ex infirmitate, aut ignorantia, sed ex certa scientia, & summa malitia, nec in recusando,& excludendo à se obedientiam ad supernaturalem ordinationẽ, & finem, se habuit ignoranter, sed cum cognitione causæ voluit illam recusare, & totaliter illi non subijci: nam circa hoc fuit tota pugna inter bonos, & malos Angelos, dum erant in via,& ipse Diabolus benè videt alios Angelos sequi oppositũ,& velle subiectionem in supernaturalibus ipsi Deo,& cõsequi ex eius beneficio gloriam, quod tamen ipsi recusabant.

3689 *Angeli nõ peccauerunt ex inconsideratione ignorantia, sed ex inconsideratione malitia.*

In hoc ergo non peccauerunt ex inconsideratione ignorantiæ, sed ex inconsideratione malitię, & voluntaria, vt Sanc. Thomas Docet *loco suprà citat. lect. 19. in cap. 4. Dionysij* Et talis inconsideratio non est reducibilis, quando oritur ex modo operandi subiecti, quia non est ex defectu considerationis obiecti, vt veritas est, sed ex defectu considerationis, vt boni, seu vt afficientis, vt S. Th. *cit. loco*. Et quia hoc ipsum, quòd est excludere hanc considerationem boni, vt bonum,& recusare lumẽ supernaturale, per quod oppositum sibi poterat sic manifestari, vt afficeret voluntatem, accipit Angelus, tanquam pertinens ad ipsum finem, & ad propriam excellentiam, quam appetit, volens illam sine subiectione ad gratiam, & beneficium speciale Dei, Ideo circa talem determinationem remanet naturaliter irreducibilis,quia eadem immobilitate qua finem vult, claudit omnem viam considerandi, & admittendi supernaturale lumen,quo posset reduci, quatenus illi subijci non vult,& hoc non velle subijci, est pars finis ab eo immobiliter volitl. Vnde hęc est summa eius inconsideratio in re practica,& in ratione boni, vt affectiui,quę non potest tolli per aliquid de nouo consideratum in ordine naturali, quia totum vidit, nec in ordine supernaturali,quia claudit ab eo lumina oculta cęcitate orta ex comprahensiuo,& indiuisibili modo tendenti in propriam excellentiam. Et de hac inconsideratione malitiæ, intelligenda sunt, quæ disp. præcedentibus, diximus, de inconsideratione Angeli peccantis.

DVBIVM III.

Ad quod Iudicium sequatur immobilitas Angeli, ad iudicium tantùm perfectum, & practicum particulare, & vltimum, an verò ad vniuersale.

Notandum est primò duplicem esse appręhensionem, & iudicium Angeli: alterum imperfectum, & incompletum, alterum vero perfectũ, atque completum: Quæ differunt, quia perfectum, completumque iudicium plenam exigit in puro viatore nondum in gratia confirmato libertatem, non solùm adhoc, & illud appetendum,& operandum, sed etiam ad bonum, & malum eligendam, aut amandum: si vero sit viator ad bonum, solùm determinatus, nec tamen in gratia confirmatus, non erit perfectum de bono diligendo, aut eligendo iudicium: Poterit tamen etiam ex alia causa incompletum esse iudiciũ in Angelo minimè viatore, siuè bono, siuè malo,nimirum ex imperfecta rei, de qua iudicandum est, cognitione, vt patet in Dæmone modò Christi mortem procurante, modò Dissuadente, & in duobus Angelis apud Danielem, quibus diuersorum populorum cura fuerat demandata pugnantibus, ac de diuina voluntate contraria, vel imperfectè iudicantibus, vel saltem incerta, dubiaque cognitione fluctuantibus. 3690 *Duplicem esse iudicium Angeli alterum perfectum, imperfectum alterum.*

3691 *Nota 2. Pro iudicio prefecto intelligitur etiã illud, quod positum est, in perfecta delibe ratione operantis.*

Perfectè verò apprahensionis, aut iudicij perfecti nomine non est solùm apprahensio, & iudicium intelligendum, quòd in actu secundo perfectum est; quale fuit iudicium bonorum Angelorum in instanti secundo, sed illud etiam,cuius perfectio posita est in plena, perfectaque libertate, & facultate iudicantis, licèt non sit actu perfectũ, sed deficiens ob liberum voluntatis defectum,quę, cùm potuerit, ac debuerit virtutem intellectus splendidissimam ad omnium conditionum,& circonstantiarum obiecti considerationem applicare, vt ex illis omnibus cumulatè sumptis, ac plenè perpensis iudicium ferret, vim ipsam intellectiuã in vnius præcipuę circonstantiæ,puta finis considerationem deficientem, impulit in iudicium, atque ita semet ipsam, etiam medio intellectu mouit ad eligendum inordinatè, sicut accidit malis Angelis, vt patet *in quæst. præcedente*: vt ergo sit completum in puro viatore nondum in gratia cõfirmato, de re aliqua diligenda, vel eligenda iudicium, duo sunt ei quàm maximè necessaria, scilicet plenitudo iam dicta libertatis, & perfecta, idest certa, ac minime dubia de re diligenda,aut eligenda,cognitio, vel actualis, vel quæ posita sit in pęna, perfectaque facultate iudicantis. Et quoniam, vt ait S. Doctor in textu vis appetitiuã in omnibus proportionatur apprahensiuæ, eædem erunt omninò necessariæ conditiones, vt sit completa dilectio, vel electio. Cùm itaque dicimus apprahensionẽ, siuè iudicium, & electionem esse immobilem, de iudicio,& electione perfecta sermo est in sensu iam dicto: Quæ etiam intendisse videntur Capreolus, Caietanus, Ferrariensis, & alij recentiores Thomistæ, sicque perfectum iudicium, quod scilicet nec fuit, nec potuit esse perfectum,quale fuit iudicium dæmonis in passione Christi, & Angelorum apud Danielem. 3692 *Iudicium in puro viatore de re aliqua eligenda, duo exigit, & plenitudinem libertatis, & cognitionẽ non dubiam.*

Tertio

3693 *Nota 3. Quod notitia est duplex, altera speculatiua, practica altera.*

Tertiò sciendum est duplicem esse notitiam; alteram speculatiuam, & alteram practicam. In speculatiua cognitione tria consideramus. Primum est vsus, siuè applicatio vnius, vel plurium specierũ ad intelligendum, & hęc posita est in facultate libera voluntatis, vt patet ex supradictis de cognitione angelorum: sciendum est appręhensio, & Iudicium, quòd ex applicatione cõsequitur, & hoc nullam habet à voluntatem dependentiam, sed perfectionem habet sibi naturaliter congruentem iuxta mensuram, siuè proportionem intellectiuæ virtutis, ac repræsentationem specierum, quæ simul cum intellectu principia sunt intelligendi. Tertium est immobilitas, quæ in eo posita est, vt intellectus pręsertim angelicus, de quo loquimur, applicatus ad intelligendum, & iudicandum, idem semper de eodem obiecto iudicium proferat nam & si mutari possit obiectum, actus circũstantiæ, ac proinde tunc mutari necesse sit iudicium quasi materialiter, vt sit rei nunc aliter, quam prius existenti, conforme, formaliter tamen, idest in ordine ad idem obiectum, inuariabile semper est; exempli gratia, Luna existente in tali oppositione respectu Solis iudicat intellectus eam ecclipsari, sed post horam oppositione remota iudicabit eam nõ ecclipsari, non tamen variabitur formaliter intellectus iudicium, qui non est idem vtriusq; iudicij; obiectum enim primi iudicij est Luna existens in tali oppositione, obiectum autem secundi iudicij est Luna remota à tali oppositione, vt autem sit immobile iudicium intellectus creati, non exigitur, vt res mutari non possit, sed vt re immutata manente, aut considerata secundùm eãdem rationem, & conditiones, siue circũstantias, idem de ea feratur ab intellectu iudiciũ, siuè illud sit practicum, siue speculatiuum.

3694 *Immobilitas iudicij Dæmonis fuit talis eligibilis, non talis Possibilis, nisi negatiuè.*

Ex hoc elucet immobilitas illius iudicij Dæmonum, ex quo sequuta est electio peccaminosa, fuit enim illud iudicium talis Eligibilis, non vero talis Possibilis, nisi negatiuè quia scilicet appetitam excellentiam non iudicauit impossibilem: quamuis autem nunc Dæmones excellentiam illam sibi iudicent impossibilem: ideò tamen mutatum est eorum iudicium, quia nulla in eis facta est mutatio de iudicio positiuo in iudicium positiuum, & multo minus de vno opposito iudicio in aliud oppositum; & perseuerat in eis idem iudicium de eadem excellentia sibi concupiscenda, aut eligenda. Iudicant enim Dæmones omnes eligendam, vel appetendam esse sibi propriam excellentiam absq; ordine, siue recursu ad diuinam misericordiam supernaturalem, ita vt negatio illa debiti ordinis, siuè recursus non sit conditio se tenens ex parte obiecti, cum eo scilicet appræhensa, & volita, sed sit tantum modus electionem concomitans, & incõsiderationem consequens; quæ inconsideratio, licèt non sit in Dæmonibus speculatiuè, eorum tamen Iudicium practicum vltimum semper concomitatur, atque ita manere dicitur in eis effectiuè; semper enim suam illam appetunt excellentiam cum illo defectu considerationis in iudicio practico: quia non solùm affectio illa, sed etiam iudicium illud practicum cum sua conditione, & defectu iam factum est Dæmonibus naturale; cuius radicem in quinto notabili proferemus.

3695 *Practica notitia est duplex, quędam vniuersalis, quę cõsiderat bonitatem obiecti cũ omnibus circumstantijs.*

Practica vero notitia duplex est: Quædam vniuersalis, quæ bonitatem obiecti considerat cum omnibus circumstantijs, ad eius bonitatem concurrentibus, & hęc in omnibus angelis, tàm bonis, quam malis non minus perfecta fuit, quàm speculatiua cognitio: Nam practica simul, & speculatiua scientia fuit Angelis indita, cùm sit vnus in eis habitus speculatiuus eminenter, & practicus: Cùm itaque sit hęc angelo notitia naturalis, omni voluntatis eius actu libero priorem esse necesse est; nec tamen ab ea sola pendet immobilitas voluntatis, vt minùs considerate dicunt Bannes. Dub. primo, & Zumel *q. 3 ad secundum argumentum*: alioquin, vel omnium angelorum electio recta fuisset, vel, si mala fuisset, ex defectu notitiæ practicæ in particulari corrigi, & emendari facilè potuisset; quoniam ex eo particulari iudicio non esset immobilis, cùm tamen ex eo sit hæc electio particularis, & non ex iudicio practicæ cognitionis vniuersalis.

3696 *quędam notitia practica, & particularis, quæ considerat obiectum, & modum, quem hic, & nunc debet operari voluntas*

Quędam igitur est notitia practica particularis, quæ non solùm intuetur obiecti bonitatem cum circumstantijs ex parte obiecti se tenentibus, sed etiam modum, quem hic, & nunc debet obseruare voluntas in eligendo. Hæc itaque notitia, siuè iudiciũ nõ fuit in angelo præuaricatore perfectum, si de perfectione sermo sit in actu secundo, sic .n. nullus angelorum vnquam peccasset, perfectum tamen illud appellant Capreolus, Caietanus, & alij perfectione non actuali, sed possibili ex plena perfectaque libera facultate, qua potuerunt Angeli bonitatem obiecti cum omnibus circumstantijs, & modis hic, & nunc illi congruentibus considerare, & certam, ac indubitatam eius rectitudinẽ intueri, & secundùm eam eligere. Sed quia liberè considerationem circumstantię finis omiserunt, ideò grauissimè peccauerunt.

3697 *Nota 4. Quòd proxima electionis, siuè volitionis regula est, notitia, siuè iudicium practicum.*

Quartò considerandum est, proximam electionis, siuè volitionis regulam esse notitiam, siuè iudicium practicum vltimum; ex cuius rectitudine, vel obliquitate, siuè defectu recta dicitur, aut obliqua, siuè deficiens electio voluntatis. Sed dicunt Bannes, & Zumel appræhensionem, siuè iudicium hoc particulare regulam quidem esse operationis ad ipsum consequentis, non tamen esse regulam simpliciter loquendo voluntatis, eo quòd tale iudicium pendet à voluntate: Quę ratio nullius est omninò valoris; nam, et si pendeat iudicium illud quo ad exercitium ab actu voluntatis, ab eo tamen è contra dependet actus voluntatis, quoad specificationem, ex qua sola conuenit vni actui ratio regulæ respectu alterius; Regula namque exẽplar est, vnde species, & forma desumitur exemplati; constat autem obiectum ab intellectu voluntati proponi, vt extrinsecam eius formam, & rationem agendi, & veluti finem, exemplar, & regulam operandi, ex qua speciem nõ solùm naturalem, sed etiam moralem trahit operatio voluntatis. Cũ autẽ actio voluntatis hic, & nunc elicita, vt hæc electio est, ex sola deriuari nequeat appręhensione, siuè Iudicio practico vniuersali, necesse est prius natura saltem, & in ordine suæ causalitatis in intellectu iudicium practicum formari particulare dictãs bonum hoc, hic, & nũc esse diligendum, aut eligẽdum. Quod autem à voluntate moueatur quoad exercitium intellectus ad tale iudicium, impertinens est, & merè per accidens in re præsenti; quia ratio regulæ, sicut ex tali motione non sumitur, ita nec ex tali motione passiua tollitur ab eo intellectus iudicio particulari. Quomodo vero se se inuicẽ moueant, & mouendo præueniant actus intellectus, & voluntatis; explicauimus satis accuratè supra q. 19. art. 10.

3698 *Corollarium. immobilitas conuenit iudicio practico per se primò.*

Ex dictis sequitur aduersus prædictos expositores, immobilitatẽ iudicio practico vltimo conuenire per se primò, & per illud voluntati: non .n. duo sunt hic iudicia realiter distinctè propriè computanda, quorum alterum sit vniuersale, & alterum particulare, sicut nec in socrate diuersus est homo realiter ab hoc homine, sed in vnius completi singularis constitutione conueniunt; sic itaque iudicium vniuersale practicum præcedens electionem hanc, non est aliud realiter à particulari iudicio practico de hoc eligendo nunc &c. sed ad vnum concurrant integrum voluntatis obiectum, & act' huius regulam vnam perfectam constituendam.

3699 *Petes.*

Petes. *Cur Angelo peccanti fiat eius affectio mala naturalis, & an obstinatio aduersetur omni modo libertati.*

Resp. Notando differentiam inter corpoream, & spiritualem naturam.

Resp. Notando differentiam esse inter corporeã, & spiritualem naturam, quod natura corporea vni' est tantùm generis determinati, & ideo nihil potest fieri illi naturale, nisi corrupta pęnitus eius natura, sicut aquæ nõ potest calor effici naturalis, nisi

corrumpatur aquæ natura, siuè species, & in ignis, aut aeris naturam transferatur, quo fit, vt ab extrinseco calefacta ad suã reuertatur naturam, siuè dispositionem remoto prohibente. Natura verò spiritualis, siuè intellectualis secundùm se indeterminata est, & omnium capax. Vt enim ait Arist. *in 3. de Anima text. 37.* anima est quodamodo omnia scilicet in potentia; per intellectum enim rerum omnium naturas secundùm esse intentionale recipientem, transformatur in omnia secundũ esse intelligibile,& p voluntatẽ bona realia,vel apparentia diligentem rebus ipsis amatis ita copulatur, vt in earum transeat vnitatem, & illæ fiant intimæ diligenti vt *superius explicauimus q. 27. a. 3.*

3700 *Intellectualis natura per actum amoris vnum efficitur cum eo, quod amat.*

Cùm igitur intellectualis natura per inclinationem voluntatis,siuè per actum amoris vnum efficiatur cum eo, quod amat,rectè dicetur amatum, & ipsa voluntatis affectio voluntatis fieri naturalis & voluntas in affectionis suæ transire naturam,additis præsertim ijs: quæ supra diximus de causa immobilitatis intellectus, & voluntatis in Angelis. Nec obstat voluntatem esse ad bonum determinatam naturaliter, quoniam, vt diximus, per amorem potest aliquod moraliter malum illi sic fieri naturale, vt ad pristinum statum nequaquam redire possit, nisi Deo supra rerum ordinem operante. De qua re legendus est Diuus Thomas *de verit. quæst. 24. art. 10. ad primum, secundum, tertium, quartum, & quintum, & octauum.* Ex quo patet verissimum esse, quod aduersus Scotum affirmant Capreolus,Caietanus, Ferrariensis, & alij nimirum voluntatem affectam aliter causare, quam nade sumptam; quod etiam significauit Sanc. Doctor. *de malo qu. 16.* vbi sic loquitur: *Immobilitas Diaboli in malo causatur propriè per adhæsionem, quę habet rationem appositionis, & ex hoc ipso, quòd adhæret alicui secundùm modum suæ naturæ magis sequitur, quòd immobiliter inhæreat, quàm quòd vertibiliter.* Hæc ibi: adhæsio namque modum habens appositionis idem est, quod affectio super addita voluntati.

3701 *Nota 5. quòd obstinatio non omni modo libertatis est cõtraria, sed indeterminationi.*

Postremò sciendum est, obstinationem, non omni modo libertatis esse contrariam,sed indeterminationi, seù libertati tantùm ad bonum, & ad malũ. Est enim obstinatio determinatio quædam immobilis voluntatis ad malum, cui non est supposita libertas respectu plurium eligibilium sub illo malo: sicut etiam immobilis determinatio voluntatis ad bonum libertatem eius admittit ad plura bona sub communi ratione boni contenta,& ad vnum bonum, vt vltimum finem ordinata; Quamuis enim creata voluntas secundùm se, idest,nulla sibi additione facta, libertatem habeat ad bonum, & ad malum, quod est esse talem perse negatiuè; non tantùm ex sui natura, siuè per se positiuè modum illum sibi vendicat libertatis, sed per additam à Deo gratiam consummatam beati peccare non possunt, & per additam voluntatis affectionem immobiliter inhærenteã, damnati conuerti, aut benè velle non possunt, vt hic etiam explicat erudite Caietanus.

DVBIVM IV.

An sit diuersa causa obstinationis Dęmonum quam assignat D. Th. ex conditione status, ab ea, quam affert ex immobilitate iudicij.

3702 *Conclusio est negatiua. pro qua nota, quid nomine status significetur.*

Conclusio est negatiua. Ad cuius euidentiã explicandũ est diligenter, quid significetur nomine status,quæ sit eius natura,& naturæ cõditio. vocabulum igitur status cõmune est analogum ad statũ naturalem,& ad statum moralem. Status naturalis est,qui propriè dicitur status. Est enim status quadã positionis differentia, secundùm modũ suæ naturæ, quasi in quadã immobilitate, vt ait S. Thomas 2.2.q.183.a.1. eius verba sunt. *Status propriè loquendo significat quandã positionis differentiam secundùm modũ suæ naturæ quasi in quadam immobilitate. est n. naturale homini, vt caput eius in superiora tẽdat, & pedes eius in terra firmentur, & mẽbra media cõuenienti ordine disponantur; quod quid: nõ accidit, si homo iaceat. vel sedeat. vel accubat, sed solũ quandõ erectus stat, nec rursus stare dicitur si moueatur; sed quando quiescit.* hactenus Diu. Thomas.

3703 *Nomen status, moraliter significat dispositionem quandam vitę moralis cum quadam immobilitate.*

Ex hac significatione deriuata est eiusdẽ vocis significatio moralis, secundùm quàm nomen status significat dispositionem, siue conditionẽ quãdam vitæ moralis hominis, aut angeli cum quadam immobilitate, atque adeò pertinens ad libertatem, vel seruitutẽ, pro vt etiam affirmat S.Doct. in eodem articulo subdens. *Vnde, & circa homines, quæ de facile circa eos variantur, & extrinseca sunt, non constituunt statum, puta, quòd aliquis sit diues, vel pauper in dignitate constitutus, vel plebeius, & si quid aliud est huiusmodi. Vnde, & in iure ciuili dicitur, quòd ei, qui à Senatu amouetur, magis dignitas, quàm status auferatur, sed solùm id videtur ad statum hominis pertinere, quòd respicit obligationem personæ hominis, prout scilicèt aliquis est sui iuris, vel alieni, & hoc non ex aliqua causa leui, vel de facili mutabili, sed ex aliquo permanente; & hoc est, quòd pertinet ad rationem libertatis, vel seruitutis. Vnde status pertinet propriè ad libertatem, vel seruitutem, siuè in spiritualibus, siuè in ciuilibus.* Hæc ibi S. Doctor.

3704 *Ad rationem status in moralibus attinet, vt respiciat obligationem affirmatiuè, vel negatiuè.*

Quo loco videnda est subtilis explicatio Caietani, quem sequitur Valentia *super eodem articulo.* Quamuis autem Caietanus ibi glossans dictũ Anselmi dicat quatuor illos status, scilicèt innocentię, patriæ, viæ, & damnationis, quas ibi recenset Anselmus, non esse strictè, ac propriè status, sed hominum conditiones; existimo tamen oppositum cùm doctrina D Th. facilè posse sustineri: *Ad rationem enim status in moralibus attinet, vt respiciat obligationem affirmatiuè, vel negatiuè, prout scilicèt aliquis est sui iuris, vel alieni, non ex aliqua leui causa, vel de facili mutabili, sed ex aliquo permanente; & hoc est (inquit S. Doctor) quòd pertinet ad rationem libertatis, vel seruitutis. à notioribus autem inchoando status patriæ, siuè Beatitudinis libertatem maximam continent filiorum Dei iuxtà illud *Apost.* Rom. 8. *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Quæ libertas non ex mutabili, vel leui causa, sed maximè immutabili, & permanente procedit: omnes enim causæ Beatitudinis, quàm maximè sunt immutabiles, scilicet diuina prędestinatio, essentia Dei, lumen gloriæ, intellectus, &c. vt alibi declarauimus: Quod si obligationem, vel subiectionem in hoc statu quærimus, ita sunt Deo omnes Beati subiecti, vt ab eo diuelli à quacumq; vi creata, aut etiã propria voluntate minimè possit.

3605 *Status damnationis positus est in summa obligatione seruitutis, & peccati vnde nomen status maximè damnationi conuenit.*

Status etiam damnationis in summa positus est obligatione seruitutis, & peccati: si namq; peccator adhuc viator existens, vt Caietanus aduertit, obligationem habet ad peccandum, quantum est ex se ipso, quia non potest ex se ipso resurgere; multò fortiùs erit obligationis vinculũ in damnato, cui facta est praua voluntatis affectio naturalis, ac proinde nõ ex leui, aut facile mobili causa seruitus illa dependet, sed ex immutabili, ac maximè permanenti principio: Hic adde naturam, & modũ intelligendi, & iudicandi spiritibus angelicis naturalem, & subtractionem diuinæ gratiæ ex immutabili Dei voluntate procedentem, & ex his elucescet nomen status damnationi propriè conuenire; statum autem innocentiæ, libertatem ex immobili causa dependentem habuisse, constat ex arbitrij libera facultate illi maximè naturali, & ex diuina gratia, qua liber a seruitute peccati reddebatur: est autem diuina gratia, quantum sit ex parte sua, prorsus immutabilis, dicente Ioanne, *nullum vt Deo natum peccare, quia Dei semen,* idest gratia *manet in eo;* in peccatum tamen ex liberi arbitrij infirmitate iustus abiecta sanctitate quandoque labitur. Subiectionem etiam, & obligationem Deo seruiendi, & mandatis eius obtemperandi licet in eo statu contemplari sicut enim rationi vires sensitiuæ subdabantur, & illi seruiebant, sic Deo ratio nobili subiectione cõiuncta seruiebat. Status denique viatoris libertate gaudet ex

immobili

immobili causa, quę est ipsa natura, & eius author; obligationem habet in obseruantia mandatorum Deo seruiendi ex immobili causa diuinę voluntatis, & prouidentiæ; ac proinde congruit illi nomen status strictè, ac propriè sumpti.

3706 *Conditio status idem est, quòd eius propria ratio, siuè generica, siuè specifica.*

Ex hac declaratione vocis, status, patet etiam eius natura, quam secundo loco proponimus explicandam. Conditio verò status idem est, quod ei^9 propria ratio, siuè generica, si de statu loquamur in communi, siuè specifica, si de singulis sermo sit, prout ab inuicem distinguuntur. Ad statum autē malorum Angelorum, de quo præsens controuersiæ pars inquirit, descendendo, dicendum est, eo vocabulo significari obligationem personę voluntatis seruientis, non ex leui, aut facile mobili causa, sed ex duplici, quàm maximè immutabili principio, altero intrinseco damnatis angelis, immobili scilicet appræhensione intellectus, & electione voluntatis, altero extrinseco, scilicet diuina iustitia subtrahente auxilium gratiæ suæ conuertentis ad bonum. Has itaque duas causas connotat nomen status malorum angelorum, quamuis eas explicite non significet, vt colligi facile potest ex ante dictis, & ex doctrina D. Th. supra notata.

3707 *1. Corollariū. causa obstinationis Dęmonis est obligatio voluntatis eius ad seruiendum peccato.*

Ex dictis. Primo patet, causam obstinationis Dæmonum esse obligationem peruersæ voluntatis eorum ad seruiendum peccato; quæ idem est, quòd immobilitas electionis ex immobilitate iudicij deriuata. Obligatio enim illa voluntatis ex duplici immobili causa proueniens omnino idem est, quod immobilitas electionis ex immobilitate iudicij causata. Immobilitate siquidem electionis nihil aliud significatur, quam electio voluntatis immobilis, siue voluntas immobiliter eligens, ex duplici nimirum assignata causa, scilicet intrinseca, quæ est natura intellectus, & voluntatis Angelicæ, & extrinseca, quę est diuina iustitia gratiam subtrahens conuersionis ad bonum, hoc autem in nullo differt ab eo, quod tertia conclusio eam suo discursu declarat.

3708 *2. Corollariū. Conditio naturæ status non est idem, quod existentia Dęmonum in termino.*

Secundo patet defectus Caietani, Bannez, Zumel, & aliorum, qui conditionem naturę status Dæmonum existimant idem esse, quòd existentia eorum in termino, ac pro hoc intelligunt causam omnino diuersam ab ea, quæ tertia conclusione proponitur, significari. Quamuis enim ea verba, scilicet conditio naturæ status Dæmonum, viæ terminum implicare videantur, quam etiam immobilitas, & obligatio prædicta videtur includere: hæc tamen non est eius directa, præcisa, propria, & explicita significatio, sed ea, quam supra diximus.

3709 *3 Corollarium. Ratio termini non potest secludi ab electione angeli plenè deliberata.*

Denique patet, vanam esse quæstionem Zumel *ad hunc articulum*, in qua supponit secludi posse rationem termini ab electione angeli, plene deliberata: Sicut enim visibile sequitur ad hominem, ita consequitur immobilitas ad actionem angeli, plenè deliberatam; Et quamuis immobilitas, vt ex natura proueniens non sit tota, nec pręcipua ratio termini, sed requiratur etiam, vt causa principalis diuina iustitia, gratiam subtrahens, ex tali tamen immobilitate, præcisè sumpta poneretur angelus extra viam, & esset in termino saltem imperfectè, & inchoatiuè.

DVBIVM V.

An inconsideratio, ex qua Angelus peccauit, fuerit talis, quòd omnem viam, & aditum clauserit diuinę gratiæ, & ubi difficultates soluuntur contra inflexibilitatem Angeli.

3710 *Concl. est affir.*

Conclusio est affirmatiua. Peccatum angeli præcludit viam gratiæ conuertenti, non ex ipsa ratione obiecti sui, sed ex statu ipsius obiecti operantis, vt cit. loco, dixit S. Th. *solut. ad 5.* Vnde primum eius peccatū nō fuit peccatum in Spiritū S. ex obiecto, quia ex obiecto fuit excellentia propria, quæ est obiectum superbiæ, non peccati in Spiritum Sanctum, quia peccatum in Spiritum Sanctum est, quando ex obiecto ipso, quod intenditur, specialem renitentiam facit ad gratiam Dei, vt propositum non pænitendi, disperatio, præsumptio, & simili ratione, quorum retrahitur homo à peccatorum adhæsione. Tale obiectum non habuit peccatum primi Angeli, sed in suam excellentiam nimis effusus est. Attamen ex ipso modo peccandi, & operandi simul cum tali obiecto propriæ excellentiæ, recusauit omnem gratiam specialē Dei, voluitque sistere intra limites propriæ, & naturalis excellentiæ, ideoque ex consequenti præclusit viam omni gratię Dei monenti, habuitque eosdem effectus quoad irremissibilitatem, ac si esset peccatum in Spiritum Sanctum ex suo genere, & obiecto, imo id multo fortiùs, quia non ex sola obiecti ratione, sed ex modo operandi subiecti immobilitatus fuit in sua determinatione. Nec renuit S. Thomas ex consequenti tribuere angelo peccatum in Spiritum Sanctum, licèt primum peccatum fuerit superbia, vt docet *solut. ad 6. loco citat. ex 2. sententiarum*. *Peccatum primum angeli, non fuit peccatum in Spiritū Sanctum.*

3711 *Comprahensiua vis angeli extenditur ad ea, quę necessariò, & quę contingenter connectuntur essētię.*

Vnde dicimus, quòd compręhensiua vis Angeli non solùm extenditur ad ea, quæ necessario connectuntur essentię, seu principijs, sed ad ea etiam, quæ contingentes, cùm constet angelum visa substantia aliqua videre eius accidentia, non solùm quæ sunt propriæ passiones, sed etiam accidētia communia, potestque sine compositione, & diuisione formare de eis iudicium, vt S. Th. *supr. 1. quęst. 58.* tenet: licet verum sit, non ęqualiter iudicare angelum de prædicatis necessarijs, & de contingentibus, sed illa tāquam necessario connexa, hęc tanquam contingēter attingere. Fatemur ergo, quòd iudicium regulatiuum voluntatis fertur in hoc obiectum, illudq; proponit tanquam indifferens, & contingens, aliàs non esset eligibile, sed tamen dicimus, quòd sicut intellectus proponit hoc iudicium attingendo illud obiectum contingens in suis principijs, ita voluntas fertur in hoc indifferens, & contingens, seu liberum eodem impetu, eademque tendentia, qua in ipsum finem.

3712 *Immobilitas angeli non sumitur ex obiecto, sed ex modo operandi ipsius voluntatis.*

Quare immobilitas, & adhæsio voluntatis angeli ad id, quod semel eligit, non est sumenda ex ipsa vi, & ratione obiecti quasi necessitante, & immobilitante voluntatem, cùm re vera contingens, & liberum obiectum sit, sed ex conditione, & modo operandi ipsius voluntatis, quia vnico, & eodem actu fertur in finem, & in ea, quæ ad finem pertinent, in principia, & conclusiones. Vnde quantumcumque sit res contingens, si tamen determinatè, & resolutorié vult non per consequentiam se determinat, nec per resolutionem à conclusionibus in principia, quæ potest diuersis rationibus impediri, & ad oppositā viam prębere, sed in ipsismet principijs naturaliter visis, & compræhensis, & in ipso fine immobiliter, & determinatè volito, licèt liberè quoad exercitium propter indifferentiam iudicij determinationem suam accipit, etiam circa obiectum contingens. Nec defectum habet Angelus in hoc, quod omittit considerare aliquid ex his, quę sub talibus principijs continentur, etiamsi cōtingentia sint: Omnia enim compręhendit, & ex hac parte non potest reuerti, nouas rationes considerando ex his, quæ ad naturalem ordinem pertinent, cum compręhensiuè procedat, sed si quem defectum habet, est in nolendo, aut non iudicando conueniens, considerare ea, quæ super naturā suam sunt, sed claudit considerationem suam ab hoc lumine, recusans à tali obiecto affici. Sed quia hanc ipsam recusationem iudicat, & vult eodem actu, quo principia attingit, & finem vult, ideo etiam in recusando, & excludendo supernaturale lumen, quatenus illo affici posset ad superiorem finem, immobilis est ex vi modi procedendi.

3713 *Angelus circa contingentia obiecta, potest immobiliter procedere*

Negamus ergo, quod circa contingentia obiecta non possit angelus immobiliter procedere, non ex meritis obiecti, quod de se liberè, & contingenter mouet, nec ab illo prouenit immobilitatio, & necessitas in voluntate, sed ex modo operandi ipsius angeli

angeli

geli, qui etiam circa contingentia, & libera accipit determinationem, & resolutionem eodem actu, & tendentia indiuisibili, qua fertur in finem ipsum, Non potest autem idem seu in prima principia. actus esse immobilis circa principia, & non circa conclusiones, si non seorsum eas attingit, sed in ipsis principijs: Nec enim habet vnde moueatur in eas, nisi ex ipsa principiorum attingentia, quę immobilis est. Argumentum autem procedit quãtum est ex parte, & meriti obiecti cõtingentis, quòd cùm non habeat connexionem per se cum principijs, & fine, quia contingens est, ex vi sua non monet immobiliter voluntatem, sicut monetur voluntas ab obiecto necessitante, vt ab essentia diuina clarè visa. Non tamen probat, quòd ex parte modi operandi ipsius subiecti angeli attingẽtis, & procedẽtis compræhensiuè, non attingat in ipsis principijs contingentia obiecta, quæ eis subordinantur, & sub habitudine ad illa debeat attingi; & sic ex vi modi operandi immobiliter procedat, quia eodem actu indiuisibili procedit.

Instabis 1.

Quod si insles: Si Angelus ex principijs immobilibus, & ex adhęsione ad finem in communi procedit ad istas conclusiones contingentes, & ad ista media, vel res contingenter illi fini subordinatas videns non esse inter ea necessariam habitudinẽ, cur non poterit iterum vti illo eodem fine ad oppositum volendum postquam semel vsus fuit illo ad volendum id, quod contingenter videbat illi annexum? Etsi non considerauit aliquas rationes, quibus poterat affici ad oppositum bonum, cur nõ poterit illas de nouo considerare; & sic affici ad oppositum bonum, non quidem vtendo discursu, sed ipsa compræhensione finis, seu principiorum, siquidem illis potest compræhensiuè procedere ad vnum, & ad oppositum, quia contingentia sunt? Et sicut antequam determinatè eligeret, poterat ipsa compræhensione principiorum vtendo oppositum eligere, cur non etiam postcà poterit, non quidem per discursum, sed alio actu tendendo in finem cõpręhensiuè, & penetratiuè cum habitudine ad oppositum bonum, quia contingens est: hoc enim nõ pendet à discursu, sed etiam discursu cessante potest sub eisdem principijs, modò vnum attingere, modò aliud, quia contingentem connexionem, & habitudinem habent cum talibus principijs.

3714 *Resp. Angelũ secundùm naturalia principia non posse accipere nouã cognitionẽ immutatiuam*

Resp. Non posse angelum circa illas res contingentes, earumque connexionem cum principijs mutare iudicium, procedendo suo cõnaturali modo, quia secundùm naturalia principia non potest accipere nouam cognitionem immutatiuam sui affectus, quàm illam, quam habuit à principio: licèt enim circa res, quæ de nouo fiunt, in vniuerso possit accipere diuersam notitiam, & iudicium in indiuiduo, & consequenter diuersum affectum, tamen circa illud indiuiduum, quòd semel eligit deliberatè, & præsertim circa finem determinatum, quẽ semel eligit, non potest amplius variare notitiam, & accipere, seu considerare aliquid, quod tunc nõ considerauit, quia Angelus non accipit notitias incipiendo à particularibus, & à rebus ipsis, sicut nos accipimus per sensus; & sic variatur nostrum iudicium, quia in ipsis principijs immobilibus non appręhendimus quidquid sub illis continetur, & ad illa pertinet, sed dependemus à sensibus, vnde tota variatio est, & per discursum deducimus ex principijs, & ideò patet nobis via ad variandum iudiciũ, & procedendum ad vtrumque oppositorum, vt dicit S. Th. *in hac q. 64. a. 2.*

Angelus non accipit notitiã aliquam ex rebus.

Angelus autem nõ accipit notitiam aliquam ex rebus, aut sensibus, neque discurrit ex principijs, sed in ipsis videt totum, quòd ad illa pertinet, si compręhensiuè, & plenè procedit: & eodem actu, quo immobiliter tangit principia, descendit ad ea, quæ sub illis continentur; & sic quantumcumque velit verti, & reuerti super talem finem, & obiecta sub eo contenta, semper ex vi talium principiorum eadem sibi, & eodem modo repræsentantur, quia compręhensiuè circa illa se habet. Non variata autem notitia, voluntas non mutatur, quia tota pendet à iudicio, & cognitione intellectus. Nec pro suo libito potest eisdem rationibus, & motiuis stantibus mutare voluntatem, sine aliqua noua notitia affectiua ad oppositum præsertim in natura intellectuali perfecta, cui mutabilitas imperfectionem affert; nulla autem maior mutabilitas reperitur, quàm stantibus eisdem rationibus, & motiuis, nec alia de nouo apparente ratione modò velle, modò nolle.

3715 *Inconsideratio angeli non fuit circa naturalia, sed circa supernaturalia.*

Quòd verò dicitur de inconsideratione, quare non poterit Angelus de nouo considerare, dicimus inconsiderationem illam non esse circa naturalia, quæ compręhendit, & semper videt eodem modo, præsertim seipsam, quam vult, vt finem, & propriã excellentiam, vt primum bonum, sed inconsideratio est circa bonum supernaturale, cuius considerationem in ratione boni gratuiti, & ex speciali beneficio habendi, omninò refutauit, & exclusit, & exclusio illa fuit volita, sicut, & ipse finis cui adhæsit ei cum exclusione alienæ gratiæ; & sic ipsa exclusio fuit eadem immobilitate volita, qua finis. Remoto autẽ discursu, non potest ipso simplici, & indiuisibili actu, quo vult finẽ, & ea, quæ ad finem pertinent hic, & nunc mutari, & velle oppositum, quia non habet vnde sumat notitiam, qua de nouo afficitur ad oppositum obiectum, cũ in ipsis principijs immobiliter omnia cognouerit, quibus ad id affici poterat, hoc ipso, quòd compręhensiuè processit, nec aliunde possit accipere notitiam, qua de nouo afficiatur. Ex supernaturali autem lumine non accipit, quia ab illo, se excludit.

3716 *Instabis 2.*

Et cùm instatur, quod potuit ante deliberationẽ, & adhæsionem ad istam partem liberè determinare se ad oppositam, quia contingens erat, & tamen etiam tunc per compræhensionem procedebat.

Resp. ante deliberationem nõ processisse angelum, omni modo compræhensiuè ex parte cognitionis.

Resp. quod antè deliberationem; procedebat quidem per compræhensionem ex parte cognitionis, sed nondum omni modo quò poterat, scilicet se mouendo, & ex se formando dictamen, sed secundùm dictamen formarum à Deo; nec adhuc excludendo à se lumen supernaturale, vt affectiuũ, & claudendo illi oculos, sed adhuc vtendo illo, & proponendo indifferenter, an esset bonum illi subijci, vel illud recusare; & sic illa compræhensio pro tunc antè deliberationem, licèt esset perfecta in attingendo per cognitionem obiecta, nondum tamen erat in omni statu perfecta, scilicet, in applicatione, & determinatione eligendi vnum, & recusandi aliud, sicut postea. Et ideò compræhensio in statu perfecto, idest, sic applicata, quòd se mouet voluntas ad determinandum vnum, & recusandum aliud. immobilitas tàm in determinatione ad proprium, quam in recusatione boni supernaturalis, quia vtrumque eodem actu accipit, quo tendit in finem.

3717 *Quomodo angelus non possit naturali lumine accipere maiorem notitiam de naturalibus.*

Et sic naturali lumine non potest maiorem notitiam accipere circa naturalia, quia compręhensiuè, & plenè ea videt, sic præcludit viam eadem determinationę, & immobilitate, ne acceptet supernaturale lumen, à quo poterat vinci illa naturalis compræhensio, & adhæsio; & sic non relinquit viam procedendi ad vtrumque oppositorum, vt dicit S. Thomas *in hac q. 64. art. 2.*, quia scilicet excludit inspectionem omnis boni supernaturalis, vt boni, idest, vt effectiui. Quod tandem expressit S. Thomas, & ex D. Dionysio hausit *super cap. 4. de diuinis nominibus lect. 19. circa finem*, exponens illa verba Dionysij, vt supra diximus, Quòd *Dæmones habent splendidissima dona naturalia, quamuis ipsi non videant claudentes ipsorum boni inspectiuas virtutes.* Quòd S. Th. sic glossat: *Sed quod ipsi non vident, hoc prouenit ex hoc, quòd ipsi per liberum arbitrium clauserunt suas virtutes inspectiuas boni, auerterunt voluntariè suum intellectum, non à consideratione veri, sed ab inspectione boni, inquantum bonum, quia scilicet nolunt illud sequi.*

3718 *Intrinseca causa naturalis ob*

Ex hoc apparet, quomodo intrinseca causa naturalis obstinationis conformetur, & coniungatur

causæ

ſuatiuis confirmatur cauſa extrinſeca Dei denegãtis gratiam.

cauſæ extrinſecæ Dei denegantis gratiam. Nam ex eo, quòd naturalia ſplẽdidiſſima ſunt in angelo, procedit in ſua determinatione, & electione comprehenſiuè, & in ipſa immobili, & indiuiſibili inſpectione principiorum videt omnia etiam contingentia, & libera, quibus moueri poteſt; & ſic facta determinatione, non reſtat ei locus, neque via, vnde nouas rationes accipiant, quibus ſe moueat, quia à rebus non accipit cognitionem, ſicut nos, nec per nouam penetrationem, & illationem ex principijs. Ex eadem autem immobilitate, quia in illis principijs ſe determinat erga propriam excellentiam, recuſat, & excludit à ſe finem ſupernaturalem, & omnem manifeſtationem eius, vt affectiuam, & inclinantem voluntatem, licèt in ratione veri rem ſupernaturalem cognoſcat; & ſic ex ipſo modo connaturali operandi manet angelus obſtinatus, & inflexibilis in malo, quòd elegit, non quia ab obiecto determinetur, aut neceſſitetur, ſed propter modum operandi per comprehenſionem immobilem rei in ſuis principijs, & excluſionem omnis alterius luminis ſupernaturalis ad afficiendum: Sic .n. claudit virtutes inſpectiuas boni in modum aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas.

3719 *Angelus dicitur ſimpliciter inflexibilis, quamuis miraculosè poſſit retractare dictamen.*

Vnde fit, quòd gratia Dei ordinario modo operans, & iuxta connaturalem modũ ſubiecti in operando ſe attemperans, non conuertit talem voluntatem, niſi miraculosè, & de potentia abſoluta, aut remouendo modum illum connaturalem operandi, aut dando lumen ſupernaturale, quod vincat totam compræhenſionem, & modum comprehenſiuum naturalem, non quod ei ſe accommodet, & faciendo, quod illud acceptet, vt ſi euidens lumen ſit. Sed quia hoc eſt miraculoſum in genere gratiæ, dicitur ſimpliciter ex modo naturali procedendi, eſſe angelum inflexibilem facta electione, quòd tamen ante illam non erat, quia nondum elegerat, nec determinatè vſus fuerat illis principijs habentibus ſe ad oppoſitum antecedenter, ſed immobili modo conſequenter, licet liberè, quia circa obiectum indifferens procedit, & iudicium indifferens, iuxta modum tamen naturæ angeli compræhenſiuè procedentis in ſua determinatione, quia determinatio illa in ipſa immobili principiorum appræhenſione facta eſt, vt magis explicabitur.

3720 *Petes.*

Petes. *An Angelus in primo inſtanti, licèt comprehenſiuè attingat prima principia, ſe moueat.*

Reſp. angelum, licèt in primo inſtanti comprehenſiuè attingat prima principia, non tamen ſe mouet.

Reſp. quod, vt iam diximus, in primo inſtanti licèt angelus compræhenſiuè attingat principia, & quæ in principijs continentur, non tamen in illa compræhenſione ſe mouet, neque ſe determinat, ſed mouetur, & determinatur à Deo. Et ſic non manet immobilitatus, & inflexibilis in primo inſtanti, quia nondum tunc operatur omni modo quo natus eſt operari, ſed quando operatur ſe determinando, & eſt, quaſi ſui iuris in eligendo, & determinando, tunc illa eſt vltima reſolutio, & determinatio ſecundùm quam poteſt operari, ideòque ex inde incipit eſſe inflexibilis, quia eſt comprehẽſio in ſtatu perfecto, & perfectè applicata, nec amplius reſtat, aut alius modus mouendi ſe, aut alia maior repræſentatio habenda, cùm ex compræhẽſione plena procedat, quoad naturalia, lumen autẽ ſupernaturale, vt affectiuum recuſet.

Inſtabis.

Quòd ſi vrgeas: quomodo facta electione, & determinatione à ſe reducitur ſic immobilitatus; vtrum ante ſe habuerit ad oppoſita etiam ex vi cõpræhenſionis principiorum: poterat enim compræhenſione illa vtendo inclinari ad vnam partẽ, vel ad oppoſitam; poterat etiam non vti tota compræhenſione principiorum, ſed inadæquatè, non attendendo ad omnes circumſtantias; & ſic procedere ad deliberandum. Vnde reſtabat locus ad retractandum, vel propter contingentiam, & indifferentiam ad oppoſita, vel propter inadæquatam principiorum conſiderationem.

3721 *Reſp. immobilitatem angeli conſequi ad electionem, non antè. & quare.*

Reſp. Quod angelus ſemper eſt ſic diſpoſitus, vt poſt determinationem, ſeu conſequenter ad ipſam immobilitetur, non antecedenter, & ſic conſequitur immobilitatio ad electionem, non antè. Sed quia de hoc ipſo reddenda eſt ratio, quare ſic ſe habeat poſt electionem, & nõ antè, ſuppoſito quod cõprehenſiuè intelligit, etiam antè electionem, ſed quia comprehendit cum indifferentia, & contingentia ad oppoſita, poteſt liberè eligere, cur ergo non poterit idem poſt electionem factam, cùm ſit eadem cognitio cum indifferentia: & idem obiectum liberum; ideò addimus, quod aduertenter poſuit S.Th. *in hoc art. 2.* illa verba, *Si conſideretur antè adhæſionem, poteſt liberè adhærere, & huic, & oppoſito, in his ſcilicet, quæ non naturaliter vult, ſed poſtquam iam adhæſit, immobiliter adhæret:* Ea ergo, quæ non naturaliter vult Angelus ſunt contingentia, & indifferentia ſibi, & præſertim ea, quæ ſupernaturalia ſunt, quia ad ea, quę naturalibus principijs attinguntur, ex ipſa naturali manifeſtatione determinatur Angelus.

3722 *Ante adhæſionem obiecta eligibilia proponuntur cum indifferentia, & contingentia ex ſe.*

Ante adhæſionem ergo, ſic proponuntur talia obiecta determinatè eligibilia, quod proponuntur cum indifferentia, et contingentia ex ſe, et ex meritis obiecti: & ſic liberè poteſt adhęrere, et huic, et oppoſito. Sed tamen quando ſe determinat ad vnum præ alio, ipſa ratio determinationis, et accipiendi hoc, et relinquendi illud, non proponitur angelo mutabili modo, ſed immobili, quia in ipſiſmet principijs, et cum eadem tendentia, et attingentia, qua attinguntur principia, ipſa etiam ratio determinationis accipitur. Et ſic principia quatenus deſeruiunt iſti determinationi, ſeu rationi determinandi acceptionem vnius præ alio, immobilitant mentem angeli, non ſolùm quo ad principia ſecundùm ſe, ſed quò ad principia, vt ſunt ratio determinandi hic, et nunc, eo quod in Angelo, qui non poteſt cognitionem accipere ex rebus in ſe ipſis, ſed natus eſt accipere cognitionem in principijs reſpectu quorumcumque, quæ ſub eis continentur, etiamſi contingentia ſint, oportet, quod ipſa principia accipi poſſint, vt ratio determinãdi ad vnũ præ alio, et quia hoc faciunt p ſe ſine diſcurſu, ſed eadem attingentia indiuiſibili, qua principia ipſa in ſe attinguntur; ideo etiam vt ſic extenſa immobiliter ſe habent, quod tamen ante electionem, et determinationem non poterat dici, quia nondum extenſio iſta dabatur; quia nondum ſe mouebat, nec ſe applicabat ad determinationem huius, et recuſationem alterius, vt *ſupra* diximus: et ſic immobilitas extenſiua ad hanc determinationem formaliter adhuc non erat, licet radicaliter ibi erat.

3723 *Quando homines iudicando practicè firmiter procedant.*

Certè nos in conſiliando, & iudicando practicè, tunc firmiter procedimus, quando accipimus conſilium, & ſententiam, per reductionem ad aliquod certum, & firmum principium, licet quia hoc facimus per conſequentiam, & illationem, ſemper detur locus retractationi, quia diuerſis notitijs, & modis poteſt conſiderari illud principium, & deduci illatio. Si ergo Angelus non per illationem ex principijs ſe determinat, ſed ipſa, & eadem indiuiſibili attingentia, qua compræhendit principia, determinationem accipit in re contingenti; ergo extenditur ad talia obiecta ſub eadem immobilitate, qua attingit principia, ſicut nos firmiter procedimus, quando ſub illatione deducimus neceſſario ex principijs, ſed nos reuocabiliter, Angelus irreuocabiliter, quia nos per illationem, & minorem penetrationem principiorum, Angelus ſine illatione, in ipſa principiorum attingentia extendente ſe ad obiecta ſub eis contenta. Et quia non poteſt ſumere alias notitias ex rebus ipſis, ſed ſemper à principijs debet incipere, ideo ſemper eadem immobilitate procedit, & eodem modo cognoſcit ea, quæ ſemel in comprehenſione principiorum cognoſcit naturali lumine.

3724 *Eadem immobilitate, qua angelus eligit propriam excellentiam, excludit lumen ſupernaturale.*

Quod autem poſſet ex ſupernaturali lumine reuerti, non habet locum, connaturaliter loquendo, quia eadem immobilitate, qua elegit propriam excellentiam, excludit lumen ſupernaturale ſibi manifeſtans conuenientiam boni gratuiti, & claudit

ſuam

suam inspectionem ab eo. Vnde nisi miraculosè detur lumen supernaturale, vicens propriam, & naturalem compræhensionem, non est reuertibilis. Quod autem dicitur posse angelum ex inadæquata compręhensionem principiorum se determinare: Resp. quòd non determinaret se tunc plenè, & perfectè sicut loquimur in pręsenti, & sicut debuit facere in re summi momenti, sicut est determinare sibi finem, vnde omnes eius actiones pendebant, & quia fuit circa propriam excellentiam, & circa seipsum, se autem plenè compræhendit. Vnde si inadęquatè cognosceret res illas, posset retractari, & non curreret casus præsens.

DVBIVM VI.

An Dæmones post electionem determinatam, maneāt in sua libertate ad retractandum, an solùm ad remanendum.

3725 *1. Obiectio contra intelligibilitate.* Arguitur 1. contra nostra resolutionem, quia Angelus facta electione circa aliquod obiectum, manet liber, & non necessitatus ad malum: ergo non manet immobilis, & inflexibilis. Conseq. patet, quia non stat illa inflexibilitas, & immutabilitas sine aliqua necessitate voluntatis: si enim necessitas non manet, nihil prohibet resilire. Antecedens patet, tum, quia eodem modo se habet voluntas Angeli post electionem, & determinationem, atque antea, tam ex parte obiecti voluntatis, quàm ex parte subiecti, seu potentiæ: nihil enim immutatum est, & ablatum: ergo manet eadem libertas: tum quia circa eadem obiecta peccat, sicut ante tenetur; conuerti ad Deum, sicut ante electionem: ergo manet liber. Tum quia, vt latè prosequitur Suarez *vbi supra* non est vnde proueniat ista immutabilitas, & inflexibilitas post deliberatam determinationem: nec enim prouenit ex actu præterito, aut ex aliqua naturali proprietate, aut ex habitu superueniente, nihil horum immobilitat, quia libertatem non tollit, sed libero modo operatur. Et vrget hęc ratio, quia ideo possunt Angeli eligere indifferenter, & liberè à principio, quia habent perfectionē cognoscendi obiecta cū indifferentia; hæc autem perfectio eodem modo manet ante, & post electionem: ergo ęquè liberè potest ante, & post operari circa talia obiecta.

3726 *1. Confirmatio.* Conf. quia totum fundamentum Diu. Th. stat in hoc, quod Angelus immobiliter, & sine discursu procedit in his, quę intelligit; & sic æquè immobilitatur circa principia, & circa conclusionem, finem, & media. At hoc solùm est verum circa naturalia: nam supernaturalia non compræhendit Angelus, & sic non procedit immobiliter circa illa, sed discursiuè, peccatum autem Angeli fuit circa supernaturalem finem recusando illum, nec potuit circa legem naturalem purè, & secundùm se primo peccare, vt supra dictum est: ergo ruit totum fundamentum Diui Thomæ.

2. Cōfirmatio. Conf. Secundo, quia Angeli ante finitam viam semper poterant mutari, a ias ante terminum vię essent plene obstinati, eū tamen hęc pęna sit damnationis, sed ante viam finitam plura peccata cōmisserunt: ergo immediatè post primum peccatū nondum sunt redditi inflexibiles, & tamen primum peccatum ex plena deliberatione commisserunt.

3727 *Resp. Dæmones post electionem remansisse in sua libertate, non retractandi, sed remanēdi in eo statu.* Resp. illud argumentum de libertate solui debere, etiam si non ponamus inflexibilitatē intrinsecam, & ex connaturali modo operandi, sed extrinsecam, & solùm ratione status, sicut fatemur in omnibus damnatis: damnati enim modo peccant, & tenentur operari bonum, & conuerti ad Deum, & tamen sunt inflexibiles in malo, licet ratione status. Per accidens autem est ad libertatem, si illa tollitur, quod ex causa intrinseca, vel extrinseca tollatur. Ergo quantum ad istud punctum libertatis, idem quod de omnibus damnatis dicitur ratione status, nos dicimus de Angelis ratione etiā connaturalis modi operandi. Fatemur ergo Dæmones post electionem determinatam manere in sua libertate, sed non in libertate ad retractādum, sed ad remanendum in eo, quod semel voluerunt: manent enim inflexibiles ad continuandū id quod semel libere voluerit non ad necessario volendum. 3728 *Illa continuatio inflexibilis est continuatio liberę voluntatis, & illa inflexibilitas voluntariè causata est.*

Vnde illa cōtinuatio inflexibilis est continuatio liberæ voluntatis, & illa flexibilitas per voluntariā, & liberam adhæsionem causata est; & sic manet libertas prima in tota illa continuatione. Vnde dixit Diu. Thom. *hic art. 2. in solut ad 1.* quod *habent liberum* arbitrium Angeli, sed secundum cōditionem naturæ suæ, idest non retractabile, sed permanētis, & continuatæ volitionis, quæ hoc ipso, quòd continuatur ex prima libera volitione, sēper manet libera, quia ex libertate originata est, & solùm secundùm quid manet necessaria, scilicet ex suppositione, quod libere voluit, non manet retractabilis propter perfectionem talis naturæ, manet tamen continuata ex priori libertate. Sufficit autem ad libertatem, quod pro illo instanti, quo actus fit, liberè fiat, posletque non fieri, nō autem requiritur, quòd pro omni statu, & tempore possit retractari. Non autem est de essentia libertatis, quod sit mutabilis postquā perfectè quis deliberauit, sed id pertinet ad imperfectionem, defectumque naturæ; nam in Deo per naturam datur summa immutabilitas, & in beatis per gratiā & in illis non aufertur libertas; & sic Diabolus, & Damnati peccant modo, quia continuant primam volitionem malam, quæ virtute manet in reliquis actibus. Et licet non possint reuerti ad bonum, hoc nihil eis diminuit de culpa, tum quia non ex meritis obiecti, & necessitate eius ab hoc determinantur, sed ex modo operandi Angeli compræhensiuo, & totali, tum quia voluntarie in talem statum se proiecerunt, sicut peccat ebrius de præsenti, quia voluntarie se posuit in tali statu, quę est solutio D. Th *q. 16 de malo art. 5. ad 11.*

3729 *Instabis.* Et quando instatur, quia nihil amisit liberū arbitrium post ra electione, quod antè habuit, nec aliquid acquisiuit de nouo, quòd ante non, haberet, & petitur, vt explicemus, quid sit illud quod de nouo additur voluntati, vt sit inflexibilis, & immutabilis. Resp. hoc ipsum inquiri, & poni à Diu. Th. *in q. 24. de verit art. 10. in argumento 14. quia si peccatum (inquit) causat obstinationem, vel hoc facit subtrahendo, vel superaddendo. Non subtrahendo, quia naturalia in Dæmonibus manent integra: non superaddendo, quia illud, quòd superadditur cùm sit accidens, oportet quod ei sit per modum recipientis, & sic cùm liberum arbitrium sit flexibile ad vtrumque, non redditur per hoc immobiliter inhærens in malo.* Ecce quod tam late inquirat Suarez, quid addatur libertati Angeli, vt reddatur inflexibilis, breui hoc argumento complectitur D. Th. Respondet autem sic: *ad 14. Dicendum, quòd peccatum libero arbitrio adueniens non adimit aliquid essentialium, quia sic species liberi arbitrij, non remaneret, sed per peccatum aliquid additur, scilicet vnitio quædam liberi cum fine peruerso, quę ei quodammodo naturaliter efficitur. Et ex hoc necessitatem habet, sicut, & alia, quæ sunt libero arbitrio naturalia.* Ita D. Thomas. *Resp. per peccatum aliquid addi libero arbitrio scil. vnitio quædam liberi arbitrij cū fine peruerso.*

3730 *voluntas remanet inflexibilis ex ipso connaturali modo operandi.* Quare respondemus breuiter remanere inflexibilem voluntatem ex ipso connaturali modo operandi, quia sicut per sua naturalia principia immobiliter adhæret fini, ita si in ipsis principijs eadem indiuisibili attingentia extenditur ad determinandum se circa media, illa noua extensio, seu vnitio ad illud obiectum facta sic, idest, in ipsis met principij, eadem immobilitate tangit, principia, & extenditur ad media, & hęc noua extensio sic facta reddit immobilitatum Angelum, sicut *suprà* explicatum est. Et ad rationem, quæ vrgetur, quod obiectum eadem perfectione intelligitur, & cum eadē indifferentia ante electionem, & post, distinguo, cum eadem indifferentia, & perfectione in eodem statu, & dispositione sicut ante, nego, cum diuerso statu, concedo; sicut etiam in omnibus damna-

damnatis tenemur dicere, quód ratione status damnationis obiecta apprehenduntur quidem vt indifferentia, quia circa illa peccatur, sed sub diuersa dispositione, & statu.

3731 *Obiecta causat immobilitatē quatenus induta diuersa ratione formali immobili.* Diuersa autem dispositio stat in hoc, quód illud obiectum de se indifferens, & contingens ex meritis suis, accipitur, vt indutum quadam ratione formali immobili, quatenus accipitur, vt cōuenientia, & congruentia dispositioni huius subiecti: iuxta conuenientiam enim ad subiectum diuersimodè sumitur conuenientia, vel disconuenientia rei appetibilis, quæ ex dispositione subiecti habet variari. Ex eodem autem respectu sumit immobilitatem, & determinationem, quia illa dispositio subiecti per ordinem ad quam induit conuenientiā, est dispositio determinans, & afficiens voluntatē, non ex rationibus particulariter, aut per discursum acceptis, sed in ipsa immobili comprehensione principiorum. Et sic obiecta de se indifferentia, quatenus sic mouent ex vi principiorum se extendentium ad manifestandam illam determinationem, libertatem seruant, quia indifferentia sunt, oriunturque ex libera determinatione volūtatis, & inflexibilitatē habent, quia sub tali determinatione mouēt. Illa autē determinatio, quia in sui initio libera fuit, nō tollit libertatē, sed cōtinuatio eius cōtinuat illam, quia actus liber est, qui continuatur: solùm autem ex suppositione, & secundum quid necessitatur, sicut ex suppositione intentionis efficacis, electio vnici medij simpliciter libera est, licèt ex suppositione sit necessaria, sic ex suppositione primæ determinationis liberæ tali comprahensione factę, omnia secuta determinata, & necessaria manēt, sed nō simpliciter, sed ex suppositione.

3732 *Ad 1. Confirm. Resp. Recusasse finem supernaturalem ex libera adhæsione ad naturalem.* Ad primam conf. Resp. quod Angelus peccauit circa finem supernaturalem recusando illum ex libera adhæsione ad finem naturalem, & propriam excellentiam, quam comprahensiuè cognoscebat; Vnde per eandem comprahensionem, qua finem naturalem attingit, motus est ad recusandum supernaturalia, & claudēdum oculos suos, ne videret illa modo effectiuo, quatenus ex gratia danda erant; & sic modo immobili circa recusationem supernaturalium processit, scilicet ex naturalibus principijs, quæ vtique comprahensiuè attingebat, & circa quæ immobiliter procedebat. Vnde in recusando supernaturalia immobiliter se habuit, quicquid sit, an in attingendo res supernaturales comprahensiuè procedat. Quód verò non potuerit peccare immediatè contra legem naturalem, verum est, quia non potest immediatè recusare, & abijcere illam, potuit tamen recusare supernaturalē, & mediate naturalē, vtsuprà diximus.

3733 *Angelus non cognouit comprehensiuè ex parte rei cognitæ in via res supernaturales.* Secundo, addo, quód in cognoscendis rebus supernaturalibus, licet Angelus non procedat clarè, comprahensiuè ex parte rerum cognitarum (quàuis, quia comprahensiuè ex parte cognoscentis, vt supra dixi) euidenter, sed obscurè per fidem cognouit in via res supernaturales, tamen ex modo attingendi sine discursu ea cognoscit, & eodē actu, & attingentia fertur in totum, quod sibi conceditur de illis attingere, eo quod gratia superueniens alicui naturæ non deprimit, neq; destruit modum eius connaturalem, & perfectum, sed potiùs eleuat, & perficit; inconueniens est enim, quod natura angeli, quæ ex sua perfectione, & modo connaturali petit non discurrere ex modo supernaturali, quo eleuatur, reddatur deterioris conditionis, quia deprimitur ad modum cognoscendi discursiuè, qui est valde imperfectus. Quare circa supernaturalia angelus non discurrit, & sic eadem attingentia, & immobilitate attingit finem, & media, principia, & conclusiones, sicque ex ipso modo operandi, petit etiam immobilitatē post electionem determinatā in bono.

3734 *Instabit.* Quód si instes: Ergo confirmatio in bono, & perseuerantia in angelo non est ex gratia Dei, sed ex connaturali modo operandi, aut saltem non est distincta gratia à prima operatione, & electione, cū tamen perseuerantia in bono sit specialissimū donum Dei, præter gratiam primam.

Resp. fuisse in angelo specialissimam gratiam, & distinctam à prima, in qua creati sunt: etenim post primam operationem ex gratia Dei in primo creationis instanti, cùm cęperunt angeli se determinare, & mouere, & quidam in sua natura, & excellentia sistentes clauserint oculos, & recusauerint finem supernaturalem ex gratia habere, manifestū est, quod fuit ex luce, & viribus gratię, quód alij sic fuerint confortati, & elegerint subjici fini supernaturali, & ex gratia Dei obtinere regnū cęlorum, quæ gratia tanta fuit, vt quadam connaturalitate ad se traxerit naturam eorum, eamque firmauerit, inflexibili, & quasi connaturali modo operans in illis, non connaturali modo, idest, debito, sed connatuli, idest firmo, & immobili, eò quod accomodauit se modo operandi illius naturę in immobilitate. *Resp. Perseuerantiam in bono fuisse in angelo specialissimam gratiam, distinctam ab ea in qua creati sunt.* Et hoc totum fuit ex vi ipsius gratię distinctę à prima, seu distincto beneficio habita, licet continuatim fuerit primę vsque ad perseuerantiam finalem: perseuerantia enim continuationem hanc importat, sed distincto beneficio, quia poterat De⁹ permittere interruptionem, vt in Dæmonibus, sed dedit gratiam efficacem, vt continuarent, & continuando perseuerarent & confirmarentur, licèt etiā in hoc iuxtà modum illum naturæ in operando accomodauerit se.

Ad secundam Conf. Resp. quód Angelus ante terminum viæ non fuit adæquatè redditus inflexibilis, & in facto esse, quia non fuit plenè, & adæquatè terminatus actus, quo deliberauit in peccato, & concludebat illud instans. In quo licèt plura fuerint peccata, omnia tamen subordinabantur vni fini, & ratione formali, sub qua fiebant, & integrabant totum illud instans. Vnde in quolibet illorū erat illud instans, & ille integer actus inadęquatè; & sic erat inflexibilitas quasi inadęquate, & nondū plenè consummata, quia actus ille peccandi sic eligebat determinatum finem, quód non sistebat in eo, sed concomitanter omnes alios actus, & peccata, q̄ illi subordinabantur ex vi talis electionis, intēdebat. Vnde totū istud instās cū omnib⁹ illis peccatis debet reputari, vt vna integra causa inflexibilitatis: modò autem peccata, quæ ab eis committūtur iam supponunt inflexibilitatem consummatā in toto illo instanti, non illam constituunt. 3735 *Ad 2. Confirm. Resp. quód angelus ante terminum viæ, nō fuit redditus adæquatè inflexibilis.*

DVBIVM VII.

Quomodo immobilitetur Angelus in aliquo fine?

Arguitur secundò, iudicium angeli non est inflexibile, etiam post deliberationem: ergo neq; voluntas. Conseq. patet, quia voluntas sequitur modum intellectus, & propter hoc ponit D. Thom. inflexibilitatem in angelo, quia intellectus immobiliter apprehendit: ergo si non apprahendit immobiliter, consequentia non valet. Anteced. verò probatur: tum quia angeli, qui peccauerunt, mutauerunt iudicium in secundo instanti ab eo, quod habuerunt in primo, cum tamen in primo instanti comprehenderint omnia obiecta, quæ in secundo: Angelus enim creatus est plenus Sapientia, & tamē non peccauit, vtique dictamen mutauit. Dicere autem, quod post electionem non potest mutare dictamen, quia non potest considerare aliter practicè, licèt possit speculatiuè, est mera petitio principij: cur enim considerauit omnia practicè, & non omnia speculatiuè, vel si potest aliter considerare speculatiuè, cur non poterit practicè? 3736 *2. Obiectio.*

Tum etiam, quia angelus mutauit iudicium circa mortem Christi, prius instigans ad illam, Iudam, & Iudeos, deinde per vxorem Pilati procurans ne damnaretur; & similiter quando est pugna inter Angelos, & concordantur à Deo, alter eorum saltem sententiam mutat; formant ergo iudicium mutabilę. Dicere autem, quód mutant iudicium imperfectum, non verò perfectum, & deliberatum, videtur omnino voluntarium: Vnde enim cōstat *1. Probatio antecedentis.*

angelum non plenè iudicare, licèt cum defectu, sicut format dictamen cum defectu; & tamen dicitur plenè iudicare, quia non mutat illud? Certè in primo instanti habuit angelus, tàm plenam cognitionem, sicut in secundo: ergo fuit plenum illud iudicium, quia ortum est ex plena scientia, & tamen mutauit illud: ergo, & nunc potest mutare.

3. Prob. Anteс. Tum denique, quia modo Dæmon videt per experientiam ipsam pœnam sui peccati, videt sibi esse impossibile cõsequi illam altitudinem, quam prius consequi desiderabat, habet etiam vermen conscientię remurmurantis contra ipsum: ergo habet ex parte sui sufficientia principia, vt retractet oppositum, seu cognoscat se errasse, licet ex defectu gratiæ pænitere non possit, vt oportet.

3737 Confirm. Conf. ex quibusdam authoritatibus, quæ huic mutabilitati fauere videntur: Nam angeli dicuntur ex natura sua mutabiles, & Angeli Sancti solũ ex gratia immutabiles in bono, vt docet Damasc. *lib. 2. de fide cap. 3.* Isid. *de summo bono cap. 12.* Aug. *lib. de correpi & gratia c. 10. & 11.* ergo non sunt ex natura sua inflexibiles, aliàs gratia non egerent, sed solùm quod naturali modo operarentur, & specialiter Damasc dicit, *Angelum esse semper mobilem, & voluntatis, ac sententia ratione mutabilem.* Item Fulgentius *lib. de fide ad Petrum cap. 3.* dicit, quòd *Initium resumendi bonam voluntatem est ex gratia, & non ex natura: nam si homines possent per naturam illud initium habere, posset etiam Angelus.* Ergo supponit angelum esse mutabilem, sicut hominem, aliàs illa consequentia non valeret: posset .n. dici, quòd etsi homo posset per naturã resumere voluntatem, sed non angelus, quia inflexibilis est.

3738 Resp. ad 1. Obiectionem, & primam Antecedentis probationem. Angelos posse mutare dictamen primi instantis. Resp. negando anteced. Ad primam probationẽ dicitur, quod dictamen, quod habent angeli in primo creationis instanti, possunt mutare, quia licèt in illo plene cognoscant, sicut in secundo, non tamen se mouent, & applicant, neque formant suum dictamen, sed à Deo formatum accipiunt, à quo immediate tunc mouentur. Non immobilitatur autem angelus in aliquo fine, nisi se determinet, & moueat: Si enim præcisè moueatur ab alio, solùm operabitur bonum, prout subest illi motioni: Si autem relinquatur sibi ipsi, vt se moueat, & determinet, oportet, quod ex modo illo se mouendi, & iuxta naturam eius reguletur mobilitas, vel immobilitas in electione facta. Quare cùm operatio in primo instanti facta sit solùm ex motione speciali Dei, & nondum ibi appareat, quid faciat angelus ex propria motione, nondum ibi potest immobilitari, quantumque perfectè, & compræhensiuè cognoscat, quia restat adhuc alius modus, quo se ipsum debet mouere, & ex se ipso formare dictamen; & ideò ex compræhensione non quomodocumque, sed sic applicata, vt se moueat, & ex se deliberet, sumitur, quòd immobiliter procedat. Et sic à primo instanti in secundum potest mutare iudicium, & dictamen, quia potest mutare modum operandi, sed post hoc secundum non restat alius mod⁹ operãdi, & sic exinde sumitur immobilitatio.

3739 Ad 2. Prob. Resp. illud iudicium Diaboli non fuisse plenum, & perfectum, & omninò determinatum. Ad secundam probationem dicitur, quòd illud iudicium Diaboli non fuit profectum, & deliberatè omninò determinatum, sicut neque est inter Angelos, quando est pugna inter eos. Et dicimus non fuisse omninò plenum, non quia non sit cum sufficienti aduertentia ad peccandum mortaliter, sed quia non est cum iudicio firmo intellectus circa talẽ obiectum, & compræhensione plenè, & perfectè applicata. Et cum inquiritur, vnde constat nõ fuisse iudicium plenum, & determinationẽ? Resp. constare, quia illa cognitio versatur circa res naturaliter ignotas angelo, & in quibus procedit coniecturaliter ex effectibus, quos videt, licèt sine discursu, quia immediatè in effectibus sine alio lumine deducto, vel actu coniectat de causis, imperfectè tamen, non autem procedit ex principijs compræhensiuè cognitis, & ideò plenum iudicium formare non potest, nec certi aliquid statuere, nisi præcipitantur, & temerariè, quod ex hoc ipso non est fixum, neque immobile.

3740 Ad 3. Prob. Res. angelum iudicare modò esse impossibilẽ consecutionẽ rei, quam appetijt. Ad tertiam probationem dicitur, Angelum iudicare modò esse impossibilem consecutionem rei, quam appetijt, scilicet, vt singulariter dominaretur omnibus, vel relinqueretur in sua pura natura potiùs, quàm ex beneficio Dei habere gloriã, aut cõmunicando cum hominibus, quos valdè despiciebat. Cęterum licèt, quod assecutione istarum rerum amiserit spem, quia nihil horũ intendebat efficaciter consequi, nisi sub conditione, si ad id pateret via, & dependenter ab alijs extrinsecis, quæ nõ erãt in sua potestate, ideòq; circa illam consecutionem non habebat immobile iudicium, tamen circa propriam excellentiã, & rationem formalem appetẽdi illã cũ tanta singularitate, & circa refutationẽ gloriæ, & supernaturalium bonorũ, vt ex gratia, & speciali beneficio habẽdorum efficaciter se habet, & in hoc non mutat iudicium ex pœna, quã sentit, sed obstinatior manet, eligens potius illam pœnã, quã ex gratia Dei habere gloriam, & ita, vt dicit S. Th. *in hoc art. 2. ad 2.* manet in diabolo peccatum quantũ ad appetitum, licèt non quantum ad hoc, quod credat se posse obtinere. Imò quando ipse peccauit, & refutauit ex superbia gratiã Dei, benè vidit se peccare, & damnationẽ incurrere quomodo .n. ignorare hoc potuit, ꝙ etiã hoĩes sciũt? nec ipse credit se absolute posse obtinere res illas, quas desiderabat, siuè affectatę dominationis, siuè supbissimæ singularitatis, licèt velle illa sic, si posset esse locus obtinendi. Quòd autẽ efficaciter voluit, scilicet manere in suæ singularitate, & excellentia sine dependentia à beneficio speciali gratię Dei, hoc semper efficaciter voluit, & modò vult, & si cum tanto damno suo, quòd etiam tunc non recusauit, quia nõ ignorauit.

3741 Ad confir. Res. Ad 1. Authoritatem Damasceni dicimus, non dixisse, omne liberum arbitrium creatum esse mobile. Ad conf. Resp. illas authoritates non conuincere. Ad primam dicitur, angelum appellari rectè à Damasceno semper mobilem, & omne arbitriũ creatum, esse mutabile, sed non dicit esse mobilem sic, idest, per retractationem, & postquã semel aliquid voluit. Hoc non dicit Damascenus. Verificatur autẽ semper esse mobilẽ, vel circa diuersa obiecta, quę de nouo accidunt, & circa quæ angeli habent nouos affectus, licèt semper sub eodem fine, quẽ prius elegerunt, & circa ipsum finem fuerunt mutabiles antequàm determinatè eligerent inter primũ, & secundũ instans, non postea, nec contra hoc dicit Damascenus. Similiter eùm dicunt Sancti solùm ex gratia Dei esse immutabiles in bono, verissimum est: licèt enim Angelus ex proprio modo operandi petat inflexibilitatem post electionem, tamẽ quod ista sit in bono, & non in malo ex magna Dei gratia est, quam si suspenderet, in malo obstinarentur. Per gloriam autem redduntur immutabiles, etiam quoad supernaturalia, ꝙ ex natura sua nõ habent.

3742 Ad authoritatem Fulgentij in eadẽ confir. Resp. Ad authoritatem Fulgentij Resp. illam conditionalem esse verissimam, sed non supponere, angelum esse mutabilem postquam semel elegit, sed loquitur de conuersione ad bonum ex parte gratiæ, & virtutis ad eam requisitę. Et dicit, quòd si gratia, & initium resumendi bonam voluntatem esset homini naturali, etiam angelo, quantum est ex parte virtutis, seu virium, quæ ad id requiruntur: ista .n. virtus supernaturalis est, quæ quidem supernaturalitas, & virtus si esset naturalis homini, etiam angelo, & sic procedit illa conditionalis Fulgentij, sed quantũ ad exercitiũ huius virtutis, modũq; operãdi, vt scilicèt si homo potest ex natura sua esse reducibilis postquã voluit aliquid, etiam Angelus reducibilis sit, quantũ ad hoc Fulgentij conditionalis non procedit, nec ab ipso ponitur, sed solũ quod si ex parte supernaturalis, & excellentiæ esset homini connaturalis illa gratia, etiam Angelo.

DVBIVM VIII.

An Dæmones, & Animę damnatorum, actum aliquem, aut opus naturaliter bonum, valeant operari.

3743 Duo sunt in Dæmonibus actuum genera OMissa Dæmonũ pœna, ꝗ passio est, de qua infra disp. seq. cui⁹ occasione cõtinuè peccãt de actionib⁹, & effectibus eorũ breuissimè disseremus. Duo verò

verò sunt in Dæmonibus actuum genera, vt hic ait S. Doct. ad quintum, alterum eorum, qui ex voluntate deliberata procedunt; alterum eorum, qui minimè liberi, sed naturales sunt, vt sui cognitio, & dilectio. Prioris generis actuum duę sunt differentiæ; quidam enim sunt per se, & intrinsecè malis vt actus superbiæ, odij, & inuidię. Quidam verò sunt ex genere suo boni moraliter, vt dicere veritatem, suadere Ieiunium, orationem, & elæemosinã; quæ ex obiecto, siuè ex genere suo bona sunt. De actibus intrinsecè malis nulla dubitatio est; nunquam enim benè fieri possunt, & contrariè actibus moraliter bonis opponuntur.

3744 *1. Concl. Actus ex voluntate deliberata procèdentes, vt eliciantur à Dęmone, semper sunt mali.*

Actus autem ex voluntate de liberata procedentes, & ex genere boni, vt eliciuntur à Dæmone, semper sunt mali, quamuis enim, vt ait S. Doct. Dæmon aliquando bonum opus aliquod faciat, nõ tamen bene facit; veritatem enim dicit, vt decipiat, ieiunium suadet, vt debilitet, & ad opera bona reddat ineptum, ad orationem hortatur, vt illudat; elæemosinam suggerit, vt in superbiam, seu vanam gloriam eleuet; Actibus deniq; naturalibus abutitur ad malum: Dilectioni namque sui ipsius naturali rationem apponit vltimi finis moraliter malam, & diuina bona ad propriam ordinat excellentiam, vt affirmat S. Doctor *de malo qu. 13. art 3. ad 11.* cuius verba sunt: *Quicumque aliquid concupiscit appetens illud sibi, appetit illud propter se, & ideò se quidem fruitur, illo autem quòd concupiscit, vtitur, & sic Diabolus appetens sibi diuinam æqualitatem, vsus est rebus fruendis*, Hęc ibi S. Doctor.

3745 *Si Diabolus diligeret summè eipsum amore amicitię, Deũ non diligeret, vt finem desideratum.*

Quibus verbis innitens Capreolus *in secundo sententiarum, dist. 7. q. 1. respondens ad primum argumentum Durandi*. Scite docet, quod, si Diabolus constituisset vltimum finem in Deo, diligens Deũ vltimatè amore concupiscentiæ, non tamen amicitiæ, se ipsum diligendo summo amore amicitiæ, Deum non haberet, vt finem debitè desideratum, cum nullum intellectualis creatura finem sibi valeat ordinatè præfigere, nisi Deum amore duplici summè diligat, scilicet amicitiæ, & concupiscentiæ, & post Deum se summè diligat amore amicitiæ: Diabolus autem, se summè dilexit amore amicitiæ, Deum autem amore concupiscentiæ; & dato etiam (inquit Capreolus) quòd Diabolus sũmè Deum concupisceret, & amaret, quia tamen non vellet eum, & eius fruitionem per gratiã adipisci, adhuc inordinatè adhæreret fini, & ex fine sic concupito nullum opus perfectè bonum procederet, sed malum, & inordinatum.

3746 *Prob quia qualis est proportio voluntatis nostrę ad Beatitudinem in communi, talis est proportio voluntatis perfecta ad finem suum.*

Eandem S. Doct. doctrinam luculentiùs hic explicat Caietan., quem alij sequuntur expositores. Qualis .n. (inquit) est proportio voluntatis nostræ ad beatitudinẽ in cõmuni, talis est ꝓportio volũtatis perfectè extra viã ad finẽ suũ; adeo vt quemadmodum voluntas ad boni rationem est naturaliter determinata, sic voluntas per electionem plenè deliberatam affecta completè ad vnum, cui scilicet afficitur, finem determinatur. Cum autem angelus, siuè anima existens extra viam affectione illa completa respiciat id, cui afficitur, non vt finem quendam particularem, sed vt vniuersalissimum, eo quod in eum feratur, vt vltimum, in quem scilicet finem vltimum omnia diriguntur, & ex quo omnia mensurantur in illum ordinata, consequens est, Dæmonem, & quemcumque extra viam existentem sic affectum ad aliquid, vt vltimum finem, ac proinde illi immobiliter inhærentem, vniuersa per eum appetita in talem finem non solùm habitualiter, sed etiam actualiter, aut saltem virtualiter ordinare: Dixi, *saltem virtualiter*, ne facilè reijciam modum dicendi Caietani, quem sequitur, & explicat Bannes.

3747 *2. Ratio. & melior. Dæmon nullum opus moraliter bonum efficere potest, quia finem peruersũ semper actualiter appetit*

Sed verior mihi videtur sententia Capreoli in allegata responsione ad primum Durandi, quem sequitur Zumel, & fauet etiam Ferrar. *lib. 4. contr. Gent. cap. 95.* & Bannes *dub. vltimo, conclusione 3.* affirmat vero Capreolus, ideò Dæmonem nullum opus efficere posse moraliter bonum, quia finem peruersum semper actualiter contemplatur, & appetit; quo fit, vt in damnato, & obstinato Dæmone actualis peruersi finis appetitio sit appetitui cuiuscumque rei semper actu coniuncta, ac proinde non habitu, vel virtute tantùm, sed etiam actu in præconceptum, ac prædilectum finem peruersum dirigat vniuersa. Et mea quidem sententia longè probabilior, immo simpliciter vera est in hac parte doctrina Capreoli. Nam, cum Angelus semetipsum semper diligat actu naturaliter, nec possit Dæmon actum aliquem naturalem exercere, absq; morali apposita deformitate, vt ait S. Doct. *hic ad secundum*, & deformitas illa præcipuè pendeat, ex ordine ad finem peruersum, quem sibi Dæmon ab initio peccati præstituit, & cuius affectio volũtati facta naturalis, eam veluti natura determinat immobiliter ad vnum, sequitur euidenter, omnia per Dæmonem appetita in finem illum peruersum ab eo actualiter ordinari.

3748 *Confirm quia Dæmon nõ potest suspendere cognitionem vltimi finis.*

Huic dicto fauet Bannes in tertia conclusione vltimi Dubij ad hunc artic. dicens Dęmones non posse suspendere cognitionem, & affectionem illius finis vltimi, ad quem se conuerterunt. Radicem prædictę veritatis assignat Caietanus, & post eum Bannes Zumel, & alij, ex eo, quòd finis vltimus in operabilibus ita se habet ad vniuersos actus, & operabilia in eum ordinata, sicut se habet primum principium in speculabilibus ad conclusiones ex eo dependentes. Quemadmodum ergo virtus primi principij in qualibet conclusione participatur, sic virtus, & qualitas moralis vltimi finis per voluntatem appetiti, siuè bona, siuè mala in qualibet eius appetitione participatur: iam antè diximus Angelum præuaricatorem propriam excellentiam, vt vniuersalissimum, & vltimũ finẽ appetijsse.

3749 *2. Confir. quia angelus non potest practicè videre aliquid operabile, nisi per actualẽ vltimi finis notitiam.*

His adde, non posse angelum cognoscere cõclusiones speculatiuas, nisi simul etiam intueatur prima principia speculatiua, & in eis conclusiones intelligat: igitur nec etiam fieri potest, vt Angelus videat aliquid operabile, aut aliquod appetat bonum, aut refugiat malum, nisi per actualem vltimi finis notitiam, & amorem, propter quem cętera diligentur, aut odio habentur. Cum autem asserimus bonam finis qualitatem moralem in ijs, quę sunt ad finem, participari, non ita accipiendum est, quasi dicamus ex sola finis bonitate bonum reddi simpliciter actum, & opus in ipsum ordinatum. Vt enim sit absolutè bona moraliter operatio, necesse est, vt non solùm habeat finis bonitatem, sed bonas etiam oportet esse cęteras omnes eius circumstantias: bonum enim, vt ait Dionysius, consurgit ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus. Quod igitur intendimus est, finis bonitatem in id, quod agitur propter finem, ita deriuari, vt bonum cum hac determinatione dici valeat, nimirum ex fine, non tamen simpliciter, & absolutè, finis vero malitia sic deriuatur ad opus in eum ordinatum, vt ex ea fiat, & dici debeat absolute malum ob iam dictam causam.

3750 *2. Concl. malus angelus est obstinatus in omnibus actibus suis in indiuiduo.*

2. Conclusio. Malus Angelus est obstinatus in omnibus actibus suis in indiuiduo. Itaq; licet aliquos actus facere posset ex obiecto bonos: tamen nullum actum facit simpliciter bonum. Et nõ est sensus, quòd non facit actus bonos supernaturaliter, aut gratos Deo: Nam hoc certum est de fide. Sed sensus est de bonitate morali, quoniam omnes actus Dæmonis sunt mali simpliciter. Et hæc est sententia D. Th. in hoc articulo solutione ad quintum: & est communis Theologorum *in 2. d 7.* Alens. *2 par. q. 118. memb. 3.* Fauet Gregor. *18. moral. c. 1. Omnis, inquit, voluntas Diaboli, iniusta est.* Bernard. *lib. 5. de consid circa fin.* generaliter de dãnatis, ait, *quòd voluntas eorum non potest, nisi peruersè mouere: & quòd numquã afficitur ad aliquod bonũ.*

3751 *Prob. ex Patribus. Augustine & Alijs.*

Quod Aug. vbi supra *de fide ad Petrum*, confirmat dicens: *quòd sicut illi, qui cum Christo regnabunt, nullas in se malæ voluntatis reliquias habebũt; ita illi, qui erunt in supplicio ignis æterni, sicut nullã vlterius requiẽ habebũt, sic nullatenus bonã habere po-*

terunt voluntatem. Quòd latè prosequitur super illud psal. 6. *In inferno quis confitebitur tibi?* vbi ait, *quòd sicut Christus omnia benè facit: ita Dæmon omnia malè*. Et Glos. explicans illud Ioan. 3. *Diabolus ab initio peccat*, inquit: idest, *Ab initio sui peccati nihil aliud fecit, nisi peccare*. Et illud Prouerb. 30. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ*, ait Glos. *Dæmonem perpetuò peccandi ardore incitari*. Colligitur etiam hęc conclusio Iob. 10. *Vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*. Greg. Arim. reddit rationem huius conclusionis: Quia ad quodcumque bonum morale efficiendum, vt illa putat, requiritur auxilium gratiæ. Sed hoc est falsissimum: vt patet in materia de gratia.

Aliorum rationes improbatur. Vnde, plures assignantur à Theologis rationes huius conclusionis. Nam alij dicunt, vt Marsilius, quia auxiliũ commune, & ordinarium denegatur damnatis, quantum ad bona opera efficienda. Quod non facile impugnari potest: Sed non est necesse in id tendamus modò. Alij verò Theologi dicunt, hanc obstinationem prouenire ex illius mala electione: quia Dæmon constituit in se vltimum finem. Nam ratione illius secluso alio statu omnia illius opera sunt mala Nam angelus, sicut cognoscit conclusionem in principijs, & resoluit illã vsque ad primum principium: ita vult medium, reducendo illud vsque ad vltimum finem. Dum ergo se habet pro vltimo fine omnia ad se ordinãtur ad vltimum finem: & ex parte finis vltimi, omnia eius opera sunt mala. Cęterùm hęc ratio non videtur simpliciter necessaria. Quia non est necesse, quod angelus in omni suo actu consideret de vltimo fine, quem sibi peccando præscripsit: maximè quod peccans non simpliciter, & formaliter constituit, seipsum vltimum finem, sed magis simpliciter, & arguitiuè. Non est necessarium quod actu ordinet omnia ad se, tanquam ad vltimum finem.

3752 *Vera Ratio est quia cùm Dæmon sit in actuali odio Dei, quidquid operatur, & vult ordinat in prauum finem.* An verò si fingeremus viam Angelorum fuisse longiorem, posset facere in aliquo instanti aliquod opus bonum morale, licèt esset in peccato; sicut contingit nunc in peccatore, vel infideli, & idolatra? non facilè explicari potest. Quia angelus sẽper est in actuali vigilia, & consideratione: ac proinde recordationem habet sui vltimi finis. desumẽda ergo videtur ratio ex dictis Nã cùm Dęmon sit in actuali odio Dei; & inuidia Dæmonis quidquid operatur, & vult ordinet in prauum finem: non vult aliquid quatenus rectum, & honestum est, sed quatenus conducit ad sui odij excusationem, vel inuidię. A posteriori etiam potest confirmari.

3753 *Confirmatur quia si Diabolus posset vnũ opus bonũ morale facere, posset se exercere in actibus virtutibus.* Quia si Diabolus posset vnum opus bonũ morale facere, posset se exercere in actibus virtutis: posset ergo rectè viuere, & virtutes acquirere, quod repugnat illi statui. Ex his omnibus planè colligitur D. Th. sententia, nempe, quòd damnati nullum possunt actum moraliter bonum exercere. Nam si possent bonas exercere operationes morales, non essent perfectè, & consummatè in malo obstinati; nam adhuc esset in illis affectio, & inclinatio ad bonum morale: consequens autem est absurdum. Et confirmatur. Nam angelus desertor propter arbitrij inflexibilitatem non potest recedere à fine, cui semel deliberatè adhęsit; neque se conuertere ad nouum finem: sed in prima deliberatione conuersus est Angelus ad semetipsum, tanquam ad finem vltimum: semper ergo permanet in affectione huius finis, & non se de nouo conuertit ad aliũ: igitur omnis operatio procedit in damnatis ex affectione ad malum finem: ergo omnis operatio moralis eorum, mala est. Tandem in gloria Sanctorum nullum potest esse malum morale, aut incommodum: ergo per contrarium in inferno dicendum est, vbi damnati impatientissimo furore corripiuntur aduersus Deum.

3754 *Tertia Concl. Dæmones non possunt suspendere omnẽ affectionem, aut cognitionem vltimi finis.* Sed dubitabit forsam aliquis: Vtrum saltem damnati possint cessare ab omni opere malo morali; itaut quamuis non possint positiuè benè agere moraliter, saltem possint ab omni malo opere, & ab omni peccato desistere? & in hac re sit tertia conclusio. Dæmones non possunt suspendere, aut omnem affectionem, aut cognitionẽ vltimi finis, in quem se retulerunt, & conuerterunt. Quæ conclusio apud eos, qui sentiunt Dæmones per peccatum conuersos fuisse ad seipsos, tanquam ad vltimum finem; euidentissima est. Nam angelus nũquam cessat à cognitione, & amore sui ipsius. Verùm supposito, quòd peccauerunt angeli circa finẽ supernaturalem, indebito modo se conuertẽtes ad naturalem; indebito modo seipsum amat: quamuis non sit conclusio adeo euidens, est tamen certissima.

Prob. quia finis in supernaturalibus ita se habet, sicut se habent prima principia in speculatiuis. Et persuadetur. Quoniam finis in supernaturalibus ita se habet, sicut se habent prima principia in speculatiuis: sed impossibile est, Angelum cognoscere conclusiones, nisi simul cognoscat prima principia, à quibus pendent; quia angelus cognoscit conclusiones in principijs: ergo impossibile etiam est, angelum considerare practicè aliquod agibile, aut velle aliquod obiectum bonum, aut detestari aliquod malum, sine actuali affectione, & cognitione vltimi finis; propter quem cætera omnia diliguntur, vel odio habentur. Et confirmatur. Nam fieri non potest, quòd Angelus non sit in actuali consideratione, & detestatione tormentorum: ergo etiam fieri non potest, quod non sit in actuali affectione finis vltimi, ad quem referat detestationem illam: potissimè, quia vermis conscientiæ semper torquet Angelum, & adest illi de primo peccato, quod commissit.

3755 *4. Conclusio Damnati suspendere nõ possunt omnẽ suã operationem.* Quarta conclusio. Damnati suspendere non possunt omnem suam operationem prorsus & oppositum dicere, est contra fidem. Nam cruciatus, & pœnæ damnatorum sunt perpetuæ absque vlla intermissione: Si autem suspenderetur omnis actus in damnatis, suspenderentur etiam tormenta ipsorum. Quam conclusionem Diu. August. *de fide ad Petrum cap. 3.* plenè docet, affirmans, *damnatos, neque sine mala voluntate, neque sine pœna esse posse*.

3756 *5. Conclusio Angelus in quocũque statu sit, non potest suspendere omnẽ actum intellectus, & voluntatis.* Quinta conclusio. Angelus in quocumque statu sit, non potest suspendere omnem actum intellectus, & voluntatis; & idem dicendum est de anima rationali à corpore separata. Hæc conclusio significatur à Diu. Thoma 2. contr. Gent. cap. 97. Quia impossibile est, si attendamus ordinem naturæ, quod substantia viuens careat omni vitali operatione: At Angelus, & anima separata habere non possunt alias operationes vitales, nisi intellectus, & voluntatis: ergo impossibile est, quòd totaliter cessent ab huiusmodi operationibus. Profectò, euidens est, quod cognitio, qua angelus cognoscit se ipsum, & Deum authorem naturæ, & dilectio, qua, & se, & Deum naturæ authorem diligit, & amat, sunt operationes Angelo connaturales, & etiam animę separatę: ergo saltem ab his operationibus cessare non possunt. Ex quibus omnibus planè colligo, Diabolum non solùm virtualiter, sed & formaliter referre omnem suam liberam operationẽ in vltimum finem prauum, in cuius affectione obstinatus manet: & ex consequenti omnis eius operatio mala est, vt minimum ex circumstantia finis passiui. Contra hoc tenuerunt Scotus, & Gabriel. Quia Dæmones, inquiunt, habent naturã integram; & hoc sufficit ab bonum morale: & propterea volunt esse, & viuere, & vellent etiam nõ peccasse, Sapientię 5. quod bonum est. Cæterum valde turpiter errant isti authores, vt ostensum est à nobis, ac proinde eorum argumenta statim dissoluenda sunt à nobis.

1. Obiectio. Primum Argumentum Probat Durandus suum placitum, ex illo Sapientiæ 5. vbi legimus, damnatos habere pænitentiam de mala vita ante acta: Quid nobis profuit (dicunt) superbia, & diuitiarum iactantia quiu contulit nobis? omnia prætererunt tanquam vmbra. Et *Lucę* 16. de diuite Epulone sepulto in inferno dicitur, quod rogabat Abraham, vt mitteret nuntium ad fratres suos, ne venirent in locum tormentorum. Vbi patet illos

actus

actus fuisse bonos in illo Diuite.

3757 *Resp. permitte re damnatos suorum peccatorũ naturali pœnitentia, quia Deus est author pœnæ.*

Respond. quód pænitet damnatos suorum peccatorum, & malorum, naturali pęnitentia: solùm ob id, quòd Deus est author pęnæ, & iustus iudex, & vellent ex amore suorum scelerum, Deum non habere iustitiam punitiuam, Itaque non penitent propter offensam, & culpam commissam contra Deum: sed quia patiuntur tormenta. Ad illud verò de diuite Epulone respondetur, quòd ille non procurabat salutem fratrum propter illorum bonum; sed propter seipsum, ne augeretur eius, pęna: & in odium Dei, ne Deus castigaret malitiam, & peccatum illorum contra Deum comissum. Ita Docent Gregor. & Chrisost. super illum locum. Quo circa, illa compassio diuitis, non ex pietate naturali, aut ex amore illorum orta est: sed ex amore proprio, & ex odio Dei, vt dictum est.

3758. 2. *Obiectio.*

Secundum. Nam Dæmon habet operationes quasdam purè naturales intellectus, & voluntatis quales sunt cognitio sui, & authoris naturæ, & similiter amor sui, & Dei vt est commune bonum naturæ: Sed huiusmodi operationes peccata esse non possunt, aliàs malitia illarum tribueretur cōditori naturæ ipsius: igitur in plerisque operationibus possunt bonè moraliter agere.

Resp. actus illos purè naturales semper permanere in Dæmonibus.

Resp. quòd actus illi purè naturales permanent semper in Dæmonibus: quia oriuntur ex inclinatione pure naturali, quæ anteuertit omnem operationem, & inclinationem moralem in Angelis, siue bonam, siué malam. Et ita huiusmodi actus boni sunt bonitate naturali in Dæmonibus: non tamen bonitate morali. Imò, si Diabolus velit huius modi actus naturales per Liberam voluntatem referre, & ordinare ad finem aliquem, continuo vitiabit eos vitio, & malitia morali: quia non potest non eos referre in malum finem præconceptum.

3759 3. *Obiectio.*

Tertium. Operatio, quæ tantùm est moraliter bona, pertinet ad ordinem naturæ; nam operatio moraliter bona non superat facultatem naturalem voluntatis hominis, aut Diaboli: igitur voluntas damnati prodire potest in talé operationem. Sané, operatio quæ est solùm moraliter bona, est consentanea viribus naturæ intellectus, & voluntaris hominis, & Angeli: sed naturalia in Dæmonibus integra permanserunt, vt docet D. Diony. ergo Dæmonis voluntas eandem retinet vim naturalem ad operationes morales sibi proportionatas post peccatum, quam habuerat ante peccatum.

3759 3. *Obiectio. Resp. Opus bonũ morale superare voluntatem Damnati, prout voluntas est obstinata in malo.*

Respond. operatio bona moraliter non superat facultatem voluntatis damnatorum: si tamen consideretur voluntas eorum secundum se absoluté, & solitarié. Cæterum si consideretur voluntas, prout est obstinata, & facta immobilis, sub praua mali finis affectione, non solùm excedit virtutem, sed etiam repugnat illi velle aliquid bonum morale. Adde etiam, vires naturales integras mansisse quantum ad potentias in Angelis: mansisse tamen obstinatas in malo, ratione summæ miserię, quam habent; ex qua oritur vt omnes suos actus dirigant in prauos fines. Et intelligitur hoc pręcipuè de actibus voluntarijs, & liberis. Nam actus naturales (vt hic dicit S. Th. ad 5.) habent suam bonitatem naturalem, non moralem. Et huiusmodi est illa voluntas, qua volunt esse, & viuere, & forté etiam remorsus cōscientię: quamuis tali bono actu abutãtur ad malũ. Vnde, istis met actibus naturalibus malé vtuntur Dæmones; ordinando eos ad prauos fines: nam ipsum esse, & viuere ordinant, vt possint aliquos actus exercere contra Deum. Denique quę pertinent puré ad cognitionem naturalem manserunt in Angelis, sicut ea, quæ pertinent pure ad ordinem naturæ. Quæ omnia, etiam dilectio pure naturalis vitiantur ab eodem Diabolo, quia intentio finis penitùs est deprauata in Dæmonibus. Hinc est, quod Dęmones nō solùm carent beatitudine supernaturali, sed etiam fęlicitate illa, qua potirentur, si in puris naturalibus conditi permansissent. Quia ex malitia morali in statu damnationis omnia vitiantur: eó quód ex intentione finis pendet totus ordo moralis. Hæc autem intentio finis pęnitùs vitiata est in Dæmonibus.

Quartum. voluntas Dæmonis ita inclinatur ad bonum, sicut eius intellectus ad verum: sed intellectus illius multa vera cognoscit: ergo voluntas aliqua bona moralia potest amare. 3760. 4. *Obiectio.*

Resp. quód suos etiam motus habet voluntas eorum in bonũ, sicut intellectus ad verum: sed tamen, cùm desit rectitudo intentionis, vterq; actus vitiatur. Vera enim loquuntur aliquando, sed vt decipiant: bona proponunt, sed vt in mala protrahant. *Respondetur.*

Instabis. 1. Quia dolere de peccatis propter pænam, est actus bonus in viatore: sed hunc actum Dęmones habent, & damnati; Pœnitentiam agentes, &c. Sapientiæ. *Instabis 1.*

Respond. quód talis affectio, qua displicet peccatum propter seculi tormenta, aliàs summoperè diligeret, etiam in via est praua, vt dicere solemus, de seruilitate timore. Si quis enim ex timore mundano furtum non committat, alioqui paratus ad crimen; hic, tam est in furto ex parte culpę, quàm si opere placuisset. Et talis timor mundanus est in Dęmonibus: nusquam enim dolent de diuina offensa, sed de proprio malo; vt explicatum est supra. *Respondetur.*

Instabis. 2. Nam cauere malum proximorum, officium est pietatis; sed talem actum habuit diues ille Epulo. Lucæ 16. igitur damnati possunt habere actum bonum moraliter. 3761 *Instabis. 2.*

Resp. quod illa compassio diuitis non ex amicitia, aut pietate orta est, sed ob alias causas: vt interpetrati sumus suprà solutione ad primum. *Respondetur.*

Quintum, si damnati habere non possent actum bonum, id proueniret ob id, quód voluntas eorũ est in malo fine obstinata: sed hoc non videtur esse verum. Quia Diabolus non peccauit appetendo malum finem; aut ex parte rei electæ: sed ex parte modi appetendi. At voluntas Dæmonis in eodem fine manet, modó, ad quem se retulit, & conuerrit cùm peccauit; ergó. 3762 5. *Obiectio.*

Resp. quód licèt Dæmones se se conuerterint ad bonum finem secundùm se consideratum: tamen conuerterunt se indebito modo, superbo quidem, & arroganti. Ac proinde, finis ille, prout est sub illo modo, est malus finis. Et sub isto modo voluntas Dæmonis appetit semper hunc finem: imó omnia, quæ vult, & operatur, ordinat in finem hunc sub tali modo appetitum, & volitum. *Respondetur.*

Sextum. Quià aliàs si non posset operationem moraliter bonam exercere, sequeretur, quod careret damnatus omni libertate. Quod patet. nam libertas est facultas voluntatis, & rationis ab bonũ & malum. 3763 6. *Obiectio.*

Resp. negando sequelam. Et ad probationem respondetur, non esse de ratione libertatis, quod sit indifferens ad bonum, & malum. Itaque indifferentia ad malum, & posse velle malum, non est de ratione libertatis: sed potiùs est defectus illius. De qua re lingeam fecimus disputationem suprà q.59. art.3. dũ disseruimus de libero arbitrio Angeli, & Dei. Vide etiam, quæ scripsimus 1. tom. q. 19. art. 10. Deus namque est natura sua liber: & tamen malum velle non potest. Et id circo saluatur optimè libertas, in eó quód voluntas seruato ordine ad bonum finem pro suo arbitrio modo eligit istud medium, modo illud: itaut possit, quod maluerit eligere, & proportionabiliter dicendum est de malo fine, cuius rei optima ratio est. Quia libertas non est circa finem, sed circa media, per se loquendo. Et ita licèt voluntas sit determinata ad finem: potest tamen conseruare libertaté circa media. Ex qua doctrina colligo, quod Angelo vt sic, non conuenit libertas ad bonum, & malum per se, & necessarió; sicut competit illi sua differentia essentialis: sed ei conuenit libertas permissiue ad bonum, & malum, vt si consideremus hominem, *Respondetur Non esse de ratione libertatis, quod sit indifferens ad bonum & malũ.*

hominem, aut Angelum, abstrahendo ab hoc, vel illo statu. Nam si homo, aut Angelus considerentur quatenus sunt in statu viæ, in quo statu neuter est in bono, aut malo sine confirmatus; per se cõuenit illi libertas ad bonum, vel malum. Si verò homo, aut Angelus considerentur prout sunt in statu termini, nullo modo potest illius competere libertas illa ad bonum, & malum. Sed damnatis, necessariò conuenit libertas ad malum, beatis verò præcisè ad bonum.

3765 7. Obiectio. Septimum. Homo quamuis in peccato mortali, sit habitualiter conuersus ad malum finem, nihilominus potest exercere operationes moraliter bonas, quæ non procedant ex inclinatione ad illum malum finem; v.g. potest colere parentes, dare eleemosinam ex pietate naturali: ergo eadem ratione damnatus, quamuis sit ad malum finem cõuersus, poterit habere actum, qui non procedat ex affectione ad malum finem; nempe tristari de suis peccatis quatenus extiterunt causa pœnarum, quas sustinet, id ad malum finem minime referendo.

Respondetur. neg. consequentiam. Resp. negando Consequentiam. Nam est vtrobique dispar ratio. Quia inclinatio ad malum finem in homine peccatore dum est in via, non est conuersa, quasi in naturam: sed adhuc se habet per modum habitus liberi, quo vtitur voluntas, vt vult, & quando vult, quamuis operetur secundũ naturalem inclinationem, quam habet ad bonum. In damnatis verò inclinatio, vt diximus, est conuersa ad malum finem, quasi in naturam voluntatis. & idcircò secundùm modum eius semper ex necessitate operatur.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtrum Dolor sit in Dæmonibus.

SVMMA ARTICVLI D. Th.

CONclusio. Dolor prout nominat simplicem actum voluntatis, est in Dæmonibus. Prob. Dolor, secundùm quod significat actum voluntatis, nihil aliud est, quàm renisus volnntatis, ad id, quod est, vel non est, sed Dæmones multa vellent non esse, quæ sunt; & multa vellent esse, quę non sunt. Nam Dæmones, cùm sint inuidi, vellent damnari omnes, qui saluantur. Secundò, sunt addicti pænæ; de cuius ratione est, quòd repugnet voluntati. Tertiò, priuantur beatitudine, quam naturaliter appetunt. Et vltimò, quia eorum mala voluntas in multis cohibetur. ergo.

Arg. 1. Augu. dicit contra Manih. *quòd Diabolus habet potestatem in eos, qui Dei præcepta contemnunt, & de hac infælici potestate lætatur*. Sed dolor, & gaudium opponuntur. ergo. Resp. ad min. quòd si dolor, & gaudium sint respectu diuersorũ non opponuntur. Vnde Dæmones de pęna, cui sunt afflicti, de beatitudine amissa, & de alijs, quæ dicta sunt, dolent, & gaudent de infælici illa potestate.

Arg. 2. In quibus non est timor, non est dolor; quia dolor est causa timoris; sed in Dæmonibus non est timor. *ex Iob.* 10. ergo. Resp. esse in Dęmonibus dolorem de præsenti, & timorem de futuro. Intelligitur autem sententia Iob, de timore cohibente à peccato.

Arg. 3. In his, quæ non possunt facere bonum, non est dolor, quia dolere saltem de malo culpæ, est bonum facere. Sed Dęmones non possunt facere bonum. ergo. Respon ad min. quòd licèt Dęmones sint mali per culpam, remansit tamen in eis bonum naturę. Vndè dolere de malo pœnæ, vel de malo culpæ propter pænam, attestatur bonitas naturę, cui malum pænæ opponitur.

DISPVTATIO CCCXXXI.

Explicatur diffinitio penæ communiter sumptæ, & diuiditur in pænam Damni, & in pœnam sensus.

PRincipium *definiendæ veritatis in proposita Disputatione à pæna diffinitione, ac diuisione, & eius differentijs, ac propria cuiuscumque membri ratione sumendum est. Pœnæ diffinitionem collegimus, & explicauimus* suprà *vbi diximus* malum pœnæ esse substractionem, siuè priuationem quandam formæ, & integritatis rei, *idest suppositi rationalis ex diuina prouidentia, & iustitia contrà ipsius suppositi voluntatem. In qua diffinitione* subtractio, *siuè* priuatio, *ponitur loco generis, siuè sit verè, àt propriè siuè sit commune tantum analogum; nomine verò* formæ, & integritatis, *non solùm formà, potentia, & habitus, ac partes eius integrantes significantur, sed illud etiam omne comprehenditur, quod potest esse necessarium ad benè operandum, siuè spectet ad animam, siuè ad corpus, siuè ad res exteriores; horum enim omnium singulorumque bonorum priuationes pœnę dicuntur secundùm fidei catholicæ documenta, vt ait* S. Doctor in 2. sentent. distinc. 35. 3765 Pænæ Definitio explicatur.

Additur prętereà, suppositi rationalis, *eò quod malum pænæ soli congruit naturę rationali, sicuti, & culpa, vt enim ait* S. *Doctor, loco paulò antè notato ad secundum, & de malo quæst. prima, art. 4. pæna, & culpa non distinguunt malum simpliciter, sed in rebus tantum voluntarijs. Postrema Demum particula diffinitionis est, contra ipsius suppositi voluntatẽ; quia de ratione pęnæ est, vt sit contraria voluntati, vt ibidem affirmat* S. *Doctor, & in 4. contra Gentil. cap 141. ait de ratione pænæ esse non solùm, vt sit priuatiua boni, sed etiam vt sit contraria voluntati, & addit;* non autem cuiuslibet hominis voluntas existimat bona, secundum quòd sunt, ideò contingit interdum vt id, quod est maioris boni priuatiuum, est minus contrarium voluntati, & propter hoc minùs pænale esse videtur. *Hęc ibi.* 3766 Explicantur Particulę eiusdem definitionis.

Igitur secundùm mentem D. *Thomę gradus pænæ maior, aut minor erit iuxta gradum maiorem, aut minorem contrarietatis mali ad voluntatem; quòd intelligendum est posita, siuè data mali paritate. Cùm autem in voluntate tria consideremus, scilicèt actum, habitum, & propęnsionem eius naturalem, tribus etiã modis pæna poterit esse voluntati contraria. Primò namque potest esse contraria voluntati actuali; vt cũ infligitur pæna actu scienti, & consideranti. Secũdò potest esse contraria voluntati habituali, sicut si alicui minimè consideranti, subtrahitur aliquod bonũ: his enim doleret subtractionem cõsideraret: deniq; potest esse pæna voluntati contraria, quoad inclinationem ipsius voluntatis naturalem; vt cũ priuatur aliquis habitu virtutis, volens non habere virtutem, priuatio hæc quamuis sit actu volita, contraria tamen est naturali voluntatis inclinationi, quæ tendit in bonum virtutis. Hæc verò latiùs explicauimus in allegata quæst. 48. art. 5.* 3767 Gradus pęnæ maior, aut minor, erit iuxta gradum maiorem, aut minorem contrarietatis mali ad voluntatẽ.

Diuiditur autem pæna in pænam damni, & pænã sensus: pænæ damni, quæ per se primò pæna est, conuenit supraposita pænæ definitio: pæna verò sensus, quæ secundario pæna dicitur subtractioni, siuè priuationi, lesionis, siuè afflictionis actum ab extrinseca causa procedẽtem adiungit: cùm enim flagellatur aliquis, aut vritur, non solùm debita, & natura consentanea dispositione, & operatione priuatur, sed etiam contrariam, naturæ suę dispositionem recipit, & per eam affligitur. 3768 Diuisio Pęnæ, vt sic.

Quam

Confirmatur hæc diuio ex S. Doctore.

Quam differentiam Sanc. Doctor explicat eleganter in secundo sentent. dist. 34. art. 2. his verbis: Si autem dicatur malū per accidens], quia causat talem priuationem, hoc potest esse dupliciter: quia causa priuationis debitæ perfectionis, vel est ex parte materiæ, quæ est indisposita ad recipiendam virtem agentis, sicut est defectus in monstris, & alijs, quæ ex defectu materiæ contingerant; aut ex parte agentis, & hoc contingit dupliciter: quia vel agens est coniunctum agenti in contrarium perfectionis debitæ, sicut ignis adurens, & gladius secās, & ex hoc sequitur malum, quód dicitur pœna sensus in sentientibus, in quibus culpa, & pœna esse possunt, quia tale agens, quód priuat perfectione debita, eo quód coniunctum est, sentitur. Aut est agens non coniunctum impediens influentiā causę perficientis; sicut dicuntur nubes malę, in quantum impediunt lumen Solis, ne ad nos perueniat, & quia talis causa non sentitur ex ipsa perfectionis subtractione, cùm non tollat perfectionem agendo in id, quod priuatur, sed magis impediendo agentem ex hoc, quod perfectione subtrahit, cùm remota sit. Sed forte sentitur alio modo per accidens: sicut, quia nubes videntur, ideo malū, quód ex hoc sequitur, non dicitur pœna sensus, Sed pœna damni, in illis tamen, quæ pœnę susceptiua sunt in malis. *Hæc ibi S. Doctor.*

3769 Differentia inter pęnā Damni, & sensus.

Ex quibus elucet prędicta differentia inter pœnam damni, & pœnam sensus, & definitio pœnę in communi superius allegata, quoniam vtraque malum est, quia priuationem causat debitę perfectionis, quamuis diuersa ratione: si nanque sit perfectione debita priuat ex parte agentis, vt agens, quod perfectione debita priuat, sit coniuncta agenti, scilicet sentienti, malum consequens dicitur pœna sensus; si verò non sit coniunctam, sed impediens influentiam causę perficientis, malum consequens dicitur pœna damni, quia prouenit ex diuina iustitia impediente diuinę bonitatis influxum beatitudinem communicantis.

3770 Petes.

Petes Quot sint gradus pœnæ damni, & an dolor consequens priuationem visionis beatificæ pertineat ad pœnam damni.

Resp. tres gradus esse Damni; & Dolorē consequentē visionem beatificam spectare ad pœnam Damni.

Resp. Tres gradus esse pœnę damni; & dolorē cōsequentem priuationem visionis beatificæ spectare ad pœnam damni: qua propter obseruandum est diligēter pœnę damni plures esse gradus, siuè modus; quorū vnus altero completior est. Cùm enim, vt ante diximus de ratione mali pœnę sit, vt sit cōtraria voluntati, iuxta modum contrarietatis ad voluntatem erit etiam modus, & gradus mali pœnę supposita paritate priuationis. Et summa quidem contrarietas est, cùm malum actuali voluntati repugnat, minor verò, si repugnantia mali sit cum voluntate tantùm habituali; minima demum existet, si naturali tantùm repugnabit inclinationi voluntatis. Quo fit, vt in genere pœnæ damni eadem boni priuatio atque adeò pœna, quæ mitior, ac leuior erat, fiat accessione repugnantiæ voluntatis acerbior, vt si quis absens, & ignorans in pœnam delicti fuerit officio, vel dignitate priuatus, verā, & propriè dictam damni pœnam nesciens sustinebit, sed acrior illi fiet eadem pœna, cum priuatione illius habita notitia consurgere actualis in voluntate repugnantia. Hoc autem, quòd in vnius personę pœnam sustinentis exemplo demonstrauimus, in diuersis etiā possumus iudicare suppositis: eadem enim beatificæ visionis priuatione pueri sine baptismo, & vsu rationis decedentes puniuntur in Limbo qua damnati puniuntur in Inferno. Sed quia, damnati dictæ priuationi sua voluntate repugnant, non autem pueri, ideò damnatis summa pœna est ea priuatio, nō autem pueris.

3771 Minima pęna Purgatorij excedit maximā pænam huius vitæ.

Vnde Sanc. Doctor in quarto sentent. dist. 21. q. 1. quæstiuncula 3. *postquam distinxit duplicem pœnam purgatorij, dicens alteram esse damni, & alteram sensus, statuit conclusionem dicens* minimā pænam purgatorij quantum ad vtrumque excedere maximam pœnā huius vitę: *quam probans quoad pœnam damni subdit:* Quanto enim aliquid magis desideretur, tanto eius absentia est molestior; & quia affectus, quo desideratur summum bonum post hanc vitam: in animabus Sanctis est intensissimus, quia non retardatur affectus mole corporis, & etiam quia terminus fruendi bono iam aduenisset, nisi aliquid impediret, ideò de tardatione maximè dolent. *Cū itaque loquatur ibi S. Doct. de pęna damni pro vt distinguitur à pœna sensus, & afferat pœnā dāni in animabus purgatorij minorē esse maxima pręsentis vitæ pœna propter intensissimum desiderium fruendi summo bono, & ob summum dolorem ex tali desiderio, ex absentia boni consequentem, satis apertè significat dolorem de priuatione boni conceptum, ad pœnam damni pertinere; alioquin pœna damni non posset dici maior ex tali dolore secundùm se formaliter, & propriè.*

Dub. 1. An Dolor Damnatorum sequens ex priuatione visionis beatificę, simplicite, & proprie pertineat ad pœnam Damni.

Dub. 2. An Dæmonibus Gaudium inesse valeat propriè dictum, de potestate, aut vittoria contra peccatores obtenta.

DVBIVM I.

An dolor damnatorum sequens ex priuatione visionis beatificę, simpliciter, & propriè pertineat ad pœnam Damni.

EX dictis patet significatio nominum, scilicet *pœnę damni*, & *pœna sensus*, quæ non eadem est apud omnes Molina siquidem, & Vasquez damni pænam opinantur in sola priuatione consistere, tristitiam autem, & dolorem omnem ex sola etiam priuatione boni conceptum ad pænam sensus pertinere: ait enim Vasquez *cap. 2.* dupliciter aliquid esse posse malum alicuius: vno modo re ipsa absque vlla cognitione, & tristitia, quæ ex cognitione oriatur, & hoc, inquit, malum habet rationem damni eius, cuius est malum, & rationem pænæ damni, quoties propter peccata infligitur; & hanc pœnam dicuntur pati Dæmones, non quatenus illam sentientes tristantur, sed quatenus re ipsa lesionem, & damnum patiuntur; Alio modo aliquid dicitur esse malum, quód ea ratione solùm est disconueniens, quatenus sentitur, seù cognoscitur, & cognitum tristitiam affert; & hoc malum, inquit Vasquez, quoties infligitur propter peccata dicitur pœna sensus. Alij verò pœnam sensus in damnatis solùm eam esse contendunt, quam causat in eis ignis inferni. 3772 *Refertur opinio molinæ, & Vazquez quoad pænā Damn.*

Sed optima differentia est, quam assignat Sanc. Doct. *in prima secund q. 87. a. 4.* & alibi sæpe, videlicet pænā damni peccato respondere ex parte auersionis à Deo incommutabili bono; pænam verò sensus eidem peccato respondere ex parte conuersionis ad commutabile bonum, Peccato verò ex parte auersionis respondet quidem primo, & immediatè priuatio beatitudinis perpetuæ, sed consequenter etiam, & secundario, ac veluti perfectio, & vltimum complementum eidem peccato ex parte auersionis correspondet afflictio, seù tristitia, & dolor ex apprehensione intellectus, & renitentia voluntatis erumpens, vt patet ex locis D. Th. *superius allegatis.* 3773 *Reijcitur ex differentiam inter pænam damni, & sensus, assignatā à D. Th.*

Et probatur ex opposito bono, cuius ratio completur per superadditas perfectiones, vt ait S. Doct. *supra quæst. 5. art. 1.* adeó vt, quamuis ratio boni consequatur rationem entis, vt eius proprietas naturalis, nulla tamen res secundùm primum actum substantialem dicitur bona simpliciter, sed tantū secundum quid, secundùm perfectiones autem vltimas superadditas fit bona simpliciter, cum tamen illę perfectiones ab ipsa rei substantia sint extraneæ, quia sunt accidentia; similiter itaque priuatio v.g. diuinæ visionis nudè sumpta dicitur, & est vere pæna damni, sed eius perfectio, siue complementum ex tristitia, doloreque priuationem illā apprehensa consequente dependet, itaut præciso dolore pæna damni sit quid imperfectum in genere pœnę. 3774 *Ratio boni cōpletur per superadditas perfectiones.*

Quia

3775 *De ratione pœnæ esse, vt voluntati repugnet.*

Quia de ratione pœnæ, vt ait S. Doct. est, vt voluntati repugnat, & quò maiorem habuerit cum voluntate repugnantiam, eò maius habebit in suo genere complementum: maxima verò repugnantia est, cùm actu cognoscitur, & tristitiam, ac dolorem ingerit volntati. Præterea delectatio, siuè fruitio consequens visionem essentiæ diuinæ ad beatitudinem pertinet essentialem, non quidè vt in eius clausa quidditate, sed veluti proprietas, & passio consequens essentiam beatitudinis, quæ visio, est, supremam illi conferens perfectionem, & complementum. Similiter ergo dolor, qui priuationem sequitur visionis beatificæ, ad pœnam damni pertinet essentialem, vt eius proprietas, & vltimum eius complementum.

Euasio! Sed ait Molina, nullam esse consequentiam, quia delectatio, quæ ad præmium attinet essentiale, tanquam illius complementum, oritur ex ipsomet præmio essentiali, nimirum ex visione Dei, & amore eiusdem clarè visi sine vlla alia intermedia actione. At verò tristitia de beatitudine amissa oritur ex pœna damni mediante alia actione, videlicet ipsius notitia, & præterea oritur ex peculari ratione culpæ, quam tanquam pœnam committatur.

3776 *Præcluditur. quia merè per accidens est id, quod pertinet ad rei complementū, media actione ab essentia proficiscatur.*

Sed hæc responsio minimè diluit argumentū. Merè siquidem per accidens est id, quod pertinet ad vltimum rei complementum, actione aliqua, aut nulla mediante, ex essentia rei, cuius est complementum, enasci; corporis enim humani perfectio, siuè complementum ex ipsius corporis naturalis virtute trahit originem quidem immediatè, sed actione virtutis augmentatiuę mediante, quam constat à virtute, & actione generatiua distingui, qua corpus in esse producitur; colores etiam, & picturę, & id genus alia ad ornamentum attinētia Domui iam extractę distinctis actibus apponuntur, cùm tamen ad eius pertineant complementū; nec minus quàm accidentia rei naturalia proprium subiectum indebita perfectione constituant; quod etiam de speciebus Angelorum asserendum est secundùm eorum sententiam, qui dicunt eas non ex eorum essentia pullullare, sed actione Dei speciali fuisse de super illis infusas, quas tamen constat ad Angelorū perfectionē, & complementū pertinere.

3777 *Conclusio.*

Ex hucusque dictis sequitur vnica conclusio quæsito respondens, videlicet: Dolor damnatorū sequens ex priuatione visionis beatificæ simpliciter, ac propriè pertinet ad pœnam damni, vt vltimum illius complementum. Huius probationes ex præcedenti discursu facilè colligentur.

1. Obiectio.

Contra propositam conclusionem argumentatur Molina, Primo. Pœna damni integra est in omnibus damnatis, etiam in pueris, qui propter solum originis peccatum damnati sunt, at in his nulla est tristitia de beatitudine amissa; ergo. Confirmatur hæc ratio: quoniam esto illi, qui cum solo originis peccato ex hac vita discesserunt, in perpetuum ignorarent se in pœnam pro eo peccato priuatos esse, imo esto ignorarent possibilem esse beatitudinem supernaturalem, nihilominus haberent integram pœnam damni, quæ in carentia beatitudinis supernaturalis alias futuræ est posita, sufficienterque essent puniti pro peccato originis, at tunc nullam haberent tristitiam de tali pęna damni, ergo tristitia de pęna damni, non ad ipsam pœnam damni sed ad pœnam sensus attinet.

3778 *Respondetur. Pœnam pueris in limbo esse quid imperfectum in genere pœnę.*

Resp. primo, pœnam damni in pueris ob solùm originis peccatum in limbo damnatis inflictā esse, quid imperfectum, tam in genere pœnæ, quàm in genere talis pœnæ; scilicet damni, quæ ex propria ratione nata est actu voluntatis priuationi repugnante, compleri, vt patet ex diffinitione mali pœnæ superius explicata. Quamuis enim infantes illi sufficienter, vt exigit diuina Iustitia, sint puniti, nō est tamen illa pœna perfecta simpliciter in genere pœnæ damni, quæ vt perfecta sit, absolute contrarietatem, siuè repugnantiam exigit voluntatis. Secundo dico, falsā esse minorē argumēti.

Secundò. Tristitia illa non oritur ex nuda carētia beatitudinis, in qua posita est pęna damni; sed ex notitia, quę priuatio illa cognoscitur, nec oritur ęqualiter in omnibus damnatis, sed in his, qui ob solùm originis peccatū damnati sunt, oritur nulla, in reliquis verò, quo grauiùs peccauerunt, eo oritur, maior, atque ideo pœna illa, sicut, & cruciatus ignis respondet quantitati peccatorum; ergo non pertinet ad pœnam damni, sed sensus. 3779 *2. Obiectio.*

Resp. nullā esse consequentiam Respond. nullā esse consequentiam. Notitia siquidem illa priuationis beatitudinis ad pęnā damni pertinet, nec debet seorsum ab ea computari, cùm nihil aliud sit ea notitia, quàm ipsa priuatio in esse cognito, ex qua veluti intrinseco, & formali, ac immediato principio tristitia nascitur; ex patratis vero peccatis oritur, vt ab extrinseca causa, & vt materia morali, circa quam pœnæ supplicio exequendam versatur Dei supremi Iudicis, & agentis operatio.

Tertio: Tristitia illa in ratione tristitiæ, ac doloris eiusdem rationis est cum tristitia, quæ existit in cruciatibus inferni, & cum tristitia, & inuidia, quam damnati habent de beatitudine, & bonis beatorum; sed ex sententia eorum, cum quibus disputamus, non solùm dolor, & tristitia, quæ ex igne inferni proficiscitur, sed etiā illa, quæ oritur ex inuidia de bonis beatorum, pertinet ad pœnam sensus, ergo etiam tristitia, de amissa beatitudine ad pœnam sensus spectabit. 3780 *3. Obiectio.*

Respondetur falsam esse primam propositionem. Resp. falsam esse primam propositionem: Quia tristitia inuidiæ coniuncta, & in ea clausa peccatum est, ad speciem pertinens ipsius inuidię, quæ est tristitia de bono alterius, quatenus æstimatur diminuere gloriam propriam, vt ait S. Doctor *secunda secundę, quæstione trigesima quarta, articulo sexto*, & alibi sæpe; tristitia vero puerorum in limbo, siquæ in eis est, & existentium in Purgatorio, longe segregata est ab inuidia, & à quocūque peccato, & actus est voluntatis naturalis bonitatem indicans naturæ, & voluntatis.

Quarto vermis damnatorum ad pœnam sensus pertinet, pars autem vermis est tristitia de beatitudine sua culpa amissa: ergo tristitia de beatitudine amissa ad pœnam sensus spectat. 3781 *4. Obiectio.*

Respondetur. vermes damnatorum spectat ad vtrāq; pœnam. Resp. vermen damnatorum secundum vnā rationem pertinere ad pœnam sensus, quatenus, scilicet tristitia, & dolor nomine vermis significatur, consequitur memoriam peccatorum, vt meritoria sunt pœnæ sensus per ignem inflictæ, quæ respondet peccato ex parte conuersionis; secundùm aliā vero rationem, quatenus, scilicet dolor ille consequitur memoriam peccatorum, vt meritoria sunt priuationis æternæ fœlicitatis, ad pœnam attinet damni, quæ peccato respondet ex parte auersionis, vt scitè Bannes aduertit.

Quinto: Nomine pœnę sensus, hic intelligitur pœna, quę formaliter affligit, vt est dolor, tristitia, & cruciatus, quę vitali potentia percipitur; id autem, quod extrinsecùs illam afficit, dicitur pœna sensus, tanquam pœnam efficiens, non vero quasi sit ipsa pœna, & molestia interior, quæ percipitur: & deniq; pœna sensus distinguitur ab ea pœna, quę etiam si non percipiatur, nec affligat, in se tamen est damnū, vt vera pœna illata propter culpam, vt est priuatio sempiternæ beatitudinis, quæ proinde ea ratione à pœna sensus distinguitur: sed dolor & tristitia damnatorum de beatitudine amissa, est vera actio vitalis eos affligens; ergo pertinet ad pœnam sensus, & non damni. 3782 *5. Obiectio.*

Resp. Malè describi à Molina pœnam sensus, nec bene distingui, per assignatam ab eo differentiam à pęna damni: veram differentiam assignamus supra ex Diu. Th. in secundo sententiarum distinctione trigesima quinta articulo secundo, iam enim diximus, dolorem formaliter affligentem, qui oritur ex priuatione diuinæ visionis à dānato consideratā ad pœnam damni, vt eius cōplemētū pertinere. *Respondetur.*

Sed contra responsionem hanc ex eodem expositore duo possunt argumēta proferri, Primū est quo- 3783 *1. Euasio.*

nam

quoniam in damnatis ob ſolùm originis peccatum completa eſt pœna damni, nec tamen adiunctam habet huiuſmodi triſtitiam.

2. Euaſio.

Secundum eſt. quia pœna damni non ſolùm includit priuationẽ viſionis diuinę eſſentiæ, & amoris Dei clarè viſi, ſed etiam delectationis, & cæterorum bonorum, quę indè erunt redundatura; ergo tam integra eſt in ſe, eſtò ex notitia, quę de illo habeatur, nulla oritur triſtitia, quàm integrum futurum erat præmium: igitur videtur, quòd ad complementum pœnæ damni, vt priuatiuè opponitur integro pręmio eſſentiali, neceſſaria non ſit eiuſmodi triſtitia, quin potiùs ſuperaddatur damnatis ob culpam actualem in pœnam, quàm vltra pænã damni, integramuè priuationem præmij eſſentialis merentur, ſicut etiam cæterę pœnæ ſenſus eis ſuperadduntur.

Præcluditur vtraq; Euaſio.

Reſpondetur ad primum. in damnatis ob ſolùm originale peccatum, completam eſſe pœnam damni complemento diuinæ iuſtitiæ, cuius eſt, pęnam adæquare delicto: non tamen eſſe completam vltimo complemento apto nato conuenire pœnæ dãni in genere ſuo, vel in genere pœnę, vt late ſuprà diximus. Et ꝑ hoc ſoluitur etiã ſecundũ argumẽtũ. Probat enim pœnam illam eſſe integram primo modo, non autem ſecundo; & ideò negatur ſecunda conſequentia, quæ de complemento loquitur ſecundo modo. Nec obſtat, quod in eſſentiali beatitudine, quæ dictę opponitur pœnæ damni, non facile diſcerni poſſit complementum oppoſitum complemento pœnæ damni, ſatis enim eſt in ea beatitudine aliquid eminenter reſpondens contineri, putà gradum maioris beatitudinis, quàm ſit pura viſio ſolius eſſentię, vel aliquid huiuſmodi.

DVBIVM II.

An Dæmonibus Gaudium ineſſe valeat propriè dictum de poteſtate, aut victoria contra peccatores obtenta.

3784 *Concluſio. in Dæmonibus nullum eſſe poteſt gaudium ſimpliciter, & propriè dictus*

COmmunis eſt expoſitorum conſenſus, in Dæmonibus nullum eſſe poſſe gaudium ſimpliciter, & propriè dictum, ſed in eis aliquid inueniri, quòd ſecundùm quid, aut per ſimilitudinem, aut impropriè gaudium nominatur. S. Doct. *in quarto ſententiarum, diſtinctione quadrageſima quinta, quæſtione ſecunda. articulo ſecundo, quæſtiuncula prima ad quartum*, de damnatis illis hominibus loquens, pro quibus S. Macharius orauit, & intellexit, eos iuuamen ex eius oratione cępiſſe, ait, non ita fuiſſe iuuatos, vt eorum pæna minueretur, ſed eis tantum orante Machario fuiſſe conceſſum, vt mutuo ſe viderent, vt Damaſcenus confirmat ex vitis Patrum; ſed in hoc ait S. Doct. verum non habebant gaudium, ſed phantaſticum; quia, ſcilicet implebatur hoc, quod deſiderabant, & ſubdito, *ſicut, & Dæmones gaudere dicuntur, dum homines ad peccatum pertrahunt, quamuis per hoc eorum pœna nullatenus minuatur, ſicut nec minuitur gaudium Angelorum per hoc, quòd malis noſtris compati dicuntur*. Hæc ibi: quam definitionem expoſitores omnes recipiunt, quamuis non eodem modo interpręt entur, Bannes enim, & Zumel. exiſtimant, Dæmones de victoria contra homines reportata gaudere non formaliter; ſed cauſaliter, quia ſcilicet in hoc eorum deſiderium expletur, quę deſiderij adimpletio ſuaptè natura eſt delectationis, & gaudij productiua in ſubiecto, quod eſt delectationis, & gaudij capax, qualis non eſt voluntas dęmonis, quę ſumma triſtitia, doloreque conficitur.

3785 *Opinio Molinæ, & Vazquez.*

Molina gaudium illud impropriè dictum ait, eſſe complacentiam in euentu deſiderato, ad quam ſequeretur lętitia, niſi Deus denegaret concurſum vniuerſalem. Vaſquez opinatur in hoc poſitam eſſe Dæmonum lętitiam, quod, cum homine ſemel, atque iterum victo, nullam capiant voluptatem, praua tamen affectione ducti, iterum ipſum, aut alium hominem aggrediuntur, appręhẽtes ſibi in futura victoria nouam cauſam lętitiæ, quàm in præcedente victoria non inuenerunt, & in hoc ſe habent, inquit, inſtar eorum, qui lętantur. Dæmonibus gaudium verum, ac propriè dictum minimè conuenire, ſed radicaliter, ſeu cauſaliter tantùm, & impropriè ſumptum. Cùm ſuperiores omnes dicendi modi, vna dumtaxat excepta Vaſq. phantaſia, ſint probabiles, nec alter alteri ſit aduerſus, quamquam aliqui videantur eſſe diminuti, aut certè minus apti, non eſt quòd longa diſputatione vexemur in definienda propoſita difficultate. 3786 *Concluſio Dęmonibus gaudium verum, & proprium minimè conuenire.*

Nota 1.

Diſcernenda verò primò certa ſunt ab ijs, de quibus eſt, aut eſſe fortaſſe poſſet aliqua dubitatio. Certum eſt autem primò Deo permittente multa Dæmonum impleri deſideria, circa lapſus, & perditiones hominũ, quas auidiſſimè, cõcupiſcũt, & tota ſua virtute procurant. Præterea certũ eſt, formaliter loquendo, nullã ex parte Dęmonum pœnam poſſe diminui, alioquin non eſſet ſumma, nec ſtabilis eorum miſeria; nam, & ſpes illa diminuenda, ſiuè mitiganda nonnumquam ex aliqua parte triſtitia, ſiuè dolor, non paruum eis leuamen afferret.

3787 *Nota 2. Quòd triſtitia vehemens omnem delectationem excludit.*

Denique certum eſſe debet iuxta philoſophi doctrinam *in 7. Ethicorum cap.* 14. triſtitiam vehementem omnem delectationem excludere, ſicut vehemens delectatio triſtitiam omnem expellit. Verba philoſophi ſunt: Expellit autem delectatio triſtitiam, & quę contraria, & quę contingens, ſi ſit fortis. Quę verba exponens Sanc. Doct. ibi ait, *delectationem expellere non ſolùm triſtitiam contrariam, ſicut delectatio cibi, triſtitiam famis expellit ſibi directè contrariam, ſed etiam ſi delectatio ſit fortis, expellere quamcumque aliam triſtitiam; quia omnibus triſtitijs contrariatur ſecundùm genus, quãuis non ſecundũ ſpeciem: Similiter itaque triſtitia, ſi fuerit fortis, & vehemens delectationem excludet.*

3788 *Corollarium. Nullum gaudium Dæmonibus, aut cuicumque damnato ineſſe poteſt.*

Ex his velut firmis, ac indubitatis veritatibus ab omnibꝰ admittẽdis ſequitur euidẽter, nullã Dęmonibus, aut cuicunque damnato gaudium ſimpliciter, ac propriè dictum poſſe contingere, cùm enim væhementiſſimus ſit eorũ dolor, ſũmaq; triſtitia, nullũ in voluntate delectationis aut lætitiæ gradum admittit. Cum itaque Sanct. Doct. affirmat cum Auguſtino, Dæmones de ſua infelici poteſtate lætari, & gaudium in eis ſimul eſſe poſſe cum dolore, quia dolor, & gaudium de diuerſis minimè ſunt oppoſita, & nihil prohibet vnum, ſimul dolere de vno, & gaudere de alio, quia non ſolùm in diuerſis, ſed etiam in vna, & eadem re poteſt eſſe aliquid, ꝙ volumus, & aliquid, quod nolumus, intelligẽdum eſt de gaudio non formaliter, & propriè dicto, ſed radicaliter, vel cauſaliter, & impropriè.

3789 *Dęmones non habent complacentiam verã de his, quę ſibi proſperè ſuccedunt.*

Cùm enim, vt ante diximus, complura Dæmonum adimpleantur deſideria, & in euentu pro voto ſuccedente complaceant, hoc ipſo gaudere, ſiuè lętari non incongruè dici poſſunt, quia proximã habent lętitię radicem, & cauſam, ſcilicet cõplacentiam, quam tamen nulla conſequitur vera lætitia, eo quod eam, vt ante diximus ſumma triſtitia non admittit. Quemadmodum etiam dolentibus cõpati dicantur Angeli Sancti, nõ quidem formaliter, ac propriè, ſed quaſi radicaliter, & cauſaliter; quia ſcilicet diſplicẽt mala noſtra; ex actu verò diſplicẽtiæ, ſequitur triſtitia naturaliter in ſubiecto capaci, qualis non eſt Sanctorum voluntas Angelorum diuinæ bonitatis fruitione repleta; & hoc voluit ſignificare S. Th. loco ſupra notato, & expoſitores allegati ſuper hoc articulo.

3790 *Soluuntur dicta Molinę, & Vaſquez.*

Quod autem ait Vaſquez, ſcilicet Dæmones eſſe adeo prauè affectos, vt cùm ex præterita victoria nullam voluptatem perceperint, nihilominùs appręhendant ſibi in futura victoria nouam cauſam lętitiæ, quã in prӕcedenti victoria non inuenerũt, & in hoc ſe habere inſtar eorum, qui lætantur, valdè puerilę eſt. Norunt enim Dæmones euidenter nullum ſibi gaudium ex quacunque re, vel euẽtu poſſe contingere, cũ probè ſtatum ſuum cognoſcant infeliciſſimum, ac proinde nullius eſſe voluptatis, lætitiæuè capacem. Dictum verò Molinę, videlicet Deum denegare Dęmonibus concurſum ſuum generalem, ne ex implicatione cuiuſcunque deſiderij lętitia, & gaudium in eis reſultet, atque adeo nullam in eis propriè dictam eſſe poſſe

Mmmm lętitiam

lætitiam, meritò reprehenditur à Vasquez, quoniam hæc esset perpetua quædam violentia, quę Deo authori naturæ tribuenda non est.

ARTICVLVS QVARTVS.

Vtrum aer iste sit locus pœnalis Dæmonū.

SVMMA ARTICVLI D. Th:

CONclusio prima, locus pœnalis Dęmonum, qui eis similiter conuenit, est infernus. Quia hic locus conuenit Dæmonibus ratione suæ culpæ. 2. Concl. Aer iste caliginosus, est locus pœnalis Dæmonū, propter procurandam hominis salutem. Quia bonum diuinæ prouidentiæ habet, vt bonū inferiorum, per superiora procuretur. Angeli autem secundùm eorum naturam, sunt medij inter Deū, & homines. 3. Concl. Aer istę caliginosus est locus pœnalis Demonū, tantùm vsq; ad diem iudicij. Quia tandiu Dęmonibus debetur aer iste caliginosus pro loco pœnali, quandiu durat procuratio salutis humanæ. 4. Concl. nō omnes Demones sunt in isto aere caliginoso. Quia aliqui eorum nùnc sunt in inferno ad torquendū eos, quos ad malum induxerunt.

Arg. 1. Natura spiritualis non afficitur loco. Sed Dęmones sunt naturæ spiritualis. ergo. Resp. ad ma. quòd locus non est pœnalis Angelo, aut Animę, quasi afficiens alterando naturam, sed quasi afficiens voluntate contristando, dum scilicèt Angelus, vel Anima appræhendit se esse in loco, non cōuenienti suæ naturæ.

Arg. 2. locus pœnalis hominis est infernus. ergo multò magis locus pœnalis Dæmonū. Quia peccatum hominis non est grauius, quàm peccatum Demonis. Resp. Neg. cons. & Ratio disparitatis est, quia vna Anima secundùm naturæ ordinem, non præfertur alteri Animæ. Demones autem secundùm naturā preferuntur animæ, propterea propter eius bonū procurādū, vsq; in diem iudicij, Dæmones in aere caliginoso manebūt.

Arg. 3. Demones patiuntur pœnā ignis. Sed in aere caliginoso non est ignis. ergo. Resp. quòd licèt Dæmones dū in illo aere, actu non alligantur gehennali igni, tamen ex hoc ipso, quòd sciunt, illam alligationē sibi deberi, eorum pœna non diminuitur. Vnde dicitur in quadam Glossa, quòd portant secum ignem, quòcunque vadunt.

DISPVTATIO CCCXXXII.

Quomodo ignis inferni torqueat Dęmones, & Animas.

3791 Locus proprius pœnalis Dæmonum est infernus.

IN hoc vltimo articulo de pęna Dæmonum concludit D. Th. locum proprium pœnalem Dæmonum esse infernum quem merentur ratione suæ culpæ, aliquos tamen Dæmones detineri in hoc aere natura sua caliginoso, & tenebroso, vt homines exerceantur per impugnationem contrarij, vt loquitur D. Th. quod in bonum hominum Deus permittit; quam impugnationem conueniens fuit fieri per malos Angelos, sicut per bonos Angelos retrahuntur homines à malo, hoc autem erit solum vsque in diem Iudicij, tunc enim omnes mali Angeli in infernum detrudentur. Atque hęc est etiam communis Patrum, & Theologorum doctrina ex Sacris litteris desumpta.

3792 Difficultas.

Cum id ergo certum sit, restat tamen hoc loco vltima; & non leuis difficultas; quomodo scilicet locus inferni possit esse pœnalis Dęmoni, qui non videtur, posse pati à loco corporeo. Pro qua re supponendum est tanquam certum secundùm catholicam sententiā, vt habent authores hoc loco, & fusè Suarez loco citato lib. 8. de Angelis cap 12. esse in inferno verum ignem corporeum, quo non solùm corpora damnatorum hominum post diem Iudicij, sed etiam nunc Dæmones, & animę torquentur, & cruciantur, quod colligitur ex multis locis scripturę Sacræ, quæ Patres, & Scolastici in verò sensu intellexerunt, licet alia de pœnis inferni circa Dæmones, & animas separatas facilius intelligi possent metaphoricè, tamen de igne, veluti primario quodam instrumento Dei, res est propriè intelligenda: ita Matth. 22. dicitur ignis inferni paratus Diabolo, & Angelis eius. *Apoc. 20. dicitur.* Dæmon missus in stagnum ignis, & sulphuris, vbi bestia, & pseudoprophætæ cruciabuntur die ac nocte. *Luc. 17. anima Epulonis fatebatur cruciari in flammis, & alia huiusmodi, & quamuis aliqui Patres vtantur hoc modo loquendi, quod ignis inferni comburat, seu vrat etiam spiritus, tamen in scripturis non vidi talem modum loquendi, in ordine ad spiritus, vel animas separatas, sed solùm, quòd cruciat, vel torqueat, & similia, hoc ergo posito difficultas est, quomodo ignis inferni possit Dęmones cruciare, & torquere.* — Quomodo infernus possit esse locus pœnalis Dæmonum, cùm sit corporeus.

3793 Prima ratio dubitandi.

Ratio verò dubitandi est, quia hic cruciatus in Dæmone non potest esse aliud, nisi aliquis dolor & tristitia spiritualis pertinens ad pęnam sensus explicatam, nihil enim fingi aliud rationabiliter potest, vt autem Dęmon dolorem, & tristitiam assiduè patiantur, necesse est, vt apprehendat ignem tanquam sibi malum, & inconueniens, nam tristitia, & dolor sunt de malo præsenti, vel ergo ignis est Dęmoni formaliter malus, sicut est calor aquę, vel causaliter. quia scilicet causet aliquod malum vnde sequatur dolor, & tristitia, & vtrumque videtur difficile, nam ignis nō est forma recepta in substantia Angeli, vt possit esse illi formaliter malus, neque videtur quid possit causare in Dęmone, quod sit obiectum Doloris, & mestitię, vt hoc modo sit causaliter malus; neque potest dici ignem causare hanc tristitiā, quia apprehenditur à Dęmone, vt sibi malus, licèt re vera non sit malus, quæ n. erit Causa huius falsæ apprehensionis in Dæmone?

3794 Secunda ratio dubitandi.

Item neque dici potest ignem esse malum Dęmoni, quia causat in illo tristitiam, nam potius è contra, ideò causat tristitiā. quia est malus: & adhuc explicandum restaret, de quo malo causaret tristitiam, ideò hæc, & similes responsiones, quas fusè prosequitur Vasquez. Becanus, Arrubal, & alij hoc articulo, & Suarez lib. 8. cap. 13. & sequent. falsę sunt. vnde propter rei difficultatem idem Vasquez. disp. 243 cap. vltimo existimauit fatendum esse rem nobis esse ignotam, quod quidem verum est, si loquamur de perfecta, & exacta notitia, si autē de aliqua probabili, vt in cęteris rebus factum est, potest etiam aliquid probabiliter de hac re dici.

3795 Prima, & secūda sentētia Refertur.

Omnes ergo in hac re probabiles sententiæ mihi videntur ad tres reduci posse. Prima est eorum, qui dicunt ignem causare dolorem in Angelis, quia causat in illis actione intentionali aliquam speciem sui, vel alicuius rei ad se pertinentis, vel immediatè sui notitiam, quæ ex aliquo capite sit Angelo inconueniens. ex cuius apprehensione tristetur, quam sententiam fusè impugnat Suarez loco citato *cap. 13. sed hæc opinio reduci potest ad eiusdem Suarez sententiam, quam habet cap. 14. §. vltimo 5. ignem inferni torquere Dæmones producendo in eorū substantia actione reali, vt instrumentum Dei, qualitatem quamdā spiritualem, spirituali modo fędantem ipsos Dæmones atque adeò doloriferam, ex cuius apprehensione tristentur. Secunda opinio est, quam sequitur Arrubal.* disp. 181. cap. 3. *ignem torquere Dæmones, quæ vt instrumentum Dei, peculiari modo causat actum ipsum vitalem tristitiæ, quam habent Dæmones de carentia visionis beatæ, & concurrit etiam ad omnem aliam tristitiam, & dolorem, quem concipiunt de quocūq; malo, quod in inferno patiuntur.*

Tertia

3796 Tertia sententia Thomistica refertur.

Tertia sententia est Diui Thomæ, & omniũ Thomistarum, qui asserit ignem torquere Dæmones in inferno, quia virtute diuina detinet illos, ibi alligatos, tanquam in horrendo, & turpissimo carcere, quod apprehendunt Dæmones, vt magnũ malũ post carentiã visionis beatæ, nam ipsis secundùm nobilitatem suæ naturæ debetur locus nobilissimus, & maximè cęlum Empyreũ, vt suprà diximus, & præterea perfecta libertas voluntatis dominandi in corpora, cum ergo videant, se alligari perpetuò, infimo & fœdissimo loco, & corpori, qualis est ignis inferni, itaut non possint inde moueri, maximè tristantur, & sic dicuntur torquari ab igne, qui quatenus est locus indignissimus, cui alligantur, est obiectum particulare nouæquiusdam tristitiæ, & doloris. Ita D. Th. hoc loco, & qu. de anima art. 21. & q. 26. de verit. art. 1. & 4. cõtr. Gentil. cap. 9. & in 4. distinct. 44. q. 3. art. 3. quęstiuncula 3. & quodlibet 3. art. 23. & alibi, *& quidem nemo est, qui negare possit, ignem inferni hac ratione posse Dæmones torquere, nam reuera hoc est aliquod malum repugnans voluntati Dæmonis, sed id, in quo alij dubitant est; an hęc sit propria, & peculiaris, & maxima tristitia, quam Dæmones patiuntur ex igne inferni, an alia maior.*

3797 Conclusio approbatur sẽtentia D. Th.

Mihi ergo in re adeò controuersa, & nobis remota nullo modo videtur discendendum è sententia D. Th. primo quia cęterę sententiæ sunt valdè arbitrarię, & sine sufficienti fundamento, vt constat de prima. Nam vel illa species, vel cognitio, vel qualibet qualitas intentionalis quęcunq; illa sit, est de aliquo malo, vel ordinatur ad cognitionem alicuius mali causati ab igne, vel non est, sed ipsa per se est mala; si primum ostendere deberent illud principale, quod quærimus, nempe quid sit hoc malũ, quod causatur ab igne, & cuius cognitione tristatur Dæmon; si verò dicatur secundum, difficile est ostendere, quomodo hæc species, vel cognitio, vel qualitas intentionalis sit mala Dæmoni, nisi gratis aliquid fingatur. Et eodem modo impugnari potest opinio Suarez.

3798 Reijcitur prima, & secũda sententia.

Difficile enim est ostendere, quę sit ista qualitas dolorifera, & turpis, maximè, vt ipse fatetur, cum talis opinio non habeat fundamentum in antiquis doctoribus, & videatur excogitata gratis. Item secunda opinio non est sufficiens; hic enim non quærimus de sola tristitia, quam habent Dæmones in inferno, sed de aliqua, quam per se, & principaliter ex igne inferni percipiant, si aliqua est, sicuti reuera est, nam illa tristitia, & dolor de carentia beatitudinis non concipitur ex igne, licèt ab illo concurrente simul cum voluntate causaretur, sed ex carentia visionis propter peccata cõmissa, & parum noceret Dæmoni, quòd ad illã concurreret ignis, vt instrumẽtũ Dei, si illã etiã igne non cõcurrente haberet, neq; illa augeatur ex influxu ignis; quare fatetur quidẽ, quòd cũ absolutè nominamus pœnas, quas damnati patiuntur in igne inferni, intelligimus omnes prorsus pœnas, siuè ad has concurrat, siuè non concurrat ignis; & ita absolutè dicimus pęnas inferni esse grauissimas, sed hoc loco peculiariter quærimus, an præscindendo à dolore, quẽ habent Dæmones de carentia visionis beatæ, & propter quæuis alia mala, quæ patiuntur, excepto igne inferni, aliquam habeant peculiarem, ex ipso igne, & pœnam, & quem illa sit.

3799 Sentẽtia D. Th est fundata in authoritate sacrarum litterarum.

At verò D. Th. sententia fundata est in authoritate Sacrarum scripturarum, & Patrum, & solida ratione; neque aliquid assumit gratis confictum; quòd .n. infernus sit carcer, in quo, tanquam in vinculis, & catenis spiritualibus detineantur spiritus, communis est modus loquendi Patrũ; & colligitur ex epist. 2. *Petri cap. 2. vbi dicitur*, rudentibus infernis detractos tradidit cruciandos, *& psal.* 106. *vbi dicitur*, Eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorũ disrupit, quia contriuit portas æreas, & vectes ferreas confregit. *Et licèt ibi sit sermo de limbo; à fortiori tamen intelligi potest de inferno: quod etiã confirmat D. Th. locis citatis authoritate aliquorũ Patrũ; & explicat grauitatem huius pœnę, modo suprà à nobis tacto, & potest confirmari etiam experientia; detineri .n. hominẽ in loco tenebroso, alligatum solet esse causa magnę tristitiæ præsertim quando nulla alia suppetit causa lætitiæ, sicut contingit Dęmonibus maximè .n. sentiunt perpetuò priuari vsu propriæ voluntatis, & libertatis, & ita contineri, seu definiri intra quoddã corpus, & locũ infimũ, vt virtutẽ motiuã ligatã habeant, itaut neq; extra illũ, neq; in illo moueri valeant: in pœnã suorũ peccatorũ; hoc .n. malũ magis videtur, quã fingere in illis qualitatẽ aliã quãcumque doloriferam, & turpem, satis enim dolorifera est hæc alligatio in talibus circumstantijs.*

3800 Alligationem fieri effectiuè instrumentaliter ab igne, non implicat

Circa modũ verò, & executionẽ huius alligationis, existimo non implicare contradictionẽ, quòd possit hæc alligatio fieri ab ipso igne effectiuè, & physicè; vt instrumẽto Dei, iuxta ea, quæ alibi diximus de potẽtia obedientiali actiua; sed quia video aliquas difficultates dubijs seq. enodandas, pro nunc dici potest quòd fiat, vel ab ipso Deo immediatè, vel medijs angelis producendo in ipsa Dęmonis substantia modum aliquem vnionis accidentalis indissolubilis à virtute Dæmonis, vnientem ipsum cum tali loco tanto, vel tanto, qualis est modus vnionis hypostaticæ, vel vnio, quam aliqui admittunt distinctam inter materiã, & formã, nisi quòd hi sunt modi substãtiales, illi solũ accidẽtales; qui etiã modus impedit potentiã angeli motiuã, ne possit loco moueri, & ex sua indiuiduatione dicat ordinẽ ad tale corpus, tãquã ad illud extremũ vnitũ, quẽadmodũ magis producit aliquã qualitatẽ in ferro vnientem hoc sibi, tunc autẽ ignis est malus Dęmoni formaliter, nõ vt forma intrinseca, sed extrinseca, quatenus est terminus alligationis suæ, quę est mala Dęmoni formaliter, vt forma intrinseca. Dicitur autẽ ignis esse Dei instrumẽtũ ad hunc Dæmonis cruciatũ non per modũ principij Agẽtis per influxũ, & per modũ loci cõtinẽtis; & vt terminus, alligationis, sicuti carcer potest dici instrumẽtũ iustitiæ ad puniendos reos, & quia aliquid effectiuè producit in hominib⁹, quos claudit in se, & quia continet intra se. sed de hac re infra probabimus, quomodo ignis effectiuè concurrat.

3801 Confirmatur.

Et cõfirm. quia hic modus alligationis, videtur etiã fieri posse virtute naturali angeli superioris ad inferiorem, quo pacto aliqui Dæmones per incantationes alligãtur ãnulis, & alijs rebus corporeis, vt habet D. Th. quodlib. cit. neque id videtur incõgruum naturę spiritualis, vt habeat sua vincula spiritualia, sicut habent res corporales; quare quod Deus hoc etiam modo puniat Dęmones congruentissimum est.

1. Obiectio.

Sed obijc. primò cõtra doctrinã D. Th. quã sic conatur impugnare Suarez. loco citato, & alij, quia hoc modo non videtur dici posse, quòd Dęmon torqueatur ab igne, sed ad summum torqueatur in igne, & multò minus dici potest quòd torqueatur ab igne, vt ignis est nam quòd tale corpus sit ignis nihil refert ad hunc cruciatũ, neq; .n. torqueretur, si esset aqua, aut terra, &c.

Resp. ad primam partem argumenti.

Resp. quoad primã partẽ argumenti posse in aliquo verò sensu dici Dęmon torqueri, & cruciari ab igne tãquam ab obiecto suę tristitiæ, inquantum violenter est illi alligatus, & tãquã à carcere, & loco, in quo detinetur; sicut potest dici homines cruciari, & torqueri à carceribus, & catenis; quia hæc aliqd efficiant in ipsos; maximè quia obiectum tristitiæ, vel lætitię in modo loquendi, sicut amoris, vel odij accedit ad modum loquendi causæ efficientis, sic enim dicimur allici, & trahi, & moueri à bono, & arceri, & pelli à malo, & sic de similibus, illa ergo causalitas reducitur ad efficientem, & quidẽ influentem, & impedientem, & detinentem, maximè quia ignis, cui alligatur Dęmon, nõ est causa proxima tristitiæ, & doloris, sed media apprehensione agit; quare dici debet, quòd ignis in quãtum alligatiuus Dęmonis; est proxima causa doloris, sic autẽ magis propriè reducitur ad causam efficientẽ: nã alligatio in ordine ad appetitum spectat ad causã efficientẽ, siuè influentem, siuè determinantem, seù applicantẽ, & mouẽtẽ; & ex hoc possunt etiã explicari aliqui Patres cur vocant illũ ignẽ spiritualẽ, & spiritualiter agere nam in quantum est primum agens, aliquo modo spiritualis est.

3803 Resp. ad 2. partẽ ignẽ agere virtute diuina

Ad secundam verò partem argumenti respondeo difficultatẽ soluendam esse ab omnibus, qui docent ignẽ

... agere in Dæmones, nam cùm hoc non possit facere virtute sua naturali, necessè est, vt faciat virtute diuina, & vt Dei instrumentum; ad hoc autem parum refert, quod sit ignis; nam etiam si esset aqua, vel terra posset agere; neque Patres cùm dicunt Dæmones pati, & cruciari ab igne, addunt illas particulas, inquantum ignis, sed in quantum instrumentum diuinę iustitiæ, ad quod parum refert, quòd sit ignis: cur autem Deus voluerit ignē esse vniuersale instrumentū iustitiæ suæ in Inferno, afferuntur cōgruentię. Prima est, quia idem debebat esse in Dæmonibus, & hominibus, quorum corpora per veram, & propriam actionem cruciabuntur ab igne. Secunda, quia ignis natura sua est maximè actiuus, & cruciatiuus, vt ex hoc ostenderetur grauitas illius pœnæ, & maximè deterrērentur homines à peccatis: vnde etiam aliqui Patres, Dæmonum, & animarum dolorem appellant combustionem, quia in nobis combustio causare solet grauissimos, & diuturnos cruciatus, & ardores, & quia nos ardorem aqua refrigeramus, ideò anima Epulonis introducitur, vt petens guttam aquæ. Legi potest D. Th. art. illo vlt. de anim. ad 18. vtrum autem sint etiā in Inferno niues, & aquæ, & vermes, & similia, legi potest apud Suarez loco citato.

3804 2. Obiectio.

Obijc. Secundò. Sequeretur, Dæmones existentes in hoc aere non pati nunc pœnam inferni, quam alij patiuntur ab igne, & sic essent melioris conditionis, quod videtur absurdum. Respondeo ex D. Th. hic ad tertium, & alijs locis citatis, *negando sequelam: & ratio est, quia, vt diximus, ignis non est proximum agens respectu tristitiæ, & doloris, nisi quantum apprehensus; & ligans potentias: quare apprehensio ignis, & eius alligatio, est proximum agens; ex ea verò alligatione, quam hi Dæmones nunc habent quod patiantur illum carcerem potentiarum: eadem prorsus tristitia sequitur in voluntate, ac si actu essent illi igni alligati, sicuti potest homo ex apprehēsione futuri carceris, aut vinculorum habere similem tristitiam illi, quam in ipso carcere habebit, & interdum etiam maiorem: & hoc pacto dicuntur hi Dæmones deferre secū ignem inferni, neque hoc est miraculum, sed secundū legem ordinariam, ita exigente statu, & conditione rerum, posito quod Deus ordinauerit creaturas rationales tali, vel tali modo ad suum finem, à quo deficiendo per peccatum iustè puniuntur per diuinam iustitiam, verum est tamen, quòd Dæmones in hoc aere habent aliquam complacentiam de hac qualicumque libertate, vt supra diximus, qualem non habent Dæmones in inferno: quare hæc priuatio complacentiæ non pertinet ad pœnam veluti essentialem ignis, sed accidentalē, qua possunt carere ad tēpus; sed de hac ligatione potētiarū fusiùs, & propriè Dub. insequētibus.*

3805 3. Obiectio.

Obijc. 3. si ignis inferni torqueret per solam alligationem sequeretur, quod magis torqueretur homo post diem iudicij, quàm Dæmones, vel animę; nam tunc pręter alligationē patiētur in corpore cōbustionē ignis.

Resp. ignem non esse proximū agenté tristitię nisi vt apprehensum,

Respondeo, comparando homines cum Dæmonibus magis passuros homines extensiuè, seù in pluribus; quia patientur in anima, & corpore, non autem intensiuè, sola enim tristitia, quam Angelus substantię nobilioris patietur ex illo carcere; poterit ęquiualere tristitiæ animarum, etiam causata ex incendio corporum vltra alligationem. si verò comparemus homines nunc damnatos in ordine ad se ipsos, quando post diem iudicij resument corpora; fateor pœnam sensus futuram tunc maiorem, seù multiplicem, quam nunc, quia tunc, etiā in corpore patientur, cuius pœnæ nunc non sunt capaces, cùm non habeant organa corpórea, licèt nunc valdè etiam tristetur de apprehensione talis pœnę futurę; cętera, quę addit Suarez, quòd Dæmones dicantur, non solùm detineri, & alligari in inferno, sed etiam cruciari fatemur, vera esse, sed nihil contra prędicta.

Dub. 1. An Ignis ille, quo spiritus cruciantur in inferno, sit corporeus.

Dub. 2. An benè explicetur cruciatus ignis in spiritibus per hoc solùm, quod, ignis sit causa appręhēsionis cruciantis, nō autē ipsius cruciatus effectiuè.

Dub. 3. An ignis torqueat Dæmones per alligationem extrinsecam in ordine ad locum, & multò magis per intrinsecam, qua ipsę potentiæ impediuntur, & alligantur.

Dub. 4. An hæc alligatio causata ab igni, fiat in spiritibus, & Animabus per aliquā qualitatem, aut modū impedientē potētias ab executione suorū operū.

Dub. 5. Quomodo hæc qualitas alligatiua, & pænalis, sit contristatiua spiritus damnati.

DVBIVM I.

An ignis ille, quo spiritus cruciantur in inferno, sit corporeus.

Conclusio est affirmatiua, ac de fide, pro qua primo supponendum est duplicem dolorem, vel tristitiam distingui, scilicet formalem, & obiectiuam. Formalis dolor, est actus voluntatis, seù appetitus refugientis malum sibi coniunctum, à quo patitur, vel grauatur. Vnde res carentes appetitu sensitiuo, vel intellectiuo, pœnę, & doloris capaces non sunt. Dolor obiectiuus est illud obiectum disconueniens, quod refugit voluntas, v. g. vulneratio, verberatio, adustio, &c. In Dæmonibus ergo certum est non esse dolorem, qui est passio, seù actus appetitus sensitiui, quia carent potentijs corporalibus, & sensitiuis. 3806 Conclusio affirmatiua est de fide. Nota 1.

Dari autem Dolorem, qui sit actus voluntatis, refugientis, & tristantis de cruciatu illato, certissimum est, quia de fide est, dari in Dæmonibus cruciatum, non solùm, qui pertineat ad pœnam damni, propter bonum gloriæ amissum, sed etiam, qui pertineat ad pœnam sensus, & mediante igne infertur: dicitur enim 2. Petri 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed in Tartarum tradidit cruciandos*: Apocalyp. 20. *missus est Diabolus in stagnum ignis, & sulphuris, vbi bestia, & pseudopropheta cruciabuntur die, ac nocte*. De quo etiam igne dicitur Matt. 25. *Ite in ignem ęternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius*. Non paratur autem ignis ille, nisi ad cruciatum, & supplicium, de quo ibi subditur, *Ibunt hi in supplicium ęternum*, & de eodem dicitur Isai. 33. *Qui poterit habitare de vobis cum igne deuorante, quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Quare dari cruciatum in inferno futurum, & non solùm pœnā damni, indubitata fides est. Quod etiam constat ex Innocentio 3. c. *Maiores, de baptismo §. sed ad hęc* vbi definit actualis peccati pœnam esse perpetuū cruciatum. 3807 Nota 2. dari in damnatis dolorem, qui sit voluntatis refugientis

His prænotatis, Conclusio est certa. Ignē illum, quo cruciantur spiritus in inferno, esse corporeum. Quod aliqui negauerunt, existimātes illum ignē, qui cruciaturus est spiritus, esse ipsam cōsciētiā peccatorū, quę metaphoricè dicitur ignis, & vermimis, de quo dicitur Iudith. 16. *ignē, & vermes carnē eorū, vt vrantur, & sentiant in sēpiternū*; & Isaiæ 66. *vermis eorū nō extinguetur*: sed cōstat, quòd vermis intelligitur metaphoricè, quia in inferno non erunt propria, & vera animalia, pręter humana corpora: ergo etiam ignis metaphoricè intelligendus est. Et quidē S. Hieronymus *in cap. 66. Isaię, & epistol. 59. cap. 2.* inter Origenis errores refert, quòd ignē inferni non ponit in supplicij, sed in cōscientia peccatorū. Quæ cōsciētia arrisit Caluino, alijsque nouatoribus, qui negant ignē Inferni, & Purgatorij, solùmque pœnas dānatorū dicunt esse terrores, & anxietates, quibus anima Deū sibi iratum, & infestū cogitat, vt refert Bellarm. *t. 1. lib. 4. de Christo cap. 8* Catharino etiam attribuitur, quod *lib. de pręmio bonorū, & supplicio malorū*, dixerit ignem inferni non esse sensibilē, sed pœnam spiritualem illo igne designari. Aliorum Opiniones referuntur.

Cæterū indubitatè tenendū est, ignē illū esse materialē, & corporeum, & oppositū pro errore deputandū est, quia Scriptura frequentissimè nominat ignē pro futura pœna damnatorum nō solùm pro animabus separatis, & Dæmonibus, sed etiam pro corporibus damnatorū post resurrectionem, & in die Iudicij: de illis enim iam resuscitatis dicitur Matt. 25. *Ibunt in ignis æternū, qui paratus est Diabolo, & Angelis eius.* corpora autem non cremabuntur igne spirituali, & metaphorico, 3808 Dęmon cruciatur ab igne, tamquam ab obiecto suę tristitię, & carcere, in quo detinetur.

sed

sed verò: cùm ergo idem ignis ponatur pro Diabolo,& pro corporibus damnatorum, manifestum est,quòd ille ignis corporeus est. Et ita est communis Patrum traditio,& expositio, vt patet ex S. Hieron. *locis citatis.* ex S.Gregor.4.*Dialogorũ c.* 29. interrogans,an ignis ille corporeus sit, respondet, *corporeum esse non ambigo* August.21.*de ciuit.c.*10: *adhærebunt,* inquit, *Spiritus incorporei corporeis ignibus cruciandi,non vt ignes eorum iunctura inspirentur,& animalia fiant,sed,vt dixi,miris, & ineffabilibus modis adhærendo,accipientes ex ignibus pœnã,non dantes ignibus vitam.*

3809 *Confirm. hæc veritas ex alijs SS.Patribus, & scholasticis.*

Videndus est etiam idem S. August.20. *de Ciuit. c.*22. S.Cyprianus *lib.de laudibus martyrij c.*12. Luculenter infernum describens. *Sæuiens locus,* inquit, *cui nomen gehenna est,magno plangentium murmure,& gemitu,& eructantibus flammis per horrendã spissę caliginis noctem hua semper incendia camini fumantis expirat.Globus ignium arctatus abstruitur, & in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc sæuiendi plurima genera,cùm in se ipse conuoluit quicquid ardoris emissi eadem flamma cruciaret.* S. Iulianus Archiep Toletanus,qui citatur à *Magistro in dist.* 44. *in 4. sententiarum. Si viuentis hominis Spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem etiam corporeo igne tenetur?* Denique sequuntur hoc omnes Scholastici Doctores cum Magistro *ibidem;*& D.Thom. *opus.*2.*c.*179.concludit,quòd *Pœna ista ignis corporalis est,& omnia,quę in scriptura de hoc igne inferni dicuntur,ad litteram,& non per metaphoram esse intelligenda.* Videatur de his *latissimè* Suarez *lib.* 8. *de Angelis c.*12.

3810 *Obiectio.*

Nec obstat comparatio illa vermis,& ignis suprà facta: vermis .n. non potest conuenienter intelligi, nisi per metaphoram, scilicet pro ipso conscientiæ remorsu,eo quòd post diem iudicij non manebunt animalia aliqua,quæ corpora depascant damnatorum,quia cessabit omnis generatio,& corruptio, & omnia hæc finienda erunt, quę ad res mixtas,& viuentia pertinent,præter hominem,quòd de igne non currit,qui est elementum,& semper manebit.

Respond.

Vnde S.Aug.inter ista duo ponens differentiam *in lib.*20.*de Ciuit.c.*22. *In pœnis,*inquit, *Malorum erit inextinguibilis ignis, & viuacissimus vermis. Ab alijs autem aliter,atque aliter exponitur. Alij vtrũque ad corpus,alij vtrumque ad animam retulerunt, alij propriè ad corpus ignem,tropicè ad animam vermem,quod esse credibilius videtur.* Idem affirmat S. Th. *in 4.dist.*50 *q.*2.*a.*3. Quòd verò aliqui Sancti aliquando insinuent illum ignem non esse corporeum,vt S.Ambr. *lib.*7 *in Lucam,titulo de parata cœna,*vbi inquit, *Neque ignis perpetuus est flammarum corporalium,neque vermis est corporalis.* Et S.August. 12.*de Genes.ad lit.c.*32.Idem negare videtur. Hæc,& similia explicari debent,vel de proximo contristante,quod est apprænhensio spiritualis, non de remoto,quod est ignis corporalis;vel de virtute spirituali,qua à Deo agitur ille ignis,vt instrumẽtum eius, non vt virtute corporea propria vtens, videatur D. Th. *in additionibus q.*70.*art.*3.*ad* 3.

3811 *Difficultas in quo consistat, explicatur.*

His ergo suppositis,difficultas currit, quomodo ignis ille corporeus torqueat spiritus, an physicè aliquid spirituale illis imprimendo,& quid hoc sit, quomodoue ab igne corporeo imprimatur? an verò solùm moraliter,quatenus obiectum tristitiæ est,& quomodo cognitionem moueat,& voluntatem excitet ad dolorem,si nihil physicum, quod contrarium,& disconueniens sit in spiritu imprimat realiter,& physicè? Quæ disputatio sua etiã difficultate non parum Authorũ ingenia torquet; vnde sit;

DVBIVM II.

An benè explicetur cruciatus ignis in spiritibus per hoc solùm,quòd ignis sit causa apprænhensionis cruciantis,non autem ipsius cruciatus effectiuè.

3812 *Concl. Neg.*

Conclusio est negatiua,nõ potest explicari cruciatus ignis in spiritibus per hoc solùm,quod ignis sit causa apprænhensionis cruciantis,non autẽ ipsiusmet cruciatus effectiuè Sumitur hæc cõclusio ex D.Th. *loc.cit.ex 4.dist.*44.& sequuntur communiter authores, qui videri possunt apud Suarez, Vasquez,& Bannes *locis citatis.*

Ratio huius conclusionis supponit vnum principium valdè certum,quòd pœna illa,quæ ex igne infligitur spiritibus non est phantastica, neque falsa,sed verè,& in re affligens,nec ad hoc,vt torqueat indiget falsa, & deceptoria apprænhensione angeli, alioquin si non deciperetur spiritus, non torqueretur, *Non est autem probabile,*vt inquit D. Th. *loco citato,quòd animæ separatæ, vel Dæmones, qui magna subtilitate ingenij pollent, putarent ignem corporeũ sibi nocere posse,si ab eo nullatenùs grauarentur.* & non minus inconueniens est,quòd non possit Deus torquere Spiritum per ignem,nisi decipiendo, vel permittendo deceptionem in eo. Si verò veritatem manifestaret, vel relinqueret ipsum apprę hendere id,quod est in re,hoc ipso cessaret omnis cruciatus. *Pœna inflicta ab igne non est phantastica.*

3813 *Prob. Conclusio quia vel ille ignis crucians facit appręhendere aliquid, quòd verè, & in re affligit angelum, vel non.*

Hoc ergo principio supposito; vel ille ignis crucians facit apprænhendere aliquid,quòd verè,& in re affligit Angelum,vel non; sed solùm illa apprænhẽsio est phantastica,& in re nihil est contrarium, & nociuum ipsi spiritui condistinctum ab illa apprænhensione,& quasi obiectum eius. Si hoc secundum dicatur,incidimus in inconueniens propositum,quòd illa pœna non est vera,& propria,sed solùm quædam illusio pœnarum. Si dicatur primũ; ergo restat isti sententiæ,explicare, quid sit illud, quod verè,& in re affligit Angelum condistinctum ab ipsa appręhensione: non enim potest affligere, nisi sit nociuum,& repugnans, seu disconueniens, quia quod est conueniens non affligit,sed delectat: ergo hæc sententia non se expedit à difficultate, sed magis illa aggrauatur, vel potiùs à puncto difficultatis deflectit,explicans apprænhensionem cruciantem,sed non rem ipsam, seu obiectum istius apprænhensionis, quo fit cruciatus; & vtrum fiat à Deo immediatè,vel ab igne: aut si ab igne non fit, quomodo ab eo dicatur, spiritus cruciari?

3814 *Refutantur sententię, quę ad intentionalem afflictionẽ recurrunt.*

Quare omnes istæ sententiæ, quæ ad intentionalem, seu moralem afflictionem recurrunt, quæ in apprænhensione ipsa consistit,diminutæ sunt,non explicantes,quid sit illud obiectum afflictiuum, quod in re tali apprænhensione correspódeat: quòd .n. imprimatur aliqua species intentionalis ab igne ad affligendum Spiritum,hoc nihil est,quia species non affligit ratione sui,cùm sit perfectio ipsius intellectus,sed ratione obiecti,quod repręsentat,quia scil. repræsentat aliquid nociuum ipsi cognoscenti, & hoc inquirimus quidnam sit præter ipsam speciem repræsentantem?

3809 *Confirm. quia nihil ad pœnã conducit, quòd illa species,imprimatur mediante corpore.*

Nec aliquid ad pœnam conducit, quòd dicatur illa species imprimi mediante corpore, quod est aliquid ignobilius angelo, & subijci illi, quod aliquid indecorum,& afflictiuum est. Sed hęc parui nominis est afflictio: Nec .n. ignis imprimeret illam speciem virtute propria,sed diuina,& hæc sẽper superior est ad angelum: aliàs probaretur affligi animam ex receptione gratiæ per sacramenta, quia rem ita spiritualem, & supernaturalem recipiunt mediante causalitate corporis, seu corporei Sacramenti: Nec deniq; ista aggrauatio ignis explicatur sufficienter per hoc,quòd virtute diuina facit vehementem applicationem ad apprę hendendum aliquid nociuum,nam apprænhensio quantũcumque vehemens,nisi sit circa aliquod obiectum disconueniens,non affligit; constat enim,quòd circa aliquid delectabile vehemens applicatio afflictiua non est.

3815 *Vehemens cognitio solùm, non est contristatiua Angeli.*

Si autem illa vehemens applicatio est circa aliquid nociuum distinctum ab ipsa apprænhensione, hoc inquirimus quid sit?& sic hæremus in eadem salebra. Itaque vehemens cognitio in angelo, nisi aliud ponatur,neq; contristat,neq; impedit alias functiones. Nam ipse vehementissimè apprænhendit se ipsum,vtpotè sibi maximè coniunctum, & conuenientẽ,& amabilẽ,& Beati summo conatu, & vehementia

mentia Deum appræhendunt; nec tamen ista vehementia impedit alias functiones, aut contristat, quare nisi assignetur obiectum realiter contristãs, & repugnans angelo, super quod cadat appræhẽsio illa, & applicatio vehemens, nihil explicat ista sententia de dolore illato angelis ab igne.

3816 *Instabis.*

Dices: ignis in corporibus damnatis, non habebit post diem iudicij actionem alteratiuam, & realem, sed solùm intentionalem, quia illa corpora nõ corrumpentur ab igne, nec dissoluetur temperamentum tactus: cessabit enim tunc omnis corruptio, & consequenter omnis alteratio realis, quæ corruptiua est, sed solùm immittet species intentiona es in sensus, & hoc sufficit, vt dicatur affligere illa corpora: ergo similiter per actionem intentionalem, qua ignis ille virtute diuina immittat speciem non sensibilem, sed spiritualem in Angelum, dicatur illum affligere.

Resp. ignem Inferni immittere specië sensibilë repræsentatiuam caloris vehementissimi.

Resp. ignem illum immittere speciem sensibilẽ in corpora damnatorum repræsentatiuam caloris vehementissimi illis corporibus coniuncti, qui licèt non corrumpat illa corpora corruptione physica, est tamen qualitas valdè disconueniens ipsi temperamento sensibili corporis, & de se valde impedit omnes functiones facultatum sensibilium, connaturali modo, & conuenienti fieri. & ita iam assignamus respectu corporum aliquid reale afflictiuum præter appræhensionem, & speciem repræsentantem, scilicet coniunctionem caloris excessiui, & comburentis, non quantum ad corruptionem, sed quantum ad disconuenientiam temperamenti, quam acriter imprimit illis corporibus.

3817 *Refutatur sententia Arrubal amissio beatitudinis, prout ab igne non superaddit nouam pœnã inflictiuam.*

Ex quo etiam manet refutata sententia P. Arrubal *suprà* relata, qui nihil explicat in pœna sensus illata ab igne, præter dependentiam doloris formalis, seu tristitiæ de beatitudine amissa ab ipso igne, vt ab instrumento diuino concurrente ad talem actum. Quæ amissio beatitudinis pertinet ad pœnam damni. Quod autem appræhẽsio, & tristitia de isto damno, & amissione beatitudinis dependeat ab igne instrumentaliter, non superaddit nouam pænam ex parte obiecti afflictiui, nec nouam repugnantiam, seu disconuenientiam, aut damnum, affert ipsi spiritui: ergo non erit distincta pæna, seu cruciatus ignis, & pæna damni. Quod .n. actus vitalis, quam ego elicio dependeat, vel non dependeat ab aliquo instrumẽto extrinseco in sui eliciẽtia, non affert spiritualem pænam, & afflictionem elicienti: supposito enim quod totum damnum, de quo tractandum est iam est factum, dependentia in elicientia actus tristitię; nouum damnum, aut iacturam non affert, sicut è contra posito obiecto delectationis, & gaudij, quòd actus eliciantur dependenter ab instrumento extrinseco, vel non, neque auget, neque minuit delectationem. Ergo similiter in hac sententia, posito damno beatitudinis, nihil augetur de pœna per hoc, quod Spiritus tradantur igni, quia solùm additur, quod actus ille doloris, qui circa tale obiectum eliciendus erat à sola voluntate, dependeat instrumentaliter ab igne, quod certè nihil pænalitatis addit: nec .n. propterea magis defatigetur, aut laborat voluntas in eliciendo illo actu: Si enim laboraret, & defatigaretur, iam aliquid pænale de nouo poneretur in voluntate, & explicari deberet quidnam sit illud impedimentum.

3818 *Ex coniunctione ad ignẽ crescit pœna in damnatis præter operationẽ beatitudinis.*

Ponere autem, quòd non magis torquentur spiritus per alligationem ad ignem, quàm sine illa, supposita pęna damni, & amissione beatitudinis, de qua tristandum sibi est, & solùm superadditur dependentia illius tristitiæ ab instrumẽto ignis, quòd noua pæna non est, valdè periculosè diceretur: quis .n. dubitet ex adhæsione, & coniunctione ad ignem crescere pœnam in damnatis pręter amissionem beatitudinis? Et iterum variæ sunt pœnę, & cruciatus ab igne illo prouenientes, acerbioraq; tormenta sunt in quibusdam, quàm in alijs. Si autẽ cruciatus in hoc solùm consistit, quòd dependeat actus vitalis tristitiæ ab igne, vt ab instrumento, non apparet quomodo ex tali dependentia maior acerbitas cruciatus ignei, fit in vno, quàm in alio.

DVBIVM III.

An ignis torqueat Dæmones per alligationem extrinsecam in ordine ad locum, & multò magis per intrinsecam, qua ipsę potentia impediuntur, & alligantur.

3819 *Concl. habet duas partes.*

Conclusio. Ignis torquet Dęmones per alligationem non solùm extrinsecam quoad locũ, & determinationem in illo, sed multo magis per alligationem intrinsecam, qua ipsæ potentię impediuntur, & alligantur, plus, vel minus, in ordine ad suas operationes, præsertim externas in mouendo se, & mouendo alia. In prima parte huius cõclusionis nobiscum conueniunt Vasq. & Suarez *suprà* citati, quos etiam sequitur P. Alarcon *tract. 6. de Angelis disp. 9. c. 10.* Sed differunt, quia censent non solùm per alligationem, quę est detentio in loco, sed etiam per alios modos cruciari Dæmones:

Aliarũ opiniones referuntur

Vasquez quidem per alios malos nobis occultos, Suarez vero per qualitatem doloriferam: alij vero per detentionem in loco factam ab igne per causalitatem instrumentalem moralem, ad modum, quo Sacramenta causant gratiam, vt sentit Alarcon citatus. Ex quo sequitur, quod ignis etiam habeat obiectiuam causalitatem respectu appręhensionis Angeli, quatenus concipitur, vt obiectum contristans, & affligens ob detentionem prædictam. Addit P. Alarcon in animabus separatis causari ab igne tristitiam eiusdem rationis, quam habebunt, quãdo post resurrectionem corpora illis vnita cremabuntur ab igne, appræhensione quadam ficta, sed dolore vero, in quo dicit se sequi Scotum, Vasquez, Valentiam, & alios, licet Scotus, & Valentia etiam ad Dęmones non extendant.

3810 *1. Pars concl. prob. quia Scriptura ferè semper explicat illam pœnã per modum alligationis, & detentionis.*

Nihilominùs, quod attinet ad primam partem conclusionis, loquendo in genere, quod illa pœna ab igne illata sit pœna alligationis, siuè solùm sit alligatio quoad locum per modum carceris, siuè sit alligatio potentiarum quoad liberam exec utionẽ suarum functionũ, manifestè deducitur, quia Scriptura ferè semper explicat illam pœnam ignis per modum alligationis, & detentionis, quod est magnum argumentum solùm eo modo fieri, aut saltem de alio modo non posse aliquid certo à nobis affirmari. Antecedens probatur: nam in Canonica Iudę dicitur, *Angelos verò, qui non seruauerunt suum principatum, vinculis ęternis sub caligine reseruauit*, & 2. Petri 2. *Angelis peccantibus Deus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Apocalypsis 20. *Et apprehendit Angelus Draconem, qui est Diabolus, & Satanas, & ligauit eum per annos mille, misit in Abyssum.* Vbi cruciatus Dæmon in inferno explicantur per vincula, rudentes, & alligationem. Vnde etiam dicitur Isaiæ 24. *Et congregabunt in congregatione vnius fascis in lacũ, & claudentur ibi in carcere.* Item Threnorum 3. *In tenebrosis collocauit me, sicut mortuos sempiternos circumędificauit aduersum me, vt non egrediar, aggrauauit compedem meum.* Quo loco duplex insinuatur detentio, seu alligatio; vna quantũ ad locum, cùm dicitur, *vt non egrediar*: egressus .n. à loco est, altera quoad impedimentum ipsarum potentiarum, cùm dicitur *aggrauauit pedem meum*: compedibus .n. aggrauatur, & impeditur potentia motiua, quæ per pedes designatur, vt non liberè operetur, & moueat.

3921 *2. Pars conclusionis explicatur, & prob. distinguendo duplicem alligationem vnam in ordine ad locum, aliam ad potentias.*

Ex hoc autem accipimus explicationem nostræ conclusionis, etiam quoad secundam partem, distinguendo duplicem alligationem. Vna quæ solùm est in ordine ad locum detinendo aliquem, ne recedat à tali, vel tali loco: & hoc pertinet ad pænam carceris, qui tantò est grauior, quanto strictior, & limitatior. Et de hac pœna non est dubium, quòd detur in Dæmonibus, quia qui sunt in ipso inferno, non permittuntur ab illo loco egredi. Qui autem sunt

sunt in isto aere, seù extra infernum, solùm permittuntur discurrere, & operari, quantum Deus permittit, non quantum ipsi volunt, sicut feræ funibus alligatæ, licet permittantur aliquantulum moueri, non tamen pro libito, sed iuxta laxationem, vel constrictionem funis: sic ille ignis gehennalis ligat Dæmones, etiam dum extra infernum permittuntur exire, ne pro suo libito operentur. Alia alligatio est in ordine ad ipsas potentias, seu facultates operatiuas, quæ quando impediuntur operari modo suo connaturali, dicuntur cõstringi, & alligari, sicut si alicuius membra constringantur funibus, vel ferro, aut si aliquo humore prædominante membra intrinsecùs præpediantur: tunc enim dolor tantò est vehementior, quantò fortius est impedimentum, ne facultates illæ suas connaturales operationes possint elicere. Imò si rectè perpendatur omnis dolor, quam in nostro corpore sentimus, ferè ad hoc reducitur, quòd facultates, & membra non permittantur suo connaturali modo operari, propter distemperamentum qualitatis contrariæ, vel diuisionem, compressionem, vel aggrauationẽ membrorum, quod totum quędam alligatio, seu impedimentum potentiarum est.

3822 *Ignis vtroque modo, sed secundo acerbiùs affligit Spiritus.*

Dicimus ergo, quod ignis inferni hoc secundo modo, & non solùm primo, licet etiam illo affligat: alligat Spiritus, impediendo ne potentię operẽtur, præsertim operationes ad extra modo connaturali pro libito, sed cum limitatione, & coarctatione: ex quo sequitur vehemens appræhensio, in intellectu, & afflictio in voluntate de tali impedimento, & alligatione cruciante, sicut si potentia nostra motiua, non solùm alligaretur exterius, sed etiam interius impediretur in neruis, & musculis, alijsque organis potentiæ motiuę, per aliquem humorem, vel distemperamẽtum, aut aliquo alio aggrauatiuo magis, vel minus forti, ne cõnaturali modo operetur. Et sic explicat hanc pœnam D. Th. dist. illa 44. citata, dum inquit, quod *Hoc superadditur igni corporeo inquantum est instrumentum diuinæ iustitiæ vindicantis, quòd sic detinet spiritum, & ita efficitur ei pœnalis, retardans eum ab executione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari vbi vult, & secundũ quod vult*. & hoc ipsum probat ibi ex Augustino, Greg. & Hieron. idemq; affirmat *q. 1. de Anima art. 12 q. 26. de veritate art. 1.* vt statim amplius referemus.

3823 *Explicatur exemplo Animæ, quæ naturaliter vnitur corpori, vt forma viuificans, & tamen aggrauatur à corpore.*

Et explicatur etiam exẽplo animæ, quæ quidem naturaliter vnitur corpori, vt forma viuificans, & tamẽ aggrauatur à corpore corruptibili in suis operationibus, ne exerceat illas, sicut vult: *Corpus .n. quò corrũpitur, aggrauat animam*. Sic ergo vnit Deus corpus igneum spiritui, non quantum ad informationem, sed quantum ad aggrauationem, quod illis verbis acutè explicauit August. *21. de Ciuit. cap. 10. Adhærebunt spiritus corporalibus ignibus accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam*; quasi ex duobus officijs, quæ in nostro corpore videmus erga animam, alterum viuificari ab illa, & hoc est naturale, & delectabile: alterum aggrauare animã à corpore, ne promptè semper, & liberè operetur, & hoc est aggrauatiuum: ex his inquam duobus officijs, alterum non est in igne respectu spirituum, scilicet viuificari ab illis: alterum habet ignis virtute diuina, scilicet aggrauare spiritum, ne ad suum libitum operetur, magis, vel minus, secundùm quòd maior, vel minor fuerit pœna. Hic autẽ dolor vehementissimus est, quia quãto aliqua forma est perfectior, & actiuior, tãtò naturalius, & vehementius inclinatur ad agendum, & operandũ iuxta modum actiuitatis suæ. Vnde detentio, & alligatio, ne operetur sic, est illi violentior, & magis repugnans: ex maiori autem violentia, & repugnantia nascitur maior acerbitas doloris. Vnde cũ spiritus sit forma actiuissima, & tanto magis, quantò subtilior, & perfectior est, non potest excogitari vehementior afflictio, quàm impedimentum, & alligatio illius, ne operetur, sicut vult.

3824 *1. Obiectio.*

Arguitur 1. Nam si pœna illa ignis explicetur solùm per alligationem, & detentionem factam a qualitate impediente, sequitur, quòd non sit diuersitas pœnarum in damnatis, per hoc, quòd modò torqueantur à calore ignis, modo à frigore niuis, cùm tamen ex hoc multiplicetur pęna damnatorum, quòd à tam diuersis creaturis, & tormentorũ generibus crucientur. Consequens autem est falsum: ergo &c. Sequela probatur, quia tota vis illius cruciatus consistit in hoc, quòd potẽtię angeli accipiant virtute illius ignis qualitatẽ quãdã impeditiuã suarũ operationũ, quod verò illã accipiãt ab igne, vel ab aqua, omnino per accidẽs est, nec pœna augetur ex hoc, quod instrumentum producens illam quantitatem sit aqua, vel ignis, si qualitas eadem est, sicut quòd gratia producatur media aqua in Baptismo, vel chrismate in confirmatione, non auget gratiam, si dispositio eadem sit. Minor verò probatur, quia in pœnis damnatorum datur varietas: transeunt enim ad calorem nimium ab aquis niuium, vt dicitur Iob 24. & in *Psal. 10.* diuersæ pœnæ narrantur *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum pars calicis eorum*. In istis autem diuersis tormentis transitur de vna pœna ad aliam, non eadem continuatur, aliàs diuersa non esset, esse autem diuersam docet S. Th. *in 4 dist. 50. q. 2. a. 3. quæstiunc. 2.* Si autem solùm detinendo affligeret, eadem pœna continuaretur, licèt instrumenta variarentur.

Confirmatur primò, quia ignis non nocet angelo, nec potest agere in ipsum, nisi media appræhensione, & tanquam obiectum eius ei repræsentatũ, & propositum. ergo non vt instrumentum diuinæ virtutis. Patet consequentia, quia obiectum non comparatur ad potentiam, vt instrumentum efficiens, sed vt motiuum, vel terminatiuum specificãs: ergo si nocet, vt obiectum, non vt instrumentum. Anteced. vero probatur, quia intellectus non mouetur, neque inducit tristitiam, nisi ratione alicuius appræhensi: quantumcumque enim in re sit aliquod malum, nisi appræhendatur, non contristat. ergo propria ratio mouendi, & affligendi est inquãtum ignis se habet, vt obiectum mouens appræhensionem, non vt instrumentum diuinæ efficientiæ. 3825 *1. Confirm.*

Confir. secundo, quia nullum instrumentũ eleuatur physice ad efficiendum, nisi supponatur habere actionem aliquam propriam, quã dispositiuè operetur in ordine ad effectum principalis agentis, vt docet S. Th. *supra q. 45. a. 3.* sed ille ignis nullã talem actionem habet circa Dæmones: ergo non eleuatur physice ad eos torquendos. Minor probatur, quia ignis corporeus, non habet aliquã actionem, seu effectum in ipso spiritu, disponentem ad effectum principalis agentis cum propria virtute, & antecedẽter ad eleuationẽ diuinam, nihil possit agere in spiritum. Quod autem habet circa alia subiecta corporalia, parum interest, quia id, quod agit circa aliud subiectum, non disponit ad effectũ principalis agentis in subiecto distincto, sed perinde se habet, ac si nihil operaretur in ordine ad tale subiectum. Vnde in alijs instrumentis supernaturalibus, vt in Sacramentis, priùs supponitur actio propria ipsius Sacramenti, v. g. Baptismi circa hominem, quàm quod in ipsomet infundatur gratia. Inconueniens etiam videtur, quod Deus assumat instrumentum corporeum ad supplicium spiritus, & ad prœmium conferendum, v. g. ad dandum lumen gloriæ, nullo vtatur instrumento. *2. Confirm.*

Respondetur, Pœnam sensus in spiritibus esse inæqualem, & diuersam, quatenus magis, vel minus constringitur, & alligatur potentia, ne operetur secundum quod vult sicut in infirmitate corporali, tanto aliquis dolor, & cruciatus est vehementior, quanto magis ipsę difficultates naturales à proprijs operationibus impediuntur. Vnde aliqui spiritus ita alligantur ab illo igne, quod tamen aliquid permittũtur agere, vel circa ipsum locum inferni, vel etiam extra illum, aliquando exeundo ex dispensatione diuina, & in hac permissione, & alligatione potest esse magis, vel minus, secũdum maius, vel minus impedimentum in operando. Quod si ali- 3826 *Resp. pœnam sensus in spiritibus esse inæqualem, prout magis, vel minus alligatur potentia.*

si aliquis spiritus ita fortiter alligetur, quòd nihil omninò permittatur agere, vel se mouere, erit illa pœna vehementissima. Quare fatemur diuersa esse genera tormentorum, non solùm in diuersis subiectis propter inęqualitatem peccatorum, sed etiam in eodem, transeundo de vno tormento ad aliud, vt in argumento ponderatum est; & tunc non cōtinuatur eadem prorsus detentio, & alligatio, sed transitur de vna ad aliam, ita quod fortius, seu strictius allegatur nunc in vno tormēto, quàm antea, vel è contra: aut etiam potest alligari modo circa talem operationem, vel locum, & postea circa aliā, in qua antea permittabatur agere, vel è contra, & sic miris, & occultis modis possunt illa tormenta infligi, vt inquit Augustinus, nobis quidem in singulari occultis, sed in genere notis. Deus autem perfectè nouit, qui reddit vnicuique secundū opera eius.

3827 *Ad 1. Confirm. Resp. ignem inferni affligere, & per modum afflictionis, & obiecti contristatiui.*

Ad primam confirmationem respondetur, quòd ignis ille vtroque modo affligit, primò quidem, vt instrumentum diuinæ virtutis retardando, seu detinendo natura es operationes. Deinde hanc ipsam detentionem per modum obiecti repræsentando mediante specie angeli infusa, qua cognoscitur illud tormentum; quæ species etiam inuenitur in Sanctis Angelis, quia cognoscunt illa tormenta, licèt non vt sibi irrogata, & conuenientia, sicut Dæmones, eo modo, quo addictus supplicio cognoscit gladium, quo feriendus est, & lignum vnde suspēdendus est, per speciem visibilem qua alij adstantes idem vident, sed isti vt spectatores, ille vt patiens. Et sic species, qua repræsentatur obiectum afflictiuum non ab igne imprimitur, sed a Deo infunditur, tàm in bonis, quàm in malis angelis. Sed tamen, vt ignis ille appræhendatur tanquam nociuus, oportet, quod in re noceat, non quidem corrumpendo aliquid in spiritu, sed imprimendo, & detinendo, & tunc illa detentio appręhenditur, vt obiectum nociuum, sicut prius est hominem aduri, aut verberari, quàm appręhendere talem actionem, vt nociuam. Et sic dicitur à D. Thoma *q. 70. additionum a. 3 ad 1.* Quod *ignis corporeus est affligens remotum, sed ignis apprehensus est affligens proximum.*

3828 *Ad 2. Confirm. Resp. Non repugnare assumi vt instrumentum Dei aliquid distans ab alio.*

Ad secundum Confirm. respondetur, ex his, quæ diximus *suprà qu. 46.* agendo de instrumento creationis, quod non repugnat assumi à Deo pro instrumento aliquid distans ab alio, nec in illo habens effectum propriæ virtutis, sicut admittit D. Thom. *2. 2. q. 178. a. 2. ad 1.* quòd potest Deus assumere actum immanentem pro instrumento ad producendum aliquid extra, vbi constat actum immanentem non habere operationem propriam. Et quando dicit D. Thom., quòd instrumentum debet dispositiue operari ad effectum principalis agentis, non est idem, quod operari dispositionem aliquam ad talem effectum, vt dispositio subiectetur in eodem subiecto, in quo effectus principalis agentis: hoc enim in istrumentis diuinis, nec requiritur, nec semper inuenitur: sed sufficit, quòd instrumentum aliquo modo operetur circa quodcunq; subiectū, vt possit illa actio eleuari à Deo ad producendum effectum, siuè in eodem, siuè in alio subiecto: hoc enim est dispositiue se habere, vt à Deo eleuetur, idest dispositiuè obedientialiter respectu diuinæ potentię, licèt non sit dispositiuè connaturaliter in ordine ad effectū faciendū. Ignis autem corporeus aliquam actionem habet propriam circa alia corpora, in quibus operari potest calorem, vel lucem, & similiter de se potest vniri spiritui, vt mobile ab ipso, ex hoc autem vlteriùs eleuatur, vt instrumentum diuinæ virtutis ad detinendum, & alligandum spiritum, eius operationes impediendo.

3829 *Quare Deus non vtatur instrumento ad dandum præmium.*

Ad id verò, quòd dicitur, Deum non vti instrumento ad dandum prēmium, sicut ad irrogandū supplicium, respondetur esse disparem rationē, quia in supplicio subijcitur spiritus ignobiliori creaturæ, quia ipse noluit se subijcere Deo, & ideò cōueniens fuit vti re corporea, tanquam instrumento ad aligandum, & subijciendum illum. At verò in prēmio beatitudinis eleuatur spiritus super omnē creaturā, super omnia bona sua constituet eum, dicitur Matt. 24 Vnde conueniens fuit non à creatura, sed immediatè à Deo sic exaltari, & glorificari. Et tamen homines etiam mediante humanitate Christi, vt instrumento, & iustificantur, & glorificantur.

DVBIVM IIII.

An hæc alligatio causata ab igne, fiat in spiritibus, & animabus, per aliquam qualitatem, aut modum, impedientem potentias in executione suarum operum.

3830 *Sensus difficultatis aperitur.*

REstat autem explicare, quomodo fiat hoc impedimentum in spiritibus: nam alligatio impeditiua potentiarum in nobis non intelligitur, nisi per aliquam qualitatem contrariam impedientem vires proprias, sicut in corpore nō dissoluitur temperamentum, nec impediūtur vires, nisi posita aliqua contraria qualitate, v. g. ex excessiuo calore per adustionem ignis, vel febrem, at per rigorem frigoris, quo contrahuntur nerui, aut aliquo alio simili. Non apparet autem in Angelo, quid ponatur per illum ignem, quod sit contrariū, vel substātiæ eius, vel potentijs, quia nō potest aliquid ab illis tolli, cū indiuersibiles sint; cōtrariū autē, quod non tollit, nec etiā impedit, relinquit enim subiectum, sicut anteà, si nihil ab illo tollit. Ad hoc ergo explicandum.

3831 *Concl. habet 2. partes, 1. est hoc impedimētum potentiarum spiritualium fit per aliquam qualitatem.*

Conclusio. Hoc impedimentum, seu alligatio potentiarum spiritualium fit per aliquam qualitatem, vel impressionem alicuius modi, seu cuiuslibet alterius entitatis, quę impedit potentias in executione suarum operationum, nihil ab eis tollendo, sed solùm impediendo executionem. Ex hoc autem nascitur detentio passiua in loco, seu vbicatio passiua, quæ in Angelis non potest intelligi antecedenter ad aliquid in ipso Angelo factum, seu receptum. Itaque detentio in loco non potest benè intelligi in angelo sine detentione, & alligatione potentiarum: Nec est prior incarceratio quoad locum, quàm potentiarum impedimentū, sed è conuerso.

Refertur opinio Suarez, & quoad aliquā partem rejicitur.

In hac conclusione quantum ad primam partē de productione qualitatis contrarię conuenit nobiscum Suarez, *vbi suprà c. 13. n. 40. & seqq.* quatenus ponit in Dæmonibus immitti qualitatē aliquam doloriferam: Cæterùm dicit illam subiectari in substantia angeli, esseque illi disconuenientem, non quia aliquid tollat de ipsa substantia, sed quia deformat, & deturpat illam, sicut gratia reddit pulcherrimam: & ex illa deformitate spiritus redditur tristis, & afflictus. Sed hoc inconuenienter dicitur, & superfluè; quia, vel loquimur de pulchritudine angeli naturali, vel de supernaturali per gratiam. Prima nullatenus est ablata in Dæmonibus, quia quidquid ad naturam pertinet, in eis manet: Si n. aliquid tolleretur, totum tolleretur, quia indiuisibilis entitas est, & ideò dicit S. Dionysius *4. cap. de diuinis nominibus*, quòd *naturalia dona manserunt in angelis integra, & splēdidissima.* Non ergo deturpantur per qualitatē. Si verò loquamur de pulchritudine supernaturali, quę est per gratiam, illa nullo modo tollitur per qualitatem, sed per culpam, & maculam ex ea relictam: nulla .n. qualitas naturalis potest gratiam destruere, quia superioris ordinis est: per qualitatē autem supernaturalem multò minus destruitur, quia omnis qualitas supernaturalis ad gratiā pertinet, & gratiæ subordinatur. Quare omnis tristitia de carentia, & destructione gratiæ pertinet ad pœnam damni, quia damnum, seu amissio glorię, & gratię pari iure censentur: ergo ista deformitas non conducit ad pœnam sensus, vt distinctam à pœna damni.

3832 *Prob. 1. Pars Conclusionis.*

Exclusa ergo qualitate deformatiua, & pertinente ad substantiam angeli, oportet redire ad qualitatem

quia in spiritus non potest dari qualitas contraria, quę aliquid corrũpat.

tatem afflictiuam,quæ pertineat ad potentias, eas aggrauando,& impediendo: Cõstat enim,quòd in spiritibus non potest dari qualitas contraria, quæ aliquid corrumpat,siuè de substantia,siuè de potẽtia,quia totum ibi est indiuisibile:& sic non potest intelligi,quòd aliquid tollatur, & aliquid maneat: Vnde non potest afflictio causari per corruptionẽ potentiæ, vel entitatis:ergo solùm restat,quòd per impedimentum ipsius potentię,ne exequatur; & sic distinguit D.Th.q.2.de anima artic. 21. duplex impedimentum. *Impeditur,inquit,aliquid vno modo à suo contrario, quantum ad esse suum, quòd habet ex aliqua forma inhærente:& sic patitur aliquid à suo contrario per alterationem,& corruptionem, sicut lignum ab igne comburitur: aliquid autem impeditur ab aliquo obstante, vel contrariante, quantum ad suam inclinationem,sicut naturalis inclinatio lapidis est,vt feratur deorsum, impeditur autem ab aliquo obstante, & vim inferente,vt per violentiã quiescat, & per violentiam moueatur. Et hoc secundo modo, non primo patitur anima ab igne*; Et licèt ibi explicet impedimentum hoc per ordinem ab locũ,tamen *in q.26. de verit.a.*1.dicit,quòd *Patitur anima ab igne corporeo, prout dicimus pati omne, quòd impeditur à propria actione, vel alio sibi competenti*. Et in loco *suprà citato ex dist.*44.dicit,quòd *Ignis efficitur pęnalis spiritui retardans eum ab executione proprię voluntatis, ne scilicet possit operari vbi vult, & secundùm quod vult*. Manifesta est ergo in sententia S. Th. quod istud impedimentum non solùm est quoad detentionem in loco,sed etiam,quo ad executionẽ operationum in potentijs.

3833 *Confirm. quia melior modus dicendi,est conformior Scripturę,& aptior spiritualibus potentijs affligendis.*

Fit autem valdè verisimilis iste modus dicendi, tum quia est conformior modo loquendi Scripturæ,vt locis *suprà citat.* ponderatum est: tum quia est aptior spiritualibus potentijs affligendis, quia nihil corrumpendo impedit ipsas operari ad libitum suum,siuè se mouendo, siuè alia mutando; & sic per talem retardationem aggrauantur illæ potentiæ,& quasi eneruantur, & euacuantur viribus, & hoc redditur illis valdè pœnale, quia est valde repugnans naturali inclinationi Spirituum, qui cùm valde actiui sint, quælibet retardatio, & impedimentum est illis valdè repugnans. Pœna autem,& afflictio sumitur ex aliquo repugnante coniuncto. Tum denique,est hoc etiam conforme naturis rerum,quia videmus aliqua impediri à suis connaturalibus operationibus per qualitatem impedientem,& non destruentem,sicut impeditur descensus lapis sine destructione grauitatis, & Remora impedit cursum nauis sine destructione virtutis deferentis: & Torpedo inijcit stuporem manui piscatoris sine destructione virtutis motiuę, solùm impediendo operationes,ne exeant. Quid ergo mirum est, quod possit Deus inijcere qualitatem aliquã in potentias Angeli mediante igne, per quã nihil destruatur de virtute, & tamen impediatur exire in suas operationes iuxta libitũ suũ, plus, vel minus secundùm maiorem, vel minorem aggrauationem.

3834 *Petes.*

Quòd si inquiras; vbi subiectetur immediatè ista quidditas, an in potẽtia intellectus, vel voluntatis, an in potentia motiua, & executiua, & quem effectum ibi faciat?

Resp. Qualitatem hanc debere poni, & effectus suos facere in omnibus potentijs requisitis ad operationes externas.

Resp Qualitatem hanc debere poni, & effectus suos facere in omnibus potentijs requisitis,& concurrentibus ad operationes externas,eo modo,quo ad id concurrunt,& influunt. Exinde autem etiam in intellectu vehementem appręhensionem potest inducere de tali impedimento afflictiuo,& in volũtate tristitiam,seu fugam, & dolorem de illo. Itaq; si in Angelis potentia motiua distinguitur ab intellectu, & voluntate, ibi pręcipue qualitas illa residebit,vt quantũcũq; intellectus ordinet,& voluntas velit,quod potentia motiua aliquid exequatur, illa qualitas reddat impeditam potentiam, ne prorumpat in suã operationem, quia sicut ipsa virtus, seu potentia motiua est qualitas de se potens prorumpere in operationem, ita illa qualitas sit opposita conditionis,& formalitatis,obstans,ne illa virtus prorrumpat in actionẽ. Nec possumus aliquid amplius de ista qualitate speculari,quia neq; in rebus corporeis qualitates explicamus, nisi per suos effectus,sicut qualitatem magnetis,quòd sit attractiua ferri,& non auri; Remora,quòd detineat nauim, & non piscem;torpedo, quòd stupefaciat manum, & multas alias similes qualitates solũ explicamus per effectus,quos sentimus. Si verò potentia motiua, & executiua Angeli nõ distinguitur ab ipso intellectu practico,vt videtur sentire Diu.Th. tunc dicendum est, quod illa qualitas residet in intellectu, non quidem tanquam species aliqua, vel lumen, quia totum hoc non est repugnans intellectui, sed perficiens, sed est qualitas quędam opposita homini,& speciei, aut ipsi virtuti elicitiuæ intellectus, ne vtatur virtute,& speciebus,eo modo, & efficacia,quæ requiritur,vt moueat se,vel alia ad libitum:& sic solùm possit elicere conceptus inefficaces, nisi prout permittitur ab illo igne, quód ipsi valde afflictiuum est:constat autem diuerso modo elici cõceptus efficaces operentur in vi voluntatis, vt expeditæ,& potentis ad operandum circa se, vel circa alia,si in illa potestatem habeat; & sic elicit intellectus conceptum practicũ imperij potentis super se,vel super alia iuxta subiectionem ad volũtatem suam:hoc enim modo per talem conceptionem practicam Angelos mouere Cœlos docet S. Th. *Opusc.*11 *a.*3.

3835 *Ista qualitas impeditiua potentia rũ residet in intellectu angeli.*

Hæc qualitas ab igne immissa diuina virtute impedit elicientiam efficacis cõceptus.

Illa ergo qualitas ab igne immissa diuina virtute impedit elicientiã talis efficacis conceptus ab parte,qua efficax est in alia,non prout simplex apprehensio est,& in efficax. Dixit autem D.Th. *cit. loco*,quod ipsa conceptio intellectus secundùm quod habet efficaciam aliquid transmutandi imperium nominatur. Impedit ergo qualitas illa elicere conceptionem, quatenus efficaciam transmutandi habet: Sicut adam perdita innocentia nõ potuit elicere conceptum cum efficacia,& vigore, vt sibi membra omnia,& appetitus sensitiuus, & animalia obedirent, sicut ante poterat elicere. Quod ergo non potuit Adam ex carentia doni iustitię originalis,non possunt Dæmones ad mouendum se,& alia prolibito. Sed hoc fit in Dæmonibus per qualitatem contrariam impedientem,nõ in Adam,eo quod in Adam potestas illa non erat naturalis ei,sed superaddita,vnde ea sublata, non poterat cum illo vigore,& efficacia imperium elicere: in Angelis autem talis potestas mouendi est connaturalis,nec tolli potest ab eis, nisi destructa natura: & sic oportet, quod in efficacia illa proueniat ab aliquo impediente,extrinseco, quod contrariam qualitatem infert.

3836 *Instabis.*

Dices: Sufficiebat Deum suspendere concursũ suum,ne angelus se,vel alia moueret sine qualitatis illius adiectione: Nec enim apparet, quomodo qualitas illa id pręstet, formaliter, an effectiuè, & quem concursum habeat ad impediendum intellectum.

Resp. suspensionẽ diuini concursus non sufficere ad violentiam naturæ.

Resp. Non sufficere suspensionem diuini concursus,quia talis suspensio etsi sufficere posset ad negationem actionis,non tamen ad violentiam naturę,& repugnantiam: sine repugnantia autem,& violentia,non sequitur dolor,& afflictio, vnde in nobis,si manus non moueatur,vel moueat ex suspensione diuini concursus,nihil doloris sentiet, si ex qualitate contraria distemperante,cruciabitur; quia cruciatus,seu afflictio nascitur ex contrario repugnante,& insistente,seu faciente vim, cui cùm natura ipsa repugnet,causat dolorem: dolor enim est de aliquo repugnante proprię inclinationi. Deo autem suspendente concursum, natura nihil resistit,sed omnino succumbit,& sic sine reougnãtia, & oppositione in contrarium manet, atque adeò sine dolore.

3837 *Hęc qualitas effectiuè fit à Deo, & instrumentaliter ab*

De modo autem,quo qualitas illa talem effectum inducat,dicimus,quod qualitas illa effectiuè fit a Deo,& ab igne instrumento eius, sed ipsa posita in subiecto formaliter illud afficit,non effecti-

igne, & sic post tam subiicit illud affixit.

uè illud impedit; tum quia nulla qualitas effectiuè operatur in suum subiectum, sed in partem coniunctam, aut rem contiguam; eo quod qualitas inhærens, non operatur, sed subiectum per talē qualitatem; & sic effectiuè operaretur in se; tum quia si effectiuè operaretur, faceret aliquem effectum, & de illo inquiram, quomodo impedit, formaliter, an effectiuè; non effectiuè, quia faceret alium effectum, & esset processus in infinitum; Si vero formaliter, idem dicemus de illa qualitate ab igne producta. Et dicimus effectum eius formalem esse reddere potentias quasi languidas, & enerues, seu impeditas, ne eliciant suas operationes: hunc .n. effectū videmus etiam in corporibus fieri per qualitates corporeas, quibus virtutes languescunt, & impediuntur, & si non destruantur: Sic .n. in genere qualitatis se habent potentia, & impotētia, quod potentia dicit vim robustam, & potentē, impotētia infirmam, & eneruatam, & sic illa qualitas reddit potentiam infirmam per impedimentū, non per ablationem virtutis: multò autem magis potest id Deus facere in potentijs spiritualibus: nec enim talis qualitas, & effectus eius impossibilis est.

3838 *2. Pars Concl.* Ex his manet explicata vltima pars conclusionis de detentione Angeli quoad locum, & vbicatione eius passiua: dicimus enim hanc non poni immediatè in Angelo, nisi supponendo prius passiuam detentionem, & impedimentum in potentijs operatiuis, vt factam ab aliquo corpore, cuius loco manet Angelus alligatus.

Prob. quia substantia angeli non habet immediatā coaptationem ad locum.

Ratio est, quia, vt *suprà* latè tradidimus, substantia Angeli non habet immediatam coaptationem in substantia ad locum corporalem, nec ad eius distātiam, sicut quantitas in nostris corporibus, quia non habet proportionem spiritus indiuisibilis cum loco diuisibili immediate, & per se, & per modum alicuius commensurationis: Sed oportet interuenire aliquem cōtactum virtutis, quatenus ipsa potentia operatiua angeli non potest agere in rem corpoream, & in locum eius, quia non continetur à corpore, sed continet illud, & ipsa ordinatio, seu applicatio angeli ad agendum in tali corpore, locatio eius est: ordinatur autem ad agendum per suas potentias, & ita locatio actiua, quæ connaturalis est ipsi *Angelo*, vtpotè formæ actiuæ, mediante potentia actiua conuenit *Angelo*. Quando ergo angelus præternaturaliter, seu violenter ponitur in loco, non actiuè, sed passiuè, oportet etiam, quod talis passiua vbicatio non intelligatur per immediatā commensurationem substantiæ angeli ad locum, quasi prius ibi sit detenta substantia, & alligata, & postea impediantur potentię: sed prius potentię impediuntur à corpore aggrauante ipsas, & consequenter detinetur in loco ipsius corporis, ita quod in ipsis potentijs, à quibus debet actiua vbicatio prouenire, ponatur opposita vbicatio passiua, ex detentione passiua virtutis prouenient.

3839 *An permittatur Dæmonibus ab igne exire.* Quod si ignis impediens potentiam angeli non detineat ipsum in illo loco ignis, sed permittat exire, sicut aliquando Dæmones exeunt de inferno, tunc Angelus erit in loco distincto, vel per operationem suam, si ibi permittatur aliquid agere, vel per alligationem passiuam potentiæ ad illum locum distinctum ab igne, quæ tamen detentio, etiam quoad illum locum fiet instrumentaliter ab igne distante, & detinente alibi, vt statim amplius dicemus.

3840 *Anima damnata patitur, sicut Angelus ab ipsa experientia sic.* Quod attinet ad animam separatam, nullo modo debemus recurrere ad illam fictam apprehensionem, quam ponit *P. Alarcon*, itaut anima apprehendat in se ipsa separata illam visionem, quam sentiret, si esset coniuncta carni: hoc enim est recurrere ad illud incōueniens suprà reiectum, quod æquè currit in Angelis, & animabus, quod per falsā, & illusam appræhensionem crucientur: hoc enim non minus in animabus, quam in angelis, reprēhēdit D. Th *loco citat. ex 4. sententiarum*, vbi inquit, quod *Non est probabile, quod animę separatę, vel Dęmones, qui subtilitate ingenij pollent, putarent ignem corporeum sibi nocere posse, si ab eo nullatenus grauarentur*. Et sic imaginatio istius authoris nullo modo est probabilis secundùm D. Th. neq; soluit dictū S Gregorij 4. *Dialogo* 29. vbi inquit, quod *Incendiū non solùm anima videndo, sed etiam experiendo patitur*. Ergo non solùm ab appræhensione actionis patitur, quod est pati videndo, seu appræhendendo, sed ab ipsa experientia doloris patitur anima. Non potest autem tunc experiri illam vstionem, & dolorem, quem in carne sibi coniuncta anima haberet ab igne, cùm sit separata à carne; ergo hanc non experiendo, patitur. Et licet ex falsa imaginatione possit prouenire vera tristitia, vt dicit Aug. 12. *super Genesim ad litteram c.* 10. & 32. tamen D. Th. citatus notat, tunc non patitur aliquis ab ipsa re, sed à similitudine rei. Nos autem debemus verificare iuxta scripturam, & PP. quòd anima, & Diabolus patitur ab igne.

Maior difficultas est ex alia parte, quia multi sentiunt animam separatam non habere potentiam motiuam, qua se moueat, vel alia corpora. In qua sententia non videtur posse assignari quid impediat ignis in anima separata, vt illam affligat: Nec .n. impedit ipsum intelligere, aut velle, quia anima eodē modo intelligit in illis pœnis quoad naturalia, sicut etiam intelligit angelus: Vnde dices ille in inferno, Lucę, 16. cognoscebat Abraham, & loquebatur cum recordabatur fratrum, quos habebat in hac vita: ergo in intelligendo non impediebatur; imò potiùs acumen sciendi conducit ad viuaciorem dolorem. 3841 *Quid impediat ignis in Anima separata, vt illā affligat*

Si ergo in potentia intellectiua non impeditur anima, & potentiam motiuam non habet in sententia istorum auctorum, nulla restat alligatio potentiarum, quæ fiat in anima. Detentio autem in loco præcisè, parum pœnalis videtur esse animæ in hac sententia, tum quia secundum illam anima non mouetur de loco ad locum per seipsam, sed solùm portatur. Vnde per hoc, quod relinquatur in loco, & non portetur, manet ibi detenta, & sic non habet ignis, quod faciat in anima ad detinendum illam in loco, sed sufficit, quod non portetur ab aliquo angelo: tum quia animæ in Limbo detinētur quoad locum, & tamen nihil pœnæ sensus inde patiūtur. Quare hæc sententia, quę negat potentiam motiuā in anima separata, & consequenter omnem actionem transeuntem ad aliquid extra se, reijcienda est, vt reiecimus *in libris de anima*. 3842 *Aliorū opinio reijcitur.*

Certe D. Th *locis supra citat*, & præsertim *in 4. sententiarum*, in specie loquens de anima separata, dicit torqueri ab igne, *quatenus retardat eam ab executione proprię voluntatis, ne scilicet possit operari vbi nō vult, & secundùm quod vult*. Et sic dicendū est, quod anima si habet aliquam actionem, qua possit se, vel alia mouere, in illa patitur impedimētum ab illo igne, & ex consequenti habet detentionem in loco pœnalem. Si verò anima nullius actionis est capax circa se, & circa alia, sed solùm habet intelligere, & velle in executione istarum actionum patietur impedimentum solùm intelligendo id, quod sibi disconueniens, & pœnale est, non aliquid, quod delectare possit. 3843 *Vera sententia Anima separata torquetur ab igne, quatenus retardat eam ab executione suę voluntatis.*

DVBIVM V.

Quomodo hęc qualitas alligatiua, & pœnalis sit contristatiua spiritus damnati; & an sit spiritualis?

Arguitur contra doctrinam præced. dub. Qualitas, quam diximus producere ignem instrumentaliter, non est qualitas corporea, sed spiritualis; sed hæc non potest esse repugnans, neq; contristatiua angeli: ergo ficititia est talis qualitas. Maior est certa, quia illa qualitas subiectatur permanēter, & in facto esse in subiecto spirituali: ergo non potest esse corporea. Minor probatur, quia illa qualitas hoc ipso, quod spiritualis est, perficit subiectum, & multò magis si sit supernaturalis, & nihil expellit ab angelo corrumpendo, & destruendo, 3844 *1. Obiectio.*

quia,

quia, vt diximus dona naturalia in angelis sunt integra, vtpotè incorruptibilia, & indiuisibilia: supernaturalia autem dona solùm excluduntur per culpam voluntariam, non per qualitatem violentam: ergo illa qualitas nihil inuenit in angelo, quod expellat, & cui contrarietur.

3845 *Eadem obiectio continuatur.*

Nec etiam cōtristauit illa qualitas per hoc, quòd impedit, aliquas operationes in Angelo, quia non apparet, quis sit effectus formalis, & primarius talis qualitatis impedieutis, & non destruentis: Si .n. virtus ipsa habet omnia requisita ad operandum, nō est impedita, & solùm potest cessare ab operatione per suspensionem concursus, quod non pertinet ad talem qualitatem. Sed ad Deum, qui subtrahit concursum. Si autem illa qualitas facit, quòd non habeat omnia requisita ad operandū: ergo intantū impedit, inquātum aliquid tollit, nec videtur intelligibile, nec videtur intelligibile, q aliquid impedita agens nihil tollendo ab illo ex requisitis ad agendum Nec potest recurri ad aliquam contrarietatē, quam faciat illa qualitas in intellectu, imprimēdo aliquam speciem intentionalem, aut applicationem vehementem ad aliquod obiectum cōtristans: quia totum hoc pertinet ad immutationem intentionalem, quæ in se pœnalis non est, neque afflictiua intellectus, sed potiùs perfectio illi⁹, nisi ratione obiecti, quod per talem speciem, seu apprehensionē repræsentatur: & tunc restat explicare, quid sit illud obiectum contristans, quod sic apprehenditur, & quid contrarietatis, & repugnantiæ ponat in Angelo.

3846 *Confirm.*

Confirmatur, quia illa qualitas ponitur ad alligandum angelum in loco, vel ad alligandum potentias, ne se moueant, vel operentur circa alias res: ergo hoc ipso, quod angelus soluitur ab illo loco, aut permittitur moueri, vel operari circa alia, cessabit pæna, & cruciatus. Consequens est falsum: ergo non potest in illa alligatione constitui pœna angeli illata ab igne. Sequela manifesta est, quia si tota ratio pœnæ, & cruciatus consistit in detentione, siuè quoad locum, siuè quoad operandum, si permittitur operari, vel mutare locum, cessat detentio: ergo, & pœna. Minor autem probatur, quia Diabolus, sæpè permittitur moueri, & exire ex loco inferni. Nam quod moueatur, & non sit semper alligatus constat ex illo Iob. 1. vbi dicitur, quòd *Inter filios Dei affuit etiam Satan, cui dixit Dominus, vnde venis, qui respondens ait, circuiui terram, & perambulaui eam.* Et de alio Spiritu nequam dicitur 3. Regū 22. *egressus Spiritus stetit coram Domino, &c. & infrà, Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omniū Prophetarum eius, & dixit Dominus decipies, & præualebis, egredere, & fac ita,* & de ipso Diabolo dicitur Apocalyp. 27. quod *Ligatus est ab Angelo per annos mille, & missus in abyssum, & post hæc oportet illū solui modico tempore.* Ergo aliquando soluitur Diabolus, & egreditur de inferno, & operatur, & mouetur: ergo tunc non est detentus, & tamen non amittit aliquid de Pœna, quia Pœna illa, ad quam est damnatus, est eterna, & refrigerium non habet: ergo non potest illa pæna consistere in sola alligatione, & detentione, etiam facta per qualitatem.

3847 *Resp. illam qualitatem esse spiritualē, quæ non est perfectio comparata ad subiectum.*

Respondetur ad principale argumentum, concedendo illam qualitatem contristantem non esse corpoream: hæc enim non potest magis nocere angelo, quàm ipse calor ignis, vel quæcumque alia qualitas corporea. Quando autem dicitur, quòd spiritualis qualitas est perfectio, distinguo; est perfectio in se, & absolutè, transeat, comparatiuè, & relatè ad hoc subiectum, nego; sicut etiam frigus perfectio quędam est, sed non igni, quem potius corrumpit. Sic illa qualitas perfectio est in se, sed impeditiua connaturalis perfectionis angeli, & sic non est perfectio Nec secus illam qualitatem esse supernaturalem quoad entitatem, quia sic pertineret ad ordinem gratię: gratia autem non destruit naturam, sed perficit, & eleuat: licet verum sit, quòd extrinsece sit supernaturalis quo ad modum efficiendi, qui est à Deo operante super naturam, vt ignis agat in Spiritum, & ad finem supernaturalem ordinatur, vt vindicetur peccatum pæna æterna, propter oppositionem cum gloria, & gratia, & contra ipsum Deum, etiam vt supernaturalis author est.

Instabis. 3848

Ad id autem, in quo argumētum facit vim, quòd illa qualitas nihil tollat, aut corrumpat de virtute, & substantia angeli, nec potest intelligi, quòd impediat potentiam operatiuam, nisi aliquid tollat de requisitis ad agendum, quæ vtique destructio, seu corruptio sine alicuius rei influentia intelligi non potest.

Resp. illū ignē ponere aliquid contrarium in spiritu, quod impedit inclinationem.

Resp., quòd, vt *supra* diximus ex D. Thom., ignis ille ponit aliquid contrarium in spiritu, non quod corrumpat, sed quod impediat inclinationē, & operationem naturalem, Vnde *in additionibus q. 70. a. 3. ad 4.* inquit, quòd. *Ignis ille agit in animam, non per modum influentis, sed per modum detinentis.* Vbi non est sensus, quòd ignis ille nihil efficiat in anima, cū dicat D. Thomas, quòd agit, sed quia id, quòd producit, solùm est ad detinendum, non ad alterandū, vel corrumpendum; ideo dicitur non esse per modum influentis, sed per modum detinentis. Datur ergo impedimentum per modum detentionis, condistinctum ab impedimento per modum corruptionis, vt etiam suprà exemplis monstrauimus, & patet in eo, qui detinet lapidem, ne descendat, nec tamen aliquid corrumpit de eius substantia, vel qualitate, quæ est grauitas.

Vrgebis.

Cùm ergo insistitur inquirendo, quomodo illa qualitas tollat aliquid de requisitis ad operandum, vel non tollat.

Resp. qualitatem illā impeditiuam tollere aliquid ex parte applicationis.

Respondeo, quòd qualitas detentiua, & nō corruptiua, non tollit aliquid de requisitis ex parte virtutis, sed ex parte applicationis, aut dispositionis, seu motionis, qua ipsa potentia se applicat ad operandum. Itaque etiamsi tota virtus sit in obiecto, potest tamen per aliquod extrinsecum impedimētum impediri ipse exitus actionis, & non tolli aliquid de virtute, quia cùm ipsa virtus applicetur, vel habilitetur, aut moueatur ad operandum, potest aliqua qualitas impedire istam applicationem, seu motionem potentiæ, aut quācumque aliam dispositionem eius ad operandum, non ablata, neque destructa eius virtute, sicut per impulsum detinetur applicatio lapidis ad descendendum, eius grauitas nō corrumpitur, aut læditur. Est .n. hoc argumentum etiam soluendum est in illis qualitatibus corporeis, per quas videmus detineri, & impediri potentias, non destructa, neque ablata virtute, vt quando detinetur lapis, ne descendat, aut Remora detinet nauē ne procedat, & alijs similibus exemplis supra adductis, quòd in spiritualibus multò meliùs à Deo posse fieri, & nihil id implicare, nullus sanè mentis dubitare potest. Quod autem dicitur de vehementi applicatione intellectus, vel immissione speciei intētionalis, iam diximus, nō in hoc cōsistere cruciatū, ab igne instrumentaliter illatum, sed in alligatione potentiarum, qua posita, vehemens illa apprehensio consequitur circa ignem illum, tanquam circa instrumentum illius cruciatus.

3849 *Ad confir Resp. illū ignem dici pœnalē, prout retardat spiritum ab executione propriæ voluntatis.*

Ad Conf. respondetur, Quòd, vt D. Th. *dist. 44. & q. 70. additionum* dicit, ille ignis non est pœnalis, nisi in quantum retardat spiritum ab executione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari, vbi vult, & secundùm quod vult. Quare licet Diabolus exeat ab illo loco materialiter sumpto, v.g. loco inferni, & permittatur moueri, aut operari circa aliquid, tamen, quia non facit ibi, quòd vult, & secundū quod vult, sed secūdùm quod permittitur ex obligatione ad ignem; ideo non minuitur ei pęna, sed mutatur, aut si in aliquo minuitur, est in aliquo valde accidentali, & aliunde sic aggrauatur, & recompensatur illa parua diminutio, quod in maiorem ipsi et cedere cruciatum, & miseriam. Itaque si aliqui Dæmones sunt, qui nunquam descenderunt ad infernum, sed manserunt in isto aere, & manent vsque ad diem Iudicij, vt satis insinuat Diu. Tho *a. 4 huius q.* Tales non minuunt pœnam ex eo, quòd actualiter non alligentur loco ignis in inferno, sed habent istum

aerem

aerem pro carcere, vt dicit August 1. *de Genes. ad litteram*, *& ibi* cit. à D.Thom. Affliguntur tamen ex igne inferni, licet actu in eo nõ sint, tanquã ex loco sibi debito. Quamquam non improbabiliter dici potest, quód ignis ille, & si distãs, virtute diuina agit in spiritus in isto aere existentes, non alligando eos loco gehennali, sed eorum potentias, hic impediendo, ne operentur vbi volunt, & quod volunt, sed iuxta, quod permittuntur plus, vel minus, totum tamẽ operãtur, nõ ex libito, sed ex permissione ignis, qui eos etiã alligat, ne exeãt ab isto aere, vt a carceris sui loco, & totus iste aer eorũ carcer est, sicut terræ concauitates, vbi est infernus, est locus eorum, qui ibi sunt.

3850 Si vero spiritus, qui de facto detrusi sunt in infernum, & loco illi alligati, aliquando permittãtur exire ad tempus, ex diuina dispensatione, mutant quidem pœnam, quasi materialiter, quatenus aliqualiter, & ad aliquem effectum, eorum impedimentum laxatur, sed incurrunt aliam, vel æqualem, vel maiorem, quatenus soluuntur, & permitũtur operari aliquid, non iuxta eorum voluntatem, sed vt crescat eorũ dolor, & pęna, ex hominibus, quos exercent, quia vel vincunt illos, & secum trahunt ad damnationem; Et sic crescit eorum pæna accidentalis, vel vincuntur ab hominibus, qui electi sunt, & sic crescit eorum confusio. Itaque mutari potest accidentalis pœna Dæmonum, & in aliquid crescere accidentaliter, vel minui, vsque ad diem Iudicij, vt expressè docet S.Thom. *in 4. dist. 22. qu. 1. art. 1. ad 5. & dist 50. qu. 2 art 1 questiunc 6* & sic non est incõueniens, quod p egressioné ab inferno, in quo detinebatu, Diabolus mutet pœnam, & aliqualiter diminuatur in aliquo accidentali pœnalẽ ei detentionem relaxando & pœnarum, quoad illum locum, aggrauationem, non tamen necesse est hoc dicere, aut aliquod refrigerium illis tribuere, quia etsi mutent illam detentionem quo ad istũ, vel ad illum locum, aut detentionem materialiter sumptam, sicut etiam à calore ad frigus, tamen ex alia parte augetur illa pæna, recompensatur illa mutatio, quia licet moueantur, & operentur in aliquo loco, forsitan operantur, quod minus vellent, & vnde maiorem confusionem, aut pænam postea reportabunt, & quoad alia, quę isti vellent facere, vel se mouere arctiùs aggrauantur, & impediuntur. Et hæc dicta sufficient pro materia de Angelis, & pro toto hoc secundo Volumine. Ad maiorem Dei gloriam, Beatissimæ, semperq; Virginis Mariæ, nostræ Parentis; Sãctissimi Elię protoparentis, Seraphicæ Teresiæ Reformatricis, ac *Diu.* Th. Aquinatis Angelici Præceptoris.


Spiritus, qui ad tẽpus exeũt ab inferno, mutant pœnã quasi materialiter, sed aliam incurrunt, vel æqualem, vel maiorem.

Me, meaque omnia hucusque scripta, & Deo dante scribenda,
S. R. Ecclesiæ iudicio libentissimè submitto.

ERRATA SIC CORRIGE.

Fol. 1. col. 2. lin. 7. Prædestinatis. lege Prædestinatio & lin. 47. Diuinns. leg. Diuinus. fol. 1. col. 2. lin. 61. param finis electioné futá. l. expũgendo totum. f. 11. l. 78. col. 2. pędicamentali, l. prædicamentalis. f. 12. col. 1. li. 52. suaui, l. sua vi. f. 13. col. 2. li. 65. essentialiier l. essentialiter, & li. 66. participaliter, l. participaliter, & l. 73 caret, l. careat. & li. 42. de moiori l. de maiori. f 14. col. 2. li. 7. indicando, l. iudicando f. 15. col. 2. li. 43. *De⁹* se, l. Deus esse, & li. 55 prætensum. l. præteritum f. 16. col. 2. li. 66. aliquis, l. aliquid. f 18. col. 1. li. 70. liberitate l. liberalitate. & 2. col. li. 40 inuenire. l. innuenire, & li. 41. non facerent, l. non faceret. f. 19. col. 1. li. 68. facere l. facilè. n. 100. li. 16. alterius, l. vlteriùs & li. 17. peruentu l prouentu n 22. li. 19. *Domino*, l. *Domine* 136. li. 2. quia. l. qua. & li. 7 neq; ex. l. neq; est ex. n. 147. li. 1. prodiuitur. l. producitur. item, exigit. l. exigit. n. 148. li. 9. fine l. siue n. 149. li. 8. non quod l. quod n. 162. li. 10. & viuens. l. vt viuens n. 167 fructuans, l. fluctuans. n. 170. li. 35. vt de substantia. l. vt de sua substantia. n. 163. à personalitatibos. l. a personalitatibus. n. 172. l. 1. filius procedere l. filium procedere. n. 176. li. 32. quam creationis. l. quam rationis. n. 177. li. 18. dentificationem. lege identificationé. 183. li. 22. tiiplici l. triplici. n. 191. li. n. 4. conseuentei. l. consequẽter. n. 200. n. 18. Græcè locis l. Græcè logos n. 205. li 18. qua ratione est communis l. est commune. n. 209. li. 20. manent. l. manet. n. 214. li. 2. spiritualiter l. corporaliter. n. 220. li. 2. communicatum. l. communicatã. n. 239. li. 2. infinita. l. finita. n. 243. li. 25. affectus. l. effectus, & li. 36. motiuum. l. actuum n. 244. li. 4. reddimus. l. tendimus n. 245. li. 13. dilectione l. dilectionem. n. 251. li. 42. sn re. l. in re. n. 257. li. 4. quasi l. quas. n. 262. li. 12 processiuè. l. processione. n. 278. li. 14. procederet, l. produceret. n. 282. li. 14. conuenit. l. conueniunt. n. 295. li. 9. in seipsa. l. in in se ipsis. n. 301. li. 2. Spiritus Sancti. l. Spiritum Sanctum. n. 297. li. 17. in ipso l. in ipsum. n. 309 li. 4. modum. l. motus. n. 314. li. 18 Resp. cnnel. l. Resp. conced. n. 315. vel per se subordinatę. l. & per se subordinatę. n. 323. li. 31. & reuera. l. vt reuera. n. 326. li. 6. libere credendo. l. liberè creando. n. 328. li. 16. Potentiam filio futurum Patrem. l. potentia Filium futurum Patrem. & li 21. Pronepotem gignerat, l. pronepotem gigneret. f. 62. col. 1. l. 7 hoc distinguunt ea, l. per hoc distinguuntur ea. 441. li 20. pluralitatem suppositum. l. pluralitatem suppositorum n. 443 l. 6. vt distinguitur l. & distinguitur. n. 444. l. 22 seipsum esse l. ipsum esse. n. 251. l. 2. in tres tribus l. in tribus. n. 455. li. 2 non istę. l. aut istę, & li. 7. ita sit. l. ita vt sit. & li 13. à quilibet. l. à quolibet n. 457. li. 8. quia in se. l. qua in se. num. 456. l. ij plus entitates. l. plures entitates. n. 462. l 18. sed existere. l. seu existere f. 82. l. 1. l. 8. intelligibus. l. intelligimus. n. 472. l. 10. Filius. l. Filius, n. 475. l. 14. relationes. l. relationis. f. 88. 1. col. l. 7. vnicus. l. vnica. n. 481. l. 15. nullo. l. nulla. n. 185. l 3 attributalis. l. attributales. n. 486. l. 20. quo. l. qua. & l. 29. Santi. l. Sãcto. n. 487. l. 15. talis. l. tali. n. 493. l. 5. spirationes, spirationis. n. 516. l. 2. idẽtificet, l. idẽtificat. 533. l. 20. quocũq; l. quacũq;. n. 539. l. 35. simiiis. l. similes. n 541. l. 7. craturis. l. creaturis. n. 580. non possint. l. non possit. nu. 586. l. 17. substantiales. l. substantialis. n. 638. l. 4. nomini. l. nomen. n. 640. l. 9. ad confusionem, l. ad confessionem. n. 655. l. 4. habent. l. habet. n. 656. li. 10. substantia. l. subsistentia & li. 11. substantia. l. subsistentia. quamplurimos alios errores, quos Typographi incuria, & incapacitas efformauit, imo deformauit, Lectoris benignitas, ac peritia reformet.

Finis secundi Tomi.



INDEX ALPHABETICVS RERVM NOTABILIVM.

B

Beatitudo Dei:

Beatitudo Angelorum.

C

Creare, Creatio, Creatura:

Creationis Initium.

Creatio Angelorum.

D

Dei Potentia, seu Omnipotentia.

Dei Beatitudo.

Deus Creator.

Deus causa Angelorum in esse naturæ, & Gratiæ.

Diabolus, seu Angelus malus.

Dictio, Solus, solum quid dicat in Diuinis.

Distinctio Relationum ab essentia in diuinis.

Distinctio Angelorum.

Diui-

M

Missio Diuinarum personarum.

Motus Angelorum.

Mundi creatio, ac Duratio.

N

Notiones diuinæ.

Numerus Angelorum.

O

Obstinatio Dæmonum.

&

Omnipotentia Dei.


P

Pater diuinus.

Pater Diuinus.

Peccatum Angelorum.

Persona diuina. Hypostasis, & subsistentia.



IL FINE.



